F. LUCII FERRARIS

PROMPTA

BIBLIOTHECA

CANONICA, JURIDICA, MORALIS, THEOLOGICA.

Digitized by Google

Digitized by Google

F. LUCII FERRARIS,

SOLER-ALEXANDRINI ORD. MIN. REG. OBS. S. FRANCISCI LECTORIS JUBILATI EXPROVINCIAL. EXAMIN. SYNODALIS AC S. O. CONSULTORIS,

PROMPTA

BIBLIOTHECA

CANONICA, JURIDICA, MORALIS, THEOLOGICA,

NEC NON

ASCETICA, POLEMICA, RUBRICISTICA, HISTORICA.

EDITIO NOVISSIMA, MENDIS EXPURGATA,

NOVIS AD SINGULAS FERE VOCES ADDITAMENTIS NOVISQUE ARTICULIS LOCUPLETATA, TUM PECULIARIBUS SUMMARIIS, TUM GENERALI MATERIARUM INDICE INSTRUCTA, ADJECTA AD CALCEM CUJUSCUNQUE VOLUMINIS ABSOLUTISSIMA APPENDICE EX OMNIUM SS. CONGREGATIONUM DECRETIS QUÆ VEL IN ANTEACTIS EDITIONIBUS DESIDERANTUR, VEL DEINCEPS USQUE AD PRÆSENS LATA SUNT, JUXTA VOCUM HUJUSCE BIBLIOTHECÆ SERIEM DIGESTIS;

OPERA ET STUDIO MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

ABBATIÆ MONTIS CASINI,

PATRONO ET AUSPICE VIRO EMINENTISSIMO

ALOISIO S. E. R. CARDINALI LAMBRUSCHINI

EPISCOPO SABINORUM,

SANCTISSIMI D. N. GREGORII XVI P. M.

A PUBLICIS NEGOTIIS ET A BREVIBUS, ETC., ETC.

ACCURANTE RURSUM ET INNUMERIS NOTIS LOCUPLETANTE J.-P. MIGNE.

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS, EDITORE.

TOMUS SECUNDUS.

VENEUNT 8 VOL. 60 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM, IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU PETIT-MONTROUGE.

1852

Digitized by Google

Rec. July 25, 1901.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA

F. LUCII FERRARIS.

C

CADAVER.

SUMMARIUM.

1. Cadavera nequeunt sepeliri aut reponi sub Altaribus, neque sub gradibus eorum, aut pradellis. — 2. Et si contra hujusmodi prohibitionem sepulturæ ibi reperiantur constructæ, non debet in illo celebrari donec Cadavera alio transferantur. — 3. Cadaverum capsæ, deposita, seu conditoria in Ecclesiis super terram existentia debent omnino amoveri, et Cadavera defunctorum in tumbis profundis infra terram collocari. — 4. Non comprehenduntur tamen sub hac prohibitione monumenta marmorea muris, seu columnis adhærentia, præsertim amotis Cadaveribus a locis altis. — 5. Cadavera pauperum Fidelium gratis omnino tumulari et sepulturæ tradi debent. — 6. Nec ad extorquendam, aut emendicandam a vicinis, vel affinibus eleemosynam publice possunt exponi. — 7. Nec prohiberi potest, ne Cadaver sepeliatur, occasione Juris sepulturæ. — 8. Cadavera decedentium in Parochia, ad cujus Ecclesiam Capitulum Cathedralis Ecclesiæ translatum est, non possunt levari per ipsum Capitulum, seu Canonicos, nisi requisito Parocho dictæ Ecclesiæ. — 9. Cadavera defunctorum levare de domo propria nullo modo licet Regularibus, et Presbyteris sæcularibus, nisi de licentia et consensu proprii Parochi. — 10. Vocato tamen Parocho, et ipso renuente intervenire, vel alterum mittere, tunc possunt Regulares absque Parocho deferre Cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda. — 11. Cadaver illius, qui elegit sepulturam apud Regulares, est restituendum eis simul cum oblationibus, si fuerit sepultum in Cathedrali. — 12. Cadavera defunctorum deferri possunt ad Ecclesiam pro beneplacito suorum, non tamen sepeliri, nisi post competens temporis spatium. — 13. Cadavera nequeunt deferri ad sepulturam curru clausa. — 14. Cadavera alicubi deposita ad tempus, transferri possunt ad proprium sepulcrum absque ulla licentia; secus si tradita fuerint perpetuæ sepulturæ. — 15. Pro transportatione Cadaveris de uno ad alium locum, non solvitur gabella, sive vectigal. — 16. Cadavera exhumari non debent pro capienda informatione absque licentia. — 17. Unde Episcopus non potest concedere licentiam Curiæ Laicali, ut exhumentur Cadavera ad faciendam recognitionem in ipsa Ecclesia, sed extra, et arbitrio ipsius Episcopi. — 18. Quinimo nequidem potest Episcopus concedere Curiæ Laicali licentiam, ut exhumentur Cadavera ad faciendam recognitionem in loco immuni, licet extra Ecclesiam. — 19. Si Cadaver occisi a sæculari fuerit Personæ Ecclesiasticæ; vel tale Cadaver nondum est translatum ad Ecclesiam, seu locum immunem, et tunc poterit a Judice laico, qui prævenit, fieri recognitio corporis delicti; vel Cadaver Clerici occisi est jam ad locum immunem, seu ad Ecclesiam translatum, ac sepulturæ traditum, et tunc hujusmodi recognitio fieri ab eo non poterit absque legitima facultate a Sacra Congregatione Immunitatis concedenda. — 20. Solet tamen dari facultas Episcopo concedendi licentiam absque violatione Immunitatis Ecclesiæ transportandi Cadavera, et vulneratos a loco immuni pro recognitione corporis delicti pro octo casibus, præmissa ab Ordinario solita protestatione juxta cap. *Prælatis* 2, de Homicid. in 6. Et traditur hic consueta formula. — 21. Solus Episcopus, sive ejus Vicarius Generalis concedit licentiam exhumandi Cadavera Laicorum pro recognitione facienda extra Ecclesiam, et locum immunem; etiamsi ipsa Cadavera fuerint sepulta in Ecclesiis Regularium. — 22. Imo etiamsi vulneratus, aut offensus esset Regularis, qui existeret in Monasterio, tunc recognitio fieri poterit a Curia Episcopali. — 23. Cadavera defunctorum cum ululatibus ad Ecclesiam associare non est permittendum. — 24. Quare merito hujusmodi ululatus, neniæ, et cantilenæ in variarum Diœcesum Synodalibus Constitutionibus expresse prohibentur. — 25. Juxta dispositionem cap. *A nobis* 2, de Sentent. excommunic. et cap. final. de Sepult. procedendum est ad exhumationem Cadaveris Excommunicati. — 26. Cadaver tamen Excommunicati, qui non tantum dedit signa pœnitentiæ, sed etiam decessit munitus Sacramentis, Episcopus tradat Ecclesiasticæ sepulturæ ad formam

Digitized by Google

cap. *A nobis* 2, de Sentent. excommunicat. — 27. Comminanda est exhumatio Cadaverum Excommunicatorum, nisi eorum hæredes satisfaciant Ecclesiæ violatæ. — 28. Sæpe injungitur Episcopo, ut faciat exhumari Cadaver Excommunicati, et præstito per hæredes juramento de stando mandatis Ecclesiæ, cum dederit signa pœnitentiæ ante obitum, absolvat ad tenorem cap. *A nobis* 2, de Sentent. excommunic. — 29. Injungitur Vicario, ut prævia absolutione ad formam cap. *A nobis* 2, de Sentent. excommunic. et cap. final. de Sepult. tradat Ecclesiasticæ sepulturæ Cadaver occisoris Clerici, qui duobus diebus ante ejus obitum petiit confiteri et absolvi a simplici Confessario, existimans se esse in periculo vitæ, ut eventus demonstravit, nam post duos dies a suis inimicis occisus fuit in loco immuni. — 30, 31. De tempore delationis, et humationis Cadaverum. — 32. — Quousque duret Parochi Jurisdictio super Cadaver, et quando ad Regulares transeat. — 33. Cadavera recto tramite ad Ecclesiam deferri debent. — 34. An Cadavera exponenda sint in Ecclesia Parochiali, antequam in Regularinm Ecclesia sepeliantur. — 35. An Regulares debeant congregari et convenire ad Ecclesiam, ubi est Cadaver, ut ad suam deportent Ecclesiam. — 36. Quid debeatur Ecclesiæ Parochiali, si Cadaver humatur in Regularium Ecclesia. — 37. Sub qua Cruce tenetur incedere Archipresbyter associando Cadavera sepelienda in Ecclesia Regularium. — 38. An cogi possint Regulares ad associanda Cadavera in eorum Ecclesiis tumulanda. — 39. An Episcopus valeat prohibere, ne hebdomadarius cotta, stolaque utatur in funeribus Cadaverum, quæ deferuntur sepelienda ad Ecclesias Regularium. — 40. Hebdomadarius Regularium vero extra suam Ecclesiam officium Parochi exercere non valet. — 41. Parochus tenetur funerale ducere usque ad januas Ecclesiæ Regularium. — 42. Quando Parocho vel Regularibus preces super Cadaver fundere liceat. — 43. Ubi Parochus relinquere debeat Cadaver sepeliendum in Ecclesia Regularium. — 44. An Parochus teneatur associare Cadavera ad Ecclesias Regularium etiam ipsis Regularibus non associantibus. — 45. An ad Parochum spectat officium funebre super Cadavera sepelienda in Ecclesiis et Oratoriis publicis Confraternitatum. — 46. An Capellanus Confraternitatis salutis possit sepelire in propria Ecclesia Cadavera Confratrum, et absente Parocho officium, aliasque functiones super iisdem explere. — 47. Consuetudo benedicendi Cadavera ad Ecclesiæ portam servanda est. — 48. Domi possunt hæredes officium recitare facere cuicunque libuerit. — 49. An hæredes possint ad libitum Cadaver domi retinere, vel ad quamcunque Ecclesiam aspertare. — 50. An possint Cadavera privatim sepeliri, sine lumine, Cruce et Parocho. — 51. Restituendum est Cadaver Ecclesiæ, in qua defunctus sepulturam elegit. — 52. Cadaver alicubi positum perpetuæ sepulturæ exhumari non potest sine licentia Episcopi. — 53. Exhumari nequeunt Cadavera sine licentia S. Congr. pro recognitione facienda a Curia sæculari. — 54. Defunctorum Cadavera non possunt vulgo arrestari ob debita civilia. — 55. Parochi pauperum Cadavera gratis sepelire tenentur. — 56. Graviter peccat, si quis in sectione adhibeat Cadavera non condemnatorum sine facultate Episcopi anatomiæ addiscendæ causa. — 57. Si in asportatione Cadaveris cum processione et Cruce contingeret transitus fieri per agrum vel possessionem privatam, via illa non fit publica. — 58. Parochus non potest exigere, ut Cadavera sepelienda in Ecclesia Regularium prius in Parochiali exponantur. — 59. Absque præsentia et facultate Parochi loci non possunt Cadavera levari e domo. — 60. Sub qua Cruce debeat incedere processio funebris, cum Ecclesia tumulans distinguitur a Parochiali. — 61. Quem locum debeant tenere societates funus comitantes. — 62. An Laici Regulares debeant comparere in processione funebri. — 63. Regulares cogi non possunt, ut associent pompam funebrem, cum Cadaver in eorum Ecclesia sepelitur. — 64. Ubi sepeliendum, qui ruri decedit, non electa sepultura. — 65. Cum e rure transferendum est Cadaver in civitatem, deferendum est in catalecto præcedente Cruce, et associantibus geminis Sacerdotibus. — 66. In extractione, vel intratione Cadaveris in portas urbis, gabella minime solvenda est. — 67. Pro transitu processionis funebris ex una in aliam parœciam nulla petenda est licentia a Parocho loci. — 68, 69. An liceat aliquid exigere pro sepultura et exsequiis Cadaveris. — 70-74. Regulæ pro exhumatione Cadaverum. — 75. Quis Judex, ecclesiasticus, an sæcularis, an uterque simul debeant cognoscere de Cadavere Clerici, qui mortem sibi conscivit. *Remissive.* — 76. Solis Patronis aut fundatoribus competit eligere locum in Ecclesia, quo Cadavera sepeliantur. — 77. Ecclesia Parochialis, ejusque cœmeterium est proprius locus sepulturæ Parochianorum. — 78. Jus sepeliendi Cadavera juribus Parochialibus annumeratur. — 79. Quinam Parochiani dicantur quantum ad sepulturam. — 80. Si defunctus habeat sepulcrum *Majorum*, ibi sepeliendus est. — 81. Huic autem, uti etiam sepulturæ Parochiali præfertur sepultura a defuncto electa. — 82. Quod intelligendum est, si talis electio facta fuerit in loco religioso. — 83. Oblationes, quæ fieri solent in Cadaverum funeratione, licitum est recipere Parochis, aliisque, quibus competunt. — 84. Ob non solutionem Jurium funeralium sepultura Cadaverum non est differenda. — 85. Jus inhumationis a jure celebrandi exsequias distinctum est, et utrumque illud jus ad Ecclesiam Parochialem spectat. — 86. Unde Parocho de jure competit, ut Cadaver præsentetur suæ Ecclesiæ. — 87. Quæstio incidit, quod genus exsequiarum in Ecclesia Parochiali sit persolvendum Cadaveribus, quando in alia Ecclesia electa fuit sepultura. — 88, 89. Ecclesia Parochialis non excluditur ab illis oblationibus, quæ sepeliendis Cadaveribus in altera Ecclesia impenduntur. — 90. Circa defunctorum corpora quid antiquitus a Christianis servatum. — 91. An liceat personarum Ecclesiasticarum Cadavera sacris induere Vestibus. — 92. Afferuntur rationes. — 93. De Archiepiscopo defuncto quoad Pallium. — 94. Episcopi Cadaver qualiter induendum. — 95. An liceat Calicem manibus Presbyteri defuncti apponere, et Missale super ejusdem feretrum.

(1. Cadavera nequeunt sepeliri aut reponi sub Altaribus, neque sub gradibus eorum, aut pradellis; Sac. Congreg. Episc. et Regul. in Interamnensi 14 Septemb. 1593, in una Termular. 8 Februar. 1594, et in Messanensi 2 Maii 1601. (2. Et si contra hujusmodi prohibitionem sepulturæ ibi reperiantur constructæ, non debent Missæ in illo Altari celebrari, donec Cadavera alio transferantur, ut declaravit eadem Sacr. Congregat. in una Tranensi 10 Novembris 1599.

(3. Cadaverum capsæ, deposita, seu conditoria in Ecclesiis super terram existentia debent omnino amoveri, et Cadavera defunctorum in tumbis profundis infra terram collocari; S. Pius V, in Constitut. 5, incip. *Cum primum.* (4. Non comprehenduntur tamen sub hac prohibitione monumenta marmorea muris seu columnis adhærentia, præsertim amotis Cadaveribus a locis altis, quia hæc nullam indecentiam, imo magnum ornamentum afferunt; Sac. Congreg.

Digitized by Google

Episcop. et Regul. in una Mantuana 16 Octobris 1579.

(5. Cadavera pauperum Fidelium gratis omnino tumulari et sepulturæ tradi debent; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in una Cassanen. 5 Maii 1617. Clemens IX, Constitut. 38, incipiente *In Excelsa*. (6. Nec ad extorquendam, seu emendicandam a vicinis vel affinibus eleemosynam publice possunt exponi; Clemens IX, *ibidem*. (7. Nec prohiberi potest ne Cadaver sepeliatur, occasione Juris sepulturæ, cum nulla ratio patiatur, Christianæque pietati repugnans videatur, maxime vero ob pecuniarum interesse Cadaver insepultum remanere; Sac. Congr. Episcop. et Regular. in una Crotonien. 17 Septembris 1617.

(8. Cadavera decedentium in Parochia, ad cujus Ecclesiam Capitulum Cathedralis Ecclesiæ translatum est, non possunt levari per ipsum Capitulum, seu Canonicos, nisi requisito Parocho dictæ Ecclesiæ; Sac. Congregat. Rit. in Thelesina 18 Augusti 1629. (9. Cadavera Defunctorum levare de domo propria nullo modo licet Regularibus et Presbyteris sæcularibus, nisi de licentia et consensu proprii Parochi; Sac. Congreg. Rit. in Adrianen. 22 Novemb 1631, in respons. ad 1. (10. Vocato tamen Parocho, et ipso renuente intervenire, vel alterum mittere, tunc possunt Regulares absque Parocho deferre Cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda; Sac. Congreg. Rit. in Senogallien. 22 Junii 1675, in responsione ad Sextum his verbis: *Ad Sextum Sac. Congreg. respondit: Vocato Parocho, et ipso renuente intervenire vel alterum mittere, tunc Regularibus licere absque Parocho deferre Cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda.* Et sic in terminis fuit iterum decisum ab eadem Sac. Congreg. ad instantiam Ordinis minor. de Observantia S. P. Francisci die 13 Julii 1675. Et sic jam fuerat decisum a Sac. Congr. Episc. et Regul. 14 Januar. 1739, quod decretum fuit confirmatum ab Alexandro VII, 30 Aprilis 1660. in Constitut. incip. *Alia pro parte.*

(11. Cadaver illius, qui elegit sepulturam apud Regulares, est restituendum eis simul cum oblationibus, si fuerit sepultum in Cathedrali; Sac. Congreg. Rit. in Bituntina 21 Julii 1607; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. 12 Martii 1660, in una Calaritana, contra Capitulum illius Metropolitanæ, cui mandavit restitui Minoribus de Observantia Cadaver in sua Metropolitana sepultum, ibi: *Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium præposita, attentis narratis reque, partibus tam verbo, quam scripto informantibus auditis, Eminentissimo Santacrucio referente, diligenter ac mature examinata et discussa, censuit Cadaver, de quo agitur, restituendum esse, prout una cum funerali pompa restitui mandat et præcipit S. Mariæ Jesu Fratrum Minorum Observantiæ S. Francisci.* Quod decretum fuit ad litteram confirmatum ab Alexandro VII, die 30 Apr. 1660, in Constitut. incip. *Alias pro parte;* et sic. Sac. Congregat. Concil. 27 Julii 1680, in una Alexandrina restitutionis Cadaveris decrevit, esse restituendum Cadaver sepultum in Ecclesia Cathedrali a Capitulo Fratribus Discalceatis Carmelitis, una cum oblationibus, stante electione facta sepulturæ. Apud Petram tom. II Comment. ad Constit. 3, Cœlestini III, sect. 1, n. 19; et idem statuit Sac. Congr. Conc. in Sorana, 24 Apr. 1723, apud Ursajam tom. VI, p. 2, disceptat. 24, sub n. 69, 70, 71.

(12. Cadavera Defunctorum deferri possunt ad Ecclesiam pro beneplacito suorum, non tamen sepeliri, nisi post competens temporis spatium; Sac. Congr. Episcop. et Regular. in una Altifan., 20 Febr. 1601. (13. Cadavera nequeunt deferri ad sepulturam curru clausa; Sac. Congreg. Episcop. et Regular. in una Mutinensi, 13 Julii 1646, et 26 Febr. 1649, et 17 Martii 1650, et 15 Februarii 1658, et alibi. (14. Cadavera alicubi deposita ad tempus transferri possunt ad proprium sepulcrum absque alia licentia, secus si tradita fuerint perpetuæ sepulturæ; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in una Lingon., 16 Octob. 1602, et in Rit. Rom.

(15. Pro transportatione Cadaveris de uno ad alium locum non solvitur gabella, sive vectigal. Sacra Congr. Immunitatis in una Firmana, 10 Junii 1653.

(16. Cadavera exhumari non debent pro capienda informatione absque licentia; Sac. Congregat. Immunit. in Æsina, 17 Decemb. 1602; et in Sutrina, 1 Junii 1604. (17. Unde Episcopus non potest concedere licentiam Curiæ Laicali, ut exhumentur Cadavera ad faciendam recognitionem in ipsa Ecclesia, sed extra et arbitrio ipsius Episcopi; Sac. Congreg. Immunit. *in Nullius*, 2 Maii 1639, quam decisionem refert, et ad suam petitionem sic responsum fuisse dicit Sperell. in Decisionibus Fori Ecclesiastici, decis. 51, num. 18.

(18. Quinimo nequidem potest Episcopus concedere Curiæ Laicali licentiam, ut exhumentur Cadavera ad faciendam recognitionem in loco immuni, licet extra Ecclesiam; Sac. Congreg. Immunit. in Macerat., 8 Aug. 1645, ubi proposito, Jussu Sanctissimi, iterum dubio, videlicet: « An episcopi possint et debeant concedere Judicibus Laicis ad effectum recognitionis et probationis corporis delicti facultatem exhumandi Cadavera, examinandi vulneratos, testes et similes in Ecclesiis, et aliis locis immunibus Ordinum Regularium. Die 8 Augusti 1645, etc., prævia matura discussione, et de communi PP. consensu censuit, standum esse in decisis sub die 22 Maii 1629, scilicet Episcopum posse corpora exhumanda, vulneratos, et testes extrahere facere extra Ecclesias, et loca immunia ad effectum recognitionis et probationis corporis delicti per Judices, et Ministros Laicos faciendæ pro eorumdem Episcoporum arbitrio recte tamen regulato. Non autem posse facultatem concedere eisdem Judicibus et Ministris Laicis in Ecclesiis et aliis locis immunibus ad actum aliquem recognitionis Cadaverum, seu examinis vulneratorum et testium, nisi in casu ur-

Digitized by Google

gentis necessitatis, et quando Summus Pontifex commode adiri non potest; idque pro eorumdem Episcoporum arbitrio recte tamen regulato. Superioribus vero Regularibus minime licere etiam in Ecclesiis et locis immunibus ipsorum Regularium, sed id ad solos Episcopos spectare; l. I Decr. Pauluc., fol. 259, et sic declaravit ead. Sac. Congreg. Immunit. in una Anagnina, 21 Januar. 1659, in qua dicitur: « Moneatur Episcopus ipsum non potuisse dare licentiam faciendi recognitionem, et examinandi testes in loco immuni, » lib. Decret. Rocci, fol. 146. Et sic etiam eod. Sac. Congreg. in una Spoletana, 11 Maii 1683: « Ubi Vicarius Capitularis monetur, quia dederit Curiæ Laicæ licentiam exhumandi Cadavera a loco immuni pro facienda recognitione; » lib. III Decret. Altovit., fol. 176; et sic etiam declaravit eadem Sac. Congreg. in una Oritana, 30 Septembr. 1704, lib. III Decr. Vallem., fol. 618. Et Cancellarius S. Officii censuratus ob recognitionem Cadaveris factam in loco immuni, cassata dicta recognitione, absolvitur; Sac. Congr. Immunit., 7 Maii 1678, lib. II Altovit., pag. 1577.

(19. Si Cadaver occisi a sæculari fuerit Personæ Ecclesiasticæ, Sac. Congreg. utitur hac distinctione: vel tale Cadaver nondum est translatum ad Ecclesiam, seu locum immunem, et tunc poterit a Judice Laico, qui prævenit, fieri recognitio corporis delicti; vel Cadaver Clerici occisi est jam ad locum immunem, seu ad Ecclesiam translatum, ac sepulturæ traditum, et tunc hujusmodi recognitio fieri ab eo non poterit absque legitima facultate a Sacra Congreg. Immunitatis concedenda. Sic in una Civitatis Castelli, ac in aliis sæpe 19 Julii 1667, uti refert Pignatell. tom. IV, consult. 122, num. 4. (20. Ubi etiam dicit quod solet dari facultas Episcopo concedendi licentiam absque violatione Immunitatis Ecclesiæ transportandi Cadavera, et vulneratos a loco immuni pro recognitione corporis delicti pro octo casibus, præmissa ab Ordinario solita protestatione juxta cap. *Prælatis* 2, de Homic. in 6. Qua in re exstat formula in Secretaria Sacræ Congregationis Immunitatis tenoris sequentis: « La Santità di Nostro Signore concede a V. S. col mezzo di questa la facoltà di dar la licenza per otto casi, conforme alla sua prudenza che i feriti o i Cadaveri esistenti in luoghi immuni, con l'assistenza di persona Ecclesiastica da deputarsi da Lei, si trasportino in luogo vicino ed opportuno, con la dovuta sicurezza, ad effetto che la Corte Secolare possa provare il corpo del delitto col far le recognizioni de' morti o de' feriti, e senza violazione dell' Immunità Ecclesiastica, acciocchè i delitti non rimangano impuniti, mentre facendosi da Lei la solita protesta secondo la disposizione del cap. *Prælatis* de Homic. in 6, la Santità Sua la preserva dalle Irregolarità, che perciò Ella e i suoi Delegati Ecclesiastici potessero incorrere. »

(21. Solus Episcopus, sive ejus Vicarius Generalis concedit licentiam exhumandi Cadavera Laicorum pro recognitione facienda extra Ecclesiam, et locum immunem, etiamsi ipsa Cadavera fuerint sepulta in Ecclesiis Regularium; Sac. Congreg. Immunit. in cit. Macerat. 8 Augusti 1645, ibi: « Superioribus vero Regularibus minime licet etiam in Ecclesiis et locis immunibus ipsorum Regularium, sed id ad Episcopos solos spectat; » lib. III. Decr. Pauluc., pag. 259. Vide supra num. 18. Sic etiam decrevit Sac. Congregat. in Fanen., 20 April. 1649, l. IV. Decr. Paul., pag. 76; et in una Marsorum, 13 Julii 1693, lib. I Decr. Vallem., pag. 54, et in una Ariminen., 7 Julii 1701; lib. I Decr. Altov., p. 570. Et sic etiam jam decreverat Sacra Congregat. Episcop. et Regul. 11 Sept. 1643, ordinando Episcopo Placentino, ut quosdam reprehenderet Regulares, qui permiserant exhumari Cadaver Defuncti cujusdam, ut a Curia Sæculari recognosceretur absque Domini Episcopi consensu. (22. Imo etiamsi vulneratus aut offensus esset Regularis, qui existeret in Monasterio, tunc recognitio fieri poterit a Curia Episcopali, prout fieri jussit Sac. Congreg. Immunit., in una Burgi S. Sepulcri, 13 Novemb. 1619, lib. II Decr. Paul., fol. 12.

(23. Cadavera Defunctorum cum ululatibus ad Ecclesiam associare non est permittendum. Nos enim Christifideles, qui per Evangelium Christo post mortem vivimus exspectantes resurrectionem, potius in obitu debemus lætari, quam mœrore affici, cum ab hac lacrymarum valle ad beatam patriam cum Christo regnaturi transeamus. Unde eliminandi sunt certi constrepentes ululatus, et certæ neniæ, et cantilenæ pluribus in locis maxime a mulieribus practicari solitæ, cum sic non debeant Christiani contristari, ut Judæi et Gentiles, aliique extra fidem Catholicam existentes, qui infelices post hanc laboriosam vitam sine ulla spe melioris vitæ ad æternas miserias perducuntur, juxta illud Apostoli, I ad Thessalonicenses c. IV, n. 12, ibi: *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent.* (24. Quare merito hujusmodi ululatus, neniæ, et cantilenæ in variarum Diœcesum Synodalibus expresse prohibentur, ut inter alias in Diœcesi Alexandrina Synod. II, celebrat. 1605, decr. 33; Synod. IV celebrat. 1613; et Synod. XII celebrat. 1722, tit. 27; et in Diœcesi Bovensi, ubi cum Episcopus in Constitutionibus Synodalibus decretum edidisset, quod Consanguinei Defunctorum non comitarentur funus cum ululatu, reclamante Universitate dictæ Civitatis, ut moderaretur pœna arbitraria ibi imposita ad Censuram tantum, non autem, ut possit statui pecuniaria Laicis non infligenda ab Ecclesia, proposita fuere dubia in Sac. Congreg. Concil. « Secundo: An pœna non tantum Excommunicationis, sed etiam pecuniaria potuerit per Episcopum apponi Laicis transgressoribus? Tertio: An pœna arbitraria imposita comitantibus funera cum ulutatu, possit extendi ad pecuniam? » Sac. Congregat. die 28 Januarii 1690, respondit: « Ad secundum affirmative, dummodo Excommunicatio sit in subsidium. Ad tertium negative, sed Episcopus

Digitized by Google

suaviter curet tolli abusus. » Ubi vides Sacram Congregrationem decrevisse esse tollendum similem abusum, licet non pœna pecuniaria redolente potius avaritiam.

(25. Juxta dispositionem cap. *A nobis* 2, de Sentent. Excommunicat. et cap. final. de Sepult. procedendum est ad exhumationem Cadaveris excommunicati; Sac. Congr. Immunit. in Tropien., 4 Julii 1645, lib. III Decr. Pauluc., pag. 216. (26. Cadaver tamen Excommunicati, qui non tantum dedit signa pœnitentiæ, sed etiam decessit munitus Sacramentis, Episcopus tradat Ecclesiasticæ sepulturæ ad formam cap. *A nobis* 2, de Sentent. Excommunic. (27. Comminanda est exhumatio Cadaverum Excommunicatorum, nisi eorum hæredes satisfaciant Ecclesiæ violatæ; Sac. Congregat. Immunit., in Calvensi, 26 Martii 1658, lib. Decret. Rocci, pag. 76. (28. Sæpe injungitur Episcopo, ut faciat exhumari Cadaver Excommunicati, et præstito per hæredes juramento de stando mandatis Ecclesiæ, cum dederit signa pœnitentiæ ante obitum, absolvat ad tenorem cap. *A nobis*, de Sentent. Excommunic., et deinde tradat Ecclesiasticæ sepulturæ; Sac. Congreg. Immunit. in Januen., 14 Septembr. 1626, lib. I Decret. Pauluc., pag. 15; Acernen., 23 Septembr. 1653; lib. V Decret. Pauluc., pag. 21; Cesenaten. 26 Martii 1658, lib. Decret. Rocci, pag. 77.; Sanctæ Severinæ, 29 Decembr. 1666; lib. I Decret. Altovit., pag. 76; Bituntina 2 Januar. 1672, d. lib., pag. 368. (29. Injungitur Vicario, ut prævia absolutione ad formam cap. *A nobis*, de Sentent. Excommunic. et cap. fin. de Sepultura tradat Ecclesiasticæ sepulturæ Cadaver occisoris Clerici, qui duobus diebus ante ejus obitum petiit confiteri et absolvi a simplici Confessario, existimans se esse in periculo vitæ, ut eventus demonstravit, nam post duos dies a suis inimicis occisus fuit in loco immuni; Sac. Congreg. Immunit. in Aquilana, 27 Julii 1706, lib. Marefusci.

ADDITIONES AUCTORIS.

(30. Cadavera in quacunque hora diei deferri possunt ad Ecclesiam, de nocte vero nonnisi de licentia Ordinarii; Sac. Cong. Conc., 15 Martii 1704, et Clemens XI, 9 Decemb. 1704.

(31. Quoad tempus humationis Cadaverum servandam esse Synodum, censuit Sac. Rit. Cong., 22 Junii 1675, et iterum 13 Julii ejusdem anni.

(32. Parochi jurisdictio super Cadaver durat, quousque transeat in aliorum jurisdictionem; non transit autem Cadaver in jurisdictionem Regularium, nisi quando pervenit ad fores eorum Ecclesiæ; Sacr. Congregat. Concil., 28 Februar et 26 Martii 1711, et Sac. Rit. Congreg. 2 Septemb. 1741.

(33. Cadavera recto tramite ad Ecclesiam deferri debent. Sac. Cong. Episcop. et Regul., 11 Decemb. 1615 et 14 Januar. 1639.

(34. An Cadavera defunctorum sepelienda in Ecclesia Regularium, antequam ad eorum Ecclesiam deferantur, debeant prius asportari ad Parochialem, et eorum ibidem debeat fieri expositio usque ad horam sepulturæ? Resp. *negative* Sac. Cong. Conc., 14 Mart. 1722, 16 Mart. 1726 *et* 6 Febr. 1734.

(35. An illatis Cadaveribus private ab hæredibus ad aliquam tertiam Ecclesiam per modum depositi Regulares convenire, et congregari debeant in dicta tertia Ecclesia, aut in Parochiali ad effectum illa associandi ad Ecclesiam, ubi sunt tumulanda? Sacr. Rituum Congreg. inhærendo alias decretis respondit: Regulares debere congregari in illa Ecclesia tertia, ubi Cadaver fuit depositum, ut supra; die 22 Jun. 1675, in una Ord. S. Augustini, et iterum 13 Julii 1675, in una Ord. Minor. Observ.

(36. Defunctorum corpora si deponantur in Parochiali, ut inde transferantur ad Ecclesiam Regularium, in qua elegerunt sepulturam, nihil debetur Ecclesiæ Parochiali, exceptis juribus Parochialibus; Sacra Rit. Cong., 23 Martii 1619, in Placentina.

(37. An Archipresbyter associando Cadavera sepelienda in Ecclesia Regularium, teneatur incedere sub illorum Cruce, seu potius valeat propriam Crucem elevare? *Affirmative* quoad primam, et *negative* quoad secundam partem respondit Sac. Cong. Conc., 16 Martii 1726 et 29 Januar. 1735.

(38. An Regulares possint cogi ad associanda Cadavera in eorum Ecclesiis tumulanda, an vero possint exspectare in propriis eorum Ecclesiis; Sacra Rituum Congreg. respondit: Regulares non posse cogi ad exeundum a propriis Ecclesiis, ad effectum associandi Cadavera in iisdem sepelienda, sed sufficere, quod illa *exspectent ad januas;* die 21 Junii et 13 Julii 1675.

(39. Episcopus prohibere non potest, ne hebdomadarius cotta, stolaque utatur, cum funeribus Cadaverum interest, quæ deferuntur sepelienda ad Ecclesias Regularium; Sac. Congr. Episc. et Reg., 13 Junii 1594.

(40. Hebdomadarius Regularium, ad quorum Ecclesiam Cadaver sepeliendum defertur, etsi in cotta et stola funeri intersit, nec domi, nec in via officium facere potest ut Parochus; Sac. Congr. Episc. et Regular., 28 Oct. 1584.

(41. Dum Defunctorum Cadavera in Ecclesiis Regularium sepeliuntur, tenetur Parochus funerale ducere, et comitari usque ad easdem Ecclesias Regularium; Sac. Cong. Conc., 18 Junii 1581.

(42. Sicut non licet Parocho, deposito feretro ante limina Ecclesiæ Regularium, consuetas recitare preces supra Cadaver, ita non poterunt Regulares (etiam rogati a parentibus defuncti, vel a quolibet alio) antequam vere et realiter sit Cadaver intra limites propriæ jurisdictionis, super illud absolvere, deposito feretro in vico; qui actus ad summum unice spectaret ad Parochum; Sac. Rit. Congr., 2 Sept. 1741.

(43. Parochis in associatione, sive occasione associationis Cadaverum non licet ingredi Ecclesias Regularium, sed tenentur dimittere eadem Cadavera ad januam Ecclesiarum, ibique solum possunt benedicere,

Digitized by Google

et dare ultimum vale. Officia vero, et alia munia, quæ in ejusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis Regularibus peragi debent, non autem a Parochis. Atque ita in præmissis omnino deinceps fieri et exsequi præsentium vigore mandat et præcipit, contrariis quibuscunque non obstantibus Sacra Congreg. Episc. et Regul., 27 Novembr. 1671, accedente amplissima approbatione et confirmatione Clementis X, Constit. incip. *Nuper*, 18 Januar. 1672.

(44. Parochi tenentur Cadavera suorum Parochianorum levare a loco, ubi asservantur, et associare usque ad portam Ecclesiæ Regularium, etiam ipsis Regularibus non associantibus, nec Parochi se ingerere possunt in faciendo super iisdem Cadaveribus Officium in Ecclesiis præfatorum Regularium, sed ad ipsos Regulares in propria Ecclesia spectat et pertinet. Urbanus VIII, 24 Julii 1641, et Sacra Rituum Congregat., 4 Martii 1673, 27 Januarii 1680, approbante Innocentio XI, 11 Martii 1680.

(45. An ad Parochum spectet facere Officium funebre super Cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis et Oratoriis publicis Confraternitatum? Resp. *Affirmative*, quando tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia vel Oratorium; Sac. Rit. Cong., 10 Decembr. 1703, approbante Clemente XI, 12 Januarii 1704.

(46. An liceat Confraternitati Salutis sepelire in propria Ecclesia Cadavera Confratrum et Consororum, qui ibidem elegerint sepulturam: et an ejusdem Capellanus absente Parocho valeat Officium aliasque functiones super iisdem Cadaveribus explere? Sacra Congregat. Concilii respondit *affirmative* quoad primam partem, quoad secundam *negative*, nisi Parochus vocatus renuat, vel alium Sacerdotem non substituat; die 28 Julii 1724

(47. Consuetudo benedicendi Cadavera ad Ecclesiæ portam, et in funeribus servanda est; Sacra Congregat. Episc. et Regul., 8 Novemb. 1647 et 21 Jan. 1650.

(48. Domi, antequam Cadaver afferatur, possunt hæredes super eo officia recitare facere cuicunque libuerit; Sac. Congr. Episc. et Regul., 19 Maii 1579.

(49. An hæredes Defunctorum sint cogendi ad retinendum domi Cadavera usque ad tempus illa sepeliendi; an vero iisdem hæredibus liceat pro libito asportare dicta Cadavera e propriis domibus ad quamcunque aliam Ecclesiam per modum depositi usque ad horam illa tumulandi, etiamsi essent sepelienda in Ecclesiis Regularium, non obstante dissensu Parochi, seu prohibitione ab eodem facta uti Vicario foraneo; Sac. Rituum Congr. respondit: *Petita, et etiam non obtenta licentia, posse Cadavera deponi arbitrio hæredum in qualibet Ecclesia usque ad tempus illa processionaliter deferendi ad Ecclesiam sepulturæ;* die 22 Junii et 13 Julii 1625.

(50. Cadavera non sunt sepelienda privatim sine lumine, Cruce, et Parocho; Sac. Congreg. Episcop. et Regul., 28 Januarii

1610. Etiamsi id ordinasset defunctus, cum talis dispositio tanquam irrationabilis una cum consuetudine, quæ alicubi esse posset, sit rejicienda, ut censuit Rota Romana, 15 Junii 1699, et confirmavit Clemens XI, 9 Decembris 1704, Edict. incip. *La Santita di Nostro Signore*, ut refert Benedictus XIV, t. II, notificat. 16, inter Institut. Ecclesiastic. 36, n. 23, et Cavalieri loc. cit., c. 4, Decr. 4, n. 4.

(51. Restituendum esse Cadaver Ecclesiæ, in qua defunctus sepulturam elegerat, una cum emolumentis, quarta deducta, censuit Sacra Congreg. Episcop. et Regular., 1 Februarii et 31 Maii 1647, 5 Febr. 1649, 14 Januarii et 1 Apr. 1650, ac 22 Sept. 1657.

(52. Cadaver, quod alicubi positum non est per modum depositi, sed traditum est perpetuæ sepulturæ, exhumari non licet, nec alio asportari, nisi de licentia Ordinarii; Sac. Congreg. Episcop. et Regul., 28 Januarii 1603.

(53. Exhumari nequeunt Cadavera sine licentia Sacræ Congregationis pro recognitione facienda a Curia Sæculari; Sacra Congreg. Episcop. et Regul., 17 Decembris 1602.

(54. Defunctorum Cadavera non possunt vulgo arrestari seu sequestrari ob debita civilia, quibus gravantur, etiam erga mensam, nec eadem de causa potest differri eorumdem sepultura, sed prius Cadavera sepelienda sunt, et postea debitum medio jure petendum, cum Christiana pietas non patiatur propter interesse pecuniarium remanere insepulta Cadavera; Sac. Congr. Episc. et Regul., 14 Augusti 1590, 20 Octob. 1591 et 23 Augusti 1652.

(55. Parochi pauperum Cadavera gratis sepelire tenentur; Sac. Congr. Episc. et Reg., 5 Maii 1617 et 31 Martii 1646. Sic dicta Decreta traduntur et erudite declarantur a sapientissimo Patre Cavalieri in Agenda Defunctorum.

(56. In sectione Cadaverum anatomiæ addiscendæ causa, si quis adhibeat Cadavera non condemnatorum, nulla obtenta ab Episcopo facultate, peccat quidem graviter, sed non incurrit excommunicationem Bonifacii VIII, de qua in cap. 1, de Sepulcris, cum illa feratur tantum in eos qui, exhumantes Cadavera ea lacerant et alio sepelienda transferunt. Ita ex sensu Benedicti XIV, Instit. Eccl. 64, § 10.

(57. Si instituta processione et præcedente Cruce associandum sit Cadaver ad sepulturam, et transitus fiat per agrum, vel possessionem privatam, non ideo via illa publica efficitur; leges enim civiles, ex quibus id posset evinci, nihil aliud volunt, nisi quod monumentum positum in loco privato efficiat locum illum sacrum; quin et leges illæ a jure Canonico abolitæ sunt, ut ex DD. demonstratur Instit. Eccles. 89, § 9.

(58. Si Cadaver tumulandum sit in Ecclesia Regularium, non potest Parochus exigere, ut asportetur prius ad parochialem, et ibi exponatur, dein in sepulturam in Ecclesia

Digitized by Google

Regularium inferatur, ut ex *Lucana* funerum censuit Sac. Cong. Conc. Instit. Eccles. 105, § 25.

(59. Ex Decretis Sacræ Congregationis Concilii firmatum est non esse levandum Cadaver domo absque præsentia ac facultate Parochi loci, ubi domus sita est. *Ibid.*

(60. Cum distinguitur Ecclesia tumulans a Parochiali, processio funebris debet incedere sub Cruce Ecclesiæ tumulantis, nec potest præcisa consuetudine Parochus propriam crucem levare, nisi in casu quo interveniat Capitulum Cathedralis, et tunc Cathedraiis Crux sola præcedit. Ita ex Decretis Sacræ Congregat. *Ibidem*, § 26.

(61. Societates funus comitantes, si procedant cum sacco, tenent locum ante feretrum, et ante Clerum tam Sæcularem, quam Regularem; si sine sacco, eant post feretrum, uti ex statutis Cleri Romani. *Ibid.*, § 30. et 31.

(62. Laici Regulares non debent comparere cum Capellanis conductis in processione funebri, ut multis firmatur. *Ibidem*, § 32. At si invitatus sit conventus Regularis, qui certe constat ex Laicis Conversis et Sacerdotibus, excludendi non sunt. *Ibidem.*

(63. Regulares cogi non possunt, ut associent pompam funebrem, cum Cadaver in eorum Ecclesia sepeliendum est, sed possunt ad januas Ecclesiæ suæ exspectare. Ita ex Decis. Sac. Congreg. *Ibid.*, § 38.

(64. Si quis habitator Urbis decedat ruri non electa sepultura, Cadaver ejus sepulturæ mandandum est, non in Ecclesia rurali, sed in sua Parochia, vel in Ecclesia, ubi sita est sepultura majorum suorum, ut decisum est cap. *Is qui de sepulturis* 126, dummodo id possit fieri sine gravi incommodo. Grave autem incommodum declarat Pontifex intercedere, si obitus accidat in loco ultra tria milliaria distante a Parochia. Id vero ex paritate rationis statuendum est de illo, qui ruri habitans in civitate decedat. *Ibidem.*

(65. Cum e rure transferendum est Cadaver in civitatem, deferendum est in catalecto præcedente Cruce a Clero delata, et associantibus geminis Sacerdotibus, altero Ecclesiæ tumulantis, altero se tenente ex parte Parochi illius loci, ubi mors accidit. *Ibidem*, § 46.

(66. In extractione, vel intratione Cadaveris in portas Urbis gabella minime solvenda est, ut ex DD. *Ibid.*, § 46.

(67. Pro transitu processionis funebris ex una Parochia in aliam, nulla petenda est licentia a Parocho illius loci, per quam transitus fieri debet, ut ex Bulla Leonis X 22, et decretis Sac. Congreg. firmatur. *Ibid.*, § 49.

(68. Pro sepultura, et exsequiis Cadaveris exigi nihil potest, ut ex sacris Canonibus firmum est. *Ibidem* § 58. (69. Verum si consuetudo obtinuit, ut aliquid detur, quanquam circa hoc nulla sit actio judiciaria, attamen recurri potest ad officium Ordinarii, ut ex textu cap. *Ad audientiam* 24, *de Simonia; cit. Instit.*, § 58.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(70. Frequens in Foro est controversia de exhumatione Cadaverum, quæ alibi sepulta sunt, quam ubi sepeliri debebant. (71. At videndum de cujus præjudicio agatur, num propriæ Parochiæ, et Ecclesiæ, an Ecclesiæ, in qua est sepultura majorum, vel quæ fuit electa pro sepultura, aut demum ejus, ad quem sepultura spectat.

(72. Regula pro exhumatione Cadaverum est in priori casu cap. 5 de Sepult. (73. Tum in secundo casu cap. 6, *eod. tit.*, licet Regula hæc nonnullas patiatur limitationes, de quibus vide Romaguer. ad Constit. Synod. Gerund., lib. III, tit. 9, cap. 3, num. 3 et seq.; Calvin. de Æquitate lib. I, cap. 93, per tot; Rota in recent. dec. 41, num. 4 et seq.; par. 18, coram Bichio, dec. 439, fere per tot. (74. In tertio vero casu Regula non est pro exhumatione Cadaverum, sed pro compositione cum eo, ad quem sepultura spectat, ut ex mox allegatis optime præ cæteris firmat Romaguer., *ubi supra* num. 31 et seq., et adamussim convenit Frass., de Reg. Patron. tom. II, cap. 89, n. 35 et seq.

(75. De Cadavere Clerici, qui mortem sibi conscivit, quis cognoscere debeat, num Judex Ecclesiasticus, an Judex Sæcularis, an uterque simul, vide contrarias inter se opiniones apud Rousseaud de la Combe in sua Jurisprudentia Canonica, verb. *Cadaver.*

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(76. Inspecta moderna Ecclesiæ disciplina locum, quo Cadavera sepeliantur, eligere in Ecclesia solis Patronis aut Fundatoribus competit; quibus etiam in Choro locus dari consuevit; quod inter jura honorifica computabatur. Alias locum sepulturæ in Ecclesia nemo sibi propria auctoritate eligere potest; sed is designandus ab iis qui Ecclesiis præsident. (77. Quia Parochus, vita durante, curam spiritualem suorum Parochianorum sustinet, æquum est, ut defunctos sive Cadavera non deserat; hinc indubitatum est, Ecclesiam Parochialem, ejusve cœmeterium esse proprium locum sepulturæ Parochianorum. Ita in cap. 3, tit. *De Sepulturis.* (78. Proinde uno consensu jus sepeliendi Cadavera omnes Interpretes juribus Parochialibus annumerant. (79. Quantum ad sepulturam, Parochiani dicuntur, qui intra limites Parochiæ ita morantur, ut ipsi Sacramenta ibi in ipsa percipere, et Parochi ipsis administrare teneantur. (80. Quod si defunctus habeat sepulcrum *Majorum*, in eo potius, quam in Parochia ejus Cadaver sepeliendum esse declaratur cap. 1 et 3, tit. De Sepult. (81. In Cadaverum inhumatione Sepulturæ Majorum uti et Parochiali de jure et consuetudine præfertur sepultura a defuncto electa. Cap. 1, De Sepult. (82. Quod intelligendum est, si talis electio facta fuerit in loco Religioso juxta Rituale Romanum. (83. Oblationes, quæ fieri consuescunt in Cadaverum funeratione, ex pluribus Synodorum Decretis, licitum esse recipere Parochis, aliisque, quibus de jure vel consuetudine aliove legitimo titulo competunt, indubitatum est

Digitized by Google

(84. Ob non solutionem Jurium funeralium sepultura Cadaverum non est differenda. Quam dilationem non tantum a sacris Canonibus, sed Principum legibus improbatam ostendit Christianus Lupus, diss. II ad tom. III Scholiorum in Canones, cap. 12. (85. Cum jus Cadavera inhumandi sit plane distinctum a jure celebrandi exsequias, et utrumque illud jus spectet de jure communi ad Ecclesiam Parochialem, certum est quod uno eorum alteri loco, vigore privilegii, communicato, nequaquam alterum censeri debeat indultum in præjudicium Ecclesiæ Parochialis; hinc jure inhumationis communicato alicui Ecclesiæ, seu religioso loco, salva nihilominus remanent Ecclesiæ Parochiali reliqua jura. (86. Competit igitur Parocho de jure, ut Cadaver præsentetur suæ Ecclesiæ, atque eo præsente Missa celebretur, uti notavit Glossographus ad Clementinam *Dudum*, de Sepult. (87. Quæstio incidit, quod genus exsequiarun in Ecclesia Parochiali sit persolvendum Cadaveribus, quando in alia Ecclesia fuit electa sepultura; et an hæres sive exsecutor qualicunque officio in Ecclesia Parochiali defungatur; et judicatum refert D. Van-Espen, hæredem teneri ad exsequias sive officium istius generis quod respondet officio sive funeralibus factis in ipsa Cadaveris inhumatione in loco sepulturæ electæ. Ratio subjicitur, quia per factam eo modo inhumationem censetur determinasse genus funeris. (88. Nec excluditur Ecclesia Parochialis ab illis oblationibus, quæ sepeliendis Cadaveribus in altera Ecclesia impenduntur. (89. Factum enim est, ut si aliquem Parochianorum alibi contigerit eligere sepulturam, Ecclesiæ Parochiali *quarta funerum* impendatur; quæ portio est major vel minor juxta locorum sive Provinciarum consuetudinem. Conc. Trid. sess. 15, cap. 13, *De Ref.*

ADDITIONES CASINENSES.

(90. Antiquitus mos erat Christifidelibus antequam defunctorum corpora sepulturæ demandarent, ea lavare (quod commune erat Græcis, Romanis atque Judæis), ut hinc indicarent animam propter confessionem et pœnitentiam a culpa fuisse mundatam; ac etiam corpus in extremo judicio gloriam et claritatem esse consecuturum æternam. Durand, Rational. lib. VII, cap. de Offic. Hoc autem et tempore Apostolorum servatum in Ecclesia Dei fuisse, ex Act. Apostolor., cap. IX, colligimus, ubi de Tabita : « Factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur, quam cum lavissent, posuerunt eam in Cœnaculo. » Lotum Cadaver variis unguentis et aromatibus condiebant, quemadmodum Ethnicis Romanis, Græcis, Ægyptiis et Judæis mos erat sepelire. Marc. XIV et XVI; Luc. XXIII et XXIV; Joan. XIX. Aliquando consuevere etiam defunctorum corpora propriis ipsorum induere vestibus, aliisque pretiosis ornamentis. Sic enim Augustinus : « Pompa est funebris, excipitur sepulcro pretioso, involvitur pretiosis vestibus, sepelitur unguentis et aromatibus. » Potissimum vero curabant Fideles ea decenter componere, ut Dionysius Alexandrinus in sua Epistola per Eusebium Histor. lib. VII, cap. 17 relata, describit, ibi : « Quin etiam Sanctorum corpora manibus erectis, supinisque excipere; gremio suo reponere; occludere oculos; ora obturare; gestare humeris Cadavera; decenter ornare; illis adhærescere; amice complecti; lavare accurate, et linteo funebri involvere non gravati sunt. » Præcipue autem Chrysostomus, homil. in Job, ibi : « Jubent parentes officia adhiberi, manus componunt, oculos claudunt, corpus directe statuunt, pedes reducunt, lavant, sepulcro condigno, dignis funeribus condunt. » Magnopere insuper studebant abscissa martyrum membra componere, illa in suum locum reducendo, sicuti ex Actis martyrum colligitur. Mos quoque fuit ad Virginum capita apponendi coronas ex multis floribus contextas (Damascenus, Gregorius Nyssenus) et virides frondes sub capitibus defunctorum; cujus ritus significationem præbet Durandus, Rational. lib. VII, c. 35, ubi : « Hedera quoque, inquit, vel laurus, et hujusmodi, quæ semper servant virorem in sarcophago, corpori substernantur, ad significandum quod qui moriuntur in Christo, vivere non desinunt, nam licet mundo moriantur secundum corpus, tamen secundum animam vivunt et reviviscunt Deo. » Sævientibus Tyrannis in Christianos, Martyrum corpora clam sepeliri Fideles curabant, noctu ea asportabant, et ut plurimum supra vehicula, a duabus rotis Birota nuncupata, in ruralem usum, ut id Ethnicis celarent. Baron. Surius. Recondebatur in sepulcris Martyrum eorumdem sanguis in aliquo vase, sicut etiam instrumenta martyrii; et præter insignia dignitatum, quibus usi jam fuissent, dum viverent, etiam aliquando penes defunctorum corpora apponebant instrumenta, quibus illi in vita proprias carnes afflixerunt, nempe catenas, cilicia et similia. Exstabant quandoque in sepulcris Martyrum memoriæ, eorumque acta martyrii; quandoque etiam titulum, seu nomen defuncti intra vel extra sepulcrum inscribendum curarunt. Prudentius, Hymn. S. Hippolyti. Ecclesiæ vero pace restituta, eaque a tyrannide Ethnicorum Principum liberata, fidelium defunctorum corpora magna pompa sublata fuerunt, et cum hymnis, cereis et incensis dignæ sepulturæ tradita. Baron. ann. 310. Quinimo Constantinus Imperator statuit, et ipse primus auctor fuit, ut ad defunctorum corpora humanda, hominum corpus constitueretur, qui ei muneri mancipati essent, quosque Ecclesiæ voluit esse subjectos, ab omnibus publicis muneribus immunes atque vectigalibus liberos. Idem corpus postea Anastasius pariter Imperator confirmavit, ut testatur Justinianus Novell. 43 et 59. Baron. ad annum 336. Vid. Martene de Antiq. Eccl. Ritibus, tom. III, lib. III, cap. 12.

(91. Quæstio aliquando inter Doctores exagitata est, num liceat Personarum Ecclesiasticarum Cadavera Sacris induere Vestibus, cumque eis tumulare; et an in manibus defuncti Presbyteri apponi queat Calix,

Digitized by Google

ac super feretrum Missale ad Ordinem significandum. Quod ad Sacras Vestes pertinet Paludanus in 4 dist. 24 q. 5 art. 2 conclus. 4 et Sylvest. v. *Benedictio* n. 8, tenent non licere ex Canone, *Nemo per ignorantiam* dist. 1 de Consecrat., Consilio Arvernens. cap. 3 et præcipue ex Libro Pontificali. His tamen non obstantibus verior ac certissima sententia est hodie, quæ asserit Sacerdotum, Diaconorum et Subdiaconorum Cadavera Sacris Vestibus indui debere, cumque eis sepeliri. Hujusmodi enim usum vetustissimum in Ecclesia esse testatur Nicol. de Lir. cap. 10, Levitic., ubi ait : *Ex hoc autem, quod Madab et Abiu fuerunt sepulti cum Vestibus Sacerdotalibus, inolevit consuetudo quod Sacerdotes Novæ Legis cum Vestibus Sacerdotalibus sepeliantur.* Nec Ecclesiastica desunt monumenta, quæ hujus rei nobis exempla suppeditent, Vid. Bedam, Amalarium lib. IV Ecclesiast. Officior. cap. 41, Canisium Antiq. Lect. tom. VI, S. Gregor. Magn. Dialogor. lib. IV, c. 10. Huncque fuisse ritum antiquis temporibus servatum, firmat Mabillon., De Ritu humandi Sacerdot. veter. et nov. Præclara hac de re sunt verba Ritualis Romani tit. de Exeq. « Sacerdos, aut cujusvis Ordinis Clericus defunctus, vestibus suis quotidianis communibus, usque ad Vestem Talarem inclusive ; tum desuper Sacro Vestitu Sacerdotali, vel clericali, quem Ordinis sui ratio deposcit, indui debet. Sacerdos super Talarem Vestem Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, Stola et Casula, seu Planeta violacea sit indutus. Diaconus vero induatur Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, Stola super humerum sinistrum, quæ sub axilla dextera adnectatur, et Dalmatica violacea. Subdiaconus autem Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo et Tunicella. Alii præterea inferiorum Ordinum Clerici Superpelliceo, supra Vestem Talarem ornari debent. Singuli prædicti cum Tonsura et Birretis suis. » In Concilio vero Mediolanensi VI, tit. *Quæ ad funera pertinent*, § 2, cautum est : « Quisque Clericus mortuus vestitu Clericali, quem Ordinis sui ratio deposcit, indutus efferatur : Diaconali veste Diaconus, Sacerdotali Sacerdos, Clericus Superpelliceo, Tonsuraque ornatus, itidemque alii pro Ordinis Ecclesiastici gradu. » Præterea Clemens XI, juxta dispositionem Ritualis Romani, l. c., sub die 9 Decembris 1705, Parochis, Superioribus Ecclesiarum tam Sæcularium quam Regularium, Sacristis et omnibus ad quos spectat, mandavit, ut non permittant Ecclesiasticorum Sæcularium Cadavera nisi cum Sacris Vestibus Ordini convenientibus, ex propriis domibus ad Ecclesiam transferri, vel in istis exponi. (92. Hujusmodi ritus vero hæc est ratio, tum quia Vestes Sacerdotales et clericales, juxta Durand. Rational. lib. II, cap. 35, n. 41, virtutes significant, cum quibus Ministri Altaris præ cæteris Deo sunt præsentandi; tum quia pietas erga defunctos exigit ut cum honore sepeliantur, et quoniam Presbyteri cæterique specialiter Divino sunt mancipati servitio, ratio exigit, ut tanquam personæ Deo dicatæ, et Christi et Ecclesiæ Ministri, etiam mortui indumentis characteri convenientibus induantur, cum eisque tumulentur. (93. Hinc per Text. expressum in cap. *Ad hoc de usu et auctoritate Pallii*, Cadaver Archiepiscopi in ejus delatione et expositione in Ecclesia, induendum est Pallio, et cum eo tumulandum. Quin etiam si Archiepiscopus defunctus ad aliam Ecclesiam Sede Metropolitana insignitam translatus fuerit, cum Pallio tam prioris, quam posterioris Ecclesiæ tumulandus est : ipse tamen Pallio induatur posterius accepto, et alterum prioris Ecclesiæ ejus capiti supponendum est. Innocent. Hostiens. et Abb. in cit. cap. *Ad hoc*, n. 2. Cardin. Petra Comment. ad Constitut. Apostol., tom. V, Constit. Pii II, n. 85. Si vero Archiepiscopus extra propriam Diœcesim decedat, sub ejus capite Pallium reponitur; ibid. (94. Hæc etiam de Episcopo defuncto ex Cæremon. Episcop. lib. II, cap. 38, colligimus : « Loto et terso corpore Clerici familiares..... induant illud primum vestibus ordinariis usque ad Rochettum, deinde Sacris Vestibus, quibus vivens induebatur, dum solemniter erat celebraturus, hoc est, caligis et sandaliis, amictu, alba, cingulo, stola, manipulo, cruce pectorali, tunicella, dalmatica, chirothecis, planeta coloris violacei, annulo et mitra simplici, ac etiam Pallio cum spinulis, si erit Archiepiscopus, vel alias utens Pallio, et ponant super pectus ejus crucem aliquam, quam manibus teneat..... et ad pedes ejus ponatur pileum Pontificale sericeis viridibus floccis ornatum. »

(95. Quæ hactenus disseruimus ad priorem partem quæsiti n. 91 relati pertinent ; quoad alteram vero, utrum liceat in manibus defuncti Presbyteri Calicem apponere, et in feretro Missale apertum, hæc sunt attendenda. Procul dubio certum est nec Rituali, neque decentiæ congruum videri, ut in manibus Sacerdotis demortui Calix et circa ejusdem Cadaver Missale apponatur. Cum enim Rituale l. c. tit. de Exeq. adamussim omnia præscribat, quibus defuncti Presbyteri corpus induendum est, ab amictu ad birretum usque, mirum quod si ab ejusdem Rubrica Calicis etiam delatio intenta fuisset, de eo nec verbum fecerit, qui profecto ornamentorum omnium est præcipuum. Quod de Missali etiam dictum volumus. Repugnat præter ea decentiæ hujusmodi usus apponendi Calicem, in eo enim præter consecrationem, qua carent aliæ Sacræ Vestes, quibus Cadaver induitur, toties Christi Domini Sanguis exceptus est, et a Sacerdote Æterno Patri oblatus, qua de causa nemo est qui non videat, quam indecens, et quam indigne in Divino Sacrificio usurparetur, postquam præ manibus Cadaveris diu fuit. Insuper si per Sacros Canones vetitum fuit Defunctorum corpora Palla, seu Corporali involvi, et Concil. Arvernens. can. 3, Sacerdotis Cadaver Pallio altaris obtegi, ne illo suis usibus reddito Altaria polluantur, eo magis de Calice hoc foret dicendum, qui immediate inservit Sacrificio, si manibus defuncti aptetur, et iterum ad Christi Domini Sanguinem recipiendum in Missa adhiberetur : majoremque præseferret

Digitized by Google

indecentiam, si una cum Cadavere Calix ipse in sepulcro condendus esset. Supervacaneum porro esset Calicem apponere, nam ut supra innuimus, Personarum Ecclesiasticarum Cadavera Sacris induuntur Vestibus, ut eorum significaretur Ordo, ad quem indicandum et Sacerdotalem characterem Casula et Stola ante pectus ad modum Crucis plicata, sunt satis. Ad quid ergo Calix et Missale? Clericat. de Sacrif. miss. decis. 50, num. 49; Sarnell. Epist. 33, tom. I; Bass. Cureya. Idque firmarunt Concilium Provinciale Beneventanum ann. 1673, tit. 28, De sepulturis cap. 18. « Calix in Sacerdotum defunctorum manibus, et alia sacra juxta illos non apponantur; sed præscriptus ab Ecclesia ritus exsecutioni demandetur; » et Synodus Fulginatensis, his verbis: « Calicem vero consecratum in Sacerdotum defunctorum manibus, sicubi abusive introductum esset, de cætero non apponi jubemus. » Idem aliis in Synodis statutum fuit. Nota tamen, apud Germanos et quosdam alios mos esse ante defuncti feretrum Calicem ex cera ab aliquo Clerico cotta induto deferendi, illumque supra Presbyteri corpus in sepulcro dejiciendi.

CADUCITAS.

Vide verb. EMPHYTEUSIS, *art.* 3, *a n.* 8 *ad* 12.

CÆCUS.

Quoad recitationem divini officii vide verb. OFFICIUM DIVINUM, *art.* 5, *a num.* 1 *ad* 8. — *Quoad obtinendam dispensationem ad effectum tum obtinendi beneficium ecclesiasticum, tum missam celebrandi, vide verb.* DISPENSATIO, n. 69, 70. — *Quoad percipiendas distributiones quotidianas, vide verb.* DISTRIBUTIONES, *art.* 1, *n.* 15 *et* 16.

CÆLIBATUS.

SUMMARIUM.

1. Cælibatus Sacris Ministris initio præscriptus fuit tam in Orientali, quam in Occidentali Ecclesia. — 2. Sed deinde permissa fuit uxorum retentio Orientalibus. — 3. Cælibatus tamen suadetur enixe Græcis Subdiaconis, Diaconis et Presbyteris. — 4. Cælibatus obligatio num ex voto, an ex lege Ecclesiastica repetenda sit. — 5. Post majores Ordines jam susceptos invalidum est Matrimonium. — 6. Post initum Matrimonium, ex quo bigamia contracta est, nemo nequidem ad primam tonsuram promovetur. — 7. Nec extra casum bigamiæ, nisi uxor consentiat, et castitatem profiteatur. — 8. De legis Cælibatus antiquitate in Latina et Orientali Ecclesia, deque ejusdem discrimine in utraque. — 9. 10. De hujus legis æquitate et de nulla juri divino et naturali repugnantia.

(1. Cælibatus sacris Ministris initio præscriptus fuit tam in Orientali quam in Occidentali Ecclesia; Benedictus XIV, tom. I, Constit. 129, incip., *Eo quamvis tempore* §. 34 (1). (2. Sed deinde ex indulgentia permissa fuit uxorum retentio Græcis, Maroni-

(1) De Cælibatus lege parce admodum Cl. Auctor; quapropter visum fuit de ipsa pauca quædam hic delibare.

Explorati juris est, Cælibatus legem jure Ecclesiastico statutam fuisse, atque sacris Ministris impositam, quemadmodum contra aliquos temere contrarium opinantes clarissime evincit doctissimus Bellarminus in suis Controversiis lib. II *de Clericis* cap. 18.

Isthæc porro Cælibatus sacratissima lex tam eximiam præsefert vetustatis notam, ut Apostolica merito dicenda sit; siquidem cum ipsis Ecclesiæ incunabilis cœpit, omnique vero permansit; licet nonnihil varietatis inter utramque Ecclesiam Occidentalem nempe atque Orientalem, in ea servanda deprehenderetur; uti mox dicemus. Scilicet hoc debebatur Victimæ illi virgineæ, ac virgineo odore fragranti, ut publica Ecclesiæ lege ab ipso sui exordio sancitum esset, ne victima illa cœlestis contrectaretur, immolaretur, produceretur in altari, nisi per eos qui aut virgines essent, aut vidui, aut in æternum pudici, uti loquitur D. Hieronymus.

Neque hoc de sola Occidentali Ecclesia erit accipiendum, quandoquidem et apud Orientales a primis usque Ecclesiæ sæculis hæc quoque lex Cælibatum sacris injungens ministris sancita erat. Hujus quidem rei locupletissimi testes occurrunt Epiphanius, et Hieronymus, qui verbis tam disertis eam affirmant, ut omnino de ipsa dubitare nefas sit. Lege Thomassinum in *de Nov. et Veter. Eccles. Disciplina* p. I, lib. II, cap. 60.

Quapropter merito vapulat Natalis Alexander qui *in Synops. Histor. Ecclesiast. Sæcul. Quart.* cap. 1, n. 9, docet ante Siricii Pontificis tempora, hoc est ante annum 385, cum Siricius ad Pontificatus fastigium evectus est, Cælibatum nulla Ecclesiastica lege sancitum fuisse; sed sola consuetudine Sacris Ordinibus adnexum fuisse.

Illud tamen discriminis inter Orientalem atque Occidentalem Ecclesiam observatum fuit; nempe quod in Orientali Ecclesia in hoc magis animus intendebatur, ne post receptos Sacros ordines carnalibus nuptiis quis contaminare se auderet; cæterum si quis post contracta cum aliqua conjugia ad Sacros Ordines proveheretur, uxorem legitimam in ipso Sacro ministerio esse retinendam plures contendebant, et suo potius exemplo edocebant. Cujusmodi abusum probe cognoscentes antiquiores Synodi, imo et ipsum Nicænum Concilium connivendum satius duxerunt: *Nam si vigore legum id emendatum fuisset, forte ex ipso medicamine morbus evasisset deterior*, ut aiebat laud. Epiphanius. In Ecclesia vero Occidentali æque vetitum esset et uxorem ducere post sacræ Ordinationis receptum characterem, aut uxore ante Ordinationem recepta uti, eique *consuescere*, uti loquuntur Patres. Lex isthæc extendebatur non solum ad Episcopos (quod in ipsa Orientali Ecclesia quantum ad ipsos Episcopos, æque ac in Occidentali semper servatum fuit) sed etiam ad Presbyteros, et Diaconos; etenim Hypodiaconi primis Ecclesiæ sæculis hac in re suæ voluntati relicti fuere; et licet Leo Magnus legem continentiæ ipsis etiam Hypodiaconis indixisset, illa tamen non ubique statim recepta fuit. Lege laud. Thomassinum. *loc. cit.* cap. 60 et 61.

Abusum antea invectum in Orientali Ecclesia, ut uxorem antea receptam in ipso sacro ministerio, et retinere, eaque uti liceret, Græci, ut erat ingenium

Digitized by Google

tis, aliisque Orientalibus. Idem, Ibid § 35.

(3. Cælibatus Græcis Subdiaconis, Diaconis, et Presbyteris enixe suadetur, quamvis eorum Matrimonium cum unica et virgine non reprobetur. Idem Constit. 67, incip. *Etsi*, § 7, num. 26, ibi: *Etsi expetendum quam maxime esset, ut 'Græci, qui sunt in Sacris Ordinibus constituti, castitatem, non secus ac Latini, servarent, nihilominus ut eorum Clerici, Subdiaconi, Diaconi et Presbyteri uxores in eorum ministerio retineant, dummodo ante Sacros Ordines Virgines, non Viduas, neque corruptas, duxerint, Romana non prohibet Ecclesia. Eos autem, qui Viduam, vel corruptam duxerint, vel ad secunda vota, prima uxore mortua, convolarint, ad Subdiaconatum, Diaconatum, et Presbyteratum promoveri omnino prohibemus* (1).

ADDITIONES CASINENSES.

(4. Majores Clerici omnino castitatem servare tenentur. An vero Cælibatus obligatio ex voto, an ex lege ecclesiastica repetenda sit inter se non conveniunt Auctores. Tridentini enim Patres tantum damnavere Lutherum dicentem: *Non obstante lege ecclesiastica vel voto*. Vid. Scotum 4, dist. 39; Bellar. Contr. l. 1, de Matr. c. 21; Sanchez de Matr. l. VII; Pallav. Hist. Con. Trid. l. XXIII, c. 9, n. 2; Amort. Theol. Tract. de ord.; Schmalzgrueber Jus Eccl. Un., *l.* III, tit. 3. Vide infra num. 8.

(5. Post majores ordines jam susceptos invalidum est Matrimonium. Conc. Trid. sess. 24. can. 9. de Sacram. Matr.

(6. Post initum Matrimonium, ex quo bigamia vera, vel interpretativa contracta est, nemo ad Ordines, nequidem ad primam tonsuram, vivente vel mortua uxore, promovetur.

(7. Extra casum bigamiæ, uxore vivente, nisi ipsa consentiat et castitatem profiteatur, nemo hodie admittitur ne ad primam quidem tonsuram.

(8. Lex Cælibatus seu continentiæ sacris Ministris imposita, adversus quam tam acriter Protestantes decertarunt, quamque tanto insano furore Sæculo XVI insectati sunt, antiquissima est in Ecclesia Dei, æquitati non difformis, nec juri divino vel naturali repugnans. Lex etenim ista in exemplo Apostolorum fundata ab ipso apostolico ævo universaliter fuit recepta, atque in antiquissimis Conciliorum et Pontificum sanctionibus firmata. In exemplo equidem Apostolorum fundata, nam juxta Tertullianum lib. de Monogam. c. 8, ex Apostolorum numero Petrum tantum uxorem habuisse legimus; et Hieronymus contra Jovinianum lib. 1, hæc habet: « Quoniam, excepto Apostolo Petro, non sit manifeste relatum de aliis Apostolis, quod uxores habuerint: et quum de uno scriptum sit, et de cæteris tacitum, intelligere debemus, sine uxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significat. » Idem S. Doctor, Epist. 48, *ad Pammachium*: « Christus virgo, virgo Maria utriusque sexus virginitatis dedicavere principia; Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes. » Hinc ab ipsis primis Ecclesiæ sæculis, etsi continentia nondum Clericis certa vel declarata lege imposita, tamen consuetudine jam receptum erat, ut Sacris initiati ab uxoribus abstinerent, quas ante ordinationem acceperant. De hac consuetudine vide Origen., homil. 33 in Num. n. 3, et lib. III contra Celsum, n. 48; Hieronymum lib. contra Vigilantium; Eusebium, Demonstrat. Evangel. lib. 1, cap. 9, et Epiphanium Hæres. 48, n. 9, et Hæres. 59, n. 4, qui pluries affirmat hujusmodi consuetudinem ab Apostolorum ætate atque instituto esse

nationi intractabile, obstinatissime retinuerunt; quin et synodali lege ipsum confirmare ausi fuere, et retinendum decrevere. Id patet ex Synodo Trullana habita an. 688, uti contendit Natal. Alexand. *Histor. Ecclesiast.* Dissert. III in Sæcul. Septim. ubi profana illa Synodus damnat nominatim canones Ecclesiæ Romanæ Cælibatum Clericorum spectantes; atque una simul statuit ut Clerici ante Subdiaconatum uxores ducerent, et cum eisdem viverent etiam postea in Sacris Ordinibus constituti. Illinc abusus ille in morem evasit; ac tandem magis crevit, atque confirmatus est tempore Leonis IX, cum dissidium Græcorum cum Latinis maxime fervebat.

Cum autem ab antiqua erroris consuetudine nulla facile ratione dimoveri possent Presbyteri, aliique Clerici Græcanici ritus, ne vetustis simultatibus novæ dissidiorum causæ adjicerentur, ad Romanæ Ecclesiæ omnium Matris, ac Magistræ, pietatem spectabat, ut in favorem Græcæ Ecclesiæ nonnihil remitteret de rigore antiquæ disciplinæ, quod reapse tandem factum est; uti compertum habetur ex Can. *Aliter* 13, Distinc. 31, qui est Stephani Pontificis, ex cap. *Cum olim* 6 de Cleric. Conjugat. et cap. *Quæsitum* 7 de Pœnitent. et Remissionib. Ex instruc. Clement. VIII, quæ incipit, *Presbyteri Græci*; ac demum ex Instructione Benedicti XIV, quæ incipit, *Eo quamvis tempore*. Illud vero tantummodo ipsis injunctum fuit, ut antequam ad Sacrum Sacrificium, seu Sanctam Missam celebrandam accederent, vel per hebomadam, vel per triduum ab uxoribus abstinerent, uti patet ex memoratis Intructionibus Clement. VIII et Benedict. XIV.

Novissimis demum ætatibus adversus legem Cælibatus acrius bellum indixere Joannes Wiclefus, Martinus Lutherus, Calvinus, eorumque sectatores contendentes acriter, licere Sacris Ministris etiam post recepta Sacrarum Ordinationum insignia uxores ducere, eisque copulari; at ineptissimas ipsorum argumentationes, quas pro sua insigni temeritate proferre non verentur contra sacratissimam continentiæ disciplinam ab Apostolica traditione derivatam, atque in Ecclesia semper servatam, uti testatur Synodus Carthaginensis II, can. 27, docte et erudite suo more refellit Bellarm. laud. lib. 1, *de Clericis*, cap. 19 et seqq. Adesis, si lubet, laudatissimum Theologum.

(1) De Cælibatu, quem tot libris hodie oppugnatum dolentes vidimus, plura dicenda essent, nisi Cælibatus causam jam egisset Franciscus Antonius Zaccaria, edito primum an. 1774 Romæ commentario, cui titulus est: *Storia Polemica del Celibato sacro da contraporsi ad alcune detestabili opere uscite a questi tempi*; deinde hoc anno 1784 vulgata Fulginiæ ejusdem operis apologia, quæ prænotatur: *Dissertazione Apologetica ni F. A. Z. a conferma della sua Storia Polemica del Celibato sacro, o sia nuova giustificazione del Celibato degli Ecclesiastici contro gl'inconvenienti appostigli anche ultimamente in alcuni infamissimi libri.* (EDIT. BARBIEL.)

Digitized by Google

repetendam. In Orientali Ecclesia quamvis hanc consuetudinem ab Apostolorum tempore servatam invenimus, tamen non defuerunt Presbyteri ac etiam de ordine Episcopali, qui matrimonio juncti fuissent. Verum non ita evenit in Latina Ecclesia; nam ibi D. Petrus quotquot Episcopos, Presbyteros et Diaconos ordinavit, continentiæ legi subjecit; Bellarmin., Vasquez, Arcudius, Thomassin. aliique doctissimi viri firmissimis adducti fundamentis. Tertullianus enim de clero Africano loquens: *Quanti*, ait, *in ecclesiasticis ordinibus de continentia censentur, qui Deo nubere maluerunt, qui carnis suæ honorem (in primævum paradisi statum) restituerunt, quique se jam illius ævi filios dicaverunt, occidentes in se concupiscentiam libidinis, et totum illud quod intra paradisum non potuit admitti;* Lib. de Exhort. castitatis, cap. 11. Vocem porro *dicaverunt* aperte hic votum ac professionem significare censet Cl. Perrone in suis Prælection. Theolog., tract. de Ordin. cap. 5, n. 155. Patres etiam Concilii Carthaginensis II, anni 392, castitatem in Sacris Ordinibus ex Apostolorum doctrina agnoverunt: Canone enim 11 hæc leguntur: *Quum in præterito Concilio de continentiæ et castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitati per consecrationes adnexi sunt. Episcopos, Presbyteros, et Diaconos, ita placuit, ut condecet Sacrosanctos Antistites et Dei Sacerdotes, necnon et Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare, ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Præterea ad hujus legis antiquitatem firmandam quam maxime facit celebris illa D. Augustini regula, his concepta verbis: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Hinc factum ut Siricius in sua Epistola ad Himerium Episcopum Taraconensem, anno 385 scripta, ita loquitur, ut omnes Cælibatus lege, ab Apostolo instituta, teneri, sine ulla prorsus dubitatione affirmet, perspicue eam vetustissimam in Ecclesia demonstret, atque in transgressores tanquam gravis criminis reos animadvertat. Quæ vero a Siricio fuerant sancita, servanda penitus esse rescripsit Innocentius I, anno 405, ad Exuperium Episcopum Tolosanum. Atque ita cæteri Pontifices qui hanc Cælibatus legem in majoribus Ordinibus constitutis impositam, confirmarunt. Ea vero ratione sese gesserunt Concilia tam generalia quam particularia, quæ hujus legis meminerunt, ut satis insinuant se novam legem non condere, sed ab Apostolica sanctione emanatam instaurare ac confirmare. Paulatim ex Ecclesia Latina lex Cælibatus ad Orientis Ecclesias devenit; et quemadmodum antea Clerici ad castitatem servandam consuetudine, postea lege fuerunt obstricti. Attamen a primævæ disciplinæ puritate recedentes, majoribus Clericis integrum fuit uxores ante ordinationem susceptas retinere, et tantum Episcopi castitatis legi obnoxii fuerunt. Quod vero Socrates asserit de filiis plurium Episcoporum, tantum de Patriarchatu Constantinopolitano intelligendum esse tenet Dr. Dœllinger Orig. Christian. Denique in Synodo Trullana anni 692 (1), tantum antiquæ Ecclesiasticæ disciplinæ formam servare curarunt, cum reapse Cælibatus legem penitus evertebant can. 12, 13, 48. Quamvis enim ibi nullum declaratum fuerit matrimonium post Ordinationem contractum, tamen solis Episcopis illius usus proscriptus, et eorumdem uxores Monasteria procul ab Episcopo exstructa ingredi jubentur; tota præterea continentia a Presbyteris et Diaconis requisita erat, quando Altari essent ministraturi: et ita in Ecclesia Græca quoad Cælibatum se res habet. Dœllinger, l. c. Append., § 11. Quoad Ordines vero Diaconatui inferiores, varia primum fuit Ecclesiarum disciplina, deinde vero in Ecclesia Latina Cælibatus legi tantum Subdiaconi subjecti. Vid. Thomassin.; Perrone *loc. cit.*, et præcipue Zaccar. in sua præclara dissertatione, cui titulus *Storia Polemica del Celibato Sacro.* Vid. etiam Not. Edit. Neap. ad n. 1 *Auctoris, ubi* fere eadem invenies, sed non eodem ordine.

(9. Convenientissime porro lex Cælibatus sacris Ministris est imposita, utpote quæ vitæ sanctimoniam præseferat, quæ ad rite sacra munera obeunda non ducunt, removeat impedimenta; quæque cum ecclesiasticæ vitæ instituto maxime faciunt, inducat. Equidem nemo inficiabitur legem Cælibatus ratione objecti esse sanctissimam: sufficeret sane inspicere quemadmodum Justinus, Athenagoras, Origenes, Minutius Felix, Christianæ Religionis Apologistæ illustres eam omni laude cumularunt, et inter ipsius præcipuas glorias adscribere non dubitarunt. Sufficeret quoque unanimis Patrum consensus, sed et Christus ipse et Apostoli verbo et exemplo eam commendarunt. Matth. XIX, 11; I Corinth. VII per integrum. Imo uti etiam Athanasius, necnon cæteri Patres loquuntur, Christus *inter cætera dona largitus est nobis in virginitate exemplar angelicæ sanctitatis.* Insuper, quod et illius sanctitatem liquido demonstrat, perspicuum est ex Apostolo l. c. et Patrum testimoniis virginitatem conjugio esse præstantiorem, de qua inter cæteros Chrysostomus, Lib. de Virginitate, cap. 11, sic loquitur: « Virginitas est bonum: id ego quoque fateor; atqui nuptiis etiam melior: et istud tibi assentior; ac si libet, illud adjungam, tanto nuptiis eam præstare, quanto

(1) Non una est Doctorum mens in ætate determinanda qua hoc Concilium celebratum fuerit. Reginon, etenim manifeste errans, dicit illud anno 612 habitum. Natalis Alexander vero anno 688. Pagius anno 691. Petavius, Harduinus pro anno 706 et 707 stant. Sed Binius, Labbe, Papebrochius, Christ. Lupus, aliique cum Baronio verius asserunt anno 692 fuisse celebratum. Quod equidem egregie Zaccaria adversus Natal. Alexandr. firmat ex ipsis Concilii verbis Canon 3 in sua Historia Polemica Sacri Cælibatus lib. I (EDIT. CASIN.).

Digitized by Google

cœlum terræ, quanto hominibus Angeli antecellant, ac si quid præterea audendum est, etiam, etc., » et Concilii Tridentini sess. 24, cap. 10, anathemate perstringitur qui dixerit: *Non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut Cœlibatu, quam jungi matrimonio.* Cum igitur Sacer ministrorum Dei status, quo homines tanquam Aaron in sortem Domini vocantur, reliquos sanctitate et excellentia longe præstet, sanctius et sublimius vitæ genus exinde postulat: quapropter ad legem Cœlibatus servandam, utpote sanctissimam, convenientissime Clericos teneri nemo est qui neget. Paulus præterea, l. c., clamat dicens: *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Officia vero Sacrorum Ministrorum præcipua sunt sacrificium offerre Deo, orare, præesse, docere, Sacramenta ministrare, infirmorum, et pauperum gerere curam, atque alia id genus charitatis et Religionis officia præstare. Si igitur Sacerdos *alligatus* esset uxori, utique *quæ sunt mundi sollicitus esset, quomodo placeret uxori*, et a Deo divisus, atque alienis curis a rite Sacris muniis obeundis distractus. Porro si teste Apostolo II Timoth. II, 4: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*, ut magis sit expeditus in suis officiis exsequendis, nemo est qui non videat ab his omnibus liberum esse cœlibem Ecclesiæ ministrum. Postremo non prætermittendum censuimus brevi perpendere Christianæ Religionis propagationem magna ex parte huic Cœlibatus legi esse ascribendam; non enim intelligere possumus quomodo Congregatio illa omnium maxima de Propaganda Fide stare posset, nisi Ministri Divino cultui mancipati, huic de castitate servanda tenerentur legi; neque profecto quotidie tot in tam longinquas et barbaras pergerent nationes, nam adeo pauci invenirentur, qui uxorum filiorumve precibus, gemitibusque obsistentes, sine reditus spe, Missionem aggrederentur. Et quantæ utilitatis sit Cœlibatus respectu Missionariorum, facile est colligere, si inspiciatur quam impari exitu et dissimili causa Missionem suscipiunt Catholici et Protestantes.

(10. Reliquum est ut paucis expendamus Cœlibatus legem, neque juri divino, neque naturali adversari. Et primo quod juri divino non obstet, id ex superiori numero allatis facillime deprehendere quisque potest; nemo etenim tam obtusæ mentis nusquam invenietur qui aliquo pacto suspicatur, quod Christus sanctificavit quoque et Apostolorum exemplo commendavit, quodque Patres summis laudibus decorarunt, aliqua ex parte juri Divino posse adversari. Huic addatur exemplum tot illustrium virorum, qui a remotissima antiquitate singulari doctrinæ ac sanctitatis nota floruerunt, quique laudem et maximam omnium venerationem adepti sunt, qui tamen in Latina pariter ac in Orientali Ecclesia cœlibem duxerunt vitam. Neque est credendum Ecclesiam, dono præditam infallibilitatis, aliquid contra jus divinum mandasse, cum tot Pontificiis sanctionibus, Conciliorum decretis legem Cœlibatus sacris ministris impositam probavit confirmavitque. Sed lex Cœlibatus nec juri naturali adversatur; si qua enim foret repugnantia, dicendum quod Deus et Homo, Christus, Sanctissima Mater, Apostoli, quotquot Sanctos colimus Virgines, Monachorum cœtus, eorumque Patriarchæ, contra jus naturæ peccaverint, a quo Christiana abhorret mens; horrendum enim est, atque blasphemum. Præterea ad repugnantiam illam efficiendam, aliqua naturæ lex exstare deberet, qua omnes et singuli humani generis individui ad matrimonium tenerentur, quod etiam cogitare est absurdum. Nam ea hypothesi omnes utriusque sexus sive pauperes sive divites; sive boni sive infirmi, sive pares sustinendis matrimonii oneribus, sive impares; sive, servi, sive liberi, omnes hac lege ad nuptias contrahendas essent obstricti, quod equidem præter absurditatem pluribus in casibus esset impossibile. Hanc porro legem neque populi, neque cujuscunque ætatis sapientes, legislatores, et naturæ juris periti agnoverunt, nec quisquam ratione prædītus agnoscet, cum et ipsi idolorum cultores Ægyptii, Indiarum incolæ, Persæ, Græci et Romani, Cœlibatus cultores magno semper honore prosecuti sint, et non utpote naturalis legis infractores et reos propterea traduxerint. Henricus Morini, *Histoire critique du Célibat;* Albert. Fabricius, Bibliograph. antiquaria; De Maistre, *Du Pape*, lib. III, cap. 3, part. I. De tota vero hac Cœlibatus quæstione vid. Zaccar. in toties laudata Historia sacri Cœlibatus, et in nova sua Cœlibatus defensione; Delingan. Joseph. Pium Joan. lib. cui titulus Cœlibatus vindiciæ sub nomine Flaminii Cephalii, Perrone, Thomassin., Zallinger, aliosque Juris Ecclesiastici scriptores.

CALIX.

SUMMARIUM.

1. Calices in primis Ecclesiæ temporibus poterant esse etiam lignei, et vitrei. — 2. Tamen a multis sæculis obsolevit usus ille, et nunc non debent esse lignei, nec vitrei, nec de ære aut aurichalcho, aut cupro; sed tam ipsi Calices, quam Patenæ debent esse de auro, vel argento, vel saltem stamno ob magnam paupertatem. — 3. Calices et Patenæ debent consecrari ac Chrismate perungi. — 4. Calices et Patenas consecrare de jure ordinario spectat ad Episcopos. — 5. Ex privilegio tamen possunt Calices ac Patenas benedicere, seu consecrare Abbates, aliique Prælati usum Pontificalium habentes, dummodo id faciant pro solo usu suarum Ecclesiarum. — 6. Abbates, aliique Prælati usum Pontificalium habentes, si Calices et Patenas consecrant pro usu aliarum Ecclesiarum, possunt ab Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis puniri, et coerceri Interdicto ab ingressu Ecclesiæ, et suspensione ab exercitio Pontificalium. — 7. Privilegium consecrandi Calices et Patenas, cum ex Jure Ecclesiastico proveniat, potest a Summo Pontifice concedi

Digitized by Google

etiam simplicibus Sacerdotibus. — 8. Et de facto Paulus III concessit Presbyteris Societatis Jesu, ut in locis remotissimis Infidelium, ubi Catholici Episcopi nulli sunt, Altaria et Calices consecrare possint. — 9. Simile privilegium concessum fuit Minoribus de Observantia in partibus Indiarum. — 10. Calix et Patena duobus potissimum modis consecrationem amittunt, scilicet per fractionem, et per novam inaurationem. — 11. Per fractionem amittunt consecrationem, quando Patena est ita notabiliter fracta, ut Hostiam commode capere non possit, et Calix etiam ita notabiliter fractus, ut in eo commode Sanguis Christi consecrari non possit.—12. Sic etiam per fractionem amittit Calix consecrationem, quando pes fixus in cuppa et non amovibilis, cum fractione separatur ab ipsa cuppa. — 13. Si autem pes Calicis sit amovibilis, et separatur a cuppa sine fractione, ut accidit in Calice tornatili, tunc per talem separationem non amittit Consecrationem.— 14. Per novam inaurationem amittunt consecrationem, quando ratione auri amissi ex longo usu, denuo inaurantur quoad illam superficiem, quæ tangit Corpus et Sanguinem Christi; tunc enim opus est nova consecratione. — 15. Affertur et solvitur instantia; ad n. 16. — 17. Affertur et solvitur alia instantia; ad n. 18. — 19. Probabile est, Calicem non consecratum remanere consecratum, si in eo bona fide celebretur. — 20. Probabilius tamen dicendum est non sufficere consecrationem per contactum Corporis et Sanguinis Domini, sed ulterius requiri consecrationem cæremonialem, quæ fit per Chrismatis inunctionem, et benedictionem Episcopi, vel Abbatis, vel alterius ad id privilegium Pontificium habentis. — 21. Calix, Patena, et alia ornamenta, quæ immediate attingunt Corpus, et Sanguinem Christi, non possunt tangi a Laicis, et multo minus a Feminis. — 22. Tangere enim vasa sacra, quando non continent actu Corpus et Sanguinem Christi, est restrictum Subdiaconis, privative quoad alios Ministros non consecratos. — 23. Quando autem continent actu Corpus et Sanguinem Christi, tangi nequeunt nisi a Sacerdotibus et Diaconis, privative etiam quoad ipsos Subdiaconos. — 24. Facultas tangendi vasa sacra vacua, concessa videtur etiam Acolythis in ipso Missæ Ministerio. — 25. Hæc facultas tangendi vasa sacra vacua fuit postea ex privilegio concessa Laicis et Clericis Regularium nondum in Sacris constitutis. — 26. Quicunque autem non habet facultatem, nec ex vi suæ Ordinationis, nec ex speciali privilegio et permissione, si absque rationabili causa, et sine morali necessitate tangat vasa sacra, peccat saltem venialiter. — 27. Calices, aliaque vasa sacra urgente necessitate possunt vendi; cum hoc tamen, quod si vendantur Laicis, debent prius conflari, vel saltem frangi; et solum Ecclesiasticis Personis possunt integra sine fractione vendi. — 28. Nec ratione consecrationis eorum, potest aliquid plus exigi ab emptoribus sive Laicis, sive Ecclesiasticis; aliter erit gravissimum Simoniæ peccatum. — 29. Calix non est ponendus in manibus Sacerdotum defunctorum. — 30. Utrum Calix in fine Missæ totus debeat velari in anteriori parte. — 31. De Calicis usu Laicis, etc., aliquando permisso. *Remissive* — 32. Calices consecrare possunt Vicarii Generales sede vacante. — 33. Quis teneatur præstare Calices Ecclesia Parochiali. *Remissive.* — 34. Calix unde dictus. — 35. Varia ejus nomina. — 36. Et plura Calicum genera.

(1. Calices licet in primis Ecclesiæ temporibus potuerint esse etiam lignei, et vitrei, ut testantur S. Hieronymus Epistol. 4. Strabo, de rebus Ecclesiæ, cap. 24, et Gratianus, in cap *Vasa* 44, de Consecrat. distinct. 1 (1). (2. Tamen a multis sæculis obsolevit usus ille, et non debent esse lignei; quia cum lignum sit porosum, aliquid sanguinis subintraret; nec vitrei, aut ex crystallo propter fragilitatem, nec de lapide, propter ineptitudinem, nec de ære, aut aurichalcho, aut cupro, quia hæc propter æruginem vomitum provocant (2), sed tam ipsi Calices, quam Patenæ, debent esse de auro vel argento, vel stamno, ita ut si non ex auro, saltem ex argento fiant, vel ad minus, ob magnam paupertatem, ex stamno; Innocent. IV, in Constit. 26, incip. *Sub Catholicæ*, ibi : *Unusquisque Sacerdos in aureo, vel argenteo solum, aut saltem stamneo Calice sacrificet;* cap. *Calix* 45, de Consecr., dist. 1, ibi : *Ut Calix Domini cum Patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat. Si quis autem tam pauper est, saltem, ut stamneum Calicem habeat; de ære aut aurichalcho non fiat Calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, aut vitreo Calice præsumat Missam cantare.* (3. Calices, et Patenæ debent consecrari, ac Chrismate perungi; cap. *Cum venisset* 1, de Sacra Unctione. § *Ungitur*. Imo contra eum, qui utitur Calice ligneo, aut non consecrato, constituta est pœna depositionis ab Officio et Beneficio; cap. *Litteras* 14, de Celebrat. Missar.; Bonacina, de Sacrament., disp. 4, qu. ultim., punct. 9, num. 16; Lezana, in Summa, verb. *Calix*, n. 2.

(4. Calices, ac Patenas consecrare de jure ordinario spectat ad Episcopos, quia est actus Ordinis Episcopalis; Sylvester, in Summa, verb. *Benedictio*, num. 2 et 3; Barbosa, de Offic. et potest. Episcop., allegat. 27, n. 35, et alii ibi citati; arg. cap. *Abbates* 3, de Privileg. in 6, cum enim in tali consecratione adhibeatur Sacra Unctio, vel Oleum Sanctum, ab ipso tantum Episcopo ordinato et consecrato benedicenda, inungenda, et consecranda sunt de Jure ordinario, uti omnia alia in quibus adhibetur Sacra Unctio; arg. cap. *Cum venisset* 1, de Sacra Unctione; et censuit Sacra Rituum Congregat., in Imolensi, 14 Novembris 1615; In Savonensi, 3 Decemb. 1616; In Taurinen., Pistorien. et Tarvisina, 2 Maii 1619; In Novarien., 21 Martii 1620; *In Tridentina*, 7 August. 1521, et in Caputaquen., 20 Jul. 1630. (5. Ex privilegio tamen possunt Calices et Patenas benedicere seu consecrare Abbates aliique Præ-

(1) De calicum materia, et forma ex veterum monumentis egregie disseruit cl. Præsul Dominicus Georgius in disquisitionibus de Sacro ministerio, cap. 3 de Liturg. R. P. T. 1. (Edit. Barbiel.)

(2) Regino, de Eccles. discipl. lib. 1 cap. 67 decretum ex Remensi Concilio, quod Baronius Durcortori Remorum sub Carolo M. celebratum putat, in hanc rem affert. Reddo illud : *ut Calix Domini cum Patena, si non ex auro, omnimodis ex argento fiat... Si quis autem tam pauperrimus est, saltem vel stamneum calicem habeat; de ære autem, aut ex aurichalco non fiat Calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo Calice præsumat cantare.* (Edit. Barbiel.)

Digitized by Google

lati usum Pontificalium habentes, ut expresse declaravit Sac. Cong., in Patavina, 5 April. 1620, dummodo id faciant pro solo usu suarum Ecclesiarum, ut pluries censuit Sacra Congregatio, et signanter 27 Septembr. 1659, § 19, in Decreto circa usum Pontificalium Prælatis Episcopo inferioribus concessorum coram Sanctissimo Domino nostro Alexandro VII, emanato; ibi : *Reliqua Pontificalia extra loca ipsis* Abbatibus subjecta, vel pro servitio alienæ Ecclesiæ, aut in subditos pariter alienos, *etiam de licentia Ordinariorum exercere non valeant, puta Campanarum benedictiones, Calicum, et similium, in quibus Sacra adhibetur Unctio, necnon Minorum Ordinum Collationes.*

(6. Imo possent ab Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, Abbates, aliique Prælati usum Pontificalium habentes Censura Interdicti ab ingressu Ecclesiæ, vel Suspensionis ab exercitio Pontificalium puniri, et coerciri, si Calices, Patenas, et Paramenta Sacra pro usu aliarum Ecclesiarum, quam suarum benedicerent, cum eis expresse sit vetitum a Decretis generalibus Sacr. Congregationis Rituum emanatis 27 Septemb. 1659 et 20 Julii 1660, quoad hoc, confirmatis, et approbatis ab Alexandro VII, ut videri possunt, verb. *Abbas*, sub num. 31, in quibus datur Ordinariis facultas inobedientes et transgressores per Censuras compellendi. (7. Privilegium benedicendi Calices, et Patenas, cum ex Jure Ecclesiastico proveniat, potest a Summo Pontifice concedi etiam simplicibus Sacerdotibus, ut ex communi notat Barbosa, part. II de Offic. et potest. Episcop., alleg. 27, num. 26. (8. Et de facto Paulus III, anno 1549, concessit Presbyteris Societatis Jesu, ut in locis remotissimis Infidelium, ubi Catholici Episcopi nulli sunt, Altaria, et Calices consecrare possint, ut referunt plures, et signanter Suarez, t. II, disput. 81, sect. 71, vers. *Aliæ autem.* (9. Simile privilegium concessum Fratribus Minoribus de Observantia in partibus Indiarum referunt plures, et signanter Rodriq., t. I, Regul., qu. 1, art. 4.

(10. Calix, et Patena duobus potissimum modis consecrationem amittunt, scilicet per fractionem, et per novam inaurationem. (11. Per fractionem amittunt consecrationem, quando Patena est ita notabiliter fracta, ut hostiam commode capere non possit, et Calix etiam ita notabiliter fractus, ut in eo commode Sanguis Christi consecrari non possit; Barbosa, loco cit., num. 37, cum Vasquez, S. Thoma, et aliis ibi citatis. (12. Sic etiam per fractionem amittit Calix consecrationem, quando pes fixus in cuppa, et non amovibilis, cum fractione separatur ab ipsa cuppa, quia Calix in tali eventu amittit suam figuram, et non est amplius aptus ad usum ad quem fuerat factus; Suarez, disp. 81, sect. 7, vers. *Rursus inquiri potest;* Paludan., in 4, dist. 13, quæst. 2, art. 5, conclus. 2, et multi alii cum Barbosa, loc. cit., num. 40. (13. Si autem pes Calicis sit amovibilis, et separetur a cuppa sine fractione, ut accidit in Calice tornatili, cujus partes separantur absque fractione, tunc per talem separationem non amittit consecrationem, cum adhuc remaneat aptus ad usum ad quem fuit factus, et adhuc retineat suam figuram; ideo enim Calix fit tornatilis, ut possit facile separari. Sic absolute Silvius, in II part. S. Thomæ, qu. 83, art. 3, qu. 6, præcisis his verbis : *Si tamen esset Calix tornatilis ita per artem factus, ut pes a Cyatho posset separari; dicendum est, quod per separationem non perderet consecrationem... quia per ejusmodi separationem non diceretur Calix frangi, vel scindi;* Suarez, loc. cit.; Naldus, in Summa, verb. *Calix*, num. 6, et alii cum Barbosa, loc. cit., num. 40. (14. Per novam inaurationem amittunt consecrationem, quando (ratione auri amissi ex longo usu, vel ex abusu quorumdam Sacerdotum, qui, ut ait Gobat, t. I, tract. 8, cas. 10, num. 310, et Sporer, t. III, part. II, cap. 6, sect. 2, n. 395, toto nisu manuum scrupulose simul, et ridicule Calices Purificatorio detergunt, vel potius, ut ita dicam, auro exspoliant) denuo inaurantur, quoad illam superficiem, quæ tangit Corpus et Sanguinem Christi, tunc enim opus est nova consecratione, ex eo quod consecratio Calicis et Patenæ fit præcipue propter contactum Corporis et Sanguinis; posita autem nova inauratione contactus ille nequit amplius fieri in parte seu superficie consecrata, cum aurum de novo additum non sit consecratum; Suarez, t. I, disp. 81, sect. 3, vers. *Solet vero;* Rossignol., de Eucharist., quæst 9 de Ritibus, art. 2, num. 16 et 17. Angelus verb. *Calix*, num. 2. Barbosa, *loc. cit.*, n. 38, cum plurimis ibi citatis, qui dicunt talem esse praxim Ecclesiæ, et receptam consuetudinem Calices denuo consecrandi, cum denuo inaurantur.

(15. Nec valet objicere, quod sicuti Calix, et Patena non indigent nova consecratione, cum per diuturnum usum amittunt inaurationem, ut tenent communius Doctores, ita non indigent nova consecratione, cum de novo inaurantur. (16. Non valet inquam, quia in tantum Doctores communius tenent Calicem argenteum non obstante amissione inaurationis adhuc remanere consecratum, nec indigere nova consecratione, quia non fuit consecratum ipsum solum aurum Calicis secundum se, sed fuit consecratus totus Calix per modum unius, adeoque nihil tunc intervenit, quod nondum fuerit consecratum. In casu autem novæ inaurationis intervenit aurum de novo additum, quod non est consecratum, et consequenter necessaria est nova consecratio, cum ipsum aurum additum immediate tangat Corpus et Sanguinem Christi.

(17. Nec valet instare, quod major pars trahat ad se minorem, adeoque consecrationem Calicis consecrati redundare in aurum de novo additum, tanquam in accessorium, et minus principale, et sic ipsum reddere sacrum absque nova consecratione; arg. *Quod in dubiis* 3, de Consecrat. Eccles. vel Altar. (18. Non valet, inquam, quia major pars trahens ad se minorem non censetur ea, quæ est major quantitate molis, sed quæ

Digitized by Google

est principalior, et dignior, et proxime instituta ad continendum et tangendum Corpus et Sanguinem Christi, quod præcipue fit in parte inaurata, quæ licet sit minor respectu materialis quantitatis, est tamen major ratione excellentiæ, et muneris, quod debet præstare per continentiam, et immediatum contactum ejusdem Sanguinis et Corporis Christi; unde instantia militat in oppositum, et contra adversarios. Sic Suarez, Vasquez, aliique plurimi cum Barbosa, loco cit., num. 38; Rossignol., loc. cit., num. 17; Reiffenstuel, lib. I, decret., tit. 16, num. 16. Non amittitur autem consecratio Calicis et Patenæ per aliquos ictus a fabro inflictos, cum per eos nec notabiliter frangatur, nec mutatur interne superficies illa, qua continetur, et immediate tangitur Sanguis et Corpus Christi; Armilla, in Summa, verb. *Calix*, num. 4; Bartholomæus ab Angelo, Dialog. 5 de Missa, § 327; Azor., part. I, lib. L, cap. 28, qu. 5; Bonacina, de Sacrament., disp. 4, qu. ultim. punct. 9, n. 18; Barbosa, l. c., n. 39.

(19. Calicem non consecratum remanere consecratum, si in eo bona fide celebretur, probabiliter defenditur; quæ enim major consecratio esse potest, quam contactus Corporis et Sanguinis Christi, in quo residet ipsa substantialis sanctitas? Sic Diana, part. V, tract. 13, resolut. 60, aliique multi. (20. Sed probabilius dicendum est, non sufficere consecrationem per contactum Corporis et Sanguinis Domini, et ulterius requiri consecrationem cæremonialem, quæ fit per Chrismatis inunctionem, et benedictionem Episcopi, vel Abbatis, vel alterius ad id privilegium Pontificium habentis; quia Ecclesia pro forma consecrationis Calicis verbalem benedictionem cum Chrismatis inunctione solum assignavit; si enim profanus Calix fit sacer per contactum Sanguinis Christi, ut vult Diana, cur non etiam barba, et pannus, in quo defluxit sacer Sanguis? ut dicit Gobat, lib. I, tract. 3, casu 10, sect. 2, num. 309. Tum quia si celebratio Missæ bona fide facta in Calice non consecrato sufficeret pro Calicis consecratione, idem dicendum etiam esset de celebratione Missæ mala fide facta in simili Calice, quod plane falsum est, aliter multa absurda, et inconvenientia possent oriri. Et hanc opinionem tenent Suarez, in tertia parte t. III, disp. 81, sect. 7, vers. *Alia vero forma;* Lugo, disp. 20, de Eucharistia, n. 92; Dicastillo, disp. 4, de Eucharist., n. 199; Lezana, in Summa, verb. *Calix*, num. 8; et expressus Fagundez, de quinque Eccles. præcept., p. I, lib. III, c. 21, num. 15, ubi refert, ita fuisse decisum a gravissimis Patribus Societatis Jesu.

(21. Calix, Patena, et alia ornamenta, quæ immediate attingunt Corpus et Sanguinem Christi, ut sunt Corporale, et Palla non possunt tangi à Laicis, et multo minus a Feminis, prout habetur in cap. *Sacras* 25 dist. 23. (22. Tangere enim Vasa sacra, quando non continent actu Corpus et Sanguinem Christi, est restrictum Subdiaconis privative quoad alios Ministros non consecratos; cap. *Non oportet* 30 et cap. *Non liceat* 31 dist. 23. (23. Quando autem continent actu Corpus et Sanguinem Christi, tangi nequeunt, nisi et Sacerdotibus et Diaconis privative etiam quoad ipsos Subdiaconos; cap. *Non oportet* 26, dist. 23.

(24. Facultas tangendi Vasa sacra vacua concessa videtur etiam Acolythis ipso Missæ Ministerio cap. *Non licet* 32, dist. 23 et cap. *Nullus* 1, dist. 24, quæ tamen non est ex vi Ordinationis, cum Acolythis in ipsorum Ordinatione hujusmodi Vasa tangenda non tradantur, sed solum ex quadam permissione. (25. Hæc facultas tangendi Vasa Sacra vacua fuit postea ex privilegio concessa a variis Summis Pontificibus Laicis et Clericis nondum in Sacris constitutis Regularium, ut referunt Casarubius verb. *Ornamenta*, Confectius Bullæ Sixti IV, et Rodericus tom. I Bullarii in Oraculis ejusdem Sixti, ubi habetur, quod Eugenius IV et Paulus V, concessit Casinensibus, et Calistus III, et Sixtus IV, Minoribus et Augustinianis, ut Fratres eorum Laici, et Clerici nondum Sacris initiati deputati Officio Sacristiæ, seu Ministerio Altaris, possint cum licentia Superiorum contrectare Calices, corporalia, et res alias Sacras, easque lavare cum opus fuerit, quod extenditur etiam ad Moniales Sacrestanas, ut patet sub verb. *Vasa Sacra* num. 14. (26. Quicunque autem non habent hanc facultatem, nec ex vi suæ Ordinationis, nec ex speciali privilegio, et permissione, si absque rationabili causa, et sine morali necessitate tangant Vasa Sacra, peccant saltem venialiter; Suarez tom. III disp. 81 sect. 8 vers. *Tertium exemplum sit;* Marchinus tract. 3 de Sacrific. Missæ part. III de Requisit. ad Missæ celebr. cap. 13 num. 8 et seqq.; Rossign. de Eucharist. quæst. 9 de Ritib., art. 2, num. 26 et alii passim; et ratio est, quia præfert quamdam irreverentiam et præsumptionem, et inanis esset concessio privilegiorum facta Regularibus tangendi hujusmodi Vasa, si sine labe possent ab aliis omnibus indefinite tangi.

(27. Calices, aliaque Vasa Sacra urgente necessitate possunt vendi; cum hoc tamen, quod si vendantur Laicis, debent prius conflari, vel saltem frangi, et solum Ecclesiasticis Personis possunt integra sine fractione vendi. (28. Nec ratione consecrationis eorum potest aliquid plus exigi ab emptoribus, sive Laicis, sive Ecclesiasticis, aliter erit gravissimum Simoniæ peccatum; arg. cap. *Non satis* 8 de Simonia. Cum enim consecratio Calicis, aliorumque vasorum, sit quidpiam mere spirituale, non æstimanda est pretio pecuniæ, nec in quocunque casu potest ingredi commercium. Ita communis Doctorum. Et pro omnibus sufficiet adducere verba S. Thomæ *in* 4 dist. 25 q. 3 a. 1 q. 3 ad 1: *Vasa Sacra*, inquit S. Doctor, *nullo modo ratione consecrationis vendenda sunt, ut scilicet pro consecratione eorum aliquid plus exigatur; tamen in necessitate Ecclesiæ possunt vendi ex parte ejus, quod in eis non est spirituale, scilicet materia auri et argenti. Et tunc si venduntur Ecclesiasticæ Personæ, possunt integra vendi: si autem venduntur*

Digitized by Google

aliis non ad usum Ecclesiæ, debent prius frangi præmissa ratione, ne sancta ab aliis tractentur, quam a Ministris Ecclesiæ.

(29. Calix non debet poni in manibus Sacerdotum defunctorum, ut abusive introductum est; Bassi de Sodalitiis q. 1, num. 14; Clericat. et alii relati sub verb. *Sacerdos*, n. 69. Vide ibi.

(30. Ad dubium utrum Calix in fine Missæ debeat totus velari in parte anteriori, prout ab initio Missæ? Sac. Rit. Congreg. in Pragen. die 1 Martii 1698 respondit: *Ante versiculum, qui dicitur Communio, cooperiendum velo Calicem in anteriori parte, prout ante Confessionem.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(31. De Calicis usu Laicis, et Clericis, et Sacerdotibus non sacrificantibus aliquando permisso, vide Benedictum XIV, de Sacrificio Missæ, editionis latinæ § 359, et plur. sequent. (1).

(32. Calices, Patenas, atque Altaria portatilia cum oleis tamen ab Episcopo benedictis possunt Sede vacante consecrare Vicarii Generales ab Episcopo Vicario Apostolico in In-

(1) Quoniam vero nostris quoque temporibus aliquid de Calicis Eucharistici usu Laicis concedendo mussitatur, consulendus quidem non inutiliter erit Benedictus XIV. Præstabit tamen hic lectorum oculis ea subjicere, quæ Otho Truchsesius Augustanus Episcopus et Stanislaus Hosius Cardinales doctissimi, cum Tridenti ea controversia apud Concilii Patres perpenderetur, de tota hac re censuerunt. Recito primum Truchsesii epistolam ad Hosium ex Lagomarsimana Pogianarum epistolarum editione vol. III, pag. 110. « De quo autem (de concedendo scilicet Laicis Calice) sententiam meam exquiris, etsi nec ausim, nec debeam quidquam aut sentire aut loqui, nisi ex sanctissimis Concilii decretis, quas leges statuo omnis rationis, et sententiæ meæ, tamen, quoniam opinionem meam de ea re studes elicere, non possum te, quem unum omnium facio plurimi, celare quid existimem. Ego, si sperarem, concessam eam rem provinciis forte salutarem, certe multorum salutis spei aliquid remittendum censerem. Sed, ut id futurum sit, non equidem adducor, ut credam. Quod cum ita intelligam, ne mihi quidem persuadere possum, illud permittendum esse, quod Concilii auctoritate sublatum video. Verumtamen si quidquam fuerit in Concilio constitutum contra rationem hanc meam, statim, commutata sententia, verum, ac solidum sequar Sacri Concilii judicium. » Hosius autem ad Regem Poloniæ scribens his verbis utitur: « Magna contentione petitus est a Patribus Calicis usus per Oratores Cæsareæ Majestatis, de quo cum sententiæ dictæ essent, fuere Patres in sex partes divisi. Nam alii concedendum esse dixerunt; alii, cum in eadem essent sententia, non a Concilio tamen, sed a Pontifice concedi debere; alii negarunt; alii, quamvis negarent, ad Pontificem tamen remiserunt; alii cum neutram in partem quidquam definirent, concedendus esset, nec ne, totam causam ad Pontificis arbitrium rejecerunt, alii deliberandum amplius, et negotium hoc in aliud tempus rejiciendum esse censuerunt. Qui tantopere Calicem petiverunt, spem fecerunt, fore, ut multi ex his, qui segregaverant semetipsos ad Ecclesiæ gremium redirent. Quod si certum esset, minus foret in impetrando negotii. Qui vero negarunt, his maxime causis adducti sunt, quod negarent, eos vere, et ex animo ad Ecclesiæ gremium reverti, qui præscribere vellent Episcopis potius, quam præscriptis parere... Quamobrem cujusdam in errore tuendo perseverantiæ signum esse, dicebant, quod non aliter, quam sub ea conditione, si Calix esset permissus, ad Ecclesiæ gremium se redituros, nonnulli ostenderent. Neque dici posse, eos ab omni errore liberos esse, qui hoc peterent; nam aut eos persuasum habere, quod aliter salvi esse non possent, nisi sumant utramque speciem, quasi præcepto Dei ad eam sumendam astringantur, aut non credere, quod Christus sit æque integer sub una specie, atque sub utraque. Cum autem utrumque affirmare sit hæresis, Calicem hujusmodi concedere, nil aliud affirmare (forte videri) quam hæresim approbare: maxime cum certo constet, non alios quam hæreticos Calice uti; ita ut usus illius, cujusdam ab Ecclesia Dei discessionis symbolum esse videatur..... Si credunt totum esse Christum sub altera specie, si credunt nullum esse Christi mandatum de utraque specie sumenda, nec esse id de necessitate salutis, quorsum petant utramque speciem? Si vero non credunt horum alterum, quid aliud, quam condemnando Sanctos majores suos, quin et Ecclesiam universam, gravissimi cujusdam erroris, vel impietatis, quæ cum interdixerit usum Calicis laicis, æterna salute liberos suos privaverit?.... Itaque res eo perducta est, ut causam totam ad Sanctam Sedem Apostolicam remitteretur, penes quam potestas erit, quidquid magis expedire Christianæ Charitati duxerit, hac de re statuere. Ego vero si quam non dubiam spem ostendi viderem, exstinctas iri hæreses omnes in Regnis, ac terris Majestatis vestræ, modo Calix permittatur, existimarem, non ita magno negotio id impetraturum esse, quamlibet multa dicta sint a multis in contrariam sententiam. Sed, si perstare in suis erroribus debent hæretici, non video quid causæ sit, quamobrem de Calice magnopere laboretur. Quin etiam expedire cum quibusdam judico, ut hæc sit tessera quasi communio alterius speciei, qua dignoscantur ab Hæreticis Catholici; ut, quemadmodum illi non aliam ob causam sibi Calicem usurpant, quam ut suam adversus Matrem Ecclesiam rebellionem declarent, sic hi propterea sint unius tantum speciei usu contenti, ut se legitimos illius, et obedientes esse filios demonstrent. »

In eamdem utriusque Cardinalis sententiam abiit Trid. Conc., quod quemadmodum antea Constantiensis, et Basileensis Synodus sanxerat, sess. 21, c. 2, *Consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit; et pro lege habendam decrevit, quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet.* Equidem cum postea concedi petiissent suis populis Ferdinandus Imperator, et Albertus Bavariæ Dux, itemque Carolus Ferdinandi filius, Carinthiæ, Stiriæ, Carniolæ populis, Calicis usum a Pio IV impetrarunt; ac Pii diploma anno 1564 Viennæ 18 Junii Pragæ 21 ejusdem mensis promulgatum fuit. Verum experientia docuit, Cardin. Truchsesium fere vaticinando ad Hosium 19 Sept. 1562 scripsisse, uti apud Pogianum legimus vol. III, ep. 73: *Faciat Deus, ut mea me fallat opinio, sitque et iis, qui petunt, et iis qui concedunt (si modo concedetur) calix ille salutaris, neque potius sit vini plenus mixto, quem bibant peccatores terræ.* Itaque S. Pius V, vulneribus, religioni ex illa Calicis concessione, etsi præter opinionem ac valde contra voluntatem concedentis, impositis mederi volens, eam quinto post initum Pontificatum mense, in Caroli Archiducis Austriæ provinciis abrogavit, datis tum ad Patriarcham Aquilejensem die 8 Junii an. 1566, tum ad ipsum Carolum Archiducem die proxime sequenti litteris, quas recitat cl. Lagomarsinius ad Pogianum, vol. III, pag. 156 seq. Sed hac de re auctor sum, ut etiam legas, quæ in Antifebronio Italico adversus Febronium disseruit Franc. Anton. Zaccaria, t. I Cæsen. edit, pag. 19 seq. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

diis constituti ex facultate ipsis tributa a mox laudato Summo pontifice in litteris expeditis die 26 Januarii 1753.

(33. Quis teneatur præstare Calices, tum alia ornamenta Ecclesiæ Parochiali, deficientibus vel non sufficientibus redditibus Fabricæ; vide apud Rousseaud de la Combe in sua Jurisprudentia Canonica, verb. *Calix*.

ADDITIONES CASINENSES

(34. Calix, vas sacrum, in quo Christi Sanguis consecratur atque offertur; a voce græca κύλιξ dictus, de quo Cassiodorus hæc habet: *Calix a calida dictus est potione; quoniam sicut ille cor hominis exhilarat bibitus, ita hic sanctas animas perpetuo jucundat haustus.*

(35. Calicem Patres Concil. Tribur. cap. 18 Vasculum; Vas mysticum Synesius Constit. 2; Poculum Clem., l. 8 Constit. c. 15; Poculum Sanctum Gregor. Nazianz. Orat. 25 appellat.

(36. Plura Calicum genera erant, sc. qui *Baptismi Calices* dicebantur, quibus sacro Baptismate abluti, post acceptam Eucharistiam sub specie panis, Sanguinem bibebant sub specie vini. *Ministrales* etiam erant Calices, qui communicandis sub specie vini Fidelibus adhibebantur; hujusmodi Calices eo nomine appellatos esse ait Georgius Cassander Liturg. cap. 31, *quia non ad offerendum, sed ad ministrandum populo Christi sanguinem deserviebant:* Benedict. XIV, De sacros. Missæ Sacrif., lib. 1, cap. 4, n. 9. Horum Calicum plures vel pauciores pro numero fidelium communicantium apponebantur qui grandiores et capaciores erant.

CALVARIUS.

SUMMARIUM.

1. Calvarius unde nomen traxerit, et an ibi Adam sepultus fuerit. — 2. Nonnulli auctores quod ibi Adam sepultus fuerit negant.

(1. Calvarium, seu Golgotha cranium significare, fert communis opinio; indeque exiguo illi monti nomen fuisse inditum, ex quo eo in loco Adamum fuisse sepultum, percrebuerit opinio, ut tradit S. Hieronymus in cap. 5 *ad Ephesios*, quamvis de veritate circa id satis dubitet, ibi: *Hæc*, inquit, *vera sint, nec ne, lectoris arbitrio derelinquo. Certe tunc in populo dicta placuerunt, et quodam plausu ac tripudio sunt excepta.* Idemque S. Doctor de hoc etiam dubitat loquens de hac re in c. 27 Matth. At vero ipsemet, epistola 46, alias 17, *Paulæ et Eustochii ad Marcellam* ab eo scripta, vel dictata, eam sententiam sequitur, quam aliis in locis non probaverat, ibi: *In hac urbe* (Hierusalem), *imo in hoc tunc loco et habitasse dicitur, et mortuus esse Adam. Unde et locus, in quo crucifixus est Dominus noster, Calvaria appellatur, scilicet, quod ibi sit antiqui hominis calvaria condita, ut secundus Adam, id est Sanguis Christi de Cruce stillans, primi Adam et jacentis protoplasti peccata dilueret.* Et huic opinioni favent Tertullianus, Origenes, Epiphanius, Chrysostomus, Augustinus, et Baronius ad ann. Christi 34, num. 112, expresse tenet locum illum ideo Calvarium appellatum, quod Adam ibi sepultus fuerit. Cui opinioni ac traditioni pia etiam innititur illa pictorum praxis, ut ad pedem, id est inferiorem Crucis partem, hominis calvariam depingant. Videatur Lambertinus Benedictus XIV, de Festis D. N. J. C., num. 271, et Ajala, Pictor Christianus Eruditus, lib. IV, c. 18, n. 16, ubi ad rem subjungit: Ita enim (si tamen ejus sunt [1]) diserte docent illa Tertulliani carmina, quæ sic habent:

Hic hominum primum suscepimus esse sepultum.
Hic patitur Christus, pio Sanguine terra madescit
Pulvis Adæ ut possit veteris cum Sanguine Christi
Commixtus stillantis aquæ virtute lavari.

(2. Non desunt tamen qui aliter sentiant, ut referunt idem Ajala, et Cardin. Lambertin.; Benedictus XIV, loco cit.; et Calmet, in Dictionario, verb. *Adam*, tradit et verb. *Calvaria*; in quo verb. *Adam* tradit ipse Calmet, quod in Calvario Sacellum visitur Adamo sacrum; (2) vide verb. *Mundus*, a n. 13 et n. 55.

CAMBIUM.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Quid et quotuplex sit Cambium, et an sit licitum.*

1. Cambium unde veniat, et quid significet. — 2. Cambium quid sit. — 3. Cambium quomodo differat a simplici permutatione, et ab emptione, et venditione. — 4. Cambium quomodo differat a Mutuo. — 5. Cambium quomodo differat a Deposito. — 6. Quis dicatur *Campsor*, et quis Campsarius. — 7. Cambium est duplex, Reale, et Siccum. — 8. Cambium Reale quale sit. — 9. Cambium Reale est adhuc duplex, scilicet Cambium reale minutum, seu manuale, et Cambium reale locale, seu per litteras. — 10. Cambium minutum, seu manuale, quale sit. — 11. Quare dicatur Cambium mi-

(1) Non erat cur Auctor dubitaret an carmina illa ex lib. II adversus Marcionem, cap. 4 Tertulliani fuerint: nemo hodie paulo eruditior est, qui libros illos saltem post Hieronymi obitum divulgatos fuisse non sentiat. Cæterum alii plures pro sententia, qua in monte Calvariæ Adam sepultus fuit, laudari possent. Vide Michaelem Glycam Annal., pag. 120, et Fabricium in Codice pseudepigrapho Vet Test., p. 60, et t. II, p. 37. (EDIT. BARBIELL.)

(2) Nec sane quidquam est, quod justam pro veterum illa sententia conjecturam præbeat, ut post Whithyum in Exam. variant. Lection. Milii, pag. 35, monet vir doctissimus nuper Florentiæ defunctus Alphonsus Nicolai, t. III Lezioni della Genesi, lez. 31, p. 98. Exstat hac de re Samuelis Andreæ dissertatio de Adami Sepulcro, Marpurzi edita 1679. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

mutuum. — 12. Cambium minutum est licitum cum moderato lucro secundum consuetudinem regionis pluribus de causis, quæ assignantur. — 13. Cambium locale, seu per litteras quale sit. — 14. Quare dicatur Cambium locale, seu per litteras. — 15. Cambium locale, seu per litteras est licitum cum moderato lucro, secundum consuetudinem, majorem, vel minorem distantiam locorum, pluribus etiam de causis quæ assignantur. — 16. Cambium siccum quale sit. — 17. Quare dicatur Cambium siccum. — 18. Cambium siccum non est licitum, sed damnatum. — 19. Cambiorum usus, seu negotiatio ex duplici fine lucrandi videtur inducta, scilicet vel ex tali fine ob publicum Reipublicæ bonum, vel ex ipso ob privatam Campsorum utilitatem. — 20. Et ex utroque fine est licita Cambiorum negotiatio; ad n. 21. — 22. Dummodo serventur conditiones præscriptæ a S. Pio V, Constit. incip. *In eam pro nostro*, quæ hic assignantur. — 23. Cambiorum negotiatio potest etiam licite exerceri a qualibet persona privata non destinata a Republica ad cambiandum, et aliquod lucrum, seu utilitatem recipere ex Cambiis, quæ ex proprio arbitrio, et libertate exercet. — 24. Imo etiamsi Personæ privatæ, per decretum Principis, seu Reipublicæ prohibeantur negotiationem Cambiorum exercere, nihilominus non obstante hujusmodi prohibitione, contractus suorum Cambiorum subsistunt, et alias, servata justitia pretii, nulla restituendi obligatio sequitur. — 25. Nec tales privatæ Personæ cambiantes contra prohibitionem Principis peccant mortaliter, nisi sua Cambia cedant in grave detrimentum Reipublicæ. — 26. Quando Cambium simul et semel æque prodest tam Campsario quam Campsori, seu uterque Cambientium reportat ex Cambio æquale commodum, is, qui prævenitur ab altero, potest ab illo lucrum Cambii recipere. — 27. Famulus, qui pecunias aureas accipit a Domino, ut ipsas deferat pro solutione ad creditorem ejusdem Domini, illasque commutat cum argenteis, acquisito in illa commutatione, seu Cambio aliquo lucro; si cum pecunis illis argenteis satisfacit in integrum creditori intra debitum tempus; nec graviter peccat, nec ad ullam restitutionem, vel Domino, vel ejus creditori faciendam obligatur, suppositis tribus, quæ assignantur; ad num. 29. — 30. Si autem Dominus expresse mandet famulo, ut pecunias in eadem illa specie auri deferat, et solvat creditoribus, tunc famulus contra expressam voluntatem Domini, et præsumptam voluntatem creditorum, commutando in argenteam, vel æream, graviter peccat, et tenetur ad restitutionem omnis damni creditoribus inde secuti. — 31. Si vero nullum inde damnum sequatur, adhuc quidem erit injuria, cum esset et contra Domini, et contra creditorum voluntatem, sed nulla erit obligatio restituendi. — 32. Cambium cum Recambio, seu cum recursu, ab unis vocatum Vesuntinum, et ab aliis Placentinum, licet a variis velut licitum speculative defendatur, tamen pro praxi est absolute rejiciendum velut purum Mutuum, et palliata Usura; adeoque Cambium siccum duplicatum. — 33. Cambium Francofurtense, seu Cambium ad nundinas, fieri potest licite ratione majoris lucri cessantis, quo diutius nundinæ distant, et pecuniæ solutio differtur, præsertim apud Mercatores. — 34. Et dato quod in hoc Cambio interdum non adsit ratio majoris lucri cessantis, adhuc ex ratione et natura contractus defenditur, et excusatur a plurimis, etiam per hoc quod tempore propinquo nundinis sit copia pecuniarum, adeoque multitudo Campsorum faciat Cambium vilius; et econtra tempore remotiore. — 35. Cambium obliquum tres sub se occultat contractus; quinam ipsi sint. — 36. Quid sentiendum de eo in foro interno et externo. — 37-43. De creatione Cambii obliqui. — 44, 45. Si creditum, ex quo creatum est Cambium obliquum in totum haud subsistat, vitiatur Cambium quoad excessum tantum. — 46, 47. An validum sit Cambium obliquum ex credito creatum, si creditor sciverit nullas apud debitorem esse pecunias numeratas. — 48-50. Quid si debitor in creatione Cambii fassus fuerit se non esse solvendo. — 51-53. An sustineatur Cambium obliquum ex creato creatum, si præservata fuit anterioritas et potioritas ipsius crediti. — 54-56. Fructus Cambii obliqui tametsi valide creati an et quando debeantur. — 57. An cessent fructus Cambii obliqui per decoctionem debitoris, qui onus cambiandi assumpsit. *Remissive.* — 58. Quid si alter cum debitore in solidum se obligaverit. *Remissive.* — 59. An cessent fructus Cambii obliqui elapso tempore præfinito. — 60. De Cambio vero obliquo ad biennium contracto, et deinde ad beneplacitum partium, an, et quando prorogatum censeri debeat. *Remissive* — 61. Fructus Cambii obliqui an conveniri a principio possint in certa quantitate. — 62. An in Cambio obliquo dari possit fidejussor, vel recipi pignus. — 63. Quoad alia. *Remissive.*

ARTICULUS II. — *De Cambii origine, progressu, abusu, et reductione.*

1, 2. Antiquitas Cambii, et vetus cambiandi modus. — 3. Cambii divisio in *manuale* et *trajectitium*. — 4. Explicatio Cambii *Manualis*. — 5. Genus negotiationis cognitum Romanis. — 6-8. Nomina diversa, quibus appellabantur Cambiorum negotiatores. — 9-11. Incerta Cambii *Trajectitii* origo. Verosimile est a Græcis, et Romanis inventum, a Longobardis vero in præsentem formam redactum. — 12-14. Abusus Cambii. — 15. Pontificiæ Constitutiones ad tollendos Cambii abusus. — 16. Necessarius ad Cambii validitatem interventus pecuniæ. — 17. Cum causa finalis ejusdem sit pecuniarum transmissio per Nundinas. — 18. Quæ ideo probanda est. — 19. Et non probata transmissione Cambia remanent sicca. — 20-23. Laxior opinio in foro admissa, quæ vero non ubique recepta fuit. — 24. Interdicta in exteris regionibus et hæc Cambia. — 25, 26. Alii Cambii abusus. — 27. Usuræ usurarum percipi nequeunt. — 28, 29. Neque in novam sortem converti. — 30-33. Leges a foro inventæ pro validitate Cambii obliqui. — 34. Quibus non concurrentibus corruit, licet esset camerali obligatione munitum. — 35. Declaratio præteritæ addit. ad I Art., ubi firmatur Cambium creari posse etiam fructibus decurrendis. — 36-39. Confutatio hujus doctrinæ. — 40-42. Conciliatio utriusque opinionis. — 43. Plus solvit qui anticipate solvit. — 44. Qui sentit commodum incommodum sentire debet. — 45. Percipiens anticipate decurrendos fructus duplicatas, vel etiam triplicatas, ab eadem sorte percipit usuras. — 46. Qui contrahere possunt, possunt Cambia creare. — 47. Minores et Mulieres læsæ in integrum restituuntur. — 48. Sciente patre filiusfamilias valide in Cambio obligatur. — 49. Clericis interdicta sunt Cambia activa. — 50. Et lucrum ab eorum Cambiis perceptum acquiritur R. C. A. — 51-54. Circa cambia passiva non conveniunt DD. sed probabilius est posse a Clericis creari, et de ratione.

ARTICULUS I.

Quid et quotuplex sit Cambium, et an sit licitum.

(1. Cambium venit a verbo *Cambire*, quod apud omnes idem significat ac permutare: unde Cambium idem est, ac permutatio, et quantum ad præsens spectat, sumitur pro sola permutatione pecuniæ. (2. Et sic communiter definitur, quod *Cambium sit pecuniæ pro pecunia permutatio*. Dicitur *permutatio*, quæ particula stat loco generis, et per ip-

Digitized by Google

sam Cambium convenit cum quacunque alia permutationis acceptione, quæ proprie, et specifice non est Cambium. (3. Dicitur *pecuniæ pro pecunia*, quæ particulæ stant loco differentiæ. Per ipsas enim Cambium differt primo a simplici permutatione, in qua res pro re traditur, et ab emptione et venditione, in quo pretium pro merce, et merces pro pretio transfertur, non pecunia pro pecunia. (4. Differt secundo a Mutuo, tum quia Cambium non perficitur nisi facta utriusque traditione pecuniæ, quæ etiam eodem tempore fieri potest : in Mutuo vero traditur pecunia, vel res alio tempore reddenda; tum quia Cambium fit tantum in pecuniis, Mutuum vero etiam in aliis rebus ; tum etiam quia in Cambio intervenit aliqua diversitas, vel quoad pecuniam, vel quoad locum : in Mutuo vero potest eadem res, et eodem loco reddi. (5. Differt tertio a Deposito, quia per Depositum non transfertur rei Dominium in Depositarium; per Cambium vero transfertur a Campsario in Campsorem, et e converso a Campsore in Campsarium. (6. Et hic adverte quod *Campsor* dicitur ille, qui in gratiam alterius pecuniam permutat; *Campsarius* vero dicitur ille, in cujus gratiam fit pecuniæ permutatio, seu, qui dat ad Cambium, ut lucretur, dicitur *Campsor ;* qui vero recipit ad Cambium, et dat lucrum, dicitur *Campsarius.*

(7. Cambium est duplex : reale et siccum. (8. Cambium reale est, quo pecunia realiter cum alia pecunia commutatur. (9. Et hoc Cambium reale est adhuc duplex, scilicet Cambium reale minutum seu manuale, et Cambium reale locale, seu per litteras. (10. Cambium minutum seu manuale est, *quo pecunia minor præsens cum alia majori pariter præsenti commutatur, vel e converso,* ut cum permutatur moneta argentea cum aurea, ærea cum argentea, patria, et currens cum extera, et non currente, nova cum vetere, aut denique moneta levis, et deficiens in justo pondere, cum moneta justi et legitimi ponderis, aut e contra. (11. Et dicitur Cambium minutum, quia in eo frequentius pecuniæ grandiores cum minutioribus commutantur pro usu commodo ad res vulgares ac necessarias emendas, et minutiores pecuniæ cum magnis commutantur pro majori facilitate ad eas alio transportandas, aut recondendas. (12. Et hoc Cambium minutum est licitum cum moderato lucro secundum consuetudinem regionis pluribus de causis : 1 ratione laboris, 2 incommodi, 3 officii cambiendi, 4 expensarum, 5 commoditatis, 6 antiquitatis honorificæ, 7 raritatis, 8 præstantioris metalli, 9 peculiaris effectus, quo quis se privat, 10 usus et expedibilitatis.

(13. Cambium locale, seu per litteras est, *quo pecunia præsens a Campsario commutatur cum pecunia absente sibi in alio loco absolvenda mediante Campsoris syngrapha.* (14. Et dicitur Cambium locale, seu per litteras, quia in eo dantur litteræ de loco ad locum, quibus mandatur correspondenti, ut in illo altero loco pecunias solvat. (15. Et hoc Cambium locale, seu per litteras, est licitum cum moderato lucro secundum consuetudinem, majorem vel minorem distantiam locorum, pluribus etiam de causis ; 1 ratione laboris ; 2 ratione incommodi ; 3 ratione expensarum in detinendo telonium, et famulos ad cambiendum paratos, et in conservandis correspondentibus in locis, aut nundinis ; 4 ratione assecurationis pecuniæ Campsarii, quæ si transportari deberet, Campsarius expensas pateretur, et pericula ; 5 ratione virtualis translationis pecuniæ, quæ fit per litteras, et correspondentes de uno in alium locum in commodum Campsarii petentis ; 6 ratione majoris vel minoris æstimationis pecuniæ. Cambium locale, et per litteras, de quo hic agitur, quando revera litteræ mittuntur, vel transmittitur alio loco pecunia eo modo, quo apud theologos describitur, admittitur a Benedicto XIV, in Tract. de Synodo Diœces., lib. VII, cap. 48, § 7. Cambium vero obliquum, quo mutuatarius se obligat ad negotiandum in Cambiis tantumdem pecuniæ, quantum mutuo accepit a Cambista in favorem ipsius Cambistæ, vel eidem Cambistæ dat facultatem, ut nomine suo accipiat sive a seipso, sive ab alio tantumdem pecuniæ, quantum sibi mutuo datum est ; accipiat, inquam, eam per Cambii contractum ; atque interim mutuatarius se obligat ad solvendum quantum necesse est pro ratione hujus secundi Cambii ; hoc, inquam, Cambium, quamvis non reprobatum a nonnullis, et revera fortasse in foro fori sustineri posset, adhuc tamen in conscientia reprobatum est. Ibidem, § 9 et 10. Interdum vero mutuatarius in se suscipit onus negotiandi per Cambium tantumdem pecuniæ, quantum a Cambista mutui nomine recepit ; tunc vero quidquid lucratur, vel lucrari potest in Cambio nomine mutuantis facto, totum illi solvit; quæ solutio etiam facienda est, etsi istud negotium Cambii revera factum non sit, quia Cambistæ intererat, ut fieret. Id etiam perinde ac prius a Pontifice reprobatur. Ibid. Hic tamen adverte, quod hæc omnia Cambia, quamvis per se, saltem quoad nonnulla, licita laicis, interdicta esse Clericis Canones magno consensu demonstrant, et evincunt ; Ibidem, cap. 49, § 11.

(16. Cambium siccum est, *quando fingitur solutio facienda alibi, sed revera fit in eodem loco cum usura.* (17. Et dicitur Cambium siccum, quia caret humido justitiæ, seu justo titulo ad pariendum lucrum. Hoc contingit, quando Campsor dat pecunias Campsario cum pacto, ut sibi solvantur in alio loco distanti eo pretio solito dari pro similibus locis distantibus, licet Campsor certo sciat Campsarium non habere pecuniam nec correspondentem in tali loco distanti, adeoque certo credat, pecuniam in eodem priori loco postea restituendam esse. (18. Et hoc non est verum, sed apparenter tantum, et fictitie Cambium, reipsa autem est verum et merum Mutuum, indeque sumptum lucrum vera et mera Usura, et per hoc damnatum fuit ab Urbano III, cap. *Consuluit* 10, de Usuris (1) ; et

(1) Triplex Urbano III proposita fuerat quæstio : 1 Utrum scilicet in judicio animarum velut usurarius

Digitized by Google

novissime a S. Pio V, in Bulla de Cambiis incip. *In eam pro nostro*, ubi hujusmodi Cambia sicca tanquam usuraria expresse damnat.

(19. Cambiorum usus, seu negotiatio ex duplici fine lucrandi videtur inducta, ut recte notat Azorius Inst. Moral. lib. x, cap. 3, vers. 1, *Quæritur*. Scilicet, vel ex tali fine ob publicum Reipublicæ commodum, vel ipso ob privatam Campsorum utilitatem. (20. Et ex utroque fine est licita Cambiorum negotiatio. Ex primo enim fine, nemo est, qui id neget, et justitiam ipsius satis indicat necessitas Reipublicæ, quæ summe indiget Cambiorum realium usu, seu negotiatione; tum pro sustinendis nundinis, mercaturis, et commerciis exteris, cambiendo pecuniam patriam, et currentem cum extera, et non currente: tum pro obeundis in longinqua itineribus, aut pro ibi peragendis contractibus, cambiendo per litteras pecuniam præsentem cum absente, seu æream, et argenteam cum aurea translatu faciliore, et commodiore: tum denique pro quotidianis minutis contractibus, emptionibus cambiendo integras monetas cum minutioribus ad tales minutas emptiones magis idoneis, et hujusmodi, adeoque stat clarum, esse licitissimum usum Cambiorum ex primo fine, scilicet ob publicum Reipublicæ bonum; propter quod S. Pius V, in citata Bulla de Cambiis incip. *In eam pro nostro*, appellat *Cambiorum usum legitimum, et quem necessitas publicaque utilitas induxit*. (21. Ex secundo etiam fine, scilicet ob privatam Campsorum utilitatem, esse licita Cambia, clare patet, quia finis particularis acquirendi lucrum per contractus licitos, non potest dici illicitus, aliter illicita esset omnis negotiatio, et mercatura ad finem lucrandi, quod a nemine sanæ mentis est dicendum; contractus autem, et usus Cambiorum est licitissimus, tum per Jus civile in c. de Usuris, ubi Doctores communiter, tum per Jus Canonicum in cap. Naviganti 19, de Usuris (1), et præcipue per citata-

esset habendus ille, qui non alias mutuo traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credit, ut licet omni conventione cessante, *plus tamen sorte recipiat*, hoc est sum scilicet usurarius, quem vocant *mentalis* ad restitutionis onus esset astringendus. 2 Utrum eodem reatu criminis involvatur, qui, ut vulgo dicitur, non alias parabolam juramenti concedens, donec, quamvis sine exactione, emolumentum aliquod inde percipiat. Quid sibi porro velit illud *parabolam juramenti non concedens*, aut quomodo istud ad quamdam usuræ speciem pertineat, dicemus suo loco, cum de usuris agetur; interim juvat hic observare, et hoc pertinere ad quamdam usuram occultam, quam *directe* quis non exigebat; sed *parabolam juramenti* non concedendo ad illam præstandam veluti compellebat. 3 Utrum negotiator pœna non absimili esset damnandus, qui merces suas longe majori pretio distrahit, si ad solutionem faciendam prolixi temporis dilatio prorogetur, quam si ei incontinenti pretium persolvatur. Tribus hisce propositis quæstionibus respondit Urbanus III per Decretalem, quæ prostat in cap. *Consuluit* 10 De Usuris, adhibens illud Evangelii apud Lucam: *Mutuum date nihil inde sperantes*, quibus verbis cum omnis usura et superabundantia prohibeatur, rectissime inde deducit laud. Pontifex, hujusmodi homines de quibus in propositis casibus quærebatur, judicandos esse *male agere, atque ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda in animarum judicio efficaciter esse inducendos*. Ubi uti patet, nihil prorsus de Cambio; attamen non inde velim deducas temere prorsus ab auctore nostro usurpatum ad probandum Cambia, quæ dicebantur *Sicca* ecclesiastico etiam jure esse prohibita. Si quidem cum in memorata Decretali rejiciatur, ac damnetur tanquam pura, putaque usura, quilibet contractus, per quem ex solo titulo dilatæ solutionis lucrum exquiritur, ac percipitur, et in Cambio, quod vocant *Siccum*, hic solummodo titulus dilationis solutionis interveniat ad lucrum percipiendum, inde consequitur in dicto cap. *Consuluit* Cambium *Siccum* implicite quoque damnari, et per quamdam consequentiam. Non ergo temere atque ultra propositum omnino laud. *Capitis* adhibetur auctoritas ad id probandum quod auctor animo intenderat. (Ed. Neap.)

(1) In leg. 26. *Eos qui*, cod. de Usur. agitur inter cætera de usura colligenda ex sacra legis jussione ex pecuniis trajectitiis, quæ erat centesima, ut ibidem patet, hoc est duodecim in centum. Porro usura istiusmodi, quæ ex trajectitiis pecuniis, hoc enim quæ ultra mare transvehebantur, redigebantur, dicebatur *nauticum fenus*, sive *Fenus maritimum*, unde titulus Digestorum et Codicis *De Nautico Fenore*. Nauticum ergo, sive Maritimum Fœnus percipiebatur ex pecunia trajectitia, quæ mare trajecturo, ea conditione dabatur, ut navi salva et incolumi appulsa, restitueretur grandi cum Fœnore, hoc est usuræ centesimæ, uti diximus; navi vero pereunte, naufragio facto (hoc enim periculum ex maris navigatione solummodo suscipiebat in se creditor pecuniæ Leg. *Cum dicas* 2, et *Cum proponas* 3, Cod. de Nautic. Fenor.), tum sors, tum lucrum, et omnis usura creditori deperibat; unde fiebat ut in communi Fenore sors fuisset periculo debitoris; in maritimo vero periculo creditoris existebat. Hujusmodi porro leges indicantur ab Auctore, dum probatum voluit, Cambii, quod dicebatur *locale*, ex jure civili usum maxime licitum fuisse, atque existere, nec id temere prorsus. Si quidem nauticum, sive maritimum Fenus, aut Cambii quoddam *localis* genus est, aut saltem non modicam præ se gerit similitudinem cum Cambio locali. Quemadmodum enim in Fenore maritimo periculum pecuniæ trajiciendæ spectabat ad personam creditoris, et ratione hujusce periculi lucrum illud quod diximus recipiebatur; ita etiam in Cambio *locali*, periculum pecuniæ alio trajiciendæ atque alibi solvendæ pertinebat ad Campsorem, qui pecunias præsentes cambiendo cum distantibus recipiebat in se periculum transvectionis ipsius pecuniæ, atque inter cætera ratione hujusce periculi lucrum illud, de quo convenerat, recipiebat. Quod et nunc etiam obtinet, et licite extra controversiam fit.

Quod autem Auctor ad probandum jure etiam Canonico licitum esse istud Cambii genus, quod dicitur *locale*, adhibet auctoritatem Gregorii IX in cap. *Naviganti* final. De Usuris, id omnino extra rem videtur. Laud. enim cap. *Naviganti* loquitur Gregorius de nautico Fenore, sive maritimo, quod apertissime improbat, dum ait, *quod recepturus aliquid ultra sortem*, eo quod *suscepit in se periculum* (nempe transportationis pecuniæ), *usurarius sit censendus*. Quare cum nihil omnino de hoc Cambii genere, et nauticum, sive maritimum Fenus in eo apertissime improbetur, inepte prorsus adhibetur ad probandum auctoris propositum. Nisi forte Cl. Auctor sectatus sit sententiam illorum, qui mendum in textum irrepsisse arbitrantur, ibique legendum contendunt: *Usurarius non sit censendus*. At de mendosa lectione, quam nonnulli somniarunt, ac de recta laud. cap. *Naviganti* sententia opportunius suo loco dicetur, cum de Usuris agendum erit. Cætera

Digitized by Google

tam Constitutionem S. Pii V de Cambiis editam quinto Kalendas Februarii 1571. (22. Dummodo serventur conditiones in eadem Constitutione præscriptæ, quæ præcipue sunt quatuor. 1 Quod Campsor non paciscatur de aliquo lucro ratione solutionis dilatæ ultra terminum. 2 Quod non paciscatur de certo interesse, sive a principio celebrationis Cambii, sive ex post. 3 Quod Cambia realia aliter non fiant nisi ad proximas nundinas. 4 Quod in terminis solutionis constituendis habeatur ratio longinquitatis, et vicinitatis locorum, ad quæ solutio destinatur.

(23. Cambiorum negotiatio potest etiam licite exerceri a qualibet Persona privata non destinata a Republica ad cambiendum, et aliquod lucrum seu utilitatem recipere ex Cambiis, quæ ex proprio arbitrio, et libertate exercet; Navarrus, c. 17, n. 288; Lessius, lib. II de Justitia, c. 23, dubit. 2, n. 9, et alii communiter. Permissio enim, seu deputatio Principis ad aliquod munus non potest reddere illud munus licitum, si ex se illicitum est, adeoque si licita sunt Cambia exercita a deputatis a Principe, vel Republica, erunt etiam licita Cambia exercita a qualibet Persona privata non destinata a Republica. (24. Imo etiamsi Personæ privatæ per decretum Principis, seu Reipublicæ prohibeantur negotiationem Cambiorum exercere, nihilominus non obstante hujusmodi prohibitione contractus suorum Cambiorum subsistunt, et alias servata justitia pretii, nulla restituendi obligatio sequitur, cum nullum damnum inferri supponatur. Sic contra Sotum, Molina, disp. 399 et 405; Lessius, c. 23, dubit. 2, num. 17; Layman, lib. III, cap. 19, num. 4; Lugo, disp. 28, sect. 4; Rossignol, de Cambiis contract. 5, punct. 3, num. 7; Sporer, t. II, tract. 6, sect. 2, de Cambiis, num. 44. (25. Nec tales privatæ Personæ cambientes contra prohibitiones Principis peccant mortaliter, nisi sua Cambia cedant in grave detrimentum Reipublicæ, ut puta, si fiant cum exteris, vel hostibus, ut sic bonæ monetæ extra Provinciam extrahantur, et malæ introducantur, et alia hujusmodi gravia detrimenta Reipublicæ inferantur, alioquin a peccato mortali recte excusant Molina, Lessius, Layman, Sporer, locis citatis; Tamburin. cap. 3, § 2, et alii. Cum enim nulli damnum inferant, non potest dici quod ullum peccatum mortale incurrant præter venialem forte inobedientiam, et pœnam in foro externo solvendam a deprehensis (1).

(26. Quando Cambium simul, et semel æque prodest tam Campsario quam Campsori, seu uterque Cambientium reportat ex Cambio æquale commodum, is qui prævenitur ab altero potest ab illo lucrum Cambii recipere, v. g. Petrus eget pecunia Alexandriæ, sed habet Mediolani; Paulus habet Mediolani, sed eget Alexandriæ, si Petrus præveniat Paulum petendo ab ipso Cambium Mediolanum, lucrum Cambii erit Pauli; et e contra, si Paulus præveniat Petrum petendo ab ipso Cambium Alexandriam, lucrum Cambii erit Petri. Et ratio est, quia qui prævenitur, revera præstat alteri obsequium, et servitium pretio æstimabile, et per accidens est, atque ad ejus fortunam spectat, quod id aliunde vertatur in suum commodum. Ita Cajetan., Sylvester, Bonacina, et alii cum Molina disput. 405; Tamburin, lib. 9, cap. 4, § 3; Sporer loc. cit., n. 40, et alii passim (2).

(27. Famulus, qui pecunias aureas accipit a Domino, ut ipsas deferat pro solutione ad creditorem ejusdem Domini, illasque commutat cum argenteis, acquisito in illa commutatione, seu Cambio aliquo lucro: si cum pecuniis illis argenteis satisfecit in integrum creditori intra debitum tempus, nec graviter peccat, nec ad ullam restitutionem, vel domino, vel ejus creditori faciendam, obligatur, suppositis tribus. 1 Quod Dominus creditori non teneatur ex pacto pecuniam auream in specie solvere, sed satisfaciat etiam pecuniam argenteam ejus valoris solvendo. 2 Quod famulus non plus a creditoribus in utilitatem Domini sui consequi possit, seu aureas, seu argenteas tradat. 3 Quod famulus neque expressum, neque præsumptum Domini mandatum habeat, ut easdem pecunias in specie tradat, aut forte easdem cambiendo, ipsi Domino lucretur; sed proprio nomine ac periculo tale Cambium instituat. Ita pluribus citatis Molina, disp. 402; Lessius, cap. 24, dubit. 2; Layman loc. cit., num. 3; Sporer loc. cit., num. 46 et alii passim. (28. Et ratio est, quia per lucrum illud acquisitum a famulo, nec læditur jus creditoris, nec violatur intentio debitoris, ergo non consurgit aliqua obligatio uni, vel alteri illud resarciendi. Consequentia est clara, quia debitum restitutionis non consurgit, nisi ex læsione alterius, vel ratione rei injuste acceptæ, vel ratione injustæ acceptionis; non est autem res injuste accepta, per quam nullus læditur, nec injusta acceptio, quæ non est contra voluntatem ejus qui pecuniam illam solvendam tradit. Antece-

quæ tradit Auctor in toto hoc articulo recte constant; illa tamen, quæ num. 34 adjungit ex probabili sententia Lessii, et Layman minus probantur; at ista retulisse potius, quam probasse videtur. (Edit. Neap.)

(1) Haud ita facile pronuntiandum, veniali duntaxat noxa esse damnandos, qui, adversa Principis voluntate, Cambia ineunt, licet justam mercedem Cambii respondentem non excedant; Principis enim legi, et quidem non parvi momenti, contradicunt, cum de ea re agatur, quæ commune Reipublicæ bonum respicit. Leges autem Principis de re gravi latæ, nisi aliter constet, sub gravi obligare, omnes docent Theologi. Adde damnum, quod cæteris Campsoribus a Principe deputatis, aut approbatis, immineret. Ea propter mortaliter se peccare cambientes contra Principis prohibitionem, pronuntiandum videtur. Consul. Pontas, verbo *Campsor*, cas. 11.

(2) Verum probabilior ea opinio mihi est, ait Cuniliati, tract. 10, in 7 Decal. præc., cap. 6, § 3, num. 2, quod in hoc casu neuter lucrari debeat; sed Cambium Cambio reciproce compensandum, aliter etiam si alter præveniatur, reapse caret titulo lucrandi, cum in eo loco pecunia careat. Tom. I, pag. 495. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

dens probatur, quia jus creditoris est solum, ut ad æqualitatem solvatur tantum, quantum erat illi debitum, potius in pecunia in uno genere quam in altero; finis vero domini debitoris, ut exstinguatur præcise jus, quod adversus ipsum habebat creditor; æque autem exstinguitur per pecuniam in argento, ac in auro, dummodo sit ad æqualitatem secundum valorem legalem, et quidem in tali loco, et tempore, in quo solvitur, nisi aliter conventum sit; adeoque, etc. (29. Tum quia id quod ex pecunia, natura sua sterili, acquiritur, non est fructus rei, sed industriæ, adeoque illud lucrum in proposito non acquiritur domino, nec creditori, sed ipsi famulo industriam applicanti, sicut etiam Depositarius, Commodatarius, imo Fur, vel Usurarius, vel quilibet injustus possessor ex alienis pecuniis negotiando, lucrum non domino, sed sibi acquirit, dummodo alias dominum indemnem servet, ut cum Divo Thoma, 2-2, qu. 78, art. 3, tenent Doctores communiter.

(30. Si autem dominus expresse mandat famulo, ut pecunias in eadem illa specie auri deferat, et solvat creditoribus, tunc famulus contra expressam voluntatem domini, et præsumptam voluntatem creditorum, commutando in argenteam, vel æream, graviter peccat, et tenetur ad restitutionem omnis damni creditoribus exinde secuti. Et ratio est, quia in hoc casu creditores jus habent secundum domini voluntatem, ac mandatum, exigendi a famulo pecunias aureas in tali specie sibi destinatas, quas si ille non reddat, injuriam eis affert, et consequenter damnum emergens, vel lucrum inde cessans compensare tenetur. (31. Si vero nullum inde damnum sequatur, ut puta si pecunias aureas, non aliter, ac argenteas, et æreas expenderet, adhuc quidem erit injuria, cum esset et contra Domini, et contra creditorum voluntatem; sed nulla erit obligatio restituendi, quia obligatio restitutionis non est pro injuria sola, sed pro damno illato, quod hic cessat; Molin., loc. cit., concl. 3; Laym., loc. cit., n. 5, et alii passim (1).

(32. Cambium cum Recambio, seu cum recursu, quod fit cum Petrus Campsor v. g. bona fide numerat mille aureos Paulo Campsario hic Alexandriæ solvendos postea Romæ, sed quia Paulus Campsarius Romæ nullas pecunias, seu correspondentes habet, utitur correspondente ipsius Petri Campsoris, unde correspondens Campsoris fit pro tunc etiam correspondens Pauli Campsarii et loco ipsius Campsarii solvit imaginarie Romæ pro pretio consueto; et mox novo Cambio cum iterato pretio committit solvendos Alexandriæ cum duplicato lucro. Hoc Cambium cum Recambio, seu cum recursu, ab unis vocatum *Vesuntinum*, a Vesun io Urbe in Burgundia, et ab aliis *Placentinum* a Placentia Italiæ Urbe, eo quod credatur in istis locis primo celebratum, licet a variis velut licitum speculative defendatur, tamen pro praxi est absolute rejiciendum, velut purum Mutuum, et palliata Usura, adeoque Cambium siccum duplicatum, cum revera in ipsa Campsarius patiatur onus duplicis Cambii, et Campsor referat duplex lucrum. Sic recte Lessius, Navarr. Lugo, n. 98; Diana, part. I, tract. 8, resol. 1; part. IX, tract. 8, resol. 67; Burg. centur. 3, cas. 36; La Croix, lib. III, part. II, n. 1033; Sporer. loc. cit., num. 44, ubi hoc Cambium vocat rem diabolicam, cum revera practice non videatur esse aliud quam Cambium siccum, seu fictum duplicatum.

(33. Cambium *Francofurtense*, sic dictum, ex quo credatur ibi adinventum, et quod generalius vocatur Cambium ad nundinas, ex quo ordinarie detur pro nundinis, fit cum euntibus ad nundinas v. g. Francofurtenses dantur pecuniæ ad Cambium tanto majori cum incremento ibi recipiendæ, quanto longiori temporis intervallo nundinæ distant; ita ut si uno tantum mense distent, unum Grossum v. g. in singulos Florenos lucrentur; si duobus, duos, si tribus tres, et sic consequenter usque ad ipsas nundinas, quæ tamen non distabunt ultra sex menses; Cambium hoc ex communi Doctorum fieri potest licite ratione majoris lucri cessantis, quo diutius nundinæ distant, et pecuniæ solutio differtur, præsertim apud mercatores, quorum lucrandi unicum instrumentum pecunia est. (34. Et dato quod in hoc Cambio interdum non adsit ratio majoris lucri cessantis, adhuc ex ratione, et natura contractus defenditur, et excusatur a plurimis etiam per hoc, quod tempore propinquo nundinis sit copia pecuniarum, adeoque multitudo Campsorum facit Cambium vilius, e contra tempore remotiore est minor copia, unde cum talis pecunia habeat se per modum mercis, pretium ejus augebitur ex penuria venditorum, et minuetur ex copia; Molina, cit. disp., 404; Lessius, loc. cit., num. 35; Layman, loc. cit., num. 9; Tamburin. lib. IX, c. 5; Castropal. D. 7., n. 3; Cajet. Tolet.; Sa, Salas, et alii (2).

(1) Si demum dubitet, ut scribit Cuniliati, tract 10. de 7 Decalog. præc., cap. 6, § 2, num. 5 de intentione heri, probabilius est, quod teneatur monetas illas in specie Creditori deferre. Cum enim heros debitor sciat auctarium esse allaturas, et illas nihilominus Creditori transmittat, eo ipso implicite vult auctarium ad Creditorem pertinere, quandoquidem statim ac exierunt de sua manu, statim, inquam, ad Creditorem pertinent, tanquam ad habentem jus ad illas. Quinimo debitor forte mittit pecunias illas, ut se magis gratum reddat Creditori: ut compenset dilationem aliquam, etc. Cum igitur famulus facilime possit ab hero licentiam petere, monetas illas permutandi, et non petat, eo ipso vult se committere periculo injuste agendi in præjudicium Creditoris. Tom. I, pag. 494. (Edit. Barbiel.)

(2) Secluso alio titulo ait Antoine de Contractibus, cap. 9, in resp. ad quæst. 3, justo excusante ab usura, Cambium hoc est usurarium. Nam est verum mutuum, ratione cujus lucrum exigitur: nihil enim aliud est, quam contractus, quo traditur pecunia, ut reddatur cum lucro infra terminum, seu in quo exigitur aliquid ob dilatam solutionem. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(35. De Cambio obliquo ne verbum quidem facit Auctor. At frequentes adeo in Foro sunt controversiæ de hoc obliquo Cambio, ut necessarium omnino sit de eo paucis disserere.

Cambium obliquum *sub se* (ita opportune illud describit Cardin. de Luca in Summa de Cambiis, n. 16) « tres occultat contractus, mutui scilicet, mandati, et Cambii. Ille siquidem, qui pro aliis usibus, vel indigentiis pecunia indigeat, eam mutuam suscipit, adeoque primus est contractus mutui. Quia vero mutuator illam otiosam retenturus non est, sed in istam Cambiorum negotiationem retenturus; hinc mutuatarius, ut mutuatorem etiam ex justitiæ legibus indemnem servet ab eo lucro quod ex licita Cambiorum negotiatione mutuatæ pecuniæ obtenturus esset, eidem mutuatori facultatem tribuit, ut ab aliis, vel etiam a se ipso tantumdem, sive æquivalentem summam sub Cambiis suscipere, et ratificare valeat; sive idem mutuatarius istud onus in se suscipit. Ideoque non in ipsa mutuata pecunia, sed in alia æquivalenti Cambium ineundum est, ac propterea ultra primum mutui contractum alii duo occultantur; ille scilicet mandati, quod mutuatarius mutuatori præstat, vel e converso, et alter ipsius Cambii, quod in mandante exsecutionem ineatur, vel pro inito in odium mandatarii susceptum mandatum non adimplentis haberi debeat, ut ad damna, et interesse ut supra obligatus remaneat. »

(36. Quid sentiendum sit de hoc contractu in foro interno, vide apud Benedictum XIV, de Synodo Diœcesana, lib. x, cap. 5, n. 10 (1). In foro tamen externo, non diffitente eodem Summo Pontifice, probatus ille est (2).

(37. In creatione hujus, de quo disseritur, Cambii obliqui, necesse haud est ut interveniat pecunia numerata, sed creari ipsum potest ex præexistentibus creditis, iis tamen certis. Rota in Eugubina Cambiorum super reservatis 7 Jun. 1754, § 2, et 12 Apr. 1775, § 2, cor. R. P. D. Elephant., et 25 Apr. 1757, § 3, cor. R. P. D. Canilliac; (38. modo absit suffocatio debitoris: (39. quando vero hæc dicatur adesse, tradit Rota cor. Lancett., dec. 107, n. 10 et plur. sequent. et inter impress. post Albit. de Inconstant. in judic., decis. 14, n. 1.

(40. Quinimo creari potest Cambium obliquum ex fructibus decursis, et nondum solutis aliorum Cambiorum. (41. Tunc sane, cum creatur aliquod Cambium, convenire nequit, ut fructus in dies decurrentes, nisi suo tempore solvantur, augeant sortem, estque conventio hæc anatocismus ille tantopere a legibus improbatus; l. *Si non sortem*, ff. de Condici. indebit. l. *Ut nullo*, cap. de Usur. (42. At nihil impedit, quominus fructus jam decursi una coacervati conferantur in sortem aptam alios fructus progignere, dummodo titulus justi contractus, prout est Cambium obliquum, adhibeatur: idem sacrum tribunal Rotæ non modo in mox citatis decisionibus, verum etiam cor. Caprara, decis. 346, num. 3 et sequent., et dec. 368, n. 2, cor. Ansald., 104, n. 9 et cor. clar. mem. Tanara, decis. 174, n. 2.

(43. Quid vero, si nondum venerit dies omnium illorum fructuum? Modo causa fructuum sit duratura, ii sicuti anticipate possunt vere solvi, ita et anticipate solvi ficte possunt per conversionem ipsorum in alia Cambia; Rota cor. Ansald., decis. 104, num. 2 et 9, et in confirmatoria coram Mut. impressa apud de Comit. inter decis. Florent., decis. 113, num. 7.

(44. Quod si creditum, ex quo creatum est Cambium obliquum, in totum haud subsistat, vitiatur ipsum Cambium obliquum, quoad excessum, et sustinetur pro parte vere debita; (45. idque quia, ubi agitur de individuis, utile per inutile non vitiatur, ut ex text. in l. 11, § *Sed si mihi*, ff. de V. O. firmavit Rota cor. Caprara, dec. 652, num. 2 et duob. sequent.; coram Ansaldo, decis. 179, n. 6 et sequent.

(46. De eo etiam disputari solet, an validum sit Cambium obliquum ex credito creatum, si creditor sciverit nullas apud debitorem esse pecunias numeratas, quæ ad nundinas trans-

1) Profecto defraudandi non erant studiosi lectores per Cl. Additionum Auctorem præclarissimo Benedicti XIV, monito circa justitiam hujusce Cambii *Obliqui* in foro interno, præsertim cum nostra cura, ac vis intentionis huc magis referenda sit, ut justitia contractuum in foro interno, atque in judicio animarum dispiciatur, ac dignoscatur. Quapropter, postquam multa Cl. Additionum Auctor congessisset circa præsumptam justitiam Cambii *Obliqui* in foro externo, illud quoque addendum erat, quod respiciebat interius forum animarum, maxime cum non omnibus præsto sint Benedicti XIV opera. Supervacaneum ergo non erit illud hic adtexere, quo facilius de tota hac re tam sapientissimo Pontifice duce judicare quisque per se possit in laud. itaque opere de Synod. Diœces., lib. x, cap. 5, postquam hujusce Cambii, quod vocant *Obliquum* perspicuam ideam ac notionem tradidisset Beatissimus Auctor, ac quorumdam Scriptorum studia ac conatus pro tuenda justitia hujusce contractus retulisset num. 10, pro sua insigni sapientia ita infit: « Verum quidquid sit de foro externo, in quo fortasse ita res gesta præsumitur, sicuti in contractus stipulatione describitur, in foro tamen interno, ubi sola spectatur veritas, si pecunia accepta mutuo respondens, neque a mutuante, neque a mutuatario, juxta prædictas diversas pactiones fuerit ad nundinas transmissa, seu in Cambia activa erogata, nec unquam in ulterutrius animo fuit eam ad nundinas transmittere, seu in Cambia erogare; minime dubitandum est Cambium esse illicitum, turpe, et usurarium, ac propterea e Christiana Republica prorsus eliminandum. Non enimvero negamus, posse mutuantem, qui solet pecuniam suam negotiatione augere, aliquid percipere a mutuatario, titulo ejus quod interest, hoc est lucri cessantis, aut damni emergentis, sed cum hic legitimus adest titulus aliquid ultra mutuatam sortem exigendi, is erit ingenue adducendus, neque recurrendum ad prædictos Cambii obliqui anfractus, qui vehementem ingerunt suspicionem fraudis, ac doli. » (EDIT. NEAP.)

(2) Vide num. 15, confer Opusculum, cui titulus *Il Cambio moderno esaminato nel foro della Coscienza in Roma*, 1750, præsertim, cap. 5, ubi nullius momenti esse pro Cambio obliquo argumentum ductum ex Tribunalium praxi ostendit.

Digitized by Google

mitti possent, ut promissa Cambia effectum habere possent. Negant Noguerol, alleg. 10, num. 134 et sequent.; Palm. Nep. alleg. 267, num. 18; Sanminiat., controv. 183, num. 7; Paulut., dissert. 65, num. 77 et sequent.; Leotard., de Usur. qu. 26, num. 51; Rota cor. Peuting., decis. 163, num. 15 et seq. et dec. 196, n. 1 et 2. (47. At prævaluit opinio affirmativa; vide Balducc. ad Roman., observ. 40, n. 6 et sequent.; Card., de Luca de Camb., disc. 3, n. 6 et sequent., et disc. 4, n. 3 et sequent., et disc. 5, n. 8; Ansald., de Commer., discurs. 45, n. 48; Casareg., eod. tract., discurs. 21, n. 10 et sequent.; Rot. Bonon. apud Urceol. de Transact., qu. 4, num. 23, ad fin.; Rot. Rom. cor. Dunozet. jun., dec. 829, num. 15 et sequent.; cor. Emer. jun., decis. 834, num. 9, cor. Caprara, dec. 621, et inter impressas post Balducc. ad Concil. Rom., dec. 49, num. 17.

(48. Num autem id ipsum obtineat, si debitor in creatione Cambii fassus fuerit, se non esse solvendo? (49. Ratio dubitandi inde nascitur quod in creatione Cambii obliqui ex aliquo credito duo actus intervenisse finguntur, alter scilicet solutionis pecuniarum in causam crediti, et alter retrodationis earumdem pecuniarum titulo Cambii. Ubi autem debitor se non esse solvendo fateatur, fingi nec possunt hi duo actus. (50. At videndum, utrum impotentia a debitore confessa erat physica, an moralis. Priori casu sustineri nequit Cambium ex mox dicta ratione; sustinetur vero posteriori casu. Consule Rotam in Romana Cambiorum, 16 Januarii 1699, § absque, cor. Mut., impressa apud Casareg. de Commerc., discurs. 49.

(51. Major quæstio est, an sustineatur Cambium obliquum ex credito creatum, si præservata fuit anterioritas, et potioritas ipsius crediti. (52. Distinguendum ita est: si cum anterioritate et potioritate præservata fuit duratio ipsius crediti, non sustinetur quia locus nec esse potest fictioni dictorum duorum casuum. At si præservata duntaxat fuit anterioritas, et potioritas crediti, sustinetur. Confer Rotam in Mantis. ad Cardinal. de Luca, de Credit., decis. 8, num. 16, tom. III.

(53. Ex hoc collige, quod si quoquo alio modo præservata appareat duratio crediti, ut si debitor petierit dilationem, non sustineatur Cambium obliquum ex ipso credito creatum; Rota in Eugubina Cambiorum 8 Martii 1754, § 3 et sequent. coram R. P. D. Elephant. Sed jam satis de Cambio obliquo ex credito aliquo creato.

(54. De fructibus Cambii hujus obliqui tametsi valide creati, an, et quando ii debeantur, non inutilis inspectio hic est. Hac autem distinctione proceditur; si onus cambiendi susceptum fuit a creditore, non aliter debentur, quam si ipse creditor probet se revera implevisse onus hoc cambiendi. At si debitor in se assumpserit onus cambiendi, debentur fructus etiam non docto de implemento oneris cambiendi; idque quia actus in odium gerere debentis pro gesto habetur, ne sua culposo prosit culpa, et adversario noceat; Card. de Luca, de Camb. discurs. 4, num. 6 et seq.; Rocc., Select. jur. disp., cap. xcv, num. 18; Rota cor. Bich., decis. 74, num. 4, coram Molin., decis. 120, n. 4 et seq., et in Romana seu Ferrarien., Dotis 15 Junii 1736, § 9 et seq. cor. Calcagnin.

(55. Gravis hinc oritur quæstio, utrius sit onus cambiendi in dubio, creditorisne, an debitoris. Placuit, quod sit creditoris, et non aliter pertinere possit ad debitorem, quam si pacto expresso fuerit in ipsum translatum; Card. de Luca, de Camb., discurs. 9, num. 9; Rota, Florent. apud Casareg. de Commerc., discurs. 149, num. 47; Rota Romana cor. Cerr., decis. 583, num. 4, egregie in Romana Cambii impressa apud Card. de Luca, tom. I, lib. v, decis. 17, num. 1 et duab. seq. in Romana seu Ferrarien. Dotis 15 Junii 1736, § 12, cor. Calcagnino, et in Romana, seu Ferrarien. Dotis super fructibus Cambii 17 Maii 1737, § absque, coram R. P. D. Canilliac.

(56. Quod si debitor assumat onus cambiendi, nihil vetat, quominus illud assumere queat proprio periculo, propriisque expensis; Rota in recent., dec. 304, num. 3, part. 3, et Eugubina Cambiorum super reservatis, 21 Aprilis 1755, § 2 coram R. P. D. Elephantut.

(57. An cessent fructus Cambii obliqui per decoctionem debitoris, qui onus cambiendi assumpsit? (58. Et quid si alter cum debitore in solidum se obligaverit? Vide Rotam in Romana Concursus super reservatis, 6 Decembris 1741 coram de Vais, tum in Romana Cambiorum 17 Februarii 1745, coram Millino.

(59. An itidem cessent fructus Cambii obliqui elapso tempore præfinito? Distingue; ubi debitor assumpsit onus cambiendi absque ulla temporis limitatione, fructus debentur ad sortis usque restitutionem, non obstante termino adjecto restitutioni sortis, utpote qui adjectus censetur in gratiam ipsius debitoris, ne interim scilicet possit ad ipsam sortis restitutionem compelli. Cæterum si non constet, debitorem onus cambiendi assumpsisse absque limitatione temporis, non debentur fructus ultra tempus restitutioni sortis adjectum; Rota in Bononien. Cambii, 28 Junii 1754, § Atque hinc, coram Harrac. et in Romana Cambii 25, Novembr. 1735 et in Confirmatoria, 8 Junii 1736 utrobique fer. per tot. coram Calcagnino. (60. De Cambio vero obliquo ad biennium contracto, et deinde ad beneplacitum partium, an, et quando prorogatum censeri debeat, adi Rotam in Florentina Pecuniaria super fructibus, 21 Junii 1745, coram R. P. D. Elephantut.

(61. De fructibus quoque Cambii obliqui non incongrue quæritur, an conveniri a principio possint in certa quantitate? Affirmant Rocc. Disp. jur. select., cap. 96, n. 1; Casareg. De Commerc. discurs. 16, n. 16; Rot. in Eugubina Cambiorum super reservatis, 25 Aprilis 1757, § 10, cor. R. P. D. Canilliac.

(62. An in Cambio obliquo dari possit fi-

Digitized by Google

dejussor, vel recipi pignus, non conveniunt inter se doctores. At magis recepta est opinio affirmativa. Consule Gail. De Credit., cap. 2, tit. VII, qu. 6, num. 2336 et plur. seq.; Turr. de Camb. disp. 3, quæst. 1, num. 5, 6 et 18, et qui Bacc. Osach. Noguerol. Capyc. Latr. Roderic. aliosque contrarios confutat Constantin. vot. decisiv. 219 per tot. (63. Vide de Cambio obliquo alia verb. *Clericus* art. 3, et de Cambio directo, verb. *Litteræ*.

ARTICULUS II.

EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

De Cambii origine, progressu, abusu et reductione.

(1. Inter contractus, qui antiquitus commercia fovebant, principem sibi certe vendicat locum permutatio, sive Cambium; l. I, in prin. ff. De contrahen. empt. (2. Cum tamen non adhuc nummorum usus tunc esset inter gentes introductus, hinc res cum alia diversa re permutabatur, et si quid cum ære incusso veteres commutabant, adversabatur antiquus contrahendi modus *per æs et libram*. Ovid., *Pont.* 4, 15, restituente Jo. Frid. Gronovio lib. 2, Observat. cap. 2, pag. mihi 218, et conferri merentur, quæ de hoc loco disseruntur in Epist. Claror. Viror. tom. 2, pagina 547.

(3. Post vero inventam auri, argentique signandi artem novum permutandi genus repertum fuit, Cambium nempe *Manuale*, et *Trajectitium*, ut notant Doctores. Heinec. Element. jur. Cambial. cap. 1, § 5; Zech. Rigor. moderat. Trin. Pontific. circ. usur., dissert. 3, cap. 2, sect. 2 de Camb. § 47 et 48.

(4. Cambium *manuale*, sive *minutum*, illud erat, quo nummi argentei cum aureis, vel aurei cum argenteis, vel Romani cum Hispanis incontinenti apud mensam permutabantur. Heinec., Zech., loc. sup. citat. (5. Hujus Cambii naturam non ignorasse veteres Romanos ex eo compertum fit, quod passim in Justinianeis voluminibus Argentariorum, Trapezitarum, Mensariorum, et Numulariorum fit mentio. (6. Argentarii quippe erant, qui in foro tabernas et mensas suas positas habebant, et minorem monetam pro argento permutabant. Novell. 4, sub fin. et Novell. 136, ibique Cujacius, Vicat. Vocabular. jur., tom. I, verb. *Argentarii*. (7. Mensarii vero dicebantur, qui nummos nummis vendebant. Jac. Gothofr. ad Cod. Theod. l. I, tit. *Si quis solid. circul.*; Livius, lib. VII Historiar., cap. 21, et lib. XXIII, cap. 21, ubi loquitur de Triumviris mensariis, rogante Minucio Tribuno, plebis factis, et Cicero pro Flacco, ubi: « Cum Civitate mihi res et acerrima, et conficientissima litterarum, in qua nummus moveri nullus potest sine quinque Prætoribus, tribus Quæstoribus, quatuor Mensariis, qui apud illos a populo creantur. » (8. Nummularii tandem parum a præcedentibus differebant; l. XXXIX, ff. de Solut. Apud eos uti apud Argentarios fide publica deponi pecunias solebant. Vulpian. in l. VII, ff. depos. De Nummulariorum corpore fit mentio, l. XV Cod. Theod. de his qui sup. relig. contend., de quorum omnium negotiatione erudite egerunt Cujacius Observat., lib. X, cap. 14, et Claud. Salmas, de Usur. cap. 17.

(9. Acrior quæstio solet excitari circa Cambii *trajectitii* originem. Alii enim hanc repetunt a Belgis, alii a Judæis, alii a Longobardis, sed cum nullum afferant validum argumentum, ideo super his mittimus inquirere. (10. Hoc unice certum est, hanc quoque veteribus Romanis innotuisse, ut ex Ciceronis quampluribus locis primus omnium collegit Url. Huber., Prælect., ad Pandect. lib. XVII, tit. 1, § 12. Cicero enim ad Attic., lib. XII, ep. 24, de filio Athenis studiorum causa commorante: « De Cicerone, inquit, tempus esse jam videtur: sed quæro, quod illi opus erit, Athenis permutari ne possit, an ipsi ferendum sit. » Similis est locus, lib. XV, ep. 15, « Cicero scripsit ad Tironem sibi post kalendas Aprilis (sic enim annuum tempus confici) nihil datum esse. Quare velim cures, ut permutetur Athenis, quod sit in annuum sumptum: ei scilicet Eros numerabit. Ejus rei causa Tironem misi. Curabis igitur, et ad me, si quid tibi de eo videbitur, scribes. Rursus ad Familiares, lib. II, epist. 17, et lib. III, ep. 5. Antiquam tamen cambiendi formam a nostra aliquantulum discrepasse, recte observat Berger. supplem. Elect. Proc. exsecut., thes. 1, posit. 7.

(11. Verosimile nihilominus est Romanos, Græcos, et postea Venetos, aliasque maritimas gentes in trajiciendis transcribendisque pecuniis usas olim hoc compendio fuisse; Longobardos vero paulatim meliorem huic negotiationi formam dedisse, ut recte arguit Heinec., edit. Neapol., tom. V, exercit. 11 de vit. Negot. Collyb. vel. Camb., cap. 1, § 5.

(12. Sicuti vero omnibus, exceptis clericis saltem beneficiatis, licitum erat hanc in præsentem formam redactam exercere negotiationem, id occasionem præbuit nonnullis rei familiaris angustia, vel alia indigentia pressis illius nomine abuti. (13. Primo in hoc contractu quatuor concurrebant. I: Personæ solventis in loco contractus; II. Recipientis pecuniam simulque tradentis solventi tesseram Collibysticam, sive Litteram Cambialem; III. Tesseram exhibentis; IV. Denique persona eamdem acceptans et solvens. Heinec., loc. cit., § 8 et Zech., ubi sup. § 56. (14. Mox abusus invaluit, ut duæ tantum personæ concurrerent: alia, quæ solveret, alia quæ reciperet cum onere transmittendi receptam pecuniam ad incerta loca, pacta interim annua mercede favore creditoris. Hinc non amplius quærebatur, ut pecuniæ Romæ solutæ permutarentur Athenis, sed dum quis maxima laborabat inopia, ut propriis angustiis consuleret, recipiebat pecuniam cum simulato onere ad loca valde dissita eamdem trajiciendi, eodemque tempore eamdem pecuniam in proprios usus erogabat. (15. Res adeo processit ut Romanis Pontificibus opus fuerit huic usurariæ negotiationi modum formamque ponere Pontificiis Constitutionibus; præsertim Pius IV, Constit. 1; et Pius V, Constit. 142 de Cambiis

Digitized by Google

per errorem allegat. in plerisque locis 118, juxta Bullar. Mainard.

(16. In his Constitutionibus profecto permissum fuit Cambium incertum, sed tamen pro necessario illius requisito interventus numeratæ pecuniæ requirebatur, ejusque traditio *ad cambiandum et recambiandum* per nundinas, atque plateas. Torre, de Cambiis, disput. 1, quæst. 2, num. 1; Onnat., de Contract. tractat. de Camb. sect. 3. § *Materiam;* Ansald. de Commerc. et Mercat. diss. 32, num. 8 et 10; Rot. in recent., part. 19, decis. 34, num. 9; et in Eugubina Cambiorum, 21 Aprilis 1755, § 2 in princ., cor. Elephantutio. (17. Cum enim causa finalis Cambii in eo posita sit, ut pecunia accepta in Cambiis et Recambiis exerceatur, et per nundinas atque plateas transmittatur, hinc si nulla tradita pecunia, quæ inde in Cambiis et Recambiis exerceatur, illico causa finalis Cambii cessat, et consequenter corruere debet ipse cambialis contractus.

(18. Quamobrem ut omnis eludendarum Constitutionum modus tolleretur, Pius V præcipue mandavit ut idoneæ adducerentur probationes super receptarum pecuniarum transmissione ad nundinas, atque plateas, ut dictæ Constit. inhærens docet Rot. in recent., part. 18, decis. 191, num. 3 et 4, et cor. Lancet., decis. 460, a num. 1 ad 4. (19. Seclusa enim pecuniarum transmissione Cambia remanent sicca, ex quibus annuas recipere accessiones Canonicæ sanctiones expresse prohibent. Jo. Christoph. Frankius, Instit. jur. Cambial., lib. II, sect. 1, tit. 8, § 2; Heinec., Element. jur. Cambial., cap. 2, § 20; Zech., Rigor. moderat. circa usur. dissert. 3, cap. 2, sect. 2, § 53. (20. His tamen posterioribus temporibus depravata praxis fori, noxia in legibus interpretandis imperitia, et arbitraria nimis in judicando facultas laxiorem admisit sententiam, ut docet experientia, et observat Neumannus a Pucholtz de Cambiis cap. 10, § 6 et 8. (21. Nova quippe inventa est distinctio : aut creditor suscipit onus cambiendi, et tunc transmissionis requiritur probatio, aut hoc onus transfertur in debitorem, et hoc casu indistincte sustinetur. Turr., de Camb. disput. 1, quæstion. 29, num. 3 et 14; Marquard., de Jur. mercat. lib. II, cap. 12, num. 27. (22. At enim vel justus per se, vel iniquus censeri debet contractus. Si justus, inutilis remanet distinctio : si vero iniquus, non satis compertum est, quomodo data hac distinctione sublata iniquitas remaneat, neque in allata Constitutione ullum dictæ distinctionis apparet vestigium, adeo ut, ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus. Cirill., in l. III, ff. de Offic. præsid. (23-24. Sed apud nos hæc invaluit opinio, in exteris vero regionibus hujusmodi contractus neglecta distinctione de qua supra omnino proscribuntur. Jus. Camb. Aust., artic. 54; Ordinat. mercat. Ludovici XIV, reg. Franc., tit. V, artic. 27; Codex. leg. Dan, lib. V, cap. 14, § 19; Jus Cambior. Pruss., artic. 34.

(25. Quod in artibus liberalibus quotidie accidit, quæ, ubi ad interitum properant, nunquam desinunt declinare, nisi penitus collabantur, id utique in Cambiis factum est. Post varias fictiones, multosque introductos abusus eo denique insatiabilis pervenit creditorum aviditas, ut capta occasione, qua inopes debitores in extrema versarentur egestate, eosdem adigerent, vel ad solvendos præteritos fructus, vel ad creanda ex ipsis nova Cambia. (26. Hinc factum est, ut in omnium legum conculcationem, inducta quoque sit interventus numeratæ pecuniæ fictio, et licita usurarum ab usuris perceptio, quæ non sine maxima Jurisconsultorum, Judicum, et Tribunalium ignominia admittitur in foro, et a Justiniano merito reprobatur.

(27. Omnia jura clamant, usuras usurarum percipi non posse, et hæc in foro summis efferuntur laudibus theoremata. (28. At quid differt inter usurarum ab usuris perceptionem, et in novam sortem usurarum conversionem. Hoc profecto est, non rebus, sed verbis legem ponere. Ita Imperator antiqua jura corrigendo definivit in l. *Ut nullo* 28, Cod. de usur: « Ut nullo modo usuræ usurarum a debitoribus exigantur, veteribus quidem legibus constitutum fuerat, sed non perfectissime cautum. Si enim usuras in sortem redigere fuerat concessum, et totius summæ usuras stipulari, quæ differentia erat debitoribus, a quibus revera usuræ exigebantur? Hoc certe erat non rebus, sed verbis tantummodo legem ponere. (29. Quapropter hac novissima lege definimus, nullo modo licere cuiquam, præteriti temporis vel futuri in sortem redigere, et earum iterum usuras stipulari. Sed et si hoc fuerit subsecutum, usuras quidem semper usuras manere, et nullum usurarum aliarum incrementum sentire; sorti autem antiquæ solummodo incrementum usurarum accedere, » Hinc *Anatocismi* nomen venit, Vœt., in Pandect. lib. XXII, tit. 1, num. 20. in princ. Roderic. de Ann. cens., lib. III, quæst. 7, num. 21; Bruneman. in Cod., lib. IV, tit. 22, in l. 28, num. 1 et 2; Duaren., tit. de Re judicat., cap. 24, § ultimo, tom. II, pag. juxt. edit. Lucen. 68, coll. 2 et tit. de Usur. et fructibus, tom. III, pag. 497, coll. 2, § *Quod diximus*.

(30. Hæc in foro obliqua vocantur Cambia, quæ cum directe omnibus legibus opponantur, ne istæ omnino subvertantur, ipsa praxis nonnullas alias leges subrogavit, quibus deficientibus irrita remanent Cambia obliqua. 1 Requiritur, ut actualis debitoris inopia, et solvendi impotentia excludatur. Cum enim in his Cambiis obliquis duplex actus præsumatur, solutionis nempe ex parte debitoris, et simultaneæ restitutionis ex parte creditoris, si constet de inopia debitoris, cessat præsumptio solutionis, et novæ receptionis, aliaque subingreditur præsumptio suffocationis inopis debitoris contra validitatem contractus. (31. 2 Ut dilatio peragendæ solutioni concessa præcipuam et finalem causam contractus per se sola non constituat. Hinc de Cambio creando primo agendum, deinde de dilatione; non vero principaliter de dilatione, accessorie vero de Cambio. (32. 3 Ut antiquus debendi titulus exstinguatur, et prioris tituli novatio fiat,

Digitized by Google

adeo ut debitor nequeat amplius in vim antiqui, sed vigore novi contractus conveniri. Quare si in novo instrumento antiqua præserventur jura favore creditoris, cum ideo excludatur novatio, ita nullum remanet Cambium. (33. 4 Ut mala fides, et suffocationis debitoris suspicio in creditore non appareat, ut declarando, et corrigendo novas additiones tenent auctoritates ibid. allegat. (34. His deficientibus ipso jure corruit contractus, qui licet camerali sit obligatione munitus, nullam meretur exsecutionem. Marescot., Variar. Resolut., lib. II, cap. 120, a num. 33 ad 36; Rot. coram Cavaler., decis. 456, n. 1, coram Seraphim., dec. 430, num. 5. coram Falcon., tit. de Fid. Instrument., decis. 1, num. 2 et 3, et in Eugubina Cambiorum, 21 Aprilis 1755, § fin. coram Elephantutio.

(35. Super his absolute, non tamen satis recte in novis addit. Art. I, traditur præteritos non modo, quam futuros fructus in nova Cambia posse converti, quod tamen non ita absolute sumendum est. (36. Si enim iniquum reputatur in jure usuras usurarum repetere, quanto iniquius erit, ab usuris usurarum in novam sortem conversis usurarium captare lucrum, et novos creare contractus? (37. Qui usuras futuras anticipate consequitur, obtinet id, quod in singulos annos habiturus erat, ideoque, si omnes eodem tempore recipiat, ex ipsis duplicatas consequetur usuras. Deinde quo demum titulo poterit creditor easdem retinere? (38. Usuræ ex pecunia credita permittuntur, eo quia sit debitori concessus ejusdem pecuniæ usus, et negotiatio. (39. At Creditor anticipate recipiens usuras, neque usum, neque negotiationem concedit debitori, ideo nullo modo possunt sustineri, cum debitor ex ea pecunia lucrum nequeat consequi, nec creditor commodo propriæ pecuniæ privatur, sed et pecuniam, et ipsius accessiones nondum debitas, et ulterius ab his accessionibus novos percipit fructus, quo nihil iniquius, nihil absurdius excogitari potest, ut tenent innumeri allegati Doctores a Rota in Recent., part. 14, decis. 420; sub num. 7, vers. *quæ cuncta*, et num. 8, et præcipue part. 15, dec. 116; (40. ubi contrarias conciliando opiniones sequentem tradit distinctionem.

(41. Aut coactiva, aut voluntaria est decurrendorum anticipata solutio. Si coactiva, nullo modo potest sustineri. (42. Aut voluntaria est, et tunc sustinetur, dummodo anticipata solutio quartam partem sortis non excedat, ut definitum est in celebri Voto Sac. Pœnitentiariæ, num. 14, in præs. post. decis. 160; part. IV, tom. II, recent. Card. de Lugo de Just. et Jur. disput. 27, sect. 3, n. 10; Filiuc. Oper. moral., tractat. 35 de Contract. 35, de Contr. oneros., c. 6., n. 106. (43. Cum enim plus solvere dicatur, qui anticipate solvit ad textum in § *Plus autem*, Instit. de action. *Plus petitur tempore, veluti si quis ante diem, vel ante conditionem petierit.* (44. Ideo sicut debitor ab anticipata solutione commodum, creditor vero incommodum sentit, ita æquum est, ut vice versa reductionis, et diminutionis beneficio perfruatur debitor, illius vero detrimentum patiatur creditor, (45. qui tamen anticipate decurrendas summas percipiendo, nova cum his inita negotiatione, potest compensari. Ita mirifice declarat quæstionem allegat., dec. 110, part. 16, recent., et cor. Ansald., in addit. ad dec. 104, a num. 24 ad 37

(46. Superest videndum quis possit Cambia creare. Cum Cambium inter contractus adnumeretur, hinc omnes, qui contrahere possunt, tum activa, tum passiva creare Cambia non prohibentur. Franck. Instit. Jur. Cambial., lib. I, sect. 11, tit. 9, § 3 et 4.

(47. Minorennes et mulieres si læsæ sint, in integrum restitui posse etiam in cambiali contractu tradit Heinec. de Vitiis negot. Collyb. vel Camb., exercit. 11, c. 2, § 7 et 8.

(48. Dubium est circa filium familias, qui si sit in patria, potestate licet contrahere nequeat, si tamen pater sciat, filium negotiari, recte in Cambio ipse filius obligatur. Heinec., loc. mox cit.

(49. Quoad Clericos saltem beneficiatos illis omnino interdicta sunt Cambia uti negotiatio prohibita, de quibus fuse agit Auctor in verbo *Clericus*, artic. 3, et declarat Rot., cor. Falcon., tit. de Vita et Honest. Cleri, decis. 1, per tot. (50. Quod si tamen in Cambiis percepta acquiruntur Cameræ Apostolicæ ex Constit. Pii IV ex ordine Bullar. Mainard. 19, § 1, tom. II, fol. 29; Pii V Constit. 42, § 6, dict. Bullar., tom II, fol. 238; Sixtus V, Constit. 100, § 10, dict. Bullar., tom. II, fol. 667.

(51. Quid vero si angustiis pressi non activa, sed passiva contrahant Cambia? Sunt qui tenent a Clericis passiva Cambia posse creari; dummodo onus cambiendi, et recambiendi in creditorem, vel tertium sit translatum. (52. Indistincte tamen Cambia passiva ab ipsis posse creari tenent Antonel. de Jur. et Oner. Clericor., part. 1, capitulo 7, num. 7; Piton. discept. Eccles. 80, num. 6; Rot. in recent., part. 15, dec. 209, n. 19 et 20, ubi rationem affert. (53. Etenim ratio, ob quam interdictum est Cambium Clericis, in eo posita est, quod nequeant ex illicitis negotiationibus lucrum captare. (54. Cessat autem hæc causa, dum non ad captandum lucrum, sed potius ad proprias reparandas angustias Cambia ineunt, ideo cessare debet prohibitio

CAMPANA.

SUMMARIUM.

1. Campanarum usus expresse indicatur a Glossa in duobus vulgaribus versiculis.—2. Unde non licet regulariter pulsare Campanas benedictas, seu consecratas, ut convocetur populus ad arma, vel ad designanda supplicia, et mortes quæ dantur reis. — 3. Campanæ enim benedicuntur, ut vocetur populus ad conveniendum in templo, et Clerus, ad annuntiandas Dei laudes, ut Fideles omnes invitentur ad preces et devotionem. — 4. Insuper benedicuntur Campanæ, ut earum sonitu territi Dæmones statim discedant, et ut repellantur procul hostiles exer-

Digitized by Google

citus, et ut fragor grandinum, procellæ turbinum, impetus tempestatum et fulgurum, infesta tonitrua, et ventorum flamina suspendantur, spiritus procellarum, et aereæ tempestates prosternantur. — 5. Campanæ antequam in Campanili collocentur, debent esse benedictæ, et consecratæ ab Episcopo, vel ab alio habente facultatem, et hoc de necessitate præcepti. — 6 Adeo ut etiam Regulares possint cogi ab Episcopo ad deponendum de Campanili Campanas, si ibi non benedictas appenderunt. — 7. Imo Episcopus potest prohibere ne Campanæ nondum benedictæ pulsentur.—8. Benedictio Campanarum ab Episcopo delegari non potest sibi inferioribus; inferioribus enim Episcopo committi non potest, nisi ex speciali Indulto Papæ. — 9. Et qui habet indultum non potest aliis benedictionem delegare, nisi hoc illi concedatur expresse. — 10. Privilegio benedicendi Campanas gaudent Abbates, aliique Prælati usum Pontificalium habentes, dummodo id faciant pro solo usu suarum Ecclesiarum. — 11. Campanæ in Sabbato Sancto non possunt in aliqua Ecclesia pulsari ante pulsationem in Ecclesia Cathedrali vel Matrice. — 12. Tam in Ecclesiis Regularibus, quam sæcularibus. — 13. Etiam in Ecclesiis S. Joannis Hierosolymitani, etiam prope, et extra muros existentibus, et etiam in Ecclesiis Confratrum. — 14. Etiamsi adsit Ecclesia Collegiata, quæ habeat omnimodam præcedentiam supra Matricem. — 15. Regulares ratione hujusmodi pulsationis in Sabbato Sancto possunt conveniri coram Loci Ordinario, nisi consuetudo in contrarium esset legitima, vel Ecclesiæ multum distarent. — 16. Regulares prohiberi non possunt ab Ordinariis, et quibuscunque Personis, ne in aliis diebus præter Sabbatum Sanctum pulsent Campanas in suis Ecclesiis, et celebrent ante celebrationem Missæ, et pulsationem Campanæ in Ecclesia Cathedrali, vel Matrice. — 17. Imo possunt Regulares prius pulsare Campanas, et Missas celebrare priusquam Parochi celebrent. — 18. Et post indultum S. Pii V adest ad id Decretum Sacræ Congregationis Episcop. et Regul. — 19. Et aliud Sacræ Congregationis Rituum. — 20. Et aliud Sacræ Congregationis Concilii.—21. Et aliud novissimum ejusdem Sacræ Congregationis Concilii in Aquensi.—22. Campanæ non sunt pulsandæ tempore Interdicti. — 23. Permissum tamen est, ut tempore Interdicti in Festis Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, et Assumptionis B. M. V. celebrentur Divina Officia solemniter cum pulsatione Campanarum. — 24. Hæc concessio fuit per Martinum V et Eugenium IV ampliata ad Corpus Christi, et Virginis Conceptionem cum tota Octava. — 25. Regulares, quibus post Concilium Tridentinum, et Gregorium XIII, cum sufficientibus derogatoriis specifice et expresse est a Sede Apostolica concessum, ut quædam proprii Ordinis Festa solemni ritu tempore Interdicti generalis quacumque auctoritate positi, celebrent, possunt omnibus illis Festivitatibus Missas, et Divina Officia celebrare alta voce, et apertis januis, et pulsatis Campanis et omnia alia peragere, ac si Interdictum minime appositum esset. — 26. Campanæ benedictæ non pulsentur, nisi ad usus quos recenset Glossa *Extr. Quia cunctos*, de Offic. custod. — 27. De consensu Episcopi Campanæ benedictæ pulsari possunt ad usus profanos, ad quos non sequuntur causæ sanguinis. — 28. Et sufficit hanc licentiam semel petere pro semper. — 29. Episcopus prohibere non potest Regularibus, ne Campanas pro funeribus pulsent sine ipsius licentia. — 30. Servanda est pia consuetudo pulsandi Campanam aliquot ictibus tam de sero, quam de mane, quando dicendum est Officium Defunctorum. — 31. Quoad mercedem Campanæ, quæ pulsatur occasione funerum, servanda est consuetudo. — 32. Abusus non est tolerandus, quod Campana aliqua pro solis nobilibus pulsari reservetur. — 33. Cuinam primus usus Campanarum tribuendus sit. — 34. De disciplina ob quam majori hebdomada Campanarum pulsatio interdicitur. *Remissive*. — 35, 36. Ubi non sit nec Cathedralis, nec Matrix Ecclesia, Ecclesia magis digna Campanas prior pulsare debet Sabbato S. — 37. Quoad alia. *Remissive*. — 38. Jam a sexto sæculo constat Campanas in Ecclesia in usu esse cœpisse. — 39, 40. Et Ecclesiam parochialem plures, easque majores Campanas habuisse. — 41. Campanas certis horis diei ac noctis pulsandas consuetudine introductum est. — 42. In die etiam Anniversaria nequaquam recens est, quod Campanæ sero et mane ante Officium diu pulsentur. — 43. Cujus ritus auctor quis fuerit. — 44. De Campana Bannali.

(1. Campanarum usus expresse indicatur a Gloss. in cap. *Quia cunctos* unic. de Offic. Custodis Extravag. commun., ubi verb. *Campana* (1) adducit Campanam sic de se ipsa loquentem duobus his versibus (2).

Laudo Deum verum, Plebem voco, congrego Clerum, Defunctos ploro, Pestem (3) *fugo, Festa decoro.*

(2. Unde non licet regulariter pulsare Campanas benedictas, seu consecratas, ut convocetur populus ad arma, vel ad designanda supplicia et mortes, quæ dantur reis; Concil. Mediolan. 1, part. 2, tit. de Ecclestis, et eorum cultu in fine, his verbis : « Sacræ Campanæ usum, qui ad fideles præmonendos, ut ad Divina conveniant Officia est introductus, indignum est, ad conveniendos homines ad spectacula suppliciorum adhiberi. Quamobrem Principes ac Magistratus etiam atque etiam hortamur ut Campanis, quæ Ecclesiarum usui sunt addictæ, si consecratæ sint, ad pœnarum significationem quemquam uti ne patientur. » Et sacra Congregat Episcop. et Regular., in Papiensi de anno 1581, apud Barbosam in Collectan., dec. Apost., verb *Campana*, num. 1, expresse decrevit, quod Campanæ consecratæ etiam in turri profana existentes, nullatenus usui profano inservire debeant, etiamsi in hunc usum a sæcularibus fabricatæ prætenderentur. (3. Cam-

(1) Quas *Campanas* dicimus, eas Germanica voce *cloccas*, et Gallica *cloches* olim vocabant. Ita Gubertus ad Lullum Episcopum, *ep.* 89 : *Cloccam*, inquit, *qualem ad manum habui, tuæ Paternitati mittere curavimus.* (Ed. Bar.)

(2) Hos versus multis illustrat cl. P. Zech. de Jure rerum Ecclesiasticarum, unde Franc. Antonius Zaccaria, tom. I Discipl. Populi Dei Fleuryanæ, p. 122 dissertationem excerpsit *de Campanis, et Instrumentis musicis.* (Ed. Bar.)

(3) Quid hic *pestis*. Malo cum Zechio legere : *nimbum*: *fugo* : in quæ verba ita idem Zechius disputat : « Persuadent sibi aliqui ex Philosophis, Campanarum sono aerem scindi, et tempestatum injurias naturali effectu depelli : Alii confidunt in virtute divina, quæ precibus Ecclesiæ in benedictione Campanarum imploratur... Nota est persuasio populi, quia fulmine et grandine se tutum fore confidit, ubi auditur sonus Campanulæ a S. Bennone, de quo Acta 55, 16 Junii, p. 149 et a S. Wolfgango benedictæ. » Addere Zechius poterat sonum Campanulæ Laureti, in sacra Deiparæ domo benedictæ. (Edit. Barbiel.)

Digitized by Google

panæ ex Conc. Coloniensi II, part. IX, cap. 14, benedicuntur, ut vocetur populus ad conveniendum in templo, et Clerus ad annuntiandas Dei laudes, ut Fideles omnes invitentur ad preces et devotionem, cujus institutionis meminit liber Romani Ordinis relatus in cap. 1 de Offic. Custodis, ubi Campanæ appellantur signa, quia in eum finem pulsantur, ut sint signa temporis, quo Clerici ad Divinas Horas recitandas, et Fideles ad interessendum Sacris debent convenire; consonant textus in cap. *Solent*, de Consecrat., dist. 1, et in cap. 2 de Offic. Custodis. (4. Insuper, ait ipsum citat. Concil. Coloniense, benedicuntur Campanæ, ut earum sonitu territi Dæmones statim discedant, et ut repellantur procul hostiles exercitus, et ut fragor grandinum, procellæ turbinum, impetus tempestatum et fulgurum, infesta tonitrua, et ventorum flamina suspendantur, spiritus procellarum, et aereæ tempestates prosternantur; Concilium ibi. Fusc. de Visitat., lib. I, cap. 14, num. 7, et latissime post alios recentiores Martinus Delsius, Disquisit. Magic., lib. VI, cap. 3, q 3 ad fin. lit. *F.*, et cum pluribus aliis Barbosa de Offic. et potest. Episcop., part. II, allegat. 27, n. 47 et 48.

(5. Campanæ, antequam in Campanili collocentur, debent esse benedictæ, et consecratæ ab Episcopo, vel ab alio habente facultatem, et hoc de necessitate præcepti, prout habetur ex Pontificali tit. de Benedictione Campanæ, ubi præscribitur, quod Campana debet benedici, antequam ponatur in Campanili; verbum enim illud *debet*, necessitatem importat: l. I, § 1, *Quod quisque Juris;* Glossa in Clementina Attendentes, verb. *Debeant*, de Statu Monachorum; Rota apud Farinac., part. I, tit. I, dec. 79. (6. Adeo, ut etiam Regulares possint cogi ab Episcopo ad deponendum de Campanili Campanas, si ibi non benedictas appenderunt; Sacra Congregatio Episcop. et Regul. in Aprutina 17 Januar. 1614. (7. Imo Episcopus potest prohibere, ne Campanæ nondum benedictæ pulsentur, Sacra Congregatio Rit. in Aprutina 5 Julii 1614. (8. Et hoc est advertendum, quod benedictio Campanarum ab Episcopo delegari non potest, quia unctio, quæ debet fieri cum Sacris Oleis, est Ordinis Episcopalis, et de necessitate præcepti, ut habetur in citato Pontificali; ideo inferioribus Episcopo committi non potest, nisi ex speciali indulto Papæ; Sacr. Congr. Rit. in Majoricen. 19 April. 1687. (9. Et qui habet Indultum non potest aliis benedictionem delegare, nisi hoc illi concedatur expresse; eadem Congregatio in nullius Fulden. 1 Septemb. 1703. (10. Privilegio benedicendi Campanas gaudent Abbates, aliique Prælati usum Pontificalium habentes, ut expresse declaravit Sacra Congregatio in Patavina 5 April. 1620, dummodo id faciant pro solo usu suarum Ecclesiarum, ut pluries censuit Sacra Congregatio et signanter 27 septembris 1619, § 19 in Decret. circa usum Pontificalium Prælatis Episcopo inferioribus concessorum coram Sanctissimo Domino nostro Alexandro VII emanato. Vid. verb. *Calix* num. 5, et verb. *Abbas* num. 31, et verb. *Benedicere*, *Benedictio* art. 5. a num. 52 ad 56; ubi plura quoad præceptum, jus, et ritum benedicendi Campanas, traduntur, merito videnda et in praxi servanda.

(11. Campanæ in Sabbato Sancto non possunt in aliqua Ecclesia pulsari ante pulsationem in Ecclesia Cathedrali, vel Matrice; Leo X. in Constitut. incip. *Dum intra*, § 12. ibi: « Et ut debitus honor Matrici Ecclesiæ reddatur, tam ipsi Fratres, quam alii Clerici sæculares, etiam super hoc Apostolicæ Sedis privilegio muniti die Sabbati majoris Hebdomadæ, antequam Campanæ Cathedralis, vel Matricis Ecclesiæ pulsaverint, Campanam in Ecclesiis suis pulsare minime possint. Contrafacientes pœnam centum Ducatorum incurrant. » Sac. Congreg. Rit. in Oriolen. 11 aprilis 1601; in Marcicen; 1609; in Venusina 30 Decemb. 1614, et 14 Novemb. 1615; in Syracusana 3 Junii 1617, et in alia Syracusana Modicæ 13 Februarii 1619. (12. Tam in Ecclesiis Regularibus quam Sæcularibus ex cit. Constitut. Leonis X, et adductis decretis; (13 etiam in Ecclesiis S. Joannis Hierosolymitani etiam prope et extra muros existentibus, et etiam in Ecclesiis Confratrum; Sacra Rit. Congreg. in Placentina, 21 Aug. 1604. et in Meliten. 6 Decemb. 1621. (14. Etiamsi adsit Ecclesia Collegiata, quæ habeat omnimodam præcedentiam supra Matricem; ead. Sac. Congr. Rit. in Syracusana Modicæ 22 Febr. 1719. (15. Regulares ratione hujusmodi pulsationis in Sabbato Sancto, posse conveniri coram loci Ordinario decrevit Sacra Congr. Concil. in Capuana, 23. April. 1591, nisi consuetudo in contrarium esset legitima; vel Ecclesiæ multum distarent, ex Sacra Congreg. Episc. et Regul. in Surrentina, 16 Julii 1601, et postea in Thelesina, 15 Februarii 1622.

(16. Regulares prohiberi non possunt ab Ordinariis, et aliis quibuscunque Personis, ne in aliis diebus, præter Sabbatum Sanctum, pulsent Campanas in suis Ecclesiis, et Missas celebrent ante celebrationem Missæ, et pulsationem Campanæ in Ecclesia Cathedrali, vel Matrice; S. Pius V, in Constit. incip. *Et si Medicantium*, § 22, ibi: « Prohibemus insuper eisdem Ordinariis, ac aliis quibuscunque Personis, ne impediant ipsos Fratres, quando eis placuerit, tam in diebus Dominicis, seu festivis, aut aliis totius anni temporibus, Campanas pulsare, et etiam tempore, quo ipsi celebraverint, Missas celebrare. » (17. Imo priusquam Parochi celebrent ex eodem S. Pio V, § 8, ejusdem Constitutionis incip. *Et si Mendicantium*, ibi: « Nec non Missas (ait) et Divina Officia hujusmodi etiam in diebus Dominicis, vel festivis, etiam antequam Rector Parochialis Ecclesiæ celebraverit, celebrare, et facere, quando eis videtur. » (18. Et post Indultum S. Pii V, adest decretum Sacræ Congreg. Episcop. et Reg. 10 Octobris 1586, sic statuentis: « Ordinarii non impediant Fratres pulsare Campanas ad Matutinum, ac Horas, et ad Missam, antequam pulsetur Campana majoris Ecclesiæ, præter quam in die Sabbati Sancti. »

Digitized by Google

(19. Et aliud Sacræ Congregationis Rituum in Oriolen. 11 Aprilis 1601, statuentis: « Quod Campanæ in aliis diebus præter Sabbatum Sanctum pulsari possint ad salutationem Angelicam etc., indifferenter ante, vel post pulsationem in Ecclesia Cathedrali, vel Matrice. » (20. Et aliud Sac. Congreg. Concilii in caus. Nullius Provinciæ Ravennaten. 15 Septembris 1629, statuentis : « Nequaquam prohibitum esse Regularibus Missas celebrare, et Campanas pulsare in suis Ecclesiis ante celebrationem Missæ , et pulsationem Campanæ in Ecclesia Cathedrali. » (21. Et aliud ejusdem Sacr. Cong. Concil. in Aquensi pro loco Incisæ, ubi ad 14 dubium : « An possint PP. Carmelitæ dare signum, et celebrare Missam in diebus festivis eodem tempore, vel antequam detur signum, et celebretur Missa Parochialis ? » sub diebus 19 Maii et 9 Jun. 1708 respondit, *Affirmative.*

(22. Campanæ non sunt pulsandæ tempore Interdicti ; cap. *Quod Nonnullis*, 26 de Privilegiis, cap. *Permittimus* 57 ; de Sentent. Excommunicat. et cap. *Alma Mater* 24, de Sentent. Excommunic. in 6. (23. Ex hoc autem cap. *Alma Mater*, verb. *in Festivitatibus* permittitur, ut in Festis Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, et Assumptionis B. M. V. celebrentur Divina Officia solemniter cum pulsatione Campanarum, ibi : « In Festivitatibus vero Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, et Assumptionis Virginis Gloriosæ Campanæ pulsentur, et januis apertis alta voce Divina Officia solemniter celebrentur. Excommunicatis prorsus exclusis, sed Interdictis admissis, quibus ob reverentiam dictarum solemnitatum, ut ipsi ad humilitatis gratiam, et reconciliationis effectum facilius inclinentur, præfatis diebus participationem permittimus Divinorum ; sic tamen quod illi, propter quorum excessum Interdictum hujusmodi est prolatum, Altari nullatenus appropinquentur. » (24. Et hanc concessionem fuisse per Martinum V, Eugenium IV, et Leon. X, ampliatam ad Corpus Christi, et Virginis Conceptionem cum tota octava refert Volpi, resolut. 93, num. 6.

(25. Regulares quibus post Concilium Tridentinum et Gregorium XIII, cum sufficientibus derogatoriis specifice et expresse est a Sede Apostolica concessum, ut quædam proprii Ordinis Festa solemni ritu tempore Interdicti generalis quacunque auctoritate positi, celebrent, possunt in omnibus illis Festivitatibus voce alta, apertis januis, et pulsatis Campanis Divina facere, ac omnibus Fidelibus Sacramenta ministrare, exceptis nominatim Interdictis , et Interdicto causam præbentibus, et omnia alia libere, et solemni ritu peragere, ac si Interdictum minime appositum esset, ut expresse (post Concilium Tridentinum et Gregorium XIII. qui in sua Constitut. incip. *In tanta rerum, et negotiorum mole* revocaverat omnia privilegia Tridentino adversantia) concessit Ord. Minorum S. Francisci Clemens VIII, die 17 octobr. 1595. Constitut. incip. *Sacræ Seraphici*, per quam omnem dubietatem e medio tollit præcisis his verbis : « Sacræ Seraphici B. Francisci Religionis in Sanctam Romanam Ecclesiam merita poscunt, ut privilegia, et indulta illi per Sedem Apostolicam concessa non modo conserventur, sed etiam amplientur. Cum itaque, sicut accepimus, diversorum Romanorum Pontificum concessionibus, Religioni præfatæ indultum sit, ut temporibus Interdicti, quacunque etiam Apostolica auctoritate appositi, Festa Sanctorum ejusdem Ordinis, Francisci nimirum, Bonaventuræ, Antonii de Padua, Ludovici, Bernardini, Claræ, Elisabeth, ac Martyrum solemni ritu celebrare, proinde ac si interdictum hujusmodi minime appositum esset, libere possint ; Festa vero Sancti Didaci et Portiunculæ in prædicto Indulto minime comprehendantur. Nos Religionem prædictam amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac indultorum hujusmodi, et Litterarum Apostolicarum desuper expeditarum tenore, præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus dictæ Religionis, per dilectum Filium nostrum Hieronymum Presbyterum Cardinalem Matthæjum, Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, Religioni prædictæ universæ, ac cuicunque ipsius Ordinis, sive Familiæ Conventui, ut in eorum Ecclesiis, Festa etiam Sancti Didaci, et Portiunculæ, temporibus Interdicti, solemniter, prout alia Festa prædicta ac juxta Indultorum illi concessorum seriem, et tenorem, celebrare libere et licite possint, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus et indulgemus, ac indulta prædicta ad prædictas Sancti Didaci, et Portiunculæ Festivitates extendimus, et ampliamus. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus, in conciliis editis generalibus, vel specialibus, nec non omnibus illis, quæ in præfatis Indultis, et Litteris Apostolicis concessum est, non obstare ; cæterisque contrariis quibuscunque. » Dat. Tuscul. sub annulo Piscatoris, 17 Octobris 1595, Pontificatus nostri anno quarto. Sic exstat ad litteram apud Rodr., Collect. Privil., Bulla 4., et sic tenent plurimi cum Pignatell., tom. X, consult. 1.

ADDITIONES AUCTORIS.

(26. Campanæ benedictæ non pulsentur, nisi ad usus quos recenset Glossa Extr. *Quia cunctos*, de Offic. Custod. Sacra Congreg. Episc. et Regul. 31 Januar. et 18 Martii 1581 et 29 Julii 1616.

(27. De consensu Episcopi Campanæ benedictæ pulsari possunt ad usus profanos, ad quos non sequuntur causæ sanguinis ; et præsertim si communitatis expensis constructæ fuerint, quantumvis talejus non sibi servasset ; Sac. Congreg. Episc. et Regul., 3 Januarii 1559.

(28. Pro pulsatione Campanarum ad præfatos usus necesse non est ab Ordinario licentiam petere toties quoties pulsandæ sunt, sed sufficit eamdem semel petere pro semper ; Sac. Congreg. Episc. et Regul. 8 Junii 1592.

(29. Episcopus prohibere non potest Re-

Digitized by Google

gularibus, ne Campanas pro funeribus pulsent, sine licentia ipsius Episcopi; Sac. Congreg. Episc. et Regul., 2 Februarii 1601.

(30. Servanda est pia consuetudo pulsandi Campanam aliquot ictibus tam de sero, quam de mane, quando dicendum est Officium Defunctorum; Sac. Congr. Episc. et Regul., 21 Augusti 1607.

(31. Quoad mercedem Campanæ, quæ pulsatur occasione funerum, servanda est consuetudo; Sacr. Congr. Episc. et Regul., 1 Maii 1617 et 28 Maii 1638.

(32. Est abusus non tolerandus, quod Campana aliqua pro solis nobilibus pulsari reservetur, sed pulsari debet pro quibuscunque petierint; Sac. Congr. Episc. et Regul. 19 Junii 1583.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(33. Cuinam primus usus Campanarum tribuendus sit, non conveniunt inter se scriptores; vide contrarias inter se opiniones apud Benedictum XIV, Instit. Eccles. 20, n. 2 et dub. 6 et sequent. « Illud (ait Pontifex Opt. Max. n. 1) solum dici potest, tintinnabula ante sæculum sextum ab Ecclesia Occidentali usu recepta fuisse, cum ex vita S. Columbani Abbatis, quæ sæculo sexto exarata fuit, ac postea a P. Mabillonio in lucem edita, deprehendatur, ipsum sub mediam noctem pulsante Campana ad templum se contulisse, cæterosque Monachos somno excitatos ad templum pariter convenisse. »

(34. De disciplina pariter, ob quam majori Hebdomada Campanarum pulsatio interdicitur, non una scriptorum opinio; vide eumdem Benedictum XIV, Instit. Eccles., num. 6 et seq., ubi et qua norma sonitus Campanarum repetatur.

(35. Quod si in aliquo loco nec Cathedralis habeatur, nec Matrix Ecclesia, Ecclesia magis digna Campanas prior pulsare debet Sabbato majoris Hebdomadæ; idem Pontifex, n. 9.

(36. Tametsi duæ Ecclesiæ pari inter se dignitate veteri pactione statuerint, ut Sabbato majoris Hebdomadæ alternis vicibus prima Campanas pulsaret, alterutra earum in Collegiata erecta, ipsa pactione abrogata prior Campanas pulsare debet Sabbato majoris Hebdomadæ; mox laudatus Pontifex, ibi, n. 11.

(37. Vide et alia de Campanis apud eumdem Pontificem, Instit. Eccles. 61, n. 4 (1).

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(38. Jam a sexto sæculo constat ex ordine Romano, Campanas in Ecclesia in usu esse cœpisse. (39. Motivo promovendi Officium sive Missam Parochialem constitutum, ut Ecclesia Parochialis plures, easque majores Campanas habeat, quarum pulsu populus ad officium convocetur. (40. Sanctus Carolus optavit, ut in omnibus Ecclesiis Parochialibus ad minus duæ Campanæ haberentur, eæque distincto soni concentu inter se recte consentientes, pro varia divinorum officiorum, quæ fiunt, ratione et significatione. (41. Campanas certis horis diei ac noctis pulsandas consuetudine introductum est. Primo, tempore Sacrificii Missæ et Horarum Canonicarum; secundo, cum elevatur Hostia in Missa solemni; item cum Viaticum, seu Corpus Domini ad infirmos defertur; hora meridiana, item vespere hora salutationis Angelicæ; in receptione Episcoporum et etiam Abbatum jura Episcopalia habentium, necnon Principum sæcularium, item ad fugandas tempestates, et in obitu defunctorum. (42. In die etiam anniversaria nequaquam recens est, quod Campanæ sero et mane ante officium diu pulsentur. (43. Refert Ordericus Vitalis, lib. III Historiæ, Osbernum Abbatem Uticensem hujus ritus Auctorem fuisse. (44. Consuetudine passim receptum est, quod Decimatores, sive alii, quibus onus reparationis incumbit, quive suppeditare tenentur necessaria ornamenta pro celebratione Divini officii, teneantur quoque ad unius saltem Campanæ restaurationem et intertentionem, quam *Bannalem* vulgo appellant. De quo vide Peckium et Brodæum in notis ad Lovetium, Lit. R., num. 50.

CANCELLARIA.

SUMMARIUM.

1. Cancellariæ Apostolicæ Collegium ex 72 Officialibus constans stabilivit Sixtus IV. Constit. incip. *Divina*. — 2. Dicuntur Abbreviatores; aliqui sunt Præsidentes de Parco majori, et sunt 22. Alii 22 de Parco minori; alii examinant Litteras; et iis Officialibus competit Litteras signare; qualitates eorum, ut assumantur; quomodo dividendæ inter eos supplicationes. Quid pro labore accipere possint. A quo conficiendæ minutæ. Possunt officia resignare, vel libere, vel in favorem alterius; Litteræ Apostolicæ pro eis gratis expediendæ; non possunt expedire Litteras non signatas a vicecancellario; signatas possunt acceptare et disponere. —3. Vicecancellario subduntur, et in hos ampla est potestas vicecancellarii. — 4. Cancellariæ Apostolicæ Regulæ observandæ pro expeditionibus Litterarum reformatæ et præscriptæ sunt a variis Summis Pontificibus, et novissime a Clemente XI, Constitutione incipiente *Sanctissimus*, per septuaginta duo capita. — 5. Cancellariæ regulæ sunt certæ Constitutiones Apostolicæ, quas singuli Pontifices a principio sui regiminis circa causas beneficiales et judiciales facere, vel a Prædecessoribus suis jam factas renovare, augere, vel minuere consueverunt — 6. Et solent esse septuaginta duæ. — 7. Cancellariæ episcopalis exercitium non debet vendi neque locari. — 8. Sed debet exerceri per proprios Episcopi Ministros, statuta provisione absque ulla participatione emolumentorum. — 9. Emolumenta Cancellariæ debent sufficere pro solo Notario. — 10. Sacra Congregatio aliquando concessit Ordinario uti emolumentis Cancellariæ pro solvenda Pensione. — 11. Vel pro suis necessitatibus. — 12. In Cancellariis Episcopalibus servanda est

(1) Et apud cl. Paciaudium in dissertatione tanica epistolari de duabus Campanis antiquæ apud Capuanos Ecclesiæ S. Joannis, quibus hæc carmina insculpta sunt:

Nos fecit Petrus Capuæ, quem dico priorem,
Ad summi Patris, et ad hospitalis honorem.
(Ed. Bass.)

Digitized by Google

taxa Innocentiana. — 13. In ipsa taxa Innocentiana inter alia habetur, quod nihil, neque sub specie doni gratuiti recipi possit pro licentiis, seu Patentalibus concionandi, sive in Quadragesima, sive in Adventu sive in omnibus aliis temporibus, et pro quibuslibet locis. — 14 Cancellarius Episcopi nihil accipere potest, nec ratione Scripturæ, neque sigilli, neque laboris, aut alio titulo, sed gratis quorum interest, debet præstare hæc omnia, videlicet: approbationes ad audiendas Confessiones, licentiam administrandi Sacramenta, licentiam deserviendi beneficiis, licentiam sepeliendi defunctorum corpora in Ecclesia, licentiam celebrandi missam, licentiam colligendi eleemosynas, mandata publicandi in Ecclesiis eos qui primam Tonsuram, vel Minores, vel Sacros Ordines suscipere voluerint. — 15. Quoad alia vero, quæ sequuntur, poterit aliquid percipere, si nullum sibi salarium vel stipendium constitutum fuerit, tuncque congruam tantum sui laboris mercedem, quæ quoad litteras collationis, vel institutionis Curatarum Ecclesiarum, vel deputationis Vicariorum in illis unum aureum, et quoad Litteras dimissoriales et Testimoniales, decimam unius aurei nunquam excedat. — 16. Cancellarius Episcopi pro mercede copiæ processuum, seu actorum servare debet taxam pluries a S. Congregatione Episcoporum approbatam; *ad n.* 17. — 18. Cancellarius in exigendis emolumentis debet servare Taxam Innocentianam in illis, in quibus ipsa Taxa disponit; in reliquis vero vel Metropolitanam vel propriam Diœcesis; dummodo non sit rigidior, et contra Decreta Sac. Congregationis. — 19. Cancellarius enim sive Notarius non potest exigere, nisi mercedem taxatam a lege, et si aliquid citra recipiat, peccat, et tenetur ad restitutionem. — 20. Scripturæ, et instrumenta quæ conficiuntur et rogantur a Cancellario Episcopi, tanquam Cancellario, servari debent in Episcopi Cancellaria, non autem transferri debent ad Archivium Communitatis. — 21. Quinimo potest episcopus per Edictum præceptum facere aliis Notariis, quod exhibere debeant in Concellaria Episcopali Acta, seu Rogitus, illorumque exemplaria spectantia ad Monasteria Monialium. — 22. Cancellarius Episcopi, etiamsi sit Laicus, gaudet privilegio Fori et exemptione ab oneribus personalibus, præsertim sordidis. — 23. Quamvis extra Diœcesim delinquat, adhuc gaudet privilegio Fori. — 24. Intellige tamen, dummodo tempore carcerationis actualiter inserviat. — 25. Hinc Cancellarius Episcopi, et alii de ejus Familia sine Episcopi licentia non sunt molestandi pro custodia portæ civitatis. — 26. Cancellarius Curiæ et mensæ Episcopalis, qui non vivit expensis Episcopi, seu non est ejus commensalis, gaudet quidem privilegio fori et exemptione a personalibus, sed non ab oneribus realibus et mixtis, nisi concurrat legitima consuetudo ad ejus favorem. — 27. Cancellarius Foraneus Archiepiscopi gaudet privilegio Fori. — 28. Idem decretum fuit de Cancellario Abbatis. — 29. Cancellarius Foraneus Curiæ Episcopalis admittendus est ad Magistratum sæcularem, ne libertas Ecclesiastica præjudicetur, ita tamen ut quoad pertinentia ad Officium Magistratus, non gaudeat privilegio Fori. — 30. Cancellarius Vicarii Foranei gaudet tantum privilegio Fori. — 31. Cancellarius S. Officii censuratus ob recognitionem cadaveris factam in loco immuni, cassata dicta recognitione, absolvitur. — 32. Cancellarius, et alii Officiales Curiæ Laicalis facientes recognitionem corporis cadaveris præcipitati in puteo Cortilis contigui habitationi Vicarii Generalis, non incidunt in Excommunicationem, attento, quod Vicarius dixerit talem recognitionem non spectare ad ipsum, sed ad Curiam Laicalem. — 33. Cancellaria Apostolica an et quomodo possit supplere in Litteris Apostolicis id quod est omissum in supplicatione *Remissive*. — 34. In quibus Cancellaria Apostolica possit Litteras Apostolicas corrigere. *Remissive*. — 35. Cancellariæ nomen unde veniat. — 36. Quis Cancellarius dictus sit. — 37. In Ecclesiis quoque Cathedralibus jampridem munus Cancellarii fuit. — 38. Cancellaria quo sensu accipiatur in Jure Canonico. — 39. Cancellarius apud Veteres accipiebatur pro Notario, in novo tamen Jure frequenter pro dignitate Ecclesiastica. — 40-43. Quando Cancellarii munus ad eam pervenerit eminentiam et prærogativam, in qua hodie in Romana Curia conspicitur. — 44. Cancellarius quando dici cœperit Vicecancellarius. — 45. Vicecancellarius habet fixum titulum Cardinalitium. — 46. Negotia, quæ per manus Vicecancellarii transeant. — 47-52. Vicecancellarii Officiales. — 53 - 61. De Regulis Cancellariæ.

(1. Cancellariæ Apostolicæ (1) Collegium ex 72 Officialibus constans, stabilivit Sixtus IV, Constit. 16, incip. *Divina* (2). Dicuntur Abbreviatores, *ibidem*. (2. Aliqui sunt Præsidentes de Parco majori, et sunt 22. Alii 22 de Parco minori (3); alii examinant Litteras, et iis Officialibus competit Litteras signare. Qualitates eorum, ut assumantur; *ibid*. Quomodo dividendæ inter eos supplicationes, quid pro labore accipere possint, a quo conficiendæ minutæ; possunt Officia resignare, vel libere, vel in favorem alterius; Litteræ Apostolicæ pro eis gratis expediendæ; non possunt expedire Litteras non signatas a Vicecancellario; signatas possunt acceptare, et disponere, *ibidem*. (3. Vicecancellario subduntur, et in hos ampla est potestas Vicecancellarii (4), *ibid*. (4. Cancellariæ Apo-

(1) « Cancellaria, inquit Budæus ad Pandectas, usurpata pro loco, ubi publicæ litteræ a scribis Principum, et Magistratuum conficiuntur. Hinc Cancellarius dicitur, cujus eæ primæ sunt partes videre, ut nulla Principis constitutio, nulla sanctio, nullum rescriptum, nulli codicilli Regii, non e Republica, atque etiam e dignitate Reipublicæ, principisque exeant. » Sed verius hoc nomine appellatur, quod rescripta, diplomata, et privilegia, antequam sigillo muniantur, cancellare soleat, id est transversis lineis, veluti cancellis, expungere, et illinire *L. Cancellaverat*. ff. de his, quæ in Testam delent, et *L. Chirographum* ff. de Probat. Quo illud spectat Polycratis in initio libri:

Hic est, qui leges regni cancellat iniquas,
Et mandata pii principis æqua facit.

Plura de Cancellariis apud varias gentes, invenies apud Thomassinum T. I, lib. 2, cap. 104. et sequent. (Edit. Barb.)

(2) Abbreviatorum Collegium primus instituit Pius II. Paulus II, in ordinem redegit, de quo Platina irreverenter, nec satis vere queritur in ejus vita; Sixtus vero IV restituit 1478. Constit. ut hic dicitur *Divina*. Paulus V, qui et ipse in minoribus constitutus Abbreviatoris munere functus fuerat, multa huic Collegio privilegia contulit An. 1615. Constitut. *Romani Pontifices;* qua de re vide Corradum in Praxi disp., lib. II, cap. 8 et lib. IV, c. 6. De his quoque optime meritus est Benedictus XIV, edita die 10. Sept. 1740, Constitutione : *Maximo*. (Edit. Barbell.)

(3) *De Parco* dicuntur a loco, in quo sedent, quo tempore munus suum exercent. (Edit. Barbell.)

(4) Olim quos nunc *Vicecancellarios* dicimus, S. R. E. Bibliothecarii passim vocabantur. *Cancellarii* quoque appellabantur. Bernardus a Mallinckrot refert de Archi cancell. lib. II, cap. 5, reperisse se apud Lindenbrogium inter privilegia Hamburgensia Leonis IV, qui an. 847 Thronum conscendit, litteras *datas per manum Stephani Cancellarii S. R. E.* In Bullario tamen Romano prima, quæ a Cancellario

Digitized by Google

tolicæ regulæ observandæ pro expeditionibus Litterarum reformatæ, et præscriptæ sunt a variis Summis Pontificibus, et novissime a Clemente XI, in Constitutione incip. *Sanctissimus*, per septuaginta duo capita. (5. Cancellariæ Regulæ sunt certæ Constitutiones Apostolicæ, quas singuli Pontifices a principio sui regiminis circa causas beneficiales, et judiciales facere, vel a Prædecessoribus suis jam factas renovare, augere, vel minuere consueverunt. (6. Et solent esse septuaginta duæ, ut ad earum numerum reduxit Clemens XI, in dict. Constitut. incip. *Sanctissimus* facta et publicata a. 1700, mens. Decemb. anno primi sui Pontificatus (1).

(7. Cancellariæ Episcopalis exercitium non debet vendi, neque locari; Sac. Congr. Episcop. et Regul. in Hostunen. 3 Sept. 1677; in Aversan. 3 Febr. 1593, Jan. 1594; in Recinaten. 10, in Hydruntin. 22. Januarii 1601, in Guardien. 23 Decembr. 1603. (8. Sed debet exerceri per proprios Episcopi Ministros, statuta provisione absque ulla participatione emolumentorum; quia sic subditi certiores erunt, se non gravari exactionibus indebitis, et pauperes consequendi majores, ac uberiores gratias, quam Afflictuarii facere vellent, vel possent. Sic de mente Clementis VIII Sac. Congreg. Episcop. et Relar. in Neapolitana, 26 Augusti 1592, ut patet ex Litteris hac de re scriptis ad Archiepiscopum Neapolitanum præcisis his verbis: « La Santità di Nostro Signore col parere di questi miei Illustrissimi Signori della Sagra Congregazione sopra i Vescovi ha risoluto, che i Prelati non abbiano ad affittare le Cancellarie de'loro Tribunali, ma quelle devono far esercitare da Ministri propri da essi provisionati, senza dar loro partecipazione alcuna delli emolumenti, e proventi di essa; confidandosi che con questo i Popoli abbiano a rimanere più sicuri da esazioni indebite, e i poveri da conseguir più grazie di quelle, che ponno far loro gli stessi Affittuari. E acciocchè sia lecito ad ognuno vedere, che non sia loro fatto

aggravio, vuole anche Sua Beatitudine, che ciascun Tribunale abbia la sua Pandetta, e tassa delle mercedi degli Officiali, stesa, ed attaccata in pubblico nella stanza della residenza de'Notari, di maniera che colui, che tratta nel Tribunale, possa a sua posta chiarirsi di quanto dee pagare, di che ora do avviso a V. S. d'ordine della Santità Sua, affinchè ella per quel che a lei tocca, cosi eseguisca; e per sue Lettere comandi a tutti i suoi suffraganei di commissione di Sua Beatitudine; contro a' negligenti si mandera Commessario con spesa, e poca loro ripu'azione; et se paresse ad alcuno essergli ciò dannoso, abbia pazienza, perchè il guadagno consiste solo nel servizio di Dio, et nella salute, e buona soddisfazione dei Popoli. Di Roma 26 Agosto 1592. Sic ad litteram refert Fagnan. in cap. *Quoniam*, 2, *Ne Prælati vices suas*, n. 24; Pignatell. tom. VII, consult. 11, n. 14.

(9. Emolumenta Cancellariæ debent sufficere pro solo Notario; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Senogallien. 16 Octobris 1613. (10. Sacra Congregatio aliquando concessit Ordinario uti emolumentis Cancellariæ pro solvenda Pensione; Sac. Congregat. Episcop. et Regul. in Beneventana, 25 Janv. 1646. (11. Vel pro suis necessitatibus; Sacr. Congr. Episcop. Regular. in Tranent. 31 Maii 1647, 8 Maii 1649, 9 Feb. 1650. (12. In Cancellariis Episcopalibus servanda est taxa Innocentiana, ex decretis, ut infra: « Die prima Octobris 1678, facta per me infrascriptum istarum resolutionum, seu declarationum relatione, Sanctissimo Domino Nostro Innocentio XI mediante, illarum lectura verbo ad verbum, Sanctitas Sua laudavit, approbavit, ac servari mandavit; earumque observantiam, et publicationem injunxit Sac. Congreg. Concilii. Joannes Baptista de Luca præfati Sanctissimi Domini Nostri Innocentii Papæ XI Auditor, et Secretarius Memorialium, die 8 Octobr. 1679. Sac. Congreg. Eminentiss. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini In-

subscripta sit, Bulla Anastasii IV, est Hospitali, et Religioni S. Joannis Hierosolymita ann. 1154, concessa *per manum Rolandi S. R. E. Cardinalis et Cancellarii*. Neque antiquiore ævo ignoti fuere in Romana Ecclesia Vicecancellarii. Nam apud Ughellium Tom. I Ital. Sacr., col. 55, ad ann. 805 Vicecancellarius occurrit. A Gregorio VIII, qui sub Urbano III, Cancellarius fuerat, ad Honorium III, ii qui Apostolicæ Cancellariæ præerant, *Vicem agentes Cancellarii* sese inscribebant. Honorio Pontifice *Vicecancellarii* nomen usurpatum fuit, obtinuitque etiam posteaquam Bonifacius VIII, ad Cardinales amplissimum hoc munus revocavit. Mira sunt, quæ nonnulli comminiscuntur, ut causam afferant, cur *Vicecancellarii* non *Cancellarii* nomine, Cardinales designentur. Sed nihil hic aut mysterii latet, aut status inferioris; sed quemadmodum dicitur Datarius, aut Thesaurarius, cum his officiis fungitur Prælatus, vel Clericus, Cardinalitia inferior dignitate; cum autem per Cardinalem administrantur, dicitur is Prodatarius, Prothesaurarius; ita cum Cancellariæ Præfectura Cardinalibus attribui cœpit, hi *Vicecancellarii* aptissime vocati sunt; nec dubitaverim quin si quando eorum dignitas Prælatis obvenisset, hi *Cancellarii* dicerentur. Vide de Romanæ Ecclesiæ Cancellariis et Vicecancellariis, itemque de Abbreviatoribus, cæterisque qui Cardinali Vicecancellario subsunt; Cardin. de Luca in Relat. Cur. Rom. disc. 10; Lunadorum in opere prænotato: *Lo stato presente, o sia relazione della Corte di Roma*, Part. II novæ Rom. edit. 1774, cap. 24; Comesium ad Reg. Cancell.; Ghœllium de Cardin., et P. Humoldum Plettenbergium in notitia Congregationum et Tribunalium Curiæ Romanæ c. 10; Van-Espenium Jur. univ. P. I, tit. 23, cap. 1; Ciampinium de S. R. E. Vicecancellariis, ut omittam e Protestantibus Ægidium Strauch in Amœnitatibus Juris Canonici ecloga II, c. 17. Unum addo, assignatum esse Vicecancellario Titulum, et insignem Ecclesiam SS. Laurentii, et Damasi a Clemente VII, Constit. 34. *Etsi ad singula*: cui amplum et plane regium adjunctum est palatium, in quo Officiales Cancellariæ Apostolicæ ter per hebdomadam, diebus scilicet Martis, Jovis, et Sabbati convenire solent. Si vera sunt, quæ apud Thomasium Cardinalem tom. VII, p. 28, narrantur in MS. chronico de Summis Pontificibus Romanorum, auctore Fr. Joanne Rufo, jam ante Sergium III, a Joanne, ut videtur, IX, in Lateranis ædificata jam fuerat Cancellaria. (EDIT. BARBIELL.)

(1) De Regulis hisce Cancellariæ vide dicta T. I, v. *Beneficium*, art. 9 et 10. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

terpretum, inhærendo mandatis Sanctitatis Suæ censuit præmissam taxam, seu declarationes typis dandas esse, et per litteras circulares ad quoscumque locorum Ordinarios transmittendas, ut eas in Cancellaria in loco omnibus patenti retineri faciant, easdemque adamussim observent, ac facient observari. » (13. Ipsa autem Taxa Innocentiana refertur per extensum a Pignatello t. VIII, consult. 11, in fine, et a nobis verb. *Taxa Innocentiana*, in qua inter alias habetur, quod nihil, neque sub specie doni gratuiti, recipi possit pro licentiis, seu Patentalibus concionandi, sive in Quadragesima, sive in Adventu, sive in omnibus aliis temporibus, et pro quibuslibet locis.

(14. Cancellarius Episcopi nihil accipere potest nec ratione scripturæ, neque sigilli, neque laboris, aut alio titulo, sed gratis his, quorum interest, debet præstare hæc omnia, videlicet: « Approbationes ad audiendas Confessiones, licentiam administrandi Sacramenta, licentiam deserviendi Beneficiis, licentiam sepeliendi Defunctorum corpora in Ecclesia, licentiam colligendi eleemosynas, mandata publicandi in Ecclesiis eos qui primam Tonsuram, vel Minores, ac Sacros Ordines suscipere voluerint. » (15. Quoad alia vero quæ sequuntur, poterit aliquid percipere, si nullum sibi salarium, vel stipendium constitutum fuerit; tuncque congruam tantum sui laboris mercedem, quæ quoad Litteras collationis, vel institutionis Curatarum Ecclesiarum, vel deputationis Vicariorum in illis unum aureum, et quoad Litteras Dimissoriales, et Testimoniales decimam unius aurei nunquam excedat. « Pro Litteris Collationum, Institutionum, seu Provisionum Beneficiorum vacantium per obitum vel per resignationem, etiam ex causa permutationis, vel alia; pro litteris dimissorialibus, seu Testimonialibus, quæ conceduntur Presbyteris, seu Clericis ad alias Dioeceses transituris; pro litteris recipiendi Ordines ab aliis Episcopis; pro licentia ordinandi se ad titulum Patrimonii, seu pro approbationibus hujusmodi titulorum; pro licentia absentandi se ab Ecclesia, seu Beneficiis; pro licentia erigendi Cappellas; pro litteris approbationis concurrentium ad Parochialium vacationes in mensibus reservatis, quæ ad Sedem Apostolicam transmittuntur; pro approbatione Jurispatronatus ex fundatione, vel dotatione; pro creationibus Vicariorum in Parochialibus: pro deputationibus OEconomorum, dum Beneficia vacant; pro executionibus Litterarum Apostolicarum Gratiam, seu Justitiam concernentium; » Sac. Congreg. Concilii in Vicent. 8 Maii 1602. Sic præcise refert, et tenet Barbosa Collectan. in Trident., sess. 21, cap. 1 de Reformat., num. 14 et 15; et Collectan. Apostolic. decis. verb. *Cancellarius*, numer. 7 et de Offic. et potest. Episc. p. III, allegat. 107, num. 28 et 29. Vide tamen verb. *Taxa Innocentiana*.

(16. Cancellarius Episcopi pro mercede copiæ Processuum, sive Actorum servare debet Taxam pluries a Sacra Congregatione Episcop. approbatam et præsertim in Larinen. 7 Julii 1690, in qua recurrente Dominico Sorella fuit Episcopo injunctum: « Che pagandosi dal medesimo la mercede al Cancelliere alla ragione di bajocchi due, e mezzo per qualsivoglia facciata di carta di venti versi, continenti venti lettere per ciascun verso, transmetto all' EE. Loro copia autentica de' predetti Atti. » (17. Et in Savonen., 4 Sept. 1693, recurrentibus Cappellanis, et Sacerdotibus Burgi Finalis, proponente clar. mem. Cardinal. Petrucci, fuit rescriptum: *Ad mentem Eminentissimi Ponentis.* Et mens fuit, quod nomine Congregationis injungeret Ordinario transmissionem Actorum soluta mercede juxta supradictam Taxam, prout mandavit transmitti, Decreto sequenti: « Cancellarius, et alii Actuarii, seu Officiales, et Ministri Curiæ Episcopalis Savonen. soluta ipsis per Oratores mercede ad rationem medii Julii Romani pro qualibet integra charta, cujus unaquæque pagina constet saltem 10 lineis, quarum unaquæque contineat saltem 20 litteras, ita ut integra charta habeat 40 lineas juxta mentem Sacræ Congregationis, integram copiam Processus, et omnium Actorum prædictis Oratoribus tradant, et consignent, etc. » Datum Romæ 9 Septembr. 1692. *P. M. Cardinalis Pettruccius Ponens.* (18. Cancellarius in exigendis emolumentis debet servare Taxam Innocentianam in illis, in quibus ipsa Taxa disponit. In reliquis vero, vel Metropolitanam, vel propriam Diœcesis, dummodo non sit rigidior, et contra Decreta Sacræ Congregationis, ut responsum fuit a Sacra Congregatione Episcop. in Thelesina, 19 Aprilis 1697. (19. Cancellarius enim, sive Notarius non potest exigere, nisi mercedem taxatam a Lege, et si aliquid ultra recipit, peccat, et tenetur ad restitutionem, ut pluribus allegatis firmat Passerinus in cap. *Statutum*, § *Notarium*, num. 321 et 322, de Rescriptis, in 6, ubi hunc Notarii excessum appellat crimen concessionis, seu extorsionis, et sequitur Monacell. tom. I, tit. 1, form. 5, num. 9, et alii passim.

(20. Scripturæ, et Instrumenta, quæ conficiuntur, et rogantur a Cancellario Episcopi, tanquam Cancellario, servari debent in Episcopi Cancellaria, non autem transferri debent ad Archivium Communitatis; Sac. Congreg. Concilii in una Civitatis Castelli, 19 Septembr 1625, ut constat ex sequenti attestatione ad litteram relata a Pignatello, tom. IV, consult. 210, num. 3. « Nos Scipio S. R. E. Presbyter Cardinalis Sanctæ Susannæ fidem facimus, et attestamur in regesto Litterarum Sacræ Congregationis Concilii extare Litteras ad Vicarium Perusinum una cum libello infrascripti tenoris, videlicet: Admodum R. D. Cum actum esset in Sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum de asservatione Scripturarum Fori Episcopalis Civitatis Castelli inter Episcopum et communitatem ejus Civitatis Sacra Congregatio auditis partibus censuit scripturas omnes rogatas a Cancellario Episcopali, tanquam illius Curiæ Cancellario, esse asservandas, et custodiendas in Cancellaria ipsius Episcopi, et ne ejusmodi scripturarum separatione oriantur

Digitized by Google

controversiæ, et scandala, tibi, quod facimus, committendum duxit, ut illuc te transferas, et scripturas in folio his Litteris adjuncto exaratas, ac si quæ aliæ rogatæ fuerint a Cancellario Episcopali, tanquam illius Curiæ Cancellario, separes a scripturis Archivii communitatis, et ad Cancellariam Ipsius Episcopi deferendas cures; quod pro tua diligentia sedulo efficies, et bene valebis in Domino.» Romæ, 19 Sept. 1625. Et exinde enumeratis omnibus scripturis pertinentibus ad Curiam Episcopalem, sic præcise respondit: « Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit scripturas expressas, ac si quæ aliæ rogatæ fuerint a Cancellario Episcopali, tanquam Cancellario illius Curiæ, esse asservandas in Cancellaria ipsius Episcopi.» Romæ, 15 Novemb. 1625. Vide apud Pignatell., loc. cit., num. 4. (21. Quinimo potest Episcopus per Edictum præceptum facere aliis Notariis, quod exhibere debeant in Cancellaria Episcopali Acta, seu Rogitus, illorumque exemplaria spectantia ad Monasteria Monialium; Sacra Congregatio Episcop. et Regul. in una Eugubina, 31 Januar. 1596.

(22. Cancellarius Episcopi, etiamsi sit Laicus, gaudet privilegio Fori, et exemptione ab oneribus personalibus, præsertim sordidis; Sac. Congregat. Immunit. in Cervien. 18 Decembr. 1630, in Beneventana, 21 Januar. 1631, in Aquinatensi 27 Junii 1649. (23. Quamvis extra Diœcesim delinquat, adhuc gaudet privilegio Fori. Ead Sac. Congr. in Fundana 25 Novemb. 1636, lib. III Decr. Pauluc. 37. (24. Intellige tamen dummodo tempore carcerationis actualiter inserviat, Ead. Sac. Congr. in Sarzanen. 3 April 1626, ex regest. scrip. ant., pag. 100. (25. Hinc Cancellarius Episcopi et alii de ejus familia sine Episcopi licentia non sunt molestandi pro custodia portæ Civitatis. Eadem Sacr. Congr. in Pisauren. 22 Junii 1630, lib. II Decret. Pauluc., pag. 51. (26. Cancellarius Curiæ et Mensæ Episcopalis, qui non vivit expensis Episcopi, seu non est ejus commensalis, gaudet quidem privilegio Fori, et exemptione a personalibus; sed non ab oneribus realibus, et mixtis, nisi concurrat legitima consuetudo ad ejus favorem. Eadem Sacra Congreg. in Montis Regalis 7 Septemb. 1638, lib. III Decr. Pauluc., pag. 75; in Aquinat. 23 Junii 1648, lib. IV Decr. Pauluc., pag. 59; in Forosempronien. 28 April. 1671, lib. I Decr. Altoviti, pag. 546.

(27. Cancellarius Forancus Archiepiscopi gaudet privilegio Fori; Sac. Congreg. Immunitatis, in Firmana 13 Januarii 1632, lib. II Decr. Pauluc., pag. 67. (28. Idem decretum fuit de Cancellario Abbatis. Eadem Sacra Congreg. in una Nullius S. Mariæ de Balneo, 15 Junii 1638, lib. III Decr. Pauluc., pag. 64. (29. Cancellarius Foraneus Curiæ Episcopalis admittendus est ad Magistratum sæcularem, ne libertas Ecclesiastica præjudicetur, ita tamen, ut quoad pertinentia ad Officium Magistratus, non gaudeat privileg.o Fori. Eadem Sacra Congregat. in Laureta-na, 14 Maii 1657, lib. I Decr. Altovit., pag. 1093; in Tudertina 14 Maii 1676, ibi pag. 1252. (30. Cancellarius Vicarii Foranei gaudet tantum privilegio Fori. Eadem Sacra Congreg. in Senogalliensi 19 Augusti 1639, lib. I Decr. Paul. p. 55; in Æsina 7 Augusti 1657, lib. I Decret. Rocci, pag. 21; in Urbevetana 8 Aprilis 1687, lib. Decret. Mart., pag. 663; in Imolen. 19 April. 1695, lib. I Decr. Vallem., pag. 183.

(31. Cancellarius S. Officii censuratus ob recognitionem Cadaveris factam in loco immuni, cessata dicta recognitione, absolvitur; Sacra Congregat. Immunit. in Narnien. 7 Maii 1678, lib. II Decret. Altovit., pag. 1577. (32. Cancellarius, et alii Officiales Curiæ Laicalis facientes recognitionem corporis cadaveris præcipitati in puteo cortilis contigui habitationi Vicarii Generalis, non incidunt in Excommunicationem, attento quod Vicarius dixerit, talem recognitionem non spectare ad ipsum, sed ad Curiam Laicalem; Sacr. Congreg. Immunit. in Albanen. 24 August. 1694, lib. I Decret. Vallem. pag. 140.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(33. Cancellaria Apostolica, an et quomodo possit supplere in Litteris Apostolicis id quod est omissum in supplicatione, tradit Rigant. in regul. 27 Cancell. n. 76 et plur. sequent.

(34. Idem Auctor in regul. 72, fere per tot, docet quoque, in quibus Cancellaria Apostolica possit Litteras Apostolicas corrigere.

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(35. Cancellaria, vox barbara, usurpata olim est pro loco, ubi publicæ litteræ a Scribis Principum et Magistratuum conficiuntur. (36. Hinc Cancellarius juxta Budæum dicebatur, cujus primæ erant partes videre ut nulla Principis Constitutio, nulla Sanctio, nullum Rescriptum, nulli Codicilli Regii, e Republica atque etiam a dignitate Reipublicæ, principalique non exeant. (37. Legitur quoque in Ecclesiis Cathedralibus jampridem munus Cancellarii fuisse, sigilla ad causas et negotia conferre, litteras Capituli facere et consignare. (38. In Jure vero Canonico, Cancellaria accipitur pro loco ubi acta judiciaria scribuntur; et qui præest, Cancellarius dicitur, cujus officium valde antiquum in Ecclesia esse probat Cobellus in Notitia Card. cap. 16 et 20. (39. Licet autem Cancellarius apud veteres Scriptores acciperetur pro Notario, qui inter Cancellos consistens Judicum litteras, responsa, et edicta scribebat, tamen in Jure novo frequenter accipitur pro dignitate Ecclesiastica. (40. Quando Cancellarii munus ad eam pervenerit eminentiam et prærogativam in qua hodie in Romana Curia conspicitur, non omnino constat. Ejus tamen originem discutientes tradunt post tempora Innocentii III, inventam et erectam fuisse. (41. Cancellarii munus tunc exercuisse constat privatæ sortis homines, sed probitate et eruditione spectatissimos. (42. Progressu temporis sub Bonifacio VIII, dignitatem Cancellarii uni ex Cardinalibus tributam indubitatum est. (43. Cardinalis eo munere fungens non dicitur

Digitized by Google

Cancellarius, sed Vicecancellarius. (44. Credit verisimilius Cardinalis de Luca, sic dici cœpisse, quum dignitas Cardinalitia ad tantum fastigium elevata est, ut non videretur dignitati Cardinalitiæ congruere assumere officium inferius, sive Prælatitium, quod tamen provisionaliter, seu jure cujusdam commendationis per Cardinalem administrari sit incongruum, quemadmodum et immunere Datarii praxis docet. (45. Vicecancellarius habet fixum titulum Cardinalitium, scilicet Ecclesiæ Collegiatæ S. Laurentii in Damaso. (46. Primaria et graviora Sedis Apostolicæ negotia, publica et solemnia, qualia sunt Consistorialia, per Vicecancellarii manus transeunt, adeo ut is dicendus sit cum quadam proportione Cancellarius Papæ. (47. Plures habet Vicecancellarius Officiales, quos inter primarius est ille qui Cancellariæ Regens dicitur, qui revidet Bullas expeditas et promulgatas, et si quis error irrepserit, eum corrigit. (48. Cæteri Vicecancellarii Officiales Prælaturam adnexam habentes, sunt Præsidentes de majori, vel minori Parco, ita dicti a loco Cancellariæ, in quem conveniunt, qui vulgo Parcus dicitur. (49. Prælati de majori Parco Cancellariæ quoddam quasi tribunal constituunt, in quod collegialiter convenientes decidunt dubia, quæ oriri contingit super litterarum formula, vel clausulis et Decretis in eis adjiciendis, ac etiam super emolumentorum sive jurium solutionibus. (50. Prælati de minori Parco Cancellariæ exiguam habent jurisdictionem, in id unum intendentes, ut Bullæ ferantur et tradantur Prælatis de majori Parco. (51. Scriptores et Abbreviatores, aliique expediendis in Cancellaria Romana litteris præpositi, omnes participant in juribus illis et emolumentis, quæ Taxæ Cancellariæ Apostolicæ communiter dicuntur. (52. Horum jurium auctorem fuisse Joannem XXII, patet ex ejus Extravagante, quæ incipit, *Quum ad Sacrosancta*. (53. Habet Vicecancellarius sive Cancellaria quasdam a Pontificibus Regulas, juxta quas ipse Vicecancellarius, ejusque Officiales negotia ad Cancellariam spectantia, nec non litteras necessarias, gerere et expedire debent, quæ propterea Regulæ Cancellariæ vocantur. (54. Hæ Regulæ perpetuæ non sunt, sed morte Pontificis exstinguuntur. (55. Ideo singuli Pontifices altero suæ Assumptionis die eas de novo evulgant, idque nonnunquam novis Regulis additis, vel antiquis immutatis, vel etiam subinde aliquibus expunctis et omissis. (56. Regulæ Cancellariæ Juri Novissimo merito accensentur; nulla enim in Decretalibus Gregorii IX, aliisque Collectionibus Corpori Canonico inclusis, earum mentio occurrit. (57. Compertum est primitus, et usque ad tempora Nicolai V, Regulas Cancellariæ unice pene respexisse formam expediendi litteras et judicia in Cancellaria reddenda. (58. Sed quemadmodum progressu temporis hæ Regulæ a Romanis Pontificibus sensim, et diversimode auctæ fuerunt, ita ad eum statum sunt perductæ, ut etiam ad reservationes Beneficiorum, similesque materias extra Cancellariam se tandem extendant. (59. Hæ Regulæ Cancellariæ juxta indubitatam et notoriam praxim nihilominus non habentur ut leges generales, mox ut in Cancellaria Romana stylo Curiæ consueto fuerint publicatæ; (60. sed omnis earum obligandi efficacia desumenda est ab earum in aliis Provinciis et Regnis receptione et Regio placito. (61. Hinc notorium est in una Provincia plurium, in alia pauciorum istarum Regularum Cancellariæ usum esse (1).

CANDELA.

SUMMARIUM.

1. Candelarum benedictio in die Purificationis B. M. V. et earum dispensatio inter Parochiales functiones connumerantur, ac proinde ad proprios Parochos spectant. — 2. Ipsarum tamen Candelarum benedictio, et distributio potest regulariter fieri in omnibus etiam Ecclesiis Collegiatis, tam sæcularibus, quam Regularibus. — 3. Candelas benedictas in die Purificationis B. M. V. ad ædes sæcularium Parochi transmittere non debent, sed juxta laudabilem, et observatam ab Ecclesia universali consuetudinem, in Ecclesia populus eas recipere tenetur. — 4. Benedictio et distributio Candelarum, Cinerum, et Palmarum, absente vel impedito Episcopo, pertinet non ad Hebdomadarium, sed ad primam Dignitatem. — 5. Episcopus non debet prætermittere dare Can-

(1) Romanum Antistitem in Ecclesia universali Primatum habere, fidei dogma est tenendum. Atqui hinc consequitur ipsi primario competere jus de beneficiis disponendi ac concedendi. Et quamvis Episcopis hanc indulserit potestatem, tamen ipsis ita concedere non potuit illam facultatem, ut amplius vel restringere vel immutare non potuerit. Neque ratione tantum universalis administrationis primatialis potuit Pontifex ordinationes majorum, uti loquitur Petrus de Aliaco, et electivarum Dignitatum, ac collationes aliorum Beneficiorum sibi ac Sedi Apostolicæ reservare, verum etiam ex speciali causa, ratione materiæ subjectæ; inferiores nimirum electores, ac ordinarii Collatores in electionibus et collationibus jure abutebantur suo. Sunt et aliæ rationes ac causæ quibus moti fuere Pontifices ad reservationes faciendas quas præ cæteris expendit illustratque Rigantius Com. in Rubric. Reg. 1. Cancel. Falsum ergo est imprimis Regulas Cancellariæ juri Principum et Ordinariorum derogare. Item falsum est istas Regulas legis generalis non habere vim, statim ac a Romana Curia publicantur; namque amplius dubitari nequit Regulas post novi Pontificis confirmationem obligare, etiamsi nondum sint publicatæ. Id enim probatur ex ipsis Procemii Regular. verbis ubi dicitur: *Ex tunc, licet nondum publicatas. . . . . observari voluit.* Probatur quoque ex consuetudine optima legum interprete, usus enim obtinuit ut Episcopi nullatenus audeant conferre beneficia in illis Regulis contenta, cum Regulæ sint decreto irritante munitæ. Novimus vero Regulas istas ubique vim obtinere, sed id quoque novimus non ideo vi carere quia diversis in Regnis non acceptantur, sed quia his derogatum est per pacta, seu uti vulgo dicuntur *concordata*, conventa Romanos Pontifices inter et potentissimos Europæ Principes. (EDIT. CASIN.)

Digitized by Google

delas in die Purificationis B. M. V., et non debent recipi de manu Syndicorum, vel aliorum Laicorum, sed Episcopi. — 6. Ideoque provideat Episcopus expensis propriis de quantitate Ceræ pro congrua distributione juxta solitum. — 7. Nec gravet Parochos pro aliqua insolita contributione. — 8. Ubi tamen facultates Ecclesiæ non suppetunt, datur facultas Episcopo diminuendi pondus. — 9. Candela benedicta debet Episcopo ministrari a prima Dignitate. — 10. Et Candelam ab Episcopo accipere debet ante omnes, etiam ante Vicarium, qui Candelam Episcopo ministravit. — 11. Episcopo distribuente Candelas, Cineres, et Palmas, præferendus est ille, a quo Episcopus prædicta recepit, postea Dignitates, et Canonici sacris vestibus induti, et ante omnes Vicarius Generalis. — 12. In distributione Candelarum, Cinerum, Palmarum, et similium supra omnes alios, etiam supra Vicarium Generalem præferenda est illa Dignitas, vel Canonicus, a quo Celebrans recepit Candelam, Cinerem, Palmam, et similia, postquam immediate Vicarius Generalis in præmissis omnibus anteponendus est. — 13. Candelæ, et Palmæ dantur Vicario Generali ante Canonicos, et Dignitates, exceptis iis, qui cum Paramentis assistunt Episcopo in Sede Pontificali existenti. — 14. Nam hujusmodi Parati præcedunt Vicario Generali non obstante consuetudine in contrarium. — 15. Et tunc sunt thurificandi ante Vicarium. — 16. Nec Candelæ quatuor accendi, nec duo Cappellani assistere debent ad Missam Vicarii Generalis. — 17. Candelas qui distribuit, detecto capite distribuere debet. — 18. Candelæ, in Missa sunt accendendæ, nec ante finem Missæ sunt exstinguendæ. — 19. Parochis ad funus intervenientibus, sive associatis, sive non ab aliis Canonicis ejusdem Parochiæ, distribui non debet Candela major illa, quæ datur Superiori Regularium associato ab aliis Fratribus. — 20. Candelæ eædem accensæ in associatione Cadaveris, deservire possunt, stante consuetudine, etiam in ejus tumulatione. — 21. Residua ceræ, quam pii Loci de suo impendunt in pauperum sepultura, nemo sibi vindicare potest. — 22. Potest tertia pars Candelarum extincta deferri, si alio pio usui inservire debet. — 23. Servanda consuetudo circa Abbatem qui mittit Crucem Ecclesiæ suæ. — 24. Hæres defuncti pro funere ad libitum accipere potest ceræ quantitatem. — 25. Ad quem spectant partes residuæ Cereorum, quæ a Parochianis die commemorationis omnium Defunctorum deferuntur in Ecclesiam Parochialem. — 26 30. De Candelarum usu in Baptismi collatione. — 31. De antiquo Candelarum usu. — 32. In Sacrificio Missæ quomodo et quæ adhibendæ. — 33. Candelæ benedictæ ad quosnam usus inservire debeant. — 34. De Cereorum usu in funeribus. — 35. In Dedicatione Ecclesiæ. — 36. In extrema Unctione. — 37. In Matutinis Tenebrarum. — 38. De Cereo Paschali.

(1. Candelarum benedictio in die Purificationis B. M. Virginis, et earum dispensatio (1) inter Parochiales functiones connumerantur, ac proinde ad proprios Parochos spectant; Sac. Congreg. Rituum in Alatrina 5 Mart. 1633. (2. Ipsarum tamen Candelarum benedictio, et distributio potest regulariter fieri in omnibus etiam Ecclesiis Collegiatis, tam Sæcularibus quam Regularibus; Sac. Congregat. Rituum in Ostien. Curiæ 28 April. 1607 (2). (3. Candelas benedictas in die Purificationis B. M. Virginis ad ædes sæcularium Parochi transmittere non debent, sed juxta laudabilem et observatam ab Ecclesia universali consuetudinem in Ecclesia populus eas recipere tenetur; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Fulginensi 31 januarii 1581; in Triventina 26 Mart. 1585; in Castridurant. 9 Januar. 1587; in Spoletana 14 Januarii 1633 (3).

(4. Benedictio et distributio Candelarum, Cinerum et Palmarum, absente vel impedito Episcopo, pertinet non ad Hebdomadarium, sed ad primam Dignitatem; Sac. Rituum Congregat. in Pisaurien. 12 Martii 1609. (5. Episcopus non debet prætermittere dare Candelas in die Purificationis B. M. V. et non debent recipi de manu Syndicorum, vel aliorum Laicorum, sed Episcopi; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Hostunen. 22 Januar. 1577; et in Hieracen. 22 Januar. 1577, et 10 Januarii 1653. (6. Ideoque provideat Episcopus expensis propriis de quantitate Ceræ pro omni congrua distributione, juxta solitum; eadem Sac. Congreg. in Nicoterana 1 April. 1596. (7. Nec gravet Parochos pro aliqua insolita contributione; eadem Sac. Congreg. in Hieracen. 15 Januar. 1578. (8. Ubi tamen facultates Ecclesiæ non suppetunt, datur facultas Episcopo diminuendi pondus; eadem Sac. Congreg. in Adrien. 12 Martii 1623.

(9. Candela benedicta debet Episcopo ministrari a prima Dignitate; Sac. Congr. Rit. in Brixien. 28 Martii 1616. (10. Et Candelam ab Episcopo accipere debet ante omnes, etiam ante Vicarium, ille, qui Candelam Episcopo ministravit; eadem Sacra Congr. in Lucerina 15 Junii 1608. (11. Et iterum eadem Sac. Cong. in causa S. Marci, 5 Mart. 1633, censuit quod Episcopo distribuente Candelas, Cineres et Palmas, præferendus est ille, a quo Episcopus prædicta recepit, postea Dignitates et Canonici sacris vestibus induti, et ante omnes Vicarius Generalis; (12. et eadem Sacra Congregat. in Vulterana Terræ Gualdi 5 Mart. 1633, declaravit, quod in distributione Candelarum, Cinerum, Palmarum, et similium, supra omnes alios, etiam supra Vicarium Generalem, præferenda est illa Dignitas, vel Canonicus, a quo Celebrans recepit Candelam, Cinerem, Palmam et similia, postquam immediate Vicarius Generalis in præmissis omnibus anteponendus est.

(13. Candelæ et Palmæ dantur Vicario Generali ante Canonicos et Dignitates, exceptis iis, qui cum Paramentis assistunt Episcopo in Sede Pontificali existenti; Sac. Congregat. Episcop. et Reg. in Bisignan. 16 Mart. 1600. (14. Nam hujusmodi Parati præcedunt Vicario Generali, non obstante consuetudine in contrarium, ut resolvit Sac. Rit. Congregat. in Lauretana 6 Septemb. 1603;

(1) De Candelarum hoc die benedictione, distributione, atque utriusque ritus antiquitate, vide Meratum ad Gavantum. (Edit. Barbiel.)

(2) Nec mirum; nam benedictiones et distributiones Candelarum, Cinerum, etc., non sunt de juribus mere Parochialibus. Ead. Sac. Congr. Rit., 10 Decembr. 1703. (Edit. Barbiel.)

(3) Ad ægrotos tamen mitti possunt. (Ed. Barbiel.)

Digitized by Google

in Alexandrina 15 Martii 1606; in Casalensi 5 Julii 1614; et in alia Casalensi 25 Septemb. 1621, ubi resolutum fuit: « Præcedentiam competere Dignitatibus et Canonicis paratis supra Vicarium Generalem, neque allegatam consuetudinem, imo verius abusum illi suffragari. » (15. Et tunc sunt thurificandi ante Vicarium; eadem Sac. Congreg. in Equitaniensi 3 Augusti 1602, et in Tiburtina 6 Mart 1610. (16. Nec Candelæ quatuor accendi, nec duo Cappellani assistere debent ad Missam Vicarii Generalis; Sac. Congreg. Rituum 7 Augusti 1527. (17. Candelas qui distribuit, detecto capite distribuere debet; Sac. Rit. Congreg., 18 Julii 1656. Qui autem habet privilegium gestandi Mitram, eas distribuit stando cum Mitra in capite; ead. Sac. Cong., 18 Februarii 1650 (1).

(18. Candelæ in Missa sunt accendendæ, nec ante finem Missæ sunt exstinguendæ; cap. Litteras 14, de Celebrat. Missar. Candelæ quæ inserviunt pro Missa et aliis Divinis, non sint tam parvæ magnitudinis, quæ non deceat Majestatem Divinam; Concil. Mediolanen. I, part. II, tit. *Communia ratione Divinorum Officiorum*, ibi: « Candelæ et Cerei in Missa et aliis Divinis Officiis, ea exiguitate ne adhibeantur, quæ in tanto Mysterio dedeceat, et adstantibus offensionem offerre possit. » (19. Parochis ad funus intervenientibus, sive associatis, sive non ab aliis Canonicis ejusdem Parochiæ, distribui non debet Candela Major illa, quæ datur Superiori Regularium associato ab aliis Fratribus; Sacra Congreg. Concil. in Novarien. Funerum 15 Martii 1704, ubi pro oppido Varalli propositis variis dubiis, tertium erat: « An Parochis intervenientibus, sive associatis sive non ab aliis Canonicis ejusdem Parochiæ, distribui debeat Candela major illa quæ datur Superiori Regularium, associato ab aliis Fratribus? » Et fuit responsum: Ad 3'*Negative*, apud Monacell., part II, tit. 13, formul. 1, sub num. 92. Et differentiam quantitatis Candelarum pendere ab arbitrio hæredum, aut aliorum distribui mandantium, decrevit Sacra Congregat. Episcop. et Regul. in Cassanen. 5 Maii 1617, et in Placentina 16 Decembris 1661, referentibus D. Ursaja, tom. I, part. II, discept. 15, num. 23; Panimol. decis. 1, annot. 10, num. 20; Matthæuc. Offic. Cur. cap. 20, n. 4.

(20. Candelæ eædem accensæ in associatione Cadaveris deservire possunt, stante consuetudine, etiam in ejus tumulatione; sic Sac. Congreg. Concil. in Tiburtina 12 Maii 1685, in responsione ad 4 dubium conceptum his verbis: « *Quarto*. An servanda sit consuetudo, quod in funeralibus eædem faculæ, seu intorticia, quæ fuerunt accensæ in associatione Cadaveris, deserviant, et reaccendantur circa feretrum in Ecclesia, in qua sepeliendum est Cadaver? Ad quartum: *Affirmative*. » Ita refert Panimol., decis. 161, in fine.

ADDITIONES AUCTORIS.

(21. Residua illius ceræ quam aliqua Confraternitas, vel locus Pius impendit de suo in sepeliendis pauperibus gratis, nec a Parocho, nec a quocunque alio prætendi possunt, nisi subsit fraus aliqua; Sac. Congregat. Episcop. et Regular., 22 Novembris 1588, 11 Mart. 1578, 21 Aug. 1606, et 15 Mart. 1616.

(22. Licet hæredibus Cadavera Defunctorum ad tumulum associari facere intorticiis, et Candelis extinctis, offerendis Confraternitatibus pro associatione SS. Sacramenti, aut pauperum ad sepulturam, dummodo eorumdem cereorum saltem duplum accensum deferatur; unde si ex exstinctis deferuntur duo, ex accensis saltem debent esse quatuor; Sac. Congreg. Episcop. et Regul., 14 Octob. 1698.

(23. Servanda est consuetudo circa Candelas, quas prætendit Abbas, dum impeditus ad funera mittit Crucem Ecclesiæ suæ, donec aliter declaretur; Sac. Congr. Episcop. et Regul., 19 Apr. 1641.

(24. Hæres defuncti pro funere ad suum libitum accipere potest quantitatem ceræ; Sac. Cong. Episc. et Regul., 1 Maii 1617.

(25. Partes residuæ cereorum, seu intorticiorum, quæ a Parochianis in die commemorationis omnium fidelium defunctorum deferuntur in Ecclesiam Parochialem, ibique super sepulcra, aut Altaria, durantibus divinis officiis, accensa permanent, spectant ad Parochum, nisi obstet consuetudo, aut de contraria mente deferentium constet; Sac. Congreg. Episcop. et Regul., 26 Januar. 1638. Supradicta Decreta referuntur a doctissimo P. Cavalieri, in Agenda Defunctorum.

ADDITIONES NOVISSIMÆ

(26. Neophytis olim Candelas, sive cereos in manibus traditos fuisse refert Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. 1, nupt. (27. Gestationem Candelæ inter Baptismi cæremonias quoque reponit S. Gregorius Nazianzenus, Or. 4, de Baptismo, ex quo etiam Baptismum luminum nomine appellare non dubitat. (28. Candelæ in Baptismo accenduntur vel in signum lætitiæ, vel ut demonstretur ipsas significare Spiritum Sanctum. (29. Candela septem diebus, quemadmodum veste candida, Neophytos olim usos fuisse, clare expressit Alcuinus, de Divinis officiis, c. de Sabbato in albis. Quod indicare videtur, Baptizatos, exstinctis peccatis præteritis, columna Candelæ illuminata, id est innocentia præcedente, ad Ecclesiam semper esse ducendos. (30. Ex quo ritu profluit, ut hodie quoque Sacerdos det Neophyto vel Patrino Candelam accensam, dicens: « Accipe lampadem ardentem, et irreprehensibilis custodi Baptismum tuum, serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis

(1) Adverte, Cæremoniale Episcoporum libr. II, cap. 19, § 10, prohibere, ne Episcopus Candelas mulieribus distribuat. Alteri tamen celebranti permissum est, ut ad cancellos, non tamen ad altare populo utriusque sexus Candelas, et Palmas, etc., distribuat. (EDIT. BARBIEL.)

Digitized by Google

occurrere ei una cum omnibus Sanctis in aula Cœlesti, habeasque vitam æternam, et vivas in sæcula sæculorum. »

ADDITIONES CASINENSES

(31. Quamvis Hæretici omnino repellant luminaria a sacris ritibus, tamen luminum usus in sacra liturgia comprobari potest non solum ex SS. Patribus, sed etiam ex sacro Textu in Veteri Testamento. In Exod., enim cap. xxv, vers. 3, legitur : « Facies et candelabrum ductile ex auro mundissimo ; » et vers. 31 : « Facies et lucernas septem, et pones eas super Candelabrum, ut luceant ex adverso, » et in eodem Exod., cap. xxvii, vers. 20 et 21 : « Præcipe filiis Israel, ut offerant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum, ut ardeat lucerna semper in Tabernaculo testimonii. »

SS. Patres vero communissime lumina in primitiva Ecclesia fuisse adhibita confirmant. Sanctus Cyrillus Hierosolymit., orat. de Occursu Domini inquit : « Læti hodie lampades ornemus, tanquam filii lucis : ceras veræ lucis Christo offeramus, quoniam lumen ad revelationem gentium mundo apparuit, ideo lumina ex lumine supra nivem resplendeamus, supra lac dealbati, supra saphirum illuminati, supra immaculatas columbas in cœlo evolantes, ita in nubibus ad Dei occursum occurramus. »

Auctor Breviarii Chronolog., Tertull. meminit adversus Valentinianos, cap. 2 et 3, sub Telesphoro fuisse lumina adhibita ad Missam.

Et Sanctus Gregorius M. assignat fundum pro luminibus in Ecclesia Sancti Pauli lib. II Regist., epist. 9 : « Utile judicavimus eamdem massam, quæ ad Aquas Salvias nuncupatur cum omnibus fundis tum luminaribus deputare. » Et quamvis dici potest ad tenebras expellendas lampades fuisse collocatas in Ecclesia, cum nocte et in cryptis sacra peragebantur, tamen inficiari non potest etiam Religionis gratia id factitari solitum fuisse, uti videre quisque potest apud Baron., ad ann. 51, et Spondan., num. 20; cum etiam præsertim ordinem Ceroferariorum, seu Clericorum, quorum munus erat ferre accensos cereos institutum fuisset : et licet aliquando nocte, ut in vigiliis, tamen etiam clara luce id fieri consuevisse certissimum est; Cardinal. Baron., ad annum 58, uti Spondan., num. 25. Nam per Omnes Orientis Ecclesias, quando legendum erat Evangelium, accendi luminaria solitum fuisse jam sole rutilante, quæ denotant gaudium spirituale in nobis ex verbo Dei, ac per illud tenebras infidelitatis et ignorantiæ fuisse expulsas, testatur Hieronymus contra Vigilant., cap. 3. Id autem in eisdem Orientis partibus fieri consuevisse ad Martyrum reliquias affirmat S. Epiphan., in epist. ad Joannem Hierosolymitanum; ac S. Athanasius, in epist. ad omnes Orthodoxos, deplorat cereos a fidelibus oblatos, ab Arianis sublatos, et in eorum templis accensos fuisse. Ipse Hieronymus, advers. Vigilant., epist. 58, ad Ripar., eumdem morem probat etiam invaluisse in Occidentalibus Ecclesiis non ad fugandas tenebras, sed in lætitiæ signum. Aliam addit rationem Isidor., lib. VII Originum, cap. 12, ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Evangelio legitur, *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem.* Præclare item Micrologus, cap. 11 : « Juxta Ordinem Romanum nunquam Missam absque lumine celebramus, non utique ad depellendas tenebras, cum sit clara dies, sed potius in typum illius luminis cujus sacramenta ibi conficimus, sine quo et in meridie palpamus, sicut in nocte. » Canon vero 34 Concilii Illiberitani : « Cereos per diem placuit in cœmeteriis non incendi, inquietandi enim Sanctorum Spiritus non sunt; » ideo intelligitur prohibere luminum usum ad Martyrum cœmeteria, ne lucentibus tot luminibus gentes redderentur certiores de illorum sepulcris, indeque Sanctorum corpora abducerent, et clericorum spiritus majori custodiæ periculo et sollicitudine angerentur, uti loquitur Card. de Aguirre, t. I Concil. Hisp., pag. 537 et seq. Nam Silvester constituit, ut clericis antequam diaconatus et presbyteratus ordine insignirentur sanctorum corporum custodia esset demandata. Consul. Baron., ad. an. Christ. 34, n. 312; Suarez, III par. t. I, disp. 50, sect. 4; Severinus Binius, t. I; Item Gabriel Vasquez, in III part., disput. 1, 2, cap. 7, num. 25; Natalis Alexander, Sæc. 3. dissert. 21, art. 2, prop. 1, pag. 141.

Samuel Basnagius heterodoxus scriptor Annal., t. II, pag. 307, diuturnorum cereorum et lucernarum usum in Ecclesiæ cæremoniis fuisse inceptum anno Domini 337, affirmat, et Eusebii sententiam affert in Vita Constantini, lib. IV, cap. 66, sed falso inhibitur fundamento; nam ante Constantinum an. 258, S. Cyprianus lucentibus cereis sepultus fuit, ut in actis passionis ejus legitur. Et S. Hieronymus ad Eustochium scribens de S. Paula, epist. 27, hunc cerei lampadisque usum illis temporibus præfert. Ex Concilio etiam Carthaginensi IV, quod Cypriani et Cornelii ætate habitum fuit, an. Christi 253, cap. 6, patet. Melius autem Basnagio sensit Guilliel. Cave ejusdem sectæ cum in Dissert. 2, de Libris Ecclesiæ Græc., p. 186, col. 2, inquit, non opus esse se de luminaribus olim in Ecclesia accendi solitis agere, cum hoc præstiterint Baronius, Casalius, de Veterum Sacris Christianorum Ritibus, cap. 42; Durandus, de Rit. Eccles. Cath., lib. I, cap. 8; Ciampinus, de Sac. ædif. Constantini M., cap. 10, qui bina marmorea candelabra in Basilica S. Constantiæ exhibet tab. 29, fig. 3, ibidem.

(32. Jam diximus sub Telesphoro lumina fuisse ad Missam adhibita. Lumen hoc significat fidem populorum, quos denotant candelabra, Innoc. III, lib. II, cap. 21, vel Christi charitatem in Sacrificio, ex Augustin. sermone 214, de Tempore, vel quia Christus rubiginem peccatorum consumit; Biel., lect. 13, vel demum æternam lætitiam, quam indicat Sacramentum Gemm. Anim., cap. 118. Aliam rationem addit S. Hieron., Epist. 20, scilicet, quia exspectamus sponsum cum lumine. Tale

Digitized by Google

lumen requiritur ex gravi Ecclesiæ præcepto, ut fert communis sententia DD. quam refert Suarez, t. III, in III part., disp. 8, sect. § 3. Et sic se habet hoc præceptum ut sine ullo lumine non licere celebrare etiam ad comunicandum infirmum morte imminente, putant Henriquez, lib. IX de Eucharist., cap. 26; Bellar., Facundez et alii apud Quart., part. I, tit. 20, dub. 11. Ita ut lethali culpa non sit immunis qui totam Missam, partemve illius notabilem quocunque casu sine lumine celebrat. Unicum lumen in necessitate sufficit, uti Azorius monet lib. X, cap. 28, qu. 5, qui vult sufficere etiam sebaceum ex sevo; negat tamen Suarez, disp. 81, section. 6, nam Sancti Patres de cera semper mentionem faciunt. Sic etiam D. Ligor. tenet. Quinimo adeo a divino Sacrificio sebacea Candela proscribitur, ut casu necessitatis oleum sevo sit præferendum : et S. Congregatio de Propaganda Fide in rescripto ad Vicarium Apostolicum regni Coreæ anno 1834 dato, tantummodo usum in Divino Sacrificio permisit ceræ cujusdam ex arbore fluentis. Nec item Cera *Stearina* loco ceræ apum suppleri valet, cum in Ecclesia Dei sint ritus quidam, pro quibus cera apum ita præscribitur, ut nulla alia materia sufficiat. Cera insuper apum multis mysticis locupletatur significationibus a SS. Patribus, quibus *Stearinam* carere facile quisque videt ex ipsamet ejusdem ceræ formatione. Et Ecclesia vigilantissima in antiquis suis ritibus ac disciplinis servandis, et in arcendo omni novitatis desiderio, tolerare nequit hac in re hujusmodi abusum. Quapropter S. Rituum Congregatio die 16 Septembris 1843, proposito dubio, postulantibus reposuit : *Consulant Rubricas.*

(33. Candelæ benedictæ debent adhiberi ad usus pios. vel ad consequendos effectus, quibus est ordinata benedictio; nam res sacræ, cum sint per benedictionem sanctificatæ, pie tractari debent. Itaque licite et laudabiliter accendi possunt, dum ad Deum preces fundimus, præsertim contra molestias dæmonum, et impetum fulminum ac procellarum; item coram Reliquiis, et imaginibus, ac demum super tumulos, et sepulcra defunctorum. Peccant vero omnes, quamvis tantum venialiter, secluso tamen contemptu, qui illis abutuntur, easque accendunt in conviviis, ludis, vel comœdiis : vel ad alios usus profanos adhibent. Quarti de Procession. et Bened., tract. 11, tit. 2, dub. 1.

(34. Vetustissimus est cereorum usus in funeribus Christianorum. Eusebius enim in vita Constantini hæc habet : « Milites arreptum cadaver aurea capsa includunt, et undique purpurea veste contectum Constantinopolim perducunt : ibi tum in omnium magnificentissimis Imperatoriis ædibus celso, atque edito loco deponunt, luminibusque circumfusis aurea super candelabra accensis, admirabile spectaculum intuentibus præbebant, etc. » Vid. etiam Nazianzenum in orationibus funerum Cæsarii, Gorgoniæ, Basilii M. et Gregorii.

(35. In dedicatione Ecclesiæ, finita prima oratione, ante januam Ecclesiæ illuminari debent duodecim Candelæ foris per circuitum Ecclesiæ, dum cantantur Litaniæ. Marten., De antiquis Ecclesiæ Ritibus, tom. II, pag. 250.

(36. Candela, et quidem cerea, est adhibenda in Sacramento Extremæ Unctionis, licet diu administretur. Et hoc non solum ad Sacramenti dignitatem, verum etiam ut Sacerdos bene discernat partes inunctas, quas abstergit. Ita in Synodo Salernitana anni 1579, tit. 32, cap. 6. Vid. Catalan. in Ritual. Rom. Notandum est tamen, lethale non esse deferre Sacrum Oleum, vel illud administrare absque lumine, uti tenent Barbosa, Escobius, aliique; imo volunt aliqui nullum esse peccatum : hæc autem sententia D. Ligorio non arridet.

(37. In Matutinis Tenebrarum ex Cæremoniali Episcoporum, cap. 22, § 4, præparandum est « a latere Epistelæ candelabrum triangulare, accommodatum ad sustinendos quindecim Cereos ceræ communis, singulos ponderis unius libræ, vel circa; qui paulo ante adventum Episcopi accenduntur simul cum cereis Altaris, ex eadem cera communi. » Circa numerum Cereorum, qui in ipsis Matutinis accendi solent, ac postea singulatim exstinguuntur, quilibet finito quolibet Psalmo Matutini ac Laudum, non una fuit omnium Ecclesiarum et temporum disciplina. Romanus Ordo enim præscribit, ut eo tempore « Ecclesia omni lumine decoretur : » Alcuinus autem hæc habet : « Accenduntur in hac nocte lumina viginti quatuor, et exstinguuntur per singulas Lectiones et Responsoria. » Eumdem Cereorum numerum præscribit Ordinarium Rotomagense et Silvanectense; et Pontificale Ecclesiæ Pictaviensis lampades triginta ad nocturnum Officium accendendas statuit, per singulas Antiphonas, Lectiones, Responsoria, et versus exstinguendas. Triginta quatuor habet Ordinarium Carnotense; et Laudunense jubet, ut « ad Matutinum ponantur ante Altare quindecim Cerei, et præter hos in dextera parte Presbyteri decem et octo, et in sinistra alii decem et octo. » Vid. Martene De antiqua Ecclesiæ disciplina. Addit quoque Durandus in Rationali, lib. VI, cap 72, secundum quosdam non esse numerum certum, sed quemlibet laicum pro suo arbitrio Candelas apponere, quodque mysterio non carere fuse exponit. Notat quoque Grancolas in Breviar. Roman. cap. 55, quod supra Altare in quibusdam Ecclesiis non apponebantur candelabra, sed Cereos illos, seu lampades, fuisse, ait, luminaria suspensa, vel super elevatas trabes, quas *Hirpices* appellabant, quæque per totum Chorum extendebantur, vel supra magna candelabra, prope Altare defixa, quæ plures habebant ramos, in quibus Cerei, vel lampades, Officii nocturni tempore, accendebantur. Confer Catalani in Cæremon. Episcopal. tom. II, loc. citato. Ritum Candelæ unicæ, quæ non exstincta absconditur in fine Matutini Tenebrarum in cornu Epistolæ sub Altari, bene explicat Belthus in sua Divinorum Officiorum explicatione, cap. 101, ubi

Digitized by Google

etiam hanc ejus ritus mysticam explicationem tradit : « Una tamen, quæ in earum medio est collocata, non exstinguitur, sed absconditur, etc. Hic est Christus, qui licet videretur secundum Corpus exstinctus, secundum Divinitatem tamen vivebat, quæ illis erat occulta, etc. » Sunt etiam lectu digna, quæ in eumdem ritum notavit Durandus, citato lib. VI sui Rationalis, cap. 72, num. 25 et sequenti, ubi varias hujus ritus explicationes exhibet,

(38. Cerei Paschalis Benedictio antiquissima est in Ecclesia, et Zozimus Papa circa annum Domini 416, ut in singulis Parochiis accenderetur, statuit, Alcuinus de Div. Offic.; Amalarius Fortunatus, lib. I, v. 18, de Eccl. Offic.; Walafridus Strabo, cap. 30, de Rebus Eccl.; Micrologus, de Eccl. observ., cap. 53. Causa Benedictionis Cerei in vigilia Resurrectionis Domini exprimitur in Conc. Tolet. IV, can. 8 : « Lucerna et cereus in vigilia sacræ Resurrectionis propter gloriosum noctis ipsius Sacramentum solemniter benedicatur, ut sacræ Resurrectionis Christi mysterium quod tempore hujus noctis votivæ advenit, benedictione sanctificati luminis suscipiamus. »

CANDELABRUM.

SUMMARIUM.

1. Candelabrum septimum non adhibetur in Vesperis, neque in Missis Defunctorum, licet ab Episcopo celebrentur, sed solum in Missis solemnibus ab Episcopo celebrandis. — 2. Candelabrum septimum non debet poni super Altare, quando solemniter celebrat Episcopus suffraganeus; sicuti ponitur, quando celebrat Episcopus Ordinarius. — 3. Abbates, et Prælati Episcopo inferiores, qui Pontificalium usu fruuntur, super Altare, in quo Sacra erunt facturi, septimum nequaquam apponant Candelabrum.

(1. Candelabrum septimum non adhibetur in Vesperis, neque in Missis defunctorum, licet ab Episcopo celebrentur, sed solum in Missis solemnibus ab Episcopo celebrandis. Sac. Congregat. Rituum in Placentina, 19 Maii 1607, dub. 8. (2. Candelabrum septimum non debet poni super Altare, quando solemniter celebrat Episcopus Suffraganeus, sicut ponitur quando celebrat Episcopus Ordinarius. Ead. Sacr. Congreg. Rituum in Bracharen. 1 Septembr. 1607. (3. Abbates et Prælati Episcopo inferiores, qui Pontificalium usu fruuntur, super Altare, in quo Sacra erunt facturi septimum nequaquam apponant Candelabrum (1); Sac. Rit. Congr. in Decreto Generali, § 1, *Circa usum Pontificalium prælatis Episcopo Inferioribus concessorum*, edito coram Sanctissimo Domino Nostro Alexandro VII, die 27 Sept. 1659.

CANIS

SUMMARIUM.

1. Canes venatici teneri, et ali non possunt ab Episcopis sub pœna Excommunicationis per tres menses : neque a Presbyteris sub pœna Excommunicationis per duos menses; neque a Diaconis sub pœna privationis ab omni officio. — 2. Quæ Suspensionis pœna etiam ad Subdiaconum extenditur. — 3. Minoristæ vero Clerici arbitrio Judicis plectendi traduntur. — 4. Canes in Ecclesia inferri non possunt. — 5. Canes neque masculi, neque feminæ possunt retineri in Monasteriis Monialium.

(1. Canes venatici teneri, et alii non possunt ab Episcopis sub pœna Excommunicationis per tres menses ; neque a Presbyteris sub pœna Excommunicationis per duos menses ; neque a Diaconis sub pœna privationis ab omni Officio ; cap. *Episcopum* 1 de Clerico venatore, ibi : « Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum, Canes, aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium Personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus a communione, si Presbyter, duobus; si Diaconus ab omni Officio suspendatur (2), » (2. quam suspen-

(1) Excipiendi vero sunt Prælati, qui proprium ac separatum habent territorium, ac in Diœcesi sua Episcopalem exercent jurisdictionem. Respicit autem hic numerus septenarius Candelabrorum ad cap. 1 Apocalypsis; ubi Joannes vidit septem Candelabra aurea, et in medio Candelabrorum similem filio hominis vestitum podere, id est veste Pontificali, quasi accinctum ad sacrificandum. Innocentius III, lib. II, de Mysteriis Missæ, cap. 5, septem hisce Candelabris significari tradit, « ut ille per hoc advenisse monstretur, super quem requiescit Spiritus gratiæ septiformis secundum vaticinium Isaiæ prophetæ. » (Edit. Casin.)

(2) Caput istud quod incipit *Episcopum*, quod prostat lib. V Decretal. Gregorii IX, tit. 24, de Clerico Venatore, quodque affertur a nostro Auctore ad probandum, quod sibi proposuerat, desumptum est non a Concilio Aurelianensi, uti designat Epigraphe in fronte Capitis præfixa, uti observavit, atque animadvertit Antonius Augustinus, et post eum Gonzalez in Not. ad memoratum cap. 1 de Clerico Venat., sed in Conciliis Epaunensi et Agathensi, ubi post priora verba adducta initio hujusce Capitis hunc in modum prosequitur : *Si Episcopus est, tribus mensibus se a communione suspendat, duobus Presbyter abstineatur, uno Diaconus ab omni officio et communione cessabit.* Unde profecto lux affunditur laud. c. *Episcopum*, quod non recte Auctor noster exponit de Excommunicatione, hujusmodi enim Excommunicationes ad tempus vix occurrunt; sed rectius de suspensione erit intelligendum, quæ non infrequenter in jure solent esse temporales, quod et ipse Auctor noster alibi facit. Vide verb. *Clericus*, art. 6, n. 30. Hoc ipsum non obscure laud. cap. *Episcopum* per illa verba : *a communione, ab officio suspendatur.* Neque revera huic nostræ interpretationi obstat verbum illud *a Communione*. Hoc autem uti probe intelligatur, illud profecto sciendum, duplicem olim distingui communionem, *laicam* nimirum, et *Ecclesiasticam*, sive *Sacerdotalem* (etenim de *peregrina Communione* nihil dicam, ne videar hic lectorem longiori adnotatione detinuisse; verum, si lubet, adeatur eruditissimus Albaspinæus Observation. lib. I, observat. 3) *Communio* itaque *laica*, uti

Digitized by Google

sionis pœnam etiam ad Subdiaconum extendit Glossa in cit. cap. *Episcopum*, verb. *Voluptas*. (3. Minoristas vero Clericos arbitrio Judicis plectendos tradit ibi Ancharanus, et Hostiensis in summa, num. 4, quia tenere et alere Canes pro venatione omnibus Clericis est prohibitum; cap. *Omnibus Servis Dei*, 2, *de* Clerico Venatore; Concil. Lateranense IV, cap. 15; Concil. Agathense, cap. 55, et Concil. Wormatiense, cap. 17. (4. Canes in Ecclesia inferri non possunt; Concil. Mediolanense I, part. II, tit. *de Ecclesiis et earum cultu*; Conc. Mexican, lib. V, § 28.

(5. Propter inconvenientia secuta ex parvis Caniculis, quæ voluptatis gratia tenebantur in Monasteriis Monialium, facta fuit circa id prohibitio generalis, ne amplius intus haberentur, neque masculi, neque feminæ; Sac. Congreg. Episcop. et Regular. in Mutinensi 3 Februar. 1597, et in Justinopolitana 22 Septembris 1651.

CANON MISSÆ.

SUMMARIUM.

1. Canon Missæ quonam sensu accipiatur. — 2-5. De auctore ejusdem. — 6. Apostoli antequam Canonem instituissent ad solam Orationem Dominicam consecrarunt, postea non solum Canonem, verum et preces, quibus hodie Ecclesia utitur, in Missæ sacrificio fundebant. — 7. Varia Canonis nomina. — 8. De Canonis auctore. — 9. Indicantur quæ pertinent ad Apostolicam traditionem, quæ ad Pontif. institutionem. — 10. Mentio Pontificis. — 11. Et Episcopi. — 12. An Abbates, et alii Ordinarii non Episcopi possint nominari. Quid dicendum de Abbate Montis Casini. — 13. De nominum recitatione. *Remissive*. — 14. An possit Sacerdos pro hæreticis, schismaticis, etc. orare. — 15. De cæteris orationibus in Canone. — 16. Nonnulla de elevationis ritu,

(1. Canon Missæ pro mysticis precibus, quibus actio divina celebratur, accipitur. C. non est regula, ordo, formula, ac ritus solemnis, quo sanctissima hæc oblatio fieri debet. Idcirco enim sic concepta hæc regula fuit, ut ex nullius penderet primo arbitrio. (2. Circa Auctorem Canonis non consentiunt cum Catholicis hæretici. Sed quidquid sit, id omnino indubitatum est, quod Canon tum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus constet. (3. Primum a S. Petro Canonem institutum, et in sua Liturgia appositum fuisse probat cum aliis quamplurimis S. Isidorus, lib. I, de Ecclesiast. Off. (4. Plura a Novatoribus adducuntur, ut demonstrent cum Polydoro Virgilio, lib. V, de Inventione rer. cap. 10 Canonem Missæ non a S. Petro et ab Apostolis institutum, sed a pluribus Pontificibus variis temporibus compositum et auctum fuisse. (5. Sed his facile respondetur, Pontifices quidem aliqua verba non de novo adjecisse, sed jam a scriptoribus omissa instaurasse et restituisse, ut docet Herrera, lib. I, de Cæremon. Missæ cap. 3. (6. Contra eos, qui putant Apostolos ad Orationem tantum Dominicam celebrasse, asseri posset cum Lautdmerer, lib. II, de Vet. Mon. cap. 81, ad solam Orationem Dominicam Apostolos consecrasse, sed videlicet ante-

probat laud. Albaspinæus observat. 4 laud. lib. 1, dicebatur, non quia Clericus extra cancellos et septa Altaris Eucharisticam Communionem more laicorum perciperet, uti vulgo eruditi sentiebant, aut sub una tantummodo specie; sed ita dicebatur, quando Clericus criminis acerbitate e suo gradu expulsus, atque perpetuo dejectus, ex clerico fiebat laicus; aut in Ecclesia, et de Ecclesia erat in omnibus veluti laicus. Lege eruditissimum Episcopum loc. laud. Adeatur præterea Gonzalez in Notis, ad cap. Osius II, de Elect. qui erudite rem istam juxta nostram sententiam illustrat.

Communio porro *Ecclesiastica* nihil aliud erat, quam jus ipsum, quod inerat cuique Clericorum rite initiato obeundi Ecclesiastica ministeria suo ordini congruentia; atque hæc varia, et multiplex erat pro diversitate graduum in Ecclesia; qui enim in Episcopum allectus esset, longe alia ratione hujusce Communionis erat particeps, quam qui sola Diaconatus, aut Presbyteratus dignitate pollebat. Atque inde etiam fiebat, ut variæ ac diversæ essent hujusce *Communionis Ecclesiasticæ* privationes, sive suspensiones. Etenim nonnunquam evenire solebat, ut gradus sui honore non privaretur Episcopus, cui tamen ob aliquod crimen interdictum esset, gradus atque ordinis sui munia tantummodo exercere; uti verbi Divini administratio, pœnitentiæ concessio, et cæteræ hujusmodi Episcopatus partes et munera. Et sic deinceps de aliis inferioribus gradibus in ordine Clericali. Qua de re legendus erit laud. Albaspinæus laud. lib. 1, Observat. 1 et 2. Hujusmodi porro privationes, cum in perpetuum latæ essent ablato etiam gradus honore, erant puræ putæque atque omnimodæ depositiones ab ordine Clericali; secus vero erant meræ suspensiones, licet etiam hasce postremas privationes ad diversa depositionum genera referat ibid. Albaspinæus; sed rectius dixeris suspensiones. Insuper illud etiam adnotandum ex eodem eruditissimo Episcopo, scilicet cum in Sacris Canonibus a communione secludantur Clerici, quamvis nihil adjectum sit, quod communionis genus sit intelligendum, id *de Ecclesiastica Communione* esse accipiendum, quæ ab iisdem Ecclesiastica, nonnunquam etiam Sacerdotalis appellatur.

Hisce itaque adnotatis quam brevissime, cuique profecto patere arbitramur laud. cap. *Episcopum*, rectam interpretationem. Itaque si Episcopus, ut ibidem decernitur, sæpius in hac voluptate detentus fuerit, habendi scilicet Canes, aut accipitres ad venandum, tribus mensibus a communione sui gradus ac muneris propria h. e. ab Episcopalibus muniis suspendi jubetur; duobus vero si tantummodo Presbyter. Quæ sane de Excommunicatione sive *majori*, ut vocant, sive etiam *minori* omnino intelligi non possunt, nec debent; illa enim cessatione communionis prohibitis tantummodo Clericis ab exercendis proprii ordinis functionibus, in reliquis a Fidelium cæterorum communione non removebantur, neque a passiva participatione Sacramentorum illi arcebantur, quod fiebat per excommunicationes. Atque hæc luculentius etiam patebunt, si animum quis intenderit ad verbum illud, quod postremo loco adhibetur in laud. cap. cum loquitur de Diacono: *ab omni officio suspendatur*, quod verbum, cum etiam ad antecedentia sit referendum, de excommunicatione accipi non poterit. At de notione vocis *Communio*, prout in Sacris Canonibus antiquitus accipiebatur, agemus iterum opportunius in Nota ad verb. *Communio*. (EDIT. NEAPOL.)

Digitized by Google

quam Canonem instituissent ; nam postea non solum Canonem, verum et preces, quibus hodie Ecclesia utitur, in Missæ sacrificio fundebant. « Postquam, scribit Sanctus Proclus, in libell. de tradit. divinæ liturgiæ, Servator noster in Cœlum assumptus est, Apostoli priusquam per orbem terrarum dispergerentur, conspirantibus animis, ad toto die orandum convertebantur, et cum multam consolationem in mystico illo Dominici corporis sacrificio positam invenissent, fusissima et longa oratione liturgiam decantabant.... Quare multas decantabant preces, divinum Numen impense orantes... Qui quidem religiosus ritus observatur ad hoc usque tempus, et ad finem usque sæculi manebit. »

ADDITIONES CASINENSES.

(7. Canon Missæ a Divo Ambrosio *Regula* vocatur, ab Optato *Legitimum*, *Ordo precum* a Vigilio Papa ; *Secretum* a D. Basilio : *Actio* demum a D. Dionysio ; nam *Canon eadem actio nominatur, quia in ea est legitima et regularis Sacramentorum confectio.* Walaf. cap. 23. Inde orationes illæ, quæ incipiunt *Communicantes, et memoriam venerantes, etc. infra actionem* dicuntur, quia intra Canonem recitantur.

(8. De Canonis auctore adhuc disputatur inter scriptores etiam Catholicos. Alii putant fuisse Gelasium Papam, et alii Musæum Presbyterum Massiliensem, vel Voconium Episcopum Castellanensem in Mauritania, qui Sacramentorum libros, uti Gennadius testatur, conscripserunt. Adelmus Episcop. Lib. de Laudibus Virginitatis, cap. 23, tenet Gregorium M. illum edidisse. At ipse Gregorius lib. VII, Epist. 64, monet *super oblata preces Scholastici dicendas.* Quod licet Jansonius in suis Liturgicis, lib. III, cap. 11, arbitretur non de Canone Missæ, sed de prece quadam actioni Missæ inserta D. Gregorium affirmasse ; ibi tamen revera de Canone Missæ Pontificem fuisse locutum, patet tum ex ipso Epistolæ contextu, tum ex auctoritate Innocentii I, in epist. ad Decentium, ubi habet *de nominibus vero recitandis antequam Sacerdos precem faciat*, etc. Hancque sententiam non modo Card. Bona et Robert. Sala, verum etiam Custantius tuetur, Summ. Pontif. Epist. tom. I, pag. 837. Quod vero nomen illud *Scholastici* idem Cardinalis Bona Rer. Liturg. lib. II, cap. 11, § 2, multis allatis argumentis, probat non esse proprium alicujus hominis, sed pro viro aliquo docto et erudito accipi debere. Isidorus lib. I Offic. cap. 15. Canonis Auctorem facit Apostolorum Principem dicens : « Ordo Missæ, vel Orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primum a Sancto Petro institutus est. » Walafridus Strabo de Reb. Eccles., cap. 22, testis est incertum fuisse nono sæculo Canonis auctorem. Innocentius III, ex eo quod nulla fiat in illo Episcoporum mentio, concludit ante Silvestri tempora compositum fuisse. Demum S. Cyrillus in suis Catheches., S. Basilius, Tractat. de Spiritu Sancto, et Auctor Sacram. sub Ambrosii nomine consecrationis preces ab antiquissima traditione derivatas agnoscunt. Ex tanta ergo auctorum discrepantia in agnoscenda Canonis origine, hoc unum cum Tridentin. session. 22, cap. 4, certo affirmari potest, Canonem scilicet constare ipsis Domini verbis, ex Apostolorum traditione, ac Sanctorum Pontificum institutionibus. Cumque ejus auctorem assignare non possimus, ab Apostolis traditum fuisse censemus. Nam quod Walafridus Strabo loco supra citato ineunte sæculo nono potuit affirmare, sibi ignotum esse, quis primum illum ordinaverit, id evincit immemorabilem censendam esse illius antiquitatem, cum præsertim veteres auctores singulorum meminerint Pontificum, qui aliquid Canoni adjunxerunt, (quomodo Auctor Pontificalis in vita S. Leonis. I, Joannes Diac. in vita S. Gregorii, ac Ven. Beda in Hist. Anglor. cæterique Auctores, qui de Missa scribunt), nunquam vero primum Canonis institutorem nominaverint, quod profecto multo magis fecissent, si compertum habuissent. Qui præterea auctores, affirmando præfatos Pontifices aliquid Canoni adjunxisse satis probant, non solum ante Gregorium et Gelasium, sed etiam ante D. Leonem, qui illos in Pontificali cathedra præcessit, fuisse Canonem adhibitum. Nec obstat inveniri in Canone Apostolorum et Martyrum nomina ; nam illa certe sequiori ævo adjuncta fuere. Alia multa de Canonis antiquitate videri possunt apud Robert. Sala in adnot. ad Bonam de Rer. Liturgicar. lib. II, cap. 11, § 2. (9. Innocentius III, in sua Decretali : *Cum Martæ*, de Celeb. Missarum, dicit : « Multa tam de verbis, quam de factis Dominicis invenimus ab Evangelistis omissa, quæ Apostoli vel supplevisse verbo, vel factu expressisse leguntur ; » et ad ista pertinere affirmat, Christum in consecratione panis et Calicis oculos in cœlum sustulisse (quomodo etiam sentiunt Tertullian. in Apologetico cap. 30, et S. Ambrosius), similiter verbum *æterni* additum tanquam Novi Testamenti attributum, et alia verba *mysterium Fidei* ad exprimendam Transsubstantiationem ; et ita etiam sentit D. Thomas III Part. quæst. 83, art. 4. Sunt et alia multa, quæ Apostolicæ traditioni tribui possunt, sed brevitatis gratia prætermimus. Veniunt vero ex Pontificum institutione inter alia, ultima Canonis oratio, quæ incipit : *Nobis quoque.....* quam Adelmus lib. de Virginitate, cap. 25, D. Gregorio M. tribuit, oratio : *Unde et memores*, etc. quam multi ab Alexandro I Canoni fuisse adjunctam existimant. Robert. Sala in not. ad Card. Bonam de Rer. Liturg. lib. II, cap. 11, § 2.

(10. Prima Canonis oratio etiam Vigilii Papæ tempore legebatur, cum ipse scribat ad Justinianum Imp. « Omnes Pontifices antiqua in offerendo Sacrificio traditione deposcimus, ut Catholicam fidem adunare, regere Dominus, et custodire toto orbe dignetur. » Tamen non semper iisdem verbis legebatur apud omnes Ecclesias, ut videre est apud Robert. Sala loco citato § 3. Primo Sacerdos offert sacrificium pro Ecclesia, deinde pro Pontifice speciatim ex antiquissima Ecclesiarum consuetudine, ad significandam Eccle-

Digitized by Google

siæ unitatem, membrorumque cum capite communionem. Unde Pelagius Papa affirmare potuit referente Alcuino de Div. Offic. c. 10 : « Constare ab universi orbis communione separatos esse, qui qualibet dissensione, inter sacra mysteria Apostolici Pontificis memoriam secundum consuetudinem non frequentant. » Agobarbus vero ex edit. Stephani Baluzii tom II, pag. 49, ita commemorat ejusdem Pontificis verba ad Episcopos quosdam, qui in Missarum solemniis ejus nomen reticebant : « Divisionem vestram, ait Pelagius, a generali Ecclesia, quam tolerabiliter ferre non possum, vehementer stupeo, quum enim Beatissimus Augustinus Dominicæ sententiæ memor, quæ fundamentum Ecclesiæ in Apostolicis Sedibus collocavit, in Schismate esse dicat, quicunque se a Præsulum, earumdem Sedium auctoritate, vel communione suspenderit, nec aliam manifestet Ecclesiam, nisi quæ in Pontificalibus Apostolicarum Sedium est solidata radicibus, quomodo vos ab orbis communione separatos esse non creditis, si mei inter sacra mysteria, secundum consuetudinem, nominis memoriam reticeritis, in quo, licet indigno, Apostolicæ Sedis per successionem Episcopus præsente tempore videtis consistere firmitatem. » Demum Legati Hormisdæ his verbis ad Pontificem narrant id, quod ipsis contigit in Troili Scampinæ civitatis Episcopi reconciliatione : « Confitemur, inquiunt, Beatitudini vestræ tantam devotionem, tantas Deo laudes, tantas lacrymas, tanta gaudia difficile in alio populo vidimus. Prope omnes cum cereis, viri cum mulieribus, milites cum Crucibus nos in Civitatem susceperunt. Celebratæ sunt Missæ, nullius nomen obnoxium religioni est recitatum, nisi tantum Beatitudinis vestræ. » Cum vero Ecclesiæ sæculo sexto tam clara habeamus argumenta de Pontificis in Canone mentione, talis tamen consuetudinis origo a primis usque sæculis petenda est. Nam lib. VIII Const. Apostolicar. quæ aut ab ipso Clemente Papa et Martyre vulgatæ fuere, vel ab alio Auctore, qui sæculo secundo, aut saltem tertio ineunte vixit, cap. 12, hic ritus ab omnibus observari præcipitur, et laudatus Pontifex his verbis de se ipso mentionem facere dicitur : « Adhuc obsecramus te pro me, qui nihil sum ; » unde etiam hodie Pontifex de seipso dicit : « Una mecum indigno famulo tuo, quem Gregi tuo præesse voluisti. » Innoc. III, lib. III, de Myst. Missæ, cap. 5; Thom. Walden. tom. III, tit. 4, cap. 37, n. 5; et Gavant. Part. II, tit. 8, rub. 2, a Christo Domino hunc ritum derivari affirmant, qui in Cœna rogavit pro Petro, ut non deficeret fides ejus.

(11. Deinde fit in Canone commemoratio Episcopi cum S. Paulus, Heb. XIII, *Mementote*, dicat, *Præpositorum vestrorum*, et similiter S. August. epist. 110, in fine docet pro Episcopo in Missa orandum. Quamvis vero Innoc. III, lib. III, c. 5, cum Alcuin. de Celebrat. Miss. asserat Episcopum nominari Celebrantis, tamen rubrica aperte dicit, nominari debere Episcopum Ordinarium loci, in quo celebratur, cum præsertim Romæ hæc

verba omnino omittantur, quia Pontifex est Urbis Episcopus Ordinarius. Quapropter Celebrans in aliena Diœcesi non potest suum Episcopum nominare, sed si non recordaretur nomen Episcopi loci in quo celebrat, potest nomen tantum omittere, et proferendo verba *pro Antistite nostro*, intelligere *mentaliter* Antistitem in cujus Diœcesi celebrat. Pasqualig. de Sacrif. novæ Legis, tom, I, tract. 1, quæst 27, sub num. 26, et Angel. part. I, tit. 7, num. 60. Ecclesia Episcopo viduata, minime nominandus est Vicarius Capitularis, qui licet vere sit Ordinarius non est tamen Antistes. Nec potest nominari in Occidentali Ecclesia Archiepiscopus vel Patriarcha Provinciæ, quia non sunt Ordinarii in Diœcesibus suffraganeorum, quamvis aliquam exerceant jurisdictionem. Aliter tamen tenent Græci, cæterique Orientales. (12. Abbates et alii Ordinarii, qui non sint Episcopi, nominari non possunt. Gavantus ex Decreto Sacr. Congr. affirmat Regulares nominare non posse loco Episcopi suos Superiores, nec Clerici Sæculares suum Superiorem, qui non sit Episcopus. Multi tamen excipiunt Abbatem Montis Casini, qui a suis subditis Sacerdotibus nominari solet in Canone. Et quamvis S. Congregatio in Casinen. die 5 Februar. 1684, negativum responsum dedit ad 1 dubium Clero de Borrea Casinen. *Nullius Provinciæ Capuanæ*, tamen non derogavit immemorabili consuetudini, quæ in contrarium viget, nam in illa petitione erat expressum, Abbatem Casinensem nominari in Canone, propter jurisdictionem quasi Episcopalem, quam communem habet cum cæteris Abbatibus Ordinariis. Minus tamen recte id assertum fuit, nam non propter jurisdictionem istam nominari solet, sed propter immemorabilem consuetudinem, cujus documenta videri possunt apud Angel. de Nuce, Rosanen. Archiep. in notis ad Chron. Casinen. lib. I, cap. 4, qui testis est, suo tempore Sacerdotes post Pontificem, Abbatem nominare, et affert præterea in hujus rei confirmationem vetustissimum Missale Casinense Desiderii tempore exaratum, ubi hæc verba leguntur : *una cum Papa nostro N. et Abbate nostro N.* Quapropter, cum Sac. Congregatio juxta exposita tantum responsum dedit, eumque præterea nullam addidit clausulam immemorabilis consuetudinis derogatoriam, hodie quoque nonnulli in ea Diœcesi nomen Abbatis pro tempore Canoni addunt, « nam cum peculiaries consuetudines locorum sint facti, et in facto existunt, præsumitur Superior eas ignorare, adeoque non censetur velle ipsis in aliquo derogare, nisi expresse id caverit, » uti loquitur Reiffenst. in suo Jure univer. lib. I Decret., tit. 4, § 183. Neque obstat Gavantum excludere omnino omnes, qui non sunt in Episcopali ordine constituti, quia inquit, « rubrica loquitur de Episcopo Ordinario, et Prælati Nullius, quamvis veniant sub nomine Ordinarii, non veniunt tamen sub Episcopi nomine. » Responderi enim potest cum Angel. de Nuce loc. cit. Quod vis « nonnulli insistentes generalibus

Digitized by Google

Cancellariæ regulis, Monasterium Casinense appellent Nullius, tamen propriæ et Episcopalis Diœcesis est, et appellari debet, ejusque Prælatus, cum singularem quamdam ac propriam, alteri non communem obtineat prærogativam dignitatis, omnimodam Episcopalem jurisdictionem, exceptis iis quæ ad ordinem spectant, obtinet, et sæpe etiam Episcopus nominatur. » Sed ne in istis amplius moremur, ipse Merat. in adnot. ad Gav. Thes. Sac. Rit. part. II, tit. 8, rub. 2, not. 6, affirmat neminem nominari posse in Canone, ut dicit Gavant., nisi tamen aliquod militet singulare Privilegium Apostolicum, vel legitima et inveterata consuetudo, qualis viget in Galliis pro Rege, et Venetiis pro Duce.

(13. De nominum recitatione et de Diptychis alibi erit sermo. (14. Monendum tantum hic est cum Azor. lib. x, cap. 22, quæst. 3, posse recte Sacerdotem in *Memento* pro Infidelium, Hæreticorum, Schismaticorumque conversione ad Deum intercedere, cum illa sit privata, non publica precatio. (15. Oratio *Communicantes* non significat autem fidelium, ut aliqui volunt, sed Sanctorum Communionem, uti patet ex sequentibus verbis : *Et memoriam venerantes.* Addita fuit Canoni juxta Radulphum et Durandum a Siricio Papa, alii tamen tribuunt Lino. Antiquissima est Sanctorum memoria in Canone, et aliqui propterea dicunt non inveniri nisi tantum Martyrum nomina, nam Ecclesia prioribus sæculis nondum Confessores venerari solebat. Alii vero putant, tantum Martyres nominari, quia proprii Sanguinis effusione mortem Domini imitati sunt, de qua memoria recolitur in Missa. Em. Card. Bona etiam advertit : Omnes Martyres qui in canone nominantur, vel Romæ, vel in locis Romano Patriarchatui immediate subjectis passos esse. De reliquis Canonis partibus vide eumdem Bona, Rer. lit. lib. II, cap. 12, et ejus adnotat. Robert. Sala, Macri Hier. verb. *Canon Missæ*, Gavant. part. II, tit. 8. (16. Aliquid tamen hic addere oportet de Elevationis ritu in Ecclesia Græca ab antiquissimis temporibus adhibito, non ita in Latina. Dionysius cap. 3. « Eccl. Hierar. Divinissima, inquit, consecrat Mysteria, et in aspectum ducit, quæ celebravit. » S. Basilius vero lib. de Spirit. Sancto, cap. 27 : « Invocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistiæ, et poculum benedictionis, quis Sanctorum scripto nobis reliquit ? » Sic etiam S. Germanus in Contemplatione Rerum Ecclesiasticar. et Anastasius Synaita serm. de Sacra Synaxi. Græci vero paulo ante communionem Hostiam et Calicem elevant, ut populus Dominicum Corpus et Sanguinem adorare possit, Latini peracta consecratione, Maronitæ demum post Dominicam orationem, et ita etiam Æthiopes Basnagius exsurgit contra hujus ritus antiquitatem in Græca Ecclesia, contendens Dionysium non loqui de Elevatione in Missa, et S. Maximum etiam in suis Scholiis dubitanter de Elevatione explicasse allata Dionysii verba, dicens : « Forsitan intelligit elevationem et exaltationem, quæ fit post divini Panis consecrationem, dum hunc Sacerdos extollit, dicens : Sancta Sanctis, quod magis congruit veritati; » sed si Scholion integrum Basnagius legisset, agnovisset equidem hæc dubitantis non esse verba cum ibi legatur : « Certe hoc manifestum est, quod Pontifex sanctum Panem attollens ostendebat benedictionem, seu Sacramentum, dicens : Sancta Sanctis. » Quamvis recentior sit in Latina Ecclesia elevationis ritus, tamen excedit XII sæculi initium. In ord. Rom. Mabillonii n. 16, et in ord. Rom. Hittorpii legitur : « Cum Sacerdos dixerit *Per ipsum, et cum ipso,* Archidiaconus levat cum offertorio (palla scilicet, quam Mozarabes filiolam appellant) calicem per ansas, et tenet exaltans illum juxta Pontificem, Pontifex autem tangit a latere calicem cum oblatis dicens : *Per ipsum, et cum ipso per omnia sæcula sæculorum,* et ponit Pontifex oblationes in loco suo, et Archidiaconus calicem juxta eas, demisso offertorio in ansas ejusdem. » Micrologus in fine sæculi XI, cap. 17, hæc habet : « Quum dicimus *Per omnia sæcula sæculorum,* Corpus cum calice levamus, et statim in altare deposita cooperimus, scilicet, demisso offertorio in ansas calicis, » sed cum Berengarius post medium sæculum XI, suam hæresim in Galliam propagare cœpisset, in ejus detestationem Catholici statim post Consecrationem panis, Corpus elevabant, adorabantque, similiter etiam Sanguinem post calicis consecrationem. Qui mos ita paulatim invaluit in tota Latina Ecclesia. Illius Hildebertus Cenomanensis juxta sæculi XII initium meminit in Expositione Missæ, pariter Robertus Paullulus inter opera Hugonis Victorini, qui scripsit circa annum 1184, sæculo autem XIII, communis erat talis consuetudo in Latina Ecclesia. Vide Robert. Sala in Bon. lib. II, cap. 13, § 2 et Zaccar. Bibl. Rit., tom. III, part. II, disp. 2, § 21.

CANONES.

SUMMARIUM.

1. Canonum statuta ab omnibus custodienda. — 2. Canones pœnitentiales utiliter in multis Synodis sunt impressi, ut Confessarii eos addiscant. — 3. Canon quid sit. — 4-6. Canones disciplinam exteriorem præscribentes ex temporum, locorum, et personarum circumstantiis expendendi, quum nonnunquam temperati, et mutati fuerint, ne a vero eorum sensu aberretur. — 7. Quid Patres in condendis Canonibus sibi proposuerint. — 8. Nulli Sacerdotem licet ignorare Canones. — 9. Canones editi ad formandos mores, vitia eluenda, atque rite regimen Ecclesiæ instituendum potius sunt juris naturalis ac divini interpretatio, et ad particulares casus applicatio, quam juris positivi nova constitutio. — 10. Proinde nulla consuetudo, nec contraria praxis eosdem in totum abrogare potest. — 11. Canonum relaxatio quibus de causis facta, et qua cautione. — 12. In Canonibus perscrutandis quænam attendenda sint. — 13. De Canonis vocabulo. — 14. Unde necessitas vulgandi Canones. — 15. Et quare collecti. — 16. De variis methodis in eorum collectionibus

Digitized by Google

sis. — 17. De Canonum Apostolorum collectione. — 18-20. Collectiones apud Græcos. — 21. Latina Ecclesia quando Canonum collectionibus fuerit usa. — 22. Collectio Dionysii Exigui. — 23. Fulgentii Ferrandi. — 24. Martini. — 25. Cresconii. — 26. De Collectione Isidori Mercatoris. — 27. De cæteris collectionibus post Isidorum editis.

(1. *Canonum statuta ab omnibus custodienda* dicitur in cap. 1 de Constitution. potissimum autem ab Episcopis, qui sunt custodes Sacrarum regularum, uti habetur in cap. *Cum scimus*, 9, quæst. 3, quique in sui consecratione se ad id arctissimo obstringunt juramento, ut in cap. *Ego N.* de Jurejur. Bened. IV, de Synodo Diœces., lib. VII, c. 65, n. 1.

(2. Canones Pœnitentiales utiliter in multis Synodis sunt impressi, ut Confessarii eos addiscant, et pœnitentes moneant, quanta olim pœnitentia pro quibusdam criminibus imponeretur. Idem ibid. num. 5, 6, 7. Vide Verb. *Pœnitentiæ Sacramentum*, art. 3, n. 49, ubi afferuntur.

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(3. Ecclesiastica Constitutio Canonis nomine designatur. Canon idem est ac Regula, quæ dicta est ex eo, quod recte ducit, neque aliquando aliorsum trahit. (4. Canones disciplinam exteriorem præscribentes ex temporum, locorum, et personarum circumstantiis potissimum expendendi sunt. (5. Certum enim est Canones pro temporum, locorum, personarum, aliarumque causarum consideratione et necessitate editos fuisse, et nonnunquam temperatos, aut eadem postulante consideratione, aut necessitate mutatos. (6. Ob neglectam hanc considerationem sæpe a vero Canonum sensu aberratur. (7. In condendis Canonibus nihil aliud sibi Patres proposuerunt, quam ut fidelibus, ac præcipue Ministris Ecclesiæ in suis Decretis seu Canonibus vivendi rationem, atque Ecclesiæ rite administrandæ optimam, maximeque convenientem disciplinam præformarent. (8. Nulli proinde Sacerdotum licet Canones ignorare; quandoquidem eorum neglectui corruptionis Moralis Christianæ primam causam ascribere non verebatur Christianus Lupus, Præfat. in Scholia. (9. Canones editi ad formandos mores, vitia eluenda, atque rite regimen Ecclesiæ instituendum, tametsi aliquid Juris positivi contineant, præcipuum nihilominus, quod in iis occurrit, atque decernitur, potius juris naturalis ac divini interpretatio, declaratio, atque ad particulares casus et causas applicatio, quam juris positivi nova constitutio dicenda est. (10. Proinde nulla, quantumvis inveterata consuetudo, nec contraria multorum praxis Canones in totum abrogare poterit. (11. Quod si Canonum rigor etiam Patrum ætate nonnunquam relaxatus fuerit, hæc relaxatio, nonnisi necessitate urgente, aut publica Ecclesiæ utilitate flagitante, indulta est; idque ea semper cautione, ut cessante necessitate, pristinus Canonum rigor servaretur. Sed nequaquam propterea Canonum mitigatio ab eorum studio ac diligenti perscrutatione deterrere debet. (12. In Canonibus perscrutandis ratio et spiritus magis quam verba attendenda sunt, ut hinc et sanctissimæ ac utilissimæ non raro ibi contentæ morum regulæ facilius detegantur, et intimus quoque Ecclesiæ Patrumque sensus quam clarissime innotescat et percipiatur. Canonibus ex mente Ecclesiæ perpensis, cuinam dubium, quin præcipue Clericorum quisque deprehendat, continuam et jugem in Ministeriis Ecclesiasticis occupationem ab Ecclesia maximopere inculcari; et dum leges ab oneribus tum civilibus tum personalibus Clero exemptionem indulgent, id principaliter intendi, non ut Clerici otio vacantes vitam oneribus exemptam agant, vel commodis temporalibus augeantur, sed ut jugiter, ac sine distractione Altaribus deservire queant, id est vivere ut evangelizent?

ADDITIONES CASINENSES

(13. Quamvis hic nomine Canonis Ecclesiæ leges significemus, tamen proprie *Canon* architectorum, necnon aliorum artificum est instrumentum, quo lineæ diriguntur; atque etiam norma et regula ad quam opus omne tam in mechanicis, quam liberalibus artibus exigendum est. Doujat, Prænot. canon, lib. II, cap. 21, et Devoti. Peculiari vero quadam ratione tum apud Græcos, tum apud Latinos *Canon* morum regulam significat. Hinc Ecclesia suis constitutionibus hujusmodi vocabulum accommodavit; sive quod a Legis nomine, ut pote imperiosum quiddam nimiumque durum sonante, abhorreret, sive quod Juris Ecclesiastici dignitatem magis regulæ nomen, et exinde *Canonis*, decere arbitrata sit, cum hominum mores informare et regere debeat.

(14. Primis Ecclesiæ temporibus, beatissima illa ætate, qua omnes Christi fideles flagrantissima ardebant charitate, vix ullas novas leges condere opus fuit; at labentibus annis vulgandi Canones necessitas apparuit, quum multa regulis indigerent, quibus apte componerentur. Hoc ipsum vero Constantini M. tempora præcessit, et cum adhuc Fideles sub sævissimo Ethnicorum Principum jugo tenerentur, factum est. (15. Quamobrem aucto in dies Canonum numero, ne incerto vagarentur, atque ut omnibus facilius innotescerent, ex multis Conciliis collecti, in unum corpus collati fuere, idque primum in Orientali, postea in Occidentali Ecclesia peractum est. (16. Variæ variis temporibus prodiere hujusmodi Canonum collectiones, quarum non una eademque fuit ratio, et methodus. In aliis enim Canones integros legimus, in aliis vero contractos, quædam solummodo Canones, quædam aliæ Canones simul et leges continent, et hæ *Nomocanones* a Græcis appellantur. Methodum etiam in istis collectionibus differre facile colligitur ex eo, quod in antiquioribus ut plurimum ratio temporum est servata, in recentioribus materiarum, ad certa enim capita et titulos relati sunt Canones, ut materia ipsa poscebat. (17. Antiquissima, cujus mentio fit in Ecclesiasticis monumentis, est collectio *Ca-*

Digitized by Google

nonum Apostolorum, quos Græci numerant octuaginta quinque, Latini quinquaginta tantum. De horum Canonum auctore, collectione, authenticitate et auctoritate, vid. verb. *Apostolus* n. 15, 16 et 34 ad 42, præsertim vero doctissimam Hieronymi Ballerini dissertationem De antiquis Canonum collectionibus. (18. Post Canones Apostolorum alia est collectio, cujus mentio habetur in Concilio Chalcedonensi. Hæc fortasse initio tantum Canones Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses atque Gangrenses comprehendit; verum postea ei variis additionibus locupletatæ, etiam Canones Antiocheni, Chalcedonenses, Constantinopolitani, Laodiceni accesserunt; ac medio VI sæculo Ephesini additi sunt. (19. Denique Joannes cognomento *Scholasticus* Presbyter Antiochenus, deinde Justiniano Imperatore, Constantinopolitanus Patriarcha, novæ collectionis auctor fuit, quam in quinquaginta titulos distribuit. In ea leguntur Canones Apostolorum 85, Nicæni 20, Ancyrani 25, Neocæsarienses 14, Sardicenses 21, Gangrenses 20, Antiocheni 25, Laodiceni 59, Constantinopolitani 6, Ephesini 8, Chalcedonenses 27, et Canones 68, ex epistolis S. Basilii desumpti. Joannes idem Scholasticus *Nomocanonem* etiam edidit in titulos quinquaginta divisum, ac per materiam distinctum, adjectis legibus præsertim ex Codice et Novellis Justiniani eductis. (20. De cæteris apud Græcos Canonum collectionibus Photii, Simeonis Logothetæ, Alexii Aristini, Arsenii, Harmenopoli, vid. Joann. Doujat., Prænot. canon., lib III, cap. 6; Jos. Anton. Brupum. *Introduzione alla Giurisprudenza Canonica*, part. IV, cap. 1, § 3; Justell. et Voell. Biblioth. canon., tom. II.

(21. Serius Latina Ecclesia Canonum collectionibus est usa, cum ante Nicænam Synodum Traditionis et Sacræ Scripturæ regulis moderaretur: habita vero Nicæna Synodo, ejus Canones latine redditi sunt, quibus una cum Sardicensibus uti cœpit. Ballerin., de Antiq. collection. Latinis, Quesnell. De codice Canon. Rom. Eccles. Lapsu temporis Græcorum codex privato studio latine redditus est, et ante Dionysianam collectionem duæ præsertim exstiterunt versiones, *Isidoriana* nempe ex Isidori collectione vulgata, et *Prisca*.

(22. Celeberrimum in rem nostram Dionysii Exigui opus est collectio Canonum et Constitutionum Sedis Apostolicæ. Fuit vero Dionysius instituto Monachus, natione Scytha, domicilio Romanus, cujus quanta esset in Græcis, Latinisque litteris peritia, ac in studio totius sacræ eruditionis celebritas, satis exposuit Cassiodorus, qui eo familiariter usus, post ejusdem mortem circa annum 556, insigne de eo testimonium inseruit libro de Divinis lectionibus, cap. 23. Hæc Canonum collectio in partes duas distinguitur; quarum altera Synodorum Canones, altera Romanorum Pontificum epistolas complectitur. Hæc serius in lucem venit, et epistolas comprehendit Pontificum a Siricio ad Anastasium II usque. Novam vero Græcorum Canonum versionem, quam ipse absolvit, *usu celeberrimo*, ut inquit Cassiodorus, Ecclesia Romana tunc temporis amplexa est. Dionysii collectionem additionibus auctam Carolo M. Francorum Regi Romæ tradidit Adrianus I, Pontifex Maximus; quapropter *Adriana* vocatur, et quamdam Apostolicam auctoritatem obtinuit, et passim *Codex Canonum* nuncupari cœpit.

(23. Celebrantur etiam collectiones Africanæ, Hispanicæ, Gallicanæ, quæ plures numero sunt, et in his fere integra referuntur Ecclesiastica monumenta, habita ratione temporum. Non defuerunt tamen, qui breviter et summatim Canones redderent, et in certos titulos distribuerent: inter quos primum obtinet locum Fulgentius Ferrandus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus, qui collectionem suam *Breviationem Canonum* appellavit.

(24. Eadem, qua Ferrandus, ætate florebat Martinus Bracarensis Episcopus, cujus percelebris est collectio Canonum, seu capitulorum; quorum pars altera respicit Episcopos, Clerumque universum, altera, quæ ad laicos pertinent, complectitur. (25. Deinde Cresconius Africanus Episcopus majorem collegit Canonum copiam, atque *Breviarium Canonum et Concordia*, sive *Librum Canonum* edidit.

(26. Præter cæteras, quæ diversis locis lucubratæ fuerunt Canonum collectiones, digna est ut diligentius exponatur collectio Isidori *Mercatoris* aut *Peccatoris*, ob quam magnæ excitatæ sunt turbæ, ex eo quod Isidorus veris, quæ ex collectionibus Hispanica, Adriana, aliisque excerpsit, falsa non pauca monumenta admiscuit, quæ vel ipse confixit, vel ab aliis conficta litteris mandavit. Continet hujusmodi collectio præter quinquaginta Canones Apostolorum ex Adriana collectione, epistolas Romanorum Pontificum a Clemente usque ad Silvestrum, quarum omnium ipse Isidorus auctor fuit, exceptis duabus Clementis ad Jacobum litteris; tum Canones plurium Conciliorum, in quibus falsa habetur Constitutio Constantini ad Silvestrum; postremo Pontificum litteras ab ipso Silvestro ad Gregorium M. aliis cum epistolis ac monumentis, quorum pars ex aliis collectionibus sumpta vera est atque germana, præter epistolas omnes Pontificum Siricio antiquiorum ab Isidoro confictas, exceptis S. Damasi ad Paulinum litteris, pars altera cum actis Concilii Romani sub Julio et Concilii I, V et VI, sub Symmacho, excogitata et inventa est. Item conficta sunt capitula falso Adriano I, Pontifici, et Angilramno Metensium Episcopo tributa, eaque post falsas Isidorianas decretales prodierunt. Quamvis Isidori collectio usum atque auctoritatem aliquando obtinuerit, tamen hodie clara, et non suspiciosa est falsitas decretalium ac monumentorum, quæ ex penu Isidori educta sunt.

(27. Plures deinde secutæ sunt collectiones, quarum non eadem omnium methodus fuit. Et præter *Collectionem Canonum Pœnitentialium*, cujus incertus est auctor, memoratu dignæ sunt collectiones Reginonis Monachi Benedictini, qui opus edidit *de Ecclesiastica Disciplina et Religione Christiana*;

Digitized by Google

Sec. XI. Burchardi Wormatiensis *Magni decretorum voluminis* auctoris; Anselmi Lucensis, cui tribuitur *Authentica et compendiosa Collectio Regularum, et sententiarum SS. Patrum, et authorabilium Conciliorum*, denique Ivonis Carnotensis, qui *Excerptiones Ecclesiasticarum regularum*, et *Panormiam* vel *Pannormium* evulgavit. Sunt et alii qui in colligendis Canonibus operam posuerunt, sed de omnibus dicere longum esset.

CANONICATUS.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Quid sit Canonia, seu Canonicatus, et Canonicus? et unde dicatur.*

1. Canonia vulgo Canonicatus est Jus spirituale, quod provenit ex electione, seu receptione alicujus in Fratrem, seu Canonicum. — 2. Hoc Jus spirituale, quod præbet Canonia, consistit primo in Jure habendi in Choro sedem, et vocem in Capitulo. — 3. Secundo consistit in hoc, ut quam primum facultas sese obtulerit, Canonico eamdem Canoniam legitime obtinenti, etiam conferatur Præbenda, seu competens portio fructuum Canonicalium. — 4. Si quis enim simpliciter in Canonicum receptus fuerit antequam reditus Canonicales eidem assignentur, sive conferantur, dicitur habere Canoniam, hoc est Canonicatum, nondum vero Præbendam. — 5. Siquidem Præbenda ulterius importat Jus ad percipiendos fructus annuos Canoniæ, sive debitos ex titulo Juris Canonicalis. Unde qui habet utrumque, is Canonicus Præbendarius appellatur. — 6. Canonici nomen idem est ac Regularis : venit enim a voce Græca *Canon*, quæ regulam significat. — 7. Canonicorum prima origo fuit in Monastica Disciplina. — 8. Hinc Sanctus Augustinus ad communem vitam in Domo Episcopali Sacerdotes, et Diaconos congregavit, cujus exemplum secuti sunt plurimi Africæ Episcopi, et illi Sacerdotes, et Diaconi pro ministerio suo Distributiones bonorum Ecclesiæ accipiebant. — 9. Tuncque primum *Canonici* dicti sunt illi, qui eas recipiebant, eo quod Ecclesiæ adscripti vitam *Canonibus* conformem ducerent. — 10. Et ipsis etiam fundos per vitam suam possidendos assignabat Episcopus, et sic Canonicorum, et Præbendarum origo, nomen et usus, invaluit. — 11-17. Quare Canonici dicti sunt. — 18-20. De Regula Crodegangi. — 21-24. De origine Collegiatarum. — 25-28. Canonicorum Regularium origo. — 29-34. In quo differat præbenda a Canonia. — 35. Rursus de Canonicorum nomine. — 36, 37. De ratione illorum institutionis. — 38-42. De Canonicorum Collegiis, deque Capituli nominis origine. — 43, 44. Unde seculares dicti.

ARTICULUS II. — *Canonicatus quoad Collationem et possessionem.*

1. De Jure collatio Canonicatuum in Ecclesiis Cathedralibus simultanee spectare præsumitur ad Episcopum et Capitulum. — 2. Consuetudo tamen in contrarium attendi debet, videlicet, quod ad solum Episcopum privative quoad Capitulum, vel e converso ad solum Capitulum privative quoad ipsum Episcopum collatio, seu provisio pertineat. — 3. Consuetudo Canonicatus, et Dignitates conferendi a Capitulo irrequisito Episcopo probatur ex collationibus factis tantum ab eodem Capitulo. — 4. Quæ consuetudo ad exclusionem simultaneæ collationis præscribitur spatio 40 annorum. — 5. Nedum in Ecclesiis Cathedralibus, sed etiam in Ecclesiis Collegiatis secularibus collatio, seu provisio Canonicatuum spectat simultanee ad Episcopum, et Capitulum. — 6. Nec pertinet ad solum Episcopum. — 7 Nisi consuetudine, aut pacto dictos Canonicatus conferendi facultatem acquisiverit. — 8. Quo casu Episcopus habens vigore pacti, aut consuetudinis facultatem conferendi Canonicatus Ecclesiæ Collegiatæ excludit reservationem in vim alternativæ. — 9. Quando Canonicatus sunt simultaneæ collationis, Indultum concessum Ordinario suffragatur etiam Capitulo. — 10. Imo quando est simultanea electio: seu collatio inter Ordinarium, et Capitulum, si Ordinarius reperiatur exemptus a regula octava Cancellariæ, hæc exemptio prodest etiam Capitulo. — 11. In his collationibus simultaneis Episcopi, et Capituli tantam potestatem habet Episcopus solus per se, quantam habet totum Capitulum, et e contra. — 12. Si Episcopus conferat uni, et Capitulum alteri, neutra collatio valebit. Unde cum neutra collatio valeat, si Papa provideat tertio, etiam sequenti die ille dicitur habere potius Jus, et ejus possessio erit bona. — 13. Imo stante discordia inter Episcopum, et Capitulum, Papa non tenetur conferre tale Beneficium uni vel alteri nulliter per Episcopum, et Capitulum provisis, nec gratificari digniori. — 14. Sede Episcopali vacante, vel Episcopo a Beneficiorum collatione suspenso, stante simultanea, collatio spectat ad Capitulum jure proprio. Sicuti e contra effecto inhabili Capitulo, collatio jure proprio spectat ad Episcopum. — 15. Possessio Canonicatus, sive dignitatis, quæ sit de Capitulo, capitulariter capi debet. — 16 Aliter si non sit capitulariter capta, est nulla, nec est manutenibilis. — 17. Imo possessio non capitulariter capta de Canonicatu, non suffragatur, quamvis fuisset capta de mandato Executoris Litterarum Apostolicarum.—18. Ut possessio dicatur capitulariter capta, debet convocari Capitulum ad sonum Campanæ. — 19. Quæ si sit capta sine prævio sono Campanæ, non dicitur capitulariter capta, et est nulla, de cujus soni attestatione non statur depositioni Notarii sine testibus. — 20. Possessio, ut dicatur capta, debet Canonicus sedere in sede propria Canonicatus, de quo agitur, et non in alia. — 21. Capta hora Missarum cum assignatione stalli in Choro, et loci in Capitulo, est sufficiens. — 22. Habetur possessio pro capitulariter capta, si Capitulum sine justa causa eam tradere recusavit. — 23. Ita ut Capitulo alleganti justam causam incumbat onus eam probandi. — 24. Habetur etiam pro capitulariter capta, si prima Dignitas demandavit convocari Capitulum, et vocati noluerint intervenire nisi duo, vel tres Canonici, in quibus dicitur residere totum jus Capituli. — 25. Imo Capitulum potest repræsentari in unico Canonico in casu traditionis possessionis Canonicatus, et omnibus Canonicis injuste reluctantibus, potest possessio tradi ab unico Canonico, et sic tradita, et capta est manutenibilis. — 26. Aliquo impedimento existente, propter quod possessio capitulariter capi non possit, sufficit, si aliter capiatur. — 27. Possessio Canonicatus, quod sit legitime capta, justificatur ex actibus Canonicalibus per Canonicum gestis cum præsentia, et patientia Capituli. — 28. Hinc Canonicus si successive post adeptam possessionem non capitulariter captam ex patientia Canonicorum ad actus Canonicales Canonicis tantum competentes admissus fuerit, tunc censetur legitimus possessor. — 29. Talis autem patientia Capituli, seu Canonicorum non sufficit ad validandam possessionem in præjudicium tertii, qui inter actus prædictos Canonicales apprehendit possessionem capitulariter. — 30. Canonicatum injuste possidens superveniente sibi novo titulo valido potest continuare possessionem ipsam de facto, mutato solum primo jure, et titulo possessionis; quæ mutatio ipso jure statim facta intelligitur

Digitized by Google

data notitia actorum tituli etiam absque alia declaratione. — 31. Imo si Canonicus falsus diu steterit in possessione, et deinde a Papa obtinuerit provisionem, non est necessaria nova apprehensio, et installatio. — 32. Pro admissione ad possessionem Canonicatuum, aut Præbendarum, et Distributionum quotidianarum sunt prohibitæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitæ, aut etiam, quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra. — 33. Dulciaria multa sunt de genere prohibitorum a Concilio Tridentino, ab aliquo Capitulo exigendorum pro admissione in possessionem alicujus novi Canonici. — 34. Neque dulciaria quædam vulgo nuncupata *Confeturæ* possunt exigi pro admissione ad possessionem Canonicatus, etiam concurrente consuetudine antiquissima. — 35. Unde consuetudo donandi aliquid in ingressu, et admissione alicujus ad Canonicatum est sublata per Concilium; prout et illa, secundum quam provisi solvunt cæteris prandium, et talis consuetudo est abolenda. — 36. Sic consuetudo, quæ imponit onus recepto in Canonicum, quod tendat in utilitatem Canonicorum, etiamsi convertatur in reparationem, et restaurationem prædiorum, molendinorum, et quorumcumque bonorum mensæ Capitularis, est reprobata per Concilium. — 37. Unde nec Episcopus cum consensu Capituli statuere potest, ut aliquid minimum solvatur in ingressu Canonicorum. — 38. Nec Episcopis licet quidquam sibi accipere pro collatione Canonicatus, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili. — 39. Non reprobantur autem statuta, et consuetudines de serviendo per annum, vel aliquod tempus, et nihil percipiendo interim de Massa grossa nisi peracto integro dicto servitio. — 40. Si in Ecclesiis illis, in quibus adest consuetudo, ut Clerici, et Presbyteri Canonici antequam admittantur ad participationem Massæ, debeant inservire per plures annos, et Missas celebrare gratis, est servanda. — 41. Valet etiam, et servanda est consuetudo Ecclesiæ Astensis, quod fructus spectent ad Capitulum, donec Beneficiatus sit Sacerdos. — 42. Observanda est Constitutio facta per Episcopum, et Capitulum post Concilium Tridentinum ad solvendam certam quantitatem ratione novæ possessionis Canonicatuum, quæ integra cedat in fabricam Ecclesiæ. — 43. Si in aliqua Ecclesia sit consuetudo, ut duobus primis annis, quibus quis fuerit Canonicus; fructus Canonicatus sint Hæredum antecessoris, iste casus non comprehenditur in prohibitione. — 44. Clericus quamvis ignobilis, et parum scientificus eligi, seu præsentari potest in Canonicum Cathedralis, et in possessionem debet admitti, etiamsi dicta Cathedralis ab immemorabili non consueverit tales admittere. — 45. De Collectione Canonicatuum de jure spectante ad Episcopum. *Remissive.* — 46-48. De impedita possessione Canonicatus. — 49-63. An aliquid exigi possit pro Canonicatus possessione. — 64-73. De Episcopi et Capituli concurrentia in Canonicorum electione. — 74. De potestate Episcopi in erectione Canonicatuum de Jurepatronatus. — 75. Formula erectionis et collationis hujusmodi Canonicatus. *Remissive.*

ARTICULUS III. — *Quoad Ætatem in Canonicis et Dignitatibus requisitam, et quoad tempus intra quod tenentur suscipere Ordines suis Canonicatibus et Dignitatibus adnexos.*

1. Ætas requisita, et sufficiens ad obtinendum Canonicatum in Ecclesia Collegiata, est ætas 14 annorum. — 2. Et hoc est intelligendum, si talis Canonicatus Ecclesiæ Collegiatæ ex sua fundatione, vel statuto, aut consuetudine nullum requirat Sacrum Ordinem. — 3. Et hæc ætas 14 annorum sufficit etiam in Collegiata, in qua spectat Cura animarum Canonicis non uti singulis, sed uti unitis. — 4. Si vero Cura animarum totaliter spectet ad aliquem Canonicum, vel Dignitatem particularem, requiritur ætas 25 annorum, saltem inceptorum. — 5. Hæc tamen ætas 25 annorum inceptorum requisita ad obtinendos Canonicatus, seu Dignitates, quibus subest Cura animarum, non exigitur, nec est necessaria, quando Canonicatui, vel Dignitati Cura animarum non subest principaliter, sed solum accessorie est ipsi unita. — 6. Circa ætatem requisitam ad dignitates sine Cura in Collegiatis. *Remissive.* — 7. Ætas requisita et sufficiens ad Canonicatus Cathedralis, ubi est facta distributio Sacrorum Ordinum, est illa quam exigit Ordo canonicatus. — 8. Ad Canonicatus autem Cathedralis, ubi non est facta distributio Sacrorum Ordinum, requiritur ætas annorum 22 inceptorum. — 9. Ætas requisita ad Dignitates, vel Personatus, quibus nulla subest Cura animarum in Cathedralibus est ætas 22 annorum. — 10. Ætas vero requisita ad Dignitates, seu Canonicatus, quibus subest Cura animarum, seu regimen Parochiale, est ætas 25 annorum saltem inceptorum. — 11. Et hæc ætas 25 annorum inceptorum requiritur etiam ad Dignitatem Ecclesiæ Cathedralis, cui fit distributio Missæ cantatæ per turnum infra hebdomadam. — 12. Canonici supranumerarii possunt recipi in anno 14; sed adveniente tempore Præbendæ debent esse in ætate integra. — 13. Canonici, qui in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis obtinent Canonicatus, Dignitates, vel Personatus, quibus aliqui Ordines sunt adnexi, tenentur eumdem Ordinem requisitum intra annum suscipere. — 14. Adeoque promoti ad Canonicatus, Dignitates, vel Personatus debent in ea ætate constituti esse, ut infra annum possint ad Ordinem requisitum promoveri. — 15. Aliter promotio, seu provisio erit nulla. — 16. Et annus hujusmodi statutus ad se promoveri faciendum ad Sacros Ordines computari debet non a tempore collationis factæ, sed a die habitæ pacificæ possessionis, dummodo per provisum non steterit, quamvis antea possessionem perceperit. — 17. Canonici, qui ad Sacros Ordines suis Canonicatibus, Dignitatibus, vel personatibus adnexos se intra annum, justo impedimento cessante, promoveri non faciunt, ex tunc donec promoti fuerint, privantur voce in Capitulo, et dimidia parte Distributionum. — 18. Imo Canonici ad requisitos Ordines infra annum non promoti, possunt aliis pœnis, etiam privationis puniri. — 19. Pœna privationis dimidiæ partis Distributionum, quam incurrunt Canonici requisitos Ordines intra annum non suscipientes, locum habet, quamvis interim Divinis et Officium recitent. — 20. Nec valet consuetudo, quod Canonici residentes non priventur tali dimidia parte Distributionum, licet intra annum ad requisitos Ordines non sint promoti. — 21. Pœna privationis dimidiæ partis distributionum, quam incurrunt Canonici requisitos Ordines intra annum non suscipientes, locum habet, quamvis reliqua dimidia pars, quæ superest, non sufficiat ad sustentationem Canonici. — 22. Talis autem privatio dimidiæ partis Distributionum intelligenda est de eis solummodo Distributionibus, quæ proprie, et stricte Distributiones quotidianæ dicuntur, non autem de extraordinariis, quæ dantur pro funeralibus seu anniversariis Defunctorum. — 23. Nisi Distributiones funeralium, seu anniversariorum sint unitæ cum Horis. — 24. Nullam tamen pœnam incurrunt Canonici, si ad Ordines requisitos non promoveantur intra annum propter justum impedimentum. — 25. Nec etiam ullam talem pœnam incurrit Canonicus dispensatus a Papa, ut in ætate v. g. sexdecim annorum, vel in alia sufficienti Canonicatum in Cathedrali obtinere possit. — 26. Canonicus autem dispensatus super ætate ad obtinendum Canonicatum, si promoveri non curavit ad Ordinem, postquam ad legitimam ætatem pervenit juxta formam in dispensatione præscriptam, Distributiones non acquirit quamvis Choro inserviat. — 27. Canonicus tamen a Sede Apostolica super

Digitized by Google

ætate dispensatus non prius cogendus est ad Sacros Ordines promoveri, quam ad 22 annos pervenerit. — 28. Canonicus in Sacris non constitutus vocem in Capitulo aliquo pacto acquirere, seu præscribere non potest. — 29. Canonicus non Subdiaconus nec vocem consultivam in electionibus, et Synodo habet. —30. Præsidens vero in Capitulo, etiamsi non si in Sacris, in eo proponere, ac resolutiones accipere potest. — 31. Prælato Ecclesiæ Collegiatæ etiamsi Sacris Ordinibus careat, præsidentia, ac vox in Capitulo competit. — 32. Canonicus in Ecclesia Collegiata habens Canonicatum, cui neque jure communi, neque ex consuetudine, institutione, aut statuto adnexus est aliquis Ordo, præsertim Sacer, obtinere potest, et percipere Distributiones licet nunquam hujusmodi Sacrum Ordinem susciperiat, sed simplex Clericus remaneat. — 33. Ipse tamen Canonicus in Collegiata, nisi sit in Sacris, vocem in Capitulo habere non potest. — 34-37. De ætate Canonicorum. — 38. De onere suscipiendi Sacros Ordines. *Remissive.*

ARTICULUS IV. — *Canonici, et Dignitates, quoad Fidei professionem, et pœnas eam omittentium.*

1. Canonici et Dignitates Ecclesiæ Cathedralis tenentur a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses Fidei professionem facere, non solum coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, sed etiam coram Capitulo. — 2. Hanc Fidei professionem sufficit facere coram Vicario, etiam Episcopo non impedito. — 3. Nec est necessarium, ut hæc Fidei professio prius fiat coram Episcopo vel ejus Vicario, et postea coram Capitulo, separatim repetatur; sed si Episcopus adsit in Capitulo, satis est, ut Episcopo præsente semel fiat in Capitulo. — 4. Sede Episcopali vacante non sufficit hanc Fidei professionem facere coram solo Capitulo, sed debet etiam fieri coram Vicario Capitulari. — 5. Hanc Fidei professionem Canonici et Dignitates Cathedralis tenentur facere per se ipsos personaliter, et non sufficit per Procuratorem. — 6. Et dato, quod provisus Canonicus præsens in Curia non possit statim ad residendum accedere, solet tunc Sacra Congregatio Concil. illum admittere ad professionem Fidei coram et in manibus Datarii, vel Cardinalis Præfecti Sacræ Congregationis, et etiam coram Urbis Vicario; non obstante, quod in Litteris privisionis adsit Decretum emittendi in manibus Episcopi. — 7. Hanc Fidei professionem tenentur denuo facere etiam illi Canonici, qui jam antea emiserunt in adeptione alterius similis beneficii. — 8. Imo tenentur iterum prædictam Fidei professionem emittere etiam illi, qui denuo adipiscuntur in Cathedralibus Ecclesiis Canonicatum, vel Dignitatem quam antea habuerant, et dimiserant, non obstante priore Fidei professione. — 9. Hæc Fidei professio fieri debet saltem intra duos menses a die adeptæ possessionis Dignitatis, vel Canonicatus in Ecclesia Cathedrali. — 10. Et hic terminus duorum mensium datus ad emittendam professionem non currit proviso, qui non accepit possessionem; quamvis per eum stet, quominus eam accipiat. — 11. Imo ad effectum, ut incipiant currere prædicti duo menses, non sufficit fuisse adeptam possessionem, sed requiritur possessio pacifica. — 12. Si vero intra prædictos duos menses a die adeptæ realiter pacificæ possessionis talis Canonicus non emiserit dictam Fidei professionem, non per hoc solutus est ab obligatione illam in posterum emittendi. — 13. Canonici, et Dignitates Ecclesiæ Cathedralis tenentur ultro sese offerre ad faciendam Fidei professionem, adeo ut non requiratur ad hoc prævia monitio. — 14. Canonici, et Dignitates Cathedralis omittentes facere debitam Fidei professionem peccant mortaliter. — 15. Non peccant tamen mortaliter, *si* per ignorantiam, inadvertentiam, aut oblivionem, ipsam facere omittant. — 16. Canonici et Dignitates Cathedralis non facientes Fidei professionem intra duos menses a die adeptæ possessionis, ultra peccatum mortale, incurrunt etiam fructuum amissionem. — 17. In hac tamen pœna amissionis fructuum, non includuntur Distributiones quotidianæ. — 18. Nisi tamen omnes redditus Canonicatus consistant in Distributionibus quotidianis. — 19. Prædicta pœna amissionis fructuum intelligenda est solum de fructibus decurrendis post lapsum duorum mensium, non vero de decursis in ipsis duobus mensibus. — 20. Professio Fidei ex post facta, non proficit ad recuperandos fructus amissos post dictos duos menses, sed solum ad acquirendos futuros. — 21. Fructus Canonicatus, et Dignitatis ob omissionem professionis Fidei non acquisiti, debent applicari in usus pauperum, vel in fabricam Ecclesiæ Beneficii, si indigeat. — 22. Intellige tamen hoc solum verificari in Canonicis et Dignitatibus habentibus fructus distinctos et separatos a mensa Capitulari. — 23. Nec Episcopus potest condonare hujusmodi fructus amissos ob non factam fidei professionem. — 24. Sed talium fructuum condonatio, et remissio potest fieri solummodo a Sancta Sede, vel Sacra Congregatione. — 25. Licet Canonicis Cathedralis omittentibus Fidei professionem possessio Canonicatus nihil suffragetur, quoad fructuum perceptionem. — 26. Ipsa tamen possessio Canonicatus suffragatur eis, quoad titulum, et proprietatem talis Canonicatus, et quoad vocem habendam in capitulo, et jus præcedentiæ, et cætera alia jura a die adeptæ possessionis. — 27. Unde possessores Dignitatum, vel Canonicatuum in Cathedralibus, qui non fecerunt Fidei professionem intra duos menses, juvantur regula de triennali ad effectum, ne possint molestari super titulo. — 28. Quoad fructus tamen retinendos non suffragatur, nec eis prodest etiam longissima possessio, quandiu professionem Fidei non emiserint. — 29. Unde Dignitates et Canonici Cathedralis Ecclesiæ tenentur in conscientia, etiam ante sententiam Judicis restituere ipsos fructus amissos ob non factam Fidei professionem. — 30. Coadjutores Dignitatum, et Canonicatuum Cathedralium de rigore Juris communis, seu concilii Tridentini non tenentur emittere professionem Fidei. — 31. Nec tamen Fidei professionem tenentur facere Portionarii, Vicarii temporales, et alii provisi de Capellaniis in Ecclesia Cathedrali. — 32. Nec ad ipsam Fidei professionem emittendam tenentur Jure Tridentini canonici, et Dignitates Ecclesiarum Collegiatarum, et possidentes Beneficia inferiora non Curata. — 33. Supradicti tamen, et cæteri Beneficiati tenentur ipsam emittere, vigore Diœcesanarum Legum. — 34. Professio Fidei. *Remissive.* — 35. Dubium tamen adhuc est an liceat Fidei professionem per interpretem emittere. — 36. Consuetudo non præscribit contra legem emittendi fidei professionem.

ARTICULUS V. — *Canonici, quoad residentiam, Chorum et Missam.*

1. Canonici, sive Cathedralium, sive Collegiatarum tenentur saltem per novem menses residere in Ecclesiis sui Canonicatus, ita ut non liceat ipsis ultra tres menses ab eisdem quolibet anno abesse. — 2. Menses tres, quibus Canonici quolibet anno abesse possunt, continere debent nonaginta dies, ita ut quilibet mensis suos triginta dies contineat; et dies isti possunt esse, vel continui, vel interpolati. — 3. Ita tamen, ut non omnes Canonici possint simul abesse eodem tempore, ne Ecclesia destituatur omni servitio, sed solum ea quota Canonicorum simul abesse possit, quæ videbitur arbitrio Episcopi, vel Capituli. — 4. Hujusmodi tres menses non debent incurrere in Natale, Pascha, vel similes maximas solemnitates, aut in tempore Adventus, et Quadragesimæ, aut in dies Dominicos et Festos totius anni. — 5. Ad conficiendum spatium trium mensium, non sunt computandæ horæ cujuslibet diei, sed dies integri absentiæ tantum. Neque ad constituendum servitium

Digitized by Google

novem mensium colligendæ sunt punctaturæ, quasi ii, qui novem partes punctaturam ex duodecim, quæ ex servitio totius anni constantur, deserviendo tulerint, servitio punctaturarum debito satisfecerint, sed ipsi dies residentiæ, et servitii sive continui fuerint, sive interpolati numerandi sunt, ut compleant numerum dictorum novem mensium. — 6. Unde statutum Ecclesiæ permittens, ut Canonici propter loci frigiditatem, et aeris intemperiem in uno ex novem mensibus residentiæ, uni Horæ tantum quotidie intersint pro lucrandis fructibus illius mensis, est quidem contra Tridentinum, adeo ut non interessentes omnibus Horis in prædicto mense amittant illam ratam fructuum, quam amitterent in aliis octo mensibus singulis Horis non interessendo; non tamen incidunt in pœnam latam ab ipso concilio, quasi abfuissent ultra tres menses. — 7. Fundationum privilegiis, quibus ultra tres menses canonicis abesse licet, non est derogatum a Tridentino. — 8. Nec ab ipso Tridentino sunt sublata statuta a Summo Pontifice confirmata, ut Canonici abesse possint ultra tres menses. — 9. Imo cum postea dubitatum fuisset, an per Concilium esset sublatum quoddam statutum Ecclesiæ Eborem ante ipsum concilium a Sede Apostolica confirmatum, ut Canonici semel in vita, anno abesse possunt Jerusalem proficiscendi causa, et sex mensibus cum Basilicam Sancti Petri quolibet quinquennio visitare vellent? Sacra Congregatio respondit non esse sublatum. — 10. Ut Canonici abesse possint tribus mensibus a Concilio permissis, nec Episcopi, nec Capituli licentia, nec causa requiritur, et possunt Canonici tunc abesse etiam ex causa recreationis.—11. Licet autem Canonici possint libere, et licite abesse illis tribus mensibus, non tamen pro eo tempore lucrantur Distributiones quotidianas, sed solum fructus grossos, seu Prælendam. — 12. Potest Episcopus ob legitimam causam dare Canonicis suis facultatem, ut possint abesse per quatuor menses. — 13. Si per specialem aliquarum Ecclesiarum Constitutionem aut consuetudinem, longius servitii tempus requiratur, non est liberum canonicis per tres menses abesse. — 14. Dato tamen, quod alicujus Ecclesiæ constitutio, aut consuetudo requirat servitium totius anni, tunc licitum est Canonicis per tres menses abesse. — 15. Canonici non residentes per novem menses, seu per majus tempus sibi a sua Ecclesia Constitutum, incidunt in pœnas Concilii Tridentini. — 16. Assignantur dictæ pœnæ. — 17. Canonici, qui ob absentiam, in pœnam privationis fructuum incidunt, non tenentur istos in conscientia restituere ante sententiam condemnatoriam Judicis. — 18. Ad incurrendam a Canonicis non residentibus pœnam privationis fructuum, non est opus prævia monitione, ut rideant. — 19. Fructus illi, quibus privandi sunt Canonici non residentes pro constituto tempore, debent applicari in usum et fabricam Ecclesiæ, si indiget, alias alteri pio loco arbitrio Ordinarii. — 20. Pœnarum gradus contra canonicos non residentes a Concilio præscripti sunt necessario servandi, antequam deveniatur ad privationem: alias ipsa privatio, seu sententia privationis erit nulla. — 21. Secundum antiquos Canones, Canonicus absens privari poterat Beneficio, si infra congruum terminum sibi præfixum ad residendum, non rediisset. — 22. Ex nova tamen dispositione Concilii Tridentini Canonicus ob absentiam privari non potest titulo, nisi post lapsum trium annorum. — 23. Canonicus absens, postquam juxta Concilium fuit privatus pro primo anno medietate fructuum, et pro secundo anno omnibus fructibus, si sine legitimo impedimento sit adhuc contumaciter absens, debet canonice citari, ut redeat ad residendum, et post ultimam citationem per sex menses expectari. — 24. Quibus elapsis, si sine legitimo probato impedimento Canonicus residere contempserit, non amplius privandus est fructibus, sed Beneficio est omnino spoliandus. — 25. Dantur ad id Decreta Sacræ Congregationis Concilii. — 26. Ut possit procedi ad privationem Canonicatus contra Canonicum non residentem, exspectandum est triennium completum. — 27. Pendente tamen ipso triennio, potest Episcopus præviis citationibus contra Canonicos absentes procedere per Censuras, illosque suspendere, et excommunicare, non obstante, quod inchoata sit via Judicii præscripta a Tridentino. — 28. Pœnæ Canonicorum non residentium possunt infligi etiam contra Canonicos Coadjutores cum futura successione. — 29. Pœnas contra Canonicos non residentes, non potest Episcopus remittere in totum, bene tamen ante sententiam minuere, vel augere. — 30. Canonici, si novem mensibus anni absque legitima causa a residentia notabiliter absint, ultra supradictas pœnas, incurrunt etiam, secundum multos, culpam mortalem. — 31. Imo secundum aliquos non excusantur a culpa mortali, quamvis velint quotidianas Distributiones amittere. — 32. A culpa mortali tamen eos excusant varii alii; dummodo habeant animum cedendi distributiones tempore absentiæ, et non deficiant in contemptum, aut contra præceptum Superioris; vel ex eorum defectu non omittatur Officium in Ecclesia, aut non dicatur cum debita solemnitate. — 33. Dantur tamen aliquæ legitimæ causæ omnino excusantes a continua residentia; et istæ generatim loquendo sunt quatuor; scilicet Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas. — 34. Ad primam causam *Christianæ Charitatis, seu pietatis*, pertinet, si Canonicus a loco Beneficii, seu Canonicatus discedat causa juvandi proximum auxilio indigentem, v. g. ad dirimendas lites, ad sedanda odia, quæ inter quosdam sint suborta, et hujusmodi. — 35. Ad secundam causam *urgentis necessitatis* pertinet, si Canonicus absit propter aeris intemperiem, vel corporis infirmitatem, vel ad effugiendam Tyranni persecutionem, seu devitando capitales inimicitias contra ejus personam subortas; vel ad prosequendam litem super Juribus Canonicatus; aut ob piam peregrinationem, seu similem honestam causam impetrata tamen licentia Prælati. — 36. Ad tertiam causam *debitæ obedientiæ* pertinet, si Canonicus absit a residentia de mandato Papæ, ut in Apostolicæ Sedis servitio occupetur. — 37. Ad quartam causam *evidentis Ecclesiæ, seu Reipublicæ utilitatis* pertinet, si Canonicus absit ob negotium, et servitium Ecclesiæ; vel causa adeundi Synodum Generalem, seu provincialem, aut Diœcesanum, vel causa studiorum. — 38. Speciatim etiam conceditur, ut duo Canonici in servitio Episcopi occupati pro residentibus habeantur. — 39. Et isti duo Canonici possunt ab Episcopo assumi, sive ex Cathedrali, sive ex Collegiata. — 40. Canonici ex juxta causa absentes non tenentur relinquere substitutum, ac per hunc interim deservire, non obstante immemorabili consuetudine. — 41. Canonici tenentur recitare Officium in Choro; nec ipsis potest Episcopus concedere, ut officient in Sacristia. — 42. Potest tamen aliquando ex causa, veluti ob frigus, extra Chorum arbitrio Episcopi recitari Divinum Officium diebus ferialibus; in diebus vero festivis omnino recitandum est in Choro. — 43. Tolerandum est, quod Canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus ferialibus Matutinum in Sacristia. — 44. In Choro non est a Canonicis inchoandum Officium statim signo dato, sed elapsa tertia parte horæ. — 45. Et dato ipso signo debent Canonici in Choro Officium inchoare, non exspectato Vicario. — 46. Canonici sub onere, et obligatione restitutionis fructuum tenentur psallere, seu canere in Choro cum aliis, et non satisfaciunt, si solum assistant, et intersint Horis, et per Cappellanos, et alios Beneficiarios psallant: ipsi vero, vel ibi, vel domi privatim recitent Horas. — 47. Canonici ex decentia debent alta voce cantare in Choro; et Episcopus potest illos ad hoc hortari, sed non

Digitized by Google

cogere. — 48. Canonici non tenentur ad harmonicam modulationem cantus figurati, sed satisfaciunt in magnis Festivitatibus, in quibus Ecclesia eo cantu utitur, assistendo cum debita attentione Cantoribus. — 49. Canonici, qui solebant cantare Matutinum una hora post ortum solis, non sunt cogendi, ut Matutinum ante ortum solis cantent. — 50. Canonici, quamvis pauci sint, puta duo vel tres, tenentur canere, seu recitare Officium in Choro, alias possunt ab ordinariis Distributionibus punctatura privari. — 51. Canonici tenentur recitare in Choro Officium Defunctorum, Psalmos Graduales, et Pœnitentiales solum juxta Constitutionem S. Pii V et non alias. — 52. Et qui prædicta non recitant, minime peccant. — 53. Canonici recitantes in Choro Officium B. Virginis Mariæ in Semiduplicibus, et Dominicis ex consuetudine, illa deinceps uti possunt, non obstante Rubrica Breviarii. — 54. Canonici recitantes Officium parvum B. V. M. tempore Paschali, debent recitare sine Alleluia. — 55. Canonici tamen non tenentur recitare in Choro Officium Beatæ Virginis Mariæ, ubi non est consuetudo. — 56. Imo a S. Pio V sublata est peccati obligatio, quæ erat recitandi in Choro officium parvum B. V. M. Psalmos Pœnitentiales, et Graduales juxta Rubricas Breviarii. — 57. Canonicos cogere potest Episcopus ad præstandum juramentum de fideliter punctando in Choro. — 58. Canonici non possunt exire a Choro, nisi petita venia Archidiacono, seu Præsidenti per salutationem, sub pœna punctationis. — 59. Canonici confabulantes in Choro sunt punctandi, et privandi distributionibus tanquam absentes. — 60. Canonici, et Dignitates non debent in Choro habere stratum, sive tapetum. — 61. Canonici in Choro, vel in Ecclesia Divinis Officiis interessentes sine habitu Canonicali, et superpellicco, debent punctari. — 62. Canonici non debent permittere, ut Laici, dum Divina celebrantur, stent, vel sedeant in Choro. — 63. Canonicum, vel Capellanum potest Ordinarius excusare a Choro ex causa justa comprehensa in *cap. Unic. de clericis non residentibus in* 6 sine consensu aliquorum Canonicorum, et Cappellanorum. — 64. Canonicus Junior in Choro juxta consuetudinem Ecclesiæ debet supplere vices Hebdomadarii absentis vel impediti; et non Coadjutor, licet sedeat post ultimum Canonicum. — 65. Canonici tenentur quotidie ad canendam Missam Conventualem, idque sub mortali. — 66. Et Missam Conventualem canendam esse quotidie in Cathedralibus et Collegiatis, pluries decrevit Sacra congregatio Rituum. — 67. Et etiam in illis diebus, quibus cantant aliquam Missam votivam; non enim pro Missa votiva omitti potest Missa Conventualis. — 68. Et abrogatur omnis consuetudo non cantandi Missam de die, ultra votivam, seu pro Defunctis. — 69. Unde licet in illis Ecclesiis, in quibus adest inveterata consuetudo cantandi Missam votivam de B. M. V. singulis diebus Sabbati possit hic pius usus, seu populorum devotio continuari etiam in Sabbatis Festo duplici impeditis, non est tamen omittenda Missa Conventualis. — 70. Præterea Missa Conventualis in Quadragesima, Adventu, Quatuor Temporibus, et similibus, etiam quod in dictis diebus occurrat Festum Duplex, non est omittenda, sed utraque Missa, nempe de Sancto, et de Feria est celebranda. — 71. Sic pariter respondit Sacra Congregat. Rituum in una Faventina. — 72. Sic etiam censuit Sacra Congr. Concilii in una Sarnensi. — 73. In Cathedralibus, et Collegiatis non potest omitti altera ex duabus Missis cantandis ob celebrationem Capituli Canonicorum. — 74. Missa Defunctorum cantari debet a Canonicis juxta legem fundationis etiam in illis diebus, in quibus ex præscripto Missalis cantatur alia Missa pro Defunctis. — 75. Nec propter anniversarium, seu aliam Missam Defunctorum, potest omitti Missa Conventualis cantanda de die, seu Officio currente. — 76. Canonici pro Missa Conventuali, quam quotidie celebrare, et Sacrificium pro Benefactoribus, et Fundatoribus applicare tenentur, nullatenus possunt aliam eleemosynam recipere, non obstante consuetudine, nec tenuitate redituum. — 77. Pro hujusmodi Missa Conventuali debetur Canonicis Distributio ex Massa communi. — 78. Canonicus, qui Missam solemnem celebrat die Dominico, tenentur Officium Vesperarum facere eodem die post prandium, non obstante quacunque contraria consuetudine. — 79. Canonicus, vel alius Sacerdos, qui celebrat Missam Conventualem, in qua Chorus tenetur cantare Symbolum, non potest illam prosequi eo tempore, quo a Choro cantatur Symbolum prædictum. — 80. Nec est facienda Altaris thurificatio in Missa Conventuali dierum solemnium, si absque cantu, et Ministris celebratur. — 81. Canonicus Missam celebrans in Ecclesia, vel ex devotione, vel ex obligatione tempore, quo cantatur una Hora in Choro, non dicitur interfuisse illi Horæ; nec illius Distributiones accipere potest, nisi in illa hora ad celebrandam Missam ab eo, ad quem pertinet, compulsus, et jussus fuerit. — 82. Canonici Missam celebrantes coram Episcopo, non debent sedere in Sede cum postergali, sed in scamno oblongo, tapeto, vel panno cooperto, in latere Epistolæ. — 83. Canonici, et Dignitates, tenentur per seipsos Divina Officia obire, nec non Missas Majores canere illis diebus, quibus ad eas decantandas obligati sunt. — 84. Canonici, et Dignitates in decantatione Missæ, Evangelii, Epistolæ, et in functione similium, debent per seipsos subire, et exercere munera incumbentia, et annexa. Quod si aliqui legitimo impedimento detenti, ea per seipsos adimplere non potuerint, tunc alios ejusdem tamen Ordinis, et gradus deputare debebunt. At hoc non videtur observari. — 85. Missas Pontificales celebrare, absente Episcopo, pertinet ad primam Dignitatem, vel ad secundam, vel ad antiquiorem Canonicum, non autem ad Canonicum Hebdomadarium. — 86. Si vero sit consuetudo immemorabilis, quod ad Canonicum Hebdomadarium vel ad Archipresbyterum, licet non sit prima Dignitas, vel ad aliam Dignitatem, hujusmodi functiones spectent, servanda est consuetudo, quæ non tollitur per Cæremoniale. — 87. Canonico solemniter celebranti pro Diacono, et Subdiacono inservire debent pariter Canonici, non obstante immemorabili contraria consuetudine, quæ potius est abusus, et corruptela. — 88. Dignitas prima, si velit functiones episcopales facere, debet etiam Missam cantare, alias pertinent ad subsequentes cum eadem conditione. — 89. Dignitas prima, quæ vult portare Sanctissimum Sacramentum in Processione, absente Episcopo, debet Missam cantare. Quod si noluerit, debet Sanctissimum Sacramentum portare ea Dignitas, vel Canonicus, qui Missam celebraverit. — 90. Non convenit, quod prima Dignitas celebret Missam ante Processionem Sanctissimi Sacramenti, et deinde altera Dignitas Minor gestet illud in Processione. — 91. Canonici non supplent vices Protonotariorum, et aliorum inferiorum, sed bene vices dignitatum. — 92. Canonici et Dignitates, quæ habent annexam Præbendam, cum onere cantandi Epistolam, sive Evangelium, non tenentur ministrare inferioribus. — 93. Canonici non sunt cogendi ad cantandam Epistolam, vel Evangelium, quando alius Canonicus, seu Dignitas celebrat, nisi quando præbendæ sunt distinctæ. — 94. Canonici, qui habent Præbendas Diaconales, vel Subdiaconales, tenentur ministrare, et inservire Dignitatibus, et aliis Canonicis, quando Missas celebrant solemnes, vel Vesperas. — 95. Canonici Diaconi, et Subdiaconi in quibusdam solemnitatibus, etiam non celebrante Episcopo, cogi possunt ad cantandam Epistolam, et Evangelium, non obstante quocunque prætextu vel consuetudine in contrarium. — 96. Canonici tamen non tenentur, nec debent cogi ministrare in Officio Diaconi, vel Subdiaconi Mansio-

Digitized by Google

naribus, e. aliis inferioribus Presbyteris celebrantibus, non obstante consuetudine. — 97. Assistentia, quæ fit ad Missam et Vesperas, debet fieri cum Pluviali. — 98. Canonici tenentur inservire pro Diacono, et Subdiacono Dignitatibus, ac earum Coadjutoribus solemniter celebrantibus, non obstante contraria consuetudine. — 99. Et non tantum Canonici Juniores, sed etiam Antiani et Antiquiores. — 100. Dignitates vero nunquam debent Canonicis celebrantibus inservire. — 101. Canonici et Dignitates, an possint Missas privatas celebrare tempore quo Episcopus solemniter celebrat, vel concionatur. — 102. Pœnæ quibus Episcopus procedere potest contra Canonicos non residentes. — 103, 104. Sæpe permittitur Canonicis alternatim Choro intervenire. — 105. Non ita tamen in diebus festivis. — 106. Semper ad psalmodiam tenentur. — 107. Non autem ad recitandum Officium B. M. V. Defunctorum et cætera extra Chorum. — 108. Non satisfaciunt muneri suo recitando completorium, dum a Musicis Vesperæ decantantur. — 109. In quo differant Canonici a Beneficiatis. — 110. Non sufficit illorum præsentia tantum in Choro. — 111. Tenentur Gregorianum tantum addiscere. — 112. Possunt satisfacere per alium Capitularem. — 113. Non ita tamen, qui consistunt extra civitatem; et sic etiam Coadjutores Canonicorum. — 114. Possunt Canonici, loco Chori, Officium recitare in aliqua Capella. — 115, 116. De pœna eorum, qui Horis Canonicis admiscent jocos, risus, et cætera. — 117. S. Cong. Concilii improbat consuetudinem non muletandi Canonicos, nisi cum veniunt absoluto integro primo nocturno. — 118. Canonici tenentur ad Missam Conventualem. — 119. Consuetudo immemorabilis excusat a residentia Canonicos in Collegiatis non insignibus. — 120-124. De vacatione trimestri canonicis a Tridentino concessa. — 125-128. Quando propter absentiam puniendi sint. — 129-131. Multa de canonicorum residentia. — 132. De servitio Chori et aliis. *Remissive.* — 133. An Canonici teneantur extra Chorum ad Off. Defunctorum, et B. M. V.

ARTICULUS VI. — *Canonici, quoad associationem, et assistentiam debitam Episcopo.*

1. Canonici tenentur in eorum habitu Canonicali accedere ad domum Episcopi, et illum associare ad Ecclesiam celebraturum, vel Divina Officia auditurum cum Cappa accedentem, et finito Officio in reditu associare. — 2. Et ad hoc tenentur non solum ex urbanitate, sed ex debito. — 3. Etiamsi domus non sit contigua Ecclesiæ, dummodo non multum distet. — 4. Etiamsi distet per spatium 60 passuum. — 5. Etiamsi distet per spatium 100 passuum. — 6. Etiamsi distet per spatium 160 passuum. — 7. Imo Canonici tenentur accedere ad palatium Episcopi ad effectum eumdem associandi ad Ecclesiam, non obstante distantia Cathedralis 200 et ultra passuum. — 8. Si vero palatium Episcopi sit longe distans, debet associari ex aliquo loco ad hoc deputato prope Ecclesiam, vel Ecclesiæ ipsius atrio, ut scalis vicino. — 9. Ut Canonici in debita associatione Episcopi deesse non possint, et Officia Divina non turbentur, debet Episcopus certam horam sui adventus tempore congruo statuere et significare. — 10. Et determinata ac stabilita cum Episcopo certa hora Officii, si dato ultimo signo Campanæ non veniat Episcopus, possunt Canonici inchoare Officium, etiam non exspectato Episcopo. — 11. Si Episcopus post inchoatum Officium, ad Ecclesiam descendat, tunc satis erit si quatuor, vel quinque Canonici ei obviam eant; et major pars Canonicorum in Choro remaneat. — 12. Vel saltem duo ex Canonicis tenentur ex Choro discedere, et obviam ire Episcopo porrigentes Aspersorium. — 13. Et idem si Episcopus venit eo tempore, quo post decantatum Evangelium concio inchoatur. — 14. Quod si finita concione velit domum redire, nec pariter Canonici omnes debent deserere Missam; sed tantum tres, vel quatuor Episcopum usque ad portam comitentur, et statim redeant. — 15. Sed si post finitam Missam velit discedere, nec exspectare, quod hora sexta recitetur, quæ de consuetudine Ecclesiæ immediate finita Missa cantari solet, Canonici omnes saltem usque ad portam Ecclesiæ comitentur. — 16. Si vero discedat persolutis Divinis Officiis, tenentur illum associare usque extra portam Ecclesiæ, vel usque ad primum atrium domus Episcopi, quando domus est contigua Ecclesiæ. — 17. Episcopum associare uti supra tenentur etiam Dignitates, licet Cæremoniale tantum Canonicos exprimat. — 18. Canonici et Dignitates non tenentur associare, et reassociare Episcopum toties quoties accedit ad Ecclesiam, et ab illa recedit, sed solum in solemnioribus diebus, quibus cum Cappa ad celebrandum, aut ad assistendum Divinis Officiis, vel ad Pontificalia exercenda accedit. — 19. In cæteris vero diebus, quibus Episcopus private sine Cappa, vel ex alia causa ad Ecclesiam accedere voluerit non tenentur nisi ex voluntate et urbanitate hæc obsequia ei præstare, et satis est, si aliqui ex Canonicis et Dignitatibus ad ostium Ecclesiæ accurrant, cui Dignior Aspersorium cum aqua benedicta ministrare debet, et abeuntem similiter usque ad ostium comitentur. — 20. Si autem exstet consuetudo, quod Canonici soleant associare Episcopum a Cubiculo, seu a Camera deputata quoties cum Cappa accedit ad Ecclesiam, ut celebret, et Divinis Officiis assistat, etiam in Dominicis diebus, et aliis Festivitatibus per annum, talis consuetudo servanda est. — 21. Imo Canonici tenentur Episcopum associare et reducere, etiamsi Cappa non utatur, quando pro loci, aut Provinciæ consuetudine, aut alias Cappa uti non solet, aut ejus loco alium habitum ferre solet. — 22. Canonici omnes non tenentur associare Episcopum ab eo Altari, in quo Missam planam celebravit, ad Sedem Episcopalem, si voluerit Missæ Conventuali assistere. — 23. Canonici non tenentur, nisi ex urbanitate, associare Episcopum venientem ad Cameram Capitularem. — 24. Canonici, et Dignitates associantes per Civitatem eorum Episcopum Cardinalem non collegialiter, nec cum habitu Canonicali, debent illum anteire, non autem sequi. — 25. Canonici omnes non tenentur ire obviam Episcopo Suffraganeo venienti ad Ecclesiam ad celebrandum nomine Episcopi proprii, usque ad Cubiculum, sicut tenentur ire obviam Episcopo proprio, sed satis est, ut Suffraganeo aliqui Canonici obviam procedant usque ad portam Ecclesiæ. — 26. Si Suffraganeus de licentia Episcopi deferat Cappam, tenentur duo Canonici ire usque ad ostium Ecclesiæ, et Dignior porrigat ei Aspersorium, quo Suffraganeus seipsum tantum aspergat, et pariter eum associent in reditu usque ad eumdem locum. — 27. Assistentia a Canonicis, et Dignitatibus debita Episcopo, facienda est secundum Cæremoniale Romanum. — 28. Et hujus cæremonialis dispositionem tenetur Episcopus omnino observari facere in Cathedrali, et in aliis Ecclesiis suæ Diœcesis. — 29. Nisi tamen adsit laudabilis, et immemorabilis consuetudo in contrarium. — 30. Cæremoniale enim non tollit immemorabiles, et laudabiles consuetudines, sed abusus. — 31. Canonici, Dignitates, et portionarii tenentur assistere Episcopo solemniter celebranti, aut alia Pontificalia exercenti. — 32. Episcopo celebranti assistere tenentur prima Dignitas et duæ aliæ Dignitates, vel Canonici præter Diaconum, et Subdiaconum Ministros, qui cantant Evangelium, et Epistolam. — 33. Assistere enim Episcopo debent Digniores et honoratiores. — 34. Et per hoc a prima Dignitate, seu Digniore in Ordine Sacerdotali constituto, assistentia cum Pluviali Episcopo celebranti facienda est. — 35. Talis prima Dignitas seu Dignior in casu, quo recuset sic Episcopo assistere, cogendus est pœnis, et Cen-

Digitized by Google

aeris Ecclesiasticis. — 56. Prima Dignitas debet assistere Episcopo celebranti, licet sit unica, et ad assistendum potest cogi sub eisdem pœnis et Censuris. — 57. Archidiaconus non potest assistere Episcopo in habitu Prælatitio non Chorali, licet sit Protonotarius. — 58. Consuetudo, ut Dignitates et Canonici Mitram, Gremiale et Thuribulum, ac simile ministrent Episcopo, servanda est. — 59. Assistentia duorum Canonicorum semper convenit Episcopo loci Ordinario tantum, sive celebret, sive Divinis assistat, maxime quando est paratus. — 40. Et hi duo Canonici assistentes debent eligi ex numero Diaconorum, quando Præbendæ sunt distinctæ. — 41. Canonici duo Diaconi assistentes, et non Presbyter assistens, debent elevare fimbrias Pluvialis hinc inde, dum Episcopus progreditur, et thurificat Altare. — 42. Canonici iidem assistere debent Episcopo, quando facit Ordinationes, tam si faciat cum Missa solemni, quam si faciat cum Missa privata. — 43. Canonici Diaconi non debent hinc inde assistere Episcopo, dum is accedit ad Ecclesiam, nisi quando est paratus cum Pluviali et Mitra. — 44. Canonici, qui assistunt Episcopo cum Cappa, non tenentur ei ponere, et deponere birretum, sicut tenentur ei ponere et deponere Mitram, sed debet Episcopus, sibi de per se extrahere. — 45. Canonici tenentur, et cogi possunt ab Episcopo, ut sibi ministrent, et inserviant non modo in Cathedrali, verum etiam in quibuscunque Civitatis Ecclesiis, ad quas ad publicas, vel solemnes Episcopales functiones exercendas Episcopum ire contigerit; non tamen extra Civitatem. — 46. Dummodo in Cathedrali numerus sufficiens Canonicorum et Ministrorum remaneat, et Officium, et Servitium Chori non deseratur. — 47. Non tamen possunt Canonici cogi ad assistendum Episcopo, si accesserit ad alias Ecclesias ad celebrandum private. — 48. Imo neque tenentur Canonici assistere Episcopo Missam private celebranti in ipsa Cathedrali. — 49. Et quatenus Episcopo in his Missis privatis inserviant, non gaudent distributionibus. — 50. Si tamen ex consuetudine Ecclesiæ assistere tenerentur, talis consuetudo esset observanda, et Canonici assistentes non amitterent Distributiones quotidianas. — 51. Canonici Cathedralis, si adsint, debent inservire Episcopo Pontificalia exercenti; et non alii inferiores. — 52. Imo ad Canonicos et Dignitates Cathedralis, si adsint, pertinet assistere Episcopo pontificaliter celebranti, etiam in Ecclesia Collegiata, vel Parochiali, non autem ad Canonicos Collegiatæ, vel presbyteros Parochialium, etiamsi numerus alioquin sufficiens sit Presbyterorum. — 53. Et hoc procedit etiam quando Episcopus celebrat, aut Missæ, seu vesperis solemnibus quacunque ex causa interest in Ecclesiis exemptis, et Sedi Apostolicæ immediate subjectis, intra fines tamen suæ Diœcesis existentibus. Vide tamen verbo *Assistentia* n. 25. — 54. Canonici tenentur assistere Suffraganeo, quando nomine proprii Episcopi functiones Pontificales exercet. — 55. Eadem enim obsequia præstanda sunt Episcopo Delegato, Duæ præstari debent Deleganti. — 56. Canonicorum duorum assistentiam habere non debet Episcopus Suffraganeus ultra Diaconum, subdiaconum, qui sunt cantaturi Evangelium, et Epistolam, sicut haberet proprius Episcopus. — 57. Si tamen consuetudo antiqua id permitteret, ut Suffraganeus haberet assistentiam aliorum duorum canonicorum, præter Diaconum et Subdiaconum, esset observanda. — 58. Canonici et Dignitates omnes non debent assistere parati, quando Episcopus Suffraganeus solemniter celebrat, sed in habitu ordinario, sicut et quando facit Ordinationes, Consecrationes, vel alias similes functiones pro Ordinario; quo casu illi tantum debent accipere paramenta, qui sunt necessarii in ministerio. — 59. Canonici Diaconi assistentes non tenentur, imo non debent inservire Archiepiscopo de bugia, seu Candela, sed ea administranda est per Capellanum; et non possunt cogi Canonici ad inserviendum Archiepiscopo in Missis privatis præter consuetudinem. — 60. Canonici autem, seu Dignitates, qui assistunt juxta consuetudinem Ecclesiæ Archiepiscopo privatim celebranti in Ecclesia Cathedrali, non amittunt Distributiones quotidianas. — 61. Canonici enim, et Dignitates, dum sunt in debita assistentia apud Episcopum, intelliguntur præsentes in Choro tam in Ecclesia Cathedrali, quam in alia Ecclesia. — 62. Quænam assistentia facienda sit a Canonicis Episcopo conciones habenti. — 63-66. De assistentia a Canonicis debita Episcopo. — 67. Decreta S. Rit. Cong. de assistentia præstanda Episcopo. — 68. De obsequiis vero debitis Episcopo Suffraganeo, vel Coadjutori ad Ecclesiam accedenti. *Remissive.*

ARTICULUS VII. — *Canonici quoad præcedentiam, et præeminentiam.*

1. Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ Urbis Romæ dignior est Canonico Cathedralis alterius Civitatis, etiamsi Cathedralis sit Capitulum exemptum. — 2. Canonici Cathedralis in omnibus, et per omnia sunt præferendi Magistratui sæculari, quando non est de perpetuis et Majoribus, et Concionator debet ipsos prius salutare, quam Magistratum. — 3. Canonici Cathedralis thurificandi sunt ante Magistratum, tam in Ecclesia Cathedrali, quam in aliis, in quibus simul convenerint, ubi talis est consuetudo. — 4. Canonici Cathedralis extra Ecclesiam nullam habent jurisdictionem incedentes uti singuli, ideo cedere debent habentibus jurisdictionem, et Civitatem repræsentantibus. — 5. Canonici Cathedralis omnibus aliis Canonicis præcedunt. — 6. Adeoque Canonici Cathedralis in omnibus functionibus præferendi sunt Canonicis Collegiatæ non obstante consuetudine in contrarium. — 7. Etiam in omnibus actibus in propria Collegiata exercendis. — 8. Imo Canonici Cathedralis præcedunt Canonicis Collegiatæ, etiam in associandis funeribus Defunctorum propriæ ipsius Collegiatæ Parochiæ. — 9. Sed quoad funera, et præcedentiam Canonicis debitam in ipsis, melius in articulo sequenti. — 10. Canonici Cathedralis et Collegiatæ, et alii Clerici sæculares semper præcedere debent Regularibus, etiam in ipsorum Regularium Ecclesiis. — 11. Canonici et Præsbyteri Ecclesiæ Cathedralis debent præcedere omnibus Curatis Parochialium Ecclesiarum in omnibus Processionibus, et functionibus, etiam in propriis ipsorum Curatorum Ecclesiis. — 12. Etiamsi Curati sint Cotta, et Stola induti. — 13. Canonici Cathedralis si ob intemperiem aeris resideant in alia Ecclesia, Rector illius debet sedere post Canonicos supra Mansionarios, et reliquos Presbyteros, et si fuerit Protonotarius præcedit Canonicis, uti singulis, non autem capitulariter. — 14. Canonicis Cathedralis in Ecclesia Parochiali dignior locus debetur immediate post Episcopum, et post Canonicos sedere debet Rector. — 15. Canonici Collegiatarum Ecclesiarum præcedere debent omnibus Rectoribus, Curatis, Plebanis, ac Presbyteris Ecclesiarum Parochialium in publicis Processionibus, et functionibus etiam Synodalibus. — 16. Etiamsi ante erectionem in Collegiatam mixtim incederent cum dictis Rectoribus. — 17. Vel inferiores Ecclesiæ essent antiquiores, et fuissent in quasi possessione præcedendi ante erectionem. — 18. Canonici tamen, qui sine Cruce suæ Ecclesiæ, et sine interventu Capituli tanquam singuli incedunt, non habent præcedentiam supra Curatos. — 19. Canonici capitulariter, et processionaliter procedentes præferuntur Abbatibus benedictis. — 20. Canonicis et Dignitatibus extra Ecclesiam præcedere debet Prælatus utriusque Signaturæ Referendarius. — 21. Canonicus prius factus debet præcedere aliis post ipsum admissis, etiamsi sint Doctores. — 22. Et etiam in Congregationibus, et ubique Canonici Ecclesiæ Cathedralis, licet non sint Doctores, præferendi

Digitized by Google

sunt Presbyteris non Canonicis, licet sint Doctores. — 23. Canonicus Presbyter præcedit Canonico antiquiori non Presbytero. — 24. Canonici vero, quando omnes sunt Presbyteri, præcedunt inter se secundum suam receptionem. — 25. Ubi autem præbendæ sunt distinctæ, Canonici provisi de Canonicatibus Presbyteralibus, debent præcedere Canonicis provisis de Canonicatibus Diaconalibus, et Subdiaconalis, licet prius in Ecclesia receptis. — 26. Et hoc procedit etiam non obstante consuetudine in contrarium. — 27. Canonici Ordinis Diaconalis in Minoribus, vel Diaconali Ordine constituti, ubi Præbendæ sunt distinctæ, præcedere debent Canonicis Ordinis Subdiaconalis, quamvis Presbyteris. — 28. Præcedentia debetur Coadjutori Canonici Ordinis Presbyteralis, non adhuc Sacerdoti, sed in Minoribus tantum Ordinibus constituto. — 29. Præsente Coadjuto Diacono, et per seipsum inserviente, illius Coadjutor Diaconus debet in Choro, et functionibus Ecclesiasticis stare post omnes Canonicos ejusdem Ordinis Diaconalis tantum, et non post Canonicos Subdiaconos. — 30. Coadjutori Canonici Presbyteri in Ecclesia, in qua Præbendæ sunt distinctæ, debetur præcedentia supra Diaconos, dum pro suo Coadjuto Divinis interest. — 31. Canonicus Diaconus, qui habet anteriorem possessionem, si postea promoveatur ad Sacerdotium, non recuperat locum præcedentiæ, quam prius cesserat Canonico Presbytero possessione posteriori. — 32. In Processionibus, quæ fiunt cum interventu Capituli Cathedralis, præcedentia debetur Beneficiatis ejusdem supra Parochos. — 33. Præcedentia autem, quæ debetur Parochis et Curatis perpetuis, eadem debetur Parochis et Curatis amovilibus ad nutum. — 34. Dignitatibus et Canonicis Cathedralis convenit distinctio, tam quoad qualitatem paramentorum, quam quoad locum se parandi in Missis. — 35. Canonici Collegiatæ non debent in Processionibus incedere parati, sicut Canonici Ecclesiæ Cathedralis. — 36. Canonici non possunt in celebratione Missæ uti Palmatoria, vulgo Bugia. — 37. Canonici digniores debent sedere in sedibus, quæ sunt viciniores Sedi Episcopali. — 38. Canonicus celebrans ratione paramentorum, et Officii, debent habere primum locum, et primam Sedem Chori supra Dignitates et Canonicos. — 39. Canonicus Hebdomadarius Officium faciens, debet habere locum supra omnes Dignitates et Canonicos. —40. Canonicus primus, vel prima Dignitas, qui digniorem locum habet in Capitulo, præferendus est cæteris in Processionibus. — 41. Canonici, et Dignitates parati præcedunt Vicario Generali, non obstante consuetudine in contrarium. — 42. Et tunc thurificandi sunt ante Vicarium. — 43. Canonici, et Dignitates non præcedunt Vicario Generali, nisi quando sunt sacris vestibus parati, et dummodo Vicarius non sit de eorum numero. — 44. Canonicus, qui est Vicarius Generalis, si uti Vicarius sedeat, præcedit omnibus Canonicis et Dignitatibus, sed non lucratur Distributiones quotidianas. — 45. Etiam quæ dantur interessentibus Processionibus. — 46. Canonici et Dignitates præcedunt Vicario Capitulari Canonico, si, ut lucretur Distributiones, voluerit Choro interesse. — 47. Si autem Vicarius Capitularis noluerit lucrari Distributiones, tunc debet præcedere omnes Canonicos et Dignitates, excepta prima post Pontificalem. — 48. Unde Vicarius Capitularis non potest occupare Sedem Archidiaconi in Ecclesia, sed debet sedere in alia Sede portatili. — 49. Vicarius Foraneus ratione sui Vicariatus nullam in quavis functione, et loco habet præcedentiam super alias Dignitates, et Canonicos antiquiores. — 50. Etiam quacunque consuetudine non obstante. — 51. Canonicus, vel Dignitas factus Episcopus cum retentione Canonicatus, vel Dignitatis, debet præcedere omnibus aliis Canonicis, et Dignitatibus, etiam ipso antiquioribus. —52. Canonicus, qui est Episcopus Titularis, ratione Episcopatus, quem habet in Terris infidelium, debet præcedere omnibus Canonicis, et Dignitatibus in Choro, Capitulo et Processionibus, aliisque actibus.—53 Canonicus, qui permutavit Canonicatum, si permutatio effectum habere non potuit, et redierit ad suam Canonicatum, debet habere locum et stallum antiquum, nec tanquam novus Canonicus censendus est, nec tenetur iterum solvere jocalia pro admissione. — 54. Canonicus vero, qui Canonicatum dimisit, et alium in eadem Ecclesia impetravit, locum ultimi Canonicatus obtenti obtinere debet, nec potest obtinere locum Canonicatus dimissi. — 55. Licet Canonicatus sit de Jurepatronatus, eum obtinens debet præcedere tanquam verus Canonicus omnibus aliis, qui post illum obtinuerunt Canonicatum. — 56-59. In quibus differant Canonici Collegiatarum Urbis a Canonicis Cathedralium aliarum Civitatum. — 60-62. An semper Canonici Cathedralium Parochos præcedere debeant. — 63 - 67. Utrum præcedentiam obtinere debeat Canonicus de tempore prior, an Canonicus major Ordine.

ARTICULUS VIII. — *Canonici quoad perceptionem Sacramentarum, et quoad funera et Sepulturam.*

1. Canonicus Ecclesiæ Cathedralis carentis Canonica, sive ædibus Canonicalibus habens domicilium, et actu habitans intra fines alterius Parochiæ, tenetur in infirmitate recipere Sacramenta non a Parocho dictæ Cathedralis, sed a Parocho domicilii. — 2. Affertur et solvitur instantia. — 3. Canonici ac funera intervenientes, si sint Canonici Ecclesiæ Cathedralis, præcedunt nedum proprio Parocho defuncti, etiamsi sit Stola indutus, sed etiam præcedunt Canonicis Collegiatæ etiam in associandis funeribus Defunctorum propriæ ipsius Collegiatæ Parochiæ. — 4. Si autem sint Canonici Ecclesiarum Collegiatarum in funeribus præcedunt propriis Parochis Defunctorum. — 5. Canonici Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ non possunt sociare cadavera ex alienis Parochiis sine proprio Parocho, *ad n.* 6. — 7. Imo ad proprium Parochum, non autem ad alios spectat peragere Officium super cadavera in ejus propria domo, illudque aspergere aqua benedicta, intonare Antiphonam, quando affertur, ac peragere omnes alias Cæremonias funeris. — 8. Non exstante legitima in contrarium consuetudine, nemini neque Canonicis Ecclesiæ Cathedralis licet levare de domo, et deferre cadavera ad Sepulturam irrequisito proprio Parocho; et ad id dantur Decreta Sacræ Congregationis Rituum. — 9. Quæ tamen Decreta citat in contrarium Samuel. Sacra autem Congregatio Concilii resolvit juxta primam sententiam. — 10. Capitulum non vocatum non potest, invitis hæredibus, lucrandi stipendii causa funeribus interesse. — 11. Canonici Cathedralis Ecclesiæ decedentes non electa sibi sepultura, ubi debeant sepeliri, *ad n.* 13. — 14. Pro sepultura Canonicorum Cathedralium debetur quarta funeralis Parocho domicilii, non vero Parocho Cathedralis, neque Parocho Parochiæ, ubi adest sepulcrum suorum Majorum. — 15. Si intervenerit funeribus Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, in hoc casu Curatus, et Sacrista illius Cathedralis, licet sint amovibiles, debent præcedere Parocho defuncti. — 16-21. Utrum Canonici recipere teneantur sacramenta in ultima infirmitate a Parocho Cathedralis, vel potius a Parocho domicilii, et utrum sepeliendi sint in Cathedrali Ecclesia.

ARTICULUS IX. — *De variis concernentibus Canonicum Theologum, Pœnitentiarium, Protonotarium, et Jubilatum.*

1. Canonicus Theologus ubi deputandus, et quæ præbenda ei assignanda. — 2. Canonici Theologi deputatio non fit in Ecclesiis Cathedralibus Regularibus, ubi Præbendæ non sunt distinctæ, nec Ecclesiæ numeratæ. — 3. Canonico Theologo in vim unionis factæ ab Epi-

Digitized by Google

scopo de Præbenda vacatura, non competit Jus adversus Canonicatum vacatum per resignationem. — 4. Præbenda erecta, et deputata pro Theologo a sequenti Canonico optari non potest. — 5. Præbenda Theologalis, sicut non potest ab aliquo Canonico optari, cum detur per electionem prævio examine, ita Theologus non est admittendus ad Jus optandi. — 6. Non enim obtinens Præbendam Theologalem potest illam dimittere, et aliam optare ad instar aliorum Canonicorum. — 7. Canonicus tamen Theologus, qui resignavit in manibus Ordinarii Præbendam Theologalem, potest obtinere mediante optione pinguiorem Præbendam cum retentione sui stalli in Choro. — 8. Canonicus Theologus stante consuetudine in Ecclesia Cathedrali, ut per quemlibet Canonicum habentem Præbendam Canonicatui adnexam, obtineatur una ex Dignitatibus in eadem Ecclesia, quæ nullum habet onus, seu emolumentum, sed solum sedet supra Canonicos, et illos in Processionibus præcedit, potest dictam Dignitatem obtinere. — 9. Deputatio Præbendæ primo vacaturæ in Theologalem, non comprehendit eam, quæ vigore statuti a sequenti Canonico optatur, sed illa Præbenda, quam dimiserit Canonicus, qui novissime optat, huic muneri unita, et affecta remanet. — 10. Electio personæ ad hujusmodi Præbendam Theologalem vacantem in mense Ordinario, pertinet ad solum Episcopum, collatio vero ad illos ad quos antea spectabat. — 11. Si vero talis Præbenda Theologalis vacaverit in mense Apostolico, vel alias esset reservata, seu affecta, tunc electio personæ, et collatio spectabit ad Papam. — 12. Electio personæ, cui conferendus est Canonicatus habens adnexum onus lectionis sacræ Theologiæ ex præscripto Concilii, pertinet ad Episcopum, collatio vero eidem personæ facienda est ab eis, ad quos ante Concil. pertinebat, quamvis regulariter in ea Ecclesia electio sola Canonicorum pertineat ad Capitulum, et confirmatio, seu institutio, ad Episcopum. — 13. Præbendæ Theologalis collatio erectæ post Concilium spectat ad eum ad quem ante Concilium spectabat, etiam in casu, quo ante Concilium electio spectabat ad Capitulum, et institutio ad Episcopum. — 14. Hodie electio Theologi debet fieri per concursum. — 15 Canonicus Theologus quadraginta saltem quotannis Lectiones publice in Ecclesia habere tenetur per seipsum, vel per alios idoneos. — 16. Theologalis Præbenda debetur Doctori in Jure Canonico, non attenta Clausula assumendi infra annum gradum Magisterli in S. Theologia. — 17. Canonicus Theologus potest compelli, ut per se, et non per Substitutum muneri suo satisfaciat, nisi adesset legitima absentiæ causa. — 18. Imo tenetur per seipsum, vel per alium Substitutum, si diuturnum adsit impedimentum ad lectionem Sacræ Scripturæ, licet sit senio confectus, aut Jubilatus a servitio Ecclesiæ, et quamvis nulla reperiatur facta assignatio aliorum redituum præter fructus, et Distributiones Theologalis Præbendæ. — 19. Si tamen Canonicus Theologus sit infirmus infirmitate sanabili, non potest ab Episcopo compelli ad substituendum alium, et eo casu, quo alius substituendus sit, puta in casu absentiæ, sine legitima causa, electio Substituti pertinet ad Episcopum. — 20. Sumptibus Theologi munus suum non adimplentis. — 21. Et dato, quod Canonicus Theologus nolit ullo modo legere, potest Episcopus illum cogere comminationibus pœnarum, sequestrationibus fructuum, et perseverante contumacia etiam ad privationem devenire. — 22. Et ubi Episcopus procedat contra eum ad privationem, non tenetur servare temporum intervalla a Tridentino præscripta. — 23. Cum Præbenda Theologalis vacat, dari debet in Commendam Canonico idoneo ejusdem capituli, donec Titularis provideatur, alias poterit Episcopus applicare fructus alicui personæ extra Capitulum, quæ suppleat munus legendi. — 24. Et hæc persona extra Capitulum debet, si reperiatur idonea, eligi ex Clericis sæcularibus. — 25. Si vero Clericus sæcularis idoneus non reperiatur, eligi potest ex Regularibus; et quomodo. — 26. Canonicus Theologus gaudet vacatione a lectione Sacræ Scripturæ in diebus, et temporibus, quibus gaudent Doctores Universitatum, et assignantur. — 27. Tempus, locum, et materiam Sacræ Scripturæ, super qua legendum sit, Sacra Congregatio remittit arbitrio Ordinarii. — 28. Unde Episcopus potest statuere, ut lectiones a Canonico Theologo, non in Cathedrali Ecclesia, sed in Palatio Episcopi habeantur, maxime si in Cathedrali sit infrequens Canonici Theologi ibi legentis auditorium. — 29. Quod Episcopus possit præscribere materiam explicandam a Theologo, censuit expresse Sacra Congregatio Concilii. — 30. Satisfacit tamen Concilio, si a Canonico Theologo Theologia scholastisca legatur. — 31. Non potest tamen Canonicus Theologus se eximere ab explanatione Scripturæ, prætextu quod non habet auditores. — 32. Non tenetur tamen Theologus legere, si ejus Antecessores nunquam legerint, ex quo non adesset necessitas. — 33. Ad lectionem Sacræ Scripturæ in Cathedrali tenentur accedere Canonici, et cæteri Præsbyteri ipsius Ecclesiæ Cathedralis, et possunt compelli ab Episcopo. — 34. Et de facto Canonici, si in quadragesima non intersint Concioni in Cathedrali, vel sua respectiva Collegiata, privari possunt Distributionibus illius diei. — 35. Ad interessendum autem lectioni, seu conferentiæ casuum conscientiæ possunt solum compelli Canonici, aliique Presbyteri, qui sunt Confessarii; cæteri vero Canonici qui non sunt Confessarii, possunt solum hortari. — 36. Regulares vero, nisi sint Parochi, nullatenus cogi possunt ad interessendum lectioni, seu conferentiæ casuum conscientiæ. — 37. Imo neque possunt cogi ad interessendum lectioni Sacræ Scripturæ Regulares illi in quorum Monasteriis talis lectio minime habetur. — 38. Regulares tamen, qui exercent curam Animarum, tenentur intervenire conferentiis casuum conscientiæ, et ad omnia alia ad quæ tenentur Curati sæculares. — 39. Ad quæ cogi possunt ab Episcopo. — 40. Non tamen iidem Parochi Regulares cogi possunt ad assistendum Divinis in Cathedrali, nequidem in Festo sancti Patroni. — 41. Canonico Theologo die qua legit, licet Choro non intersit, debentur Distributiones non solum pro illis Horis, quibus legit, ut si mane legat pro Horis Matutinis, et Missa solemni, sed etiam pro tota die. — 42. Imo non solum tribuendæ sunt illi distributiones quotidianæ omnium Horarum illius diei qua legerit, sed etiam emolumenta quæcunque personaliter interessentibus dari solita, etiamsi Choro non intersit. — 43. Quamvis tamen tota die, qua legit, habeatur pro præsente in Choro, etiam quoad Distributiones, non censetur tamen præsens Matutino, quod dicitur pro die sequenti in Vespere præcedente secundum consuetudinem, vel privilegium aliquarum Ecclesiarum. — 44. Canonicus Theologus debet sedere in loco sui Canonicatus; non enim illi competit præcedentia super alios Canonicos, non obstante contraria consuetudine. — 45. Pœnitentiarius Canonicus in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, ubi id commode fieri potest, est instituendus. — 46. Canonicus Pœnitentiarius deputari debet, qui sit Magister, aut Doctor, seu Licentiatus in Theologia, vel Jure Canonico. — 47. Imo non sufficit quod sit Doctor nomine, sed debet esse Doctor re, et si constet deputatum esse valde ignarum, licet ipse sit Doctor, est deputandus alius. — 48. Quando autem Doctores, et licentiati in Jure Canonico, vel Theologia apti non inveniuntur, non est necesse pro validitate collationis hujus Præbendæ, quod provisus sit Doctor, vel Theologus, sed sufficit, quod in loco sit aptior. — 49. Unde Præbenda Pœnitentiariæ resignari potest ad favorem illius qui non sit Doctor, neque Licentiatus, sed attestationibus Ordinarii, Capituli et Academiæ asseritur doctus et habilis. — 50. Canonicus Pœnitentiarius

Digitized by Google

debet esse in ætate quadraginta annorum. — 51. Defectus tamen ætatis quadraginta annorum in Canonico Pœnitentiario non obstat, ubi alius aptior pro loci qualitate reperiri non potest, et sufficit quod non reperiatur in Civitate et in Diœcesi persona apta cum dictis qualitatibus; nec enim est quærenda extra Diœcesim. — 52. Canonici Pœnitentiarii institutio est facienda tantum in Cathedralibus. — 53. Pœnitentiarii institutio, et electio personæ ad solum Episcopum, absque consensu Capituli, spectat. — 54. Electio personæ Pœnitentiarii ad solum Episcopum tunc pertinet, quando Præbenda non vacat in mense Apostolico, vel non adest alia reservatio, seu affectio: nam tunc ad Papam pertinet ratione reservationis. — 55. Pœnitentiaria vacans, Sede Episcopali vacante, non potest provideri a Capitulo, quamvis collatio Præbendarum sit communis Episcopi et Capituli, vel etiam solius Capituli. — 56. Imo Pœnitentiariæ vacantis, Sede Episcopali vacante, electio et collatio pertinet ad Papam, etiam seclusa reservatione, et non est reservanda futuro Episcopo. — 57. Capitulum non potest se intromittere in electione Pœnitentiarii, licet ad ipsum collatio spectet, quamvis Episcopus sit absens; sed ipse Episcopus absens poterit, ubicunque fuerit, eligere Pœnitentiarium. — 58. Pœnitentiarii enim electio pertinet ad solum Episcopum; vel eo absente ad suum Vicarium, cui Episcopus in specie delegaverit hanc facultatem. — 59. Quamvis electio Pœnitentiarii quandocunque facienda spectet ad solum Episcopum, vel eo absente ad suum Vicarium ad hoc specialiter delegatum, absque consensu Capituli, collatio tamen Præbendæ unitæ Officio Pœnitentiarii ab illis fieri debet ad quos antea spectabat. — 60. Præbenda Officio Pœnitentiarii unienda, debet esse integra et Canonicalis. — 61. Portio enim, quæ fit in Ecclesia, in Præbendam Pœnitentialem erigi non potest, sed Præbenda Canonicalis; et si non essent Præbendæ, sed fructus omnes in Distributionibus quotidianis consisterent, tunc Distributiones habebuntur pro Præbenda. — 62. Non potest Episcopus primam Præbendam vacantem assignare pro Pœnitentiario, quamvis in loco videretur magis necessarius, sed prius debet erigi Theologalis. — 63. Si tamen in aliqua Civitate fuerit judicatum magis expediens, ut prius de Pœnitentiario, quam de Theologo provideatur, habenda est confirmatio a Sede Apostolica ad omnem difficultatem tollendam. — 64. Canonicatus Pœnitentialis non potest optari, nec Canonicus Pœnitentiarius potest aliam Præbendam optare. — 65. Potest tamen Pœnitentiaria resignari, sicut alia Præbenda, etiam in favorem alterius, dummodo habeat qualitates requisitas. — 66. Pœnitentialis Præbendæ erectio non habet locum in ea, quæ vigore statuti a sequenti Canonico optatur, sed illa Præbenda quam dimiserit Canonicus, qui novissime optat, huic muneri affecta, et unita remanet. — 67. Pœnitentiarius, eo ipso quod est institutus, habet a jure et Concilio facultatem audiendi Confessiones, et Jurisdictionem ad absolvendum a peccatis absque alia Ordinarii licentia, et est veluti Parochus totius Diœcesis. — 68. Pœnitentiario quilibet potest peccata sua confiteri, et sic satisfacere præcepto, *cap. Omnis utriusque sexus de Pœnitent. et remission.* — 69. Pœnitentiarius institutus pro audiendis Confessionibus unius Diœcesis, non potest audire in alia, etiam habentium Bullam, vel licentiam sui Parochi. — 70. Pœnitentiarius non potest delegare suam auctoritatem. — 71. Non potest Pœnitentiarius absolvere a casibus quos Episcopus sive expresse reservavit, nisi ipsemet Episcopus talem specialem facultatem ei expresse concesserit. — 72. Nec potest casus reservatos sibi ab Episcopo commissos alteri subdelegare, nisi habuerit expressam ad hoc Episcopi facultatem. — 73. Pœnitentiarius tenetur integras Confessiones audire, non autem solos casus reservatos. — 74. Confessiones Parochianorum Civitatis audire nullo modo recusare potest Pœnitentiarius. — 75. Confessiones audire si renuerit Pœnitentiarius, poterit ab Episcopo puniri. — 76. Imo Pœnitentiarius debet assistere et residere de mane, etiam non vocatus, in Sede Confessionali ab Episcopo destinata, diebus Festis solemnioribus, qui assignantur. — 77. Non debet tamen Pœnitentiarius tenere in manu virgam, seu bachettam, sicut in Urbe, præcipue in locis, ubi hoc non est in usu; nec potest cogi ab Episcopo ad interessendum in Sede Confessionali, eo tempore quo non adsunt pœnitentes qui sua opera uti velint. — 78. Pœnitentiarius non potest cogi ad majorem residentiam quam alii Canonici, qui per tres menses abesse possunt, dummodo tamen non absit tempore quo frequentius pœnitentes accedunt, et diebus Festis solemnibus, qui assignantur. — 79. Pœnitentiarius pro præsente in Choro est habendus, dum audit Confessiones in Ecclesia. — 80. Non tamen pro tempore quo residet in Confessionario, nec audit Confessiones, aliis in Choro Divina celebrantibus; nec item si dixerit Missam, aut si privatim Officium dixerit, etiam ut opportunius Confessiones audiat, censendus est præsens in Choro. — 81. Pœnitentiarius dum actualiter audit Confessiones in Ecclesia, non solum censetur præsens in Choro ad lucrandas Distributiones quotidianas, sed etiam eleemosynas ipsas quæ distribuuntur pro associandis et sepeliendis cadaveribus Defunctorum, vel pro supplicationibus et processionibus quæ per Urbem aguntur. — 82. Pœnitentiarius non censendus est pro præsente in Choro, si extra Ecclesiam Confessiones audiat, etiam infirmorum. — 83. Canonicus Pœnitentiarius non præcedit aliis Canonicis, non obstante contraria consuetudine. — 84. Pœnitentiarius approbatus, et in possessionem immissus a Delegato Apostolico, eo quod Vicarium et Tribunal Ordinarii suspectum haberet, potest audire Confessiones absque alia licentia ipsius Ordinarii. — 85. Pœnitentiarius non potest esse Vicarius Generalis Episcopi, ne suspicionem ingerat, quod in administratione justitiæ utatur scientia Confessionis; nisi tantæ apud omnes esset opinionis, ut excluderetur hujusmodi suspicio. — 86. Canonicus Pœnitentiarius, quamvis regulariter non sit admittendus in Confessarium Monialium propter difficultatem satisfaciendi utrique muneri, tamen cum potest utrique muneri satisfacere, Sac. Congregatio Concilii in Januensi 11 Sept. 1666, censuit in hoc casu non prohibendum. — 87. Hodie quoad Canonicum Theologum et Pœnitentiarium attendenda est novissima Constitut. Benedict. XIII, incipiens *Pastoralis*. — 88. Affertur ad litteram dicta Constitutio. — 89. Ex hac Constitutione Canonicus Theologus, et Pœnitentiarius debent eligi per concursum, pro quo assumi possunt Examinatores etiam non Synodales. — 90. Protonotarius Canonicus non potest in functionibus et aliis actibus publicis sibi tanquam Canonico competentibus, uti habitu Protonotarii, sed suo habitu Canonicali. — 91. Potest tamen uti habitu Protonotarii in omnibus actibus non competentibus sibi tanquam Canonico. — 92. Protonotarius Canonicus, seu Dignitas, si cum habitu Protonotarii intersit Choro, Processionibus et Divinis, non lucratur fructus et Distributiones sui Canonicatus. — 93. Imo in habitu Protonotarii interveniens Choro, Distributiones amittit, non obstantibus consensu, et concordia Capituli. — 94. Dignitates enim et Canonici, ut lucrentur Distributiones, debent intervenire cum proprio habitu Canonicali. — 95. Alias si voluerint uti habitu Protonotarii in sua Ecclesia, reputantur tanquam extranei, eisque assignatur locus non inter Canonicos, sed post ipsos Canonicos et Abbates, et non lucrantur Distributiones. — 96. Possunt tamen Dignitates et Canonici Protonotarii in Ecclesia uti Subtana violacea, licet reliqui Canonici deferant nigram, dummodo in reliquis gerant

Digitized by Google

habitum similem, et æqualem aliis Canonicis. — 97. Non possunt tamen uti Rochetto sub Cotta, dum in Choro assistunt Horis Canonicis. — 98. Protonotarius, si sit prima Dignitas, potest in Choro deferre Rochettum cum Mantelletto, si vero non sit prima Dignitas, sedere debet in suo stallo cum suo habitu Canonicali. — 99. Protonotarius utens habitu Protonotarii, et Prælati, etiamsi non sit prima Dignitas, debet præcedere Archidiacono primæ dignitati; dummodo tunc non lucretur Distributiones quotidianas. — 100. Sed non potest uti dicto habitu in Processionibus, et in aliis actibus publicis in quibus cum Capitulo intervenit. — 101. Indultum Jubilationis, quod est Ecclesiæ odiosum, et ideo parce concedendum, non constito de laudabili servitio Ecclesiæ per quadraginta annos præstito, ac de aliqua alia commiserationis causa, quæ una cum laudabili servitio concurrere debet, non solet neque debet concedi. — 102. Ex tempore laudabilis servitii Ecclesiæ quadraginta annorum, propter quod solet a Sacra Congregatione concedi Indultum Jubilationis, est deducendum servitium præstitum tempore Clericatus, ante adeptam Præbendam, quod non computatur ad favorem petentis. — 103. Neque valet Indultum Jubilationis post quadragenarium servitium, si sit concessum a Capitulo, et non a Sac. Congreg. — 104. Concesso legitime alicui Canonico a Sacra Congregatione Indulto Jubilationis, talis Canonicus Jubilatus debet participare de Distributionibus de quibus participant alii Canonici Choro, et Divinis interessentes, etiam de illis quæ ob aliorum absentiam Canonicis interessentibus accrescunt. — 105. Etiamsi Distributiones essent auctæ post obtentam Jubilationem. — 106. Indultum Jubilationis concessum Canonico, suffragatur pro participatione fructuum, et Distributionum etiam extraordinariarum, et dictæ Distributiones sunt per Canonicos restituendæ a die intimati Indulti. — 107. Canonico Jubilato debentur etiam ea quæ proveniunt ex emolumentis Processionum et Anniversariorum, et aliorum, dummodo Testatorum voluntas non obstet. — 108. Indultum Jubilationis quantumcunque amplum non comprehendit Anniversaria non fixa, et corporaliter interessentibus a Testatore relicta, nisi in Indulto sit expressa voluntas Papæ, Testatoris menti clare derogantis, et etiam talia Anniversaria Indultario explicite indulgentis. — 109. Anniversaria autem fixa, et alia similia in quibus non adsit contraria dispositio Testatoris et Fundatoris, participantur ab Indultariis, ac si personaliter interessent; quamvis functionibus vere non intersint, et onera Missarum aliis injuncta pro rata non adimpleant. — 110. Canonici Jubilati non tenentur, neque per seipsos, neque per alios Missam, Conventualem per turnum celebrare. — 111. Episcopus non potest decernere, quod Canonicis Jubilatis vigore Indulti non debeantur Distributiones extraordinariæ, quæ ob absentiam, vel vacationem Canonicorum interessentibus accrescunt. — 112-118. De Canonicatus Theologalis erectione juxta Constit. Bened. XIII. — 119-124. De jure collationis. — 125. Canonici Theologi munus. — 126, 127. De Canonico Pœnitentiario. *Remissive.* — 128, 129. De Canonico Jubilato. — 130. De Scholis Presbyterorum in Ecclesia. — 131. De Pœnitentiario

ARTICULUS X. — *Quoad ea quæ concernunt Coadjutorias, Canonicos Coadjutores, et Coadjutos.*

1. Coadjutoriæ fuerunt inventæ principaliter ne Ecclesia ob impedimentum Coadjuti suo defraudetur servitio. — 2. Et ideo permittuntur tantum ex causa necessitatis, vel evidentis utilitatis Ecclesiæ. — 3. Ita ut Papa concedendo Coadjutoriam, censeatur principaliter motus propter dictam necessitatem et utilitatem Ecclesiæ. — 4. Licet secundario videatur voluisse Coadjutori providere de Beneficio, præveniendo tempus vacationis, quæ per obitum Coadjuti est necessaria. — 5. Dicta autem causa debet a Sanctissimo diligenter cognosci. — 6. Unde quamvis Concilium Tridentinum statuerit ut nemini in quibuscunque Beneficiis Ecclesiasticis permitterentur perpetuæ, et irrevocabiles Coadjutoriæ cum futura successione, tamen exinde propter supradictam causam multæ fuerunt a Summis Pontificibus concessæ, et adhuc in dies conceduntur Coadjutoriæ cum futura successione. — 7. Ut excludatur votum captandæ mortis, super quo est fundata reprobatio Exspectativarum, pro obtinenda Coadjutaria exigitur consensus, et requisitio Coadjuti. — 8. Qui consensus adnotari debet in libris publicis Cameræ, vel Cancellariæ. — 9. Et pro ista Coadjutoria obtinenda requiritur etiam consensus Capituli, qui sufficit, quod datus sit a majori parte Capituli. — 10. Et insuper ad obtinendam Coadjutoriam requiruntur Litteræ commendatitiæ Episcopi, vel Capituli super qualitatibus Coadjutoris, et indigentiæ Ecclesiæ; licet plerumque Litteræ evendicatis favoribus extorqueantur. — 11. Coadjutor, vivente Coadjuto, non est vere Canonicus, sed dicitur fictus Canonicus et Beneficiatus. — 12. Et repræsentat tantummodo Canonicum et Beneficiatum. — 13. Unde Coadjutor efficitur vere Canonicus solummodo post mortem Coadjuti. — 14. Coadjutor enim, vivente Coadjuto, sedere debet in ultimo loco post omnes Canonicos. — 15. Et sic non debet Coadjutor gradatim ascendere, sed post omnes sedere, non obstante statuto in contrarium disponente. — 16. Excipiuntur tamen Coadjutores Dignitatum, qui idem prorsus stallum obtinere debent, quod obtinerent sui Coadjuti, si præsentes essent; et præcedunt Canonicis et Dignitatibus inferioribus — 17. Coadjutor, in absentia Coadjuti, præcedere debet Curatis, Plebanis, et Prioribus Ecclesiarum Parochialium, sicuti præcedunt veri Canonici. — 18. Coadjutor, vivente Coadjuto, stante divisione Canonicatuum in Ecclesia Cathedrali in Ordines Subdiaconales, Diaconales, et Presbyterales, et stante, quod Coadjutor sit Coadjutor Canonici Presbyteri, installandus est ultimo loco in Ordine Presbyterali. — 19. Imo, ubi Præbendæ sunt distinctæ, præcedentia super Canonicos Ordinis Diaconalis et Subdiaconalis debetur Coadjutori Canonici Coadjuti Ordinis Presbyteralis, quamvis Coadjutor nondum sit Sacerdos, sed in minoribus tantum Ordinibus constitutus. — 20. Et præcedentia debetur ipsis Coadjutoribus Canonicorum aliorum Ordinum super Canonicos inferiorum Ordinum, etiam præsentibus suis Coadjutis, et per seipsum inservientibus. — 21. In hoc est differentia inter Coadjutores Dignitatum et Coadjutores Canonicorum, quia illi, sicuti sedent in Stallo Dignitatis, ita debent facere functiones spectantes ad Dignitatem Coadjutam; Coadjutores vero Canonicorum, sicuti sedent post omnes Canonicos, ita non admittuntur ad honorarias functiones, si adsint alii Canonici, qui suppleant, et ob hanc regulam Coadjutores nunquam faciunt assistentiam Episcopo, si adsint veri Canonici. — 22. Coadjutores ex forma Coadjutoriæ extra suam Ecclesiam, et sine Capitulo nullam habent prærogativam, ac si non essent Coadjutores. Unde in concursu cum aliis Sacerdotibus, non præcedunt nisi ratione antiquitatis in Ordine; *ad n.* 23. — 24. Coadjutor debet habere locum captæ possessionis post mortem Coadjuti, et non locum possessionis captæ vivente Coadjuto. — 23. Possessio numeranda est ab obitu Coadjuti, quamvis prior possessio accederet ad annos viginti. Nec enim vere capit possessionem, nisi post cessationem Coadjutoriæ. — 26. Unde non sufficit prima capta possessio vivente Coadjuto, sed debet capi nova possessio post mortem ipsius Coadjuti. — 27. At vero, si suscepit possessionem Canonicatus vivente Coadjuto, ex tunc pro tempore, quando venerit casus cessationis Coadjutoriæ, non indiget nova possessione post mortem Coadjuti. — 28. Verum dicta possessio requiritur, quod sit capta capitulariter, ut possessio Canonicatus, vel Beneficii

Digitized by Google

acquiratur. — 29. Coadjutor gaudet regula de annali et triennali possessione, etiamsi non sit ei data nova possessio post mortem Coadjuti, et per annum, triennium, vel decennium continuaverit in possessione post obitum Coadjuti. — 30. Coadjutor tenetur residere, et Divinis inservire. — 31. Coadjutor tenetur residere etiam in casu quo Coadjutus propter infirmitatem, vel legitime impeditus, non teneretur alioquin residere, alias amittuntur Distributiones quotidianæ, quæ punctantur Coadjuto, in damnum tamen ipsius Coadjutoris, ita ut Coadjutor teneatur satisfacere de bonis suis pro interessentia non soluta. — 32. Potest tamen gaudere mensibus datis causa recreationis, et illos consummare sicut Principalis, ita tamen quod dies per unum ipsorum consummati non possint per alterum assumi, sed quoad ambos remaneant consumpti. — 33. Coadjutor tenetur celebrare Missas, quas vigore testamenti, et institutionis Capellaniæ, ipse Coadjutus celebrare tenetur, quando Coadjutus est legitime impeditus. — 34. Unde tenetur Coadjutor habere qualitates requisitas ad obtinendam Præbendam, adeoque debet esse constitutus in illa ætate quæ ad obtinendum illud Beneficium requiritur. — 35. Et per hoc debet promoveri infra annum ex quo residet, et inservit, ad Ordinem suæ Præbendæ annexum. — 36. Non tenetur tamen se promoveri facere intra annum ad Ordinem requisitum, si nunquam resedit, nec inserviit, quia Coadjutus non vult. — 37. Quamvis Coadjutor non sit in Sacris constitutus, potest omnia et singula facere et exercere quæ sine paramentis sacris cum Cappa et Cotta facere posset Coadjutus, si præsens esset. — 38. Coadjutor lucratur Distributiones quotidianas absente Coadjuto, ad ipsius Coadjuti utilitatem. — 39. Coadjutore infirmo, vel impedito, Coadjutus lucratur Distributiones quotidianas, etiamsi Horis Canonicis non intersit, si ex forma, seu Litteris Coadjutoriæ, ipse Coadjutus nunquam teneatur Horis Canonicis interesse. — 40. Tres sunt causæ legitimæ, scilicet infirmitas, justa et rationabilis necessitas, et evidens Ecclesiæ utilitas, quarum aliqua interveniente, tam Coadjutor quam Coadjutus, lucrantur Distributiones, non obstante absentia. — 41. Si vero ex forma, seu Litteris Coadjutoriæ appareat Coadjutum non eximi totaliter a residentia, quando habilis sit, et quando Coadjutor est absens, tunc Coadjutus tenetur inservire per se, ut lucretur Distributiones. — 42. Et si Coadjuto ipso infirmo, vel impedito, Coadjutor non resideat, non debentur ei Distributiones quotidianæ, et punctatur in ipsius Coadjutoris damnum. — 43. Coadjutor non potest lucrari Distributiones quotidianas, quando Coadjutus est præsens. — 44. Coadjutor non lucratur Distributiones quæ dantur Canonicis et Præbendatis propriæ Ecclesiæ, quando aliquas Missas celebrat, nisi quando celebrat pro ipso Coadjuto. — 45. Coadjutor datus Canonico non ordinato ad formam statuti requirentis certum Ordinem in Canonicis sub pœna amissionis ejusdem partis fructuum, non lucratur hujusmodi fructus pro Coadjuto, quamvis ipse Coadjutor esset ordinatus ad formam dicti statuti. — 46. Coadjutor inserviens non potest lucrari fructus Præbendæ pro Præbendato Coadjuto pro eo tempore, quo dictus Coadjutus culpabilis repertus, mansit carceratus. — 47. Coadjutor potest inservire et residere in Ecclesia, excommunicato exsistente Coadjuto. — 48. Imo si forte Coadjutori aliquid de fructibus seu Distributionibus assignatum sit pro congrua, seu servitio, ut aliquando fit, id sibi poterit lucrari, non obstante excommunicatione Coadjuti, quæ sibi, non alteri debet nocere, et per hoc tunc Coadjutor non potest lucrari pro Coadjuto excommunicato, et ad ejus commodum et utilitatem. — 49. Nec officit, quod in Litteris Apostolicis Coadjutoriæ dicatur, quod Coadjutor inservire debeat pro Coadjuto, et pro ipso Coadjuto lucrari. — 50. Coadjutor potest uti privilegiis concessis vocis Canonicis optandi Beneficia, ad utilitatem tamen et commoditatem Coadjuti. — 51. Coadjutor Canonici, si simul sit Rector Ecclesiæ Parochialis, potest in processionibus incedere cum Canonicis sub eorum Cruce; nec ex eo quod non incedit sub Cruce Rectorum, potest tanquam absens puniri in certa portione frumenti, sed duplicis personæ muneri satisfacit. — 52. Coadjutor et Coadjutus possunt simul in habitu Canonicali interesse in processionibus, et Missarum solemniis; Coadjutus in loco sibi debito, et Coadjutor post omnes Canonicos. — 53. Coadjutor non tenetur ad onera Canonicorum juniorum, licet teneatur ad onera sui Coadjuti. — 54. Coadjutor non tenetur tempore concessionis Coadjutoriæ habere Ordinem Presbyteralem, ubi statuto Ecclesiæ cautum fuerit quod Canonicus actu sit Sacerdos tempore promotionis, sed sufficit habere Clericatum, et legitimam ætatem ad Ordinem requisitam. — 55. Coadjutor non potest esse Judex Apostolicus, seu Delegatus Papæ, nec designari Judex Synodalis. — 56. Coadjutor non tenetur ad Fidei professionem, nisi cum fuerit successioni locus. — 57. Coadjutor non tenetur ad officium Canonicum recitandum, sed Proprietarius. — 58. Coadjutores enim cum futura successione non sunt Beneficiarii interim dum vivunt Coadjuti, nec habent jus in re, sed ad rem. — 59. Coadjutoriæ hujusmodi non sunt vere et proprie Beneficia. — 60. Nec Coadjutores sunt vere Canonici, et Beneficiarii, sed solummodo ficti Beneficiarii, et ficti Canonici. — 61. Coadjutor consequi non potest fructus ex Beneficio Coadjuti. Imo lucratur etiam Distributiones quotidianas, absente Coadjuto, ad utilitatem ipsius Coadjuti. — 62. Et ideo quando Coadjutor habet aliunde unde se valeat decenter sustentare, disponitur sæpius, quod nihil prorsus percipere debeat de fructibus, nec Distributionibus; et adducitur clausula in Litteris Coadjutoriæ poni solita. — 63. Coadjutor non potest gaudere privilegiis, et indultis de percipiendis fructibus in absentia, puta ratione studii, aut Lecturæ in aliqua Universitate, quibus Coadjutus gaudere potest. — 64. Coadjutor in ingressu non tenetur Fabricæ solvere, quod est conventum solvi per Canonicos de novo ingressos. — 65. Coadjutor non potest exercere officia ad quæ Coadjutus electus est. — 66. Canonici tamen tenentur inservire et ministrare Coadjutori; prout tenerentur inservire proprio Canonico coadjuto in omnibus functionibus Canonicalibus. — 67. Coadjutor non potest ordinari ad titulum Coadjutoriæ. — 68. Coadjutor non intelligitur comprehensus in statuto, quod ex aliqua causa jubilare facit Canonicos. — 69. Canonicus Coadjutor, etiam Coadjuto absente, non potest Capitulis interesse, nec in illis votum dare, nec Officium antianitatis exercere, nisi in Litteris Apostolicis jura hæc expresse concedantur. — 70. Resolutiones Sac. Congr. Conc. pro Coadjutis et Coadjutoribus. — 71, 72. De consensu Capituli in Coadjutoriæ erectione. — 73. An subreptitia sit Coadjutoriæ gratia non expressa clausula, quod jus eligendi in omnibus mensibus spectat ad Capitulum. — 74. Item non narrato jure præsentandi spectante ad Patronum laicalem. — 75. An revera Litteræ commendatitiæ Episcopi sint de forma Coadjutoriæ. — 76. Quando competit Coadjutori jus præcedentiæ supra alios Canonicos. — 77. Gratia Coadjutoriæ valet, si tantum Beneficium vacat de jure.

ARTICULUS XI. — *Varia alia in supplementum de Canonicis.*

1. Non licet novum habitum, sive Signum a Canonicis Cathedralis Ecclesiæ absque Sedis Apostolicæ auctoritate assumi. — 2. Canonici et Præbendati non possunt deferre Almutias, cum uti singuli invitantur ad associandum funera, sed uti tantum possunt in casibus, quando incedunt collegialiter una cum Capitulo. — 3. Canonici Cathedralis non sunt in dignitate Ecclesiastica constituti, nisi lato sumpto

Digitized by Google

vocabulo, sed dicuntur Clerici primi Ordinis ; sunt tamen Canonici et Cathedralis personæ in Dignitate constitutæ, ad hoc ut possit coram eis fieri translatio pensionis. — 4. Collegiata simplex præcedit omnibus Ecclesiis simplicibus, et quæ tantum Parochiales sunt. — 5. Etiamsi antequam erigeretur in Collegiatam, illis cederet. — 6. Canonici Collegiatæ de Jure insignis præferuntur Canonicis Collegiatæ, quæ est insignis per Indultum de recenti; seu Collegiata antiquior, quæ habet insignitatem a Jure, præfertur habenti insignitatem ex privilegio posteriorem. — 7. Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ, quamvis peritissimus Doctor, eligi non potest in Judicem Synodalem, etiamsi non exstent in Cathedrali Doctores, saltem ita idonei. — 8. Canonicus celebrans in Ecclesia Collegiata non tenetur facere reverentiam Vicario Generali præsenti in fine Missæ ante benedictionem. — 9. Canonicorum ad privationem potest procedere Episcopus sine adjunctis ex causa, quod Ordines suis Præbendis annexos non susceperit. — 10. Si Canonicus Pœnitentiarius non faciat residentiam, et Episcopus velit procedere contra eum ad privationem Canonicatus, tenetur servare regulam præscriptam a Concil. Trid. — 11. Canonicos vocare ad Palatium Episcopale potest Episcopus, et tenentur accedere : non tamen tenentur ire vocati a Vicario. — 12. Canonici Cathedralis, et Collegiatæ debent retinere Tabellam horariam, et Officia Divina persolvere statutis horis; et ad id possunt cogi per Episcopum. — 13. Canonicos ad discendum cantum Gregorianum cogere potest Episcopus. — 14. Canonici abesse volentes extra Diœcesim, tenentur semper petere licentiam ab Episcopo. — 15. Concurrente tamen honesta et rationabili causa absentiæ, non potest ab Episcopo denegari Canonico licentia se absentandi, alias datur recursus ad Superiorem. — 16. Canonicus absens de licentia Sacræ Congregationis cum clausula : *Dimissa tertia parte fructuum,* dimittit tertiam, quæ superest detracta pensione. — 17. Canonicatum erigere Episcopus non potest sine consensu Capituli. — 18. Si tamen Canonici irrationabiliter renuant præstare consensum erectioni novi Canonicatus, superior supplet. — 19. Imo non potest Episcopus auctoritate ordinaria in sua Ecclesia creare Canonicos supranumerarios absque consensu Capituli et Canonicorum. — 20. Canonicus supranumerarius neque ad futuram Præbendam creari potest. — 21. Canonicus supranumerarius receptus simpliciter de mandato Papæ in aliqua Ecclesia, in qua est certus numerus Canonicorum, non illi derogando, aut non mandando recipi cum plenitudine Juris Canonicalis, non habet Jus Canoniæ. Secus autem e contra. — 22. Canonici supranumerarii ordinarie dicuntur illi qui in Canonicorum collegium cooptantur, et Canonici creantur ultra numerum certum Præbendarum, et Canonicatuum, absque ulla Præbenda illis statim attributa. — 23. Si Canonicus supranumerarius fuit admissus per Capitulum simpliciter sine præservatione suorum Jurium, quotidianas lucratur Distributiones. — 24. Canonici supranumerarii, qui ex privilegio Apostolico in aliqua Ecclesia recipiuntur, cum eo quod solum participent de Distributionibus quotidianis, et nullam obtineant Præbendam, sed ad primam vacaturam, juxta eorum prioritatem, admittantur, non tenentur habere majorem ætatem quam quatuordecim annorum, dummodo non optent, nisi cum ætatem requisitam habuerint. — 25. Potest permitti quod Canonici deputent in Parochum Canonicum supranumerarium. — 26. Dignitatem novam in Cathedrali Ecclesia erigere nemo potest, nisi Summus Pontifex. — 27, 28. Quando sit subreptitia erectio novi Canonicatus. — 29, 30. De Canonicorum novæ erectionis proventibus, atque illorum oneribus. *Remissive.* — 31. De præcedentia Canonicorum novæ erectionis. *Remissive.*

ARTICULUS I.

Quid sint Canonica, seu Canonicatus, et Canonicus? et unde dicantur?

(1. Canonia vulgo Canonicatus est Jus spirituale, quod provenit ex electione, seu receptione alicujus in Fratrem, seu Canonicum. Sic Innocentius in cap. *Cum M.* 9, § *Canonicos*, de Constit.; Nebrissensis in Vocabular. Jur., verb. *Canonia;* et alii. (2. Hoc autem Jus spirituale, quod præbet Canonia, consistit primo in Jure habendi in Choro Sedem (vulgo stallum), et vocem in Capitulo. (3. Secundo consistit in hoc, ut quam primum facultas se obtulerit, Canonico eamdem Canoniam legitime obtinenti, etiam conferatur Præbenda, seu competens portio fructuum canonicalium; cap. *Relatum* 9, de Præbend., ibi : *Quia non est congruum ut Præbenda* (scilicet vacante, vel proxime vacatura) *careat qui in Canonicum noscitur esse receptus;* concordat cap. *Dilectus* 19, de Præbend., et cap. *Cum M.* 9, de Constit. (4. Si quis enim simpliciter in Canonicum receptus fuerit, antequam redditus Canonicales eidem assignentur, sive conferantur, dicitur habere *Canoniam*, hoc est Canonicatum, nondum vero Præbendam. (5. Siquidem Præbenda ulterius importat Jus ad percipiendos fructus annuos Canoniæ, sive debitos ex titulo Juris Canonicalis. Unde qui habet utrumque, is Canonicus Præbendarius appellatur; cap. *Sanctorum* 2, dist. 70.

(6. Canonici nomen idem est ac Regularis; venit enim a voce Græca *Canon*, quæ regulam significat; cap. *Canon*, 1, dist. 3, ibi : *Canon Græce, Latine regula nuncupatur.* Et in Conc. Colon. II, part. 3, cap. 4, sic expresse dicitur : « Ut de Canonicis dicamus pauca, respondeat eorum vita titulo, respondeat nomini : sint re ipsa, ut sunt nomine Canonici, id est Regulares. » (7. Canonicorum prima origo fuit in Monastica disciplina; Conc. Colon., loc. cit. his verbis : « Neque enim clam est primam eorum originem Monasticæ disciplinæ fuisse. Imitentur Apostolos et nascentis Ecclesiæ ministros, quorum erat cor unum et anima una, qui quotidie (ut in Actis Apostolicis legimus) perdurantes unanimiter in Templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exsultatione, et simplicitate cordis perseverantes in orationibus... porro Ecclesiæ istæ Collegiatæ quamdam vetustatem spirant, et Ecclesiæ primitivæ institutum præseferunt; quod vel forma ædificiorum ostendit, quæ Canonicos prope Templum in unum pene habitaculum collocavit, ut procul a promiscua multitudine separati, Divinis pariter laudibus jugiter insisterent. » (8. Hinc sanctus Augustinus ad communem vitam in domo Episcopali Sacerdotes et Diaconos congregavit, cujus exemplum secuti sunt plurimi Africæ Episcopi; et illi Sacerdotes et Diaconi pro ministerio suo Distributiones bonorum Ecclesiæ accipiebant. (9. Tuncque primi *Canonici* dicti sunt illi qui eas recipiebant, eo quod Ecclesiæ

Digitized by Google

ascripti vitam *Canonibus* conformem ducerent. (10. Et ipsis etiam fundos per vitam suam possidendos assignabat Episcopus, ut docet Concilium Aurelianense tertium, cap. 17, et sic Canonicorum, et Præbendarum origo, nomen, et usus invaluit.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(11. Primis Ecclesiæ sæculis quicunque Clerici certæ Ecclesiæ addicti, quique ex ejus penu alebantur, vocabantur Canonici. (12. Ratio denominationis inde petita fuit, quod Albo, seu Matriculæ Ecclesiæ fuissent inscripti: (13. tum quod stipendiis Ecclesiæ militarent. (14. Canon enim antiquis Scriptoribus non raro significat Ecclesiæ Matriculam, seu Album. (15. Præterea etiam Canon pensionem, stipendiumque denotat, quod vel jus Romanum docet in l. I, cap. de Induct., l. unic. Cod. de Collat. bon; l. III, cap. *Quæ res vend. non poss.* Confer etiam Anton. Matthæi de Nobil. lib, II, c. 33; Gerard. de Bois in Histor. Paris, lib. VI, cap. 1, § 5. (16. At ab his minime ortum trahunt qui hodie in oppositione ad cæteros Clericos dicuntur privative Canonici. (17. Postea enim dicti sunt Canonici qui vitam quamdam communem agebant, communi refectorio, et dormitorio utebantur, et ita speciale aliquod Collegium constituebant. (18. Nova hæc Canonicorum ratio apparuit tempore Pippini, auctore Chrodegango Metensium Episcopo, qui Clericos suos in unam congregavit societatem, et in uno Claustro ad vitam communem ad instar Monachorum colendam eosdem traxit, perduxitque, certas illis regulas vivendi præscribens; Paul. Diacon. in Fragment. de Episcop. Metens, apud Duchesnium, tom. II, Histor. Fran.

(19. Non omnis tamen Clerus, sed tantum Cathedralis Ecclesiæ a Chrodegango ita collectus est. (20. Propagata vero fuit Regula Chrodegangi tempore Caroli Magni. (21. Adeoque sub hoc novo instituto quotidie crevit Clericorum numerus, ut Congregationibus Ecclesiæ Cathedralis non omnes possent coadunari. (22. Hinc plura Collegia Canonicorum extra Ecclesias Cathedrales sunt exorta, quod vel hodie Ecclesiarum Collegiatarum Canonici docent. (23. Omnium tamen una erat ratio, et conditio. (24. Sæculo autem decimo passim Canonici pristinam deseruerunt disciplinam; Trithemius in Chron. Hirsaugiensi de anno 977. (25. Ad evitandam autem expulsionem Canonicorum male viventium vita regularis inventa est. (26. Sunt qui Petro Damiani reformationis opus ascribunt, et Regulam in calce ejus operum editam, hunc in finem ab eo conscriptam esse contendunt. (27. At Natalis Alexand. Petrum de Honestis Auctorem hujus novi instituti facit, eumque a Petro Damiani distinguendum esse demonstrat. (28. Duplex posthac emersit Canonicorum status. Qui proprietati renuntiabant, Regulares, cæteri qui extra communem vitam vivebant, Sæculares dicti sunt, qui in sæculo adhuc manerent, ad quod proprietatem bonorum retulerunt.

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(29. Canonici dicebantur qui juxta regulam propriæ suæ Ecclesiæ vivebant. Concil. t. II, can. 20. (30. Licet Urbanus II, in Concil. Claromont. can. 9, et Arnulphus Episcopus Lexov., Epist. ad Alex. Pap. Præbendam Canonicam pro Canonica ponant, valde tamen differunt jure communi inspecto; (31. nam Canonia est jus habendi sedem in Choro ad canendum, et vocem in Capitulo, proveniens ex electione, seu receptione in fratrem; (32. Præbenda vero ex se non habet sedem in Choro, nec vocem in Capitulo; et titulus Canoniæ est receptio in fratrem, titulus vero Præbendæ collatio. (33. Canoniam per se absque Præbenda Beneficium Ecclesiasticum esse pluribus textibus evincitur. (34. Nam Canonicus habet jus percipiendi Distributiones quotidianas, quæ licet fructus Beneficii non sint, sunt emolumenta, quæ propter officium impensum in Ecclesia præstantur. Barbosa, de Canonicis, cap. 21: Solorzanus, de Jurib. honor., n. 481, et Moneta, de Distrib. q. 6, per totum. (35. Canonicorum institutum antonomastice *Militia Clericalis* dicitur; et ab exactiore, quam profitentur, Canonum custodia Canonici nomen sortiuntur. (36. Canonicæ Regulæ primaria fuit institutio, ut sub Episcopo Canonici essent sancte viventes, et prompti ad omne Ecclesiasticum ministerium, ad quod a Præposito suo ordinarentur. (37. Unde nemini dubium esse potuit quin Canonici subsidio et adjutorio Episcopis esse teneantur. (38. Primis temporibus, qui dicebantur Canonici prope domum Episcopalem sub uno Directore habitare solebant; (39. at postquam Episcopi plures Ecclesias sub uno regimine habere cœperunt, Canonicorum Collegia aliis in locis ab Episcopis aut fidelibus constructa fuere, tum ut ipsi, utpote Canonum singularem custodiam profitentes, reliquo Clero superintenderent, tum etiam ut in ipsis Capitulis personas haberent Episcopi, quæ sibi in regimine populi forent adjutores. (40. Canonicorum Collegia, dum olim Canonici vitam communem agerent, unoque claustro sub certa regula, et superiorum directione viverent, Monasteria dicta fuisse ex monumentis, et scriptoribus antiquis notissimum est. (41. At postquam Canonici, abjecta vita communi, ad vitam singularem transierunt, externaque vivendi disciplina se plane a Monachis et Regularibus in communi viventibus discreverunt, eorum Ecclesiæ sive Collegia dici cœperunt Capitula. (42. Singularitate semel introducta, suas etiam Congregationes, quæ prius Conventus, sive Collatio dicebantur, Capitula dixerunt, eaque quæ in illis Congregationibus acta sunt, Acta Capitularia, et capitulariter Acta dicuntur. (43. Ob singularem vitam, quam inter sæculares vivere cœperunt, Canonici sæculares dicti sunt; quæ nomenclatura profluit ex eo quod, cum antea in claustris ab omni mundi strepitu et hominum sæcularium conversatione segregati plane a sæculo exiisse viderentur, nunc inter sæculares ho-

Digitized by Google

mines conversentur et habitent. (4. Sed quidquid mutationis intervenerit, unice ipsam exteriorem vivendi disciplinam concernit, qua etiam non observata, Canonici quæ suæ sunt vocationis et professionis, exacte adimplere possunt.

ARTICULUS II.

Canonicatus quoad collationem et possessionem.

(1. Quamvis de Jure collatio seu provisio Canonicatuum in Ecclesiis Cathedralibus simultanee spectare præsumatur ad Episcopum et Capitulum, ut per Glossam communiter receptam in c. *Cum Ecclesia Vulterana* 31, de Election.; Rota part. II, rec. decis. 124, num. 1; decis. 685, num. 4; part. IV, tom. I, decis. 529, num. 1; part. V, tom. II, dec. 440, n. 9; dec. 444, num. 1; part. XVI, dec. 244, num. 1, cum sequent. part. XIX, tom. I, dec. 121, num. 1. (2. Consuetudo tamen in contrarium attendi debet, videlicet quod ad solum Episcopum privative quoad Capitulum, vel e converso ad solum Capitulum, privative quoad ipsum Episcopum collatio, seu provisio pertineat; c. *Cum Ecclesia Vulterana* 31 de Election., c. *Ex parte Astensis Ecclesiæ*, de Concessione Præbendæ; Abbas in cit. c. *Cum Ecclesia Vulterana*, n. 1, et 10; Cassador., dec. 22, n 2, de Præbend.; plene Barb., de Canonicis et Dignitat., cap. 14, num. 20; Rota, p. 3, dec. 124, num. 1; p. V, tit. 2, dec. 444, n. 1; p. XVI, dec. 244, n. 2; p. XIX, tom. I, dec. 121, n. 2. (3. Consuetudo Canonicatus et Dignitates conferendi a Capitulo irrequisito Episcopo probatur ex collationibus factis tantum ab eodem Capitulo; Rota part. III, dec. 124, in Casalensi Juris conferendi; part. XVI, decis. 244, in Beneventana Jur. conferendi; part. XIX, tom. I, dec. 121, in Novarien. Canonicatus. (4. Quæ consuetudo ad exclusionem simultaneæ collationis præscribitur spatio quadraginta annorum, ut tenent communiter Doctores in cap. *Cum de Beneficiatis*, n. 6; Glossa fin. in principio in cap. fin.; ibique Abbas num. 7, de Consuet.; Barbosa, de Canonicis, cap. 14, n. 20; Peregrin.cons., 28, num. 4 et 5.; Gonzales super Regul. 8; Cancell. Glossa 7, num. 8; Lotter, *de* Re benef., lib. I, qu. 21, num. 47; Rota, part. XI, recent. decis. 74, num. 12; part. XVI, decis. 224, num. 3.

(5. Nedum in Ecclesiis Cathedralibus, sed etiam in Ecclesiis Collegiatis sæcularibus collatio, seu provisio Canonicatuum spectat simultanee ad Episcopum et Capitulum; Rota, part. I, recent. decis. 232, num. 2; Barbosa de Canonicis, c. 14, num. 15, cum pluribus ibi cit. (6. Nec pertinet ad solum Episcopum; Rota, part. III, dec. 289, n. 2; Dec. respons. 6, n. 11 et 12; Cassador., decis. 22, de Præbend., num. 3. (7. Nisi consuetudine aut pacto Episcopus dictos Canonicatus conferendi facultatem acquisiverit; Rota, cit. part. III, decis. 287, n. 3. (8. Quo casu Episcopus habens vigore pacti, aut consuetudinis facultatem conferendi Canonicatus Ecclesiæ Collegiatæ, excludit reservationem in vim alternativæ; Rota, cit. decis. 289, num. 4. (9. Quando Canonicatus sunt simultaneæ collationis, Indultum concessum Ordinario suffragatur etiam Capitulo; Rota, part. V, tom. II, dec. 440, num. 8. (10. Imo quando est simultanea electio, seu collatio inter Ordinarium et Capitulum, si Ordinarius reperiatur exemptus a Regula octava Cancellariæ, hæc exemptio prodest etiam Capitulo; Rota, part. V, tom. II, dec. 444, n. 12. (11. In his collationibus simultaneis Episcopi et Capituli tantam potestatem habet Episcopus solus per se, quantam habet totum Capitulum, et e contra: l. *Titio, et hæredibus*, ff. de Usufruct. l. *Mulierum liberis*, ff. de Hæred. Instit.; Selv. de Benef., part. II, q. 17, n. 9; Gonzalez ad regul. 8; Cancellar. Glossa 45, n. 51; Nicol. Garcias de Benef., part. IV, cap. 6, n. 28; Lotter. de Re benefic., lib. II, part. XXI, n. 39; Rota, dec. 783, lib. III, part. III; divers. (12. Si Episcopus conferat uni, et Capitulum alteri, neutra collatio valebit quia ad invicem se impediunt; Gonzalez ad reg. 8. Cancell. Glossa 45, n. 58; Nicolaus Garcias, cit. cap. 4, n. 29, ubi a. n. 33, cum sequent. ex multis Sacræ Rotæ Decisionibus ostendit, quod cum neutra collatio valeat, si Papa provideat tertio, etiam sequenti die, ille dicitur habere potius Jus, et ejus possessio erit bona. (13. Imo stante dicta discordia inter Episcopum et Capitulum, Papa non tenetur conferre tale Beneficium uni, vel alteri nulliter per Episcopum et Capitulum provisis, nec gratificari digniori; Rota in Hispalensi Portionis 19 Januar. 1590 coram Pamphilio. (14. Sede Episcopali vacante, vel Episcopo a Beneficiorum collatione suspenso, stante simultanea, collatio spectat ad Capitulum Jure proprio; sicuti e contra, effecto inhabili Capitulo, collatio Jure proprio spectat ad Episcopum, textu expresso in cap. unico, *Ne sede vacante*, in 6; ibi: « Si ad Episcopum et Capitulum communiter pertineat collatio Præbendarum mortuo Episcopo, vel a Beneficiorum collatione suspenso, poterit Capitulum vacantes conferre Præbendas, etiamsi Episcopus interesse habeat in collatione hujusmodi ut Prælatus. Idem poterit Episcopus, si Capitulum ab ipsa collatione suspendi contingat, vel singulariter omnes de Capitulo majoris excommunicationis vinculo innodari. »

(15. Possessio Canonicatus sive Dignitatis, quæ sit de Capitulo, capitulariter capi debet; cap. *Si capitulo* 5, de concessione Præbendæ, num. 6; Rota, part. V, tom. I, dec. 97, num. 21; part. X, decis. 140, num. 12. (16. Aliter, si non sit capitulariter capta, est nulla, nec est manutenibilis; Rota, part. II, decis. 701, num. 5; part. VII, dec. 216, num. 13; part. IX, tom. I, dec. 183, num. 4 et 6; part. XIII, decis. 433, num. 12 et 14. (17. Imo possessio non capitulariter capta de Canonicatu, non suffragatur, quamvis fuisset capta de mandato Executoris Litterarum Apostolicarum; Abbas in cap. 1, num. 16, de Consuetudine, et in cap. *Transmissam*, num. 3 de Election.; Cassador., decis. 8 de causa possess.; Rota in Metens. Canonicatus, et in una Senens. et alia Tarvisina Canonicatus, quarum me-

Digitized by Google

minit Beltran. in Annotat. ad Gregor. XV, decis. 634, num. 7, post princip. vers. *Et conclusio procedit.* (18. Ut possessio dicatur capitulariter capta, debet convocari Capitulum ad sonum Campanæ; Rota, part. IX, tom. I, decis. 158, num. 7. (19. Quæ si sit capta sine prævio sono Campanæ, non dicitur capitulariter capta, et est nulla, de cujus soni attestatione non statur depositioni Notarii sine testibus; Rota, cit. part. IX, tom. I, decis. 138, num. 10. (20. Possessio, ut dicatur capta, debet Canonicus sedere in Sede propria Canonicatus, de quo agitur, et non in alia; Rota, in Vercellensi unitatis Capituli, 22 Junii 1598, coram Penia, in Terraconensi Canonicatus, 26 Junii 1609, coram Ottemberg., in Bracharensi Archidiaconatus, 2 Decemb. 1630, coram Coccino, et part. III, recent. decis. 594, num. 4. (21. Capta hora Missarum cum assignatione Stalli in Choro, et loci in Capitulo, est sufficiens; Rota, part. IV, tom. I, decis. 406, num 2. (22. Habetur possessio pro capitulariter capta, si Capitulum sine justa causa eam tradere recusavit; cap. *Si Capitulo* 5, de Concessione Præbendæ, in 6; Rota, part. V, tom. I, decis. 97, n. 23, in Alexandrina Archipresbyteratus coram Merlino, et part. IX, tom. II, decis. 389, num. 1. (23. Ita ut Capitulo allegantijustam causam incumbat onus eam probandi; Rota, dict. part. IX, tom. II, dec. 389, num. 2. (24. Habetur etiam pro capitulariter capta, si prima dignitas demandavit convocari Capitulum, et vocati noluerint intervenire, nisi duo, vel tres Canonici, in quibus dicitur residere totum Jus Capituli; arg. cit., cap. *Si Capitulo;* Rota, part. V, t. I, decis. 34, num. 8. (25. Imo Capitulum potest repræsentari in unico Canonico in casu traditionis possessionis Canonicatus, et omnibus Canonicis injuste reluctantibus, potest possessio tradi ab unico Canonico, et sic tradita et capta est manutenibilis; Rota, part. IX, tom. I, decis. 78, num. 4 et 5. (26. Aliquo impedimento exsistente, propter quod possessio capitulariter capi non possit, sufficit si aliter capiatur. Sic Rota aliis decisionibus relatis in Nullius Præposituræ Castridurantis, 4 Julii 1623, coram Rambaldo. Et quod in Ecclesiasticis possessio habeatur pro tradita, ubi fuit præstitum impedimentum ex recursu ad Judices laicos. Ludov. Pastic. in tractat. Mandati de manutenendo, observat. 21, n. 17. Rota apud eumdem, decis. 175, num. 15. Barbosa, de Canonicis, c. 15, n. 12.

(27. Possessio Canonicatus, quod sit legitime capta, justificatur ex actibus Canonicalibus per Canonicum gestis cum præsentia, et patientia Capituli; Cassador., dec. 8, de Caus. possession., et decision. 5, num. 3, de Jurepatr.; Burat, decis. 522, num. 12; Barbosa, de Canon, cap. 15, n. 16; Rota, part. V, tom. I, decis. 97, in Alexandr. Archipresbyteratus. (28. Hinc Canonicus, si successive post adeptam possessionem non capitulariter captam, ex patientia Canonicorum ad actus Canonicales Canonicis tantum competentes admissus fuerit, tunc censetur legitimus possessor; Rota, part. I, recent. dec. 91, num. 6 et sic etiam fuit decisum in Spoletana Canonicatus, 8 Jun. 1605, coram Ubaldo, et in Carthaginensi Canonicatus, 5 April. et 25 Maii 1609, coram Card. Lancellot. junior. (29. Talis autem patientia Capituli, seu Canonicorum non sufficit ad validandam possessionem in præjudicium tertii, qui inter actus prædictos Canonicales apprehendit possessionem capitulariter; Rota, decis. 1156, vers. *Nec patientia,* part. III, lib. III, decis., et fuit pariter sic decisum in Calliensi Canonicatus, 29 Januar. 1619, coram Cardinali Pamphil. junior. (30. Canonicatus injuste possidens superveniente sibi novo titulo valido, potest continuare possessionem ipsam de facto, mutato solum primo jure, et titulo possessionis, quæ mutatio ipso jure statim facta intelligitur data notitia secundi tituli, etiam absque alia declaratione; Rota, part. V, tom. I, recent. dec. 97, in Alexandr. Archipresbyteratus coram Merlino, 28 Junii 1627, ubi Dominus Massobrius de Solerio fuit præsentatus a Domino Arnetio, et ab illustrissimo Episcopo obtenta institutione, apprehendit capitulariter possessionem Archipresbyteratus, pluresque actus concernentes Officium hujusmodi Dignitatis, nec non etiam curam animarum illi adnexam exercuit. Verum monitus assertum Juspatronatus non subsistere, imo cum vacatio contigerit de mense Augusti, illius collationem spectare ad Sanctissimum, ab eo impetravit provisionem cum solito tamen decreto, quod renuntiaret dictæ præsentationi, prout his verbis, decreto paruit: « Renuntiavit præsentationi, et institutioni, ac possessioni exinde secutæ, et d. Archipresbyteratum uti reservatum, et non aliter, in futurum possidere velle declaravit. » Et continuando in reali possessione, post hujusmodi renuntiationem, interfuit Choro, Processionibus, et aliis functionibus capitularibus. Unde cum fuisset dubitatum an eidem Massobrio dandum esset mandatum de manutenendo, ter ac mature discusso articulo, fuit affirmative decisum. Et iterum reproposita in Sacra Rota eadem causa 24 Novembris 1627, permanserunt Domini in decis.; Rota cit. part. V, tom. I, decis. 108, in eadem Alexandrina Archipresbyteratus coram Merlino. (31. Imo si Canonicus falsus diu stetit in possessione, et deinde a Papa obtinuit provisionem, non erit necessaria nova apprehensio, et installatio, quia ipso Jure fit quædam conversio ex novo titulo superveniente; Bald. in l. II, n. 63, vers. *Sed pone,* C. de Serv. et aqua, Cravetta consult. 171, num. 1, vers. *Secundo pro hac;* Rota, cit. part. V, tom. I, dec. 97, num. 7, in dicta Alexandrina Archipresbyteratus coram Merlino.

(32. Pro admissione ad possessionem Canonicatuum, aut Præbendarum, et Distributionum quotidianarum sunt prohibitæ certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesque illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra; Concil. Trident., sess. XXIV. de Reform., cap. 14, et

Digitized by Google

S. Pius V, in Constit. incip. *Durum nimis*, sub dat. pridie Kalend. Julii 1570, ubi revocavit privilegia, et consuetudines Ecclesiarum aliquid recipiendi in collatione, seu admissione ad possessionem Beneficiorum. (33. Dulciaria multa sunt de genere prohibitorum a Conc. Trid. dicto cap. 14, ab aliquo Capitulo exigendorum pro admissione in possessionem alicujus novi Canonici. Sic a Sac. Cong. Concil. fuisse decisum refert Zerol. in prax. Episc., p. 2, verb. *Possessio Beneficii*, § 5 in fine. (34. Neque Dulciaria quædam vulgo nuncupata *Confetture* possunt exigi pro admissione ad possessionem Canonicatus, ex dicto cap. 14, sess. 24, de *Reform.* etiam concurrente consuetudine antiquissima; sic censuit Sacra Congreg. Concil. in Tridentina 19. Februar. 1633. (35. Unde consuetudo donandj aliquid in ingressu, et admissione alicujus ad Canonicatum est sublata per Concil. dict. cap, 14, ut decisum fuisse a Sac. Congreg. Concil. refert Armendar in addit. ad recop. legum. Navar. lib. I, tit. 18, l. 7, de Episc., num. 10, resp. 8, prout et illa, secundum quam provisi solvunt cæteris prandium, ut etiam decisum fuisse ab eadem Sacr. Congreg. Concil. refert Barbosa *de Canonicis*, cap. 15, num. 28, et talem consuetudinem abolendam esse respondit etiam Sac., Cong. Episcop. in Caputaquen. 7 Martii 1692, et Sac. Congreg. Conc. in Burg., 3 septemb. 1729. (36. Sic consuetudo, quæ imponit onus recepto in Canonicum, quod tendat in utilitatem Canonicorum, etiamsi convertatur in reparationem, et restaurationem prædiorum, molendinorum, ac quorumcumque bonorum mensæ capitularis, est per dictum cap. 14. Concilii reprobata. Ita decisum fuisse a Sac. Concil. Cong. refert Garcias tract. *de Benefic.*, part. VIII, cap. 1, num. 90. (37. Unde nec Episcopus cum consensu Capituli statuere potest, ut aliquid minimum solvatur in ingressu Canonicorum. Si decisum fuisse ab ead. Sacra Congr. refert Barbosa *de Canonicis*, cap. 15, num. 25. (38. Nec Episcopis licet quidquam sibi accipere pro collatione Canonicatus, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili, ut pariter fuisse decisum ab eadem Sacr. Congr. refert idem Barbosa, loc. cit., n. 26.

(39. In dicto autem Decreto Concilii, cap. 14, sess. 24 *de Reform.* et in dicta Bulla S. Pii V, incip. *Durum nimis*, non comprehenduntur statuta, et consuetudines de serviendo per annum, vel aliquod tempus, et nihil percipiendo interim de Massa grossa, nisi peracto integro dicto servitio. Sic decisum fuisse a Sac. Concil. Congr. refert. Garcias *de Beneficiis*, part. XI, cap. 5, num. 133. Barb. *de Canonicis*, cap. 15, num. 7, et supra Concil., sess. 14, cap. 14, num. 4. Pignatell., tom. III, consult. 38, num. 10, et recenter iterum declaravit Sacra Cong. Concil. in Andrien. 2 Maii 1699, et 20 Decemb. et 8 Augusti 1699. (40. Sic in Ecclesiis, in quibus adest consuetudo, ut Clerici et Presbyteri Canonici, antequam admittantur ad participationem Massæ, debeant inservire per plures annos, et Missas celebrare *gratis*, est servanda, ut declaravit Sacra Congr. Conc. in Salernitana, 11 Maii 1609, in Policast., 13 Januarii 1683, in Hydruntina, 28 Novemb. 1705. (41. Valet etiam, et servanda est consuetudo Ecclesiæ Astensis, quod fructus spectent ad Capitulum, donec Beneficiatus sit Sacerdos; Sac. Congreg. Concil. 6 Maii 1617, quæ ad propositum dubium de valore talis consuetudinis censuit « valere hujusmodi consuetudinem, quia intentio Concilii dicto c. 14 fuit, ne ratione collationis aliquid reciperetur. » (42. Tenet pariter, et observanda est Constitutio facta per Episcopum, et Capitulum post Concil. Tridentinum ad solvendam certam quantitatem ratione novæ possessionis Canonicatuum, quæ integra cedat in fabricam Ecclesiæ; nihil autem ex pecunia Notariis, Cursoribus, Campanariis, aliisque Ecclesiæ Ministris, quibus alia constituta sunt salaria, attribuendum; Sacra Congreg. Concil. in Segobien, 11 Julii 1590. (43. Si in aliqua Ecclesia sit consuetudo, ut duobus primis annis, quibus quis fuerit Canonicus, fructus Canonicatus sint hæredum antecessoris, istum casum non comprehendi Decreto Conc. Tridentini sess. 24, de Reform. nec dicta Bulla S. Pii V, incipiente *Durum nimis*, decrevit Sac. Conc. Congr., ut refert Garcias *de Benefic.*, part. XI, c. 5, n. 138, et censuit Rota, dec. 660. p. 4, divers. (44. Clericus, quamvis ignobilis, et parum scientificus, eligi, seu præsentari potest in Canonicum Cathedralis, et in possessionem debet admitti, etiamsi dicta Cathedralis ab immemorabili non consueverit tales admittere. Textu expresso in cap. *Venerabilis* 37, *de Præbendis*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(45. De collatione Canonicatuum de jure spectante ad Episcopum simul et Capitulum, de qua hic primo loco agit Auctor, vide quæ diximus in additione ad verb. *Beneficium*, art. 4.

(46. Disserit secundo loco Auctor de possessione Canonicatus. Hic vero non incongrue discuti potest, an Canonicus, qui facto alterius injuste impeditus fuit, quominus possessionem Canonicatus apprehenderet, pro possessore a principio habendus sit, tum contra ipsum impedientem, tum contra tertium, cui jus interim fuit quæsitum? (47. Hæc autem obtinuit distinctio: si impedimentum non est nisi indirectum, habetur Canonicus ille pro possessore contra impedientem dumtaxat; (48. Contra vero si impedimentum est directum, ut si quis ab apprehensione possessionis recta repellatur, pro possessore habetur dictus Canonicus, tum contra impedientem; tum contra tertium quemcumque; vide Rotam in Derthusen. Canonicatus, 25 Aprilis 1749, § 16, et in confirmatoria, 1 Decembris ejusdem anni 1749, § 7 coram R. P. D. Canilliac.

(49. Restat ut verba de eo faciamus, an Capitulum pro possessione Canonicatus aliquid exigere a Canonico queat, de quo ultimo loco tractat auctor. (50. Convivium

Digitized by Google

exigi vetat textus in cap. *Jacobus, de simonia*. Concilium vero Lateranense in c. *Quum in Ecclesia eodem* generaliter prohibet quidquam exigi. (51. Verum Urbanus IV, alias V, Extravag. *Sane*, de simon. int. commun. non solum quidquam in privatam utilitatem exigi vetuit, sed et in usum pium; idque locum habere voluit, tametsi pecunia, vel alia res ex pura liberalitate, vel alia pactione daretur. (52. Quumque constitutio illa religiosas domos, ac Monasteria potissimum concerneret, Concilium Basileense sess. 21. §. 1. (53. id etiam in electione, postulatione, provisione, collatione, institutione et installatione, quorumcumque beneficiorum servari præcepit, et solummodo salaria Scriptoribus, Abbreviatoribus, et registratoribus Litterarum, seu Minutarum juxta modum laboris solvi permisit. (54. Licetque Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 15. *de Reformat.* innovaverit, imo corroboraverit prohibitiones hasce, abrogando quascumque contrarias consuetudines, (55. nihilo tamen minus limitationem addidit quoad ea, quæ in pios usus convertuntur. (56. Idque ipsum sanxit, S. Pius V. in Constitutione, cui initium est *Durum nimis*, quam innovavit Innocentius XII (57. in Constitutione incipiente *Ecclesiæ Catholicæ*.

(58. Sunt qui tenent, Concilium Tridentinum non permittere nova condi statuta, quorum vigore exigi possit pro possessione Canonicatus aliquid in pios usus erogandum, sed si qua sunt statuta, eaque confirmata vel vere, vel præsumpte, tum consuetudines jam inductas tantummodo approbat, ut refutato *Oliva de For. Eccles.*, part. 3. qu. 6. num. 36. firmat Louvrex dissert. can. 2. sub num. 66. (59. Quod si Canonici talia nova statuta condere velint, ea nonnisi auctoritate S. Sedis condere possunt, uti præter Louvrex ubi supra tradunt Garz. *de Benefic.* part. 8. cap. 1. n. 87. et duob. sequ. Zipæus *Jur. Pontific. nov.* lib. v, tit. *de Simon.*, num. 8. Plures vero in Folio S. C. Concilii interpretes in Leodien. Capitulationum 30 Septembris 1730, afferuntur resolutiones tum ipsius S. C. tum alterius Episcoporum, et Regularium negotiis præpositæ, quibus probata videntur talia statuta sine auctoritate S. Sedis condita. In dicta tamen Leodien. Capitulationum ad 1. dub. Sacr. C. Concilii interpres improbavit hujusmodi statutum. At eo in casu agebatur de statute condito secuta jam vacatione eorum Beneficiorum, quæ gravata fuere favore Fabricæ Ecclesiæ.

(60. Omittendum non est, quod Fagnanus in cap. *In ordinando*, num. 4. *de Simon.* et in cap. *Præterea*, n. 65. et 81. *Ne Prælati vices suas*, tenet valere statutum aut consuetudinem, cujus vigore aliquid in pios usus erogandum exigitur pro possessione Canonicatus, si ipsemet Canonicatus onere illo gravetur, ita ut ipsum tamquam Canonicatui inhærens post apprehensam etiam possessionem exigi possit; nequaquam vero si onus ipsum Canonicum afficiat, adeo ut apprehendere nequeat possessionem, antequam solvat integram summam præfinitam. Louvrex d. dissert. can. 2. n. 65. (61. distinctionem hanc subtilitati potius, quam veritati inniti contendit, consetque in genere sustineri statutum aut consuetudinem exigendi aliquid erogandum in pios usus, attenta dispositione Concilii Tridentini id permittentis correctis antiquis Canonibus. Idemque videtur sentire Tondut quæst. *Benefic.* par. 1. cap. 67. n. 6.

(62. Quoniam in nonnullis Ecclesiis, dum recipiuntur Canonici, examinari debent eorum qualitates, testes audiri, vel inspici instrumenta, quæstionis est, an hoc saltem nomine exigi aliquid valeat. (63. Vide contrarias inter se opiniones apud Louvrex dict. dissert. can. 2. n. 67. et seq.

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(64. Cum Canonici et Episcopus unum quasi corpus sint, æquum apparet, ut ad electionem membrorum totum corpus concurrat.

(65. Hinc indubie factum, ut in nonnullis Ecclesiis Cathedralibus etiamnum hodie Canonicorum electio spectet ad Episcopum et Canonicos. At illud notandum, quod in illis Ecclesiis in quibus hæc collatio ad Episcopum et Capitulum spectat, non ubique eodem modo ad electionem Capitulum et Episcopus concurrant. (66. In aliquibus enim Ecclesiis Episcopi suffragium æquivalet suffragio Capituli; ita ut non simul capitulariter eligant Canonici et Episcopus; sed Episcopus separatim eligat, et Capitulum suum suffragium Episcopi suffragio æquivalens depromat, ideoque hoc casu et Episcopus et Capitulum suum jus, sive suffragium diverso loco, diversoque tempore vel modo dare possint; uti notat De Luca *De summa Beneficiorum*, num. 10. Episcopus nempe singulariter, Capitulum vero collegialiter. (67. Quia vero ob concurrentiam in diversas personas non raro difficultates oriebantur, laudabilis inolevit usus, ait citatus De Luca, hujusmodi juris exercitium dividendi per alternativam, seu per menses et tempora, ut quilibet nomine consortis totum jus absque hac discrepantia exerceat. (68. Plerumque autem hæc electio simultanea fit per Episcopum et Canonicos capitulariter congregatos, soletque Episcopus tamquam Caput Capituli proponere et concludere, eoque titulo suffragium decisivum in paritate habere; præter quod subinde habet suffragium absolutum. (69. Quod autem nonnunquam Episcopus interveniat ut Canonicus, patet ex cap. 15. tit. *De concess. Præbendæ* in verbis: « Nisi forte Archiepiscopus non ut Prælatus, sed ut Canonicus vobiscum jus habeat conferendi. » (70. Ulterius quemadmodum labentibus sæculis cœperunt Capitula Cathedralia se ab Episcoporum jurisdictione eximere, atque bona Capituli separare a proventibus Episcopi, et corpus suum ita distinguere, ut et etiam a negotiis suis omnino Episcopum excludere cœperint, ut nec ipsum Capitulo interesse sinerent; (71. non minus proinde, quod ipsum Episcopum ab electione Canonicorum etiam excluserint,

Digitized by Google

atque jus electionis tandem, conniventibus Episcopis, ad solos Canonicos, devolutum sit; quod consuetudine introduci posse probat Innocentius III. in Cap. 31. tit. *de Elect.*

(72. Sicuti naturale est, ut Canonici Cathedrales una cum Episcopo tamquam cum suo Capite eligant corporis sui membra: ita quoque jure communi electio Canonicorum Ecclesiarum Collegiatarum spectare videtur ad Canonicos una cum suo Decano, aut illo, qui eum Canonicis unum Corpus, sive Capitulum constituunt; de jure vide Garziam, et ab eo citatos, *de Beneficiis* part. v. cap. 4. (73. Verum quia multæ Ecclesiæ Collegiatæ aliquando fuere Regulares, electio Canonicorum etiam in pluribus illarum mansit apud solum Præpositum, tamquam qui tempore Regularitatis erat caput Congregationis: idque ad normam Regulæ Monachalis S. Benedicti, et Canonicalis S. Crodegangi, quæ Abbati, sive Præposito dant facultatem recipiendi Monachos et Canonicos; uti observat Thomassinus *de Discipl. Eccles.* part. v. lib. 2. cap. 9.

ADDITIONES CASINENSES.

(74. Quamvis Episcopus sine Pontificis permissione non possit Cathedrales vel Collegiatas Ecclesias instituere, uti sentiunt Garz., *de Benef.* p. 12. c. 5. Barbos. *de Canon. et dign.* cap. 2. Frances *de Eccles. Cathedr.* c. 3. per tot. tamen servata SS. Canonum consueta forma absque ulla licentia, libere potest novum Canonicatum erigere, reservato sibi, uti fieri solet, jure patronatus. Innocentius in cap. *Cum accessissent* de const. Caputaq. decis. 221. Bal. in cap. cum M. de const. Et uti propter fructuum diminutionem potest veteres Canonicatus exstinguere, Lotter *de Re benef.* lib. 1. q. 14. et S. Cong. apud Pyrr. *Cor.* in prax. *Benef.* lib. 2. cap. 3. a num. 61. ita etiam potest vacantem Canonicatum propter fructuum redundantiam dividere. Zerol. in prax. Episc. verb. *Beneficium*, par. 1. vers. *ad dignitates assequendas*, circa fin.

(75. Formula erectionis, et collationis Canonicatus vid. verb. *Formulæ.*

ARTICULUS III.

Quoad ætatem in Canonicis, et dignitatibus requisitam, et quoad tempus, intra quod tenentur suscipere ordines suis canonicatibus et dignitatibus adnexos.

(1. Ætas requisita, et sufficiens ad obtinendum Canonicatum in Ecclesia Collegiata est ætas 14. annorum: Super his enim Canonicatibus nihil innovavit Concilium Tridentinum, ut censuit S. Congregatio Concilii, teste Gallet. in *Margarita Casuum Conscientiæ*, verb. *Canonicus* 3. pag. 29. Cum Gonzalez ad regul. 8. Cancellariæ gloss. 5. n. 29. Piasec. in praxi nova Episcop. cap. 5. n. 21. pag. 350. Armendar. lib. 1. *de Ætate*, n. 8. Aloysius Ric. et alii passim; adeoque standum est pro his Canonicatibus Juris communis dispositioni, secundum quam sufficit ætas 14. annorum pro his obtinendis; cap. *Nuper in ordinata* 35. juncta glossa verb. *Pueri, de Præbend.* (2. Et hoc est intelligendum, si talis Canonicatus Ecclesiæ Collegiatæ ex sua fundatione, vel statuto, aut consuetudine nullum requirat Sacrum Ordinem, alias deberet de illo providendus esse constitutus in illis Sacris Ordinibus, quos requireret talis Canonicatus; vel in ea ætate, qua intra annum a Jure statutum posset ad illos Ordines promoveri, ut cum Communi sentit Aloysius Riccius in praxi aurea resolut. 239. n. 3. (3. Et hæc ætas 14. annorum sufficit etiam in collegiata, in qua spectat cura animarum Canonicis non uti singulis, sed uti unitis. Sic decisum fuisse a Sacra Congregat. Concil. refert Gonzal. ad regul. 8. Cancell. in princip. num. 92. Riccius, Piasec., Barbosa, et tenet Rota part. 10. decis. 31. n. 33. (4. Si vero cura animarum totaliter spectet ad aliquem Canonicum, vel Dignitatem particularem, requiritur ætas 25. annorum saltem incœptorum, cap. *Cum in cunctis*, 7. §. *inferiora de election.* cap. *Licet* Canon. 14. *de election.* in 6. ubi sic præcise statuitur: *Decernentes collationes de Parochialibus Ecclesiis his, qui non attigerint vigesimum quintum annum, de cætero faciendas, viribus omnino carere;* et Concil. Trident. sess. 24. *de Reform.* cap. 12. ubi dicit: *Nemo igitur deinceps ad Dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem 25. suæ ætatis annum attigerit.* (5. Hæc tamen ætas 25. annorum incœptorum requisita ad obtinendos Canonicatus, seu Dignitates, quibus subest cura animarum, non exigitur, nec est necessaria, quando Canonicatui, vel Dignitati cura animarum non subest principaliter, sed solum accessorie est ipsi unita. Sic decrevit Sac. Cong. Concil. his verbis: *Si aliqua parochialis esset unita alicui Canonicatui Ecclesiæ cathedralis accessorie, sufficiunt viginti duo anni.* Ita refert Gonzal. ad regul. 8. cancell. gloss. 9. num. 4. Galet. in *Margarita Casuum Conscientiæ.*, verb. *canonicatus* 51. et verb. *Parochus*, Riccius, Garcias, et alii, et ita fuisse in Rota decisum refert Seraphin. *decis.* 1138. (6. Circa ætatem requisitam ad Dignitates sine cura in collegiatis variant doctores, vide verb. *Ætas*, n. 24. et 25.

(7. Ætas requisita, et sufficiens ad Canonicatus Cathedralis, ubi est facta distributio Sacrorum Ordinum est illa quam exigit Ordo Canonicatus, id est ad Canonicatum Subdiaconalem ætas 21. annor. Diaconalem ætas 22. annor. et Sacerdotalem ætas 24. annor. cum omnes respective sint sic in tali ætate, ut infra annum possint ascendere ad ordinem a suo Canonicatu requisitum; sic expresse Tridentinum cit. sess. 24, *de Reformat.*, c. 14 ibi: « Neminem etiam deinceps ad Dignitatem, et Canonicatum, aut portionem recipiant, nisi qui eo Ordine Sacro, aut sit initiatus, quem illa Dignitas, Præbenda, aut Portio requirit, aut in tali ætate sit, uti infra tempus a Jure, et ab hac Sancta Synodo statutum initiari valeat. » (8. Ad Canonicatus autem Cathedralis, ubi non est facta distributio Sacrorum Ordinum requiritur ætas annorum 22. incœptorum. Sic Sac.

Digitized by Google

Congreg. Concil. in una Algarb., ubi, sicuti refert Nicolaus Garcias *de Benefic.* par. VII, cap. 3, n. 29, censuit, « quod etiam in Ecclesia, ubi non fuit facta distributio sacrorum ordinum, requiritur, quod provisus de Canonicatu, ad minus attingat 22 annorum ætatem, et quod collatio facta habenti 20 tantum, non valeat. » Sed ad minus debet esse constitutus in vigesimo primo anno, ita quod possit infra annum ad sacrum subdiaconatus ordinem promoveri, ut declaravit Sacra Congregatio Concil. die 4 Augusti 1654. (9. Ætas requisita ad dignitates, vel personatus, quibus nulla subest cura animarum in Cathedralibus, est ætas 22 annorum; sic Concil. Trident. sess. 24 de Reformat., cap. 12 ibi : « Ad cæteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, clerici alioquin idonei, et viginti duobus annis non minores adciscantur. » Qui anni viginti duo debent esse completi, taliter, quod neque Episcopus possit in hoc dispensare, ut censuit Sacra Congreg. Concil. 20 Septembr. 1631, dicens dignitatem in Ecclesia cathedrali non habentem animarum curam non posse conferri, nisi ei qui habuerit 22 annos completos, et Episcopum non posse dispensare. (10. Ætas vero requisita ad dignitates, seu Canonicatus, quibus subest cura animarum, seu regimen parochiale, est ætas 25 annorum saltem incœptorum; cap. *Cum in cunctis* 7, § *Inferiora*, de Election, cap. *Licet* canon 14, de Election. in 6, et Tridentinum citat. sess. 24 de Reformat., cap. 12, ibi : « Nemo igitur deinceps ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem 25 suæ ætatis annum attigerit. » (11. Et hæc ætas 25, annorum incœptorum requiritur etiam ad dignitatem Ecclesiæ cathedralis, cui fit distributio Missæ cantatæ per turnum infra hebdomadam, cum habeat onus annuum, ac proinde tenetur per se adimplere. Sacra Congregat. Concil. in Crotonien. 4 Decembris 1627. (12. Canonici supranumerarii possunt recipi in anno 14 : sed adveniente tempore præbendæ, debent esse in ætate integra. Sic præcise decrevit Sacra Congr. Concil. in Venafren. 13 Martii 1603.

(13. Canonici, qui in cathedralibus, et collegiatis Ecclesiis obtinent Canonicatus, dignitates, vel personatus, quibus aliqui ordines sunt adnexi, tenentur eumdem ordinem requisitum intra annum suscipere; Clement. *Ut ii* 2, de Ætate, et qualitate et ordine præficiendorum; et Concil. Trident. sess. 22 *de Reformat.* cap. 4. (14. Adeoque promoti ad Canonicatus, dignitates vel personatus debent in ea ætate constituti esse, ut infra annum possint ad ordinem requisitum promoveri; Conc. Trident. sess. 24 *de Reformat.* cap. 14, ibi : « Neminem etiam deinceps ad dignitatem, Canonicatum, aut portionem recipiant, nisi qui eo ordine sacro, aut sit initiatus, quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit, aut in tali ætate, ut infra tempus a jure, et ab hac Sancta Synodo statutum, initiari valeat. » (15. Aliter promotio, seu provisio erit nulla, ut expresse statuitur a Tridentino sess. 22 *de Reformat.* cap. 4, ibi : « Nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis, qui jam ætatem, et cæteras habilitates integre habere dignoscantur. Aliter irrita sit provisio. » (16. Et annus hujusmodi statutus ad se promoveri faciendum ad sacros ordines computari debet, non a tempore collationis factæ, sed a die habitæ pacificæ possessionis, dummodo per provisum non steterit, quominus antea possessionem perceperit, ut expresse respondit Sacra Congreg. Concil. his verbis : « Die 23 Septembris 1631. S. Cong. Cardinalium Concil. Tridentin. interpretum respondit, annum de se promovere faciendo ad Sacros Ordines computari debere a die habitæ possessionis, dummodo per provisum non steterit quominus antea possessionem perceperit. R. Cardinalis Ubaldus. Franciscus Paulutius Sac. Congregat. Concil. Secretarius. »

(17. Canonici qui ad sacros ordines suis Canonicatibus, dignitatibus, vel personatibus annexos, se intra annum, justo impedimento cessante, promovere non faciunt, ex tunc, donec promoti fuerint, privantur voce in Capitulo, et dimidia parte Distributionum; Clementin. *Ut ii* 2 de Ætate et qualitate, ibi : « Illi vero, qui dignitates, personatus, officia, vel præbendas, quibus certi ordines sunt adnexi, pacifice nunc obtinent in eisdem Ecclesiis, vel obtinuerint in futurum, nisi (justo impedimento cessante) ad hujusmodi ordines, se promovere fecerint infra annum ex tunc, donec ad eos promoti fuerint, nullo modo vocem in capitulo habeant eorumdem. Ipsisque distributionum, quæ dantur his, qui certis horis intersunt, pars dimidia subtrahatur, non obstantibus quibuslibet consuetudinibus vel statutis; pœnis aliis, quæ contra tales promoveri ad ordines recusantes statuuntur in jure, nihilominus in suo robore permansuris. » Et sic etiam fuit statutum, et innovatum a Conc. Trident. sess. 22 *de Reformat.* cap. 4, his verbis : « Ii vero, qui dignitates, personatus, officia, præbendas, portiones, ac quælibet alia Beneficia in dictis Ecclesiis obtinent, aut in posterum obtinebunt, quibus onera varia sunt adnexa videlicet ut alii Missas, alii Evangelium, alii Epistolas dicant seu cantent, quocunque ii privilegio, exemptione, prærogativa, generis nobilitate sint insigniti, teneantur justo impedimento cessante infra annum ordines suscipere requisitos, alioquin pœnas incurrunt juxta constitutionem Concilii Viennensis, quæ incipit : *Ut ii qui;* quam præsenti Decreto innovat; cogantque Episcopi diebus statutis dictos Ordines per seipsos exercere, ac cætera omnia officia, quæ debent in cultu divino præstare, sub iisdem, et aliis gravioribus pœnis arbitrio eorum imponendis (1). » (18.

(1) Duplici ratione, uti scite animadvertit doctissimus Van-Espen, potest ordo adnecti beneficio, scilicet aut *actu*, aut *aptitudine* vel *potentia*. *Actu* dicitur ordo adnexus beneficio cum ordo requiritur

Digitized by Google

Imo Canonici ad requisitos ordines infra annum non promoti possunt aliis pœnis etiam privationis puniri. Colligitur expresse ex cit. Clementin. *Ut ii* 1, de Ætate et qualitate in fine, ibi : « Pœnis aliis, quæ contra tales promoveri ad ordines recusantes statuuntur in jure, nihilominus in suo robore permansuris. » Et sic declaravit Sacra Congreg. Concil. in Patavina, his verbis : « Canonici, qui ordines sacros debitos post monitionem sumere recusant, ab ordinario privari debent. »

(19. Pœna privationis dimidiæ partis distributionum, quam incurrunt Canonici requisitos ordines intra annum non suscipientes, locum habet, quamvis intersint divinis, et officium recitent. Moneta, de Distribut. quotid., part. II, quæst. 19, num. 30. Barbosa, de Canonicis, cap. 16, num 15, et alii passim in cit. Clement. 2, § *Illi vero*. (20. Nec valet consuetudo, quod Canonici residentes non priventur tali dimidia parte distributionum, licet intra annum ad requisitos ordines non sint promoti; Roch. de

tempore collationis, seu provisionis beneficii; adeo ut nemo possit beneficium hujusmodi adipisci, nisi qui *actualiter* illo ordine sit insignitus; uti e. g. si dicatur in tabulis fundationis beneficii, *instituatur, præsentetur sacerdos;* aut *non instituatur*, aut *præsentetur nisi sacerdos.*

Aptitudine vero, *habitu* vel *potentia* censendus erit ordo adnexus beneficio, quando non requiritur ut qui eo ordine sit initiatus tunc, cum beneficium ei conferatur; sed satis erit, si in ea fuerit ætate constitutus, ut intra tempus a jure præscriptum possit eodem requisito ordine initiari, hoc est intra anni spatium recensendum a die incœptæ pacificæ possessionis beneficii. Cap. *Licet*. canon. 14 de Election., et cap. *Commissa* 35, tit. eod. Clement. *Ut ii* 2 de Ætat. et qualitat. ordinand. Consulatur laud. Canonum interpres part. II, sect. 3, tit. 2, cap. 2, n. 3 et seq. Verum hac de re relegenda omnino sunt, quæ profert Cl. auctor noster in verb. *Capellania*, n. 31 et seqq., ubi hanc diversam rationem adnexionis ordinis ad beneficia relatæ ad capellanias apte, copiose, ac docte enucleat, atque illustrat.

Hac porro postrema ratione canonicatibus, ac portionibus in cathedralibus ecclesiis sacri ordines adnexi fuere juxta decretum Tridentinæ synodi, quod occurrit sess. 24, cap. 12, *de Reformat. habitu* scilicet, atque *aptitudine*. Hinc intra tempus a jure præscriptum, hoc est intra annum *legitimo impedimento cessante*, uti novissime etiam sanxit Tridentina synodus, sess. 22, cap. 4, *de Reformat.* Ordines requisiti, sive adnexi sunt recipiendi; atque in hujusmodi secus agentes pœnæ statutæ in Clement. *Ut ii*, qui innovantur ac confirmantur. Qua etiam parte, uti animadvertit juris canonici consultissimus Prosper Fagnanus ad cap. *Cum in cunctis*, de Elect., n. 63, per Tridentini decretum quod innuimus, declaratam fuisse Clementinam, *Ut ii* memoratam. Etenim per dictam Clementin. videbantur omnino non astringi obtinentes hujusmodi beneficia ad recipiendos intra anni spatium ordines requisitos; sed illud tantummodo præscriptum ut, quandiu non promoverentur, nullo modo vocem activam haberent in capitulo, ipsisque pars dimidia distributionum subtraheretur. At vero per Tridentinum disertissimis verbis omnino astringuntur infra annum, justo impedimento cessante, ordines suscipere requisitos.

Hac quoque ratione parochialibus beneficii annexus est ordo presbyteratus, scilicet *aptitudine* tantum, et *habitu*, quapropter et ipsi, qui hujusmodi parochialia beneficia fuerint adepti, *infra annum a sibi commissi regiminis tempore numerandum*, ut ad sacerdotium promoveantur, curare omnino debent, cap. *Licet*, canon. 14, de Elect. in 6. Quod si hujusmodi beneficia parochialia assecuti intra dictum tempus, a die incœptæ pacificæ possessionis numerandum, sacerdotali charactere non fuerint insigniti, severioribus pœnis afficientur, scilicet ipso parochiali beneficio *ipso facto, nulla etiam monitione præmissa*, elapso tamen anno præfixo, privati existunt, laud. cap. *Licet*, canon. et cap. *Commissa*, 33, de Elect. conl. lib. 6. Imo et si postea legitimo anno decurso aliquis promotus fuerit ad sacerdotium, nihilominus ipsa parochialis ecclesia, qua semel caruit, propterea quod tempus statutum ad promotionem non servaverit, *nullatenus ea vice poterit ei iterato conferri*, ne statutum ipsum hac ratione ludibrio sit. Ita in laud. cap. *Commissa* Bonifacius VIII. Quæ profecto erunt intelligenda de Ecclesiis *stricte* parochialibus; adeo ut ad collegiatas Ecclesias, *etiamsi alias parochiales exstiterint*, non sint extendenda, uti decernit idem Bonifacius VIII, cap. *Statutum* 22, laud. tit. de Elect. in 6. Vide etiam Glossam in cap. *Licet*, Canon., laud. verb. *Parochialis*.

Illud etiam hic animadvertendum (quod etiam peculiare est hujusmodi beneficiis), quod si contingat hujusmodi clericos nondum sacerdotio initiatos ad parochialis Ecclesiæ regimen promoveri, omnino ab initio debent habere animum ac voluntatem curandi, ut intra anni statuti spatium ad sacerdotium promoveantur. Si quis enim ad sacerdotium promoveri non intendens parochialem receperit Ecclesiam, ut fructus ex ea per annum perciperet, ipsam postmodum dimissurus, tenebitur ad restitutionem fructuum eorumdem, cum eos fraudulenter receperit; nisi postea forte mutata voluntate ad sacerdotium promoveatur. Ita decernit Bonifacius VIII, laud. cap. *Commissa*. Cujus ratio est : quia Ecclesia beneficium curatum clerico nondum sacerdoti cum hoc onere, et tacite annexo pacto conferre solet, ut is obligatus sit intra annum sacerdotium suscipere; adeoque si ab initio contrarium animum habuerit, et gravis peccati reatu sese involvet, et onus restituendi fructus intra anni spatium perceptos subibit.

Dixi : *nisi postea mutata voluntate ad Sacerdotium promoveatur*. Si quis enim ab initio, cum beneficium curatum fuerit adeptus, hunc animum suscipiendi sacerdotium intra anni spatium non habuisset; at postea deposito hujusmodi iniquo animo, ac mutata prava voluntate reapse fuerit ad sacerdotium promotus, ab hoc onere restituendi fructus perceptos inde liberabitur, ut in laud. cap. *Commissa* apertissime decernitur. Quod si quis a principio promoveri intendens, postea mutata voluntate promotus non fuerit, ad restitutionem fructuum non astringetur. Hoc tamen Glossa intelligendum docet de fructibus perceptis ante mutatam voluntatem; secus vero de aliis postea perceptis; licet oppositum probabiliter alii sentire videantur, qui hujusmodi *absolute*, et *simpliciter* eximunt ab obligatione restituendi fructus, sive antea, sive postea perceptos. Vide Paul. Layman, lib. IV, tract. 2, cap. 14, n. 10. Demum quæri potest, quid dicendum sit de eo, qui ab initio ad parochialem Ecclesiam promotus fuerit animo dubio et ancipiti, num intra annum ad sacerdotium vellet promoveri; an, si postea non promoveatur, ad fructuum restitutionem sit astringendus? Affirmative perquam recte respondet Sanchez, et post eum Layman loc. cit. quia in eo deest conditio requisita in laud. cap. *Commissa*, ut scilicet initio habeat intentionem intra annum promovendi (Edit. Neap.).

Digitized by Google

Curte, in reper., cap. fin. *de Consuetudine*, sect. 6, num. 39. Moneta, citat. part. II, quæst. 9, num. 5. Barbosa, loc. cit., num. 6. (21. Pœna privationis dimidiæ partis Distributionum quam incurrunt Canonici requisitos Ordines intra annum non suscipientes, locum habet, quamvis reliqua dimidia pars, quæ superest, non sufficiat ad sustentationem Canonici; Glossa, in cit. Clementina *Ut ii* 2, *de Ætate et qualitate*, verb. *Pars dimidia*, ibi : « Etiamsi reliqua dimidia ad sustentationem ipsorum non sufficiat, et imputent sibi, cum per Ordinis receptionem hanc pœnam vitare possint; » et Glossam sequuntur passim Doctores. (22. Talis autem privatio dimidiæ partis Distributionum intelligenda est de iis solummodo distributionibus, quæ proprie, et stricte Distributiones quotidianæ dicuntur, nempe quæ dantur iis qui Horis, seu Officiis ordinariis intersunt, de quibus loquitur cit. Clement. *Ut ii* 2, *de Ætate, et qualitate*, non autem de extraordinariis Distributionibus, quæ dantur pro Funeralibus, seu Anniversariis Defunctorum, et aliis hujusmodi, quæ large, et generaliter Distributiones vocantur; Moneta, *de Distribution. quotidianis*, part. I, quæst. 3, num. 12. Barbosa, loc. cit. num. 15. (23. Nisi Distributiones funeralium, seu anniversariorum sint unitæ cum Horis, ut recte advertit Garcias, in addit. ad dict., part. III, cap. 4, sub. num. 15, et Barbosa, in Concil. Trid. sess. 22, cap. 4 *de Reformat.*, num. 22. (24. Nullam tamen pœnam incurrunt Canonici, si ad Ordines requisitos non promoveantur intra annum propter justum impedimentum, ut esset infirmitas totius illius anni, vel si absens erat Episcopus, et commendatitiæ Litteræ habere non potuerint, vel eos Episcopus ordinare noluerit, vel his similia; prout exemplificat Glossa in cap. *Commissio* 35, *de election.*, in 6, verbo *Justo Impedimento*, et sequitur Glossa in cit. Clement. *Ut ii* 2, *de Ætate, et qualitate*, verb. *Impedimento*. Isti enim sic impediti adhuc post annum percipient integras quotidianas Distributiones : quia per ipsos non stat, quin promoveantur propter justum impedimentum, quod approbavit citat. Clement. *Ut ii* 2, *de Ætate, et qualitate*, et Conc. Trid., cit. sess. 22, c. 4 *de Reform.*, ibi : « Justo impedimento cessante. » (25. Nec etiam ullam talem pœnam incurrit Canonicus dispensatus a Papa, ut in ætate v. g. sexdecim annorum, vel in alia sufficienti Canonicatum in Cathedrali obtinere possit; nam eo ipso, quod est dispensatus circa ætatem, et provisus de Canonicatu, Præbenda, Fructibus, et Stallo, debet ad vocem, et ad Distributiones admitti, prout alii Canonici. Sic respondit Sac. Congregat., in Reatina, 13 Septembris 1631, et in Mediolanensi, 6 Martii 1632; sic præcise censuit, Canonicum, qui propter defectum ætatis non potuit ordinari ad Sacros Ordines, et provisus fuit a Papa cum expressione ætatis, debere lucrari Distributiones quotidianas, si Choro intersit. Et in una S. Miniati habetur sic : « Carolus de Ansaldis Clericus S. Miniati ætatis suæ anno 13. provisus, et dispensatus a Sanctissimo Domino nostro Papa Urbano VIII, ad Canonicatum obtinendum in Cathedrali ejusdem Civitatis petit declarari se vocem in Capitulo habere, ac Distributiones quotidianas, dum Divinis Officiis interest, lucrari. Die 18 Septembris 1629, Sacra Congreg. Concil. Trident. Interpretum secundum ea, quæ ponuntur, censuit prædictum Oratorem vocem in Capitulo habere, et Distributiones quotidianas, dum Divinis Officiis interest, lucrari. » (26. Canonicus autem dispensatus super ætate ad obtinendum Canonicatum, si promoveri non curavit ad Ordines, postquam ad legitimam ætatem pervenit, juxta formam in dispensatione præscriptam Distributiones non acquirit, quamvis Choro inserviat, ut declaravit Sac. Congr. Conc., in Florentina, 2 Januarii 1697.

(27. Canonicus tamen a Sede Apostolica super ætate dispensatus non prius cogendus est ad Sacros Ordines promoveri, quam ad 22 annos pervenerit. Sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Concil. refert Garcias, *de Benefic.*, part. III, cap. 14, num 35. (28. Canonicus in Sacris non constitutus vocem in Capitulo aliquo pacto acquirere, seu præscribere non potest. Sac. Congregat. Concil., 20 Aprilis 1602. (29. Canonicus non Subdiaconus, nec vocem consultivam in electionibus, et Synodo habet. Sic decisum fuisse a Sacra Congreg. Conc. refert Garcias, *de Benefic.*, part. III, c. 4, num. 25. (30. Præsidens vero in Capitulo, etiamsi non sit in Sacris, in eo proponere, ac resolutiones accipere potest. Prima enim Dignitas v. gr. Archidiaconus, ad quem spectat convocare Capitulum, et in eo proponere, ac resolutiones accipere, id potest, etiamsi non sit in Sacris; cum iste sit actus jurisdictionis, qui competit Archidiacono etiam in Sacris non constituto. Sic decisum fuisse a Sacra Congregat. Conc. refert Garcias, *de Benefic.*, part. III, quæst. 4, num. 16. (31. Prælato Ecclesiæ Collegiatæ, etiamsi Sacris Ordinibus careat, Præsidentia, ac vox in Capitulo competit. Barbosa, in Trident. sess. 22, *de Reformat.*, cap. 4, num. 9, cum variis aliis, et Nicolaus Garcias, in addit. ad d., c. 4, sub num. 26, ubi subdit, in illis non procedere dict. Clement. *Ut ii, de Ætate, et qualitate;* et Concil. Trident., dicta sess. 22, *de Reformat.*, cap. 4. (32. Canonicus in Ecclesia Collegiata habens Canonicatum, cui neque Jure communi, neque ex consuetudine, institutione, aut statuto, adnexus est aliquis Ordo, præsertim Sacer, obtinere potest, et percipere Distributiones, licet nunquam hujusmodi Sacrum Ordinem suscipiat, sed simplex Clericus remaneat; Moneta, *de Distribut. quotid.*, p. II, q. 19, n. 27. (33. Ipse tamen Canonicus in Collegiata, nisi sit in Sacris, vocem in Capitulo habere non potest; Stephan. Gratian., *Discept. forens.*, t. IV, c. 482, n. 20, cum seq. Barbosa, in Trident., sess. 22, *de Reformat.*, c. 4, n. 5, et *de Canonicis*, cap. 37, n. 10. Sell., in *Selectis Canon.*, c. 2, num. 4, et sic censuit Sac. Congr. Conc., sub dic 8 Augusti 1621. Et novissime in Romana Vocis in Ca-

Digitized by Google

pitulo, die 22 Julii 1842, in qua a Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ in Cosmedin proposito dubio : « An Canonici Clerici Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ in Cosmedin intervenire possint in Capitulo, inibique habere vocem activam in casu, etc., » eadem Sacra Congregat. Concil., die, et anno, quo supra respondit : « Posse intervenire, sed non habere vocem ; » juxta Clementin. *Ut ii* 2, *de Ætate, et qualitate*, et Concil. Trident., sess. 22, *de Reformat.*, cap. 4, jam a nobis allegat., ibi sub num. 31, et aliis.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(34. De varia Ecclesiæ disciplina circa ætatem Canonicorum Ecclesiarum Cathedralium, tum Collegiatarum, agit Laur., *de Ætat. ad Beneficia requisita;* cap. 9, tum cap. 12. (35. In præsens autem, ut ait Auctor, in Ecclesiis Cathedralibus, in quibus non est facta distributio Ordinum, ætas in Canonicis requisita est annorum 22, ut firmavit Rota in Cracovien. Canonicatus, 28 Junii 1743, coram bon. mem. de Vais. (36. In Collegiatis vero Ecclesiis, in quibus consuetudo vel statutum Ordinem sacrum Canonicatibus haud adnexuit, sufficit in Canonicis ætas 14. annorum, ut respondit idem Sacrum Tribunal in Nepesina Canonicatus, 3 Julii 1750, cor. bon. mem. Vicecom. (37. Quando vero consuetudo vel statutum dicatur adnexuisse, necne Ordinem Sacrum Canonicatibus, vide apud Rotam in dicta Nepesina Canonicatus, 3 Julii 1750, coram dicto Vicecom.

(38. Interdum onus susceptionis sacri Ordinis afficit Canonicos, non item est adnexum Canonicatibus; de hoc, tum de effectibus diversis inde promanantibus consule Rotam in Leodien. seu Aquisgranen. Canonicatus, 15 Januarii 1734, coram Eminentissimo Crescentio.

ARTICULUS IV.

Canonici et Dignitates, quoad fidei professionem, et pœnas eam omittentium.

(1. Canonici et Dignitates Ecclesiæ Cathedralis tenentur a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses Fidei professionem facere, non solum coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, sed etiam coram Capitulo. Sic expresse statuit Concil. Trident. sess. 24, *de Reform.*, cap. 12, vers. *Provisi* (1);

(1) Saluberrimum Tridentini Concilii decretum bono fidei, et religionis conditum, ne tabidæ pecudes reliquum Christi gregem inficere possint, atque ita æternæ morti addicant, prostat sess. 24, cap. 12, *de Reformat.*, cujus hæc sunt verba : « Provisi etiam de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito coram Generali ejus Vicario, seu Officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem... Provisi autem de canonicatibus, et dignitatibus in Ecclesiis cathedralibus, non solum coram Episcopo, seu ejus Officiali, sed etiam in capitulo idem facere teneantur : alioquin prædicti omnes provisi fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. » Quæcumque porro ad hujusce decreti explanationem, ac rectam intelligentiam facere videntur, dilucide, ac copiose edisserit Cl. auctor, num. 29, rectissime docet hujusmodi provisos fidei professionis muneri non satisfacientes in conscientiæ foro, et ante omnem judicis sententiam adstrictos esse ad restituendos fructus quoscumque perceptos post elapsos duos menses, atque argumentis pluribus eamdem tuetur sententiam, atque confirmat; adeo ut videatur rem omnem extra quamcumque dubitationis aleam reposuisse. Illud tamen addendum videbatur, quod oppositæ sententiæ omnino jugulum petit, eamque penitus, atque ab imis fundamentis evertit. Hanc scilicet Tridentini legem de restituendis fructibus perceptis propter non emissam fidei professionem, non esse pœnalem, uti somniarunt adversarii; sed esse inhabilitantem, aut conventionalem, atque conditionalem; quod patet abunde ex ipsis Tridentini verbis supra adductis. Hujusmodi porro leges, seu pœnæ, ut locum habeant, atque effectum sortiantur, nullam exquirunt judicis sententiam, ut unanimi theologorum consensu constat. Lege Salmanticens. *De Præcept. Decalog.*, tract. 21, cap. 2, punct. 7, num. 82 et 83.

Quantum porro spectat ad illos, qui hujusmodi fidei professionem omiserint ex ignorantia, inadvertentia, atque oblivione invincibili, ipsos a gravis peccati reatu immunes esse recte resolvit auctor noster, atque ex solidis exploratis, atque indubiis theologiæ principiis id ipsum evincit. At num vero hujusmodi fructuum perceptione priventur, non secus ac cæteri culpabiliter omittentes hujusmodi fidei professionem, nihil omnino edicit Cl. auctor ; at non levis controversia est inter theologos, et canonum interpretes, quam hic ad cumulum breviter indicare atque extricare non pigeat.

Barbosa, aliique complures eosdem ex sola ignorantia, aut oblivione omittentes fidei professionem ab onere restituendi fructus perceptos eximendos contendunt; cum enim hujusmodi Tridentini legem nonnisi mere pœnalem accipiant, excusatos ex ignorantia, aliaque consimili circumstantia a culpæ reatu, a pœnæ quoque debito eosdem excusari necesse est. *Sine culpa enim non est aliquis puniendus.* Reg. 23, *Juris*, in 6. At vero Salmanticens. *loc. cit.*, n° 84, contrarium docent ac tuentur; hujusmodi scilicet in allata hypothesi adhuc adstringi ad restituendos fructus perceptos juxta allatam Tridentini sanctionem, etiam ante judicis sententiam, licet minus efficaciter id ipsum probare videantur. Ast ipsorum sententia probabilior nobis visa est; quod ut dignoscatur, in memoriam hic erunt revocanda, quæ ex probatissimis theologis quivis, uti arbitramur, addiscere potuerit.

Duplicem nimirum distingui irritationem, unam *pœnalem*, qua in odium personæ, ejusve actionis actus decernitur nullus, atque irritus. Hujusmodi autem irritatio, ut locum habeat, *regulariter* loquendo, culpam supponit; ut in beneficiato, cui irrita decernitur beneficii fructuum perceptio propter intermissam horarum canonicarum recitationem. Concilium Lateranens. V, sub Leone X, sess. 9. Alteram vero *non pœnalem*, sive *legalem*, quando actus nullus etiam decernitur, non in alicujus delicti pœnam, sed propter bonum publicum, et commune. Postremam istam irritationem, cum culpam minime supponat, neque propter ipsam sit imposita, etiam seclusa culpa, effectum suum sortiri debere nemini dubium esse potest. Hujusmodi porro reputanda erit irritatio fructuum perceptorum per Tridentinum decreta propter intermissam fidei professionem; cum illa præcipue sancita fuerit propter bonum fidei, ac religionis, ut hac ratione oves a lupis facilius secerni possint; atque ut pastores ac præceptores in Ecclesia in fide firmati reliquos pro suo munere fideles rectæ fidei regulas edocere possent, atque erudire. Itaque, ut paucis res omnis comprehendatur, irritatio facta propter bonum publicum nullam supponit culpam. Atqui hujusmodi est irritatio, de-

Digitized by Google

et Pius IV, Constitut. incip. *Injunctum nobis;* quæ tamen constitutio non obligat Canonicos aliarum collegiatarum, sed cathedralis tantummodo, ut ex pluribus decretis Sacræ Congregationis firmat Benedictus XIV, Institut. Eccles., 60, num. 1. (2. Hanc fidei professionem sufficit facere coram Vicario, etiam Episcopo non impedito. Verba enim illa Concil. *vel eo impedito*, ponuntur solum ad quamdam admonitionem, et simul ad denotandum convenientius esse ipsam facere coram Episcopo, si non fuerit impeditus; Barbosa *de Offic. et potest.* Episc. part. III, allegat. 61, num. 16, et *de Canon.*, cap. 17, num. 3; Filliuc. tom. III, tract. 41, cap. 16, num. 8; Squilant. *de Obligation. Clericorum*, p. 1, n. 9; Trullench. in Exposit. *Decalogi* lib 1, cap. 1, dub. 8, n. 1; Garcias, *de Benef.*, part. II, cap 3, num. 33, ubi inquit ita accipienda esse alia similia verba Conc. Trid., sess. 24, *de Reform.*, cap. 18, § *Transacto*, ibi: « Examinentur ab Episcopo, sive eo impedito, ab ejus Vicario Generali. » (3. Nec est necessarium, ut hæc fidei professio prius fiat coram Episcopo, vel ejus Vicario, et postmodum coram capitulo separatim repetatur, sed si Episcopus adsit in capitulo, satis est ut, Episcopo præsente, semel fiat in capitulo. Sic censuit Sac. Congreg. Conc. in Seguntina, 18 Aprilis 1590, et tenet Garcias *de Benefic.*, part. III, c. 31, num. 51; Barbosa *de Offic. et potestat. Episcop*, allegat. 61, num. 17, et *de Canonic.*, cap. 17, num. 4 et alii passim. (4. Sede episcopali vacante non sufficit hanc fidei professionem facere coram solo capitulo, sed debet etiam fieri coram Vicario Capitulari; Garcias *de Benef.*, part. III, c. 3, num. 27 et 28; Barbosa *de Offic. et potestat. Episcop.*, alleg. 61, num. 18, et *de Offic. Parochi*, cap. 4, num. 6; Castropalao tract. 4 *de Fide*, disput. 1, punct. 19, num. 9; Bonac. *in 1 Eccles. præcepto*, disp. 3, quæstione 2, punct. 4, numero 2, et alii passim. Et ratio est quia, licet Capitulum succedat in juridisdictione Episcopi, et fungatur vice illius, tamen cum Concilium Tridentinum, sess. 24, de Reform., cap. 16, statuat jurisdictionem episcopalem administrari per Vicarium Capitularem, et non per ipsum Capitulum, magis per Vicarium, quam per capitulum repræsentatur Episcopus; arg. cap. *Non putamus*, 2, de Consuetudine, in 6. (5. Hanc fidei professionem Canonici, et dignitates Cathedralis tenentur facere per seipsos personaliter, et non sufficit per procuratorem; Sacra Congregatio Concil. in Seguntina, 18 Aprilis 1590, et iterum in alia causa, die 12 Septembr. 1620. Et iterum sic declaravit eadem Sac. Congr. Conc. super cap. 12, sess. 24, *de Reformat.*, in Calagurritana 22 Septembris 1696, in qua Episcopo de hoc sciscitanti responsum fuit: « Non admittat provisos ad professionem fidei, nisi per seipsos emittant, » et tenet Garcias *de Benef.* part. III, cap. 3, num. 51; Scortia in Selectas Summor. Pontificum Const., Epist. 84, theorem. 207, v. *Quid si Beneficiarius*, Corrad. *Praxis Benefic.*, lib. 1, cap. 16, n. 16, num. 50; Steph. Grat. *Discept. forens.*, cap. 166, num. 22; Diana part. v *Resol. mor.*, tract. 4, resol. 23; Ugolin. *de Offic. et potest. Episcop.*, cap. 5, § 16, num. 1; Barbosa *in Summa decis. Apost.* verb. *Professio Fidei*, num. 5; Monacell. tom. I, tit. II, form. 13, num. 4 et alii, et Bened. XIV, *Institut. Eccl.*, 60, § 3. Quod adeo verum est, ut si quis Romæ existens obtinuerit facultatem professionem hanc emittendi coram Cardinali Vicario, teneatur illam repetere coram ordinario simul ac in locum residentiæ pervenerit, ut in eadem facultate exprimi solet. (6. Et dato quod Canonicus provisus præsens in curia non possit statim ad residendum accedere, solet tunc Sacra Congreg. Conc. Trident. illum admittere ad professionem Fidei, coram et in manibus Datarii vel Cardinalis præfecti Sacræ Congregationis, et etiam coram urbis Vicario, non obstante, quod in Litteris provisionis adsit Decretum emittendi in manibus Episcopi; Sac. Cong. Concil. in Syracusana, 11 Januarii 1698, et non posse fieri per procuratorem decrevit iterum eadem Sacr. Congregatio in Cathac. 6 Febr. 1726, adeoque propter talia decreta non sunt attendendi Doctores sustinentes, posse fidei professionem emitti per procuratorem specialiter deputatum. Enimvero qui fidei professionem taliter emisit vel coram Cardinali Vicario, tenetur illam repetere coram Ordinario simul ac in locum residentiæ pervenerit, ut solet exprimi in formula concessæ sibi facultatis Romæ professionem emittendi; Bened. XIV, *Instit. Eccles.* 60, § 3. (7. Hanc fidei professionem tenentur de novo facere etiam illi Canonici, qui jam antea eam emiserunt in adeptione alterius similis beneficii. Sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Conc. refert Garcias, part. III, *de Benefic.*, cap. 6, n. 17 et 18, et Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* allegat. 61, num. 8 et in Sum. Apost. decis., verb. *Professio fidei*, num. 4. Concil. enim Trident. cit. sess. 24, *de Reform.*, cap. 12, simpliciter præcipit, ut provisi de Canonicatibus, et dignitatibus in Ecclesiis cathedralibus, fidei professionem emittant; et non distinguit an antea fecerint; adeoque neque nos distinguere debemus; cap. *Quia circa*, 22, *de Privileg. et leg. de pretio*, ff. *de Publica in rem actione.* (8. Imo ex Barbos. part. III *de Offic. et potest. Episcop.*, allegat. 61, num. 9; Castropalao, tract. 4 *de Fide*, disp. 1, punct. 19, num. 7; Reiffenstuel, lib. 1, *Decretal.*, tit. 1, § 8, num. 159, et aliis, tenentur iterum prædictam fidei professionem emittere etiam illi, qui denuo adipiscuntur in cathedralibus Ecclesiis Canonicatum, vel dignitatem, quam antea habuerant, et dimiserant, non obstante priore fidei professione. Et ratio est, quia qui fuit Canonicus,

quia loquimur, per Tridentinum sancita de perceptis fructibus beneficii propter intermissam fidei professionem. Ergo licet ex oblivione, aut ignorantia atque adeo sine culpa fidei isthæc professio fuerit omissa, habet locum præscripta irritatio; ac beneficii possessor *fructus non facit suos, nec illis possessio suffragabitur* quantum ad fructuum acquisitionem, aut retentionem. (Edit. Neap.)

Digitized by Google

et postea Canonicatum dimisit, non remanet amplius adstrictus præstito juramento adeoque si ad Canonicatum dimissum denuo redeat, iterum jurare tenetur; cap. *Venerabilem*, 34, de Electione; cap. *Ex insinuatione*, 26, de Simonia; Federicus de Senis, cons. 264, n. 6; Marches. de Commissionibus, p. 4, § 2; de Comm. relaxationis juramenti ad effectum agendi, n. 79, pag. 219; Barb. de Canon. c, 17, n. 8.

(9. Hæc fidei professio fieri debet saltem intra duos menses a die adeptæ possessionis dignitatis, vel Canonicatus in Ecclesia cathedrali; Conc. Trident. sess. 24 de Reformat., cap. 12. (10. Et hic terminus duorum mensium datus ad emittendam professionem, non currit proviso, qui non accepit possessionem, quamvis per eum stet, quominus eam accipiat, quia licet idem videatur, provisum accipere possessionem, et per eum stare, quominus eam accipiat; arg. cap. *Commissa*, 35, de Election., in 6 et cap. *Licet Episcopus*, 28, de Præbend., in 6, nihilominus Concilium loco citato obligat ad emittendam professionem fidei solum illos qui realiter adepti sunt talem possessionem Canonicatus, vel dignitatis; Garcias de Benefic., part. III, cap. 3, num. 32; Barbosa de Offic. et potest. Episc., alleg. 61, num. 25; Ricciullus, lib. I de Jure personarum extra gremium Ecclesiæ existentium. (11. Imo ad effectum, ut incipiant currere prædicti duo menses, non sufficit fuisse adeptam possessionem, sed requiritur possessio pacifica, ita ut in ejus exercitio non fuerit talis Canonicus statim turbatus de jure, vel de facto, sed in eo pacifice perseveraverit saltem per unum vel duos menses sine turbatione aut molestia; Barbos. et Ricciullus loc. cit. Trullench. in Expositione Decalogi, lib. I, cap. 1, dub. 8, sub. n. 5; Reiffenstuel. lib. Decret., tit. 1, § 8, n. 127, et alii. (12. Si vero intra prædictos duos menses a die adeptæ realiter pacificæ possessionis Canonicatus, talis Canonicus non emiserit dictam fidei professionem, non per hoc solutus est ab obligatione illam in posterum emittendi, sed nihilominus semper ad eam faciendam tenebitur, quia tempus duorum mensium a Concilio assignatum non est præfixum ad remittendam, ad terminandam obligationem, sed ad differendam executionem atque pœnam; arg. cap. *Cum Dilecti*, § *Præterea*, 6, de Dolo et contumac., in cujus summario sic præcise habetur : « Citatus ad totam causam certo termino ad comparendum assignato, tenetur comparere in termino, et dato impedimento in termino, debet comparere quanto citius potest post terminum, alias condemnabitur in expensis a tempore citationis admissæ. » In tali enim conciliari decreto inter se divisibilia imponuntur Canonicis cathedralis; unum, ut fidei professionem faciant, et alterum, ut eam intra tale tempus, id est intra duos menses faciant. Et sic tenent Navarrus lib. II, consil. 11, num. 1, de Jurejur.; Garcias de Benef., p. 3, cap. 3, num. 29; Reiffenstuel. loc. cit., num. 175 et cum pluribus a se citatis Barbosa de Offic. et potest. Episc. par. III, alleg. 61, num. 22, et de Canonicis, cap. 17, num. 16. (13. Canonici et dignitates Ecclesiæ cathedralis tenentur ultro sese offerre ad faciendam fidei professionem, adeo ut non requiratur ad hoc prævia monitio; Nicol. Garcias de Benefic. dict. c. 3, num. 19 et 20; Ricciullus de Jure personarum extra gremium Ecclesiæ existentium, lib. I, cap. 13, num. 18; Trullench. d. lib. I, cap. 1, dub. 3, n. 1 in fine; Barbosa de Canon. cap. 17, num. 11 et lib. I Juris Ecclesiastici univers. cap. 21, num. 62. Et ratio est, quia tempus ipsum a Jure statutum sufficienter monet, ac pro facienda fidei professione interpellat; arg. cap. *Potuit* 4 de Locat. et conducto, § ultim. ibi : « Non obstante quod ei, ut Canonem solveret non exstitit nuntiatum, cum in hoc casu dies statuta pro Domino interpellet. »

(14. Canonici, et Dignitates cathedralis omittentes facere debitam fidei professionem, peccant mortaliter; Concilium enim Tridentinum loc. cit. imponit hanc obligationem sub verbis graviter obligatoriis, et simul sub gravissimis pœnis. Ita Sanchez lib. II, in Decalogum, cap. 5, num. 1. Petrus de Ledesma in Summ. part. II, tract. 1, cap. 4, conclus. 10. Bonacina disp. 3, de Fide, part. II, punct. 3, num. 14 et 15. Castropal. tract. 4, disp. 1, de Fide, punct. 19, num. 2. Reiffenstuel lib. 1. Decret. tit. 1 § 9, num. 288, et cum pluribus a se citatis Barbos. de Canon. cap. 17, num, 20. (15. Non peccant tamen mortaliter, si per ignorantiam, inadvertentiam, aut oblivionem ipsam facere omittant; Navarrus concil. 2, de Jurejurand. Reiffenstuel loc. cit. num. 189, et cum pluribus a se citatis Barbos. de Canon. cap. 17, num. 21. Et ratio est, quia sicut in aliis materiis, ita et in proposito potest ignorantia, inadvertentia, atque oblivio inculpata (1) excusare a culpa mortali, ad ipsam enim requiritur, ex communi doctorum, plena advertentia et perfectus consensus. Et ignorantis, seu inadvertentis nullus est consensus, l. *Si per errorem*, 15, ff. de Jurisdict. omn. Judic. Nec ad eam pœnam incurrendam requiritur sententia declaratoria, ut ex Synodo Farfensi firmatur Instit. Eccles. 57, § 15. (16. Canonici, et Dignitates cathedralis non facientes fidei professionem intra duos menses a die adeptæ possessionis ultra peccatum mortale incurrunt etiam fructuum amissionem; Concil. Trident. sess. 24 de Reformat. cap. 12, ibi : « Fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. » (17. In hac tamen pœna amissionis fructuum non includuntur distributiones quotidianæ; nam istæ, cum dentur

(1) Cum quæ ad statum cujusque pertinent scire quilibet possit, ac debeat, non equidem adduci possum ut ignorantiam et inadvertentiam Canonici professionem fidei omittentis inculpatam esse posse existimem. Etsi autem ignorantis, seu inadvertentis nullus sit consensus, non propterea qui vel ignorat, vel non advertit ad id, quod scire, et ad quod advertere, et petere debet, a culpa etiam lethali, si res gravis sit, excusatur. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

ratione ministerii Sacri, ac servitii personalis, non amittuntur propter omissam Fidei professionem. Sic a Sacr. Congr. Conc. decisum fuisse refert Ugolinus *de Offic. et potest. Episcop.* cap. 50, § 16, num. 5. Gonzalez *ad Regul.* 8, Cancellar. § 6. *Proœm.* num. 170. Garcias dict. cap. 3, n. 60. Trullench. dict. dub. 8, num. 9. Et sic tenet Rota in Varmiensi Canonicatus 28 April. et 18 Junii 1608, coram Sacrato. (18. Nisi tamen omnes redditus Canonicatus consistant in Distributionibus quotidianis, quia in tali casu, ut pœna adjecta per Concilium possit aliquid operari, et in aliquo verificari, debebit intelligi de Distributionibus, ut recte advertit Ricciullus dict. lib. I, cap. 13, num. 55. Trullench. dict, dub. 8, num. 10. Barbosa in Concil. Trident. sess. 24, *de Reformat.* cap. 12, num. 31, *de Offic. et potest. Episcop.* part. III, allez. 61, num. 30, *de Canon.* cap. 17, num. 26, et lib. I, *Juris. univers. Ecclesiastic.* cap. 21, num. 74. (19. Prædicta pœna amissionis fructuum intelligenda est solum de fructibus decurrendis post lapsum duorum mensium, non vero de decursis ipsis duobus mensibus. Cum enim a Concil. concedantur duo menses ad Fidei professionem faciendam, possunt Canonici talem professionem differre usque ad ultimum diem primi bimestris absque culpa; adeoque etiam absque pœna; Garcias dict. cap. 3, num. 31. Reiffenstuel loc. cit. num. 193. Sanchez lib. II, in *Decalogum*, cap. 5, num. 10. Barbosa in Trident. sess. 24, *de Reformat.*, cap. 12, num. 32, *de Offic. et potest. Episcop.* alleg. 61, n. 23, et *de Canonicis*, cap. 17, num. 22. (20. Professio Fidei ex post facta non proficit ad recuperandos fructus amissos post dictos duos menses, sed solum ad acquirendos futuros; Rota in Ovetensi Mercedis 12. Decembr. 1601, coram Coccino Decano, Navarrus consil. 11, num. 3, *de Jurejurand.* Azorius tom. II *Institut. moral.*, lib. VII, cap. 2, quæst. 4 et 5. Sanchez loc. cit. num. 5, Barbosa *de Canon.* cap. 17, num. 23, et in Tridentinum cit. sess. 24, cap. 12. Et ratio est, quia fructus præteriti Jure Concilii, jam semel sunt deperditi, et regulariter quæ semel ipso Jure perdita sunt, non amplius acquiruntur; arg. cap. *Quam periculosum*, 8, caus. 7, q. 1 et l. *Quires suas*, 98, ff. *de Solutionibus*, ibi : « In perpetuum enim sublata obligatio restitui non potest. »

(21. Fructus Canonicatus, et Dignitatis ob omissionem professionis Fidei non acquisiti debent applicari in usus pauperum, vel in fabricam Ecclesiæ Beneficii, si indigeat. Deducitur clare ex Concil. Trident. sess. 13, *de Reformat.* cap. 1, § *Si quis autem*, ubi hoc ipsum statuit de fructibus Beneficiatorum non residentium, ibi : « Si quis autem, quod utinam numquam eveniat, contra hujus Decreti dispositionem abfuerit, statuit Sacrosancta Synodus præter alias pœnas adversus non residentes sub Paulo III. impositas et innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse, sed teneri, aut ipso cessante per Superiorem Ecclesasticum illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare. » Et colligitur ex eodem Concil. sess. 22, *de Reformat.* cap. 3, ubi similes fructus fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarii applicari jubentur, ibi : « Nec ejus quoquo modo Dominium acquirant, sed fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarii applicetur. » Et sic cum communi tenet Barbosa in Trident. sess. 24, cap. 12, *de Reformat.* lib. I, *Juris Ecclesiast. univ.* cap. 21, num. 75, *de Offic. et potest. Episcop.* allegat. 61, num. 31, et *de Canon.* cap. 7, num. 27. (22. Intellige tamen hoc solum verificari in Canonicis, et Dignitatibus habentibus fructus distinctos, et separatos a mensa Capitulari; at in Canonicatibus, et Dignitatibus non habentibus fructus distinctos, et separatos a mensa Capitulari, fructus amissi ob non factam Fidei professionem spectant ad Capitulum, sicuti fructus non residentium, aut Excommunicatorum. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* part. III, allegat. 61, num. 31. Garcias part. III, *de Benefic.* cap. 3, num. 36. Castropalao tract. 4. disp. 1, *de Fide punct.* 19, num. 19. Reiffenst. lib. II. *Decr.* tit. 1, § 9, num. 206. (23. Nec Episcopus potest condonare hujusmodi fructus amissos ob non factam Fidei professionem. Sic decisum fuisse a Sacr. Congrègat. Concil. refert Garcias d. cap. 3, num. 53. Barbosa d. allegat. 61, num. 31. Episcopus enim nequit remittere pœnam a Concilio Generali inflictam, nisi in casibus sibi expresse permissis, quia lex Superioris per inferiorem dispensari non potest. Clementin. *Ne Romani*, 2, *de Election*, § 1, cap. *Inferior*, 4, distin. 21. c. *cum Inferior*, 16, *de Majorit. et Obed.* (24. Sed talium fructuum condonatio, et remissio potest fieri solummodo a Sancta Sede, vel Sac. Congregat. prout ipsamet Sacr. Congregat. Concil. censuit, et benigne condonavit in Tuscanen. 4. Martii 1614, cuidam Angelo Constantino Cathedralis Ecclesiæ Tuscanensis Primicerio fructus omnes sui Primiceriatus, quos ob non emissam Fidei professionem suos non fecit, ut refert Barbosa *de Canon.* cap. 17, num. 22, et in *Summa Apostolicarum decis.* verb. *Professio Fidei* num. 7.

(25. Licet Canonicis Cathedralis omittentibus Fidei professionem possessio Canonicatus nihil suffragetur quoad fructuum perceptionem ex Trident. cit. sess. 24, *de Reformat.* cap. 12, ibi : « Fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur; » (26. ipsa tamen possessio Canonicatus suffragatur eis quoad titulum, et proprietatem talis Canonicatus, et vocem habendam in Capitulo, et Jus præcedentiæ, et cætera alia Jura a die adeptæ possessionis; Concilium enim Tridentinum per citata verba non excludit tales Canonicos a possessione Canonicatus quoad titulum, et proprietatem, et quoad alia Jura exinde eis competentia, sed impedit solummodo possessionis effectum, quoad fructuum perceptionem; et sic decisum fuisse a Sac.

Digitized by Google

Concil. Congreg. referunt Prosper de Augustino in addit. ad Quaranta verb. *Beneficiorum possessio*; Garcias d. cap., 5. num. 34. Ricciullus d. lib. I, cap. 16, num. 30. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* part. III, decis. 61, n. 27, et tenuit Rota in Varmiensi Canonicatus 28. Aprilis, et 13. Junii 1608, et 4. Febr. 1611, coram Cardinali Sacrato. (27. Et sic sentiunt passim Doctores. Unde possessores Dignitatum vel Canonicatuum in Cathedralibus, qui non fecerunt Fidei professionem intra duos menses, juvantur regula de triennali ad effectum, ne possint molestari super titulo. Ita Flamin. Paris. *de Resignat. Benefic.* lib. I, qu. ult. num. 4, et seq. Sanchez d. cap. 5, num. 9. Ricciullus. d. cap. 16, num. 22. Castropalao d. punct. 19, num. 15. Barbosa lib. I, *Jur. Ecclesiast. univers.* cap. 21, num. 79, et *de Offic. et potest. Episcop.* d. alleg. 61, num. 27, et *de Canon.* d. c. 17, num. 52, et in Trident. dict. sess. 24, *de Reform.* cap. 12, n. 37. Reiffenstuel lib. I, Decr. tit. 1, § 9, n. 204, et alii. (28. Quoad fructus tamen retinendos non suffragatur, nec eis prodest etiam longissima possessio, quamdiu professionem Fidei non emiserint. Sic decisum fuisse a Sacra Concilii Congr. referunt Flamin. Paris. *de Resignat. Benefic.* lib. VIII, qu. 9, num. 122. Garcias dict. cap. 5, n. 34. Ricciullus d. c. 16. num. 13. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* d. cap. 17, num. 19, et in Trident. dict. sess. 24, *de Reformat.* cap. 12, num. 38. (29. Unde Dignitates, et Canonici Cathedralis Ecclesiæ tenentur in conscientia etiam ante sententiam Judicis restituere ipsos fructus amissos ob non factam Fidei professionem. Ita Garc. part. III, *de Benefic.* cap. 3, n. 37. Azorius part. II, lib. VII, cap. 2, quæst. 1. Petrus de Ledesma tom. II, *Summæ tract.* cap. 4, conclus. 10. Def. 1. Ugolin. dict. cap. 26, num. 4. Ricciullus d. cap. 13, num. 43. Monacell. tom. I, tit. 5, form. V, num. 30, ubi dicit contrariam sententiam tenentem non obligari tales Canonicos, et Dignitates, ad restitutionem fructuum in conscientia ante sententiam condemnatoriam, videri ex paritate rationis damnatam ab Alexandro VII, die 24 Septembris 1665, propositione 20, in ordine, ibi : « Restitutio a S. Pio V, imposita Beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna; adeoque idem dicendum est in proposito. » Et ratio est ista, quia potissimum fundamentum eorum, qui sustinent, non obligare Concilium ad restitutionem talium fructuum in conscientia ante sententiam Judicis est, quia Decretum Concilii est pœnale; adeoque, quantum fieri potest, debere benignius interpretari juxta regul. 15. *Juris* in 6, ibi : « Odia restringi, et favores convenit ampliari; » et regul. 49. *Juris* in 6, ibi : « In pœnis benignior est interpretatio facienda; » sed restitutio a S. Pio imposita Beneficiatis non recitantibus Officium debet fieri in conscientia ante sententiam Judicis, non obstante, quod sit pœna, ut patet ex dicta damnata propositione; ergo videtur ex paritate rationis idem dicendum in proposito. Tum quia Concilium Tridentinum injungens Canonicis, et Dignitatibus Ecclesiæ Cathedralis privationem fructuum ob omissam professionem Fidei, utitur iisdem verbis, quibus utitur S. Pius V, in Constitut. incip. *Ex proximo*, injungens Beneficiatis restitutionem fructuum ob omissam recitationem Officii. Dicit enim S. Pius V : « Beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis Officii, et temporis suos non faciant. » Et Concilium loco cit. dicit etiam expresse : « Fructus non faciant suos; » adeoque si ex Tridentino tales Canonici, et dignitates ob omissam Fidei professionem fructus non faciunt suos, ita ut ex declaratione Sacræ Congreg. Conc. in Seguntina 18. April. 1590. relata a Garcia d. part. III, c. 3, n. 51, Barbosa in *Summ. Apostolic. Decision.* verb. *Professio Fidei*, n. 7, eos restituere teneantur; sequitur eos teneri, veluti rem alienam restituere etiam ante omnem sententiam condemnatoriam, eo vel maxime, quod Concilium loc. cit. post d. verb. *Fructus non faciant suos*, statim subjungit : « Nec illis possessio suffragetur; » et consequenter nullo titulo possunt in conscientia illos fructus sibi retinere etiam ante sententiam condemnatoriam Judicis, cum jam sint ab ipso Concilio sufficienter condemnati ad talem restitutionem faciendam; aliter contra Decretum Concilii multum ipsis suffragaretur possessio, ex quo ratione possessionis censerent posse tuta conscientia ipsos fructus tanquam suos percipere, et sibi retinere, donec condemnarentur a Judice, non obstante quod Concilium expresse declaret, « quod fructus non faciant suos. »

(30. Coadjutores Canonicorum, seu Dignitatum Cathedralium de rigore Juris Communis, seu Concilii Tridentini, non tenentur emittere professionem Fidei; quia Coadjutor durante Coadjutoria nondum est verus Canonicus, cum nondum sit in possessione Canonicatus, sed solum Coadjutoriæ, et solum post mortem Coadjuti sit verus Canonicus, adeo ut solum tunc sit ei assignanda Sedes, et ultima inter omnes, taliter quod eum præcedant Canonici ingressi etiam durante Coadjutoria, et post ejus receptionem; Nicol. Garcias *de Benefic.*, part. IV, cap. 5, num. 74 et 76, Gonzalez ad regul. 8, Cancel., Glos. 5, § 9, num. 110. Trullench. in *Expositione Decalogi*, lib. I, c. 1, dub. 8, num. 1. Barbosa d. allegat. 61, num. 13 et 14, et *de Canon.*, cap. 17, num. 12. (31. Nec talem Fidei professionem tenentur facere Portionarii, Vicarii temporales, et alii provisi de Capellaniis in Ecclesia Cathedrali; Garcias d. part. III, c. 3, num. 13. Sanchez, lib. II. *Decalog.*, cap. 5, num. 1. Barbosa lib. I, *Juris Ecclesiast. univers.*, cap. 2, num. 64. et *de Canon.*, cap. 17, num. 13. Reiffenstuel., lib. I. *Decretal.*, tit. 1, § 8, num. 166, et ratio est, quia supradicti omnes non comprehenduntur sub illis personis, quas Concilium Tridentinum cit. sess. 24. *de Reformat.*, cap. 12, et Pius IV, in *Constitut.*, incip. *Injunctum nobis* obligavit ad Fidei pro-

Digitized by Google

fessionem, ut legenti patet. Unde cum ibi sancita a Tridentino, et Pio IV, sint pœnalia et novi juris inductiva, non debent extendi uitra personas expressas, juxta citat. Regul. 15 et 49. Juris, in 6. Vide supra n. 29. (32. Nec ad ipsam fidei professionem emittendam tenentur jure Tridentini Canonici, et Dignitates Ecclesiarum collegiatarum, et possidentes beneficia inferiora non curata. Sic decisum fuisse a Sac. Congregat. Concil. die 19 Februar. 1588, refert. Garcias de Benefic., part. III, c. 3, n. 11, et ratio est, quia Concil. Trident. loc. cit. et Pius IV, in dicta Constitutione, incip. *Injunctum nobis*, loquitur solummodo de Canonicatibus, et Dignitatibus in Ecclesiis cathedralibus, et de aliis beneficiis curam animarum habentibus, adeoque Trident. et Piana dispositio non est extendenda ad Canonicatus, et dignitates Ecclesiarum non cathedralium, et solummodo collegiatarum. Aliter illa adjecta limitatio in Ecclesiis cathedralibus careret effectu, et frustra membranas occuparet, Garcias d. part. III, de Benefic., cap. 3, num. 11, Sanch. cit. c. 5, num. 1. Squillant. d. quæst. 2, punct. 4, § 1, num. 9. Barb. d. alleg. 61, n. 15, et d. c. 17, de Canon., n. 14, et alii passim. (33. Fuit autem dictum, supradictos omnes non teneri ad talem fidei professionem de rigore juris communis, seu Conc. Trid. et d. constitutionis Pii IV, quia licet supradicti, et cæteri alii beneficiati non teneantur ad emittendam fidei professionem vigore Concilii Tridentini, et cit. constitutionis Pii IV, cum ibi sit sermo solum de obtinentibus Dignitates, et Canonicatus in Ecclesiis cathedralibus, et de habentibus beneficia Curata, tenentur tamen ipsam emittere vigore legum diœcesanarum, in quibus fere omnibus reperitur statutum, ut omnes beneficiati etiam in collegiatis, et quicunque etiam beneficia simplicia ubicunque obtinentes teneantur intra duos menses fidei professionem facere coram Episcopo, vel ejus Generali Vicario, ut expresse sancitum fuit in Synodo Alexandrina 1753, tit. 1, de Fidei professione post Antverpiensem de anno 1609, tit. 1, can. 14 et Mechliniensem de eodem anno 1609, tit, 1, can. 4, et alias passim (1).

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(34. De fidei professione emittenda a Canonicis diximus in addit. ad verb. *Beneficiatus*, art. 1. (35. Illud autem hic non omittendum, quod licet ex resolutionibus Sac. Congreg. Concilii interpretis allegatis ab auctore constans dictæ Sacræ Congregationis sententia fuerit, quod fidei professio fieri nequeat per procuratorem, tamen dubitari potest an eadem Sac. Congreg. in hac ipsa sententia steterit in Toletana 17 Aprilis 1728, tum in Mindoninen. Fructuum 26 Junii 1756. Consule folia harum causarum, resolutionesque quoad ipsas edictas.

(36. Lex autem hæc de facienda fidei professione non solvitur per consuetudinem etiam constantem, sed solum per expressam exemptionem; Benedict. XIV, Instit. Eccles. 60, num. 7. Confer de hac ipsa materia professionis fidei eumdem sanctissimum dict. Instit. Eccl. 60, per tot.

ARTICULUS V.

Canonici quoad residentiam, chorum, et missam.

(1. Canonici sive cathedralium, sive collegiatarum tenentur saltem per novem menses residere in Ecclesiis sui Canonicatus, ita ut non liceat ipsis ultra tres menses ab eisdem quolibet anno abesse; salvis nihilo minus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt, sicque abstentiam trium mensium non concedunt. Concil. Trident. sess. 24, cap. 12 de Reform. ibi: « Præterea obtinentibus in eisdem cathedralibus, aut collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt. » Concordat c. *Ex gestis*, 2, c. *Relat.* 4, c. *Conquerente* 6, c. *Cum ad hoc* 16, et c. *Clericus* 17 de Clericis non residentibus, c. *Ad hæc* 13, cap. *Exstirpandæ* 30, § *Qui vero*, et cap. *Super inordinata* 35 de Præbend. (2. Menses tres, quibus Canonici quolibet anno abesse possunt, continere debent nonaginta dies, ita ut quilibet mensis suos triginta dies contineat, et dies isti possunt esse, vel continui, vel interpolati. Sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Concilii refert Fagnan. in cap. *Licet* 35 de Præbend., n. 54 et 55. (3. Ita tamen, ut non omnes Canonici possint simul abesse eodem tempore, ne Ecclesia destituatur omni servitio, sed solum ea quota Canonicorum simul abesse possit, quæ videbitur arbitrio Episcopi, et capituli, et Sanctissimus approbavit sententiam Congregationis ad se relatam, subdens Concilium non dedisse tres menses capitulo, sed Canonicis; scilicet singulis per vices. Sic apud Fagnan. loc. cit. (4. Hujusmodi tres menses non

(1) Sic in locis quos complectitur, uti apud Giraldum Exposit. Juris Pontif., pag. 1012. Concilium Romanum, celebratum a Bened. XIII, ann. 1725, ad eam tenentur sequentes sub pœnis in dicta Pii IV Const. latis, aliisque Episcoporum arbitrio statuendis.

I. Episcopi aliique de clero recens ecclesiasticis beneficiis provisi, aut sacris ordinibus initiati in diœcesana Synodo primo celebranda. II. Dignitates, et canonicatus obtinentes post adeptam possessionem, tum in manibus Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis, tum in capitulo intra bimestre. III. Beneficia cum animarum cura habentes, post ipsorum possessionem, infra idem tempus, in manibus tantummodo Episcopi, vel Vicarii Generalis, prout et in alterutris manibus. IV. Quicumque alia beneficia simplicia obtinentes. V. Item novus Vicarius Generalis, Vicarii foranei, Procuratores, et Promotores fisci episcopalis, Cancellarii, cæterique ministri ejusdem curiæ. VI. Novi Concionatores etiam regulares. VII. Novi Confessarii etiam monialium. VIII. Docentes publice, vel privatim theologiam, philosophiam, jus canonicum, aut civile, vel inferiores quaslibet disciplinas etiam grammaticam. IX. Ac tandem medicinam et chirurgiam exercentes (Edit. Barbell.).

Digitized by Google

debent incurrere in Natale, aut in Pascha Domini, vel similes maximas solemnitates, aut in tempus Adventus, et Quadragesimæ, aut in dies Dominicos, et Festos totius anni. Ita decrevit Sacra Congreg. Conc. in Interamnen. 21 Jul. 1640, et alibi pluries, ut referunt Zerola, p. 1. Praxis Episcopal., verb. *Privatio*, § 4, num. 2, dub. 3. Garcias, part. III, de Benefic., cap. 2, num. 315. Armendar. tit. *de Residentia*, num. 38. (5. Ad conficiendum spatium trium mensium non sunt computandæ horæ cujuslibet diei, sed dies integri absentiæ tantum; neque ad constituendum servitium novem mensium colligendæ sunt punctaturæ, quas iis, qui novem partes punctaturarum ex duodecim, quæ ex servitio totius anni conflantur, deserviendo tulerint, servitio punctaturarum debito satisfecerint, sed ipsi dies residentiæ, et servitii, sive continui fuerint, sive interpolati numerandi sunt, ut compleant numerum dictorum novem mensium. Sic responsum fuisse a Sacra Congregat. Conc. refert Fagnan. loc. cit., n. 56. (6. Unde statutum Ecclesiæ permittens, ut Canonici propter loci frigiditatem, et aeris intemperiem in uno ex novem mensibus residentiæ, uni horæ tantum quotidie intersint pro lucrandis fructibus illius mensis, est quidem contra Tridentinum, adeo ut non interessentes omnibus horis in prædicto mense amittant illam ratam fructuum, quam amitterent in aliis octo mensibus, singulis horis non interessendo; non tamen incidunt in pœnam latam ab ipso Concilio, quasi abfuissent ultra tres menses. Sic respondit Sac. Congr. Conc. Episcopo Palentino, ut refert Fagnan. loco cit. n. 57.

(7. Fundationum privilegiis, quibus ultra tres menses Canonicis abesse licet, non est derogatum a Tridentino. Sic declaravit Sacr. Congregatio 21 Februar. 1578, teste Fagnan. loc. cit. num. 58. (8. Nec ab ipso Tridentino sunt sublata statuta a Summo Pontifice confirmata, ut Canonici abesse possint ultra tres menses; Cardinalibus enim Sacræ Congregationis, die 7 Julii 1575, in diversa abeuntibus, Gregorius XIII, his auditis jussit servari statutum confirmatum, ut refert Fagnan. loc. cit. num. 59. (9. Imo cum postea dubitatum fuisset, an per Concilium esset sublatum quoddam statutum Ecclesiæ Eboren., ante ipsum Concilium a Sede Apostolica confirmatum, ut Canonici semel in vita anno abesse possent Jerusalem proficiscendi causa, et sex mensibus, cum basilicam Sancti Petri quolibet quinquennio visitare vellent? Sacra Congregatio censuit statutum hujusmodi a Sede Apostolica confirmatum, non esse sublatum per Concilium; et ita etiam Sanctissimus probavit, ut refert Fagnan. ibid. n. 60. (10. Ut Canonici abesse possint tribus mensibus a Concilio permissis, nec Episcopi, nec capituli licentia, nec causa requiritur, et possunt Canonici tunc abesse etiam ex causa recreationis. Sic decisum fuisse a Sacr. Concil. Congr. referunt Zerola in Praxi Episcop., part. I, verb. *Privatio*, § 2, dub. 4. Garcias d. cap. 2, num. 314 et 315. Barbosa dict. allegat. 53, num. 118. Fagnan. loc. cit. num. 52. Et sic novissime respondit Sacra Congregatio Concil. in Castrimaris 4 Maii 1737, pro absentia intra diœcesim; si tamen velint abesse extra diœcesim, requiritur licentia Episcopi, ut expresse statuit ibidem in responsione ad 2 dub. (11. Licet autem Canonici possint libere et licite abesse illis tribus mensibus, non tamen pro eo tempore lucrantur distributiones quotidianas, sed solum fructus grossos, seu præbendam. Sic declaravit Sacra Congregatio Concil., ut referunt Flaminius de Resignat., lib. I, q. 10, num. 65. Gonzal. ad regul. 8 Cancell., § 9, proœmial. n. 182. Monet, de Distributionibus quotidianis, part. II, quæst. 2. Fagnan. loco cit., n. 32 et 93. Barbosa, dict. allegat. 53, n. 124. (12. Potest Episcopus ob legitimam causam dare Canonicis suis facultatem, ut possint abesse per quatuor menses. Sic decisum fuisse a Sacra Congr. Conc. referunt Armendar. loc. cit., n. 124. Comitol., Respons. moral., lib. I, quæst. 59, n. 2. Garcias loc. cit., n. 411 et 413. Alred. de Præstantia Episcop. dign., part. II, cap. 9, num. 39. Barbosa loc. cit., num. 123, et Fagnan. loco cit., n. 47, ubi dicit, quod Sanctissimus die 7 Octobris 1580, audita relatione Congregationis, impertitus est facultatem Episcopo, ut possit singulis annis, si sibi justa causa videbitur, licentiam concedere Canonicis non residendi per alium mensem ultra tres a Concilio eis concessos. (13. Si per specialem aliquarum Ecclesiarum constitutionem, aut consuetudinem longius servitii tempus requiratur, non est licitum Canonicis per tres menses abesse; sic expresse statuit Concil. dict. sess. 24, cap. 12, ibi: « Salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt. » Unde Fagnanus loc. cit., n. 51, refert quod Canonicis per constitutiones suarum Ecclesiarum ad longius residentiæ tempus adstrictis, atque postulantibus ex gratia vacationem trium mensium, Sacra Congregatio suo tempore semper abnuerit. (14. Dato tamen, quod alicujus Ecclesiæ constitutio, aut consuetudo requirat servitium totius anni, tunc licitum est Canonicis per tres menses abesse. Sic refert Garcias, part. III, de Benefic., c. 2, n. 311 et 312, declarasse Sacram Congregationem in una Astoricen., his verbis: « Decretum Concilii, cap. 12, sess. 24, concedit Canonicis absentiam trium mensium, si constitutiones Ecclesiæ servitium totius anni requirunt. » Residentia enim totius anni nimis dura videtur, maxime spectata fragilitate humana. Sic tenet idem Garcias loc. cit. Barbosa dict. allegat. 53, n. 121. Armend. loco cit., num. 35 et alii. Advertendum tamen est, quod in Atrien. cum Canonici Ecclesiæ cathedralis assiduum singulis diebus servitium præstare solerent, et indultum vacationis per tres menses postularent, die 19 Decembr. 1722, rescriptum fuit: Pro gratia ad duos menses ut ad normam decreti editi in Farfen. 13 Novembris 1655, nempe quod omnes interesse divinis officiis deberent diebus Dominicis per omne tempus Adventus,

Digitized by Google

Quadragesimæ, Octavæ Nativitatis Domini, ejusque Resurrectionis, necnon Pentecostes, et Corporis Christi; et numquam plures Canonici, quam in tertia parte eodem tempore frui vacatione possent. Et in Syponlina servitii Ecclesiæ die 6 Februarii 1734, ad dub. An Decretum Capituli concedens Dignitatibus, et Canonicis vacationem per tres menses, cum conditionibus in eo præscriptis sustineatur in casu, etc., respondit: « Negative et amplius; » divisi enim erant Canonici, quorum aliqui volebant continuare servitium sine vacatione, et alii volebant vacationem.

(15. Canonici non residentes per novem menses incidunt in pœnas Concilii Tridentini mox adducendas. Imo in ipsas Tridentini pœnas incidunt etiam Canonici, qui majori servitio Ecclesiæ, quam novem mensium sunt adstricti, si non resederint per tempus ipsum majus sibi constitutum. Sic decisum fuisse a Sacra Congreg. Concil. referunt Garcias d. cap. 2, n. 144. Barbosa d. alleg. 53, n. 146, et Fagnan. in cit. cap. *Licet*, num. 50, ubi dicit, quod proposito dubio: « An Canonici, qui majori servitio Ecclesiæ, quam novem mensium sunt adstricti, subjaceant, si non resederint, eisdem pœnis, de quibus in dicto cap. 12. Sacra Congregratio censuit subjacere. » (16. Pœnæ autem a Tridentino impositæ Canonicis, ut supra, non residentibus, sunt, quod absens ultra tempus permissum primo anno privetur dimidia parte fructuum, et quidem ad ratam mensium quibus adfuit, si non est integer annus, ut censuit Sac. Congr. teste Fagnano in cap. *Ex tuæ* 11, *de Clericis non residentibus*, num. 15, secundo anno omnibus fructibus, et tertio anno privetur etiam Titulo Canonicatus, sic ipsum Concilium sess. 24, cap. 12, § *Præterea*, ibi: «Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ, ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit; crescente vero contumacia, contra eum juxta Sacrorum Canonum Constitutiones procedatur, » id est ad privationem Tituli. (17. Canonici tamen, qui ob absentiam in pœnam privationis fructuum incidunt, non tenentur istos in conscientia restituere ante sententiam condemnatoriam Judicis: sic colligitur ex ipso verbo Concilii: *Privetur*, quod non operatur ipso Jure, sed per sententiam; Garcias part. 3, de *Benefic.*, cap. 2, n. 151 et 152. Barbosa *de Canonicis*, cap. 20, num. 22. Fagnan. in cit. cap. *Licet de Præbend. n.* 26, et Rota in causa Caurien. Fructuum coram Orano, 10 Aprilis 1592. (18. Ad incurrendam a Canonicis non residentibus pœnam privationis fructuum, non est opus prævia monitione ut resideant; argum. cap. *Potuit* 4, *de Locato*, ibi: « Non obstante, quod ei, ut Canonem solveret, non exstitit nuntiatum, cum in hoc casu dies statuta pro homine interpellet, » et sic expresse decisum fuisse a Sacra Congregatione Concilii refert Garcias d. cap. 2, num. 145. (19. Fructus illi quibus privandi sunt Canonici non residentes pro constituto tempore, debent applicari in usum et fabricam Ecclesiæ, si indiget, alias alteri pio loco, arbitrio Ordinarii. Sic decrevit Sacra Congregratio, ut referunt Garcias cit. c. 2, num. 146 et 147, Armend. in addit. ad recop. legum Navarræ, lib. 2, tit. 23, *de Residentia*, num. 10, Castropalao in opere morali, tract. 7, *de Orat.* disp. 3, punct. 8, num. 6, Barbosa d. allegat. 53, n. 150. (20. Pœnarum gradus contra Canonicos non residentes a Concilio d. cap. 12, præscripti sunt necessario servandi, antequam deveniatur ad privationem: alias ipsa privatio, seu sententia privationis erit nulla. Sic Sac. Rota in una Salmantina de Petroso die 15 Decemb. 1576, coram Seraphino, et in una Oriolen. Canonicatus 14 Martii 1622, coram Navarro.

(21. Licet enim secundum aliquos Canones Canonicus absens privari posset Beneficio, si infra congruum terminum sibi præfixum ad residentiam non rediisset, ut habetur cap. *Pervenit* 28, *de Appellat.*, et cap. *Inter quatuor* 10, et cap. *Clericos* 17, *de Clericis non residentibus:* (22. tamen ex nova dispositione Concil. Trident. loc. supra cit. sub num. 16, Canonicus ob absentiam privari non potest Titulo, nisi post lapsum trium annorum, ut declaravit Sacra Congregat. ipsius Concilii Interpres. Cum enim Episcopus Tarentinus olim petiisset declarari a Sacra Congregat. Concil., An recte processisset contra subcantorem Canonicum Ecclesiæ suæ jam decem et octo menses absentem, cum ei comminatus fuisset pœnam privationis, si intra mensem non resideret, Sacra Congregratio declaravit, Concilium clare disposuisse exspectandum esse lapsum trium annorum antequam ad privationem in totum procedatur, ut in dict. c. 12, sess. 24, vers. *Præterea obtinentibus*. Nam in primo amittit non residens dimidiam, in secundo omnes fructus, in tertio privatur Titulo, et ita rescriptum fuit plurimis Episcopis. Sic præcise refert Fagnan. in d. cap. *Licet, de Præbend*, num. 26, et Garcias p. 3, de Benefic. cap. 2, n. 140, adducit aliam declarationem Sacræ Cong. Concil. quæ sic habet: « Redarguitur Episcopus, qui primo anno in Cathedrali, vel collegiata Ecclesia non residentem privat. » Disponit enim expresse Concilium, ut post primum, et secundum annum absentiæ Canonicorum: « crescente contumacia, contra eos juxta Sacrorum Canonum Constitutiones procedatur. » (23. Unde postquam, juxta Concilium Canonicus absens fuit, privatur pro primo anno medietate fructuum, et pro secundo anno omnibus fructibus; si sine legitimo impedimento sit adhuc contumaciter absens, debet, juxta Sacrorum Canonum Constitutiones, si sciatur ubi existit, personaliter moneri, seu citari, ut redeat ad residendum in termino congruo arbitrio Episcopi sibi præfigendo sub pœna privationis, nisi resipiscat; cap. *Ex parte vestra* 8, et cap. *Clericos* 16, *de Clericis non residentibus*. Si vero ignoratur ubi existat, tunc, trinæ citationis Edicto in valvis Ecclesiæ Beneficii affigendo, debet vocari, seu citari, atque post ultimam citationem per sex menses exspectari; (24. quibus elapsis, si

Digitized by Google

sine legitimo probato impedimento Canonicus residere contempserit, non amplius privandus est fructibus, sed Beneficio est omnino spoliandus, juxta formam præscriptam in cap. *Ex tuæ devotionis* 11, *de Clericis non residentibus*, quam concilium non immutavit, imo expresse præservavit in d. sess. 24, c. 12, ibi : « Contra eos juxta Sacrorum Canonum Constitutiones procedatur; » id est Beneficio privetur ad eum modum, quo Sacri canones præscribunt. Sic decisum fuisse a Sacra Congr. Conc. referunt Armend. loc. cit. n. 98, et Barbosa d. Alleg. 53, n. 146.

(25. Ad propositum juvat adducere, quæ in una Cathacen. fuerunt quæsita, et a Sacra Cong. Conc. fuerunt resoluta, prout sequitur:

1. « An in causa privationis Beneficii ob non residentiam debeant servari dilationes trium annorum a Sacro Concilio præscriptæ ?

2. « An servatio dictarum dilationum sit arbitraria Ordinario in Canonicatibus?

3. « An ex eo, quod Canonicatus Cathacen. quatenus etiam consisteret in solis Distributionibus, sine Præbenda, aut massa grossa, in illius privationem ob non residentiam, dictæ temporum dilationes a Sacro Concilio præscriptæ potuerint ab Ordinario remitti eo quod illius cap. dispositio non applicetur; cum non existentibus fructibus non potuerit fieri sequestrum?

4. « An ex eo quod idem Canonicus absens fuerit spatio duorum et plus annorum, post quorum lapsum tantum fuerit monitus, currat eidem terminus trium annorum a Sac. Concilio indultorum, vel sex mensium a die absentiæ, vel a die primæ monitionis ?

5. « An a privatione etiam ser. ser. facta ab Ordinario de Canonicatu ob non residentiam, detur appellatio suspensiva, vel tantum devolutiva ?

« Die 14 Novembr. 1671, eadem Congr. re mature discussa, censuit :

« Ad 1. AFFIRMATIVE.

« Ad 2. NEGATIVE.

« Ad 3. In casu proposito posse omitti sequestrationes fructuum, non vero dilationes temporum.

« Ad 4. Incipere triennium a die absentiæ.

« Ad 5. Non dari suspensivam. »

(26. Et cum postea in eadem causa pro dilucidatione 4. Dubii quæsitum esset, an contra d. Canonicum non residentem posset procedi ad privationem juxta Sacrorum Canonum Constitutiones post lapsum trium mensium et ultra secundi anni, vel exspectandum esset, quod laberetur tertius annus integer?

Die 21 Maii 1672, « censuit exspectandum esse triennium completum. »

(27. Verum est tamen, quod pendente ipso triennio poterit Episcopus præviis citationibus contra Canonicos absentes procedere per censuras, illosque suspendere, et excommunicare, non obstante, quod inchoata sit via judicii præscripta a Concilio, juxta dispositionem text. in cap. *Ex tuæ devotionis*, 11, § *Contra eos, de clericis non residentibus*, prout eadem Sac. Congr. declaravit in Palentina, 18 Novembris 1673. (28. Pœnæ Canonicorum non residentium possunt infligi etiam contra Canonicos coadjutores cum futura successione, et ideo monendi sunt ad residendum sub pœna privationis, ut respondit eadem Sacra Congreg. Conc. 12 Martii 1672, et in Oxonen. 8 Maii 1688. (29. Pœnas autem contra Canonicos non residentes non potest Episcopus remittere in totum; bene tamen ante sententiam minuere, vel augere; sic decisum fuisse a Sacra Congregat. Concil. refert Garcias de cap. 2, num. 150. Reiffenstuel loc. cit. num. 128. et Fagnan. in lib. 1. Decretal., cap. *Irrefragabali*, § *Excessus*, *de offic. ordinar.*, num. 28, ubi refert, quod cum Episcopus Vercellensis supplicasset declarari, an hujusmodi pœnam posset ipsis Canonicis remittere? Sac. Congr. censuit post Episcopum ante sententiam, vel in actu sententiæ ex causa justa augere vel diminuere, et non in totum remittere. »

(30. Canonici si in novem mensibus anni absque legitima causa a residentia notabiliter absint, ultra supradictas pœnas, incurrunt etiam secundum multos culpam mortalem. Sic tenent Emmanuel Sa in Aphorism., verb. *Residentia*, num. 1. Nicolaus Garcias cit. cap. 2, n. 321. Squillant. *de Obligat. clericor.*, part. 1, n. 120. Sanctarell. var. resolut. qu. 4, num. 24. Filliuc. *Q. moral.*, t. II, tract. 23. cap. 7. num. 207. Suarez *de Religione*, tom. II, lib. IV, c. 10. num. 17. et cap. 13. n. 5. Diana *Moral. resolut.*, par. II, tract. 12, resolut. 31. Machado lib. IV, tract. 3, document. 4. n. 1. Leander part. VI, tract. 9. disput. 6. q. 33. et sequent. Barbosa *de Canonicis*, cap. 20. n. 8, et alii. Et ratio est, quia Canonici sub gravissimis pœnis, et sub districto obedientiæ præcepto adstringuntur ad assistentiam Chori; cap. *Dolentes* 9, *de Celebrat. Missarum*. (31. Imo ex Garcia, d. cap. 2. num. 322. Declarat. 29. Armendar. in addit. ad *Recopil. legum Navarræ*, lib. II, tit. XXIII *de Resident.*, num. 41, et Barbosa loc. cit. num. 9, nec excusantur a culpa mortali, quamvis velint quotidianas Distributiones amittere. (32. A culpa mortali tamen eos excusant Tamburin. (1), lib. II, in *Decal.*, cap. 5. § 4. n. 7, et alii apud Leandrum cit. q. 23, dummodo habeant animum cedendi distributiones tempore absentiæ, et non deficiant in contemptum, aut contra præceptum Superioris, vel ex eorum defectu non omittatur officium in Ecclesia, aut non dicatur cum debita solemnitate; et ratio istorum est, quia nullus adest textus, ex quo mortalis obligatio colligatur, pro residentia canonicorum, sicuti clare habetur pro residentia parochorum in Tridentino sess. 23, c. 1, *de Reform.* Tum quia concurrit praxis multorum prudentum, qui nullum sibi conscientiæ scrupulum faciunt, non existimantes in eo peccare, nec communiter id notatur.

(33. Dantur tamen aliquæ legitimæ causæ omnino excusantes a continua residentia; et istæ generatim loquendo sunt quatuor,

(1) Verum hanc Tamburini sententiam laxitatem redolere, quis non videt? (EDIT. ROMAN.)

Digitized by Google

scilicet christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas, uti colligitur ex Tridentino sess. 23, c. 1 de Reformat., ibi : « Cum christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas, aliquos nonnunquam abesse postulent, et exigant. » (34. Ad primam causam *Christianæ charitatis* seu pietatis pertinet, si Canonicus a loco beneficii seu Canonicatus discedat causa juvandi proximum auxilio indigentem, v. g. ad dirimendas lites aut sedanda odia, quæ inter quosdam sint suborta, et hujusmodi. (35. Ad secundam causam *urgentis necessitatis* pertinet, si Canonicus absit propter aeris intemperiem, vel corporis infirmitatem, juxta c. *Præsentium* 3, caus. 7, quæst. 1, et cap. *Ad audientiam* 15, de Clericis non residentibus ; vel ad effugiendam tyranni persecutionem, seu ad evitandas capitales inimicitias contra ejus personam subortas, ut notat Glossa in Cap. *Clericos* 17 de Clericis non resident., verb. *Excusationem rationabilem ;* et in Clementina 1, de Statu monachorum, § *Cæterum*, verb. *Causa rationabilis*, vel ad prosequendam litem super juribus Canonicatus ; aut ob piam peregrinationem, seu similem honestam causam, impetrata tamen licentia prælati, sicuti habetur in cap. *Relatum* 4, juxta Gloss. ibid verb. *Prælatorum*, de Clericis non residentibus. (36. Ad tertiam causam *debitæ obedientiæ* pertinet, si Canonicus absit a residentia de mandato Papæ, ut in Apostolicæ Sedis servitio occupetur ; occupatus enim servitio Papæ habetur pro residente in propria Ecclesia, cum serviat Ecclesiæ universali ; cap. *Cum dilectus* 14, et cap. *Ad audientiam* 15, de Clericis non residentibus. (37. Ad quartam causam *evidentis Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitatis* pertinet, si Canonicus absit ob negotium et servitium Ecclesiæ ; cap. *Ex part.* 13, et c. *Ad audientiam*, 15 de Clericis non residentibus, vel causa adeundi synodum generalem, seu provincialem, aut diœcesanam ; vel causa studiorum ; cap. *Relatum* 4 de Clericis non residentibus. Totius enim Ecclesiæ universalis permaxime interest ad sui regimen, et servitium viros habere litteratos ; cap. *Cum ex eo* 34 de Elect., num. 6, et in cap. *Super specula* 5 de Magistris, permittitur beneficiatis, ut quinquennio theologiæ studere eamdem vero quandiu voluerit docere absentes possint sine redituum privatione. (38. Speciatim etiam conceditur ut duo Canonici in servitio Episcopi occupati pro residentibus habeantur ; cap. *de Cætero* 7, et cap. *Ad audiendam*, 15 de Clericis non residentibus. (39. Et isti duo Canonici possunt ab episcopo assumi, sive ex cathedrali, sive ex collegiata, ut a Sacra Congregatione Conc. fuit expresse decisum proposito) dubio in hæc verba : « In causa Colonien. petente Archiep. Electore, an liceret pro servitio sub diœcesis assumere duos Canonicos ex qualibet collegiata, sicut licet assumere ex cathedrali ? » Sacra Congregatio die 9 Septemb. 1628, « censuit Episcopum posse uti opera duorum Canonicorum sive de cathedrali, sive de collegiata Ecclesia, sed non plus duobus, » sic refert Barbosa de Canonicis c. 15, num. 8. (40. Canonici ex justa causa absentes non tenentur relinquere substitutum, ac per hunc interim deservire, non obstante immemorabili consuetudine ; sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Concilii refert Garcias d. part. 3, c. 2, cum 197, et Fagnan. in c. *Nulla* 2, de Concession. Præbend., n. 73. Alia de residentia vide verb. *Distributiones*.

(41. Canonici tenentur recitare officium in choro ; nec ipsis potest Episcopus concedere ut officient in sacristia ; Sacra Congregatio Episcop. in Signa, 12. Januarii 1605 (42. Potest tamen aliquando ex causa, veluti ob frigus extra chorum arbitrio Episcopi recitari divinum officium in diebus feriatibus, in diebus vero festivis omnino recitandum est in choro ; Sac. Rit. Congregatio in Lunen. Sarzanen. 5 Martii 1633. (43. et Sacra Congregatio Episcop. in una S. Severini 13 Septembris 1641, decrevit esse tolerandum, quod Canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus ferialibus Matutinum in sacristia. (44. In choro non est a Canonicis inchoandum officium statim signo dato, sed elapsa tertia parte horæ ; Sacra Rit. Congregatio in Tarentina Chryspolitarum 3 Septembris 1601, ad 5, dub. (45. Et dato ipso signo debent Canonici in choro officium inchoare non exspectato vicario ; eadem Sacra Rit. Congregatio in Neritonen. Februarii 1606. (46. Canonici sub onere, et obligatione restitutionis fructuum tenentur psallere, seu canere in choro cum aliis, et non satisfaciunt, si solum assistant, et intersint horis, et per capellanos, et alios beneficiarios psallant, ipsi vero, vel ibi, vel domi privatim recitent horas, quia institutio Canonicatuum est, non ut adsint tantum in choro, sed ut canendo assistant et ob id eis dantur distributiones ; ut colligitur ex Trident. sess. 24, cap. 12 de Reform. ibi : « Omnes vero divina per se, et non per substitutos compellantur obire officia.... atque in choro ad psallendum instituto hymnis, et canticis Dei nomen reverenter distincte, devoteque laudare ; » et sic censuit Sacra Congregatio Concilii : nam proposito dubio, « An Canonici, et alii qui intersunt divinis officiis, satisfaciant eorum muneri exhibendo suam præsentiam in choro, etiam quod non cantent, neque psallent, maxime si allegarent se eo tempore meditari, vel submissa voce dicere, quæ ab aliis cantantur, vel alias pias preces tunc recitare? An vero teneantur præcise alta et consona voce divina officia, et horas canonicas recitare, cantare, psallere, et aliter non satisfaciant muneri, et obligationi? » eadam Sacra Congregatio sub die 20 April. 1602 : « censuit teneri omnino psallere, alioquin obligationi suæ non satisfacere. » Vide verb. *Missa*, art. 3, num. 11, ubi ad id affertur novissima dispositio Benedicti XIV. (47. Canonici ex decentia debent alta voce cantare in choro, et Episcopus potest illos ad hoc hortari, sed non cogere ; Sacra Congre-

Digitized by Google

gatio Rituum in Egitanensi 24 Novembr. 1602. (48. Canonici non tenentur ad harmonicam modulationem cantus figurati, sed satisfaciunt in magnis festivitatibus, in quibus Ecclesia eo cantu utitur assistendo cum debita attentione cantoribus. Ita cum pluribus a se citatis Barbosa de Canonicis, cap. 34, num. 14. (49. Canonici, qui solebant cantare matutinum una hora post ortum solis, non sunt cogendi ut matutinum ante ortum solis cantent. Sac. Congr. Rit. in Asculana 16 Septemb. 1606. (50. Canonici, quamvis pauci sint, puta duo, vel tres, tenentur canere, seu recitare officium in choro, alias possunt ab ordinariis distributionibus punctatura privari. Sac. Congr. Concilii in Nullius Orbetelli, 31 Martii 1696.

(51. Canonici tenentur recitare in choro officium defunctorum, psalmos graduales, et pœnitentiales solum juxta Constitutionem S. Pii V, et non alias. Sacra Congregatio Rituum in Suessan. 28 Januar. 1606. (52. Et qui prædicta non recitant, minime peccant. Eadem Sacra Congregatio in Barchinonen., 10 Januarii 1609. (53. Canonici recitantes in choro officium B. Virginis Mariæ in semiduplicibus, et Dominicis ex consuetudine, illa deinceps uti possunt, non obstante rubrica Breviarii. Sacra Congregatio Rit. 1 Septemb. 1607. (54. Canonici recitantes in choro officium parvum B. Virginis Mariæ tempore paschali, debent facere sine addito Alleluia. Sacra Rit. Congregatio 28 Martii 1626. (55. Canonici tamen non tenentur recitare in choro officium Beatæ M. V. ubi non est consuetudo; ex Bulla enim S. Pii V, incipiente *Quod a nobis*, Romano Breviario præfixa, pro his qui Romanum ritum servant, sublatum est hoc onus, ubi contraria consuetudo illud recitandi non vigeat, quam S. Pontifex non abstulit, sed jussit servari, ut observat Fagnan., in cap. 1, num. 35, de Celebr. Missar. (56. Imo S. Pontifex in ipsa Constitutione, ut videri potest in principio Breviarii, tollit peccati obligationem, quæ erat recitandi in choro officium parvum B. Mariæ V. defunctorum, psalmos pœnitentiales, et graduales juxta rubricas Breviarii. (57. Canonicos cogere potest Episcopus ad præstandum juramentum de fideliter punctando in choro. Sacra Congregatio Concilii 17 Mart. 1619. (58. Canonici non possunt exire a choro nisi petita venia ab Archidiacono sive præsidenti, per salutationem sub pœna punctationis, ut præscripsit Sacra Congregatio Episcop. in Aprutina 19 Aprilis 1716, et declaravit Sacra Congregatio Concilii in Lunen. Sarzanen. 4 Junii 1701. (59 Canonici confabulantes in choro sunt punctandi, et privandi distributionibus tanquam absentes, ut rescripsit Sacra Congregatio Episc. Episcopo Nucerino 7 Sept. 1594. (60. Canonici, et dignitates non debent in choro habere stratum, sive tapetum. Sacra Congregatio Rit. in Herbipolen. Præeminentiarum 22 Nov. 1698, et in Urbinat. 23 Januarii 1700. (61. Canonici in choro, vel in Ecclesia divinis officiis interessentes sine habitu canonicali, et superpelliceo, debent punctari. Sacra Congregatio Rit. in Lunen. Sarzanen. 3 Martii 1633. (62. Canonici non debent permittere ut laici, dum divina celebrantur, stent, vel sedeant in choro. Sacra Congregatio Rit. in Compostellan. 4 Februarii 1600. (63. Canonicum, vel Capellanum potest ordinarius excusare a choro ex causa justa comprehensa in capite unic. *de Clericis non residentibus*, in 6, sine consensu aliorum Canonicorum et Capellanorum. Sic decisum fuit a Sac. Congregatione Concilii, ut refert Garcias de Benefic., part. III, cap. 2, n. 407. (64. Canonicus junior in choro juxta consuetudinem Ecclesiæ debet supplere vices hebdomadarii absentis, vel impediti, et non Coadjutor, licet sedeat post ultimum Canonicum. Sac. Congregatio Rit. in Elboren. 15 Aprilis 1606.

(65. Canonici tenentur quotidie ad canendam Missam conventualem; adesse enim in Ecclesiis cathedralibus, et collegiatis obligationem cantandi quotidie Missam conventualem, tradunt communiter doctores, præsertim Glossa in cap. *Cum Creatura* 51, de Celebrat. Missar., ubi Abbas, Joan. Andr. Fagnan. et cæteri canonistæ, idque sub mortali, quia est de materia gravi, et quæ omnium plurimum confert ad divinum cultum, cui maxime detraheretur, imo plus quam si non celebrarentur horæ canonicæ, cum major sit cultus sacrificii, quam horarum canonicarum; stante autem gravitate materiæ consurgit gravis obligatio. Sic expresse Pignat., t. I, consul. 321, n. 2, et consult. 391.

(66. Et Missam conventualem canendam esse quotidie in cathedralibus et collegiatis pluries decrevit Sac. Congr. Rit. et signanter 14 Januarii 1603, et in Faventina sub die 25 Junii 1611, et sub die 28 Januarii 1612, decrevit Canonicos teneri omnino ad cantandam Missam de die. (67. Et etiam in illis diebus quibus cantant aliquam Missam votivam. Eadem Sac. Congr. in una Urbinatensi 21 Junii 1611. Non enim pro Missa votiva omitti potest Missa conventualis. Eadem Sacr. Congr. in dicta Faventina sub die 16 Februarii 1627. (68. Et abrogatur omnis consuetudo non cantandi Missam de die, ultra votivam, seu pro defunctis. Eadem Sac. Congr. in d. Faventina sub die 18 Junii et 28 Augusti 1628. (69. Unde licet in illis Ecclesiis, in quibus adest inveterata consuetudo cantandi Missam votivam de B. M. Virgine singulis diebus Sabbati, possit hic pius usus, seu populorum devotio continuari etiam in Sabbatis festo duplici impeditis, non est tamen omittenda Missa conventualis. Eadem Sac. Congreg., 2 Decemb. 1684. (70. Præterea Missa conventualis in Quadragesima, Adventu, Quatuor Temporibus, et similibus, etiam quod in dictis diebus occurrat festum duplex, non est omittenda, sed utraque Missa, nempe de sancto, et de feria, est celebranda. Eadem Sac. Cong. in Lunen. Sarzanen. 5 Martii 1633. (71. Hinc cum Canonici Ecclesiæ cathedralis Faventinæ petiissent eximi ab obligatione canendi Missam conventualem de die, quotiescunque eadem die aliam Missam cantassent vo-

Digitized by Google

tivam, vel defunctorum. Sac. Congr. Rit. de mense Martii 1631, respondit « non posse prætermitti conventualem. » (72. Et sic jam fuerat decisum in una Sarnen. cum enim Canonici cathedralis Sarnensis ex conventione cum Episcopo a nonaginta annis inita consuevissent singulis hebdomadis tres Missas canere, videlicet feria secunda pro defunctis, feria quarta de Angelis, et feria sexta de S. Cruce, Episcopus successor eos compellebat ad canendum quotidie Missam conventualem præter supradictas; sed cum Ecclesia extra habitationes, et in loco insalubris cœli sita esset, et in ea vix decem exstarent Canonici, quorum sæpe aliquis ægrotabat, præterquam quod curam habebant animarum; idcirco petiissent benigne secum agi, ut ad dictam Missam conventualem non tenerentur nisi in diebus festis, die 9 Novemb. 1613 Sac. Congreg. Concilii « censuit quod petitur non concedendum. »

(73. In cathedralibus et collegiatis non potest omitti altera ex duabus Missis cantandis ob celebrationem capituli Canonicorum. Sacra Congr. Rit. 16 Maii 1626. (74. Missa defunctorum cantari debet a Canonicis juxta legem fundationis, etiam in illis diebus in quibus ex præscripto Missalis cantantur alia Missa pro defunctis, ut decrevit Sacr. Congreg. Concil. in una Ipren. Cum enim in insigni colleg. S. Petri Casalensis Ipren. diœcesis essent fundata tria beneficia, quorum possessores soliti erant per totum annum vicissim cantare Missam pro fundatore dictæ Ecclesiæ, et aliis defunctis, dictaque Missa, et vigiliæ defunctorum decantari consuevissent in choro, quando officium fiebat de feria, vel festo simplici; quidam Canonici dictæ Ecclesiæ sub prætextu, quod in Missali Romano caveatur, ut prima die cujuslibet mensis, et secunda feria cujuslibet hebdomadæ non impedita in collegiatis Ecclesiis dicantur duæ Missæ, una pro defunctis, et alia de feria, seu festo simplici, prætendebant satisfieri dictæ fundationi, si Missæ, ut præfertur, cantari solitæ, demissa voce legerentur. Unde cum quæsitum esset, an satisfieret, vel potius obstaret cap. 5, sess. 25, Sac. Cong. Conc. censuit Missas cantandas esse juxta earum fundationem. (75. Nec propter anniversarium, seu aliam Missam defunctorum potest omitti Missa conventualis cantanda de die, seu de officio currente. Sac. Rit. Congreg. 28 Augusti 1628. (76. Canonici pro Missa conventuali, quam quotidie celebrare, et sacrificium pro benefactoribus, et fundatoribus applicare tenentur, nullatenus possunt aliam eleemosynam recipere, non obstante contraria consuetudine, nec tenuitate reddituum. Sacra Congreg. Concil. in una Elven. die 4 Maii 1646, ad cap. 2, sess. 25 de Reformat. in una Civitatis Castellanæ 4 Martii 1690, in una Hidrunt., 1 Martii 1692, in una Cathacen., 29 Novembr. 1698, et tenet solide Pignatel. tom. I, consult. 321; Monacel. part. 1, tit. 2, formul. 4, num. 27. Vide verb. *Missa*, art. 3. num. 11, ubi ad id affertur novissima dispositio Benedicti XIV. (77. Pro hujusmodi Missa conventuali debetur Canonicis distributio ex Massa communi. Sacra Congregat. Concil. in dict. Elven. die 23 Februarii 1647, et tenet Pignatell. tom. I, consult. 322.

(78. Canonicus, qui Missam solemnem celebrat die Dominico, tenetur officium vesperarum facere eodem die post prandium, non obstante quacunque contraria consuetudine. Sacra Congreg. Rit. in Æsina 25 Januarii 1605. (79. Canonicus, vel alius Sacerdos, qui celebrat Missam conventualem in qua chorus tenetur cantare Symbolum, non potest illam prosequi eo tempore quo a choro cantatur Symbolum prædictum. Sac. Congreg. Rit. 17 Decembr. 1695. (80. Non est facienda altaris thurificatio in Missa conventuali dierum solemnium, si absque cantu, et ministris celebretur. Sac. Congreg. Rit. 22 Januar. 1701. (81. Canonicus Missam celebrans in Ecclesia, vel ex devotione, vel ex obligatione, tempore, quo cantatur una hora in choro, non dicitur interfuisse illi horæ, nec illius distributiones accipere potest, nisi in illa hora ad celebrandam Missam ab eo, ad quem pertinet, compulsus et jussus fuerit. Sacra Congregatio Concil. in Callien., 29 Julii 1628, in respons. ad 4; et in Oriolen., 27 Martii 1632, in responsion. ad 12. (82. Canonici Missam celebrantes coram Episcopo, non debent sedere in sede cum postergali, sed in scamno oblongo, tapeto, vel panno cooperto, in latere Epistolæ. Sacra Congreg. Rit. in Turritana, 19 Maii 1614. (83. Canonici et dignitates tenentur per seipsos divina officia obire, nec non Missas majores canere illis diebus quibus ad eas decantandas obligati sunt. S. C. Concil. in Segobien., 21 Julii 1590. (84. Canonici, et dignitates in decantatione Missæ, Evangelii, Epistolæ, et in functione similium debent per seipsos subire et exercere munera incumbentia et adnexa. Quod si aliqui legitime impedimento detenti, ea per seipsos adimplere non potuerint, tunc alios, ejusdem tamen ordinis, et gradus, non autem inferioris, dignitates nempe alias dignitates, Canonici alios Canonicos, et portionarii respective portionarios in sua quaque hebdomada, ne graduum et ordinum prærogativæ confundantur, deputare debebunt. Sac. Rit. Cong. in Abulen., 18 Maii 1602. At hoc non videtur observari, quia passim dignitate aliqua impedita, celebrant pro ea Canonici, et alii ministrant, sicuti ministrarent dignitati, et admittunt ipsa decreta S. C. R. in Mediolanen., 16 Maii 1642. Bellocastrens., 11 Junii ejusdem anni, et in Tarvisina, 26 Augusti 1645. (85. Missas pontificales celebrare, absente Episcopo, pertinet ad primam dignitatem, vel ad antiquiorem Canonicum, non autem ad Canonicum hebdomadarium. Sacra Congreg. Rit. in Tarentina, 10 Januarii 1597, et in Vallisoletana, 11 Junii 1606, et in Pisaurien., 21 Martii 1609. (86. Si vero sit consuetudo immemorabilis quod ad Canonicum hebdomadarium, vel ad Archipresbyterum, licet non sit prima dignitas, vel ad aliam dignitatem hujusmodi functiones spectent, servanda est consuetudo quæ

Digitized by Google

non tollitur per cæremoniale. Sac. Rit. Congr. in Asten., 25 Jan. 1602, et in Hidruntina, 30. Jan. 1616, et in Monolit., 3 Sept. 1616. (87. Canonico solemniter celebranti pro Diacono et Subdiac. inservire debent pariter Canonici, non obstante immemorabili contraria consuetudine, quæ potius est abusus et corruptela. Sac. Cong. Rit. in Calaguritana, 7 Septemb 1593, in Ceneten., 14 Febr. 1615, in Colonien., 31 Martii 1629. et in Sarnen., 4 Martii 1638, ubi declaravit : « Canonico, solemniter celebranti pro Diacono, et Subdiacono inservire debere pariter Canonicos, non autem Capellanos, non obstante immemoriali contraria consuetudine allegata, quæ venit prius formiter probanda ; » et subjunxit : « Canonico solemniter celebranti pro Diacono et Subdiacono inservire debere Canonicos habentes præbendam diaconalem, et subdiaconalem. » Et in Alexandrina 17 Maii 1719, ubi per Eminentiss. Cardinalem Gabriellum proposito dubio : « An Capellani Capellaniarum erectarum in Ecclesiæ cathedrali Alexandrina vigore dispositionis quondam Canonici Pomesani teneantur inservire in officio Diaconi, et Subdiaconi dignitatibus, vel Canonicis ejusdem cathedralis celebrantibus in casu, etc. » ab eadem Sac. Rit. Cong. responsum fuit *Negative* cum addito, ut causa amplius non proponeretur. Sic refert Ursaya tom. VIII, part. II, discept. 26, ubi per totum egregie id probat adductis solidis rationibus, et pluribus aliis ejusdem Sacræ Congreg. Decretis, et signanter in Sypontina, 8 Martii 1631, in Clusina, 20 Aprilis 1641, in Brundusina, 7 Decembris 1658, in Tolentina, 7 Aprilis 1698, et in Nucerina Paganorum, 25 Januarii 1698, ubi declaratum fuit quod Diaconus et Subdiaconus inservientes Canonico celebranti debeant esse etiam Canonici sive juniores, sive antiquiores sint ipso Canonico celebrante, et non alii inferioris ordinis, non obstante quod in aliqua cathedrali non sint distinctæ præbendæ in sacerdotales, diaconales, et subdiaconales, uti in cathedrali Alexandrina, in cit. Nucerina Paganorum, ac variis aliis ; et etiam non obstante contraria consuetudine, quæ potius abusus est et corruptela ; vide ibi, num. 75.

(88. Dignitas prima, si velit functiones episcopales facere, debet etiam Missam canere ; alias pertinent ad subsequentes cum eadem conditione. Sac. Congr. Rit. in Aretina, 30 Januarii 1612, in Tirasonen., 1 Martii 1614, et in Neritonen., eodem die et anno. (89. Dignitas prima, quæ vult portare Sanctissimum Sacramentum in processione, absente Episcopo, debet Missam cantare ; quod si noluerit, debet Sanctissimum Sacramentum portare ea dignitas, vel Canonicus, qui Missam celebraverit. Sacr. Congreg. Rit. in Baren., 19 Januarii 1608, et 23 Martii 1709 in respons. ad 4, teste Ursaya tom. II, part. I, discept. 20, num. 19. (90. Nec convenit, quod prima dignitas celebrat Missam ante processionem SS. Sacramenti, et deinde altera dignitas minor gestet illud in processione. Eadem Sac. Congr. Rit. 30 Junii 1632. (91. Canonici non supplent vices protonotariorum, et aliorum inferiorum, sed bene vices dignitatum. Sac. Rit. Congregat. in Milevitana, 3 Junii 1617. (92. Canonici et dignitates, quæ habent adnexam præbendam cum onere cantandi Epistolam, sive Evangelium, non tenentur ministrare inferioribus. Sacra Congregat. Rit. in Salmantina, 10 Januarii 1604. (93. Canonici non sunt cogendi ad cantandam Epistolam, vel Evangelium, quando alius Canonicus, seu dignitas celebrat, nisi quando præbendæ sunt distinctæ. Sacra Congreg. Rit. in Tarentina Crypsolitarum, 7 Septembr. 1605. (94. Canonici, qui habent præbendas diaconales, vel subdiaconales, tenentur ministrare et inservire dignitatibus et aliis Canonicis quando Missas celebrant solemnes, vel Vesperas. Sacra Congreg. Rit. in Bituntin. 9 Februarii 1608. (95. Canonici, Diaconi et Subdiaconi in quibusdam solemnitatibus, etiam non celebrante Episcopo, cogi possunt ad cantandam Epistolam, et Evangelium, non obstante quocunque prætextu, vel consuetudine in contrarium. Sacra Rituum Congregat. in Januensi, 29 Decembris 1602. (96. Canonici tamen non tenentur, nec debent cogi ministrare in officio Diaconi vel Subdiaconi Mansionariis, et aliis inferioribus Presbyteris celebrantibus, non obstante consuetudine. Sac. Congr. Rit. in Hispalen., 10 Januar. 1601, in Cadicen., 23 Novembr. 1602, et in Materan., 5 Julii 1614. (97. Assistentia, quæ fit ad Missam et Vesperas, debet fieri cum pluviali. Sacr. Rit. Congr., 3 Augusti 1602. (98. Canonici tenentur inservire pro Diacono, et Subdiacono dignitatibus ac eorum Coadjutoribus solemniter celebrantibus, non obstante contraria consuetudine. Sac. Cong. Rit. in Clusina, 20 Apr. 1641, in Brundusina, 7 Dec. 1655, in Casalen., 28 Jan. 1690, in Tolentinaten., 7 Apr. 1696, et in Neapolitana, 25 Jan. 1698. (99. Et non tantum Canonici juniores, sed etiam antiani et antiquiores. Sacr. Congr. Rit. in Nucerina Paganorum, 25 Jan. 1698. (100. Dignitates vero nunquam debent Canonicis celebrantibus inservire. Eadem Sacr. Congreg. Rit. in Gerunden., 3 Octob. 1699. (101. Circa Missas privatas, an possint Canonici eas celebrare tempore quo Episcopus solemniter celebrat vel concionatur, exstat decisio Sac. Congregationis particularis deputatæ a Clemente XI in una Casalen. pro resolutione variorum dubiorum, inter quæ erat dubium 18, ut sequitur : « Decimo octavo : an Canonici valeant celebrare Missas privatas in Cathedrali tempore quo Episcopus celebrat solemniter vel concionatur ; » die 11 Martii 1708, censuit ad 18 tempore celebrationis servandum esse Statutum Ecclesiæ ; tempore vero concionis negative. (1) Et hæc decisio et resolutio fuit a Sanctissimo per

(1) Proposito dubio : *An Canonici valeant celebrare Missas privatas tempore, quo Episcopus solemniter celebrat, vel concionatur*, respondet Auctor allegans resolutionem Sac. Congr. Conc. in qua

Digitized by Google

Breve confirmata, ut refert Eminentissimus Petra tom. III comment. ad Constitut. 1 Nicolai III, num. 17, et comment. ad Constit. 1. Urbani IV, n. 16, qui dicit se (dum erat Secretarius Concilii) fuisse deputatum Secretarium dictæ particularis Congregationis habitæ una cum illustrissimis et reverendissimis DD. Nuntio Archiepiscopo Nicæno, et Secretario S. C. Episcopor. et Regul. Inghirami Secret. S. C. Rit. et Marefusco Secret. S. C. Immunitatis, coram Eminentissimo et Reverendissimo D. Cardinali Josepho Vallemano.

ADDITIONES AUCTORIS.

(102. Contra Canonicos non residentes ultra amissionem distributionum quotidianarum potest Episcopus procedere per mulctas pecuniarias atque alio juris remedio ad residendum ipsos compellere. Sic expresse Sacra Congr. Concil. in Jadren., vulgo Zara, 17 Sept. 1610, ibi : « Sacra, etc. censuit, non inservientes Ecclesiæ, nec divinis interessentes ultra amissionem distributionum quotidianarum, posse ab Archiepiscopo per mulctas pecuniarias, atque alio juris remedio compelli. » Et idem respondit in Castellaneten., 7 Junii 1659, et sæpe alibi.

(103. Quoad residentiam Canonicorum advertendum est, quod aliquibus peculiaribus Canonicorum Capitulis, vel ratione peupertatis reddituum, vel consuetudinis, attento etiam numero Canonicorum, aliorumque inservientium, solet quandoque concedi Indultum assistendi choro, aliisque functionibus per mediarias, id est per mediam partem ipsorum vicissim, ut in Sanctæ Severinæ, in qua ad propositum dub. « An omnes Canonici, et Clerus Cathedralis Ecclesiæ S. Severinæ, vigore donationis expletæ per bon. mem. Archiepiscopum Berlingerium teneantur quotidie intervenire servitio Ecclesiæ, seu potius sit indulgendum, ut possint alternative, et facta divisione per turnum, et hebdomadam interesse eidem servitio, exceptis temporibus Adventus, Quadragesimæ, Rogationum, aliisque Vigiliis, et omnibus diebus festis in casu; » S. C. Concil. die 13 Jul. 1725 respondit : « Esse indulgendum alternativam cum solitis clausulis; « apud Thesaurum Resolut. tom. III, in d. S. Severinæ.

(104. Et quamvis in Cathacen. servitii chori eadem S. Congregat. improbasset consuetudinem Capituli Cathedralis inserviendi choro per tertiarias, id est quod singuli inservirent una ex ternis hebdomadibus in turno per totum annum, respondendo *Negative* ad dubium die 25 Novembr. 1698, ei propositum : An liceat Capitularibus inservire per tertiarias in casu, etc., tamen reproposita causa die 5 Septembris 1699, ad instantiam ejusdem Capituli sub consueto dubio: « An esset standum, vel recedendum a decisis, Sacra Congregatio stetit in decisis, sed attenta tenuitate reddituum, censuit, ex gratia indulgendum esse, prout benigne indulsit præfatis Capitularibus, ut toto anni tempore per mediarias, id est per dimidiam eorum partem alternis hebdomadis Missæ, Matutino, et omnibus horis interesse valeant ita tamen ut diebus Dominicis et festis de præcepto, tempore Adventus, et Quadragesimæ, ac octavarum Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis D. N. J. Christi, ac Sanctissimi Corporis Christi ultra medietatem Capitularium, qui non erunt de servitio, Missæ, et Vesperis inservire teneantur, » ut in lib. 49 Decr., pag. 311 et 312. Quæ resolutio in terminis refertur et confirmatur in alia « Castri Maris servitii chori, » in qua ad dubium : « An sit standum, vel recedendum a decisis in casu, » etc., ead. S. Congreg., die 30 Julii 1735, respondit : « In decisis, sed ex gratia indulgendum esse, ut inservire possit per mediarias, ad formam rescripti in Cathacen. servitii chori 5 Septemb. 1699. » Sic apud Thesaur. Resolution. tom. 7. in d. Castri Maris servitii chori. Consimile Indultum concessum fuit dignitatibus et Canonicis collegiatæ S. Mariæ Majoris in Tranen. in qua ad dubium : « An dignitatibus, et Canonicis collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ Majoris Baruli sit concedenda gratia inserviendi d. Ecclesiæ alternatim, et per hebdomadas in casu, » etc. ead. S. C. C. 22 Nov. 1738. respondit : « Affirmative cum solitis clausulis, » apud Thes. Resol. t. VIII et sæpe idem alibi.

(105. Et quia Canonici et Beneficiati quandoque ultro progressi sunt petentes sibi impertiri Indultum inserviendi per mediariam, etiam diebus festivis, *annuendum non esse* respondit Sacr. Congregatio Concil. in una Civitatis Castelli servitii chori, in qua ad dubium : An et quomodo Dignit. et Canonicorum precibus sit annuendum in casu, » etc., die 14 Jun. 1738, prodiit rescriptum : « Negative et serventur resolutiones dierum 30 Jan. et 17 April. 1728, et amplius. » Sic apud Thesaurum Resolutionum t. VIII, in. d. Civitatis Castelli servitii chori, in qua prius proposita die 10 Mart. ejusdem anni 1728, afferuntur citatæ Resolutiones dierum 30 Jan. et 17 April. 1728. Vide ibi, ubi etiam alia ad rem. Et insuper in Rossanen. Servitii Chori, et distributionum quotidianarum, in qua ad dubia : 1. « An in omnibus diebus Dominicis, et festis dignitates, Canonici, et alii de Capitulo Missæ conventuali aliisque divinis officiis interesse debeant, vel potius eis liceat etiam prædictis diebus per quartariam inservire, per assistentiam nempe unius dignitatis, quinque canonicorum et sex presbyterorum ? 2. An sit locus augmento distributionum, quomodo, et in qua summa : *et quatenus affirmative.* 3. An donec idem

Casalen. *Servandum esse statutum Ecclesiæ.* Verum hanc resolutionem non tanquam legem generalem esse accipiendam, sed duntaxat uti municipalem, ex eo deduci videtur, quod negativa sententia communis sit, atque innitatur tum *can. Et hoc attendendum, de consecrat.*, dist. 1, tum etiam Concilio provinciali Mediolanen. IV, par. II, tit. *Quæ pertinent ad Sanctissimum Missæ Sacrificium et divina officia.* (Tom. I *Act. Eccl. Mediol.*, edit. ann. 1738. pag. 148.) (EDIT. VEN.)

Digitized by Google

augmentum non fuerit factum, teneantur omnes dictis diebus Dominicis, et festis choro, et Ecclesiæ interesse in casu, etc. » ead. Sac. Congr. Conc. die 1 Martii 1738 respondit « ad 1. Affirmative quoad secundam; ad 2. Habebitur ratio in casu recursus cum opportunis documentis; ad 3. Affirmative. » Sic apud Thesaur. Resolut. t. VIII in d. Rossanen.

(106. Canonici et dignitates ubique ad psallendum tenentur, non obstante qualibet contraria consuetudine, aut præsumptis privilegiis. Benedictus XIV, tom. I Constit. 103, incip. *Cum semper*, § 25.

(107. Ex decreto Sac. Congreg. Rituum 2 Septembris 1741, in Aquen. Canonici non tenentur extra chorum ad psalmos graduales, pœnitentiales, officium B. M. V. et defunctorum, cum recitanda sint tantum in choro, ubi est consuetudo, et nequeunt Canonici ad illorum recitationem cogi, ubi recitari non consueverunt, ut decrevit Sac. Congr. Conc. in Montis Alti, 28 Septemb. 1754, in qua ad dubium: « An Canonici Ecclesiæ Cathedralis Montis Alti ultra horas canonicas teneantur quoque in choro recitare officium defunctorum, B. M. V. psalmos pœnitentiales, et graduales diebus in Breviario designatis, sive potius sit servanda consuetudo in casu, etc. » die et anno quo supra respondit: « Servandam esse consuetudinem. » Unde non est attendendum Decretum Congr. Episcopor. et Regular. in Alexandrina 18 Mart. 1587, prout mendose refertur a Crispino in *Visitat. Pastoral.*, part. 2, § 20, contrarium sentiens quoad officium B. M. V. cum in eo legatur tantum: « Canonicos debere hortari ad recitandum in choro officium B. V. diebus in Breviario præscriptis, non autem cogi, ubi non est solitum. »

(108. Cum ab antiquo et immemorabili tempore Canonici Ecclesiæ cathedralis Casalensis diebus Dominicis, aliisque festis infra annum occurrentibus, quando a musicis vesperæ decantantur, consueverint eo tempore in choro bini et bini vesperas, et Completorium recitare, excitatum est dubium, an per eum modum recitandi Completorium satisfaciant Canonici muneri suo; pro cujus declaratione Episcopus Casalen. et Canonici prædicti ad Sacram Rit. Congregationem recursum habuerunt; et Sac. eadem Congregatio iis omnibus mature expensis, quæ in hanc rem deducta sunt, rescripsit: « Canonicos non satisfacere obligationi Chori recitando modo prædicto Completorium tempore, quo a musicis Vesperæ decantantur. »

(109. Ad rem placet adhuc e penu *Institutionum Ecclesiastic.* Benedict. XIV, proferre sequentia. Canonici, et Beneficiati tenentur ex jure ecclesiastico recitare officium divinum cum eo discrimine, ut beneficiati ubique locorum possint huic muneri satisfacere, Canonici vero cathedralium vel collegiatarum præstare id in choro tenentur. Institut. Eccl., 107, § 7.

(110. Nec solum tenentur assistere, sed etiam alta voce recitare, et associare cantum horarum canonicarum, nulla in contrarium obstante consuetudine, ut ex dispositione Sac. Conc. Trid. sess. 24, c. 12 de Reformat., evincitur. (111. Idcirco tenentur Canonici, et alii addicti choro cantum Gregorianum addiscere, ut in folio exhibito Sac. Congregationi in causa Murana Mansionariæ, die 18 Novembris 1735, a Secretario ejusdem Congregat. demonstratur. Institut. Eccl. 107, § 16.

(112. In Tridentino quidem injunctum est, ut omnes « divina per se, et non per substitutos compellantur obire officia, » sed ut censuit Sacra Congregatio, non est sublata Capitularibus facultas « sese invicem substituendi, dummodo substituens et substitutus eidem servitio adscripti non sint. » Cavendum est tamen ne nimis frequentes sint istæ substitutiones. (113. Non possunt uti hac facultate illi Canonici qui extra civitatem vel suburbia consistunt. Nec ea uti potest nisi Canonicus, vel Mansionarius, non vero Coadjutores eorum, ut ex pluribus decretis Sac. Congr.; ibid. § 17, 18.

(114. Si chorus Ecclesiæ officiatur incommodus; puta hiemali tempore, potest adaptari eidem muneri præstando aliqua capella ejusdem Ecclesiæ, ut ex decreto Sac. Congr.; ibid. § 19.

(115. In ordine ad recitationem Horarum præfertur illa sententia quæ docet eos qui horis admiscent jocos, risus, et cachinnos, etc., et confabulationes in choro, reos esse peccati gravis, et ad restitutionem teneri; ibid. § 25.

(116. In Decretali *Dolentes*, de Celebrat. Missar. pœna in eos, qui hæc similia agunt, suspensionis indicitur; hæc tamen suspensio est ferendæ, non latæ sententiæ, ut explicavit Honorius III, in c. 3, de Vita et honest. Clericor. inserto in quinta compilatione Decretalium edita a Cironio.; ibid. § 29.

(117. Mos non muletandi Canonicos, nisi cum supervenerint in choro post absolutum primum nocturnum cum lectionibus, vel post sex priores psalmos in matutinis de feria, etiamsi consuetudo adsit, reprobatur a Sacra Congregatione Concilii in Interamnen. Visitationis die 24 Maii 1674; ibidem § 23.

(118. Missa conventualis, quanquam non veniat nomine horarum canonicarum, venit tamen nomine divini officii, quare si cathedralis et collegiatarum Canonici tenentur ad quotidianum officium divinum, tenentur etiam ad quotidianam celebrationem ejusdem Missæ; ibid. § 11.

(119. Immemorabilis consuetudo non excusat Canonicos cathedralium et collegiatarum insignium a residentia; bene tamen in collegiatis non insignibus et ruralibus, in quibus adeo tenues sunt redditus, ut Canonici aliunde non habentes unde vivant, non habeant; ibidem § 2, ex decreto Sacræ Congr.

(120. Absentia a choro per tres menses non intelligitur permissa a Tridentino, si Ecclesiæ Constitutiones servitium totius anni absque ulla intermissione requirant; qua in re nulla contraria consuetudo, etiam immemorabilis admittitur, ut censuit Sac. Cong. in suo decreto; ibid. § 34.

(121. Ad vacationem trium mensium concessam a Tridentino non requiritur licentia

Digitized by Google

Episcopi, si tamen intra diœcesim consistant; requiritur autem vicissim, si se ab illa absentent; petita tamen non debet ab Episcopo negari, ita ex decretis Sac. Congr.; ibid. § 36.

(122. Canonici vigore trimestris a Concilio Tridentino sibi concessi non possunt simul abesse a choro ultra tertiam partem uno et eodem tempore, nec vacationem hanc obtinere possunt tempore Quadragesimæ, et Adventus, et in festis solemnioribus. Ita ex decreto Sac. Cong., ibid. § 34.

(123. Pro absentibus habentur qui absunt ab Ecclesiæ servitio tot vicibus, ut præscripta quantitas trium mensium annuo spatio superetur. Hinc Sacra Congregatio decidit plusquam trimestrem valere, ut censeantur absentes; nec approbavit illos qui calculum conficiebant ab hora ad horam, et non a die in diem. Ita ex decreto Sac. Congr. ibid. § 32, 33.

(124. Absentes a servitio tempore vacationis non lucrantur distributiones quotidianas, nisi concessæ sint illis a Constitutionibus confirmatis a SS. Pontificibus ante concilium Tridentinum. Ita ex decreto Sac. Congr., ibid.

(125. Canonici, qui abfuerint ultra trimestre, non sunt citandi, ut veniant ad servitium Ecclesiæ, qua in re differunt a Curatis non residentibus, qui ex Concilii præscripto citandi, vel admonendi sunt, ut contra illos procedatur. Vocandi sunt igitur Canonici, ut deducant causam, cur non debeant privari medietate, sive omnibus fructibus juxta præscriptum Sac. Congr. Concilii. Ita ex Decreto Sac. Congr., ibid. § 37.

(126. Porro ut tunc procedatur ad privationem Canonicatus, præcedere debet trium annorum absentia, tum expediendæ sunt tres citationes contra absentem, qui dein expectandus est per sex menses, iisque elapsis, si non compareat, ad sententiam privationis procedatur. Ita ex decretis Sacræ Congregationis, ibidem.

(127. Attamen intra hoc triennium exspectationis procedi potest ad suspensionem deliquentis, juxta dispositionem c. *Ex tuæ*, de Cleric. non resid. Quod etiam fieri potest inchoata jam via procedendi a concilio præscripta; attamen tunc pergendum non est ad sententiam privationis. Ita ex decreto Sac. Congr., ibid. § 38.

(128. Alia ad rem vid. verb. DISTRIBUTIONES.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(129. Residentia Canonicorum Ecclesiarum cathedralium et collegiatarum non debet amplius regulari a statutis et consuetudinibus earumdem Ecclesiarum, sed a concilio Tridentino, sess. 24, c. 2, de Reformat. quod injungendo Canonicis onus residentiæ, contrariis omnibus consuetudinibus, et statutis derogavit, ut aliis cumulatis firmavit Rota in Monasterien. Parochialis 16 Febr. 1748, § 6, coram Illustrissimo Migazzi, et 28 Junii ejusd. anni 1748, § 13, cor. bon. mem. Lana.

(130. At non omittendum est, Summum Pontificem Benedictum XIV. Institut. Eccl. 107, in principio n. 2, referre Pontificium

hoc decretum consilio Sac. Congr. Concil. Interpretis editum: « Sanctissimus Dominus etiam ex sententia S. C. Concil. declaravit immemorabilem consuetudinem non excusare a residentia in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus. In collegiatis autem non insignibus posse excusare, dum tamen sunt rurales, prorsus destitutæ, et in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solitum esset residere, aut quæ adeo tenuis reditus essent, ut Canonicos, aliunde non habentes unde vivant, alere non possent. »

(131. Quæstionis est, an Canonici, qui spatio plurium annorum, decem scilicet, viginti, triginta, etc. non resederunt, puniri queant privatione Canonicatuum non servato ordine præscripto a concilio Tridentino cap. 12, sess. 24 de Reformat., de quo Auctor num. 23. Negavit Rota in Tudert. Servitiorum super privatione 17 Aprilis 1752, § 3, cor. bon. mem. Amadeo.

(132. De servitio quod Canonici præstare debent choro, tum de aliis de quibus agit Auctor, consule pro re nata mox dictum Summum Pontificem Benedictum XIV, dict. Institut. Eccl. 107, a § 1, ad finem.

ADDITIO CASINENSIS.

(133. Antiquitus quæstio erat inter doctores, num ad officium defunctorum et B. M. Virginis tenerentur extra chorum beneficiati. S. Thomas sensit omnino officium defunctorum omitti non posse a Canonicis et beneficiatis in quodlibet 6, quæst. 5, art. 8. Item affirmavit S. Antonius in III par., tit. 13, cap. 4, § 3, ab universis qui choro tenentur etiam extra chorum illud persolvi debere. S. Pius V vero tale onus ademit in sua Constitutione 64, his verbis: « Quod vero in rubricis nostri hujus officii præscribitur, quibus diebus officium B. M. Virginis, item defunctorum, item septem psalmos pœnitentiales, et graduales dici et psalli oportent, nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quid periculum ab ea præscriptione removendum duximus; verum debito providentiæ pastoralis admoniti, omnes vehementer in Domino cohortamur ut remissionem nostram, quantum fieri poterit, sua devotione ac diligentia præcurrentes, illis etiam precibus, suffragiis et laudibus, suæ et aliorum saluti consulere studeant. Ac ut fidelium voluntas, ac studium magis etiam ad hanc salutarem consuetudinem incitetur, de omnipotentis Dei misericordia, beatorumque Petri et Pauli apostolorum, ejus auctoritate confisi, omnibus, illis ipsis diebus in rubricis præfinitis, beatæ Mariæ vel defunctorum officium dixerint, toties centum dies, qui vero septem psalmos, vel graduales quinquaginta de injuncta ipsis pœnitentia relaxamus. » Et paulo post: « Hoc autem concedimus sine præjudicio sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus officium parvum beatæ Mariæ semper Virginis in choro dici consueverat, ita ut in prædictis Ecclesiis servetur ipsa sancta, et laudabilis consuetudo celebrandi more solito prædictum officium. »

Digitized by Google

ARTICULUS VI.

Canonici, quoad associationem et assistentiam debitam episcopo.

(1. Canonici tenentur in eorum habitu canonicali accedere ad domum Episcopi, et illum associare ad Ecclesiam celebraturum, vel divina officia auditurum cum cappa accedentem, et finito officio in reditu associare. Cæremonial. Episcop., c. 15, ibi : « Cum Episcopus rei divinæ peragendæ causa ad Ecclesiam venturus erit, sive ipsemet celebraturus sit, sive alter, debent Canonici omnes in eorum ecclesiastico et canonicali habitu appropinquante hora ad illum accedere, eumdemque cappa indutum ex aula, sive camera, quam ad hoc destinavit ad Ecclesiam progredientem comitari et deducere; » et paulo inferius : « In redeundo idem ordo servetur. » Et sic etiam censuit Sacr. Congreg. Rit. in Ragusina, 8 Martii 1617, et in Tarvisina, 10 Januarii 1719, et in Pisaurien., 22 Martii 1653. (2. Et ad hoc tenentur non solum ex urbanitate, sed ex debito. Sacr. Rit. Congr. in Salamantina, 16 Julii 1605. (3. Etiamsi domus non sit contigua Ecclesiæ, dummodo domus non multum distet. Eadem Sacra Congregatio Rituum in Oscen., 16 Maii 1601, et in Conimbrien., 6 Julii 1681. (4. Etiamsi distet per spatium 60 passuum, qui habetur pro modico spatio. Eadem Sac. Congr. in Theatina, 14 Dec. 1602, et in Tifernaten., 5 Jul. 1603. (5. Etiamsi distet per spatium 110 passuum. Eadem Sac. Congr. in Elven., 10 Januar. 1604. (6. Etiamsi distet per spatium 160 passuum. Ead. Sac. Congregat. in Tarracinen., 20 Aug. 1622. (7. Imo Canonici tenentur accedere ad palatium Episcopi ad effectum eumdem associandi ad Ecclesiam, non obstante distantia cathedralis 200 et ultra passuum. Sac. Rit. Congreg. in Turritana, 26 April. 1704, ad 6, ut refert Monacell., t. IV, in supplement. ad tertium tom., num. 193. (8. Si vero palatium Episcopi sit longe distans, debet associari ex aliquo loco ad hoc deputato prope Ecclesiam, vel Ecclesiæ ipsius atrio, aut scalis vicino. Eadem Sacra Congreg. in d. Oscens., 16 Maii 1601. (9. Ut Canonici in debita associatione Episcopi deesse non possint, et officia divina non turbentur, debet Episcopus certam horam sui adventus tempore congruo statuere et significare. Sac. Congregatio Rit. in Alboren. et Oscen., 16 Maii 1601, et in Placentina Compostellæ, 4 Julii 1615, in resp. ad primum dubium. (10. Et determinata ac stabilita cum Episcopo certa hora officii, si dato ultimo signo campanæ, non veniat Episcopus, possunt Canonici inchoare officium, etiam non exspectato Episcopo. Eadem Congreg. in dicta Placentina in resp. ad quintum dubium, et in Salamantina, 16 Julii 1605. (11. Si Episcopus post inchoatum officium ad Ecclesiam descendat, tunc satis erit, si quatuor vel quinque Canonici obviam eant, et major pars Canonicorum in choro remaneat. Eadem Sac. Congregat. in d. Placentina in resp. ad primum dubium. (12. Vel saltem duo ex Canonicis tenentur ex choro discedere, et obviam ire Episcopo porrigentes aspersorium, ut eadem Sacr. Congreg. censuit in Lunen. Sarzanen., 3 Martii 1633, his verbis Sac. Congr. Rit. censuit, « quod Episcopo venienti ad Ecclesiam, dum in choro a Canonicis recitantur horæ canonicæ, saltem duo ex Canonicis teneantur a choro discedere, et obviam ire porrigentes aspersorium. » (13. Et idem si Episcopus venit eo tempore quo post decantatum Evangelium concio inchoatur. Eadem Sacra Congregatio in dicta Placent. in respons. ad secundum dubium. (14. Quod si finita concione, velit domum redire, nec pariter Canonici omnes debent deserere Missam, sed tantum tres vel quatuor Episcopum usque ad portam comitentur, et statim redeant. Eadem Cong. in dicta Placentina in respons. ad tertium dubium. (15. Sed si post finitam Missam velit discedere, nec exspectare quod hora sexta recitetur, quæ de consuetudine Ecclesiæ immediate finita Missa cantari solet, Canonici omnes saltem usque ad portam Ecclesiæ comitentur. Eadem Sac. Congr. in Placentina in resp. ad quartum dubium. (16. Si vero discedat persolutis divinis officiis, tenentur illum associare usque extra portam Ecclesiæ, vel usque ad primum atrium domus Episcopi, quando domus est contigua Ecclesiæ. Eadem Sac. Congreg. in dicta Placentina in resp. ad sextum dubium; et in Pisaurien., 13 Septemb. 1646. (17. Episcopum associare, uti supra, tenentur etiam dignitates, licet Cæremoniale tantum Canonicos exprimat. S. C. R. in Perusina, 21 Aug. 1601.

(18. Canonici et dignitates non tenentur associare et reassociare Episcopum toties quoties accedit ad Ecclesiam et ab illa recedit, sed solum in solemnioribus diebus, quibus cum cappa ad celebrandum aut ad assistendum divinis officiis, vel ad pontificalia exercenda accedit. S. R. Congr. in Perusina, 26 Novembr. 1611, et in dicta Placentina in resp. ad primum dubium. (19. In cæteris vero diebus quibus Episcopus private sine cappa, vel ex alia causa ad Ecclesiam accedere voluerit, non tenentur, nisi ex voluntate et urbanitate hæc obsequia ei præstare, et satis est, si aliqui ex Canonicis et dignitatibus ad ostium Ecclesiæ accurrant, cui dignior aspersorium cum aqua benedicta ministrare debet, et abeuntem similiter usque ad ostium comitentur. Eadem Sacra Rituum Congregatio in dicta Perusina, 20 Decembr. 1601; Brundusina, 2 Mart. 1603; Asculana, 16 Decembr. 1606; Ripana, 24 Octob. 1609; Sarzanen., 12 Mart. 1618; Tarvisina, 19 Januar. 1619; Sarnens., 30 Mart. 1619; Limana in Indiis, 29 Maii 1621. (20. Si autem exstet consuetudo quod Canonici soleant associare Episcopum a cubiculo, seu a camera deputata, quoties cum cappa accedit ad Ecclesiam ut celebret, et divinis officiis assistat etiam in Dominicis diebus, et aliis festivitatibus per annum, talis consuetudo servanda est. Sacra Congregat. Rit. in Ripana, 30 Januarii 1610. (21. Imo Cano-

Digitized by Google

nici tenentur Episcopum associare et reducere, etiamsi cappa non utatur, quando pro loci aut provinciæ consuetudine, aut alias, cappa uti non solet, aut ejus loco alium habitum ferre solet. Sac. Congreg. Rituum in Elboren., 8 Martii 1600. (22. Canonici omnes non tenentur associare Episcopum ab eo altari in quo Missam planam celebravit, ad sedem episcopalem, si voluerit Missæ conventuali assistere. Sacr. Congreg. in Tifernaten., 15 Julii 1603. (23. Canonici non tenentur, nisi ex urbanitate, associare Episcopum venientem ad cameram capitularem. Sacr. Congreg. Rituum in Salamant., 16 Jul. 1605. (24. Canonici et dignitates associantes per civitatem eorum Episcopum Cardinalem non collegialiter, nec cum habitu canonicali, debent illum anteire, non autem sequi. Sac. Congreg. Rit. in Patavin., 4 Julii 1626. (25. Canonici omnes non tenentur ire obviam Episcopo Suffraganeo venienti ad Ecclesiam, ad celebrandum nomine Episcopi proprii usque ad cubiculum, sicuti tenentur ire obviam Episcopo proprio, sed satis est ut Suffraganeo aliqui Canonici obviam procedant usque ad portam Ecclesiæ. Sac. Congreg. Rit. in Bracharen., 1 Septembris 1607. (26. Si Suffraganeus de licentia Episcopi deferat cappam, tenentur duo Canonici ire usque ad ostium Ecclesiæ, et dignior porrigat ei aspersorium, quo Suffraganeus seipsum tantum aspergat, et pariter eum associent in reditu usque ad eumdem locum. Sacra Congregatio Rituum in Veliterna, 6 Sept. 1698, in respons. ad primum dubium.

(27. Assistentia a Canonicis et dignitatibus debita Episcopo facienda est secundum Cæremoniale Roman. S. Cong. Rituum in una Visen., 31 Junii 1605; in una Alexandrina, 15 Martii 1607; et in Mexicana, 4 Aprilis 1620. (28. Et hujus Cæremonialis dispositionem tenetur Episcopus omnino observari facere in cathedralibus et in aliis Ecclesiis suæ diœcesis. Eadem Sac. Congreg. in Angrens., 15 Decemb. 1632. (29. Nisi tamen adsit laudabilis et immemorabilis consuetudo in contrarium, ut in Salernita, 16 Julii 1605. (30. Quia Cæremoniale non tollit immemorabiles et laudabiles consuetudines, sed abusus. Eadem Sacra Congregatio in Salamantina, 20 Jan. 1604; Cæsaraugustana, 10 April. 1604; Mantuana, 19 Junii 1604; Tornacensi, 26 Januarii 1612; Brundusina, 17 Septemb. 1623; Forolivien., 4 April. 1615; Hydruntina, 30 Januarii 1616. (31. Unde Canonici, dignitates et portionarii tenentur assistere Episcopo solemniter celebranti, aut alia pontificalia exercenti. Conc. Trident., sess. 24 de Reformat., cap. 12, vers. *et Episcopo celebranti.* (32. Et sic Episcopo celebranti assistere tenentur prima dignitas et duæ aliæ dignitates, vel Canonici præter Diaconum et Subdiaconum Ministros qui cantant Evangelium et Epistolam. Sac. Congr. Rit. in una Lucensi de anno 1609. (33. Assistere enim Episcopo debent digniores et honoratiores. Ead. Sac. Congr. Rit. in Calaguritana, 1 Julii 1601. (34. Et per hoc a prima dignitate seu digniore in ordine sacerdotali constituto, assistentia cum pluviali Episcopo celebranti facienda est. Eadem sacra Congregatio in Reatina, 10 Januarii 1609, et in Vercellensi, 7 Augusti 1610. (35. Et talis prima dignitas seu dignior, in casu quo recuset sic Episcopo assistere, cogendus est pœnis et censuris Ecclesiasticis. Eadem Sacra Congregatio in d. Reatina, 10 Januarii 1609, et 28 Maii 1616. (36. Prima dignitas debet assistere Episcopo celebranti, licet sit unica, et ad assistendum potest cogi sub eisdem pœnis et censuris. Eadem Sac. Congreg. in Calagurtana, 2 Decemb. 1620. (37. Archidiaconus non potest assistere Episcopo in habitu prælatitio non chorali, licet sit protonotarius. Eadem Congregat., 6 Martii 1610. (38. Consuetudo, ut dignitates et Canonici mitram, gremiale, et thuribulum, ac simile ministrent Episcopo, servanda est. Eadem Sac. Congreg. in Lamac., 5 Julii 1603. (39. Assistentia duorum Canonicorum semper convenit Episcopo loci ordinario tantum, sive celebret, sive Divinis assistat, maxime quando est paratus. Eadem Congregat. in Æsina, 30 Augusti 1602; in Saonen., 21 Aug. 1604; in Granat., 10 Maii 1608; et in Cæsaraugustana, 9 Maii 1696. (40. Et hi duo Canonici assistentes debent eligi ex numero Diaconorum, quando præbendæ sunt distinctæ. Eadem Sac. Congreg. in Nolana, 13 Maii 1603, et in Placentina Provinciæ Compostellanæ, 15 Maii 1607, in resp. ad 7 dub. (41. Canonici duo Diaconi assistentes, et non presbyter assistens debet elevare fimbrias pluvialis hinc inde, dum Episcopus progreditur et thurificat altare. Ead. Cong. in d. Placent. in resp. ad 7 dub. (42. Canonici iidem assistere debent Episcopo, quando facit ordinationes, tam si faciat cum Missa solemni quam si faciat cum Missa privata. Eadem Sac. Congregat. in d. Placentina in resp. ad 2 dubium. (43. Canonici Diaconi non debent hinc inde assistere Episcopo, dum is accedit ad Ecclesiam, nisi quando est paratus cum pluviali et mitra. Eadem Sac. Congreg. in Æsina, 2 Augusti 1602. (44. Canonici, qui assistunt Episcopo cum cappa, non tenentur ei ponere et deponere birretum, sicut tenentur ei ponere et deponere mitram, sed debet Episcopus sibi de per se extrahere. Ead. Sacr. Congr. in Sarnen., 21 Aug. 1604; in Lauden., 4 April. 1602; in Thelesina, 22 Decembr. 1629, et in Isernien., 21 Aug. 1632.

(45. Canonici tenentur, et cogi possunt ab Episcopo ut sibi ministrent et inserviant non modo in cathedrali, verum etiam in quibuscunque civitatis Ecclesiis, ad quas ad publicas vel solemnes episcopales functiones exercendas Episcopum ire contigerit; non tamen extra civitatem. Eadem Sacra Congregatio in Tifernaten., 5 Julii 1603; in Salamantina, 10 Januarii 1604; in Granaten., 9 Maii 1606; in Elboren., 7 Julii 1612. (46. Dummodo in cathedrali numerus sufficiens Canonicorum et Ministrorum remaneat, et officium et servitium chori non deseratur. Eadem Sacra Congregatio in Lamacen.,

Digitized by Google

17 Martii 1607, et in Elboren., 7 Julii 1612. (47. Non tamen possunt Canonici cogi ad assistendum Episcopo, si accesserit ad alias Ecclesias ad celebrandum private. Eadem Sacra Congregatio in Tifernaten., 5 Julii 1603. (48. Imo neque tenentur Canonici Episcopo assistere Missam private celebranti in ipsa cathedrali, ut decisum fuisse a Sacra Congregatione refert Scipio de Rubeis in Aphorism Episcop., verb. *Assistentia*, num. 2; Barbosa *de Canon.*, cap. 33, num. 12. (49. Et quatenus Episcopo in Missis privatis inserviant, non gaudent distributionibus, ut censuit Sacra Congregatio Concilii sub die 17 Maii 1618. (50. Si tamen ex consuetudine Ecclesiæ assistere tenerentur, talis consuetudo esset observanda, et Canonici assistentes non amitterent distributiones quotidianas, ut censuit Sacra Rit. Congregatio in Lamacensi, 25 April. 1608. (51. Canonici cathedralis, si adsint, debent inservire Episcopo pontificalia exercenti extra cathedralem, et non alii inferiores; cum enim pro parte capituli cathedralis Isernien. narratum fuisset, Episcopum exercentem pontificalia extra cathedralem adhibere inservientes presbyteros simplices, neglectis Canonicis cathedralis, et petitum declarari an conveniat, eadem Sacra Rituum Congregat., sub die 2 Augusti 1631, respondit, « non convenire, sed Canonicos cathedralis in casu proposito inservire debere etiam extra cathedralem, et non alios inferiores. » (52. Imo ad dignitates et Canonicos cathedralis, si adsint, pertinet assistere Episcopo pontificaliter celebranti, etiam in Ecclesia collegiata vel parochiali, non autem ad Canonicos collegiatæ, vel presbyteros parochialium, etiamsi numerus alioquin sufficiens sit presbyterorum. Eadem Congregatio Rit. in Calaguritana, 1 Julii 1601; in Bononien., 20 April. 1602, et in Brundusina, 15 Julii 1617. (53. Et hoc procedit etiam quando Episcopus celebrat, aut Missæ seu Vesperis solemnibus quacunque ex causa interest in Ecclesiis exemptis, et Sedi Apostolicæ immediate subjectis intra fines tamen suæ diœcesis existentibus, quia potest ibi sibi assumere suos Canonicos, et ibi habere cum eis circulum ad gloriam, et ad ipsum pertinet confessionem facere cum sacerdote, incensum ponere et benedicere, ac benedictionem post Vesperas, et post Missam dare. Sacra Rit. Congregatio in Alexandrina S. Petri in Borgoglio, 7 Febr. 1604. Vide tamen verb. *Assistentia*, num. 25.

(54. Canonici tenentur assistere Suffraganeo, quando nomine proprii Episcopi functiones episcopales exercet. Eadem Sacra Congregatio Rituum in Bracharen., 21 Februarii 1604. (55. Eadem enim obsequia præstanda sunt Episcopo delegato, quæ præstari debent deleganti. Eadem Sacra Congregatio in dict. Bracharen., 20 Martii 1604. (56. Canonicorum duorum assistentiam habere non debet Episcopus Suffraganeus ultra Diaconum et Subdiaconum, qui sunt cantaturi Evangelium et Epistolam, sicut haberet proprius Episcopus. Sacra Congregatio Rituum in Bracharen., 1 Septembris 1607.

(57. Si tamen consuetudo antiqua id permitteret, esset observanda, ut Suffraganeus haberet assistentiam aliorum duorum Canonicorum præter Diaconum et Subdiaconum. Eadem Sacra Congregatio in Tarraconen., 7 Julii 1612. (58. Canonici et dignitates omnes non debent assistere parati, quando Episcopus Suffraganeus solemniter celebrat, sed in habitu ordinario, sicut et quando facit ordinationes, consecrationes, et alias similes functiones pro Ordinario, quo casu illi tantum debent accipere paramenta, qui sunt necessarii in ministerio. Eadem Sacra Congregatio in Bracharen., 1 Septemb. 1607. (59. Canonici Diaconi assistentes non tenentur, imo non debent inservire Archiepiscopo de bugia, seu candela, sed ea administranda est per capellanum, et non possunt cogi Canonici ad inserviendum Archiepiscopo in Missis privatis præter consuetudinem. Eadem Sac. Congr. in Ragusina, 16 Martii 1659. (60. Canonici autem, seu dignitates, qui assistunt, juxta consuetudinem Ecclesiæ, Archiepiscopo vel Episcopo privatim celebranti in Ecclesia cathedrali, non amittunt distributiones quotidianas. Eadem Sacra Congregatio in Lamacen., 8 April. 1607. (61. Canonici enim et dignitates, dum sunt in debita assistentia apud Episcopum, intelliguntur præsentes in choro, tam in Ecclesia cathedrali, quam in alia Ecclesia. Eadem Sacra Congregatio in Cameracen., 15 Martii 1608.

(62. Circa assistentiam faciendam a Canonicis Episcopo conciones habenti, fuerunt resoluta varia dubia a particulari congregatione deputata a Clemente XI, de anno 1708, in Casalensi, ut tom. III Comment. ad Constit. 1. Nicolai III, n. 18, refert eminentissimus Petra, qui fuit secretarius talis specialis Congregationis, ut fatetur ipse ad Constitut. 1 Urbani IV, num. 16. Dubia igitur et resolutiones, sunt ut sequitur: « Vigesimo septimo: An et qualis assistentia debeatur per Canonicos Episcopo concionanti, tam in Missis solemnibus quam extra, et tam in Sede Episcopali quam in Ambone, tam cum pluviali quam cum mozetta et cappa magna. Vigesimo octavo: An et quibus casibus prædictis liceat Episcopo dare solemnem benedictionem prævia solemni confessione. Die 1 Aprilis 1708, censuit ad vigesimum septimum, Episcopo concionante pontificaliter intra Missarum solemnia servandum concilium provinciale: concionante verum cum mozetta, seu cappa, servandum decretum S. Congreg. Rituum, die 19 Decembr. 1643, tenoris videlicet. *Dubium*: Quæsitum fuit, an Episcopo prædicanti in Ecclesia cathedrali in Ambone, ubi prædicatores ordinarii prædicare consueverunt sine baldachino, et in habitu mozettæ et stolæ debeatur assistentia a Canonicis et dignitatibus? Sacra Congregatio respondit: In casu proposito assistentiam non deberi ei, nisi quando cum pluviali et mitra ad præscriptum Cæremonialis Episcoporum voluerit prædicare. Ad vigesimum octavum censuit: In casu quo Episcopus concionatur pontificaliter inter

Digitized by Google

Missarum solemnia, servandum esse Cæremoniale, et in reliquis ex deductis negative; et proposito die 16 Maii dicti anni eodem dubio vigesimo septimo: An sit standum, vel recedendum a decisis? censuit quoad primam et secundam partem in decisis, quoad tertiam concionante Episcopo cum cappa et stola servandum rursus esse concilium provinciale, concionante vero cum mozetta, servandam esse resolutionem Sacræ Congregationis Rituum. »

ADDITIONES AUCTORIS.

(63. Pro intelligentia assistentiæ debitæ Episcopo attendenda est resolutio data ad sequentia dubia a Sacra Congregatione Concil. in Licien., die 17 Augusti 1641, ibi. Primo: An decretum Sacri Concilii cap. 12, sess. 24, de Reformatione, locum habeat, dum Episcopus in sua Ecclesia cathedrali assistit cum cappa Missæ, et divinis officiis diebus Dominicis et festivis, etiam non solemnibus, et in diebus ferialibus Quadragesimæ?

Secundo, an locum habeat, quando Episcopus in aliis Ecclesiis sibi subjectis, in civitate existentibus, pontificaliter celebrat, vel paratus assistit cum pluviali et mitra, aut cum cappa divinis officiis, et Missæ solemni, vel alia pontificalia exercet, tam occasione alicujus sancti, qui in ipsis Ecclesiis solemnizatur, quam alia occasione, si numerus sufficiens Canonicorum, et ministrorum in Ecclesia cathedrali remaneat?

Tertio, an habeat locum, cum Episcopus cum cappa in Ecclesia cathedrali assistit concioni quæ solita est haberi post Missam conventualem diebus Quadragesimæ, et etiam aliis intra annum?

Quarto, an similiter habeat locum, quando Episcopus intervenit cum cappa concioni quæ habetur in aliis Ecclesiis civitatis etiam exemptis diebus festivis, vel ferialibus Quadragesimæ, et intra annum; aut si saltem duo ex iis compelli possint ad sibi asssistendum hinc inde a sua Sede, et si isti duo debeant esse digniores, dummodo non sint legitime impediti, seu illi qui solent assistere in Ecclesia cathedrali, vel omnes per turnum alternis vicibus?

Sacra etc., ad primum respondit: Decretum Sacri Concilii cap. 12, vers. *Omnes vero*, sess. 24, habere locum.

Ad secundum et tertium, itidem habere locum.

Ad quartum respondit, locum non habere.

(64. Fas est Episcopo servitiis suis adjungere saltem geminos Canonicos cathedralis, seu etiam collegiatarum, attamen non potest seligere Canonicum, seu dignitatem, neque etiam Coadjutorem. Ita ex pluribus decretis Sacræ Congregationis, et Bened. XIV, Institut. Eccl. 107, § 57.

(65. Ex lege Concilii Trident. sess. 24, cap. 12, possunt cogi Canonici *Episcopo celebranti vel alia pontificalia exercenti assistere et inservire*. Porro ex decretis Sacræ Congregationis dicimus Episcopo in cathedrali celebranti in pontificalibus inservire teneri omnes, iis exceptis, qui legitimis vacationibus absunt. Tenentur vero etiam præstare illi munus Subdiaconi, quod verum est etiamsi Episcopus celebrat, seu ordines ministret extra cathedralem, intra diœcesim et suburbia, tenentur enim etiam tunc præstare munus Diaconi, Subdiaconi, presbyteri assistentis et illorum Canonicorum qui Episcopo ordines ministranti cum Archidiacono adsunt. Ita ex pluribus decretis Sac. Congr., ib. § 60.

(66. Porro hæc assistentia locum habet etiam cum Episcopus in sua cathedrali præsens est Missæ, et divinis officiis diebus Dominicis et festis etiam non solemnibus, et in diebus ferialibus Quadragesimæ. Quod verum est etiam quando Episcopus in aliis Ecclesiis civitatis pontificaliter celebrat, vel paratus assistit cum pluviali et mitra, aut cum cappa divinis officiis, et Missæ solemni, aut alia pontificalia exercet, si tamen numerus sufficiens Canonicorum et ministrorum in Ecclesia cathedrali remaneat. Hæc valent etiam dum Episcopus in cathedrali adest concioni diebus Quadragesimæ et aliis intra annum, non vero si cum capa assistit concioni quæ habetur in aliis Ecclesiis civitatis, etiam exemptis. Ibid.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(67. Ad plenam cognitionem materiæ, de qua agit hoc in articulo, auctor valde conducit referre dubia in Sacra Congregatione Rituum proposita ad instantiam Archiepiscopi, tum capituli Hispalensis, resolutionesque ab ea datas, quas non Urbanus VIII, ut per errorem asseruit Scarfantonius ad Ceccoper. animadvers. ad lib. IV, tit. 7, num. 26, sed Clemens VIII confirmavit die 17 Junii 1592.

Primum dubium est: « An, quando Archiepiscopus solemniter celebrat, vel alia pontificalia munia exercet, compellere possit dignitates, canonicos, et universum capitulum Ecclesiæ metropolitanæ, ut sibi assistant? »

Secundum: « Quod sic, quonam ritu, et a quibus interveniendum erit? »

Tertium: « An, quando contigerit ut Missa per eumdem Archiepiscopum solemniter celebranda, vel aliæ functiones pontificales sint exercendæ extra metropolitanam in alia Ecclesia ejusdem civitatis, vel suburbiorum, possit similiter compellere complures, ut sibi inserviant et assistant, etiamsi ipsa Ecclesia esset collegiata, et in ea dignitates et Canonici existerent? »

Quartum: « An dignitates, Canonici, capitulum teneantur Archiepiscopum accedentem ad Ecclesiam diebus festis cappa indutum comitari, et ex quo loco? »

Quintum: « An etiam in reditu debeant eum reducere, et ad quem locum? »

Sextum: « An si privatim ad Ecclesiam venerit, sit ei obviam eundum, rediens sit reducendus, et quomodo? »

Septimum: « An decens sit Archiepiscopum cum cappa incedentem, unam, aut duas dignitates ad latus suum admittere? »

Octavum: « An Archiepiscopo in Ecclesiam intranti prima ex cæteris præstantior dignitas debeat offerre aspersorium? »

Digitized by Google

Nonum : « An primam et præstantiorem dignitatem in ordine sacerdotali obtinens teneatur pluviali indutus assistere, et servire de libro Archiepiscopo solemniter celebranti, sive alias pontificales functiones exercenti ? »

Decimum : « Quinam diaconali habitu induti debeant assistere, elevare fimbrias, imponere et deponere mitram, et qui Evangelium et Epistolam cantare teneantur, et debeant ? »

Ad primum et secundum respondit Sac. Congr., « posse Archiepisc. de decreto S. Concil. Trid. c. 12, sess. 24, de Reformat., supradictos compellere ut sibi assistant et inserviant. Modus autem assistendi et inserviendi is esse debet quem regulæ Pontificalis Romani præscribunt. »

Ad tertium, « licere Archiepiscopo eosdem compellere, quoties ad alias ejusdem civitatis et suburbiorum Ecclesias accedit ad aliquod speciale munus exercendum. Verum cum honoris et servitii sui causa voluerit ab Ecclesia metropolitana dignitates, Canonicos, aliosque capitulares extrahere, qui sibi solemnitér celebranti, vel pontificalia exercenti assistant et inserviant, curet, ut par est, ne ipsa Ecclesia metropolitana ministris omnibus destituatur, debitoque cultu et officio defraudetur. Accedens vero ad Ecclesias in quibus aliæ sint dignitates et Canonici, curet quoque Dom. Archiepiscopus pro sua prudentia, ut omnes confusionis, et perturbationum occasiones removeantur, et suas dignitates et Canonicos Ecclesiæ metropolitanæ debere omnino præcedere dignitates et Canonicos Ecclesiæ collegiatæ. »

Ad quartum, quintum et sextum. « Dignitates, Canonicos, et capitulum debere ad cubiculum accedere, ubi Archiepiscopus induitur cappa, et eum ad Ecclesiam venientem debito cum honore comitentur. In reditu debere etiam saltem usque ad ostium domus ipsum Archiepiscopum associare. Eo vero veniente sine cappa, nonnullos ex dignitatibus et Canonicis ad ostium Ecclesiæ, et in reditu similiter usque ad ostium Ecclesiæ, ipsum comitari debere. »

Ad septimum, « Archiepiscopum cum pontificali cappa incedentem, neminem arrogare sibi debere, ut se non vocatum ad ejus latus adjungat. Ipsum vero Archiepiscopum pro sua dignitate magis decere, ut solus incedat, quam ut ullas dignitates et Canonicos, qui sua membra et subditi sunt, ad latus suum habeat. »

Ad octavum, « debere primam dignitatem aspersorium Archiepiscopo offerre, eaque legitime impedita, illud ipsum munus subire debere aliam dignitatem aut personam quæ dignior ex capitulo aderit. At in alia collegiata Ecclesia aspersorium esse porrigendum a præposito ejusdem Ecclesiæ, vel, quocunque nomine nuncupetur, ab illo qui in illa digniorem personam gerit, ut tam Ecclesiæ quam personæ porrigenti ea ratione honor tribuatur. »

Ad nonum, « obtinentem primam dignitatem in ordine presbyterali pluviali indutum fungi debere assistentis munere, qui de libro serviat, naviculam Archiepiscopo in throno assistenti porrigat, eumdemque ibi thurificet. Eo vero legitime impedito, digniorem de capitulo in ordine etiam presbyterali præsentem, et legitime non impeditum, debere in ejus locum succedere. »

Ad decimum, « Assistendi munus ad Archiepiscopi latera, fimbrias elevandi, imponendi et deponendi mitram, aliaque in pontificali descripta agendi, pertinere ad Archidiaconum et antiquiorem Diaconum, Canonicos ambos dalmaticis indutos. Quod si Canonicus Diaconus nullus aderit, ultimum presbyterum Canonicum in diaconali tamen habitu succedere debere, qui stabit a sinistris Archiepiscopi, et Archidiaconus a dextris, licet ipse Archidiaconus ordine tantum diaconali fuerit initiatus. Epistolam vero et Evangelium cantare debere duos Canonicos ex ordine diaconali et subdiaconali, modo in eadem Ecclesia sint distincti inter Canonicos hujusmodi ordines, alioquin duo ex ordine presbyterali illud munus, per turnum singulos cujuscunque ordinis, peragere debere. Diaconum autem Evangelii Archiepiscopo ad altare existenti naviculam ministrare, et eum ibi thurificare debere. Et ita observandum contraria consuetudine non obstante. »

Insuper eadem S. Congr. nonnullas circa prædictas resolutiones fecit declarationes, videlicet :

Primo : « Archiepiscopum ad Ecclesiam cum cappa pontificali accessurum, ut solemniter celebret, vel ut assistat divinis officiis, concioni, aut processioni, vel ut aliud quidquam ex pontificalibus exerceat, curare debere ut capitulo congruo tempore intimetur hora ejus accessus ad Ecclesiam, ad hoc ut ipsum capitulum commode ejus occursui se accingere possit. Archiepiscopus vero convenientem et congruam horam eligat, v. g. si Missam solemnem in aliquo die festo sit celebraturus, tunc post Primam in choro finitam, antequam Tertia inchoetur, ad Ecclesiam accedere poterit. Quo casu dignitates, Canonici, cæterique capitulares, statim post Primam completam, facto modico intervallo, prodire obviam debent Archiepiscopo ad ejus cubiculum ; eumdemque ad Ecclesiam venientem deducere, quemadmodum ipsa Sac. Congreg. faciendum esse respondit. Cumque Archiepiscopus in Ecclesiam venerit, Tertia suo tempore inchoanda erit juxta præscriptum Cæremonialis Romani. Idque omnino faciendum est, non obstante quacunque consuetudine. Cum enim pastor teneatur ad suam Ecclesiam accedere, ut ex ejus præsentia divinus cultus augmentum, Ecclesiaque ipsa splendorem et decorem non modicum recipiat, non est ei præbenda occasio, vel non accedendi, ex quo debita cum decentia id facere nequeat, vel indecenter accedendi. »

Secundo : « Quod, quando Archiepiscopus, finita Missa, vel aliqua alia hora Canonica, est ab Ecclesia discessurus, tantisper ces-

Digitized by Google

sandum est a reliquis horis decantandis, quousque capitulares abeuntem Archiepiscopum reducere possint, ut in omnibus congrua obedientia prælato et Deo debitum obsequium reddatur. »

Tertio : « Quod si interdum contingat, quod Archiepiscopus, vel processione, vel aliqua hora Canonica nondum finita, abire compellatur ob aliquam sui necessitatem, tunc opus non erit ut omnes capitulares cum eo discedant, sed sat erit, si quatuor de capitulo eum domum reducant, ita ut processioni, vel divinis officiis impedimentum, aut perturbationis occasio non præbeatur, quamvis hæc, quæ perraro eveniunt, minime consideranda sint. »

Quarto : « Ad evitandas perturbationes et confusiones in diebus quibus Archiepiscopus divinis officiis est interfuturus, campana aliquanto citius pulsetur, ut tempore rebus agendis consideratis, cuncta rectius fiant, et horis congruis expleantur. »

Quinto : « Quod Archiepiscopo accedente ad chorum cum cappa pontificali, capitulares eum associantes eumdem habitum gestare debeant, quem in ipso choro deferre solent. »

Sexto : « Omnes dignitates, omnesque capitulares qui ad chorum vadunt, teneri omnino Archiepiscopum associare. Qui autem legitimo impedimento detenti dicantur, dispositioni juris communis relinquitur. »

Septimo : « Tunc dici Archiepiscopum privatim ad Ecclesiam accedere, cum sine cappa pontificali accedit. »

Octavo : « Nullam dignitatem, Canonicum, aliamve personam propria auctoritate, vel vigore cujusvis consuetudinis ad latus Archiepiscopi cappa, vel sacris vestibus induti, accedere debere, nisi ipse ex sua humanitate aliquem vocare velit. »

Nono : « Cum prima dignitas Archiepiscopo Ecclesiam introeunti aspersorium porrigere teneatur, ut supra dictum fuit, ipsa prima dignitas, si legitimo aliquo impedimento detenta sit, huic muneri supplere debet prima dignitas ex iis omnibus quæ in Ecclesia sunt præsentes. Legitimi autem impedimenti causa non censetur quod aliquis in choro sit occupatus, nisi sacris vestibus ad Missam majorem celebrandam sit indutus. »

Decimo : « Debere quemlibet capellanum, vel portionarium Ecclesiæ ad id deputatum Archiepiscopo librum manibus sustinere ; primam vero dignitatem debere ad dexteram Archiepiscopi celebrantis parumper caput supponere ad librum, quem capellanus, vel portionarius manibus sustinet, dum in sede eminenti intonat ipse Archiepiscopus hymnum *Gloria in excelsis*, cantat orationem, *Credo*, *et Dominus vobiscum* ad Offertorium. Sed quando Archiepiscopus legit Epistolam, Graduale, et Evangelium, prima dignitas nil aliud agens stabit loco suo erecta, digito autem indicare debebit legenda in libro, quando Archiepiscopus est ad altare ; neque dedignari debet prima dignitas quod his muneribus fungatur, cum maxima honorifica sint, et eadem omnino faciat prior Episcopus Cardinalium, dum assistit Summo Pontifici celebranti. »

Undecimo : « Primæ dignitatis assistentis propriam sedem esse scabellum ligneum, quod tamen permittitur depinctum, vel aliqua pulchra forma fabricatum, dummodo sit nudum, nullo scilicet panno vel alia re coopertum, in plano solii ad partem dexteram Archiepiscopi præparatum, atque eo loco et ordine situm, ut prima dignitas assistens ad altare et ad faciem Archiepiscopi respicere possit, qui locus dignior reputatur locis Diaconorum ministrantium. »

Duodecimo : « Cum Archiepiscopus solam concionem auditurus ad Ecclesiam accedit, etiamsi cappa pontificali indutus eam concionem auditurus sit, non omnes capitulares, sed aliqui duntaxat, videlicet saltem duo ex dignitatibus, et sex ad minus ex Canonicis, Archiepiscopum venientem ad ostium Ecclesiæ recipere, atque ad eumdem usque locum abeuntem reducere debent. »

(68. De obsequiis vero debitis Episcopo Suffraganeo, vel Coadjutori ad Ecclesiam accedenti, vide Scarfanton. ad Ceccoper. lib. II, tit. II, fere per tot.

ARTICULUS VII.

Canonici quoad præcedentiam et præeminentiam.

(1. Canonicus Ecclesiæ collegiatæ urbis Romæ dignior est Canonico cathedralis alterius civitatis, etiamsi cathedralis capitulum sit exemptum. Sic declaravit Sac. Cong. Conc. super cap. 12. sess. 24, de Reformat., ut refert Monacell., tom. I, tit. 2. formul. 15. num., et Zerola in Praxi Episcop., part. 2. verb. *Canonici* § 4, ubi etiam refert, ita in facto fuisse responsum ab eadem Sac. Congr. de mente Summi Pontificis Episcopo Rossanensi. (2. Canonici cathedralis in omnibus, et per omnia sunt præferendi Magistratui sæculari, quando non est de perpetuis, et majoribus, et concionator debet ipsos prius salutare quam magistratum. Sacra Congreg. Rituum in Tirason., 3 Oct. 1605, et in Capuana, ubi sequentia dubia fuerunt proposita et resoluta. *Primo :* « An capitulo Ecclesiæ metropolitanæ debeatur præcedentia super magistratum sæcularem ejusdem civitatis in omnibus functionibus ecclesiasticis ? » *Secundo :* « An concionator debeat salutare prius capitulum, vel magistratum ? » *Tertio :* « An absente Archiepiscopo magistratus debeat salutari cum titulo Illustrissimi, et Capitulum cum titulo Reverendissimi ? » Sacra Congregatio Rituum, 23 Januarii 1700, respondit : « Ad primum deberi ; Ad secundum *affirmative ;* Ad tertium *negative* in casu proposito. » Et in alia Vercellensi 11 Augusti 1691, declaravit quod concionator debet prius salutare Canonicos quam gubernatorem civitatis. (3. Canonici cathedralis thurificandi sunt ante magistratum, tam in Ecclesia cathedrali quam in aliis, in quibus simul convenerint, ubi talis est consuetudo, Sacra Congreg. Rituum in Narnien.,

Digitized by Google

16 Jun. 1603. (4. Canonici cathedralis extra Ecclesiam nullam habent jurisdictionem incedentes uti singuli, ideo cedere debent habentibus jurisdictionem et civitatem repræsentantibus, præsertim si de consuetudine in contrarium non constaret. Sacra Congreg. Rit. in Veronen., 15 Martii 1594. (5. Canonici cathedralis omnibus aliis Canonicis præcedunt; cap. *Statuimus*, *de Majoritate et obedientia*. Cathedralis enim Ecclesia collegiatam vincit honore, et superat dignitate; c. *Venerabili* in fine, ubi Gloss. de verb. significatione, cap. *Cum Canonicis de Cens.* Rota in Cæsaraugustana Synodi, 13 Februar. 1626, coram Coccino. (6. Adeoque Canonici cathedralis in omnibus functionibus præferendi sunt Canonicis collegiatæ, non obstante consuetudine in contrarium. Sac. Congr. Rit. in Tusculanen., 19 August. 1619. (7. Etiam in omnibus actibus in propria collegiata exercendis. Eadem Sac. Congr. in una Fundan., 2 oct. 1597. (8. Imo Canonici cathedralis præcedunt Canonicis collegiatæ etiam in associandis funeribus defunctorum propriæ ipsius collegiatæ Parochiæ. Ead. Sac. Congr. Rituum in Prænestina Cavarum, 18 Augusti 1618. (9. Sed quoad funera, et præcedentiam Canonicis debitam in ipsis, melius in articulo sequenti.

(10. Canonici cathedralis et collegiatæ, et alii clerici sæculares, semper præcedere debent regularibus, etiam in ipsorum regularium Ecclesiis. Eadem Sac. Congr. Rit. in Tullen., 12 Mart. 1616, et in Firmana Terræ Victoriæ, 31 Mart. 1618; et sic statuerat Clemens VIII, in sua *Constit.* incip. *Decet Romanum Pontificem*, sub die 20 Februar. 1601, et in alia incip. *Quæ ad removendum*, sub die 5 Novembr. 1603, quas Clementis VIII Constitutiones observari mandat Gregorius XV, in sua *Constitutione* incip. *Alias a felicis*, sub die 13 Augusti 1622. Et de jure etiam communi Clerici sæculares præcedere debent regularibus, ut colligitur ex cap. *Alia causa* 6, et cap. *Legi Epistolam* 36, q. 1, cons. 16. (11. Canonici et presbyteri Ecclesiæ cathedralis debent præcedere omnibus curatis parochialium Ecclesiarum in omnibus processionibus et functionibus, etiam in propriis ipsorum curatorum Ecclesiis Sac. Cong. Rit. in Pisaur., 23 Maii 1603, et in Sutrina, 2 Augusti 1603. (12. Etiamsi curati sint cotta et stola induti. Ead. Sac. Congr. Rituum in Ripana, 30 Julii 1616, et in Viterbien., 25 Julii 1611. (13. Canonici cathedralis si ob intemperiem aeris resideant in alia Ecclesia, rector illius debet sedere post Canonicos supra mansionarios et reliquos presbyteros, et si fuerit protonotarius, præcedit Canonicis ut singulis, non autem capitulariter. Sac. Rit. Cong. in Concordien., 16 Maii 1601. (14. Canonicis cathedralis in Ecclesia parochiali dignior locus debetur immediate post Episcopum, et post Canonicos sedere debet rector. Sac. Congr. Rit. in Turritana, 14 Februarii 1632. (15. Canonici collegiatarum Ecclesiarum præcedere debent omnibus rectoribus, curatis, plebanis, ac presbyteris Ecclesiarum parochialium in publicis processionibus et functionibus, etiam synodalibus. Sac. Rit. Congr. in Verulen., 11 Decembr. 1613, et in Senogallien., 23 Mart. 1619, et 4 Aprilis 1620. (16. Etiamsi ante erectionem in collegiatam mistim incederent cum dictis rectoribus. Eadem Sac. Congr. in Syracusana, 20 Decembr. 1601. (17. Vel inferiores Ecclesiæ essent antiquiores, et fuissent in quasi possessione præcedendi ante erectionem. Eadem Sac. Congr. in Illerdensi Præeminentiarum, 26 Junii 1602, ubi subditur « hoc procedere, etiamsi in erectione adsit clausula sine præjudicio alicujus. » (18. Canonici tamen, qui sine cruce suæ Ecclesiæ, et sine interventu capituli tanquam singuli incedunt, non habent præcedentiam supra curatos. Eadem Sac. Congr. in Sutrina, 3 Decembr. 1603. (19. Canonici capitulariter et processionaliter procedentes præferuntur abbatibus benedictis. Eadem Sac. Congreg. in Valven., 8 Julii 1602. (20. Canonicis et dignitatibus extra Ecclesiam præcedere debet prælatus utriusque signaturæ referendarius. Eadem Sac. Congr. Rit in Veronen., 6 Junii et 4 Julii 1626.

(21. Canonicus prius factus debet præcedere aliis post ipsum admissis, etiamsi sint doctores. Sacra Congreg. Rit. in Mediolan., 29 Nov. 1603, et in Panormit., 15 Maii 1610. (22. Et etiam in Congregationibus, et ubique Canonici Ecclesiæ cathedralis, licet non sint doctores, præferendi sunt presbyteris non canonicis, licet sint doctores. Eadem Sacra Congregat. Rit. in una Bituntina, 9 Januar. 1608, in hæc verba : « Cum in Congregationibus quæ fiunt coram Episcopo Bituntino vel vicario generali, pro examine ordinandorum, admittantur nonnulli presbyteri doctoratus gradu insigniti una cum aliquibus Canonicis, quæsitum fuit in Sacra Rituum Congregatione, quis locum digniorem obtinere debeat in sedendo, an presbyter graduatus non Canonicus, vel potius Canonicus non graduatus? » Et Sac. Rit. Congregat. respondit, « Canonicos cathedralis Ecclesiæ, etiam non graduatos, præferendos esse omnibus presbyteris non Canonicis, etiam graduatis. » (23. Canonicus presbyter præcedit Canonico antiquiori non presbytero. Eadem Sacra Congreg. in Cabalicen., 3 Augusti 1617. (24. Canonici vero, quando omnes sunt Presbyteri, præcedunt inter se secundum suam receptionem. Eadem Sacra Congr. in Albanensi, 2 Martii 1602; in Orten., 19 Junii 1604; et in Tropien., 10 decemb. 1619. (25. Ubi autem præbendæ sunt distinctæ, Canonici provisi de canonicatibus presbyteralibus debent præcedere Canonicis provisis de canonicatibus diaconalibus et subdiaconalibus, licet prius in Ecclesia receptis. Eadem S. Cong. Rit. in Saonen., 11 April. et 11 Octobr. 1601; in Neapolitana, 23 Mart. 1602; in Albingan., 6 Septemb. 1603; et in Tropien., 17 Jun. 1607; et deducitur ex c. *Præcipimus* 26, dist. 93, ibi : « Præcipimus ne Diaconus, quamvis etiam in dignitate, hoc est in officio quolibet ecclesiastico sit, ante presbyterum sedeat; » et

Digitized by Google

cap. *Statuimus* 15 de Majoritate et Obedientia, ibi : « Et qui major est ordine, etiamsi postea sit receptus, potiorem esse volumus. » (26. Et hoc procedit etiam non obstante consuetudine immemorabili in contrarium, ut « in Sutrina pro collegiata Ecclesia Bracciani, inhærendo decreto Ecclesiæ collegiatæ Sanctæ Mariæ ad Martyres de urbe alias emanato, 29 Martii et 27 Septembr. 1659, in qua fel. rec. Alexander Papa VII, in Congreg. ordinaria coram eodem habita » decrevit Canonicos sacerdotes, quamvis possessione canonicatus posteriores, ubi præbendæ non sunt distinctæ, semper et ubique præferendos esse Canonicis inferioris ordinis, etiam possessione canonicatus anterioribus, non obstante immemorabili consuetudine, quam abusum impræscriptibilem declaravit die 30 Julii 1689, et idem prius declaraverat in Farfen. pro collegiata S. Mariæ Terræ Toffia, 15 Septembris 1668.

(27. Canonici ordinis diaconalis in minoribus, vel diaconali ordine constituti, ubi præbendæ sunt distinctæ, præcedere debent Canonicis ordinis subdiaconalis, quamvis presbyteris. Cum enim in Æsina, 31 Maii 1670, quæsitum fuisset an Canonici ordinis diaconalis in minoribus, vel in sacro diaconatus ordine tantum constituti, debeant præcedere Canonicis ordinis subdiaconalis in presbyteratus ordine constitutis, Sac. Cong. Rituum eadem die respondit, *Affirmative*, ea ratione, quia ubi præbendæ sunt distinctæ, attenditur cujus ordinis sint Canonici seu Coadjutores, non autem attenditur qualitas, seu dignitas personarum. (28. Et an præcedentia deberetur Coadjutori Canonici ordinis presbyteralis, non adhuc sacerdoti, sed in minoribus tantum ordinibus constituto; eadem die respondit, *Affirmative*. (29. Et cum in eadem Æsina fuisset quæsitum an præsente coadjuto Diacono, et per seipsum inserviente, illius Coadjutor Diaconus debeat in choro et functionibus ecclesiasticis stare post omnes Canonicos ejusdem ordinis diaconalis tantum, vel potius post etiam Canonicos Subdiaconos in casu? Sac. Congr. Rituum respondit, die 4 Aprilis 1705, *Affirmative, quoad primam partem; negative quoad secundam*. (30. Et in eadem Æsina ad quæsitum an Coadjutori Canonici presbyteri in Ecclesia, in qua præbendæ sunt distinctæ, debeatur præcedentia super Diaconos, dum pro suo Coadjuto divinis interest? Jam ab eadem Sac. Rit. Congregratione fuerat responsum in casu proposito, præcedentiam deberi, die 4 Martii 1645. (31. Canonicus Diaconus, qui habet anteriorem possessionem, si postea promoveatur ad Sacerdotium, non recuperat locum præcedentiæ, quam prius cesserat Canonico presbytero possessione posteriori. Sic in terminis decrevit Sac. Congreg. Rituum in Sutrina, 27 Augusti 1707; et sic etiam decreverat in una urbis, 3 Augusti 1602, quia attenditur prioritas ordinis, et non canonicatus. Pignatell. tom. III, consult. 55, formul. 7. num 5, et tom. IV, supplemen. ad 3, tom. II, n. 108, cum pluribus aliis. (32. In processionibus quæ fiunt cum interventu capituli cathedralis, præcedentia debetur beneficiatis supra parochos. Sac. Rituum Congr. in Taurinen, 2 Octobris 1683, et licet contrarium decisum reperiatur in alia Bituntina, 21 Augusti 1688, in qua præcedentia data fuit parochis supra beneficiatos cathedralis; hoc evenit, quia parochi Bituntini habent stallum in choro, et sunt de gremio illius capituli. (33. Præcedentia autem quæ debetur parochis et curatis perpetuis, eadem debetur parochis et curatis amovibilibus ad nutum, quia etiam hi gaudent prærogativis parochorum perpetuorum. Sacra Congr. Concil. in una Comensi, 27 Martii 1706. (34. Dignitatibus et Canonicis cathedralis convenit distinctio tam quoad qualitatem paramentorum, quam quoad locum se parandi in Missis. Sac. Congreg. Rituum in Recineten, 20 Martii 1706 in responsione ad primum. (35. Canonici collegiatæ non debent in processionibus incedere parati, sicut Canonici Ecclesiæ cathedralis. Sacra Congregatio Rituum in una Placentina, 19 Maii 1607. in respons. ad 20 dubium. (36. Canonici non possunt in celebratione Missæ uti palmatoria, vulgo bugia. Sac. Cong. Rit. in Vicentina, 11 Junii 1699, in qua tale indultum denegatum fuit.

(37. Canonici digniores debent sedere in sedibus quæ sunt viciniores sedi episcopali. Sac. Congr. Rit. in Alexand., 15 Martii 1608, in resp. ad dub. 14. (38. Canonicus celebrans ratione paramentorum et officii debet habere primum locum, et primam sedem chori, supra dignitates et Canonicos. Sac. Cong. Rit. in Arboren., 26 Junii 1610. (39. Canonicus hebdomadarius officium faciens debet habere locum supra omnes dignitates et Canonicos. Ead. Sac. Congr. in Brundusina, 27 Junii 1616. (40. Canonicus primus, vel prima dignitas, qui digniorem locum habet in capitulo, præferendus est cæteris in processionibus. Eadem Sac. Cong. Rit. in Astensi, 18 Novembr. 1606. (41. Canonici et dignitates parati præcedunt Vicario Generali, non obstante consuetudine in contrarium. Sac. Congr. Rituum in Lauretana, 6 Sept. 1603; in Alexandrina, 15 Martii 1607; in Casalen., 5 Julii 1614; et in Castellana, 25 Septemb. 1621, ubi fuit decisum, « præcedentiam competere dignitatibus et Canonicis paratis supra Vicarium Generalem, neque allegatam consuetudinem, imo verius abusum, illi suffragari. » (42. Et tunc sunt thurificandi ante Vicarium. Ead. Sac. Congr. in Egitanensi, 3 Augusti 1602, et in Tiburtina, 6 Martii 1610. (43. Canonici et dignitates non præcedunt Vicario Generali, nisi quando sunt sacris vestibus parati, et dummodo Vicarius non sit de eorum numero, quia Vicarius Generalis Canonicus, cum sedet uti Canonicus, debet sedere in loco suæ receptionis, et in habitu canonicali; (44. alias si uti Vicarius sedeat, præcedit omnibus Canonicis et dignitatibus, sed non lucratur distributiones quotidianas. Sac. Congr. Ri-

Digitized by Google

tuum in Calaguritana, 2 Augusti 1603; in Casal., 5 Julii 1613; in Ampurien. 7 Decemb. 1630; et in Acernensi, 21 Junii 1632. (45. Etiam quæ dantur interessentibus processionibus. Eadem Sacra Congregatio in Compostellana, 21 Februarii 1604; Brundusina, 16 Julii 1607; Gallipolen., 21 Decemb. 1613; Sutrina, 1 Octobr. 1616; et Oritana, 4 April. 1620. (46. Canonici et dignitates præcedunt Vicario capitulari Canonico, si, ut lucretur distributiones, voluerit choro interesse, quia choro interessendo debet habere solitam vestem canonicalem, et sedere in loco proprio sui canonicatus, neminem antiquiorem præcedendo. Rota in una Lucana Benef., 18 Decemb. 1679, coram Seraphino, et dec. 288, num. 2, apud Farin., part. II, recentior.; Barbosa de Potest Episc., part. III, alleg. 54, num. 167. (47. Si autem Vicarius capitularis noluerit lucrari distributiones, tunc debet præcedere omnes Canonicos et dignitates, excepta prima post pontificalem, ut declaravit Sac. Rituum Congr. de mense Augusti 1603, in una Assisiensi. Et ratio, quare prima dignitas præcedat Vicario capitulari, potest esse quia, sicut se habet Vicarius Episcopi ad Episcopum, ita regulariter se habet Vicarius capituli ad capitulum, ut observat Sbroz, de Vicario Episcopi, lib. II. qu. 15, num. 20, et Barbosa de Canonicis, c. 36, n. 8. Unde cum Episcopus præcedat Vicario suo, æquum est, ut saltem prima dignitas capituli præcedat Vicario ejusdem capituli, quæ tanquam caput repræsentat, et continet eminenter totum corpus capituli; cap. *Legimus* 24, dist. 93, et Glossa, ibi verb. *Continentur*. (48. Unde Vicarius capitularis non potest occupare sedem Archidiaconi in Ecclesia, sed debet sedere in alia sede portatili. Sacra Congregatio Rituum in Lucerina, 11 April. 1601. (49. Vicarius Foraneus ratione sui Vicariatus nullam in quavis functione, et loco habet præcedentiam super alias dignitates, et canonicos antiquiores. Sacra Rituum Congregatio in una Neritonensi, 22 Decembr. 1629. (50. Etiam quacunque consuetudine non obstante. Ead. Sac. Cong. in Syracusano, 8 Julii 1630.

(51. Canonicus, vel dignitas factus Episcopus cum retentione Canonicatus, vel dignitatis debet præcedere omnibus aliis Canonicis et dignitatibus, etiam ipso antiquioribus. Sacra Rit. Congreg. in una Ruthenensi, 24 Septemb. 1605. (52. Canonicus, qui est Episcopus titularis, ratione episcopatus quem habet in terris infidelium, debet præcedere omnibus Canonicis et dignitatibus in choro, capitulo, et processionibus, aliisque actibus; sic pluries decrevit Sacra Rit. congreg. « Cum enim Episcopus Brusciæ in partibus infidelium obtinuisset canonicatum in Ecclesia Compostellana, et dubitatum fuisset in quo loco sedere deberet, et quo habitu uti deberet in Ecclesia, proposito hujusmodi dubio in Sacra Congregatione, respondit, ratione episcopatus posse et debere uti habitu ordinario quo utuntur Episcopi in Romana Curia, id est rochetto super subtana, et mantelletto violacei coloris, et debere præcedere omnibus aliis Canonicis ejusdem Ecclesiæ, et sedere in primo stallo supra omnes, ut fit et servatur Romæ, simili casu veniente, in tribus Ecclesiis patriarchalibus Sancti Joannis, Sancti Petri, et Sanctæ Mariæ Majoris, et ita censuit, et declaravit, et in Ecclesia Compostellana servari mandavit » sub die 11 Julii 1617. Et deinde eadem Sacra Congregatio sub die 12 Novembris 1621, in una Calaritana in Sardinia censuit: « Episcopo titulari, qui in Calaritana Ecclesia canonicatum obtinet, in choro, capitulo et processionibus, aliisque actibus supra omnes ejusdem Ecclesiæ dignitates, et Canonicos præcedentiam competere. » (53. Canonicus qui permutavit canonicatum, si permutatio effectum habere non potuit, et redierit ad suum canonicatum, debet habere locum et stallum antiquum, nec tanquam novus Canonicus censendus est, nec tenetur iterum solvere jocalia pro admissione. Sac. Congr. Rit. in Mutinen., 29 Novemb. 1605. (54. Canonicus vero qui canonicatum dimisit, et alium in eadem Ecclesia impetravit, locum ultimi canonicatus obtenti obtinere debet, nec potest obtinere locum dimissi. Ead. S. Congr. in Callien., 21 Mart. 1609, et in Sutrina Præcedentiæ, 11 Jun. 1701. (55. Canonicatus licet sit de jurepatronatus, debet eum obtinens præcedere tanquam verus Canonicus omnibus aliis qui post illum obtinuerunt canonicatum. Ead. Sacr. Congreg. in Hortana, 30 Julii 1616.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(56. Licet Canonici collegiatarum urbis præcedant Canonicis cathedralium aliarum civitatum, ut monet auctor num. 1, in cæteris rebus exæquati non sunt dictis Canonicis cathedralium aliarum civitatum. (57. Inde fit, quod si ex Pontificio indulto in translatione pensionis intervenire debent (58. « quicunque loci ordinarii vel Canonici metropolitanarum, seu aliarum cathedralium Ecclesiarum, aut personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, » satisfactum haud dici potest per interventum Canonici collegiatæ urbis. Rota in Romana Pensionum, 13 Januarii 1747, § 2, et plur. seq. coram clar. mem. Milin., (59. ubi et de aliis differentiis agit Canonicos collegiatarum urbis inter et Canonicos cathedralium aliarum civitatum.

(60. Pacifica haud est opinio auctoris, num. 11, et seq., quod Canonici cathedralium in omnibus functionibus præcedentiam et præeminentiam obtinere debeant supra parochos etiam in propriis ipsorum parochorum Ecclesiis. (61. Contrarium enim decidit novissime Sacra Congreg. Rituum in S. Severini Præeminentiarum, 13 Mart. 1756, in responsione ad dub. 13; si agatur de actibus illis quibus parochi munus proprium exercent ex ratione illa, quod quilibet in domo sua aliis præferatur; (62. et quidem non obstante quod allegatus fuerit Louvrex, qui dissert. can. 10, num. 4, rationem hanc « non semper esse veram, ait, sed intelligen-

Digitized by Google

dam esse respectu illorum qui, etsi majorem possideant dignitatem, nullam habent superioritatem in eum in cujus fundo versantur; adeo ut aliud statuendum sit de iis quibus aliqua in eum, in cujus territorio existunt, superioritas competit, etsi non omnimoda. Unde fit ut Episcopus Ecclesiarum quantumvis exemptarum prælatis in ipsis Ecclesiis exemptis præcedat ob reverentiam quam exempti Episcopo debent, etc. Idque ad capitulum Ecclesiæ cathedralis collegialiter incedens, seu in actibus in quibus Ecclesiam cathedralem repræsentat, plurimi extendunt quasi tunc de juribus Episcopo capiti suo competentibus participet. »

(63. Valde implicata est quæstio illa, utrum præcedentiam obtinere debeat Canonicus de tempore prior, an Canonicus major ordine. In ea enim non solum contrarii sunt inter se DD. sed et sibi oppositæ videntur ipsæ resolutiones Sac. Congregat. Rit. (64. Plures innixi textui in cap. *Statuimus*, de Majorit. et Obed. in ea sunt sententia, unum supra alterum Canonicum præcedentiam obtinere debere non ex prioritate temporis, sed ex majoritate ordinis, censentque tunc attendendam esse prioritatem temporis, cum cætera sunt paria. Ita Pignatel. consult. 55, num. 12; Monacell. Formul. Legal. pract., part. III, tit. 2, formul. 7, fer. per tot.; aliique. Et in hoc ipso sensu videtur fuisse S. C. Rit. referente post alios Riccio tit. de Præcedentia resol. 529.

(65. Contra, plures quoque constanter tenent, de præcedentiis Canonicorum statuendum esse non secundum majoritatem ordinis, sed secundum prioritatem temporis, ita ut Canonicus minor ordine, tempore autem prior præcedere debeat, ut inter alios Gratian. discept. Forens. cap. 106, num. 3; Vegnareck. in cap. *Statuimus*, de Major. et Obed. Nec sua caret ratione hæc opinio, ut patet ex his, quæ habet Vegnareck loco mox citato, ibi : Ex hoc textu colligit Tiraquel. « dignitatem antiquitati præferendam, et majorem dignitatem præcedere debere, quando dignitas est ordinata ad illum actum, pro quo tractatur de præcedentia, secus est de actu diverso. Ideoque quia dignitas sacerdotalis per se non ordinatur ad eligendum, vel ad alios actus capitulares, sed ad actus ordinis, in capitulis non præcedunt sacerdotes, neque Episcopi, si forte sint simul Canonici, sed eo ordine sedent, aut incedunt, quo venerunt in capitulum, aut acceperunt possessionem canonicatus. » Allegatur etiam pro hac opinione Resolutio S. C. Rit. a Gratiano *ubi supra*.

(66. Dissidentes hasce sententias (dubitanter tamen) conciliat Ferr. de Præced. et Prælat. Eccles., quæst. 10, sub num. 9, ibi : « Declaratio relata per Ricc. loquitur in canonicatibus Ecclesiæ cathedralis, in quibus requiritur ordo sacer, ut supra dixi, ideo ad illum principaliter attenditur. Declaratio vero a Gratiano relata ex ejus verbis loqui videtur in canonicatibus Ecclesiæ collegiatæ, etc. Ideo Canonicus collegialis major gradu, quamvis minor ordine, præfertur majori in ordine, et minori in gradu. »

(67. Hæc alia conciliato placuit Gothofredo Diatrib. de jure præced., lib. I, cap. 3, sub lit. A. ibi : « Prima declaratio procedit in Ecclesia, ubi præbendæ sunt distinctæ, secunda vero ubi præbendæ non sunt distinctæ. » Hanc ipsam conciliationem probavit etiam Novar. ad lib. I, n. 7, c. de Consult. (1).

ARTICULUS VIII.

Canonici quoad perceptionem sacramentorum, et quoad funera et sepulturam.

(1. Canonicus Ecclesiæ cathedralis carentis canonica, sive ædibus canonicalibus, habens domicilium, et actu habitans intra fines alterius parochiæ tenetur in infirmitate recipere Sacramenta, non a parocho dictæ Ecclesiæ cathedralis, sed a parocho domicilii. Sic expresse decrevit Sac. Congr. Conc. 12 Maii 1685, in Tiburtina in responsione ad 1, ubi cum inter alia dubia fuerit quæsitum : « Primo, an Canonicus Ecclesiæ cathedralis carentis canonica, sive ædibus canonicalibus, habens domicilium, et actu habitans intra fines alterius parochiæ, dicatur parochianus Ecclesiæ cathedralis, ita ut in infirmitate teneatur recipere Sacramenta a parocho Ecclesiæ cathedralis, vel potius a parocho domicilii; » Sacr. Cong. in Tiburtina 12 Maii 1685 respondit : « Ad primum, teneri recipere a parocho domicilii. » Vide verb. *Parochus*, art. 3, num. 14. Et ratio est, quia quilibet tenetur recipere Sacramenta, præsertim Viatici, et Extremæ Unctionis, a proprio parocho, ut in Clement. 1 *de Privileg.*, atque proprius parochus est ille, in cujus parochia quis actu habitat, vel habet domicilium, juxta cap. *Is qui*, de Sepulturis in 6, et juxta Fagnanum in cap. *Significavit* 5 de Parochiis, et alienis parochianis, num. 27 et 32, ubi etiam num. 36 refert, hanc esse sententiam Sac. Congregat. Concilii in casibus contingentibus per Glossam in d. Clement. 1, de Privileg., verb. *Parochialis;* et Abbas in cap. *Omnis utriusque sexus*, de pœnit. et remiss., ubi tenatur de communi. Et sic videtur decerni etiam in Sac. Conc. Trident., sess. 24, cap. 13 de Reformat., ubi præcipitur Episcopis, « ut distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite Sacramenta suscipiant... non obstantibus quibuscunque privilegiis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus. »

(2. Nec obstat quod Ecclesia cathedralis dicatur parochia ipsius Canonici, imo et parochia communis totius diœcesis. Nam est parochia communis, quando in ea Episcopus administrat Sacramenta, cum ipse sit parochus totius diœcesis, non autem quando pa-

(1) Roterat hic eruditissimus Additor, saltem ad eruditionem superaddere quæ ad rem, quamvis contra, tradit doctiss. Catalanus in Cæremoniali Episcoporum, Romæ impresso anno 1754, tom. I. Præloquio ad lectorem, *pag.* 11, num. 12. Videatur ibi, ubi multa ad rem. (*Animadversio Auctoris.*)

Digitized by Google

rochus cathedralis illa administraret, quia cum sit tantum parochus cathedralis, extra illam et illius parochiam, nullam habet jurisdictionem, adeoque non potest administrare Sacramenta in alienis parochiis, ut expresse decrevit Sac. Cong. Concil., 20 Sept. 1628, apud Gavant., in *Manuali Episcop.*, verb. *Parochor.*, num. in addit. n. 2. Præterea est parochia communis iis, qui ad ipsam voluerint accedere pro recipiendis Sacramentis, ut notat Abb. in dict. cap. *Omnis utriusque sexus*, num. 2, *de Pœnit. et remiss.* Guttier., *Can. qq.*, lib. I, cap. 30, num. 12, non autem ad illa ministrandum in alienis parochiis, quibus sua jura debent illæsa conservari, ita exigente earum institutione, cum non sint confundenda, juxta cap. *Scriptum est* 1, caus. 6, quæst. 3, cap. *Nullus* 3, caus. 9, quæst. 2. Sic expresse Pignatell. t. VIII, cons. 5, n. 1, 2 et 3.

(3. Canonici ad funera intervenientes, si sint Canonici Ecclesiæ cathedralis, præcedunt nedum proprio parocho defuncti, etiamsi sit stola indutus, ut pluries declaravit Sacra Rituum Congregatio, et signanter in Viterbiensi, 25 Junii 1611, et in Aversana, 15 Septemb. 1640, sed etiam præcedunt Canonicis collegiatæ etiam in associandis funeribus defunctorum propriæ ipsius collegiatæ parochiæ, ut pluries declaravit Sac. Rituum Congregatio, et signanter in Prænestina Cavarum, 18 Augusti 1618, et in Leodien. Præcedentiæ, 10 Martii et 21 April. 1668. (4. Si autem sint Canonici Ecclesiarum collegiatarum, in funeribus præcedunt propriis parochis defunctorum. Sacr. Congregat. Rit. in Sutrina, 30 Augusti 1602 et 2 Augusti 1603; in Meliten., 18 Novemb. 1606; in Ostiens., 18 Aprilis 1607; in Prænestina Cavarum, 14 Augusti 1618, ubi in causa præcedentiæ inter Archipresbyterum et Canonicos Ecclesiæ collegiatæ Sanctæ Mariæ, et parochum S. Stephani declaratum fuit, « præcedentiam semper et ubique competere Archipresbytero, et Canonicis supra parochum prædictum, etiam in associandis funeribus defunctorum propriæ ipsius parochiæ, jus tamen faciendi officium circa corpus defuncti ad parochum in sua parochiali Ecclesia spectare. » Et idipsum diserte firmatum fuit a dicta Sac. Congregatione 14 Maii 1643, neque in associatione funerum, salva legitima loci consuetudine, deberi præcedentiam capitulo collegiatæ supra parochum, etiam proprium defuncti, sine tamen præjudicio in reliquis jurium, et præeminentiarum eidem parocho de jure, vel consuetudine competentium. Et sic tenent Pignatell., tom. III, consult. 52, et Barbosa *de Canonicis*, cap. 18, num. 67 et 68, non obstante quod pro præcedentia parochorum supra collegiatam exstent etiam varia decreta Sacr. Congreg. Rituum in Nucerina, 24 Octobris 1699; in una S. Angeli Terræ Saxiferrati, eodem die et anno; in Prænestina, 13 Julii 1619; in Spoletana, 21 Aprilis 1635; in Laudensi, 23 Maii 1639 (1). (5. Canonici Ecclesiæ cathedralis vel collegiatæ non possunt sociare cadavera ex alienis parochiis, sine proprio parocho. Sacra Rituum Congregatio in Novarien., 15 Januarii 1633; in Aversana, 15 Septembris 1640, ibi : « Eminentissimo Paleotto referente dubia pro parte parochorum civitatis Aversanæ, prædictis dubiis sic respondendum censuit : *Ad primum :* Vocato ad funus capitulo cathedralis, non aliam crucem quam ipsius capituli deferendam esse. *Ad secundum :* Capitulo interveniente, ut supra proprium parochum defuncti, etiam quod sit stola indutus, incedere debere ante Canonicos cathedralis. *Ad tertium :* Ad solum parochum spectare aspergere aqua benedicta cadaver, antequam levetur de domo, et ad eumdem pertinere intonare antiphonam : *Si iniquitates*, et officium super cadaver in sua Ecclesia peragere; die 15 Septembris 1640. » (6. Et iterum in Novariensi Vicario, ibi : « Rev. Pater. A parochis civitatis Novariæ supplicatum fuit Sacræ Congreg. juxta decreta alias lata declarari capitulum, et Canonicos Sancti Gaudentii non posse parocho inconsulto cadavera defunctorum ex ulla parochia levare, et ad unumquemque parochum spectare munus faciendi benedictionem super eadem cadavera, et illa aqua benedicta aspergendi, antiphonam : *Exsultabunt Domino*, intonandi, quando effertur cadaver, officium defunctorum peragendi, omniaque alia ad funus pertinentia. Eminentissimi vero patres eorum decretorum exemplar adjunctum tibi remitti voluerunt, cujus partes erunt illorum observantiam curare. In quo si aliqua difficultas orietur, mandabis ut in Sacra Congregatione jura deducantur, non suspensa tamen dictorum decretorum exsecutione. Datum Romæ, 21 Septemb. 1651, Alexand. Card. Cappon. » Sic refert, et tenet Pignat. tom. VI, consult. 59, n. 5 et 6. (7. Imo n. 8 dicit, quod ex ipsis probe colligitur, quod ad proprium parochum, non autem ad alios spectat peragere officium super cadaver in ejus propria domo, illudque aspergere aqua benedicta, intonare antiphonam, quando effertur, ac peragere omnes alias cæremonias funeris, ut speciatim ultra dispositionem Rituali Romani tit. *Exsequiarum Ordo*, habentur quoque declarationes Sacr. Congregationis Rituum in d. Aversana, 15 Sept. 1640; in d. Novarien., 21 Septembris 1651; in Pientina, 4 Martii 1646, et in ead., 2 Augusti 1637, in qua requisita fuit probatio immemorabilis temporis ad firmandam contrariam consuetudinem.

(8. Unde, quando non adsit legitima in contrarium consuetudo, nemini neque Canonicis Ecclesiæ cathedralis licet levare de domo, et deferre cadavera ad sepulturam irrequisito proprio parocho, ut tenet etiam

(1) Decreta S. R. C. ab Auctore adducta ad probandam præcedentiam Canonicorum Collegiatarum supra Parochos in funerum associatione, et præsertim decretum in Prænestina Cavarum, die 14 Augusti 1618, emanatum, corrigenda sunt per alia decreta, præcipue in alia Prænestina, die 13 Jul. 1619. quod decretum fuit revocatorium præcedentis; unde videtur illi standum. (Edit. Ven.)

Digitized by Google

Barbosa *de Offic. et potest. parochi*, part. III, c. 27, n. 66, dicens sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Rituum in Thelesina, 18 Augusti 1629, et expressius in Adrianensi, 29 Novemb. 1631, in respons. ad 1, ut refert, et tenet etiam Gavant. in *Manuali*, verb. *Exsequiæ*, in addit. num. 8, et Piton. Constit. *ad parochos*, num. 493, et tenet Ugolin. *de Potest. episc.*, cap. 17, num. 3; Stephanus Gratian., t. III, cap. 462, a num. 19. (9. Quæ tamen Decreta citat in contrarium Samuel *de Sepulturis*, controvers. 5, ubi sic præcise habet : « Canonici Ecclesiæ cathedralis, quando est cadaver in eorum Ecclesia tumulandum, irrequisito proprio parocho licite, et libere levare illud queunt de domo, aut Ecclesia parochiali, et ad matricem Ecclesiam deferre. » Sic declaravit Sac. Rituum Congr. in Thelesina, 18 Augusti 1629, et in una Adrianensi, 29 Novembris 1631. Sacra autem Congreg. Conc. in Narnien. *Jurium Parochialium*, 26 Septembris 1699, apud Ursayam loc. cit. infra sub num. 14, « Resolvit a fortiori juxta primam sententiam Canonicum decessum in domo propria asportandum esse ad cathedralem, requisito tamen parocho domicilii. » (10. Capitulum non vocatum non potest, invitis hæredibus, lucrandi stipendii causa, funeribus interesse. Sacra Congregatio Conc. in Matheranen. loci Grottulæ, in qua propositis dubiis : Primo : an attenta consuetudine, cujus vigore capitulum expensas funerum pro ratione personarum defunctarum taxare solet, sit locus, certam, ac perpetuam taxam pro funeribus quibuscunque præscribendi. Secundo : an capitulum, quamvis non vocatum, possit invitis hæredibus lucrandi stipendii causa funeribus interesse? « Die 12 Novembris 1660, Sacr. Congr. secundum ea, quæ narrantur, censuit : Ad primum licere capitulo taxam ad suum libitum facere, et Archiepiscopo injungendum, ut ipse auditis partibus taxam conficiat, eamque Sacr. Congr. probandam transmittat. » Ad secundum : « censuit non posse. » Quam declarationem confirmavit in Lavellen., in qua cum communitas instetisset, ut prohiberetur capitulo, et Episcopo intervenire funeralibus invitis hæredibus, et decerneretur, quod taxa non penderet ab ipsorum arbitrio, « die 16 Junii 1668. Sacra Congr. audita relatione Episcopi Lavellen. inhærendo declarationi ejusdem Sacræ Congregationis in Matheranen. sub die 13 Novembris 1660, emanatæ, censuit non posse funeralibus invitis hæredibus interesse, nec licere taxam ad suum libitum facere, sed eidem Episcopo injungendum, prout injungit, ut auditis partibus taxam conficiat, eamque Sac. Congr. probandam transmittat. »

(11. Canonici cathedralis Ecclesiæ decedentes non electa sibi sepultura debent sepeliri in Ecclesia cathedrali, si in ea adsit sepulcrum proprium Canonicorum. Si vero in cathedrali non adsit sepulcrum proprium ipsorum, debent sepeliri in sepulcro majorum. Sac. Congregratio Concilii, 12 Maii 1685. in Tiburtina in responsione ad secundum, ubi ad secundum, dubium, quod erat : « An idem Canonicus decedens non electa sibi sepultura debeat sepeliri in Ecclesia cathedrali tanquam sua Parochia, vel in Parochia domicilii, vel potius in sepulcro suorum majorum? die 12 Maii 1685 respondit, ad secundum in cathedrali, si in ea adsit sepulcrum proprium Canonicorum : sin minus in sepulcro majorum; iis vero non existentibus, an cadaver Canonici sit sepeliendum in Ecclesia cathedrali, vel parochiali, in alia congr. Videndum. » Et sic etiam decrevit eadem Sacra Congr. Episc. in Forosempr. 1 Septemb. 1690, quod nempe clerici debent sepeliri in cathedrali, etiam sepultura non electa, si adest sepulcrum clericorum, ut Rituale disposuit, non obstante quod in alia Ecclesia adsit sepulcrum majorum, uti jam decreverat in Senogallien, die 13 Maii 1650, apud Nicol. num. 1. *Lucubr. civil.* lib. IV. tit. XV, num. 23, vers. ultim., ibi : « Clericus non sepelitur in sepulcro majorum, quando in cathedrali, vel matrice adest proprium clericorum sepulcrum a laicalibus separatum. » (12. Et quamvis recenter in alia Senogallien. die 9 Maii 1705, Sacra Congreg. Rituum declaraverit quod quidam clericus defunctus, qui sibi non elegerat sepulturam, sepeliri deberet in sepulcro majorum, et non clericorum; tamen videtur, quod standum sit primis citatis decretis Sac. Congregat. Episcopor., quia, ut recte observat Monacell., tom. IV. supplem., ad tom. I, num. 176, agitur non de ritu sepeliendi, sed de jure funerandi, quod declarare, ad quem spectat, potius ad Sacram Congreg. Episc. et Regul. quam Rituum noscitur pertinere, ex bulla erectionis Sixti V incip. *Immensa*, § *Jam vero;* tum quia sicuti laicis decedentibus non electa sepultura provisum fuit a jure in c. *Licet* 4, *de Sepulturis* in 6, ut sepeliri debeant, in sepulcro majorum; ita clericos sic decedentes, ut in sepulcro clericorum in cathedrali, vel matrice Ecclesia construendo, sive sint intitulati, sive non, sepeliri debeant, statuitur in Rituali Romano auctoritate apostolica Pauli V, constit. 85, confirmato, et evulgato, quod pro lege servandum est. Pax Jord. t. III, lib. XIV, tit. XXX, num. 45, et cum aliis Monacell. cit. tom. IV, supplem. ad tom. I, num. 176. (13. Requiritur autem, quod in cathedrali exstet sepultura pro Canonicis, et aliis clericis specialiter constructa, et deputata, alioquin Canonici, et Clerici sepeliendi erunt in sepulcro Majorum. Ecclesia vero parochialis succedit tantum in defectum electionis sepulturæ, sepulcri communis Canonicorum in Ecclesia cathedrali, et sepulcri majorum, ita ut Ecclesia parochialis sit ultima, juxta ordinem adductum per textum in cap. *Nos instituta* 1, *de Sepulturis*, ut dicit Pignat. tom VIII, consultat. 6, num. 4. Attamen Sacra Congregatio. in d. Tiburtina nihil decrevit circa dubium : An non existentibus sepulcro proprio canonicorum in cathedrali, vel sepulcro suorum majorum sint Canonici sepeliendi in cathedrali, vel in parochiali; ibi in respons. ad secundum, « iis vero non existentibus, an cadaver Ca-

Digitized by Google

nonici sit sepeliendum in Ecclesia cathedrali, vel parochiali in alia congreg. videndum. » (14. Pro sepultura Canonicorum cathedralium debetur quarta funeralis parocho domicilii, non vero parocho cathed., neque parocho parochiæ, ubi adest sepultura suorum majorum. Sacr. Cong. Concil., in d. Tiburtina, in resp. ad 3. Quæ decisio, ut ab omnibus præ oculis haberi possit, ponitur hic cum suis propositis dubiis per extensum :

Primo : « An Canonicus Ecclesiæ cathedralis carentis canonica, sive ædibus Canonicalibus, habens domicilium, et actu habitans intra fines alterius parochiæ, dicatur parochianus Ecclesiæ cathedralis, ita ut in infirmitate teneatur recipere Sacramenta a parocho Ecclesiæ cathedralis, vel potius a parocho domicilii. »

Secundo : « An idem Canonicus decedens non electa sibi sepultura, debeat sepeliri in Ecclesia cathedrali, tanquam sua parochia, vel in parochia domicilii, vel potius in sepulcro suorum majorum. »

Tertio : « An pro sepultura Canonici, ut supra defuncti, debeatur quarta funeralis parocho domicilii, aut parocho cathedralis, vel parocho parochiæ suorum majorum? »

Sac. Congr. Concil. in Tiburtin., 12 Maii 1685, censuit :

Ad Primum : « Teneri recipere a parocho domicilii. »

Ad Secundum : « In cathedrali, si in ea adsit sepulcrum proprium Canonicorum; sin minus in sepulcro majorum; iis vero non existentibus, an cadaver Canonici sit sepeliendum in Ecclesia cathedrali, vel in parochiali, in alia Congregatione videndum. »

Ad Tertium : « Deberi parocho domicilii. »

Et sic etiam decrevit Sacra Congregratio Concilii in Narnien. Jurium Parochialium 26 Septembr. 1699. ad 2, 3 et 5 dubia, lib. XLIX, Decret, fol. 253, teste D. Ursaya *Institut. crimin.* lib. III. tit. VIII, num. 15 et 16.

(15. Si intervenerit funeribus capitulum Ecclesiæ cathedralis, in hoc casu Curatus, et Sacrista illius cathedralis, licet sint amovibiles, debent præcedere parocho defuncti. Sacra Congreg. Rit. 22 Martii 1631, apud Barbosam de *Potest. Parochi*, part. III, cap. 27, num. 78.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(16. Tametsi Sacra Congreg. Concilii interpres in allegata ab auctore Tiburtina, 12 Maii 1685, in responsione ad. 1, dubium fuerit in sensu, quod Canonicus domicilium habens in aliena parochia non a parocho cathedralis, sed a parocho domicilii Sacramenta in ultima infirmitate recipere teneatur; contrarium videtur rescripsisse in Derthonen. Jurium Parochialium, 3 Decembr. 1718. (17. In hac enim causa hoc inter alia dubia proposito : « An canonicus Ecclesiæ collegiatæ, habitans in domo sita intra fines alterius Parochiæ in ultima infirmitate teneatur recipere Sacramenta ab Ecclesia collegiata, vel potius a Parocho domicilii? » rescriptum fuit : *Affirmative* quoad primam partem Negative quoad secundam.

(18. Verum est, quod denuo hac ipsa causa proposita die 7 Decembris 1720, responsum fuit : « Examinandos esse testes formiter. » At ex responso hoc quisque facili negotio intelligere potest, Sacram Congregationem Concilii interpretem veram in puncto juris existimasse resolutionem captam die 3 Decembris 1718, quod Canonicus ubicunque habitans Sacramenta in ultima infirmitate recipere teneatur a sua Ecclesia, solumque autumasse locum esse posse limitationi dictæ propositionis ex contraria consuetudine, ideoque demandavit examinandos esse testes formiter, alias enim sine ullo testium examine recessisset *a decisis.*

(19. Hic igitur fuit ultimus sensus Sacræ Congregationis Concilii interpretis in hac controversia. At Sacra Congregatio Rituum novissime censuit, Canonicum in aliena Parochia habitantem, non a parocho cathedralis, sed a parocho domicilii teneri in ultima infirmitate recipere Sacramenta, ut patet ex responsione data in S. Severini Præeminentiarum, 13 Martii 1756, ad 7 dubium, et in decisis perstitit in nova propositione causæ habita de mense Decembris ejusdem annii 1756, licet allegata fuerit d. resolutio Sac. Congregationis Concilii interpretis in d. Derthonen.

(20. Illud non est hic prætereundum, quod eadem Sac. Congregatio Rituum, in responsione ab dub. 11, censuit Canonicos etiam habentes domicilium in aliena parochia sepeliendos esse in Ecclesia cathedrali, solutis tamen juribus parochialibus parocho domicilii. Et quod summopere notandum est, in casu illo non constabat, quod in Ecclesia cathedrali aderat sepulcrum pro Canonicis. Vide queque conformes decisiones Rotæ in Romana juris tumulandi, 20 Februar. 1702, § *Nonnulla*, et § *Prædicta*, et in confirmatoria, 6 Maii 1703. § *Præcedenti*, cor. clar. mem. Priol. in Gerunden, *Juris sepeliendi*, 8 Martii 1735. § *Quantum*, cor. clar. mem. Cincio. et in Barchinonen. Jurium Parochialium, 2. Decemb. 1735. *Demum*, cor. Eminentiss. Rezzonico.

(21. At si jus sepeliendi Canonicos ubicunque domicilium habentes inde favore Ecclesiæ cathedralis oritur, quod Canonici perpetuo manent ejus parochiani, et Sacramenta omnia ab ipsa recipiant, ut disserunt Reiffenstuel in *Jus Canon.* lib. III. tit. XVIII, num. 24, Schmalzgrueb. *Jur Eccles. univ* lib. III. part. III, tit. XVIII, § 5, num. 47. Louvrex *Dissert. canon.* 23, num. 17. Amostaz. *de Causis piis*, lib. IX, cap. 2, n. 50. non videtur congruere, quod Sacramenta recipere ii in ultima infirmitate debeant a parocho domicilii.

ARTICULUS IX.

De variis concernentibus Canonicum theologum, pœnitentiarium, protonotarium, et jubilatum.

(1. Canonicus theologus debet deputari in omnibus Ecclesiis metropolitanis vel cathedralibus, si civitas sit insignis, vel populosa, ac etiam in collegiatis existentibus in aliquo

Digitized by Google

insigni oppido, etiam nullius diœcesis, si ibi clerus numerosus fuerit; et ubi nulla præbenda, aut præstimonium, seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, præbenda quomodocunque, præterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta, et deputata intelligitur. Sic expresse Concil. Trident. sess. 5, *de Reform.*, cap. 1. (2. Hujus Canonici theologi deputatio non fit in Ecclesiis cathedralibus regularibus, ubi præbendæ non sunt distinctæ, nec Ecclesiæ numeratæ, ut est cathedralis Pampilonensis, sed cogendi sunt monachi, ut provideant de lectore idoneo theologiæ, qui publice legat non solum ipsis monachis, sed etiam aliis audire volentibus. Sacra Congregatio Conc. in Pampilon., 9 Septemb. 1573. (3. Canonico theologo in vim unionis factæ ab Episcopo de præbenda vacatura non competit jus adversus canonicatum vacatum per resignationem. Sac. Congreg. Conc. in Monopolitana, 29 Augusti 1627. (4. Præbenda erecta, et deputata pro theologo, a sequenti Canonico optari non potest. Sic decisum fuisse a Sac. Congregatione referunt Gonzal. ad Regul. 8 Cancellar., Gloss. 34, n. 80; Monet. *de Option. Can.*, cap. 3, qu. 6, num. 129; Garcias in addit. ad part. v, cap. 4, num. 132. (5. Præbenda theologalis sicut non potest ab aliquo Canonico optari, cum debeatur per electionem prævio examine, ita theologus non est admittendus ad jus optandi. Sacra Congr. Concil. 12 Feb. 1602. (6. Non enim obtinens præbendam theologalem, potest illam dimittere, et aliam optare ad instar aliorum Canonicorum. Sac. Congr. Conc. 7 Junii 1601. (7. Canonicus tamen theologus, qui resignavit in manibus ordinarii præbendam theologalem, potest obtinere mediante optione pinguiorem præbendam, cum retentione sui stalli in choro. Sac. Congreg. Rit. in Veronen., 2 Septembr. 1687. (8. Canonicus theologus stante consuetudine in Ecclesia cathedrali, ut per quemlibet Canonicum habentem præbendam canonicatui adnexam obtineatur una ex dignitatibus in eadem Ecclesia, quæ nullum habet onus, seu emolumentum, sed solum sedet supra Canonicos, et illos in processionibus præcedit, potest dictam dignitatem obtinere. Sac. Congreg. Conc. 18 Novembr. 1629. (9. Deputatio præbendæ primo vacaturæ in theologalem non comprehendit eam quæ vigore statuti a sequenti Canonico optatur, sed illa præbenda, quam dimiserit Canonicus, qui novissime optat, huic muneri unita, et affecta remanet. Sacra Congregatio Concilii in Lunen. Sarzanen., 6 Jul. 1591. (10. Electio personæ ad hujusmodi præbendam theologalem vacantem in mense ordinario, pertinet ad solum Episcopum, collatio vero ad illos ad quos antea spectabat. Sic decisum fuisse a Sac. Cong. Conc. referunt Garcias in addit. ad part. v. cap. 4, num. 162. et Gonzal. ad Regul. 8. Cancellar. glos. 9. num. 87. (11. Si vero talis præbenda theologalis vacaverit in mense apostolico, vel alias esset reservata, seu affecta, tunc electio spectabit ad Papam. Sic tenent Garcias, cit. c. 4, num. 164. Gonzal. loc. cit. Barbosa, *de Canon.*, c. 27, num. 13. Sac. Congr. Concil. in Parmen., 7 Octob. 1576. (12. Electio personæ, cui conferendus est canonicatus habens adnexum onus lectionis Sacræ Theologiæ ex præscripto Concilii, pertinet ad Episcopum; collatio vero eidem personæ facienda est ab eis, ad quos ante Concilium pertinebat, quamvis regulariter in ea Ecclesia electio sola Canonicorum pertineat ad capitulum, et confirmatio, seu institutio ad Episcopum. Sacra Congreg. Concil. in Aretina, 31 Junii 1627. (13. Præbendæ theologalis collatio erectæ post Concilium spectat ad eum, ad quem ante Concilium spectabat, etiam in casu, quo ante Concilium electio spectabat ad capitulum, et institutio ad Episcopum. Sacra Congreg. Concil. in Toletana, 24 Septemb. 1592. (14. Hodie electio theologi (sicuti etiam pœnitentiarii, de quo infra n. 45) debet fieri per concursum ex noviss. constitutione Bened. XIII, incip. *Pastoralis Officii*, quæ per extensum adducitur infra sub num. 88.

(15. Canonicus theologus quadraginta saltem quotannis lectiones publice in Ecclesia habere tenetur per seipsum, vel per alios idoneos. Benedictus XIII, in Concilio Romano, tit. 1, cap. 71. Et satisfacit muneri suo, sive legat Sacram Scripturam, sive theologiam scholasticam, ut sæpius resolvit Sac. Congregatio; non tamen si legat theologiam moralem; Benedict. XIV, *Instit. Eccles.*, 57, § 6, 7 (1). (16. Theologalis præbenda debetur doctori in jure canonico, non attenta clausula assumendi infra annum gradum magisterii in sacra theologia. Sacra Congregatio Concil. in dub. præbendæ theologalis, 5 Junii 1723. (17. Canonicus theologus potest compelli ut per se, et non per substitutum muneri suo satisfaciat, nisi adesset legitima absentiæ causa. Sac. Congr. Conc. apud Rotam part. III, recentior. decis. 147, num. 1. (18. Imo tenetur per seipsum, vel per alium substitutum, si diuturnum adsit impedimentum, ad lectionem Sacræ Scripturæ, licet sit senio confectus, aut jubilatus a servitio Ecclesiæ; et quamvis nulla reperiatur facta assignatio aliorum reddituum, præter fructus et distributiones theologalis præbendæ. Sac. Cong. Conc. in Anagnina Lecturæ, 29 Julii 1701. (19. Si tamen Canonicus theologus sit infirmus

(1) Benedictus XIV. loc. cit., § 7, hæc tantum habet : « Sacra Congregatio Concilii non semel respondit, munere suo perfungi, qui præbendam theologalem obtineat, si sacras litteras exponat, aut scholasticam theologiam tradat diligenter. » Quin etiam num. 8 subdit : « In quibusdam locis pro sacra Scriptura, ac theologia scholastica, quæstiones de morali theologia a Canonico theologo explicantur. » Confer ejusdem *de Synod. Diœcesana*, lib. XIII, cap. 9, num. 17. Vide infra num. 125. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

infirmitate sanabili, non potest ab Episcopo compelli ad substituendum alium, et eo casu quo alius substituendus sit, puta in casu absentiæ, sine legitima causa, electio substituti pertinet ad Episcopum. Sacra Congregat. Concil. in Asten., 30 Maii 1620, et in Cæsaraugustana, 1682. (20. sumptibus Canonici theologi munus suum non adimplentis. Eadem Sacr. Congreg. in Placentina., 29 Martii 1687. (21. Et dato quod Canonicus theologus nolit ullo modo legere, potest Episcopus illum cogere comminationibus pœnarum, sequestrationibus fructuum, et, perseverante contumacia, etiam ad privationem devenire. Sacr. Congreg. Conc. in Majoricensi, ut refert Aldan. in *Compendio Canon. resol.*, lib. I, tit. III, num. 5. (22. Et ubi Episcopus procedat contra eum ad privationem, non tenetur servare temporum intervalla, quæ præscribuntur in c. 12, sess. 24. Eadem Sac. Congreg. 15 Novembr. 1621; lib. XIII, *Decret.*, fol. 85. (23. Cum præbenda theologalis vacat, dari debet in commendam Canonico idoneo ejusdem capituli, donec titularis provideatur, alias poterit Episcopus applicare fructus alicui personæ extra capitulum, quæ suppleat munus legendi. Sac. Congr. Conc. in Camerin., 8 Febr. 1593. (24. Et hæc persona extra capitulum debet, si reperiatur idonea, eligi ex clericis sæcularibus. Sac. Congr. Episc. in Urbinaten. 5 Octobr. 1573. (25. Si vero clericus sæcularis idoneus non reperiatur pro dicta præbenda theologali, et pro ejus officio exsequendo, collatio illius suspendenda est donec inveniatur theologus sæcularis cui fieri possit, et interim nullus est deputandus custos, aut curator fructuum ipsius præbendæ, sed illi omnes tradendi sunt superiori alicujus ordinis, qui curet, ut aliquis theologus ex suis regularibus publice in cathedrali Ecclesia doceat Sacram Scripturam, prout mandatur decreto Conc. sess. 5, *de Ref.* cap. 1. atque ei in primis necessaria subministret de dictis fructibus, et quod reliquum fuerit, in usum monasterii convertat. Sic resolutum fuisse a S. Pio V, et Greg. XIII, referunt Aldan. in *Compendio Canonic. resol.*, l. I, tit. III, n. 2. Zerola in *praxi Episc.*, lib. I, verb. *Præbenda theologalis*. Barb. in Trid., sess. 5, *de Ref.*, cap. 1, num. 13, et Pignatell. tom. III, consult. 62, num. 14, ubi dicit, sic fuisse decisum a Sac. Congr. Episcop. in Tortonen., 1 Aug. 1581; in Camerinensi, 26 Jan. 1594, et in Beneventana, 25 Octobris 1593.

(26. Canonicus theologus gaudet vacatione a lectione Sacræ Scripturæ in diebus et temporibus, quibus gaudent doctores universitatum, scilicet a festo S. Thomæ apostoli usque ad diem post Epiphaniam, a Dominica Septuagesimæ ad primam Dominicam Quadragesimæ, a Dominica Palmarum ad totam octavam Paschatis, a festo S. Joannis Baptistæ ad diem 5 Novembris. Ita respondit Sacra Congreg. Concil. in Assisien., 24 Januar. 1629, lib. XCVIII, pag. 350. (27. Tempus, locum, materiam Sacræ Scripturæ, super qua legendum sit, Sacra Congregatio Concilii remittit arbitrio ordinarii in Brixiensi, 4 April. 1596, et etiam Sacra Congr. Episc. 11 Januarii 1594. (28. Unde Episcopus potest statuere, ut lectiones a Canonico theologo non in cathedrali Ecclesia, sed in palatio Episcopi habeantur, maxime si in cathedrali sit infrequens Canonici theologi ibi legentis auditorium, ut in simili casu censuit Sac. Cong. Conc. in Fossanen. lectionis, 11 Mart. 1662. (29. Et quod Episcopus possit præscribere materiam explicandam a Theologo, censuit expresse Sac. Congr. Concil. in Urbinaten., 15 Mart. 1663, et in Ripana, 12 Januar. 1692. (30. Satisfacit tamen Concilio, si a Canonico theologo theologia scholastica legatur. Eadem Sacr. Congreg. Concil., 5 April. 1576. (31. Non potest autem Canonicus theologus se eximere ab explanatione Scripturæ, prætextu quod non habeat auditores. Eadem Sac. Congreg. Concil. in Fundana, 15 Octobris 1618. (32. Non tenetur tamen Canonicus theologus legere, si ejus antecessores nunquam legerint, ex quo non adesset necessitas. Sac. Congreg. Episc. 8 Maii 1637 in Bononiensi, ubi declaravit Canonicum Sancti Petronii Bononiensis non teneri legere, quod nulla ejus lectionis adesset necessitas, et quod ejus antecessores nunquam legerint, ut refert Pignatell. tom. III, consult. 62, num. 38. (33. Ad lectionem Sacræ Scripturæ in cathedrali teneri accedere Canonicos, et cæteros presbyteros ipsius Ecclesiæ cathedralis, et posse compelli ab Episcopo, decrevit Sac. Congreg. Concil. 11 Aug. 1618, ut refert Barb. *de Canon.*, c. 27, num. 28, et in Urbinaten., 10 Maii 1663, ut refert Pignatell. tom. III, consult. 62, num. 45, et jam sic decreverat etiam Sac. Congr. Episc. in Fundana, 16 Mart. 1593, ut refert, et tenet mordicus Monacell. tom. I, tit. II, formul. 5, num. 8, 9, 10 et 14. Et Pax Jordan. *Lucub. Canon.*, tom. II, lib. VII, tit. III, num. 48, ubi testatur, ita in sua Ecclesia Jadrensi practicasse, et appellationem e suo decreto, et ordinatione interpositam, fuisse rejectam. (34. Et de facto Canonici, si in Quadragesima non intersint concioni in cathedrali, vel sua respectiva collegiata, privari possunt distributionibus illius diei. Sac. Congreg. Episc. in Comensi, 10 Maii 1580, et in Castellanensi, 10 Aug. 1602. Unde Sacr. Congreg. Concil., die 2 Jun. 1593, approbavit præceptum Archiepisc. Tarentini, quod Canonici non interessentes concioni punirentur solita punctatura.

(35. Ad interessendum autem lectioni, seu conferentiæ casuum conscientiæ possunt solum compelli Canonici, aliique presbyteri qui sunt confessarii; cæteri vero Canonici (1), et presbyteri, qui non sunt confes-

(1) Tradit auctor, Episcopum cogere non posse Canonicos non confessarios, ut collationibus casuum conscientiæ intersint. Hæc sententia locum habere nequit post Concilium Romanum, cujus Decretis adhærens Sacr. Congreg. Concil. contrarium sæpe declaravit, et signanter die 27 Augusti 1727, in una

Digitized by Google

sarii, possunt solum hortari (1), ut pluries declaravit Sac. Congr. Conc. et novissime in Civitatis Plebis, 15 Mart. 1692, in qua collatis decretis, quæ ad invicem videbantur pugnare, ad dubium propositum : « An Episcopus posset compellere Canonicos confessarios cæterosque presbyteros cathedralis sub pœna pecunaria, ut accederent ad Congregationem casuum conscientiæ, responsum fuit, posse compellere omnes sacerdotes sæculares confessarios, etiamsi Canonici sint, cæteros autem hortari ; » et sic fuit etiam decisum a Congregatione particulari deputata in Vigilien. synodi, 30 Maii 1696, in responsione ad 35 decretum, et iterum in Congreg. generali 18 Jul. ejusdem anni 1696, et prius in alia S. Angeli Bisaciarum 15 Aprilis 1596. (36. Regulares vero, nisi sint parochi, nullatenus cogi possunt ad interessendum lectioni, seu conferentiæ casuum conscientiæ. Sac. Congr. Concilii in Forosempronien., 3 Septembr. 1630, eadem Sacra Congr. in Urbinaten., 10 Martii 1663, et expresse Sacr. Congr. super statu regularium decrevit, ut sequitur : « Cum conventus supressi, et postea restituti, in quibus non degunt de familia duodecim religiosi, sint vigore decreti *Ut in parvis* fel. recordationis Innocentii X, subjecti visitationi, correctioni, et omnimodæ jurisdictioni ordinariorum locorum, contigit dubitari : An religiosi confessores, et non parochi in hujusmodi conventibus degentes compelli possent ab eisdem ordinariis, ut accedant ad conferentiam casuum conscientiæ? Proposito hoc dubio in Sac. Congr. super statu regularium habita in palatio Vaticano, die 15 Januarii 1682. Eminentissimi Patres censuerunt ordinarios locorum posse quidem hortari, non autem compellere prædictos religiosos confessores non parochos ad accedendum ad conferentiam casuum conscientiæ. Cæsar Card. Facheneus... B. Panciaticus Secret. » (37. Imo neque possunt cogi ad interessendum lectioni Sacræ Scripturæ regulares illi, in quorum monasteriis talis lectio minime habetur, ut expresse censuit Sac. Congr. Concil. in Fossanen. Lectionis, 11 Martii 1662, ubi fuerunt proposita dubia tenoris ut sequitur : Primo : « An Episcopus statuere possit, ut lectiones a Canonico theologo non in cathedrali Ecclesia, sed in palatio Episcopi habeantur? » Secundo : « An ipse cogere possit regulares, in quorum monasteriis lectio Sacræ Scripturæ minime habetur, ut lectionibus per Canonicum theologum habendis intersint? » S. Cong. Conc. censuit : Ad primum in casu, de quo agitur *affirmative*. Ad secundum, *negative* (2). (38. Regulares tamen, qui exercent curam animarum, tenentur intervenire conferentiis casuum conscientiæ, et ad omnia alia, ad quæ tenentur curati sæculares. Sacr. Congreg. Episcop. in Vigevanens., 5 Januar. 1508, in Lucensi, 4 Februar. 1602, in Senogalliens., 26 August. 1616 et 13 Septembr. 1641, ac 22 ejusdem 1645, et 8 Octobr. 1649, et 8 Januar. 1650. (39. Ad quæ cogi possunt ab Episcopo. Eadem Sacr. Congreg. in Paduana, 13 Febr. 1604. Etiamsi sint ad nutum amovibiles, et sic etiam Sac. Cong. Conc. in Cauriensi, 5 Apr. l. 1631. (40. Et ideo si renuerint, potest Episcopus procedere contra ipsos regulares parochos, non autem contra eorum superiores. Ead. Sacr. Congr. Concil. in Segobiensi, 1 April. 1656. Non tamen iidem parochi regulares cogi possunt ad assistendum divinis in cathedrali, nequidem in festo S. patroni. Ead. Sac. Cong. 1 Decemb. 1626.

(41. Canonico theologo die qua legit, licet choro non intersit, debentur distributiones non solum pro illis horis, quibus legit, ut si mane legat pro horis matutinis, et Missa solemni, sed etiam pro tota die. Sac. Congr. Conc. in Oriolen., 5 August. 1616, et in Fanensi, 3 August. 1624. (42. Imo non solum tribuendæ sunt illi distributiones quotidianæ omnium horarum illius diei, qua legerit, sed etiam emolumenta quæcunque personaliter interessentibus dari solita, etiamsi choro non intersit. Sac. Congr. Concil. in Oriolensi, 12 August. 1628. (43. Quamvis tamen tota die, qua legit, habeatur pro præsente in choro, etiam quoad distributiones juxta su-

Acerrarum ad dubium quintum, tom. IV *Thesaur.*, pag. 104, in Larinen., 9 Augusti 1732, ad primum, tom. V *Thesauri*, pag. 296, et in una Salernitana, die 27 Septembris ejusdem anni ad primum, pag. 330, in quibus Resolutionibus indiscriminatim est sermo, absque distinctionibus confessariorum, et non confessariorum. (Edit. Ven.)

(1) Vide novum articulum verb. Congregationes pro sacrorum rituum et casuum conscientiæ disceptatione, n. 3 seqq. (Edit. Barbiell.)

(2) Nunc tamen ubi concilium provinciale Romanum anno 1725, habitum obligat Regulares, in quorum cœnobiis Sacræ Scripturæ lectio non habetur, cogi possunt ut huic intersint, si ad audiendas sæcularium confessiones approbati sint, sub pœna suspensionis ab illis audiendis. Etenim in eo concilio, tit. I, cap. 9, cujus titulus est : *Sacræ Scripturæ lectionibus quinam interesse teneantur*, dicitur : « Ecclesiarum proinde tum cathedralium, cum collegiatarum dignitates, et Canonici, parochi itidem, et confessarii sæculares (regulares etiam sub suspensionis pœna a confessionibus audiendis, quatenus hæc ipsa lectio in eorum monasteriis non habeatur) Sacræ, ut supra dictum est, Scripturæ lectioni, diebus, et hora, ab Episcopo præfigendis, omnino interesse teneantur; imposita, quæ eidem Episcopo placuerit, contra absque legitima causa absentes pœna pecuniaria, nemini ullatenus remittenda. » In eadem porro synodo, tit. eodem, cap. 8, methodus observanda in sacra Scriptura exponenda proponitur his verbis : « Lectores autem, quicunque sint, divinas in Ecclesia Scripturas interpretantes, nortatos volumus, ut cum non omnes auditores sint eodem ingenio prædili, clara et pro singulorum captu dicendi ratione utantur ; potissimumque monemus, ut, maximum circa hoc ministerium, ea ipsis præcipua, sit methodus, quatenus, litterali in unaquaque lectione textus enarratione præmissa duas nimirum ex eisdem sacræ Scripturæ locis proponant semper, solvantque quæstiones, historialem unam, moralem alteram, vel de nostræ fidei articulis, et sacramentis, vel de catholicæ Ecclesiæ ritibus, eorumque mysteriis, vel aliis ad sanam doctrinam, et Christianam institutionem spectantibus, quæ humanæ nedum eruditioni, sed spirituali etiam valeant prodesse interessentium saluti. » (Ed. Barb.)

Digitized by Google

prædicta, non censetur tamen præsens Matutino, quod dicitur pro die sequenti in vespere præcedente secundum consuetudinem, vel privilegium aliquarum Ecclesiarum. Sic decisum fuisse a Sac. Congregat. Concil. referunt Garcias, *de Benef.*, part. III, cap. 2, num. 118. Gallet. in *Margarita Casuum conscientiæ*, verb. *Canonicus*, pag. 29. Nald., verb. *Distributiones*, num. 9. Barb., *de Offic. et potest. Episcop.* part. III, alleg. 56, num. 9, et *de Canon.*, cap. 27, num. 34, et in Concil. Trid., sess. 5, *de Reform.*, cap. 1, num. 35, et *Apostolic. decis.*, verb. *Canonicus theologus*, num. 12. Ex præbenda theologali segreganda est tertia pars, ex cujus redditibus data proportione solvenda est sua portio sacristiæ metropolitanæ, respondens diebus quibus Canonicus deesset muneri suo. Ita cit. *Inst. Eccl.* 57, § 7. (44. Canonicus theologus debet sedere in loco sui canonicatus, non enim illi competit præcedentia super alios Canonicos, non obstante contraria consuetudine, quia non est dignitas; sed sedere, et incedere debet secundum suam antianitatem. Sac. Congreg. Conc. in Senensi, 16 Apr. 1695, et in Murana, 11 Apr. 1697.

(45. Pœnitentiarius Canonicus in omnibus Ecclesiis cathedralibus, ubi id commode fieri potest, est instituendus. Concil. Trid., sess. 24, cap. 8, ibi : « In omnibus etiam cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ proxime vacaturæ ab Episcopo instituatur. » (46. Canonicus pœnitentiarius deputari debet, qui sit magister, aut doctor, seu licentiatus in sacra theologia, vel jure canonico. Trid. loc. citat. ibi : « Qui magister sit, vel doctor, aut licentiatus in theologia, vel jure canonico. » (47. Imo non sufficit quod sit doctor nomine, sed debet esse doctor re, et si constet deputatum esse valde ignarum, licet ipse sit doctor, est deputandus alius; vacante enim officio pœnitentiariæ cathedralis Ecclesiæ Capuanæ Eminentissimus Card. Bellarminus Archiepiscopus petiit a Sac. Congreg. Conc. an esset conferendum N. qui, licet doctor fuisset, tamen attestabatur esse valde ignarum? Et Sacra Congreg. die 20 Martii 1623, censuit hujusmodi N. haberi ac si non esset doctor, et ideo de alio providendum; sic ex Barb., *de Canon.*, et *Dignitatib.*, cap. 25, num. 9, refert. Corrad., in *Praxi Benefic.*, lib. II, cap. 4, num. 120, ubi num. præc. ait ex Felin. in cap. *Si quando*, num. 7, de rescript. quod Ecclesia indiget viris litteratis, non asinis ferratis. (48. Quando autem doctores, et licentiati in jure canonico, vel theologia apti non inveniuntur, non est necesse pro validitate collationis hujus præbendæ, quod provisus sit doctor, vel theologus, sed sufficit, quod in loco sit aptior. Colligitur ex Trid. loc. cit. ibi : « Seu alius, qui aptior pro loci qualitate reperiatur, » et tenet Garcias, *de Benef.*, part. VII, cap. 4, n. 32. Barb., *supra Concil.*, d. cap. 8, n. 16. Monacelli, t. 1, tit. 2, formul. 6, n. 2. (49. Et Corrad., loc. cit., num. 121, refert. Sac. Cong. Conc. in Elbor. Pœnitent., 12 Martii 1623, decrevisse, quod potest præbenda pœnitentiariæ resignari ad favorem illius, qui non sit doctor, neque licentiatus, sed attestationibus ordinarii, capituli, et academiæ asseritur doctus et habilis, quia sufficienter constat de idoneitate ad effectum, ut Papa provideat, et num. 122, prosequitur dicens, quod licet vulgo dicamus, non omnem doctorem doctum esse, attamen bene et converso, omnem doctum esse doctorem, multi enim sunt doctores nomine, pauci vero opere, quare doctoratus dignitas hodie in Italia quasi contemptibilis est, quandoquidem ad illam fere omnes promoveri curant, ex Lotter. *de Re benefic. in appar.*, num. 128, cum pluribus seqq. (50. Canonicus pœnitentiarius debet esse in ætate quadraginta annorum. Conc. Trid., loc. c., ibi : « Et annorum quadraginta, » et hujusmodi quadraginta annos debere esse completos, tenuit Garcias, part. VII, cap. 4, num. 35. Navar., conclus. 17, num. 2. Barbosa, in *Concil.*, loc. cit., num. 19, et *de Canonic.*, cap. 26, num. 10, et d. allegat. 55, num. 9, contra Azorium existimantem sufficere esse incœptos. (51. Defectus tamen ætatis quadraginta annorum in Canonico pœnitentiario non obstat, ubi alias aptior pro loci qualitate reperiri non potest, et sufficit, quod non reperiatur in civitate, aut in diœcesi persona apta cum dictis qualitatibus, nec enim est quærenda extra diœcesim; arg. cap. *Nullus* 13, distinctione 61, et cap. *Sacrorum* 34, distinctione 63, et ita tenent Salazar. de Mendoza, in libello *de Institutione canonicatus pœnitentiariæ in Ecclesia Tolet.*, § 3. Navar., *de Privileg. clericorum*, cap. 4, num. 70, in *Singul. Canon.*, conclus. 17, num. 4. Garcias, d. capit. 4, n. 33. Barbosa, *de Offic. et potest Episcop.*, d. allegat. 55, n. 8, et in *Concil.*, loc. cit., num. 20, et d. *Canonicis*, loc. cit.

(52. Canonici pœnitentiarii institutio in cathedralibus tantum est facienda, ut colligitur ex Trident., loc. cit., ibi : « In omnibus cathedralibus Ecclesiis, » et quod decretum Concilii intelligi debeat tantum de cathedralibus, et locum non habeat in aliis collegiatis, decisum fuisse a Sac. Congr. Concil. referunt Sell., in *Selectis Canonum*, cap. 21, num. 3, et Garcias, *de Benefic.*, part. V, cap. 4, n. 113. (53. Pœnitentiarii institutio, et electio personæ ad solum Episcopum absque consensu capituli spectat cum hoc solius Episcopi arbitrio relinquatur. Et sic decisum fuisse a Sacra Congreg. Concil. referunt Garcias, d. cap. 4, n. 138. Aloys. Ricc., in *Praxi for. Ecclesiast.*, resol. 477, n. 1, in 2 edit. Ugolin., cap. 33, n. 2. Zerola, verb. *Pœnitentiarius*, § 3, et tenuit Rota in una Abulen. *Canonicat. Pœnitentiariæ*, 17 April. 1589, coram Mantica, et in Majoricen. *Canonicatus*, 15 Novembr. 1593, coram Card. Millino. (54. Electio personæ pœnitentiarii ad solum Episcopum tunc pertinet, quando præbenda non vacat in mense apostolico, vel non adest alia reservatio seu affectio, nam tunc ad Papam pertinet ratione reservationis; Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. gloss 9, § 2, n. 24. Salazar. de Mendoza, in

Digitized by Google

d. libello, § 2 et 3. Barbosa, *de Offic. et potest. Episcop.*, d. allegat. 55, n. 13, et *Trident.*, loc. cit., n. 12, et *de Canon.*, n. 4.

(55. Pœnitentiaria vacans, sede episcopali vacante, non potest provideri a capitulo, quamvis collatio præbendarum sit communis Episcopi, et capituli, vel etiam solius capituli; sic decisum fuisse a Sac. Congr. Concilii referunt Garcias d. part. v, cap. 4, num. 145; Aloys. Ricc. d. resolut. 477, num. 4. (56. Imo pœnitentiariæ vacantis, sede episcopali vacante, electio et collatio pertinet ad Papam, etiam seclusa reservatione, et non est reservanda futuro Episcopo; sic decisum fuisse a Sac. Congr. Concil. in una Januensi refert Garcias in addit. ad. d. can. 4, num. 150. (57. Capitulum non potest se intromittere in electione pœnitentiarii, licet ad ipsum collatio spectet, quamvis Episcopus sit absens, sed ipse Episcopus absens poterit, ubicunque fuerit, eligere pœnitentiarium, non enim ad id est necessaria præsentia, seu existentia in diœcesi, nam etiam extra illam potest expediri, cum non sit contentiosæ, sed voluntariæ jurisdictionis, prout decisum fuisse in una Burgen. refert Nicol. Garcias in addit. ad d. cap. 4, n. 143. (58. Pœnitentiarii enim electio pertinet solum ad Episcopum, vel eo absente, ad suum vicarium, cui Episcopus in specie delegaverit hanc facultatem. Sic etiam declaravit ead. Sac. Congr. ut refert Garcias loc. mox cit. (59. Quamvis electio pœnitentiarii quandocunque facienda spectet ad solum Episcopum, vel eo absente, ad suum vicarium ad hoc specialiter delegatum, absque consensu Capituli, collatio tamen præbendæ unitæ officio pœnitentiarii ab illis fieri debet, ad quos antea spectabat. Sic decisum fuisse a Sac. Cong. Conc. referunt Garcias d. p. v, c. 4, n. 238; Gonz. ad reg. 8 Canc., gloss. 9, § 2, num. 84. Aloys. Ricc. d. resolut. 476. n. 2.

(60. Præbenda officio pœnitentiarii uniendа debet esse integra et canonicalis. Sacra Congr. Conc., 31 Maii 1596 et in Conimbrien. 31 Martii 1602. (61. Portio enim, quæ sit in Ecclesia, in præbendam pœnitentialem erigi non potest, sed præbenda canonicalis; et si non essent præbendæ, sed fructus omnes in distributionibus quotidianis consisterent, tunc distributiones habebuntur pro præbenda. Sic decisum fuisse a Sacra Congreg. Concil. refert Garcias d. pag. 5, c. 4, num. 127. (62. Non potest Episcopus primam præbendam vacantem assignare pro pœnitentiario, quamvis in loco videretur magis necessarius, sed prius debet erigi theologalis propter verba Concil. sess. 5, cap. 1 *de Reformat.* (63. Si tamen in aliqua civitate fuerit judicatum magis expediens, ut prius de pœnitentiario quam de theologo provideatur, habenda est confirmatio a Sede Apostolica, ad omnem difficultatem tollendam. Sacra Congregatio Concil. in civitatis Castellanæ, 17 novembr. 1629. (64. Canonicatus pœnitentialis non potest optari, nec pœnitentiarius potest aliam præbendam optare, quia ad eam videtur electa industria personæ. Et ubi beneficium requirit certas qualitates, aut examen, si cui indulgetur, ut possit consequi aliam dignitatem, aut beneficium, illud non venit, quod examen, aut qualitates illas requirit, ut est textus optimus in cap. *Licet in tantum* 4, *de Translat. Episcopi.* Unde a Sacra Congregatione Conc. fuit expresse decisum, die 12 Februarii 1601. « Pœnitentiarii præbendam, etiam postquam est effectum sortita non subjacere optioni. » Et in una Vercellen. 7 Julii 1601, etiam fuit dictum, quod non solum non potest optari præbenda pœnitentiarii, sed nec titulus, ac ordo illius. (65. Potest tamen pœnitentiaria resignari, sicut alia præbenda, etiam in favorem alterius, dummodo habeat qualitates requisitas. Sic tenent Salazar. de Mendoza in d. libello § 5; Ceval. *Commun. contra commun.*, quæst. 894, num. 489 subdit posse etiam super eam imponi pensionem; Barbosa *de Offic. et potestat. Episcoporum*, part. II, allegat. 55, num. 34, et *de Canon.*, cap. 26, num. 23. (66. Pœnitentialis præbendæ erectio non habet locum in ea, quæ vigore statuti a sequenti Canonico optatur, sed illa præbenda, quam dimiserit Canonicus, qui novissime optat, huic muneri affecta et unita remanet. Sacra Congregatio Conc. in Lunen. Sarzanen., 6 Julii 1592.

(67. Pœnitentiarius, eo ipso quod est institutus, habet a jure et Concilio facultatem audiendi confessiones, et jurisdictionem ad absolvendum a peccatis absque alia ordinarii licentia, et est veluti parochus totius diœcesis; Navarr. cons. 20, *de pœnit. in novis*; Lel. Zech. *de Republ. Eccl.* c. 24, *de Capitulo et Canon.*, sub num. 17; Salazar. de Mendosa in d. libello §. 5; Ugolin. *de Offic. Episc.* c. 33, num. 2 et 3; Aloys. Ricc. de resolut. 477. num. 5; Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* d. allegat. 55, num. 19, et *de Canonicis*, c. 26, n. 12, et in Concilio Trid. sess. 24, c. 8, num. 21. (68. Pœnitentiario quilibet potest peccata sua confiteri et sic satisfacere præcepto; cap. *Omnis utriusque sexus, de Pœnitent. et remission.* Sic decisum fuisse a S. C. referunt Aloys. Ricc. loc. mox. cit.; Garcias d. part. v, c. 4, n. 113; Barbosa d. allegat. 55, num. 20, et in Tridentin. loc. cit. num. 22, et *de Canonicis*, loc. cit. num. 13. (69. Pœnitentiarius institutus pro audiendis confessionibus unius diœcesis, non potest audire in alia, etiam habentium bullam, vel licentiam sui parochi. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.*, d. allegat 55, n. 21; Garcias d. part. v, cap. 8, dub. 4, ubi dicit sic decisum fuisse a Sacra Congregatione in casu simili de parocho, scilicet quod in aliena diœcesi sine illius ordinarii approbatione eligi nequeat in confessarium ab habentibus privilegium vigore jubilæi eligendi confessarium approbatum (70. Pœnitentiarius non potest delegare suam auctoritatem. Sac. Congr. Episcop. et Regul. in Reginen., 2 Octob. 1584. (71. Non potest pœnitentiarius absolvere a casibus, quos Episcopus sibi expresse reservavit, nisi ipsemet Episcopus talem specialem facultatem

Digitized by Google

ei expresse concesserit. Sic decisum fuisse a Sacra Congregatione referunt Aloys. Ricc. in *Praxi fori Ecclesiast.* decis. 751, in 1 edit. et resolut. 692, num. 2, in 2 edit. et Garcias d. part. 5, cap. 4, num. 115. (72. Nec potest casus reservatos sibi ab Episcopo commissos alteri subdelegare, nisi habuerit expressam ad hoc Episcopi facultatem, quia censetur electa industria personæ, et delegatus, maxime ad nudum ministerium, subdelegare non potest, nisi hoc illi expresse demandetur: cap. ult., § *Cæterum de Offic. deleg.* Ita Joan. Valer. *de Different. inter utrumque forum*, verb. *Jurisdictio different.* 2, n. 3; Barbosa *de Offic. et potestat. Episcop.* dict. allegat. 55, num. 24, et *de Canon.* d. c. 28, num. 17. (73. Pœnitentiarius tenetur integras confessiones audire, non autem solos casus reservatos. Sac. Congr. Concil. teste Nicolao Garcia d. part. 5, cap. 4, num. 117. (74. Confessiones parochianorum civitatis audire nullo modo recusare potest pœnitentiarius. Sacra Congr. Rit. apud Nicol. Garciam d. part. 5, cap. 4, num. 118. (75. Confessiones audire si renuerit pœnitentiarius, poterit ab Episcopo puniri. Sic decisum fuisse a Sac. Cong. Conc. refert Garcias d. part. 5, cap. 4, num. 119. (76. Imo pœnitentiarius debet assistere et residere, de mane, etiam non vocatus, in sede confessionali ab Episcopo destinata diebus festis solemnioribus, videlicet, tempore jejuniorum Quadragesimæ, Adventus, Quatuor Temporum, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, et Nativitatis Domini, ut habetur decisum in Segobien. a Sacra Congreg. Conc. quam per extensum refert Crispin. *de Visit.* part. 2, § 24, n. 2 et cit. Garcias d. part. 5, cap. 4, n. 122. (77. Non debet tamen pœnitentiarius tenere in manu virgam, seu bachettam sicut in urbe, præcipue in locis ubi hoc non est in usu. Ita decisum in una Abulen., 21 Apr. 1587, referunt Garcias d. part. 5, cap. 4, n. 117; Ugolin. d. cap. 33, num. 6; Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* d. allegat. 55, num. 29. Nec potest cogi ab Episcopo ad interessendum in sua sede pro audiendis confessionibus eo tempore quo non adsunt pœnitentes, qui sua opera uti velint. Sacra Congregatio Episcop. 18 Septemb. 1637.

(78. Pœnitentiarius non potest cogi ad majorem residentiam, quam alii Canonici, qui per tres menses abesse possunt, dummodo tamen non absit tempore, quo frequentius pœnitentes accedunt et diebus festis solemnioribus, veluti tempore jejuniorum Quadragesimæ, Adventus, quatuor Temporum, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis B. M. V., Nativitatis Domini, et omnium Sanctorum. Sac. Cong. Concil. testibus Garcia d. part. 5, cap. 4, num. 122; Ugolino d. cap. 33, num. 5; Salazar. de Mendoza in d. libello § 7, quia in ipsis tenetur de mane residere in sede confessionali, etiam non vocatus, ut patet supra num. 76. (79. Pœnitentiarius pro præsente in choro est habendus, dum audit confessiones in Ecclesia. Concil. Trident. *loc. cit.* ibi: « Qui dum confessiones in Ecclesia audiet, interim præsens in choro censeatur; sive in Confessionario, sive extra. » (80. Non tamen pro tempore quo residet in confessinario, nec audit confessiones, aliis in choro divina celebrantibus; nec item si dixerit Missam, aut si privatim officium dixerit, etiam ut opportunius confessiones audiat, censendus est præsens in choro: sic decisum fuisse a Sac. Congreg. Concil. referunt Moneta *de Distributionibus quotidianis*, part. II, q. 11, num. 64 et sequent; Ugolin. d. cap. 33. num. 5; Garcias d. part. 5, cap. 4, num. 124 et seq.; Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* d. alleg. 55, num. 30, et *de Canonicis*, d. cap. 26, num. 20, et in Trid. *loc. cit.* n. 28, et *Apostolicar. Decis. collect.* verb. *Canonicus pœnitentiarius*, num. 5. (81. Pœnitentiarius dum actualiter audit confessiones in Ecclesia non solum censetur præsens in choro ad lucrandas distributiones quotidianas, sed etiam eleemosynas ipsas quæ distribuuntur pro associandis et sepeliendis cadaveribus defunctorum, vel pro supplicationibus et processionibus quæ per urbem aguntur. Sac. Congr. Concil. in Januen., 4 Septembris 1591, ut refert Garcias d. parte 5, cap. 4, num. 124, et seguitur Barbosa d. alleg. 55, num. 31, et *de Canon.*, d. cap, 26, num. 21, et in Trident. *loc. cit.* num. 29, et *Apostolicar. Decis. loc. cit.* num. 6, et tenent Castropalao in *Opere morali*, tract. 7, disp. 3., punct. § 5, num. 2; Trullench. in *Exposit. Decal.* lib. I, cap. 8, dub. 12, § 5, num. 1, in fine; Bonacina *de Horis Canonicis* disput. 2, part. 5 punct. 3, § 5, num. 4 et alii contra Monetam. d. part. 11, num. 65. (82. Pœnitentiarius non censendus est pro præsente in choro, si extra Ecclesiam Confessiones audiat, etiam infirmorum. Sic Garcias in addit. ad d. part. 5, cap. 4, num. 125, in fine; Barbosa *de Offic. et potest. Episc.*, d. alleg. 55, num. 32, et *de Canonicis*, d. cap. 26, num. 22, et in Trident. *loc. cit.* num. 30. (83. Canonicus pœnitentiarius non præcedit aliis Canonicis, non obstante contraria consuetudine, quia non est dignitas, sed sedere, et incedere debet secundum suam antianitatem. Sac. Congr. Concil. in Senen., 16 April. 1695 et in Murana, 11 April. 1699. (84. Pœnitentiarius approbatus, et in possessionem immissus a delegato apostolico eo quod Vicarium et tribunal ordinarii suspectum haberet, potest audire confessiones absque alia licentia ipsius ordinarii. Sac. Cong. Episcop., 25 Februar. 1607. (85. Pœnitentiarius non potest esse Vicarius Generalis Episcopi, ne suspicionem ingerat, quod in administratione justitiæ utatur scientia confessionis, nisi tantæ apud omnes esset opinionis ut excluderetur hujusmodi suspicio. Sac. Congr. Episcop., 15 Julii 1611. (86. Canonicus pœnitentiarius, quamvis regulariter non sit admittendus in confessarium monialium propter difficultalem satisfaciendi utrique muneri, tamen cum potest utrique muneri satisfacere, Sac. Congreg. Conc.

Digitized by Google

in Januen., 11 Septembris 1666, censuit in hoc casu non esse prohibendum. Pignatell. tom. VII, consult. 13.

(87. Innuimus supra, n. 14. electionem theologi et pœnitentiarii hodie fieri debere per concursum, ex noviss. *Const.* Bened. XIII. sed ut ab omnibus ea præ oculis habeatur, præstat hic ad litteram adduci.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

(88. Pastoralis officii nostri esse ducimus, assiduo enixoque studio curare ut universa Sacræ Tridentinæ synodi decreta inviolabiliter observentur; sed eorum præ cæteris exsecutionem strenue promovendam urgendamque Nobis esse arbitramur, ex quibus majorem in Ecclesia Dei utilitatem proventuram fore conspicimus, ac eos potissimum, quorum opus in prædicatione et doctrina consistere debet, ut cunctos ædificent, tam fidei scientia, quam actionum disciplina, excitari maxime posse confidimus ad impensius frequentendam tantopere necessariam Sanctarum Scripturarum lectionem, quas qui nescit, ut beatus Hieronymus admonet, nescit Dei virtutem, ejusque sapientiam, nam ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi est.

Cum itaque saluberrimo prædicti Conc. Trident. decreto relato in c. 1, sess. 5, *de Reform.* cautum sit, ut nedum in Ecclesiis cathedralibus, sed in collegiatis etiam oppidorum insignium, in quibus præbenda, aut præstimonium, seu stipendium pro Sacræ Scripturæ lectoribus constitutum non reperitur, præbenda quomodocumque, præterquam ex causa resignationis, primo vacatura, ipso facto ad eum usum perpetuo constituta, ac deputata intelligatur. Et quatenus nulla, vel non sufficiens præbenda foret, locorum ordinarii per assignationem fructuum alicujus simplicis beneficii, debitis tamen ejus supportatis oneribus, vel per contributionem Beneficiatorum suarum diœcesum, vel alias prout commodius fieri poterit ita provideant, ut ipsa Sacræ Scripturæ lectio omnino habeatur. Verum ejusmodi provida præfati Concilii dispositio in aliquibus Cathedralibus, sicut non absque gravi animi nostri dolore percipimus huc usque neglecta, debitæque exsecutioni demandata non fuerit. Hinc igitur est quod Nos illius exsecutionem pro Pontificiæ vigilantiæ debito urgere intendentes motu proprio, ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, decernimus, et mandamus, ut in cathedralibus quibuscumque Italiæ, insularumque adjacentium, in quibus præbenda theologalis hactenus instituta non fuerit, præbenda primo vacatura, post ejusdem præsentis constitutionis publicationem, sive ad Nos, Sedemque Apostolicam, sive ad ordinarium illius collatio atque provisio pertineat, ipso jure, et absque ulla alia declaratione sit, ac esse censeatur præbenda Theologalis constituta. Volumus insuper ut tam illa, quam reliquæ omnes aliæ præbendæ theologales hactenus constitutæ, et deputatæ, conferri semper debeant doctori in Sacra Theologia, vel qui infra annum doctoralem lauream in eadem facultate suscipiat; et cæteroquin magis idoneo in formali concursu ab examinatoribus renuntiato, eo plane modo, quo parochiales Ecclesiæ conferuntur. Hunc porro in finem, quotiescumque ejusmodi præbenda theologalis conferenda erit, per edictum publicum vocentur quicumque concurrere, et examini sese subjicere voluerint coram Episcopo, et quatuor examinatoribus, etiamsi synodales non sint, ab eodem Episcopo actu eligendis, ac deputandis in theologali tamen facultate licentiatis, et valde peritis, sive sæcularibus, sive regularibus, et illi, qui in concursu ejusmodi probatus, magisque idoneus renunciatus fuerit, præbenda conferatur. Quoties autem præbendæ collatio ad Sanctam Sedem spectabit, Episcopus ad Romanum Pontificem pro tempore existentem acta concursus transmittere teneatur, ut ipse vacantem præbendam illi assignare, atque conferre possit, quem cæteris digniorem, atque magis idoneum in Domino judicaverit.

Quod si Episcopus primo vacaturam præbendam contra formam in præsenti constitutione præscriptam conferre præsumpserit, vel etiam in aliis occurrentibus casibus eamdem formam observare neglexerit, illius collatio, atque provisio ipso jure, nulla, et irrita, nulliusque prorsus roboris, vel momenti sit, ac esse debeat, ejusdemque præbendæ dispositio statim devolvatur, et pertineat ad Sanctam Sedem, et Romanum Pontificem pro tempore existentem, a quo doctori in Sacra Theologia conferetur.

Cæterum, ut fructus, quem Tridentina Synodus ex præbendæ theologalis institutione perceptum iri speravit, omnino re ipsa, et cum effectu percipiatur, volumus, statuimus, et mandamus tertiam partem proventuum dictæ præbendæ theologalis ab Episcopo distribui, et proportionaliter applicari singulis lectionibus Sacræ Scripturæ, quæ a præbendato, præscriptis diebus, et horis totius anni habendæ erunt, ita ut si præbendatus universas lectiones habuerit, assignatas distributiones integras absque ulla prorsus diminutione consequatur. Si vero in aliqua, vel pluribus lectionibus defecerit, distributiones neglectis lectionibus respondentes amittat, quæ in sacristiæ Ecclesiæ beneficium cedant, ac erogentur. In casu autem gravioris contumaciæ præbendati liceat Episcopo deputare alium theologum sacerdotem sæcularem, vel regularem, qui jugiter supplendo ejusdem præbendati vices, præfatis distributionibus potiatur.

Quoniam vero nonnulli Episcopi, sicut accepimus, ut propriæ incuriæ aliquod velamen obtendant, dilatæ erectionis ejusmodi præbendæ theologalis causam in tenuitatem, ac insufficientiam præbendarum suarum Ecclesiarum rejicere solent: Nos om-

Digitized by Google

nem de cætero prætextum, sive excusationem e medio tollere, ac penitus eliminare volentes, motu, scientia, ac potestatis plenitudine similibus decernimus, statuimus, atque præcipimus, quod ubi præbenda theologalis, computatis etiam distributionibus quotidianis, ad annuum saltem redditum scutorum sexaginta monetæ Romanæ non ascendat, pro summa ad hanc taxam conficiendam deficiente, iidem Episcopi unire possint, et debeant eidem præbendæ aliquod simplex beneficium, cujus supplemento prædicta summa conficiatur, primo vacaturum, in quocumque mense, et qualitercumque et quomodocumque Sedi Apostolicæ affectum, et reservatum : ita tamen ut tali unione illa omnia beneficia, quæ pro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, Papæ familiaribus, nunciis apostolicis, atque prælatis congregationum, quibus iidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales intersunt, secretariis in alia constitutione ad promovendam seminariorum erectionem novissime per Nos condita peculiariter reservavimus, perpetuo reservata, et excepta sint, ac esse intelligantur, et quidquid secus fieri contingeret, ex nunc prorsus irritum, ac inane, nulliusque roboris, vel momenti esse, ac fore decernimus, et declaramus.

Postremo quæcumque hactenus de præbenda theologali, et Sacræ Scripturæ lectione sancivimus, extendimus etiam, ac adamussim observari volumus, et mandamus (congrua tamen congruis referendo) quoad institutionem Canonici pœnitentiarii in illis cathedralibus, in quibus nondum fuerit institutus ejusque honestam sustentationem, concursum, deputationem, omniaque alia ad illius officium pertinentia, et præter illa, quæ a Nobis superius disposita sunt, ea insuper quæ Tridentina Synodus cap. 8, sess. 24, *de Reform.* de hujus ministri qualitate, ætate, ac exemptione a servitio chori constituit, exacte observari decernimus, præcipimus, et mandamus.

Decernentes etiam præsentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, etc.

Non obstantibus, quatenus opus sit, etc.

Ut autem præsentes litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, etc.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostram, etc.

Dat. Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto; decimo quarto Kal. Junii, pontificatus Nostri anno primo.

P. M. Card. Prodat.

F. Card. Olivebius.

Visa de Curia S. C. Archiepiscopus Amasenus.

Loco ✠ Plumbi. *L. Martinettus.*

Registrata in secretaria brevium.

(89. Hic nota ad rem quod concurrentes ad præbendam theologalem debent esse doctores in Sac. Theologia, vel saltem intra annum tenentur doctoralem lauream in aliqua universitate approbata studii generalis assequi. Nec sufficit laurea canonica ex responso Sac. Congreg. Nec etiam sufficit laurea canonica recepta ab aliquo privilegium obtinente; sed omnino requiritur obtinuisse in universitate approbata, quod commune est omnibus beneficiis lauream doctoralem exigentibus, ut ex bulla S. Pii V. Bened. XIV. *Instit. Eccles.* 57, § 4 et seq.

(90. Protonotarius Canonicus non potest in functionibus, et aliis actibus publicis sibi tanquam Canonico competentibus uti habitu pronototarii, sed suo habitu canonicali. Sacra Congreg. Rituum in Asculana, 19 Novemb. 1612. (91. Potest tamen uti habitu pronototarii, in omnibus actibus non competentibus sibi tanquam Canonico. Sac. Congreg. Rit. in Nullius Terræ Pisciæ 19 Novembr. 1611, et in Asculana, 28 Januarii 1612. (92. Protonotarius Canonicus, seu dignitas, si cum habitu protonotarii intersit choro, processionibus et divinis, non lucratur fructus, et distributiones sui Canonicatus. S. C. R. in Asculana, 16 Martii 1610 et 19 Novemb. 1611, et in Spoletana contra priorem Collegiatæ S. Michaelis Terræ Sevaniæ, 9 Julii 1695, qui cum parere decreto recusaret, et indultum saltem prædictum habitum deferendi in choro postularet; causa reproposita 17 Decembr. ejusdem anni 1695, responsum fuit distributiones restituendas esse a die decreti, et indultum non esse concedendum. (93. Imo in habitu protonotarii interveniens choro, distributiones amittit non obstante consensu, et concordia capituli. Cum enim post dictam resolutionem Sacræ Congregationis, Canonici cum supradicto Priore concordassent, quod posset dicto habitu uti in functionibus ecclesiasticis, solutis tamen annuatim sacristiæ scutis quindecim loco amissionis distributionum, et concordiæ approbationem ab eadem Congregat. postulassent, sub die 5 Julii 1698, referente clara mem. Card. Petruccio prodiit resolutio : « Non esse locum approbationi concordiæ. » (94. Dignitates enim, et Canonici ut lucrentur distributiones, debent intervenire cum proprio habitu canonicali; Sac. Congregat. Rit. in Melitensi, 7 Augusti 1621. (95. Alias si voluerint uti habitu protonotarii in sua Ecclesia, reputantur tamquam extranei, eisque assignatur locus non inter Canonicos, sed post ipsos Canonicos, et Abbates, et non lucrantur distributiones; Sac. Congreg. Rituum in dicta Asculana, 16 Martii 1610, et in d. Melitensi, 7 Augusti 1621. (96. Possunt tamen dignitates, et Canonici protonotarii in Ecclesia uti subtana violacea, licet reliqui Canonici deferant nigram, dummodo in reliquis gerant habitum similem, et æqualem aliis Canonicis. Eadem Sacra Congregatio Rituum in Panormitana, 14 Januarii 1612 et 11 Decemb. 1627. (97. Non possunt vero uti Rochetto sub Cotta dum in choro assistunt horis Canonicis. Eadem Sac. Congregatio Rituum *in Tricar.* 15 Martii 1614. (98. Protonotarius si sit prima dignitas, potest in choro deferre Rochettum cum Mantelletto. Si vero non sit prima dignitas, sedere debet in suo stallo cum suo habitu canonicali; S. R. C., in Clommacen. et Neocastren., 21 Aug. 1601. (99. Protonotarius utens habitu pro-

Digitized by Google

tonotarii, et prælati etiamsi non sit prima dignitas, debet præcedere Archidiacono primæ dignitati, dummodo tunc non lucretur distributiones quotidianas; Sacra Congregatio Rituum in nullius Terræ Pisciæ, 15 Jan. 1611. (100. Sed non potest uti dicto habitu in Processionibus, et in aliis actibus publicis, in quibus cum Capitulo intervenit. Sac. Congr. Rit. in Asculana 19 Novemb. 1611.

(101. Indultum jubilationis, quod est Ecclesiæ odiosum, et ideo parce concedendum, non constito de laudabili servitio Ecclesiæ per 40 annos præstito, ac de aliqua commiserationis causa, puta infirmitatis habitualis, vel senectutis, quæ, una cum laudabili servitio concurrere debet (1), non neque debet concedi, ut fuit ponderatum a Sacra Congregatione Concil. in Maceraten., indulti 8 Martii 1698, in qua indultum per subreptionem jam concessum, fuit revocatum. (102. Unde advertendum est quod ex tempore laudabilis servitii Ecclesiæ quadraginta annorum, propter quod solet a Sacra Congregatione concedi indultum Jubilationis, est deducendum servitium præstitum tempore clericatus ante adeptam præbendam, quod non computatur ad favorem indultum petentis, ut respondit Sacra Congregatio Concilii in Tridentina, 13 Januarii 1603. (103. Neque valet indultum jubilationis post quadragenarium servitium, si sit concessum a capitulo, et non a Sacra Congregatione, quia Canonici non habent hanc potestatem, sicuti nec possunt concedere Canonicis absentibus, quod participent de aliqua parte distributionum non obstante consuetudine, ut respondit Sacra Congregat. Concil. in Segobien., 15 Decembris 1703. (104. Concesso igitur legitime alicui Canonico a Sacra Congregatione indulto jubilationis, talis Canonicus jubilatus debet participare de distributionibus, de quibus participant alii Canonici choro, et divinis interessentes, etiam de illis quæ ob aliorum absentiam Canonicis interessentibus accrescunt. Dicitur enim Ecclesiæ per gloriam adhuc inservire, qui post diuturnum servitium, senio confectus ex licentia Summi Pontificis quiescit ad instar militis veterani, juxta text. in l. 1. *Cod. de veteranis*, lib. XII, tit. 47. Et sic censuit Sac. Congregat. Conc. in Viterbien., 26 Augusti 1628, in Romana, 13 Maii 1631, in alia Romana, 19 Apr. 1692, et in Aquipendii, 13 Mart. 1697. (105. Etiamsi distributiones essent auctæ post obtentam jubilationem, quia participat de augmento. Ead. Sac. Congregat. Conc. in Lunen. Sarzanen., 16 Maii 1685, in Bononien., 16 Junii 1696 et 20 Apr. 1697. (106. Indultum jubilationis concessum Canonico suffragatur pro participatione fructuum, et distributionum, etiam extraordinariarum, et d. distributiones, sunt per Canonicos restituendæ a die intimati indulti. Sac. Congreg. Concil. in Burgi S. Donnini jubilationis die 19 Aprilis 1704, ubi propositis infrascriptis dubiis; *Primo:* « An indultum jubilationis concessum Razino sub die 29 Aprilis 1702, suffragetur pro participatione omnium fructuum, et Distributionum etiam extraordinariarum, et contentarum in Decreto bon. mem. Episcopi Pallavicini? Et quatenus affirmative. » *Secundo:* « An dictæ Distributiones veniant per Canonicos restituendæ a die intimati Indulti? » eadem Sacra Congreg. respondit: *Affirmative* ad utrumque. Et sic in simili jam responsum fuerat ab eadem Sac. Cong. Conc. in una Alexandrina, ubi cum dubitaretur: « An Canonici legitimis ex causis absentes, quando non amittunt proprias Distributiones quotidianas, debeant etiam lucrari, et participes esse pro rata Distributionum aliorum Canonicorum absentium absque legitima causa? et an prædicti Canonici legitima causa absentes, ac proinde non amittentes proprias Distributiones ut supra, debeant illas recuperare ab aliis Canonicis, inter quos divisæ fuerant, an etiam possint ab universo Capitulo repetere? » Sac. Congregatio, etc., die 29 Septembris 1657. *Ad primum* respondit, deberi hujusmodi Canonico etiam punctaturas absentiæ. *Ad secundem* posse repetere etiam a capitulo.

(107. Canonico jubilato debentur etiam ea quæ proveniunt ex emolumentis processionum, et anniversariorum, et aliorum, dummodo testatorum voluntas non obstet. S. C. C. in Romana 5 Martii 1678, et in Perusina, 17 Julii 1688. Et sic etiam fuerat decisum in Novarien. jubilationis, ubi proposito dubio, an frui deberent emolumentis anniversariorum, quæ fiunt infra annum, quamvis iis non assisterent duo Canonici Ecclesiæ collegiatæ S. Gaudentii civitatis Novariæ, qui a San. Mem. Clemente X, obtinuerant indultum hisce verbis conceptum: « Cum sicut exponi fecisti tu, qui in sexagesimo quinto ætatis anno constitutus, quadraginta, et amplius annorum spatio residens, Nos, etc., tibi, ut quoad vixeris, a prædicta Ecclesia abesse, ac interim omnia, et singula, fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, et emolumenta quæcumque, nec non distributiones etiam quotidianas ordinarias, et extraordinarias quomodolibet nuncupatas, et in quibusvis rebus consistentes ac undecumque provenientes ad te ratione dicti canonicatus et præbendæ, si in eadem Ecclesia personaliter resideres, ac divinis officiis singulisque diurnis, ac nocturnis horis assidue interesses, spectantes, et pertinentes, ac etiam solis præsentibus, et divinis officiis, ac horis prædictis assidue interessentibus manualiter quotidie præstari, ac per eas lucrifieri solita, cum ea integritate percipere cum qua perciperes, si personaliter resideres libere, et licite possis, et valeas concedimus et indulgemus; » Sacra Congregatio die 2 Octobris

(1) Quod asserit auctor, ad obtinendum jubilationis indultum requiri in Canonico præter laudabile quadragenarium Ecclesiæ servitium, aliam commiserationis causam, *puta infirmitatis habitualis, vel senectutis*, minime sustinetur. Contrarium enim apparet ex resolutione Sac. Congr. Conc. in una Feltren. jubilationis, die 11. Januar. 1721. Vid. *Thesaur. Resolut.*, tom. II, pag. 2. (EDIT. VEN.)

Digitized by Google

1677, respondit: *Affirmative.* Verum cum postmodum sub. die 1 Julii 1679, in una Bituntina anniversariorum quæsitum fuisset: « An vigore indulti similis jubilationis Canonicus jubilatus percipere valeret perinde ac si choro personaliter interesset, emolumenta anniversariorum? » eadem Sacra Cong. *negative* resolvit. Hinc cæteri Capitulares prædictæ Ecclesiæ S. Gaudentii freti hac postrema resolutione, iterum obtinuerunt proponi dubium: « An Canonici jubilati vigore præfati brevis frui debeant emolumentis anniversariorum, quæ fiunt intra annum, quamvis non assistant, ita ut standum, vel recedendum sit a decisis? » Et Sacr. Congregatio sub die 29 Novembr. respondit in decisis quoad Anniversaria fixa, et in quibus non est cautum? Et sic etiam in Romana Jurium Canonicalium 5 Martii 1703, in qua ad dubium: « An indultum vacandi a choro aliisque divinis officiis ex causa infirmitatis concessum, valeat etiam pro laudemiis, quindeniis, capitulis, anniversariis, festivitatibus, processionibus, ac quibuscumque functionibus in Ecclesia peragendis, ita ut lucrari debeat omnia emolumenta communia nuncupata, ac etiam victualia, et candelas? respondit: *Affirmative* etiam quoad laudemia, exceptis anniversariis, et aliis obventionibus non fixis, et in quibus diversimode fuerit a testatore dispositum; » quæ etiam confirmata fuit die 20 Junii 1705.

(108. Ex quibus omnibus, et aliis adductis in verb. *Anniversarium*, n. 8, 9 et 10, satis constat, quod indultum quantumcumque amplum non comprehendat anniversaria non fixa, et corporaliter interessentibus a testatore relicta, nisi in indulto sit expressa voluntas Papæ, testatoris menti clare derogantis, et etiam talia anniversaria indultario explicite indulgentis. (109. Anniversaria autem fixa, et alia similia, in quibus non adsit contraria dispositio testatoris, et fundatoris, participantur ab indultariis, ac si personaliter interessent, quamvis functionibus vere non intersint, et onera missarum aliis injuncta, pro rata non adimpleant. Sacra Congreg. Concilii in Lunen. Sarzanen., 16 Maii 1685, in Urbanien., 29 Novemb. 1687, et in Romana Jubilationis, 24 Martii 1703, ubi proposito dubio: « An jubilato debeantur emolumenta processionum, etsi illis non interfuerit? » respondit: *Affirmative.* (110. Canonici jubilati non tenentur neque per seipsos, neque per alios Missam conventualem per turnum celebrare. Sac. Congreg. Concil. in Aquipendii, 27 Martii 1697. (111. Episcopus non potest decernere quod Canonicis jubilatis vigore indulti non debeantur distributiones extraordinariæ, quæ vel ob absentiam, vel vacationem Canonicorum interessentibus accrescunt, nam pro his indultum suffragatur S. C. C. in Romana, 5 Maii 1703, et in Burgi S. Donnini, 19 Apr. 1704.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(112. Constitutio pastoralis S. Mem. Benedicti XIII, tametsi jusserit, « aut Præbenda primo vacatura post ejusdem præsentis Constitutionis publicationem, sive ad Nos Sedemque Apostolicam, sive ad ordinarium illius collatio, atque provisio pertineat, ipso jure, et absque ulla declaratione, sit atque esse censeatur præbenda theologalis: » nihilo tamen minus si Episcopus non devenerit ad ipsius erectionem in theologalem, minime ea habetur pro erecta in theologalem (113. Idque procedit sive de collegiata, sive de cathedrali agatur, ut respondit Rota in Sorana Canonicatus 8 Martii 1745, § 10, et sequent. coram R. P. D. Canilliac.

(114. Pœna autem Episcopi, qui non erexit canonicatum primo vocatum in theologalem, est ejus devolutio ad Sanctam Sedem. (115. Cæterum non prohibetur idem Episcopus alium secundo, vel tertio, etc., vacatum in theologalem erigere, ut prosequitur idem supremum tribunal in d. Sorana Canonicatus, 8 Martii, § 12, cor. R. P. D. Canilliac.

(116. Quæstionis autem est, num. Episcopus attenta dicta Constitutione canonicatum reservationi obnoxium erigere queat in theologalem? (117. Huc etiam pertinet quæstio illa an Episcopus, spectata pariter eadem Constitutione, unire valeat canonicatui theologali simplex beneficium reservatum? (118. Vide Rot. in Bittecten Beneficiorum, 14 Januarii 1732, § 5, cor. Eminentissimo Rezzonico, et in Monopolitana Beneficiorum, 2 Decembr. 1737, § insuper et sequent, cor. bon. mem. Peralt. impress. apud Barbiellini in fol., tom. II, 1783.

(119. Canonicatus theologalis ex sæpe dicta Constitutione conferri debet per concursum. (120. In eo autem intervenire debent quatuor examinatores. (121. Notandum autem hic est, quod si examinatores sint synodales, non debent præterea esse in theologica facultate licentiati. Sin autem synodales minime sint, necessario licentiati in theologica facultate esse debent, ut ipsam Constitutionem interpretando magistraliter, respondit Rota in Imolen. Canonicatus Theologalis 2 Aprilis 1743, § 5, et plur. seqq. coram Illustrissimo Molino, (122. ubi quod, si non servetur forma conferendi a dicta Constitutione præscripta, locus sit devolutioni ad Sanctam Sedem.

(123. Et, quod majorem animadversionem mereretur, electio personæ post dictam Constitutionem non amplius pertinet ad Episcopum, sed ad ipsos examinatores, ut resolvit Sacra Congregatio Concilii interpres in Salernitana Canonicatus Pœnitentiarii, 1 Sept. 1753.

(124. Num canonicatum theologalem obtinere possit, qui non in theologia, sed in jure canonico doctor sit? *Quum hodie* (ita opposite inquit Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIV, de Synod. Diœces., lib. 13, cap. 9, num. 17.) « hæ facultates tamquam ab invicem distinctæ diversa ratione tractentur, et magisteria seorsim conferantur, statueritque Concilium, ut is Canonicus Theologus eligatur, qui in Sacra Theologia sit Doctor, merito a Sacra Congregatione responsum fuit, ad consequen-

Digitized by Google

dam Præbendam Theologalem generaliter loquendo satis non esse, ut quis in jure Canonico Doctoris gradum adeptus fuerit, in casibus tamen particularibus videri posse, an expediat eamdem Præbendam alicui Sacrarum Canonum Magistro conferre, qui scilicet cum Juris Canonici lectione, ea quoque conjungere valeat, quæ pertinent ad Theologiam moralem. » Consule eumdem *SS. Institut. Eccles.* 67, num. 4, et plur. sequent.

(125. Quod attinet ad munus Canonici theologi, recte idem Summus Pontifex in *Synod.* dic. lib. XIII, dic. cap. 9, dict., n. 17, inquit : « Decretum illud Tridentini Concilii, sive ejus verba considerentur, sive ratio habeatur praxis et consuetudinis sequentium temporum, æque comprehendere Scripturarum Sacrarum expositionem, ac theologiæ scholasticæ disciplinam, et a Canonico theologo non magis suo muneri satisfieri, si Sacræ Scripturæ libros explicet, et declaret, quam si in theologia scholastica clerum erudiat, dummodo hæc talis sit, qualem Melchior Canus tradendam, addiscendamque suadet, in suo lib. VIII, *de Locis Theologicis*, cap. 1, et quidem nos etiam indicavimus in nostra Institutione 42, quæ scilicet circa quæstiones gravis momenti, et utilitatis versetur, easque pertractet allatis Divinæ Scripturæ testimoniis, conciliorum decretis, et Patrum auctoritatibus, ulterius adnotavimus, nonnullorum Episcoporum mandato laudabiliter factum esse, ut per Canonicum theologum ea traderetur theologia, quæ est de conscientiis, et moribus dirigendis, id unum vero minime decisum fuisse, num juxta Concilii mentem Canonicus theologus suum munus satis adimpleat, si explicando juri canonico operam præstet. »

(126. Quæ de Canonico theologo dicta sunt usque ad n. 11, ea locum itidem sibi vindicant, quoad Canonicum pœnitentiarium. (127. Alia de Canonico pœnitentiario, vide apud Benedictum XIV. *Inst. Ecclesiast.* 107, § 9. (128. De Canonico jubilato consule Scarfant. in animadvers. ad Ceccoper, lib. I, tit. VI a n. 8, ad n. 10, ubi illud valde notabile num. 20, quod si Canonicus post obtentum indultum jubilationis ex causa servitii præstiti Ecclesiæ per quadraginta annos provideatur de novo canonicatu, seu dignitate in eadem Ecclesia, licet reputetur novus Canonicus, noviterque receptus, ita ut in choro, et in aliis actibus ei debeatur locus canonicatus noviter obtenti, (129. nihilo tamen minus haud indiget novo jubilationis indulto, sed vigore jam obtenti lucratur fructus, et distributiones secundi canonicatus, quia adhuc durat causa, pro qua fuit concessum.

ADDITIONES CASINENSES.

(130. Constat apud omnes scholas Theologicas in Ecclesia olim fuisse; in primis celebratissima fuit schola Alexandrina, in qua Pantænus, usus iis magistris qui Apostolos viderant, auditorem habuit Clementem Alexandrinum vulgo dictum, cujus Origenes discipulus fuerat, et postea *in schola Catechetica*, ut dicit Photius, successor. Vide Phot. *Biblioth. c. de Pamphilo martyre.* Nicetas autem refert lib. V, *Thes.* c. 1. Arium Alexandrini Gymnasii præfectum fuisse. Doctissima quoque exstitit schola Antiochena, in qua, ut scribit S. Hieron. lib. *de Eccles. Script.* Lucianus presbyter doctissimus interpretatus est Sacram Scripturam. Hinc Arius epistola ad Eusebium Nicomediensem ipsum συλλουκιανιστὴν nominat. Nicephor. *Hist. Ecclesiast.*, l. VIII, c. 9. Syri Christiani quoque scholam apud Nisibin habuerunt, quam commemorat Jul. African. *Præf. et Epistola ad Primasium.* In Occidente vero scholæ in Episcopiis erant duplicis generis, aliæ pueris assignatæ, aliæ presbyteris et clericis. Schola presbyterorum theologica appellari potest, nam sic illam explicat Concil. Cabilonense, c. 3. « Oportet etiam ut, sicut Dominus Imperator Carolus præcepit, scholas constituant, in quibus, et litteraria solertia disciplinæ et Sanctæ Scripturæ discantur, et tales erudiantur, quibus merito dicatur a Domino, Matth. 5 : *Vos estis sal terræ*, et qui condimentum plebibus esse valeant, et quorum doctrina non solum diversis hæresibus, verum etiam *Antichristi* monitis, et ipso *Antichristo* resistatur, ut merito de illis in laude Ecclesiæ dicatur cant. 4 : *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* » Eadem habet Conc. Valent. sub Lothario Imperatore, c. 18. Sed clarissimam imaginem hodierni Canonici theologi exhibet canon 35. Concilii Meldensis sub Carolo Calvo : « Quisque Episcopus, *hæc sunt canonis verba*, pro viribus, talem juxta se habere decertet, qui juxta sincerissimum et purissimum sensum catholicorum Patrum de fide et observatione mandatorum Dei, seu et prædicationis dotrina presbyteros plebium assidue instruat et informet. » Unde legimus, *Capit.*, lib. VII, c. 163. statutum esse, « ut omnes presbyteri parochiæ, *scilicet Diœceseos*, ad civitatem per turmas, et per hebdomadas ab Episcopo sibi constitutas conveniant discendi gratia, ut aliqua pars in parochiis presbyterorum remaneat, ne populi et Ecclesiæ Dei absque officio sint, et aliqua pars utilia in civitate discant; ibi ab Episcopo in civitate, sive a suis bene doctis ministris bono animo instituentur de sacris lectionibus, et divinis cultibus et Sanctis canonibus, sive de baptismatis Sacramento atque Missarum solemniis, et precibus, et de reliquis omnibus officiis, etc. »

(131. Quamvis compertum sit omnibus, pœnitentias indicere, augere, minuere, condonare, proprium esse Episcoporum, uti confirmari potest ex Conc. Ancy, c. 3. Arelaten 2, can. 10. Milev. c. 23. Aurelianen. 4, can. 8, hi tamen privatas pœnitentias indicendi curam presbyteris concesserunt, solemnes sibi servarunt. Sed cum postea, et publice pœnitentium numerus crevisset, cumque Episcopi variis et publicis negotiis alias essent intenti, selectis quibusdam et bonæ notæ presbyteris publice pœnitentium reconciliationem commiserunt; qui ideo pœnitentiarii dicti sunt. Quamvis autem Sozomenus, lib. IX. *Hist. Eccles.*, cap. 35, et Socrates lib. V, *Hist. Eccles.*, c. 19, referant

Digitized by Google

in Orientali Ecclesia presbyteros, qui pœnitentiis præerant a Nectario amotos fuisse, tamen paulo post restituti fuerunt, uti colligi potest ex Balsamone in c. 48, *Epist.* 1, *B. Basilii ad Amphilochium*, atque ex c. 103, *Conc. Trullan.*

ARTICULUS X.

Quoad ea quæ concernunt coadjutorias, Canonicos coadjutores, et coadjutos.

(1. Coadjutoriæ fuerunt inventæ principaliter ne Ecclesia ob impedimentum coadjuti suo defraudetur servitio. Rota R. part. III, recentior. dec. 392, num. 1, part. V, tom. II, decis. 602, num. 2, cum sequent., part. VI, dec. 36, num. (2. Et ideo permittuntur tantum ex causa necessitatis, vel evidentis utilitatis Ecclesiæ. Rota part. 1, dec. 276, num. 1, part. VI, dec. 20, n. 7 et 11, p. 16, dec. 112, num. 7, 25 et 28. (3. Ita ut Papa concedendo coadjutoriam censeatur principaliter motus propter dictam necessitatem, et utilitatem Ecclesiæ. Rota part. VII, dec. 313, num. 20 et 24, et decis. 255, num. 10, cum. sequent. (4. Licet secundario videatur voluisse coadjutori providere de beneficio, præveniendo tempus vacationis, quæ per obitum coadjuti est successura. Rota part. VII, dec. 255, num. 19, cum sequent. et dec. 313, num. 21. (5. Dicta autem causa debet a Sanctissimo diligenter cognosci. Rota p. 16, dec. 112, n. 5. (6. Unde quamvis Concilium Tridentinum sess. 25, *de Reform.*, cap. 7, vers. *in Coadjutoriis*, statuerit, ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permitterentur perpetuæ et irrevocabiles coadjutoriæ cum futura successione cum præcisis his verbis : « In coadjutoriis quoque cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permittantur, » tamen exinde, propter supradictam causam, multæ fuerunt a Summis Pontificibus concessæ, et adhuc in dies conceduntur coadjutoriæ cum futura successione in dignitatibus, canonicatibus, et portionibus cathedralium, et collegiatarum a solo scilicet Papa, et non ab alio, quamvis sit Legatus, seu Nuncius ut per Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 5, § 9, num. 91. Nicol. Garc. *de Benefic.*, part. IV, cap. 5, num 19. Monet. *de Distributionibus quotidianis*, part. II, quæst. 1, n. 33. Paris., *de Resignat.*, lib. VI, quæst. 5, num. 15, et lib. VII, quæst. 20, num. 14. (7. Ut tamen excludatur votum captandæ mortis, super quo est fundata reprobatio expectativarum ; cap. *Detestanda* 2, *de Concession. Præbend.* in 6, pro obtinenda coadjutoria exigitur consensus, et requisitio coadjuti. Rota part. VII, decis. 313, num. 27, et part. XVI, dec. 112, num. 33. (8. Qui consensus adnotari debet in libris publicis Cameræ, vel Cancellariæ. Rota part. 18, tom. I, dec. 108, num. 12. (9. Et pro ipsa coadjutoria obtinenda requiritur etiam consensus capituli, qui sufficit, quod datus sit a majori parte capituli. Rota part. VI, dec. 20, num. 9. (10. Et insuper ad obtinendam coadjutoriam requiruntur litteræ commendatitiæ Episcopi, vel capituli super qualitatibus Coadjutoris, et indigentiæ Ecclesiæ, licet plerumque hujusmodi litteræ emendicatis favoribus extorqueantur. Rota part. XVI, dec. 112, num. 17. (11. Coadjutor, vivente coadjuto, non est vere Canonicus, sed dicitur fictus Canonicus, et beneficiatus Rota. part. XIX, tom. II, dec. 667, num. 12, et Sac. Rituum Congreg. in Conimbrien. 16 Septemb. 1606. (12. Et repræsentat tantummodo Canonicum, et beneficiatum. Rota part. XIX, tom. II, dec. 667, num, 13. (13. Unde Coadjutor efficitur vere Canonicus solummodo post mortem coadjuti. Sac. Congreg. Rituum in Trullen, 21 Martii 1609. (14. Coadjutor enim, vivente coadjuto, sedere debet in ultimo loco post omnes Canonicos, et quando facit aliquas functiones, quæ pertinent ad suum coadjutum, ut cantare lectiones, præintonare antiphonas, etc., debet illas facere in novissimo loco. Sac. Congr. Rit. in Conimbrien., 16 Septembr. 1606, in Patavina, 3 Decemb. 1616, in Brundus. 18 Mart. 1617, in Casalensi, 15 Julii 1617, in Vicentina, 18 Augusti 1618, in alia Casalen., 10 Decemb. 1619, et in Elven., 2 Maii 1620, et Sacra Congr. Conc. in Casalen., 13 April. 1690. (15. Et sic non debet Coadjutor gradatim ascendere, sed post omnes sedere, non obstante Statuto in contrarium disponente. Sacra Congr. Rituum in Casalen., 18 Decemb. 1618, et in Elven., 7 Augusti 1622. (16. Excipiuntur tamen Coadjutores dignitatum, qui idem prorsus stallum obtinere debent, quod obtinerent sui coadjuti, si præsentes essent, et præcedunt Canonicis, et dignitatibus inferioribus. S. C. Rit. in Neritonen., 22 Octob. 1619, et in Brundusina, 29 Maii 1621. (17. Coadjutor in absentia coadjuti præcedere debet Curatis, Plebanis, et Prioribus Ecclesiarum parochialium, sicut præcedunt veri Canonici. Eadem Sacra Congr. in Pistorien., 15 Martii 1618. Rota part. XIX, tom. I, dec. 99, num. 1. (18. Coadjutor, vivente Coadjuto, stante divisione Canonicatuum in Ecclesia cathedrali in ordines subdiaconales, et presbyterales, et stante quod Coadjutor sit Coadjutor Canonici presbyteri, installandus est ultimo loco in ordine presbyterali. Sac. Cong. Rit. in Monopolitana Primicerii, 17 Julii 1732, in Æsina, 4 Martii 1644, in Januensi Stalli, 14 Augusti 1665.
(19 Imo, ubi præbendæ sunt distinctæ, præcedentia super Canonicos ordinis diaconalis, et subdiaconalis debetur Coadjutori Canonici coadjuti ordinis Presbyteralis, quamvis Coadjutor nondum sit sacerdos, sed in minoribus tantum ordinibus constitutus. Sacr. Congr. Rituum in Æsina, 31 Maii 1670. (20. Et præcedentia debetur ipsis Coadjutoribus Canonicorum altorum Ordinum super Canonicos inferiorum ordinum, etiam præsentibus suis coadjutis, et per seipsos inservientibus. Sacr. Congreg. Rit. in Æsina, ubi cum quæsitum fuisset : « An præsente coadjuto Diacono, et per seipsum inserviente, illius Coadjutor Diaconus debeat in choro, et functionibus ecclesiasticis stare

Digitized by Google

post omnes Canonicos ejusdem ordinis diaconalis tantum, vel potius post etiam Canonicos Subdiaconos in casu? » Sacr. Congregatio Rit. respondit die 4 April. 1705: *Affirmative*, quoad primam partem, *Negative* quoad secundam. (21. In hoc est differentia inter Coadjutores dignitatum, et Coadjutores Canonicorum, quia illi sicuti sedent in stallo dignitatis, ite debent facere functiones spectantes ad dignitatem coadjutam; Coadjutores vero Canonicorum, sicuti sedent post omnes Canonicos, ita non admittuntur ad honorarias functiones, si adsint alii Canonici, qui suppleant juxta dispositionem cæremonalis lib. 1. cap. 26. *de Supplend. vicib.* Sac. Rit. Congr. in Ferrarien., 2 Junii 1640, apud Pignatell. tom. III, consult. 185, num. 3, ubi addit, quod ob hanc regulam Coadjutores numquam faciunt assistentiam Episcopo, si adsint veri Canonici, ex eadem Sacra Congr. in una Civitatis Castelli, 24 Maii 1636. (22. Coadjutores ex forma coadjutoriæ, extra suam Ecclesiam, et sine capitulo, nullam habent prærogativam, ac si non essent Coadjutores; unde in concursu cum aliis sacerdotibus, non præcedunt nisi ratione antiquitatis in ordine, ut sint declarationes Sacræ Congregat. Rit. in Anconita., 18 Martii 1623, tenoris sequentis: « Sacra, etc., censuit, Coadjutores dignitatum extra Ecclesiam nullum habere privilegium, sed præcedentiam inter eos servandam esse, ac si non essent Coadjutores; » et in Laudensi 7 Maii 1637, tenoris sequentis: « Sacra, etc., ad instantiam dignitatum, et Canonicorum Ecclesiæ cathedralis Laudensis respondit, Coadjutori dignitatis extra Ecclesiam, et actus capitulares nullam deberi præeminentiam, seu prærogativam supra antiquiores in ordine sacerdotali. » (23. Ex quibus. ut dicit Pignat. tom. IV, consult 185, num. 12. apparet Sacram Congregrationem recessisse ab antiqua sententia, quod Coadjutores extra Ecclesiam habeant prærogativam, uti veri Canonici, ut in Casalensi anno 1608, et Pistoriensi, 25, Martii 1608. relat. a Barbosa in Concil. Trident. sess. 25. *de Reformat*, cap. 7, num. 40, et *Apostol. decis*, verb. *Coadjutor*, num. 2, et *de Canonicis*, cap. 20, num. 50.

(24. Coadjutor debet habere locum captæ possessionis post mortem coadjuti, et non locum possessionis captæ vivente coadjuto. Sac. Cong. Rit. in Trullen., 21. Martii 1709, (25. cum possessio numeranda sit ab obitu Coadjuti, quamvis prior possessio accederet ad annos 20. Ead. Sac. Cong. Rit. in Bergomensi, 8 Augusti 1627. Nec enim vere capit possessionem, nisi post cessationem Coadjutoriæ. Rota p. 1. recent. decis. 476, num. 6. (26. Unde non sufficit prima capta possessio vivente coadjuto, ut declaravit Sac. Rit. Cong. in Conimbrien., 16 Sept. 1606. in repons. ad primum dub. et in Patavina, 30 Januar. 1616. Sed debet capi nova possessio post mortem coadjuti Ead. Sac. Cong. in Patavina, 30 Julii 1616. Rota p. 1, recent. dec. 456, n. 6, et dec. 637, num. 4. p. 3. dec. 648, num. 2, p. 4, tom. I, dec. 410, num. 5, part. 16, dec. 112, n. 3. (27. At vero, si suscepit possessionem canonicatus vivente coadjuto, ex tunc pro tempore, quando venerit casus cessationis coadjutoriæ, non indiget nova possessione post obitum coadjuti. Sac. Rit. Cong. in vercellensi, 12 Maii 1612. (28. Verum dicta possessio requiritur, quod sit capitulariter capta, ut possessio canonicatus vel beneficii acquiratur. Rota p. 10. recent. decis. 132, num. 2 et 5. (29. Coadjutor gaudet regula de annali, et triennali possessione, etiamsi non sit ei data nova possessio post obitum coadjuti, si per annum, triennium, vel decennium continuaverit in possessione post obitum coadjuti. Sacra Rit. Cong. in Conimbriensi, 16 Septemb. 1606, in responsione ad dubium tertium.

(30. Coadjutor tenetur residere, et divinis intervenire. Sacr. Cong. Concil. die 7 April. 1618. (31. Coadjutor tenetur residere etiam in casu quo coadjutus propter infirmitatem, vel legitime impeditus, non tenetur alioquin residere; alias amittuutir distributiones quotidianæ, quæ punctentur coadjuto, in damnum tamen ipsius Coadjutoris, ita ut Coadjutor teneatur satisfacere de bonis suis pro interessentia non soluta. Sac. Congregat. Rit. in Elboren, 15 April. 1606, in Patavina, 8 Maii 1617, et in Geneten. 4. April. 1620. (32. Potest tamen gaudere mensibus datis causa recreationis, et illos consumare sicut principalis, ita tamen quod dies per unum ipsorum consumpti, non possint per alterum assumi, sed quoad ambos remaneant consumpti. Gonzal. ad regul. 8 *Cancell.* gloss. 5, § 9, num. 13 et seq. Garcias *de Benefic.* part. 2, cap. 5, n. 79. Rota in Salamantina Coadjutoriæ coram Penia, impressa per Marchesan. de Commis. part. 1 § 2, pag. 469 in fine his verbis: « Præterea cum Concilii Tridentini, et Ecclesiæ Salamantinæ constitutiones quolibet anno indulgeant Canonicis tres menses recreationis, quibus ab onere residendi liberantur, et Coadjutor prætenderit se isto beneficio posse frui, contra capitulum sentiret, ideo fuit dubitatum: An Joannes Coadjutor posset dies gratiæ petere, et consumare? Et Domini responderunt affirmative, quia respectu temporis concessi a Concilio, et Ecclesiæ Salamantinæ constitutionibus, censuerunt habere locum argumentum desumptum a subrogatione, seu æquiparatione, non obstante inconveniente per capitulum commemorato, quod si Coadjutor haberet tres menses posset etiam Antonius coadjutus alios tres menses sibi assumere, et sic cultus divinus, et servitium Ecclesiæ eluderetur, quia hoc cessabat ex eo quod quando unus ipsorum usus est beneficio dicti temporis, tunc alter non poterat eodem beneficio perfrui, nec sibi aliud trimestre applicare,» etc. (33. Coadjutor tenetur celebrare Missas, quas vigore testamenti, et institutionis capellaniæ ipse coadjutus celebrare tenetur, quando coadjutus est legitime impeditus. Sac. Congr. in Patavina, 3 Decemb. 1616. (34. Unde tenetur Coadjutor habere qualitates requisitas ab obtinendam præbendam. Adeo-

Digitized by Google

que debet esse constitutus in illa ætate quæ ab obtinendum illud beneficium requiritur. Garcias, *de Benefic.* part. 7, cap. 4. in fine; Gonzal. ad regul. 8, Cancel. gloss. 5. § 9, num. 6 et 90; Squilant. *de Privileg. clericor.*, c. 4, num. 97; Machado lib. IV. p. 4, tract. 7, docum. 2; Barbosa in Conc. Trid., sess. 25, *de Reform.*, cap 7. n. 38, et *de Canon.*, cap. 29, num. 48. (35. Et per hoc debet promoveri infra annum ex quo residet et inservit ad ordinem suæ præbendæ adnexum. Garcias d. c. 6. in addit. sub num. 130, dub. 23, vers. modo; Barbosa *loc. cit.*, in *Trid.*, num. 39. et *de Canon.*, num. 49. (36. Non tenetur tamen se promoveri facere intra annum ad ordinem requisitum, si nunquam resedit, seu inserviit, quia coadjutus non vult ex quo non habet exercitium coadjutoriæ, sicuti habens curam habitu, et non actu, non tenetur ad sacerdotium promoveri infra annum. Garcias in d. addit. sub num. 23, vers. modo, *loc. cit.* in *Trident.*, num. 29. et *de Canon.*, num. 38. (37. Quamvis autem Coadjutor non sit in sacris constitutus, potest omnia, et singula facere, et exercere, quæ sine paramentis sacris cum cappa et cotta facere posset coadjutus, si præsens esset. Sac. Rit. Congreg. in Bononiensi, 19 Decemb. 1615.

(38. Coadjutor lucratur distributiones quotidianas absente coadjuto, ad ipsius coadjuti utilitatem. Sac. Cong. Rit. in Elboren., 15 April. 1606, et in Coninbrien., 16 Septemb. ejusdem anni 1606 in responsione ad sextum dub. (39. Coadjutore infirmo, vel impedito, coadjutus lucratur distributiones quotidianas, etiamsi horis canonicis non intersit; si ex forma, seu litteris coadjutoriæ, ipse coadjutus nunquam teneatur horis canonicis interesse. Sac. Cong. Conc. in Barbastren. ubi ad propositum dubium : « An coadjutus, impedito seu infirmo Coadjutore, teneatur inservire, si habilis sit, ad effectum lucrandi distributiones ? » die 7 Novembris 1630, censuit : « Si ex forma litterarum apostolicarum coadjuti, nunquam teneantur horis canonicis interesse Coadjutores, quandiu aliqua ex tribus causis expressis in cap. Unico de clericis non residentibus in 6, vere fuerint impediti, distributiones quotidianas lucrari perinde ac si divinis interessent. » Et in hoc sensu accipienda est alia ejusdem Sacræ Congreg. Conc. Decisio in Urbevetana, 9 Novembris 1628, quæ sic habet : « Distributiones quotidianæ debentur Canonico coadjuto, infirmo, absente, vel non serviente Coadjutore. »

(40. Tres autem illæ causæ legitimæ expresse in cit. cap. Unico, *de clericis non residentibus* in 6, sunt istæ, scilicet, infirmitas, justa et rationabilis necessitas, et evidens Ecclesiæ utilitas; ibi : « Exceptis illis, quos infirmitas, seu justa et rationabilis necessitas corporalis, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret. » (41. Si vero ex forma, seu litteris coadjutoriæ appareat coadjutum non eximi totaliter a residentia, quando habilis sit, et quando Coadjutor est absens, tunc coadjutus tenetur inservire per se, ut lucretur distributiones. S. Cong. Rit. in Elboren., 15 Aprilis 1603. (42. Et si coadjuto ipso infirmo, vel impedito, Coadjutor non resideat, non debentur ei distributiones quotidianæ, et punctatur in ipsius Coadjutoris damnum. Sac. Congr. Rit. in Patavina, 8 Maii 1617, his verbis : « Distributiones quotidianæ non debentur Canonico infirmo, vel alias legitime impedito, quando habet Coadjutorem, sed si Coadjutor non resideat punctatur in ipsius Coadjutoris damnum. » (43. Coadjutor non potest lucrari distributiones quotidianas, quando coadjutus est præsens. Sac. Rit. Cong. in Elboren., 15 April. 1606 in resp. ad tertium dub. (44. Coadjutor non lucratur distributiones quæ dantur Canonicis et Præbendatis propriæ Ecclesiæ, quando aliquas Missas celebrat, nisi quando celebrat pro ipso Coadjuto. Sac. Cong. Rit. in Patavina, 3 Decembris 1616. (45. Coadjutor datus Canonico non ordinato ad formam statuti requirentis certum ordinem in canonicis sub pœna amissionis ejusdem partis fructuum, non lucratur hujusmodi fructus pro coadjuto, quamvis ipse Coadjutor esset ordinatus ad formam dicti statuti. Sacr. Congr. Rit. in Barbastren., 1 Decembr. 1629. (46. Coadjutor inserviens non potest lucrari fructus Præbendæ pro præbendato coadjuto pro eo tempore quo dictus coadjutus culpabilis repertus mansit carceratus Sac. Congr. Conc. 15 Decemb. 1618.

(47. Coadjutor potest inservire, et residere in Ecclesia, excommunicato existente coadjuto, quia non inservit, nec agit nomine excommunicati, sed nomine proprio, aut nomine Ecclesiæ. Garcias *de Benefic.*, part. II, cap. 5, a num. 83; Barbosa *Juris Eccles. Univers.*, lib. III, cap. 10, num. 87, et in *Concil.*, sess. 25, *de Reform.*, cap. 7, n. 37; *de Canonicis*, cap. 29, num. 40. (48. Imo si forte Coadjutori aliquid de fructibus, seu distributionibus assignatum sit pro congrua, seu servitio, ut aliquando fit, id sibi poterit lucrari, non obstante excommunicatione coadjuti, quæ sibi, non alteri, debet nocere, et per hoc tunc Coadjutor non potest lucrari pro coadjuto excommunicato, et ad ejus commodum et utilitatem; cap. *Pastoralis* 13, *de Appellat.*, § *Verum;* Barbosa *loc. cit.*, et Garcias *loc. cit.* num. 85 et 86. Rota apud Marchesan. *de Commission.*, part. I, p. 467. (49. Nec officit, quod in litteris apostolicis coadjutoriæ dicatur, quod Coadjutor inservire debeat pro coadjuto, et pro ipso coadjuto lucrari. Quia, ut recte advertit citata Rota : « Jure insequitur, ut hoc privilegium intelligatur competere coadjuto, dummodo sit habilis et capax. Excommunicatum autem non lucrari fructus et emolumenta beneficiorum clari juris est; » cap. *Pastoralis*, § *Verum*, *de Appellat.* Rota, decis. 8, n. 10, *de Sentent. excommunic. in antiq.* Put., decis. 280, num. 1. « Et qui non potest propter excommunicationem per se aliquid agere, nec poterit per alium ad suam utilitatem, » ut notant omnes in cap. fin. *Ubi;* Imol. num. 19, *de Procur.* Ita Rota apud Marchesan. *loc. cit.* (50. Coadjutor potest uti privilegiis

Digitized by Google

concessis veris Canonicis optandi beneficia, ad utilitatem tamen et commoditatem coadjuti. Sac. Congreg. Rit. in Conimbrien., 16 Decemb. 1606. in respons. ad 5. dub. (51. Coadjutor Canonici, si simul sit rector Ecclesiæ parochialis, potest in processionibus incedere cum Canonicis sub eorum cruce; nec ex eo quod non incedit sub cruce rectorum, potest tanquam absens puniri in certa portione frumenti, sed duplicis personæ muneri satisfacit. Sac. Congreg. Rit. in Veronen., 27 Julii 1601. (52. Coadjutor et coadjutus possunt simul in habitu canonicali interesse in processionibus et Missarum solemniis; coadjutus in loco sibi debito, et Coadjutor post omnes Canonicos. Sebast. Cæsar. in Relect. de Eccles. Hierarch. p. III. disp. 14, § 9, num. 12; Barbosa Jur. Eccles. univers. lib. III, c. 10, num. 96, et de Canonicis, c. 29, num. 54. Et videtur hoc supposuisse etiam Sac. Rit. Cong. dum in Elboren., 15 April. 1606, in respons. ad tertium dub. censuit Coadjutorem non posse lucrari distributiones quotidianas, quando coadjutus est præsens. Sic enim decernendo supponit Coadjutorem et coadjutum posse in una simul intervenire in functionibus ecclesiasticis in habitu canonicali, dum modo Coadjutor non lucretur distributiones quotidianas.

(53. Coadjutor non tenetur ad onera Canonicorum juniorum, liceat teneatur ad onera sui coadjuti, quia licet sedeat post omnes Canonicos, id non est ex eo quod sit Canonicus junior, sed quia non est vere Canonicus, et fulget aliena dignitate, non propria. Sacra Rit. Congreg. in Colimb., 16 Septemb. 1606, in respons. ad septimum dub. Unde censuit in alia Elboren., 15 April. 1606 quod Canonicus junior, juxta consuetudinem Ecclesiæ, debet supplere vices hebdomadarii absentis, vel impediti, et non Coadjutor, licet sedeat post ultimum Canonicum. (54. Coadjutor non tenetur tempore concessionis coadjutoriæ habere ordinem presbyteralem, ubi statuto Ecclesiæ cautum fuerit, quod Canonicus actu sit sacerdos tempore promotionis, sed sufficit habere clericatum, et legitimam ætatem ad ordinem requisitam. Gonzal. ad regul. 8, Cancell. gloss. 5, § 9; Garcias in d. addit. sub dub. 24; Caputaquen. decis. 127, num. 1 et 2; Barbosa Juris Eccl. univers. lib. III, cap. 10, num. 78, et de Canon. c. 29, num. 36, et in Conc. Trident. *loc. cit.* num. 28. (55. Coadjutor non potest esse judex apostolicus, seu delegatus Papæ, nec designari judex synodalis, quia Coadjutor non est vere dignitas, seu Canonicus, ut patet supra num. 11, et sic non habet qualitates requisitas in cap. *Statutum* 11, de Rescriptis in 6. Sic Garc. d. part. IV, c. 5, in addit. post num. 130, dub. 28, ubi subdit, quod præterea commissio facta dignitati non transit in ejus Coadjutorem, non solum quando fuit expressum nomen proprium, sed etiam quando non fuit expressum. Barbosa in Trid. *loco cit.* num. 24, et de Canon. *loco cit.* n. 21, et Juris Eccles. univ. *loco cit.* num. 73. (56. Coadjutor non tenetur ad fidei professionem, nisi cum fuerit successioni locus. Garcias de Benefic. part. IV, c. 8, n. 16; Squillant. d. Privilegiis clericor. c. 4, num. 79; Lodovic. a Saravia tract. de Jurisd. adjunctorum q. 29, num. 37; Barbosa de Offic. et potest. Episcop. p. 3, allegat. 61. num. 13, et de Canon. *loco cit.* num. 14, et in Trident. *loco cit.* num. 13, et Juris Eccles. univers. num. 60. (57. Coadjutor non tenetur ad officium canonicum recitandum, (extra chorum, in choro vero tenetur, cum ibi non sufficiat sola materialis præsentia, ut a Benedicto XIV declaratum est Constit. incipiente *Cum semper*, 19 Augusti 1744.), sed proprietarius. Barbosa Juris Eccles. univers. *loc. cit.* num. 56, et de Canonicis *loco cit.* num. 13, et in Trident. *loco cit.* num. 12, cum communi aliorum ibi cit. (58. Coadjutores enim cum futura successione non sunt beneficiarii interim dum vivunt coadjuti, nec habent jus in re, sed ad rem. Rota part. I, recent. decis. 456, num. 9. (59. Quia coadjutoriæ hujusmodi non sunt vere, et proprie beneficia secundum Abbat. in cap. *de Rectoribus* 3, de Cleric. ægrot.; Gonzal. d. gloss. 5. num. 40 et 64, cum sequent.; et Barbosa cum multis aliis a se cit. lib. III, Juris Eccles. univers. cap. 10, num. 49 et 50. et in Trid. *loco cit.* num. 7, et de Canonicis *loco cit.* num. 4. (60. Nec Coadjutores sunt vere Canonici et beneficiarii, sed solummodo ficti beneficiarii, et ficti Canonici, ex decreto Sac. Congr. Rit. in Colimb., 16 Septemb. 1606. et Rota part. I. recent. decis. 456, num. 8, et pluries alibi, ut patet supra num. 11.

(61. Coadjutor consequi non potest fructus ex beneficio coadjuti. Rota decis. 295, lib. III, part. 3, divers.; Navarr. Consil. 2, num. 3, de Cleric. ægrot.; Barbosa Juris univers. Eccles. *loc. cit.* num. 56, et in Trid. *loco cit.* num. 10. Imo lucratur etiam distributiones quotidianas absente coadjuto ad utilitatem ipsius coadjuti, ut num. 38. fuit jam dictum ex declarat. Sacræ Congregationis Rit. in Elboren., 15 April. 1606, et in Colimbrien., 16. Septembr. ejusdem anni in respons. ad sextum dub. (62. Et ideo quando Coadjutor habet aliunde, unde se valeat decenter sustentare, disponitur sæpe sæpius, quod nihil prorsus percipere debeat de fructibus nec distributionibus. Et interdum mandatur dari centum ducatos, et aliquando plus, vel minus, prout partes inter se conveniunt ante porrectam supplicationem, habita semper consideratione, ne Coadjutor egeat, ut refert Gonzal. d. gloss. 5, § 9, num. 66, quia alias Coadjutor posset petere a coadjuto congruam sustentationem, si deserviat uti Coadjutor. Navarr. Consil. 2, n. 1 et 7, et de Orat. cap. 20, num. 18; Garcias, d. part. IV. cap. 5. in addit. sub. num. 130, dub. 36, nisi aliud caveatur in coadjutoria hujusmodi, in qua nostris hisce temporibus solet poni clausula: « Quia partes ita convenerunt, quod Coadjutor non possit petere congruam, nec quidquam exigere quovis titulo rationes Coadjutoriæ, ut testatur ipse Gar-

Digitized by Google

cies *loco proxime citato*. » Quamvis tamen, si Coadjutor ob paupertatem magnam non valeat decenter servire Ecclesiæ, posset excusari a servitio, nec coadjutus posset illum arctare, seu compellere, nisi dando ei aliquid quo decenter et honeste valeat deservire. Barbosa in Concil. Trid. *loco cit.* num. 11, et Jur. Eccles. univ. loco cit num. 58, et de Canon. *loc. cit.* num. 12. (63. Coadjutor non potest gaudere privilegiis et indultis de percipiendis fructibus in absentia, puta ratione studii, aut lecturæ in aliqua universitate, quibus coadjutus gaudere potest. Garcias in d. addit. dub. 30; Barbosa Juris Eccles. univers. *loco cit.* num. 74, et de Canon. *loco cit.* num. 32, et in Trident. *loco cit.* num. 25. (64. Coadjutor in ingressu non tenetur fabricæ solvere, quod est consuetum solvi per Canonicos de novo ingressos. Garcias d. part. IV. cap. 5, num. 76; Barbosa d. Canon. *loco cit.* num. 30, et in Trid. *loco cit.* num. 23, et Juris Eccles. univ. *loco cit.* n. 72. (65. Coadjutor non potest exercere officia ad quæ coadjutus electus est. Nam in his, quæ speciali nominatione competunt coadjuto, non venit Coadjutor, nec eum repræsentat. Garcias in addit. ad d. cap. 5, sub. num. 88; Barbosa Juris Eccles. univers. *loco cit.* n 81. et de Canon. *loco cit.* num. 40, et in Trident. *loco cit.* num. 31.

(66. Canonici tamen tenentur inservire, et ministrare Coadjutori, prout tenerentur inservire proprio Canonico coadjuto in omnibus functionibus canonicalibus. Sac. Rituum Congregatio in Casalen., 10 Januar. 1689. (67. Coadjutor non potest ordinari ad titulum coadjutoriæ. Gonzal. d. gloss. 5. § 9, num. 8. Moneta de Opt. Can. cap. 5, qu. 8, n. 169. Garcias *de Benefic.* part. 2, cap. 5, a num. 132, ubi subdit posse quem ordinari ad titulum coadjutoriæ, si forte ratione illius haberet congruam, non tanquam ad titulum Beneficii, sed tanquam ad titulum pensionis. Barbosa *Juris Eccles. univ.* loco cit. num. 80, et *de Canon. loco cit.* num. 39. et in Trident. *loco cit.* num. 30. (68 Coadjutor non intelligitur comprehensus in statuto, quod ex aliqua causa jubilare facit Canonicos. Sacra Congregatio Rit. in Elboren., 15 April. 1606 in resp. ad tertium dub. Unde Rota apud Marchesan. *de Commiss.* part. II. pag. 467, censuit coadjutum non perficere suam jubilationem per servitium Coadjutoris. (69. Canonicus Coadjutor, etiam coadjuto absente, non potest capitulis interesse, nec in illis votum dare nec officium antianitatis exercere, nisi in litteris apostolicis jura hæc expresse concedantur, ut partibus auditis, censuit Sacra Congreg. Concil. in Narnien., 20 Maii 1649.

(70. Pro coadjutis et Coadjutoribus adhuc attendendæ sunt resolutiones sequentium dubiorum. Proposito enim dubio in Sac. Congr. Conc. « An Canonicus senio confectus, cui datus est Coadjutor cum clausula, quod coadjuto impotente, aut inservire nolente, teneatur Coadjutor inservire, si hujusmodi Coadjutor postea gravi infirmitate oppressus, adeo ut de illius salute nulla fere spes adsit, et sic inservire non valeat, teneatur idem coadjutus per seipsum inservire, ad effectum percipiendi distributiones quotidianas? » Eadem Sacra Congreg., die 2 Maii 1643, respondit: « Coadjutum non teneri inservire. » Quod postea ab eadem Sac. Congregatione, die 30 Maii 1677, extensum fuit ad casum, in quo Coadjutor esset infirmus extra civitatem. « Hæc Sacra Congregatio censuit Canonicum coadjutum non teneri inservire in locum Coadjutoris infirmi, sed quia Coadjutor est infirmus extra civitatem, supplicatur declarari an etiam in hoc casu resolutio præfata locum habeat? » Sacra, etc. respondit *affirmative*. Et in una Romana distributionum die, 19 Aug. 1730, proposito a Coadjutoribus dubio: « An lucra proventia ex punctaturis et absentiis Canonicorum, quæ præsentibus accrescunt, debeantur Canonicis Coadjutoribus, sive potius coadjutis, in casu, etc. » Sac. Congreg. Concil. respondit deberi Canonicis coadjutis. Sic apud toties laudatum Lambertin. volum. V in *Regulis circa servitium chori*, § 9, sive *Institut. Eccl.* 107, § 9, num. 65.

Alia ad rem vide verb. DISTRIBUTIONES QUOTIDIANÆ fere per tot.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(71. Consensus capituli, de quo verba facit auctor num. 9, exquiri solet a Summo Pontifice in gratia coadjutoriæ cum futura successione, non ex aliqua necessitate, sed ex superabundanti, ut certior fiat de idoneitate Coadjutoris. Cardinal. de Luca ad *Concil. Trid.* disc. 45, num. 10; Piton. *Discept. Eccl.* 89, num. 10; Carol. Anton. de Luco ad *Ventrigl. in prax. For. Ecclesiastic.* tom. II, adnot. 13, § unic., num. 9; Matth. *de Caus. Consistor.* sect. 22, num. 98; Ansald. in secunda editione ad dec. 20, num. 24.

(72. Quinimo necessarius neque est consensus capituli, tametsi jus eligendi, et quidem in omnibus mensibus spectet ad ipsum capitulum. (73. Atque hinc de subreptione gratiæ coadjutoriæ cum futura successione redargui ex eo nequit, quod expressum non sit jus eligendi in omnibus mensibus spectans ad capitulum. Matth. *de Caus. consist.* sect. 22, num. 99, et duobus sequent., ubi hanc reddit rationem: « Capitulis nullum competit jus eligendi, episcopali, seu abbatiali sede plena, sed tale jus solum oritur vacante sede, ac proinde dici non potest, quod per dationem hujusmodi Coadjutoris et futuri successoris Papa tollat jus, quod non est, sed potius quod Papa impediat, ne oriatur jus eligendi adveniente vacatione, quod non est quid considerabile. » Rota inter impress. post Remocamp. *de Coadjutor.*, dec. 22, num. 1.

(74. An idem obtineat non narrato jure præsentandi competenti patrono laico, vide apud Rotam in nov. dec. 71, num. 5, *de Præbend.* et in recent. dec. 161, n. 46, plur. seq. part. 12 et inter impressas post Remocamp. *de Coadjutor.*, dec. 1, num. 24.

(75. Nec litteræ commendatitiæ Episcopi,

Digitized by Google

de quibus disserit auctor num. 10. sunt de forma coadjutoriæ cum futura successione, nisi doceatur, Papam fuisse deceptum circa necessitatem et utilitatem Ecclesiæ. Rota in Cracovien. Coadjutoriæ, 14 Junii 1743, coram R. P. Canilliac.

(76. Coadjutori debetur præcedentia supra alios Canonicos non a die apprehensæ possessionis coadjutoriæ cum futura successione, sed a die apprehensæ possessionis post obitum coadjuti, et quidem non obstante, quod gratia coadjutoriæ contineat clausulam : « Ex nunc prout ex tunc, » ut quidquid in contrarium innuere videtur auctor num. 27 firmavit Rota in Majoricen. Canonicatus, 27 Novembr. 1744, § 7 et seq. et in *Confirmatoria* § 4, coram bon. mem. Vicecomit.

(77. Clausula : « Etiamsi actu nunc, vel modo præmisso, vel alio quovis modo actu vacet, » apponi solita in gratia coadjutoriæ cum futura successione licet sustinere nequeat gratiam, si beneficium de eo tempore vacaverit de facto, gratiam tamen sustinet, si vacaverit tunc beneficium de jure tantummodo. Garcias *de Benefic.* part. 4, cap. 5, num. 133 ; Leuren. *de Vicar.* tract. 2, cap. 10, qu. 428, num. 3 ; Rota cor. Manzaned. dec. 490, num. 10 et seq. et in Uladislavien. Archidiaconatus super coadjutoria, 13 Januarii 1757, § 4, cor. R. P. D. Paracciano.

ARTICULUS XI.

Varia alia in supplementum de Canonicis.

(1. Non licet novum habitum, sive signum a Canonicis cathedralis Ecclesiæ absque Sedis Apostolicæ auctoritate assumi. Sac. Congr. Concil. in Taurinen., 21 Junii 1641, et in Tarvisina, 8 Februarii 1659. (2. Canonici et præbendati non possunt deferre almutias, cum uti singuli invitantur ad associandum funera, sed uti tantum possunt in casibus, quando incedunt collegialiter cum capitulo. Sac. Congreg. Episcop. in Placentina Funerum, 2 Maii 1659. (3. Canonici cathedralis non sunt in dignitate ecclesiastica constituti, nisi late sumpto vocabulo, sed dicuntur clerici primi ordinis. Sperell. dec. 167, num. 8 et 10 ; Panimol. decis. 1, adnot. 6, num. 28 et duob. seqq. ; Monacell. tom. I, tit. 1, formul. 4, num. 18. Sunt tamen Canonici cathedralis personæ in dignitate constitutæ, ad hoc ut possit coram eis fieri translatio pensionis. Gratian. discept. 551, num. 18 ; Tondut. *de Pension.* cap. *Eo*, num. 30 ; Monacell. tom. II, tit. 4, formul. 7, num. 2. (4. Collegiata simplex præcedit omnibus Ecclesiis simplicibus, et quæ tantum parochiales sunt. Sacra Congreg. Rituum in Senogallien., 23 Martii 1619. (5. Etiamsi antequam erigeretur in collegiatam, illis cederet. Sacra Congreg. Rituum in Terracin. Sonuissæ, 25 Februarii 1606. (6. Canonici collegiatæ in jure insignis præferuntur Canonicis collegiatæ, quæ est insignis per indultum de recenti ; seu collegiata antiquior, quæ habet insignitatem a jure, præfertur habenti insignitatem ex privilegio posteriorem. Sacra Congreg. Rituum in civitatis Castellanæ Præcedentiæ, 13 Februarii, et in Novarien., 8 Maii 1700. (7. Canonicus Ecclesiæ collegiatæ, quamvis peritissimus doctor, eligi non potest in judicem synodalem, etiamsi non exstent in cathedrali doctores, saltem ita idonei. Sac. Congreg. Concil. in Alexandrina, quam citat, et sibi fuisse responsum asserit Massobrius *de Synodo Diœcesana*, cap. 4, num. 10. (8. Canonicus celebrans in Ecclesia collegiata non tenetur facere reverentiam Vicario Generali præsenti in fine Missæ ante benedictionem. Sac. Congreg. Rit., 21 Februarii 1604. (9. Canonicorum ad privationem potest procedere Episcopus sine adjunctis ex causa quod ordines suis præbendis adnexos non susceperint. Sic decisum fuisse a Sacra Congreg. Concil. refert Garcias *de Benefic.*, part. 3, cap. 4, num. 22. (10. Si Canonicus pœnitentiarius non faciat residentiam, et Episcopus velit procedere contra eum ad privationem Canonicatus, tenetur servare regulam præscriptam a Sacro Conc. Trident. sess. 24, cap. 12, *de Reformat.*, ut respondit Sacra Congr. Concil. Episcopo Sutrien. qui cum supplicasset declarari : « An absente Canonico pœnitentiario ultra tres menses, et per alium inservire faciente, quoad munus pœnitentiarii contra eum servanda sit regula præscripta a Sacro Conc. Tridentino sess. 24, *de Reformat.* super privatione Canonicatuum Ecclesiæ cathedralis, vel potius sit diversimode procedendum ? » Die 7 Decembris 1696, Sacra Congreg. Conc. censuit Canonicum pœnitentiarium esse comprehensum sub dispositione Concilii.

(11. Canonicos vocare ad palatium episcopale potest Episcopus, et tenentur accedere ; non tamen tenentur ire vocati a Vicario. Sacra Congr. Rit. in Cassanen., 5 Martii 1633. (12. Canonici cathedralis et collegiatæ debent retinere tabellam horariam, et officia divina persolvere statutis horis. Et propterea cura erit Episcopi visitatoris recognoscere tabellam horariam, et quatenus non adesset, aut inordinatam inveniat, illam præfinire, seu reformare non negligat ad formam tabellæ, quam approbavit Sacra Congreg. Episc. in Aretina, 30 Maii 1599, et per extensum refert Crispin. *de Visit.* part. 2, § 20, num. 11. (13. Canonicos ad discendum cantum gregorianum cogere potest Episcopus, et renitentes mulctare etiam pœna non participationis distributionum quotidianarum, et subtractionis fructuum. Sacra Congregatio in Tropien., 9 Martii 1620. (14. Canonici abesse volentes extra diœcesim, tenentur semper petere licentiam ab Episcopo. Sic decisum fuisse a Sacra Concil. refert Pax Jord. *Elucubr.* lib. 10, tit. 40, num. 74, vers. *attamen*, et testatur authenticam decisionem penes se retinuisse tenoris sequentis. Sacra Congr. Concil. Trident. Interp. « tametsi declaraverit nullam requiri licentiam, ad hoc ut Canonici abesse possint in mensibus ab eodem Concilio permissis, censuit tamen hanc declarationem non vindicare sibi locum, quoties Canonici abesse volunt extra diœcesim, proinde hoc casu

Digitized by Google

Episcopi licentiam esse obtinendam. Cæterum Episc. non debere illam absque rationabili causa denegare. » (15. Unde patet, quod concurrente honesta et rationabili causa absentiæ, non potest ab Episc. denegari Canonico licentia se absentandi, alias datur recursus ad superiorem, qui licentiam ordinarii supplendo ipse concedat, vel ut ordinarium compellat ad illam dandam, ut docet Abbas in cap. relatum, *de Clerico non residente*, num. 6, ubi ampliat, quod propter necessitatem subito et inopinate occurrente possit Clericus, qui residentiam habet, se absentare absque licentia ordinarii, consideratis tamen qualitate causæ, præjudicii, et facilitate petendi licentiam. (16. Canonicus absens de licentia Sacræ Congregat. cum clausula : « Dimissa tertia parte fructuum, dimittit eam tertiam, quæ superest, detracta pensione. » Sac. Congreg. Concil., 3 Julii 1609, pro Canonico S. Laurentii in Damaso urbis, licet, ut asserebatur, in Basilicis majoribus ejusdem urbis detractio fieret a toto præbendæ fructu, nullo habito respectu ad pensiones.

(17. Canonicatum erigere Episcopus non potest sine consensu capituli. Sacra Congreg. Concil. in Clodien., 5 Julii 1608, in Aquinaten., 20 Februarii 1677, in Nazarien., 20 Septembr. 1692, et in Sabinen., 14 April. 1696. (18. Si tamen Canonici irrationabiliter renuant præstare consensum erectioni novi canonicatus, superior supplet. Sac. Cong. Conc. in Sabinen., 2 Julii 1696. Et etiam suppleri petebatur in alia Almerina, 25 Junii 1695, in qua Episcopus cupiens in executionem legati testatoris duos canonicatus erigere de novo, capitulum assensum præbere renuit ob deficientiam reddituum, et ideo fuit rescriptum. « Firmetur Status hæreditatis » ut dignosci posset, an capitulum rationabiliter se opponeret nec ne. (19. Imo non potest Episopus auctoritate ordinaria in sua Ecclesia creare Canonicos supranumerarios absque consensu capituli et Canonicorum. Sacr. Congregatio Conc. in Fulginaten., 26 Februar. 1639. (20. Canonicus supranumerarius neque ad futuram præbendam creari potest, quia hujusmodi exspectativæ fuerint abrogatæ a Sacro Concilio Tridentino sess. 24, cap. 20, *de Reformat.* Ita Sacra Congregatio Concil. in Tirasonen., 30 Maii 1698, in qua fuit denegata confirmatio talis electionis seu institutionis. (21. Canonicus supranumerarius receptus suppliciter de mandato Papæ in aliqua Ecclesia in qua est certus numerus Canonicorum, non illi derogando, aut non mandando recipi cum plenitudine juris canonicalis, non habet jus canonicæ, stallum scilicet in choro, et vocem in capitulo, et alias omnes prærogativas, quibus cæteri Canonici gaudent. Canonicus vera supranumerarius receptus cum expressa Papæ derogatione de certo Canonicorum numero, vel cum plenitudine juris canonicalis, habet tale jus canonicæ, id est stallum in choro, vocem in capitulo, et alias omnes prærogativas quibus gaudent cæteri Canonici. Lel. Zech. cap. 24, *de Canon.*, num. 4, vers. *Causa vero*, (22. ubi subdit, quod quando a Papa impetratur canonicatus qui sit supra numerum, debet id in litteris exprimi, alias impetratio non valeret. Pavin. *de Potest.*, c. *Sed vac.* præl. 5, n. 15; Hojed. *de Incomp. Benefic.*, part. 1, cap. 12, n. 6; Stephan. Gratian. *Discept. forens.*, tom. V, cap. 867, a num. 1; Barbosa *de Canon.*, cap. 3, num. 15. Canonici autem supranumerarii ordinarie dicuntur illi, qui in Canonicorum collegium cooptantur et Canonici creantur ultra numerum certum præbendarum et canonicatuum, absque ulla præbenda illis statim attributa, ut ex Glossa et Abbat. in c. Cùm. M. Ferrariensis 9, *de Constitutionibus* resolvit Azorius *Institut. moral.* part. II, lib. 3, cap. 11. qu. 13; Barbosa *de Canon.* cap. 3, num. 12. (23. Si Canonicus supranumerarius fuit admissus per capitulum simpliciter sine præservatione suorum jurium, quotidianas lucratur distributiones. Rota, part. 18, recent. tom. I, decis. 364, n. 14. (24. Canonici supranumerarii, qui ex privilegio apostolico in aliqua Ecclesia recipiuntur cum eo quod solum participent de distributionibus quotidianis, et nullam obtineant præbendam, sed ad primam vacaturam juxta eorum prioritatem admittantur, non tenentur habere majorem ætatem quam quatuordecim annorum, dummodo non optent, nisi cum ætatem requisitam habuerint. Sacra Congreg. Conc. in una Venafren., 13 Martii 1663. (25. Potest permitti quod Canonici deputent in parochum Canonicum supranumerarium ; cum hoc non sit incompatibile. Sac. Congr. Conc. in Fulginaten., 14 Martii 1648.

(26. Dignitatem novam in cathedrali Ecclesia erigere nemo potest, nisi unus tantummodo Summus Pontifex, ut pluries decisum in Sacra Congreg. Concilii, notatur in tract. de Synodo Diœces. lib. VII, cap. 75, § 8.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(27. Erectio novi canonicatus est subreptitia, si Summo Pontifici non fuerit expressum statutum prohibens augeri numerum canonicatuum. (28. Neque alicujus efficaciæ est generica statutorum derogatio, quia non censetur Summus Pontifex derogare voluisse statutariæ prohibitioni non expressæ. Rota in Fanen. *Suppressionis*, 4 Junii 1742, cor. R. P. D. Canilliac.

(29. De Canonicis novæ erectionis frequens est disputatio, an et quomodo participent proventus capituli ; tum an et quomodo teneantur ad onera capituli. Vide de prima disputatione Rotam in Senogallien. *Successionis* 30 Junii 1738, cor. bon. mem. Nunez, tum, et maxime in Vercellen. *Functionum*, 14 Junii 1738 et 28 Novembris 1742; utrobique fere per tot. cor. bon. mem. de Vais, (30. et de secunda disputatione consule idem supremum Tribunal in Viterbien, *Contributionum, et expensarum*, 15 Junii 1745, coram R. P. D. Elephantut.

Digitized by Google

(31. De præcedentia quoque ipsis debita quæri solet. Adi sacrum auditorium in Novarien. *Præcedentiæ*, 11 Decembris 1711, cor. bon. mem. Barbadic.

CANONICI REGULARES

QUOAD BENEFICIA CURATA, ETC.

SUMMARIUM.

1. Canonici regulares Lateranenses et Sanctissimi Salvatoris sunt incapaces obtinendi beneficia sæcularia. — 2. Dicti Canonici beneficiati prohibentur a claustris discedere absque indulto apostolico. — 3. Etiam provisi de beneficiis simplicibus jubentur intra claustra manere. — 4. Indulta tamen apostolica facilius ipsis sunt concedenda. — 5. Variæ quæstiones supra num. 1. *Remissive*. — 6. Præfati Canonici a solo Pontifice resignationes, coadjutorias, beneficia simplicia, et pensiones ecclesiasticas obtinere possunt. — 7. De obtinentibus beneficia residentialia, aut parochias sæculares. — 8. Canonici regulares ordinis Hospitalarii S. Spiritus, ejusdemque ordinis moniales in Hispaniis et Polonia subjiciuntur locorum ordinariis. — 9. Canonici regulares S. Augustini monasterii Ultiensis in Alpibus sæcularizantur, absolvuntur ab omnibus professæ religionis observantiis, excepto voto castitatis.—10. Canonici regulares Præmonstratenses parochiales Ecclesias, et Vicarias sine apostolica dispensatione obtinere et retinere possunt. — 11. Canonici regulares non sunt capaces beneficii simplicis. — 12. Ad legitime recipiendas parochias laicas requiritur facultas Summi Pontificis. — 13. Nunquam iis rescripta et brevia pro exercendo advocati munere conceduntur.

(1. Canonici regulares Lateranenses, et Sanctissimi Salvatoris incapaces declarantur obtinendi beneficia sæcularia et pensiones ecclesiasticas, et accedendi ad concursus pro Ecclesiis parochialibus et præbendis theologalibus, et pœnitentiariis. Benedict. XIV, tom. I, constit. 135, incip. *Quod inscrutabili* per tot. et signanter § 14.

(2. Dicti Canonici provisi de beneficiis Curatis, aut residentialibus prohibentur e claustris discedere absque indulto apostolico. Idem *ibid.* § 15. (3. Provisi de beneficiis simplicibus aut pensionibus ecclesiasticis, jubentur intra claustra manere, sub pœnis contra apostatas. Idem *ibid.* (4. Quia tamen regulæ inserviunt laxiori, indulta apostolica facilius ipsis sunt concedenda. Idem *ibid.* § 16.

(5. Quando a patronis præsentari valeant ad Ecclesias curatas, et canonicatus, seu præbendas sæculares assignatur; *ibid.* § 17 et 18. Item quomodo ab ordinariis provideri possint sine concursu; *ibid.* § 29. Item quomodo ad concursus admitti; *ibid.* § 21. Item quomodo provideri de parochia, aut præbenda theologali, vel pœnitentiaria extra concursum; *ibid.* § 23. Item qua ratione eorum Superiores præstare debeant consensum pro hujusmodi provisionibus; *ibid.* § 17.

(6. Præfati Canonici resignationes, coadjutorias, beneficia simplicia, et pensiones ecclesiasticas, a Summo Pontifice duntaxat obtinere possunt. Idem *ibid.* § 24. (7. Obtinentes parochias sæculares, aut beneficia residentialia, non compelluntur habitum religionis gestare, nec socium sui ordinis retinere. Idem *ibid.* § 27. Nec a superioribus regularibus ad claustra revocari possunt. Idem *ibid.* § 26. Ad quæ nihilominus redire coguntur, si parochiam, aut canonicatum resignaverint, vel de ipsis per sententiam privati, aut perpetuo suspensi, et inhabilitati fuerint. Idem *ibid.* § 28. Non vero si Coadjutorem acceperint, aut jubilationem obtinuerint. Idem *ibid.*

(8. Canonici regulares ordinis Hospitalarii S. Spiritus, ejusdemque ordinis moniales in Hispaniis et Polonia existentes, subjiciuntur ordinariis locorum, et eximuntur a jurisdictione præceptoris generalis S. Spiritus in Saxia de urbe. Idem tom. I, constit. 15, incip. *Sæpe Romanorum.*

(9. Canonici Regulares S. Augustini monasterii Ultiensis in Alpibus sæcularizantur, et habiles in posterum possidendi, hæreditandi, et testandi, ac absoluti ab omnibus professæ regulæ observantiis, excepto voto castitatis, ut alii sæculares presbyteri, declarantur. Idem tom. II, constitut. 56, incip. *In Sacrosancta.*

(10. Canonici regulares præmonstratenses parochiales Ecclesias etiam sæculares, et Vicarias obtinere possunt, et retinere sine apostolica dispensatione; sic declaravit idem Pontifex Benedict. XIV, die 5 Septembris 1750, constit. incip. *Oneroso.*

(11. Canonici regulares, quanquam sint capaces beneficii curati, ex textu cap. *Quod Dei timorem, de Statu Monach.*, non sunt tamen beneficii simplicis, ut ex pluribus decretis Sacr. Congregat. Concil. firmatur; id. Institut. Eccles. 98, § 2, sicut nec beneficiorum residentialium non parochialium, ut ex sensu multorum canonistarum. *Ibid.* § 3.

(12. Nec possunt parochias laicas recipere cum sola licentia Abbatis Generalis; sed requiritur facultas Summi Pontificis. *Ibid.* § 5.

(13. Canonicis regularibus rescripta et brevia pro exercendo advocati munere nunquam conceduntur; quod est conforme can. *Ex parte tua de postulando.* Idem. *de Synodo Diœc.* lib. XIII, cap. 10, § 12, nov. edit.

CANONIZATIO SANCTORUM

Vide vero. CULTUS SANCTORUM.

CANTIONES.

Vide verb. ECCLESIA, *art.* 5, *num.* 41; *verb.* LUXURIA, *num.* 86, 87; *verb.* PROCESSIO, *num.* 52.

Digitized by Google

CANTOR.

ARTICULUS EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

SUMMARIUM.

1. Cantorum antiquitas. — 2. Ordinatio. — 3. 4. Cur instituti, eorumque varia genera. — 5. 6. Præcentorum nomina, munus, numerus. — 7. Schola cantorum a S. Gregorio M. Romæ constituta. — 8. Ex quibus constaret. — 9. Quandiu viguit.

(1. Cantorum apud veteres sæpe mentio occurrit, ut can. 69, inter apostolicos, apud auctorem *Constitutionum Apostolicarum*, lib. III, c. 2, et Concilii Laodiceni, can. 24.

(2. In Concilio Carthaginiensi IV, can. 10, eorumdem ordinatio præscribitur, ibique facultas presbytero conceditur, etiam *absque scientia Episcopi* cantores ordinandi, quæ fortasse peculiaris fuit Ecclesiæ Africanæ praxis.

(3. Cur autem cantorum, qui et *Psaltes*, seu *Psalmistæ* dicti, fuerit ordo institutus, causa fuit veteris psalmodiæ ex populi ad hanc divini cultus partem parum idonei negligentia restituendæ, atque emendandæ necessitas.

(4. Duo cantorum genera habuit, habetque Ecclesia, præcentores, *qui vocem præmittunt in cantu*, inquit S. Isidorus dist. 21, cap. 1, seu præcinentes choro quodammodo præeunt, et *Succentores*, seu chorum, *qui subsequenter canendo respondet.*

(5. Qui Romanis *præcentor* est a Græcis ὑποφολεύς appellatur, seu *monitor*, *suggestor*, *inspirator*, *prænuntiator*; de quo Cotolerius, ad lib. II *Constit. Apostolic.*, cap. 57.

(6. Qui olim responsorium præcinebat, unus duntaxat erat cantor. Priscus hic ritus, cujus Isidorus meminit, *de Eccl. offic.*, c. 8, vigebat Romæ sæculo IX, uno scilicet cantore responsorium, etiam Graduale Missæ, præcinente; imo et sæculo XII in Ecclesia Mediolanensi apud Beroldum a Muratorio in Antiquitatibus medii ævi evulgatum. Posteriori ævo cantores duo in Ecclesia Romana responsorium Graduale modulari cœperunt, ut in cæremoniali Benedicti Canonici videre est. Tom. II, *Mus. Ital.* Mabillon., p. 120.

(7. « Scholam Cantorum » S. Gregorius M. teste in ejus Vita Joanne Diacono lib. II, cap. 6, « constituit, eique cum nonnullis prædiis duo habitacula, scilicet alterum sub gradibus basilicæ beati Petri Apostoli, alterum vero sub Lateranensis Patriarchii domibus fabricavit. » In hoc collegium cantorum, Diaconis, multoque magis presbyteris exclusis (ut ex decreto constat Synodi Romanæ ejusdem S. Gregorii, cap. *in Sancta Romana*, dist. 92) soli Subdiaconi, adscitis clericis inferiorum graduum cooptabantur.

(8. Hujus autem scholæ præcipui cantores (vide Baronium ann. 1057) septem erant Subdiaconi, quorum primus *Primicerius*, vel *Prior Scholæ*, secundus *Secundicerius* dicebatur, tum tertius, et quartus Scholæ, qui et *Archiparaphonista* vocabatur; in eorum autem adjumentum in modulationis officio, *Paraphonistæ*, aliique pueri cantores adjungebantur.

(9. Celebrem hanc scholam, adhuc XIII Christi sæculo Romæ viguisse, post Cæsarem Rasponum de *Basilica Lateranensi* lib. II, cap. 4, conjicit Card. Bona *Rer. Liturg.* lib. I, cap. 25. Vide plura apud Card. Thomasium, t. IV et V Oper.

CANTUS.

SUMMARIUM.

1. Cantus Gregorianus a fratribus et monialibus ord. minorum S. Francisci de Paula adhiberi præcipitur. — 2. Cantum in divinis laudibus adhibere ritus est vetustissimus. — 3. 4. Non tamen ubique, neque ab omnibus æque receptus fuit. — 5. Mos Orientalium erat ut hymni et psalmi alternatim canerentur. — 6. Quæ disciplina hodie quoque viget in Ecclesia. — 7. Quod etiam S. Carolus Mediolanensis intendit. — 8. Distincte canere quid sit. — 9. Cantus alternis choris in Veteri Testamento. — 10. Christiani cantum a Christo, atque ab Apostolis edocti sunt. — 11. Quadruplex canendi ratio apud Christianos viguit. Primo : Cum Psalmi ab universa Congregatione conjunctim canerentur. — 12. Secundo : Cum alternis choris canerentur a Congregatione in duas partes divisa. Tertio : Cum canerentur ab uno, cæteris in silentio audientibus. — 13. Quarto : Cum præcinente cantore succineret populus. — 14. Hinc quadruplex cantus ecclesiasticus, directus, antiphonus, responsorius, et tractus. — 15. Alterni cantus in Oriente auctor Sanctus Ignatius Martyr. — 16. Uti in Occidente S. Ambrosius, non Damasus. — 17. Cantus alius simplex et planus; alius melodicus. — 18. Medius inter utrumque Gregorianus. — 19. Qui paulatim apud omnes Occidentis Ecclesias propagatus fuit; imo et apud monachos.

(1. Cantus Gregorianus in choro, aliisque functionibus, a fratribus et monialibus ordinis minorum Sancti Francisci de Paula peragendis, adhiberi præcipitur. Bened. XIV, *Constit.* incip. *Romanus Pontifex.*

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(2. Cantum in divinis laudibus adhibere, ritum esse vetustissimum, ab ipsius quoque Christi et Apostolorum exemplo originem trahentem, docet Sanctus Augustinus Epist. 55, ult. edit., c. 28. (3. Nequaquam tamen ubique eodem tempore, neque ab omnibus æque receptum, et probatum fuisse fatendum est. (4. Testis enim est Sanctus Augustinus, lib. IX *Conf.*, cap. 7, suo tempore primum a S. Ambrosio in Ecclesia Mediolanensi institutum fuisse, ut hymni et psalmi canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret. (5. Mos Orientalium erat, ut hymni et psalmi alternatim canerentur. (6. Quæ disciplina ab omni plane ævo probata atque recepta hodie quoque viget in Ecclesia; ita

Digitized by Google

ut unusquisque psallentium aut recitantium horas canonicas tam publice quam privatim suo muneri satisfaciat, si quisque alternatim versus psalmorum aut hymnorum recitet, licet psalmorum nec hymnorum versus ab altero socio, vel choro recitatos privatim repetat. (7. Decantatio distincta divini officii excitamentum est singulare ad devotionem. Quod intendens piissimus Mediolanensium Antistes Sanctus Carolus decrevit, ut « omnes in choro divina officia, ut temporis ratio postularit, alternis vocibus canant, recitent, attenteque audiant; » idque non cursim, non perturbate, non oscitanter, sed leniter, distincte ac studiose faciant. (8. Distincte canere est canere non syncopando, non mutilando, non cursim, non festinanter, non commiscendo verba vel syllabas; faciendo pausam in medio, vel intra utrumque versiculum. Hinc mellifluus pater filiis suis hoc monitum reliquit : « Psalmodiam, inquit, non nimium protrahamus, sed rotunda et viva voce cantemus. Medium et finem versus simul intonemus, et simul dimittamus. Punctum nullus teneat, sed statim dimittat. Post medium bonam pausam faciamus. Nullus ante alios incipere, et nimis currere præsumat, aut post alios pneuma trahere, vel punctum tenere : simul cantemus, simul pausemus, semper auscultando. Quicunque incipit antiphonam, aut psalmum, hymnum, responsorium, Alleluia, unam aut duas partes solus dicat aliis tacentibus; et ab eo loco quo ille dimittit, alii incipiant, non repetentes quod ille jam dixit. Monemus vos, dilectissimi, ut sicut reverenter, ita et alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis, et remissis vocibus mulicbre quiddam de nare sonantes, sed virili sonitu et affectu voces sancti Spiritus depromentes. »

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(9. Cantum alternis choris in Veteri Testamento adumbratum, et ad seraphicam imitationem fuisse institutum, scribit S. Isidorus Hispalensis, *de Offic.*, lib. I; Isaiæ enim c. 6, duo Seraphim clamabant alter ad alterum : *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus;* indeque duos choros sibi alterna modulatione concinentes repræsentabant. Nimirum in Veteri Testamento ex Davidica institutione Levitæ in tres choros distributi canebant coram Tabernaculo testimonii : stabant autem juxta ordinem suum in ministerio. Chorus medius Levitarum erat Caathitarum sub cantore Heman, chorus dexter Levitarum Gersonitarum sub cantore Asaph; chorus vero sinister Levitarum Meraritarum sub cantore Ethan (*I Paralip.* VI). Eos autem per choros decantasse, ac sibi invicem respondisse nulli, inquit Ven. Thomasius, *Præf. in Responsor. et Antiphon. R. E.*, p. 21, dubium esse potest.

(10. In nova autem lege Christianos ab ipso Domino, ejusque Apostolis psalmos et hymnos canendi habuisse documenta, et exempla tam certum est, quam quod certissimum, ut scitissime animadvertit Sanctus Augustinus *ep.* 119. Christus sane, et Apostoli post eucharisticam cœnam *Math.* XXVI, hymnum decantarunt. S. Paulus *Ephes.* V, Cantum ecclesiasticum diserte præcipit : *Loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes.* Hinc Plinius in celebri ad Trajanum epistola refert Christianos in antelucanis conventibus carmen Christo quasi Deo dicere consuevisse. Idipsum Tertullianus testatur *Apolog.*, cap. 39, et l. II, *ad Uxorem* cap. 9, « sonant, inquit, inter duos psalmi et hymni. »

(11. Non una tamen psalmodiæ ratio apud Christianos viguit. Antiquior ea videtur fuisse, qua psalmi ab universa Congregatione conjunctim uno veluti ore cantabantur. Hinc Chrysostomus hom. 36, tempora apostolica cum suis comparans, « olim, inquit, omnes in unum congregati communi voce cantabant; quod et nos hodie facimus. » Augustinus quoque non semel Psalmos conjuncta omnium voce cantatos innuit; quo spectat illud de verb. *Apost.*, serm. 10, « cantavimus psalmum exhortantes nos invicem una voce, uno corde dicentes : Venite, adoremus. »

(12. Proxima huic cum antiquitate, tum celebritate, et generali usu ratio alternatim psalmos canendi, in duas nimirum partes congregatione divisa. Sed de hac plura infra dicemus. Tertia, quæ communi quadam consuetudine in monasteriis Ægypti, Cassiano teste *Institut.* lib. II, cap, 8, usurpabatur. Nempe monachorum singuli singulos per orbem psalmos canebant, reliquis cum silentio audientibus, ad ultimum usque matutini officii psalmum, quem omnes junctim cantabant.

(13. Præter has omnes canendi methodos alia quædam, sæculo præsertim Ecclesiæ quarto, frequentissima erat, quando scilicet unus aliquis (quem *phonascum*, et *præcentorem* appellabant) versum inchoabat, populo se ei in clausula conjungente, atque, ut Latini loquuntur, succinente. Meminit hujus canendi rationis S. Basilius ep. 63, *ad Neocæsar.* Sed celeberrimum ejusdem exemplum historia S. Athanasii suppeditat. Cum enim Ecclesia ab Arianis militibus Alexandriæ obsideretur, mandavit Athanasius Diacono, ut completa oratione psalmum cantaret, populo autem, ut responderet : *quoniam in sæculum misericordia ejus* : sicque Sanctus Episcopus in media psallentium turba incolumis evasit. Id omnes historici narrant; Theodoretus lib. II, cap. 13; Socrates lib. II, cap. 11; Sozomenus lib. III, cap. 6; atque adeo Athanasius ipse, Apol. 2.

(14. Ex hac porro quadruplici canendi ratione quadruplex quoque cantus ecclesiastici genus profluxit, de quo fuse Martenius; cantus nempe *directus*, seu *directaneus*, cum totus simul chorus communiter canit, non alternatim, sed uno veluti ore, unoque concentu, qui *symphonia* dicitur; cantus *anti-*

Digitized by Google

phonus, cum bifariam, sive in binas classes canentium chorus dispertitus alternis canit; cantus *responsorius*, cum scilicet unus cantor præcinit, chorusque totus illi respondendo succinit; *tractus* tandem, quem unus solus ex primæva institutoris officiorum mente canere deberet, nullo succinente, vel respondente, licet nunc tractus alternantibus choris perperam decantari soleat.

(15. Ad alternum cantum redeo, ut aliquid de ejus antiquitate dicamus. Socrates lib. VI, cap. 9, refert, S. Ignatium Antiochenum Episcopum, et Martyrem, cum audisset in mentis suæ excessu Angelos alternis hymnis Sanctissimam Trinitatem collaudantes, psallendi formam in ea visione expressam Antiochenæ Ecclesiæ suæ tradidisse, quæ deinde in varias Ecclesias piorum Episcoporum studio insinuata ab omnibus Catholicis est recepta. Henricus Valesius, cum apud Theodoretum lib. II, cap. 24, legisset, hanc canendi alternatim psalmos rationem in Antiochenam Ecclesiam a Flaviano et Diodoro, imperante Constantio, introductam, Socratem hic errore lapsum putavit. Verum plerique utrumque historicum conciliari facile posse existimant. Nimirum alii cum Thomasio Socratem de hymnis in usum Ecclesiæ compositis, Theodoretum vero de Psalmis Davidicis intelligunt. Sunt alii qui hanc consuetudinem velint ab Ignatio primum cœptam, a Paulo Samosateno fuisse intermissam, ac deinde a Flaviano et Diodoro restitutam, a qua sententia non abhorret Azevedo. Sed Binghamio lib. XIV, c. 1, § 11, ejusque exscriptori Selvaggio *Antiq. Christ.*, lib. II, c. 10, § 2, num. 6, potior videtur, neque immerito, Pagii ad ann. 400, n. 12, conjectura, Diodorum et Flavianum tantum hanc rationem canendi psalmos lingua Græca Antiochiæ introduxisse, cum jam pridem antea lingua Syriaca ita cani consuevissent, id diserte testante Theodoro Mopsuesteno apud Nicetam. *Thesaur. Orthodox. fidei* lib. V, cap. 30.

(16. Ut ut est, primus in Mediolanensem Ecclesiam, ad Orientalium imitationem, alternum cantum S. Ambrosius an. circiter 386 introduxit, ad levandum populi tædium, qui furente persecutione Justinæ Augustæ ab Arianis excitata, noctes integras in templo transigebat. Testem habemus omni exceptione majorem S. Augustinum lib. IX, *Confess.* cap. 7, cui concinit Paulinus in ejusdem Ambrosii Vita. A Mediolanensi porro Ecclesia ad cæteras Occidentis Ecclesias mos iste brevi pervasit, ut iidem nos docent. In nullis tamen Ecclesiis paulo serius receptus fuit, ut in Avenionensi et Arelatensi Ecclesiis, quarum illa solum sub Agricolo, hæc sub Cæsario alternum Cantum suscepit. Vide Coustant. tom. I *Epist. Roman. Pont.* col. 7, seq., ubi etiam eos egregie refellit, qui hujusmodi cantum a Damaso aut invectum, aut saltem confirmatum aiunt.

(17. Quod ad vocem, sive pronuntiationem in canendo attinet, duplicis erat generis cantus; planus et simplex alter, alter melodicus. Planus et simplex cantus cum modico et grato flexu vocis, aptoque pronuntiandi sono fiebat, non multum discrepans. Hæc canendi ratio Alexandriæ tempore S. Athanasii obtinuit. Sanctus certe Augustinus sæpe sibi dictum de Athanasio meminit *Conf.* lib. X, cap. 33, « quod tam modico flexu vocis faceret sonare lectorem psalmos, ut pronuntianti vicinior esset quam canenti. » Et hanc communem Ecclesiarum quoque Africanarum rationem fuisse, ut quæ tardioribus populi Africani mentibus gratissima foret, idem Augustinus innuere videtur *ad Januar.* ep. 119, cap. 18. Melodicus alter cantus ad majorem efficiendam suavitatem Orientalibus cæteris in usu fuit, atque inde ab Ambrosio in Ecclesiam suam traductus. Testatur hoc Augustinus, qui *Conf.* lib. X, cap. 33, Ambrosium alloquens ait: « Verumtamen cum reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ, et nunc ipse commoveor, non cantu, sed rebus quæ cantantur: cum liquida voce et convenientissima modulatione, magnam instituti hujus utilitatem rursus agnosco... ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. »

(18. Cujusmodi cantus fuerit Romæ ante Magnum Gregorium, incompertum fuit, ut recte Joannes Bona. Gregorius porro cantum instituit, qui ab ipso ejus auctore *Gregorianus* passim dictus est, medium quodammodo inter simplicitatem Alexandrinam et suaviorem Orientalium melodiam. Ad vocum flexiones, exaltationes, et depressiones in cantu Gregoriano designandas variis notis veteres usi sunt, de quibus Rodata in pererudito commentario de *Anno jubilæo, de Cultu templorum, de Cantu, et Musica ecclesiastica* in Benedicti XIV epistolam encyclicam. Galli, Germani, Angli, aliique Occidentis populi Gregorianum cantum certatim amplexi sunt, solis exceptis Hibernis, qui usque ad S. Malachiæ Dunensis Episcopi, aut Henrici II Regis ætatem Romanum ecclesiasticum cantum ignorarunt.

(19. S. Benedictus diversum a Romana Ecclesia psallendi ritum suis Alumnis tradiderat, « *ut*, inquit Angelus de Nuce apud Le Cointe *Annal. Francor.* tom. VI, ad ann. 789, num. 140, *monachi a clericis non solum conversatione, sed etiam publicarum orationum modo distinguerentur* : » quod ipsum de monachis S. Columbani idem auctor statuit. Verum vel hinc discere poterat, commentum esse nulla veri specie commendandum, quod ex suo Constantino Cajetano tradidit, Monachos nempe a S. Benedicto Romam missos Pontificis jussu, ut clericos cantum docerent. Monasterium Casinense Gregorianum cantum sæculo tandem XI, recepit, Ambrosiano, quem antea observaverat, Stephani IX, jussione abolito, quod Romanus *magis dulcis et ordinatus esset*, Mabillonio teste *Annal. Bened.*, tom. IV, ad ann. 1057, quo Stephanus ex illius cœnobii Abbate creatus est Pontifex; num. 2. Vide supra CANTOR.

Digitized by Google

CAPELLA.

SUMMARIUM.

1. Capella, et capellania sæpe pro eodem accipiuntur. — 2. Sed revera Capella et capellania inter se differunt. Et quid sit Capella. — 3. Quid sit capellania. — 4. Capella plerumque accipitur in jure pro modica Ecclesia. — 5. Aliquando sumitur pro Ecclesia parochiali. — 6. Interdum intelligitur nomine Capellæ Ecclesia collegiata. — 7. Quandoque sumitur pro Ecclesia jurispatronatus. — 8. Frequenter etiam pro Capella veniunt sacrorum solemnia, quæ coram Papa et Cardinalibus, seu aliis magnis Principibus et Prælatis peraguntur. — 9. Frequentius tamen, et magis proprie pro Capella intelligimus sacellum, seu oratorium, id est locum Deo consecratum intus, vel extra Ecclesiam. — 10. Et Capella hoc ultimo modo sumpta tribus modis sic appellatur, qui assignantur. — 11. Capella unde sit dicta; ad n. 14. — 15. Hisce nostris temporibus ex communi usu loquendi Capella accipitur pro altari in Ecclesia ab aliquo erecto, vel dotato, in quo jurispatronatus obtineat: et a Capellis, sic sumptis derivantur etymologice capellaniæ. — 16. Capella constructa pro celebratione Missarum debet sufficienter dotari a patrono, aliter non acquirit jurispatronatus. — 17. Capella si non sit sufficienter dotata, potest fieri præceptum patronis beneficiorum, ut intra competentem terminum provideant altaria de omnibus necessariis, vel ut dotem augeant sub pœna privationis eorum juris; eo autem elapso, et non parito, ad privationem procedi potest. Hinc altaria inornata et indotata posse ab Episcopis et regularibus concedi aliis patronis, qui eis provideant, si proprii post tertiam monitionem cum aliquo intervallo, vel termino non adeo coarctato ab ordinario faciendam, id præstare negligant, vel recusent. — 18. Præceptum de augenda, vel constituenda dote sub pœna privationis jurispatronatus et Capellæ potest quoque fieri patrono, etiamsi in fundatione fuerit sufficienter assignata, et deinde tractu temporis fuerit diminuta, vel deperdita. — 19. Et hoc intellige, quando dos a patrono sufficienter assignata perit, vel diminuta est sine culpa rectoris Capellæ, seu beneficii, quia si id evenisset causa dicti rectoris, non esset tunc inquietandus patronus, sed teneretur ad manutentionem rector Capellæ, seu beneficii; ad n. 20. — 21. Tale onus extenditur etiam ad ornamenta, paramenta, luminaria, et omnia alia sine quibus divina celebrari non possunt. — 22. Ad quem spectet manutentio altarium, seu Capellarum, quæ sunt de jurepatronatus, ac ornamentorum necessariorum pro eisdem altaribus, seu Capellis; ad n. 24. — 25. Si nec patronus, nec Ecclesia, nec rector, seu beneficiatus possunt necessaria ministrare, et aliter necessitati opportunum remedium præberi nequit, tunc Episcopus secundum aliquos poterit partem pecuniæ destinatæ pro celebrandis Missis, vel Anniversariis ad tempus in eamdem necessitatem convertere: ad n. 26. — 27. Nunc tamen perpendenda sunt Decreta *Sacræ Congregationis Concilii* de celebratione Missarum cum suis declarationibus. — 28. Capellæ fundationem, et juspatronatus demonstrant inscriptiones, arma, et insignia familiæ insculpta in marmoreis lapidibus, vel pariete Capellæ, quæ regulariter apponi non solent in re, vel ædificio alienis sumptibus constructo. — 29. Hinc eorum insculptio demonstrat rem esse de Dominio, et pertinentia illius cujus sunt arma et insignia. — 30. Et sic reperta in aliqua Capella, vel altari inducunt præsumptionem jurispatronatus, et bonæ fidei in antiquis. — 31. Et arguunt illum, cujus sunt arma et insignia sibi et suis ædificare et acquirere voluisse. — 32. Et licet non appareant ita antiqua, ut dici possint apposita fuisse in fundatione, nihilominus conducunt ad probandam fundationem. — 33. Unde patroni debent manuteneri in quasi possessione tenendi in Capella, seu altari sua insignia. — 34. Quæ arma, vel insignia, sive probentur fuisse apposita in fundatione, vel ob restaurationem, aut meliorationem, nulli unquam, sive rectori, sive conventus Prælato, sive hæredi licet ea abradere et removere; ad n. 35. — 36. Et per hoc tam jure communi quam particularibus multorum locorum legibus statutum est, quod corrumpentes ac delentes alicujus familiæ insignia in Ecclesiis, Capellis, aliove loco ad perpetuam memoriam collocata, severe puniantur. — 37. Capellæ regiæ, et eorum capellani subsunt locorum ordinariis, non autem Capellarum magistris. — 38. Unde dictæ Capellæ, eorumque capellani, quantumcunque gaudeant prærogativa exemptionis, poterunt nihilominus visitari ab Episcopo loci. — 39. Nec obstant privilegia exemptionis concessa regiis capellanis. — 40. Nec huic ordinariorum jurisdictioni fuit in aliquo derogatum per Concilium Tridentinum. — 41. Protectio regia ad effectum exemptionis contentæ in textu Concilii non acquiritur per simplicem receptionem in protectionem. — 42. Adducuntur ad id decreta Sacræ Congr. Conc. ad n. 47. — 48. Capellæ, seu altaria confraternitatum laicorum existentium in claustris, vel Ecclesiis regularium, ab Episcopis visitari non possunt, nisi in his quæ confraternitatum administrationem respiciunt. — 49. Potest Episcopus visitare Capellam, quæ est titulus beneficii sæcularis, existentem in Ecclesia regulari respectu tantummodo tituli beneficii, ac ejusdem beneficiati, et non ultra. — 50. Non potest Episcopus visitare Capellas campestres regularium. — 51. Oratoria tamen publica, quæ habent requisita Ecclesiæ, visitantur ab Episcopo, etiamsi sint de pertinentia regularium, dummodo sint separata a claustris, et campestria. — 52. Capellas vero, seu oratoria, quæ sunt in grangiis, seu domibus ruralibus regularium, nullatenus visitare potest Episcopus, nec ab eis procurationem exigere. — 53. Sic nec etiam potest Episcopus visitare Capellas, seu oratoria, quæ in privatorum domibus sunt, nec ab eis procurationem exigere. — 54. Ad hæc tamen oratoria, seu Capellas in domibus privatorum, licet non possit Episcopus tanquam visitator accedere, permissum ei nihilominus est videre saltem per viam denuntiationis, aut inquisitionis, an decenter et cum debita reverentia sacrificium Missæ ibi celebretur. — 55. Episcopus dispensare non potest ut Missæ relictæ a testatore in una Capella dicantur, vel remittantur in alia, quando satisfieri possunt in propria. — 56. Capellæ privatorum palatinorum non gaudent immunitate. — 57. Capella carcerum, vel contigua carceribus, non gaudet immunitate. — 58. Capella contigua, ut dicitur *al corpo di Guardia*, erecta, ut milites ibi degentes audiant Missam, maxime diebus festivis, permittitur declarari non esse locum immunem. — 59. Capella ruralis, vulgo dicta *Una Maestà*, posita in publica via, nisi probetur fuisse constructa auctoritate ordinarii, non gaudet immunitate, — 60. Capella sita in palatio abbatiali habens ingressum ab atrio ejusdem palatii inserviens publicæ utilitati, gaudet immunitate ecclesiastica, quamvis palatium non sit unitum Ecclesiæ abbatiali. — 61. Quando Capella existens in palatio gubernatoris est perpetua et invariabilis, confugientes ad eam gaudent immunitate, secus si sit variabilis, et non perpetua. — 62. Capella, an vendi et alienari possit. *Remissive*. — 63. Capellam Pontificiam haberi statuitur in exsequiis S. R. E. Cardinalium. — 64. Item in Basilica S. Mariæ Majoris in die festo Conceptionis B. M. V. — 65. 75. Capellæ per octavam Ss. apostolorum Petri et Pauli Romæ celebrandæ assignantur. — 76. Quo tempore vocabulum *Capellæ* usurpari cœperit, quæque sit ejus etymologia. *Remissive*. — 77. Privilegia Capellarum, et Capellanorum regum Angliæ, Galliæ, Hispaniæ Lusitaniæ, Sardiniæ, et Neapolis. *Remissive*. — 78

Digitized by Google

Status Capellæ obnoxiæ jurispatronatus an mutari possit inscio patrono. *Remissive* — 79. **Varia Capellarum significatio et origo.** *Remissive.* — 80. **Quæ propria olim fuerit significatio Capellarum, et qui capellani dicerentur.** — 81. **Quod præcipuum erat scopum sacellorum, sive Capellarum regiarum.** — 82. **Lapsu temporis alii etiam fideles laici cœperunt exstruere ædiculas, sive oratoria separata ab Ecclesia parochiali.** — 83. **Deinde etiam in ipsis Ecclesiis majoribus tam parochialibus quam collegiatis et cathedralibus, laterales aliquas ædiculas, vel etiam altaria in honorem alicujus sancti exstruxerunt.** — 84. **Quæ quidem Capellæ non sine consensu et auctoritate Episcopi, in cujus diœcesi sitæ erant, erigi poterant.** — 85. **Quid advertere debeat Episcopus in admittendis hujusmodi oratoriis vel Capellis in sua diœcesi.** — 86. **Hujusmodi Capellarum ædificationem non facile tamen, sed magna de causa Episcopus permittere debet.** — 87. 88. **Quid servare debeant Episcopi in concedendo hujusmodi Capellarum usum.** — 89. 90. **In concessione Capellarum quænam festa et personæ excipi solent.** — 91. **Benedictus XIV. vetus ordinis Prædicatorum privilegium circa sacella publica, et privata oratoria confirmavit, et ampliavit.** — 92. **Afferuntur hæ litteræ confirmatoriæ.** — 93. **Capella in quo differat a sacello.** — 94. **An sacramentum pœnitentiæ administrari possit in privatis Capellis.** — 95. **De Capellis seu oratoriis regularium.**

(1. Capella et Capellania sæpe pro eodem accipiuntur, ut probat Glossa 1, in Clement, 2, vers. *Quid de Capellaniis, vel Beneficiis Altarium, de Decimis;* Felin. in cap. *de Rescript.*, n. 2, vers. *Naturam vero istorum altarium, sive capellaniarum;* Fagnan. in cap. *Exposuisti* de Præbend., num. 3. (2. Sed revera Capella et capellania inter se differunt, quia Capella proprie est locus privatus in Ecclesia, vel extra Ecclesiam positus, vel Sacratus; cap. *Quisquis*, vers. *Capellæ* 17, quæst. 4. Fusch. de Visit., lib. II, c. 11, num. 6; Alphons. de Leone de Offic. Capellani, part. 1, qu. 3, sect. 1, num. 1; Barbosa, Juris Eccles. univers. lib. II, cap. 8, num 17. (3. Capellania vero definitur, quod sit onus celebrandi annuatim certas Missas in Capella, vel altari. Vasq. tom. III, in 3 part. S. Thomæ, disp. 234, num. 28; Perez de Lara de Annivers. et Capell., lib. II, cap. 1, num. 2; Alphons. de Leone de Offic. Capellani, p. 1, q. 3, sect. 2, n. 19; Barb. Juris Eccles. univers. l. III, c. 5, n. 1.

(4. Capella plerumque accipitur in jure pro modica Ecclesia, ut in cap. 1, et per tot. de Capellis Monach. (5. Aliquando sumitur pro Ecclesia parochiali, ut cap. *Exposuisti* 33, de Præbend. (6. Interdum intelligitur nomine Capellæ Ecclesia collegiata, ut cap. *Cum Capella* 16, de Privilegiis. (7. Quandoque sumitur pro Ecclesia jurispatronatus, ut cap. *Nobis* 25, de Jurepatronatus. (8. Frequenter etiam pro Capella veniunt sacrorum solemnia, quæ coram Papa et Cardinalibus, seu aliis magnis Principibus et Prælatis peraguntur, ut per Card. Palect. de Sac. Consistor. Consult. part. 5, quæst. 11, pag. 813, lit. *B.* et de his Capellis Pontificiis plura sanxit Sixtus V, in Constitut. incip. *Egregia.* (9. Frequentius tamen, et magis proprie pro Capella intelligimus sacellum, seu oratorium, id est locum Deo consecratum intus, vel extra Ecclesiam; c. *Quisquis* 20, vers. *Capellæ*, caus. 17, qu. 3. (10. Et Capella hoc ultimo modo sumpta tribus modis sic appelatur. Primo, quando est ædificatum altare in Ecclesia, etiamsi sit altare majus. Rota in Civitatis Castelli Beneficii, 16 Junii 1628, coram Card. Virili, sive sit in Ecclesia sæculari, sive regulari, ut in totø titulo de Capellis Monach. Secundo, quando est ædificatum altare in aliquo loco separato ab Ecclesia, ita ut habeat januam in publica via, ut fieri solet in villis et in aliis locis campestribus. Tertio, quando est ædificatum altare in aliqua domo alicujus privati in loco remoto ejusdem domus, ita ut sit pars domus. Ita Alphonsus de Leone de Officio Capellani, p. 1, qu. 3, num. 11, cum seq.; Barbosa Juris univers. lib. II, c. 8, n. 20.

(11. Quare autem hæc loca sic Deo dicata et consecrata appellentur Capellæ, varii varia dicunt. Aliqui enim volunt Capellam dictam esse a Cappa B. Martini, quam Reges Franciæ ad bella portabant, et sub quodam tentorio servabatur, quod inde Capella, et inde Capellani custodes illius dicebantur. Barbosa Juris Ecclesiast. univers. lib. II, cap. 8, num 19. (12. Alii dicunt quod potius Capella est Francicum nomen, quod significat tegumen, quod veluti tentorium sibi Reges Francorum exstruebant in castris militaribus, in quibus sacrum audire soliti erant. Azor. Institut. moral. part. II, lib. III, cap. 8, quæst. 1 et 2. (13. Nonnulli tenent quod Capella idem sit ac capanna, et desumatur a verbo *capio*, et *annus*, quasi importet locum, qui capit populum, et in quo annuatim Sacra fiunt. Fringerus in Etymologico latino, verb. *Capella.* (14. Alii autem sustinent Capellam dictam esse a capris, quarum pellibus olim tegebatur. Glossa in cap. *Concedimus* 30, dist. 1, de Consecratione, ibi: « Cum antiquitus dicerentur capellæ tuguria caprarum pellibus tecta, » et *ibid.* Turrecremata num. 4, et cum aliis Barbosa *loc. cit.* (15. Hisce autem nostris temporibus ex communi usu loquendi Capella accipitur pro altari in Ecclesia ab aliquo erecto, vel dotato, in quo juspatronatus obtineat. Rebuff. in Concordata in forma mandati Apostol., verb. *Capella;* Barbosa *loc. cit.* n. 18. Et a Capellis sic sumptis derivantur etymologice capellaniæ.

(16. Capella constructa pro celebratione Missarum debet sufficienter dotari a patrono, aliter non acquirit juspatronatus. Abbas in cap. *Ad audientiam* 3, de Jurepatronat. num. 4; Garcias de Benefic. part. V, cap. 9, num. 52; Glossa in can. *Quicunque* 30, caus. 16, qu. 7, arg. cap. *Nemo Ecclesiam* 9, dist. 1, de Consecration. et declaravit. Sacr. Congr. apud Garciam *loc. cit.* his verbis: « Dotatis insufficienter, quod arbitrabitur ordinarius, non acquirit juspatronatus, sed dicitur benefactor. » (17. Si Capella non sit sufficienter dotata, potest fieri præceptum patronis beneficiorum, ut intra competentem termi-

Digitized by Google

num provideant altaria de omnibus necessariis, vel ut dotem augeant sub pœna privationis eorum juris, eo autem elapso, et non parito, ad privationem procedi potest. Hinc altaria inornata et indotata posse ab Episcopis et regularibus concedi aliis patronis, qui eis provideant, si proprii post tertiam monitionem cum aliquo intervallo, vel termino non adeo coarctato ab ordinario faciendam, id præstare negligant, vel recusent, censuit Sac. Congregatio Episcoporum in Mutinensi 2 Maii 1601 et 16 Februarii 1604, ac alibi sæpe, ut testatur Pignatell. tom. VI, consult. 15, num. 4. (18. Præceptum de augenda, vel constituenda dote, sub pœna privationis jurispatronatus et Capellæ, potest fieri quoque patrono, etiamsi in fundatione fuerit sufficienter assignata, et deinde tractu temporis fuerit diminuta, vel deperdita. Sperel. dec. 67, num. 12; Lambertin. de Jurepatronat., lib. I, qu. 6, art. 4, num. 5 et 6; Lotter de Re beneficiaria, qu. 31, num. 19; Genuens. in Praxi, cap. 109. sub n. 31; Pignatell. citat. tom. VI, cons. 15, num. 5. (19. Et hoc intellige, quando dos a patrono sufficienter assignata periit, vel diminuta est sine ulla culpa rectoris Capellæ, seu beneficii, quia si dos sufficiens assignata a patrono pro totali manutentione altaris, seu Capellæ periisset, vel diminuta esset culpa rectoris Capellæ, seu beneficii, tunc nullatenus esset patronus inquietandus, sed teneretur ad manutentionem rector Capellæ, seu beneficii, qui juxta regul. 22. Juris in 6 : « Non debet aliquis alterius odio prægravari, » et juxta regul. 23, etiam Juris in 6 : « Sine culpa (nisi subsit causa) non est aliquis puniendus. » (20. Et ad hoc faciunt Canones c. *Quicunque* 1, et cap. de his 4, de Eccles. ædificand. ubi videtur injunctum rectoribus Ecclesiæ vel Capellæ onus ipsas reficiendi et reparandi. (21. Quod onus extenditur etiam ad ornamenta, paramenta, luminaria, et omnia alia sine quibus divina celebrari non possunt, quia fabricatio Ecclesiæ et præparatio ornamentorum a pari procedunt et parificantur; cap. de his 20, de Testamentis, ibi : « de his quæ in ornamentis, vel pro cereis, seu fabrica, luminaribus, vel aliis ad perpetuum cultum divinum, etc. »

(22. Num autem manutentio altarium, seu Capellarum, quæ sunt de jurepatronatus, ac ornamentorum necessariorum pro eisdem altaribus, seu Capellis, spectet ad ipsos patronos, an ad Ecclesiam in qua dictæ Capellæ, seu altaria sunt erecta, stante consuetudine, quod patroni nunquam fuerint coacti ad dictam manutentionem, sed eamdem impensam præstiterit dicta Ecclesia, prout hodie supplet impensas capparum, et omnium paramentorum sacerdotalium, nec beneficiati, qui habent capellanias erectas in dictis Capellis, seu altaribus, possunt eidem manutentioni concurrere, stante redditus tenuitate vix excedentis onera Missarum, quæ dictis capellanis annexa sunt. Sacra Congr. Conc. in Urbinatensi, in qua fuit propositum tale dubium sub die 10 Maii 1663, ad cap. 7, sess. 21 et cap. 9, sess. 22, respondit : « Teneri Ecclesiam ad limites consuetudinis legitimæ. In reliquis prout de Jure. » (23. Hoc tamen est intelligendum, quando Ecclesia sit ita dotata, ut possit congruenti modo manutenere altaria, et de facto longo tempore manutenuerit, quia tunc dos Ecclesiæ censetur etiam dos altarium. Et oportet quod talis dos sit instituta pro manutentione Ecclesiæ, non autem sit destituta pro manutentione ministrorum, quia proventus destinati pro ministris non debent minui, ut provideatur altaribus, cum jam ad ipsos jus acquisiverint, quare in tali casu aliunde esset providendum de dote, ut recte dicit Pignatell. *loc. cit.* n. 3. (24. Quam dotem pro congrua manutentione Capellæ teneretur assignare patronus, ut jam supra diximus, quia fundans capellam tenetur illam competenter dotare, quemadmodum pater filiam, juxta text in leg. *Qui liberum*, ff. de Rit. nupt.; Abbas cons. 89, n. 20, lib. II; Bellet. Disput. Cleric., § 15, n. 3; Villagut. dec. 9, n. 2; Sperell. dec. 68, n. 15; Rota dec. 230, n. 1, part. 1, divers. arg. cap. *Nemo* 9, dist. 1, de Consecrat.

(25. Si vero nec patronus, nec Ecclesia, nec rector seu beneficiatus possunt necessaria ministrare, et aliter necessitati opportunum remedium præberi nequit, tunc Episcopus poterit secundum aliquos certam partem pecuniæ destinatæ pro celebrandis Missis, vel anniversariis ad tempus in eamdem necessitatem convertere, per textum in l. I, c. de Expers.; Imol., lib. XI; Joanne Andreas in cap. fin. extra. de Testament., et tradit Ricc., dec. 123, part. II; Genuens. in Praxi, cap. 54, num. 5; Pignatell. *loc. cit.*, num. 5. (26. Et facit decretum Sacræ Congreg. Concil. in una Romana Legati Missarum pro archiconfraternitate S. Mariæ de Planctu, quod Legatum conceptum erat his verbis : *di far celebrare tante Messe l'anno, quante ne comporteranno li frutti della sua eredità.* Ubi quoad distributionem pro utensilibus Sacristiæ die 26 Martii 1679, ita rescripsit : « Taxandam esse eleemosynam ad rationem eleemosynæ manualis in urbe currentis, detractis tamen ex iisdem introitibus hæreditariis scutis quatuor pro singula Missa quotidiana ratione utensilium sacrarum supellectilium pro hujus Missæ celebratione; » l. XXXIX; Decret., fol. 509; ut refert Monacell., t. IV, supplement. ad III tom., n. 181. (27. Nunc tamen perpendenda sunt decreta Sacræ Congreg. Concil. de Celebrat. Missarum cum suis declarationibus, ut recte observavit Episcopus Lyciensis in sua II Synodo Diœcesana, § 2, in annot.; et Pignatell., *loc. cit.*, n. 5. Vide verb. *Utensilia*, num. 14.

(28. Capellæ fundationem, et juspatronatus demonstrant inscriptiones, arma et insignia familiæ insculpata in marmoreis lapidibus, vel pariete Capellæ, quæ regulariter apponi non solent in re, vel ædificio alienis sumptibus constructo. (29. Hinc eorum insculptio demonstrat rem esse de Dominio, et pertinentia illius cujus sunt arma et insignia. Rota part. XVII, dec. 139, n. 5. (30. Et sic reperta in aliqua Capella vel altari inducunt

Digitized by Google

præsumptionem jurispatronatus et bonæ fidei in antiquis. Rota part. II, dec. 548, n. 7. (31. Et arguunt illum, cujus sunt arma et insignia sibi, et suis ædificare, et acquirere voluisse. Rota part. IX, t. I, dec. 124, n. 21. (32. Et licet non appareant ita antiqua, ut dici possint apposita fuisse in fundatione, nihilominus conducunt ad probandam fundationem, quia præsumuntur per patronos et fundatores apposita vel ad conservationem sui juris, vel ad ostendendam devotionem erga Deum et Sanctos. Rota part. I, dec. 13, n. 3. (33. Unde patroni debent manuteneri in quasi possessione tenendi in Capella, seu altari insignia, ut decrevit Sacr. Congreg. Episcop., 17 Septemb. 1601 et 4 Sept. 1602. (34. Quæ arma, vel insignia, sive probentur esse apposita in fundatione, vel ob restaurationem, aut meliorationem, nulli unquam sive rectori, sive conventus Prælato, sive hæredi licet ea abradere et removere, vel ut memoria fundationis, aut benefactoris deperdatur, vel ut aliorum nomina, et insignia ibi ponantur; l. *Qui liberalitate*, § *Nec ejus nomine*, ff. de Operibus publicis, ibi: « Nec ejus nomine, cujus liberalitate opus exstructum est, eraso, aliorum nomina inscribantur; » Panimoll. decisione 10, adnot. pr. num. 68; Genuens. in Praxi, capit. 190, num. 1. (35. Imo Genuens. n. 4 concludit hæredem non posse sua arma affigere, in qua sunt illa fundatoris, ne memoria defuncti deperdatur contra mentem ipsius fundatoris, qui in signum patronatus ibidem arma et insignia, seu stemmata familiæ suæ ponendo videtur id fecisse sub ea lege, ne unquam amoverentur, et aliena ponerentur per dict. l. *Qui liberalitate*, et l. *si Judices*, de Operibus publicis, et l. *Legatum* ff. de Administr. ser. ad civit. pertinent. (36. Et per hoc tam Jure communi quam particularibus multorum locorum legibus statutum est, quod corrumpentes ac delentes alicujus familiæ insignia in Ecclesiis, Capellis, aliove loco ad perpetuam memoriam collocata, severe puniantur; l. *Opus*, ff. de Operibus publicis. Et quidem Romanus sign. 474, scriptum reliquit pœnam ejusmodi esse judici arbitrariam, cui subscripserunt Gom., § *Pœnales*, n. 5, instit. de Actionibus; Rebuff. in Compend. ad Reg. Constitut. Gall., t. III, tit. *de Mat. posses.*, art. 1, gloss. 2, n. 35, ex textu, ubi Bartol. in l. *Qui liberalitate* ff. de Operibus publicis; Menoch. de Arbitr., l. II, centur. 3, q. 281.

(37. Capellæ regiæ, et earum capellani subsunt locorum ordinariis, non autem Capellarum magistris; nam et ipsi Reges in spiritualibus subsunt Episcopis diœcesanis; cap. *Omnes principes* 4, cap. *Solitæ* 6, de Majoritate et Obedient., cap. *Duo sunt quippe* 10, dist. 96, adeoque multo magis clerici Capellarum, et ipsa Capella. Abbas in cap. *Cum Capella* 16 de Privilegiis, n. 3. Marian. Soccin., ibidem in tertio notabil.; Fagnan., *ibid.*, num. 7. (38. Unde dictæ Capellæ, earumque capellani, quantumcunque gaudeant prærogativa exemptionis, poterunt nihilominus visitari ab Episcopo loci ex decretis, cap. 4, sess. 6, c. 6, sess. 25, ut declarasse Sacram Congreg. Conc. refert Fagnan. *loco cit.*, n. 8, ubi dicit quod cum quidam sacerdos regius capellanus vocatus ad judicium coram ordinario loci postulasset se remitti ad capellanum majorem sub prætextu exemptionis, de qua habetur in Conc. Trident. cap. 11, sess. 24, *de Reform.*, Sacr. Congreg. censuit cap. 4, sess. 6, et cap. 6, sess. 25, comprehendere Capellas Regias, etiamsi in privilegiis esset dictum, ut non possent visitari ab ordinariis, quia cum d. cap. 6, sess. 25, deroget etiam fundationi, et immemorabili, censetur derogare istis privilegiis. (39. Nec obstant privilegia exemptionis concessa regiis capellanis sess. 24, c. 11, quia reservatio exemptionis, de qua in d. sess. 24, cap. 11, procedit juxta terminos cap. *Cum Capella* 16, de Privilegiis, solum quoad suspensionem, vel excommunicationem, aut interdictum, non autem quoad visitationem, et aliam jurisdictionem, ut ibi aperte patet, et tenet Rota dec. 744, part. 1 divers.; Covarruv. Practic. c. 11, num. 5; Barbosa in Conc. sess. 7, cap. 8, num. 26; Fagnan. in d. cap. *Cum Capella*, n. 7 et 10. Et de facto Tridentinum dict. sess. 24, c. 11, *de Reform.*, expresse præservavit dictam Decretalem ibi: « Et quoad capellanos regios juxta constitutionem Innocentii III quæ incipit *Cum Capella*, subjecti existant. » (40. Nec huic ordinariorum jurisdictioni (quod scilicet in locis, Capellis, et Ecclesiis, quæ sub regum immediata protectione sunt, Episcopi possint visitare et recognoscere decentiam divini cultus, et alia facere, et inquirere, quæ pertinent ad sacra mysteria) fuit in aliquo derogatum per Trident. cap. 8, sess. 22, *de Reformat.*, ut censuit Sacra Congr. Concil. in Neapolitana, 12 Decembr. 1601, lib. 15, dec. 423. (41. In qua responsione pro instructione additur, quod protectio regia ad effectum exemptionis contentæ in textu Concilii non acquiratur per simplicem receptionem in protectionem. Barbosa supra d. c. 8, sess. 22, *de Reform.*, n. 30; Monacell. tom. II, tit. 13, form. 2, n. 53. Pignatell. tom. I, cons. 114, n. 32, ubi refert prout sequitur: (42. In una Messan. fuit dubitatum: Primo, an hospitale alias non exemptum, si accipiatur a Rege sub immediata sui protectione, eximatur a jurisdictione ordinarii, ita ut ab eo visitari non possit, juxta Sacr. Concil. Trident. dispositionem sess. 22, cap. 8, *de Reformat.* (43. Secundo, an hospitale, in quo Rex habet juspatronatus, si alias exemptum non fuerit, visitari possit ab ordinario? (44. Tertio, an per immemorabilem consuetudinem non visitandi aliquod hospitale excludatur ordinarius a jure illud in posterum visitandi? (45. Die 11 Decembr. 1621. Sacr. Congreg. Concil. *Ad primum dubium* respondit: « Hospitale alias non exemptum non ideo esse immune ab ordinarii jurisdictione, etiamsi acceptum fuerit a Rege sub immediata ejus protectione, ac propterea hoc non obstare, quominus ab Archiepiscopo visitari valeat. (46. *Ad secundum:* Hospitale, in quo Rex habet juspatronatus, si alias exemptum non fuerit, utique posse ab ordi-

Digitized by Google

nario visitari. (47. *Ad tertium* : Ejusmodi consuetudinem etiam immemorabilem esse sublatam decreto cap. 8, sess. 22, *de Reform.*, ac proinde per eam nequaquam excludi ordinarium a jure hospitalia visitandi. »

(48. Capellæ, seu altaria confraternitatum laicorum existentium in claustris, vel Ecclesiis regularium, ab Episcopis visitari non possunt, nisi in iis quæ confraternitatum administrationem respiciunt. Sacra Congreg. Concil. in una Nucerina Paganorum, 23 Junii 1629, quam confirmavit in Urbanien., 23 Septemb. 1690. Et tenuit similiter Sacra Congregatio Episcop. in Fanen., 10 Aprilis 1693, referente Eminentiss. Card. Carpineo. Tenor autem decreti emanati in Nucerina talis est : Nucerina Paganorum, 23 Junii 1692. « Sacra Congr., etc., inhærendo declarationibus alias factis, censuit confraternitates laicorum in Ecclesiis regularium exemptorum institutas subesse jurisdictioni et visitationi Episcopi, illasque ab eo visitari posse, nec non illorum Capellas in eisdem Ecclesiis regularium existentes, in his tamen quæ confraternitatum administrationem respiciunt; et si confraternitatibus incumbit onus manutenendi altare, et illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea quæ respiciunt ipsam manutentionem, cultum, et ornamenta altaris, seu Capellæ, onera Missarum, atque divinorum officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea omnia, quæ ad obligationem eorumdem confratrum relationem habent. » Decreta Episcopo Hieracen. prout sequitur : « Questi Eminentissimi miei Signori mi hanno comandato di significarle, che da questa S. C. de' Vescovi e regolari è stato più volte risoluto, che li ordinari possono visitare le confraternite de' laici erette nelle Chiese de' regolari e d' altre persone esenti, non solo in quanto agli beni, ed entrate loro con rivedere i Conti, ma anche le Cappelle stesse in quanto a quello che risguarda l' amministrazione, ed altri obblighi personali, che spettano alla compagnia, e confratelli ascritti a quella, cioè in riconoscere, se l' entrate ed elemosine, che si danno per ornamento e mantenimento delle Cappelle, e per accrescere ivi il culto divino e la divozione del popolo, siano spese fedelmente, con effetto s' impieghino ad utilità, e in benefizio della stessa Cappella, e non in altri usi; non toccando però il restante che spetta alla cura, e total amministrazione de' frati e regolari, che son padroni di tutto il corpo della Chiesa, dove sono dette Cappelle e confraternita, come gli altari, immagini, ed altre cose materiali allisse, ed utensili sacri applicati a quelle, sopra de' quali nè i Vescovi, nè altri ordinari hanno da ingerirsi, nè usar alcuna giurisdizione, o sopraintendenza, a segno tale che non gli è permesso usar alcun atto giurisdizionale nelle sudette Chiese de' regolari, fuora di quanto si è detto sopra. Onde V. S. dovrà governarsi in questa conformità, che tale è sempre stato il senso della Sacra Congregazione. »

(49. Potest Episcopus visitare Capellam, quæ est titulus beneficii sæcularis, existentem in Ecclesia regulari respectu tantummodo tituli beneficii, ac ejusdem beneficiati, et non ultra. Sacra Congr. Episcop. et Regul., 12 April. 1658. (50. Non potest Episcopus visitare Capellas campestres regularium. Sacra Congr. Concil. in una Tarvisina, 17 April. 1649, ad c. 8, sess. 7, *de Reform.*, ubi ut refert Pignatell., t. I, consult. 347, propositis duobus sequentibus dubiis : primo, an Episcopus possit visitare Capellas campestres regularium? secundo, an idem possit præcipere Capellanis earumdem, ne Missas celebrent, antequam celebretur Missa Ecclesiarum parochialium? Sacra Congreg. respondit, ad primum *negative* quatenus Ecclesiæ sint regulares; ad secundum etiam *negative*. (51. Oratoria tamen publica, quæ habent requisita Ecclesiæ, visitantur ab Episcopo, etiamsi sint de pertinentiis regularium, dummodo separata sint a claustris, et campestria. Sacra Congreg. Concil. in Cæsenaten., 23 Septemb. 1690, et in Cortonen, 20 Aprilis 1697, ut refert Monacell., t. I, tit. 5, form. 2, n. 5. (52. Capellas vero, seu oratoria, quæ sunt in grangiis, seu domibus ruralibus regularium, nullatenus visitare potest Episcopus, nec ab eis procurationem exigere; cum enim non sint loca sacra, aut religiosa, imo nec pia, ut censuit Abbas in cap. *Auctoritate*, de Censibus, num. 1. Fagnan. ibid. in Disceptatione de grangiis, et eorum oratoriis, num. 2 et 9, jam non videtur ex quo capite Episcoporum visitationi subjaceant; cit. c. *Auctoritate*, ubi Fagnan., num. 1, et in d. Disceptatione de grangiis, a n. 6; Ventrigl. in Praxi, t. II, annot. 19, § unic. n° 19; Petra tom. II, Comment. in Constit. 8 Honor. III, num. 58. Vide Fagnan. *loco cit.* ubi suo more hanc conclusionem solide probat. (53. Sic nec etiam potest Episcopus visitare Capellas, seu oratoria, quæ in privatorum domibus sunt, nec ab eis procurationem exigere. Fagnan., Ventrigl. et Petra locis supracitatis; Pignatell., t. I, consult. 94, sub. n. 24, circa medium, ubi citat jura. (54. Ad hæc tamen oratoria, seu Capellas in domibus privatorum, licet non possit Episcopus tanquam visitator accedere, permissum ei nihilominus est videre saltem per viam denuntiationis aut inquisitionis, an decenter et cum debita reverentia sacrificium Missæ ibi celebretur. Fagnan., *loc. c.*, n. 25; Ventrigl., *loc. cit.*; Barbosa, lib. Juris Ecclesiast. univers., c. 8, num. 15; Pignatell., t. VI, cons. 98, num. 39; Petra, *loc. cit.*, n. 60. (55. Episcopus dispensare non potest ut Missæ relictæ a testatore in una Capella dicantur, vel remittantur in alia, quando satisfieri possunt in propria. S. Cong. Conc. in Hispalen., 30 Septemb. 1580. (56. Capellæ privatorum palatiorum non gaudent immunitate. Sacr. Congreg. Immunit. in Perusina, 9 Decembris 1631, in Tudernin., 7 Maii 1658, et antea Sacra Congregat. Episcop. in Marsicana, 17 Novembris 1716. (57. Capella carcerum, vel contigua carceribus, non gaudet immunitate. Sacra Congr. Immun. in Tudertina, 12

Digitized by Google

Junii 1663. (58. Capella contigua, ut dicitur *al corpo di guardia*, erecta ut milites ibi degentes audiant Missam, maxime diebus festivis, permittitur declarari non esse locum immunem. Sacra Congreg. Immun. in una Nullius Orbetelli, 16 Febr. 1683. (59. Capella ruralis vulgo dicta *Una Maestà* posita in publica via, nisi probetur fuisse constructam auctoritate ordinarii, non gaudet immunitate. Sac. Congr. Immun. in Spoletana, 2 Martii 1642. (60. Capella sita in palatio abbatiali, habens ingressum ab atrio ejusdem palatii, inserviens publicæ utilitati, gaudet immunitate ecclesiastica, quamvis, palatium non sit unitum Ecclesiæ abbatiali. Sacr. Congr. immun. in una Nullius S. Joannis in Lamis, 14 Nov. 1662. (61. Quando Capella existens in palatio gubernatoris est perpetua et invariabilis, confugientes ad eam gaudent immunitate; secus si sit variabilis et non perpetua. Sacr. Congr. Immun. in Tudert., 6 Maii 1658. (62. Capella, an vendi et alienari a constructoribus et institutoribus alicujus Capellæ in aliqua Ecclesia constructæ; imo neque ullo modo esse permittendas subrogationes personarum in jus Capellæ per aliquod venditionis genus, late probat Joseph Maria Maraviglia in leg. 275 et 276 *Prudentiæ Episcopalis*; vid. verb. *Sepultura*, a num. 159 ad 162.

ADDITIONES AUCTORIS.

(63. Capellam Pontificiam haberi statuitur in exsequiis S. R. E. Cardinalium. Benedict. XIV, t. I, constitut. 37, incip. *Præcipuum*, § 2. (64. Item Capellæ Pontificiæ celebratio, decernitur in basilica S. Mariæ Majoris die festo Conceptionis B. M. Virginis. Idem t. II, in Appendic. num. 9, pag. 47.

(65. Capellæ per octavam SS. apostolorum Petri et Pauli Romæ celebrandæ indicuntur et assignantur. Nempe solemnizato cum omni majori celebritate eorum Natali die, ut moris est, in basilica Vaticana. (66. Secunda die infra octavam in Ecclesia S. Pauli apostoli Via Hostiensi Missarum solemnia in pontificalibus celebrentur, præsentibus Episcopis Pontificio throno assistentibus. (67. Tertia die in Ecclesia S. Pudentianæ, intervenientibus protonotariis Apostolicæ Sedis ex numero participantium. (68. Quarta die in Ecclesia Sanctæ Mariæ in Via-Lata, astantibus causarum palatii apostolici auditoribus. (69. Quinta die in Ecclesia Sancti Petri ad Vincula, interessentibus cameræ apostolicæ clericis. (70. Sexta die in Ecclesia S. Petri in Carcere, assistentibus referendariis signaturæ justitiæ. (71. Septima die in Ecclesia S. Petri in Monte Aureo, intervenientibus abbreviatoribus de Parco Majori. (72. Octava die in Sancta Lateranensi basilica solemnitas absolvatur, præsente Missarum solemniis S. R. E. Cardinalium collegio. (73. Vespere autem Sacras apostolorum reliquias veneraturi solemni cultu et pari animi devotione ad eamdem basilicam pergant nobilissimi viri Senator urbis, et Romanorum civium, et cameræ urbis Conservatores. (74. Pomeridiano autem tempore aliorum dierum, omnes confraternitates urbis per Eminentissimum Cardinalem Vicarium publico edicto intimandæ, statutis suis quæque diebus, ad eam Ecclesiam ubi mane Missa in honorem apostolorum celebrata fuerit, pie et devote procedant. (75. Sic expresse Benedictus XIV, t. I, constit. 83, incip. *Admirabilis*; concedens singulis confratribus processionaliter accedentibus indulgentiam septem annorum, et totidem quadragenarum, et aliis omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, qui eamdem Ecclesiam, ubi statio erit, religiose visitaverint, indulgentiam centum dierum. Vide dictam constitutionem, ubi insuper assignantur motiva propter quæ prædictæ Ecclesiæ præ aliis sint ad id selectæ.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(76. Quo tempore vocabulum hoc *Capella* usurpari cœperit, tum quæ sit ejus etymologia, erudite pro more explicat Caraf. de Capella Regis, cap. 2, § 1.

(77. De privilegiis Capellarum et capellanorum regum Angliæ, Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Sardiniæ, et Neapolis agit idem auctor d. tractat., cap. 4, per tot.

(78. Status Capellæ obnoxiæ juripatronatus an mutari possit inscio patrono, vide apud Rotam in Calaguritana *Præeminentiarum*, 20 Januarii 1755, cor. clar. mem. Millin.

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(79. De varia Capellarum significatione et origine late tractat Du Cange in Glossario mediæ et infimæ Latinitatis, verbo *Capella*. (80. Capellæ propria significatione dicebantur ædes sacræ, quæ in palatio aut circa palatium regum et imperatorum constructæ erant. (81. Presbyteri et clerici, qui his Capellis præpositi erant, capellani *Palatini* vel regii dicti sunt, creditque Ludovicus Thomassinus, de Discipl. Eccles., part. IV, l. I, c. 43, præcipuum scopum sacellorum, sive Capellarum regiarum fuisse, ut ibi presbyteri divinum officium persolverunt, cui principes cum sua familia possent assistere. (82. Lapsu temporis exemplo regum et principium alii etiam fideles laici cœperunt ad honorem alicujus Sancti exstruere ædiculas sive oratoria, idque subinde separatim ab Ecclesia parochiali, aut alia collegiata vel cathedrali, etiam constituta dote pro sacerdote et fabrica, aliisque ad Missarum celebrationem, aliaque divina officia peragenda necessariis. (83. Deinde laici non sufficientes exstruere hujusmodi separatas Capellas, sive sacella, cum convenienti dote, cœperunt in ipsis Ecclesiis majoribus tam parochialibus quam collegiatis et cathedralibus, laterales aliquas ædiculas, vel etiam altaria in honorem hujus, illiusve Sancti, vel in memoriam alicujus mysterii exstruere, eisque adnectere annuos aliquot proventus pro presbyteriis, qui his ædiculis vel altaribus præessent. (84. Sed de his Capellis jam pridem statutum, ne ipsæ sine consensu et auctoritate Episcopi, in cujus

Digitized by Google

diœcesi parochia sita est, construerentur. (85. Circa hæc oratoria sive Capellas aut sacella admittenda, in primis attendere debet Episcopus, ne per hæc populus a parochiali Ecclesia nimium abstrahatur, atque hinc ulterius ex illo Ecclesiæ parochialis neglectu oriatur in populo crassa ignorantia, tam circa credenda quam agenda : prospicereque potissimum ut observetur clausula de stylo solita inseri litteris, quibus usus oratorii seu Capellæ conceditur : *Sine parochialis Ecclesiæ præjudicio*. (86. Hujusmodi Capellarum, sive oratoriorum ædificationem aut usum non facile tamen, sed magna de causa Episcopus permittere debet. (87. Dum vero necessitate, vel magna causa exigente, hæ Capellæ concedendæ videbuntur, vult S. Carolus in Conc. Mediol. I, p. II, tit. *Quæ pertinent ad celebrationem Missæ*, ut Episcopi in his designandis vel probandis hæc servent : « Ne sint in interiorum ædium partibus, in quibus domini, vel familia frequentius versentur, sed commodo et honesto loco, a cubiculis, tricliniis, et ab aula separato, ad templi formam et regulam propius accedant. Nec ita angusta sint, ut qui Missam audierint ad ostium aut fenestram stare cogantur, aut denique ibi sacris interesse, ubi promiscue profanum aliquod exerceatur, quod fieri omnino prohibemus. » (88. Ulterius ne populus per has Capellas sive oratoria a frequentatione parochialis Ecclesiæ nimium distrahatur, idem Sanctus Carolus insinuat, ut « cui id permissum fuerit, is rarius utatur, ne distracti homines illa commoditate, Ecclesiam Dei minus frequentent, quod exemplo etiam noceat aliis. » (89. Hinc de stylo ordinario in concessione Capellarum excipi solent præcipue per annum festivitates, ut nimirum non liceat tunc ibidem celebrare, idque conformiter ad vetus Decr. Synodi Agath. apud Grat. dist. 1 de Consecr., can. 55, quo decernitur : « Si quis extra parochias, in quibus legitimus est ordinariusque conventus, oratorium in agro habere voluerit, reliquis festivitatibus, ut ibi Missas audiat, propter fatigationem familiæ justa ordinatione permittimus. Pascha vero, Natali Domini, Pentecoste, et Natali Sancti Joannis Baptistæ, et si qui maximi dies in festivitatibus habentur, non nisi in civitatibus aut in parochiis audiant. Clerici vero, si qui in festivitatibus, quas supra diximus (nisi jubente sive permittente Episcopo) Missas celebrare voluerint, communione priventur. » (90. Denique stylus hodiernus addit in concessionibus hujusmodi Capellarum sive oratoriorum, ut alii præterquam servitio personæ, cujus intuitu oratorium sive Capella conceditur, necessarii, ibidem audientes Missam ab obligatione eam in Ecclesia audiendi per hoc non liberentur.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(91. Benedictus XIV, anno 1755 die 22 Jan. vetus ordinis prædicatorum privilegium confirmans atque amplificans, publica sacella et privata oratoria in ædibus, prædiis ac fundis ad cœnobia ejusdem ordinis pertinentibus posita, ab ordinariorum locorum visitatione exemit, eaque ab ejusdem ordinis visitatoribus obiri ac probari jussit his litteris.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

(92. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antoninus Bremond Magister Generalis ordinis fratrum Prædicatorum, quod inter cætera privilegia a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris eidem ordini illiusque superioribus et fratribus concessa fel. rec. Alexander P P. IV itidem prædecessor noster per suas sub plumbo V Kal. Aprilis 1261, expeditas litteras indulsit, ut in locis in quibus degerent, liceret eis habere oratoria in quibus cum altari portatili possent Missarum solemnia et alia divina officia celebrare. Subinde vero rec. mem. Benedictus P.P. XI, etiam prædecessor noster per alias suas sub plumbo IV Idus Martii 1304, super exemptione a jurisdictione Episcoporum itidem expeditas litteras decrevit Ecclesias, oratoria, domos et loca, quæ dictus ordo, seu illius fratres tenebunt, et inhabitabunt in futurum, dum et quoties illa tenere et inhabitare contigisset, exempta prorsus existere, nulloque medio Sedi Apostolicæ subesse, quæ quidem privilegia ab hac Apostolica Sede pluries confirmata fuisse memoratur. Cum autem, sicut eadem exposito subjungebat, dictus ordo quamdam possessionem sancti pastoris nuncupatam in diœcesi Prænestina existentem, Magistrisque Generalibus ordinis hujusmodi assignatam habeat, ad quam tam Magistri Generales prædicti, quam eorum socii, aliique ordinis dicti fratres de illorum licentia rusticationis causa pluries infra annum accedere solent, et commorantur, ac sacrosanctum Missæ sacrificium in quadam publica Capella muro exstructa, sacrisque supellectilibus munita pro eorum spirituali consolatione ac commoditate fratrum laicorum memorati ordinis ad illius custodiam semper existentium agrorumque cultorum et agricolarum, aliarumque personarum ad illam adventantium celebrant, et licet ipse Antonius Magister Generalis crediderit Capellam hujusmodi vigore prædictorum aliorumque privilegiorum, ut præfertur, ordini prædicto concessorum, nunquam ab Episcopis Prænestinis visitatam fuisse nec visitari debere, nihilominus transactis mensibus ad suam notitiam pervenerit laicos inibi ad dictæ possessionem custodiam commorantes, absentibus tamen Magistris Generalibus prædictis, seu aliis dicti ordinis superioribus propter ignorantiam privilegiorum prædictorum per ternas vices visitationem dictæ Capellæ ab Episcopis Prænestinis faciendam permisisse, prout ex actis Sacrarum Visitationum id constare asseritur; cupiatque propterea dictus Antoninus Magister Generalis eidem ordini in præmissis a nobis provideri : Nos, qui dictum Antoninum Magistrum Generalem paternis complectimur affectibus, ipsumque ac

Digitized by Google

dictum ordinem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, dictumque Antonium Magistrum Generalem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut deinceps in publicis Capellis, seu privatis oratoriis existentibus in domibus, possessionibus et membris, ad conventus ordinis prædicti nunc, et pro tempore spectantibus et pertinentibus, quæ ab ordinariis locorum juxta jus visitari et approbari soleant, debeantque, licet ab illis, nec visitata, nec approbata fuerint, nihilominus sacrosanctum Missæ sacrificium tam per regulares sive ejusdem, sive alterius ordinis, quam sæculares presbyteros tuto celebrari possit, Missamque inibi audientes diebus festivis præcepto Ecclesiæ hac de re edito satisfacere intelligantur, absque tamen ullo jurium parochialium præjudicio, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus et indulgemus. Insuper dictas Capellas publicas et privata oratoria a quacumque ordinarii locorum auctoritate, superioritate, et dignitate fungentis visitatione, et subjectione auctoritate, et tenore prædictis eximimus, et liberamus, ac exempta et libera esse decernimus, volumus et declaramus; ea tamen lege, ut ad ejusmodi effectum, nempe quoad visitationem per locorum ordinarios super illarum, et illorum fabrica, ornatu et supellectili sacra faciendam, satis sit et sufficiat, et quod dicta oratoria, Capellæ et altaria visitentur, et approbentur, ac visitari, et approbari debant a patribus visitatoribus dicti ordinis, onerata super his conscientia tam dicti Antonini moderni, quam pro tempore existentis ejusdem ordinis Magistri Generalis. Decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac quarumcumque Ecclesiarum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 22 Januarii 1775, pontificatus nostri anno decimo quinto

Pro D. Cardinali Passionco,
Joannes Florius Substitutus.

ADDITIONES CASINENSES.

(93. Capella est locus coopertus ad divina celebrandum, et differt a sacello in eo, quod sacellum erat olim locus diis sacratus sine tecto ad sacrificandum, quo hodie non licet celebrare, nisi in casu necessitatis. Ildeph. Perez de Anniversariis et Capellaniis, lib. II, cap. 1.

(94. Pœnitentiæ Sacramentum in privatis Capellis administrari non potest; nam in rituali præscribitur: « In Ecclesia, non autem in privatis ædibus confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quæ cum inciderit, studeat tamen id decenti, ac patenti loco præstare. »

(95. Generales et provinciales regularium gaudent facultate erigendi in suis conventibus et collegiis privata oratoria ad divinum cultum deputata absque Episcopi, aut etiam Pontificis licentia, et in ipsis unam, ac plures Missas celebrare faciendi eodem die, sive a regularibus, sive a sæcularibus sacerdotibus celebrentur, ratione privilegii localis, cujus omnes sacerdotes frui possunt; ita P. Rossignol. de Eucharist., quæst. 8, art. 14, n. 1 et alii. Privilegia enim regularium quoad oratoria privata non revocata fuerunt in Concilio Trident. In supradictis regularium privatis oratoriis seu Capellis omnes fideles Missam audientes diebus festivis, etiam iis, quibus prohibetur celebratio Missarum in oratoriis privatis, satisfaciunt præcepto, eo quod gaudeant hæc oratoria privilegiis, ac si essent publica, utpote dumtaxat ad divinum cultum deputata per se et non tantum per accidens, hoc est permanenter, et non solum transeunter, quod contingit, quando utitur altari portatili, etc., et privilegium locale sit, et non solum personale; unde illo frui possunt omnes Christi fideles. Tamburin. de Sacrif. Missæ, lib. I, cap. 4, § 3, n. 6, ut citat Cavalieri Op. liturg. tom. V, p. 5.

CAPELLANIA.

SUMMARIUM.

1. Capellaniæ sunt in triplici differentia, scilicet Capellaniæ mercenariæ, collativæ, et gentilitiæ. — 2. Capellaniæ mercenariæ, quæ sint? Et quare mercenariæ dicantur. — 3. Tales Capellaniæ dicuntur etiam manuales, et ad nutum revocabiles. — 4. Capellaniæ collativæ quæ sint. — 5. Quare dicantur collativæ. — 6. Capellaniæ gentilitiæ, seu jurispatronatus quæ sint. — 7. Episcopus nequit ullimode excludi a collatione, seu institutione talis Capellaniæ

Digitized by Google

gentilitiæ, seu jurispatronatus, etiamsi fundator in ejus fundatione asseruerit, quod Episcopus nequeat se ingerere, et si se ingesserit, institutio capellani nullius sit roboris. — 8. Licet enim testator, seu fundator possit in limine fundationis adjicere quascumque leges et conditiones sibi benevisas, etiam juri communi contrarias, requiritur tamen, quod tales leges, et conditiones non sint contra naturam Capellaniæ, et jurispatronatus, et quod sint ab Episcopo concordatæ et admissæ. — 9. Unde cum talis conditio a testatore, seu fundatore posita, esset contra naturam veræ Capellaniæ, ex qua requiritur, quod vera Capellania conferatur a solis Ecclesiæ Prælatis, eorumque Officialibus; ideo habenda esset pro non adjecta. — 10. Ad titulum Capellaniæ mercenariæ, et amovibilis, nemo potest ordinari. — 11. Si tamen talis Capellania mercenaria, et amovibilis consentiente patrono, et Episcopo conferatur alicui in titulum vitalitium, poterit ipse ad sacros ordines promoveri, seu ordinari. — 12. Obtinens autem Capellaniam in Capella Papæ, licet sit ad nutum amovibilis, potest ad illius titulum ordinari. — 13. Capellania erecta in una Ecclesia non potest sine necessitate transferri de jure communi ad aliam Ecclesiam; etiamsi sit Capellania de jurepatronatus. — 14. Missarum enim onera relicta in determinata Ecclesia seu Capella, non possunt alio transferri absque Sedis Apostolicæ licentia. — 15. Imo neque Nuntius Apostolicus potest concedere indultum, quod Missæ celebrandæ in loco a testatore designato alibi celebrentur. — 16. Alias translatio esset nulla, quamvis fieret auctoritate exsecutorum testamentariorum, qui talem facultatem expressam non haberent. — 17. Videtur tamen esse a Sancta Sede indulgendum, ut Capellania jurispatronatus possit transferri de loco ad locum, ut de facto fuit indultum, ut Capellania transferretur de castro ad aliud castrum de jurisdictione ejusdem familiæ; *ad n.* 18. — 19. Capellaniam obtinens, non tenetur sacros ordines suscipere, sed Missarum oneri potest per alium satisfacere, nisi in fundatione cautum sit, ut per seipsum celebret. — 20. Capellania, in cujus erectione fundator sic disposuit : *Instituatur capellanus, qui Missas celebret* : non est sacerdotalis, et conferri potest clerico quatuordecim annorum. — 21. Capellania, in cujus erectione fundator sic disposuit : *Eligatur capellanius, vel sacerdos*, non est sacerdotalis, et potest etiam conferri simplici clerico annorum quatuordecim. — 22. Capellania hac conditione erecta : *Ut eligi debeat unus præbendarius, qui singulo quoque die teneatur Missam celebrare et divinis officiis interesse*, non est sacerdotalis, et capellanus potest per alium Missas celebrari facere. — 23. Capellania hac lege fundata : *Ut capellanus per seipsum Missas celebrare teneatur*, conferri potest simplici clerico, in ea tamen ætate, ut infra annum possit in Sacerdotem ordinari, nisi alia essent verba in fundatione posita, quæ requirerent obtinentem tempore collationis esse actu Presbyterum. — 24. Capellania, in cujus erectione habentur similia verba : *Legavit dictæ Ecclesiæ collegiatæ duplas octoginta pro constituenda et erigenda una præbenda sacerdotali in dicta Ecclesia, cum onere, ut præbendarius nominandus, et eligendus ad dictam præbendam teneatur singula hebdomada celebrare Missas duas in dicta Ecclesia*, non requirit præsentandum esse actu sacerdotem, sed sufficit, quod sit talis ætatis, ut infra annum promoveri possit ad Sacerdotium. — 25. Capellania, in cujus fundatione habentur consimilia verba : *Quilibet sacerdos, qui pro tempore fuerit, continuam residentiam personalem in dicta Ecclesia facere teneatur, et singulis diebus, quibus facultas, et commoditas sibi oderit, in dicta Ecclesia teneatur missam devotione debita celebrare*, non requirit, quod præsentandus sit actu sacerdos, sed sufficit, quod intra annum possit ad sacerdotium promoveri. — 26. Sic etiam Capellania erecta hac lege : *Usufructuarii teneantur manutenere capellanum unum, seu presbyterum, qui omni die celebret, et celebrare debeat Missam unam in Ecclesia per ipsum testatorem fundata*, etc. *et post eorum obitum per N. et N. quos eligit in patronos dictæ Ecclesiæ, manuteneri debeant duo capellani, qui omni die residentiam faciant in dicta Ecclesia, et qui celebrent, et celebrare debeant Missam in eadem*, est quidem Capellania sacerdotalis, sed satis est, ut ad eam præsentetur clericus in ea ætate constitutus, ut infra annum possit ad Sacerdotium promoveri. — 27. Capellaniæ in cathedrali, quorum capellani a capitulo electi tenentur Missas Conventuales canere, et divinis interesse, sunt sacerdotales aptitudine. — 28. Capellania in cathedrali Ecclesia sic fundata : *Ut capellanus debeat celebrare diu, noctuque divinum officium*, non requirit, ut capellanus debeat esse presbyter. — 29. Capellania, in cujus erectione sic statuitur : *Eligatur sacerdos, qui celebret*, non requirit, ut præsentandus sit actu sacerdos, sed sufficit, ut infra annum possit ad sacerdotium promoveri. — 30. Capellania, in cujus fundatione sic disponitur : *Eligatur capellanus qui actu sit sacerdos, vel non conferatur nisi presbytero*, requirit necessario, quod præsentandus sit actualiter sacerdos. — 31. Ad dignoscendum autem, an ad capellaniam sit præsentandus capellanus, qui sit actu sacerdos, vel solum aptitudine, sequenda est theorica Sacræ Rotæ Romanæ. — 32. Et theorica est ut sequitur : Aut verba fundationis, seu institutionis beneficii respiciunt ex necessitate ipsum actum præsentationis, institutionis, vel collationis; aut non respiciunt actum, sed potius illius prosecutionem. — 33. In primo casu requiritur sacerdotium in ipso actu, ut v. g. si Fundator dixerit : *Volo ut præsentetur, vel instituatur, aut eligatur sacerdos : vel ut Capellania conferatur sacerdoti, seu constituto in ordine sacerdotali.* — 34. Et idem est, si fundator Capellaniæ dixerit : *Volo ut præsentetur presbyter, vel capellanus, qui Missam celebret.* — 35. Nec requiritur adjectio illius dictionis *actu*, seu *actualitate*, id est præsentetur, seu instituatur *actu presbyter*, vel qui *actualiter sit constitutus in ordine presbyterali;* sed satis est, ut testator in fundatione disposuerit, *ut præsentetur seu instituatur sacerdos, qui Missam celebret.* — 36. Imo Barbosa vult, quod ad Capellaniam his verbis institutam : *Ut præsentetur, aut nominetur presbyter, sive sacerdos*, requiratur actu sacerdotium, quamvis non alia adessent, quæ apponi plerumque solent, neque, *qui celebret Missas*, aut his similia. — 37. In secundo casu non requiritur in præsentando sacerdotium actu, sed sufficit, ut sit in ea ætate, ut infra annum possit ad sacerdotium promoveri, ut v. g. si in fundatione consimilis dispositio habeatur : *Capellanus debeat esse presbyter*, vel : *Præsentetur clericus, qui per seipsum teneatur Capellaniæ in divinis inservire, et Missas celebrare;* vel : *Præsentetur qui celebrare teneatur*, et hujusmodi; *ad num.* 38. — 39. Licet enim in his casibus, aliqui senserint requiri Sacerdotium actu, veritas tamen est in oppositum. — 40. Et sic in his, et similibus terminis, sæpius respondit Sacra Congregatio Concilii, et signanter in Tiburtina, in qua testator mandabat, *quod in Capella erecta per eum Missæ celebrari deberent ab uno sacerdote de familia, eoque non existente celebrari deberent a sacerdote deputando.* Item *in justinopolitana* in qua erecta erat Capellania cum hac lege : *quod Missa quotidiana in puncto meridiei, constituto sacerdote, aut Canonico bonæ vitæ celebrari committatur.* Item in Tusculana, in qua testator mandaverat erigi in cathedrali *beneficium cum onere inserviendi choro, et celebrandi unam Missam de Requiem pro qualibet hebdomada.*—41. Et sic pluries declaraverat pro variis capellaniis erectis in consimilibus terminis, ut potest videri supra *n.* 22, 23, 24, 25, 26, 27, semper interpretando, et statuendo, quod similes Capellaniæ sint quidem sacerdotales habitu; sed tamen satis est, ut ad eas præsententur, seu instituantur

Digitized by Google

clerici in ea ætate, ut infra annum possint ad sacerdotium promoveri. — 42. Regulare enim est in beneficiis sacerdotalibus sufficere solam habilitatem ad sacerdotium. — 43. Capellania fundata cum onere interessendi divinis officiis in cathedrali, vel collegiata, requirit personale servitium, quod non potest adimpleri per substitutum. — 44. Si vero Capellania fundata sit in Ecclesia non cathedrali, vel collegiata, sed in alia Ecclesia non habente servitium chori, hoc casu quamvis in fundatione Capellæ cautum sit, ut capellanus debeat Missas celebrare, et divinis inservire, seu interesse, tamen non tenebitur ordinem sacerdotalem suscipere, nec Missas, aut divina officia celebrare per seipsum, sed satis erit, ut hæc munia per alium adimpleat. — 45. Capellaniæ cathedralis Ecclesiæ, quarum redditus in distributionibus quotidianis consistunt, personalem residentiam requirunt. — 46. Capellania sic instituta : *Ut capellanus quotidie Missam celebret, et si negligens fuerit, certam pœnam incurrat*, non requirit personalem residentiam. — 47. Item personalem residentiam non requirit Capellania, in cujus erectione dispositum est : *Ut domus ædificetur Capellano, in qua habitet, et divinis inserviat, et nisi habitet et inserviat, possit amoveri et de alio provideri.* — 48. Capellaniæ, quibus incumbit onus celebrandi Missas, et choro inserviendi, non sunt compatibiles cum canonicatibus, et parochialibus, quamvis per earum constitutiones liceat servire per substitutum. — 49. Capellania sic fundata : *Ut eligatur idoneus capellanus sacerdos, qui Missam celebret*, est sacerdotalis ; sed capellanus non tenetur inservire per seipsum et potest celebrare per alium. — 50. Capellania non potest conferri filiis illegitimis presbyterorum in Ecclesiis, in quibus eorum patres fuerunt beneficiati. — 51. Nisi constet de erectione Capellaniæ auctoritate ordinarii vel vere, vel saltem præsumptive, Capellania non ecclesiastica, sed laicalis dicenda est. — 52. Exsecutor testamentarius an, et quando in erectione Capellaniæ auctoritatem ordinarii adhiberi possit. — 53-55. Defunctus quando alienus ab ecclesiastica qualitate Capellaniæ dici queat, et quando non. — 56. Capellania quando dicatur sacerdotalis. — 57. Et quando non. — 58, 59. Explicatur auctor num. 11 et 43. — 60. Capellaniarum origo. — 61, 62. Capellania in quibus conveniat cum beneficio. — 63, 64. Et in quibus differat. — 65. Quidnam commune habeat cum anniversariis et piis relictis. — 66. In quo ab iis distet. — 67. Unde Capellania exstinguitur, ubi fundi perierint. — 68. Fundi Capellaniæ assignati sine solemnitate alienari non possunt. — 69. Bona Capellaniæ una cum obligationibus cohærentibus semper manent apud capellanum.

(1. Capellaniæ sunt in triplici differentia, scilicet Capellaniæ mercenariæ, Capellaniæ collativæ, et Capellaniæ gentilitiæ, seu jurispatronatus. (2. Capellaniæ mercenariæ sunt illæ, quæ ita instituuntur, ut non conferantur sacerdoti in titulum, sed eligatur ad implendum munus impositum a testatore, ita tamen, ut possit ad nutum hæredis removeri. Ut cum v. g. testator relinquit laico bona temporalia cum onere faciendi celebrari in tali altari certas Missas a sacerdote sibi bene viso; et hac ratione Capellania dicitur mercenaria, cum Missæ celebrentur recepta mercede sine titulo, et tunc bona relicta pro hoc onere remanent in sua temporalitate. Nec Episcopus potest in his se intromittere. Licet enim talia bona sint affecta onere Missarum, possidentur tamen a laico, et sub ejus sunt regimine et dispositione, ut notavit Gamma dec. 288, num. 4, in princip. arg. text. in l. fin. c. *de Bon. vacant.*, lib. x. (3. Et tales Capellaniæ dicuntur etiam manuales, et ad nutum revocabiles, quia in alterius manu, et dispositione stat illa relinquere, vel auferre, et istæ rigorose loquendo non sunt proprie beneficia ecclesiastica, cum de natura beneficii ecclesiastici proprie dicti sit, ut institutum perpetuo duret · cap. *Sanctorum* 2, dist. 70.

(4. Capellaniæ collativæ sunt illæ, quæ ita sunt institutæ, ut conferantur in titulum, ut cum v. g. testator reliquit bona temporalia, ut ex eorum redditibus celebrari debeat in tali altari Missa quotidiana, vel certus Missarum numerus singulis annis, quam Capellaniam debet hæres cum Episcopi auctoritate erigere, et fundare, quia nullus privatus sine ordinarii auctoritate potest locum sacrum, vel rem spiritualem constituere ; arg. c. *Ad hoc* 4, de Religios. Domib. Si enim Episcopi auctoritas, et assensus in erectione deficeret, non dicerentur beneficia ecclesiastica proprie dicta ; arg. cap. *Nemo* 9, dist. 1, de Consecrat. Rota part. 2, recent. dec. 371, num. 3. (5. Dicuntur autem collativæ, quia ad Episcopum pertinet eas conferre, et quamvis nominatio ad easdem Capellanias possit esse a laico, non potest testator apponere conditionem, quod Episcopus se non intromittat ad conferendum, supposito, quod sint institutæ cum recensitis conditionibus per text. cap. *Si quidem* 2, caus. 10, q. 1.

(6. Capellaniæ gentilitiæ, seu jurispatronatus sunt ejusdem rationis cum collativis, hoc solum adjecto, ut ad hæredes, seu electos, seu vocatos a testatore pro tali jurepatronatus, pertineat jus nominandi ad hujusmodi Capellanias, servatis, quæ in hoc genere quoad nominationem servanda sunt. Licet enim nominatio fiat a patrono, institutio tamen, seu collatio ad Episcopum pertinet. Rota decis. 10, de Testam. in antiquis, num. 1, cap. *Ex frequentibus*, 3, de Institutionibus, et cap. *Nullus Laicorum.* (7. Nec Episcopus potest ullimode excludi a collatione, seu institutione talis Capellaniæ gentilitiæ, seu jurispatronatus, etiamsi fundator in ejus fundatione asseruerit, quod Episcopus nequeat se ingerere, et si se ingesserit, institutio capellani nullius sit roboris ; talis enim Capellania, hoc non obstante, subsistit, nam quod de jure non tenet, vinculo pœnæ nequit constringi ; per textum in l. *Non dubium* in fin., c. *de legibus*, et l. *Quod de Bonis*, § 1, ff. ad l. falcid. (8. Licet enim testator, seu fundator possit in limine fundationis adjicere quascumque leges, et conditiones sibi benevisas, etiam juri communi contrarias, requiritur tamen, quod tales leges, et conditiones non sint contra naturam Capellaniæ, et jurispatronatus, et quod sint ab Episcopo concordatæ et admissæ ; cap. *Significatum*, 11 de Præbend., cap. *Præterea*, 23 de Jurepatron. et cap. *Quando*, 16 de Censib., et est communis DD. cum Rota dec. 1 de Præbend. in novis, et decis. 2 de Testament. in antiqu. (9. Unde cum talis conditio a testatore, seu fundatore posita, esset

Digitized by Google

contra naturam veræ Capellaniæ, ex quo requiritur, quod vera Capellania conferatur a solis Ecclesiæ prælatis, eorumque officialibus; cap. *Ex frequentibus*, 3. de Institutionibus, c. *Si quis deinceps*, 12, cap. *Si quis Clericus* 16, cap. *Constitutiones* 17, cap. *Nullus Laicorum* 18, cap. *per Laicos* 20, caus. 16, q. 7, ideo habenda esset pro non adjecta. Abbas in cap. *Nobis*, num. 5, de Jurepatronatus; Innocentius in c. *In Lateranensi*, n. 5, de Præbend. Lambertinus de Jurepatronat., lib. I, prim. part. q. 9, principal. num. 68. Sarminensis lib. I, select. cap. 11, n. 10.

(10. Ad titulum Capellaniæ mercenariæ et amovibilis nemo potest ordinari, quia capellanus mercenarius, et amovibilis titulum habere non censetur; arg. cap. *Constitutus*, 8. de Filiis presbyterorum, et Abbas ibi num. 5. Nec habet certos redditus, quibus sustentari valeat, ne emendicare, aut turpem artem exercere teneatur in magnum dedecus ordinis ecclesiastici, potest enim ad nutum hæredis vel erogatarii removeri. Ita tenent Majol. de Irregularitate, lib. IV, cap. 14, n. 4. Campanil. in divers. Juris Canonici rubr. 8, cap. 4, num. 8, in fin. Garcias part. I, de Benefic., cap. 2, num. 83, et plures alii cum Barbosa de Offic. et potest. Episcop. part. II, allegat. 19, num. 15, et lib. III Juris Ecclesiast. univers., cap. 5, num. 19. (11. Si tamen talis Capellania mercenaria, et amovibilis, consentiente patrono, et Episcopo, conferatur alicui in titulum vitalitium, poterit ipse ad sacros ordines promoveri, seu ordinari. Et ratio est, quia ipse in tali casu haberet ea, quæ ex sacris canonibus, et pontificum constitutionibus in hac parte requiruntur, scilicet sufficientes redditus ex beneficio ecclesiastico, quibus sufficienter sustentari valeat, ne teneatur emendicare, aut sordidam artem exercere, cum, quoad usque vixerit, haberet redditus illius Capellaniæ, qui sufficientes supponuntur ad congruam sustentationem, Accedit praxis circa hoc fere communis. (12. Obtinens autem Capellaniam in capella Papæ, licet sit ad nutum amovibilis, potest ad illius titulum ordinari. Navarr. cons. 20, de Temporib. ordinat. Sayr. in Floribus dec. sub eodem titul., decis. 59, Aloys. Ricc. in Praxi fori Ecclesiast. resolut. 334, in fine; Molfes. tract. 6, sum. cap. 1, num. 77. Alphons. de Leon. part. I, q. 3, n. 57. Barbosa de Offic. et potest. Episc. alleg. 19, n. 30, et lib. III Juris Eccles. univers., c. 5, n. 19.

(13. Capellania erecta in una Ecclesia non potest sine necessitate transferri de Jure communi ad aliam Ecclesiam; etiamsi sit Capellania de jurepatronatus. Et ratio est, quia Capellania collativa procul dubio est affixa Ecclesiæ; est enim beneficium ecclesiasticum, quod erigi non potest nisi ad altare; cap. *Nemo* 9, dist. 1, de Consecr. et notat Lotter. de Re benefic. lib. I, quæst. 4, num. 55. Duran. dec. 130, n. 4. Eo ipso tamen quod altare erigitur, remanet affixum Ecclesiæ, in qua erigitur. Unde Tridentinum sess. 25, de Reformat. c. 5, jubet, quod his Capellaniarum, seu beneficiorum erectionibus non derogetur; ibi: « Ratio postulat, ut illis quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur, quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta, in beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur. » (14. Missarum enim onera relicta in determinata Ecclesia, seu Capella, non possunt alio transferri absque Sedis Apostolicæ licentia, ex Sacra Congreg. Concil. in Hispalen., 30 Septembr. 1580, et in Brixien., 1 Decembris 1684. (15. Imo neque Nuntius Apostolicus potest concedere indultum, quod Missæ celebrandæ in loco a testatore designato alibi celebrentur. Sacra Congreg. Concil. in Genuen., 18 Augusti 1703. (16. Alias translatio esset nulla, quamvis fieret auctoritate exsecutorum testamentariorum, qui talem facultatem expressam non haberent. Sacra Congreg. Conc. in Derthonen., 4 Julii 1701.

(17. Videtur tamen esse a S. Sede indulgendum, ut Capellania jurispatronatus possit transferri de loco ad locum, ut de facto fuit indultum, ut Capellania transferretur de castro, in quo a Domino ipsius castri fuerat erecta ad aliud castrum de jurisdictione ejusdem familiæ, ex quo primogenitus fundatoris amiserat jus castri, in quo fundata erat, et petierat a Sac. Congr. Concilii facultatem eam transferendi ad aliud castrum, in quo jurisdictionem habebat. Et ratio indulgendi videtur rationabilis, scilicet necessitas sacrificii in nova Ecclesia, præsertim cum nullum detrimentum cultus divinus patiatur in Ecclesia, in qua fundata est Capellania, cum supponatur in dicta Ecclesia adhuc remanere alios capellanos, uti remanserant in casu expresso. Tum quia prima Ecclesia censetur electa a fundatore capellaniæ cum respectu ad patronos illius castri, tanquam proprii, et possessi ab ipsis. Unde transeuntibus patronis ad aliud castrum videtur transferenda etiam Capellania, quia Ecclesia censetur electa cum sua qualitate, seu tanquam patronatus castri, ex eo quod sit electa cum respectu ad patronos, juxta illud 2 Machab., cap. 5, num. 19: « Non propter locum gentem, sed propter gentem locum elegit Deus. » Ex hoc autem fit, quod dum patroni se transferunt ad alium locum, transferatur cum ipsis Capellania patronatus, quia prior desinit esse locus patronalis, atque adeo non amplius est ille, quem contemplatus est fundator, quia eum contemplatus est tanquam patronalem, et cum respectu ad patronos, et novus incipit esse ille, quem est contemplatus, quia fit patronalis, et fit talium patronorum, quales in fundatione fundator fuit contemplatus. Et id a fortiori procedit, quia cum patroni soleant percipere emolumentum ab hac celebratione Missarum, oritur præsumptio, quod fundator voluerit hoc pacto ipsis providere ex parte non solum eorum commodo, sed etiam præsenti necessitati, qua nunc tenentur ob inopiam Missa-

Digitized by Google

rum in novo castro. Quilibet enim præsumitur operarileo modo, quo sibi utilis est; l. 1 et 11, ff. de Solut. (18. Unde censendum est fundatorem nedum respexisse ad fructum sacrificii, sed etiam ad sublevandam indigentiam hæredum patronorum, cum in hoc potuerit exercere actum pietatis, et ordinare suam dispositionem ad duplicem finem, et ex utroque percipere utilitatem; et propterea videtur ex gratia a Sancta Sede esse indulgendum, ut revera censuit Sacr. Congr. Conc. in Viterbien., 25 Jan. 1663. Hactenus Pignatell. tom. IV, cons. 12, num. 2 et 3.

(19. Capellaniam obtinens non tenetur sacros ordines suscipere, sed Missarum oneri potest per alium satisfacere, nisi in fundatione cautum sit, ut per se ipsum celebret. Sac. Congr. Concil, in Mediolanen., 6 Julii 1581. (20. Capellania, in cujus erectione fundator sic disposuit : « Instituatur capellanus, qui Missas celebret, » non est sacerdotalis, et conferri potest clerico quatuordecim annorum. Sac. Congr. Conc. 15 Junii 1589, et sæpe alibi, et signanter in Milevitana, ut testatur Fagnan. in cap. *Ut Abbates*, 1, de Ætat. et qualit. et ordine præficiendorum, num. 70. Et ratio est, quia per illum modum loquendi significare voluit testator potius onus capellano impositum Missas celebrandi, quam factum ipsum celebrationis Missarum; non enim tale onus imponitur ei personaliter adimplendum, sed potest adimplere vel per se, vel per alium. (21. Capellania, in cujus erectione fundator sic disposuit : « Eligatur capellanus, vel sacerdos, » non est sacerdotalis, et potest etiam conferri simplici clerico annorum quatuordecim. Et ratio est, quia in disjunctivis sufficit, quod propositio in una parte verificetur. Glossa in cap. *Ex parte*, verb. *Perpetuo*, de Rescriptis. Rota Romana dec. 7. de Rescriptis in novissimis. Si enim debuisset esse sacerdos, superflue fuisset apposita illa particula *capellanus*, cum satis fuisset dicere, quod eligendus deberet esse sacerdos; nam eo ipso, quod sacerdos fuisset electus, immediate esset capellanus, et juxta hunc sensum processit Rota in Lucana Capellaniæ, 17 Decem. 1593, coram Card. Gyptio, quam ad integrum refert Garcias part. 7, de Benefic., cap. 1, n. 79. (22. Capellania hac conditione erecta : « Ut eligi debeat unus præbendarius, qui singulo quoque die teneatur Missam celebrare, et divinis officiis interesse, » non est sacerdotalis, et capellanus potest per alium Missas celebrari facere. Sic decisum fuisse a Sacra Cong. Concil. in Placentina refert Fagnan. *loc. cit.* num. 97. (23. Capellania hac lege fundata « ut capellanus per seipsum Missas celebrare teneatur, » conferri potest simplici clerico, in ea tamen ætate, ut infra annum possit in sacerdotem ordinari, nisi alia essent verba in fundatione posita, quæ requirerent obtinentem tempore collationis esse actu presbyterum. Sic expresse decisum a S. C. C. refert Fagnan. in cap. *Ut Abbates*, num. 52, et in cap. *Conquerente*, 6 de Clericis non residentibus, n. 29. Et ratio est, quia in benesciis sacerdotalibus sufficit habilitas proxima

ad sacerdotium per textum in c. *Si*, 15, 2 de Institutionibus in 6, cum ibi notatis, et Conc. Trident. sess. 24, cap. 12, de Reform. Abb. et Dec. post Innocent. in cap. *Cum in cunctis*, § *Inferiora*, de Electione; Rolan. cons. 42, num. 59, lib. 1, ubi testatur de communi, et in terminis Capellaniæ sacerdotalis de recepta opinione testatur Navarr. consil. 7, in fine de Præbend. Marchin. tract. 3, de Sacrific. Missæ, part. 2, cap. 29, n. 10.

(24. Capellania, in cujus erectione habentur similia verba : « Legavit dictæ Ecclesiæ collegiatæ duplas octoginta pro constituenda et erigenda una præbenda sacerdotali in dicta Ecclesia, cum onere, ut præbendarius nominandus, et eligendus ad dictam præbendam, teneatur singula hebdomada celebrare Missas duas in d. Ecclesia, » non requiritur præsentandum esse actu sacerdotem, sed sufficit, quod sit talis ætatis, ut infra annum promoveri possit ad sacerdotium. Sacra Congregatio Concilii 5 Januarii 1604, apud Fagnan. *loc. cit.* num. 52. (25. Capellania, in cujus fundatione habentur consimilia verba : « Quilibet sacerdos, qui pro tempore fuerit, continuam residentiam personalem in dicta Ecclesia facere teneatur, et singulis diebus, quibus facultas et commoditas sibi aderit, in dicta Ecclesia teneatur Missam devotione debita celebrare, » non requirit, quod præsentandus sit actu sacerdos, sed sufficit quod infra annum possit ad sacerdotium promoveri. Sic Sac. Congr. Conc. 13 Junii 1608, apud Fagnanum *loc. cit.* num. 52. (26. Sic Capellania erecta hac lege : « Usufructuarii teneantur manutenere unum capellanum, seu presbyterum, qui omni die celebret, et celebrare debeat Missam unam in Ecclesia per ipsum testatorem fundata, etc., et post eorum obitum per N. et N. quos eligit in patronos dictæ Ecclesiæ, manuteneri debeant duo capellani, qui omni die residentiam faciant in dicta Ecclesia, et qui celebrent et celebrare debeant Missam in eadem, » est quidem Capellania sacerdotalis, sed satis est, ut ad eam præsentetur clericus in ea ætate constitutus, ut infra annum possit ad sacerdotium promoveri. Eadem Sacr. Congr. Concil. 22 Februar. 1614, apud Fagnan. *loco cit.* n. 53. (27. Capellaniæ in cathedrali, quarum Capellani a capitulo electi « tenentur Missas conventuales canere, et divinis interesse, » sunt sacerdotales aptitudine. Sic a Sacra Congregatione Concilii decisum fuisse refert Fagnan. *loco citato* num. 53. (28. Capellania in cathedrali Ecclesia sic fundata : « Ut capellanus debeat celebrare diu, noctuque divinum officium, » non requirit, ut capellanus debeat esse presbyter. Sic decrevisse Sacram Congreg. Concil. in Pistoriensi et Abulensi refert Fagnan. *loco cit.* num. 72. Et ratio est, quia verbum, « celebret divinum officium, » non refertur ad celebrationem Missæ, ut colligitur ex Clementin. 1, § *Ne igitur*, de Celebrat. Missarum, ubi Zabar. num. 2. (29. Capellania, in cujus erectione sic statuitur : « Eligatur sacerdos qui celebret, » non requirit, ut præsentandus sit actu sacerdos, sed sufficit, ut

Digitized by Google

infra annum possit ad sacerdotium promoveri. Sic Gratianus *Disceptat. forens.* c. 133, n. 1, ubi adducit plures Rot. Rom. decisiones; et videntur facere etiam decisiones S. C. C. adductæ supra n. 21, 22, 23, 24, 25, 26. Annexio enim Sacerdotii ad Capellaniam, seu beneficium intelligitur ibi facta per modum aptitudinis. Imo juxta illustrissimi, ac Reverendissimi D. D. Josephi Mariæ Maraviglia lege 218, *Prudentiæ Episcopalis*, neque necesse est ut simplex clericus ad hanc Capellaniam sic erectam, et fundatam præsentatus, et institutus ad sacerdotium unquam promoveatur. Non enim per illam clausulam designatur qualitas pro idoneitate eligendi, sed qualitas muneris exercendi, quod cum per alium impleri possit, non est intelligenda tanquam qualitas propria personæ electæ, sed tanquam qualitas requisita ad satisfaciendum oneri, cui satis est, quod per alium satisfiat. Sic ille. Vide etiam infra num. 49. (30. Capellania, in cujus fundatione sic disponitur: « Eligatur capellanus, qui actu sit sacerdos, *vel* non conferatur, nisi presbytero, » requirit necessario, quod præsentandus sit actualiter sacerdos. Sic communiter doctores cum Gratiano Discept. forens., cap. 133, num. 2. Et ratio est clara, quia in hujusmodi dispositionibus habetur expressa mens testatoris exigentis qualitatem Sacerdotii actualis, a qua non potest recedi, neque ab ordinario etiam de consensu patronorum, ut censuit Sacra Congregatio Concilii teste Fagnano in capit. *Conquerente*, 6, de Clericis non residentibus, num. 24, et dixit Rota in Alexandrina Decanatus coram Orano 12 Junii 1598.

(31. Ad dignoscendum autem an ad Capellaniam sit præsentandus capellanus, qui actu sit sacerdos, vel solum aptitudine, sequenda est theorica, quam tenuit Rota Romana in plurimis consimilibus casibus, et signanter in Parmen. Prioratus 8 Junii 1578 coram Blanchetto, in Firmana Beneficiorum 26 Novembr. 1582, coram Orano, et 29 April. 1583 coram Blanchetto, in Valentina Jurispatronatus 20 Martii 1589, coram Orano, in Alexandrina Decanatus 12 Junii et 14 Decembris 1589, coram Orano, in Romana Capellaniæ, 19 Martii 1596, coram Cardin. Pamphilio, in Gerunden. Beneficii, 22 Martii, coram Justo, in Tarvisina Jurispatronatus 27 Junii 1607, coram Marcomontio, et in Recanatensi Beneficii 14 Junii 1608, coram Cardin. Lancelloto, quæ habetur impressa part. II recent. dec. 216, n. 2, quam Theoricam sæpius probavit Sac. Congr. Concil. ut refert, et tenet Fagnan. in cap. *ut Abbates* 1 de Ætate et qualitate, n. 54 (32. Et theorica est ut sequitur: Aut verba fundationis seu institutionis beneficii respiciunt ex necessitate ipsum actum præsentationis, institutionis, vel collationis; aut non respiciunt actum, sed potius illius prosecutionem. (33. In primo casu requiritur sacerdotium in ipso actu, ut v. gr. si fundator dixerit: « Volo, ut præsentetur, vel instituatur aut eligatur sacerdos, vel ut Capellania conferatur sacerdoti, seu constituto in ordine sacerdotali, » quia qualitas adjuncta verbo, intelligitur secundum tempus verbi; l. *In delictis*, § *In extraneo*, ff. de Noxal. action., l. *si Titius*, *ubi Bart.* ff. de Testament. milit. id est in ipso actus initio, ut declarat Card. in cap. *Perpendimus* sub n. 7, vers. *Sed redeundo ad contrarium*, de Sentent. excomm. Gomez decis. 72 in princip. lib. I et in proposito præter Rotam, tenent Abbas in cap. *Cum in cunctis*, § *Inferiora*, num. 10, vers. *Secundo casu*, de Election., et decis. cum num. 21 ad finem, et num. 22. in eodem cap. *Cum in cunctis*, de Election. Idem Abbas in Clement. Ut hi sub num. 18, vers. *Item pone exemplum*, de Ætate et qualitate, et ibi etiam Cardin. in § *Illa vero*, num. 4 et Vitalin. num. 12 et Imol. col. 1 Paris. cons. 50, num. 12 et seq. lib. IV. Rebuff. in Praxi Benefic., tit. *Requisita ad collationem* num. 33 et in repetit. c. *Extirpandæ*, § *Qui vero* in 2 *Notabili*, de Præbend. Lambertin. de Jurepatronat., part. I, lib. II, quæst. 7, art. 29. Ferret. cons. 211, num. 8 et 9. Ripa in l. *Ex facto* num. 32. ff. de Vulgar. Fagnan. *in cit.* cap. *Ut Abbates* num. 56, et ita Sacra Cong. Conc. 8 Maii 1677 apud Monacell. tom. II, tit. 15, form. 1, n. 18.

(34. Et idem est, si fundator Capellaniæ dixerit: « Volo ut præsentetur presbyter capellanus, qui Missam celebret, » in quo casu proprie loquitur cit. Decisio Rotæ in Romana Capellaniæ, 19 Martii 1595, coram Card. Pamphilio, et censuit Sacra Congreg. Concil. in una Materanesi, 8 Januarii 1628, in qua fuit decisum: « Sacerdotium actu requiri stante dispositione testatoris in fundatione duarum Capellaniarum, ut per beneficiatos provideantur clerici sacerdotes, qui teneantur et debeant Missas celebrare, et arbitrio capituli deservire, vel ipsis impeditis per alios substituendos a capellanis eisdem, et a capitulo approbandos. » Et hoc vult firmiter esse tenendum Fagnan. *in cit.* cap. *Ut Abbates* num. 56, quidquid contra scripserint nonnulli, quos citat Nicol. Garcias in tractat. de Beneficiis, part. VII, cap. 1, num. 62, vers. *Et quamvis*, Zerola, et alii. (35. Nec requiritur adjectio illius dictionis, *actu* seu *actualiter*, id est præsentetur, seu instituatur *actu* presbyter, vel qui *actualiter* sit constitutus in ordine presbyterali, ut censet Gonz. ad regul. 8 Cancell. Gloss. 5, a n. 104, sed satis est, ut testator in fundatione disposuerit: « Ut præsentetur, seu instituatur sacerdos, qui Missam celebret » juxta conclusionem Rotæ, et communem per rationem jam adductam n. 33, quod qualitas adjuncta verbo intelligitur secundum tempus verbi; l. *In delictis* § *In extraneo*, ff. de Noxal. action. Fagnan. *loc. cit.* (36. Imo Barbosa de Offic. et potest. Episc., part. II, alleg 24, num. 37, vult quod ad Capellaniam his verbis institutam: « Ut præsentetur, aut nominetur presbyter, sive sacerdos » requiratur actu sacerdotium, quamvis non alia adessent, quæ apponi plerumque solent, nempe *qui celebret Missas*, aut his similia, quia his adjunctis certior apparet resolutio, tunc enim capellanus debet esse actu sacer-

Digitized by Google

dos tempore provisionis et impetrationis. Ita Mendoza in tract. Annalium casuum, numer. 8 decis. in cap. *Cum in cunctis*, § *Inferiora*, num. 22, de Judic., et cons. 129, incip. *Pro tenui* n. 5. Rebuff. in Recept., cap. *Extirpandæ*, § *Qui vero notabil.* de Præbend. Spin. de Testam. gloss. 4, num. 67. Perez lib. 1, vers. *Notabile est etiam dubium*, tit. 6, lib. 1. Ordin. Guttierez consil. 1, num. 11 et consil. 2 per totum; Nicolaus Garcias de Benefic., part. VII, c. 5, a num. 58. Moneta de Commut. ultim. volunt., cap. 10, quæst. 4, num. 139 et 145. Campanil. in divers. Juris Canon., rubr. 7, cap. 6, num. 10. Castropalao in Opere moral., tom. II, tract. 13, disput. 1, punct. 6, num. 12. Gratian. Discept. forens., cap. 133, num. 5, et Rota Romana in una Parmensi Jurispatronatus 26 Novembr. 1582 coram Cardin. Blanchetto.

(37. In secundo autem casu, id est cum verba fundationis Capellaniæ non respiciunt actum præsentationis, vel collationis, sed potius illius prosecutionem, ut dictum est, num. 33, tunc non requiritur in præsentando sacerdotium actu, sed sufficit, ut sit in ea ætate, ut infra annum possit ad sacerdotium promoveri, juxta theoricam Abbatis in cap. *Cum in cunctis*, § *Inferiore*, num. 10 *de Elect.* et Rotæ supra allegat. a doctoribus communiter receptam. (38. Et exemplum v. g. est, si in fundatione consimilis dispositio habeatur : « Capellanus esse debeat presbyter; » vel : « Præsentetur clericus, qui per seipsum teneatur Capellaniæ in divinis inservire, et Missas celebrare; » vel : « Præsentetur qui celebrare teneatur; » et hujusmodi. (39. Nam licet in his casibus Andreas Siculus in cons. 33. Scripsit Psalmista, lib. II et, post eum Lambertin. de Jurepatron. lib. II, part. I, quæst. 7, art. 27, et alii senserint, requiri sacerdotium actu, veritas tamen est in oppositum, ut absolute dicit Fagnan. in cit. cap. *Ut Abb.* num. 58, quia hujusmodi verba respiciunt prosecutionem ipsius præsentationis, et tempus post institutionem, et ideo sufficit, ut præsentatus sit sacerdos habitu, seu aptitudine, licet non actu; argum. cap. *Si quis* 2 de Institutionibus in 6 et in hoc casu loquitur Rota in Romana Capellaniæ de Capisucchis, die 20 Novembris 1573 coram Cotta, quæ refertur in d. Romana Capellaniæ 19 Mart. 1596 coram Cardin. Pamphil. (40. Et sic etiam in his et consimilibus terminis sæpius respondit Sac. Congr. Conc. et signanter in Tiburtina, in qua testator mandabat, quod in Capella erecta per eum, « Missæ celebrari deberent ab uno sacerdote de familia; eoque non existente, celebrari deberent a sacerdote deputando. » Sac. Congr. Conc. sub die 9 decemb. 1690, declaravit Capellaniam esse clericalem. In Justinopolitana, in qua erecta erat Capellania cum hac lege : « Quod Missa quotidiana in puncto meridiei constituto sacerdote, aut canonico bonæ vitæ celebrari committatur, » et quærebatur an esset sacerdotalis? sub die 23 Novemb. 1697, ead. Congreg. respondit *Negative*. In Tusculana, in qua testator mandaverat erigi in cathedrali beneficium cum onere inserviendi choro, et celebrandi unam Missam *de Requiem* pro qualibet hebdomada; et quia præsentatus ordines sacros infra annum non susceperat juxta consuetudines illius cathedralis, quibus reddebatur obnoxius; eadem Sacra Congregatio die 4 Septembris 1700, declaravit « beneficium esse sacerdotale habitu, et non actu tempore præsentationis, ita tamen, ut infra annum deberet promoveri. » (41. Et sic pluries declaraverat pro variis Capellaniis erectis, in consimilibus terminis, ut potest videri supra n. 22, 23, 24, 25, 26, 27, semper interpretando et statuendo, quod similes Capellaniæ sint quidem sacerdotales habitu, sed tamen satis sit, ut ad eas præsententur, seu instituantur clerici in ea ætate, ut infra annum possint ad sacerdotium promoveri. (42. Regulare enim est in beneficiis sacerdotalibus, sufficere solam habilitatem ad sacerdotium; cap. *Si is* 2, de Institutionibus in 6, ibi : « Si is ad quem rectoris præsentatio in aliqua parochiali Ecclesia noscitur pertinere, quempiam non constitutum in sacris præsentet ad eam, ipsum (dummodo alias sit idoneus et infra tempus a jure statutum, ad ordines, quos ipsius Ecclesiæ Cura requirit, valeat promoveri) decernimus admittendum; » et ibi sic clarissime adnotatur : « Vacante aliqua Ecclesia parochiali, patronus illius Ecclesiæ præsentavit Titium clericum in minoribus ordinibus diœcesano, qui clericus erat alias idoneus, utrum propter istum defectum, quia non est promotus ad sacerdotium, sit repellendus a beneficio? » respondet, « quod propter defectum sacri ordinis non est a beneficio repellendus, dummodo alias fuerit idoneus, et possit promoveri ad sacros ordines infra annum; » et cap. *Si pro Clericis*, 8 de Præbend. in 6, ubi Gemin. et Franc. et Innocent. Abb. et Dec. in cap. *Cum in cunctis*, de Elect. in § *Infer.* Roman. cons. 325, num. 1, Dec. cons. 122, sub num. 2, Rolan. cons. 47, num. 59, l. 1, et Fagnan. in d. cap. *Ut Abbates*, n. 59.

(43. Capellania fundata cum onere interessendi divinis officiis in cathedrali, vel collegiata, requirit personale servitium, quod non potest adimpleri per substitutum; ad c. *Unicum*, de Clericis non residentib. in 6 et cap. 12, sess. 24. Conc. Trid. ibi : « Omnia vero divina per se, non per substitutum compellatur obire officia, » juncta decisione Sacræ Congr. Concil. qua ut refert Fagnan. in d. c. *Ut abbates*, num. 92, declaratum fuit d. cap. 13, vers. *Præterea*, comprehendere etiam mansionarios, et alia beneficia, quæ sunt perpetua et habent adnexum servitium in choro. (44. Si vero Capellania fundata sit in Ecclesia non cathedrali, vel collegiata, sed in alia Ecclesia non habente servitium chori; hoc casu, quamvis in fundatione capellæ cautum sit, ut Capellanus debeat Missas celebrare, et divinis inservire, seu interesse, tamen non tenebitur ordinem sacerdotalem suscipere, nec Missas, aut divina officia celebrare per seipsum, sed satis erit, ut hæc munia per alium adimpleat. Sic decisum

Digitized by Google

fuisse a Sac. Congr. Conc. in una Placentina refert Fagnan. in d. cap. *Ut abbates*, num. 67 et 68, et tenuit Rota in Romana Capellaniæ 19 Martii 1596, coram Card. Pamphil. (45. Capellaniæ cathedralis Ecclesiæ, quarum redditus in distributionibus quotidianis consistunt, personalem residentiam requirunt. Sacra Congregatio Concilii die 9 Novemb. 1619. (46. Capellania sic instituta, « ut capellanus quotidie Missam celebret, et si negligens fuerit, certam pœnam incurrat, » non requirit personalem residentiam. Sic fuisse a Sacr. Congreg. decisum refert Fagnanus in d. cap. *Ut abbates*, num. 68. (47. Item personalem residentiam non requirit Capellania, in cujus erectione dispositum est, « ut domus ædificetur capellano, in qua habitet, et divinis inserviat, et nisi habitet, et inserviat, possit amoveri, et de alio provideri. » Sic decrevit Sac. Congr. Conc. in una Casalensi teste Fagnano *loc. cit.* num. 69. (48. Capellaniæ, quibus incumbit onus celebrandi Missas, et choro inserviendi, non sunt compatibiles cum canonicatibus, et parochialibus, quamvis per earum constitutiones liceat servire per substitutum. (49. Sacra Congreg. Conc. 9 Novemb. 1619. Capellania sic fundata, « ut eligatur idoneus capellanus sacerdos, qui Missam celebret, » est sacerdotalis, sed capellanus non tenetur inservire per seipsum, et potest celebrare per alium. Sacra Congregat. Concil. 17 Novemb. 1604 et 3 April. 1620. (50. Capellania non potest conferri filiis illegitimis presbyterorum in Ecclesiis, in quibus eorum patres fuerint beneficiati. Sic expresse Conc. Trid. sess. 25, de Reform. c. 15, ibi : Ut paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas sanctitasque decet, longissime arceatur, non liceat filiis clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquomodo ministrare ; nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere (1).

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(51. De Capellaniis duo potissimum quæri solent. *Primum* est, utrum Capellania sit ecclesiastica, an laicalis. *Alterum* est, an Capellania sit sacerdotalis, nec ne. Ad primum quod attinet, nisi constet de erectione Capellaniæ auctoritate ordinarii vel *vere*, vel saltem *præsumptive*, Capellania non ecclesiastica, sed laicalis dicenda est quidem, etiamsi concurrant cætera naturæ ecclesiasticæ Capellaniæ convenientia, ut ex text. in c. *Ad hæc*, de Religios. Dom. firmavit Rota in Pampilon. *Capellaniæ* impress. apud Piton. de controvers. Patron. allegat. 33, *in Nullius*, seu Orbetellen. *Capellaniæ*, 3 Februar. 1741, fer. per tot, cor. R. P. D. Canilliac. in Tarraconen. *Capellaniæ* 12 Martii 1748, § 8, cor. Illust. Cortiada.

(52. Hæres, vel exsecutor testamentarius, ut dictum est in additione ad verb. *Beneficium*, art. 2, num. 33 et sequent., in erectione Capellaniæ auctoritatem ordinarii haud potest adhibere, eamque effigere ecclesiasticam, si ipsa a defuncto sit in actu inter vivos erecta ; potest vero, si defunctus ejus erectionem demandavit in ultima voluntate, dummodo ipse defunctus, nec expresse, nec tacite alienus fuerit ab ecclesiastica qualitate Capellaniæ.

(53. Hinc non inutilis est inspectio, quando defunctus alienus dici nequeat, et quando dici queat alienus a qualitate ecclesiastica Capellaniæ. Si defunctus fuerit persona ecclesiastica, erectionem Capellaniæ demandaverit in certa ac determinata Ecclesia, dotem et constituerit, ipsam Capellaniam nominaverit beneficium, et futuros capellanos rectores, dici nequit alienus ab ecclesiastica Capellaniæ qualitate. Plene Rota in Anconitana *Beneficii*, 21 Martii 1746 per tot., cor. bon. mem. de Vais, ubi ita fuit definitum, non obstante, quod a defuncto tributa fuerit primo capellano facultas capiendi propria auctoritate possessionem bonorum cum clausulis constituti et precarii, eo quia fuit creditum dictam facultatem referendam esse ad tempus non adhuc secutæ erectionis.

(54. Quod si defunctus excluserit ordinarium ab institutione capellanorum pro tempore, alienus omnino dici debet a qualitate ecclesiasticæ Capellaniæ. Piton. de controvers. Patron. Allegat. 34, n. 10. Amostaz. de Causis Piis lib. III, cap. 13, num. 4 optime Rot. cor. Seraph. dec. 611, num. 4, cor. Lancell. dec. 1030, n. 25 et sequent. in Tarraconen. Capellaniæ 11 Martii 1748, § 9. cor. Illustrissimo Cortiada. Idem asserendum est, si bona non Capellaniæ, sed Capellanis reliquerit. Piton de controvers. Patron., allegat. 49, num. 9 et 11, et rursus allegat. 87, n. 3, Lar. de Anniversar. et Capellan., lib. I, cap. 8, num. 36. Rot. cor. Coccin. decis. 2244, n. 4 et cor. Pamphil. dec. 87, n. 5, tum si reliquit Capellaniæ, sed expresso titulo stipendii et salarii capellani. Lotter. de re Benefic., lib. I, quæst. 31, n. 60 et sequent. Bord. de legat. Missar., cap. 6, n. 32 et seq. Rot. in Civitatis Castelli Capellaniæ 5 Apr. 1744, § 10, cor. bon. mem. Vicecom. in Anagnina Capellaniæ 16 Junii 1649,

(1) Perdocte naviter ac copiose cl. auctor explicat, atque illustrat divisionem Capellaniæ in *clericalem, et sacerdotalem*, et rursus in sacerdotalem *habitu*, vel *actu* ; adeo ut iis quidquam addere perinde esset, ac tantæ eruditionis luminibus officere. Eamdem divisionem Capellaniæ in *clericalem, atque sacerdotalem* affert etiam doctissimus Van-Espenius part. II, sect. 3, tit. 2, cap. 2, *de Ordin. Beneficiis adnexo*, et licet præter spiritum antiquiorum canonum, contra naturam beneficiorum, ac dispositionem juris communis sequioribus ætatibus inductam animadverterit, ipsam tamen generali consuetudine jamjam invectam, atque firmatam rejicere, aut reprobare minime est ausus. Eamdem etiam divisionem probat atque tuetur Cl. Pontas, verb. *Beneficiarius*, cas. 2, et Cabassutius in sua *Theor. Jur. Can. et praxi*, lib. II, n. 12, cap. 28. (EDIT. NEAP.)

Digitized by Google

§ 3, et confirmatoria 30 Julii 1750, § 4, cor. Eminentissimo Matthæjo.

(55. In universum, si defunctus disponendo de Capellania aliquid demandavit, quod convenit ecclesiasticæ Capellaniæ, alienus dici nequit a qualitate ecclesiasticæ Capellaniæ; contra vero si quid voluit Capellaniæ ecclesiasticæ repugnans, ab ecclesiastica qualitate Capellaniæ dicendus est alienus. Intellige tamen si agatur de persona, quæ intelligat quid sit Capellania ecclesiastica, quidque sit Capellania laicalis; nam si res sit de rustico, de muliere, vel de aliis id genus, nec tute procedi potest cum dicta distinctione. Vide Rot. in Prænestina Legati Pii, 21 Apr. 1749, § 8, cor. bon. mem. Lana.

(56. Capellania (ut ad alterum transeamus) dicitur sacerdotalis, ubi rectori impositum est onus celebrandi per seipsum, vel expresse, vel saltem virtualiter. Quando autem virtualiter injunctum rectori dici queat onus celebrandi per seipsum, adi Rot. in Derthusen. Beneficii, 3 Junii 1741, cor. illustrissimo Molino, ubi declarantur Decisiones, quæ videntur contrariæ. Quod si nomen presbyteri, seu sacerdotis referatur ad exercitium, beneficium est sacerdotale habitu, sin autem referatur ad ipsum initium electionis, seu præsentationis, beneficium est sacerdotale actu. Rota in Majoricen. Beneficii, 27 Aprilis 1742, coram clar. mem. Calcagnin.

(57. Cæterum si nec expresse, nec virtualiter fuerit capellano onus injunctum celebrandi per se ipsum, Capellania dici nequit sacerdotalis, tametsi dictum sit, quod capellanus sit presbyter, et quidem idoneus et sufficiens ad celebrationem Missæ, et divini officii. Rot. in Imolen. Beneficii super Institutione 13 Januarii 1744, cor. Illustrissimo Molino. Num idem obtineat, si dictum sit, quod capellanus sit sacerdos? Vide Rot. in Majoricen. Collegiat., 26 Aprilis 1743, cor. Illustriss. Thunn.

(58. Quod ait auctor numer. 11 Capellaniam scilicet laicalem, adeoque amovibilem de consensu patroni, tenere posse vicem tituli in promotionibus ad ordines sacros, intellige, si agatur de jurepatronatus hæreditario; ita ut successor, uti obstrictus servare factum defuncti nequeat amovere capellanum; non itidem si res sit de jurepatronatus gentilitio, aut misto, sic ut successor tanquam vocatus ex propria persona possit capellanum amovere. Amostaz. de Causis Piis, lib. III, c. 1, n. 42.

(59. Pariter quod inquit auctor n. 43, Capellaniam videlicet fundatam cum onere celebrandi divina officia in cathedrali vel collegiata Ecclesia, requirere personale servitium, quod non potest adimpleri per substitutum, intellige si obtinens illam Capellaniam recenseatur inter mansionarios illius Ecclesiæ; quia si non sit de mansionariis, non est obligatus ad personale servitium, potestque per alium inservire. Rota in Vicen. Beneficii 5 Julii 1751, § 11 et plur. sequent., cor. Illustrissimo Cortiada.

ADDITIONES CASINENSES.

(60. Quædam adducere intendimus de Capellaniis ex Berardi Commentariis in jus ecclesiast. universum tom. II Append. de Benef. impropriis. Capellaniarum institutio originem recentiorem habet inductam exemplo beneficiorum. Etenim cum olim auctoritate antistitum tributa fuissent ecclesiastica officia, et unicuique clerico certa bona adsignata sub nomine beneficii, antistitum exemplo vel collegia clericorum, vel singulares personæ, etiam laicæ, certa bona certis conditionibus discreta voluerunt, quibus clerico cuidam certis indictis oneribus consuleretur. (61. Convenit Capellania cum beneficio in eo, quod in utroque certum sit sacrum officium obeundum, aut saltem religiosa, vel pia quædam munera exercenda, adeo ut capellanus ea non implens removeri abs jure Capellaniæ possit, monitione tamen præmissa, nisi fundator jure ipso capellanum a Capellania cadere voluisset. (62. Deinde illud est et beneficiis et capellaniis commune, ut certa quoque in capellaniis constituta sint bona, quasi dos a capellano in perpetuo possidenda. (63. E converso, a beneficio Capellania differt primum in eo, quod beneficium ecclesiasticum clerico semper concedatur, at Capellania non semper clericum exigat possessorem, sed et quandoque laico conferatur; adeo ut, si Capellaniæ nullæ exercendæ hierarchicæ functiones adhæreant, sed tantum pia quædam opera, aut religiosa, veluti dotium annuatim præstandarum, pecuniæ in pauperes distribuendæ, hæc a laico capellano fiant; quod si functiones hierarchicæ peragendæ sint, laicus capellanus satisfaciat, si clerico eas abeundas mandet, nisi specialiter in fundatione cautum fuerit, ut capellanus clericus esse debeat. (64. Potissimum autem discrimen, quod inter Capellaniam et beneficium intercedit, et ex quo semper Capellania a beneficio distinguitur, illud est, quod beneficium vere inter jura Ecclesiæ recenseatur, et titulus semper penes Ecclesiam sit, manente administratione generali penes Ecclesiæ prælatum, licet identidem reserventur quædam jura honorifica gratia fundatoris, eorumque, qui a fundatore causam habent. At Capellania proprie non est inter jura ecclesiastica, cum titulus remaneat penes fundatorem, sive iste laicus sit, sive ecclesiasticus, vel penes eos qui a fundatore causam habent, licet fieri possit ut multa ad Capellaniam ipsam spectantia conferantur in fidem, religionem ac sollicitudinem prælati ecclesiastici; ex quo fit ut multa quæ in beneficiis obtinent ex constitutionibus prælatorum, ad Capellanias non producantur.

(65. Item etiam Capellania distinguitur ab Anniversariis. Commune est et Capellaniæ, et Anniversario, et piis relictis, ut perpetua censeantur, quoscumque hæredes, etiam seros obligatura, nisi expresse constet aliter fundatorem voluisse. In supradictis omnibus causa etiam perpetua est, nimirum divi-

Digitized by Google

nus cultus, redemptio peccatorum, suffragium animæ defuncti, aut opera pia pauperibus sibi perpetuo succedentibus utilia. (66. Distat vero Capellania ab anniversariis cæterisque relictis piis defunctorum, quod in Capellania certi fundi demonstrantur, atque a patrimonio seu hæreditate fundatoris segregantur, quasi dos ejusdem Capellaniæ adsignata Capellano; sed in Anniversariis, cæterisque piis relictis præcipua habetur personalis obligatio hæredibus imposita, etiam sine ulla designatione certorum fundorum; quod si quando contingat certos fundos pro exsecutione pii relicti demonstrari a testatore, hæc tamen demonstratio non eo refertur, ut indicetur, fundos eosdem esse veluti certam rem ab hæreditate separatam, quasi dotem pii operis instituti, sed eo, ut noverint hæredes, quibus ex fundis luere quantitatem debeant ad executionem piæ voluntatis, velut noverint hæredes, manere apud se præcipuam personalem obligationem, fundosque designatos, causa pii relicti hypotheca obligatos esse. (67. Ex quo proficiscitur Capellaniam prorsus exstingui, ubi fundi perierint, quanquam non pereant cætera pia relicta, etiam pereuntibus fundis, causa exsecutionis aut hypothecæ demonstratis, manente semper in hæredibus quibuscumque personali obligatione. (68. Proficiscitur insuper fundos Capellaniæ adsignatos alienari non posse sine solemnitatibus requisitis in alienatione rerum ad rempublicam pertinentium, et sine causæ cognitione; e contrario alienari posse ab hæredibus fundos demonstratos pro Anniversariis cæterisque piis relictis sine ulla solemnitate, et sine causæ cognitione, nisi aliud fundatorem voluisse probetur, manente tamen penes hæredem alienantem personali obligatione; arg. leg. 81, § ult., ff. de Contrah. empt. l. 96, 120, ff. de Legat. 1, l. 38, ff. de Usu et usufr. leg. 2, § 1, ff. de Alim. et cibar. legat., aut in novum possessorem translata hypothecaria obligatione, si pro anniversario, piisve relictis fundi fuerint a fundatore obligati; arg. l. 12, ff. de Alimen. vel cibar. leg., vel si tacite ex lege hypothecæ obnoxii fuerint, uti contingit, quoties legato constitutum Anniversarium proponatur; l. 1, Cod. Communia de legatis. (69. Denique proficiscitur, institutis Anniversariis, vel piis relictis, bona demonstrata dividi inter hæredes pro hæreditaria parte, divisa quoque eodem modo obligatione, contra quam obtineat in Capellania, quæ semper individua est, cujus propterea bona una cum obligationibus cohærentibus semper manent apud Capellanum, sive hæres sit fundatoris, sive quicumque alius, hac adjecta observatione, ut si forte a fundatore hæres fuerit Capellanus institutus in perpetuum, et emergat casus plurium cohæredum, tunc apud seniorem, tanquam apud patronum, bona Capellaniæ consistant, nisi aliud adpareat a fundatore constitutum; arg. l. 77, § 21, ff. de Legat. 2 juncta l. ult. ff. de Fide instrumentorum, et l. 192, ff. de Regul. juris

CAPELLANUS.

SUMMARIUM.

1. Capellanus tenetur per seipsum Missas celebrare, si id verbis expressis, aut æquipollentibus cautum fuerit in fundatione capellaniæ. — 2. Imo Capellani teneatur Missas celebrare per seipsos, si adsit præceptum testatoris, seu fundatoris ita conceptum: *E se alle volte non potessero celebrare, facciano celebrare per altri.* — 3. Sic etiam, si onus Missarum reperiatur injunctum Capellano hac lege: *Che debba celebrar la Messa, e se alcuna volta non potesse, faccia celebrare altri quotidianamente.* Vel *che il Cappellano pro tempore, in tempo della raccolta abbia vacanza di due mesi l'anno, e non più. Che potrà prender tutti, o pochi giorni alla settimana, e ciò etiam in caso di malattia possa farle dire da altri.* Vel: « in casu infirmitatis, vel absentiæ possit Capellanus alium substituere, » dicitur onus injunctum personale, ita ut per seipsum teneatur celebrare. — 4. Secus si testator dicat, *qual Messa vuole, che sia celebrata dal Rettore, che sarà nominato;* nam tunc Missa poterit celebrari, et onus adimpleri per alium; sicuti si ita mandaret: « Hæres teneatur eligere Capellanum; qui singulis hebdomadis celebret Missas, v. g., quatuor. » Nam etiam tunc non teneretur celebrare per seipsum, sed posset per alium. — 5. Capellanus, qui de mente testatoris quotidie per seipsum celebrare tenetur, semel in hebdomada per alium poterit celebrare. — 6. Obligatio enim quotidie per se celebrandi inhonesta et illicita censeri debet. — 7. Imo volunt doctores, quod Capellanus obligatus ad quotidie celebrandum per se ipsum personaliter, nedum semel in hebdomada possit celebrare per alium, sed etiam titulo honestatis, vel reverentiæ Sacramenti, aut alia justa causa possit aliquoties, et etiam semel in hebdomada abstinere a celebratione absque eo quod faciat tali die celebrare per alium, maxime si obligatio quotidie celebrandi sit mere personalis ad ipsius Capellani personam directa. — 8. Affertur ad id decretum Sacræ Congregationis Visitationis. — 9. Capellanus, qui tenetur quotidie celebrare, non potest novam eleemosynam accipere, et duabus obligationibus unica Missa satisfacere, nisi in fundatione expresse cautum sit, quod non teneatur sacrificium applicare. — 10. Capellanus, qui potest per alium celebrare, non tenetur dare stipendium sacerdoti celebranti ad rationem redditus Capellaniæ. — 11. Sic Capellani amovibiles, qui sunt nominati vel electi ab hæredibus testatorum ad celebrandas Missas, cum assignatione certi redditus, juxta dispositionem testatorum, possunt assignare certam meroedem juxta morem regionis sacerdoti pro Missis celebrandis, et pro se aliam partem retinere. — 12. Ita etiam Capellanus ad nutum amovibilis cum obligatione unius Missæ qualibet hebdomada cum stipendio legato, et confirmato de octo annis in octo annos, potest demandare celebrationem dictarum Missarum alteri cum eleemosyna consueta juxta morem regionis, retenta sibi parte dicti stipendii debiti Capellano. — 13. Si vero reperiatur injunctum, v. g., quod celebrentur singulis annis Missæ 30, S. Gregorii pro defunctis in Ecclesia N. per sacerdotem eligendum a N. cui solvantur pro eleemosyna scuta octo, vel decem; Capellanus sacerdos sic electus tenetur per seipsum celebrare, nec poterit dare eleemosynam currentem alteri sacerdoti, qui præfatas Missas celebret, retento sibi quod superest. — 14. Capellanus, cui impositum est onus, ut debeat continue singulis diebus Missam celebrare, etsi cessaverit eam celebrare, teneatur, v. g., solvere duos Paulos pro qualibet Missa non celebrata, non potest umquam vacare, nisi suppleat per alium. — 15. Non tenetur tamen

Digitized by Google

neque per alium celebrare tempore infirmitatis non excedentis quindecim dies. — 16. Imo ex Concilio provinciali Mediolanensi Capellanus deobligatur a celebrando, et supplendo per alium ratione infirmitatis, etiamsi per mensem integrum ægrotet. — 17. Si vero ex fundatione Capellanus non teneatur celebrare per seipsum, cum talis Capellanus nunquam possit a celebratione vacare, ipse non teneretur per alium celebrare solum tempore infirmitatis non excedentis quindecim dies. — 18. Sacerdos autem substitutus a Capellano ad celebrandum pro fundatore, si omittat celebrare causa infirmitatis per aliquot dies, non acquirit stipem Missis omissis correspondentem, sed ilia est eroganda alteri sacerdoti, ut celebret, vel est retinenda ab ipso Capellano, si per seipsum pro illis diebus celebret. — 19. Capellanus Episcopi, qui cum eo recitat officium, debet se illi conformare. — 20. Capellanus eligendus ab Episcopo pro tempore, non est amovibilis, neque manualis, sed perpetuus. — 21. Capellani Ecclesiæ cathedralis, qui sunt membra Ecclesiæ, debent incedere in processionibus, et sedere in choro immediate post canonicos, nec inter eos debent interponi rectores Ecclesiarum aliarum, etiam prætextu doctoratus. — 22. Capellanus presbyter prius ordinatus debet præcedere Capellano postea ordinato, licet ultimo ordinatus prius acceperit possessionem capellaniæ. — 23. Non potest episcopus præcipere Capellanis capellarum campestrium regularium, ne Missas celebrent, antequam celebretur Missa Ecclesiarum parochialium. — 24. Capellanus non potest cogi ab Episcopo, ut celebret certa hora, quando in fundatione hoc non reperitur injunctum. — 25. Potest tamen Episcopus Capellanum adstringere (non censuris) ad providendum de proprio paramenta. — 26. Capellanus semel examinatus, et approbatus quoad scientiam ab ordinario, nulli examini de scientia subjici debet. — 27. Nec hæres, nec exsecutor testamentarius, neque episcopus potest in erectione capellaniæ, seu beneficii simplicis injungere Capellano onus residentiæ, quod testator non injunxit, neque addere, quod Capellanus pro tempore per seipsum Missas celebret; neque alio modo testatoris voluntatem immutare. — 28. Capellanus confraternitatis non potest suo arbitrio sine expressa licentia Episcopi processiones facere. — 29. Et si non adsit licentia Episcopi, non potest illas facere sine licentia parochorum, per quorum territorium transeundum est. — 30. Nec potest Capellanus confraternitatis in processionibus extra propriam Ecclesiam deferre stolam. — 31. Capellani confraternitatum non debent ab Episcopo sine causa amoveri reluctantibus confratribus. — 32. Alia de istis Capellanis. *Remissive.* — 33. Capellanus quo tempore, loco seu Ecclesia, vel altari debeat celebrare Missam, et pro quo debeat applicare; et quid possit quoad reductionem, satisfactionem, eleemosynam et alia. *Remissive.* — 34. Capellanus habens obligationem inhabitandi domum a fundatore ad id relictam, instructam supellectilibus, et mobilibus necessariis, tenetur omnimodo ibi habitare. — 35-40. De amotione Capellani ab officio. — 41, 42. Capellanus, qui ad vitandam dismembrationem parochiæ solet constitui ad coadjuvandum parochum, utrum sit perpetuus, an amovibilis. — 43. Num Capellanus Curatus ad nutum amovibilis a patrono, inscio Episcopo amoveri queat. *Remissive.* — 44. 81 in fundatione capellaniæ dictum sit, quod præsentetur Capellanus, qui intra annum possit ascendere ad sacerdotium, a quo die sumatur initium anni.

(1. Capellanus tenetur per seipsum Missas celebrare, si id verbis expressis, aut æquipollentibus cautum fuerit in fundatione capellaniæ; quod enim in ipsa erectione capellaniæ constitutum et dispositum est, id omnino est observandum, ut expresse statuitur a Concil. Trid. sess. 25 de Reformat., cap. 5. Nec requiritur, ut in erectione sit expresse statutum, ut Capellanus celebret per seipsum, sed satis est, ut id verbis æquipollentibus sit ordinatum; arg. cap. *In his* 15, de verb. *signific.* l. final. ff. de donat. quæ sub modo, l. Quid tamen, § 1, ff. de Re arbitr., et sic fuisse a Sacr. Congreg. Conc. decisum, refert Fagnanus loc. cit., num. 76 et 77. (2. Imo Capellani tenentur Missas celebrare per se ipsos, si adsit præceptum testatoris, seu fundatoris ita conceptum: *E se alle volte non potessero celebrare, facciano celebrare per altri*, ut respondit Sac. Cong. Conc. 18 Dec. 1688. (3. Sic etiam si onus Missarum reperiatur injunctum capellano hac lege: *Che debba celebrar la Messa, e se alcuna volta non potesse, faccia celebrar altri quotidianamente.* Vel: *Che il Cappellano pro tempore, in tempo della raccolta abbia vacanza di due mesi l' anno, e non piu. Che potrà prender tutti, o pochi giorni alla settimana, e cio etiam in caso di malattia, possa farle dire da altri.* Vel: « Et in casu infirmitatis, vel absentiæ possit Capellanus alium substituere, » dicitur onus injunctum personale, ita ut per se ipsum teneatur celebrare, quia onus dirigitur in personam Capellani, cujus industria videtur electa, et importat satisfactionem personalem, prout in præfatis casibus respondit Sac. Congr. Conc. in Romana, 15 April. 1605, lib. decret. 35, fol. 96, et 18 Decembr. 1688, in Florentina, 13 Novembr. 1688, et in Civitatis plebis, 15 Decembr. 1608. (4. Secus si testator diceret: *qual Messa vuole, che sia celebrata dal Rettore, che sarà nominato.* Nam tunc poterit Missa celebrari, et onus adimpleri per alium: ead. Sac. Congreg. Conc., 15 Januar. 1669, lib. XXVII Decret., fol. 281. Sicuti si ita mandaret: « Hæres teneatur eligere capellanum, qui singulis hebdomadis celebret Missas v. g. quatuor. » Nam etiam tunc non teneretur celebrare per se ipsum, sed posset per alium; ut ead. Sac. Congr. Conc. respondit in alia Sabinen., 18 Mart. 1684.

(5. Capellanus, qui de mente testatoris quotidie per se ipsum celebrare tenetur, semel in hebdomada per alium poterit celebrare. Sacra Congreg. Concil. in Comens, 10 mart. 1623, arg. cap. *Significatum* 11 de Præbendis. (6. Obligatio enim quotidie per se celebrandi, inhonesta et illicita (1) censeri debet. Rota Romana part. 1 recentior. decis. 496. (7. Imo volunt doctores, quod capellanus obligatus

(1) Non satis apte, sed improprie *inhonesta et illicita* vocatur sacerdotis obligatio, qua ad quotidie per seipsum celebrandum adstringatur; neque enim celebratio etiam quotidiana onus est, quod aut cum honestate pugnet, aut exsequi per se non liceat. Parcendum tamen auctori est, quod illis vocabulis nihil aliud innuere voluerit, nisi quod tanta esse nequeat celebrandi obligatio, ut ab isto onere quotidiano dispensari duplici saltem de causa non possit, scilicet ob corporis infirmitatem, et ob specialem aliquam

Digitized by Google

ad quotidie celebrandum per se ipsum personaliter, nedum semel in hebdomada possit celebrare per alium, sed etiam titulo honestatis, vel reverentiæ Sacramenti, aut alia justa causa, possit aliquoties, et etiam semel in hebdomada abstinere a celebratione absque eo, quod faciat tali die celebrare per alium, maxime si obligatio quotidie celebrandi sit mere personalis ad ipsius capellani personam

causam honestatis, et devotionis sacrificio debitæ, quibus in casibus censeri nequit sacerdos obligatus.

Neque ferri posse videtur, quod statim subnectit; posse scilicet sacerdotem semel in hebdomada a celebranda Missa abstinere, quin teneatur per alium satisfacere. Decretum enim, quod affert, ad particularem casum spectat, in quo particulares circumstantiæ occurrere debuere. Quamobrem ex ipso generalis regula statui nequit, qua permittatur generatim Capellanis quinquaginta et duas Missas quolibet anno contra propriam obligationem omittere. Quamobrem satius cum Cabassutio, aliisque censerem, non ultra unam in mense Missam extendi posse hanc Capellanorum exemptionem, ne notabiliter mutetur et lædatur institutoris dispositio, atque voluntas. (*Nota Romani Theologi.*)

Responsio auctoris.

Asserit hic R. Theologus, quod ego minus apte dicam, quod obligatio quotidie per se celebrandi *inhonesta et illicita* censeri debet. Et tamen sunt ipsa præcisa verba Sacræ Romanæ Rotæ, part. 1 recent. decis., 496, ubi in summario num. 7, sic præcise habet : « Onus celebrandi Missas quotidie adjectum sacerdoti, ut per se ipsum celebret, dicitur inhonestum, et illicitum, » et in corpore eodem num. 7 sic repetit : « obligatio quotidie celebrandi tanquam inhonesta, et illicita, etc. » Unde si audet censura inurere ipsissima verba tam venerabilis Sacri Tribunalis, ad quod confluunt decidendæ causæ urbis et orbis, quis modo ab ejus censuris poterit esse tutus? Aut quis et quantus theologus hic censor, qui videtur Sac. Rom. Rotam nec e limine salutasse?

Quo autem ad reliqua ab eo hic supra notata, vide, ultra ibi a me tradita Monacell. Edition. Rom. 1709, part. III in appendic. instruct. 5 *pro adimplemento onerum Missarum*, pag. 217, num. 11, et seq. ubi satis ad rem.

Animadversio editoris Neapolitani.

Reprehenditur auctor noster, eique succenset Cl. adnotator, in adnotationibus subjectis ad hunc articulum, propterea quod obligationem per se quotidie celebrandi *inhonestam*, atque *illicitam* censendam dixerit, quasi *minus apte, et improprie* locutus. At, ut mihi videtur, non erat idcirco tantopere reprehendendus, sed tantum rite, recteque explicandus; quandoquidem non unus ipse usus est hac in re hoc loquendi genere. Vide Cabassut. *loc. cit.*, n. 9, et Pontas, verb. *Beneficiarius*, cas. 10, qui hujusmodi obligationes non admittentes debitas exceptiones *infirmitatis, sive honestatis, et debitæ devotionis*, vocant *durissimas, indecoras, debitæ devotioni nimis oppositas, atque iniqua vincula*. Neque mirum hoc videri debet, aut ipsi hac in re culpandi, cum ipsi, uti cuivis luculentissime patet, adludant ad Decretalem Alexandri III, relatam in cap. *Significatum est, II de Præbendis*, etc., in qua Pontifex laudatus primum omnium hoc loquendi genere usus videtur. Cum enim institutionem capellaniæ, cui quotidianæ celebrationis onus et quidem *per se* impositum fuerat, eatenus tantum probarit, quatenus sacerdos intitutus, nisi corporis infirmitate detentus, assidue

directa, ut cum multis tenemus etiam nos verb. *Missa*, art. 3, num. 14, et seqq. afferendo ibi varia decreta Sacræ Congregationis Concilii ad hoc facientia, et expresse tenet Monacell. tomus IV in appendice ad formular. instructione 5, pro adimplemento onerum Missarum, num. 11, (8. et hoc ex capitulo Significatum 11 de Præbend. et juxta decretum circa hoc editum ab Eminentissimo Pe-

deberet obsequium suum impendere Ecclesiæ memoratæ, *salva tamen honestate sua et debita devotione*, apertissime inde colligendum videtur, duriores hujusmodi obligationes, in quibus non daretur locus memoratis exceptionibus, habitas fuisse a laud. Pontifice veluti oppositas *honestati* ac *debitæ devotioni;* cujusmodi auctoritatem inde secuti laudati scriptores dixere, hujusmodi obligationes, sive institutiones *inhonestas*, et *illicitas*, latiore saltem acceptione, quatenus præjudicium afferant *honestati* ac *debitæ devotioni*.

Æquior porro censura videtur, qua Cl. adnotator rejiciendam doceat sententiam auctoris, qua Cl. noster auctor opinatur adstrictos *per se* ad quotidianam sacrificii celebrationem personaliter obeundam, posse semel per singulam hebdomadam ab hoc onere vacare, quin teneantur *per se*, aut per alium sacrificium omissum causa *honestatis*, aut *debitæ devotionis* supplere. Quod autem Cl. Cabassutius, aliique id concedant tantum semel per mensem propter hujusmodi memoratas causas a celebratione vacari posse, id nos neque aperte reprobare, neque quidquam decernere hac in re audemus satius ducentes vestigiis insistere Sacr. Congregationis Concilii. Cum enim an. 1683 Sacræ Congregationi hæc dubia proposita fuissent scilicet :

I. An sacerdotes obligati ratione beneficii, capellaniæ, legati, stipendii celebrare quotidie per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare, et quatenus affirmative.

II. Quando, et quoties a dicta celebratione vacare possint.

III. An diebus licitæ vacationis possint Missam pro seipsis, vel aliis præterquam pro fundatoribus celebrare : et quatenus affirmative.

IV. An pro aliis celebrando possint stipendium pro hujusmodi celebratione recipere.

V. An illis diebus, quibus licite vacant a celebratione, teneantur Missam celebrari facere ab aliis juxta intentionem fundatorum.

VI. An sacerdotes ut supra obligati celebrare Missam quotidie absque tamen onere celebrandi per se ipsos possint aliquando a celebratione vacare.

Hisce propositis dubiis hujusmodi adhibitæ fuere responsiones :

Ad primum *affirmative*, concurrente aliqua legitima causa.

Ad II. ut ad proximum.

Ad III. *negative.*

Ad IV. *negative.*

Ad V. distulit resolutionem.

Ad VI. *negative.*

Refert. Bened. XIV. *de Sacrific., Miss.*, sect. II, cap. 1, § 1.

Circa hasce porro responsiones illud animadvertendum occurrit, quod in responsione ad tertium dubium Sac. Congregat. non permittat Sacerdoti diebus licitæ vacationis neque pro se ipso celebrare; hoc ita intelligendum arbitramur, si *passim*, ac *sæpius* fiat. Cæterum semel atque iterum per annum pro se, suisve celebrare aliqua occurrente causa communiter permittunt probatissimi scriptores. Lege Pontas, verb. *Beneficiarius* cas. 10. et Cl. Cabassutium *loc. cit.*

Digitized by Google

truccio in visitatione domus patrum Ministrorum infirmorum Magdalenæ Romæ approbatum a Sacra Congreg. Visitationis Apostolicæ sub die 18 Jun. 1697, in quo sic habetur: « Religiosi a superioribus pro tempore destinati pro celebratione Missarum sex quotidianarum pro legato, et suffragio R. P. D. olim Vincentii Justiniani juxta reductionem obtentam ab anno 1646 a celebratione quotidiana vacare non possint, nisi semel tantum in hebdomada. At in diebus, quibus vacant, pro aliis celebrare, et aliam eleemosynam, seu stipem accipere nequaquam possint: sed si vacare ut supra volunt a celebratione pro eodem testatore, vel pro seipsis, et eorum devotione duntaxat, poterunt semel in hebdomada celebrare, sub pœna reiterandæ celebrationis, et restitutionis respectivæ, super quibus eorumdem religiosorum, et superiorum conscientiam stricte oneramus. » Vid. verb. *Missa*, art. 3, num. 10 et seq.

(9. Capellanus, qui tenetur quotidie celebrare, non potest novam eleemosynam accipere, et duabus obligationibus unica Missa satisfacere, nisi in fundatione expresse cautum sit quod non teneatur Sacrificium applicare. Sac. Congreg. Conc. In Nullius celebrationis Missarum, 13 Jul. 1630. et in Decretis de celebratione Missarum; ubi ad quartum quæsitum respondit: « Sacerdotes diebus, quibus tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu Capellaniæ, legati, aut salarii; si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere. » (10. Capellanus, qui potest per alium celebrare, non tenetur dare stipendium Sacerdoti celebranti ad rationem redditum Capellaniæ. Sic Sacr. Congr. Conc. « In decretis de celebratione Missarum in responsione ad octavum, ubi expresse dicit: Satis esse ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit. » (11. Sic Capellani amovibiles, qui sunt nominati, vel electi ab Hæredibus Testatorum ad celebrandas Missas cum assignatione certi redditus, juxta dispositionem Testatorum, possunt assignare certam mercedem juxta morem regionis Sacerdoti pro Missis celebrandis, et pro se aliam partem retinere. Sacra Cong. Conc. *in Neapolitana* 17. August., 1630. (12. Ita etiam Capellanus ad nutum amovibilis cum obligatione unius Missæ qualibet hebdomada, cum stipendio legato et confirmato de octo annis in octo annos, potest demandare celebrationem dictarum Missarum alteri, cum eleemosyna consueta juxta morem regionis, retenta sibi parte dicti stipendii debiti Capellano. Sacra Congreg. Conc. *in Fanen*, 7 Sept. 1630. (13. Si vero reperiatur injunctum, v. g., quod celebrentur singulis annis Missæ 30 S. Gregorii pro Defunctis in Ecclesia N. per Sacerdotem eligendum a N. cui solvantur pro eleemosyna Scuta octo, vel decem; Capellanus Sacerdos sic electus tenetur per se ipsum celebrare, nec poterit dare eleemosynam currentem alteri Sacerdoti, qui præfatas Missas celebret, retento sibi, quod superest; ut Sac. Congreg. Conc. *requisita respondit* 21 Febr. 1688, et reproposito Dubio 17 Julii ejusdem anni, responsum confirmavit, lib. XXXVIII, Decr., fol. 89, 339, 340, et clare etiam colligitur ex decretis de celebrat. Missarum, ubi ad decimum quæsitum: « An sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione Missæ, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis quibus Missas celebrandas committunt; an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam. Respondit debere absolute tribuere integram eleemosynam Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse. »

(14. Capellanus, cui impositum est onus ut debeat continue singulis diebus Missam celebrare, et si cessaverit eam celebrare, teneatur, v. g., solvere duos Paulos pro qualibet Missa non celebrata, non potest unquam vacare, nisi suppleat per alium. Sacra Congreg. Conc. 17. Sept. 1695. (15. Non tenetur tamen per alium celebrare tempore infirmitatis non excedentis quindecim dies, ut declaravit eadem Sacra Congreg. Conc. 17 Septem. 1695. Imo ex Concilio provinciali Mediolanen. septimo tit. de *Missis*, capellanus deobligatur a celebrando, et supplendo per alium ratione infirmitatis (1), etiam si per mensem integrum ægrotet. (16. Loquitur enim ibi Concilium præcisis verbis: « Si Capellanus saltem per annum functus sit suo munere celebrandi in aliquo loco, si etiam per mensem ægrotet, adhuc integram eleemosynam judicio Episcopi accipere potest: » et in hoc consentiunt Covarruv. lib. III *Var. resol.*, c. 13; Petrus de Navarra, lib. II, *de Restit.* c. II, num. 210; Molfesius in *Summa* tract. 6, cap. 1, num. 79; Hurtadus *de Sacrament.* disp. 4, diffic. 1. Fagundez *de Quinque Eccles. præcept.* lib. III, c. 16, num. 11; Gavant. in *Rub. Missal.* p. 3, tit. 12, n. 18; Rodriquez in *Summa*, c. 252, concl. 3; Rossignol. *de Eucharistia* quæst, 11, art. 1 num, 13, et alii magis communiter. Maxime si in

(1) Nimis laxa visa censoribus est auctoris opinio, qua ægrotantes per mensem Capellani ab onere eximuntur satisfaciendi per alios. Nam alii cum Barbosa ad decem tantum dies hanc exemptionem extendunt; nonnulli cum Azorio, et Silvestro in infirmitate quoque paucorum dierum adstringi ad satisfaciendum per alios opinati sunt; sunt qui cum auctore ad mensem extendunt; sed media, et æquior sententia est, non ultra quindecim dies protrahi hanc libertatem posse; atque hæc opinio duplici Sacræ Congregationis Concilii decreto comprobata est quorum alterum editum fuit 17 Novembris 1686, alterum vero 4 Julii 1689. Hujusmodi decreta refert vir Cl. P. Ubaldus Giraldi a S. Cajetano Cler. Regular. Scholarum Piarum part. I. *Instit. Canonicar.* P. Remigii Mascart a S. Erasmo pag. 265, post num. 7, eaque nos proferemus in verbo *Missa*. (*Nota Romani theologi.*)

Digitized by Google

fundatione capellaniæ sit cautum, ut Capellanus teneatur celebrare per seipsum. (17. Si vero ex fundatione Capellanus non teneatur celebrare per seipsum, cum talis Capellanus ex decreto Sacræ Congreg. Concilii in Casalen., 18 Sept. 1685, in respons. ad 6, nunquam possit a celebratione vacare, ut videri potest verb. *Missa*, art. 3, num. 20 et 21, ipse non teneretur per alium celebrare solum tempore infirmitatis non excedentis quindecim dies, ut declaravit eadem Sacra Congreg. Conc., 17 Novemb. 1695. (18. Sacerdos autem substitutus a Capellano ad celebrandum pro fundatore, si omittat celebrare causa infirmitatis per aliquot dies, non acquirit stipendium Missis omissis correspondentem, sed illa est eroganda alteri Sacerdoti, ut celebret, vel est retinenda ab ipso Capellano, si ipse per se ipsum pro illis diebus celebret; et ratio est, quia sic substitutus videtur taliter computandus, ac si esset dietim conductus ad celebrandum pro testatore, potest enim ad libitum removeri a tali onere, cum sit mercenarius; conductus autem dietim ad opera de die in diem, acquirit stipendium ratione operum, quæ de die in diem præstat; sicque pro diebus, quibus non præstat opera, licet causa infirmitatis non præstet, mercedem non acquirit, ut patet in similibus; nam quod est datum ob causam, repetitur, si ex infirmitate recipientis non potuit adimpleri; l. *Si pecuniam* in princ. ff. de *Conduct. causa data*; adeoque substitutus sic conductus, si pro aliquibus diebus non celebret, licet causa infirmitatis non celebret, mercedem non acquirit.

(19. Capellanus Episcopi, qui cum eo recitat officium, debet se illi conformare. Sacr. Congr. Rituum 11 Junii 1605. (20. Capellanus eligendus ab Episcopo pro tempore, non est amovibilis, neque manualis, sed perpetuus. Sac. Congreg. Concil. in Gravinen., 6 Decemb. 1645. (21. Capellani Ecclesiæ cathedralis, qui sunt membra Ecclesiæ, debent incedere in processionibus, et sedere in choro immediate post Canonicos; nec inter eos debent interponi Rectores Ecclesiarum aliarum, etiam prætextu doctoratus. Sac. Congreg. Rit. in Turritana, 1 et 27 Julii 1601, et in Terullen. 20. Decembr. ejusdem 1601. (22. Capellanus presbyter prius ordinatus debet præcedere Capellano postea ordinato, licet ultimo ordinatus prius acceperit possessionem capellaniæ. Sacra Congregatio Rituum in Novarien., 16 Julii 1605. (23. Non potest Episcopus præcipere Capellanis capellarum campestrium regularium, ne Missas celebrent, antequam celebretur Missa Ecclesiarum parochialium. Sac. Congr. Conc. in Tarvisina ad c. 8, sess. 7, *de Reformat.*, 17 Aprilis 1640. (24. Capellanus non potest cogi ab Episcopo, ut celebret certa hora, quando in fundatione hoc non reperitur injunctum. Sac. Congreg. Conc. in Pisauren., 6 April. 1647. (25. Posset tamen Episcopus Capellanum adstringere (non censuris) ad providendum de proprio paramenta, ut respondit Sacra congr. Episcoporum in Surrentina, 11 April. 1589. (26. Capellanus semel examinatus, et approbatus quoad scientiam ab ordinario, nulli examini exinde de scientia subjici debet. Sacra Congreg. Episcop. et Regul., 17 Julii 1615. (27. Nec hæres, nec exsecutor testamentarius, neque episcopus potest in erectione capellaniæ, seu beneficii simplicis injungere Capellano onus residentiæ quod testator non injunxit, neque addere, quod Capellanus pro tempore per seipsum Missas celebret, neque alio modo testatoris voluntatem immutare. Sac. Congr. Conc. in Viterbien., 11 Januar. 1698, in Mexicana, 16 Maii 1699, et in Berthonen., 4 Junii 1701. (28. Capellanus confraternitatis non potest suo arbitrio sine expressa licentia Episcopi processiones facere. Sacra Congregatio Rituum in Meliten. Galatii, 4 Martii 1606. (29. Et si non adsit licentia Episcopi, non potest illas facere sine licentia parochorum, per quorum territorium transeundum est. Sac. Congr. Rituum, 10 Decemb. 1703, in respons. ad vigesimum secundum. (30. Nec potest Capellanus confraternitatis in processionibus extra propriam Ecclesiam deferre stolam. Eadem Sac. Congreg. 10 Decemb. 1703, in respons. ad 23. (31. Capellani confraternitatum non debent ab Episcopo sine causa amoveri reluctantibus confratribus. Sacra Congregatio Episcoporum in Forosempronien., 3 Octob. 1692. (32. Alia de istis Capellanis vide verb *Confraternitas*. (33. Capellanus, quo tempore, loco, seu Ecclesia, vel altari debeat celebrare Missam; et pro quo debeat applicare, et quid possit quoad reductionem, satisfactionem, eleemosynam, et alia; vide verb. *Missa*, ubi late de omnibus.

(34. Capellanus habens obligationem inhabitandi domum a fundatore ad id relictam, instructam supellectilibus, et mobilibus necessariis, tenetur omnimode ibi inhabitare et residere ad formam testamenti. Sac. Congreg. Concil. in Aquilana Capellaniæ, 16 Maii 1733, in resp. ad primum dub.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(35. De amotione Capellani non infrequens controversia est. Porro si capellania sit laicalis, seclusa contraria voluntate fundatoris, potest Capellanus ab eo, qui jus habet ipsum destinandi, pro arbitrio, et sine ulla causa amoveri. Card. de Luca *de Benef.* discurs. 80, num 17, et sequent.; Leon *de Offic. Capellan.*, quæst. 5, sect. 16, n. 251; Rota in Leodien. *Capellaniarum super bono Jure*, 27 Februar. 1719, § *Ea moti*, et sequent. coram bon. mem. Foscar., confirmata 28 Junii 1720, §. *Pro eo vero*, coram eodem, et 12 Junii 1720, § *Validitate*, coram clar. mem. Corio, in Civitatis Castelli Capellaniæ, 15 Januarii 1744, § 10 et seq. et 29 April. ejusdem anni 1744, § 5, coram bon. mem. Vicecom. et 28 Junii 1745, § 5, coram bon. mem. Lan. et in Firmana Capellaniæ, 6 Junii 1736, § 2, cor. bon. mem. Vicecom.

(36. Potest tamen is, qui pollet jure hoc destinandi Capellanum, renuntiare facultati hunc amovendi, vel expresse, vel tacite. (37. Quando vero successor teneatur, nec ne, stare facto Antecessoris, vide in superiori

Digitized by Google

additione ad verb. *Capellania*, num. 58. (38. Quod si capellania sit ecclesiastica, nequit Capellanus amoveri. Num autem in ejus erectione possit ab Episcopo approbari conditio, qua fit potestas patrono ipsum amovendi, magna quæstio est. (39. Ejus vero solutio inde pendet, an perpetuitas sit de essentia nec ne capellaniæ ecclesiasticæ, nam Episcopus etsi in limine fundationis approbare valeat conditiones juri contrarias, minime tamen approbare potest conditiones essentiæ capellaniæ ecclesiasticæ repugnantes. In additione autem ad verbum *Beneficium*, articul. 1, num. 50, dictum est, quod Rota in Casertana Beneficii, 28 Jun. 1745, § 6, coram clar. mem. Millin. in medio reliquit, utrum perpetuitas sit de essentia ecclesiasticæ capellaniæ. (40. At idem Supremum Tribunal in Fanen. Juris nominandi, 2 Julii 1745, coram Reverendiss. P. D. Bussio Decano firmavit, posse conditionem hanc ab Episcopo in limine fundationis approbari. Et quod summopere notandum est, agebatur in casu illius decisionis de Capellano, cui incumbebat cura animarum.

(41. De Capellano, qui ad vitandam dismembrationem parochiæ, solet constitui ad coadjuvandum parochum, quæritur etiam, utrum sit perpetuus, an amovibilis? Esse amovibilem *ex justa tamen causa* definivit Rot, in Bononien. Amovibilitatis Capellani, 31 Januarii 1727, cora mclar. mem. Corio, ubi quod si Capellanus hic initio suæ possessionis acceptasset conditionem amovibilitatis ad nutum, posset ad nutum amoveri. (42. Monet vero idem sacrum auditorium in hac ipsa decisione, quod in capellania perpetua acceptio conditionis amovibilitatis ad nutum initio possessionis nihil operatur. (43. Num Capellanus Curatus ad nutum amovibilis a patrono, inscio, et non certiorato Episcopo amoveri queat, expendit Rota in Comen. Loci Furculæ, 27 Januar. 1730, cor. bon. mem. Ratto inter impressas dec. 274, tom. III.

(44. Si in fundatione alicujus capellaniæ dictum sit, quod præsentetur Capellanus, qui intra annum possit ascendere ad ordinem sacerdotalem, initium anni desumi debet non ab institutionis, et possessionis die, sed a die præsentationis, ut firmavit Rota in Majoricen. Beneficii, 13 April. 1142. cor. clar. mem. Millin. ubi quod contrariæ auctoritates procedunt in promotionibus sacerdotum ad dignitates, et canonicatus ad præscriptum juris.

CAPELLANUS MONIALIUM.

SUMMARIUM.

1. Capellani Monialium debent esse maturæ ætatis, non autem juvenes. — 2. Unde non obstante, quod Moniales jus habeant nominandi Capellanum, potest illum Episcopus ex justa causa rejicere. — 3. Imo si Episcopus ipse dare velit Monialibus Capellanum juvenem, potest Abbatissa illum non recipere. — 4. Ubi tamen senes, et provecti de facili non inveniuntur, ut in civitatibus, et locis parvis, relinquitur prudentiæ Episcopi, ut etiam juvenes bene perpensis loci et facti circumstantiis possit admittere, dummodo ornati sint bonis moribus, et apud omnes sint bonæ famæ. — 5. Removentur enim quicumque Capellani Monialium vitæ dissolutæ, maxime si contrahant amicitias, et mittant munera Monialibus. — 6. Regulares non possunt esse Capellani Monialium, nisi propter penuriam presbyterorum sæcularium. — 7. Capellani Monialium debent esse amovibiles, non autem perpetui, et intitulati. — 8. Quando tamen Moniales sunt in quasi possessione præsentandi eorum Capellanum ad vitam, Episcopus non debet innovare, sed suorum jurium monumenta ad Sacram Congregationem mittere. — 9. Capellanus in Ecclesiis Monialium regularibus subjectarum approbatur a superiore regulari. — 10. Cæteri vero presbyteri sæculares, qui advocantur pro celebratione Missarum in Ecclesiis Monialium, possunt ab Episcopo prohiberi, ne accedant, quamvis Moniales exemptæ sint, aut regularibus subjiciantur. — 11. Capellanus Monialium potest Missam celebrare de Sancto cujus officium ab ipsis Monialibus celebratur in choro, Missali tamen Romano, in quo si Missa particularis de eodem Sancto non adest, sumitur de communi. — 12. Et idem dicendum est, quoad recitationem officii. — 13. Capellanus Monialium non debet alium presbyterum substituere sine licentia Episcopi, sive Vicarii Generalis, in casu impedimenti. — 14. Capellanus sæcularis de licentia confessoris Monialium potest Eucharistiæ Sacramentum ministrare. — 15. Capellani Ecclesiarum exemptarum amoveri non debent ab Episcopo sine causa. — 16. Imo generaliter nullus Capellanus, licet amovibilis, amoveri debet sine causa. — 17. Capellanus Monialium exemptarum, excluso parocho, omnia Sacramenta etiam in articulo mortis ipsis administrat. — 18-20. Num idem obtineat quoad Moniales non exemptas. — 21. Moniales non exemptæ de jure communi sunt parochis subjectæ.

(1. Capellani Monialium debent esse maturæ ætatis, non autem juvenes, quia in senioribus præsumitur major probitas; cap. *Si officia* 2, dist. 19, et morum gravitas; cap. *Porro* 6, dist. 84. (2. Unde non obstante, quod moniales jus habeant nominandi Capellanum, potest illum Episcopus ex justa causa rejicere, puta si sit junior. Sac. Congreg. Episcop. in Bononien., 31 Maii 1602, et 29. Novembr. 1605. (3. Imo si Episcopus ipse dare velit Monialibus Capellanum juvenem, potest abbatissa illum non recipere. Sac. Congr. Episcop. in Messan. 10. Decemb. 1602. (4. Ubi tamen senes et provecti de facili non inveniuntur, ut in civitatibus et locis parvis, relinquitur prudentiæ Episcopi, ut etiam juvenes, bene perpensis loci et facti circumstantiis, possit admittere, dummodo ornati sint bonis moribus, et præditi religiosis qualitatibus, et apud omnes sint bonæ famæ. (5. Removentur enim quicumque Capellani Monialium vitæ dissolutæ, maxime si contrahant amicitias, et mittant munera Monialibus. Sacr. Congreg. Episcop. in Terracin., 15 Januar., 1742. et 16 Mart. 1645, vel si se ingerant ultra eorum officium. Ead. Sacr. Congreg. 15. Junii 1647. (6. Regulares non possunt esse Capellani Monialium, ut declaravit et censuit Sac. Congreg. Episcop.

Digitized by Google

et Regul. in Sulmon, 17. Aprilis 1604, nisi propter penuriam presbyterorum sæcularium; modo regularis sit ætate simul, ac moribus gravis, et habeat consensum suorum superiorum, nec tractet cum Monialibus, prout resolvit eadem Sacra Congregatio Episcop. et Regular. In Parmem., 14. Julii 1607. (7. Capellani Monialium debent esse amovibiles, non autem perpetui, seu intitulati. Sacra Congreg. Episcop. in Brixien., 18 Julii 1692. (8. Quando tamen Moniales sunt in quasi possessione præsentandi eorum Capellanum ad vitam, Episcopus non debet innovare, sed suorum jurium monumenta ad Sacr. Cong. mittere. Sac. Congreg. Episc. in Liciensi, 21. Oct. 1577.

(9. Capellanus in Ecclesiis Monialium regularibus subjectarum approbatur a superiore regulari. Sac. Congreg. Conc. in Hieracensi Visitationis, 26 Januarii 1692, in respons. ad nonum; et tenet Monacell. tom. I, tit. 11, formul. 23, num. 4. (10. Cæteri vero presbyteri sæculares, qui advocantur pro celebratione Missarum in Ecclesiis Monialium, possunt ab Episcopo prohiberi, ne accedant, quamvis Moniales exemptæ sint, aut Regularibus subjiciantur, quia talis accessus pertinet ad custodiam clausuræ, super qua Episcopus invigilat, et jurisdictionem indiscriminatim exercet, ut respondit Sac. Congreg. Conc. id dicta Hieracensi in resp. ad septimum. (11. Capellanus Monialium potest Missam celebrare de sancto cujus officium ab ipsis Monialibus celebratur in choro, Missali tamen Romano (1), in quo si Missa particularis de eodem sancto non adest, sumitur de communi. Sacra Rituum Congregatio in Austriæ OEniponti, 22. Decemb. 1612. et eadem Sacra Cong. Rituum 20 Novembr. 1628, apud Nicol. lucubrat. Canon. lib. III, tit. 1, de *Vit. et honestate Clericor.*, et Gavant. in *Manuali Episcopor.*, verb. *Monialium cura spiritualis*, num. 33. (12. Idem dicendum est quoad recitationem officii (2); vide verb. *Officium divinum*, art. 3, num. 78. (13. Capellanus Monialium non debet alium presbyterum substituere sine licentia Episcopi, sive Vicarii Generalis, in casu impedimenti. Monacell. tom. I, tit. 11, formul. 22, num. 7. (14. Capellanus sæcularis de licentia confessoris Monialium potest Eucharistiæ Sacramentum ministrare; sicut enim cum licentia sacristæ potest in monasteriis mendicantium simplex sacerdos sæcularis dictum Sacramentum administrare, id ipsum poterit in Ecclesiis Monialium de licentia confessoris earumdem, stante communicatione privilegiorum. Tamburin. *de Jure Abbatissar.* disput. 15, q. 3, num. 2. (15. Capellani Ecclesiarum exemptarum amoveri non debent ab Episcopo sine causa. Sac. Congreg. Episcop. et Regul., 25 Octobr. 1602. (16. Imo generaliter nullus Capellanus, licet amovibilis, amoveri debet sine causa. Ead. Sacr. Congreg. in Sulmon., 14 Maii 1645, et 16 Maii 1653.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(17. Capellanus Monialium exemptarum, excluso parocho, omnia Sacramenta etiam in articulo mortis ipsis administrat, ita ut loco parochi habeatur. Tamburin. *de Jure Abbatiss.* disput. 36, quæsit. 4, per tot. Pellizzar. *de Monial.* c. 7, quæsit. 8, n. 15.

(18. Num idem obtineat quoad Moniales non exemptas? Tenet Tamburin. *loco mox citato*, quod Episcopus Monialibus sibi subjectis soleat etiam destinare Capellanum, qui vice parochi fungatur. (19. Verum non aliter admittenda est hæc Tamburini opinio, quam si consuetudo, eaque jam præscripta, Episcopo adstipuletur. (20. Seclusa namque consuetudine, non est cur Episcopus in præjudicium parochi possit destinare hunc Capellanum, qui parochi vice fungatur. (21. Moniales enim non exemptæ de jure communi sunt parochis subjectæ, ut non diffitetur ipse Tamburinus, et tradunt Abb. in c. *Dilectus*, n. 17, *de Stat. Monach.*; Azor. *Instit. Moral.*, part. I, lib. XIII, cap. 9, quæsit. 4; Pellizzar. ubi supra.

CAPELLANUS MILITUM.

SUMMARIUM.

1. Capellani Militum, seu missionarii exercitus, vel castrenses in casibus, in quibus non adsit breve apostolicum aliter disponens, debent approbari ab ordinario loci, non autem a Capellano Majori Regio. Imo dato, quod adsit breve apostolicum, est bene, et caute perpendendum, an fuerit personale concessum alicui Regi, vel limitatum pro aliquo regno. — 2. Sacra Congreg. Episcopor. pluries decrevit, quod Capellani Militum sint approbandi ab ordinario loci, et non a Majori Capellano Regio. — 3. Alioquin confessiones et matrimonia nulla erunt. — 4. Quæ Sacr. Congreg. etiam declaravit, hujusmodi Capellanos non habere jurisdictionem in clericos. — 5. Regii Capellani majores non possunt prætendere, ut omnes Capellani vulgo nuncupati *delli presidj e fortezze* sint exempti a jurisdictione Episcoporum diœcesanorum, et subjecti suæ jurisdictioni. — 6. Regii Capellani Majores ex brevi Clementis VIII concesso Regi Philippo habent solummodo executiones spectantes ad personas, non ad loca: nec in dicto brevi legitur, quod ipsi possint eligere personas ad audiendas confessiones, et alia Sacramenta administranda, nisi ex approbatis ab ordinario. — 7. Adducuntur variæ responsiones Sacr. Congr. Concil. ad dubia ei proposita occasione cujusdam brevis

(1) Die festo S. Benedicti, et diebus infra ejus octavam alias non impeditis, omnes sacerdotes tam sæculares quam regulares ad Ecclesias ord. ejusdem Sancti confluentes debent celebrare Missam propriam S. Benedicti cum Missali Monastico ex privilegio Benedicti XIII, 10. Febr. 1727, et decret. S. R. C. in Patavina, 21 Martii 1744. (EDIT. CASIN.)

(2) Quod hic asserit auctor, corrigendum est ex decr. S. R. C. in Conimbrien., 21 Martii 1795, in quo Monialibus ord. S. Francisci postulantibus: an Capellani, qui in earum Ecclesia quotidie Missam celebrant, possint officium Monialium recitare? S. C. respondit *Negative*. Vide etiam notam ad artic. III, num. 78, verb. *Officium divinum*. (EDIT. CASIN.)

Digitized by Google

apostolici concessi Archiepiscopo Mechliniensi pro exercitu in Flandria. — 8. Adducitur resolutio ejusdem Sacr. Congr. Concil. in responsione ad dubium ei propositum in una Mediolanensi pro matrimonio contracto a milite in statione degente coram Capellano sui tertii. — 9. Adducitur alia resolutio ejusdem Sacr. Congr. Conc. in una Dertonensi pro quodam matrimonio celebrato coram Capellano Militiæ equestris in terra Vogheræ. — 10. Afferuntur variæ resolutiones Sacr. Congreg. Concil. in dubio jurisdictionis Capellanorum exercitus occasione Militum a variis Germaniæ partibus in Italiam irrumpentium. — 11. Afferuntur variæ aliæ resolutiones ejusdem Sacræ Congregationis Concilii in una Casalensi, quoad potestatem Capellani Militum circa assistentiam præstandam matrimoniis contrahendis in eorum regiminibus existentibus. — 12. Matrimonia contracta coram Capellanis exercitus a militibus degentibus in castris, et stationibus hibernis, vel æstivis, aut in expeditione, etiam cum militaribus feminis sine licentia ordinarii loci, vel sine speciali facultate Sedis Apostolicæ, nulla sunt. — 13. Matrimonium contractum a viro catholico cum muliere pariter catholica coram ministro acatholico est nullum. — 14. Ad uberiorem notitiam consimilium Capellanorum juvat adducere novissimam resolutionem ejusdem Sacræ Congr. Conc. circa Capellanos triremium Summi Pontificis. — 15. Indulta apostolica concessa Regi Catholico a Clemente XII. — 16. Quæ confirmantur a Benedicto XIV pro regno Sardiniæ. — 17. De variis nominibus Magni Capellani Regum, tum ejus variis diversis temporibus juribus. *Remissive.* — 18. Facultates concessæ Capellanis castrensibus penes Cæs. Reg. Austriacam militiam. — 19. Privilegia Capellani Majoris Regni utriusque Siciliæ concessa a Benedicto XIV.

(1. Capellani militum, seu missionarii exercitus, vel castrenses in casibus, in quibus non adsit breve apostolicum aliter disponens, debent approbari ab ordinario loci, non autem a Capellano Majori Regio. Imo dato quod adsit breve apostolicum, est bene et caute perpendendum, an fuerit personale concessum alicui Regi, vel limitatum pro aliquo regno, quia nequit extendi; prout si in brevi fiat mentio de militibus in præsidio non extenditur ad milites in bello, et e contra, cum in hujusmodi materia sit stricta facienda interpretatio, et de facto proposito dubio in Sacra Congregatione in Mazarien. facultatis approbandi confessarios: « An approbatio confessariorum pro sacramentalibus militum confessionibus audiendis pertineat ad Capellanum Regium, vel ad ordinarium loci? » Die 22 Mart 1687, respondit, *pertinere ad ordinarium loci*, quia breve, quod aderat respectu Regis Catholici, videbatur ex variis circumstantiis non extendi ad regna extra Hispanias. (2. Unde Sacra Congregatio Episcop. jam pluries declaraverat, quod Capellani militum essent approbandi ab ordinario loci, et non a Majori Capellano Regio; in Tarentina enim, 3 April. 1618, et in Neapolitana, 4 Augusti ejusdem anni rescripsit, quod Capellanus Regius Major Neapolis concedere non audeat licentiam ministrandi Sacramenta sine licentia ordinarii. (3. Alioquin confessiones et matrimonia nulla erunt, et ipsis non concedetur amplius semestris prorogatio suarum facultatum, ut resolvit eadem Sac. Congregat. in Brundusina, 5 Septemb. 1607, in Gravinensi, 2 Maii 1615 in Salernitana, 16 Febr. 1619, in Neapolitana, 11 Aprilis 1620. (4. Quæ etiam declaravit, hujusmodi Capellanos non habere jurisdictionem in Clericos; ut in Lucerina, 15 Febr. 1622. (5. Regii Capellani Majores non possunt prætendere, ut omnes Capellani vulgo nuncupati, *delli presidii, e fortezze*, sint exempti a jurisdictione Episcoporum diœcesanorum, et subjecti suæ jurisdictioni, adeo ut hujusmodi Capellanis a quocumque ordinario ad confessiones approbatis, demandare valeant omnium Sacramentorum administrationem absque alia approbatione, seu licentia Episcoporum diœcesanorum. Quare ordinarii uti debent jure suo. Sacra Congregat. Concil. 18 Novembr. 1644; in Brundusina ad c. 11, sess. 24, *de Reform.* (6. Regii Capellani Majores ex brevi Clementis VIII, concesso Philippo Regi habent solummodo exemptiones spectantes ad personas, non ad loca, nec in dicto brevi legitur, quod ipsi possint eligere personas ad audiendas confessiones, et alia Sacramenta administranda, nisi ex approbatis ab ordinario. Sac. Congreg. Immunitatis in una Massæ pro Ecclesia portus Longonis, 13 Novembris 1668.

(7. Occasione cujusdam brevis apostolici concessi Archiepiscopo Mechliniensi pro exercitu in Flandria Sac. Congreg. Concil. in una Belgii Matrimoniorum, die 29 Maii 1683, ad infrascripta dubia sic respondit:

Primo: « An vigore præfatæ delegationis apostolicæ, ipse delegatus apostolicus uti talis, ejusque Vicarius, et Capellani exercitus facultatem habeant assistendi matrimoniis militum, dum hi reperiuntur in actuali expeditione? » respondit *affirmative.*

Secundo: « An dictam facultatem habeant privative quoad contrahentium parochos? » respondit *negative.*

Tertio: « An eamdem facultatem habeant, dum milites matrimonium contracturi in hibernis, vel æstivis castris commorantur? » respondit *negative.*

Quarto: « An eamdem facultatem habeant, dum milites sunt in præsidiis? » respondit *negative.*

(8. In Mediolanensi matrimonii proposito dubio in Sacra Congr. Concil. An sit validum matrimonium contractum a milite in statione degente coram Capellano sui tertii? die 11 Decembris 1677. Sac. Congr. Conc. respondit: « Matrimonia militum contrahenda coram Capellanis exercituum quocumque loco existentium fore nulla, nisi doceant de sufficienti facultate, vel privilegio; et quoad matrimonia contracta particulariter videatur; et hoc scribatur Eminentissimo Archiepiscopo Mediolanensi, qui aliis Episcopis prudenter communicet. »

(9. In Derthonen. die 22 Aprilis 1693. Episcopus Derthonæ suis litteris datis 6 currentis scribit, quod frater Joannes Giuzolo ord. min. conventualium Capellanus Militiæ equestris celebravit matrimonium inter Franciscum Tasolier Germanum militem, et Felicem Terram Mediolanen. in statione Terræ

Digitized by Google

Vogheræ existentes, absque denuntiationibus, et probationibus eorum liberi status; consulit quid facere debeat, tam in præsenti, quam in futuris temporibus? *Decretum.* « Dicto Episcopo rescribendum, ut prædictos Franciscum, et Felicem de nullitate eorum matrimonii certioret, et ideo separari teneantur, alias in peccato existunt, donec illud coram parocho loci ser. ser. denuo contrahant; necnon dictum Capellanum moneat, quod ipse juxta resolutiones Sac. Congregat. Concilii, et S. Officii, quando milites sunt in statione, facultatem celebrandi matrimonia non habet, et ideo in futurum a similibus se abstineat. Et super hoc se intelligat cum D. Duce del Sesto, ut mandet d. Capellano, ut ordinibus Sac. Congr. pareat. »

(10. In dubio jurisdictionis Capellanorum exercitus, occasione militum a variis Germaniæ partibus in Italiam irrumpentium, remissa cognitione a Sacra Congregatione Sancti Officii ad Sacram Congregationem Conc. ab ista fuerunt proposita, et resoluta infrascripta dubia :

Primo : « An Capellani cujusvis exercitus, sive regulares, sive sæculares catholici possint administrare militibus in præsidiis degentibus Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis sine speciali facultate Sedis Apostolicæ, vel licentia, et approbatione ordinarii, in cujus diœcesi exstare contigerit? »

Secundo « An assistere matrimonis militum cujuscumque nationis degentium in præsidiis cum militaribus fœminis sine dicta facultate Apostolica, et præcedenti probatione status liberi, ejusque recognitione coram ordinario loci, et licentia parochi, sub cujus parochia maneant? »

Tertio : « An idem cum militibus degentibus in castris, et stationibus hibernis, vel æstivis? »

Quarto : « An idem cum militibus in actuali expeditione positis? »

Quinto : « An idem cum militibus nubere volentibus cum fœminis non militaribus, sed Italis originariis loci, sive diœcesis, in qua reperiuntur? »

Sexto : « An milites acatholici cum acatholicis contrahentes teneantur servare formam præscriptam in Sacr. Concilio Trid. »

Septimo : « An eo magis acatholici contrahentes cum catholicis mulieribus militaribus in præsidiis, castris, et expeditione manentes? »

Octavo : « An Capellani acatholici assistere possint matrimoniis acatholicorum cum acatholicis, et respective catholicis etiam intra fines Italiæ, quatenus negative in omnibus præter 6 et 7. »

Nono : « An, et quid pro sanatione gestorum in præteritum, et faciendorum in futurum super prædictis omnibus pro certa regula Sanctissimo consulendum, et statuendum sit? »

Die 6 Mart. 1694. Sac. Congreg. Conc. respondit ad 1, 2, 3, 4, 5 et 8, *negative.* Ad sextum *affirmative* in locis, ubi publicatum fuit Concilium juxta decretum Sacræ Congregationis 26 Septembr. 1602, ad tertium dubium approbante S. M. Clemente VIII. Ad septimum *affirmative*, sed ulterius indigere dispensatione, ut prædicta matrimonia licite contrahantur. Ad nonum in præteritum non esse inquietandas conscientias, quoad Sacramentum Pœnitentiæ; quo vero ad matrimonia inita sine speciali facultate Apostolica, vel sine licentia ordinarii loci, vel parochi non servata forma Sac. Conc. Trid. in capit. 1, sess. 24, *de Reformat. matrimon. pro sanatione*, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, renovato tamen consensu, etiam coram confessario approbato, qui teneatur tradere testimonium renovationis d. consensus parocho illius loci, in quo fieri contingat hujusmodi renovatio. Provisio in futurum differatur in prima proxima Congreg. in qua consulendum erit, ac deliberandum. Sub die 20 Martii ejusdem anni super provisione Congregatio dixit Secretario cum Sanctissimo pro tali provisione, et sanatione.

Casalens. Matrimonii.

(11. Dubitans Episcopus Casalens. de potestate Capellani Militum circa assistentiam præstandam matrimoniis contrahendis in eorum regiminibus existentibus in his calamitosis temporibus in ejus diœcesi, dum ad valorem matrimonii aliqui existimant sufficere assistentiam parochi putativi, ex adductis per Barbosam in Sac. Conc. c. 1, sess. 25, *de Reformat. matrim.*, n. 79. Ad tollenda omnia inconvenientia, et pro suæ conscientiæ serenitate oraculum EE. VV. super infrascripto dubio summopere exposcit.

« An Capellanus alicujus regiminis, vulgo *Monte del Reggimento* censeri valeat proprius parochus militum ejusdem regiminis, ita ut valide assistere possit matrimoniis eorumdem militum? »

Die 28 Junii 1704. Sac. Congr. Conc. *censuit* dandum esse decretum sub die 6 Martii 1694.

Primo : « An Capellani cujusvis exercitus sive regulares, sive sæculares Catholici possint administrare militibus in præsidiis degentibus Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis sine speciali facultate Sedis Apostolicæ; vel licentia, et approbatione ordinarii, in cujus diœcesi extare contigerit? »

Secundo : « An assistere matrimoniis militum cujuscumque nationis degentium in præsidiis cum militaribus fœminis sine dicta facultate apostolica, et præcedenti probatione status liberi, ejusque recognitione coram ordinario loci, et licentia parochi, sub cujus parochia maneant? »

Tertio : « An idem cum militibus degentibus in castris, et stationibus hibernis, vel æstivis? »

Quarto : « An idem cum militibus in actuali expeditione positis? »

Quinto : « An itidem cum militibus nubere volentibus cum fœminis non militaribus,

Digitized by Google

sed Italis originariis loci, seu diœcesis, in qua reperiuntur? »

Die 28 Jun. 1704. Sac. Cong. Conc. ad primum, secundum, tertium, quartum, et quintum, respondit *negative*.

(12. Matrimonia contracta coram Capellanis exercitus a militibus degentibus in castris, et stationibus hibernis, vel æstivis, aut in expeditione etiam cum militaribus fœminis sine licentia ordinarii loci, vel sine speciali facultate Sedis Apostolicæ, nulla sunt, ut dubio proposito respondit Sacr. Congreg. Concil. 6 Mart. 1694, et refert Monacell. t. I, tit. 8, formul. 10, n. 13. (13. Matrimonium contractum a viro catholico cum muliere pariter catholica coram ministro acatholico est nullum, quia licet fuerit initum in terris hæreticorum, adhuc ubi fuit publicatum Concilium Tridentinum, illius forma tradita in c. 1, sess. 24, de Reform. ubique servanda est pro validitate, ut pluries declaravit Sac. Congreg. Conc. apud Pignatel. t. V, cons. 79, a n. 36, et nuper in Venetiarum, 1. Dec. 1696.

(14. Ad uberiorem notitiam consimilium Capellanorum juvat adducere dubium propositum in Sac. Congreg. Concil., 18 April. 1713. An PP. Capuccini Capellani triremium Summi Pontificis excipere possint sine approbatione Episcopi Viterbiensis confessiones remigum et aliorum in triremibus degentium; sive quando remiges et alii sunt in triremibus, et triremes sunt in portu vel in receptaculo, *vulgo Darsena*; sive quando remiges, aliique in triremibus degentes sunt in civitate centum cellarum.

Cui dubio responsum fuit per Sacram Congr. « Posse PP. Capuccinos sine approbatione Episcopi Viterbiensis, et cum sola approbatione Eminentissimi urbis Vicarii excipere confessiones remigum et aliorum in triremibus continue degentium, tam in ipsis triremibus, quam in portu et in receptaculo, vulgo Darsena, et in Hospitio in Darsena existente. Sed non posse eosdem PP. Capuccinos excipere eorumdem confessiones in civitate Centum Cellarum sine approbatione Episcopi Viterbiensis. » Sic refert Cardinalis Petra tom. I Comment. in Constitut. 1 Pauli II, n. 89.

(15. Attendenda sunt indulta apostolica variis Regibus, suis pro Capellanis militaribus concessa, et signanter novissima concessa Regibus Catholico et Sardiniæ, quæ pro regula ab omnibus observanda, hic ad litteram traduntur.

CLEMENS PAPA XII,

Ad futuram rei memoriam.

Quoniam in exercitibus charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici multa sæpe contingere possunt, in quibus, pro recta Sacramentorum administratione salubrique directione, et cura animarum illorum, qui in castris degunt et versantur, necnon pro cognoscendis et decidendis inter eos causis et controversiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus, opera et industria unius, seu plurium personarum ecclesiasticarum opus sit; propterea quod non facile ad proprios parochos et locorum ordinarios, aut ad Nos et Sedem apostolicam recursus haberi potest; idcirco Nos supplicationibus ipsius Philippi Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Capellano Majori exercituum hujusmodi ab eod. Philippo Rege pro tempore deputato infra scriptas facultates per se, vel alium, seu alios sacerdotes probos et idoneos per ipsum Capellanum Majorem, prævio diligenti, ac rigoroso examine repertos et approbatos (quatenus jam ab aliquo suo ordinario approbati non essent), et ab eodem Capellano Majori subdelegandos erga milites, aliasque utriusque sexus personas ad dictos exercitus (comprehensis etiam copiis auxiliaribus) quomodolibet spectantes tantum exercendas.

I. Videlicet administrandi omnia Ecclesiæ Sacramenta, etiam ea, quæ nonnisi per parochialium Ecclesiarum rectores ministrari consueverunt, præter confirmationem et ordinem, reliquasque functiones et munera parochialia obeundi.

II Absolvendi ab hæresi, apostasia a fide, et schismate intra Italiam quidem, et insulas adjacentes, illos tantum, qui in eis locis, ubi hæresis impune grassatur, nati sint, nec umquam errores judicialiter abjuraverint, vel Sacræ Romanæ Ecclesiæ reconciliati fuerint. Extra Italiam vero, dictasque insulas adjacentes, quoscumque etiam ecclesiasticos, tam sæculares, quam regulares eadem castra sequentes, non tamen eos qui ex illis locis fuerint, in quibus viget officium Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem, nisi inibi deliquerint, ubi hæresis impune grassatur, neque etiam illos, qui errores judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi similiter grassatur hæresis, et post judicialem abjurationem illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiæ dumtaxat.

III. Absolvendi quoque a quibusvis excessibus, et delictis quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam in casibus Nobis et eidem Sedi Apostolicæ specialiter reservatis, ac etiam contentis in litteris die Cœnæ Domini quotannis legi solitis.

IV. Retinendi extra Italiam solummodo, et insulas adjacentes, et legendi (non tamen aliis similem licentiam concedendi) libros prohibitos hæreticorum, vel infidelium de eorum religione tractantes, et alios quoscumque ad effectum eos impugnandi, et hæreticos, seu infideles in castris forte degentes ad orthodoxam fidem convertendi, exceptis tamen operibus Caroli Molinæi, Nicolai Macchiavelli, et libris de astrologia judiciaria tractantibus, ac ita ut dicti libri prohibiti ex provinciis, in quibus hæreses impune grassantur, minime efferantur.

V. Celebrandi Missam una hora ante auroram, et alia post meridiem, et, si cogat necessitas, etiam extra Ecclesiam in quocumque loco decenti, etiam sub diu, vel sub terra, et gravi omnino urgente necessitate, etiam bis in die (si tamen in priori Missa ablutionem non sumpserit, ac jejunus fue-

Digitized by Google

rit), necnon super altari portatili, etiam non integro, seu disfracto, aut læso, et sine sanctorum reliquiis, ac demum, si aliter celebrari non possit, et absit periculum sacrilegii, scandali, et irreverentiæ, etiam præsentibus hæreticis, aliisque excommunicatis, dummodo inserviens Missæ non sit hæreticus, vel excommunicatus.

VI. Concedendi primo conversis ab hæresi, vel schismate plenariam, aliis itidem quibuscumque utriusque sexus Christifidelibus ad prædictos exercitus pertinentibus in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt, necnon in Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Paschatis Resurrectionis, ac Assumptionis beatæ Mariæ Virginis immaculatæ festis diebus, vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem.

VII. Singulis autem Dominicis, et aliis festivis diebus de præcepto relaxandi iis, qui ejus concionibus intervenerint, decem annos de injunctis illis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta; easdemque indulgentias sibi lucrandi.

VIII. Singulis secundis feriis cujuslibet hebdomadæ, officio novem lectionem non impeditis, vel eis impeditis die immediate sequenti, celebrandi Missam de Requiem in quocumque altari, etiam portatili (si aliter celebrari non possit), et per ejus applicationem liberandi animam alicujus ex pie defunctis dictorum exercituum secundum celebrantis intentionem a purgatorii pœnis per modum suffragii.

IX. Deferendi, si in locis versentur, ubi ab hæreticis, vel infidelibus periculum subsit sacrilegii, vel irreverentiæ, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem in prædictis casibus retinendi pro iisdem infirmis, in loco tamen apto, atque decenti.

X. Induendi (si quandoque in iis partibus degant, per quas propter hæreticorum, vel Infidelium insultus aliter transire, vel in illis morari non possent), vestibus sæcularibus, liceat sacerdotes etiam regulares fuerint.

XI. Benedicendi quæcumque vasa, tabernacula, vestimenta, paramenta et ornamenta ecclesiastica, aliaque ad divinum cultum (pro servitio eorumdem exercituum dumtaxat), et necessaria, et pertinentia. Exceptis tamen iis, in quibus sacra unctio adhibenda erit.

XII. Reconciliandi Ecclesias, et capellas, ac cœmeteria, et oratoria quomodolibet polluta in illis partibus, in quibus ipsi exercitus consederint, si ad locorum ordinarios commodus non pateat accessus, aqua tamen prius per aliquem Catholicum antistitem, ut moris est, benedicta; imo etiam, magna urgente necessitate, ut Missæ Dominicis, et aliis festivis diebus celebrari possint, illa etiam a memorato antistite non benedicta.

XIII. Prætérea eidem Capellano Majori per se pariter, vel alium, seu alios ab eo delegandos probos, et idoneos sacerdotes in foro ecclesiastico versatos juxta attestationem et informationem ab eorum ordinario aliisve personis fide dignis per ipsum Capellanum Majorem desuper exquirendam, omnem, et quamcumque jurisdictionem ecclesiasticam exercendi in eos, qui in exercitibus præfatis pro Sacramentorum administratione, necnon spirituali animarum cura, et directione pro tempore inservient, sive clerici, vel presbyteri sæculares, sive quorumvis, etiam mendicantium ordinum regulares fuerint, perinde ac si quoad clericos sæculares, eorum veri præsules, et pastores, quoad regulares vero, illorum superiores generales essent.

XIV. Omnesque causas ecclesiasticas, profanas, civiles, criminales, et mixtas, inter, seu contra prædictas, aliasque personas in exercitibus prædictis commorantes ad forum ecclesiasticum quovis modo pertinentes, etiam summarie, simpliciter, et de plano sine strepitu, et forma judicii, sola facti veritate inspecta, audiendi, ac fine debito terminandi, contra inobedientes quoslibet ad censuras, et pœnas ecclesiasticas, procedendi, aliasque aggravandi, ac etiam sæpius reaggravandi, auxiliumque brachii sæcularis invocandi.

XV. Eisdem insuper Christifidelibus in dictis exercitibus degentibus concedendi licentiam ovis, caseo, butyro, et aliis lacticiniis, ac etiam carnibus Quadragesimæ, et aliis annis temporibus, et diebus, quibus eorum esus est prohibitus (feria sexta, et Sabbato cujuslibet hebdomadæ, ac tota majori hebdomada quoad carnes exceptis) vescendi.

XVI. Ac demum commutandi, relaxandi, dispensandi, et absolvendi respective, prout, et in quantum Episcopis, locorum ordinariis, juxta sacros canones, et Concilii Tridentini decreta, id facere licet, seu permittitur, quoad vota, juramenta, irregularitates, et censuras ecclesiasticas, nempe excommunicationes, suspensiones, et interdicta, necnon quoad omissionem omnium, seu aliquarum ex denunciationibus, quæ matrimoniis personarum ad prædictos exercitus pertinentium, et cum illis commorantium contrahendis præmitti deberent.

XVII. Ad septennium a data præsentium computandum, ac interim ad nostrum, et Sedis Apostolicæ beneplacitum auctoritate apostolica tenore præsentium tribuimus, et impertimur.

XVIII. Volumus autem, ut ii sacerdotes, quos idem Capellanus Major pro Sacramentis etiam parochialibus, militibus, aliisque personis quibuscumque dictorum exercituum ministrandis, ut prædicitur, deputandos duxerit, nullatenus quidem hujusmodi facultatibus uti valeant erga milites præsidiarios, qui continue arcium, seu aliorum locorum custodiæ adscripti sunt; quos eorumdem locorum parochis, et ordinariis in omnibus, et per omnia subesse debere declaramus, sed dumtaxat erga milites, et per-

Digitized by Google

sonas exercituum prædictorum ad vagas belli operationes destinatos, tum ubi in actuali expeditione reperiuntur, tum etiam in quibuslibet accidentalibus, et temporaneis, sive hibernis, sive æstivis, aut etiam præsidialibus stationibus pro tempore detinebuntur; ita tamen ut statim atque iidem sacerdotes, quos Capellanus Major subdelegaverit, ad temporaneas illas stationes pervenerint, litteras testimoniales, tam super eorum Sacerdotio, quam super sua deputatione, ac facultatibus sibi vigore præsentium concessis pro ejusmodi munere exercendo, parochis locorum exhibere debeant, quibus visis hi non impediant, quominus Missam in suis Ecclesiis celebrare, ac in vim earumdem facultatum Sacramenta etiam parochialia ministrare valeant.

XIX. Quod si ex tempore matrimonium inter personas, quarum altera militaris sit, seu ad dictos exercitus pertineat, ibique occasione stationum præfatarum commoretur, altera vero parochi loci subdita reperiatur, contrahi contingat, eo casu nec parochus sine sacerdote hujusmodi, nec vicissim sacerdos sine parocho celebrationi hujusmodi matrimonii assistat, aut benedictionem impertiatur : sed ambo simul atque æqualiter stolæ emolumenta, si quæ licite percipi solent, accipiant, et inter se dividant.

XX. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus, Conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, necnon ordinum, quorum personæ hujusmodi professæ fuerint, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis ordinibus præfatis, vel eorum superioribus, aut singularibus personis quomodolibet concessis, ac approbatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 4 Februarii anno millesimo septingentesimo trigesimo sexto, pontificatus nostri anno sexto.

Pro Domino Cardinali Passioneo
Cajetanus Amatus.

(16. Quod idem fuit iterum ad litteram confirmatum in simili forma brevis a Benedicto XIV die 2 Junii 1741, ut sequitur.

BENEDICTUS PP. XIV,

Ad futuram rei memoriam.

Quoniam in exercitibus Charissimi in Christo filii nostri Caroli Emanuelis Sardiniæ Regis illustris multa sæpe contingere possunt, in quibus pro recta Sacramentorum administratione, salubrique directione, et cura animarum illorum, qui in castris degunt, et versantur, necnon pro cognoscendis, et decidendis inter eos causis, et controversiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus opera, et industria unius, seu plurium personarum ecclesiasticarum opus sit propterea quod non facile ad proprios parochos, et locorum ordinarios, aut ad Nos, et Sedem Apostolicam recursus haberi potest; idcirco Nos supplicationibus ipsius Caroli Emanuelis Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Capellano Majori exercituum hujusmodi ab eodem Carolo Emanuele Rege pro tempore deputato infrascriptas facultates per se, vel alium, seu alios sacerdotes probos, et idoneos per ipsum Capellanum Majorem prævio diligenti ac rigoroso examine repertos, ac approbatos (quatenus jam ab aliquo suo ordinario approbati essent), et ab eodem Capellano Majori subdelegandos erga milites, aliasque utriusque sexus personas ad dictos exercitus (comprehensis etiam copiis auxiliaribus) quomodolibet spectantes tantum exercendas.

I. Videlicet administrandi omnia Ecclesiæ Sacramenta, etiam ea, quæ nonnisi per parochialium Ecclesiarum rectores ministrari consueverunt, præter confirmationem, et ordinem, reliquasque functiones, et munera parochialia obeundi.

II. Absolvendi ab hæresi, apostasia a fide, et schismate in ditionibus dicto Carolo Emanueli Regi subjectis, intra Italiam quidem illos tantum qui in eis locis, ubi hæresis impune grassatur, nati sunt, nec unquam errores judicialiter abjuraverint, vel Sacræ Romanæ Ecclesiæ reconciliati fuerint, extra Italiam vero, et ditiones prædictas quoscumque etiam ecclesiasticos tam sæculares, quam regulares eadem castra sequentes, non tamen eos, qui ex illis locis fuerint, in quibus viget officium inquisitionis adversus hæreticam pravitatem, nisi inibi deliquerint, ubi hæresis impune grassatur, neque etiam illos qui errores judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi similiter grassatur hæresis, et post judicialem abjurationem illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiæ dumtaxat.

III. Absolvendi quoque a quibusvis excessibus, et delictis quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam in casibus Nobis, et eidem Sedi Apostolicæ specialiter reservatis, ac etiam contentis in litteris die Cœnæ Domini quotannis legi solitis.

IV. Retinendi in ditionibus prædictis solummodo, et legendi (non tamen aliis similem licentiam concedendi) libros prohibitos hæreticorum, vel infidelium de eorum religione tractantes, et alios quoscumque ad effectum eos impugnandi, et hæreticos, seu infideles in castris forte degentes ad orthodoxam fidem convertendi, exceptis tamen operibus Caroli Molinæi, Nicolai Macchiavelli, et libris de astrologia judiciaria tractantibus, ac ita ut dicti libri prohibiti ex provinciis, in quibus hæreses impune grassantur, minime efferantur.

V. Celebrandi Missam una hora ante auroram, et alia post meridiem, et si cogat

Digitized by Google

necessitas, etiam extra Ecclesiam in quocumque loco decenti, etiam sub diu, vel sub terra, et gravi omnino urgente necessitate, etiam bis in die (si tamen in priori Missa ablutionem non sumpserit, ac jejunus fuerit), nec non super altari portatili, etiam non integro, seu disfracto, aut læso, et sine sanctorum reliquiis, ac demum si aliter celebrari non possit, et absit periculum sacrilegii, scandali, et irreverentiæ, etiam præsentibus hæreticis, aliisque excommunicatis, dummodo inserviens Missæ non sit hæreticus, vel excommunicatus.

VI. Concedendi primo conversis ab hæresi, vel schismate indulgentiam plenariam, aliis itidem quibuscumque utriusque sexus Christifidelibus ad prædictos exercitus pertinentibus in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt, necnon in Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Paschatis Resurrectionis, ac Assumptionis beatæ Mariæ Virginis immaculatæ festis diebus, vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem.

VII. Singulis autem Dominicis, aut aliis festivis diebus de præcepto relaxandi iis, qui ejus concionibus intervenerint, decem annos de injunctis illis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta; easdemque indulgentias sibi lucrandi.

VIII. Singulis secundis feriis cujuslibet hebdomadæ officio novem lectionum non impeditis, vel eis impeditis, die immediate sequenti, celebrandi Missam de Requiem in quocumque altari, etiam portatili (si aliter celebrari non possit), et per ejus applicationem liberandi animam alicujus ex pie defunctis dictorum exercituum secundum celebrantis intentionem a purgatorii pœnis per modum suffragii.

IX. Deferendi, si in locis versentur, ubi ab hæreticis, vel infidelibus periculum subsit sacrilegii, vel irreverentiæ sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem in prædictis casibus retinendi pro iisdem infirmis in loco tamen apto atque decenti.

X. Induendi (si quandoque in iis partibus degant, per quas propter hæreticorum, vel infidelium insultus aliter transire, vel in illis morari non possent) vestibus sæcularibus, licet sacerdotes etiam regulares fuerint.

XI. Benedicendi quæcumque vasa, tabernacula, vestimenta, paramenta, et ornamenta ecclesiastica, aliaque ad divinum cultum pro servitio eorumdem exercituum dumtaxat necessaria, et pertinentia, exceptis tamen iis, in quibus sacra unctio adhibenda erit.

XII. Reconciliandi Ecclesias, et capellas, ac cœmeteria, et oratoria quomodolibet polluta in illis partibus, in quibus ipsi exercitus consederint, si ad locorum ordinarios commodus non pateat accessus, aqua tamen prius per aliquem Catholicum antistitem, ut moris est, benedicta, imo etiam, magna urgente necessitate, ut Missæ Dominicis, et aliis festivis diebus celebrari possint, illa etiam a memorato antistite non benedicta.

XIII. Præterea eidem Capellano Majori per se pariter, vel alium, seu alios ab eo subdelegandos probos, et idoneos sacerdotes in foro ecclesiastico versatos juxta attestationem, et informationem, ab eorum ordinario, aliisve personis fide dignis per ipsum Capellanum Majorem desuper requirendam omnem, et quamcumque jurisdictionem ecclesiasticam exercendi in eos, qui in exercitibus præfatis pro Sacramentorum administratione, necnon spirituali animarum cura, et directione pro tempore inservient, sive clerici, vel presbyteri sæculares, sive quorumvis, etiam mendicantium ordinum regulares fuerint, perinde ac si quoad clericos sæculares, eorum veri præsules et pastores, quoad regulares vero, illorum superiores generales esset.

XIV. Omnesque causas ecclesiasticas, profanas, civiles, criminales, et mixtas inter, seu contra præfatas, aliasque personas, in exercitibus prædictis commorantes ad forum ecclesiasticum quovis modo pertinentes, etiam summarie, simpliciter, et de plano sine strepitu, et forma judicii, sola facti veritate inspecta, audiendi, ac fine debito terminandi, contra inobedientes quoslibet ad censuras, et pœnas ecclesiasticas procedendi, illasque aggravandi, ac etiam sæpius reaggravandi, auxiliumque brachii sæcularis invocandi.

XV. Eisdem insuper Christifidelibus in dictis exercitibus degentibus concedendi licentiam ovis caseo, butyro, et aliis lacticiniis, ac etiam carnibus Quadragesimæ, et aliis anni temporibus, et diebus, quibus eorum esus est prohibitus (feria sexta et Sabbato cujuslibet hebdomadæ, ac tota majori hebdomada, quoad carnes exceptis) vescendi.

XVI. Ac demum commutandi, relaxandi, dispensandi et absolvendi respective, prout, et in quantum Episcopis, locorum ordinariis, juxta sacros canones, et Concilii Tridentini decreta, id facere licet, seu permittitur, quoad vota, juramenta, irregularitates, et censuras ecclesiasticas, nempe excommunicationes, suspensiones, et interdicta, necnon quoad omissionem omnium, seu aliquarum ex denuntiationibus, quæ matrimoniis personarum ad prædictos exercitus pertinentium, et cum illis commorantium contrahendis præmitti deberent.

XVII. Ad septennium, ac interim ad nostrum, et Sedis Apostolicæ beneplacitum auctoritate apostolica tenore præsentium tribuimus et impertimur.

XVIII. Volumus autem, ut ii sacerdotes quos idem Capellanus Major pro Sacramentis etiam parochialibus, militibus, aliisque personis quibuscumque dictorum exercituum ministrandis, ut præfertur, deputandos duxerit, nullatenus quidem hujusmodi facultatibus uti valeant erga milites præsidiarios, qui continue arcium, seu aliorum locorum custodiæ adscripti sunt, quos eorumdem locorum parochis, et ordinariis in omnibus, et per omnia subesse debere declaramus, sed dum-

Digitized by Google

taxat erga milites, et personas exercituum prædictorum ad vagas belli operationes destinatos, tum ubi in actuali expeditione reperiuntur, tum etiam cum in quibuslibet accidentalibus, et temporaneis sive hybernis, sive æstivis, aut etiam præsidialibus stationibus pro tempore detinebuntur, ita tamen ut statim atque iidem sacerdotes, quos Capellanus Major subdelegaverit, ad temporaneas illas stationes pervenerint, litteras testimoniales tam super eorum sacerdotio, quam super sua deputatione, ac facultatibus sibi vigore præsentium concessis pro ejusmodi munere exercendo, parochis locorum exhibere debeant, quibus visis hi non impediant, quominus Missam in suis Ecclesiis celebrare, ac in vim earumdem facultatum Sacramenta etiam parochialia ministrare valeant.

XIX. Quod si ex tempore matrimonium inter personas, quarum altera militaris sit, seu ad dictos exercitus pertineat, ibique occasione stationum præfatarum commoretur, altera vero parochi loci subdita reperiatur, contrahi contingat, eo casu, nec parochus sine sacerdote hujusmodi, nec vicissim sacerdos sine parocho celebrationi hujusmodi matrimonii assistat, aut benedictionem impertiatur; sed ambo simul atque æqualiter stolæ emolumenta, si quæ licite percipi solent, accipiant, et inter se dividant.

XX. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, necnon ordinum, quorum personæ hujusmodi professæ fuerint, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, ordinibus præfatis, vel eorum superioribus, aut singularibus personis quomodolibet concessis, ac approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. in arce Gandulphi Alban. diœcesis sub annulo Piscatoris die 28 Maii 1746, pontificatus Nostri anno sexto.

D. Card. Passionеus.

Registrat. dal Senato per ordinato de' 4 Luglio 1746.

ADDITIO EX ALIENA MANU.

(17. De variis nominibus Magni Capellani Regum, tum ejusdem diversis temporibus juribus, consule, ubi res postulat, eruditissimum Carafa de Capella Regis, c. 3 et 4. utrobique per tot.

ADDITIONES CASINENSES.

(18. Facultates concessæ Capellanis castrensibus penes Cæs. Reg. Austriacam militiam vi bullæ die 12 Octobris 1780 datæ, et confirmatæ 23 Maii 1815 sunt sequentes.

1. Conceditur facultas, confirmatione et ordinatione exceptis, administrandi omnia Ecclesiæ Sacramenta, etiam ea, quæ nonnisi per parochialium Ecclesiarum rectores ministrari consueverunt, reliquasque functiones, et munia parochialia obeundi.

2. Absolvendi in fore dumtaxat conscientiæ ab hæresi, apostasia a fide, schismate quoscumque, etiam Ecclesiasticos tam sæculares, quam regulares eadem castra sequentes.

3. Absolvendi quoque a quibusvis excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus etiam in casibus Summo Pontifici, et Sedi Apostolicæ specialiter reservatis.

4. Retinendi et legendi, non tamen aliis similem licentiam concedendi, libros prohibitos hæreticorum, vel infidelium de eorum religione tractantes, et alios quoscumque, ad effectum eos impugnandi, et hæreticos, seu infideles in castris forte degentes ad orthodoxam fidem convertendi, ita tamen, ut libri prohibiti ex provinciis, in quibus hæreses impune grassantur, minime asserantur.

5. Celebrandi Missam una hora ante auroram, et aliam post meridiem, et si cogat necessitas, etiam extra Ecclesiam in quocumque loco decenti, etiam sub dio, vel sub terra, et gravi omnino necessitate, etiam bis in die, si tamen in priori Missa ablutionem non sumpserit, ac jejunus fuerit; nec non super altari portatili, etiam non integro, seu diffracto, aut læso, et sine sanctorum reliquiis, ac demum si aliter celebrari non possit, et absit periculum sacrilegii, scandali et irreverentiæ, etiam præsentibus hæreticis aliisque excommunicatis, dummodo inserviens Missæ non sit hæreticus, vel excommunicatus.

6. Concedendi primo conversis ab hæresi, vel schismate indulgentiam plenariam; alias itidem quibuscumque utriusque sexus Christifidelibus ad prædicta castra exercitus pertinentibus, in articulo mortis, saltem contritis, si confiteri non poterunt; necnon in Nativitate Domini Nostri Jesu Christi, Paschatis Resurrectionis, ac Assumptionis B. Mariæ Virginis et immaculatæ festis diebus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, similiter plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam et remissionem singulis autem Dominicis, et aliis de præcepto festivis diebus relaxandi iis, qui ejus concionibus interfuerint, decem annos de injunctis illis, seu aliis quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta, easdemque indulgentias sibi lucrandi.

7. Deferendi in locis, ubi ab hæreticis, vel infidelibus periculum subeat sacrilegii vel irreverentiæ, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem in prædictis casibus retinendi pro iisdem infirmis, in loco tamen apto, atque decenti.

8. Induendi in iis partibus, per quos propter hæreticorum, vel infidelium insul-

Digitized by Google

tus aliter transire, vel in illis morari non licet, vestes sæculares.

9. Benedicendi quæcunque vasa, tabernacula, vestimenta, paramenta et ornamenta ecclesiastica, aliaque ad divinum cultum, pro servitio eorumdem exercituum dumtaxat necessaria, et pertinentia, exceptis tamen iis, in quibus sacra unctio adhibenda est.

10. Reconciliandi Ecclesias et capellas ac cœmeteria et oratoria quomodolibet polluta, in illis partibus, in quibus ipsi exercitus consederint, si ad locorum ordinarios commodus non pateat accessus; aqua tamen prius per aliquem Catholicum antistitem, ut moris est, benedicta; imo etiam magna urgente necessitate, ut Missæ Dominicis et aliis festis diebus celebrari possint, illa etiam a memorato antistite non benedicta.

11. Iis quorum curam habent concedendi licentiam vescendi ovis, caseo, butyro, et aliis lacticiniis, ac etiam carnibus, in quadragesima, et aliis anni temporibus, ac diebus quibus eorum usus est prohibitus, et quidem militibus a decurione, vulgo Feldwebel deorsum, ita ut abstinentiam a carnibus solum teneantur singulis diebus Veneris in quadragesima, et tribus ultimis diebus hebdomadæ sanctæ, officialibus vero ita, ut ad abstinentiam a carnibus solum teneantur omnibus diebus Veneris per totum annum, diebus quoque sabbatinis in quadragesima, et tota hebdomada sancta.

12. Dispensandi, si urgens causa, et prævia dispensatio ex parte magistratus militaris adsit, quoad omissionem omnium, vel aliquarum e denunciationibus, quæ matrimoniis personarum ad prædictos exercitus pertinentium, et cum illis commorantium contrahendis præmitti deberent.

13. Etiam matrimonio, si ex sponsis contrahentibus altera persona militaris, et altera parocho loci subdita sit, simul assistendi, prout ex præscripto supradicti apostolici brevis, nec parochus loci sine Capellano militari, nec hic vicissim sine illo celebrationi ejusdem matrimonii assistere, aut benedictionem impertiri, sed uterque concurrere et assistere debet, atque æqualiter stolæ emolumenta, si quæ licite percipi solent, inter se dividere, nisi per peculiarem conventionem, aut loci consuetudinem parocho civilis sponsæ copulationis actus adjudicatus sit, vel persona civilis a parocho suo ad Capellanum castrensem dato in scriptis testimonio dimittatur.

(19. Benedictus XIV in sua constitutione *Convenit*, edita pridie nonas Julii 1641, quam secutus est IV idus Novembris ejusdem anni *Motus proprius* ejusdem Pontificis, varia concedit privilegia Capellano Majori Regni Neapolitani, spectantia ad opportunam sacramentorum administrationem, et procurandam animarum salutem pro militibus ejusdem regni; quæ etiam artic. 26. Concordati Pium VII inter et Ferdinandum I utriusque Siciliæ Regem confirmata fuerunt, ubi sic legimus: *La curia del Cappellano Maggiore, e la sua giurisdizione, si conterrà*

ne' limiti della costituzione di Benedetto XIV che comincia Convenit, *e del susseguente* Motu proprio *dello stesso Pontefice sul medesimo oggetto.* Ambas Constitutiones huic articulo adjungimus ex opere cui titulus: *Pragmaticæ, Edicta, Decreta, Interdicta, Regiæque Sanctiones Regni Neapolitani*, ut pote non impressas in bullario dicti Pontificis, ubi non invenies constitutiones *privata negotia spectantes.*

BENEDICTUS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Convenit providæ Apostolicæ Sedis benignitati facilem se, et liberalem ostendere in gratiis, et favoribus elargiendis Christianis principibus, qui ex præclaris majorum suorum meritis, et suarum virtutum ornamentis, pietate erga Deum, devotione, et obsequio erga hanc Sanctam Sedem in conspectu omnium splendere noscuntur, piisque eorum votis libenter annuere, quæ ad Dei gloriam, et quietem, ac tranquillitatem sacrorum ministrorum procurandam conducunt, eorum præsertim, qui sacro suarum Capellarum servitio adscripti in regiis aulis versantur, ut Christifidelibus ibidem commorantibus, vel inservientibus sacrosanctæ Ecclesiæ Sacramenta administrent, eosque verbo, et exemplo ad pietatem, et religionem instruant, atque informent. Sane dilectus filius noster Trojanus tituli S. Cæciliæ S. Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis de Acquaviva nuncupatus pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliæ, et Hierusalem cum tota terra citra pharum Regis illustris, et Hispaniarum infantis Nobis nuper exposuit, quod a tempore, cujus memoria non extat, ad capellæ regiæ Capellanum Majorem in toto regno Neapolitano pro tempore existentem non solum cura spiritualis Regiæ familiæ, consanguineorum, affinium, ac omnium personarum in curia, seu aula Neapoli existente commorantium, ipsamque curiam sequentium pertinet; sed et in quibusvis civitatibus, oppidis, et locis, in quibus Rex pro tempore existens, regiaque familia residere contigerit continue, vel ad tempus, curam animarum familiæ regiæ, omniumque, et singularum personarum tam ex propriis regnis, et dominiis originem habentium, quam extraneorum cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis, et præeminentiæ existentium, tam ecclesiasticorum, quam sæcularium, (Archiepiscopis et Episcopis exceptis,) et insuper omnium militum, et officialium, aliarumque personarum cujuscumque ordinis et gradus in castris, arcibus, seu fortalitiis, exercitibus, necnon in triremibus, navibus, ratibus, aliisque hujusmodi maritimis lignis regio famulatui inservientium et militantium, exercere, earumque rector in spiritualibus nuncupari, easque corrigere, et visitare, ac in easdem omnimodam jurisdictionem ordinariam, omnia et singula alia, quæ Archiepiscopi et Episcopi, ac alii locorum ordinarii in diœ-

Digitized by Google

cesibus suis de jure vel consuetudine, aut alias quomodolibet facere, et exercere consueverunt, idem Capellanus in prænominatas personas non solum in regia capella, et palatio, sed in omnibus aliis supranominatis ac designatis locis exercere, vel per se, vel per alios ministros, et Capellanos a se deputatos solet. Cum autem ex hujusmodi facultatum usu, et exercitio plura dubia, quæstiones, et dissidia inter Archiepiscopos, et Episcopos regni Neapolitani, et prædictum Capellanum Majorem exorta fuerint, quæ adhuc vigent, et graviora in diem non sine fidelium scandalo timeri possunt, nomine prædicti Caroli Regis pro eximia sua pietate hujusmodi malo congrua adhibere remedia cupientis, supplicavit, ut omnes et singulas facultates, jura, et prærogativas in quascumque personas, et in quibusvis locis, Capellano Majori totius regni Neapolitani pro tempore existentis ex antiqua et immemorabili consuetudine, vel etiam ex indulto, et privilegio Sedis Apostolicæ, vel alia quacumque ratione competentes, nostræ confirmationis robore communire, easque nominatim, et expresse designare, earumque terminos, et limites præscribere, et definire, et quatenus opus sit, de novo rursus concedere, et elargiri dignaremur, atque alias salubriter providere ad tollendas omnes controversias, et dissensiones abolendas, prout in Domino conspicimus expedire. Nos, qui de præmissis omnibus sufficienter instructi sumus, supplicationibus prædicti Caroli Regis humiliter Nobis a prædicto Cardinali de Acquaviva porrectis inclinati, et laudabili ejus desiderio, et commendabili pro pace, et concordia inter sacros ministros retinenda, fovendaque studio satisfacere volentes, eumque gratiis, et favoribus prosequi singularibus cupientes, etiam omnium disputationum, et jurgiorum causas prorsus eliminare, ac periculis, quæ exinde fidelium animabus imminere possunt, opportune occurrere; et præterea dirigentes considerationis nostræ intuitum ad personam venerabilis fratris nostri Cœlestini Archiepiscopi Thesalonicensis moderni Capellani Majoris in toto regno Neapolitano, ejusque successorum, quos a provida dicti Caroli Regis, et Hispaniarum infantis, suorumque in prædicto regno successorum vigilantia, et prudentia ei non absimiles electum iri minime dubitamus, in ejus, eorumque probitate, zeloque divini cultus, et in rebus ecclesiasticis peritia ac scientia, recte ac prudenter hujusmodi facultatibus, indultis, privilegiis, gratiis, et concessionibus ad decorem domus Dei, et animarum salutem usuros esse, minimeque in subversionem ecclesiasticæ disciplinæ, et perturbationem episcopalis jurisdictionis abusuros, certo confidimus, et in Domino obsecramus. Propterea abrogatis in futurum, et penitus submotis quibuscumque, quæ contra et præter præsentium tenorem hactenus quomodolibet observata, vel prætensa fuerunt, ex certa scientia, et matura deliberatione nostra, deque apostolicæ potestatis plenitudine, adhibito etiam nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, tenore præsentium volumus, et decernimus.

I. Ut regia Capella in regali palatio Neapoli existens omnia et singula jura, et prærogativas, excepto tamen jure asyli, quibus publicæ Ecclesiæ fruuntur, habeat, ac potiatur, in eaque liceat divina officia, horasque canonicas ad Breviarii ac Missalis Romani regulam, et formam, Romanumque morem, et usum recitare, et Missas per unam horam ante auroram, et unam post meridiem celebrare, seu recitari, et celebrari facere; in eaque sacram Eucharistiam in sacra custodia, seu Tabernaculo decenter, et cum debito honore, et veneratione retinere; illamque pro gratiarum actione, vel ad divinam opem implorandam, vel pro alia quacumque necessaria causa, et in festo Corporis Christi, et per totam ejus octavam publice fidelium venerationi exponere, et in uno ejusdem octavæ die circum eamdem capellam processionaliter deferre; in quinta autem, et sexta feria majoris hebdomadæ sacrum Domini Nostri Corpus, in sacra custodia, seu urna reponere, et pro religioso Ecclesiæ more monumentum, sepulturamque ejusdem Christi Domini, luminibus adhibitis, repræsentare. Præterea non solum in eadem regia capella, sed in omnibus capellis castrorum, seu fortalitiorum sacra olea, et tempore navigationis oleum extremæ unctionis in regiis triremibus, et navibus bellicis congruo honore, et reverentia servare, et custodire.

II. Insuper ut dictus Carolus rex, ejusque in regno Neapolitano successores facultatem habeant nominandi, et eligendi sacerdotem sæcularem, vel regularem ab Episcopo suo approbatum, et in Romanæ Ecclesiæ communione viventem, qui munere Capellani Majoris in toto regno Neapolitano fungi, et pro majore officii sui decore, habitu, seu veste prælatitia, quam in Romana curia prælati, sive regulares, sive sæculares gestare solent, pro sua conditione ac statu uti, absque tamen gestatione crucis in pectore more Episcoporum, nisi sit in eadem episcopali dignitate constitutus, possit; et insuper ab omni ordinaria jurisdictione exemptus, dumtaxat Nobis et Sedi Apostolicæ immediate subjectus existat. Tum etiam ut eidem Carolo Regi ejusque in regno successoribus, vel eorum proregibus, vel per seipsos, vel per dictum Capellanum Majorem alios inferiores Capellanos, et scholares eligere, et deputare liceat pro servitio tam regiæ capellæ, quam pro indigentia hospitalium, militum, et classiariorum, regiorum castrorum, seu arcium, exercituum, triremium, navium, aliorumque hujusmodi lignorum maritimorum actu, et revera Regi inservientium, dummodo tamen personæ eligendæ se de nullo crimine inquisitos esse, testimoniales litteræ suorum respective ordinariorum, ac superiorum exhibeant. Hujusmodi vero omnes clerici, et sacerdotes regio servitio adscripti, eo durante, a locorum ordinariorum juris-

Digitized by Google

dictione prorsus exempti, solum præfato Capellano Majori subjecti sint, quemadmodum per præsentes exemptos, et respective subjectos esse declaramus. Itaque idem Capellanus Major omnes, et singulas controversias, lites et causas tam civiles, quam criminales, seu mixtas, atque etiam beneficiales, exceptis tamen causis hæresis, tum omnes causas excipimus a sacris canonibus, et apostolicis constitutionibus Summo Pontifici privative reservatas, contra dictos Capellanos, clericos, et scholares dictæ capellæ in ea actu servientes, nec non in dictis castris, arcibus, seu fortalitiis, aliisque locis constitutos clericos, et Capellanos ibidem et actu inservientes, extra tamen Romanam curiam, motas, vel movendas, tam in prima, quam in secunda, et tertia instantia audire, cognoscere, fineque debito, omni appellatione remota, pro justitia terminare possit; ita tamen ut a dicto Carolo Rege, ejusque in regno successoribus loco ordinarii assessoris alii novi consultores tam in secunda, quam in tertia instantia, singuli in singulis eo modo, qui nunc servari solet, nisi gravitas causæ plures in qualibet instantia eligendos exigat, destinentur: et quicumque locorum ordinarii, aut alii judices nec eidem Majori Capellano inhibere, nec in prædictos inferiores Capellanos, clericos, et scholares in eadem capella actu servientes, ac alios in eisdem fortalitiis constitutos, et constituendos, et ibi residentes, et actu inservientes Capellanos, et clericos, tanquam ab illorum jurisdictione prorsus exemptos, et totaliter liberatos, et dicto Capellano Majori dumtaxat immediate subjectos, ullam penitus superioritatem, dominium, et jurisdictionem prædictis respectibus exercere, aut se de illis quomodolibet intromittere valeant; sed prædicti Capellani, scholares, et aliæ personæ ecclesiasticæ ejusdem capellæ, et fortalitiorum, exercituum, triremium, et locorum hujusmodi coram eodem Capellano Majori, seu ab eo subdelegato judice dumtaxat in omnibus causis tam motis, quam movendis extra Romanam curiam de justitia respondere teneantur.

III. Ad hoc vero, ut præfatorum exemptorum numerus in immensum, et plus quam oportet, non augeatur, et nimium præjudicium inferatur jurisdictioni ordinariorum, eidem Capellano Majori vigore suarum facultatum non liceat alios clericos, et Capellanos designare, et deputare, nisi eos, qui actuali servitio Ecclesiarum, exercituum, regiarumque navium necessarii sunt; qui in castris, seu fortalitiis totius regni, ejusque pertinentiis duo, aut tres in unoquoque castro, seu fortalitio esse debeant. In exercitibus autem, triremibus, navibus, aliisque lignis maritimis, quæ regi actu inserviunt, itemque in hospitalibus militum, et classiariorum illi solum, qui non modo actu inserviunt, sed etiam stipendia a Rege percipiunt In capella autem regia, et in castris, seu fortalitiis in civitate Neapolitana existentibus solum Capellani, scholares, et clerici, qui actu serviunt; ita tamen, ut scholarium numerus actu regiæ capellæ inservientium ultra decem, et Ecclesiæ parochiali S. Sebastiani ultra quatuor non egrediatur; omnium autem aliorum Capellanorum, et clericorum, comprehensis etiam Capellanis honorariis, numerum nonaginta, ita ut omnes Capellani, scholares, et clerici regiæ Capellæ servitio addicti, castrorum seu fortalitiorum urbis Neapolitanæ, ejusque adjacentium, connumeratis etiam Capellanis honorariis, centum numerum non excedant: præter quem numerum si eidem Carolo Regi, ejusque successoribus alios addere necessarium visum fuerit, id speciali dumtaxat ipsius Regis rescripto fiat, in cujus pietate, eorumque successorum certam fiduciam habemus, si opus fuerit, seligendos fore probos ecclesiasticos viros, litteras testimoniales suorum respective ordinariorum, ut præfertur, habentes, qui morum probitate aliis ædificationi esse possint, et eo tantum numero, qui ad divinum cultum promovendum, et ad inserviendum regiæ devotioni, et pietati necessarius omnino, et conveniens reputabitur; et ulterius cujuslibet additorum nota curiæ archiepiscopali eam requirenti per Capellanum Majorem statim, ac sine ulla mora, et dilatione tradatur.

IV. Præterea volumus, et constituimus, quod ad eumdem Capellanum Majorem pro tempore existentem pertineat directio, et superintendentia circa celebrationem divinorum officiorum, aliarumque ecclesiasticarum functionum, quæ in eadem regia capella peragi consueverunt, et tam in ipsa, quam in Ecclesia Sancti Sebastiani, sita in arce seu castronovo, etiamsi episcopali dignitate non sit insignitus, mitra, annulo, et baculo pastorali, ac aliis pontificalibus insigniis hujusmodi uti, nec non solemnem benedictionem post missarum, vesperarum, matutinorum, et aliorum divinorum officiorum solemnia super populum tunc interessentem impertiri, et ducentorum dierum, si præsens Rex aut Regina fuerit, si autem prorex, centum dierum de injunctis sibi, aut quomodolibet debitis pœnitentiis indulgentiam, et remissionem ab omnibus fidelibus ibi præsentibus vere contritis et confessis consequendam auctoritate apostolica concedere, et publicare possit: in aliis vero Ecclesiis, nisi coram Rege aut Regina, aut prorege, et dummodo Episcopus loci in eadem Ecclesia præsens non adsit, qui per se ipsum ea peragere desideret, ac velit, et insuper in cathedralibus, et Metropolitanis, nisi ab ordinario licentia obtenta, pontificalia exercere nequeat.

V. Liceat autem eidem Capellano in quibuscumque collegiatis, parochialibus, et aliis inferioribus Ecclesiis sæcularibus, et quorumvis ordinum regularibus, etiam monialium in eodem regno constitutis, non autem in Ecclesiis cathedralibus, seu metropolitanis, nisi de expressa suorum ordinariorum licentia, ad quas eumdem Regem, vel Reginam, aut proregem pro tempore existentem devotionis, aut alia ex causa declinare contigerit, per se, aut alios Capel-

Digitized by Google

lanos cum scholaribus, et capellæ prædictæ ministris divina officia, et Missas tam privatas, quam solemnes celebrare, aut celebrari facere.

VI. Quotiescumque vero in eadem regia capella, et Ecclesia parochiali Sancti Sebastiani, in aliis autem Ecclesiis cum Rex, aut regina, aut prorex præsentes aderunt, et Episcopus loci in eadem Ecclesia præsens non reperiatur, verbum Dei annuntiare opus fuerit, in ejus arbitrio sit, quemcumque velit, et idoneum censuerit, Evangelii concionatorem accersire sive sæcularem, sive regularem, dummodo is ab hujusmodi prædicationis officio, si sæcularis sit, a suo ordinario, et ab Episcopo loci, si vero regularis, a suo superiore regulari suspensus, et interdictus non fuerit; sed in Ecclesiis, et capellis ejus jurisdictioni subjectis, in quibus Rex, aut Regina præsentes non aderunt, idem Capellanus Major concionatorem eligat, qui tamen alias per Episcopum, si sæcularis fuerit, si vero regularis, etiam per ejus superiorem regularem ad verbum Dei prædicandum approbatus sit, ac licentiam, vel benedictionem juxta Concilii Tridentini decreta ab ipso ordinario obtinere teneatur.

VII. Si vero Capellanus Major sit in episcopali, seu archiepiscopali dignitate constitutus, prædictis scholaribus regiæ capellæ, et Ecclesiæ parochialis Sancti Sebastiani dumtaxat conferre primam tonsuram, ac deinceps ad omnes ordines minores, atque etiam ad ordines majores, seu sacros juxta sacrorum canonum præscripta, et apostolicarum constitutionum regulas promovere; sin minus, datis litteris testimonialibus super eorum ætate, vita, et moribus, titulo ordinationis, et idoneitate scientiæ, eos remittere ad proprios ordinarios ab ipsis promovendos: si autem non sint Episcopi, aut ordinationes non habeant, a quocumque alio Episcopo in regno Neapolitano existente, dummodo non sit Episcopus titularis, et prænominati scholares habeant omnes, et singulas qualitates clericis promovendis in regno Neapolitano præscriptas in novissimis concordatis inter Sedem Apostolicam, et dictum Carolum Regem, et insuper in supradicta regia capella, aut Ecclesia parochiali Sancti Sebastiani per triennium continuum actu inservierint: præterea per se, aut alios a se deputatos ejusdem regiæ capellæ Capellanos, scholares, et clericos, qui propter violentam manuum injectionem in alios clericos, citra tamen membrorum mutilationem, aut enormem læsionem, sententiam excommunicationis incurrerint, et hujusmodi sententia ligati Missas, et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, irregularitatem aliquam contraxerint, ab eadem sententia excommunicationis, injuncta eis pro modo culpæ aliqua pœnitentia salutari in forma Ecclesiæ consueta, absolvere, et super irregularitate prædicta dispensare, omnemque inhabilitatis, et infamiæ maculam, sive notam per eos propterea contractam abolere libere, ac licite possit, et valeat, et respective possint et valeant.

VIII. Insuper ut idem Capellanus Major pro tempore existens Regum, Reginarum, ac filiorum, et singulorum utriusque sexus ipsorum familiarium, ubicumque Rex, aut regia curia, seu aula fuerit, etiam ruri recreationis causa, qui eis actu inservientes sint, et eorum impensis, uti familiares continui commensales, viventes, et aliorum omnium, qui in regio palatio, et viridario, et in navali, seu interiori portus parte, vulgo *Darsena*, et in castris, seu fortalitiis clausis Neapolitanæ civitatis, ejusque adjacentiis, nempe in Castro Novo, in Castro Ovi, et in Castro S. Herami, Bajæ, et Hischiæ, et in omnibus aliis locis supra nominatis ejusdem Capellani jurisdictioni subjectis morantur, et degunt, donec, et quousque in iisdem locis commorentur, animarum curam gerat; æque, ac sit eorum rector, et proprius parochus existeret, et per se, vel alium, seu alios presbyteros sæculares, vel quorumvis ordinum regulares de superiorum suorum licentia, prævio tamen examine ab eodem Capellano Majori approbandos, et salva Regi, et Reginæ facultate eligendi sibi proprium confessarium arbitrio suo ex presbyteris ab eodem Capellano Majori approbatis, supradictorum omnium confessionem audire, eisque Sacramenta administrare, etiam in mortis articulo; et tempore interdicti eorum corpora ecclesiasticæ tradere sepulturæ, dummodo ipsi causam interdicto non dederint, neque per eos steterit, quominus interdicto pareatur.

IX. Matrimoniis etiam celebrandis, factis tamen prius denuntiationibus, seu proclamationibus a Concilio Tridentino requisitis, si uterque contrahens in locis præsignatis habitent, et morentur; si vero mulier ibi domicilium non habuerit, denuntiationes, seu proclamationes pro parte mulieris fiant, et matrimonium celebretur in parochiali Ecclesia, intra cujus fines ipsa mulier commoratur; si autem aliqui ex prædictis exteri fuerint, capta prius per loci ordinarium informatione, ac ab eodem decreto gratis obtento, quod inter eos licite matrimonium celebrari valeat, similiter idem Capellanus Major, vel alius, seu alii ab eo deputandi, nulla alterius parochi licentia requisita, solemniter interesse: insuper filios infantes in iisdem locis natos, necnon Judæos, seu Turcas, sufficienter tamen prius cathechizatos, quos in eorumdem Regum præsentia ex quavis causa baptizari oportuerit, aut prædicti Reges tenere, seu suscipere voluerint, baptizare; ita tamen, ut baptizatorum, parentumque, ac compatrum, et commatrum, necnon matrimonio simul junctorum nomina describantur in libro, quem idem Capellanus Major, vel quisque Capellanus curatus in singulis prædictis locis habere, et penes se retinere debeat, ex quo ad omnem ordinariorum locorum, et partium requisitionem fides, seu attestationes in forma solita tradantur.

X. Capellanos, et presbyteros juxta numerum, ac modum supra stabilitum, ad audiendas confessiones pro militaribus copus

Digitized by Google

tam Regis propriis, quam auxiliaribus, tam in regno utriusque Siciliæ, quam extra ubicumque ab eis iter faciendum, vel morandum esse contigerit, tum etiam pro servitio triremium, et regiarum navium, et personarum in eis existentium deputatos, prævio examine, cæterisque servari solitis, approbare, et omnia parochialia Sacramenta existentibus militibus in actuali itinere, et expeditione contra hostes per eosdem administrari facere. Si autem milites in stationibus sint, præfati Capellani exhibere teneantur litteras patentes ejusdem capellani Majoris super eorum approbatione locorum ordinariis, seu eorum Vicariis Generalibus, si præsentes adsint; si vero absentes, parochis, in quorum parochiis castra, seu stationes militum prædictorum positæ sunt, a quibus licentia parochialia munera peragendi impertiri, et nullatenus, iisdem litteris inspectis, denegari possit. Matrimonia autem coram parocho loci cum interventu Capellani militum celebrentur, et quoad alia omnia Sacramenta, et functiones parochiales peragantur a parochis locorum, dummodo vocati interesse non recusent. Si autem adesse noluerint, liceat Capellano militum easdem functiones obire cum dimidia parte emolumentorum, quæ de jure integra ad parochum loci spectarent; eademque omnia pro militibus stationariis præscripta, quoad milites in castris, seu fortalitiis regni non clausis existentes, et proprium parochum non habentes, omnino serventur.

XI. Eosdem autem milites, ac officiales, tempore tamen actualis expeditionis dumtaxat belli actu existentis contra hostes, a crimine hæresis, apostasiæ a fide, vel per se, vel per alios absolvere, ea tamen lege et conditione, ut hujusmodi facultas in Italia, ejusque insulis adjacentibus quoad eos dumtaxat locum habere debeat, qui nati sunt in locis, ubi hæresis impune grassatur, nec unquam errores judicialiter abjuraverint, vel sanctæ Romanæ Ecclesiæ reconciliati fuerint.

XII. Omnibus insuper personis utriusque sexus in militaribus copiis existentibus, dum actualis expeditio contra hostes habetur, tam quadragesimalibus, quam aliis anni temporibus, et diebus, quibus usus carnium, ovorum, casei, butyri, et aliorum lacticiniorum est prohibitus, eisdem ovis, caseo, butyro, et aliis lacticiniis, atque etiam carnibus, excepta tamen quoad carnes hebdomada sancta, et omnibus diebus Veneris, et Sabbati totius anni, et servata forma jejunii, quatenus pro locorum, temporum, et personarum conditione fieri potest, præscripta in nostris litteris novissime editis sub datum Romæ die 30 Maii 1741, utendi, et vescendi licentiam impendere.

XIII. Insuper triremibus, et navibus pro Regis usu ac servitio noviter constructis, tum etiam vexillis, aliisque rebus hujusmodi ad militiam spectantibus benedictionem in forma Ecclesiæ solita impertiri.

XIV. Et demum omnibus supranominatis personis utriusque sexus ejusdem Capellani Majoris curæ in spiritualibus commissis ab observatione diei festi, si aliquod urgens opus in supra designatis locis, nempe in regia aula, et palatio, in castris clausis civitatis Neapolitanæ, in navali, seu interiori portus parte, vulgo *Darsena*, in hospitalibus classiariorum, et militum, aliisque hujusmodi facere necesse fuerit, dispensationem, cum obligatione tamen audiendi Missam, et aliquod aliud pium opus, quoad tempus, et occupatio, et personarum conditio sinet, obeundi concedere. Illos insuper per se vel per alios ecclesiasticos viros probos, et prudentes visitare, et corrigere, atque in eosdem omnimodam jurisdictionem ordinariam atque omnia alia, quæ pro bona animarum curæ directione Archiepiscopi, et Episcopi, ac alii locorum ordinarii in suis respective diœcesibus facere consueverunt, iis dumtaxat exceptis, quæ ad exercitium ordinis episcopalis pertinent, quæ in regia aula tantum, ubi Rex, et Regina, seu prorex totius regni moratur, et in Ecclesia parochiali Sancti Sebastiani ab eo, si sit Episcopus, peragi posse volumus, et constituimus, libere facere, et exercere; iisdem omnibus, et singulis a quibuscumque eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis quamtumvis gravibus, et enormibus, etiam Episcopis, et locorum ordinariis reservatis, de quibus ore confessi, et corde contriti fuerint, salutari pœnitentia pro modo, et gravitate culpæ imposita, debitam absolutionem vel per se, vel per alios impendere, et elargiri libere, ac licite possit, et valeat, auctoritate apostolica, scientia, et potestate prædicta concedimus, et indulgemus.

XV. Decernentes præsentes litteras, et in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore de subreptionis, aut obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quovis etiam quamtumvis magno et inexcogitato, et substantiali defectu, etiam ex eo quod super præmissis solemnitates, et alia quævis servanda, et adimplenda minime fuerint, aut ex alio quolibet capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, aut quocumque alio colore, vel causa etiam tali, quæ ad effectum valididitatis prædictorum specialiter exprimenda foret, notari, impugnari, aut in jus, vel in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, gratiæ, et justitiæ remedium impetrari non posse; sed illas semper et perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, ac perpetuo observari: sicque, et non aliter per quoscumque judices quavis auctoritate fungentes, etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, et causarum palatii apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, interpretrandi, et definiendi facultate, et auctoritate, ubique, et in quacumque instantia, interpretrari, judicari, et definiri debere, irritum quodcumque, et inane quidquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis

Digitized by Google

apostolicis, necnon in provincialibus, vel generalibus conciliis editis constitutionibus, et ordinationibus, necnon quibusvis Ecclesiarum, et monasteriorum, et ordinum quorumlibet, atque etiam dictæ Ecclesiæ Neapolitanæ, juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque et indultis, et litteris apostolicis contra præmissa quomodolibet editis, concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia singularis forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores perinde, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, præsentibus inserti forent, pro plene et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie ad effectum præmissorum scientia, et potestatis plenitudine similibus derogamus, et ad plenum derogatum esse volumus, et declaramus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus denique, mandamus, et decernimus, quod tam ipse Capellanus Major, quam alii supradicti de cætero nullis aliis, præterquam supra expressis facultatibus, privilegiis, gratiis, et indultis, et quoad personas, res, loca et casus supra expressos dumtaxat respective uti valeant, nec etiam aliam ipse Capellanus Major, quam supra expressam jurisdictionem, et superioritatem in Ecclesiis, et capellis, ac personis hujusmodi habere, exercere, vel vindicare, aut prætendere, etiam vigore extensionis, seu comprehensionis, seu etiam rationis majoritatis, aut sub prætextu cujuscumque privilegii, aut indulti præsertim Leonis X aut quorumcumque aliorum prædecessorum nostrorum, seu regaliæ, aut possessionis etiam immemorabilis, et tituli ex ea resultantis, scientia, patientia, et tolerantia quorumcumque superiorum, et ordinariorum, etiam Sedis Apostolicæ, roboratæ, nequaquam possit. Nos enim quascumque alias facultates, exemptiones, privilegia, gratias, et indulta per quoscumque Romanos Pontifices, et præsertim Leonem prædictum, prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam capellæ regiæ, Capellano Majori, aliisque suprascriptis personis hactenus concessa, litterasque apostolicas etiam in forma brevis, aut sub plumbo, aut alias quomodolibet, et quibusvis clausu'is, et conditionibus desuper expeditas, motu proprio, scientia, et potestatis plenitudine paribus perpetuo revocamus, annullamus, cassamus, et abolemus, ac revocata, annullata, cassa, et abolita esse declaramus, et quamcumque quasi possessionem etiam immemorabilem, et centenariam et ultra improbamus; ita ut nunquam in judicio, aut extra allegari, aut ad effectum aliquem eis suffragari possint: salvis tamen omnibus juribus, prærogativis, privilegiis, et facultatibus in scholares, lectores, aliasque personas regiæ universitatis

studiorum Neapoli existentis, tum etiam quoad causas, et personas, rectores, seu possessores nonnullorum beneficiorum, et Ecclesiarum, vel iisdem Ecclesiis inservientes, quæ ad nominationem, seu præsentationem, aut jus patronatus regium spectant, ab immemorabili tempore eidem Capellano Majori, ut asseritur, competentibus, quæ per præsentes neque approbare, neque eis ullatenus derogare intendimus.

Cæterum quia difficile foret, præsentes nostras litteras ad singula loca, ubi fortasse opus erit, deferri, volumus, ut earum exemplis etiam impressis, manu tamen publici notarii subscriptis, et prædicti Capellani Majoris sigillo munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, privilegii, indulti, decreti, mandati, declarationis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo pridie nonas Julii, pontificatus nostri anno primo. P. Cardinalis Aldrovandus Prodat. Pro D. Cardinali Passioneo. Cajetanus Amatus. Visa de Curia. N. Antonellus. J. B. Eugenius.

BENEDICTUS PP. XIV.

MOTU PROPRIO.

Cum alias per nostras litteras sub plumbo, datas Romæ apud S. Mariam Majorem pridie nonas Julii, pontificatus nostri anno primo, ad supplicationem carissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliæ et Jerusalem cum tota terra citra pharum Regis illustris, et Hispaniarum infantis, varias et diversas facultates venerabili fratri nostro Cœlestino Archiepiscopo Thessalonicensi moderno Capellano Majori ejusque successoribus concesserimus, inter cæteras, ut Capellanos, et presbyteros, juxta numerum, ac modum in iisdem litteris stabilitum, ad audiendas confessiones pro militaribus copiis tam Regis propriis, quam auxiliaribus, tam in regno utriusque Siciliæ, quam extra, ubicumque ab eis iter faciendum, vel morandum esse contingeret, prævio examine, cæterisque servari solitis, approbare; et omnia parochialia Sacramenta existentibus militibus in actuali itinere, et expeditione contra hostes per eosdem administrari facere, necnon eosdem milites ac officiales tempore actualis expeditionis a crimine hæresis, apostasiæ a fide, vel per se, vel per alios absolvere: omnibus insuper personis utriusque sexus in militaribus copiis existentibus, tam quadragesimalibus, quam aliis anni temporibus et diebus, quibus esus carnium, ovorum, casei, butyri, et aliorum lacticiniorum est prohibitus, eisdem ovis, caseo, butyro, et aliis lacticiniis, atque etiam carnibus, exceptis tamen qui-

Digitized by Google

busdam diebus, et servata forma jejunii a Nobis præscripta, utendi, et vescendi licentiam impendere : iisdemque omnibus et singulis dispensationem ab observatione diei festi, si aliquod opus faciendum necessario fuerit, concedere: et præterea a quibuscumque eorum peccatis, criminibus, excessibus, et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam Episcopis et locorum ordinariis reservatis, de quibus ore confessi, et corde contriti fuerint, salutari pœnitentia pro modo et qualitate culpæ imposita, debitam absolutionem vel per se, vel per alios impendere, et elargiri libere ac licite possit et valeat, prout latius in præfatis litteris nostris continetur; quarum tenores hic pro sufficienter insertis, et expressis haberi volumus. Cum autem postea a præfato Archiepiscopo Thessalonicensi Nobis expositum fuerit, ad opportunam Sacramentorum administrationem, et procurandam animarum salutem pro militibus in actuali expeditione contra hostes existentibus, nonnullis aliis facultatibus, per se, vel per alios ecclesiasticos viros exercendis, omnino indigere; Nos animarum saluti, quantum in Domino possumus, consulere cupientes, motu simili, etc., eidem venerabili fratri nostro Cœlestino Archiepiscopo, ejusque successoribus in dicto regno utriusque Siciliæ Capellanis Majoribus pro tempore concedimus et impartimur infrascriptas etiam facultates, ad nostrum, et Sedis Apostolicæ beneplacitum duraturas, per se, vel per alium, seu alios sacerdotes probos et idoneos, et juxta formam in præfatis litteris nostris præscriptam approbatos, ab eodem Capellano Majori subdelegandos, pro militaribus tamen copiis, tam propriis dicti Regis, quam auxiliaribus, in actuali expeditione contra hostes existentibus dumtaxat, non autem in hibernis, aut præsidiis commorantibus, exercendas; videlicet absolvendi omnes et singulas personas in iisdem copiis militaribus existentes a quibuscumque eorum peccatis, et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, non solum Episcopis et locorum ordinariis, sed etiam Nobis et eidem Sedi Apostolicæ specialiter reservatis, et reservari solitis : commutandi, relaxandi, dispensandi, et absolvendi respective, prout et in quantum Episcopis et locorum ordinariis juxta sacros canones, et Concilii Tridentini decreta id facere licet et permittitur, quoad vota, juramenta, irregularitates, et censuras ecclesiasticas, nempe excommunicationes, suspensiones, et interdicta; necnon quoad omissionem omnium, seu aliquarum ex denuntiationibus, quæ matrimoniis personarum, ad prædictas copias pertinentium, et cum illis commorantium, contrahendis præmitti deberent; concedendi quibuscumque utriusque sexus Christi fidelibus, ad prædictas copias pertinentibus, in articulo mortis, saltem contritis, si confiteri non poterunt, necnon in Nativitate Domini nostri Jesu Christi, Paschatis Resurrectionis, et Assumptionis B. Virginis festis diebus, vere pœnitentibus et confessis, ac sacra communione refectis plenariam omnium

suorum peccatorum indulgentiam et remissionem : singulis autem diebus Dominicis, et aliis quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta : celebrandi Missam una hora ante auroram, et alia post meridiem, et si cogat necessitas, etiam extra Ecclesiam in quocumque loco decenti, etiam sub dio, et sub terra, et gravissima omnino urgente necessitate, etiam bis in die, si tamen in priori missa ablutionem non sumpserit, ac jejunus fuerit; necnon super altari portatili, et non integro, seu aliqua in parte fracto, aut læso, et sine sanctorum reliquiis, ac demum, si aliter celebrari non possit, et absit periculum sacrilegii, scandali, et irreverentiæ, etiam præsentibus hæreticis, aliisque excommunicatis : benedicendi quæcumque vasa, tabernacula, vestimenta, paramenta, et ornamenta ecclesiastica, aliaque ad divinum cultum pro servitio earumdem copiarum dumtaxat necessaria, et pertinentia; exceptis tamen iis, in quibus sacra unctio adhibenda erit : reconciliandi Ecclesias, capellas, et cœmeteria, ac oratoria quomodolibet polluta, in illis partibus, in quibus ipsæ copiæ consederint, si ad locorum ordinarios commodus non pateat accessus, aqua tamen prius per aliquem Catholicum antistitem, ut moris est, benedicta, imo etiam magna urgente necessitate, ut Missæ Dominicis, et aliis festivis diebus celebrari possint, illa etiam a memorato antistite non benedicta. Demum celebrandi Missam de Requiem in quocumque altari, etiam portatili, si aliter celebrari non possit, et per ejus applicationem liberandi animam alicujus ex pie defunctis dictarum copiarum, secundum celebrantis intentionem, a purgatorii pœnis per modum suffragii. Cæterum cum facultates prædictæ ad animarum salutem admodum pertineant, præsentes, et desuper conficiendas litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quoquam alio defectu notari, vel impugnari posse, sed eas validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, apostolica auctoritate decernimus. Non obstantibus quibusvis apostolicis, etiam in universalibus, provincialibus, et synodalibus Conciliis editis, vel edendis, generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, quibusvis superioribus, et personis in genere, vel in specie, etiam motu pari, etc., concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis. — *Fiat. Motu proprio P.* — Et cum absolutione a censuris ad effectum, etc. et quod aliæ dicti Capellani Majoris concessiones et facultates habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in litteris, et de concessione et impartitione hujusmodi, aliisque præmissis, ut supra latissime extensis, et quod præmissorum omnium, et singulorum, aliorumque necessariorum major, et verior sp. et expositio

Digitized by Google

fieri possit in litteris per viam de curia, ut vocant, si videbitur, expediendis, aut sola præsentis schedulæ motus proprii Nostri signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in judicio, et extra illud, regula quacumque contraria non obstante.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem IV idus Novembris, anno secundo.

CAPILLITIUM FICTITIUM.

Vide verb. Coma fictitia *per totum.*

CAPITULUM.

SUMMARIUM.

Articulus I. — *Quoad ea quæ concernunt Capituli convocationem, seu Congregationem.*

1. Capituli convocatio est facienda juxta solitum. — 2. Capituli convocatio spectat ad majorem, et digniorem. — 3. Etiamsi major, seu dignior non sit in ordinibus sacris constitutus, nec votum habeat, adhuc ad eum spectat convocare Capitulum, proponere negotia decidenda, et suffragia collegialium votantium colligere. — 4. Aliquando convocatio Capituli ex consuetudine potest spectare alternatim ad duos. — 5. Per hoc, quod convocatio spectet ad majorem, seu digniorem, non est refrenatum arbitrium Capitulo illud congregandi. — 6. Convocator Capituli non tenetur explicare materiam convocationis in ipsa convocatione. — 7. Pro convocatione Capituli non requiritur licentia Episcopi, si solitum sit sine illa congregari. — 8. Et ubi est solitum congregari absque licentia Episcopi, is non potest, multoque minus ejus Vicarius prohibere absque justa causa, ne convocetur Capitulum. — 9. Secus autem, si adsit justa causa. — 10. Imo si prohibuerit ex juxta causa v. g. ne Capitulum convocetur tempore divinorum officiorum, potest Episcopus etiam sine adjunctis procedere ad subtractionem fructuum, et ad mulctas ab eo impositas contra Canonicos habentes Capitulum eo tempore, quo divina officia celebrari debent, nisi aliqua causa urgens in aliud tempus differri non patiatur. — 11. Non potest tamen Episcopus cogere Canonicos ad sibi significandum, quid tractare velint in Capitulo. — 12. Quamvis possit ipse Episcopus cogere capitulares ad sibi exhibendam copiam actorum, seu resolutionum capitularium. — 13. Episcopus potest congregare Capitulum pro casibus, in quibus juxta sacros canones tenetur exquirere ejus votum, vel consilium, et in aliis casibus spectantibus ad sui dignitatem. — 14. Non potest tamen Episcopus convocare Capitulum pro actibus capitularibus, qui spectant ad Capitulum, uti Capitulum. — 15. Vicarius generalis Episcopi, sive præsente, sive absente Episcopo, in nullo casu potest convocare Capitulum exemptum. — 16. Secus autem est dicendum de Capitulo non exempto. — 17. Exstante legitima consuetudine, ut Episcopus, seu Vicarius interveniat in omnibus Capitulis, etiam quæ fiunt pro re spectante ad Capitulum, debet illa servari. — 18. Quamvis tamen ex consuetudine, seu alio jure speciali Episcopus, seu Vicarius possit intervenire in Capitulis omnibus, non potest tamen, nec Episcopus, nec Vicarius intervenire, si in Capitulo agendum sit de interesse proprio, seu suorum. — 19. Et dato, quod Episcopus congregaverit Capitulum, et rem proposuerit, ubi agitur de suo, vel suorum commodo, debet exire, et relinquere Canonicos de Capitulo solos, ut ipsi libere rem discutiant. — 20. Hujusmodi tamen interesse debet esse speciale proprium, vel suorum, non autem ratione Ecclesiæ, in quo casu, sicut posset esse judex Episcopus, vel Vicarius, ita pari ratione non sunt repellendi. — 21. Ubi autem Episcopus, seu Vicarius juxta solitum, seu consuetudinem Capitulis intervenit, non potest ferre suffragium. — 22. Dato autem, quod Episcopus, seu Vicarius esset Canonicus, tunc posset quidem ferre suffragium, sed unicum tantum ut Canonicus. — 23. Episcopus in casibus, in quibus convocat Capitulum, debet in eo præsidere cum omnibus prærogativis. — 24. Episcopus interveniens Capitulo non illud congregando, seu convocando pro rebus ad suam dignitatem pertinentibus, sed solum ratione consuetudinis interveniens Capitulis, quæ congregantur a capite Capituli, pro rebus et negotiis ipsius Capituli, habet præeminentiam loci, et prærogativas horologii, et tintinnabuli. — 25. In actibus vero concomitantibus ipsum Capitulum, tales prærogativæ spectant ad caput Capituli, et non ad Episcopum, nisi etiam actus præfati ex consuetudine spectent ad Episcopum. — 26. Episcopus, qui est Canonicus, sive in Ecclesia suæ propriæ diœcesis, sive in Ecclesia alienæ diœcesis, sive in Ecclesia exempta, non potest uti Canonicus convocare Capitulum, vota recipere, et similia, sed hæc spectant ad caput Capituli. — 27. Episcopus autem, etiam titularis, licet interveniat Capitulo, et aliis functionibus capitularibus, uti Canonicus, habet præcedentiam, et præeminentiam super omnes Canonicos, et dignitates. — 28. Capitulum convocari, seu celebrari debet in Ecclesia, et loco ad hoc determinato. — 29. Nec Episcopus potest domi suæ illud convocare, sed ad aulam capitularem, ubi antea solitum fuit convenire. — 30. Potest tamen Capitulum ad alium locum transferri, et convocari, quando non potest conveniri in Ecclesia, vel loco capitulari. — 31. Et inter alias justas causas transferendi Capitulum ad alium locum, justa causa est repulsio Episcopi ab ingressu in civitatem, vel rebellio contra ipsum Episcopum. — 32. Capitula, seu tractatus, et congregationes, ac actus capitulares per Canonicos cathedralium, et collegiatarum Ecclesiarum fieri non debent eo tempore, quo celebrantur divina officia. — 33. Capitulum Ecclesiæ cathedralis quid. — 34. Quod olim presbyterium, id Capitulum hodie sibi vindicat. — 35. De origine Capitulorum. *Remissive.* — 36. Ut Capitulum jure suo expleat negotia, quatuor conditiones concurrere debent.—37. 42. Quænam requirantur, ut Capitulum legitime convocatum dici possit. — 43. 46. De modo convocandi Capitulum. — 47. 49. De loco Capituli. — 50. Quo tempore convocandum sit Capitulum. — 51. 56. Quinam convocandi sint ad Capitulum. — 57. 58. Quomodo negotia capitulariter expediantur. 59. 63. De consensu Canonicorum præstando in Capitulo. — 64. 65. Num ad convocationem Capituli extraordinarii debeant Canonici ei, qui jus habet convocandi et præsidendi, negotia pandere, propter quæ convocatio illa desideratur.

Articulus II. — *Quoad ea, in quibus requiritur consilium, vel consensus Capituli.*

1. Capituli consensus requiritur: primo in alienatione rerum Ecclesiasticarum, quæ ad cathedralem Ecclesiam pertinent. — 2. Secundo requiritur Capituli consensus in administratione bonorum, et redituum Ecclesiæ. — 3. Tertio requiritur Capituli consensus in suppressione canonicatuum, et beneficiorum. — 4. Quarto requiritur Capituli consensus in unione unius Ecclesiæ alteri Ecclesiæ, seu dignitati, vel præbendæ per Episcopum faciendæ. — 5. Quinto requiritur Capituli consensus in casu, quo diminueretur Ecclesiæ auctoritas. — 6. Sexto requiritur Capituli consensus in omni negotio, quod concernat præjudicium Ecclesiæ cathedralis. —

Digitized by Google

7. Septimo requiritur Capituli consensus, ut erigatur seminarium in ædibus canonicalibus. — 8. Octavo requiritur Capituli consensus in creatione Canonicorum supranumerariorum. — 9. Nono requiritur Capituli consensus, ut vigore Concilii cap. 7. sess. 7. *de Reform.* curam animarum toti Capitulo cathedralis incumbentem, per viam unionis perpetuæ in certam personam, seu dignitatem ejusdem Ecclesiæ adnectere possit Episcopus. — 10. Decimo consensus omnium Canonicorum requiritur in actibus Capituli voluntarii, et ubi agitur de Ecclesiæ præjudicio, nec sufficit consensus majoris partis. Secus vero in actibus necessariis, et ubi agitur de ejusdem Ecclesiæ utilitate. — 11. Undecimo consensus majoris partis Capituli requiritur in quolibet actu capitulari. — 12. Advertendum est, quod consensus majoris partis sufficit in iis, quæ sunt communia pluribus, uti universis; non autem uti singulis. — 13. Et pariter advertendum est, quod ubicunque requiritur consensus Capituli, debet præstari collegialiter, et Capitulo ad id legitime congregato. — 14. Et circa hoc est ultimo advertendum, quod in omnibus casibus, ubi requiritur consensus Capituli, id quod ab Episcopo sine tali consensu Capituli factum fuerit, nullius erit roboris, et momenti. — 15. Capituli consilium requiritur: primo in institutionibus, et destitutionibus beneficiorum. — 16. Secundo requiritur Capituli consilium in clericorum ordinationibus. — 17. Tertio requiritur Capituli consilium in dispensationibus et confirmationibus. — 18. Quarto requiritur Capituli consilium in inquisitionibus, et condemnationibus clericorum, et sacerdotum. — 19. Quinto in processionibus edicendis, decernendis, dirigendis, atque ducendis consilium Capituli est requirendum; non autem consensus exigendus. — 20. Sexto consilium Capituli requirere tenetur Episcopus, casu quo canonicatus, et portiones omnes suæ Ecclesiæ cathedralis ex fundatione, aut antiqua consuetudine, aut statuto, aliquem ordinem presbyteratus, vel diaconatus annexum non habent, ut scilicet cum prædicti sui Capituli consilio designare, et distribuere valeat, quibus quisque ordo in posterum debeat esse annexus. — 21. Episcopus antequam indicet, et publicet synodum diœcesanam, requirere debet saltem consilium Capituli. — 22. Episcopus enim prudens, antequam decreta synodi promulget, debet prius in privatis congressibus a viris doctrina, prudentia, et pietate præstantibus, et deinde ex obligatione a Capitulo collegialiter coadunata consilium exquirere, licet solus potestatem legislativam habeat, et consilium sequi non teneatur; *ad n.* 23. — 24. Requisitio tamen consilii Capituli facta per edictum sufficit ad sustinendam validitatem Synodi. — 25. Capituli consilium de primo ad ultimum requiri debet in omnibus arduis Ecclesiæ negotiis. — 26. Ecclesia enim habet senatum seu cœtum presbyterorum, (id est Capitulum) sine quorum consilio prælato nihil agere licet. — 27. At vero fere ubique habetur in plurimis consuetudo contraria, qua legitima exstante, non amplius requiritur ipsius Capituli consilium. — 28. Capitulum cathedralis subjicitur constitutionibus synodalibus, aliisque legibus, etiam per edicta panditis sine consilio Capituli. — 29. Etiam in iis legibus synodalibus, quæ versantur circa morum et disciplinæ reformationem. — 30. Presbyterium antiquitus quid. — 31. In ejus locum successit Capitulum. — 32. Cujus tamen auctoritas a sæculo duodecimo decrescere cœpit. — 33. Tamen pro varietate negotiorum debent Episcopi aliquando consilium, aliquando consensum Capitulorum exquirere. — 34. Illud sat est, ut exquirant. — 35. Hunc vero sequi regulariter debent. — 36. Consensus Capitulorum quando requiratur. — 37. 38. Et quando sufficiat consilium. — 39. Casus recensiti ab auctore, in quibus Episcopus adhibere debet consensum Capituli, non omnes extra controversiam sunt.

ARTICULUS III. — *Capitulum quoad ea, quæ ipsum concernunt, et Sede plena, et Sede vacante.*

1. Capitulum, sede plena, seu vivente Episcopo, potest etiam sine consensu Episcopi condere statuta de his, quæ respiciunt particularia ipsius Capituli negotia, aut proprios actus capitulares concernunt circa rectam ordinationem Ecclesiæ. — 2. Imo Capitulum potest adjicere pœnas hujusmodi statutis, ad hoc, ut firmius observentur. Et sufficit consensus majoris partis Capituli; talia tamen statuta non obligant Canonicos successores, nisi ab Episcopo fuerint confirmata. — 3. Capitulum ex causa publicæ utilitatis potest statuta facere contra antiquam Ecclesiæ consuetudinem, etiam de ea non facta mentione. — 4. Etiamsi consuetudo foveat utilitatem publicam, et statutum sit nutritivum utilitatis privatæ ipsorum statuentium, dummodo tamen hoc faciant ex rationabili causa. — 5. Et dummodo principaliter, et directe concernat utilitatem Ecclesiæ, et solum secundario, et indirecte privatum commodum singulorum Canonicorum, et fiat de Episcopi consensu. — 6. Ut autem valeant statuta a Capitulo condita, quatuor potissimum requiruntur conditiones, quæ assignantur. — 7. Capitulum, vivente Episcopo, non potest facere statuta, quæ obligent extraneos, sive totam diœcesim. — 8. Nec etiam condere potest statuta circa ea, quæ tangunt communem statum Ecclesiæ, sive Episcopatus, ejusque jura, vel alia negotia ardua, sine consensu Episcopi. — 9. Nec etiam potest Capitulum condere statuta juri communi contraria, etiam interveniente consensu Episcopi. — 10. Nec etiam potest Capitulum statuere cum consensu Episcopi, quod descendentes ex genere infecto, cæteroquin tamen digni, non admittantur ad beneficia ecclesiastica. — 11. Nec etiam potest Capitulum statuere, ut non admittantur Canonici, nisi probata nobilitate. — 12. Nec etiam potest Capitulum statuere, ut capiens possessionem canonicatus, aut beneficii, teneatur aliquid solvere convertendum in commodum aliorum Canonicorum, et beneficiatorum. — 13. Capitulo potest competere jus conferendi beneficia, etiam privative ad Episcopum. — 14. Ad Capitulum, Episcopo existente hæretico, spectat facultas concedendi dimissorias. Imo ipsas dimissorias sufficit obtinere ab uno ex Canonicis, si reliqui propter hæresim sint dispersi; ad n. 15. — 16. Capitula cathedralium, etiam vivente Episcopo, vocanda sunt, et admittenda, aut eorum Nuncii, ad Concilia provincialia, præsertim ad ea tractanda, quæ Capitula ipsa contingere dignoscuntur. — 17. Imo ad Concilia provincialia vocanda sunt etiam Capitula collegiatarum quasi episcopalem jurisdictionem habentia. — 18. Capitulum non potest residentiam Canonicorum remittere, neque servitium condonare, non obstante statuto, sive consuetudine, quæ potius dicitur corruptela. — 19. Capitulum, sede vacante, succedit in jurisdictionem Episcopi, et potest omnia facere, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, nisi expresse prohibita reperiantur. — 20. Non succedit tamen Capitulum in jurisdictione Episcopo delegata, etiam ex generali delegatione Sedis Apostolicæ. — 21. Sic etiam in Capitulum, sede vacante, non transeunt ea, quæ ex Concilio Tridentino competunt Episcopo tamquam Sedis Apostolicæ delegato. — 22. Secus autem, si competant Episcopo utroque jure, scilicet ordinario, et delegato. — 23. Capitulum, sede vacante, non succedit in jurisdictione competente Episcopo jure speciali. — 24. Et ideo Capitulum Paduanum, sicuti omne aliud Capitulum, respectu consimilis privilegiati Episcopi, non succedit in potestate conferendi gradum doctoratûs, et magisterii, qui competit Episcopo jure speciali. — 25. Sicut nec succedit in jurisdictione Episcopo competente ratione feudi, nisi feudum esset commune Episcopo, et Capitulo. — 26. Capitulum, sede vacante, potest quasdam constitutiones facere obligantes totam

Digitized by Google

diœcesim, etiam in tempus futuri Episcopi, donec hic, vel ejus successor easdem revocaverit. — 27. Licet Capitulum, sede vacante, non arctetur de jure communi ad constituendum Vicarium, sed possit jurisdictionem ad se devolutam per seipsum exercere, hodie tamen tenetur Vicarium capitularem constituere infra octo dies post mortem Episcopi, alias Vicarii deputatio devolvitur ad metropolitanum; ad n. 28. — 29. Capitulum non potest cogi ad creandum Vicarium intra pauciores dies quam octo, sed potest gaudere termino a Sacro Concilio sibi dato. — 30. Et infra illos dies, antequam Vicarium constituat, exercitium jurisdictionis spectat ad totum Capitulum in solidum, non autem ad primam dignitatem. — 31. Capitulum, nedum potest eligere, seu constituere Vicarium capitularem post mortem Episcopi; sed etiam quando Ecclesia vacat per translationem Episcopi ad aliam Ecclesiam. — 32. Sic etiam Capitulum potest constituere Vicarium in casu quo Episcopus efficiatur captivus ab hostibus catholicæ fidei. — 33. Sic pariter sedes vacat, si Episcopus ingrediatur aliquam religionem; et tunc Capitulum potest eligere Vicarium capitularem. — 34. Sic etiam vacat sedes per renuntiationem. — 35. Similiter vacat sedes per depositionem, vel relegationem. — 36. Non potest tamen Capitulum Vicarium constituere in casu quo Episcopus sit excommunicatus, vel suspensus, vel in casu quo, Episcopo in remotis degente, Vicarius Generalis ab ipso relictus moriatur, vel a principe sæculari ejiciatur a diœcesi, quia tunc recurrendum esset ad sedem Apostolicam pro provisione. — 37. Capitulum non potest devenire ad electionem Vicarii capitularis ante certam notitiam vacationis. — 38. Capitulum neque potest devenire ad electionem Vicarii capitularis post habitam notitiam mortis, vel translationis Episcopi, quando Vicarius Episcopi defuncti vel translati missus fuerat a S. Sede Apostolica, vel a Sac. Congr. Episcoporum. — 39. Electio Vicarii capitularis debet fieri a Capitulo more solito capitulariter congregato, et per secreta suffragia; alioquin nulla est. — 40. Capitulum non potest eligere in Vicarium capitularem, nisi unum tantum, et si eligat plures, electio devolvitur ad metropolitanum, si tamen plures successive eligit, primo electus debet continuare, dummodo habeat requisita. — 41. Potest tamen Capitulum duos Vicarios constituere, ut alternis mensibus vicariatus munere fungantur, si legitimam habeat consuetudinem ab immemorabili servatam sine interruptione, et electi sint præditi omnibus qualitatibus, quas Tridentinum requirit. — 42. Facta semel per Capitulum electione Vicarii capitularis, non potest illum ad libitum revocare, et novum instituere. — 43. Si tamen adesset justa causa illum revocandi, debet prius habere licentiam a Sacr. Congr. Episcoporum. — 44. Imo non potest per Capitulum revocari Vicarius capitularis, etiamsi sit electus cum clausula quod possit revocari ex causis sibi benevisis. — 45. Plures sunt causæ propter quas solet Sac. Congr. Episcop. facultatem concedere removendi Vicarium capitularem, ut indignum, et tales causæ assignantur. — 46. A Capitulo pro electione Vicarii capitularis non debent vocari Canonici absentes, nisi commode fieri possit. Nec ita absentes possunt mittere, aut constituere procuratorem ad ferendum in electione suffragium. — 47. Si tamen adsit consuetudo legitime præscripta admittendi in electione Canonicos absentes per procuratorem, talis consuetudo esset intelligenda et restringenda ad absentes solummodo intra provinciam, et ibidem detentos aliquo legitimo impedimento de tempore actualis electionis Vicarii. — 48. Et si e contra adesset consuetudo non vocandi quoquomodo absentes a civitate, servanda esset. Et tanta est vis consuetudinis, quod a Capitulo pro electione Vicarii præter Canonicos vocandi sunt etiam illi qui de jure non sunt de Capitulo, ut portionarii, aliique beneficiati Ecclesiæ, si adsit consuetudo legitime præscripta illos vocandi. — 49. Si autem consuetudo non sit pacifica, et legitime præscripta, sed solum pauci actus afferantur, in quibus ii, qui non sunt de corpore Capituli, fuerint admissi ad suffragium ferendum, tunc Capitulum potest illos excludere. — 50. Capitulum debet pro Vicario capitulari eligere unum qui sit de gremio Capituli, si adsit idoneus. — 51. Et qui sit doctor, alias electio est nulla. — 52. Nec sufficit quod sit magister in sacra theologia, sed debet esse saltem doctor in jure canonico. — 53. Nec etiam sufficit, quod sit doctoratus a persona privata, sed in aliqua universitate. — 54. Habilis tamen non doctor tolerari potest, si doctor haberi non possit. — 55. Debet autem Vicarius non doctor eligere sibi consultorem benevisum, qui sit doctor, et in rebus legalibus et arduis peritus, a quo possit dirigi. — 56. Si Capitulum eligat aliquem in Vicarium capitularem non doctorem, quando adest doctor, ex quo talis electio sit nulla, tunc electio devolvitur ad metropolitanum. — 57. In casu tamen quo Vicarius deputatus per metropolitanum ob malam electionem Capituli, vel ob ejus negligentiam decederet, tunc posset Capitulum novum eligere Vicarium infra octo dies, ut prius. — 58. Capitulum non potest in electione seu deputatione Vicarii apponere restrictivam, ut Vicarius capitularis non possit procedere contra aliquem capitularem absque consensu Capituli. — 59. Vel sine adjunctis. — 60. Nec potest apponere in electione conditionem, ut participet Capitulum de emolumentis ex officio vicariatus provenientibus. — 61. Nec potest Capitulum reservare sibi facultatem signandi supplicationes, distribuendi conciones, vel habendi superintendentiam seminarii. — 62. Vel faciendi gratiam condemnatis ab ipso Vicario, vel cognoscendi de causis suspicionis ipsius Vicarii, ac judicem non suspectum partibus deputandi, vel cum alia quacunque restrictiva insolita. Quod si Vicarius capitularis electus fuerit cum hujusmodi restrictionibus, poterit nihilominus libere uti sua jurisdictione absque ullo respectu supradictarum conditionum. — 63. Capitulum enim post electionem Vicarii nullam exercere potest jurisdictionem, quia post electionem tota jurisdictio episcopalis transit ad Vicarium capitularem privative quoad Capitulum, non cumulative. — 64. Unde substitutio facienda propter absentiam Vicarii, spectat ad ipsum Vicarium, et non ad Capitulum. — 65. Laudabile et approbandum est statutum, per quod plures fratres, aut plures quam duo consanguinei primi, et secundi gradus excluduntur a voce activa in Capitulo. — 66. Capitulum cathedralis non est salutandum a concionatore cum titulo Reverendissimi, nec in absentia Episcopi. — 67. Capitulum cathedralis Ecclesiæ præcedere debet Capitulo collegiatæ, non obstantibus constitutionibus privatarum Ecclesiarum. — 68. In quo consistat exemptio Capituli cathedralis. — 69. Capitulum sede vacante non potest in usus proprios convertere mulctas pecuniarias, et compositiones delinquentium. — 70. Capituli exstinctio non inducit suppressionem cathedræ episcopalis. — 71. Capitularibus Vicariis in regno Neapolitano prohibetur concessio litterarum dimissorialium pro ordinibus, etiam elapso anno vacationis Ecclesiarum absque speciali facultate. — 72. Ad potestatem Capituli sede plena refertur jus condendi statuta. — 73. 75. Quænam distinctio quoad statuta a Capitulo condita facienda. — 76. 78. De potestate Capituli sede vacante inter se variant doctores. — 79. Unde varietas hæc nata sit. — 80. Quænam sit hæc potestas Capituli. — 81. 82. Limitationes huic sententiæ appositæ. — 83. 84. De Capitulis in quibus deest cathedra episcopalis. *Remissive.* — 85. Primis nascentis Ecclesiæ sæculis presbyteri et Diaconi in civitate episcopali curam animarum gerentes, unum cum Episcopo corpus quasi constituebant. — 86. Subsequentibus sæculis cœperunt Episcopi e clero quosdam eligere quorum consilio et

Digitized by Google

opera diœcesim suam regerent. — 87. Et omnia negotia tractari et absolvi cum consilio vel consensu Capituli cœperunt. — 88. Verosimile hoc jus ad Capitula cathedralia devolvi cœpit, quando et beneficiorum et dignitatum tituli erecti et separatim ab ordine collati leguntur. — 89. Quare Capitulum cathedrale prærogativa præcipua gaudeat. — 90. Capitulum cathedrale tanquam senatus Ecclesiæ præcedit quoque magistratum civilem. — 91. In Capitulum cathedrale sede vacante devolvitur diœceseos regimen, ipsaque episcopalis auctoritas. — 92. 95. Quænam competant Capitulo sede episcopali vacante. — 96. A causis matrimonialibus et criminalibus non intelligitur exclusum Capitulum sede vacante. — 97. 98. Quæ Episcopo non ut Episcopo, sed in alia qualitate speciali attribuuntur, in his Capitulum Episcopum non repræsentat. — 99. Capitulum cathedrale ad exemplum pristini presbyterii, sede vacante, fungitur vice pastoris. — 100. 103. De collatione beneficiorum, sede vacante. — 104. Alienatio bonorum Ecclesiæ, seu episcopatus, sive ad mensem episcopalem spectantium, Capitulo sede vacante interdicta est. — 105. In Capitulum non transeunt quæ ab ordine episcopali dependent. — 106. 109. De potestate Capituli in expediendis litteris dimissorialibus. — 110. De jure communi jurisdictione Episcopi ad Capitulum devoluta, eam per se in communi olim exercere poterat. — 111. Sed Concilium Tridentinum declaravit quod Capitulum teneatur, sede vacante, Vicarium infra octo dies constituere. — 112. 114. Quædam notanda de Vicario et ejus jurisdictione. — 115. Capitulo adhuc post nominationem Vicarii sollicitudo episcopalis incumbit. — 116. Si Vicarius in aliqua causa sit suspectus, providet Capitulum. — 117. Si Capitulum reservet sibi aliqua, ea Vicarius exercere non potest. — 118. Vicarius Capituli pro libitu et arbitrio Capituli revocari potest. — 119. Tamen hodie videtur esse libentior revocatio Vicarii penes Episcopum, quam penes Capitulum. — 120. Synodus Mechliniensis decernit: Vicarium semel a Capitulo electum vel confirmatum, sine justa et rationabili causa removeri non posse. — 121. Idem declaravit S. Congregatio addendo, nisi ex causa a S. Congr. Episcoporum probanda. — 122. Ultra Vicarium Capitulum sede vacante etiam Œconomum eligere tenetur. — 123. Ubi nempe fructuum percipiendorum cura Capitulo incumbit. — 124. Si Episcopatus juri regaliæ sint subjecti, sede vacante, rerum temporalium administratio ad officiarios regios spectare consuevit. — 125. 126. Simile obtinet in plerisque episcopatibus Italiæ, ubi sunt reservati Cameræ Apostolicæ. — 127. Œconomi a Capitulo deputati solam custodiam et curam rerum ad episcopatum spectantium habent; et tenentur Episcopo ad vacantem Ecclesiam promoto rationem reddere. — 128. Vicario Capituli non diriguntur dispensationes matrimoniales, sed Episcopo viciniori, vel ejus Vicario in spiritualibus. — 129. Si litteræ dispensationis directæ Vicario Episcopi exsequerentur per Vicarium capitularem, exsecutio esset nulla, nullumque matrimonium contractum. — 130. Capitulum quid, et unde dictum. — 131. Capitula librorum. — 132. Capitula seu capitularia dicuntur etiam canonum ecclesiasticorum, legumque regiarum codices. — 133. Capitulum, seu lectio brevis quid, et varia ejus nomina. — 134. Capitulum Congregatio personarum ecclesiasticarum. — 135. Monachorum Capitulum

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt Capituli convocationem seu congregationem.

(1. Capituli convocatio est facienda juxta solitum. Pignatell. tom. I, consult. 43; Passerin. cap. 10 de Electione, num. 49; Gonzal. in lib. Decret. c. unico *de Syndico* n. 9; Rota dec. 1247, n. 1, coram Seraphim., et dec. 295, coram Puteo, lib. III. (2. Capituli convocatio spectat ad majorem et digniorem. Innocent. et Hostiens. in cap. 1 de Majoritat. et Obedient.; Fagnan. in c. *Ut Abbates*, de Ætate et Qualitate, n. 24; Barbosa de Canon. c. 35, n. 1 et sequent.; Sac. Congr. Conc. in Bononien., 16 Junii 1683; in Lunen. Sarzanen., 12 Martii 1695, in respons. ad tertium, et S. Congreg. Rituum in Neapolitana, 25 Januarii 1698, in responsione ad quintum. (3. Etiamsi major seu dignior non sit in ordinibus sacris constitutus, nec votum habeat, adhuc ad eum spectat convocare Capitulum, proponere negotia decidenda, et suffragia collegialium votantium colligere, cum iste sit actus jurisdictionis, qui competit præsidenti etiam in sacris non constituto ratione superioritatis. Ita decisum fuisse a Sac. Congreg. refert Garcias de Benefic., part. III, cap. 4, n. 26, et tenet Barbosa de Canon., c. 35, n. 2; Nicol. Lucubr. Canon., lib. I, titul. 14, de Ætate et Qualitat., n. 7, limit. 3; Monacell. tom. I, tit. IV, formul. 4, n. 24; Petra tit. 1, Comment. in constitut. 1 divi Leonis, sect. 2, n. 46. (4. Aliquando tamen convocatio Capituli ex consuetudine potest spectare alternatim ad duos, ut declaravit Sac. Congregat. Episcopor., die 3 Februar. 1623, fol. 11, ad Archidiaconum Syracusanum spectare convocare Capitulum, et aperire litteras capitulares alternis vicibus cum decano. (5. Per hoc tamen, quod convocatio spectet ad majorem seu digniorem, non est refrænatum arbitrium Capitulo illud congregandi. Abbas in c. *Cum nobis*, de Election. n. 9; ad textum in cap. 1 de his quæ fiunt a majori parte capituli. Petra, l. c., n. 47. Nam renuente majore seu digniore convocare Capitulum possunt alii capitulares, vel illum cogere ad convocationem faciendam mandato superioris legitimi, ut advertit Abb. loco c., n. 4, vers. *Ut ex hoc*, et Rota in Hispalen. juris præsidendi in Capitulo, 2 Julii 1700, coram D. dell' Olmo; vel si facta debita requisitione ipsi majori, seu capiti Capituli, adhuc renuat illud congregare, potest fieri convocatio a subsequenti in gradu, ut censuit Rota in Gerund. supr. dubio juris præsidendi in Capitulo, 14 Junii 1702, coram D. Priolo. (6. Convocator Capituli non tenetur explicare materiam convocationis in ipsa convocatione, ut declaravit Sacra Congregat. Conc. in Lunen. Sarzanen., 12 Mart. 1655, ad quartum, quia possent petere dilationem in Capitulo ad consulto respondendum, in hac tamen materia debet attendi solitum, quo alterato poterunt semper vocales actum irritare, ut advertunt Passerin. cap. 10 de Election. num. 49; Petra loc. cit. n. 45 et alii.

(7. Pro convocatione capituli non requiritur licentia Episcopi, si solitum sit sine illa congregari. Sacra Congregat. Episcopor. in Brundusina 17 Jan. 1484, ibi: *La Sacra Congregazione ha risoluto che il Capitolo sia*

Digitized by Google

libero di congregarsi quando vuole, purchè non sia in pregiudizio del culto divino ; onde non si può obligare a domandar licenza. Et in Neritonen., 20 Augusti 1601, ibi : *Essendo il Capitolo in possesso d'adunarsi senza del Vescovo e del Vicario, non si dee in ciò fare altra novità.* Barbosa de Cañon. c. 15, n. 3 ; Pignatell. tom. IV, consult. 154. (8. Et ubi est solitum congregari absque licentia Episcopi, is non potest, multoque minus ejus Vicarius, prohibere absque justa causa, ne convocetur Capitulum. Sacra Congreg. Episcop. in Rhegiensi, 4 Junii 1602. (9. Secus autem, si adsit justa causa. Ead. Sacra Congr. Episcop. in Amerina, 13 Septembr. 1641. (10. Imo si prohibuerit ex justa causa v. g. ne Capitulum convocetur tempore divinorum officiorum, potest Episcopus etiam sine adjunctis procedere ad subtractionem fructuum, et ad mulctas ab eo impositas contra Canonicos habentes capitulum eo tempore quo divina officia celebrari debent, nisi causa aliqua urgens in aliud tempus differri non patiatur. Sacra Congreg. Conc. in Oriolen., 27 Martii 1632, ad 11. (11. Non potest tamen Episcopus cogere Canonicos ad sibi significandum quid tractare velint in Capitulo. Sac. Cong. Episc. in Andrien., 25 Februar. 1703. (12. Quamvis possit ipse Episcopus cogere capitulares ad sibi exhibendam copiam actorum seu resolutionum capitularium, ut censuit Sacra Congregat. Episcop. 6 Martii et 22 April. 1596. Et ratio est quia cura est Episcopi superintendere, ne fiant a Capitulo resolutiones juri contrariæ. Fermosin. de cap. *Sede Vacante*, tract. 3, quæst. 6, num. 15 ; Barbosa de Canon. citat. cap. 35, n. 6, Petra loc. cit. n. 55, et late Rota in Gerunden. jurisdictionis super exhibitione resolutionum Capitularium 12 Junii 1702, coram Priolo; ubi ampliatur etiam ad Vicarium capitularem sede vacante, cum ad ipsum devolvatur jurisdictio Episcopi.

(13. Episcopus potest congregare Capitulum pro casibus in quibus, juxta sacros canones, tenetur exquirere ejus votum, vel consilium, et in aliis casibus spectantibus ad sui dignitatem. Barbosa de Canon. cap. 35, n. 7; Fagnan. cap. *Cum ex injuncto* n. 26, et sequent. de novi operis nuntiatione, et consonat dispositio Concil. Trid. sess. 25, cap. 6, de Reform. ibi : « Quod si aliquid Canonici ad deliberandum proponent, nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi Capitulum convocent, vota exquirant, et juxta ea concludant. » (14. Non potest tamen Episcopus convocare Capitulum pro actibus capitularibus, qui spectant ad Capitulum, uti Capitulum, quia pro rebus spectantibus ad ipsum solum Capitulum remanet illæsa, et intacta sua jurisdictio, ut post prædicta verba, quibus aperte demonstratur ad quæ se extendat hæc potestas Episcoporum, sic expresse addit Tridentinum Concilium: « Cæteris autem in rebus, Capituli jurisdictio, et potestas, si qua eis competit, et bonorum administratio salva et intacta omnino relinquatur. » Barbosa de potest. Episcop., allegat. 73, n. 17, vers. *Si Episcopus*, Petra loc. cit. n. 50. (15. Vicarius Generalis Episcopi, sive præsente, sive absente Episcopo, in nullo casu potest convocare Capitulum exemptum, cum expresse in hoc reperiatur exceptus a Concilio Tridentino, sess. 25, cap. 6 *de Reform.* ibi : « Nec ad id Vicarius Episcopi admittatur. » (16. Secus autem est dicendum de Capitulo non exempto, quia mox citatus textus : « Nec ad id Vicarius Episcopi admittatur, » est intelligendus, si Capitulum sit exemptum, prout decisum fuisse a Sacra Congregat. refert Sbrozz, in addit. ad summ. tract. de Offic. Vicarii lib. II, quæst. 30, et post eum tenet Barbosa in cit. c. 6, sess. 25 Tridentini, num. 48. Fagnan. in cit. cap. *Cum injuncto* n. 28. Petra loc. citato n. 52. Et ratio diversitatis est, quia in Capitulis exemptis facultas convocandi tribuitur a Tridentino loc. cit. solum Episcopo cum expressa exclusione Vicarii, ut patet per citat. verba : « Nec ad id Vicarius Episcopi admittatur. » In reliquis vero Capitulis non exemptis non est necessaria talis facultas, quia eam habet ex jure communi, eamque communicat Vicario, qui proinde habet jurisdictionem in Capitulo, et sic potest Capitulum convocare juxta existente causa in iis negotiis in quibus juxta suas facultates judex esse potest.

(17. Exstante legitima consuetudine, ut Episcopus seu Vicarius interveniat in omnibus Capitulis, etiam quæ fiunt pro re spectante ad Capitulum, debet illa servari. Sbrozz. de Vicario quæst. 30, n. 25 ; Petra loco cit. n. 56 ; Pignatell. tom. IV, consult. 154, n. 6, ubi refert talem consuetudinem exstare Mediolani, et sic ibi decisum fuisse a Sacra Congreg. Episcop. 2 Junii 1591. Unde etiam Sacra Congregat. Concil. censuit per c. 6, sess. 25, § *Absente vero Episcopo*, non obstante, quominus Vicarius Archiepiscopi Mediolanensis possit intervenire in Capitulo ac in eo sedere, si talis facultas ei ante concilium, vel constitutione, vel consuetudine, vel alio quocunque modo legitime competebat juxta dictum decretum in fine, præsertim si ipsum capitulum nullo exemptionis, aut speciali jure juvetur adversus omnimodam subjectionem Archiepiscopi. Quæ quidem declaratio fuit discussa a Sacra Congregat. Episcop. 5 Maii 1587 his verbis : « Sacra Congregatio super Episcopos decrevit Vicarium Archiepiscopi Mediolanensis Capitulis Ecclesiæ metropolitanæ, et negotiorum capitularium tractationi et expeditioni interesse valere, et primam sedem habere juxta decretum Conc. provincialis tertii. » (18. Quamvis tamen ex consuetudine, seu alio jure speciali, Episcopus seu Vicarius possit intervenire in Capitulis omnibus, non potest tamen nec Episcopus, nec Vicarius intervenire, si in Capitulo agendum sit de interesse proprio, seu suorum, ut ex Sacr. Congr. Concilii concludit Pignatell. loco cit., n. 6; Barbosa cit. c. 35, n. 8; Rota in Gerunden. Jurisdictionis super exhibitione resolution. capitularium 12 Jun. 1703, § *Pro utroque*, coram Domino Priolo. (19. Et dato, quod

Digitized by Google

Episcopus vel Vicarius congregaverit Capitulum, et rem proposuerit, ubi agitur de suo vel suorum commodo, debet exire et relinquere Canonicos de Capitulo solos, ut ipsi libere rem discutiant et determinent. Vener. in Examine Episcop. lib. IV, c. 37, n. 36 cum sequent.; Gallet. in Margarita casuum conscientiæ, verb. *Episcopus;* Barbosa de Canonic., c. 35, num. 6; Rota in Hispalens. Juris præsidendi in Capitulo 2 Julii 1700, § *Similiter*, coram D. dell' Olmo. (20. Hujusmodi tamen interesse debet esse spectate proprium, vel suorum; non autem ratione Ecclesiæ, in quo casu, sicuti posset esse judex Episcopus, vel Vicarius, ita pari ratione non sunt repellendi, ut pluries censuit Sacra Congreg. Concil. in lib. enim Card. Alciati fol. 1270, ita habetur: « Tertio an sub illis verbis Sac. Cong. d. c. 6, » nec agatur de re ad suum vel suorum commodum spectante, « comprehendantur ea quæ concernunt Ecclesiam, ut si agatur generaliter: An Episcopo sit serviendum celebranti; » Sacra Congregat. respondit, *Non comprehendi;* et eadem Sacra Congregat. Concil. in Turritana, 14 Junii 1651, respondit: « Locum aulæ Archiepiscopalis non esse immutandum, sed quando agendum de interesse privato ipsius Archiepiscopi, ipsum, et ejus Vicarium abstinendum ab interressentia in Capitulo; » et Rota in. cit. Gerunden., § fin. (21. Ubi autem Episcopus seu Vicarius juxta solitum, seu consuetudinem Capitulis intervenit, non potest ferre suffragium, quia hoc ferre spectat tantum ad illos de Capitulo, ut decrevit Sacra Congreg. Concil. apud Cardin. Alciatum, in cujus lib. fol. 1269, sic adnotatur: « Cum dubitaretur ab Episcopo Cadicen. an cum ipse ex decreto Sac. Concil. cap. 6, sess. 25, Capitulum convocat, habeat tamen in eo votum? » Sacra Congregat. censuit non habere, neque ex jure, neque ex decreto Concilii; et sic censuit eadem Sacra Congregatio etiam in Aprutina, 31 Julii 1694, denegando Vicario jus dicti suffragii, et sic etiam tenet Rota in d. Hispalen. Juris præsidendi in Capitulo, § *Prout*. (22. Dato autem quod Episcopus seu Vicarius esset Canonicus, tunc posset quidem ferre suffragium, sed unicum tantum, uti Canonicus; quia uti Canonicus esset pars ipsius Capituli. Gratian. discept. 106, num. 5 et sequent.; Lotter. de Re benefic., lib. I, q. 19, n. 104 et 105; Barbosa de Potest. Episcop., alleg. 73, n. 17 et 18; Petra loco cit. n. 19; et plene Rota part. XII, recent. dec. 278, n. 1 et 2, et prius decis. 136, n. 17 et sequent. ead. part. XII.

(23. Episcopus, in casibus in quibus convocat Capitulum, debet in eo præsidere cum omnibus prærogativis; cum enim sit in Capitulo uti caput, debet ipse retinere primam sedem et præeminentiam horologii, vota recipere, negotia proponere, ac alia peragere quæ necessaria sunt. Trident. sess. 25, c. 6 de Reform., ibi: « Episcopis præterea ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est, eisque in choro et in Capitulo, in processionibus et aliis actibus publicis sit prima sedes, et locus, quem ipsi elegerint, et præcipue omnium rerum agendarum auctoritas. » Rota in Gerunden. Jurisdictionis super jure præsidendi in Capitulo. 14 Junii 1702, coram Priolo; et Hispalen. Juris præsidendi in Capitulo, 2 Junii 1700 per tot. ubi late examinatur articulus etiam in Capitulo exempto coram D. dell' Olmo. (24. Episcopus interveniens Capitulo non illud congregando, seu convocando pro rebus ad suam dignitatem pertinentibus, sed solum ratione consuetudinis interveniens Capitulis, quæ congregantur a capite Capituli pro rebus et negotiis ipsius Capituli, habet præeminentiam loci, et prærogativas horologii et tintinnabuli, quia etiam ibi intervenit uti Episcopus, et incongruum videtur, ut subsit alteri, cum caput Capituli sit inferior Episcopo. Sarav. de Adjunctis q. 1, n. 7; Ceccoper. lucubrat. Canon. lib. IV, n. 133; Lotter. de Re Benefic. lib. I, q. 16, n. 69; Petra loc. cit. n. 66. (25. In actibus vero concomitantibus ipsum Capitulum, nempe convocatione, votorum receptione, ac similibus tales prærogativæ spectant ad caput Capituli, et non ad Episcopum, nisi etiam actus præfati ex consuetudine spectent ad Episcopum, quia Episcopus ibi non intervenit uti constituens unicum corpus mysticum cum ejus Capitulo pro explendis actibus, qui opus habeant unione dicti corporis mystici, sed dicti actus pro rebus Capituli explentur per corpus Capituli, sine Episcopo, qui potius intervenit ibi uti judex, ne aliquid agatur contra jus. Et sic videtur recte sentire Rota in d. Hispalen. Juris præsidendi in Capitulo, 2 Julii 1700, § *Minusque urget;* Petra loc. cit. num. 66. (26. Episcopus, qui est Canonicus sive in Ecclesia suæ propriæ diœcesis, sive in Ecclesia alienæ diœcesis, sive in Ecclesia exempta, non potest uti Canonicus convocare Capitulum, vota recipere, et similia, sed hæc spectant ad caput Capituli, quia Episcopus, ut Canonicus, est pars Capituli. (27. Episcopus autem, etiam titularis, licet interveniat Capitulo et aliis functionibus capitularibus uti Canonicus, habet præcedentiam et præeminentiam super omnes Canonicos et dignitates. Rota in Asturicen. Præeminentiarum 2 Jun. 1704, § *Sentirbant*, et § *Fortius* coram D. Ansaldo, et S. Cong. Rit. in Neapolitana, ut refert Card. de Luca disc. 41 de Præeminentiis; in Ruthenen., 24 Sept. 1605, *in Compostellana*, 11 Jul. 1617, et in Calaguritana, 13 Novemb. 1611. Vid. verb. *Canonicus* art. 7, n. 45. Et ratio est quia præcedentia, seu præeminentia loci, ac hujusmodi, sunt inseparabiles a dignitate Episcopali, quæ supereminet tali Capitulo, et per hoc, ut recte advertit Hieronymus Veneto in Examine Episcop. lib. IV, c. 28, num. 32, et cum ipso Barbosa de Canon. cap. 36, n. 6, et Petra loc. cit. n. 78, debet præfectus Capituli, quando proponit, petere cum debita urbanitate licentiam ab Episcopo istum salutando.

(28. Capitulum convocari, seu celebrari debet in Ecclesia et loco ad hoc determinato. Cap. *Quod sicut*, 28, de Election. et Glossa

Digitized by Google

ibi verb. *Constitutiones*, c. *Qua fronte* 25, de Appellat., et ibi Glossa verb. *Canonicum*, cap. *In nomine Domini* 1, dist. 23, c. *Præceptum* 6, q. 2, caus. 1. Fagnan. in c. *Cum ex injuncto* 2 de Novi operis nunt. n. 17, cum multis ibi citat. (29. Nec Episcopus potest domi suæ illud convocare, sed ad aulam capitularem, ubi antea solitum fuit convenire. Sacra Congr. Concil. in Placentina, ubi, ut refert Fagnan. loco cit. n. 18 proposito dubio : An Episcopus volens aliquid in Capitulo proponere juxta c. 6, sess. 25, teneatur accedere ad Ecclesiam, et locum solitum deputare; an vero illud in ædibus propriis convocare possit? Sacra Congreg. prius respondit quod, quando Episcopus vult aliquid proponere Canonicis ad deliberandum, nec de re ad suum vel suorum commodum spectante agitur, solus Episcopus privative ad quoscunque potest convocare, idque in domibus suis; postea vero auditis utriusque rationibus, partiumque advocatis, et procuratoribus, ab omnibus in hanc sententiam itum est, ut Episcopus non possit domi suæ Capitulum convocare, sed ad aulam capitularem, in qua antea semper solitum fuit Capitulum convenire. (30. Potest tamen Capitulum ad alium locum transferri et convocari, quando non potest tuto convenire in Ecclesia, vel loco capitulari, ut patet in c. *In nomine Domini* 1, dist. 23, his verbis circa medium : « Quod si pravorum, atque iniquorum hominum ita perversitas invaluerit, ut pura, sincera, atque gratuita fieri in urbe non possit electio, Cardinales Episcopi cum religiosis clericis, Catholicisque laicis licet parvis, jus potestatis obtineant eligere Apostolicæ Sedis Pontificem, ubi congruere viderint; » et ibi notat Glossa in verb. *Fieri in urbe*; Fagnan. loco cit. num. 21. (31. Et inter alias justas causas transferendi Capitulum ad alium locum, justa causa est repulsio Episcopi ab ingressu in civitatem, vel rebellio contra ipsum Episcopum, ut ex causa rebellionis contra Episcopum Leodiensem fuit concessa facultas transferendi ipsum Capitulum ad alium locum idoneum et tutum in dicta diœcesi Leodiensi constitutum, de quo Episcopo et Capitulo expedire videbitur. Sic concessit Clemens VI in constit. incip. *Ecclesiis*, dat. Avenione Kalendis Maii anno sexto sui Pontificatus; et confirmavit Innocentius X in constitut. incip. *Cum alias*, dat. Romæ 24 Jun. 1649, anno quinto sui Pontificatus, ut videre est apud Fagnan. in c. *Cum ex injuncto* 2, de nov. oper. nunt. num. 55 et 56. Et ratio est quia, ut expresse dicitur in cap. *Non decet* 1, dist. 12 : « Non decet a capite membra discedere, sed ea juxta Scripturæ testimonium caput sequantur. » Caput autem est Episcopus, et membra sunt Canonici. Cap. *Novit* 4, de his quæ fiunt a Prælato, ibi : « Novit tuæ discretionis prudentia, qualiter tu et fratres tui unum corpus sitis, itaquod tu caput, et illi membra esse probentur, unde non decet te omissis membris aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotiis uti. » Quare cum ob impedimentum ei illatum Episcopus nequiverit ad suam cathedralem Ecclesiam se conferre, ibique Canonicorum consilium exquirere pro negotiis Ecclesiæ expediendis, necesse est ut possit alio eos convocare, ut juxta citat. canon., « Membra caput suum sequantur, ne cogatur Episcopus, omissis membris, aliorum consilio uti in negotiis suæ Ecclesiæ. »

(32. Capitula, seu tractatus, et congregationes ac actus capitulares per Canonicos cathedralium et collegiatarum Ecclesiarum fieri non debent eo tempore quo celebrantur divina officia, ut rescripsit Sacra Rituum Congregatio Archiepiscopo Ulyssiponen. his verbis : « Sac. Congreg. Rit., viso et perpenso memoriali pro parte dimidiorum Canonicorum quaternariorum Ecclesiæ Ulyssiponen. eidem Sac. Congr. porrecto, declaravit Capitula, seu tractatus, et congr. ac actus capitulares per Canonicos cathedralium et collegiatarum Ecclesiarum, peractis divinis officiis, et præsertim Missa majori, ne divinus cultus propter ministrorum subtractionem minuatur, habendos esse. Quod si dum Missa et alia divina officia celebrantur, aut horæ canonicæ recitantur, Capitula habere voluerint, nisi forte evidens necessitas id postulaverit, ejus horæ, et in qua id commiserint, quotidianas distributiones minime lucrari debere censuit sub die 17 Novembr. 1600. » Et sic etiam censuit Sac. Congr. in Oriolen., 27 Martii 1632, in responsione ad 11, ubi respondit : « Capitulum non esse habendum eo tempore quo divina officia celebrari debent, nisi causa aliqua urgens in aliud tempus differre non patiatur; quod si secus fiat, Canonicos nunquam lucrari distributiones quotidianas pro illis horis quibus divinis non interfuerint, et eo casu Episcopum posse sine conjudicibus contra Canonicos procedere ad subtractionem fructuum, et ad mulctas ab eo impositas. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(33. Capitulum Ecclesiæ cathedralis, definiente Bohemero in decretal. lib. III, tit. 9, § 7. est « Collegium sub Episcopo quidem, sed separatum corpus tamen sub directione præpositi et decani constituens, et peculiaribus suis juribus gaudens, Episcopo in adjutorium datum, et de regimine ecclesiastico participans, constans ex iis qui, vel ratione præbendæ suæ, vel alias de consuetudine votum sessionemque in Capitulo acceperunt. » (34. Quod olim presbyterium, id Capitulum sibi hodie vindicat. (35. De origine vero Capitulorum, adibis eumdem Bohemerum in decretal. d. l. III, dict. tit. 9, *a* § 2 ad plur. seqq. cum Rousseaud de la Combe verb. *Capitulum*, sect. 1 per tot.

(36. Ut autem Capitulum jure suo expleat negotia, quatuor hæc concurrant oportet. I. Ut sit legitime congregatum. II. Ut vocentur omnes qui vocem in Capitulo habent, vel de præsenti habere possunt. III. Ut negotia capitulariter expediantur. IV. Ut major pars consensum suum interponat.

(37. Quod attinet ad primum requisitum,

Digitized by Google

Capitulum ut legitime convocetur, haberi debet ratio *personarum*, id est convocantium, *modi*, *loci*, *et temporis*. (38. Convocat Capitulum Episcopus, vel decanus. (39. Episcopus convocat in negotiis quæ peragi debent cum consensu vel consilio Capituli, vel alias conjunctim ad Episcopum et Capitulum pertinent. (40. In cæteris negotiis decanus convocat Capitulum vel tempore statuto, vel extraordinario pro re nata, eoque deficiente senior ut plurimum, (41. nisi aliter ea in Ecclesia obtinuerit. Bohemer in decretal., lib. IV, tit. 11, § 3, (42. ubi quod, convocante decano Capitulum, haud opus est licentia Episcopi. Louvrex dissert. canon. 17, n. 1 et plur. sequent.

(43. De modo convocandi Capitulum nihil in jure statutum est. (44. Quocirca retineri debet modus ille, qui in Ecclesia, de qua agitur, invaluit. (45. Alibi enim fit convocatio per sonum campanæ, alibi per litteras, alibi viva voce. (46. Quod vero attinet ad absentes, ii necessario convocandi sunt per litteras vel per nuntium. Passerin. de Election. Canon., cap. 11 fere per tot.

(47. Locus Capituli solet esse certus ac determinatus. (48. Episcopus tamen potest Capitulum in aula sua convocare, nisi controversiam cum ipso Capitulo habeat. Fermosin. de Potest. Capitul. sede vacante, tract. 3, quæst. 6, num. 12. (49. Verum si alibi, modo in loco honesto, convocatum sit Capitulum, nequit actus hoc nomine impugnari, quod Capitulum non sit convocatum in loco consueto. Card. de Luca de Regular., discurs. 15, n. 2; Passer. de Elect. Canon., c. 12, n. 2 et seqq.

(50. Demum tempore consueto convocari debet Capitulum, non eo tamen quo divina celebrantur, alias capitulares impune non comparerent. Leuren. For. Beneficial., t. I, q. 420, n. 5.

(51. Quod concernit secundum requisitum: vocem in Capitulo habent, adeoque sunt convocandi, qui nomine Capituli veniunt, (52. et sic regulariter soli Canonici, nam nonnisi Canonici veniunt nomine Capituli, ipsumque constituunt. Bohemer. in decretal. lib. III, tit. 11, § 6. (53. Hinc sequitur, dignitates convocari non debere, nam eæ non dicuntur de Capitulo, nisi vel fundatione, vel consuetudine aliud obtineant. Cardinal. de Luca de Beneficiis, discurs. 46, num. 1; Barbosa de Canon., cap. 35, num. 14. (54. Idem dicendum est de mansionariis, quippe qui nec de Capitulo dicuntur. Ayrer. in dissert. de beneficiar. assis. Confer etiam Rotam coram Crispo dec. 50, n. 20, in Gerunden. Servitutum 23 Febr. 1731, § *Siquidem*, coram clar. mem. Cincio.

(55. Quinimo nec omnes Canonici convocandi sunt, sed tantum præbendati, intra numerum, et in ordine saltem diaconatus constituti. Bohemer. in decretalib. lib. III, tit. 11, § 7 et 8. (56. Num autem Canonici absentes vocandi sint? Negatur, exceptis tamen in negotiis majoris ponderis, ut sunt electio prælati, receptio Canonicorum, aut præbendarum collatio, et cessatio a divinis a Capitulo indicenda. Idem auctor loc. cit. § 9.

(57. Tertium requisitum est, ut negotia capitulariter expediantur. Dicuntur enim negotia expediri capitulariter, si congregatum sit Capitulum, audita sint vota singulorum, et deliberatio a congregatis facta sit. (58. Neque enim singuli extra congregationem Capitulum constituunt, et ita nec singulorum consensus extra Capitulum interpositus sufficit in negotiis a Capitulo expediendis; id quod ex natura collegiorum fluit. Card. de Luca de Benefic., discurs. 30, n. 3 et 5 optime Louvrex dict. dissert. Canon. 17, num. 24.

(59. Restat ut disseramus de ultimo requisito, ut major pars Capituli consensum suum interponat. Id quoque ex natura omnium collegiorum et universitatum fluit, cum non esset ratio expediendorum negotiorum, nisi majora concluderent. (60. Major tamen pars æstimari debet non respectu partium minorum, sed totius Capituli, id est omnium Canonicorum intervenientium, et suffragium ferentium, nisi alia sit consuetudo. Louvrex dict. dissert. Canon. 17, num. 9 et seq. (61. Idemque obtinere debere tenet dictus auctor, si Capitulum consenserit, ut major pars respectu partium minorum concludat.

(62. Cæterum si agatur de negotio Canonicos uti singulos concernente, non sufficit consensus majoris partis, sed singulorum Canonicorum consensus exigitur. Fagnan. in cap. *Cum in cunctis* fere per tot. de his, quæ fiunt a majori parte Capituli. Fermosin. de Potestat. Capitul. *sede vacante*, tract. 3, q. 1, n. 5, 15 et sequent.

(63. At quando negotium dici debeat hujus generis, ut concernat Canonicos uti singulos, omnium optime explicat Louvrex sæpe dicta dissert. Canon. 17, a num. 16 ad plur. seq. omnino consulendus ubi res postulat.

(64. Num ad convocationem Capituli extraordinarii debeant Canonici ei qui jus habet convocandi ipsum Capitulum, eique præsidendi, negotia pandere, propter quæ convocatio illa desideratur? (65. De quæstione hac magna utrinque animorum contentione disputatum novissime est in Rota. At tribunal hoc definivit necesse haud habere Canonicos negotia proponenda in Capitulo extraordinario nota facere habenti jus convocandi Capitulum, ipsique præsidendi. Vide decisionem in Avenionen. Convocationis Capituli 17 Martii 1752, coram Emin. Bussio.

ARTICULUS II.

Quoad ea in quibus requiritur consilium vel consensus Capituli

(1. Capituli consensus requiritur: Primo in alienatione rerum ecclesiasticarum quæ ad Cathedralem Ecclesiam pertinent; cap. *Sine exceptione* 53, caus. 12, quæst. 2; cap. *Ut super*, § fin. de Rebus. Eccles. non alien., cap. 1 de His quæ fiunt a Prælat. Rota in Triventina Beneficii 12 Novembr. 1649, cor.

Digitized by Google

Queipo. (2. Secundo, requiritur Capituli consensus in administratione bonorum et redditnum Ecclesiæ. Si enim hæc omnia sunt communia inter prælatum et Capitulum, ad eos simul spectare debet administratio; cap. *Novit* 4, cap. *Quanto* 5, cap. *Ea noscitur* 5, de His quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli; Rota par. I, recent. dec. 183, num. 1, et in Gerunden. Administrationis, 16 Febr. 1629, coram Verospio, et in eadem 11 Decembr. 1630, coram Coccino decano. (3. Tertio, requiritur Capituli consensus in suppressione canonicatuum et beneficiorum, quæ non permittitur Episcopo absque tali consensu, et sine legitima causa; c. *Cum accessissent*, de constitut., ubi Abb., num. 4 et 9; Felin., num. 17, dec. num. 45 et alii passim. (4. Quarto, requiritur Capituli consensus in unione unius Ecclesiæ alteri Ecclesiæ, seu dignitati, vel præbendæ per Episcopum facienda; cap. *Si Episcopus* 72, caus. 12, qu. 2, ubi gloss. in fin. cap. *Tua nuper*, de His quæ fiunt a Prælatis; Clement. *Si una*, de Rebus Eccles. non alien. Rota dec. 133, n. 2, part. II, divers. et dec. 294, num. 17, part. V divers. (5. Quinto, requiritur Capituli consensus in casu quo diminueretur Ecclesiæ auctoritas; cap. *Dilecti* 13 de Majorit. et Obedient. Piasec. in praxi Episcop., part. II, quæst. 2, cap. 2, n. 9, vers. *Item in casu*. (6. Sexto, requiritur Capituli consensus in omni negotio quod concernat præjudicium Ecclesiæ cathedralis; cap. *Humilis doctrina*, 17, de Major. et Obedient. (7. Septimo, requiritur Capituli consensus, ut erigatur seminarium in ædibus canonicalibus; seminarium enim ibi erigi non potest, nisi de consensu Canonicorum, et ita separatum, ut presbyteri vel clerici nullam communicationem habeant cum seminaristis. Sacr. Congregat. Concil. in Mutinensi, 3 Febr. 1604. (8. Octavo, requiritur Capituli consensus in creatione Canonicorum supranumerariorum; nec enim potest Episcopus auctoritate ordinaria in sua Ecclesia creare Canonicos supranumerarios absque consensu Capituli et Canonicorum. Sac. Congreg. Concil. 26 Febr. 1639, in una Fulginat. (9. Nono, requiritur Capituli consensus, ut vigore Concil. cap. 7, sess. 7, de Reform., curam animarum toti Capitulo cathedralis incumbentem, per viam unionis perpetuæ in certam personam, seu dignitatem ejusdem Ecclesiæ adnectere possit Episcopus. Sacr. Congreg. Conc in Compsana, 1 Julii 1647. (10. Decimo, consensus omnium Canonicorum requiritur in actibus Capituli voluntariis, et ubi agitur de Ecclesiæ præjudicio, nec sufficit consensus majoris partis. Rota part. VI, recent. decis. 20, num. 5, part. XVI, dec. 244, num. 25. Secus vero in actibus necessariis, et ubi agitur de ejusdem Ecclesiæ utilitate. Rota part. VI, dec. 20, num. 7 et sequent.; p. XVI, dec. 244, num. 25; part. XIX, t. I, dec. 171, num. 7. (11. Undecimo, consensus majoris partis Capituli requiritur in quolibet actu Capitulari; l. 3 et l. 4 ff. quod cujusque univers. nom. l. nominationum 46, Cod. de Decurion., lib. X. Rota part. XVII, dec. 79, n. 10. (12. Unde advertendum est quod consensus majoris partis sufficit in iis quæ sunt communia pluribus, uti universis, non autem uti singulis; cap. 1 De iis quæ fiunt a majori parte Cap.; Rot. part. XVII, dec. 263, num. 5. (13. Et pariter advertendum est quod ubicunque requiritur consensus Capituli, debet præstari collegialiter, et Capitulo ad id legitime congregato. Rota part. II, dec. 382, num. 3. (14. Et circa hoc est ultimo advertendum quod, in omnibus casibus ubi requiritur consensus Capituli, id quod ab Episcopo sine tali consensu Capituli factum fuerit, nullius erit roboris et momenti. Barb. de Canonicis, cap. 42, num. 15 et alii passim.

(15. Capituli consilium requiritur: Primo in institutionibus et destitutionibus beneficiorum; cap. *Novit* 4 De his quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli. (16. Secundo, requiritur Capituli consilium in clericorum ordinationibus; cap. *Episcopus sine consil.* 6, dist. 24, ibi: « Episcopus sine consilio clericorum suorum clericos non ordinet. » (17. Tertio, requiritur Capituli consilium in dispensationibus et confirmationibus; cap. *Præsentium* 3, caus. 1, qu. 5, et ibi Glossa cap. *Quanto*, 5 de iis quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli. (18. Quarto, requiritur Capituli consilium in inquisitionibus et condemnationibus clericorum et sacerdotum; cap. *Si quid vero* 23, dist. 86, et ibi plene Glossa in verb. *Ecclesia*, cap. *Licet Heli* 31, vers. *nam juxta Canonicas sanctiones*, de Simonia. (19. Quinto, in processionibus edicendis, decernendis, dirigendis, atque deducendis consilium Capituli est requirendum, non autem consensus exigendus. Sacr. Congregatio Rituum in Elboren., 28 Mart. 1628, et in Comen., 7 Feb. 1632, ubi declaravit ad Episcopum pertinere cum Capituli tamen consilio indicere publicas processiones, et præscribere quomodo et quo sint dirigendæ; quod per Vicarium Generalem absente Episcopo requirendum quoque esse ab eodem Capitulo censuit eadem Sac. Congregatio in Vigilien., 28 Sept. 1630. (20. Sexto, consilium Capituli requirere tenetur Episcopus casu quo canonicatus et portiones omnes suæ Ecclesiæ cathedralis ex fundatione, aut antiqua consuetudine aut statuto aliquem ordinem presbyteratus vel diaconatus annexum non habent, ut scilicet cum prædicti sui Capituli consilio designare et distribuere valeat, quibus quisque ordo in posterum debeat esse annexus, ita ut saltem pro dimidia parte sint presbyteri, cæteri vero Diaconi vel Subdiaconi. Conc. Trident. sess. 24 de Reformat., c. 12, vers. *Episcopus autem*, ubi jussit observari consuetudinem illam, quæ habuerit, ut plures, vel omnes sint presbyteri, circa quam conciliarem dispositionem emanarunt exinde a Sacr. Congreg. Concil. tres sequentes decisiones: *Prima est:* « Episcopus cum consilio Capituli designare debet, quibus beneficiis vel canonicatibus quisque ordo debeat esse annexus, non q[illegible]us personis vel

Digitized by Google

canonicis, quia mandavit Synodus sacros ordines annecti canonicatibus ipsis, ut in posterum perpetua, et continua foret sacrorum ordinum assignatio, non ipsis personis possidentibus canonicatus, ne opus foret singulis vicibus nova assignatione accedentibus novis canonicis. » *Secunda* : « Episcopus auctoritate dicti decreti non potest imponere omnibus canonicatibus ordinem presbyterii, sed duntaxat sub hoc numero dimidiæ partis comprehensis dignitatibus, vel iis qui dignitatem obtinent, nam reliqua pars manere potest solis ordinibus diaconatus, vel subdiaconatus obnoxia. » *Tertia* : « In facienda distributione seu designatione sacrorum ordinum, Episcopus tenetur duntaxat adhibere consilium sui Capituli, non etiam assensum ejusdem exspectare, quia potest etiam invito Capitulo efficere id quod judicaverit magis expedire. » Sic ex Stephan. Vueyms. Barbosa de Canon., cap. 42, num. 20.

(21. Episcopus antequam indicet, et publicet Synodum diœcesanam, requirere debet saltem consilium Capituli juxta regulam; cap. *Quanto* 5 De iis quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli; Rota in Barbastren. Jurisdictionis coram Pamphilio 7 Julii 1585. (22. Episcopus enim prudens, antequam decreta Synodi promulget, debet prius in privatis congressibus a viris doctrina, prudentia, et pietate præstantibus, et deinde ex obligatione a Capitulo collegialiter coadunato consilium exquirere, licet solus potestatem legislativam statuendi habeat, et consilium sequi non teneatur. Sac. Congreg. Conc. in Hispalen. Synodi, 26 Novembris 1689. (23. Et sic quod Episcopus in decernendo et statuendo ea quæ sibi benevisa fuerint in Synodo diœcesana, teneatur requirere consilium Capituli, non autem illud sequi in casibus in jure expressis, decrevit eadem Sacra Congreg. in dicta Hispalen., 15 Januarii 1695. (24. Requisitio tamen consilii Capituli facta per edictum sufficit ad sustinendam validitatem Synodi, prout censuit Sacra Congreg. Concil. in Ostunen. Synodi 15 Decembr. 1696. Concordant omnino quæ habet Benedict. XIV de Synodo Diœces., lib. VIII, cap. 1, per totum; ibique subdit, quod si Episcopus constitutiones suas inconsulto Capitulo promulgaverit, illæ profecto, quod ad normam juris non sint exactæ, firmitate carent. (25. De primo ad ultimum Capituli consilium requiri debet in omnibus arduis Ecclesiæ negotiis; cap. *Novit* 4, c. *Quanto* 5, c. *Pastoralis* 9, De iis quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli. (26. Ecclesia enim habet Senatum seu cœtum presbyterorum (id est Capitulum), sine quorum consilio prælato nihil agere licet, ut legitur in cap. *Ecclesia habet Senatum* 7, caus. 16, q. 1, et facit ad hoc Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 12 de Reformat., circa finem, ibi : « Ut merito Ecclesiæ Senatus dici possit. » Adeoque pro arduis Ecclesiæ negotiis expediendis esset semper requirendum hujus ecclesiastici Senatus consilium. (27. At vero fere ubique habetur in pluribus consuetudo contraria, qua legitime exstante, non amplius requiritur ipsius Capituli consilium; textu expresso in cap. *Non est* 3, de Consuetudine in 6, sicuti in aliis quoque quæ supra diximus, contraria prævalet consuetudo; cap. *Ea noscitur* 6, De iis quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli. (28. Et de facto, quod Capitulum cathedralis subjiciatur constitutionibus synodalibus, aliisque legibus, etiam per edicta panditis sine consilio Capituli, respondit novissime Sac. Congr. Conc. in Gerunden., 19 Decembr. 1739 ad 3

(29. Idque procedit, etiamsi Capitulum cathedralis exemptionem obtineat; subditur enim legibus synodalibus in iis, quæ versantur circa morum et disciplinæ reformationem, ita declarante Sac. Congreg. de Synodo Diœces., lib. IV, c. 8, § 7.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(30. Antiquitus presbyterium Senatus erat ecclesiasticus, quocum Episcopus peragebat potiora suæ Ecclesiæ negotia. (31. In locum presbyterii successit Capitulum, et Episcopo loco Senatus intimi per plura sæcula fuit in casibus gravioribus et statum Ecclesiæ concernentibus. (32. Sed a sæculo duodecimo, quo Episcopi tot sibi officiales assumere cœperunt, decrescere cœpit auctoritas Capitulorum. (33. Adhuc tamen pro varietate negotiorum debent Episcopi aliquando consilium, aliquando consensum Capitulorum exquirere. (34. Illud sat est, quod Episcopi exquirant, cum non obliget : (35. hunc autem Episcopi et exquirere et sequi regulariter debent, Bohemer. in decretal., lib. III, tit. 10, § 1 et duob. seq.

(36. Consensus vero locum sibi vindicat, si vel in jure canonico, vel in capitulationibus expresse exigatur. (37. In aliis negotiis gravioribus sufficit consilium, nisi consuetudo ab hac etiam necessitate Episcopum absolverit; (38. nam non esse improbandam hanc consuetudinem dicitur in c. *de Consuetud.* in 6. Consule Barbosam de Canon. cap. 42, num. 29 et sequent.; Fermosin. de Potestat. Capit. sede vacante, tract. 2, quæst. 1, num. 4.

(39. Casus, in quibus Episcopus adhibere debet consensum Capituli, recenset auctor, at non omnes extra controversiam sunt. Confer Bohemer. in decret. lib. III, tit. 10, a § 4 ad fin.

ARTICULUS III.

Capitulum quoad ea quæ ipsum concernunt et Sede plena et Sede vacante.

(1. Capitulum, Sede plena, seu vivente Episcopo, potest etiam sine consensu Episcopi condere statuta de his quæ respiciunt particularia ipsius Capituli negotia, aut proprios capitulares concernunt circa rectam ordinationem Ecclesiæ, puta ut certis modis dividantur quotidianæ distributiones, vel ut certis temporibus ad Capitulum non vocati conveniant, seu ut tali ordine, aut ad pulsum hujus, vel illius campanæ Canonici ad cho-

Digitized by Google

rum, vel Capitulum vocentur, vel super administratione bonorum communium Capituli, in quibus Capitulum habet administrationem seorsim ab Episcopo, vel super aliis hujusmodi. Sic Glossa receptissima in c. *Constitut.*, vers. *Statutum* 2, De verb. significat. in 6, et doctores communiter cum Rota in Illerden. Statuti 19, Mart. 1597, coram Corduba et in Paduana Sedilium, 26 Januarii 1618, coram Card. Sacrato, et desumitur ex c. *Cum accessissent*, 9 de Constitutionibus et cap. *Significatum* 12, de Præbend., ubi reperitur Capitulum quædam talia statuta fecisse, quæ non solum rejecta non fuerunt ex defectu potestatis ea ferendi, sed etiam fuerunt per Papam approbata. Accedit textus in cap. *Ex litteris* 11 de Constitutionibus, ubi istud ipsum admittitur in inferioribus universitatibus, juncta l. 1, § 2, ff. *Quod cujusque Universit. nomin.* et leg. ultima Cod. de Jurisd. omn. Jud. (2. Imo Capitulum potest adjicere pœnas hujusmodi statutis, ad hoc ut firmius observentur; et sufficit consensus majoris partis Capituli. Talia tamen statuta non obligant Canonicos successores, nisi ab Episcopo fuerint confirmata. Sic Sacra Congreg. Conc., 31 Martii 1607, in qua proposito dubio: « Patres unanimiter censuerunt, Capitulum posse pœnas adjicere quasi conventionaliter ex his videlicet, quæ pacto privatorum promitti, ac in conventionem deduci possunt, et sufficere consensum majoris partis Capituli, sed Canonicos successores non affici hujusmodi statutis, nisi ab Episcopo fuerint confirmata. » Sic refert et tenet Fagnan. in cap. *Cum omnes* 6, de Constitut., num. 37, usque ad num. 43. (3. Capitulum ex causa publicæ utilitatis potest statuta facere contra antiquam Ecclesiæ consuetudinem, etiam de ea non facta mentione. Glossa in cap. *Cum M. Ferrariensis* 9 de Constitutionibus, verb. *Consuetudinem;* Hostiens. in eodem verb. n. 2; Butr. num. 10 et 12; Imol. n. 8, vers. *Et nota etiam*; Fagnan. ibid. n. 13, per ration. cap. 1 de Consuetud. in 6. (4. Etiamsi consuetudo foveat utilitatem publicam, et statutum sit nutritivum utilitatis privatæ ipsorum statuentium, dummodo tamen hoc faciant ex rationabili causa, secundum Abbat. in cit. cap. *M. Ferrariensis*, n. 2; Aretin. n. 4, et Fagnan. n. 14. (5. Et dummodo principaliter et directe concernat utilitatem Ecclesiæ, et solum secundario et indirecte privatum commodum singulorum Canonicorum, et fiat de Episcopi consensu. Ripa in cit. cap. *Cum M. Ferrarien.*, n. 22; Joan. Andreas, n. 2, in verb. *Statuerunt*, et Fagnan ibid. n. 15. (6. Ut autem valeant statuta a Capitulo condita, quatuor potissimum requiruntur conditiones. Prima ut capitulares condant tale statutum non in quovis loco, sed in loco ad Capitula celebranda deputato. Canonicis non quomodocunque, vel singulariter, sed collegialiter, *et Capitulo ad id legitime congregato.* Rota p. 1, dec. 382, n. 3. Secunda, quod duo saltem partes capitularium adsint; leg. 3 et 4, ff. *Quod cujuscunque Univers. nomine.* Tertia ut omnes fuerint vocati, alioquin unus contemptus, seu non vocatus, cum vocari debuisset, posset reclamare, actumque irritare, nisi ob bonum pacis postea consentire voluerit; arg. cap. *Bonæ memoriæ*, 36 de Election. cum similibus, ac notat Abbas in cap. 1, num. ult. De his quæ fiunt a majori parte Capitul. Quarta ut sanior et major pars eorum, qui adsunt, statuto consentiat. Barbosa de Canonicis, cap. 42, num. 18 et alii passim.

(7. Capitulum, vivente Episcopo, non potest facere statuta, quæ obligent extraneos, sive totam diœcesim, quia non habet jurisdictionem in diœcesanos, vivente Episcopo. *Est communis.* (8. Nec etiam condere potest statuta circa ea, quæ tangunt communem statum Ecclesiæ sive Episcopatus, ejusque jura vel alia negotia ardua sine consensu Episcopi. Idque patet ex cap. *Cum consuetudinis*, 9 de Consuetud. ubi sub nullitate actus prohibetur, ne absque consensu Episcopi Capitulum immutet Ecclesiæ suæ constitutiones, vel consuetudines approbatas, atque novas inducat, et ita tenet Glossa in cap. *Constitutionem*, 2 de verb. significat. in 6, verb. *Statutum;* Barbosa de Canonicis, cap. 42, num. 16; Fermosinus de Potest. Capitul., tract. 3, quæst. 4, n. 1; Rota dec. 11, apud Farinacium part. II recent. (9. Nec etiam potest Capitulum condere statuta juri communi contraria, etiam interveniente consensu Episcopi. Et ratio est quia inferior non potest tollere legem superioris; cap. *Inferior.* 5, dist. 21, et Clement. *Ne Romani*, § 1, de Elect.; Barbosa cap. 42 de Canon. n. 17; Oltradus consil. 259, num. 6; Federicus de Senis consil. 17; Fermosin. loc. cit. qu. 4, n. 5 et 6, et Rota in Hispalen. Portionis de Ossuna, 10 Febr. 1623, coram Manzanedo. (10. Nec etiam potest Capitulum cum consensu Episcopi statuere, quod descendentes ex genere infecto, puta Judæorum, Maurorum et hæreticorum, cæteroquin tamen digni, non admittantur ad beneficia ecclesiastica. Nam hujusmodi statutum est contra jus commune; cap. *Eam te*, 7 de Rescript. ubi Pontifex cuidam scribit his verbis: « Pro eo vero, quod Judæus exstiterit, ipsum dedignari non debes recipere in Canonicum; » Barbosa loco cit. num, 18, et lib. 1 Juris Ecclesiast., cap. 32, num. 18; Fermosin. loco cit. quæst. 4, num. 6, et Rota in Cordubens. dimidiæ portionis, 28 Junii 1628, cor. Molino. (11. Nec etiam potest Capitulum statuere, ut non admittantur Canonici, nisi probata nobilitate, quia est contra cap. *Venerabilis*, 37 de Præbend. allegata illa ratione: « non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas gratum Deo faciunt, dignumque servitorem... Nec est acceptatio personarum apud Deum; et vix ad culmina dignitatum (nedum præbendas) viri eminentis scientiæ valent reperiri; » Abbas in cit. cap. *Venerabilis*, num. 4; Barbosa ibidem num. 5 de Præbend.; Pirhing. de Præbend. num. 111, ubi num. 113 excipit illas Ecclesias, in quibus ex primæva fundatione conditio nobilitatis exigitur. (12. Nec etiam potest Capitulum statuere, ut capiens possessionem canonicatus, aut be-

Digitized by Google

neficii, teneatur aliud solvere convertendum in commodum aliorum Canonicorum, et beneficiatorum. Hoc enim tanquam simoniacum reprobatur in cap. *Si quis Præbend.* 15, caus. 1, quæst. 3, et cap. *Jacobus*, 44 de Simonia. Et sic teste Garcia p. 8 *de Benefic.*, c. 1, num. 83 et 84 habetur ex decisione Sac. Congr. in Leodiensi juncto Conc. Trid. sess. 24, c. 14, de Reformat.

(13. Capitulo potest competere jus conferendi beneficia, etiam privative ad Episcopum, ut colligitur clare ex cap. *Nulla*, 2 de Concessione præbend., alias enim non fieret devolutio de Capitulo ad Episcopum, ut disponitur in cit. c. *Nulla*, verb. *Quod si ad Capitulum pertinuerit*, et notat Bernard. ibi in princip. Abb. n. 5, Fagnan. n. 40. (14. Ad Capitulum, Episcopo existente hæretico, spectat facultas concedendi dimissorias. (15. Imo ipsas dimissorias sufficit obtinere ab uno ex Canonicis, si reliqui propter hæresim sint dispersi. Sic Sacra Congr. Concil. in qua proposito dubio: An Episcopo existente hæretico facultas concedendi dimissorias, juxta Trident. cap. 10, sess. 7, pertineat ad Capitulum cathedralis Ecclesiæ; anve eo casu, quo Capitulum concedere potest dimissorias, si Canonici propter hæreses dispersi sint, et nequeant convenire, aut conveniri sine difficultate, sufficiat habere litteras dimissorias ab uno aliquo ex Canonicis cathedralis Ecclesiæ, aut omnino sine dimissoriis adire pro suscipiendis ordinibus viciniorem Episcopum? Die 14 Januarii 1588, Sac. Congr. Card. Conc. Trident. interpretum: « Ad primum censuit, ad Capitulum pertinere, si Episcopus sit notorie hæreticus. Ad secundum, et primam ejus partem, sufficere habere dimissorias a residentibus capitularibus, etiamsi unus dumtaxat resideret, quia jus Capituli etiam in uno conservatur. » Glossa penult. in cap. *Gratum*, ubi Abbas. num. 9 de Postulat. Prælat. « Ad secundam partem, neque adeundum viciniorem Episcopum, neque Metropolitanum, sed adeundam Sedem Apostolicam.» (16. Capitula cathedralium, etiam vivente Episcopo, vocanda sunt et admittenda, aut eorum Nuncii ad Concilia Provincialia, præsertim ad ea tractanda, quæ Capitula ipsa contingere dignoscuntur; cap. *Et si membra* 10 *de his, quæ fiunt a prælatis sine consensu Capituli*, ibi: « Visum fuit nobis et fratribus nostris, ut Capitula ipsa ad hujusmodi Concilia debeant invitari, et eorum Nuncii ad tractatum admitti, maxime super illis, quæ ipsa Capitula contingere dignoscuntur, » et in ejus summario expresse dicitur: « Ad Concilia provincialia vocari debent, et admitti cathedralium Ecclesiarum Capitula, » ubi Abbas n. 4 dicit procedere etiam in negotiis non tangentibus Capitula. Bottæus in tractat. de Synodo, part. II, n. 42; Quarant. in summa Bullarii verb. *Concil. Provinciale*, vers. 4, *Quæro*; Barbos. de Canon. c. 42, n. 21. (17. Imo ad Concilia provincialia vocanda sunt etiam Capitula collegiatarum quasi episcopalem jurisdictionem habentia, ut decisum fuisse a Sac. Congr. Concil. ex Prosper. de August. refert Barbos. de Canon. cap. 42, n. 22, lib. 1; Juris Ecclesiast. Univers. cap. 31, n. 21. (18. Capitulum non potest residentiam Canonicorum remittere neque servitium condonare, non obstante statuto, sive consuetudine, quæ potius dicitur corruptela. Sac. Congr. Concil. in Tarraconen., 26 Januarii 1697, et in Genuen. Vacationum, 16 Januarii 1700.

(19. Capitulum, sede vacante, succedit in jurisdictionem Episcopi, et potest omnia facere, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, nisi expresse prohibita reperiantur; *cap. His quæ* 11. *cap. cum olim.* 14. *de maj. et obed. cap. unic. eod. tit. in* 6. *cap. Ad abolendam, de hæret. cap. penult. et cap. final. de supplend. negligentia prælator. in* 6. cum Concordantiis, et Glossa *in cap. Ad Abolendam, de hæretic., verb. Sede vacante*, et sic Doctores passim. (20. Non succedit tamen Capitulum in jurisdictione Episcopo delegata, etiam ex generali delegatione Sedis Apostolicæ. Innocent. *in cap. Ad abolendam, de Hæret. num.* 1. *vers. Item Episcopus, et Capitulum;* et apertius ibi Joann. Andreas *super ultim. gloss.* Federic. de Senis *cons.* 30. Card. *in Clem. quæst.* 8. *de Hæret.* Abbas *in d. cap. Cum olim. n.* 2. *vers.* 5. *dubitatur;* et communem esse, et tenendam attestatur Franc. *in cap. Episcopali Sede vacante. unic. de major. et obedient. in* 6. et Fagnan. *in cap. His, quæ* 11. *de major. et obedient. num.* 55. (21. Sic etiam in Capitulum, Sede vacante, non transeunt ea, quæ ex Concilio Trident. competunt Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato. (22. Fagnan. *loc. mox cit. num.* 56. Secus autem, si competant Episcopis utroque Jure, scilicet ordinario, et delegato, veluti si Concilium det Episcopis facultatem procedendi etiam auctoritate Apostolica. Ideoque Sacra Congr. censuit facultatem transferendi Beneficia simplicia ab Ecclesiis collapsis competentem Episcopo *ex cap.* 7. *sess.* 21. transire in Vicarium Capituli Sede vacante, quippe Decretum illud non dicit simpliciter auctoritate Apostolica, sed addita particula *etiam*, quæ est implicativa jurisdictionis ordinariæ. Sic refert, et tenet Fagnan. *loc. cit. num.* 56. (23. Capitulum, Sede vacante, non succedit in jurisdictione competente Episcopo Jure speciali. Glossa *in cap. Scriptum, de election., in verb. temporis*, et ibi Abbas *num.* 5. Innoc. *in cap. Verum, de For. compet. et ibid.* Felin. *in princip.* Fagnan. *in cap. his, quæ, de Major. et obedien.* (24. Et ideo Capitulum Paduanum, sicuti omne aliud Capitulum respectu consimilis privilegiati Episcopi, non succedit in potestate conferendi gradum Doctoratus, et Magisterii, qui competit Episcopo de Jure speciali. Card. *in d. cap. Verum.* Joann. de Renan. *in dict. cap. His quæ, num.* 3. Fagn. *ibid. n.* 44. (25. Sicuti nec succedit in jurisdictione Episcopo competente ratione Feudi, nisi Feudum esset commune Episcopo et Capitulo, quia quando ea, quæ competunt Episcopo de Jure speciali, spectant communiter tam ad Episcopum, quam ad Capitulum, tunc succedit

Digitized by Google

Capitulum. Unde si Feudum non esset de mensa solius Episcopi, sed esset commune Episcopo, et Capitulo, tunc Capitulum cognosceret Sede vacante; *cap. unic. Ne Sede vacante in* 6. Joan. Andreas *in d. cap. Verum* 7. *de For. compet. num.* 6. *vers. puto tamen quod si Feudum esset commune;* Abbas *ibid. num.* 8. *et in vers. et nota ex dictis;* Fagn. *ibid. num.* 9. ubi expresse subjungit, quod caput unicum *ne Sede vacante in* 6. locum habet non solum in collatione Beneficiorum, sed etiam in aliis, quæ spectant communiter ad Episcopum, et Capitulum.

(26. Capitulum, Sede vacante, potest quasdam Constitutiones facere obligantes totam Diœcesim, etiam in tempus futuri Episcopi, donec hic, vel ejus Successor easdem revocaverit. Sic Feder. de Senis *consil.* 16. Abbas *in cap. Cum olim.* 14. *de Major. et obed. num.* 2. §. 7. *dubitatur;* Felinus *in cap. Cum omnes n.* 10. *de Constitutionibus;* Fermosin. *tract.* 1. *de potest. Capituli. qu.* 17. *num.* 5. Fagn. *in cit. cap. Cum olim n.* 57. Castrop. *part.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 23. *num.* 22. et alii passim. Et ratio est; quia Capitulum, Sede vacante, succedit Episcopo in his, quæ sunt jurisdictionis; *cap. Cum olim* 14. *de Major. et obed. et cap. unic. eod. in* 6. cum Concordantiis, ac tradit Glossa magna *in Clement. unic. de rerum perm.* Atqui potestas faciendi Constitutiones pertinet ad potestatem jurisdictionis, adeoque, etc. Tum quia Capitulum, Sede vacante, succedit Episcopo in administratione temporalium, simulque spiritualium rerum totius Diœcesis; *cap. Si Episc.* 3. *de supplend. negligen. Prælator. n.* 6, cum similibus; ergo succedit etiam in potestate faciendi Constitutiones ad correctionem criminum, ac morum reformationem deservientes, cum hoc concernat administrationem Diœcesis in spiritualibus. (27. Licet Capitulum, Sede vacante, non arctetur de Jure communi ad constituendum Vicarium, sed possit jurisdictionem ad se devolutam per se ipsum exercere, ut notat Abbas *in cap. Irrefragabili. num.* 2. *de Offic. Ordin.* Felin. *in c. Cum olim n.* 9. *de Major. et obed.* et Fagnan. *in cap. his. quæ eod. tit. num.* 66. (28. Hodie tamen tenetur Vicarium Capitularem constituere infra octo dies post mortem Episcopi, alias Vicarii deputatio devolvitur ad Metropolitanum. Sic expresse Concil. Trid. *sess.* 27. *de reform. cap.* 16. ibi: « Item Officialem seu Vicarium « infra octo dies post mortem Episcopi cons- « tituere, vel existentem confirmare omnino « teneatur, qui saltem in Jure Canonico sit « Doctor vel Licentiatus, vel alias quantum « fieri poterit idoneus; si secus factum « fuerit, ad Metropolitanum deputatio hu- « jusmodi devolvatur. Et si Ecclesia ipsa « Metropolitana fuerit, aut exempta, Capi- « tulumque, ut præfertur, negligens fuerit, « tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis « in Metropolitana, et propinquior Episco- « pus in exempta Œconomum, et Vicarium « idoneos possit constituere. » (29. Capitulum non potest cogi ad creandum Vicarium intra pauciores dies quam octo; sed potest gaudere termino a Sacro Concilio sibi dato, colligitur ex verbis ipsius Concilii, et tenent expresse Quaranta *in Summa Bullar. verb. Capitulum Sede Vacante.* §. 12. *quæro, vers. terminum;* Barb. *de Offic. et potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 54. *n.* 163. *in fin.* et alii passim. (30. Et infra illos dies, antequam Vicarium constituat, exercitium jurisdictionis spectat ad totum Capitulum in solidum, non autem ad primam Dignitatem. Sic expresse decrevit Sacra Congreg. Concil. 19 *Septembr.* 1620.

(31. Capitulum, nedum potest eligere, seu constituere Vicarium Capitularem post mortem Episcopi, sed etiam quando Ecclesia vacat per translationem Episcopi ad aliam Ecclesiam; tunc enim Capitulum, tanquam Sede Vacante, habita notitia etiam ex testimonio, seu documento Secretarii Sacri Collegii, quod Episcopus a suæ Ecclesiæ vinculo absolutus fuit in Consistorio Sanctitatis suæ, etiam ante expeditionem Litterarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ poterit, et debet Sedem vacantem publicare, et Vicarium, juxta Conc. Trid. præscriptum eligere. Sac. Congr. Conc. 14. *Decembr.* 1624. Urban. VIII. *Constit.* incipiente *Nobis nuper;* Rota *part.* 2. *recent. dec.* 10. *n.* 475 *per tot.* et communiter Doctores. (32. Sic etiam Capitulum potest constituere Vicarium in casu, quo Episcopus efficiatur captivus ab hostibus Catholicæ Fidei, puta a Turcis, Saracenis, Paganis, Hæreticis, Schismaticis, et hujusmodi, quia tunc diceretur mortuus civiliter, et in hoc casu mors civilis æquiparatur morti naturali, textu expresso *in cap. Si Episcopus* 3. *de supplend. negligent. Prælator. num.* 6. ibi: *Si Episcopus a Paganis, aut Schismaticis capiatur, non Archiepiscopus, sed Capitulum, ac si Sedes per mortem vacaret, illam in spiritualibus, et temporalibus ministrare debebit, donec eum libertati restitui, vel per Sedem Apostolicam (cujus interest Ecclesiarum providere necessitatibus) super hoc per ipsum Capitulum, quam cito commode poterit consulendam, aliud contigerit ordinari;* et ibi Glossa *in verb. mortem, et verb. Sed Capitulum, et verb. Paganis, vers. nota primo,* et Rota *in Burg.* 10. *Martii* 1597. *coram Orano.* (33. Sic pariter Sedes vacat, si Episcopus ingrediatur aliquam Religionem; nam tunc post admissionem Summi Pontificis ad resignationem Ecclesiæ, Capitulum succedit in jurisdictione Episcopali, et sic eligere potest Vicarium Capitularem, qui illam administret; nam æquiparatur mors naturalis, et ingressus Religionis; *cap. placuit* 8. *caus.* 16. *n.* 1. et ibi Glossa *verb. Mortuus, et cap. Nullus* 53. *caus.* 2. *q.* 7. *l. Res uxoris, Cod. de donat. inter Vir. et Uxor.* (34. Sic etiam vacat Sedes per renunciationem, quia quantum ad hoc renunciatio Episcopatus eumdem patit effectum, sicuti mors Episcopi; *cap.* 1. *de renunc. in* 6. Glossa *in cap. Si enim nulla, verb. moritur, de Præbend. in* 6. *et in cap. si Episcopus, verb. mortem, de supplend. ne-*

Digitized by Google

gligent. Prælat. in 6. et Doctores communiter *in c.* 2. *de Præb. in* 6. (35. Sic similiter vacat Sedes per depositionem, vel relegationem, quæ sunt pariter mors civilis, et quoad hoc æquiparantur morti naturali. Glossa *in cap. Si propter tua debita. verb. vacabunt, de rescriptis in* 6. *et in cap. Si Episcopus, verb. mortem, de supplend. neglig. Prælator. in* 6. et Canonistæ communiter *in cap. Qualiter, et quando*, 24. *de accusationibus.* (36. Non potest tamen Capitulum Vicarium constituere in casu, quo Episcopus sit excommunicatus, vel suspensus; vel in casu quo Episcopo in remotis degente, Vicarius Generalis ab ipso relictus moriatur, vel a Principe Sæculari ejiciatur a Diœcesi, quia tunc recurrendum esset ad Sedem Apostolicam pro provisione. Sic decrevisse Sac. Congreg. Episcoporum, et Regul. 11. *Januarii* 1616. *in Messana ex cap. penult.* juncta Gloss. *verb. mortem, de supplend. neglig. Prælator. in* 6. refert Nicolius *in Floscul., verb. Vicarius Capitularis. num.* 57. et tenet Monacell. *tom.* 1. *tit.* 1. *Formul.* 1. *num.* 2. et solide Fagnan. *in cap. Quia diversitatem* 5. *de concession. Præbend. a num.* 11. *usque in finem.*

(37. Capitulum non potest devenire ad electionem Vicarii Capitularis ante certam notitiam vacationis, quia tempus a Tridentino statutum incipit a die scientiæ mortis certæ et non præsumptæ, vel a die certæ translationis, resignationis, et hujusmodi, alias electio esset nulla, licet Capitulum certum esset de imminenti morte, vel translatione Episcopi. Sacr. Congr. Episc. *in una Neritonen.*, 24. *Maii* 1651. *ex c. bonæ memoriæ* 36. *de elect.* (38. Capitulum neque potest devenire ad electionem Vicarii Capitularis post habitam notitiam mortis, vel translationis Episcopi, quando Vicarius Episcopi defuncti vel translati missus fuerat a S. Sede Apostolica, vel a Sacra Congregat. Episcop. Sic declaravit eadem Sac. Congreg. *in Aquilana* 4. *Aug.* 1578. quia durat etiam Sede vacante. Eadem Sacra Congreg. *in una Liciensi.* 17. *Novemb.* 1590. *arg. Cap. penult.* juncta Glossa *in verb. mortem de supplend. negligent. Prælat. in* 6. (39. Electio Vicarii Capitularis debet fieri a Capitulo more solito Capitulariter congregato, et per secreta suffragia, alioquin nulla est, ut declaravit Sacra Congregat. Episcoporum *in una Siculana* 18. *Novembr.* 1625. et Sacr. Congregat. Concil. *super Caput* 6. *de reformat. sess.* 25. (40. Capitulum non potest eligere in Vicarium Capitularem nisi unum tantum, et si eligat plures, electio devolvitur ad Metropolitanum. Sacra Congregat. Episcop. *in Cassanensi* 6. *Augusti* 1569. *in Bobiensi* 12. *Martii* 1607. *et in Potentina* 30. *Augusti* 1641. Si tamen plures successive eligit, primo electus debet continuare, dummodo habeat requisita. Sacra Congreg. Episcop. *in Veliternen.* 1. *Sept.* 1623. (41. Potest tamen Capitulum duos Vicarios constituere, ut alternis mensibus Vicariatus munere fungantur, si legitimam habeat consuetudinem ab immemorabili servatam sine interruptione, et electi sint prædili omnibus qualitatibus, quas Tridentinum *c.* 16. *de reformat. sess.* 24. requirit. Sic declaravit Sacr. Congr. Concil. *in Salernitana* 26. *Junii* 1589. *et in Panormitana* 31. *Maii* 1593. (42. Facta semel per Capitulum electione Vicarii Capitularis, non potest illum ad libitum revocare, et novum constituere. Sacr. Congr. Ep. *in Messana* 1. *Sept.* 1603. *et* 6. *Martii* 1618. (43. Si tamen adesset justa causa illum revocandi, debet prius habere licentiam a S. C. Ep. ut declaravit eadem S. C. Ep. *in Montis Regalis* 17. *Junii, in Monopolitana* 1. *Sept. in Tarentina* 22. *ejusdem Sept.* 1603. *et in Aretina* 26. *Octob.* 1604. (44. Imo Barbosa *in Summa Apostolicar. dec. collectan.* 716. *n.* 17. dicit, non posse per Capitulum revocari Vicarium Capitularem, etiamsi sit electus cum clausula. quod possit revocari ex causis sibi benevisis, ut declaravit Sacra Congr. Concil. *in Ecclesien.* 1. *Apr.* 1628. quæ tandem remisit ad Congregationem Episcoporum et Regul. ut cognosceret causam, ut refert. Bonfadin. *in Thesaur. Ecclesiast. dec. resol.* 51. *n.* 22. (45. Plures autem sunt causæ, propter quas solet Sacra Congregatio Episcoporum facultatem concedere removendi Vicarium Capitularem, ut indignum. Prima, si Vicarius Capitularis non resideat, *ut in Tridentina* 7. *Julii* 1622. Secunda, si patitur multas exceptiones, et propter malos mores sit exosus Clero, et Populo, *ut in Neapolitana* 26. *Januarii* 1604. Tertia, si patitur aliquid fieri contra libertatem Ecclesiasticam, *ut in Matheranen.* 17. *Julii* 1601. Quarta, si Vicarius Capitularis sit debitor Capituli, *ut in Nullius Altamuræ* 13. *Julii* 1646. Quinta, si accipit pecuniam pro Dimissoriis, quam jussus a Superioribus non restituit statim, *ut in Tranen.* 17. *Maii* 1604. Sexta, si sit Vicarius Capitularis in Metropolitana, et sine causa inhibeat Suffraganeo, vel ejus Vicario exercitium sui officii, *ut in Tarentina.* 7. *Januarii* 1600, *et in Matheranen.* 7. *Maii* 1604.

(46. A Capitulo, pro electione Vicarii Capitularis, non debent vocari Canonici absentes nisi commode fieri possit; nec ita absentes possunt mittere, aut constituere Procuratorem ad ferendum in electione suffragium. Glossa et Canonistæ communiter *in c. Quia propter* 42. *de election.* Eo enim ipso quod Canonicus transit ad locum, ex quo commode vocari non possit, tacit se extraneum, et perdit Jus ad eligendum. Passerin. *de election. cap.* 10. *n.* 37. (47. Si tamen adest consuetudo legitime præscripta admittendi in electione Canonicos absentes per Procuratorem, talis consuetudo esset intelligenda, et restringenda ad absentes solummodo intra Provinciam, et ibidem detentos aliquo legitimo impedimento de tempore actualis electionis Vicarii, ut declaravit Sacr. Congr. Concil. *in Hydruntina* 11. *Apr.* 1699. (48. Et si econtra adesset consuetudo non vocandi quoquomodo absentes a Civitate, servanda esset. Sic censuit Rota *dec.* 85. *n.* 11. *coram Celso.* Et tanta est vis consuetudinis, quod a Capi-

Digitized by Google

tulo pro electione Vicarii, præter Canonicos vocandi sunt etiam illi, qui de Jure non sunt de Capitulo, ut Portianarii, aliique Beneficiati Ecclesiæ, si adsit consuetudo legitime præscripta illos vocandi; sic respondit Sacra Congreg. Conc. *in Nullius Altamuræ* 9 *Decemb.* 1699. *et Apr.* 1693. *et in Castellaneten.* 1 *Decemb.* 1696. (49. Si autem consuetudo non sit pacifica, et legitime præscripta, sed solum pauci actus afferantur, in quibus iis, qui non sunt de corpore Capituli, fuerint admissi ad suffragium ferendum, tunc Capitulum potest illos excludere, ut de facto accidit *in Recineten. proposita* in Sacra Congreg. Concil. 4. *Junii* 1701. in qua Altaristæ Cathedralis, qui pluries in electione Vicarii Capitularis interfuerunt, et suffragium dederunt, fuerunt exclusi, ex quo consuetudo non erat pacifica, neque legitime præscripta. (50. Capitulum debet pro Vicario Capitulari eligere unum, qui sit de gremio Capituli, si adsit idoneus. Sacra Congreg. Episcop. *in una Tranens.* 22 *Febr.* 1597. *et in una Nepesina* 10. *Junii* 1602. (51. Et qui sit Doctor, alias electio est nulla, ut declaravit Sacr. Congreg. Episcop. *in Tranen.* 25. *Februarii* 1597. *et in Puteolana* 27. *Martii* 1653. (52. Nec sufficit, quod sit Magister in Sacra Theologia, sed debet esse saltem Doctor in Jure Canonico. Concil. Trident. *cit. sess. cap.* 16. *de reformat.* ibi: *Qui saltem in Jure Canonico sit Doctor*, ut declaravit Sacr. Congregat. Concil. 28. *Augusti* 1621. et Sacr. Congregat. Episcop. *in Bononien.* 9 *Junii* 1601. ubi jussit removeri Decanum non Doctorem, et eligi Archidiaconum Doctorem. (53. Nec etiam sufficit, quod sit doctoratus a persona privata, sed in aliqua Universitate, ut declaravit Sacra Congreg. Concil. *die* 19 *Septemb.* 1620. ibi: *quod debet doctorari in aliqua Universitate, non vero a persona privata.* (54. Habilis tamen non Doctor tolerari potest, si Doctor haberi non possit. Sacra Congreg. Episcop. *in Puteolana* 25 *Julii* 1603. (55. Debet autem Vicarius non Doctor eligere sibi consultorem benevisum, qui si Doctor, et in rebus legalibus, et arduis peritus, a quo possit dirigi, prout fit, quando Vicarius Generalis Episcopi est Theologus, et non Jurista ex Decr. Sac. Congreg. relatis a Nicol. *in floscul. verb. Vicarius Generalis Episcopi* n. 30.

(56. Si Capitulum eligat aliquem in Vicarium Capitularem non Doctorem, quando adest Doctor, ex quo talis electio sit nulla ex *d. Tranens.* 25. *Februarii* 1597. et *Puteolana* 27 *Martii*, 1653, tunc electio devolvitur ad Metropolitanum ex Conc. Trid. *sess.* 24. *c.* 16. *de reformat.* et pluries declaravit Sacra Cong. Conc. ut refert Nicol. *id floscul. verb. Vicarius Capitularis num.* 61. et Sacra Congr. Episcop. *in Mazarien.* 25. *Decembr.* 1603. *et in Ostunen.* 19 *Novemb.* 1639. (57. In casu tamen, quo Vicarius deputatus per Metropolitanum ob malam electionem Capituli, vel ob ejus negligentiam, decederet, tunc posset Capitulum novum eligere Vicarium infra octo dies, ut prius, quia pro prima vice tantum Jus amittit. Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. universi. c.* 7. *n.* 102. Quarant. *verb. Capitulum, Sede Vacante n.* 4. Gemin. *in c. fin. num.* 8. *de supplend. negligent. Prælator.* Monacell. *tom.* 1 *tit.* 4. *formul.* 2. *n.* 6. et alii. (58. Capitulum non potest in electione, seu deputatione Vicarii, apponere restrictivam, ut Vicarius Capitularis non possit procedere contra aliquem Capitularem, absque consensu Capituli. Sacra Congreg. Episcop. *in Regien.* 16 *Julii* 1593. (59. Vel sine adjunctis. Ead. Sacr. Congr. *in Salernitana* 16. *Julii* 1628. (60. Nec potest apponere in electione conditionem, ut participet Capitulum de emolumentis ex Officio Vicariatus provenientibus. Sacr. Congreg. Episcop. *in Brundusina* 8. *Maii* 1606. (61 Nec potest Capitulum reservare sibi facultatem signandi supplicationes, distribuendi Conciones, vel habendi superintendentiam Seminarii. Sacra Congregatio *in Tudertina* 11. *Decembris* 1654. (62. Vel faciendi gratiam condemnatis ab ipso Vicario, vel cognoscendi de causis suspicionis ipsius Vicarii, ac Judicem non suspectum partibus deputandi, vel cum alia quacumque restrictiva insolita. Quod si Vicarius Capitularis electus fuerit cum hujusmodi restrictionibus, poterit nihilominus libere uti sua jurisdictione absque ullo respectu supradictarum conditionum, ut declaravit Sacr. Congreg. Episcop. *in Salernitana* 16. *Julii* 1628. *et in Venusina* 14. *Novemb.* 1698. (63. Capitulum enim post electionem Vicarii nullam exercere potest jurisdictionem, quia post electionem tota jurisdictio Episcopalis transit in Vicarium Capitularem privative, quoad Capitulum, non cumulative. Sacr. Congreg. Episcop. *in Hydruntina* 1 *Octob.* 1655. *et in alia Neriton.* 17. *Septemb. ejusdem anni.* (64. Unde substitutio facienda propter absentiam Vicarii spectat ad ipsum Vicarium et non ad Capitulum. Sic decisum fuisse a Sacra Congr. Concil. refert Garcias *de Benefic. part.* 5. *cap.* 7. *n.* 23. *dec.* 6. Fagnan. *in c. His quæ* 11. *de Majorit. et obedient. n.* 74. (65. Statuta, quæ excludunt plures Fratres utrinque aut ex uno tantum latere conjunctos a voce activa in Capitulo, vel Consilio, laudabilia sunt et approbanda. Sic expresse Sacr. Congreg. Conc. *in Paderbonen.* 9 *Augusti* 1704. Item statutum a Capitulo conditum, juxta quod non plures quam duo Consanguinei primi, et secundi gradus in Capitulo esse possint, ita ut tertius additus maneat exclusus a voce activa et passiva, fuit approbatum quoad vocem activam tantum. Sacra Congr. Concil. *in Constantien. Statuti* 21. *Maii* 1707. licet alicui Canonici dissentirent, Episcopo tamen consentiente. Cætera alia vide verb. *Vicarius Capitularis.*

(66. Capitulum Cathedralis non est salutandum a Concionatore cum titulo Reverendissimi, neque in absentia Episcopi. Sacra Rit. Congr. *in Capuana* 23. *Jan.* 1700. apud Monac. *tom.* 4. *supplement. ad* 1. *tom. n.* 20.

(67. Capitulum Cathedralis Ecclesiæ præcedere debet Capitulo Collegiatæ, adeo ut nec sustineantur constitutiones privatarum Ecclesiarum aliter decernentes, ut definivit Rota *dec.* post Murgam ad Constit. Apo-

Digitized by Google

stol. *De Synodo diœces. lib.* 7. *cap.* 65. §. 2.

(68. Exemptio Capituli Cathedralis in eo præcipue sita est, ut Episcopus extra visitationem procedere nequeat contra aliquem Canonicum, sine duobus de Capitulo adjunctis, ad normam Trident. *sess.* 25. *c.* 6. *de reform.* quamvis Episcopus sine adjunctis potest illud visitare, ex Trident. *sess.* 6. *cap.* 4. *de Reform. Benedict. XIV. De Synodo diœces. lib.* 8. *cap.* 4. §. 8 *et lib.* 13. *cap.* 9. *nov. edit.*

(69. Capitulum Sede vacante non potest in usus proprios convertere mulctas pecuniarias, et compositiones delinquentium, ut sæpius a Sacra Congregatione decisum est; *ibid. lib.* 10. §. 4. *nov. edit.*

(70. Capituli extinctio non inducit suppressionem Cathedræ Episcopalis. Bened. XIV. *tom.* 2. *Const.* 35. incip. *Notum tibi.*

(71. Capitularibus Vicariis in Regno Neapolitano prohibetur concessio Litterarum Dimissorialium pro prima Clericali Tonsura, aliisque Ordinibus, etiamsi annus a die vacationis Ecclesiarum elapsus sit, absque speciali facultate S. Congr. Clem. XI. p. 3. *Bull. Epistol.* 2. *et* 3. S. Congr. Episc. et Regul.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(72. Ad potestatem Capituli *Sede plena* refertur jus condendi statuta. (73. At hæc quoad statuta a Capitulo condita recepta est distinctio. Aut agitur de statutis, quibus quid cautum est in correctionem juris communis, et ad eorum validitatem opus est auctoritate Summi Pontificis, quippe qui derogare unice potest juri communi. Rota *in Bisacien. Admissionis ad participationem super manutentione* 30. *Aprilis* 1745. §. 9. *cor. Illustriss. Caprara, et in Hildesimen. Manutentionis* 17. *Mart.* 1749 §. 18. *et* 4. *Julii ejusdem anni* 1749. §. 12. *cor. R. P. D. Elephantut.*

(74. Aut disseritur de statutis, quibus licet nihil dispositum sit contra jus commune, tamen vel aliquid jussum est, quod tendat in detrimentum Episcopi, vel immutatus est status universalis Ecclesiæ, et vim ea habere nequeunt, nisi munita sint auctoritate saltem Episcopi. Rota *in Onasburgen. Optionis* 13. *Januarii* 1730. §. *Nullam, cor. clar. mem. Millino.*

(75. Aut demum disputatur de statutis, quibus nec jus commune correctum est, nec Episcopi jura sunt læsa, nec status universalis Ecclesiæ immutatus est, sed aliquid tantummodo præscriptum, quod Ecclesiæ servitium concernat, et citra auctoritatem alicujus Ecclesiastici Superioris obligant talia statuta. Rota *in Majoricen. Juris amovendi Musicos* 4. *Febr.* 1729. §. *pro eo et in d. Onasburgen. Optionis* 13 *Januar.* 1730. *d. Nullam, utraque cor. clar. mem. Millin.*

(76. De potestate Capituli, *Sede vacante*, mire inter se variant Doctores. Sunt qui tenent, Capitulum Sede vacante, omnia facere posse, quæ sunt ordinariæ jurisdictionis, nisi expresse prohibita reperiantur. Auctor *hic num.* 19. Zaloszowski *de potest. Capit. Sede Episc. vacante, p.* 1. Corvin. *de Person. et Benefic. Ecclesiast. p.* 1. *lib.* 1. *cap.* 26. *num.* 14.

(77. Alii potestatem Capituli Sede vacante ad ea tantum restringunt, quæ sunt jurisdictionis contentiosæ et neccessitatis. Fermosin. *de Potestate Capit. Sede vacante tract.* 1. *cap.* 1. *fere per tot.*

(78. Nec desunt qui velint, Capitulum in ea tantum succedere, quæ in jure reperiuntur expressa. Vide hos apud Fermosin. *d. tract. c.* 1. *n.* 9

(79. Varietas hæc inde nata est, quod in jure Canonico non satis determinatum sit, quo jure gaudeat Capitulum Sede vacante. (80. Ita vero de potestate Capituli Sede vacante ego cum Bohemero *in decret. lib.* 3. *tit.* 9. § 29. sentiendum censeo: « Sede vacante in Capitulum exercitium jurisdictionis Episcopalis cum omnibus speciebus et accessoriis transit, quatenus hæc in Capitulum transire possunt, nec jurium Episcopalium diminutionem, et innovationem contineant.»

(81. Prior limitatio, ut probe monet Bohemerus loco mox citato, excludit jura Ordinis, quæ ex consecratione fluunt, et functiones, quæ cohærent Archiepiscopali dignitati, immo et illa, quæ ex delegatione Summi Pontificis sunt ad ipsius personam restricta. (82. Illustrat posteriorem limitationem idem Auctor ibidem pluribus allatis exemplis. Ipsi vero minime assentiri possum, dum § 26. « Sede ad plures annos impedita, *ait*, ratio juris postulat, ut Capitulo jus conferendi Beneficia vacantia et ad jus Episcopi pertinentia integrum esse debeat. Neque enim Pontificem ad hunc casum irregularem respexisse, probabile est, quin potius ratio rei Ecclesiasticæ postulat ut potius officium Ecclesiasticum interim conferatur habili, quam fiduciario ad tam longum tempus commendetur. Multoque magis hoc dicendum sit, si per culpam ipsius Episcopi vacantia nata est, forsan quod suspensus sit, et ipse moram in petenda relaxatione suspensionis committat. » Quomodo enim Capitulo jus esse poterit conferendi Beneficia sede ad plures annos impedita, si *numquam* (inquit Pontifex in *cap.* 2. *Ne sede vacante aliquid innovetur*) *in jure cautum, quod Capitulum vacante Sede fungatur vice Episcopi in collationibus?*

(83. Dantur Capitula, in quibus deest Cathedra Episcopalis, et ita Sedes vacans concipi nequit. Hujus generis sunt Capitula Collegiatarum Ecclesiarum. (84. Quoniam vero regi non raro solent hæc Capitula per Decanum, vel Præpositum, cui jurisdictio quædam inferior competit, cum pluribus aliis juribus eminentibus, hinc quæritur, utrum mortuo tali Prælato exercitium jurisdictionis, aliorumque jurium Prælaturæ huic cohærentium, spectet ad ipsa Capitula, an ad Episcopos? Consule Bohemer. *loc. cit.* § 39. *et seq.*

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(85. Primis nascentis Ecclesiæ sæculis Presbyteri et Diaconi in civitate Episcopali

Digitized by Google

curam animarum gerentes, unum cum Episcopo corpus quasi constituebant.

(86 Subsequentibus sæculis paulatim Presbyterorum, Clericorumque numero crescente, cœperunt Episcopi e Clero quosdam eligere, sibique proprius assignare, quorum consilio et opera Diœcesim suam regerent; quos posterior actas *Canonicos* Cathedrales tamquam Cathedræ Episcopali propius adhærentes, et eorum Cœtum *Capitulum* Cathedrale vocavit.

(87. Quæ enim primitus per Episcopum cum consilio et consensu Cleri erant secundum Canones tractanda et resolvenda, tandem tractari et absolvi cum consilio vel consensu Capituli, neglecto reliquo Clero, cœperunt.

(88. Verosimile est hoc Jus ad Capitula Cathedralia devolvi cœpisse, quando et Beneficiorum et Dignitatum tituli erecti et seperatim ab ordine collati leguntur.

(89. Quia Capitulum Cathedrale ipsum quodammodo totius Diœcesis Clerum repræsentat, etiam prærogativa præcipua gaudet, cæteraque omnia Corpora Ecclesiastica præcedit.

(90. Capitulum Cathedrale tamquam Senatus Ecclesiæ præcedit quoque Magistratum Civilem.

(91. A Patrum descendit traditione, quod in Capitulum Cathedrale, Clerum Ecclesiæ repræsentans, Diœceseos regimen, ipsaque Episcopalis auctoritas, Sede vacante, devolvatur; *cap.* 11. *et* 14. *tit. de Majorit. et obedient. cap. unic. Ne Sede vacante in* 6. *cap. penult. De supplenda negligentia Prælatorum in* 6.

(92. Hinc Canonistæ formant hanc Regulam: Capitulum, Sede vacante, fungitur vice Episcopi, et succedit in omnibus, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, exceptis casibus in Jure expressis, licet etiam non competerent Episcopo Jure communi, sed solum ex consuetudine vel statuto sive indulto speciali; modo tamen competant tamquam Episcopo et Ordinario.

(93. Notat Cardinalis de Luca *Disc.* 31. *in Concil. Trident.* quod, quia Ecclesia Cathedralis efformatur conjunctim ab Episcopo et Capitulo, ab illo scilicet tamquam Capite, ab isto tamquam reliquo Corpore, Ecclesiastica jurisdictione penes totum corpus habitualiter residende, exercitio autem in plerisque competente Capiti, consequenter, defecto Capite, jure consolidationis, vel ex jure non *decrescendi*, universa jurisdictio, seu jus Cathedralicum, tam in habitu quam in exercitio, maneat penes Capitulum, tamquam reliquum Corpus politicum, seu intellectuale.

(94. Quapropter ea quæ competunt Episcopis vi suæ jurisdictionis Episcopalis, Sede vacante, competunt Capitulo.

(95. Illud procedit tam in jurisdictione contentiosa et necessaria quam voluntaria et gratiosa. Vide Glossam Pragmat. *tit. de Concubinariis*, verbo *superiores*.

(96. Quin licet *cap.* 20. *sess.* 24. *de Reformat.* Causæ matrimoniales, et criminales solius Episcopi cognitioni reserventur, exclusis omnibus inferioribus Judicibus, tamen non intelligi exclusum Capitulum, Sede vacante, ex Quaranta monet Zypaeus, quia *non est* inferior *Prælatus, sed fungitur ipsa jurisdictione Episcopi*.

(97. Quæ vero Episcopo, non ut Episcopo, seu Ordinario suæ Diœceseos, sed in alia qualitate speciali, et quasi extranea attribuuntur, in his Capitulum Episcopum non repræsentat, nec ejus vices supplet.

(98. Unde infertur, quod potestas attributa a Concilio Tridentino Episcopo *tamquam Sedis Apostolicæ Delegato*, defuncto Episcopo in Capitulum non transeat, uti in terminis post alios tradit Fagnanus *ad cap. His quæ, tit. de Majorit. et obedient. num.* 55. una monens hoc non procedere, si facultas illis Episcopis competat utroque jure, scilicet *Ordinario* et *Delegato*; veluti si Concilium det illis facultatem procedendi etiam auctoritate Apostolica.

(99. Capitulum Cathedrale ad exemplum pristini Presbyterii sive Cleri, Sede vacante, fungitur vice *Pastoris*, eique incumbit, curam Diœcesis gerendo, ea omnia facere, quæ Episcopus vi sui officii Episcopalis agere deberet, nisi quædam speciali jure futuro Episcopo sint reservata.

(100. Hinc inter casus specialiter exceptos, in quibus Capitulum, Sede vacante, non succedit, præcipuum esse tradunt Canonistæ collationem Beneficiorum; idque sive competat jure collationis stricte dictæ, sive jure præsentationis, sive jure proprio, sive jure devoluto, modo tamen collatio sive præsentatio si libera, neque conjunctim cum Capitulo, sed soli Episcopo competat.

(101. Si vero collatio vel confirmatio aut institutio tantum competat Episcopo ad præsentationem Patroni Laici vel Ecclesiastici, vel collatio sit quidem libera, sed spectet conjunctim ad Episcopum et Capitulum, his casibus Capitulum, Sede vacante, Episcopo succedit, et collationem, confirmationem, vel institutionem dare potest, uti communiter docent Interpretes, et communis praxis probat.

(102. Immo si ex aliquo privilegio aut gratia Beneficium spectans ad so'ius Episcopi collationem, debeatur certæ personæ verb. gr. nominato Academico, eo casu posse Capitulum aut Vicarium, Sede vacante, conferre tradit Garzias *De Benef. part.* 5. *cap.* 7. *n.* 73.

(103. Observant communiter Cononistæ, quod si Episcopus in collatione Beneficii dumtaxat concilium Capituli petere debeat, eo casu non censeatur provisio *simultanea* penes Capitulum et Episcopum; sed ad solum Episcopum spectare, ut proinde Capitulum, Sede vacante, de illo Beneficio disponere nequeat, uti notat Cabassutius in sua Juris Canonici theoria et praxi, *lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 17.

(104. Cum Ecclesia suo destituta Pastore viduæ ac pupillo comparetur, ideo sicuti alienatio bonorum pupilli interdicta est Tutoribus et Curatoribus, pariformiter alienatio

Digitized by Google

bonorum Ecclesiæ seu Episcopatus, sive ad mensam Episcopalem spectantium, Capitulo, Sede vacante, interdicta est. Faganus, *ad cap. His quæ, tit. de Majorit. et obedient. num.* 58. et alii ibidem citati.

(105. Ulterius, quia ea quæ Ordinis sunt Episcopalis dependent a charactere Episcopali, qui nec Capitulo, nec singulis de Capitulo communicatur, etiam in Capitulum non transeunt, quæ ab Ordine Episcopali dependent.

(106. Verum, qui non tam Ordinis, quam jurisdictionis est, licentiam impertiri subditis, ut ab alio quam Diœcesano Ordines suscipiant, aut ut Episcopus in aliena Diœcesi, quæ Ordinis sunt, exerceat, hinc est, quod Capitulum, Sede vacante, neque quidem ea quæ Ordinis sunt, per se, sive Vicarium suum exercere possit, tamen vi jurisdictionis ordinariæ per vacationem Sedis ad se devolutæ concedere, ut subditi sui ab alio Ordines suscipiant; *cap.* 3. *de tempor. Ordin. in* 6. vel alteri Episcopo licentiam impertiri, etiam in Diœcesi viduata, quæ Ordinis sunt, exercendi.

(107. Hanc tamen Capituli potestatem limitavit Synodus Tridentina *sess.* 7. *cap.* 10. *De Reformatione*, « ut non liceat Capitulis Ecclesiarum, Sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras Dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex Juris Communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii, aut consuetudinis vigore, alicui, qui Beneficii Ecclesiastici receptι, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. »

(108. Hoc decreto etiam comprehendi Dimissorias pro prima Tonsura notat Garzias *De Beneficiis part.* 5. *cap.* 7. *n.* 73. non obstante declaratione S. Congregationis Cardinalium ad calcem hujus Decreti relata his verbis: *Congregatio censuit, textum hunc non comprehendere primam Tonsuram.*

(109. Post annum vero libera est potestas Capitulo, tamquam vices Ordinarii supplenti, dare Dimissorias, etiam titulo patrimonii vel pensionis, si id Ecclesiæ necessitas aut utilitas requirat, conformiter *ad cap.* 2. *sess.* 21. *de Reform.*

(110. De jure communi jurisdictione Episcopi ad Capitulum, Sede vacante, devoluta, eam per se in communi olim exercere poterat.

(111. At cum compertum esset, etiam hic non raro locum habere illud tritum: *Segnius expediunt commissa negotia plures*, declaravit Synodus Tridentina, *sess.* 24. *cap.* 16. *de Reformat.* quod, « Capitulum, Sede vacante, Officialem seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in Jure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel alias quantum fieri poterit, idoneus. Si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. »

(112. Circa quod notandum est, Concilium pro uno eodemque accipere Officialem et Vicarium, juxta scilicet usum plurium Ecclesiarum, et quidem totius Italiæ, ubi referente Thomassino *De Discipl. Eccles. part.* 4. *lib.* 1. *cap.* 27. §. 5. etiamnum hodie Officialis et Vicarius Episcopi solet esse eadem persona, quod tamen non obtinet in aliis Regnis et Provinciis, ubique plerumque solent Episcopi habere Officialem, qui contentiosam jurisdictionem, et Vicarium, qui voluntariam exerceat, qui quidem *Vicarius Generalis* dici consuevit. Quam ob causam observavit Cardinalis de Luca *Disc.* 31, *in Concil. Trident.* quod in Hispania potissimum constans sit Ecclesiarum consuetudo eligendi in Vicarium, Sede Vacante, etiam non Doctorem, indubie quia ibi Vicarius Generalis distinguitur ab Officiali.

(113. Sicuti Vicarius Episcopi omnem suam auctoritatem et jurisdictionem ab Episcopo recipit, eamque juxta limites et formas sibi ab Episcopo præscriptas exercere debet, ita quoque Vicarius a Capitulo, Sede vacante, nominatus, omnem suam jurisdictionem et auctoritatem a Capitulo mutuat.

(114. Licet enim Synodus Tridentina voluerit a Capitulo constitui Vicarium, nihil tamen circa jurisdictionis immediatam devolutionem mutavit, sed eam in terminis Juris communis reliquit, ut quemadmodum de Jure communi tota ad Capitulum devolvebatur, ita et nunc devolvatur, maneatque ipsa jurisdictio radicaliter, etiam constituto Vicario, apud ipsum Capitulum, exercitium vero apud Vicarium.

(115. Hinc consequens est, Capitulo post nominationem Vicarii adhuc incumbere sollicitudinem Episcopalem, in quam successit, neque ab ea constituto Vicario plene exonerari, uti notat Zypæus *Resp.* 1. *De Sede vacante.*

(116. Proinde tradit Fagnanus ad *cit. cap. His quæ, tit. de Majorit. et obedien. numer.* 75. quod si Vicarius sit in aliqua causa suspectus, provideat Capitulum, atque vi jurisdictionis ad ipsum remanentis de causis suspectationis cognoscat.

(117. Quin, si Capitulum det Vicario limitatam jurisdictionem et auctoritatem, reservando sibi aliqua, ea Vicarius exercere non potest. Garzias *De Benef. part.* 5. *cap.* 7. *num.* 30. cui et Ecclesiarum multarum praxis consentit.

(118. Quandoquidem de ratione Vicarii esse videatur dependere a voluntate et arbitrio constituentis, sive illius, cujus vices sustinet, consequens apparet, Vicarium Capituli, non secus ac Vicarium Episcopi pro libitu et arbitrio Capituli revocari posse, et ita ante Concilium Tridentinum unanimi consensu sentiebant Canonistæ.

(119. At cum hodie ex præscripto Tridentini Concilii Capitulum Vicarium nominare jubeatur, adeoque nominatio Vicarii, vel non designatio non ita sit in arbitrio Capituli, quemadmodum est in arbitrio ipsius Episcopi, hinc etiam penes Episcopum hodie videtur esse liberior revocatio ipsius Vicarii quam penes Capitulum.

(120. Et quidem Synodus Mechliniensis decernit: *Vicarium semel a Capitulo electum*

Digitized by Google

vel confirmatum postea sine justa et rationabili causa *removeri non posse.*

(121. Quin et refertur declarasse Sacram Congregationem, Vicarium a Capitulo nominatum removeri non posse, nisi ex causa a Sacra Congregatione Episcoporum probanda.

(122. Ultra Vicarium, cui regimen Ecclesiæ committitur, vult Synodus Tridentina, ut Capitulum, Sede vacante, Œconomum unum vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum Ecclesiasticarum et proventuum curam gerat.

(123. Hanc tamen dispositionem Concilium limitat ad casum, ubi fructuum percipiendorum cura Capitulo, Sede vacante, incumbit.

(124. Unde si Episcopatus Juri Regaliæ sint subjecti, Sede vacante, rerum temporalium administratio, non ad Œconomos a Capitulo deputandos, sed ad officiarios Regios spectare consuevit.

(125. Quod dicitur de Episcopatibus subjectis Regaliæ juxta mores Galliæ, simile obtinet in plerisque Episcopatibus Italiæ.

(126. Quemadmodum enim in Gallia proventus Episcopatuum huic juri subjectorum cedunt, Sede vacante, Ærario Regis, ita in Italia, Sede vacante, sunt reservati Cameræ Apostolicæ; iisque colligendis deputantur collectores, qui Œconomos nominare consueverunt, uti notat de Luca *Discursu* 31, *in Conc. Trid. num.* 6. quæ reservatio verosimiliter profluxit ex quadam specie Regaliæ, quam posteriores Pontifices exercuerunt in Episcopatus Italiæ, præsertim in temporalibus sibi subjectos; cum nulla similis reservatio in commodum Cameræ Apostolicæ pristinis sæculis nota fuerit.

(127. Œconomi a Capitulo deputati solam custodiam et curam rerum ad Episcopatum spectantium habent; unde instar Curatorum nihil de fundis aut rebus Episcopatus alienare possunt: tenenturque hi Œconomi Episcopo ad vacantem Ecclesiam promoto rationem suæ administrationis, si exigat, reddere; tametsi ex ipso Capitulo fuerint assumpti; potestque eos Episcopus punire, si in officio administrationis deliquerint, etiamsi prædicti Officiales, redditis rationibus, a Capitulo, vel Deputatis ab eodem, absolutionem aut liberationem obtinuerint; uti præcitatum Tridentinum Concilium declarasse videtur.

(128. Vicario Capituli, Sede vacante, attento stylo Curiæ et Cancellariæ, non diriguntur dispensationes Matrimoniales, quia de illo Papa non confidit, sed Episcopo viciniori, sive ejus Vicario in spiritualibus generali.

(129. Et si Litteræ dispensationis directæ Vicario seu Officiali Episcopi, exequerentur per Vicarium Capitularem, Sede Episcopali vacante, deputatum, executio esset nulla, nullumque Matrimonium vigore talis dispensationis contractum. Ita Corradus *in Praxi Dispens. lib.* 7. *cap.* 4. *n.* 15.

ADDITIONES CASINENSES.

(130. Capitulum est brevis multorum complexio; sic dictum, quia breviter capiat totam summam. Hæc vox variis significationibus accipitur. (131. Capitula librorum dicta, quod breviter capiant et contineant aliquam sententiam, quasi caput et titulus majoris scripti. (132. Unde Capitula, seu Capitularia dicuntur Canonum Ecclesiasticorum, legumque regiarum Codices, quod per Capitula, seu sectiones digesti et distincti sint; uti legimus in *Chronico Andegavense*, quod *D. Herardus Archiepiscopus generali Synodo in Turonica Civitate habita necessaria sanctorum Canonum Capitula excerpsit, quæ firmius custodienda sanxit.* Præsertim vero Regum sanctiones et decreta nomine Capitulorum et Capitulariorum appellata sunt, et potissimum ea quæ in publicis Synodis, et Comitiis Episcoporum et populorum consensu ab ipsis Principibus edebantur in iis casibus, qui in legibus deerant; quare distinguuntur ab ipsa lege quasi appendices et additamenta apud Hincmarum Remens. *Opusc.* 15. *cap.* 15. *Quando sperant aliquid lucrari, ad legem se convertunt; quando vero per legem non æstimant acquirere, ad Capitula confugiunt*, et in *Capitularibus* Ludovici Pii *an.* 821. *cap. ult. Capitula, quæ præterito anno Legi Salicæ per omnium consensum addenda esse censuimus.* (133. Capituli nomine distinguimus etiam brevem Lectionem, quæ in divino Officio post Psalmos horarum legitur; et dicitur Capitulum, quia ut plurimum in festis sumitur de capitibus, quæ leguntur in Missis. Durand. *Divin. Off. lib.* 5. *c.* 2. Sumi debent ex Scriptura sacra; sed discordant aliquando a textu vulgato Bibliorum, quia in his Capitulis Ecclesia aliquando utitur Versione Itala, uti etiam Introitus et alia, quæ in Missis cantantur, ex eadem versione desumuntur. Vide Merati *Notas ad Gavanti Commentar.* Hoc Capitulum a Radulpho et Gratiano vocatur Collatio, a nonnullis Capitellum et Lectiuncula, et a S. Benedicto in *Regula capitulo* 17. Lectio. (134. Quantum ad hunc Articulum, Capitulum est collectio seu congregatio personarum ecclesiasticarum, puta Canonicorum seu Regularium, in unum, seu capitulariter congregatorum. Ut quis spectare dignoscatur ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ sæcularis, aut regularis, vocemque habeat in Capitulo requiritur, ut Divinis Officiis sit deputatus, sacrisque Ordinibus insignitus, atque ad minimum Subdiaconus existat; text. *in Clement.* 2. *de ætate et qualitate*, innovat. per Conc. Trident. *Sess.* 22. *cap.* 4. *de Reform.* Hinc vero excipiendi sunt Ordines Militares, utpote Divinis Officiis specialiter non deputati, et Moniales, quæ non sunt capaces Sacrorum Ordinum, et tamen possunt celebrare sua Capitula. Glossa in *cit. Clement. vers. Mancipati.* Insuper requiritur, quod sit Canonicus, vocemque habeat in Capitulo. Abbas *c. Scriptum num.* 4. *de election.* quia, ut asserit, Canonici tantum faciunt Capitulum, et unum corpus cum Episcopo; *cap. Novit.* 4. *de his quæ fiunt a Prælatis.*

(135. Capituli nomine quoque venit illa Monachorum congregatio, quæ mane fit in

Digitized by Google

Monasteriis ad Martyrologii, Necrologii, sacræque Regulæ lectionem, culparum emendationem, ac laboris injunctionem, a Regulæ Capitulo, quod in ea legebatur, appellata; ex quo factum est, ut tam ipsa *congregatio*, quam *locus*, ubi fieret, ac *res*, quæ in ea tractarentur, Capitulum nuncuparentur. Martene *de antiquis Monachorum ritibus lib.* 1. *capitulo* 5. Tempus Capituli congregandi in Monasteriis duplex erat, post Primam scilicet, et post Tertiam. Primum assignat antiquissimus Ordo conversationis monasticæ, quod suæ Regulæ Chrodegangus Met. Episcopus inseruit. E contra tempus alterum notatur in vita S. Geremari Abbatis Floriacensis *n.* 15. 2. Signo campanula dato ibant ad locum Capituli, qui erat claustro contiguus, ubi procedebant ad actus capitulares, ex quibus a Martene *loc. cit.* sequentes recensentur: Lectio Martyrologii, Divini auxilii invocatio ad omnes diurnos actus per ℣. *Deus in adjutorium, etc.* Lectio Regulæ, cui adjungebat Prior, vel cui jusserat ipse, expositionem Capituli prælecti, Lectio Necrologii, cui inserebantur etiam nomina Monachorum alterius monasterii et benefactorum; institutio ac nominatio officialium, quæ, cum Sabbato fieret in Capitulo, non tam ad quotidianos ritus, quam ad eos, qui per hebdomadam eveniunt, spectat; deinde sequebatur culparum publica confessio, et emendatio.

CAPPA.

ARTICULUS NOVISSIMUS.

SUMMARIUM.

1. Cappa quid. — 2. In collegiatis insignibus concedi solet Canonicis per Sedem Apostolicam nobilior habitus Cappæ cum rocchetto. — 3. Per concessionem Cappæ intelligitur quoque concessus usus rocchetti. — 4. Hujusmodi insignia concessa fuerunt per Sedem Apostolicam etiam inferioribus clericis. — 5. Si Ecclesia cathedralis non habeat usum Cappæ et rochetti, non debet idem usus concedi Ecclesiæ collegiatæ. — 6. Quod limitatur. — 7. Quoties cathedralis habeat ex indulto usum Cappæ et rocchetti, non potest idem habitus concedi collegiatæ. — 8. Quod procedit, si cathedralis et collegiata sint in eodem loco; secus si distent inter se, ita ut uterque clerus non conveniat in functionibus. — 9. Usus Cappæ et rocchetti est de regalibus Summi Pontificis. — 10. Cappa et rocchettum non denotant jurisdictionem, sed solum perfectionem et ornamentum personarum. — 11. Cappa et rocchettum gestari possunt non solum in Ecclesia, sed etiam in aliis functionibus ecclesiasticis.

(1. Cappa est antiquior habitus Choralis, ac proprius Canonicorum. (2. In Collegiatis insignibus concedi solet Canonicis per Sedem Apostolicam nobilior habitus Cappæ cum Rochetto, ut tradit Corradus *in Praxi Benef. l.* 2. *c.* 14. *n.* 3. 4. *et* 14. (3. Per concessionem Cappæ intelligitur quoque concessus usus Rochetti; quod probatur a Carol. Dufresne *in verb. Cappa, vers. Cappæ Chorales.* (4. Non desunt exempla, quod hujusmodi insignia nedum Canonicis concessa fuerunt per Sedem Apostolicam, sed imo etiam inferioribus Clericis, ut de usu Cappæ concesso Capellanis Ecclesiæ Ferrariensis ex Decreto S. Congr. 28. *Januar.* 1606. testatur Barbosa cum aliis. (5. Certum est, quod si Ecclesia Cathedralis non habeat usum Cappæ et Rochetti, non solet, nec debet idem usus concedi Ecclesiæ Collegiatæ; nam cum majoritas habitus majoritatem personæ designet, juxta Textum *in cap. Ut Apostolicæ, de Privil. in* 6. incongruum est, quod Collegiata nobiliori habitu suam Cathedralem antecellat, ut notat Corradus *in Praxi Benef. c.* 14. *n.* 15. *vers. Sane*, et resolvit Sacra Congregatio *in Trojana indulti Cappæ Canonicalis* 10. *Septembris* 1701, ad relationem Eminent. D. Card. Coloredi. (6. Sed excipi videtur casus, quod in limine erectionis Ecclesiæ Collegiatæ, aliquis Laicus de suis bonis eam dotando desiderasset hunc habitum nobiliorem; nam tunc summus Pontifex de erre solet desiderio dotantis, qui ita et non aliter voluit Ecclesiam dotare, eamque erigi facere in Collegiatam, ut apud Carill. *decis.* 76. *num.* 12. et seq. et advertit Corradus *dicto c., num.* 16. (7. Quoties autem Cathedralis habeat ex indulto usum Cappæ et Rochetti, seu alium, non potest idem habitus concedi Collegiatæ, quia debet esse distinctio inter Canonicos Cathedralis et Collegiatæ, tanquam inter majores et minores. (8. Hæc procedunt, si Cathedralis et Collegiata sint in eodem loco; sed si distent inter se, ita ut uterque Clerus non conveniat in functionibus, contrarium sustineri posse videtur, nam tali casu cessat indecentia, et incongruentia ob distantiam lutriusque Cleri. (9. Usus Cappæ et Rochetti est de regalibus Summi Pontificis, et eorum concessio pendet ab ejus absoluta potestate, et ipse solus habet interesse. (10. Cappa et Rochettum non denotant jurisdictionem, sed solum perfectionem, gravitatem, et ornamentum personarum, ut tenet Ceccoper. *Lucub. Canonic. l.* 1. *n.* 93. (11. Cappa et Rochettum gestari possunt non solum in Ecclesia, sed etiam in processionibus et aliis functionibus Ecclesiasticis, cum sit privilegium personale, quod non circumscribitur loco, ut resolvit Sac. Rit. Congr., 19. *Augusti* 1634. et testatur Ceccoper. *ibidem*, l. 1, *n.* 92. et 93.

CAPUCCINI.

SUMMARIUM.

1. Ministro generali ord. S. Francisci Capuccinorum, et secundariis superioribus ab eo dependentibus competit in quocunque loco, etiam ubi alii tertiarii ejusdem ordinis jam reperiuntur, fundare confraternitates. — 2. Tertiarii a capuccinis recepti gaudent omnibus gratiis, privilegiis, indulgentiis, etc. quæ per Apostolicam Sedem tertio ordini foc-

Digitized by Google

rani concessæ. — 3. Omnes personæ tertii ordinis S. Francisci, sub jurisdictione ministri generalis Capuccinorum communicantur in omnibus indulgentiis confraternitati B. M. V. de Monte Carmélo concessis. — 4. Quæ vero concessio revocata fuit à Benedicto XIV. — 5. Capuccini longe a suis monasteriis versantes possunt cuicunque sacerdoti approbato peccata sua in confessione aperire, et ab eo absolutionem obtinere, etiam à casibus in ordine reservatis. — 6. Capuccinus ad religionem Hierosolymitanam transiens legatum annuum recuperare potest. — 7. Capuccini exsequi possunt testatorum voluntates nominando, vel eligendo ad subsidia dotalia, et ad beneficia. — 8. Capuccini exempti sunt a solutione alimentorum pro iis, qui carceribus S. Inquisitionis sunt mancipati. — 9. Capuccini unde dicti. — 10. A quo cœpta eorum reformatio. — 11. Fratres Capuccini ad ordinem S. Francisci de Paula transire nequeunt. — 12. Capuccini non possunt recipere fratres de Observantia. — 13. Possunt vero recipere discalceatos. — 14. Capuccini possessiones et annuos redditus prohibentur habere. — 15. Et armenta. — — 16. Et eleemosynas, quæ civilem præbent actionem.

(1. Declaratur, quod Ministro Generali Ordinis S. P. Francisci Capuccinorum, et secundariis Superioribus ab eo dependentibus tanquam veris et legitimis filiis ejusdem S. P. Francisci conveniat, et competat in quocunque loco; Civitate, Provincia, et Regno, etiam ubi alii Tertiarii ejusdem Ordinis jam reperiuntur; erigere, instituere, ac fundare Confraternitates. Sic expresse Clemens XII. *Constit.* incip. *Apostolicæ servitutis Officium*; quæ reperitur tum in communi Bullario Romano, edito a Hieronymo Mainardo; tum in speciali Bullario ejusdem Ordinis Capuccinorum. Quæ Constitutio, si ad manus mihi obvenisset ante editionem Bibliothecæ hujus, certe pro consueta mea ingenuitate fuisset adducta, et uti nunc, aliter etiam tunc, juxta ipsam fuisset conclusum.

(2. Hinc Tertiarii a Patribus Capuccinis recepti, gaudent omnibus gratiis, privilegiis, indulgentiis, indultis, etc., quæ unquam per Apostolicam Sedem Tertio Ordini fuerunt concessa, et erunt deinde concedenda. Unde non amplius subsistunt tradita quoad hoc in verb. *Tertiarii*, *Tertiariæ*, *n.* 30. per satis de se claram Constitutionem Benedicti XIII. incip. *Dilecti Filii*, uti reperitur tum in indice, tum in corpore Bullarii Romæ editi typis Mainardi. Posteriora enim derogant prioribus. *L. nam est novum* 26. *et L. Sed et posteriores* 26. *ff. de legib. Cap. Licet* 1. *de Constitut. in* 6.

(3. Idem Pontifex Clemens XII. omnibus et singulis personis Tertii Ordinis S. Francisci, tam intra quam extra claustra, sub jurisdictione Ministri Generalis Capuccinorum degentibus concessit per viam communicationis omnes Indulgentias, quibus fruuntur et gaudent confratres et consorores Confraternitatis B. M. V. de Monte Carmelo. Sic in ejus *Constit.* incip. *Sollicitudo Pastoralis Officii*.

(4. Ast dictas Indulgentias Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Tertiariis sæcularibus Capuccinis a Clemente XII. per viam communicationis concessas, revocavit Benedictus XIV. *Constit.* incip. *Romanus Pontifex*, quæ exstat tum in Bullario ejusdem Pontificis *tom.* 1, tum in Bullario eorumdem Capuccinorum *t.* 7. *pag.* 356.

(5. Capuccinis vetitum erat ex Constitutione quadam sui Capituli Generalis, ne peccata sua exponerent alteri, quam sui Ordinis Confessario, etiamsi longe abessent à Monasteriis sui Ordinis; verum Benedictus XIV. *die* 30 *Martii* 1742. facultatem fecit singulis eorum Sacerdotibus, et Laicis longe à suis Monasteriis versantibus, ut possent cuicunque Sacerdoti sæculari a suo Ordinario approbato, vel Regulari a suo pariter Superiore approbato, peccata sua in confessione aperire, et ab eo absolutionem obtinere; etiam à casibus et censuris in suo Ordine reservatis; addita tamen obligatione, ut ubi primum potuerint, coram Superiore se sistant, et novam ab illis casibus et censuris absolutionem obtineant. De hac re vide; quæ fusius adducuntur in *Supplementis* ad verb. *Approbatio*, *art.* 2. *n.* 24.

(6. A Capuccino ad Religionem Hierosolymitanam auctoritate Apostolica translato legatum annuum vi Professionis Capuccinæ mortuum, recuperari sancivit Sacra Rota in Januen. *Legati* 22. *Junii* 1622. *Ex Bullar. Capuccinorum tom.* 2. *pag.* 381.

(7. Advertendum, quod Testatorum voluntates Fratres Capuccini, sicuti et alii Minoritæ, exequi possunt, nominando, vel eligendo ad subsidia dotalia, et ad Beneficia, ac juvenes ad seminaria. Sic Sac. Congr. Concilii in Papien. *Subsidii dotalis* 1731. ex Bullario Capuccinorum *tom.* 1. *pag.* 187. ubi refertur integra hæc causa cum sua Resolutione, et egregiis notis. Hinc cum his concilianda sunt quæ adducuntur verb. *Testamentum. art.* 3. sub *num.* 53. 57. 58. *et* 59.

(8. Capuccini declarantur exempti a solutione alimentorum pro iis, qui carceribus S. Inquisitionis sunt mancipati; ex Decreto Supremæ et Universalis Inquisitionis Romanæ, 15 *Julii* 1732. vide verb. *Alimenta*, *n.* 118.

ADDITIONES CASINENSES.

(9. Capuccini videntur nomen traxisse a longo et acuminato Caputio, quod ad capitis tegumentum deferunt.

(10. Capuccinorum Reformatio ab illa fratrum de Observantia exiit, a quodam cœpta devotissimo Fratre Matthæo de Boschio, Minore observante conventus Montis Falci Ducatus Urbini in Italia, et a Fratre Ludovico a Tenalia, ejusque fratre, patria Foro Sempronio in Marchia Anconitana, tempore Clementis VII. Et mirum est, quod dum per fratrem Boschium Capuccinorum Reformatio in Marchia Anconitana prosequebatur, alias simillimam in Calabria sanctissimi quidam viri inducebant. Anno igitur 1528, Frater Matthæus primo generali Capitulo a quindecim fratribus habito, quibus tantum tunc totus Ordo constabat, electus est Generalis: Quorum reformatorum numerus adeo, brevi spatio, divino favente numine, percrebuit, ut

Digitized by Google

ad seq ens generale Capitulum Roma 300. fratres convenerint, et brevi deinceps fere per omnes mundi plagas fuerint disseminati.

(11. Anno 1567. a Pio V. prohibitum fuit, sub indignationis suæ pœna, ut nullus ex fratribus Capuccinis ad Ordinem S. Francisci de Paula, nec e converso ullo unquam tempore, et quacunque etiam justissima causa, vel de licentia suorum Superiorum se transferre possit, quæ Bulla exstat penes Passorel. *in collect. privileg. f.* 116. Idque omnino esse servandum decrevit S. C. Regul. auctoritate ei concessa a Papa Gregorio XIV, sub pœna tam transeuntibus quam illos recipientibus privationis Officiorum ac vocis activæ et passivæ.

(12. Hic etiam congruit advertere, quod per Const. Pauli III, ann. 1537, Fratribus Capuccinis prohibitum fuit recipere Fratres Minores de Observantia, sine licentia in scriptis eorum Provincialium Ministrorum, sub pœna excommunicationis, et inhabilitationis ad quævis officia et legitimos actus. Et Julius III, in constitutione sua 10, *Officii*, anno 1550, declaravit talem professionem seu receptionem, sine dicta licentia Ministrorum in scriptis, esse nullam, et Capuccinos recipientes esse supradictas censuras incursos. Quod postea ab aliis Pontificibus fuit confirmatum. (13. Possunt tamen Capuccini ipsos Discalceatos Fratrum Minorum Hispaniarum, volentes transire ad arctiorem observantiam Franciscanam recipere, dummodo licentiam in scriptis ab eorum Ministris Provincialibus obtineant, uti habetur in *constit.* Sixti V.

(14. Cum Fratres in commune vivant, et victum ac vestitum a religione petant, illis non licet in particulari possessiones, annuos redditus, vel alia immobilia possidere. Neque in communi quidem Capuccinis aliquo modo hoc conceditur; ita ut nec redditus, nec possessiones aliquas possunt habere, licet etiam horum proprietas non Fratribus, sed dominis rerum sit reservata, vel ipsi Ecclesiæ Romanæ. Etenim in prædictis omnibus aliqua provisio in futurum annexa est, quæ eorum regulæ repugnat, et ab ipsa expresse prohibetur.

(15. At non solum agros, vineas, et domos, sed et omnia, quæ successive fructificant inhibentur possidere. Ita ut armenta, oves, vaccas, jumenta ipsis habere non licet. (16. Et insuper notandum, quod nequidem licet quasdam recipere eleemosynas, quas quotannis tenentur facere Fratribus quædam Confraternitates, hospitalia, aut communitates, ita ut civiliter ad id cogi possint: tales enim eleemosynæ naturam sapiunt redditus, et civilem habent obligationem annexam, quarum Fratres incapaces sunt. Consarub. *compend. Privileg. Fratrum Min. verb. Paupertas.*

CARDINALES.

SUMMARIUM.

ARTICULUS 1. — *Quoad eorum originem, creationem et numerum.*

1. Cardinalium origo unde desumpta. — 2. Cardinales sicuti figuraliter originem videntur trahere a sacerdotibus levitici generis, sic exemplariter ab apostolis Christi institutionem videntur habere. — 3. Cardinalis autem nomen ante tempora S. Silvestri Papæ extitisse non constat: unde nomen Cardinalis ab ipso Silvestro creditur adinventum. — 4. Prima enim in ecclesiasticis monumentis Cardinalium mentio invenitur in Concilio Romano celebrato post conversionem Constantini Imperatoris præsente ipso S. Silvestro. Et in litteris donationis factæ Ecclesiæ ab ipso Constantino Imperatore ante celebrationem hujus Concilii nulla fit mentio de nomine Cardinalium. — 5. Post Sanctum Silvestrum vero Romani Pontifices passim hoc nomine *Cardinalis* utuntur. — 6. Imo sic exinde hujus nominis *Cardinalis* usus invaluit, ut fere in omnibus principalioribus Ecclesiis præcipui sacerdotes Cardinales reperirentur constituti, donec successivis temporibus ad Romanæ Ecclesiæ senatum Summo Pontifici assistentem cardinalitia nomenclatura fuerit revocata, cum prohibitione, ne deinceps alius quilibet clericus hujusmodi nomen usurparet. — 7. Et merito undequaque hoc Cardinalium nomen supremo Rom. Eccles. Senatui fuit reservatum. Sacer enim Cardinalium senatus a cardine nomen accipit; ad. n. 8.— 9. Creatio Cardinalium diversimode, diversisque ritibus pro diversitate temporum, et pontificum fuit hactenus acta, et nostris temporibus penitus obsolevit, quod in Cæremoniali Romano disponitur de promovendis Cardinalibus feria quarta quatuor anni temporum, et de voto Sacri Collegii exquirendo, an novos creare Cardinales necesse sit, vel expediat, et in quo numero. — 10. Summus enim Pontifex pro suo libitu quos vult, et quando vult, ad cardinalatus fastigium promovet, nulla adstrictus necessitate exquirendi Cardinalium suffragia, sed solum pro quadam sui convenientia, eorum petendo consilium. — 11. Imo nulla præcisa forma necessario observanda in Cardinalium promotione utitur Summus Pontifex, sed verbis sibi benevisis promotionem indicantibus complet. — 12. Licet cæteroquin in cæremoniali Romano propria forma tradatur, quæ hic adducitur. — 13. Exinde, si noviter promoti reperiantur in urbe, eodem, quo prius utebantur habitu, ad aulam apostolicam, nullo assumpto comitatu, se conferunt, ibique ab aliquo ex antiquis Cardinalibus excepti, Summo Pontifici offeruntur, qui birreto rubro eos insignit.—14. Ex post publicum indicitur consistorium pro eis tradendo galero rubro die benevisa pontifici, qua adventat omnibus Cardinalibus in aula apostolica congregatis, Summus Pontifex mitra pretiosa ornatus ad locum consistorii more solito accedit, et statim post acceptum consuetum obsequium a Cardinalibus, præcipit, ut noviter promoti ad se accedant, ad quos habito gravi sermone de cardinalitia præstantia, et stricta pro tanti muneris Cardinalium obligatione, ex post ipsi noviter promoti pedes, et manus Pontificis osculantur, qui ad oris osculum eosdem elevat, indeque ad pacis signum ab aliis Cardinalibus excipiendum deducuntur. — 15. Istis, aliisque præscriptis cæremoniis peractis, traduntur eis cardinalitia insignia. Et stantibus interim aliis Cardinalibus ante Summum Pontificem in circulo, primus ex noviter promotis, deinde alii gradatim genuflectunt, cui Pontifex galerum rubrum imponit super caput, sic dicens: *Ad Laudem Omnipotentis Dei, etc.* — 16. In altero consistorio Summus Pontifex claudit os novis Cardinalibus, eis inhibendo, ne quid loqui præsumant in consistoriis, aliisque consessibus, quousque de consilio fratrum duxerit eis aperire os; in secundo vero aut tertio consistorio, omnibus Car-

Digitized by Google

dinalibus congregatis Summus Pontifex præcipit, ut noviter promoti exeant, donec ipse sciscitetur ab antiquis Cardinalibus, an expediat os noviter promoti aperire; atque omnibus plaudentibus, revocantur candidati, et paterne a Pontifici admoniti, ad aperitionem oris accedunt, quæ his verbis expletur : *Aperimus vobis os, etc.* — 17. Promotio tandem perficitur cum annulorum traditione, tituforumque assignatione; ipsis enim genuflexis ante Summi Pontificis cathedram Pontifex immittit cuique in digito annulari dexteræ manus annulum pretiosum ad id præparatum, assignando titulum his verbis : *Ad honorem Dei Omnipotentis, etc.* — 18. Reliqua autem, quæ observantur in his promotionibus, et maxime, cum promoti sunt absentes ab urbe Romana, satis habentur ex Cæremoniali Romano, et probatis auctoribus, qui assignantur. — 19. Solum hic adducitur, quod promoti ad cardinalatum, dum sunt absentes a curia, jurare debent in receptione birreti rubri intra annum se accessuros ad limina apostolorum sub pœna inhabilitatis, et privationis cardinalatus. — 20. Licet ab Eugenio IV, fuerit decretum, quod Cardinales in secreto consistorio pronuntiati, non dicantur Cardinales antequam cardinalatus insignia susceperint, neque vocem in electione Summi Pontificis habeant, donec sit eis licentia votandi concessa. — 21. Tamen hodie Cardinales ex actu creationis perfecte creati censentur, et habent vocem in electione Pontificis absque alia facultate, quamvis cardinalatus insignia non obtinuerint, os eis apertum nondum fuerit, nec eis fuerit traditus annulus, et titulus assignatus. — 22. Adducitur ad id decretum S. Pii V. — 23. Et sic fuit resolutum, et observatum in practico casu post obitum Clementis VIII. Et etiam in electione Clementis X. — 24. Ad cardinalatum promovendi debent habere ea omnia, et singula requisita et qualitates, quæ pro Episcopis præficiendis a sacris canonibus decernuntur. — 25. Cardinales ex omnibus mundi partibus debent eligi. — 26. Ex regularibus mendicantibus quatuor saltem fieri debent Cardinales theologi. — 27. Illegitimi, etiam per sequens matrimonium legitimati, ad cardinalitiam dignitatem non sunt promovendi. — 28. Unde tanto majus a cardinalitia dignitate arcendi sunt spurii. — 29. Cardinalis eligendus debet esse prius clericus. — 30. Filios, vel nepotes ex eis habens nequit fieri Cardinalis. — 31. Cardinalis esse non potest frater ex uno parente germanus, vel patruelis, consobrinus, aut amitinus alicujus Cardinalis viventis. — 32. Patruo, aut avunculo Cardinale vivente, ejus ex fratre vel sorore nepos nequit fieri Cardinalis; sicuti nepote ex fratre vel sorore Cardinale vivente, nequit fieri Cardinalis illius patruus, et avunculus. — 33. Imo neque ullus potest esse Cardinalis, qui primo aut secundo consanguinitatis gradu alicui Cardinali viventi sit conjunctus. — 34. Bigami ad cardinalatum non solent assumi. — 35. Ad cardinalatum non sunt assumendi nisi lectissimi, præcellentes, et undequaque digni viri. — 36. Ætas pro Cardinalibus presbyteris, et Episcopis requisita est triginta annorum. — 37. Pro Cardinalibus autem Diaconis sufficit ætas 22 annorum. — 38. Numerus Cardinalium varius olim fuit pro varietate temporum, et Summorum Pontificum, qui juxta exigentiam, et temporum, seu rerum variam emergentiam plures, vel pauciores Cardinales creabant. — 39. Inter omnes, qui plures Cardinales creaverit, est Pius IV, qui pervenit usque ad septuagesimum sextum, quo neque ante, neque post perventum est. — 40. Tempore tamen Sixti V, numerus septuagenarius invariatus remansit, prout ipse ad instar illorum septuaginta seniorum, quos Dominus Auditores et Consiliarios Moysi dedit, constituit. — 41. Cardinales igitur septuaginta esse debent, scilicet sex Cardinales Episcopi, quinquaginta Cardinales presbyteri, et quatuordecim Cardinales Diaconi. — 42. Et cuilibet ex omnibus istis septuaginta Cardinalibus juxta suum ordinem est assignata sua particularis Ecclesia, titulus, et diaconia. — 43. Affertur ad id constitutio Sixti V. — 44. Ecclesiæ, tituli et diaconiæ S. R. E. Cardinalium assignantur. — 45. Quid notandum de titulo S. Laurentii in Damaso. — 46. Cardinales accedentes ad urbem debent se Pontifici præsentare, et item ab illo licentiam petere ante discessum. — 47. Cardinales non residentes non gaudent participatione rotuli. — 48. Qua tamen, cum accedunt ad urbem, frui possunt. — 49. Cum judicant in causis commissariis uti debent notario archivii. — 50. Tribui illis potest episcopatus in partibus infidelium. — 51, 52. De antiqua denominatione et origine Cardinalium. *Remissive.* — 53, 66. De numero Cardinalium. — 67. Cardinalis nominis origo. — 68, 70. Quibus tributum. — 71. Differentia quæ est inter R. Ecclesia et cæterarum Ecclesiarum Cardinales. — 72. Diversa eorum nomina. — 73. De eorum origine. — 74, 75. Cardinalium tituli et diaconiæ. — 76. Episcopi suburbicarii. — 77. De collatione titulorum.

ARTICULUS II. — *Quoad Cardinalium Dignitatem, et præeminentiam.*

1. Cardinalatu nulla est major dignitas post papatum in Ecclesia Dei. — 2. Nec obstat, quod Cardinales ordine sint minores Episcopis. — 3. Præeminentia non est commensuranda ab ordine, sed ab officio, et jurisdictione, quæ dant dignitatem. — 4. Episcopi non præsunt, nisi uni certæ diœcesi, et Cardinales repræsentantes magistratum una cum Papa præsunt regimini totius universalis Ecclesiæ. — 5. Tantæ dignitatis, præstantiæ, et præeminentiæ sunt Cardinales, quod ipsis solis est demandata auctoritas eligendi Summum Pontificem. — 6. Hanc auctoritatem concessit eis in primis Nicolaus II, cum hoc tamen, quod facta præcipue ab ipsis Cardinalibus Summi Pontificis electione, deinde reliquus clerus, ac populus ad eam comprobandam accederet. — 7. Et hic mos eligendi Pontificem perduravit usque ad tempora Alexandri III, qui statuit, quod ille censeretur canonice electus, in quem duæ ex tribus collegii Cardinalium partes consensissent; et sic excluso cleri et populi consensu, tota Pontificis electio ad solum Cardinalium collegium redacta est. — 8. Unde in electione Lucii III, immediati successoris dicti Alexandri III, tunc primum redacta fuit ad solos Cardinales, clero omnino, et populo a Summi Pontificis electione exclusis. — 9. Et hæc facultas eligendi Summum Pontificem solis Cardinalibus demandata, fuit confirmata, et plenius statuta a Gregorio X et a Clemente V, et ex post fuit semper inviolabiliter in ipsis conservata. — 10. Cardinales soli possunt deferre pileum, seu galerum rubrum eis concessum ab Innocentio IV. — 11. Soli ipsi Cardinales possunt deferre birretum purpureum, sive pileum rubrum. — 12. Privilegium ferendi birreta, et pileos rubros more aliorum Cardinalium fuit postea etiam extensum ad Cardinales regulares a Gregorio XIV. — 13. Soli ipsi Cardinales possunt vocari cum titulo Eminentissimi, et Vestræ Eminentiæ. — 14. Imo Cardinales sunt tantæ dignitatis, et præeminentiæ, ut eorum dignitas non parum Regiam Majestatem æmulari contendat. — 15. Nec desunt Reges, qui Cardinalibus præeminentiam in sedendo, et scribendo cesserint. — 16. Ista præeminentia debetur præcipue Cardinalibus collegium repræsentantibus. — 17. Cardinalium collegium est honorabilius membrum, quod habet Ecclesia Dei, et dicitur gremium Romanæ Ecclesiæ. — 18. Unde Cardinales æquiparentur Regibus. — 19. Adducitur decretum a particulari Congregatione editum, et a Clemente XI, approbatum, et servari mandatum circa assecutionem decanatus Sacri Collegii Cardinalium. — 20. Affertur constitutio Benedicti XIII, qua decanatum Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii ad Episcopum Cardinalem antiquiorem licet a Romana curia absentem, dummodo tempore vacationis ejusdem decanatus apud priorem

Digitized by Google

sibi commissam Ecclesiam personaliter resideat, devenire decernitur; pluraque alia, quoad Ostiensis, et Velliternensis Ecclesiarum optionem statuuntur. — 21. Affertur constitutio Clementis XII, qua prævia confirmatione, et innovatione alterius constitutionis San. Mem. Pauli Papæ IV, anno 1555, editæ, decernitur decanatum Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii ipso jure deferendum esse Cardinali antiquiori Episcopo, qui tempore vacationis ipsius decanatus in Romana Curia præsens, vel ex causa publica, ac Romani Pontificis destinatione duntaxat, non tamen ratione residentiæ apud aliam Ecclesiam sibi commissam, a dicta curia absens fuerit; aliaque insuper statuuntur, et ordinantur, tam circa ejusmodi decanatum, quam circa sex Episcopatus suburbicarios eisdem Cardinalibus assignari solitos pro titulo sui cardinalatus. — 22. 23. De honoribus quibus prosequendi sunt Cardinales. *Remissive.* — 24. De Cardinale pœnitentiario, et urbis Vicario. *Remissive.* — 25. De Cardinalium dignitate. *Remissive.* — 26, 30. Quando Cardinales cœperunt Episcopis anteire. — 31. Cardinalium dignitas non semper tam illustris fuit. — 32. Quando supra Episcopos assurgere cœperint. — 33. Unde illorum elatio repetenda. — 34. Alia hujus rei causa. — 35. 36. Cardinales Episcopi principaliorem partem obtinebant in electione Pontificis. — 37. Ad Cardinales Episcopos privative spectat Pontificis consecratio. — 38. Cardinalium purpura. — 39. De usu mittendi pileum.

ARTICULUS III. — *Quoad Cardinalium residentiam, et eorum jurisdictionem in suis Titulis, aut Diaconiis.*

1. Cardinales tenentur residere in suis titulis. — 2. Alias si canonice moniti non redeant, et resideant, sunt privandi, ut de facto fuit privatus Cardinalis Anastasius a Leone IV. — 3. Cardinales tamen non residentes privari non debent, nisi legitime moniti non redeant. — 4. Alias quantumcunque vagabundi discurrant, ante legitimam, et canonicam monitionem, ut redeant, non sunt privandi. — 5. Cardinales sic contumaciter non residentes possunt deponi sine concilio. — 6. Et de facto Bonifacius VIII, Cardinales Columnenses sine concilio deposuit. — 7. Imo Cardinales sic contumaciter non residentes, possunt deponi a Papa, etiam sine consilio, et consensu aliorum fratrum Cardinalium. — 8. De honestate tamen non debet Papa Cardinalem deponere, vel alia ardua expedire sine fratrum consilio. — 9. Cardinales non possunt a Romana curia abscedere sine licentia Papæ. — 10. Et ideo Summi Pontifices varias constituerunt pœnas contra Cardinales recedentes a Romana curia sine Papæ licentia. — 11. Adducuntur compendiose variæ pœnæ ab Innocentio X, contra Cardinales recedentes a Romana curia sine papæ licentia, et ad ipsam intra tempus statutum non redeuntes. — 12. Cardinales etiam non Episcopi habent in suis titulis, et in Ecclesiis suis titulis subjectis, episcopalem jurisdictionem. — 13. Adducitur, et explicatur responsum ad id datum a Gregorio XIII. — 14. Cardinales in suis titulis habent jus visitandi, sicut Episcopi in sbis episcopatibus. — 15. Sic etiam habent Cardinales in suis titulis jus corrigendi, excommunicandi, suspensionis, et interdicti sententias fulminandi. — 16. Item in suis titulis habent cardinales jus instituendi, et destituendi. — 17. Et sic possunt Cardinales conferre beneficia suarum Ecclesiarum. — 18. Intellige tamen, quando sunt præsentes in curia, seu in urbe, nam in absentia solus Papa confert. — 19. Et pariformiter possunt Cardinales recipere resignationes beneficiorum existentium in suis titulis. — 20. Cardinales possunt in suis titulis interesse matrimoniis, vel aliis interessendi facultatem concedere. — 21. Cardinales in suis titulis habent jus utendi insignibus pontificalibus, et solemniter benedicendi more Episcoporum, licet non sint Episcopi. — 22. Item Cardinales presbyteri etiamsi Episcopi non sint, possunt in suis titulis conferre primam tonsuram, et omnes ordines minores suis subditis et familiaribus. — 23. Item possunt Cardinales in suis titulis commutare ultimas voluntates illis casibus, quibus possunt Episcopi respectu suorum subditorum. — 24. Et etiam in suis titulis possunt dispensare in iis votis in quibus dispensare possunt Episcopi in suis diœcesibus. — 25. Tandem possunt Cardinales sive per se, sive per suos Vicarios in suis titulis reliqua facere quæ sunt jurisdictionis episcopalis. — 26. Et ideo Cardinalis Vicarius urbis non cognoscit de causis sub titulis Cardinalium. — 27. Et supradicta procedunt non solum in Cardinalibus presbyteris, sed etiam in Cardinalibus Diaconis, scilicet, ut illi in suis titulis, hi vero in suis diaconiis, quasi episcopalem habeant jurisdictionem. — 28, 29. De residentia Episcoporum Cardinalium. — 30. Cardinales possunt in suis titulis conferre minores ordines et tonsuram. — 31. Cardinales Episcopi suburbicarii quomodo procedere debeant in ordinatione suorum subditorum. — 32. Possunt tonsuram conferre in capella palatii urbis. — 33. Quomodo excusantur a materiali residentia. — 34. Illorum capella non debet censeri fictione juris adhærens Episcopatui suburbicario. — 35, 42. De jurisdictione Cardinalium in Ecclesiis suorum titulorum. — 43. Archipresbyteri patriarchalium basilicarum. — 44. Quando archipresbyter Ecclesiæ Lateranensis simul cœperit esse Cardinalis. — 45. De optione ad Episcopatus suburbicarios.

ARTICULUS IV. — *Quoad Cardinalium privilegia.*

1. Cardinales primo gaudent privilegio Episcopis concesso, ut generali statuto, vel sententia interdicti, aut suspensionis non includantur, nisi eorum specialis, et expressa mentio fiat. — 2. Secundo, Cardinales gaudent privilegio eligendi sibi confessarium etiam non approbatum ab Ordinario. — 3. Imo Cardinales omnes possunt etiam suis familiaribus commensalibus confessarium etiam alias non approbatum designare. — 4. Hinc etiam ex praxi curiæ dicti familiares in die paschatis accipiunt communionem in oratoriis suorum Cardinalium. — 5. Tertio, Cardinales de jure communi gaudent privilegio altaris portatilis. — 6. Hodie tamen Cardinales, aliique privilegiati omnes attendere debent quoad hoc novissimum decretum Clementis XI, de celebratione in oratoriis privatis, et posteriorem declarationem allatam sub verb. *Oratorium* num. 70. — 7. Quarto, Cardinales gaudent privilegio, quod lites, quas habent inter se, a Papa sint judicandæ et decidendæ. — 8. Quinto, Cardinales in delicto debent ex jure antiquo convinci, antequam condemnentur, per testes 72, si sint episcopi; per 64, si sint presbyteri; et per 27, si sint diaconi. At contrarium hodie. — 9. Sexto, Cardinales exempti sunt a gabellis, datiis, tributis, et aliis oneribus cameralibus. — 10. Septimo, Cardinalium clerici omnes domestici, commensales se possunt illis in recitatione officii conformare. — 11. Octavo, Cardinales eo ipso, quod ad cardinalatus fastigium sunt assumpti, remanent soluti a patria potestate. — 12. Nono, Cardinales orto schismate, et duobus de papatu contendentibus, concilium congregare possunt. — 13. Decimo, a sententia ex voto Cardinalium, seu consensu lata, minime appellatur. — 14. Undecimo, Cardinales in beneficialibus non includuntur in regulis Cancellariæ faciendis post constitutionem 6. Urbani VIII, nisi fiant de consensu illorum, vel majoris partis. — 15. Duodecimo, Cardinales in commissis sibi Ecclesiis a Sede Apostolica, possunt beneficia conferre, et jurisdictionem exercere ante captam possessionem, et ostentionem litterarum. — 16. Tertio decimo, beneficia familiarium Cardinalium non possunt conferri per Papam sine consensu Cardinalis patroni. — 17. Quarto decimo, Cardinales judicant familiares privative, quoad alios

Digitized by Google

etiam Cardinales, et ideo etiam Vicarius Papæ non judicat tales familiares, sed eos remittit suo Cardinali, qui ad pœnam habet privatum carcerem. — 18. Quinto decimo, Cardinales gaudent privilegio habendi partem redditumm Cameræ Apostolicæ. — 19. Sexto decimo, Cardinali asserenti aliquid actum in præsentia Papæ, vel dicenti sibi vivæ vocis oraculo a Papa mandatum fuisse, credi debet. — 20. Decimo septimo, Cardinali asserenti se esse legatum, creditur circa ordinariam potestatem, etiamsi litteras suæ legationis testes non exhibeat. — 21. Decimo octavo, Cardinalis dicto, de consuetudine curiæ, statur in his, quæ dicta, vel facta sunt coram eo. — 22. Decimo nono, Cardinales Episcopi habentes indultum, possunt, non obstante decreto sanctæ memoriæ Clementis VIII, ante vacationem unire seminario beneficium, quod obtinet familiaris Papæ defuncti. — 23. Vigesimo, privilegia omnia Episcopis ob status dignitatem concessa, ad Cardinales extenduntur propter majorem eorum dignitatem, quam habent. — 24. De plurimis aliis privilegiis, quibus gaudent omnes Eminentissimi Cardinales. *Remissive.* — 25. De numero privilegiorum Cardinalium. — 26, 29. De privilegio Cardinalium in testando. — 30. Cardinalis professus ex ordine Hierosolymitano testare non potest sine Pontificis permissione. — 31, 38. De cæteris privilegiis Cardinalibus concessis.

ARTICULUS V. — *Quoad Cardinales in conclavi, et sede vacante.*

1. Cardinales ingredi debent conclave transactis decem diebus a morte Papæ. — 2. Cardinales non possunt habere in conclavi ultra duos servientes clericos vel laicos sibi benevisos. — 3. In conclavi Sede Apostolica vacante debet adesse unus religiosus pro confessionibus audiendis a majori parte Cardinalium per secreta suffragia eligendus. — 4. Cardinales Episcopi audita morte Papæ tenentur accedere ad conclave, et post duos menses ab electione, et coronatione Papæ redire ad suum episcopatum sub pœna contra Episcopos non residentes. — 5. Cardinales non intrantes conclave, vel exeuntes sine causa, non sunt amplius requirendi, nec admittendi ad electionem faciendam. — 6. Cardinalibus infirmis exeuntibus a conclavi, alii debent prosequi electionem, et convalescentes possunt redire. — 7. Similiter absentes, qui intra decem dies non se stiterunt, si supervenerint re integra, debent admitti ad conclave. — 8. Dato casu quo Papa pereat extra civitatem Romanam, vel extra eam, in qua erat curia, tunc Cardinales tenentur convenire in civitate, in cujus territorio, seu districtu Pontifex obiit; et ibi in palatio episcopali, vel alio commodiori loco construere conclave, et Papam de more eligere. — 9. Ex Constitutione Gregorii X, in cit. c. *Ubi periculum*, deberent Cardinales habitare in habitatione communi, sed Clemens VI, constit. incip. *Licet*, decrevit, ut eorum cellæ per cortinas dividantur. — 10. Cardinales in conclavi nulli alteri negotio vacare possunt, quam negotio electionis Pontificis, nisi Ecclesiæ necessitas urgeat; et tunc negotia, quæ peraguntur, debent esse omnibus nota. — 11. Cardinales in conclavi nullos debent admittere ad se venientes, nec cuiquam debet dari aditus ad ipsos, et facultas cum eis secrete loquendi. — 12. Nec cuiquam licet mittere ipsis Cardinalibus, vel alicui eorum nuncium, vel scripturam, aut cum aliquo ipsorum secrete de negotiis loqui sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. — 13. Gregorius X, in cit. c. *Ubi periculum* statuit, ut Cardinales intra tres dies deberent Pontificem eligere; alias iis transactis, per 5 dies sequentes unum solum ferculum haberent; et si intra 5 non eligerent, pane tantum, vino, et aqua reficerentur. — 14. Et merito hæc lex constituta fuerat, ad præcavenda de cætero infinita propemodum detrimenta, quæ passa fuerat Ecclesia in tam longa Sedis Apostolicæ vacatione continuata post mortem Clementis IV, sui immediati prædecessoris per annos duos, menses novem, et dies duos. — 15. Hæc Gregorii X, constitutio fuit de facto post ejus mortem statim a Cardinalibus executioni demandata, utpote qui elegerunt Innocentium V, prima, vel altera die ab ingressu in conclave. — 16. Cardinales in conclavi excludi non possunt ab electione activa, vel passiva ratione excommunicationis, suspensionis, vel interdicti. — 17. Plura alia observanda a Cardinalibus in conclavi fuerunt statuta ab ipso Gregorio X, in cit. cap. *Ubi periculum*, a Clem. VI, constitutio incip. *Licet*, a Concilio Constantiensi sess. 41, a Pio IV, constit. incip. *In eligendis.* — 18. Sed in variis fuerunt moderata, et reformata a Gregorio XV, constitutione incip. *Decet Romanum*, et ab Urbano VIII, constit. incip. *Ad Romani*; quæ adhuc hodie observantur. — 19. Cardinales in conclavi existentes possunt in suis titulis jurisdictionem exercere non personaliter, sed per suos Vicarios et ministros. — 20. Sic etiam Major Pœnitentiarius in conclavi existens, potest, non personaliter, sed per officiales pœnitentiariæ exercere officium suum extra conclave. — 21. Sic pariter Camerarius Cardinalis in conclavi existens potest, non per se, sed per suos ministros et officiales, suum exercere officium. — 22. Cardinales non sunt cogendi intrare conclave, nisi in casu, quo nullus vellet intrare, vel in casu, quo non electo Pontifice, omnes simul, vel successive exire contingeret. — 23. Sede vacante Cardinalium collegium non succedit Pontifici in his quæ ratione excellentiæ, dignitatis, eminentiæ, ac prærogativæ tantum sunt reservata. — 24. Unde sede vacante nec potest Cardinalium Collegium creare Cardinales. — 25. Imo sede vacante nec potest Cardinalium Collegium restituere, et habilitare Cardinales per Papam privatos, seu depositos, nequidem ad vocem. — 26. Nec potest sede vacante tradere insignia cardinalatus Cardinalibus nuper creatis, eisque os claudere et aperire. — 27. Nec potest sede vacante Episcopos creare, vel electos confirmare, nec jam creatos deponere. — 28. Cardinalium Collegium, sede vacante, beneficia conferre non potest. — 29. Nec mirum, quia nec inferiora collegia hoc habent mortuo prælato. Quamvis jurisdictio prælati, sede vacante, transeat in collegia inferiora. — 30. Et jurisdictio et potestas Papæ, sede vacante, non transeat in Collegium Cardinalium. — 31. Unde in hoc Collegium Cardinalium est deterioris conditionis, quam sint inferiora collegia, in quæ sola transit jurisdictio, sede episcopali vacante, et non in Collegium Cardinalium, vacante Sede Apostolica. — 32. Assignatur ratio specialitatis, et diversitatis. — 33. Cardinales, sede vacante, nec in arduis possunt se immiscere, nisi pro terra Ecclesiæ defendenda, et grandi evidenti periculo imminenti. — 34. Cardinalium Collegium, sede vacante, nullam potestatem, aut jurisdictionem habet, gratiam aliquam, aut justitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi. — 35. Potest autem Collegium Cardinalium, sede vacante, mittere unum Cardinalem pro terra Ecclesiæ defendenda, vel evidenti indigenti periculo. — 36. Sic etiam potest Cardinalium Collegium mittere Cardinalem ad Papam electum in absentia, et ad illum reducendum ad urbem; illique expensas necessarias constituere de redditibus Romanæ Ecclesiæ. — 37. Qui tamen missus Cardinalis in utroque casu, non esset proprie legatus cum jurisdictione, et potestate Legati, sed Nuncius ad illam tantummodo necessariam defensam; vel ad nudum illud ministerium facti. — 38. Item potest Collegium Cardinalium, sede vacante, Legatum missum a Papa revocare, ex magna et evidenti necessitate. — 39. Non autem sic posset revocare sine magna et evidenti necessitate. — 40. Duobus de Papatu contendentibus, et generale concilium convocare renuenti-

Digitized by Google

bus, potest fieri convocatio a Collegio Cardinalium. — 41. Cardinalium Collegium potest, et debet intrusum in papatu anathematizare, et extrudere. — 42. Cardinalium Legatorum Apostolicorum officium non expirat per obitum Papæ, seu se le vaçante. — 43. Congregationum Cardinalium facultates sunt perpetuæ, et non expirant per obitum Papæ; sed etiam durant in tempus Pontificum successorum. — 44. Creato Pontifice facultates congregationum nunquam consueverunt renovari, sed fiunt congregationes prout solebant vivente Papa prædecessore. — 45. Licet congregationum Cardinalium facultates per obitum Papæ non expirent, tamen sede vaçante, Cardinalibus in conclavi manentibus debent conquiescere, et dormitare, quoad negotia illa, et causas, quæ in congregatione expediuntur per subscriptionem Cardinalis præfecti, seu habentis sigillum. — 46. Congregationum Cardinalium autem negotia quæ in communi forma a solo secretario expediri solent, possunt etiam expediri sede vacante. — 47. Et sic per secretarium congregationis Episcopor. et Regul. possunt, sede vacante, Cardinalibus in conclavi manentibus, expediri licentiæ pro puellis educandis; et eadem ratione dari poterunt transumpta et duplicata, seu ut vocant; *Ita reperitur*, et alia hujusmodi. — 48, 50. De constitutionibus, quas Cardinales initio conclavis servare promittunt.

ARTICULUS I.

Quoad eorum originem, creationem et numerum.

(1. Cardinales originem videntur habere figuraliter a Sacerdotibus Levitici generis, ut tradit Eugenius IV in *Constit.* incip. *Non mediocri*, ex verbis *Deuteronomii* 17. *Si difficile, et ambiguum apud te judicium esse perspexeris, venies ad Sacerdotes Levitici generis, et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus*, verba hujusmodi referendo ad Summum Pontificem, et S. Romanæ Ecclesiæ cardinales, principales in Ecclesiæ regimine ejusdem cooperatores, assessores et consiliarios, juxta expressam auctoritatem Innocentii III *in cap. Per venerabilem, Qui filii sint legitimi*, cujus verba de Cardinalibus disserendo sunt ista : *Sunt autem Sacerdotes Levitici generis, Fratres nostri, qui nobis Jure Levitico in executione Sacerdotalis Officii Coadjutores existunt.* Unde tali textu animati quam plures gravissimi Doctores non dubitarunt asserere Cardinalium officium quoad suam primordialem originem, et adumbrationem Juris esse Divini, vel quidem Sacerdotum Levitici generis typum, et figuram tenere. Abbas et alii Canonistæ *in dict. capit. Per venerabilem*, S. Antonin. *part.* 3, *tit.* 21, *c.* 1 *et* 2. Augustin. Triumph. *in tract. de potest. Ecclesiast. quæst.* 102. Cardin. Bellarm. *in Apolog. cap.* 4, *pag.* 35. Barbat. *tract. de Card. præst. qu.* 1. Laudens. *de Card. part.* 1, *qu.* 34, *et part.* 2, *qu.* 7 *et qu.* 12. Alban. *de Card. part.* 5. Paleot. *de Sacr. Consistor. membr.* 5, *cap.* 11. Turrecremat. *l.* 2, *c.* 80 *et* 81. Lancell. *in templo omnium Judic. lib.* 2, *cap.* 2, § 3, *num.* 27. Chuc. *in Instit. Canon. lib.* 3, *tit.* 4, *num.* 53. Germon. *l.* 3. *Sac. c.* 6. Macedo *de clavibus Petri, lib.* 4, *c.* 8. Camill. Borr. *in Summa omnium dec. tit.* 5, *num.* 8. Azor. *part.* 2, *lib.* 4, *qu.* 2 et alii. (2. Cardinales sicut figuraliter originem videntur trahere a Sacerdotibus Levitici generis, sic exemplariter ab Apostolis Christi institutionem videntur habere. Instituti enim fuerunt exemplo Apostolorum, qui Christo Domino in terris tanquam Pontifici assistere videbantur. Sixtus V in *Constitut.* incip. *Postquam verus*, ibi : *Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales repræsentantes personas Apostolorum, dum Christo Salvatori regnum Dei prædicanti atque humanæ salutis Mysterium operanti ministrarent, etc.*, ut notat Jacobat. *de Conc. lib.* 1, *num.* 252, quem refert Azor. *Instit. Moral. part.* 2, *lib.* 4, *c.* 1, *q.* 3. Barbosa, *lib.* 1, *Juris Ecclesiast. univers. c.* 3, *n.* 2. Petra, *t.* 4, *comment. in Constit.* 15. *Eugen. IV*, *num.* 9. Et post Christi Domini Ascensionem Petro Pontificale munus gerenti assistebant, cooperantes in regimine universalis Ecclesiæ, tanquam Cardinalatus Officium exercentes, adeo ut Apostolos prius partes Cardinalium in urbe Roma obiisse, quam Episcoporum, expresse inquit Cardin. Petrus de Alliaco *de Auctor. Eccles. cap. de Cardin.* præcisis his verbis : *Ex hoc potest inferri, quod Apostoli prius Cardinales, quam Episcopi fuerunt, etc., prius fuerunt Cardinales Orbis, quam Urbis;* et infra : *Senatui Apostolorum succedit Collegium Sacrum Cardinalium quantum ad illum statum, quo Apostoli consistebant Petro, antequam fierent particularium Ecclesiarum Episcopi.* Et simili sensu locuti sunt Anton. Pagan. *in Ordine jurisdict. et resident. Episcop. serm.* 2 *circa finem.* Fridericus Imperator, et omnes Doctores Pragensis Academiæ, quando contra errores Joannis Huss subscripserunt, ut apparet ex eorum verbis relatis a Thomasino *de Benefic. part.* 1, *lib.* 2, *cap.* 114, *num.* 3, § *qui minus* quibus aperte constat. cit. Eugenii IV, *Constitutio* incip. *Non mediocri*, ubi dicit Cardinalium Officium B. Petri tempore primordia habuisse.

(3. Cardinalis autem nomen ante tempora Sancti Silvestri Papæ exstitisse non constat,

ARTICULUS VI. — *Quoad Cardinalium sepulturam, et quartam parochialem.*

1. Cardinales Romæ decedentes, non electa sibi sepultura, ubi sepeliri debeant. — 2. Si tales Cardinales nondum habuerint titulum, sepeliendi sunt in Ecclesia S. Joannis Lateranensis. — 3. Si Cardinales decedentes, non electa sepultura, habeant sepulcrum majorum, in eo sunt sepeliendi.—4. Cardinales autem decedentes extra urbem sive in patria, sive alibi, sive in itinere, antequam ad urbem pervenerint, non electa sibi sepultura, neç habentes ibi sepulcrum majorum, sepeliendi sunt in Ecclesia majori loci obitus. — 5. Nisi tamen alicui parochiæ sint obligati ex receptione sacramentorum. — 6. Cardinalis regularis potest sibi eligere sepulturam ubilibet sine licentia superioris regularis; alias decedens, non electa sepultura, sepelitur in propria Ecclesia sui tituli, ad n. 7. — 8. Nullis autem Cardinalibus permittitur unquam sepeliri in basilica Vaticana. — 9. Quarta autem parochialis, seu portio canonica debetur proprio parocho ex funere Cardinalium, qui sepeliuntur extra Parochiam. — 10. Forma et solemnitas in exsequiis S. R. E. Cardinalium. — 11. Explicatur auctor. num. 1. Cardinales sepeliri debere in Ecclesiis suorum Titulorum.

Digitized by Google

unde quidquid existiment alii, nomen Cardinalis ab ipso Silvestro creditur adinventum; (4. cum prima in Ecclesiasticis monumentis Cardinalium mentio inveniatur in Concilio Romano celebrato post conversionem Constantini Imperatoris præsente ipso S. Silvestro, in cujus *art.* 1, *cap.* 6 *et* 7 septem Diaconi Cardinales Urbis Romæ, qui dicto Concilio interfuerunt, descripti reperiuntur, ut ex Card. Borr. notat Chœl. *in notit. Card. cap.* 2, et in ipso Concilio sic statutum fuisse legitur : *a Subdiacono usque ad Lectores omnes subditi sint Diacono Cardinali, viro Reverendissimo in Ecclesia, repræsentantes ei honorem*, etc. Et in eodem quoque Concilio de Cardinalibus S. R. E. fit sequens mentio : *Præsul non damnetur, nisi cum* 72 *testibus*, *Presbyter vero Cardinalis nisi cum* 64 *testibus non deponatur*, *Diaconus autem Cardinalis Urbis Romanæ nisi cum* 27 *testibus non condemnabitur*, sic refertur *in cap. Præsul.* 2, *qu.* 5, *caus.* 2. Et in litteris donationis factæ Ecclesiæ a Constantino Imperatore ante celebrationem hujus Concilii, nulla fit mentio de nomine Cardinalium, quod nomen tantæ Eminentiæ et Dignitatis non fuisset certe tunc ab Imperatore reticitum, qui de Clericis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sic reverenter et emphatice fuit locutus, ut patet *in cap. Constantinus*, *dist.* 99. *Viris etiam diversi Ordinis Reverendissimis Clericis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ servientibus*, *illud culmen singularis potestatis*, *et præcellentiæ habere sancimus*, *cujus amplissimus noster Senatus videtur gloria adornari.* (5. Post Sanctum Silvestrum vero passim Romani Pontifices hoc nomine Cardinalis utuntur, ut patet in variis Sacris Canonibus, et signanter *in cap. Presbyteri* 3, *distinction.* 24, ubi Gelasius Papa scribens Cœlestino Episcopo sic ait : *Sciturus Visitatoris te nomine*, *non Cardinalis creasse.* Et Gregorius post ipsum Gelasium eodem nomine sæpius utitur, *ut in cap. Pastoralis* 42, *caus.* 7, *quæst.* 1, ibi : *In qua ordinatus es Cardinalis a nobis debeas Ecclesia permanere*, et in *cap. Relatio* 5, *caus.* 21, *quæst.* 1, ibi : *Sibi Cardinalem postulant te constitui*, et *cap. Illud quoque* 6, *ejusdem caus. et quæst.*, ibi : *Sic te prædictæ Tarraconen. Ecclesiæ Cardinalem esse constituimus.* Et ex post Stephanus IV *in cap. Oportebat* 3, *dist.* 79, ibi : *In Apostolatus culmen unus de Cardinalibus Presbyteris*, *aut Diaconibus consecraretur*, et *cap. Nullus* 4, *ejusdem Distinctionis* 79, ibi : *Nisi per distinctos gradus ascendet Diaconus*, *aut Presbyter factus fuerit Cardinalis.* Et deinceps Nicolaus II *in cap. In nomine Domini* 1, *dist.* 23, ibi : *In primis Cardinales Episcopi diligentissime simul de electione tractantes mox Christi Clericos Cardinales adhibeant;* et sic alii posteriores, ut videre est in Sacris Canonibus, et Apostolicis Constitutionibus.

(6. Imo sic exinde hujus nominis *Cardinalis* usus invaluit, ut fere in omnibus principalioribus Ecclesiis præcipui Sacerdotes Cardinales reperirentur constituti, donec successivis temporibus ad Romanæ Ecclesiæ Senatum Summo Pontifici assistentem Cardinalitia nomenclatura fuerit revocata, cum prohibitione, ne deinceps alius quilibet Clericus hujusmodi nomen usurparet, ut refert Ludovicus Roman. in Sermone habito in Concil. Basileen. sive *in cons. ult. num.* 14. Et cum adhuc a Canonicis in variis præcipuis Metropoliticis Cathedralibus, ut Ravennatensi, Compostellana, Mediolanensi, Neapolitana et aliis, Cardinalitium nomen, ex prætensis seu suppositis privilegiis retineretur, S. Pius V, anno 1567. 13 *Kal. Mart.* harum Ecclesiarum privilegia (si quæ aderant) suo diplomate abrogavit, et in omnibus aliis Ecclesiis præterquam in Romana, Cardinalis nomen totaliter exstinxit, et solos S. Romanæ Ecclesiæ a Summo Pontifice creatos Cardinales hoc nomine decorandos esse sancivit, ut refert Chœll. *in notit. Card. cap.* 2, § *Et ideo*, ex Moscon. *de Majestat. milit. Eccles. lib.* 1, *part.* 1, *cap.* 5, *vers. propter.* (7. Et merito undequaque hoc Cardinalium nomen supremo Romanæ Ecclesiæ Senatui fuit reservatum, nam ex *cap. Sacrosancta* 2, *dist.* 22. « Apostolica Sedes caput, et cardo a Domino, et non ab aliis constituta est, et sicut cardine ostium regitur, sic hujus Apostolicæ Sanctæ Sedis auctoritate omnes Ecclesiæ (Domino disponente) reguntur. Unde Senatus Cardinalium (ut ibi exponit Archidiaconus) a cardine nomen accipit, quasi se regat, et alios; sicuti enim ostium regitur per cardines, ita Ecclesia per istos; et Cardinales Cardines dicuntur in Romana Ecclesia duplici similitudine, vel quia sicut domus habet ostium et cardinem, sic Ecclesia habet Papam, qui est ostium Dei vel Ecclesiæ, et Cardinales, etc. » (8. Et his consentiunt Patres Basileensis Consessus de S. R. E. *Cardinalibus sess.* 23, ibi : *Sicut nomine, et re ipsa, Cardines sunt, super quos ostia universalis Ecclesiæ versentur et sustententur.* Et Eugenius IV in *Constitut.* incip. *Non mediocri*, § 14, de Cardinalibus sic expresse dicit : *Quorum Officio nomen ipsum consonat optime, nam sicut super Cardinem volvitur ostium domus, ita super eos Sedis Apostolicæ et totius Ecclesiæ ostium quiescit.* Ad quod non dubitavit alludere Chœll. *in notit. Card. cap.* 2, § *et ideo verbis lib.* 1, *Reg. c.* 2, *Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super hos orbem.*

(9. Creatio Cardinalium diversimode diversisque ritibus pro diversitate temporum et Pontificum fuit hactenus acta, et nostris temporibus penitus obsolevit, quod in Cæremoniali Romano *lib.* 1, *sect. cap.* 1 *cum seq.*, disponitur de promovendis Cardinalibus feria quarta quatuor anni temporum, et de voto Sacri Collegii exquirendo, an novos creare Cardinales necesse sit, vel expediat, et in quo numero? (10. Summus enim Pontifex pro suo libitu, quos vult, et quando vult, ad Cardinalatus fastigium promovet, nulla adstrictus necessitate exquirendi Cardinalium suffragia, sed solum pro quadam sui convenientia eorum petendo consilium, ut directe probat Card. de Luca *in relat. Roman. Cur. disc.* 5, *num.* Card. Jacobat. *de Conc. lib.* 7, *art.* 3, *num.* 117, et alii adducti

Digitized by Google

a Choell. *in notit. Card. c.* 9, *lit. C.* (11. Imo nulla præcisa forma necessario observanda in Cardinalium promotione utitur Summus Pontifex, sed verbis sibi benevisis promotionem indicantibus complet. (12. Licet cæteroquin in Cæremoniali Romano hæc forma tradatur : *Auctoritate Dei Patris Omnipotentis, Sanctorum Petri et Pauli, et Nostra N. assumimus in Presbyterum, vel Diaconum Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem*, ut notat Mascon. *de Majest. milit. Ecclesia lib.* 1, *part.* 1, *capitulo* 5, Choell. *loc. citato, lit. E*, (13. Exinde, si noviter promoti reperiantur in Urbe, eodem, quo prius utebantur habitu, ad Aulam Apostolicam, nullo assumpto comitatu, se conferunt, ibique ab aliquo ex antiquis Cardinalibus excepti Summo Pontifici offeruntur, qui Birreto rubro eos insignit. (14. Ex post publicum indicitur Consistorium pro eis tradendo Galerum rubrum die benevisa Pontifici, qua adventa, omnibus Cardinalibus in Aula Apostolica congregatis, Summus Pontifex Mitra pretiosa ornatus ad locum Consistorii more solito accedit, et statim post acceptum consuetum obsequium a Cardinalibus, præcipit ut noviter promoti ad se accedant; qui illico obtemperantes, ac profunde se ei inclinantes, a Cæremoniarum Magistro post ultimum Cardinalem Presbyterum locantur ante conspectum Pontificis detecto capite, ad quos habito gravi sermone de Cardinalitia præstantia et eminentia, et de Cardinalium stricta pro tanti muneris obligatione, ex post accedunt noviter promoti ad Cathedram Pontificiam obsequia ei præstaturi, pedes videlicet et manus Summi Pontificis osculando, qui ad oris osculum eosdem elevat; indeque ad pacis signum ab aliis Cardinalibus excipiendum deducuntur. (15. Istis aliisque præscriptis Cæremoniis peractis, traduntur eis Cardinalitia insignia. Stantibus igitur interim aliis Cardinalibus ante Summum Pontificem in circulo, prior ex noviter promotis, deinde alii gradatim genuflectunt, cui Pontifex Galerum rubrum imponit super caput sic dicens : « Ad laudem Omnipotentis Dei, et Sanctæ Sedis Apostolicæ ornamentum, accipe Galerum rubrum, insigne singularis Dignitatis Cardinalatus, per quod designatur quod usque ad mortem, et sanguinis effusionem inclusive pro exaltatione Sanctæ Fidei, pace et quiete populi Christiani, augmento et statu Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ te intrepidum exhibere debeas in nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus Sancti ✠, Amen. » (16. In altero postea Consistorio Summus Pontifex claudit os novis Cardinalibus, eis inhibendo, ne quid loqui præsumant in Consistoriis, aliisque Consessibus, quousque de consilio Fratrum duxerit eis aperire os. In secundo vero aut tertio Consistorio, omnibus Cardinalibus congregatis Summus Pontifex præcipit ut noviter promoti exeant, donec ipse sciscitetur ab antiquis Cardinalibus an expediat os noviter promotis aperire; atque omnibus plaudentibus, revocantur Candidati, et paterne a Pontifice admoniti, ad aperitionem oris accedunt, quæ his verbis expletur : « Aperimus vobis os, tam in Collationibus, quam in Consiliis, atque in electione Summi Pontificis, et in omnibus actibus, tam in in Consistorio quam extra, qui ad Cardinales spectant, et quos soliti sunt exercere. » In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spritus Sancti ✠, Amen. (17. Promotio tandem perficitur cum Annulorum traditione, Titulorumque Assignatione; ipsis enim genuflexis ante Summi Pontificis Cathedram, Pontifex immittit cuique in digito annulari dexteræ manus Annulum pretiosum ad id præparatum, assignando Titulum his verbis : *ad honorem Dei Omnipotentis, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et S. N. committimus tibi Ecclesiam S. N. cum Clero, et Populo, et Capellis suis secundum formam qua committi consuevit Cardinalibus, qui eamdem Ecclesiam habuerunt.* (18. Reliqua autem, quæ observantur in his promotionibus, et maxime cum promoti sunt absentes ab Urbe Romana, satis colliguntur ex Cæremoniali Romano *lib.* 1. *sect.* 8. Card. de Luca *in relatione Roman. Cur. disc.* 5. *n.* 9. Choell. *in notit. Cardinal. c.* 9 et 10. Corrad. *in praxi lib.* 10, *c.* 14, *n.* 26, et aliis; et ideo relinquuntur penes ipsos videnda. (19. Solum hic additur, quod promoti ad Cardinalatum, dum sunt absentes a Curia, jurare debent in receptione Birreti rubri intra annum se accessuros ad Limina Apostolorum sub pœna inhabilitatis, et privationis Cardinalatus, ut fuit statutum a Sixto V, in *Constitutione* 50, incip. *Postquam.*

(20. Licet ab Eugenio IV in *Constitutione* incip. *In eminenti* fuerit decretum, quod Cardinales in secreto Consistorio pronuntiati non dicantur Cardinales, antequam Cardinalatus insignia susceperint, neque vocem in electione Summi Pontificis habeant, donec sit eis licentia votandi concessa; (21. tamen hodie Cardinales ex actu Creationis perfecte creati censentur, et habent vocem in electione Pontificis absque alia facultate; quamvis Cardinalatus insignia non obtinuerint, os eis apertum nondum fuerit, nec eis fuerit traditus Annulus et Titulus assignatus. Et ratio est quia oris aperitio, juramenti præstatio, aliaque traditionis insignium solemnia, ut optime dicit Card. de Luca *in relation. Romanæ. Cur. disc.* 5, *n.* 11, «Sunt Cæremoniæ vel Solemnitates, quæ non percutiunt substantiam vel perfectionem actus, quia secuta promotione, ut supra, illi sunt veri, ac præfecti Cardinales; ideoque (quidquid aliud dubitatum fuerit) votum habent in Conclavi in electione Pontificis, omnesque alias Cardinalitias juridictiones et præeminentias, ut moderna praxis docuit, etc.» (22. Et sic expresse fuit decretum a S. Pio V, *die* 26 *Januarii* 1571, ut apparet ex verbis ipsius decreti, ut sequitur : « Quia aliquando dubitatum fuit utrum Cardinales, quibus os clausum esset, si antequam illud eis aperiretur, Sedis vacatio eveniret, utrum, inquam, in Summi Pontificis electione votum haberent. Sanctitas sua exquisitis R. R. D. D. sententiis

Digitized by Google

de eorum assensu et consensu decrevit, quod cum potentissima Cardinalium facultas in Romano Pontifice eligendo consistat, quæ sane ipsis propter insignium et Cæremoniarum defectum auferri non debet, ob eam causam Sanctitatem suam statuere, ut postquam aliquis S. R. E. Cardinalis creatus fuit, honoremque acceperit, et consensum suum dederit, is statim vocem et jus eligendi Romanum Pontificem habeat, et consequenter etiamsi Cardinalitius Galerus nondum illi traditus sit, neque os clausum, vel si clausum fuerit, nondum tamen apertum sit, videtur enim hujusmodi claudendi oris ritum, ad præcipuam cardinalium facultatem, quæ circa Summi Pontificis electionem versatur, non pertinere, sed Cæremoniam quamdam esse, ea de causa introductam, ut Cardinales, antequam in Consistoriis et Congregationibus suffragium ferant, de modestia, quæ ab ipsis in his et aliis actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur, etc. » *sub die* 26 *Januarii* 1571. Sic referunt Cherubin. Fil. *ad Constitutionem primam Eugenii IV.* incip. *In eminenti, scol.* 2. Barbosa *lib.* 1. *Juris. Eccles. univers. c.* 3. *n.* 41. Petra *comment. in cit. Constit. prima Eugenii IV, n.* 9, et recensetur in *Constit.* 19 Greg. XV, incip. *Decet*, de approbatione Cæremonialis in electione Summi Pontificis servandi. (23. Et sic fuit resolutum, et observatum in practito casu post obitum Clementis VIII. Cum enim iterum dubitatum fuisset, an Cardinalis de Comitibus, cui os clausum, nondum vero apertum fuerat, in electione Romani Pontificis vocem haberet, commissa discussione hujus quæstionis quatuor a Rota Tribunali ad Sacrum Collegium assumptis, tandem omnibus fere Cardinalibus in Consistoriis congregatis approbantibus, ut S. Pius V, decrevit, resolutum fuit, ut distincte recensetur *in annot.* 45. *et* 46. *Coccin.*, et fuit observatum etiam in electione Innocentii X, in qua ante aperitionem oris vocem habuerunt Cardinales Panzirolus, Rosetus et Estensis noviter pronuntiati, ut refert Fagnan. *in cap. Cum olim de Majoritate, et obedientia n.* 48.

(24. Ad Cardinalatum promovendi debent habere ea omnia, et singula requisita, et qualitates quæ pro Episcopis præficiendis a Sacris Canonibus decernuntur. Concil. Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 1. ibi: *Ea vero omnia, et singula, quæ de Episcoporum et præficiendorum vita, ætate, doctrina, et cæteris qualitatibus alias in eadem Synodo constituta sunt, decrevit eadem etiam in Creatione S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, etiamsi Diaconi sint, exigenda.* Sic etiam Leo X, *Constit.* 7. incip *Supernæ*, et Sixtus V, *Constit.* 50. incip. *Postquam.* (25. Cardinales ex omnibus mundi partibus debent eligi, si possibile sit. Concil. Trident. *cit. sess.* 24. *de reform. cap.* 1. ibi: *Quos Sanctissimus Romanus Pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, prout idoneos repererit assumet.* Sic etiam Sixtus V. cit. *Constitut.* incip. (26. *Postquam* §. 11. Ex Regularibus Mendicantibus quatuor saltem fieri debent Cardinales Theologi. Sixtus V. in dicta *Constit.* incip. *Postquam*, § 4, ibi: « Inter hos septuaginta Cardinales præter egregios utriusque Juris, aut Decretorum Doctores, non desint aliquot insignes viri in Sacra Thologia Magistri, præsertim ex Regularibus et Mendicantium Ordinibus assumendi, saltem quatuor, non tamen pauciores. » (27. Illegitimi, etiam per sequens Matrimonium legitimati, ad Cardinalitiam Dignitatem non sunt promovendi. Sixtus V. in d. *Constit.* incip. *Postquam* § 12. ibi: « Præterea qui Cardinales creandi erunt, legitimis et honestis sint exorti natalibus, neque ulla prorsus labe, aut illegitimorum natalium suspicione quovis modo laborent, sed omni macula et impuritate careant, alioquin ad tam eminentis Dignitatis gradum penitus inhabiles, et illius incapaces sint, et esse censeantur. Quocirca considerantes quod licet tanta sit vis et efficacia Matrimonii, quod Apostolo, teste, magnum est in Christo, et in Ecclesia, ut qui ante geniti erant ex soluto et soluta; post illud contractum legitimi habeantur, in nonnullis tamen Provinciis, et Dominiis nobilitatis privilegiis non gaudent, nec ad sæcularia Officia, honores, Dignitates, nec ad nobilium Feudorum, et statuum successiones admittuntur; quod multo magis indecorum videretur, et ab Apostolicæ Sedis Dignitate alienum, hi hujusmodi illegitimi per sequens Matrimonium, ut præfertur, legitimati in Cardinales assumerentur, ac Cardinalatus celsitudo, et splendor, qui Dignitati Regiæ comparatur, facile deprimi, commaculari, aut quodammodo inobscurari posset: ideo ut puriori Dignitati puriores natales respondeant, quosque illegitime natos, quorumcumque etiam Magnorum Principum, etiam Ducali, aut majori etiam Regia, et Imperiali autoritate fulgentium Filios quocumque gradu, Dignitate, et præeminentia præditos, etiam genitos ex soluto et soluta, inter quos tunc Matrimonium constare poterat, ac postea per sequens Matrimonium, etiam rite solemniter in facie Ecclesiæ contractum, vel alias legitimatos, et quomodolibet habilitatos, et natalibus restitutos, ac quorumvis honorum capaces effectos, et etiamsi cum eis, ut hanc ipsam Dignitatem obtinere valeant, super defectu natalium fuerit expresse, et in specie auctoritate Apostolica quomodolibet dispensatum, nihilominus prædictæ Cardinalatus Dignitatis prorsus incapaces, et ad eam obtinendam perpetuo inhabiles decernimus, et declaramus. » (28. Unde tanto majus a Cardinalitia Dignitate arcendi sunt spurii. Spurius enim unus ab Eugenio IV, in Cardinalem electus, antequam Galerum acciperet, e vita decessit, ut refert Azorius *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 7. et Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. cap.* 3. *num.* 36.

(29. Cardinalis eligendus prius debet esse Clericus. Sixtus V. in d. *Constit.* incip. *Postquam*, § 15, ibi: « Ac proinde, ne homines sacrarum rerum plane imperiti, aut rudes, atque Ecclesiasticarum functionum ignari, quasi in Ecclesia Dei hospites, et peregrini

Digitized by Google

statim hujusmodi muneri præficiantur juxta Decretum jam pridem a Nobis in prædicto Consistorio nostro sancitum, quod pariter harum serie innovamus, districte interdicimus, ne quis ullatenus ad Cardinalatus honorem assumi queat, nisi qui antea Clericali Charactere fuerit insignitus, et in quatuor Minoribus Ordinibus per annum saltem Habitum, et Tonsuram gestaverit Clericalem. » (30. Filios vel nepotes ex eis habens nequit fieri Cardinalis. Sixtus V *ibidem* §. 16. ibi : « Cum autem ad honorem adeo sublimem promovendi, ommi virtutum et præsertim castimoniæ laude supra cæteros plurimum eminere debeant, qui vero Filios etiam legitimos ex uxore sua alias cognoscitur suscepisse, nequeat suæ testimonium continentiæ exhibere, et Pater erga proprios filios naturali affectu nimia quadam propensione geratur, verendumque sit ut propterea variis propriæ domus negotiis, ac multiplici liberorum cura distractus, Ecclesiæ negotia sibi credita aut negligenter tractet, aut minus sollicite, et fideliter, quam par est, ejusdem Ecclesiæ jura tueatur, prohibemus ne aliquis, qui utriuslibet sexus filium, seu filios etiam ex legitimo Matrimonio susceptos, vel nepotes ex eis habeat, nullatenus in Cardinalem assumi, aut promoveri possit. » (31. Cardinalis esse non potest frater ex uno parente germanus, vel patruelis consobrinus, aut amitinus alicujus Cardinalis viventis. Sixtus V. *ibidem* § 17. ibi : « Insuper, ut factionum fomitem, et simultatum ansam ex Sacro hoc cœtu, quantum cum Domino possumus, amputemus, Decretum piæ memoriæ Julii Papæ III Prædecessoris nostri in Sacro olim Consistorio editum approbantes, et declarantes similiter, perpetuo interdicimus ne ullo unquam tempore assumatur aliquis posthac in ejusdem S. R. E. Card. qui Frater ex utroque, vel alterutro Parente germanus existat alterius Cardinalis viventis; ita ut eodem tempore duo Fratres germani in eodem Collegio nullatenus esse possint. Quin imo idem Decretum extendentes et ampliantes, prohibemus quoque, ne Patruele, vel Amitino, aut Consobrino Cardinale vivente, alter ejus Patruelis, vel Amitinus, aut Consobrinus, ad Cardinalatum valeat promoveri. »

(32. Patruo, aut Avunculo Cardinale vivente, ejus ex Fratre vel Sorore nepos nequit fieri Cardinalis; sicuti Nepote ex Fratre, vel Sorore Cardinale vivente, nequit fieri Cardinalis illius Patruus, et Avunculus. (33. Imo neque ullus potest esse Cardinalis, qui primo aut secundo Consanguinitatis gradu alicui Cardinali viventi sit conjunctus. Sixtus V *ibid.*, § 18. ibi : « Sed, et pari ratione sancimus ne Patruo, aut Avunculo Cardinale vivente, ejus ex Fratre, vel Sorore Nepos, nec rursus Nepote ex Fratre, vel Sorore Cardinale existente, illius Patruus, aut Avunculus, neque ullus denique, qui primo aut secundo tantum consanguinitatis gradu alicui Cardinali viventi conjunctus sit, quamdiu is vixerit, in Cardinalem assumi possit, ita ut omnes, et singuli prædicti, tam Pater Filios aut Nepotes habens, quam Fratres germani, Patrueles, Amitini, Consobrini, Patruus, Avunculus, Nepos ex Fratre, vel Sorore; et quisquis ut supra primo, aut secundo gradu conjunctus alteri Cardinali viventi, ad Cardinalatum inhabiles sint, et censeantur, neque eorum aliquis Cardinalis creari valeat, neque adversus hanc prohibitionem ex quacumque etiam urgentissima causa cum eis liceat dispensari. Et nihilominus electio, creatio et pronuntiatio Cardinalium hujusmodi contra præsentem prohibitionem, aut interdictum facta, et attentata, nulla, irrita, et inanis sit eo ipso, ac cum omnibus indesecutis nullius sit roboris, vel momenti. » (34. Bigami ad Cardinalatum non solent assumi. Machado *tract.* 3. *document.* 6. *n.* 2. Barbosa *lib.* 1 *Juris Eccles. cap.* 3, *num.* 39. ubi ex Azorio *lib.* 6. *c.* 7 *prope finem* refert, quod ideo Antonius de Rosellis, et Joannes de Lignano, quamvis Jurisperiti insignes, Cardinalitiam Dignitatem nunquam obtinere potuerunt. (35. Ad Cardinalatum non sunt assumendi nisi lectissimi, præcellentes, et undequaque digni viri. Concil. Trid. *sess.* 24. *de reformat cap.* 1. ubi dicit : « Nihil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium quam ut Beatissimus Romanus Pontifex, quam sollicitudinem universæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat ut lectissimos tantum sibi Cardinales asciscat. » Et sic Sixtus V dict. *Constitut.* incip. *Postquam*, ibi : « Cæterum ut non solum honore, sed etiam re ipsa Cardinales sint, super quibus ostia universalis Ecclesiæ tuto nitantur, divinaque et humana ministeria sibi commissa utilius exsequi possint, statuimus ut lectissimi et præcellentes viri in ipsum Collegium adscribantur, et quorum vitæ probitas, morum candor, præstans doctrina et eruditio, eximia pietas, et erga salutem animarum ardens studium, et zelus in dandis consiliis, sincera fides, et integritas, in rebus gerendis singularis prudentia, constantia et auctoritas, et aliæ qualitates a Jure requisitæ, tam ipsi Pontifici, quam universo Collegio cognitæ et probatæ sint. » Unde Paulus II præclare dicit : « In rebus aliis hominem esse posse; in Ecclesiarum Rectoribus creandis Angelum; in Collegio augendo Deum Pontificem esse oportere. Qui in altero peccet impium, qui in altero Dæmonem esse existimandum. In illo unam Ecclesiarum prostitui, ac viro alieno conjungi, non suo, in hoc Ecclesias universas periclitari; » ut refert Rainald, *anno* 1471. *num.* 63. et Petra *Comment. in Constitut.* 1. Eugen. IV. *num.* 13.

(36. Ætas pro Cardinalibus Presbyteris, et Episcopis requisita est triginta annorum; quamvis enim in d. *Constitutione* incipiente *Postquam*, non sit a Pontifice statuta certa ætas pro ipsis, tamen quia a Concil. Trident. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 1. decretum est, ut ea omnia, et singula, quæ de Episcoporum præficiendorum doctrina, ætate, et cæteris qualitatibus constituta sunt, in creatione S. R. E. Cardinalium observanda sint, ideo illa erit, quæ requiritur pro præficiendis Epi-

Digitized by Google

scopis, scilicet triginta annorum, ut cum plurimis resolvit Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccl. univers. c.* 3. *n.* 33. (37. Pro Cardinalibus autem Diaconis sufficit ætas 22 annorum; ut expresse statuit Sixtus V. in d. *Constit.* incip. *Postquam*, § 6. (1). Cum hoc tamen quod intra annum teneantur Ordinem Diaconatus accipere, alias carent voce activa et passiva, tam in Consistoriis et Congregationibus, aliisque omnibus actibus, quam in electione Summi Pontificis, ibi : « Neque posthac quispiam in Diaconum Cardinalem assumi possit, nisi saltem in vigesimo secundo suæ ætatis anno fuerit constitutus, ita ut omnino intra annum ad Sacrum Diaconatus Ordinem valeat, et debeat promoveri; alioquin si anno elapso ad ipsum Diaconatus Ordinem promotus non fuerit, eo ipso tam in Consistorialibus ac omnibus aliis actibus, et negotiis Cardinalitiis, quam etiam juxta Constitutionem fel. record. Pii IV. Prædecessoris nostri super reform. Conclavis editam in electione Romani Pontificis, voce activa et passiva omnino careat, ac privatus existat. »

(38. Numerus Cardinalium varius olim fuit pro varietate temporum, et Summorum Pontificum, qui juxta exigentiam, et temporum, seu rerum variam emergentiam plures vel pauciores Cardinales creabant. (39. Inter omnes, qui plures Cardinales creavit, est Pius IV qui pervenit usque ad septuagesimum sextum; quo neque ante neque post perventum est. (40. A tempore tamen Sixti V numerus septuagenarius invariatus remansit, prout ipse ad instar illorum septuaginta Seniorum, quos Dominus *Num.* 11, Auditores, et consiliarios Moysi dedit, constituit in sua *Const. incip. Postquam verus ille*, §. 4. *post med.* ibi : « Perpetuo statuimus, et ordinamus, ut in posterum connumeratis omnibus cujuscumque Ordinis, Episcopis, Presbyteris, et Diaconis Cardinalibus, qui nunc sunt, quique in futurum creabuntur, cuncti simul numerum septuaginta, nullo unquam tempore excedant, ac talis numerus quovis prætextu, occasione vel causa etiam urgentissima minime augeatur, quod si unum, vel plures a Nobis, vel pro tempore existente Romano Pontifice in futurum ultra dictum numerum eligi in Cardinalem, aut creari, aut pronuntiari contigerit, decernimus hujusmodi electionem, creationem, et pronuntiationem nullam, irritam, et inanem fore, et censendam esse, nullumque Jus, seu Titulum re, aut nomine sic electo, seu electis acquiri, nec eorum quemquam pro Cardinali haberi, aut reputari posse, aut debere; nec dictam electionem, creationem, et pronuntiationem ab initio invalidam, et ultra numerum factam, si postea ad præsens præscriptum numerum moriente uno, vel pluribus Cardinalibus ipsum Collegium redigatur, propterea ex post facto convalescere; sed uti a principio, si deinceps in perpetuum nullius fore roboris, et momenti.» (41. Cardinales igitur septuaginta esse debent, scilicet sex Cardinales Episcopi, quinquaginta Cardinales Presbyteri, et quatuordecim Cardinales Diaconi; citat. *Constitut.* Sixti V, incip. *Postquam* § 4 *et* 5. (42. Et cuilibet ex omnibus istis septuaginta Cardinalibus, juxta suum Ordinem est assignata sua particularis Ecclesia, Titulus, vel Diaconia, ut apparet in sequenti Constitutione Sixti V, quæ utpote faciens omnino ad rem, ad omnium commodum hic subnectitur.

SEXTUS EPISCOPUS

(43. Religiosa Sanctorum Pontificum Prædecessorum nostrorum providentia institutum olim fuit, jam inde a vetustissimis temporibus, et posteris traditum, ut Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteris certæ in Urbe Romæ Ecclesiæ, Tituli appellatæ, quasi quædam cujusque propriæ Dioceses, Diaconis vero Urbis Regiones ad Christianæ Religionis propagationem et conservationem assignarentur. Quæ quidem sancta institutio plurium sæculorum continuata serie, ac pro temporum varietate susceptis incrementis ad nostram usque ætatem servata, ita viget, ut præter sex Episcopos Cardinales, qui certis Ecclesiis Cathedralibus Urbi finitimis præsunt, singulis Presbyteris, et Diaconis Cardinalibus propriæ in Urbe Ecclesiæ; Tituli videlicet, et Diaconiæ cum suis Clero, et Populo, ac quasi Episcopali jurisdictione in spiritualibus, et temporalibus regendæ, et administrandæ committantur.

Proinde, nos postquam per nostram nuper editam Constitutionem creandorum Cardinalium numerum, computatis sex Episcopis prædictis, quatuordecim Diaconis, reliquis vero Presbyteris Cardinalibus ad septuaginta præscripsimus, nunc quoque ad Dei honorem, atque ad ipsius S. R. E. decus et ornamentum, ac Romani Cleri et populi bonum Regimen, salubremque directionem eisdem Presbyteris, et Diaconis Cardinalibus totidem Titulos, et Diaconias ipsorum amplitudini, et Dignitati maxime congruentes duximus assignandos. Ac licet pleræque ex antiquis Ecclesiis in Titulos et Diaconias concedi solitis, aut a Prædecessoribus nostris successu temporum additis, adhuc integræ, et illæsæ permaneant, tamen quia nonnullæ tum diuturnitate, et injuria temporum, tum diversis, quæ olim contigerunt, ejusdem Urbis direptionibus, incendiis, et ruinis collapsæ sunt, Nos antiquæ pietatis et Religionis Christianæ monumenta conservare cupientes, sicuti Sacrosanctas Basilicas, et augustiora templa, antiquitate ipsa veneranda, nedum sarta tecta custodiri, sed et ingenti nostro sumptu refici, instaurari, et ornari in dies magis curamus, ita etiam primo quidem loco, veteres, et nobiles Ecclesias priscis temporibus in Titulos Presbyterorum Cardinalium, ut præfertur, institutas delegimus, easque omnes, quæ adhuc exstant, volumus omnino in Titulos pro modernis et futuris Presbyteris Cardinalibus retinere. Deinde

(1) *De Cardinale impubere* exstat Georgii Estor Patriba Augustæ Vindelicorum edita 1729, occasione Ludovici filii Regis Hispaniarum a Clemente XII Cardinalis creati. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

ex iis, quæ recenti memoria in Titulos erectæ fuerunt, prætermissis quibusdam propter loci incommoditatem, aut alias minus idoneis, cæteras itidem retinere, ac demum, ne Titulorum numerus Presbyteris Cardinalibus desit, exemplo nonnullorum nostrorum Prædecessorum, alias partim antiquas nondum tamen hujusmodi honore decoratas, partim vero recentiores, celebres tamen Ecclesias, Dignitate Præsulum majorem in modum illustrare, et in similes Titulos erigere, et instituere, ac pro numero Presbyterorum Cardinalium tot Titulos addere, et supplere. Ex Diaconiis quoque antiquitus institutis quatuordecim magis insignes pro totidem Diaconis Cardinalibus seligere, et congrua distinctione confusionem perpetuo tollere decrevimus, eosdem nimirum Titulos, et Diaconias proprios cujusque Ordinis certos, et distinctos assignando, ita ut nunquam in posterum, quod hactenus sæpe factum est, Presbyteris Diaconiæ, nec Diaconis Tituli Presbyterales, perturbato ordine, aut promiscue concedantur. Quod quidem rationi consentaneum videtur, ut quemadmodum Summus Pontifex universali Ecclesiæ Præsidens, et omnium totius Orbis Ecclesiarum sollicitudinem gerens, specialiter tamen Urbis Romæ Episcopus existit, et in ea Divina dispositione supremam Sacerdotalis potestatis Cathedram tenet, pari quoque ratione Cardinalibus, quos uti speciales S. R. E. Filios in Apostolici muneris functione, atque in universæ Reipublicæ Christianæ administratione præcipuos sibique maxime conjunctos habet Consiliarios, et Cooperatores in eadem Urbe Roma, quæ olim B. Petri Sede in ea constituta ipsius, et Coapostoli ejus Pauli Doctrina et Martyrio consecrata, et Caput Christiani Orbis, et Religionis effecta est certa Sedes, mansionem et locum unicuique proprium assignet; cujus quidem concessione iidem Cardinales, et sui Officii admoneantur, et residentiæ, quam assistendo ipsi Romano Pontificii servare debent, et vel ex hoc magis tanquam in unum corpus compacta membra Sacro Capiti connexa esse, et ab illo dependere clarius dignoscantur.

Habita igitur cum Veneralibus Fratribus nostris ejusdem S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura de eorum consilio et assensu, statuimus et ordinamus in posterum perpetuis futuris temporibus, Presbyteris Cardinalibus has tantum, quæ infra descriptæ sunt, Ecclesias, neque alias in Titulos assignari debere, videlicet ex antiquis Sanctæ Crucis in Hierusalem, Sanctorum Marcellini et Petri, Sanctorum quatuor Coronatorum, SS. Joannis et Pauli, S. Anastasiæ, S. Sabinæ, S. Stephani in Cælio Monte, S. Clementis, Sanctorum Nerei et Achillei, S. Susannæ, S. Prudentianæ, S. Sixti, S. Petri ad Vincula, S. Martini in Montibus, S. Eusebii, S. Priscæ, S. Vitalis, S. Marci, S. Marcelli, S. Laurentii in Lucina, Basilicæ duodecim Apostolorum, S. Laurentii in Damaso, quæ S. R. E. Vicecancellario pro tempore existenti perpetuo concessa, et assignata est; S. Balbinæ, S. Cæciliæ, S. Chrysogoni, S. Praxedis, S. Mariæ Transtyberim. Ex posterioribus vero Sanctorum Quirici et Julittæ, S. Joannis ante portam Latinam, S. Agnelis in Agone, S. Laurentii in Palisperna, S. Thomæ in Parione, S. Silvestri in Campo Martio, S. Pancratii, S. Bartholomæi in Insula, S. Matthæi in Merulana, Sanctæ Mariæ de Ara Cœli, S. Mariæ in Via, S. Mariæ supra Minervam, S. Mariæ Angelorum in Thermis, Sancti Hieronymi Illiricorum. Nec non quas suprædictis antiquitus, et posterius institutis addimus, et ex nunc in Titulos Presbyterorum Cardinalium, cum honoribus, insignibus, Privilegiis, auctoritatibus, et præeminentiis debitis, et consuetis instar aliarum Ecclesiarum, quæ in similes Titulos per nostros Prædecessores antiquitus erectæ et institutæ fuerunt, sine alicujus præjudicio perpetuo erigimus, et instituimus, ac Titulorum nomine, et Dignitate insignimus et decoramus, S. Honuphrii in Janiculo, mutato illius statu ex Diaconia, quæ hactenus fuit, in Titulum Presbyteralem; S. Augustini, S. Mariæ de Populo, S. Alexii in Aventino, S. Blasii de Annulo, S. Mariæ de Pace, S. Salvatoris de Lauro, S. Petri in Monte Aureo, Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio, S. Mariæ Transpontinæ.

Ex Diaconiis vero antiquis statuimus retinendas esse tantummodo quatuordecim infrascriptas; videlicet S. Mariæ in Aquiro, S. Mariæ in Cosmedin, Sanctorum Cosmæ et Damiani, S. Mariæ Novæ, S. Hadriani, S. Mariæ in Via lata, S. Mariæ in Porticu, S. Angeli in Foro Piscario. S. Nicolai in Carcere Tulliano, S. Mariæ in Dominica, S. Eustachii, S. Viti in Macello, S. Agathæ, ac Sancti Georgii in Velabro: Ecclesias, quæ insigniores existunt, et præscriptum a Nobis Diaconorum Cardinalium numerum exæquant.

Ita ut computatis Ecclesiis Cathedralibus, videlicet Ostiensi, et Veliterna invicem unitis, Portuensi, et Sanctæ Ruffinæ itidem unitis, Albanensi, Sabinensi, Tusculana, et Prænestina, quibus sex Episcopi Cardinales præsunt, et Titulis Presbyterorum superius designati, numerum septuaginta Ecclesiarum constituant.

Et alter præterea Titulus supra numerum additus sit, ut si quando contingat Diaconum, vel Episcopum Cardinalem, Vicecancellarium esse, et ideo eumdem dictæ Ecclesiæ S. Laurentii in Damaso, quæ Vicecancellario pro tempore existenti per Litteras fel. record. Clementis Papæ VII, Prædecessoris nostri perpetuo, ut præfertur, concessa, et assignata fuit, præesse, alicui Presbytero Cardinali proprius Titulus non desit.

Omnes vero Ecclesias, quæ per præsentem nostram Constitutionem Presbyteris Cardinalibus, etiam forsan ex dispensatione Apostolica pro Diaconia obtinentur; itidem omnes, et quascunque ex quatuordecim superius enumeratis Diaconiis, quæ Presbyteris Cardinalibus in Titulos forsan etiam et

Digitized by Google

simili dispensatione concessæ alias fuerunt, et ab iis obtinentur; demum omnes, et quascumque Ecclesias superius non expressas, ipsis Presbyteris, aut Diaconis Cardinalibus in Titulos, aut Diaconias commissas, et assignatas, ac per ipsos obtentas, volumus, et decernimus per præsentes ex nunc eo ipso vacare, et quascunque illarum assignationes, concessiones, nec non dispensationes desuper etiam motu proprio, et consistorialiter; ac de simili Fratrum consilio expeditas, quæ a Prædecessoribus nostris, quæque a Nobismetipsis emanarunt, Litterasque Apostolicas desuper confectas, processusque habitos per easdem, et inde secuta quæcunque cassamus, irritamus, et annullamus, irritaque, et nulla, ac nullius roboris vel momenti esse nuntiamus, mox assignaturi eisdem Cardinalibus, ex quorum Personis Ecclesiæ in Titulos, aut Diaconias per eos hactenus obtentæ vigore hujus nostri Decreti vacant, et eorum cuilibet alios Titulos aut Diaconias ex supradicto numero proprio cujusque Ordini congruentes.

In aliis vero, præterquam supranominatis Ecclesiis, etiamsi earum aliquæ in Titulos Presbyterorum, aut denominationes Diaconorum Cardinalium concedi solitæ sunt, et Cardinales iis præfici consueverunt (quarum singularium situationes et invocationes præsentibus haberi volumus pro expressis) nomina, insignia, denominationes, et statum hujusmodi Titulorum, aut Diaconiarum perpetuo supprimimus et exstinguimus, ac districte etiam interdicimus, ne de cætero unquam perpetuis futuris temporibus alia quam ex suprascripto numero Ecclesia in Titulum, aut denominationem Cardinalatus cuipiam Presbytero, aut Diacono Cardinali concedatur, aut assignetur, neque aliis, quam supra nominatis Titulis, aut Diaconiis, Presbyteri, vel Diaconi Cardinales præficiantur, neve unquam aliqua ex supradictis Diaconiis Presbytero, neque contra ullos ex dictis Titulis Diacono Cardinali quomodolibet concedatur, vel assignetur; neque cum iis, aut eorum aliquo ex quavis causa desuper dispensetur.

Sed, et Decreta alias in Consistorio super hoc edita innovantes et ampliantes, pari ratione etiam perpetuo prohibemus, ne in posterum alicui Presbytero aut Diacono Cardinali, qui alterum Titulum, aut Diaconiam quomodolibet assecutus fuerit, quive ex Ordine Diaconorum ad Ordinem Presbyterorum, vel ad Episcopalem Dignitatem transierit, aut ex Ordine Presbyteratus in Episcopum pariter promotus fuerit, licentia, et facultas retinendi priorem Ecclesiam sui Tituli, vel Diaconiæ in administrationem, aut in Titulum, neve Canonicatuum, et Præbendarum, Dignitatum, Officiorum, aut Beneficiorum dimissi Tituli, vel Diaconiæ collatio, neque Palatii Domus, vineæ, hortorum aut fructuum, reddituum, et proventuum, aut jurium quorumcunque ad hujusmodi Titulos, seu Diaconias pertinentium ad tempus, seu ad vitam retentio, aut ulla alia reservatio, quovis prætextu, occasione, vel causa, etiam melioramentorum, et sumptuum in illarum reparationem, necessitatem, sive utilitatem factorum concedantur; sed volumus, ut ipsi Tituli et Diaconiæ, cum illis annexis, juribusque et pertinentiis suis universis libere dimittantur.

Insuper præcipimus, et perpetuo ordinamus, ut de cætero in quibuscunque Litteris Apostolicis, in quibus Cardinalium subscriptio manu propria facienda erit, iidem Cardinales, etiam Tituli, vel Diaconiæ, seu Episcopatus sui Cardinalatus nomine expresso, se subscribant.

Decernentes per hujusmodi erectionem et institutionem decem prædictas per Nos in Titulos erectas Ecclesias tantummodo novis privilegiis et Dignitate auctas, decoratas, insignitas; nihil autem omnino præjudicii cuiquam illatum, nihil alieni juris detractum, aut immutatum censeri posse, au debere, sicque per quoscunque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et Cardinales prædictos sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et in quavis causa et instantia judicari, et definiri debere, nec non irritum et inane, si secus super præmissis, eorumve aliquo a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum supradictarum, et aliarum quarumcunque, nec non Ordinum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis illis, ac quibusvis personis quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus illorum tenore præsentibus pro expressis habentes specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Sic igitur ipsi Cardinales, quibus hujusmodi Ecclesiarum regimen, cura et administratio pro tempore commissa erunt, eas in spiritualibus et temporalibus sollicite, fideliter, et prudenter regant, et gubernent, ac juxta Constitutionem piæ memoriæ Leonis Papæ X. Prædecessoris nostri in Concilio Lateranensi novissime celebrato editam, frequenter visitent, circa cultum Divinum invigilent, mores ac vitam Cleri et Populi eis subjecti diligenter explorent, eosque ad recte et honeste vivendum paterno moneant affectu, bonorum ac temporalium reddituum curam gerant. Sicque ad Dei gloriam, et fidelis populi ædificationem, pia et magnifica structura et fabrica, suas quique Ecclesias instaurare studeant, et exornare; et tam in vita quam in mortis articulo pro Divini cultus augmento, et salute animarum suarum ad congruæ sustentandum aliquem Presbyterum, qui inibi in Divinis deserviat, sive alias erga ipsas Ecclesias, si reparatione indigeant, vel alia subventione de bonis sibi a Deo collatis, prout cuique pro modo facultatum conscientia dictaverit, munificos se exhibeant et liberales, ut earumdem Ecclesiarum decora et ornamenta tantorum Præ-

Digitized by Google

sulum respondeant Dignitati, ac ipsæ Ecclesiæ tam sublimibus Personis gaudeant se commissas, et eorum amplitudine illustratas; iidemque Cardinales exinde ipsius S. R. E. cujus nobillissima membra sunt, majestatem sua pietate, sollicitudine, et prudentia in dies magis extollant; et reverentiam omnium gentium erga illam exemplis bonorum operum insigniter augeant, ac denique præter æternæ retributionis præmia, digna quoque laudum præconia a Nobis, et Apostolica Sede valeant promereri.

Mandamus vero ut præsentes Litteræ in quinterno Cancellariæ Apostolicæ de more describantur.

Nulli ergo omnino hominum, etc. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1587. Idibus Aprilis Pontificatus nostri anno secundo.

Ego Sixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego A. Card. Farnesius, Vicecancellarius Episcopus Ostiensis.

Ego Jacobus Cardin. Sabellus, Episcopus Portuensis.

Ego Joann. Antonius Card. S. Gregorii, Episcopus Tusculan.

Ego Joann. Avalus Card. de Aragonia, Episcopus Sabin.

Ego M. S. Card. de Altaemps, Titul. S. Mariæ Trans Tyberim.

Ego Marc. Anton. Card. Columna Titul. S. Laurentii in Lucina.

Ego Gabriel Card. Paleothus Tit. S. Martini in Montibus.

Ego F. Mich. Ronellus Card. Alexandrin. Tit. S. Mariæ super Minervam.

Ego Ludov. Cardin. Madrutius, Titul. S. Anastasiæ.

Ego N. Card. S. Praxedis.

Ego Jul. Anton. Sanctor. Titul. S. Bartholomæi in Insula, Card. S. Severinæ.

Ego Hieron. Card. Rusticuccius, Tit. Sanctæ Susannæ.

Ego Joann. Hieron. Card. Albanus, Tit. S. Joan. ante Portam Latinam.

Ego P. Card. Deza.

Ego Anton. Card. Titul. SS. Joannis et Pauli.

Ego Joannes Anton. Card. SS. Quatuor Coronatorum.

Ego Joan. Baptista Card. S. Marcelli.

Ego Julius Card. Cananus, Titul. S. Eusebii.

Ego Anton. Maria Card. Salviatus.

Ego Augustinus Cardin. Veronæ, Titul. Sancti Marci.

Ego Vincentius, Titul. S. Mariæ in Via, Card. Montis Regalis.

Ego Philippus Tit. S. Sabinæ, Card. Spinula.

Ego Scipio Card. Lancellotus.

Ego Vincentius Card. Gonzaga.

Ego Fridericus Cardin. Cornelius, Titul. S. Stephani.

Ego Hippol. Card. Papien. Titul. S. Mariæ in Porticu.

Ego Decius Card. Azzolinus, Titul. S. Matthæi, in Merulana.

Ego Hippol. Card. Aldobrandinus, Tit. S. Pancratii Major. Pœnit.

Ego Hieron. Card. de Ruvere, Tit. Sancti Petri ad Vincula.

Ego Fr. Constantinus Card. Surnanus.

Ego Philip. Tit. S. Eustachii Diaconus Cardin. Vastavillanus Camerar.

Ego A. Card. Montaltus.

Ego Hieron. S. Hadriani Diaconus Card. Matthæus.

Ego Benedictus S. Gregorii Diaconus Cardin. Justinianus.

Ego Ascanius SS. Viti, et Modesti, et Crescentiæ Diaconus Card. Columna.

(44. Ecclesiæ Tituli, et Diaconiæ S. R. E. Cardinalium postea fuerunt designati a Clemente Papa VIII, et a Sacra Rituum Congr. approbati sub die 30. Augusti 1602. ac a Paulo V confirmati de anno 1618, ut in Libello impresso Romæ ex typographia Rev. Cameræ Apostolicæ sub eodem anno in hunc modum.

Ecclesiæ Cardinalium Episcoporum sex, nempe.

Ostiensis. — Portuensis. — Tusculanensis.

Sabinensis. — Prænestinensis. — Albanensis.

Tituli Presbyterales LI, videlicet.

Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis.
Sanctæ Mariæ Trans Tyberim.
Sancti Laurentii in Lucina.
Sanctæ Praxedis.
Sancti Petri ad Vincula.
Sanctæ Anastasiæ.
Sancti Petri in Monte Aureo.
Sancti Honuphrii.
Sancti Silvestri in Campo Martio.
Sanctæ Mariæ in Via.
Sancti Marcelli.
Sanctorum Marcellini et Petri.
Sanctorum Duodecim Apostolorum.
Sanctæ Balbinæ.
Sancti Cæsarei.
S. Agnetis in Agone.
Sancti Marci.
Sancti Stephani in Cœlio Monte.
Sanctæ Mariæ Transpontinæ.
Sancti Eusebii.
Sancti Chrysogoni.
Sanctorum Quatuor Coronatorum.
Sanctorum Quirici et Julittæ.
Sancti Calixti.
Sancti Bartholomæi in Insula.
Sancti Augustini.
Sanctæ Cæciliæ.
Sanctorum Joannis et Pauli.
Sancti Martini in Montibus.
Sancti Alexii.
Sancti Clementis.
Sanctæ Mariæ de Populo.
Sanctorum Nerei et Achillei.
Sanctæ Mariæ de Pace.
Sanctæ Mariæ de Ara Cœli.
Sancti Salvatoris in Lauro.
Sanctæ Crucis in Hierusalem.
Sancti Laurentii in Palisperna.

Digitized by Google

Sancti Joannis ante Portam Latinam.
Sanctæ Prudentianæ.
Sanctæ Priscæ.
Sancti Pancratii.
Sanctæ Sabinæ.
Sanctæ Mariæ super Minervam.
Sancti Caroli.
Sancti Thomæ in Parione.
S. Hieronymi Illiricorum.
Sanctæ Susannæ.
Sancti Sixti.
Sancti Matthæi in Merulana.
Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio

Diaconiæ XV. videlicet.

Sancti Laurentii in Damaso.
Sanctæ Mariæ in Via Lata.
Sancti Eustachii.
Sanctæ Mariæ Novæ.
Sancti Hadriani.
Sancti Nicolai in Carcere Tulliano.
Sanctæ Agathæ.
Sanctæ Mariæ in Dominica.
Sanctæ Mariæ in Cosmedin.
Sancti Angeli in Foro Piscium.
Sancti Georgii ad Velum Aureum
Sanctæ Mariæ in Porticu.
Sanctæ Mariæ in Aquiro.
Sanctorum Cosmæ et Damiani.
Sancti Viti in Macello.

(45. Notandum est hic, quod Ecclesia S. Laurentii in Damaso non est proprie Diaconia, sed per Litteras Clementis VIII. Ecclesia hæc datur semper Vicecancellario, sive sit Diaconus, sive Presbyter, sive etiam Episcopus, ut refertur in mox adducta Constitutione Sixti V. ubi etiam in §. 5. disponitur, ut alius præterea Titulus ultra numerum præfinitum additus sit, ut si quando contingat Diaconum, vel Episcopum, Vicecancellarium esse, et ideo eumdem prædictæ Ecclesiæ Sancti Laurentii præesse, alicui Presbytero Cardinali proprius Titulus non desit (1).

ADDITIONES AUCTORIS.

(46. Cardinales ad Urbem accedentes, Summo Pontifici se sistere debent, nec ab Urbe discedere sine licentia ejusdem. Benedict. XIV. *tom.* 1. *Constit.* 119. incip. *In regimine* §. 3. (47. Cardinales in Urbe non residentes qualibet ex causa, excluduntur a participatione rotuli. Idem *ibid.* (48. Accedentibus ad Urbem ex causa legitima tribuitur portio pro tempore moræ. Idem *ibid.* (49. Cardinales in causis commissariis judicantes uti debent notario archivii. Idem *tom.* 2. *Constit.* 22. incip. *Justitiæ, et pacis.*

(50. Cardinalibus tribui potest Ecclesia Episcopalis in partibus infidelium: Idem *Constit.* 36. incip. *Cum a nobis*, ubi affert exempla Cardinalium, qui ad Episcopatus Titulares promoti fuere.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(51. De antiqua in Ecclesia denominatione *Cardinalium*, (52 tum de origine horum, quos dicimus *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales*, missis iis, quæ ex vulgo affert Auctor, lege, si lubet, Panvin. *de Cardinal.* Plat. *de Cardinal. Dignit. et Offic.* Ducange *in Glossario ad Scriptores mediæ, et infimæ Latinitatis verb. Cardinalis*, et Rousseaud de la Combe *in sua Jurisprudentia Canonica verb. Cardinalis, sect.* 1 (2).

(53. Quod vero attinet ad varium variis temporibus numerum Cardinalium, de quo hic etiam agit Auctor, sciendum est, quod anno 1331. nonnisi viginti erant Cardinales. (54. Anno 1352. statuere Cardinales ne unquam essent plusquam viginti. (55. Anno 1378. nondum erant, nisi tres supra viginti. (56. Multum vero deinde crevit numerus eorum per consequuta schismata. At Synodi Constantiensis, et Basileensis jusserunt, ne essent plures quam viginti quatuor. (57. Multæ a Synodo Basileensi, et post mortem Sixti IV. ab ipsis Cardinalibus præscriptæ referuntur Regulæ de creatione Cardinalium; (58. inter has, ne nisi 24. Cardinales unquam crearentur, (59. nec nisi annos triginta jam nati, (60. nec nisi secundum majorem numerum suffragiorum a Cardinalibus scripto datorum, (61. nec nisi tres ex una Diœcesi, Pontificisque ipsius, aut Cardinalis Nepos nullus. (62. Hoc ultimum vero Caput mollivit conventio illa Cardinalium post Sixti IV. mortem, qua permissum fuit Pontifici, ut ex suis Cognatis, unum, sed solum, creare posset Cardinalem. (63. Numero huic Cardinalium pauci inde adjecti sunt usque ad tempora Leonis X. (64. qui habens suspectos eos, qui tunc erant Cardinales ob initam contra se conjurationem, 31. novos creavit (3). (65. Numerus postea tamen ad 40. renovatus est. At tandem pervenit ad 70. Confer de his omnibus Thomassin. *de veter. et nov. Eccles. discipl. tom.* 1. *lib.* 2 *c.* 114. *fer. per tot.* (66. Quæ vero a Sixto V. in Cardinalium electione fuerint constituta, non omnia in præsenti sunt usu recepta, ut ex historia nostrorum temporum patet.

ADDITIONES CASINENSES

(67. Cardinalium nomen a cardinibus originem sumpsisse videtur. Sunt enim velut cardines, circa quos valvæ Ecclesiæ

(1) De Ecclesiis, titulis, et Diaconiis Cardinalium plura invenies apud Cantelium in *Metropolitanarum urbium historia*, part. II, dissert. 5, cap. 2, 3 et 4; et P. Kleiner. in *Dissertatione de origine et antiquitate Eminentissimorum Cardinalium*; Heidelbergæ, 1767, cap. 4. (EDIT. BARBIELL.)

(2) Adi etiam laudatos Cantelium cap. 1, et Kleinerum c. 2 et 3. (EDIT. BARBIELL.)

(3) Hinc sub Leone sexaginta duo juxta Oldoinum, secundum alios sexaginta quinque simul recensiti sunt. Pius IV et Gregorius XIII ad majorem præ omnibus numerum ad septuginta sex, Hieronymo Plato et Mosconio testibus, sacrum Collegium auxere. Acerbiore hic quam par fuisset, Panvinius stylo ista in amplificando Cardinalium cœtu studia perstringit; sed eum castigavit P. Daude cap. 2. sui operis *de Majestate Hierarch. Eccles.* De Ecclesiarum suburbicariarum optione plura disputat Andreuccius in diss. *Episcop. Cardinalib. Suburbicariis*, p. 2, c. 2. (EDIT BARBIELL.)

Digitized by Google

volvantur, Belarminus tamen existimat ita appellatos fuisse, quia cum Pontifex sacra faceret *ad cardines Altaris*, scilicet ad angulos stare consueverunt. Sarpius vero sensit, quod Clerici, qui bellis ingruentibus suas derelinquebant Ecclesias, et Romam vel Ravennam se recipiebant *incardinati* dicti fuerunt iis oppositi, qui in Romana vel Ravennatensi Ecclesia fuerant ab initio ordinati.

(68. Olim Cardinalis nomine generatim vocabantur omnes qui perpetuo certæ Ecclesiæ erant adscripti, ut ei præessent vel inservirent. Ita Gela. 6. *can.* 3, *d.* 24. Gregorius M. vero sæpe eodem modo commemorat Cardinales Episcopos vel Presbyteros.

(69. Prius tribuebatur etiam forensibus Clericis, ac ita Zacch. 6. *in Epist.* VII. quam ad Pipinum Francorum Regem dedit: *Simili modo et Presbyteri Cardinales Plebi quidem sibi subjectæ, præclariori veste induti, debitum prædicationis persolvant;* nulla facta distinctione inter urbanos ac forenses. Ac Joan. Diac. *lib.* 3. *cap. VI. opp.* S. Gregorii *tom IV. col.* 88. *edit. Maur.* ait: *Cardinales violenter in Parochiis ordinatos forensibus, in pristinum cardinem Gregorius revocabat.*

(70. Post annum vero Chr. millesimum Cardinalis nomen Canonicis præsertim videtur tributum. Eribertus Mediolanensis Archiepiscopus apud Purricell. *Monum. Basil. Ambros. anno* 1032. multa statuit *adhibitis sibi Senioribus superioris suæ Ecclesiæ Cardinalibus, Presbyteris, et Diaconibus etc.* Ac deinde *hoc scriptum subscribendo firmavit, et suis Cardinalibus firmandum obtulit.* Idem auctor ad annum 1105. adfert litteram Mediolanensis Cleri, in cujus initio legitur: *Ordinarii Cardinales Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, necnon Primicerius cum universo Sacerdotio et Clero Mediolanensi, omnisque populus, etc.* Vincentius Archipresbyter Cardinalis occurrit in *cod. Eccl. Lucensis an.* 994. *apud* Murator. *Antiquit. med. ævi t.* 6. *col.* 407. atque Andreas Diaconus Cardinalis S. Placentinæ Ecclesiæ apud Campium *Hist. Eccles. Placent. p.* 430. Aliis pluribus brevitatis gratia prætermissis, ex paucis quæ diximus, jam probatur, omnes Ecclesias cathedrales habuisse suos Presbyteros et Diaconos, qui cum suo Episcopo adhærerent, et cathedrali inservirent, principem locum obtinebant, et Cardinalis nomine appellabantur; cathedralis enim Ecclesia proprie *cardo* dicebatur.

(71. Exinde vero paritatem inducere minime possumus inter Romanos et cæterarum Ecclesiarum Cardinales; cum hi tantum opem ferrent in singulæ diœcesis administratione, illi autem Romanum Pontificem adjuvarent in omnium Orbis universi Ecclesiarum sollicitudine; ideoque quanto Episcopis Pontifex, tanto Romani Cardinales cæteris præstabant Cardinalibus.

(72. S. R. Ecclesiæ Cardinales dicuntur etiam Ecclesiæ columnæ ac Senatores. Paris *de resig. ben. lib.* 7. *q.* 12. Fratres et coadjutores Papæ, cum quibus ille judicium fert in orbem universum; *cap. per venerabilem vers. rationibus, qui fil. sint leg. c. fundamenta* §. *decet de elect. in* 6. *not. Abbas in c. Ecclesia vestra* 2. *col. de elect. et in c. ex gestis de Cler. non resid.* Sicut enim sine Sacerdotibus Levitici generis summus Hebræorum Sacerdos ardua non explicabat, ut habetur *in cap. per venerabilem d. ver. qui fil. sint leg.* ita Pontifex sine Cardinalium consilio majoris momenti negotia non expedit; *cap. ex gestis de cler. non resid.* Demum Pontificis Collaterales Cardinales vocat S. Bernardus *ad Eugen. III. de Consid. lib.* 4. *cap.* 4. *col.* 444. *vol.* 1 *edit. Paris.* 1719.

(73. Omnes Episcopi in diœcesis suæ administratione semper ope ac consilio usi sunt Presbyterum ac Diaconorum, qui Ecclesiæ Senatum constituebant. Ita Ignatius Martyr primo Ecclesiæ sæculo *in epist. ad Philadelph. n.* 7. *p.* 146. *apud* Cotelerium *Patres Apost. t.* 2. *Amstelodami* 1724. *Episcopo*, inquit, *intendite, et Presbyteris, et Diaconis*, et sic etiam *ad Smyrnen. num.* 8, *pag.* 148. In *Epistol. ad Magnesian.* vero legimus *num.* 6. *p.* 55. « Hortor ut studeatis, in Dei concordia omnia agere, Episcopo præsidente Dei loco, Presbyteris, loco Senatus Apostolici, Diaconis, mihi suavissimis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi. » Ita etiam D. Cyprianus *in epist. ad Cornelium apud Constantium c.* 131. « Te comperi motum, quod cum de Adrumentina colonia Polycarpi nomine ad te litteræ dirigerentur, postea quam nos, ego et Liberalis in eumdem locum venissemus, cœpissent illuc ad Presbyteros et ad Diaconos litteræ dirigi. Quod scire te volumus et pro certo credere, nulla id levitate ac contumelia factum. » Canone autem 24. Concilii Antiocheni *an.* 341. *apud Labeum tom.* 2. *col.* 595. *edit. Venet.* statuitur, quod *manifesta sint, quæ ad Ecclesiam pertinent cum cognitione Presbyterorum et Diaconorum, qui sunt circa eum, hoc est Episcopum.* Propterea Ecclesia Romana suum semper habuit Presbyterium, uti patet ex allato D. Cypriani testimonio, ac *ex epist.* 6. Cornelii P. *ad Cyprian. num.* 2. *c.* 136. *Omni igitur actu*, inquit Pontifex, *ad me perlato placuit contrahi Presbyterium;* atque cæterarum Ecclesiarum Senatibus maxime præstabat, uti præcipua membra, et nobilissimæ partes illius Ecclesiæ, quæ curam habet Orbis Universi.

(74. Sed præterea Cardinales in Romana Ecclesia præfuerunt Titulis, quos in illa urbe S. Evaristus Papa constituit; nam cum Pontifex omnia expedire non posset, ac populus omnis in una Ecclesia difficile conveniret, S. Evaristus aliquas sacras ædes in variis Urbis regionibus ædificavit, ac iis, Presbyteros præesse voluit. (75. Fuerunt etiam in urbe diaconiæ, quibus Diaconi Cardinales præsidebant, quomodo Titulis Cardinales Presbyteri; nam Tituli nomine veniebant sacræ ædes, quæ vice erant parochiarum, et ad quas fideles conveniebant divinas liturgias audituri et S. Eucharistiam sumpturi. Attamen erant etiam aliæ publicæ Ecclesiæ, quodammodo pauperum hospitales, domus, etc., quibus adjuncta erant sacella, quæ Diaconiæ perinde nomen obtinuerunt

Digitized by Google

cum iarum curam Diaconi haberent. (76. Postea vero accesserunt etiam Episcopi Cardinales, scilicet viciniores Episcopi, qui *ex Officio* Pontifici assisterent cum Presbyteris et Diaconis; cumque illis convenirent ad Pontificis electionem. Cardinales tamen dicti sunt, postquam ad Lateranensem Basilicam adscripti fuerunt, id est octavo Ecclesiæ sæculo, uti recte notat Card. Brancacci, nam illorum fit mentio sub Stephano IV. anno 769. ab Anastasio in ejusdem vita apud Muratorium *tom.* 3. 178. « Hic statuit, ut omni Dominico die a septem Episcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in Ecclesia Salvatoris observant, Missarum solemnia, super Altare B. Petri Apostoli celebrarentur. » Quamvis aliqui negent ante annum millesimum fuisse ita appellatos, et Casalius hoc referat ad tempus Honorii II. anno 1125. Plures fuerunt Tituli quibus ejusdem Episcopi appellabantur; in primis dicti fuerunt *Episcopi Lateranenses*, ut apud Kircher. in sua historia S. Eustachii vetus quædam inscriptio confirmat. Item dicebantur Episcopi *Cooperatores*, *Hebdomadarii*, et *Collaterales*, ut ostendit Em. Cardinal. Rasponi *in Basilica Lateran. lib.* 1. *cap.* 3. ex Joan. Diacono *in hist. de reb. Lateran*

(77. Admonendum demum quod ante Sixti IV tempora, qui Cardinalis Diaconus creatus fuerat, Presbyteralem Titulum obtinere nequibat, nisi cum Presbyter ordinaretur, sed tunc demum Pontifex anno 1480. cœpit indiscriminatim Presbyterorum Titulos Diaconis committere, et Diaconorum Presbyteris, et postea eo res pervenit, ut etiam simplicibus Clericis Diaconorum Tituli commendarentur.

ARTICULUS II.

Quoad Cardinalium dignitatem et præeminentiam.

(1. Cardinalatu nulla est major Dignitas post Papatum in Ecclesia Dei. In Cardinalibus enim residet tota Majestas Christianæ Reipublicæ. Eugenius IV. in *Constit.* incip. *Non mediocri*, ubi validissimis rationibus definit post Caput Ecclesiæ, quod est Papa, contigua sui corporis membra, qui sunt Fratres ejus Cardinales, præ cæteris Ecclesiæ membris, ac partibus honorari debere, et Cardinalatus Dignitatem esse majorem, et sublimiorem Episcopali, Archiepiscopali, et Patriarchali. Idem habetur in Constitutione Leonis X. incip. *Superna*, ibi: « Et cum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales cæteros omnes, in ipsa Ecclesia post Summum Pontificem honore, ac Dignitate præcedant. » Et Colligitur etiam ex Concilio Tridentino *cap.* 11. *sess.* 24. et ex Constitutione Sixti V. *de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium præstantia, edita tertio nonas Decemb.* 1586. et *ex cap. Quamquam caus.* 2. *qu.* 7. *et cap. Constantinus Dist.* 96. (2. Nec obstat quod Cardinales Ordine sint minores Episcopis; *cap. Ante omnia dist.* 40. *cap. de his dist.* 5. *de consec. Clement. Si quis suadente* § *Nec super hæc; de pœnis*, Glossa *ultim. in cap. Quamquam caus.* 2. *quæst.* 7. Non obstat, inquam, quia in ejusmodi prærogativis, et privilegiis, est potius habenda ratio Dignitatis, quam Ordinis, ut declaravit idem Eugenius IV. in d. *Constit. Non mediocri*, his verbis: « Nec causetur quispiam, quod Ordo Episcopalis Presbyterio major sit, quoniam in ejusmodi prælationibus Officium, et Dignitas præponderat Ordini, quemadmodum Jure cautum est, ut Archidiaconus non Presbyter suæ Jurisdictionis obtentu Archipresbytero præferatur. » Et de Facto hoc habetur etiam in Vicario Generali, qui quamvis simplex Clericus præcedit omnes de Clero. (3. Unde præeminentia non est commensuranda ab Ordine, sed ab Officio, et Jurisdictione, quæ dant Dignitatem, et consonant etiam verba textus in *c. Quamquam, caus.* 2. q. 7. *ibi*: « Quamquam secundum honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopus major Presbytero sit, tamen Augustinus in multis Hieronymo minor est. » (4. Et quod Dignitas, et Jurisdictio Cardinalium sit major Ordine Episcopali patet *ex c. Constantinus dist.* 96. Episcopi enim non præsunt nisi uni certæ diœcesi, et Cardinales repræsentantes Magistratum una cum Papa præsunt regimini totius universalis Ecclesiæ, ut recte dixit Innocent III. *in cap. bonæ memoriæ* 8. *de postulat. Prælat.* ibi: « Quod Cardinalis persona utilis sit, non solum Romanæ, sed etiam Ecclesiæ universali. » Et Divus Bernardus ad Eugenium III. inquit: « Veniamus autem ad Collaterales, et Adjutores tuos; hi seduli tui, hi intimi tui, eligendi de toto Orbe, Orbem judicaturi (1). »

(5. Tantæ Dignitatis, præstantiæ, et præeminentiæ sunt Cardinales, quod ipsis solis est demandata auctoritas eligendi Summum Pontificem. (6. Hanc enim auctoritatem concessit eis in primis Nicolaus II. *ann.* 1059. in Conc. Romano *c.* 2. cum hoc tamen, quod facta præcipue ab ipsis Cardinalibus Summi Pontificis electione, deinde reliquus Clerus, ac populus ad eam comprobandam accederet, prout refertur in *c. In nomine Domini* 1. *dist.* 23. ibi: « Decernimus, atque statuimus, ut obeunte hujus Romanæ universalis Ecclesiæ Pontifice, in primis Cardinales Episcopi diligentissime simul de electione tractantes, mox Christi Clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus Clerus, et populus ad consensum novæ electionis accedat. » (7. Et hic mos eligendi Pontificem perduravit usque ad tempora Alexandri III. optime meriti de hac mea Patria Alexandrina Civitate, utpote qui eam Sede Episcopali condecoravit, et suo nomine appellandam pro sibi præstita fidelitate, obedientia, et ope constituit. Sed quia adhuc

(1) Qui, et quam merito jure factum sit, ut Episcopis licet ordine præstantioribus præemineant Cardinales sive presbyteri, sive Diaconi, pluribus ostendunt Gautelius diss. 5, cap. 9. Andreuccius *de Cardinalibus in genere* diss. 2, num. 7 seqq., et Zaccaria *Antifebronii Italici*, tom. IV, pag. 246 seq. itemque *Antifebron. vindicati*, tom. IV, diss. 10, c. 1. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

quandoque pro simili electione, et approbatione schismata oriebantur, Alexander III. in Generali Lateranensi Concilio statuit, ut ille demum canonice electus censeretur, in quem duæ ex tribus Collegii Cardinalium partes consensissent, et sic excluso Cleri, et Populi consensu, requisito ex supra laudato Decreto Nicolai II. *in d. cap. in nomine Domini*, tota Pontificis electio ad solum Cardinalium Collegium redacta est per ipsum Alexandrum III. ut expresse patet *in cap. Licet* 6. *de electione*, ibi : « Licet de vitanda discordia in electione Romani Pontificis manifesta satis a Prædecessoribus nostris Constituta manaverint, quia tamen sæpe post illa per improbæ ambitionis audaciam, gravem passa est Ecclesia scissuram, Nos etiam ad malum evitandum hoc de consilio Fratrum nostrorum, et sacri approbatione Concilii aliquid decrevimus adjungendum. Statuimus ergo, ut, si forte (inimico homine superseminante zizaniam) inter Cardinales de substituendo Summo Pontifice, non poterit esse plena concordia, et duabus partibus concordantibus, pars tertia concordare noluerit, aut sibi alium præsumpserit nominare, ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus electus fuerit, et receptus. » (8. Unde, ut dicit Onuphrius in annotatione ad vitam d. Alexandr. III. in electione Lucii III. sui immediati successoris, ea tunc primum redacta fuit ad solos Cardinales, Clero omnino, et Populo a Summi Pontificis electione exclusis, et Lex salutaris a dicto Alexandro III. in Concilio Generali Lateranensi *anno* 1179. celebrato lata de duobus tertiis Suffragiorum Cardinalium ad evitanda in posterum schismata executioni mandata fuit, quod dicit sibi constare ex ejusdem Pontificis Diplomate apud se asservato. (9. Et hæc facultas eligendi Summum Pontificem solis Cardinalibus demandata, fuit confirmata, et plenius statuta a Gregorio X. in Concilio Generali Lugdunensi 1274. celebrato, prout refertur *in cap. Ubi periculum* 3. *de election. in* 6. et a Clemente V. in Concilio Viennensi 1311. coacto, prout refertur *in c. Ne Romani* 2. *Clem. de elect.* et ex post fuit semper inviolabiliter in ipsis conservata. Vide Barbos. *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. univers. c.* 1. *num.* 55. *et seq.* cum multis ibi citatis (1).

(10. Cardinales soli possunt deferre Pileum, seu Galerum rubrum eis concessum ann. 1244. ab Innoc. IV. in Conc. Lugdunensi I. ut refert Barbosa cum multis aliis *lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 3. *num.* 8. Petra *tom.* 4. *Comment. in Constit.* 1. *Eugenii IV. num.* 21. et habetur ex inscriptione sua sepulchrali Neapoli, ubi obiit : « Innocent. IV. Pontifex Maximus de omni Christiana Republica optime meritus, qui natali S. Joannis Baptistæ anno 1243. Pontifex renunciatus, die Apostolorum Principi sacra coronatus, cum Purpureo primus Pileo Cardinales exornasset, Neapolim a Corrado eversam S. P. restituendam curasset, innumerisque aliis præclare, et prope divine gestis, Pontificatum suum quam maxime illustrem reddidisset, anno 1254. B. Luciæ Virginis luce hac luce cessit. Annibal de Capua Archiepiscopus Neapolitanus in Sanctissimi viri memoriam obsoletum vetustate Epigramma restituit. » (11. Soli ipsi possunt deferre Birretum Purpureum sive Pileolum Rubrum, ut eis publice Decreto concessit Paulus II. posita pœna, ne quis indumento illo purpureo caput tegeret, concedens insuper eisdem Cardinalibus, ut ejusdem coloris panno equos, vel mulas sternerent dum equitarent. Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 9. Azorius *instit. moral. part.* 2. *lib.* 4. *c.* 3. *qu.* 18. Palatina *in ejus vita*, Petra *C.* 4. *comment. in Const. Eugen. IV. n.* 21 (2).

(12. Quod privilegium ferendi Birreta, et Pileos rubros more aliorum Cardinalium fuit postea etiam extensum ad Cardinales ex Regularium Ordinibus assumptos a Gregorio XIII. *Constit.* 9. incip. *Sanctissimus.* (13. Soli ipsi Cardinales habent privilegium, ut Titulus Eminentiss. et Vestræ Eminentiæ una cum antiquo titulo Reverendiss. debeat esse suus proprius, et peculiaris Cardinalitiæ Dignitatis, prout infrascripto Decreto expresse continetur.

Die 10. Junii 1630. in Consistorio secreto.

Fuit facta per Cardinalem Pium relatio Decreti Sacræ Congregationis Cæremoniarum S. R. E. Cardinalium, ut infra.

BEATISSIME PATER

Sacra Congregatio Cæremoniarum S. R. E. Cardinalium censuit, si Sanctitati Vestræ placuerit, loco Titulorum Illustrissimi, et Dominationis Vestræ Illustrissimæ, quibus hactenus usi sunt Cardinales, Titulos Eminentissimi, et Vestræ Eminentiæ una cum antiquo Titulo Reverendissimi in posterum esse debere proprios, et peculiares Cardinalitiæ Dignitatis; ita ut præfati Tituli Eminentissimi, et Eminentiæ a nemine, præterquam ab Eccles. Rom. Imper. Electoribus, ac Magistro Hospitalis Hierosolym. usurpari possint, aut aliis attribui; eosdemque Titulos ab omnibus, et singulis Cardinalibus, præsentibus et futuris omnino assumi, illisque inter se tam voce, quam scripto perpetuo uti debere. Quod si contigerit, aliquem cujuscumque Dignitatis, Gradus, et Conditionis (Imperatore, ac Regibus exceptis) hujusmodi Titulos alicui Cardinalium non tribuere, Cardinalis ille nullatenus cum eo agat, nec ejus Litteras quoquomodo recipiat.

Insuper censuit supplicandum esse Sanctitati Vestræ, ut per suum Consistoriale Decre-

(1) Munus hoc eligendi Summi Pontificis solis delatum Cardinalibus illustrant Cantelius part. II, diss. 4, cap. 6; et Kleinerus diss. *de Muniis, et prærogativis Cardinalium*, Heidelbergæ, 1768, c. 1. (EDIT. BARBIELL.)

(2) Confer de Cardinalium veste aliisque insignibus laudatos Cantelium diss. 5, cap. 8; et Kleinerum cap. 5. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

tum præcipere dignetur cæteris omnibus, et singulis Ecclesiasticis cujuscumque Conditionis, Gradus, et Dignitatis, etiam Episcopali, Archiepiscopali, Primatiali, seu Patriarchali Dignitate præfulgentibus, ne præfatos Eminentissimi, et Eminentiæ Titulos quoquomodo sibi usurpent, sub pœnis indignationis Sanctitatis Vestræ, et Romanorum pro tempore Pontificum, inhabilitatisque ad alias Dignitates, et incapacitatis quarumcumque Gratiarum, seu Indultorum Sedis Apostolicæ, ac amissionis fructuum suarum Ecclesiarum, ac Beneficiorum quorumcumque ipso facto incurrendis.

Item censuit hæc omnia in præsenti Consistorio esse referenda, ut Sanctitate Vestra annuente ab omnibus, et singulis Cardinalibus recipiantur, et super eorum perpetua, et inviolabili observatione juretur, debitæque executioni demandentur a præsentibus quidem in Consistorio statim, ab existentibus vero in Curia post tres dies, et absentibus post duos menses in Italia, et post quatuor extra Italiam. Inter alia super his etiam omnes, et singuli Cardinales, qui in futurum creabuntur, jurare teneantur præsentes quidem in receptione Pilei, absentes vero in receptione Birreti.

Qua relatione habita S. D. N. per hæc verba, quid vobis videtur? omnium D. D. Card. exquisivit suffragia, et singulorum auditis sententiis non solum unanimiter consentientibus, verum etiam instantissime deprecantibus, atque S. Sanctitati supplicantibus, ut hujusmodi Decretum, et omnia in eo contenta approbaret; sicque probata per suum Consistoriale Decretum, cum auctoritate exprimendi, etc. Et Litteras etiam in forma Brevis expediendi cum solitis clausulis etc. confirmaret. Sanctitas sua, ut sequitur, decrevit.

Petitionibus vestris annuentes proposita Nobis per vos omnia admittimus, et approbamus, et desuper Litteras etiam in forma Brevis cum clausulis opportunis, et necessariis concedimus, et expediri mandamus cum auctoritate imprimendi. In omnibus etc.

Absoluto Consistorio post discessum Pontificis in Congregatione Generali omnes; et singuli Cardinales, qui in Consistorio interfuerunt, tactis Sacrosanctis Evangeliis jurarunt, et subscripserunt, ut infra.

Nos miseratione Divina Episcopi, Presbyteri; et Diaconi S. R. E. Cardinales supradictum Decretum Sacræ Congregationis Cæremoniarum S. R. E. Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro approbatum, et a nobis receptum perpetuo, et involabiliter observare promittimus, et juramus.

Dominicus Episcopus Portuensis Cardin. Ginnasius.
C. Card. Pius Episcopus Albanén.
S. Card. Burghesius Episcopus Sabinen.
Ego M. Episc. Tusculanus Card. Lantes.
Ego G. Card. Borgia Presb.
Ego Rob. Card. Ubaldinus.
Ego I. Card. Sabellus.
Ego G. Card. Bentivolus.
Ego G. Card. de Torres.
Ego F. A. Card. S. Honuphrii.
Ego Aloysius Card. Cajetanus.
Ego Ludovisius Presbyter Card. Sancti Sixti nuncupatus.
Ego Berlingerius Presbyter Card. Gypsius.
Ego F. Presbyter Card. Verospius.
Ego Gregorius Presbyter Card. Narus.
Ego Lucas Ant. Presbyter Card. Virilis.
Ego Franciscus Diaconus Card. Barberinus.
Ego P. Maria Burghesius Diaconus Cardin. Sancti Georgii.
Ego Hieronymus Diaconus Card. Vidonus.
Ego L. Diaconus Card. Biscia.
Ego M. Card. Ginettus.
Ego A. Diaconus Card. Cæsarinus.
Ego H. Diaconus Card. Columna.
Ego Theodorus Card. Trivultius.

(14. Immo Cardinales sunt tantæ Dignitatis, et præeminentiæ, ut eorum Dignitas non parum Regiam Majestatem æmulare contendat. (15. Nec desunt Reges, qui Cardinalibus præeminentiam in sedendo, et scribendo cesserint; scribit enim Raynaldus *ad annum* 1235. num. 2. et 6. quod cum convenissent Perusiæ Rex Siciliæ Carolus, et Regis Ungariæ Filius Carolus Martellus dictus, una cum Papa, et Cardinalibus, sedit in Consistorio Rex Pater inter Presbyteros Cardinales, Filius inter Diaconos, deinde post ministratum cibum Pontifici, accubuerunt mensæ cum Cardinalibus. Eodem anno 1235. fertur, Regem Angliæ ad Cardinalem Presbyterum scribentem nomen suum illi Cardinalis postposuisse; Rex Daniæ cum anno 1474. Romam perrexisset, inter duos priores Cardinales exceptus fuit, nec umquam operire caput voluit, nisi post eos, et in die Parasceve ultimus post Cardinales adoraturus Crucem adivit. Cardin. Papien. *Epistol.* 156. inquiens : *ut habeatur justus honor Summo Senatui.* Et multa alia reticentur consimilia exempla apud Scriptores videnda. (16. Solum addendo quod præcipue ista præeminentia debetur Cardinalibus Collegium repræsentantibus, nam ex Cæremoniali *rubr. de receptione Regis, et de ingressu Imperatoris* in Capella, et Consistorio assignatur locus Regi post primum Cardinalem Episcopum, vel antiquiorem Cardinalem Presbyterum. (17. Unde Cardinalium Collegium est honorabilius membrum, quod habet Ecclesia Dei, et dicitur Gremium Romanæ Ecclesiæ; *cap. in Nomine Domini* 1. *circa medium dist.* 23. et merito de eo dici potest illud, quod de Romanæ tunc supremæ Reipublicæ Senatu interrogante Pyrrho Epirotarum Rege Cyneam suum legatum respondisse asserunt : « Urbem Romanam Templum sibi visum, Senatum Regiam, Senatores quot, tot Reges. » Hinc Pius II. *in comment. lib.* 3. *pag.* 66. ait : « Cardinales pares Regibus haberi; » et dum eos creabat, dicebat : « Vos Senatores Urbis, et Regum similes estis; » et sic hoc dixisse Paulum II. refert Card. Papiens. *Epist.* 180 *et* 181. (18. Et Regibus æquiparari, et in eis residere totam Majestatem Christianæ Reipublicæ, tenet Cardin. Tusch. *tom.* 1. *in lit. C. conclus.* 100. *n.* 4. Decian. *consil.* 8. *num.* 63. *vol.* 1. Jacobat. *de Conc. lib.* 1.

Digitized by Google

art. 1. *num.* 1. Duaren. *de Sac. Eccles. Ministr. lib.* 1. *cap.* 13. Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccles. universal. cap.* 4. *num.* 9. cum multis aliis ibi citatis.

(19. Hic juvat adducere novissimas Apostolicas Sanctiones circa assecutionem Decanatus Sacri Collegii Cardinalium, et in primis affertur Decretum a particulari Congreg. editum die 28. Februarii 1721. et a Sanctissimo Domino nostro Clemente XI. approbatum, et servari mandatum.

DECRETUM.

In casu vacationis Decanatus Sacri Collegii Cardinalium die 28. Februarii 1721 habita fuit Congregatio particularis in Mansionibus R. P. D. Auditoris Sanctissimi, cui interfuerunt RR. PP. DD. Petra Secretarius Sacræ congregationis Episcoporum, et Regularium, Marefuscus Auditor Sanctissimi, Lancetta, Cerrus, Herrera, Sac. Rotæ Auditores, Ansidæus Assessor S. Officii, et Lambertinus Sac. Congr. Conc. et hujus particularis Congregat. Secret.

Omnesque unanimiter responderunt, Consulendum esse Sanctissimo, quod declarare dignetur Decanatum Sac. Colleg. Cardinalium devenisse vigore Bullæ V. San. Mem. Pauli IV. ad Eminentissimum Dominum Cardinalem Tanarium uti Episcopum Cardinalem antiquiorem in Curia præsentem tempore vacationis dicti Decanatus sequutæ per obitum Cardinalis Fulvii Astalli, exclusis Episcopis Cardinalibus antiquioribus extra Curiam tempore dictæ vacationis commorantibus, non ex publica causa, et destinatione Romani Pontificis, etiamsi residerent in diœcesibus, quarum administrationem ex dispensatione Apostolica retinent, et ita servandum esse perpetuis futuris vacationibus.

Quoad aliam vero controversiam inter EE. DD. Cardinalem Tanarium antiquiorem in Episcopatu, et juniorem in Cardinalatu, et Cardinalem Judicem juniorem in Episcopatu, sed antiquiorem in Cardinalatu, causa non fuit proposita, attenta cessione suo Juri facta ab eodem Cardinali Judice; Dominique unanimiter dixerunt consulendum esse Sanctissimo, quod declarare dignetur ex hujusmodi cessione nullum in futuris Decanatus vacationibus censeri irrogatum fuisse præjudicium Cardinalibus similia Jura foventibus.

Factaque eadem die per me infra scriptum Secretarium de præmissis Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua Congregationis sententiam quoad utramque partem benigne approbavit, et perpetuis futuris temporibus servari mandavit.

Prosper de Lambertinis Secret.

(20. Sanctiss. D. N. D. Benedicti Pp. XIII. *Constitutio*, qua Decanatum Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii ad Episcopum Cardinalem antiquiorem, licet a Romana Curia absentem, dummodo tempore vacationis ejusdem Decanatus apud priorem sibi commissam Ecclesiam personaliter resideat, devenire decernitur, pluraque alia quoad

Ostiensis, et Veliternensis Ecclesiarum optionem statuuntur, cum clausula, et derogationibus opportunis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Romani pontificis circumspecta vigilantia ea, quæ certis etiam, et rationalibus ex causis a Prædecessoribus suis olim provide sancita fuerunt, ubi dissidiis, et contentionibus, præsertim inter eos, qui sublimi Cardinalatus Dignitate in Sancta Dei Ecclesia præfulgent, aliisque insuper gravioribus malis occasionem tribuere dignoscuntur, ipsa rerum experientia suadente, nonnumquam moderatur, ac immutat, et ad æquitatis, ac justitiæ normam redigit, ut sublatis e medio litium, malorumque seminibus, fraterna charitas, atque concordia, quam inter eosdem Cardinales maxime vigere decet, inviolata servetur, et publico simul bono consultum sit: eumque in finem Apostolicæ auctoritatis, et providentiæ partes libenter interponit, prout matura deliberatione præhabita in Domino conspicit salubriter expedire.

§ I. Dudum siquidem a fel. rec. Paulo Papa IV. Prædecessore nostro emanavit Constitutio tenoris sequentis, videlicet: « Paulus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Cum Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales in partem solicitudinis vocentur, ut pro tempore existenti Romano Pontifici assistant, ipseque Romanus Pontifex eorum consilio agenda disponat, et iidem Cardinales sint pars corporis, et membra ipsius Romani Pontificis, ac diversis almæ Urbis nostræ Parochialibus Ecclesiis, pro eorum Cardinalatus titulo, seu denominatione præficiantur, et in eis Episcopalem jurisdictionem habeant, et propterea in Romana Curia residere debeant, præsentesque in dicta Curia magis digni, et privilegiati existant, quam absentes, et in optionibus Titulorum, ac sex Ecclesiarum Cathedralium, quibus Cardinales pro eorum Cardinalatus titulo præfici solent, absentibus etiam ante eos in Cardinales assumptis præferantur, et si uni ex dictis Ecclesiis Cathedralibus præfecti fuerint, ex post semper alios non Episcopos Cardinales in quibusvis actibus, et sessionibus præcedant: Nos ex præmissis, et diversis aliis causis animum nostrum moventibus, et inter cætera, ut eosdem Cardinales absentes ad residendum in Curia aliquibus uberioribus favoribus, et prærogativis alliceremus, Decanatu Collegii Cardinalium hujusmodi, quem Nos, dum in minoribus constituti essemus, obtinebamus, et ad quem propter nostram continuam in eadem Curia residentiam ante alios Cardinales Nobis in Cardinalatu antiquiores tunc ab ipsa curia absentes perveneramus, per nostram ad Summi Apostolatus fastigium assumptionem vacante, habita super his cum Fratribus nostris in Consistorio nostro secreto deliberatione matura, de eorum consilio, et unanimi assensu, venerantem Fratrem nostrum Joannem Episcopum Ostien. S. R. E. Cardinalem de Bellajo nuncupatum,

Digitized by Google

de Nobis, et Sede Apostolica optime meritum, Decanum Collegii hujusmodi declaravimus, eumque ipsius Collegii Decanum vocavimus, et Decanatum ipsum ipsi concessimus, prout etiam per præsentes declaramus, vocamus, et concedimus. Et insuper, ne in posterum Decanatus, prædictus, illius occurrente vacatione in aliquem Cardinalem ex voluntate sua, et non ex causa publica absentem, et propter absentiam suam hujusmodi quandoque de negotiis dictæ Sedis minus informatum, in injuriam aliorum Cardinalium tunc presentium, et Romano Pontifici assistentium, ac propterea de negotiis prædictis melius informatorum, deveniat, aut super eodem Decanatu aliquæ controversiæ, seu dissensiones inter ipsos Cardinales oriantur, providere volentes, Motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione sancimus, quod Decanatus hujusmodi de cætero perpetuis futuris temporibus nonnisi ad Episcopum Cardinalem antiquiorem in Curia præsentem, aut ex causa publica absentem et extra Curiam per Romanum Pontificem destinatum devenire possit. Et quod Episcopus Cardinalis antiquior in Curia præsens, aut, ut præfertur, absens, et extra Curiam destinatus, postquam Decanatus hujusmodi ad eum devenerit, omnes alios Cardinales, etiam antiquiores, semper in quibusvis sessionibus, et aliis actibus publicis præcedat, nec per alios Episcopos Cardinales etiam antiquiores, tunc, absentes, etiamsi postmodum incontinenti ad eamdem Curiam se conferant, et in ea continuo resideant, super ipso Decanatu, aut illius sessionibus, vel aliis actibus, seu negotiis ad eum pertinentibus impediri, aut molestari valeat Decernentes sic, et non aliter in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque Judices, et Commissarios quavis etiam Apostolica auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eorumdem Cardinalium Collegium in quavis causa, et instantia, et sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi auctoritate, et facultate, judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, Non obstantibus Constitutionibus, ac Ordinationibus Apostolicis, ac stylo Consistorii nostri, nec non ipsius Collegii, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ 1555. Undecimo Kal. Septembris Pontific. nostri anno primo. »

§ II. Postmodum, anno scilicet 1719, occasione obitus bon. mem. Nicolai S. R. E. Cardinalis Acciajoli Episcopi, dum viveret, Ostiensis et Veliternensis, Sacrique Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Collegii Decani, dubitatio emersit, an prædicta Constitutione adversus Cardinales a Curia Romana absentes lata comprehenderentur, vel potius excluderentur Cardinales promotione antiquiores, qui eveniente Decanatus ejusdem Sacri Collegii vacatione a præfata Curia quidem abessent, sed apud illas Metropolitanas, seu Cathedrales Ecclesias residerent, quibus eos una cum aliqua ex iis Cathedralibus Ecclesiis Suburbicariis, quæ ipsis Cardinalibus antiquioribus pro suis Titulis, seu denominationibus assignari solent, præesse contingeret. Cumque ejusmodi dubitatio nullis antea Sanctæ Sedis definitionibus discussa, ac dirempta esse videretur, bon. mem. Clem. Pp. XI. Prædecessor itidem noster eam expendendam, librandamque committere decreverat, sive dilectis Filiis Rotæ Romanæ Auditoribus, sive aliis ejusdem Curiæ Præsulibus, integritate, doctrinaque præstantibus, quorum audita sententia id, quod rationi, et æquitati consentaneum illi visum fuisset, statuere posset. Verum dum in ea deliberatione versaretur, Nos, quos potissimum, tamquam eo tempore S. R. E. Cardinalem Episcopum Portuensem, et Archiepiscopum Beneventanum, cæterisque Collegii promotione priores (memorata Pauli IV. Constit. seposita) tam ad Decanatus dignitatem, quam ad præfatas Ostiensem, et Veliternensem Ecclesias, antiquitatis, Jura vocabant animo reputantes rem hanc absque alia contentione transigi minime posse, probeque memores verborum Apostoli Timotheum suum admonentis : *Servum Domini non oportet litigare*, firmiter constituimus super istiusmodi negotio a quavis concertatione, seu litis specie prorsus abstinere; adeoque datis primum ad eumdem Prædecessorem Nostrum litteris ex suburbano secessu S. Pastoris, et mox etiam apertis verbis illi coram explicavimus, ac obtestati fuimus, ut quacumque Nostri ratione posthabita, dignitatem Decanatus Cardinali Episcopo ex residentibus in Romana Curia antiquiori deferre vellet, eidemque Ecclesiarum Ostiensis, et Veliternensis optionem permittere : ea tamen adjecta declaratione, ut simili in posterum occurrente Decanatus vacatione, salva, et illæsa remanerent Jura Cardinalium Episcoporum, qui Cardinalatu quidem essent antiquiores, sed extra Romanam Curiam in prioribus suis Episcopatibus tunc residerent. Attenta itaque hujusmodi nostra obtestatione, atque cessione, vacans Sacri Collegii Decanatus una cum Ostiensi, et Veliternensi Ecclesiis a memorato Pontifice in Consistorio secreto habito die 26 Aprilis 1719. bon. mem. Fulvio S. R. E. Cardinali Astallio tunc Episcopo Sabinensi, qui ex Episcopis Cardinalibus in Curia degentibus antiquior erat, cum speciali tamen Jurium quorumcumque tam Episcoporum Cardinalium extra Curiam apud priores suas Ecclesias residentium, quam aliorum Cardinalium in eadem Curria commorantium, præservatione delatus fuit.

§ III. Deinde vero cum præfatus Cardinalis Astallius Decanus, inscrutabili Divinæ providentiæ dispositione ab humanis omnium

Digitized by Google

opinione celerius decessisset, et alia non absimilis controversia inter Venerabiles Fratres nostros bonæ memoriæ Cardinalem Sebastianum Antonium Tanarium tunc Episcopum Tusculanum, et Cardinalem Franciscum Judicem, tunc pariter Episcopum Prænestinum, in Romana Curia præsentes (Nobis omnino silentibus, et quacumque petitione prorsus abstinentibus) excitata fuisset, memoratus Clemens Prædecessor septem ejusdem Curiæ Præsules doctrina, et integritate præstantes deputavit, illisque commisit, ut probe, ac mature perpensis rationum momentis, quæ hinc inde afferri poterant, et de quibus eos plene instrui curavit, suum circa verum sensum antedictæ Constitutionis Pauli IV. judicium proferrent, quod postea in hunc, qui sequitur modum protulerunt: « Die 28. Feb. 1721. habita fuit Congregatio particularis in Mansionibus R. P. D. Auditoris Sanctissimi super causa Decanatus Sacri Collegii Cardinalium, cui interfuerunt RR. PP. DD. Petra, Marefuscus Auditor Sanctissimi, Lancetta, Cerrus, Herrera, Ansidæus, et Lambertinus ejusdem particularis Congregationis Secretarius: Omnesque unanimiter responderunt: Consulendum esse Sanctissimo, quod declarare dignetur Decanatum Sac. Collegii Cardinalium devenisse vigore Bullæ quintæ san. mem. Pauli IV. ad Eminentissimum D. Cardinalem Tanarium, uti Episcopum Cardinalem antiquiorem in Curia præsentem tempore vacationis dicti Decanatus sequutæ per obitum Cardinalis Fulvii Astalii, exclusis Episcopis Cardinalibus antiquioribus extra Curiam tempore dictæ vacationis commorantibus, non ex publica causa, et destinatione Romani Pontificis, etiamsi residerent in Ecclesiis, quarum administrationem ex dispensatione Apostolica retinent, et ita servandum esse perpetuis futuris vacationibus. Quoad aliam vero controversiam inter EE. DD. Cardin. Tanarium antiquiorem in Episcopatu, et juniorem in Cardinalatu, et Cardinalem Judicem juniorem in Episcopatu, sed antiquiorem in Cardinalatu, causa non fuit proposita attenta cessione suo Juri facta ab eodem Cardinali Judice; Dominique unanimiter dixerunt, consulendum esse Sanctissimo, quod declarare dignetur ex hujusmodi cessione nullum in futuris Decanatus vacationibus censeri irrogatum fuisse præjudicium Cardinalibus similia Jura foventibus. Factaque eadem die per me, infrascriptum Secretarium de præmissis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas sua Congregationis sententiam quoad utramque partem benigne approbavit, et perpetuis futuris temporibus observari mandavit. » *Prosper. de Lambertinis Secretarius.* Idem vero Clemens Prædecessor non modo ante dictorum Præsulum Votum, seu consilium, ut præfertur, benigne probavit, perpetuisque futuris temporibus observari mandavit, verum etiam illud in Consistorio secreto subinde, nempe die 3 Martii 1721. habito palam recitari, et inter Acta ejusdem Consistorii ad perpetuam rei memoriam asservari, atque custodiri præcepit.

§ IV. Cum autem, seclusa Paulina Constitutione, maxime æquum, et rationi consonum videatur, ut Cardinales Episcopi antiquiores præfati, quamvis tempore vacationis Decanatus Sacri Collegii a Romana Curia absint, et apud priores sibi commissas Ecclesias personaliter resideant, ad eumdem Decanatum assequendum admitti debeant: tum quia ipsi revera a Curia non absunt ex voluntate sua, sed ex formali necessitate, cum ex Divinarum, Canonicarumque Sanctionum, et Concilii potissimum Tridentini præscripto, apud priores Ecclesias jugiter residere cogantur; quin etiam ab eis discedere absque Sedis Apostolicæ licentia non possint, nec ab hoc apud ipsas residendi onere exempti sint, quamvis in Urbe, vel in Ecclesiis Suburbicariis, quæ illis in titulum sunt assignatæ commorari vellent, quemadmodum expresse sub gravissimis pœnis cavetur peculiari Constitutione piæ memoriæ Urbani Papæ VIII. Prædecessoris pariter nostri, cujus tenor est, qui sequitur, videlicet: « Urbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Sancta Synodus Tridentina sub recolendæ mem. Paulo Papa III. Prædecessore nostro ad disciplinam Ecclesiasticam restaurandam, provide statuit, ut omnes quacumque dignitate, gradu, et præeminentia fulgentes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, et Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque quovis nomine, et titulo præfecti apud eas personaliter residere deberent: alias, si per sex menses continuos abessent amissionis quartæ partis fructuum unius anni pœnam ipso Jure incurrerent; quod si per alios sex menses in absentia perseverarent, tunc aliam quartam partem fructuum hujusmodi eo ipso amitterent: crescente vero contumacia Romanus Pontifex suprema ejus auctoritate in ipsos absentes animadvertere, et Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere posset. Deinde sub fel. record. Pio IV. etiam Prædecessore nostro, eadem Synodus declaravit omnes eisdem Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, et Cathedralibus Ecclesiis præfectos etiamsi S. R. E. Cardinales forent, obligari ad personalem residentiam in sua Ecclesia, vel Diœcesi faciendam; nec abesse posse, nisi ob legitimas causas in scriptis approbandas. Et in eorumdem Concilii decretorum executionem idem Pius IV. Prædecessor per suas sub plumbo sub Dat. 7. Kalend. Decembris 1564. expeditas Litteras monuit eosdem præfatis Ecclesiis præfectos in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ultra pœnas in eodem Concilio contentas, sub privationis eorum a regimine, et administratione ipsarum Ecclesiarum, ac amissionis facultatum testandi, et disponendi, aliisque pœnis suo, et Romani Pontificis arbitrio imponendis mandavit eisdem, ut in Ecclesiis præfatis omnino personaliter residere deberent. Denique certior factus, quod multi eorumdem Præfectorum erant inobedientes, Motu suo proprio commisit Cameræ Apo-

Digitized by Google

stolicæ Auditori generali, ut contra illos usque ad sententiam procederet, et sibi deinde referret, ad effectum in eos privationis, et depositionis, sententiam in suo Consistorio secreto pronuntiandi. Successive alii etiam Romani Pontifices contra non residentes diversa Edicta publicari fecerunt, ac piæ mem. Gregorius XIII. etiam Prædecessor noster per suum Decretum Consistoriale declaravit decreta ejusdem Concilii de personali residentia in Ecclesiis prædictis facienda in S. R. E. Cardinal. locum habere, quocunque titulo illis præessent, ita ut a reatu, et pœnis in dicto Concilio statutis non excusarentur, nisi absentiæ causa in scriptis approbata foret, scientiaque, vel tolerantia non excusaret eosdem Cardinales, nec alios Episcopos. Similis quoque mem. Clemens Papa VIII. etiam Prædecessor noster per simile Consistoriale decretum pro observantia residentiæ personalis, ab eodem Concilio ordinatæ, addidit pœnam inhabilitatis ad majores dignitates, et Ecclesias obtinendas, prout in præfatis Concilio, ac Lit. Apostol. Consistorialibusque decretis latius continetur. Cumque etiam Nos edicta contra non residentes sæpius publicari fecerimus, et tamen præteritis mensibus aliqui etiam S. R. E. Cardinales, Metropolitanis, seu Cathedralibus Ecclesiis ex concessione Apostolica præfecti, suæ obligationis ad personalem residentiam in eis faciendam immemores, in grave animarum suarum detrimentum, ac ovium sibi creditarum præjudicium, ab eisdem Ecclesiis abesse continuarentur, etiam sub prætextu suorum Titulorum Cardinalatus, præsertim Episcopalium, prope Urbem, seu in Urbis districtu respective consistentium, et quod in eadem Urbe in conspectu, et præsentia nostra moram traherent; Nos pro nostro pastorali debito, nedum animarum præfatarum, sed etiam Ecclesiarum indemnitati providere volentes, in Consistorio nostro secreto declaravimus eosdem S. R. E. Cardinales, qui aliis Ecclesiis Metropolitanis, et Cathedralibus præerant, et apud eas non residerant, nec residebant, non fecisse nec facere illarum fructus suos, etiam sub prætextu quod alicui, ex dictis Eccles. Episcop. quibus Cardinales in ordine priores præesse solent, præsideant et ibi vel in Urbe commorentur, aut cujusvis tolerantiæ; vel facultatis, præterquam per Breve speciale nostrum, vel Romani Pontificis pro tempore existentis, sibi concessæ. Ideoque eosdem Cardinales monuimus pro prima vice, ut ad residentiam hujusmodi statim se conferrent, sub pœna amissionis fructuum eo ipso incurrenda, et aliis Canonicis pœnis, animo etiam procedendi ad ulteriora, si non paruissent, et prout in decreto nostro Consistoriali plenius habetur. Quia vero ab inde citra non omnes, prout tenebantur, nostra mandata executi sunt: Nos ut omnino debitum suum agnoscant, et animabus subjectis, quantum Nobis ex Alto conceditur, magis consultum sit, ulterius provideri volentes, Concilii Tridentini decretis, et Litteris Apostolicis, Motuique proprio, ac Consistorialibus decretis præfatis inhærentes, illorumque tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plene insertis, et expressis habentes, Motu simili, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine præfati Concilii decreta, Litterasque Apostolicas, ac primo dictum Motum proprium, Decretaque Consistorialia præfata, et in eis contenta quæcunque nostra Constitutione perpetua confirmamus, et approbamus, et, quatenus foret opus, adversus quemcunque prætensum non usum, vel contrarium usum, innovamus, et plenissime restituimus. Insuperque omnes et singulos Ecclesiis Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, Archiepiscopalibus, et Episcopalibus, quocumque nomine, seu titulo præfectos, etiam S. R .E. Cardinales, a præfatis suis Ecclesiis absentes, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interdicti ingressus Ecclesiæ, amissionisque tam fructuum earumdem Ecclesiarum pro tempore quo absentia duraverit, quam facultatum testandi, et disponendi de bonis suis, a Sede Apostolica sibi alias concessarum, eo ipso absque alia declaratione incurrendis, nec non privationis a regimine et administratione suarum Ecclesiarum hujusmodi, aliisque pœnis nostro, et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis, districte præcipiendo monemus; ut omnibus postpositis quanto citius, in Romana Curia videlicet moram trahentes intra unum, extra vero eam in Italia intra duos, extra vero Italiam existentes intra quatuor menses a die publicationis præsentium in locis infrascriptis faciendæ computandos, quos pro tribus Canonicis monitionibus, peremptoriisque dilationibus, et terminis respective et assignamus, et assignatos esse volumus, se itineri committere, et legitimis itineribus ad Ecclesias, seu Diœceses suas proficisci, et se personaliter conferre, ac ibidem, ut tenentur, residere debeant. Eisdem Præfectis postquam personaliter ad residendum se contulerint, necnon quibuscunque aliis apud suas Ecclesias quandocumque personaliter residentibus, sub eisdem pœnis, etiam eo ipso respective incurrendis, injungimus, ne ab eorum Ecclesiis discedant, nisi prius obtenta nostra, et Romani Pontificis pro tempore existentis, per Breve, seu Litteras missivas, licentia. Illos etiam qui in posterum per nos, seu Romanos Pontifices successores nostros, alicui præfatarum Ecclesiarum Patriarchalium, Primatalium, Metropolitanarum, Archiepiscopalium, et episcopalium quovis nomine, vel titulo præfecti fuerint, etiamsi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales quandocumque fuerint, vel sint sub eisdem pœnis, etiam eo ipso respective incurrendis debeant, et quilibet ipsorum debeat intra præfatum tempus, a die eorum promotionis ad aliquam præfatarum Ecclesiarum inchoandum; quod eis pro tribus monitionibus, et dilationibus, ut præfertur, ex nunc assignamus, pariter se itineri committere, et ad Ecclesias, sive Diœceses sibi commissas, ad per

Digitized by Google

sonaliter in eis residendum, conferre, et respective, postquam residere incœperit, ab illis non discedere, nisi prius obtenta a Nobis, et Romano Pontifice pro tempore existente, licentia præfata. At quarum pœnarum incursu nolumus posse aliquem se excusare prætextu, et ratione cujuscumque servitii quomodolibet præstiti, et præstandi, pro gerendis, et tractandis negotiis quorumcumque Principum, etiam Imperatoris, et Regum, aut rerum publicarum Regnorum, ac Provinciarum; nec ratione cujuslibet jussionis, vel mandati eorum, vel earum, quandocumque facti, vel faciendi, nec etiam ratione prosecutionis seu defensionis quarumcumque litium, seu controversiarum etiam Ecclesiasticarum; vel ineundi fœderis, aut cujuscumque alterius negotii etiam gravissimi, et speciali mentione digni tractandi; vel distantiæ locorum, aut brevitatis temporis, ob quam non videatur expectanda Sedis Apostolicæ licentia præfata, antequam a suis Ecclesiis, et Diœcesibus discedant; aut ratione alterius cujuscumque causæ, vel occasionis, etiam publicæ, vel alias favorabilis, et æque piæ etiam cujuslibet utilitatis, sive necessitatis Ecclesiarum, et personarum : præterquam personalis interessentiæ in Synodis Provincialibus, vel Congregationibus; seu Assembleis generalibus, in quibus Ecclesiastici intervenire solent, vel ratione muneris, aut Reipublicæ officii, Episcopalibus, vel Ecclesiis majoribus præfatis adjuncti, cujus ratione ad certum tempus occupari solent : et tunc pro tempore, quo illæ Synodi, Congregationes, et Assembleæ, exercitiumque muneris, seu officii publici, ipsis Ecclesiis adjuncti, actu duraverint, quibus finitis recto tramite ad Ecclesias præfatas sibi commissas se conferre debeant. Nec etiam a prædicta residentia, et pœnarum præfatarum incursu volumus excusari S. R. E. Cardinales nunc, et pro tempore existentes alicui præfatarum Ecclesiarum Præfectos, seu præficiendos, etiamsi, tanquam in ordine priores aliquem ex dictis Titulis Episcopalibus prope Urbem, vel in ejus districtu consistentibus obtineant, et in posterum obtinuerint, et in prædictis Episcopatibus Titularibus Urbi proximis resederint, vel in Romana curia in suis Titulis respective etiam Nobis, et Romanis Pontificibus successoribus nostris, scientibus, et videntibus, et quomodolibet tolerantibus, moram traxerint; ita ut nulla nostra, ac Romanorum Pontificum successorum nostrorum conniventia, taciturnitate, et ad quarumcumque functionum, et actuum Pontificalium, etiam publicorum, et solemnium celebrationem receptione, et admissione, umquam tueri se possint. Et pro præmissorum et infrascriptorum inviolabili observatione committimus, et mandamus dilecto Filio Cameræ Apostolicæ generali Auditori, nunc et pro tempore existenti, quatenus contra omnes et singulos prædictos, tam in Urbe, quam alibi, et ubique locorum, nunc et pro tempore commorantes, et in suis Ecclesiis, seu Diœcesibus non residentes, per affixionem ad valvas Basilicæ S. Petri, ac in Acie Campi Floræ, et quoad præsentes in Romana Curia ad abundantiorem cautelam, etiam dimissa copia, procedat : Et constito sibi, quantum sufficere videbitur, summarie, simpliciter, et de plano, sola veritate inspecta, et manu Regia de contraventione, et inobedientia præfatis, usque ad sententiam exclusive procedat; et deinde Nobis, et Romano Pontifici pro tempore existenti referat, ut Nos, et Romanus Pontifex pro tempore existens, in Consistorio ad sententiam declarationis incursus pœnarum, ac respective privationis, aliarumque punitionum præfatorum inobedientium, valeamus, et ipse Pontifex Romanus pro tempore existens valeat procedere. Volumus tamen Episcopos, Archiepiscopos, Metropolitanos, Primates et Patriarchas, etiam S. R. E. Cardinales citra Montes, vel Mare existentes per quatuor, alios vero ultra Montes, vel Mare degentes per septem menses continuos a residentia in præfatis Ecclesiis facienda, ad effectum visitandi limina SS. Apostolorum Petri, et Pauli juxta Sacros Canones, ac Apostolicas Constitutiones pro qualibet visitatione excusari : ita tamen, ut tunc illis durantibus visitationis hujusmodi munus explere teneantur, nec ad alios actus se divertant. Cardinalibus vero nunc, et pro tempore existentibus, qui in casu vacationis Sedis Apostolicæ ad electionem Romani Pontificis faciendam accedere solent ad locum Conclavis ad hoc designati, concedimus licentiam discedendi ab Ecclesiis præfatis sibi commissis, habita tamen prius certa notitia vacationis ipsius Sedis Apostolicæ, et extra residentiam in loco, in quo electionem hujusmodi celebrari continget, commorandi, et permanendi usque ad peractam electionem, ac etiam postea per duos menses, postquam Romanus Pontifex Coronationis suæ insignia susceperit : quo tempore elapso præfati Cardinales, nisi illico, ut præfertur, ad Ecclesias præfatas, quibus præsidere eos contigerit, se contulerint, subjaceant pœnis supradictis. Præsentes quoque litteras, etc. Sicque, et non aliter in præmissis, etc. Non obstantibus præmissis, etc. Volumus etiam, quod ii, qui duabus, vel pluribus Ecclesiis præfatis, ex earum unione, vel alias ex concessione, seu dispensatione Apostolica, quocumque nomine, vel titulo præfecti sunt, vel pro tempore erunt, a residentia, et pœnis hujusmodi excusentur, dummodo in earum altera in qua de Jure residere debent, vere, et personaliter resideant, exceptis tamen, ut præfertur, Ecclesiis Episcopalibus Urbi proximis, quibus Cardinales in ordine priores præesse solent : residentia enim, si quæ apud præfatas Ecclesias Titulorum Cardinalium fieret aliquam excusationem eisdem Cardinalibus, ut præfertur, non præstaret, quo minus ipsi in aliis, vel aliis Ecclesiis præfatis, quibus eos etiam pro tempore præfici contigerit, residere omnino teneantur. Quodque, ut præsentes, etc. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 12. Decembris 1634. Pon-

Digitized by Google

tificatus nostri anno duodecimo. » Tum etiam, quia si juxta Paulinam Constitutionem a Decanatu non repellitur Episcopus Cardinalis antiquior ex causa publica absens, et extra Curiam per Romanum Pontificem destinatus : ob eamdem quoque rationem repelli non debere videtur Episcopus Cardinalis antiquior, qui apud priorem Ecclesiam residet. Is enim vere a Romana Curia abesse dicitur ex causa publica, publicam scilicet particularis Ecclesiæ, cui præest, utilitatem, in qua publicum quoque universalis Ecclesiæ commodum continetur, respiciente. Præterea negari non potest quin ipse extra Curiam per Romanum Pontificem fuerit destinatus, dum idem Romanus Pontifex non modo illi prioris Ecclesiæ regimen destinavit, sed etiam, ut commissam sibi Pastoralis sollicitudinis partem cumulatius expleret, eum ad jugiter residendum apud Ecclesiam sibi destinatam, sub gravissimis in præinserta potissimum Urbani Prædecessoris Constitutione sancitis pœnis compulit, et obstrinxit. Accedit præmissis, quod ab ejusmodi exclusione Episcoporum Cardinalium antiquiorum extra Romanam Curiam in prioribus Ecclesiis residentium maximum illud promanat absurdum, quo alienæ mortis detestabile votum ingeritur : nam, sicut accepimus, et Nobis etiam ipsis evenisse non diffitemur, statim ac Cardinalis Sacri Collegii Decanus gravi et periculoso morbo laborat, illico Episcopus Cardinalis antiquior absens, qui ipsi in Decanatu successurus est, amicorum litteris ad Urbem quantocius repetendam incitatur, ut tempore obitus ejusdem Cardinalis Decani in Romana Curia præsens sit, adeoque ad eum ex Paulinæ Constitutionis præscripto Decanatus deferatur. Unde non sine gravi bonorum offensione, et Ecclesiasticæ disciplinæ detrimento, in Urbe conspicitur Episcopus Cardinalis antiquior, in Decanatu proxime successurus, qui Cardinalis Decani ægrotantis mortem exspectat, ut ad ipsum dignitas vacatura deveniat : contra saluberrimum Lateranensis Concilii monitum, relatum in cap. 2. de concessione Præbendæ, cujus verba sunt : « Ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum et Beneficium se crediderit successurum. Cum enim in ipsis etiam legibus Gentilium inveniatur inhibitum ; turpe est, et divini plenum animadversione judicii, si locum in Ecclesia Dei futuræ successionis expectatio habeat, quam ipsi etiam Gentiles condemnare curarunt. »

§ V. Nos itaque, qui deinde prædictum Sacri Collegii Cardinalium Decanatum absque ulla contentione ob illius vacationem retroactis mensibus secutam per obitum memorati Cardinalis Tanarii Decani, dum in Romana Curia præsentes essemus, et in Conclavi, ubi, Divina sic disponente clementia, ad summi Apostolatus fastigium evecti fuimus, reperiremur, præmissis omnibus, quantum cum Domino possumus, occurrere, et obviare, ac alias desuper opportune providere volentes : Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prælatis aliisque justis, et rationalibus causis animum nostrum moventibus adducti, hac nostra perpetuo valitura Constitutione sancimus, atque decernimus, quod Episcopus Cardinalis antiquior, qui una cum aliqua ex Cathedralibus Suburbicariis præfatis in Titulum Cardinalibus antiquioribus assignari solitis, aliam retinebit Cathedralem, seu Metropolitanam Ecclesiam in administratione, dummodo tamen apud ipsam secundo dictam Ecclesiam personaliter resideat tempore vacationis Decanatus ejusdem Sacri Collegii, de cætero ad ipsum Decanatum admitti debeat, et admittatur, perinde ac si occurrente illius vacatione in Romana Curia præsens fuisset, ita ut absentia ab Urbe ad præmissum effectum ei nullatenus obesse possit. Quin etiam volumus, et declaramus, ipsum Decanatum ad prædictum Episcopum Cardinalem antiquiorem absentem, et apud priorem Ecclesiam, ut præfertur actu residentem, ipso Jure devenire debere, eo prorsus modo, quo in Paulina Constitutione ad Episcopum Cardinalem antiquiorem in Curia præsentem, aut ex causa publica absentem, et extra Curiam per Romanum Pontificem destinatum devenire debere decernitur, ita quod inter eos nullum amplius discrimen, seu differentia constituatur ; ac ita perpetuis futuris temporibus servari præcipimus, et mandamus.

§ VI. Præterea expedire censentes, ut e medio tollatur, ac penitus exstinguatur alia pariter controversia, alias, sicut præmittitur, excitata, et non definita, utrum scilicet in assecutione sæpe memorati Decanatus Cardinalis antiquior in Episcopatu Suburbicario, et junior in Cardinalatu, præferendus sit Cardinali juniori in Episcopatu, sed antiquiori in Cardinalatu, vel e contra ; Motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, prælationem deberi Cardinali antiquiori in Episcopatu, licet sit junior in Cardinalatu, decernimus, et declaramus, ac ita deinceps in occurrentibus Decanatus vacationibus perpetuo servari volumus, et mandamus.

§ VII. Quoniam vero ab antiquo tempore, ac præsertim ab edita Paulina Constitutione usque ad præsentem diem, Cardinalis Sacri Collegii Decanus Ostiensis, et Veliternensis Ecclesiarum invicem perpetuo canonice unitarum Episcopatum semper obtinuit, adeoque sive ex præsumpta earum cum Decanatu unione, sive alio titulo, speciale jus ad ipsum fovere videtur, in quo mentis, ac intentionis nostræ non est, ut eidem Cardinali Decano præjudicium aliquod deferatur : contingere autem facile potest, quod Episcopus Cardinalis antiquior a Romana Curia absens, et apud suam priorem Ecclesiam residens, ad quem Decanatus ex præmissis in posterum deveniet, ad Urbem celeriter accedere, et primo Consistorio, in quo memoratum Ostiensem, et Veliternensem Episcopatum optare deberet, præsens interesse nequeat : Motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, optionem prædictarum Ostiensis et Veliternensis Ecclesiarum Cardinali, qui pro tempore fuerit ejusdem Sacri Collegii Deca-

Digitized by Google

nus, specialiter reservamus, ac reservatum esse volumus, et declaramus, ita ut earumdem Ecclesiarum Episcopatum nemo alius optare unquam possit, sed ad Card. Decanum prædictum privative quoad alios quoscumque perpetuis futuris temporibus ejusmodi optio pertineat, ac pertinere debeat. Volumus tamen, atque decernimus, quod idem Episcopus Cardinalis antiquior a Curia absens, et apud priorem Ecclesiam, ut præfertur, residens, postquam ad eum Sacri Collegii Decanatus devenerit, quantocius poterit, ad Urbem se conferre, Summoque Pontifici in Consistorio, ut moris est, pro optione earumdem Ostiensis, et Veliternensis Ecclesiarum supplicare teneatur. Quod si notoria ægritudine fuerit impeditus, vel ob aliam justam, et gravem causam a Romano Pontifice pro tempore existente probandam, ad Urbem venire nequiverit: Motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, eidem Cardinali Decano, ut in prænarratis casibus per suum legitimum Procuratorem antedictas Ostiensem, et Veliternensem Ecclesias optare, et vigore optionis hujusmodi eas assequi libere, et licite possit, et valeat, non secus, ac ipse præsens personaliter illas optasset, licentiam, et facultatem in Domino concedimus, et impertimur.

§ VIII. Decernentes præsentes Litteras, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod supradicti, et alii quicumque in præmissis jus, vel interesse habentes, aut habere prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, ac auditi, et causæ propter quas præsentes amanarunt, verificatæ, seu alias sufficienter, aut etiam in aliquo justificatæ non fuerint, seu aliis quibusvis de causis, quantumvis urgentibus, ullo unquam tempore a quoquam de subreptionis, vel obreptionis, vitio, aut intentionis nostræ vel alio quolibet quantumvis magno, formali, et substantiali defectu notari, impugnari, retardari, invalidari, aux ex quovis quæsito prætextu, vel colore in controversiam vocari, ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut quempiam impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, uti nullatenus posse; nec sub quibuslibet similium, vel dissimilium Constitutionum, sive dispositionum, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores, et Successores Nostros, ac etiam per Nos factarum, et faciendarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi: sed easdem præsentes Litteras semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, ac obtinere, nec non prædictis S. R. E. Cardinalibus a Romana Curia absentibus, et apud suas priores Ecclesias, ut præfertur, actu residentibus plenissime suffragari: ab omnibus vero aliis, ad quos spectant, et pro tempore quandocumque spectabunt, inviolabiliter, et inconcusse observari debere; sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et Cardinales, etiam de Latere Delegatos, nec non quascumque eorumdem Cardinalium Congregationes, et quosvis alios qualibet auctoritate, præeminentia, et potestate fungentes, et quandocumque functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis judicandi, et interpretrandi facultate, judicari, et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ IX. Non obstantibus præinserta Constitutione Pauli IV. Prædecessoris nostri, et præinserto similiter Consilio, seu Voto Congregationis septem Præsulum a fel. rec. Clemente XI Prædecessore etiam Nostro deputatorum, ab eo, ut præfertur, specialiter approbato, nec non Decretis Consistorialibus san. mem. Pauli III. et S. Pii V. Romanorum Pontificum pariter Prædecessorum Nostrorum, et constitutione san. mem. Innocentii Papæ X. Prædecessoris itidem Nostri super residentia ejusdem S. R. E. Cardinalium apud Sedem Apostolicam, et quibusvis Nostris, et Cancellariæ Apostolicæ Regulis, et signanter illa de Jure quæsito non tollendo, et alia, quod Cardinales in Constitutionibus, et Regulis per Nos edendis non comprehendantur, nisi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel de ipsorum, seu majoris partis eorum consilio editæ fuerint, et quibusvis aliis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, et aliis Decretis Consistorialibus quibuscumque, nec non dicit Sacri Collegii, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, Decretis, Statutis, usibus, stylis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, et indultis, ac litteris Apostolicis quibuscumque sub quibusvis tenoribus et formis, et cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis Decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, et consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, confirmatis, et approbatis, ac pluries, et quantiscumque vicibus innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quælibet alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, formas, causas, et occasiones præsentibus pro plene, et sufficienter, et exactissime expressis, insertis, servatis, et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, et ex-

Digitized by Google

presse, ac plenissime, et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus, et mandamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§ X. Volumus autem, etc.

§ XI. Nulli ergo omnino, etc.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1724, septimo Idus Septembris Pontificatus Nostri Anno primo.

21. Sanctissimi D. N. D. Clementis Pp. XII Constitutio, qua prævia confirmatione, et innovatione alterius Constitut. san. mem. Papæ Pauli IV. anno 1555. editæ decernitur, Decanatum Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii ipso Jure deferendum esse Cardinali antiquiori Episcopo, qui tempore vacationis ipsius Decanatus, in Romana Curia præsens, vel ex causa publica ac Romani Pontificis destinatione dumtaxat, non tamen ratione residentiæ apud aliam Ecclesiam sibi commissam, a dicta Curia absens fuerit; aliaque insuper statuuntur, et ordinantur tam circa ejusmodi Decanatum, quam circa sex Episcopatus suburbicarios, eisdem Cardinalibus assignari solitos pro Titulo sui Cardinalatus cum clausulis, et derogationibus opportunis.

CLEMENS PAPA XII.

Pastorale Officium, quo Dominici gregis regimini per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, præsidemus, exigit, ut inter gravissimas multiplicesque Apostolicæ servitutis curas, quibus assidue premimur, ad ea, quæ Sacrum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegium, Sedis Beati Petri, et Universæ Ecclesiæ Senatum amplissimum spectant, rite ac recte constituenda, atque ordinanda peculiari studio advigilemus. Dudum siquidem fel. rec. Paulus Papa IV. Prædecessor Noster provide considerans, eosdem S. R. E. Cardinales in partem Apostolicæ sollicitudinis vocari, ut pro tempore existenti Romano Pontifici in ipsius Universalis Ecclesiæ administratione assistant, isque eorum consilio agenda disponat, ac partem præcipuam Sacri Corporis, et membra ipsius Romani Pontificis existere; simulque attendens dicti Collegii Cardinalium Decanum singulari negotiorum hujus Sanctæ Sedis notitia, ac peritia, quæ absque diutina continuaque in Romana Curia residentia vix haberi potest, præditum esse oportere, habita super his cum tunc existentibus ejusdem S. R. E. Cardinalibus in Consistorio suo Secreto matura deliberatione, de illorum consilio, et unanimi assensu sancivit, quod Decanatus prædicti Sacri Collegii de cætero perpetuis futuris temporibus ad Episcopum Cardinalem antiquiorem in Curia præsentem, aut ex causa publica absentem, et extra Curiam per Romanum Pontificem destinatum devenire posset, et alias prout in Constitutione ipsius Pauli Prædecessoris anno Incarnationis Dominicæ 1555, undecimo Kal. Septembr. Pontificatus sui anno primo desuper edita uberius continetur.

§ I. Cumque postmodum subortum fuisset dubium, an juxta sensum istius Constitutionis, Decanatus hujusmodi deferri deberet Episcopis Cardinalibus promotione antiquioribus, qui, occurrente dicti Decanatus vacatione, ab ipsa quidem Curia abessent, sed apud Metropolitanas seu Cathedrales Ecclesias residerent, quarum regimen et administrationem una cum aliqua ex sex Cathedralibus Ecclesiis Suburbicariis, quæ Cardinalibus antiquioribus pro titulo sui Cardinalibus assignari consueverunt, ex concessione Apostolica retinerent, rec. mem. Clemens Papa XI. Prædecessor etiam noster hujus quæstionis, quam dirimi volebat, discussionem commisit septem ejusdem Curiæ Prælatis doctrina, prudentia, et integritate præstantibus, qui re universa accuratissime, ut par erat, expensa, unanimiter censuerunt, minime suffragari ipsis Episcopis Cardinalibus antiquioribus ad hujusmodi Decanatum obtinendum, eorum a Romana Curia absentiam ex causa suæ residentiæ apud Metropolitanas, seu Cathedrales Ecclesias, quibus ex Apostolica dispensatione præerant; quam quidem sententiam idem Clemens Prædecessor non modo probavit, ac perpetuis itidem futuris temporibus inconcusse observari mandavit, sed insuper in suo quoque Consistorio Secreto die 3. mensis Martii 1721. habito, palam recitari, et inter acta Consistorialia deferri, et custodiri jussit.

§ II. Quamquam vero piæ memoriæ Benedictus Papa XIII. Prædecessor pariter noster per quasdam sub plumbo anno item Incarnationis Dominicæ 1724. septimo Idus Sept. Pontificatus sui anno primo, absentiam a Curia præfata Episc. Cardinalibus antiquioribus, dummodo apud Metropolitanas, seu Cathedrales Ecclesias, quas in administrationem obtineant, personaliter resideant, in assecutionem ejusdem Decanatus nullatenus obesse, sed Decanatum hujusmodi ipso Jure deferri prædictis Episcopis Cardinalibus antiquioribus absentibus, et apud dictas Metropolitanas, seu Cathedrales Ecclesias actu residentibus, statuere tunc opportunum duxerit, prout in ejus Litteris præfatis, quarum perinde ac supradictæ Pauli Prædecessoris Constitutionis tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et ad verbum insertis haberi volumus, plenius etiam continetur. Nos tamen ad gravissima, quibus memorata Pauli Prædecessoris Sanctio niti dignoscitur rationum momenta, nostræ dirigentes considerationis intuitum, aliisque justis, et rationabilibus causis animum nostrum moventibus adducti, post deliberationem, quam super præmissis cum pluribus Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. prædictæ Cardinalibus habuimus diligentem, de eorum consilio, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione illam Pauli Prædecessoris confirmantes, ac innovantes, decernimus, ac mandamus, ut deinceps quotiescumque Decanatus prædictus quomodolibet vacaverit, ipso Jure in eumdem Decanatum succedat Episcopus Cardinalis an-

Digitized by Google

tiquior, qui tempore illius vacationis in dicta Curia præsens sit, vel qui ex causa publica, et Romani Pontificis destinatione dumtaxat, non tamen ratione, seu ex causa residentiæ in Metropolitana, seu Cathedrali Ecclesia, cujus regimen et administrationem ex Indulto Apostolico retineat, ab eadem Curia tunc temporis absens reperiatur.

§ III. Quod vero attinet ad alteram controversiam alias circa ipsum Decanatum excitatam, num scilicet in ejus assecutione Cardinalis anterior in Ordine Episcopali, sed posterior in Cardinalatu, præferendus esset Cardinali posteriori in Ordine Episcopali, sed anteriori in Cardinalatu; declarationem a Benedicto Prædecessore in Litteris suis præfatis desuper editam tenore præsentium approbantes, pro majori illius firmitate, ac potiore cautela, iterum statuimus, antiquitatem inter Episcopos Cardinales in dicta Curia præsentes non esse metiendam, sive ducendam a tempore suæ promotionis ad Cardinalatus honorem, sed a tempore eorum ingressus in Ordinem Episcopalem, ita ut Decanatus ejusdem Sacri Collegii ad antiquiorem in Ordine Episcopali, tametsi posteriorem in Cardinalatu, pervenire debeat, et qui prius alicui ex dictis sex Ecclesiis Suburbicariis præfectus fuerit, præferatur in assecutione Decanatus hujusmodi alteri, qui ante ipsum ad Cardinalatus dignitatem promotus fuisset.

§ IV. Ad hæc sancimus, atque declaramus, nonnisi a Cardinalibus, qui fuerint in præfata Curia præsentes tempore ipso vacationis alicujus ex dictis sex Cathedralibus Ecclesiis Suburbicariis pro titulo Cardinalatus assignari solitis, vel ab eadem Curia absentes similiter ex causa publica, et destinatione Romani Pontificis tantum, non tamen ex causa residentiæ apud aliam sibi commissam Ecclesiam, ut præfertur, optari posse Cathedralem Ecclesiam Suburbicariam sic vacantem, nec Cardinales ab ipsa Curia absentes, præterquam in solo casu superius expresso, ad optionem ejusmodi etiam per Procuratorem ex eodem Collegio specialiter deputatum admittendos fore: revocantes proinde, et cassantes, irritaque prorsus, et inania decernentes quælibet Indulta optandi Ecclesias Suburbicarias præfatas in absentia, ac per Procuratorem, ex alia quacumque causa, etiam residentiæ apud alteram Ecclesiam a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris hactenus forsan concessa, quæ tamen nondum sint executioni demandata. Licetque nobis persuasum sit, Successores nostros ejusmodi Indulta, quæ non modicum eisdem Suburbicariis Ecclesiis, earumque Diœcesibus inferre possent detrimentum, minime esse concessuros, sicuti nos ipsi ab eorum concessione omnino abstinere intendimus, nihilominus, si quæ contra hanc nostram dispositionem, quandocumque, et qualitercumque contigerit, illa subreptitie obtenta censeri debere, nullique propterea perinde ac si non emanassent, suffragari posse, itidem statuimus.

§ V. Porro si quando evenerit Cardinales, Patriarchali, Primatiali, Archiepiscopali, vel Cathedrali Ecclesiæ præfectos, in dicta Curia, ex legitima causa, aut Sedis Apostolicæ licentia præsentes tunc reperiri, cum factus fuerit locus vacationi alicujus ex sex Ecclesiis Suburbicariis hujusmodi, nostræ ac Romani Pontificis pro tempore existentis partes erunt, animum sedulo advertere, et deliberare, dum absolventur a vinculo, quo priori Ecclesiæ tenentur, ad effectum optandi, et assequendi Ecclesiam vacantem ex dictis Suburbicariis, utrum expediat eis concedere administrationem, seu alio nomine retentionem alterius Ecclesiæ, cui antea præerant, ac in primis utrum ambæ sint invicem adeo propinquæ, ut pastoralem curam utique commode impendere, suumque ministerium recte implere valeant. Cæterum non possumus non summopere eos commendare, qui ut omnem curam, et studium suum in utilitatem Ecclesiæ jam sibi commissæ conferre pergant, ne de vigilantia ei debita quidquam detrahatur, ultro ab ejusmodi optione abstinent; quemadmodum superioribus temporibus plures Cardinales, memores saluberrimi illius Tridentinorum Patrum moniti (valde nimirum felicem illum esse censendum, qui unam Ecclesiam bene, ac fructuose, et cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit) summa cum laude fecerunt.

§ VI. Præterea considerantes Cardinalibus veteri more facultatem competere optandi aliam ex sex Suburbicariis Ecclesiis, quoties vacaverint, dimissa priore, quæ sibi in Titulum assignata fuerat: id vero si frequenter fiat, spirituale incommodum afferre posse gregibus, quorum Pastores ita crebro mutentur, volumus, ut in posterum Cardinales, qui ab Ordine Presbyterorum ad illum Episcoporum ascendentes, unam ex prædictis Ecclesiis Suburbicariis obtinuerint, deinceps ad aliam priore dimissa, ac Romano Pontifice approbante, semel tantum, transire possint; salva tamen illis semper, atque illæsa facultate optandi orævia dimissione prioris, Ecclesiam Ostiens. quæ peculiaribus gaudet prærogativis, ac præsertim illa, quod Cardinalis, qui ei præest, Pontificem Maximum solemni ritu, Pallio etiam adhibito, consecrare soleat.

§ VII. Demum etsi minime dubitemus, quin Venerabiles Fratres nostri ipsius S. R. E. Cardinales Episcopi sex Cathedralium Ecclesiarum præfatarum, omnibus incumbentis sibi muneris partibus cumulate hactenus satisfecerint, idemque post hac de eis, nec non aliis, qui ejusmodi Ecclesiis præficientur, Nobis merito polliceamur; pro nostra tamen Pastorali sollicitudine, quæ numquam in hoc nimia esse potest, ad eorum memoriam revocandum duximus, teneri ipsos, etiamsi in dicta Curia, ut Romano assistant Pontifici, commorentur, Ecclesias, et Diœceses suas ad præscriptum Sacrorum Canonum, et Decretorum Concil. Trid. visitare per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum Vicarium in Spiritualibus generalem, aliumve orobum, et ad id idoneum

Digitized by Google

Virum Ecclesiasticum, nec non relationem status earumdem Ecclesiarum, et Diœcesum, quibus præsunt, ipsi Pontifici, juxta Constitutionem similis memoriæ Sixti Papæ V. Prædecessoris quoque nostri, quæ incipit : *Romanus Pontifex*, etc., exhibere, ac cætera, quæ ad Episcopale Officium pertinent, diligenter præstare. Qua sane in re maxime decet eos pro sublimi, quem in Ecclesia Dei tenent, honoris, et Dignitatis gradu, aliis omnibus Antistitibus exemplo, quod ii sequantur, prælucere.

§ VIII. Decernentes pariter, ipsas præsentes Litteras, et in eis disposita quæcumque etiam ex eo, quod ejusdem S. R. E. Cardinales in præmissis Jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, seu auditi fuerint, sive ex alia quacumque causa, colore, prætextu, et capite etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aliove quolibet etiam formali, et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam vocari, vel adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, vel etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio vel extra illud uti, seu se juvare posse. Sed easdem præsentes Litteras semper, et perpetuo firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia inviolabiliter observari, et illis respective plenissime suffragari, sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum palatii Apostolici Auditores, ipsosque Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Sacrum Collegium, et quosvis alios quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ IX. Non obstantibus præmissis, et præsertim supradictis Benedicti Prædecessoris Litteris aliisque quibusvis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, ac nostris, et Cancellariæ Apostolicæ regulis, etiam quatenus opus sit, illa de Jure quæsito non tollendo, et alia quod Cardinales in Constitutionibus et Regulis per Nos edendis non comprehendantur, nisi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel de ipsorum, seu majoris partis eorum consilio editæ fuerint, nec non decretis Consistorialibus, dictique Sacri Collegii, aliisque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, stylis, usibus, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, facultatibus, indultis, et litteris Apostolicis eisdem Collegio, et Cardinalibus sub quibusvis verborum tenoribus, et formis; ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritationibus, et aliis decretis etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, et alias quomodolibet, et ex quavis causa etiam hic forsan necessario exprimenda in contrarium præmissorum concessis, emanatis, editis, confirmatis, approbatis, ac pluries, et quantiscumque vicibus innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse, ac plenissime, et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus, et mandamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§ X. Volumus quoque, etc.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 10. Januarii 1731, Pontificatus nostri anno primo.

(22. Cardinales Episcopi per Ecclesiasticam Ditionem, quibus honoribus prosequendi sint a Gubernatoribus, Vicelegatis, et Præsidentibus, assignatur a Bened. XIV. *t.* 2. *Bullar. in Append. n.* 2. (23. Cardinales tam in Urbe, quam in aliis civitatibus degentes, quando visitari debeant a Prælatis, et aliis, designatur *ib. n.* 5.

(24. Plura de Cardinali Summo Pœnitentiario, vide verb. *Pœnitentiaria*, etc. De Cardinali Vicario Urbis, vide verb. *Vicarius Urbis*.

ADDITIO AUCTORIS.

(25. De Cardinalatus Dignitate, prima in Ecclesia post Pontificatum, consule Platum *de Cardinalis Dignitate et officio, cap.* 3. *fer. per tot.*

(26. Illud vero hic non omittendum, quod cœperunt primum Episcopi Cardinales aliis omnibus Episcopis anteire, et eo quoque postea Cardinales alii sensim pervenire. (27. Licetque jam post medium sæculum undecimum, et sæculo duodecimo legantur quandoque omnes Cardinales antepositi etiam Archiepiscopis in Conciliis Romano, ac Beneventano, et in Galliis, non hæc tamen fuit iis semper prærogativa. (28. In Concilio vero Lugdunensi I. anno 1245, sederunt omnes in eminentiori loco ante Archiepiscopos. (29. Immo et in Concilio Lugdunensi II, anno 1274. ante Latinos, Constantinopolitanum, et Antiochenum Patriarchas.

Digitized by Google

(30. Consule tum de his, tum de aliis pertinentibus ad eminentiam Cardinalium præ Episcopis, Thomassin. *de vet. et nov. Eccles. disciplin. lib.* 2. *cap.* 113. *et seq. ubique fer. per totum.*

ADDITIONES CASINENSES.

(31. Cardinalium dignitas non semper in eo splendore fuit, uti nunc est, etenim Episcopi olim præeminebant Cardinalibus non Episcopis, imo Cardinalatus erat gradus ad Episcopatum. In Concilio Romano sub Benedicto VIII. *anno* 1015. subscripserunt plures Episcopi non solum ante Cardinales Presbyteros, sed etiam ante Episcopos ejusdem S. Collegii, prout vel Archiepiscopi erant, vel Ordinationis ævo seniores. (32. Postea vero paulatim Cardinalium dignitas assurgere cœpit supra ipsos Episcopos, Metropolitanos, et Primates omnes, ac etiam supra Patriarchas Latinos, Constantinopolitanum et Antiochenum; uti patet ex monumentis, quæ ex Conc. General. Lugdun. I. et II. sub. Innocentio IV. et Gregorio X. habitis refert Eugenius Papa in epist. quam dedit ad Cantuariensem Episcopum. (33. Cujus rei duplicem assignat rationem Bellarminus, alteram quod ad solos Cardinales devoluta sit electio Pontificis, alteram quod soli Cardinales cœperint illi adesse in consiliis. Id tamen testatur Sigonius initium habuisse circa annum Christi 1059. cujus sententiæ suffragatur S. Petrus Damiani, qui hoc tempore floruit, ipse enim apud eumdem Sigonium, « Romani, inquit, Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt, et quibusdam aliis prærogativis non modo quorumlibet Episcoporum, sed Etiam Patriarcharum atque Primatum jura transcendunt. » Idem patet ex Concil. Romano eodem anno habito sub Nicolao II Pontifice, et ex Conc. Beneventano, in quo, cum Hildebrandus R. Ecclesiæ Subdiaconus Cardinalis renunciatus esset, Cardinales omnes Archiepiscopis ipsis antepositi fuere. Neque obstat, quod circa annum 1148. cœtus ipse Cardinalium in concione objurgatoria adversus Eugenium III. qui rebus fidei nimis detulerat S. Bernardo, ipsis inconsultis, aperte fateatur, Patriarchas nempe Antiochenum et Alexandrinum, etc., esse Cardinalibus majores, ut videre est apud Baronium *tom.* XII. *pag.* 351. Nam id intelligendum quoad aliquas prærogativas vel Ordinis, vel Jurisdictionis. (34. Aliqui, uti Thomassinus, aliam addunt causam, qua factum sit, ut tantum esset studium attollendæ Cardinalium dignitatis. Etenim extorquenda erat Germanis Imperatoribus ea potestas, quam usurpaverant in Pontificis electione, unde non poterat nimius esse amor ac conatus, Cardinalium potestatis extollendæ, quæ Imperatoriæ objicienda erat.

(35. Principaliter antiquitus Cardinales Episcopi Pontificem eligebant, uti patet ex decreto Concilii Romani, quod adfert auctor, ac etiam ex S. Petro Damiani *Epist. ad Cadaolum Episc. Parmens. lib. I. Epist.* 20. « Taceamus interim de Senatu, de inferiori ordinis Clero, de populo : Quid tibi de Cardinalibus videtur Episcopis, qui videlicet Romanum Pontificem principaliter eligunt, et quibusdam aliis prærogativis non modo quorumlibet Episcoporum, sed et Patriarcharum atque Primatum jura transcendunt. » (36. Nunc vero standum est novissimis Apostolicis Constitutionibus quoad Pontificis electionem, juxta quas pares videntur Cardinalium omnium partes, quamvis ad eam plurimum conferunt consilio et auctoritate Episcopi Cardinales, utpote seniores.

(37. Episcopus Ostiensis ab antiquissimis Ecclesiæ temporibus Pontificem consecrabat, teste ipso S. Augustino *in Brevic. collat. diei* 3, *cap.* 16, et cum Anacletus Papa declaraverat sæc. secundo, Episcopi consecrationem a tribus Episcopis peragendam esse, videtur Episcopos assistentes Consecratori de jure esse debere Cardinales Episcopos Suburbicarios. Anastasius enim de S. Leone II. hæc refert : *Sanctissimus vir ordinatus est a tribus Episcopis, id est Andrea Ostiensi, Joanne Portuensi, et Placentino Veliterniensi, pro eo quod Albanensis Ecclesia Episcopum minime habuit.* Sed tale jus ad Episcopum Ostiensem pertinet, prout hujus diœcesis Episcopus est, non prout Decanus Sacri Collegii, ac ita Sixtus IV, anno 1471, consecratus fuit ab Episcopo Ostiensi, qui non erat S. Collegii Decanus, teste Illmo. Archiep. Borgia, *liq.* 4, *Hist. Velitern.*

(38. Primum Rom. Pontifex sua purpura donavit Cardinales Legatos. Græcus Scriptor agens de Pelagio Episcopo Cardinali Albanensi Legato Constantinopolim misso anno 1213, inquit : *Papæ prærogativas omnes referens*, etc. *Namque calceos rubros induebat, neque diversi coloris indumentis amiciebatur, quinimo equi sagulum et fræna eodem inficiebantur veneno.* Rainald. *n.* 6. Idem videtur confirmari posse ex Innocentio III, in Decretali *l. Antiqua De Priv.*, ubi affirmat, Legatum Pontificium uti insigniis Apostolicæ dignitatis. Postea vero in Conc. Lugdunen. IV, anno 1248, ut refert auctor, purpureo Galero condecorati sunt Cardinales omnes, ac aliqui existimant, id præcipue factum fuisse, ut incitarentur ad sanguinis effusionem propter Ecclesiæ incolumitatem. Thom. *de Vet. et nov. Eccl. Discip., par.* 1, *l.* 2, *cap.* 13, § 7.

(39. Non admodum vetusta est consuetudo mittendi pileum ad absentes. Joannes XXII, interpellatus a Galliæ Rege anno 1316, ut rubrum pileum mitteret ad Gallum Cardinalem nuper creatum, recusavit adducens veterem consuetudinem, per quam id minus liceret : *Quia neque Prædecessores nostri Romani Pontifices consueverunt extra Curiam hujusmodi pileos mittere;* addidit autem a temporibus S. Ludovici Pileum Cardinalitium non esse missum, nisi ad duos Angliæ Nuntios, cum necessitas postularet eorum dignitatem augeri, ut vis et pondus accederet illorum statutis. Clemens VI, cum Cardinalem renuntiasset Abbatem S. Dionysii, commisit Pileum tribus Episcopis, et in Epistola, quam ad illum dedit, admonuit : se

Digitized by Google

servare non posse, majorum consuetudinem, *qui recens ad Cardinalatum evectus non prius rubro Capello uteretur, quam illum de manu Pontificis suscepisset*, quia certius factus esset, gravissima esse negotia, propter quæ a rege divelli non posset. Id propterea factum putamus cum Thomassino, quia cum prius Cardinalatus sua natura esset beneficium Diaconi, Presbyteri, vel Episcopi, residentiæ lege Cardinales subjiciebantur, postea vero cum spectari cœpisset ut mera dignitas, non potuit illis exui dotibus, quæ sibi connaturales erant. Vide Thom., *loco cit. cap.* 14. §§ 14. 15. Hodie quoque pileus non mittitur ad absentes, sed ejus loco Pontifex mittere solet ad Cardinalem noviter electum purpureum birretum, quo utitur donec accipere possit a Pontifice pileum in Consistorio Cardinalium.

ARTICULUS III.

Quoad Cardinalium residentiam, et eorum iurisdictionem in suis titulis aut diaconiis.

(1. Cardinales tenentur residere in suis Titulis; *cap. Ex gestis* 2. *de Clericis non residentibus.* (2. Alias si canonice moniti non redeant, et resideant, sunt privandi, ut de facto fuit privatus Cardinalis Anastasius a Leone IV, in Concilio Romano; *cit. cap. Ex gestis*, ibi: *In Synodo Anastasius Presbyter Cardinalis tituli Beati Marcelli ab omnibus canonice est depositus, eo quod Parochiam suam per annos quinque contra Canonum instituta deseruit, et in alienis usque hodie demoratur.* (3. Cardinales tamen non residentes privari non debent, nisi legitime moniti non redeant. Debent enim prius canonice, et legitime moneri, ut redeant, ut constat ex *cit. cap. Ex gestis* per illa verba: *Canonice est depositus;* et per verba Leonis IV, in dicto Concilio Romano, ibi: *quem etiam auctoritate suffulti canonice Apostolicis Litteris per tertiam, et quartam vicem vocavimus;* et ex cap. *Inter quatuor* 10. *et cap. Clericos* 17, *de Clericis non residentibus.* (4. Alias quantumcumque vagabundi discurrant ante legitimam, et canonicam monitionem, ut redeant, non sunt privandi; *cap. Ex tuæ* 11, *de Clericis non residentibus*, et tenet Glossa ultim., *in d. cap. Ex gestis* et ibidem Hostiens. *n. 4. in verb. Canonice*, et Fagnanus, *n.* 9. (5. Cardinales sic contumaciter non residentes possunt deponi sine Concilio. Quamvis enim in *d. cap. Ex gestis* dicatur: *ab omnibus est depositus*, tamen Glossa 1, exponit verbum, *ab omnibus*, id est *approbantibus*, quoniam solus Papa hunc Cardinalem deposuit, ut patet ex verbis ipsius Concilii Romani sub d. Leone IV. ibi: « Tunc elevans se præclarus Pontifex de Sede sua, ait, Anastasium jam nuper excommunicatum Presbyterum Tituli Sancti Marcelli, qui propriam Parochiam relinquens, in aliena per multa tempora nititur immorari, a Sacerdotali ministerio modis omnibus removemus, ita ut locum restitutioni nequaquam inveniat. » Et revera in Summo Pontifice absque Concilio residet plenitudo potestatis, ut est *text. notab. in cap. Cuncta per mundum* 16, *caus.* 9, *quæst.* 3, ibi: *Apostolica Sedes sine ulla Synodo præcedente, et solvendi quos Synodus inique damnaverat, et damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit, habuit facultatem, et hoc nimirum pro suo Principatu, quem Beatus Petrus Apostolus Domini voce tenuit semper, et tenebit.* (6. Ideoque Bonifacius VIII. Cardinales Columnenses sine Conc. deposuit, ut patet *ex cap. unic. de Schismat. in* 6. (7. Immo Cardinales sic contumaciter non residentes possunt deponi a Papa etiam sine consilio, et consensu aliorum Fratrum Cardinalium. In solo enim Papa plenitudo residet potestatis; *cap. ad honorem, de usu Pallii, et arg. cap. Proposuit, de concession. Præbend.* et facit Constitutio Innocentii X, incip. *Cum juxta*, ubi disponitur etiam de imponenda pœna privationis Cardinalatus, et legitur hæc sequens clausula: *Perinde ac si in Consistorio nostro secreto de eorumdem Venerabilium Fratrum nostrorum consilio, et unanimi assensu emanassent.* Et est communis opinio, quod Papa possit ardua expedire, etiam sine consilio, et assensu Fratrum, ut testatur Gemin. *in cap. Super eo, circa med. vers. communis conclusio*, Decius *in Rubric. de Constitut. in* 2, *lect. num.* 10. et Felin. ibi, *n.* 2. *vers. sed quod immo Papa;* ubi hanc partem solidissime comprobat, et plurimos citat idem sentientes, et contrariam opinionem dicit procedere de honestate; prout etiam loquitur textus *in cap. per venerabilem* 13. *Qui filii sint legitimi*, § *Rationibus.* (8. In quo tantam vim faciunt adversarii, quod et nos ultro fatemur, nempe quod Papa de honestate non debet Cardinalem deponere, vel alia ardua expedire sine Fratrum consilio; *arg. cap. Unic. de schismat. in* 6, *cap. ad Apostolicæ, de re jud. in* 6, *et cap. de renuntiatione etiam in* 6.

(9. Cardinales non possunt a Romana Curia abscedere sine licentia Papæ. Leo X, in *Constitut.*, incip. *sub pœna* edit. in Conc. Lateran. § 28. Innocent. X, in *Constit.* incip. *Cum juxta*, edita 19. *Februar.* 1646. Et ratio est, quia Cardinales sunt Collaterales Papæ; *c. Excommunicatis, de Offic. Legat.* et debent ei assistere tanquam Coadjutores in executione Pastoralis Officii; *c. Per venerabilem, qui Filii sint legitimi*, § *Rationibus*, et Constitutio Sixti V incipiens, *Postquam verus.* Sunt enim Cardinales membra, et pars Corporis Papæ; *l. Jurisperitos, ff. de excusat. tutor. leg. quisquis*, ibi: *Senatores etiam, nam et ipsi pars Corporis nostri sunt: C. ad leg. Jul. Majestat., c. Si quis* 6. *qu.* 1. *c. Felicis, de pœnis in* 6, adeoque contra naturam rei est, ut se ab illius latere subducant; nam et a Capite non licet membra recedere; *cap. Cum non liceat, de rescript.* (10. Et ideo Summi Pontifices varias constituerunt pœnas contra Cardinales recedentes a Romana Curia sine Papæ licentia, et extra ipsam commorantes, ac inter alios Leo X. d. *Constit.* incip. *Sub pœna*, ibi: « Et cum Cardinalis Officium in primis versetur in frequenti Romani Pontificis assistentia, et Sedis Apostolicæ negotiis;

Digitized by Google

propterea statuimus, ut omnes Cardinales in Romana Curia resideant, et qui sunt absentes, si in Italia, intra sex menses, si extra Italiam, infra annum a die publicationis præsentis Constitutionis revertantur, alioquin fructus Beneficiorum, et omnium Officiorum suorum emolumenta amittant, omnibusque privilegiis generaliter, et specialiter Cardinalibus concessis, quando abfuerint, omnino careant; exceptis tamen illis, quos ratione Officii ab Apostolica Sede injuncti, vel de Romani Pontificis mandato, aut licentia, vel justo metu, aut quavis alia legitima causa impediente, vel ægrotationis abesse contingat, privilegiis, indultis, et immunitatibus eisdem Cardinalibus concessis, et in Bulla nostra sub data Coronationis nostræ contentis, et expressis in suo robore nihilominus permanentibus. » (11. Et Innocentius X in dict. *Constit.* incip. *Cum juxta*, cujus tenor per partes singulas, quæ octo sunt, compendiose hic adducitur, prout refertur a Fagnano *in cap. Ex gestis* 2. *de Clericis non residentibus num*, 33.

In prima igitur ponitur Constitutionis causa, nempe obligatio Cardinalium residendi apud Papam in Romana Curia, Decreta contra sic recedentes edita, et illorum transgressores.

In secunda, ibi : *Quia vero*, Cardinales, qui post Bullam non obtenta Papæ licentia se transferunt extra statum Ecclesiasticum; primo privilegiis, et indultis omnibus etiam Beneficia conferendi, Pensiones, et fructus Ecclesiasticos transferendi, et facultate testandi privantur, et ab ingressu Ecclesiæ interdicuntur, ultra alias pœnas arbitrio Papæ infligendas, mandaturque deveniri ad sequestrum fructuum, Officiorum, et Beneficiorum, nec non pensionum, ac fructuum reservatorum. Secundo, si infra sex menses a die recessus ad Curiam non redierint, privantur iisdem fructibus arbitrio Papæ distribuendis. Tertio, si non redierint infra alios sex menses immediate sequentes ultra memoratas pœnas, privantur omnibus Officiis, Beneficiis, pensionibus, et fructibus reservatis, ut supra distribuendis.

In tertia, ibi : *Cardinales autem*, Cardinales qui ante Bullam sine licentia Papæ extra statum Ecclesiasticum jam se transtulerunt, si infra sex menses a die publicationis non redierint ad Curiam; primo, interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, privantur facultate testandi, ac privilegiis, et indultis prædictis, nec non fructibus Officiorum, Beneficiorum, ac Pensionum. Secundo, si non redierint infra alios sex menses immediate sequentes, ipsis Officiis, Beneficiis, Pensionibus, ac fructibus reservatis privantur.

In quarta, ibi : *Si autem Cardinales*, statuitur ut contra Cardinales, qui ante Bullam sine licentia Papæ extra statum Ecclesiasticum jam se transtulerunt, aut post Bullam se transferent, si per alios tres menses immediate sequentes, qui pro tribus canonicis monitionibus, ac peremptoriis terminis assignantur, et sic in totum infra quindecim menses ad Romanam Curiam non redierint, deveniri possit ad alias pœnas per Summum Pontificem declarandas etiam usque ad privationem dignitatis Cardinalatus inclusive.

In quinta, ibi : *Ac demum*, Cardinalibus, qui de cætero sine dicta licentia extra statum Ecclesiasticum jam se transferent, adimitur facultas substituendi Cardinalem Prælatum, vel alium quemcumque in suis Officiis, Legationibus, Præfecturis, Guberniis, Protectionibus, nec non administrationibus Tituli, vel Diaconiæ, aut etiam Episcopatus, et Ecclesiarum etiam Patriarchalium, ac Beneficiorum quorumcumque, et cassantur indulta super his concessa.

In sexta, ibi : *Ab omnium*, declaratur ab antedictis pœnis non excusari Cardinales prætextu servitii, aut jussu etiam Imperatoris, et Regum, aut distantiæ locorum, nisi ex causa in corpore juris clausa, coram Papa allegata, et expresse admissa. Præservatur tamen *Const.* Urb. VIII. super residentia Episcoporum etiam Cardinalium.

In septima, ibi : *Ac ulterius*, reservatur Papæ absolutio, et relaxatio earumdem pœnarum privative etiam quoad Collegium Cardinalium Sede vacante.

In octava, ibi : *Decernentes*, præmissorum observantia injungitur, Decretum irritans apponitur, contrariis derogatur cum clausulis adinodum urgentibus, Constitutio publicari, et illius transumptis fides adhiberi jubetur.

(12. Cardinales etiam non Episcopi, habent in suis Titulis, et in Ecclesiis suis Titulis subjectis Episcopalem Jurisdictionem; *cap. his quæ* 11. *de major. et obed.* Barb. *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. univ. c.* 4. *num.* 33. Fagnan. *in d. cap. his quæ num.* 15. et ita Joan. Monachus *in cap. Unic. num.* 2. *de maj. et obed. in* 6. attestatur Papam sibi respondisse, et tenent communiter Doctores, ut dicit Abbas *in dict. cap. his quæ in* 2. *notabili.* (13. Et licet ex responso Gregorii XIII. nequeant Cardinales in suis Ecclesiis Titularibus, et eorum subditis uti illis facultatibus, quæ a Concilio Tridentino concessæ sunt episcopis in suis Ecclesiis, et specialiter illis, quæ comprehenduntur *cap.* 6. *sess.* 24. eo quod, ut dixit Pontifex, licet habeant quasi Episcopalem Jurisdictionem, ibi tamen vere, et proprie non sunt Episcopi, nihilominus hæc decisio, et responsio Pontificis, ut in libris Congregationis Concilii est adnotata, intelligenda est quoad concessas facultates a Concilio, de quibus tantummodo fuit tunc Pontifex interrogatus, ut refert, et tenet Fagnan. *in cap. ne pro dilatione* 16. *de pœnit. et remissionibus num.* 42. *et cap. his quæ* 11. *de majorit. et obed. num.* 17. Extra autem facultates a Concilio concessas salva manet Jurisdictio Cardinalium in suis Titulis ad præscriptum *d. capitis his quæ*, ex sententia dictæ Sacræ Congregationis Concilii a Fagnano relata *cit. num.* 17. (14. Unde Cardinales in suis Titulis habent Jus visitandi, sicut Episcopi in suis Episcopatibus. Leo X. in *Constit.* incip. *Supernæ* edita *in Conc. Lateran.* 5. *sess.* 9. *cap.* 2. ubi expresse disponitur, ut Cardinales loca

Digitized by Google

sui Tituli, Clericos, et populos Ecclesiarum Titulo suo subjectarum, si præsentes fuerint in Curia, personaliter, si vero absentes, per Vicarium idoneum semel saltem singulis annis visitent. (15. Sic etiam habent Cardinales in suis Titulis Jus corrigendi, et excommunicandi, Suspensionis, et Interdicti sententias fulminandi; textu expresso *in d. cap. his quæ* 11. *de major. et obed.* ibi : *Correctionem ipsius Cardinalis recipientes humiliter, et Excommunicationis, Interdicti, vel Suspensionis sententias, quas tulerit in eos, et Ecclesias eorumdem inviolabiliter observantes.* (16. Item in suis Titulis habent Cardinales Jus instituendi, et destituendi, *cap. Querelam, de electione*, ibi : *A Cardinali S. Susannæ, cui eadem Ecclesia tamquam Capella suo Titulo in spiritualibus est subjecta, canonice fuerat institutus;* et notat Innocent. in *cap. Dilectus, de Capellis Monachorum, num.* 4. dicens institutionem, et destitutionem spectare ad Cardinales in suis Titulis. Fagnan. *in d. cap. his quæ n.* 21. (17. Et sic possunt conferre Beneficia suarum Ecclesiarum Titularium. Felin. *in dict. cap. his quæ num.* 1. *vers. Adde Innocentium*, ubi refert Joan. Franc. Pavin. *in tract. de potest. C. Sede Vacante fol.* 38. enumerantem aliqua privilegia Cardinalium, inter quæ dicitur fuisse eis concessum a Sixto IV. ut libere possint conferre omnia Beneficia in Ecclesiis, in quibus sunt intitulati, vel Commendatarii. Barb. *lib* 1. *Juris Ecclesiast. Univers. cap.* 4. *num.* 36. Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancell. gloss.* 13. *num.* 20. (18. Intellige tamen, quando sunt præsentes in Curia, seu in Urbe, nam in absentia solus Papa confert, ut habetur *in regula* 7. *Cancellariæ*, Gonzal. *loc. cit.* Joann. a Cochier. *in regul.* 1. *Cancell. num.* 13. *vers. secunda;* Fagnan. *num.* 23. *loc. cit.* (19. Et pariformiter possunt Cardinales recipere resignationes Beneficiorum existentium in suis Titulis. Flamin. Paris. *de resignatione Beneficiorum, l.* 7. *quæstion.* 12. *numer.* 8. Diana *part.* 5. *tract.* 5. *resolut.* 14. Fagnan. *loc. citat.* Barbosa *loc. citat. numer.* 36. (20. Cardinales possunt in suis Titulis interesse Matrimoniis, vel aliis interessendi facultatem concedere. Azorius *institut. moral. part.* 2. *lib.* 4. *c.* 3. *quæstion.* 2. Sanchez *de Matrimon. lib.* 3. *disputat.* 28. *num.* 7. Basil. Pont. *de Matrim. lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 6. Barb. *loc. cit. num.* 35. et alii passim (1).

(21. Cardinales in suis Titulis habent Jus utendi insigniis Pontificalibus, et solemniter benedicendi more Episcoporum, licet non sint Episcopi. Hostiens. et Joan. Andr. *in cap.* 5. *de supplend. negligent. Prælat.* Felin. *in cap. inter Monasterium, de re judic. num.* 2. Barbosa *loco cit. num.* 35. Fagnan. *loco cit. num.* 24. (22. Item Cardinales Presbyteri, etiamsi Episcopi non sint, possunt in suis Titulis conferre primam Tonsuram, et omnes Ordines minores suis subditis, et familiaribus. Jacobat. *de Concil. lib.* 1. *art.* 12. *vers. Item Cardinalibus;* Martin. Laud. *in tract. de Cardinal. q.* 20. Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. univers. cap.* 4. *num.* 40. *et par.* 2. *de Offic. et potest. Episcop. alleg.* 3. *num.* 15. cum pluribus aliis citatis. (23. Item possunt Cardinales in suis Titulis commutare ultimas voluntates in illis casibus, quibus possunt Episcopi respectu suorum Subditorum. Diana *part.* 5. *tract.* 2. *resol.* 57. Barbosa *loco cit. num.* 39. (24. Et etiam in suis Titulis possunt dispensare in iis Votis in quibus dispensare possunt Episcopi suis in Diœcesibus. Diana *loco cit. resolut.* 58. (25. Barbosa *loc. cit. n.* 39. Tandem possunt Cardinales sive per se, sive per suos Vicarios in suis Titulis reliqua facere, quæ sunt Jurisdictionis Episcopalis. Roman. Conc. 498. *num.* 11. *cum sequent.* Sbroz. *de Offic. Vicar. lib.* 1. *qu.* 3. *num.* 23. Imol. *in Clement. Ne Romani in* 4. *quæst. n.* 24. *de elect.* ubi dicit, Cardinales in suis Titulis haberi loco Episcoporum, quoad Jurisdictionalia, cujus dictum sequitur Felin. *in cap. His quæ.* 11. *de Majorit. et Obed. num.* 1, et Fagnan. *ibidem n.* 26. (26. Et ideo Cardinalis Vicarius Urbis non cognoscit de causis sub Titulis Cardinalium. Flamin. Paris. *de resignat. Benefic. l.* 7. *q.* 12. *num.* 121. Manfred. *de Cardin. dec.* 106. Fagnan. *loc. cit. n.* 17. (27. Barbosa *loc. cit. num.* 37. Et supradicta procedunt non solum in Cardinalibus Presbyteris, sed etiam in Cardinalibus Diaconis, scilicet, ut illi in suis Titulis, hi vero in suis Diaconiis quasi Episcopalem habeant Jurisdictionem, quamvis enim soli Cardinales Presbyteri proprie habeant Titulum, et cum Titulo inscribantur, *ut in cap. Querelam* 24. *in cap. Coram.* 35. *de election. in cap. Licet* 49. *de testibus; et in cap. Ex gestis* 2. *de Clericis non residentibus;* et notat Hostiensis *in d. cap. His quæ* 11. *de majorit. Obedient. num.* 1. *Cardinal. et ibidem in primo notab.* Joann. Andreas *ibidem num.* 2. *et ibidem* etiam Fagnan. *n.* 28. Etsi Cardinales Diaconi non habeant Titulos, sed Diaconias, tamen ex quo sint Cardinales, sive sint Presbyteri, sive Diaconi, sive habeant Titulum, sive Diaconiam, habent indistincte in suis Ecclesiis, et Capellis subjectis Jurisdictionem quasi Episcopalem, ut expresse statuit Sixtus V. in *Constit.* incip. *Religiosa*, edita *Idibus Apr.* 1589. ibi : *Præter sex Episcopos Cardinales, qui certis Cathedralibus Urbi finitimis præsunt, singulis Presbyteris, et Diaconis Cardinalibus propriæ in Urbe Ecclesiæ, Tituli videlicet, et Diaconiæ cum*

(1) Tituli Cardinalium olim territorium separatum habebant cum clero, atque populo eisdem subjecto, ut colligere est ex quadam Joannis VIII. *Constit.* quam refert Baronius ad ann. 882, et ipse Cohelius *Not. Cardinal.* cap. 25, pag. 168. Dum ita titulorum Ecclesiæ Cardinalium curæ concreditæ erant, poterant sane in iis matrimoniis interesse, vel aliis interessendi facultatem concedere : sed cum modo hujusmodi territorium desit, ac jurisdictio inde deducta, opinio illorum auctorum quos Lucius sequitur, locum habere non potest : id vero notandum est circa ea quoque quæ de ultimarum voluntatem permutatione asserit num. 23, et circa dispensationem votorum num. 25. Nam nec subditos in iis habent, neque Vicarios, ut auctor constituit, quorum ministerio tunc solum utebantur, cum tituli territorium separatum, ut supra diximus, constituebant. (*Nota Romani Theologi.*)

Digitized by Google

suis Clero, et Populo, ac quasi Episcopali Jurisdictione in Spiritualibus, et temporalibus regendæ, et administrandæ committantur.

ADDITIONES AUCTORIS.

(28. Cardinalis Episcopus Residentiæ lege tenetur. Benod. XIV. *tom.* 2. *Constit.* 36. incip. *Cum a nobis.* (29. Cardinales Episcopi sub legibus de Residentia Episcoporum expresse comprehenduntur. Idem *Constitut.* 18. incip. *Ad universæ*

(30. Cardinales in suis Titulis possunt conferre Tonsuram, et minores Ordines personis addictis ejusdem Ecclesiæ servitio. Idem *Const.* 11. *tom.* 4. incip. *Ad audientiam*, § 16.

(31. Cardinales Episcopi Suburbicarii Suffraganeum non habentes, suos subditos promovendos ad Vicarium Urbis ablegare debent. Idem *ibidem* § 11. *et* 12. Si vero Suffraganeum habeant, Alexander VII. *Constitut.* incip. *Apostolica sollicitudo*, decrevit canonicis quibusdam indictis pœnis in eos, qui contrafecissent, neminem ex iis Diœcesibus posse per hujusmodi Suffraganeos ad majorem quemcumque Ordinem promoveri, nisi peractis antea in Urbe in religiosa domo ad id designata Exercitiis spiritualibus per decem dies ad unumquemque ex iisdem Majoribus Ordinibus. Idem *ibid.* § 11. 12. *et* 13. Possunt tamen per se, vel per alium Episcopum ordinare suos subditos, dum ipsi in Diœcesi commorantur. Idem *ibidem* §. 12. Vide ad id jam tradita *in verb. Ordo numero* 77.

(32. Cardinales Episcopi Suburbicarii possunt Tonsuram conferre suis subditis in Capella Palatii Urbis, irrequisito Urbis Vicario. Idem *ibid.* §. 21. Nequeunt tamen in Sacello Palatii Urbani Tonsuram insimul, et Minores Ordines conferre suis subditis, irrequisito Urbis Vicario. Idem *ibidem* § 1. 7. *et* 14, *et sequent.*

(33. Cardinales Episcopi Suburbicarii, dum Romæ commorantur, manent extra Diœcesis suæ fines. Idem *ibid.* § 8. Excusantur autem a materiali residentia, vel quia Pontifex id sciens, et patiens, ipsosque præterea videns, non obstantibus muneribus, quibus pro Apostolicæ Sedis utilitate occupantur, Suburbicariæ Diœcesis regimen recte gerere posse, tacite cum eis dispensat; vel quia ad easdem rerum circumstantias, declarat, præceptum Divinum de residentia non comprehendere casum illorum, qui certis muneribus in Urbe addicti, si non materialem residentiam in Diœcesi præsentes adimplent, formali certe satisfaciunt, non solum adhibita in id Ministrorum opera, sed propria etiam adjecta præsentia, dum ad ipsam Diœcesim visitandam percommode se conferunt; *ibid.* § 15

(34. Cardinalium Episcoporum Suburbicariorum Capella sita in Palatio Urbis, non debet censeri *fictione juris*, ut aliqui prætendunt, adhærens Episcopatui Suburbicario. Idem *ibid.* § 15

ADDITIONES EX ALIENA MANU

(35. De Jurisdictione Cardinalium in Ecclesiis suorum Titulorum secundum præsentem Ecclesiæ disciplinam consulenda est Constitutio san. mem. Innocentii XII. incipiens, *Romanus Pontifex* in Bullario ejus parvo 108. (36. Ubi declaratum fuit, Cardinalibus Titularibus competere dumtaxat *Facultatem, seu Jurisdictionem in iis, quæ servitium Ecclesiæ seu Loci Pii, circa tamen disciplinam ecclesiasticam, et morum correctionem dumtaxat, concernunt.*

(37. Hinc patet, jurisdictionem Cardinalium in Ecclesiis suorum Titulorum longe minorem ea esse, quæ ipsis tribuitur ab Auctore, tum ab Albitio in sua dissertatione *De Jurisd. Card. in Eccl. suorum Titulorum.* (38. De ea disserens Piton. *de Controv. Patron. alleg.* 41. *n.* 31. *et plur. sequent.* secundum mox allegatam *Constitutionem:* Quæ quidem Constitutio (*ait*) silere facit hanc quæstionem super Jurisdictione Episcopali per Cardinales Titulares prætensa, eo ipso quod eorum facultatem restringit ad ea, quæ respiciunt servitium Ecclesiæ cum illa taxativâ, » dumtaxat: quæ omnem aliam Jurisdictionis speciem excludit, etc. (39. Per quæ verba Constitutionis Innocentianæ non solum excluditur Jurisdictio in Populum, et Parochianos, sed etiam tribuitur sola Jurisdictio domestica in respicientibus servitium Ecclesiæ, circa disciplinam, et correctionem morum, quæ competit omnibus Capitulis Ecclesiarum, seu earum Vicariis, Præpositis, Prioribus, seu Archipresbyteris in forma extrajudiciali pro recto Ecclesiæ gubernio, nempe faciendo ordinationes, et statuta in concernentibus disciplinam Ecclesiasticam, et contravenientes absque strepitu et figura judicii multando per subtractionem distributionum et fructuum, vocis in capitulo, aliasque similes multas domesticas et extrajudiciales, etc. Neque extenditur hæc facultas ad excessus graves, et ad Tribunal contentiosum, ubi delicta castigantur ad vindictam publicam, etc. »

(40. Scripsit autem Pitonius de Jurisdictione Cardinalium in Ecclesiis suorum Titulorum in examine illius quæstionis, utrum erectio Beneficiorum in Ecclesiis Titulorum, reservatio jurispatronatus, et institutio pertineant ad Cardinales Titulares, an ad Cardinalem Urbis Vicarium. (41. Cæterum haud assentior Pitonio, dum *n.* 8. *et plur. sequent.* asserit, hosce actus non competere nisi iis, qui vel Episcopali, vel quasi Episcopali, Jurisdictione pollent, quum possint ii etiam Prælato inferiori consuetudine, vel Privilegio competere. Vide Rot. *coram Falcon. dec.* 19. *n.* 7. et *dec.* 2. *n.* 4. *de Offic. Ordin. et Territ. separat. coram Molin. dec.* 549. *n.* 24. *in Burgen. Jurisdictionis S. Joannis super Territorio separato* 20. *Januarii* 1737. § 12. *coram Reverendissimo. P. D. Bussio nunc Decano. et* 10 *Maii* 1738. § 15. *coram clar. mem.* Falcagnin.

(42. Ut autem ad propositum redeamus, de Jurisdictione Cardinalium in Ecclesiis suorum Titulorum confer eruditum virum Reverendiss. Tria *in Synopsi S. R. E. Cardinalium præcipuorum Privilegior. n.* 17. *ad n.* 34.

Digitized by Google

impressa post *Plat. de Card. Dignit. et Officio, editionis Romanæ anni* 1746. ubi etiam de Jurisdictione Cardinalium in Ecclesiis Regularibus suorum Titulorum verba facit (1).

ADDITIONES CASINENSES.

(43. Præter Cardinales Episcopos sunt tres Cardinales Patriarchalium Basilicarum Archipresbyteri, eorumque *ministerium*, ut Decret. verbis utamur, « in eo constituitur, ut diligenti cura provideant ministerium Cardinalium, qui solemne officium agere habent in communicatione Corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi; a sacrosancto die Dominico incipiendo per omnes Horas Canonicas indeclinabiliter perseverent; ut opus Dei digne ac sancte perficiatur ab eo cui committitur etc. » Et paulo post: « Provideat idem Archipresbyter, vitam Sacerdotum Cardinalium præceptis sui obtemperando Episcopi, ne aliquando cedant, aut scurrilitate torpeant etc. » Ac demum: « Si Episcopus defuerit, exceptis iis, quæ prohibita sunt, Archipresbyter provideat cuncta quæ Sacerdotum ministerio perfici debeant; Fontes benedicere, Infirmum Oleo perungere, Pœnitentem infirmum (consulto Episcopo) reconciliare, Pœnitentiam cunctis aliis Sacerdotibus injungere, in præcipuis Festivitatibus aut ipse celebrationem Missæ solemniter impleat, aut ad sui jussionem, cui committitur, peragat veneranter. » *Textus in cap.* 2. *de Offic. Archipresbyt. lib.* 1. *titul.* 24. (44. Quamvis vero præcipue Sanctissimus Pontifex id dicat de Archipresbytero Lateranensis Basilicæ omnium Ecclesiarum capitis et Magistræ, haud asserimus quovis tempore Archipresbyterum Cardinalis dignitatem obtinuisse, quod ex illius Basilicæ historia clare eruitur. Paschalem II. adjuncta animarum cura Canonicis Regularibus S. Augustini, Lateranensibus inde dictis, B. Salvatoris Basilicam commisisse ex amplissima ipsius Pontificis Bulla compertum habemus. Sed Panvinus putat jam ab anno 400. id præstitisse S. Gelasium vocatis iisdem Regularibus Canonicis ut ad Divinam Psalmodiam intenderent, et Sacramenta populo ministrarent. Everso aut paulo post a Longobardis Casinensi cœnobio, ejectisque Monachis, Joannes III. ipsis prope Lateranensem Basilicam Monasterium ædificavit sub invocatione S. Joannis Baptistæ et Evangelistæ, ac S. Pancratii, atque Canonicis animarum curam tantum reliquit. Alexander II. excitato Casinensi Monasterio iterum Canonicis Basilicæ curam concredidit, et sic perdurarunt usque ad Bonifacii VIII. tempora, qui anno 1300, ejectis Canonicis Regularibus, sæculares Clericos ibi constituit, Præbendasque ex monasterii bonis assignavit. Cumque splendorem accrescere vellet dignitatis Archipresbyteri Lateranensis, statuit ut hoc munus deinde a Cardinali exerceatur. Quamvis enim etiam ante Bonifacium aliquis fuit Archipresbyter Cardinalis Ecclesiæ Lateranensis, ut ex Epistolis S. Petri Damiani probari potest, cum ipse epistolam mittat *ad Petrum S. R. E. Cardinalem Lateranensis Canonicæ Archipresbyterum*, tamen Cardinalis Rasponi de *Basil. Patriarch. Lateranen. lib.* 1. *c.* 2. existimat, quod aliquando Cardinalis Archipresbyterali munere fungebatur, ut relaxatos Regulares Canonicos ad meliorem frugem compelleret. Hujus autem dignitatis augmentum, nomen, munusque a Bonifacii institutione repetenda opinatur. Postea autem semper a Cardinali aliquo privilegia Cardinali Archipresbytero data sunt ex plurium Pontificum concessionibus, inter quas præclara est *Constitutio* Pauli Papæ III, *Cum sicut accepimus*, qua Archipresbytero Cardinali concessit omnimodam jurisdictionem in cognitione causarum Capituli et Canonicorum, sed Innocentius XII. anno 1694. fere omnia ista privilegia revocavit, et ad formam juris Communis reduxit. Tamen cum Archipresbyter Cardinalis Basilicæ S. Petri succedit jurisdictioni Cardinalis Episcopi Sylvæ Candidæ, multis adhuc gaudet privilegiis in laudata causarum cognitione. Vide Piazza *Cardinalit. Hierar. pag.* 329. *et seq.*

(45. Ab Eugenii IV. tempore invaluit consuetudo, uti habet Ughellius *tom.* 1. *Ital. Sac. in Episc. Sabinen.* ut Cardinales Presbyteri, *qui priores venissent ad Purpuram sibi illud munus Episcopatus* (suburbani) *deligerent, quod ex alicujus decessu contigisset vacare.* Quod vero consuetudo invexerat, Sixtus V. sua constitutione *Postquam vetus etc.* firmavit decernens, quod: « cum aliqua ex sex Cardinalibus Ecclesiis, quibus Episcopi Cardinales præsunt per Obitum, vel Translationem, aut alias pro tempore vacare contigerit; antiquior quidem Card. Presbyter præsens, salvo cuique Episcopo Cardinali jure transeundi, ad eam dimissa priore, cui præerat, ut moris est, promoveatur. ». Nequeunt tamen hosce Episcopatus optare Diaconi Cardinales, nec Cardinales Presbyteri absentes a Curia quacumque ex causa; nam Optio expleri debet in Consistorio, ipsis præsentibus, consentiente Romano Pontifice, uti ex constitutione *Unde etc.* Sixti V. Pius V. tamen decrevit: « quod Cardinales præsentes in Urbe, et domi infirmitate detenti possint optare, ac si essent in Consistorio, derogans Decreto si quod obstaret quoad hoc. » Demum Clemens XII. concessit, quod Cardinales absentes a Curia ex causa publica et ex destinatione Romani Pontificis optare possint, ac si essent præsentes; atque etiam voluit, quod: « Si quando evenerit Cardinales Patriarchali, Primatiali, Archiepiscopali, vel Cathedrali Ecclesiæ Præfectos in dicta Curia ex legitima causa, aut Sedis Apostolicæ licentia præsentes tum reperiri, cum factus fuerit locus vacationi alicujus ex sex Ecclesiis Suburbicariis hujusmodi, Ro-

(1) Nulla de Cardinalibus suburbicariis, eorumque auctoritate, atque obligationibus adjicienda forent; sed in actum agam, satis erit egregiam, quam supra memoratam P. Andreucci *de Episcopis Cardinalibus Suburbicariis* dissertationem indicare. (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

mani Pontificis pro tempore existentis partes erunt, animum sedulo advertere, et deliberare, dum absolventur a vinculo, quo priori Ecclesiæ tenentur, ad effectum optandi et assequendi Ecclesiam vacantem ex dictis Suburbicariis, utrum expediat eis concedere administrationis, seu alio nomine, retentionem alterius Ecclesiæ, cui antea præerant, ac in primis, utrum ambæ sint adeo propinquæ, ut Pastoralem curam utrique commodo impendere, suumque ministerium recte implere valeant. » Tandem idem Pontifex decrevit, ut Cardinales, unam ex Suburbicariis Ecclesiis obtinuerint, deinceps ad aliam, priore demissa, et Romano Pontifice approbante, semel tantum transire possint; salva tamen et illæsa facultate optandi prævia dimissione prioris, Ecclesiam Hostiensem.

ARTICULUS IV.

Quoad Cardinalium privilegia.

(1. Cardinales primo gaudent privilegio Episcopis concesso *in cap. Quia periculosum 4. de sentent. excommun. in* 6. ut generali Statuto, vel Sententia Interdicti, aut Suspensionis non includantur, nisi eorum specialis, et expressa mentio fiat. Alban. *de Cardin. qu.* 42. *priv.* 31. Azorius *part.* 3. *lib.* 4. *cap.* 3. *qu.* 20. *vers.* 12. Henriquez in Summa *lib.* 13. *cap.* 34. § 2. *lit.* X. Bellet. *disquisit. Cler. part.* 1. *tit. de Disciplin. Cleric.* § 2. *n.* 48. Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 4. *n.* 69. Hurtado *de Censuris tract. de Suspens. diffic.* 9. *n.* 23. Diana *p.* 5. *tr.* 2. *resol.* 46. (2. Secundo, Cardinales gaudent privilegio eligendi sibi Confessarium, etiam non approbatum ab Ordinario, ut colligitur *ex cap. Ne pro dilatione* 16. *de pœnitentiis, et remissionibus*, ibi: *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis, et aliis Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter sui Superioris licentiam providum, et discretum sibi possint eligere Confessorem.* Nam vides, quod hæc facultas conceditur Episcopis, et aliis Superioribus, Cardinales autem, ut patet ex dictis *articulo secundo*, sunt Superiores Episcopis Dignitate, et Jurisdictione. Tum quia esto id clare, et expresse non colligatur ex dicto textu, consuetudine tamen ita obtentum est. Reginaldus *in praxi Pœnit. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. *sect.* 1. *n.* 32. Toletus *in Summa lib.* 6. *cap.* 13. *n.* 5. Lugo *de Sacram. Pœnit. disp.* 19. *sect.* 1. *num.* 5. Henriquez *in Summa lib.* 6. *c.* 13. § 5. Paul. Comitol. *respons. moral. lib.* 1. *qu.* 101. *num.* 4. Lezana *verb. Cardinalis num.* 7. Barbosa *in d. cap. Ne pro dilatione num.* 4. Fagnan. *ibidem num.* 40. *et sequent.* Card. Petra *tom.* 1. *in Comment. unic. Joan. XV. n.* 49. Azorius *institut. moral. p.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *qu.* 16. Qui tamen *ibid. vers. Quærens an Cardinales*, subdit Sacram Congregationem censuisse non posse Episcopum jam eligere Sacerdotem non subditum, qui a proprio Episcopo non sit approbatus, quasi innuens, nunc post Concilium Tridentinum non posse Cardinales, qui nec sunt Episcopi, nec Legati, confiteri alicui, qui non sit ab Ordinario approbatus, quod etiam sentit Scipio de Rubeis *in Aphorism. Episcop. verb. Cardinalis num.* 5. et Fagn. *in d. cap. Ne pro dilatione num.* 53. *et* 62. *cum sequent.* Sed illos reprobant Nald. *in Summa verb. Cardin. n.* 8. Ludovic. a Cruce *in Bulla Cruciatæ disp.* 1. *c.* 2. *dub.* 22. *n.* 11. *cum sequent.* Turrian. *de Pœnitent. disput.* 23. *dub.* 3. Boss. *de Jubilæo sect.* 4. *casu* 2. § 4. *n.* 11. citati a Diana *moral. resol. par.* 5. *tract.* 2. *resol.* 10. et quod Cardinales possint sibi eligere Confessarium non approbatum ab Ordinario, etiamsi non sint Cardinales Episcopi, tenent expresse Toletus, Lugo, Lezana, *loco supra citato* et alii. (3. Immo Cardinales omnes possunt etiam suis Familiaribus commensalibus Confessarium, etiam alias non approbatum, designare, ex eodem fundamento, et quia sunt veluti Pastores proprii suæ familiæ, ita ut ea non subjiciatur, quoad Sacramenta, Parochiali locorum, in qua resident Cardinales, sed solum ipsis Cardinalibus. Naldus *in Summa verb. Cardinalis n.* 8. Lugo, et Lezana *l. cit.* (4. Hinc etiam ex praxi Curiæ dicti Familiares in die Paschatis accipiunt Communionem in Oratoriis suorum Cardinalium. Ludovicus a Cruce in Bulla Cruciatæ *disp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 22. *n.* 17. Diana *part.* 5. *tract.* 2. *resol.* 10. Lezana *loc. cit. n.* 7. (1).

(1) Dubium est, ut vel ex ipso auctore liquet, an Cardinales, qui Episcopi non sint, possint sibi confessarium eligere ab ordinario non approbatum, et multo magis, num hujusmodi confessarium ad excipiendas familiarium confessiones deputare possint. Quam ob rem cum de valore Sacramenti agatur, quod sine debita jurisdictione nullum esset, nisi aliunde ex expressa Pontificis concessione constet, hoc privilegium habere Cardinales, ex allatis rationibus concludi non potest, ut auctor contendit, posse revera ita sibi eligere, vel familiaribus deputare confessarium. (*Nota Romani Theologi.*)

Animadversiones auctoris.

In verb. *Cardinalibus*, art. 3, num. 30, valde restringunt *additor, et theologus* jurisdictionem Cardinalium in suis titulis, et art. 4, post n. 4, denegat *theologus* ipsis Cardinalibus facultatem eligendi confessarium non approbatum ab ordinario, et deputandi pro recipiendis confessionibus suorum familiarium. Ego studui, quantum potui cum assistentia juris, et auctoritate DD. magnificare, ut par est, eorum Eminentissimam dignitatem, probe sciens cum Eminent. Petra tom. I. *Commentar. in Constit. unic. Joannis XV*, n. 46, et pluribus aliis a me allegatis, quod nulla major est dignitas in Ecclesia Dei post Vicarium Christi, cardinalatu; et Clariss. Riganti in regulas Cancellar., tom. II, pag. 257, num. 92, quod cardinalatus est summa dignitas nobilior episcopatu, et summus gradus post pontificatum; et Card. de Luca *Jurisd.*, discur. 116, sub n. 8, quod eorum collegium est dignior, ac primus senatus qui sit in mundo; et Sacra Rota Rom. allegata a Monacello, tom. IV, Rom. Ed in Append. dec. 7, n. 49; et dec. 18, n. 9, 10, 52. quod Cardinalis in sua Ecclesia titulari non solum habet jurisdictionem quasi episcopalem, sed transcendit etiam veram episcopalem; et dignitas cardinalitia in Ecclesia titulari nihil diminuitur, ex quo in pluribus non conveniat cum Episcopo; ibid. dict. dec. 18, num. 22 et 23. Unde

Digitized by Google

(5. Tertio, Cardinales de Jure communi gaudent privilegio Altaris portatilis, seu viatici, *de quo in cap. final. de privileg. in* 6. uti ibi ipsos comprehendi declaravit Sacra Congreg. Conc. teste Fagnan. *in cap. Ne pro dilatione* 16. *de pœnit. et remission. num.* 46. (6. Hodie tamen Cardinales aliique privilegiati omnes attendere debent quoad hoc novissimum Decretum Clementis XI. de Celebratione in Oratoriis privatis, quod ad Litteram refertur sub verb. *Oratorium n.* 5. Vide ibi *n.* 5. *et* 70. ubi affertur posterior declaratio observanda. (7. Quarto, Cardinales gaudent privilegio, quod lites, quas habent inter se, a Papa sint judicandæ, et decidendæ. Paulus IV. *Constitut.* incip. *Cum sæpius.* (8. Quinto, Cardinales in delicto debent ex Jure antiquo convinci, antequam condemnentur, per testes 72. si sint Episcopi; per 64. si sint Presbyteri; et per 27. si sint Diaconi; *cap. Præsul.* 2. *q.* 5. *caus.* 2. ibi: *Præsul non damnetur nisi cum* 72. *testibus; Presbyter vero Cardinalis nisi cum* 64. *testibus non deponatur; Diaconus autem Cardinalis Urbis Romanæ nisi cum* 27. *testibus non condemnabitur.* At vide verb. *Testis art.* 4. *n.* 6. (9. Sexto, Cardinales exempti sunt a Gabellis, Datiis, Tributis, et aliis oneribus Cameralibus, et non comprehenduntur in Bulla revocatoria Innocentii X. Sic idem *Constit.* 7. incip. *Et si ea.* (10. Septimo, Cardinalium Clerici omnes Domestici, commensales se possunt illis in recitatione Officii conformare; *cap. fin. Clement. de celebr. Missar.* (11. Octavo, Cardinales eo ipso, quod ad Cardinalatus fastigium sunt assumpti, remanent soluti a Patria potestate. Manfred. *de Cardinal. c.* 8. *privileg.* 8. Azorius *part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *qu.* 20. *vers.* 11. Zechius *de Republ. Christian. tit.* 3. *de Card. num.* 9. *privil.* 8. Germon. *de Indultis Card.* § *Quod tu Romanam n.* 3. Diana *part.* 5. *tract.* 2. *resol.* 32. Molina *de justitia tract.* 2. *disp.* 229. *num.* 8. Barbosa *loc. cit. n.* 70. et alii passim. (12. Nono, Cardinales orto schismate, et duobus de Papatu contendentibus, Concilium congregare possunt. Manfred. *de Cardinal. cap.* 31. Sebast. Cæsar. *in relect. de Ecclesiast. Hierarch. disp.* 1. § 5. Barbosa *loc. cit. num.* 76. et alii passim cum Fagnano *in cap. Cum olim* 14. *de Majorit. et Obedient. num.* 50. (13. Decimo, a sententia ex voto Cardinalium, seu consensu lata minime appellatur. Alban. *de Cardinal. quæst.* 24. *vers.* 3. Azorius *dict. quæst.* 20. *vers.* 3. Manfred. *de Cardinal. decis.* 30. Barbosa *loc. cit. num.* 62. et plures alii apud Dianam *dict. part.* 5. *tract.* 2. *resolut.* 36. *per cap. Ecclesia habet Senatum* 7. *caus.* 16. *quæst.* 1.

(14. Undecimo, Cardinales in Beneficialibus non includuntur in Regulis Cancellariæ faciendis post Constitutionem 6. Urbani VIII. nisi fiant de consensu illorum, vel majoris partis Urban. VIII. *Constit.* 6. incip. *Sanctissimus cap.* 70. Barbosa *loc. cit. num.* 54. cum plurimis ibi citatis. (15. Duodecimo, Cardinales in commissis sibi Ecclesiis a Sede Apostolica possunt Beneficia conferre, et Jurisdictionem exercere ante captam possessionem, et ostensionem Litterarum, non obstante decisione *Extravag. Injunctæ, de elect. inter communes*; Ludov. Gom. *in procem. Reg. Cancell. qu.* 4. *n.* 9. Gonzal. *in reg.* 8. *Cancell.* Gloss. 21. *num* 7. Selv. *de Benefic. par.* 2. *quæst.* 3. *num.* 45. *vers. octavum.* Jul. Lavor. *variar. lucubrat. tom.* 1. *tit.* 4. *cap.* 15. *n.* 10. Diana *par.* 5. *tract.* 2. *resol.* 13. et Rota *in Burgen. Canonicatus* 3. *Junii* 1583. *cor. Cardin. Lancellot. sen.* (16. Tertiodecimo, Beneficia Familiarium Cardinalium non possunt conferri per Papam sine consensu Cardinalis Patroni. Ægid. Bellam. *vers.* 19. *num.* 2. *vers.* 5. Barbosa. *loc. cit. num.* 84. et alii. (17. Quartodecimo, Cardinales judicant Familiares privative quoad alios etiam Cardinales, et ideo etiam Vicarius Papæ non judicat tales Familiares, sed eos remittit suo Cardinali, qui ad pœnam habet privatum Carcerem. Sic de stylo Curiæ servari testatur Clar. § *fin. qu.* 35. *num.* 17. Card. Tusch. *tom.* 1. *concl.* 100. *num.* 52. Carol. de Grassis *de effect. Clericor. effect.* 1. *num.* 151. Carleval. *de judic. lib.* 1. *tit.* 1. *disp.* 2. *qu.* 9. *sect.* 9. *num.* 509. Diana *part.* 5. *tract.* 2. *resolut.* 25. et alii. (1). (18. Quinto decimo, Cardinales gaudent privilegio habendi partem reddituum Cameræ Apostolicæ; *cap. Ubi periculum* § *provisiones, de elect. tit.* 6. (19. Sextodecimo, Cardinali asserenti aliquid actum in præsentia Papæ, vel dicenti sibi vivæ vocis oraculo a Papa mandatum fuisse, credi debet; Imol. et Felin. *in cap. Quod super his, de fid. instrument.* Caputaq. *par.* 1. *dec.* 95. Barbat. *de præstant. Card. part.* 2. *qu.* 1. Card. Tusch. *tom.* 1. *conclus.* 103. *num.* 1. Diana *dict. tract.* 2. *resol.* 31. et alii passim. (20. Decimo septimo, Car-

Card. Petra *loc. cit.* num. 47 ad 49, sic expresse tradit: Imo si fiat mentio in aliquo canone de privilegio Episcopis concesso, eorumque superioribus, concessum intelligi debet etiam Cardinalibus, puta in cap. final. *de Privilegiis*, lib. VI et cap. *Ne pro dilatione*, 16 *de Pœnit. et remission.* in quorum primo permittitur usus altaris portatilis Episcopis, et eorum superioribus, et tamen intelligitur permissus etiam cardinalibus, ex declaratione Sac. Congregat. Concil. ut cit. Fagnan. in cap. *Ne pro dilatione*, num. 46. *de Pœnit. et remiss.* In secundo vero, cum facultas data fuerit Episcopis, et superioribus eligendi confessarium, illam intelligendum esse datam: nedum Legatis, aliisque superioribus Episcopis, puta metropolitanis, et patriarchis, sed etiam Cardinalibus, ut tradit cit. Fagnan., num. 50. Videatur dictus-

celeberrimus canonista Fagnanus in cit. c. *Ne pro dilatione* per tot., et in cap. *Cum contingat, de Ætat. et qualitat.*, et in cap. *His, quæ de majorit. et obedient.* per tot. ubi multa, et in cap. *Ex gestis*, num. 11. *de Clericis non residentib.* ubi tradit, quod Cardinalis in suo titulo curam habet animarum tam fori pœnitentialis, quam contentiosi. Vide Andreucc. *de Card. in gen.*, diss. 2, n. 24.

(1) Hodie Cardinales non amplius judicant suos familiares, præsertim si delicta, et crimina committant, nec privatos habent carceres, ut auctor asserit, teste Farinaccio consil. 134, n. 6, sed in eos œconomicum tantum dominium habent, scilicet correctionis tantum; vide Cohellium citat. part. 176, *Privileg.* 21. (*Nota Romani Theologi.*)

Digitized by Google

dinali asserenti se esse Legatum, creditur circa Ordinariam potestatem, etiamsi Literas suæ Legationis non exhibeat; *cap. Nobilissimus vir* 3. *dist.* 97. Alban. *de Card. qu.* 24. Selva *de Benefic. part.* 2. *quæst.* 3. *num.* 46. Barbosa *loc. cit. num.* 63. cum pluribus ibi citatis. (21. Decimo octavo, Cardinalis dicto, de consuetudine Curiæ, statur in iis, quæ dicta, vel facta sunt coram eis; *cap. Constitutis, et ibi* Hostiens. *de appel.* Abb. *cons.* 8. *l.* 2. *col.* 3. *vers. primo enim;* Card. Tusch. *loc. cit. concl.* 103. *num.* 8. Diana *dict. part.* 5. *tract.* 2. *resol.* 31. Barb. *loc. cit. num.* 65. (22 Decimo nono, Cardinales Episcopi habentes Indultum, possunt, non obstante Decreto Sanctæ memoriæ Clementis VIII. ante vacationem unire Seminario Beneficium, quod obtinet Familiaris Papæ Defuncti. Sacra Congreg. Concil. *in Tudertina* 15. *Aprilis* 1628. apud *Sellium in select. Canon cap.* 2. *num.* 26. et Barbosa *Apostolicar. Decis. collect.* 131. *num.* 21. (23. Vigesimo, Privilegia omnia Episcopis ob status Dignitatem concessa, ad Cardinales extenduntur propter majorem eorum Dignitatem, quam habent ex Constitutione Eugeni IV. incip. *Non mediocri.* Sic expresse tenet Paulus Layman *in Theolog. moral. lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 3. *cap.* 2. *n.* 1. Diana *d. part.* 5. *tract.* 2. *resol.* 48. Barbosa *loc. cit. num.* 77. et alii passim. (24. Plurimis aliis privilegiis gaudent omnes Eminent. Cardinales, sed quia nimis operosum esset hic ea omnia retexere, relinquuntur videnda apud Alban. Manfr. Dian. Germ. Zech. Lorich. Azor. et alios de ipsis diffuse tractantes.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(25. De singulis Cardinalium Privilegiis dissere longum esset, limitesque excederet additionum. Eo vel maxime, quod de numero eorum non convenitur. Albanus triginta tria enumerat privilegia, Cohellius quadraginta unum, Manfredus octoginta novem, quidam in opere manuscripto, cujus meminit Germonius, tercentum. Vide, si lubet, Reverendissimum Tria *in Synopsi S. R. E. Cardinalium præcipuorum Privilegiorum* impressa post Piat. *de Cardinal. Officio, et Dignitate editionis Romanæ Anni* 1746.

(26. Illud vero hic non omittendum, quod Cardinales inter alia hoc donati sunt Privilegio, ut testamentum facere possint, non secus ac milites. Rota *cor. Crisp. decis.* 339. *n.* 1. (27. Nota vero, Cardinales non gaudere in testando militum Privilegio quoad ea quæ militibus ratione imperitiæ tributa sunt, adeoque hæredem in re certa instituere nequire. Rota *cor. Crisp. dict. dec.* 339. *n.* 13.

(28. Possunt itaque solum Cardinales ad instar militum sine solemnitatibus testari, et sic Schedula ab ipsis scripta, vel subscripta ulla solemnitate a jure civili præscripta, et sine ulla præsentia Testium valet uti testamentum. Lanfredin. *Resp. Eccles.* 4. *num.* 4. Quod si Cardinalibus placeat testamentum mutare, vel novum condere, eodem semper ii gaudent Privilegio non adhibendi solemnitates. Idem supremum Tribun. *cor. Crisp. dicta dec.* 339. *num.* 18.

(29. Nonnumquam vero dubitari solet, an schedula a Cardinali relicta contineat certam, ac determinatam ejus voluntatem; vide ubi res postulat Lanfredin. *Respons. Eccl.* 27. *num.* 28. utrobique *per tot.* qui docte pro more materiam discutit.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(30. Cardinalem Professum ex ordine Hierosolymitano, cum sit vere et stricte quoad substantialia Religiosus, non habere dominium, ac proprietatem rerum, nec de iis testari posse sine speciali summi Pontificis concessione. Hanc autem ut rite obtineat, debet in precibus utrumque, quod habet ad testandum, cum ex clericatu, tum ex statu religioso impedimentum exprimere. Andreuccius in *diss. de Card. professo ex ordine militari S. Joannis Hierosolymitani,* in qua etiam de hujusmodi Cardinalibus alia disputat satis curiosa, ac parum obvia, *n.* 23.

(31. Alia inter privilegia Cardinalibus competentia est hoc quod super beneficiis ab ipsis possessis imponi nequeat pensio. Privilegium hoc concessum fuit ab Urbano VIII. ut patet ex Constitutione 145. in Bullario Mainardi.

(32. Quæstionis est, an, ut Cardinales gaudere hoc privilegio possint, sufficiat, quod sint reservati, an vero necesse sit, quod publicati sint. Meo judicio non aliter privilegio hoc gaudere queunt, quam si sint publicati. Regula enim est, quod privilegia, quæ conceduntur ratione alicujus dignitatis, incipiunt non a die collatæ dignitatis, sed a die notificatæ dignitatis. Ita tradunt *Brunem. ad l. Codicis de cons. n.* 7 *l.* 12. *Hoppius in Comm. ad instit. lib.* 1. *tit.* 12. § 4. *num.* 3. ibi: « Codicillis id est litteris de collata dignitate testantibus. Ex quo colligere licet privilegia ob officium aliqui competentia non a tempore suscepti officii, sed a tempore, quo quis Codicillos accipit inchoari. *Martini Jurisprud. civil. secund. ord. instit. lib.* 1. *tit.* 12. § 4. *num.* 9. ibi: « Codicillis præstitis, id est litteris principalibus, quæ dignitatem collatam testantur. Hodie diplomata vocamus, unde non a die suscepti officii, sed a tempore quo quis diploma accepit privilegia ob officium competentia inchoari. »

(33. At privilegium hoc concessum ab Urbano VIII. ratione dignitatis concessum est. Atque hinc gaudere eo minime possunt Cardinales si sint reservati et non publicati. Profecto, si ante publicationem Pontifex intereat, desinunt esse Cardinales, ideo ante publicationem simplicis Præsulis figuram gerunt, qui cum hoc non gaudeant privilegio, nec eodem gaudere poterunt, licet ad Purpuram destinati quousque non sint ad eam publice renuntiati.

(34. I. Inter privilegia Cardinalibus concessa recensetur jus exercendæ jurisdictionis in suis diœcesibus post Pontificis confirmationem etiam non capta possessione, et quin Bullas Pontificias ostendant Diana, Garcia,

Digitized by Google

aliique Canonistæ, non tamen exempti sunt a triennali visitatione Liminum juxta *Constitution.* Sixti V. *Romanus Pontifex*, cujus vigore contravenientes pœna plectuntur suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, ab administratione temporalium, et spiritualium, et a fructibus Ecclesiæ Episcopalis. Bonacina *de cens. partic. disput.* 3. *qu.* 6. *punct.* 7. Barbosa *prætermis. ad collect. in Extrav. lib.* 1. *t.* 8. *de major. n.* 5.

(35. II. Romæ commorantes possunt beneficia in suis diœcesibus vacantia providere. Quæstio est, an in Beneficiis curatis debeat præcedere concursus. Negant alii, alii affirmant, de quibus vide Andreuc. *Hierarchia Ecclesiast. lib.* 2. *num.* 20. § 9.

(36. III. Cardinales etiam non Episcopi in Conciliis generalibus jus habent præsentiæ et suffragii, ut in tribus *Concil. Lateranensibus*, in duobus *Lugdunens. in Viennensi, in Constantiensi, in Florentino*, et tandem in *Tridentino*.

(37. IV. Offendens Cardinales est reus læsæ majestatis. *Cap. Felicis. de pœnis in* 6. et incurrit excommunicationem in Bulla Cœnæ, in quam incidit etiam, qui sciens, non denunciet conspirantem contra Cardinalem ex *constitution.* S. Pii V. 19 *Januar.* 1569. ob mortem attentatam contra S. Carolum Borromeum Benedict. XIV. *de Synod. Diœcesan. lib.* 9. *cap.* 6. § *verum Communis in fin.*

(38. V. Etenim statim ac ad purpuram promoventur Patrigii fiunt scripti in diademate Principis, et pars corporis ipsius reputantur ex Navarr. *tom.* 3. *cons. de dat. et promis. num.* 10. quem allegat. Andreuc. *loc. cit, de Cardin. in gen. dissert.* 2. *de privileg. Cardin.*

ARTICULUS V.

Quoad Cardinales in Conclavi et sede vacante.

(1. Cardinales ingredi debent Conclave transactis decem diebus a morte Papæ. Gregorius X, *in cap. Ubi periculum, de elect. in* 6. ibi : « Cardinales, qui fuerint in Civitate ipsa præsentes, expectare decem diebus tantummodo teneantur, quibus elapsis, sive absentes venerint, sive non, ex tunc omnes conveniant in Palatio, etc. » (2. Cardinales non possunt habere in Conclavi ultra duos servientes Clericos, vel Laicos, sibi benevisos. *Conc. Constant. sess.* 41. ibi : « Quilibet non habeat ultra duos servientes Clericos, vel Laicos, quos duxerit eligendos, et simpliciter permittantur duos habere per Constitutionem Clem. VI. licet in Constitutione : Ubi majus, non liceret habere duos, nisi ex patenti necessitate. » (3. In Conclavi Sede Apostolica vacante, debet adesse unus Religiosus pro Confessionibus audiendis, a majori parte Cardinalium per secreta suffragia eligendus (1). Pius IV. in *Const.* 63. incip. *in eligendis* § 18. (4. Cardinales Episcopi, audita morte Papæ tenentur accedere ad Conclave, et post Papæ electionem et coronationem etiam per duos menses manere, et deinde redire ad suum Episcopatum sub pœna contra Episcopos non residentes. Urbanus VIII. *Const.* incip. *Sancta Synodus.*

(5. Cardinales, non intrantes Conclave, vel exeuntes sine causa, non sunt amplius requirendi, vel admittendi ad electionem faciendam. *Conc. Constant. sess.* 41. (6. Cardinalibus infirmis exeuntibus a Conclavi, alii debent prosequi electionem, et convalescentes possunt redire. *cap. Ubi periculum, de elect. in* 6. *et Conc. Constantien. sess.* 41. (7. Similiter absentes, qui intra decem dies non se stiterunt, si supervenerint re integra, debent admitti ad Conclave. *cit. cap. Ubi periculum; et cit. Conc. Constantien. ibidem.*

(8. Dato casu, quo Papa pereat extra Civitatem Romanam, vel extra eam, in qua erat Curia, tunc Cardinales tenentur convenire in Civitatem, in cujus Territorio, seu districtu Pontifex obiit, et ibi in Palatio Episcopali, vel alio commodiori loco construere Conclave, et Papam de more eligere ; nisi tamen talis Civitas sit interdicta, vel contra Ecclesiam Romanam in aperta rebellione persistat, quo casu in aliam viciniorem, non interdictam, nec rebellem debent convenire. *d. c. Ubi periculum, de elect. in* 6. (9. Ex dicta *Const.* Greg. X. *in cap. Ubi periculum*, deberent Cardinales habitare in habitatione communi, sed Clemens VI. *Const.* 5. incip. *Licet* decrevit, ut eorum Cellæ per cortinas dividantur. *Concil. Constant. sess.* 41. (10. Cardinales in Conclavi nulli alteri negotio vacare possunt, quam negotio electionis Pontificis, nisi Ecclesiæ necessitas urgeat, et tunc negotia, quæ peraguntur, debent esse omnibus nota. *d. c. Ubi periculum.*

(11. Cardinales in Conclavi nullos debent admittere ad se venientes ; nec cuiquam debet dare aditus ad ipsos, et facultas cum eis secrete loquendi. Greg. X. *in d. cap. Ubi periculum*, ibi ; « Nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat, vel facultas secrete loquendi cum eis, nec ipsi aliquos ad se venientes admittant, nisi eos, qui de voluntate omnium Cardinalium inibi præsentium pro his tantum, quæ ad electionis instantis negotium pertinent, vocarentur. » (12. Nec cuiquam licet mittere ipsis Cardinalibus, vel alicui eorum nuncium vel scripturam, aut cum aliquo ipsorum secrete de negotiis loqui, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. *d. cap. Ubi periculum*, ibi : « Nulli etiam fas sit ipsis Cardinalibus, vel alicui eorum nuncium mittere, vel scripturam ; qui vero contrafecerit, scripturam mittendo, vel nuncium, aut cum aliquo ipsorum secreto loquendo, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. » (13. Gregorius X. *in d. cap. Ubi periculum*, statuit, ut Cardinales intra tres dies deberent Pontificem eligere, alias

(1) Quamquam olim ly *religiosus* virum regularem indigitare contenderent : nunc tamen omnis disputatio sublata esse videtur, cum in novissimo conclavi confessarius delectus fuerit ex clero sæculari Illustriss. DD. Adeodatus Barcali, qui SS. N. D. Clem. PP. Clementis XIII est a confessionibus.

Digitized by Google

iis transactis, per 5. dies sequentes unum tantum ferculum haberent; et si intra 5. dies non eligerent, pane tantum, vino, et aqua reficerentur, donec eligerent; ibi: « Verum si (quod absit), infra tres dies, postquam (ut prædicitur), Conclave præfatum iidem Cardinales intraverint, non fuerit ipsi Ecclesiæ de Pastore provisum, per spatium quinque dierum immediate sequentium, singulis diebus tam in prandio quam in cœna una solo ferculo sint contenti, quibus (provisione non facta) decursis, ex tunc tantummodo panis, vinum, et aqua ministrentur eisdem, donec eadem provisio subsequatur » (14. Et merito hæc Lex constituta fuerat ad præcavenda de cætero infinita propemodum detrimenta, quæ passa fuerat Ecclesia Catholica in tam longa vacatione Sedis Apostolicæ. Vacaverat enim Sedes Apostolica post mortem Clementis IV. sui immediati prædecessoris per annos duos, menses novem, et dies duos secundum Graveson. *in Tabula Chronologica*, et Panvinium *in Chronol. Ecclesiast. in annot. Clement. IV. et Greg. X*, donec suasionibus præcipue, et consiliis Sancti mei Seraphici Bonaventuræ, qui tunc totius meæ Religionis Ministrum Generalem agebat, Cardinales discordes facti concordes die prima Sept. 1271. elegerunt Thealdum, seu Theobaldum Vicecomitem, patria Placentinum, Archidiaconum Leodiensem, qui tunc temporis cum Christiano exercitu in Syria degebat, et sequenti anno scilicet 1272. sexto Kalendas April. Romam e Syria reversum in Basilica S. Petri Romanum Pontificem dictum Gregorium X. inaugurarunt, quo Pontifice electo Joannes Cardinalis Portuensis in hæc duo Carmina prorupit:

Papatus munus tulit Archidiaconus unus,
Quem Patrem Patrum fecit discordia Fratrum.

(15. Hæc Gregor. X. *Constitutio* fuit de facto post ejus mortem statim a Cardinalibus exsecutioni demandata, utpote qui elegerunt Innocentium V. prima, vel altera die ab ingressu in Conclave; cum post obitum Greg. X. non vacaverit Sedes secundum Panvinium *in d. Chronologia Ecclesiastica*, et alias Chronologias, nisi per decem dies, quibus solummodo transactis debent Cardinales ingredi Conclave pro electione, ut fuit statutum in ead. Gregor. X. *Constitutione*, ut patet supra *num.* 1.

(16. Cardinales in Conclavi excludi non possunt ab electione activa, vel passiva ratione excommunicationis, suspensionis, vel interdicti. *Clem. de electione, cap. Ne Romani § cæterum*, ibi: « Cæterum, ut circa electionem prædictam eo magis vitentur dissensiones, et schismata, quo minor eligentibus aderit dissidenti facultas; decernimus, ut nullus Cardinalium cujuslibet Excommunicationis, suspensionis, aut Interdicti prætextu a dicta electione valeat repelli. Juribus aliis circa electionem eamdem hactenus editis plane in suo robore duraturis; » et *Constit.* Pii IV. incip. *In eligendis* § 29. et alia Gregorii XV. incip. *Decet Romanum* § 122. (17. Plura alia observanda a Cardinalibus in Conclavi fuerunt statuta ab ipso Gregorio X. *in cit. c. Ubi periculum.* a Clemente VI. *Const.* incip. *Licet;* a Concil. Constant. *sess.* 41. a Pio IV. *Const.* incip. *In eligendis.* (18. Sed in variis fuerunt moderata, et reformata a Gregor. XV. *Constit.* 19. incip. *Decet Romanum*, ubi clarius et diffusius omnia explicantur et decernuntur; quæ Gregoriana Constitutio hodie observatur, prout etiam est confirmata ab Urbano VIII. *Const.* 45. incip. *Ad Romani.* (19. Cardinales in Conclavi existentes possunt in suis Titulis Jurisdictionem exercere, non personaliter, sed per suos Vicarios, et Ministros. Ordinaria enim Jurisdictio, quam habent Cardinales in suis Titulis ad præscriptum *cap. His, quæ* 11. *de Major. et obed.* non expirat Sede vacante, ut per Card. in Clem. *Ne Romani § irritum qu.* 3. *de elect.* et Fagnan. *in c. Cum* 14. *de major. et obed. num.* 69. (20. Sic etiam major Pœnitentiarius in Conclavi existens, potest, non personaliter, sed per Officiales Pœnitentiariæ exercere Officium suum extra Conclave. Colligitur ex glossa *in Clem. Ne Romani § eo tamen proviso, de elect. verb. Majorem*, ibi: *Tempore inclusionis Major Pœnitentiarius, si est Cardinalis, per se non potest uti Officio; si tamen nollet in clausura manere etiam personaliter utetur Officio*, et expresse Fagn. *l. c. n.* 85. (21. Sic pariter Camerarius Cardinalis in Conclavi existens potest, non per se, sed per suos Ministros et Officiales suum exercere Officium. Camerarii enim, et Pœnitentiariorum Papæ Officium, mortuo Papa, non expirat, eisque deficientibus potest Collegium Cardinalium alios subrogare pro tempore Vacationis. *Clement. de election. cap. Ne Romani § Eo tamen proviso.* (22. Cardinales non sunt cogendi intrare in Conclave, nisi in casu, quo nullus vellet intrare, vel in casu quo, non electo Pontifice, omnes simul, vel successive exire contingeret; tunc enim intrare, vel reintrare essent compellendi. *Clem. de elect. c. Ne Romani § Porro*, ibi: « Porro si Romano non electo Pontifice, Cardin. omnes simul, vel successive (quod absit) exire contingeret Conclave deputatum eisdem, hi, ad quos pertinet executio Constitutionis prædictæ, illos ex ipsis, quibus infirmitas Corporis, aut nota debilitas excusationem non dabit, idem Conclave, quam cito poterunt, reintrare compellant, pœnas in dicta Constitutione contentas, nisi hoc fecerint, incursuri. »

(23. Sede vacante Cardinalium Collegium non succedit Pontifici in his quæ ratione excellentiæ, dignitatis, et præeminentiæ, ac prærogativæ Papæ tantum sunt reservata, *cap. Ubi periculum § iidem quoque, de elect. in* 6. *et Clem. de elect. cap. Romani*, et *Constit.* Pii IV. incip. *In eligendis* § 6. (24. Unde Sede vacante non potest Cardinalium Collegium creare Cardinales. Glossa *in d. Clemen. Ne Romani, de election. in verb. Potestatis*, quam ibi omnes sequuntur. (25. Imo Sede vacante nec potest Cardinalium Collegium restituere, et habilitare Cardinales per Papam privatos, seu depositos, ne quidem

Digitized by Google

ad vocem; *cap. Unic. de Schismatic. in* 6. (26. Nec potest Sede vacante tradere Insignia Cardinalatus Cardinalibus nuper creatis, eisque os claudere et aperire. Colligitur *ex cap. Ubi periculum* § *iidem quoque, de elect. cap. Ne Romani.* Eo vel maxime quod nulla talis urgeat necessitas, cum oris aperitio et similia sint simplices Cæremoniæ, quæ ad substantiam electionis non pertinent, et Cardinales noviter electi vocem habent in electione ante aperitionem oris, ex adductis supra *in articulo primo num.* 22. (27. Nec potest, Sede vacante, Episcopos creare, et electos confirmare. Fagnan. *in cap. Cum olim, de major. et obed. n.* 32. cum aliis ibi citatis, nec jam creatos deponere, Glossa *unica in cap. Nullus* 7. *dist.* 79. quam ibi sequuntur Archidiaconus et alii. (28. Cardinalium Collegium, Sede vacante, Beneficia conferre non potest. Joann. de Selva *de Benefic. part.* 2. *qu.* 2. *num.* 16. *et* 18. August. Triumph. *de potest. Eccles. quæst.* 68. *art.* 3. Fagnan. *loco. cit. num.* 30. (29. Nec mirum, quia nec inferiora Collegia hoc habent mortuo Prælato; *c. Illa, ne Sede vacante. c. unic. eodem Titul. in* 6. *cap.* 1. *de Institut. in* 6. et tenent communiter Doctores; quamvis Jurisdictio Prælati, Sede vacante, transeat in Collegia inferiora; *ex cap. His, quæ* 11. *et c. Cum olim* 4. *de major. et obed. cap. Ad abolendam, de Hæret. c. Episcopali Sede vacante unic. de major. et obed. in* 6. *cap. Si Episcopus* 3. *et cap. Ecclesiæ Cathedrali vacanti* 4. *de suppl. neglig. Prælator. in* 6. *c. Cum nullus* 3. *de tempor. ordinat. in* 6. (30. Et Jurisdictio, et Potestas Papæ, Sede vacante, non transeat in Collegium Cardin. *ex Clem. de Elect. Cap. Romani,* ubi expresse decernitur irritum, et inane quidquid potestatis, aut Jurisdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis, Cœtus Cardinalium, Romana Ecclesia vacante, duxerit exercendum, ibi: « Irritum nihilominus, et inane decernentes quidquid potestatis, aut jurisdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis (nisi quatenus in Constitutione prædicta permittitur) Cœtus ipse duxerit, eadem vacante Ecclesia, exercendum. » Et habetur etiam ex *Const.* Pii IV. incip. *In eligendis* § 6. (31. Unde in hoc Collegium Cardinalium est deterioris conditionis quam sint inferiora Collegia, in quæ sola transit Jurisdictio, Sede Episcopali vacante; et non in Collegium Cardinalium, vacante Sede Apostolica. Ita Joann. de Imol. *in d. Clement. Ne Romani in* 7. *notabil. num.* 14. Capyc. *dec.* 114. *num.* 9. Fagnan. *in d. c. Cum olim* 14. *de major. et obed. num.* 55. et est speciale in Collegio Cardinalium, ut inquit Frederic. de Senis *cons.* 16. incip. *Capitulum Ecclesiæ Cathedralis num.* 2. *vers. Præterea speciale est.* (32. Rationem specialitatis assignat Zenzelinus in eadem Clementina, *Ne Romani,* et Glossa magna *in fin. in cap. unic de Schismat. in* 6. videlicet, quia ob accelerandam provisionem Ecclesiæ, in cujus traditione imminet periculum, speciale quid statui debuit, et est simile *in c. Accusatus* 8. *de Hæreticis in* 6. § *Sane.*

(33. Cardinales, Sede vacante, nec in arduis possunt se immiscere, nisi pro Terra Ecclesiæ defendenda, et grandi evidenti periculo imminenti; *c. Ubi periculum* 3. *de elect in* 6. § *iidem* ibi: « Iidem quoque Cardinales accelerandæ provisionis sic vacent attentius, quod se nequaquam de alio negotio intromittant, nisi forsan necessitas adeo urgens incideret, quod eos oporteret de Terra ipsius Ecclesiæ defendenda, vel ejus parte aliqua providere, vel nisi aliquod tam grande, et tam evidens periculum immineret, quod omnibus et singulis Cardinalibus præsentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum. » Ancharan. *ibid. num.* 4. *vers. Item notat in verb. iidem quoque.* Fagnan. *l. cit. num.* 79 et expresse etiam Pius IV. in *Constitut* incip. *in eligendis* § 6. (34. Cardinalium Collegium, Sede vacante, nullam potestatem, aut Jurisdictionem habet gratiam aliquam, aut Justitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum exsecutioni demandandi, sed ea omnia futuro Pontifici reservare tenetur. Sic expresse Pius IV. in *d. Constit.* incip. *In eligendis* § 6. ibi: « Sedis autem vacatione durante Collegium Cardinalium in iis, quæ ad Pontificem maximum, dum viveret, pertinebant, nullam omnino potestatem, aut Jurisdictionem habeat, neque gratiam, neque justitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum exsecutioni demandandi, sed ea omnia futuro Pontifici reservare teneatur. » (35. Potest autem Collegium Cardinalium, Sede vacante, mittere unum Cardinalem pro terra Ecclesiæ defendenda, vel evidenti ingenti periculo, ut colligitur *ex d. cap. Ubi periculum; et Clement. Ne Romani.* Paulus de Eleazaris; Imola *ibid. n.* 26. Card. *ibid.* § *Irritum in* 2. *qu.* (36. Sic etiam potest Cardinalium Collegium mittere unum Cardinalem ad Papam electum in absentia, et illum reducendum ad Urbem, illique expensas necessarias constituere de redditibus Romanæ Eccl. Gambar. *de Offic. et auctorit. Legat. lib.* 9. *n.* 185. Fagnan. *l. cit. num.* 43. (37. Qui tamen missus Cardinalis in utroque casu non esset proprie Legatus cum Jurisdictione, et potestate Legati, sed Nuncius ad illam tantummodo necessariam defensam, vel ad nudum illud Ministerium facti. Cardinal. *in d. Clementin. Ne Romani* § *Irritum in* 2. *quæst. de electione*, et ibi etiam Imol. *num.* 26. et Fagnan. *l. citat. num.* 43. (38. Item potest Collegium Cardinalium, Sede vacante, Legatum missum a Papa revocare ex magna, et evidenti necessitate; *arg. c. Ne pro dilatione, de pœnit. et remiss. c. Ubi periculum. de elect. in* 6. *Clement. Ne Romani, de elect.* (39. Non autem sic posset revocare sine magna et evidenti necessitate; *arg. c. Cum inferior* 16. *de majorit. et obed. et l. Minor Magistratus, ff. de minoribus,* Fagnan. *l. cit. n.* 45 *et* 46.

(40. Duobus de Papatu contendentibus, et Generale Concilium convocare renuentibus, potest fieri convocatio a Collegio Cardinalium. Cardin. Zabarella *in consil.* 150. incip. *In quæstione num.* 6. *in* 3. *quæst.* Fagnan. *loco cit. num.* 50. quoniam cum sint in pos-

Digitized by Google

sessione eligendi Romanum Pontificem ; *cap. In Nomine Domini* 1. *dist.* 13. *cap. Licet* 6. *de elect; cap. Ubi periculum* 3. *de elect. in* 6. *et c. Ne Romani* 6. *Clem. de elect.* per consequens ad eos spectant omnia, quæ sunt consequentia ad electionem; *cap. Cupientes* 16. *de election.* § *Ad hæc, et* § *Si vero, cap. Si fort.* 9. *et quod ibi notatur in gloss.* 3. *dist.* 65. (41. Cardinalium Collegium potest, et debet intrusum in Papatu anathematizare, et extrudere, textu expresso *in cap. Si quis pecunia* 9. *dist.* 79. ibi : « Si quis pecunia, vel gratia humana, aut populari, aut militari, tumultu, sine concordi, et canonica electione, et Cardinalium et sequentium Ordinum Religiosorum Clericorum fuerit Apostolicæ Sedi inthronizatus, non Apostolicus, sed Apostaticus habeatur; liceatque Cardinalibus, et aliis Clericis Deum timentibus, et Laicis invasorem etiam cum anathemate, et humano auxilio, et studio a Sede Apostolica repellere, et quem dignum judicaverint, præponere. » Et hujus Canonis dispositio non est sublata, quin potius est præservata *in dict. cap. Ubi periculum* § *iidem quoque, de elect. in* 6. Nam extrudere invasorem Pontificatus spectat manifeste ad electionis negotium, cui jubentur Cardinales sic attente vacare, ut de nullo alio negotio sese intromittant, nisi data urgente, et imminente necessitate, et gravi periculo, quale esset in casu talis intrusionis, cui celeriter esset occurrendum, ut dicitur in *ipso* § *iidem quoque.* (42. Cardinalium Legatorum Apostolicorum Officium non expirat per obitum Papæ, seu Sede vacante textu expresso *in c. Legatos* 2. *de Officio Legati, in* 6. ibi : *Præsenti declaramus edicto commissum tibi a Prædecessore nostro Legationis Officium nequaquam per ipsius obitum expirasse.* (43. Congregationum Cardinal. facultates sunt perpetuæ, et non expirant per obitum Papæ, sed etiam durant in tempus Pontificum Successorum; habent enim Jurisdictionem Ordinariam, cum Jurisdictio, quæ defertur a Lege vel Statuto, sit ordinaria; *l. Et quia, ff. de jurisdict. omn. Judic. l.* 1. *in respons. ff. de Offic. ejus, cui mandata est Jurisdict.* Tum quia de natura Constitutionis est, ut sit perpetua; *cap Nemini* 10. *de Offic. Legati;* Federic. de Senis *consil.* 16. incip. *Capitulum;* Fagnan. *loco cit. num.* 72. et nostro in proposito satis clare cautum reperitur in declarationibus facultatum earumdem Congregationum editis a Sixto V. *Constitut.* incip. *Immensa* § 3. ibi : *Graviora vero quæcumque ad Nos, vel Successores nostros deferantur.* Ecce perpetuitas, non enim possunt graviora ad Successores Pontifices deferri, nisi Constitutio id statuens esset perpetua; et clarius habetur in § 18. ibi : *Ut autem hæ nostræ litteræ quam primum ubique locorum, et gentium innotescant, quas inter alias Apostolicas, et perpetuas Constitutiones annumeramus.* (44. Ultraquam quod creato novo Pontifice facultates Congregationum numquam consueverunt renovari, sed fiunt Congregationes, prout solebant vivente Papa Prædecessore, quod aperte demonstrat eas facultates non expirasse, alioquin opus esset nova concessione, quia Jurisdictio semel extincta, etiam causa extinctionis cessante, non reviviscit; *l. Qui res* § *Aream, vers. in perpetuum,* cum concord. de quibus *ibi per Gloss. ff. de solut. cap. Quæris ver. Non potest autem,* et ibi Glossa *in verb. contrahatur dist.* 4. *de consecrat.*

(45. Licet autem Congregat. Cardinalium facultates per obitum Papæ non expirent, tamen Sede vacante, Cardinalibus in Conclavi manentibus, debent conquiescere, et dormitare quoad negotia illa, et causas, quæ in Congregatione expediuntur per subscriptionem Cardinalis Præfecti, seu habentis Sigillum. Et ratio est, quia *in cap. Ubi periculum* 3. *de election. in* 6. § *iidem quoque,* præcipitur Cardinalibus existentibus in Conclavi, ut accelerandæ electioni Summi Pontificis sic vacent attentius, ut se nequaquam de alio negotio intromittant, exceptis duobus tantum casibus, id est urgentis necessitatis pro Terra Ecclesiæ, vel aliqua ejus parte defendenda, et grandis periculi imminentis, ibi : « Iidem quoque Cardinales accelerandæ provisioni sic vacent attentius, quod se nequaquam de alio negotio intromittant nisi, etc. » Vide supra *n.* 33. quæ exceptio in aliis firmat regulam in contrarium, ita ut imminente electione Summi Pontificis Cardinales Electores non debent se ab illa divertere, nam pluribus intentus, etc. *l. Nemo C. de Assess. et Divers.* 5. *de Cler. Conjugat.* et notat *in d. cap. Ubi periculum.* Joann. Andreas *in verb. alio negotio;* Ancharan. *n.* 4. *vers. item notat in verb. iidem quoque.* (46. Congregationum Cardinalium autem negotia, quæ in communi forma a solo Secretario expediri solent, possunt etiam expediri Sede vacante; et ratio est, quia in his levibus, et ordinariis negotiis, quæ a Cardinalibus non per se ipsos, sed per Secretarium expediri consueverunt, cessat omnino finis prohibitionis; *d. cap, Ubi periculum,* scilicet ne electionis negotium protrahatur, in quo grave imminet periculum, *ut ubi in principio, et in* § *iidem quoque,* adeoque etiam prohibitio cessare debet; *cap. Et si Christus* 26. *de jurejurand.* cum similibus, et consequenter cum facultates Congregationum non expirent per obitum Papæ, ut dictum est *num.* 43. utique poterunt in his levibus negotiis per Secretarium, ut antea, exerceri, ut sentit Glossa in d. *Clement. Ne Romani* § *Eo tamen proviso, in verb. Expirare.* (47. Et sic per Secretarium Congregationis Episcopor. et Regular. possunt, Sede vacante, Cardinalibus in Conclavi manentibus, expediri licentiæ pro puellis educandis, prout fuerunt expeditæ tempore Sedis vacantis per obitum Urbani VIII. ex ordine dato a Cardinalibus ante ingressum in Conclave, prout refert Fagnan. *loco citato num.* 83. et eadem ratione dari poterunt Transumpta, et Duplicata, seu ut vocant, *Ita reperitur,* et alia hujusmodi, uti sunt etiam causæ ante obitum Papæ jam resolutæ in Congregatione, quæ expediri poterunt a Secretario in illis casibus, in quibus sufficit

Digitized by Google

ejus subscriptio. Ita expresse Fagnan. *loco cit. num.* 83.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(48. Cardinales initio Conclavis jurejurando servare promittunt Constitutiones, quæ habentur in Cæremoniali Electionis Papæ. (49. Editæ eæ diversis temporibus fuere, nempe a Conciliis Lateranensibus sub Nicolao II. anno 1059. sub Alexandro III. anno 1188. Lugdunensi sub Gregorio IX. anno 1272. Viennensi sub Clemente V. anno 1310. a Clemente VI. anno 1353. a Julio II. anno 1503. a Paulo IV. anno 1558. a Pio IV. anno 1562. a Gregorio XV. anno 1621. ab Urbano VIII. anno 1625. et a Clemente XII. anno 1732 (1).

(50 Ex hisce autem Constitutionibus facile est colligere quomodo gerere se debeant Cardinales in Conclavi. At ne nimius sim, vid. Plat. *de Cardinalis Dignitat. et Offic. cap.* 31. *cum additionibus Reverendissimi Tria.*

ARTICULUS VI.

Quoad Cardinalium sepulturam, et quartam parochialem

(1. Cardinales Romæ decedentes non electa sibi Sepultura, sepeliendi sunt in Ecclesia sui tituli, si sepulcrum Majorum non habeant; et non in Parochia. Sic Rota *in Romana juris tumulandi* 20. *Februarii* 1702. *coram D. Priolo*, in Sepultura Cadaveris Cardinalis Pallavicini Episcopi Auximani *anno* 1700. in Urbe decessi sine electione Sepulturæ, et de mandato Eminentissimi Vicarii sepulti in Ecclesia S. Martini in forma depositi, et facta obligatione de illo restituendo contra Ecclesiam S. Andreæ de Fractis Parochialem, in qua obiit, favore dictæ Ecclesiæ S. Martini Titularis, Amostaz. *de causis piis lib.* 6. *de funer. c.* 8. *n.* 62. Card. Alban. *de Card. q.* 50. *vers. vel dicamus.* Passer. *de statu hominum art.* 4. *inspect.* 4. c. 2. *n.* 320. et alii passim. (2. Si vero tales Cardinales nondum habuerint Titulum, sepeliendi sunt in Ecclesia S. Joannis Lateranens's, cum ipsa sit Cathedralis Urbis. Coheli. *de notitia Cardinal. cap,* 16 *privil.* 38. § *Verum,* Petra *tom.* 2. *comment. in Constitut.* 2. *Honor. III. n.* 32. Alban. Passerin. Amostaz. *loc. mox citat.* et Rota *in dicta Romana coram D. Priolo num.* 12. (3. Si tamen Cardinales decedentes non electa Sepultura, habeant sepulcrum Majorum, in eo sunt sepeliendi, in quo urget major affectio, sicuti hac ratione sepelitur qui potius in Sepulcro Majorum, quam in Parochia. Sic expresse Card. Petra *loc. cit. n.* 32. Ultraquam quod Cardinales habentes Sepulcrum Majorum, censentur tacite elegisse ipsum pro sua Sepultura· *arg. c. Ebron.* 2. *et c. Unaquæque* 3. *caus.* 13. *qu.* 2. (4. Cardinales autem decedentes extra Urbem, sive in Patria, sive alibi, sive in itinere, antequam ad Urbem pervenerint, non electa sibi sepultura, nec habentes ibi Sepulcrum Majorum, sepeliendi sunt in Ecclesia Majori loci obitus, quia ratione Dignitatis illa Ecclesia censetur Parochialis defuncti Card. Murga *de sepult. tr.* 8. *disqu.* 2. *Section.* 2. *dub.* 7. *conclus.* 4. Petra *loc. cit. n.* 34. et Rota *in dicta Romana coram D. Priolo num.* 16. (5. Nisi tamen alicui Parochiæ sint obligati ex receptione Sacramentorum. Card. Petra *loc. cit. n.* 34. et videtur sentire Rota *in d. Romana num.* 15. (6. Cardinalis Regularis, sicuti quilibet alius Cardinalis, potest sibi eligere sepulturam ubilibet sine licentia Superioris Regularis: alias decedens non electa sepultura, sepelitur in propria Ecclesia sui tituli. Non enim in dicto casu supponitur, Cardinalem Regularem libere voluisse sepeliri in Ecclesia Regularium, quia magis stringit vinculum proprii tituli Cardinalitii, quam vinculum generale Religionis. (7. Tum quia dum Regularis assumitur ad Cardinalatum, eximitur ab obedientia Religionis, et sic sicuti remanet solutus a Lege vetante electionem Sepulturæ, ita præsumptio oritur ut electio debeat esse in eo loco, in quo uti Cardinalis, et non uti Regularis, sepeliri debuerat, etiamsi Sacramenta alibi recipiat, ut prosequitur *cit. decis.* apud Piton. *discept. Eccles. tom.* 2. *post disceptat.* 51. Petra *loc. cit. n.* 33. (8. Nullis autem Cardinalibus permittitur unquam sepeliri in Basilica Vaticana. Coheli. *in notit. Cardin. privil. tit.* 90. Passerin. *loc. cit. n.* 319. Petra *loc. cit. n.* 28. (9. Quarta autem Parochialis, seu Portio Canonica debetur proprio Paroeho ex funere Cardinalium, qui sepeliuntur extra Parochiam. Antonell. *de regimin. Eccles. l.* 1. *cap.* 12. *num.* 30. Piton. *in addit. ad dict. discept.* 51. *in fine;* Petra *loc. cit. n.* 55. Et sic sentire videtur Rota *in dict. Romana coram D. Priolo pro Sepultura Cadaveris Cardinalis Pallavicini num.* 3. ibi : « Quarta, quæ in quocumque casu Parochiæ debetur, cum ista sit in præmium laborum, et propter administrationem Sacramentorum, ac contrahatur in ipsa Nativitate, nempe ex susceptione Baptismatis. »

(10. Forma et solemnitas in exequiis S. R. E. Cardinalium servanda præscribitur a Benedicto XIV. *Tom.* 1. *Bullar. Constit.* 37. incip. *Præcipuum*, in qua § 2. præsertim mandat haberi Capellam Pontificiam ad Missam.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(11. Quod ait Auctor, Cardinales, qui nec sepulturam elegerunt, nec sepulcrum habent Majorum, sepeliri debere in Ecclesiis suorum

(1) Has omnes constitutiones collegit Fr. Antonius Seraphinus Camarda, et dissertationibus 43 in quibus quæ ad electionem Pontificis spectant, operose discutiuntur, Reate 1732, illustravit in libro, quem prænotavit : *Constitutionum apostolicarum, una cum cæremoniali Gregoriano de pertinentibus ad electionem Papæ synopsis*, etc. Ducit autem ille pauso remotius initium a Symmachi Papæ decreto in Romano a 499 Concilio. Porro cum edito jam libro Clementis XII, hoc de argumento constitutio prodiisset, hanc ipsam Camarda cum suis animadversionibus, aliisque nonnullis addidit. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

Tituorum, id procedit, etiamsi Cardinales inibi non resideant, quia « residentia rigorosa non requiritur (*ut ait Card. Petr.* in Comment. ad Const. 2. Honorii III. sect. unic. n. 32.); sed sufficit ut sit in Urbe, dum non omnes Ecclesiæ Cardinalium Titularium habent contiguas habitationes, et vere nititur hæc resolutio non solum consuetudini, sed etiam rationi, quia si Canonici sepeliri debent in Cathedrali, et Laicus in sepulcro Majorum, ob præsumptam eorum voluntatem etiam non facta electione, eo magis hæc præsumpta voluntas est in Cardinali ratione suæ Ecclesiæ titularis. »

CARO.

SUMMARIUM.

1. Carnibus vesci in monasteriis Carthusiensibus est omnibus interdictum. — 2. Carnium esus si cui concedatur tempore jejunii, quænam observari debeat. — 3. Carnes comedi nequeunt in vespertina refectiuncula tempore jejunii. — 4. Carnium esus prohibetur Latinis in Græcorum famulatu degentibus. — 5. Carnium esus diebus Sabbati per annum permittitur in regnis Castellæ, Legionis et Indiarum. — 6. Carnisprivium unde dictum. — 7. Abusum comedendi carnes Dominica prima Quadragesimæ, spectacula, ludosque publicos diebus festis fieri solitos extirpavit S. Carolus Borromæus ab Ecclesia Mediolanensi. — 8. Alia ad rem. *Remissive.*

(1. Carnibus vesci in Monasteriis Carthusiensibus est omnibus interdictum. Superioribus enim et Monachis ejusdem Ordinis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ interdicitur, ne cuicumque personæ etiam Cardinali, in Monasteriis dicti Ordinis carnibus vesci permittant. Clemens XI. *Constitution.* 50. incip. *Ex injuncto Nobis.*

(2. Carnium esus, si cui concedatur tempore jejunii, is servare debet leges præscriptas de unica comestione, de non permiscendis epulis, de hora refectionis, et aliis declaratis a Benedicto XIV. *tom.* 1. *Const.* 99. incip. *Si Fraternitas* § 1. (3. Carnes comedi nequeunt in vespertina refectiuncula tempore jejunii. Idem *ib.* Vide verb. *Jejunium, art.* 1. *n.* 35, ubi afferuntur plura ad rem.

(4. Carnium esus die Sabbati prohibetur Latinis in Græcorum famulatu degentibus. Idem *Const.* 57. incip. *Etsi* § 9. *n.* 9. (5. Carnium esus die Sabbati per annum permittitur in Regnis Castellæ, Legionis, et Indiarum. Idem *Constit.* 118. incip. *Jam pridem.*

(6. Carnisprivium, ita dictum tempus ante Quadragesimam, quo scilicet Ecclesiastici, et Religiosi a carnibus abstinere incipiebant. Idem *tom.* 2. *Constit.* 45. incip. *Inter cætera.*

(7. Abusum comedendi carnes Dominica prima Quadragesimæ, Spectacula, ludosque publicos diebus Festis fieri solitos, ab Ecclesia Mediolanensi exstirpavit S. Carolus Borromæus saluberrimis suis Constitutionibus, quas impugnantes, eorumque Auctorem Carolum veluti Novatorem palam, et publice traducentes, ad Gregorium XIII, tunc Summum Pontificem, Legati Romam perrexerunt a Mediolanensi Magistratu, instigante Civitatis Gubernatore, missi, ut in eadem Decreta apud Pontificem intercederent; qui Pontifex commissa causa nonnullorum Cardinalium Congregationi, auditisque variis Theologis, et Canonistis, ac spretis aliquorum Theologorum contrariis suffragiis, Caroli Archiepiscopi Edicta suis Apostolicis Litteris confirmavit, et Mediolanenses Legati, qui a Romanis per jocum appellabantur *Oratores Bacchanalium*, eo quod præcipue illuc accessissent, ut Bacchanalium jura tuerentur, et ampliarent, inanes in patriam remearunt. Sic expresse Bened. XIV. *de Synodo Diœcesana lib.* 7. *c.* 5*4. a n.* 3. *ad* 9. ex pluribus ibi adductis.

(8. Alia ad rem, quoad carnium esum, vide verb. *Abstinentia n.* 1. *et* 8. verb. *Jejunium. art.* 1. *n.* 8. *et seq.* ac verb. *Lex, art.* 3. *a n.* 21. *ad.* 35.

CASTITAS.

Vide verb. VOTUM, *art.* 2, *a n.* 157. *usque in finem.*

CASUS FORTUITUS.

Vide verb. COMMODATUM, *num.* 16.

CASUS RESERVATI.

Vide verb. RESERVATIO *casuum.*

CATECHUMENI.

SUMMARIUM.

ARTICULUS EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

1. Catechumeni unde dicti. — 2. Tres eorum gradus. — 3. Audientes, qui et quare ita dicti. — 4. Secundus Catechumenorum gradus. — 5. Tertius gradus. — 6. Vario apud varias Ecclesias temporis spatio Catechumenatus definitus fuit. — 7. Missa Catechumenorum. — 8. Nonnisi post longam probationem ad baptismum recipiebantur. — 9. Sed de tempore probationis nihil statutum erat. — 10. Quoad alia. *Remissive.*

1. Catechumeni a Græco verbo κατηχεῖν, quod est alicujus sive scientiæ, sive artis primi rudimentis quempiam viva voce instituere, nomen sumpserunt; quod scilicet mysteria fidei vivæ vocis ministerio docerentur; unde et a Tertulliano *de pœnit. c.* 6. *Novitioli*, et a S. Augustino *de Symb. fidei ad Catech. lib.* 2. *c.* 1. *tirones Dei* appellati sunt.

(2. Tres eorum fuerunt gradus, *Audientium, genuflectentium, et competentium.*

(3. Audientes certis ritibus inaugurabantur

Digitized by Google

tur, et in publicos Christianorum cœtus admissi concionibus, atque instructionibus intererant; dicti propterea *audientes*, quod Pastores de fidei mysteriis disserentes audirent, licet nondum nomen suum Catechumenorum albo inscribendum dedissent. Ex conventibus tamen sacrificii tempore, cum ethnicis et pœnitentibus ejiciebantur.

(4. Secundus Catechumenorum gradus illorum erat, qui Ecclesiæ nomen dederant; super iisque genuflexis preces et orationes pronunciabantur. Hi proprie *Catechumeni* dicebantur, iique intelligebantur, cum in Synaxi Diaconus alta voce diceret: *Quicunque Catechumeni discedite.* Priores enim sine ullo peculari edicto pellebantur.

(5. Tertius erat competentium, seu electorum gradus, qui scilicet quadragesimali tantum tempore, aut paulo ante Pentecostem post diligens septem scrutiniis de eorum moribus examen *ad gratiam Christi in baptismate percipiendam festinabant*, ut ait S. Isidorus Hispalensis *lib. 2. de Eccles. Offic. cap. 21.*

(6. Vario apud varias Ecclesias temporis spatio Catechumenatus definitus fuit; sed tandem tempus illud ad octodecim dies fuit contractum. Confer Morinum *de expiatione Catechumenorum*, Chardonium in historia Sacramentorum, et Selvaggium *Antiquitat. Christian. lib. 1. p. 2. cap. 17 et 19.*

DDITIONES CASINENSES.

(7. Vidimus jam *in art. Arcani Disciplina* Catechumenis non omnia Religionis nostræ mysteria tradita fuisse; et hic solum addendum censuimus, eos etiam a sacrificio Missæ exclusos fuisse. Scriptores enim Ecclesiastici tradunt, eos tantum præsentes fuisse ad initium Missæ, et lecto Evangelio et Sermone habito discessisse, unde hæc pars Missæ appellatur Missa Catechumenorum; Diaconus Catechumenis aliisque edicebat, ut abirent. Vetustioribus temporibus dimissio Evangelii lectionem præcedebat. Sed Conc. Arausicanum I. sub Leone I. *c.* 18. statuit, ut Evangelium post Epistolam et ante Catechumenorum dimissionem legeretur, quod confirmavit Concilium Valentinum in Hispania *c. 1. tit. 2.* ibi: *quatenus salutaria præcepta Domini nostri Jesu Christi vel Sermones Sacerdotis non solum fideles, sed etiam Catechumeni, et Pœnitentes, et omnes qui ex diverso sunt, audire licitum habeant.*

(8. Catechumeni olim non recipiebantur ad baptismum nisi post multum temporis. Nam consentaneum omnino non erat, ut qui Christiano lacte nondum erant enutriti, cœlesti pane reficerentur, vixque fidei nomen agnoscentes, fidelium catalogo adscriberentur, alioquin haud parum timendum fuisset, ne corrupti ab hæreticis aut gentilibus Christianæ religionis mysteria ludibrio ac derisioni infidelium exponerent. Martene *de ant. Eccles. Ritibus. l. 1. c. 1. art. 6.* et Conc. Constantinopol. I. *c. 7. curamus*, inquit, *ut longo tempore versentur in Ecclesiis et audiant Scripturas, et tum eos baptizamus.*

9. Quamdiu vero duraret illa probatio, nequaquam exprimit, sed totum prudentiæ ac discretioni Episcoporum aut Presbyterorum relinquit, ut sicut varia ingenia, religionis ac pietatis desiderium postulabant, eos sacris undis intingerent

10. Vide verb. *Sepultura n.* 172. et Append. ad v. *Sepultura*, v. *Vestis n.* 18. ac verb. *Hæreticus n.* 11, ac verb. *Arcani Disciplina.*

CATHEDRATICUM.

SUMMARIUM.

1. Cathedraticum quando introductum, et quid sit. — 2. Quare dicatur Cathedraticum. — 3. Quandoque appellatur etiam *Synodaticum*, et quare. — 4. Quid nomine Solidi intelligatur. — 5. Duo solidi pro Cathedratico solvendi sunt juxta æstimationem illius monetæ, quæ antiquitus, et ab initio solvi consuevit, nisi circa solutionem minoris, vel majoris monetæ, quæ modo est in usu, fuerit præscriptum. — 6. Quantitas usualis duorum solidorum pro Cathedratico solvendorum reducitur ad æstimationem duorum ducatorum in regno Neapolitano, alibi autem duorum scutorum monetæ usualis loci. — 7. Verum hæc reductio, seu æstimatio, erit sequenda quando non constat in præteritum in minori summa non fuisse solutum. Nam si constaret ab antecessore fuisse exactum in minori quantitate, tunc in hoc minori summa esset solvendum. — 8. Quantitas enim Cathedratici debet semper taxari juxta morem regionis rationabilem. — 9. Et si mos non adsit, a viciniori cathedra, vel provincia erit desumenda, et juxta valorem, et æstimationem solidi antiqui. — 10. Cathedraticum est de juribus episcopalibus, et adeo privilegiatum, ut in totum præscribi non possit. — 11. Et licet videretur, quod per immemorabilem consuetudinem posset præscribi juxta declarationem olim emanatam a Sacra Congreg. Conc. 3 Decemb. 1645, in una Albinganensi. — 12. Nihilominus eadem Sacr. Congregatio die 6 Jun. 1693, in una Lavellensi, et die 26 Februar 1707, in una Amalphitana respondit, debere solvi Episcopo Cathedraticum non obstante consuetudine etiam immemorabili in contrarium; ad n. 14. — 15. Cathedraticum non est sublatum a Concilio Tridentino. Non tamen solvi debet in visitatione, sed extra, et in synodi celebratione. — 16. Ad Cathedraticum solvendum tenentur de jure omnes Ecclesiæ sæculares. — 17. Hoc autem intelligendum est de Ecclesiis, et clericis intitulatis, et beneficiatis, a quibus solummodo potest exigi Cathedraticum. — 18. Non autem potest exigi a clericis, seu presbyteris non beneficiatis, etiamsi in præteritum solvissent. — 19. Solvi tamen debet a seminario pro beneficiis unitis. — 20. Regulares vero non tenentur solvere Cathedraticum pro monasteriis et eorum Ecclesiis regularibus, ubi ipsi resident, et divina peragunt, et quæ monasteriis ipsorum contigua, seu immediate penes ipsa existunt. — 21. Pro Ecclesiis tamen, beneficiis, capellis, et parochiis sæcularibus, quibus regulares præsunt, Cathedraticum solvere Episcopo tenentur, etiamsi monasteriis, aut eorum Ecclesiis pleno jure sint incorporatæ; ad n. 22. — 23. Ad Cathedratici, et synodatici tamen solutionem non tenentur, neque compelli possunt fratres S. Joannis Hierosolymitani, sive eorum Vicarii in parochialibus religioni prædictæ unitis. — 24. Ad complementum adducitur hic id, quod de Cathedratico fuit novissime in Concilio Romano celebrato anno 1725, a Benedicto XIII sancitum. — 25. 28. Decreta S. Congregat. super Cathedraticum. — 29. Primis Ecclesiæ sæculis Cathedratici præstatio consuetudini potius quam legi innitebatur. — 30. Synodus Bracharensis prima hanc legem tulit. — 31. Quæ præstatio deinde fuit præscripta in tota Ecclesia ab Honorio III. —

Digitized by Google

32. 35. Ex decreto dictæ synodi capitula dumtaxat, et Ecclesiæ parochiales Cathedraticum solvere tenebantur; sed postea ab omnibus quibuscumque capellis, et beneficiis ecclesiasticis solvendum esse statutum est. — 36. 37. Quantitas Cathedratici. — 38. 40. Tempus præstationis Cathedratici. — 41. Consuetudo etiam immemorabilis eximere haud potest a præstatione Cathedratici.

(1. Cathedraticum, quod fuit introductum ex Concil. Bracharensi II. ut refertur *in cap. Placuit* 1. *caus.* 10. *qu.* 3. est annua exactio duorum Solidorum, quos a qualibet Ecclesia suæ Diocesis, præterquam a Monasteriis, potest Episcopus annuatim exigere; *cap. Illud tc* 4. *cap. Inter cætera* 8. *et cap. Illud magnitudinem* 10. *caus.* 10. *quæst* 3. *et cap. Conquerente* 16. *de Offic. Ordinarii.* (2. Dicitur autem Cathedraticum, quia datur propter honorem Cathedræ Episcopalis, et in signum subjectionis ad ipsam Ecclesiam Cathedralem, cui præest Episcopus; *cap. Placuit* 1. *caus.* 10. *quæst.* 3. (3. Quandoque etiam appellatur *Synodaticum*, quia solvitur in Synodo; *cap. Olim* 20. *de censib.* Glossa *in d. cap. Conquerente, vers. duos solidos, de Offic. Ordinar.* (4. Nomine Solidi intelligitur aureus, ut nota Glossa 1. *in cap. Placuit* 1. *caus* 10. *q.* 3; nam et Lex civilis pro solido aureum intelligit, et antiquitus septuaginta duo solidi unam libram auri constituebant; *ut leg. Quotiescumque*, et ibi Glossa et Bartol. *C. de Susceptoribus;* et Ancharan. *lib.* 10. Unde ad illam æstimationem solvendi essent, nisi obstaret consuetudo. Fagnan. *in cap. Conquerente* 16. *de Offic. Ord. num.* 47. Hodie vero nonaginta sex aurei constituunt unam libram, ut per Abbat. *in d. cap. Conquerente num.* 6. et Fagnan. *ibid. num.* 47. (5. Duo autem solidi pro Cathedratico solvendi sunt juxta æstimationem illius Monetæ, quæ antiquitus, et ab initio solvi consuevit, nisi circa solutionem minoris, vel majoris Monetæ, quæ modo est in usu, sit præscriptum; *ut in dict. cap. cum olim* 20. *de censibus;* et cum Glossa sentiunt *in dict. cap. Conquerente* 16. *de Offic. Ordin.* Hostiens. *n.* 12. *in fin.* Joann. Andreas *n.* 39. Butr. *num.* 43. Abbas *n.* 6 Fagnan. *num.* 46. (6. Quantitas vero usualis duorum solidorum pro Cathedratico solvendorum juxta *cap. Conquerente* 16. *de Offic. Ordin.* reducitur ad æstimationem duorum Ducatorum in Regno Neapolitano, ut declaravit Cardinalis Ursinus (qui fuit ex post Pontifex sub nomine Benedicti XIII.) *in sua Synodo Beneventano anno* 1687. *cap.* 14. *de Cathedratico;* et in *Edicto* 6. *ibid.* registrato *pag.* 19. (7. Alibi autem duorum Scutorum monetæ usualis loci, ut in eodem Edicto § 10. auctoritate probatur. Verum hæc reductio, seu æstimatio erit sequenda, quando non constet in præteritum in minori Summa non fuisse solutum. Nam si constaret fuisse ab Antecessore exactum in minore quantitate, tunc in hac minori summa esset solvendum, ut Sac. Cong. Conc. declaravit in *Amalphitana* 5 *Septembr.* 1705. in qua ad rationem Carolenorum septem, Cathedraticum solvendum esse censuit juxta solitum. (8. Quantitas enim Cathedratici debet semper taxari juxta morem Regionis rationabilem. Barbosa *Juris Ecclesiast. lib.* 3. *c.* 20. *n.* 11. Tondut. *quæst. Benefic. tom.* 1. *p.* 2. *cap.* 2. § 1 *num.* 6. Monacell. *par.* 2. *tit.* 14 *formul.* 1. *n.* 8. et expresse Sac. Congr. Conc. *in Satrianen.* 13 *Februar.* 1695. (9. Et si mos non adsit, a viciniori Cathedra, vel Provincia erit desumenda; et juxta valorem, et æstimationem solidi antiqui, ut supra dictum est *n.* 5. et declaravit Sac. Congr. Conc. *in Albenganensi* 3. *Decemb.* 1644. *in resp. ad secundum;* Monacell. *l. c.*

(10. Cathedraticum est de Juribus Episcopalibus, et adeo privilegiatum, ut in totum præscribi non possit. Archidiacon. et Joann Andreas *in cap.* 1. *de Præbend. in* 6. Abbas *in cap. Cum venerabilis, num.* 3. *de censibus, et cons.* 99. *vers. Videtur primo, in fine lib.* 1. *et cons.* 7. *num.* 4. *vers. sed quamquam lib.* 4. Piasec. *in praxi. p.* 2. *art.* 2. *de statut. ab Episcopo faciend. num.* 13. Fagn. *in d. cap. Conquerente num.* 49. *de Offic. Ordinar.* (11. Et licet videretur, quod per immemorabilem consuetudinem posset præscribi juxta declarationem olim emanatam a Congregat. Conc. 3 *Decemb.* 1645. *in una Albinganensi*, ubi Episcopus cum Clero ejusdem Civitatis supplicavit pro declaratione infrascriptorum Dubiorum:

Primo: An modernus Episcopus, qui nunquam adhuc exegit Cathedraticum, possit pro præterito tempore, et in futurum exigere?

Secundo: In qua quantitate, et qualitate Monetæ possit illud exigere?

Tertio: An a toto Clero, an vero a Beneficiatis tantum sit facienda exactio? Sacra, etc. Ad dubia suprascripta respondit ut sequitur, videlicet:

Ad primum: Si Cathedraticum Episcopis Antecessoribus aliquando fuerit solutum, posse per modernum Episcopum exigi.

Ad secundum: Exigi tantum posse duos solidos juxta Juris communis dispositionem, et in Moneta antiqua juxta illius æstimationem non concurrente contraria consuetudine.

Ad tertium: Exactionem non esse faciendam a toto Clero, sed tantum ab Ecclesiis, Capellis, et Beneficiatis, si ad eorum favorem non concurrat privilegium exemptionis, vel immemorabilis.

(12. Nihilominus cum Episcopus Lavellensis in Synodo, Cathedraticum in præteritum non solutum ab Ecclesiis sibi subjectis, nec non a Clero in futurum solvi debere statuisset, et Capitulum, et Clerus reclamando, hanc resolutionem opponerent; et nunquam ab immemorabili solvisse assererent; eadem Congregatio, ad quam causa erat devoluta *sub die* 18. *Aprilis* 1693. rescripsit: *Examinetur formiter Albinganensis* 3 *Decemb.* 1644. *ad tertium dubium.* (13. Unde reproposita deinde causa in plena Congregatione sub Dubio: An Cathedraticum Episcopo debeatur? respondit: Deberi ad formam Juris ab Ecclesiis, et Beneficiatis tantum. (14. Et quod Cathedraticum solvi debeat Episcopo,

Digitized by Google

non obstante contraria consuetudine etiam immemorabili, iterum declaravit Sac. Congregat. Concil. *in eadem Amalphitana 26. Febr.* 1707.

(15. Cathedraticum non est sublatum a Concilio Tridentino; non tamen solvi debet in Visitatione, sed extra, et in Synodi celebratione; sic decrevisse Sacram Congregationem Concil. refert Fagnan. *in cap. Venerabili 24. de Censibus num.* 16. ubi dicit, quod Episcopo Tarantino quærenti an Concilium *cap. 2. sess. 24. vers. Interimque*, censeatur sustulisse Cathedraticum, quod singulis annis tam in visitatione, quam extra exigi consuevit ab Ordinario; Sac. Congregatio respondit: *Concilium nequaquam sustulisse Cathedraticum; sed illud non solvendum in Visitatione, sed extra, et in Synodi celebratione*; et late probat ipse Fagnan. *in cap. Cum olim 16. de Officio Ordinar. a n. 48. usque ad 60.* (16. Ad Cathedraticum solvendum tenentur de Jure omnes Ecclesiæ Sæculares. Barbosa *de Offic. et potest. Episcopus allegat. 86. a num. 40.* Vallens. *lib. 3. tit. 39. de Censib. num. 2.* Engel. *ibid. n. 6.* Pirhing. *ibid. n. 40.* cum communi, et certa aliorum, *argum. cap. Conquerente 16. de Offic. Ordinar.* et ibi Glossa *vers. duos solidos, cap. Pastoralis 7. de donation. c. Placuit 1. cap. Illud te 4. cap. Inter cætera 8. et cap. Illud magnitudinem 10. caus. 10. qu. 3.* et ratio est, quia, ut diximus *super n. 2.* Cathedraticum datur in signum subjectionis, a qua nulla Ecclesia immunis esse debet, ne Acephala sit; *cap. Nulla ratione 7. dict. 93.* quapropter, et si aliqua Ecclesia plena libertate gaudeat, tamen ad Cathedraticum obligatur, ut notat Glossa *in cap. Pastoralis 7. de donationibus*, et ibi Innocentius, et Abbas, qui etiam docent nec posse Episcopum aliquam Ecclesiam liberare a Cathedratico. (17. Hoc autem intelligendum est de Ecclesiis, et Clericis intitulatis, et Beneficiatis, a quibus solummodo potest exigi Cathedraticum. (18. Non autem potest exigi a Clericis, seu Presbyteris non Beneficiatis, etiamsi in præteritum solvissent, ut respondit Sac. Congr. Episcopor. *contra Archiepiscopum Compsanum 15. Januar.* 1694. qui vigore soliti exigere prætendebat a simplicibus Sacerdotibus annuatim Jure Cathedratici Julios quatuor. (19. Solvi tamen debet a Seminario pro Beneficiis unitis, ut declaravit Sac. Congreg. Conc. 21. *Maii* 1644. *in Cathacen. lib. 17. decret. pag. 409.*

(20. Regulares vero non tenentur solvere Cathedraticum pro Monasteriis, et eorum Ecclesiis Regularibus, ubi ipsi resident, et quæ Monasteriis ipsorum contigue, seu immediate penes ipsa existunt, textu expresso *in cap. Inter cætera 8. caus. 10 qu. 8.* ibi: *Monasteriorum tamen Basilicis ab hac solutionis pensione exemptis.* Et sic tenent Engel. *lib. 3. Decretal. tit. 49. num. 6.* Barbosa *l. 3. Juris Ecclesiast. univ. cap. 20. n. 11.* cum communi aliorum. Et ratio est, quia à Lege Diœcesana (vi cujus competit episcopo potestas exigendi Jura Episcopalia) sunt exempta. Barbosa *loc cit.* Fagnan. *loc. cit. num. 44.* et communis aliorum; *arg. cap. Cum pro utilitate 34. caus. 16. quæst. 1. et cap. Quam sit 5. caus. 18. quæst. 2. et cap. 1. de statu Monachor.* (21. Pro Ecclesiis tamen, Beneficiis, Capellis, et Parochiis Sæcularibus, quibus Regulares præsunt, Cathedraticum solvere Episcopo tenentur, etiamsi Monasteriis, aut eorum Ecclesiis pleno Jure sint incorporatæ. Fagnan. *in dict. cap. Conquerente 16. de Offic. Ordinar. n. 10. et 43.* Abbas *ibidem. n. 1.* Ancharanus *ibidem n. 5.* Et Glossa communiter recepta *in cap. Inter cætera 8. caus. 10. quæst. 3.* ubi docet, quamvis a Cathedratico exempta sint Monasteria, et Basilicæ Regularium, non tamen eorumdem Capellæ, id est Ecclesiæ, Beneficia et Parochiæ Sæculares eis incorporatæ. (22. Et ratio differentiæ est, quia Ecclesiæ et Monasteria Regularium exempta sunt a Lege Diœcesana, ut *in d. cap. Inter cætera 8. caus. 10. qu. 3. In cap. cum pro utilitate 34. caus. 16. qu. 1. cap. Quam sit 5. caus. 10. qu. 2.* Non sic autem Ecclesiæ, Beneficia, et Parochiæ Sæculares, Monasteriis, et Ecclesiis Regularium incorporatæ, et unitæ, quia istæ nullibi reperiuntur exemptæ a Lege Diœcesana, sed potius eidem positive subjectæ; *cap. de Monachis 12. de Præbend. cap. ex part. 3. et cap. ad audientiam 4. De Capellis Monachor.* cum similibus et notat Glossa *in dict. cap. Inter cætera, in verb. solutiones*, Hostiens, *in d. c. Conquerente n. 12.* et Fagnan. *ibidem num. 43.* (23. Sacra tamen Congregatio Concilii decrevit ad Cathedratici, et Synodatici solutionem non teneri, neque compelli posse Fratres S. Joannis Hierosolymitani, sive eorum Vicarios in Parochialibus Religioni prædictæ unitis. Sic ipsa Sac. Conc. Congregat. *in Augustana 4. Decembris* 1630. et referunt Sellius *in select. Canon. cap. 10. n. 20.* Barbosa *Sum. Apostolicar. dec. collect. 137. n. 4.*

(24. Ad complementum juvat hic adducere id quod de Cathedratico fuit novissime in Concilio Romano celebrato anno 1725. a Bened. XIII. sancitum; *in capite quarto* igitur *tituli 8. ejusdem Concilii* sic expresse habetur.

Cathedraticum Episcopis solvendum declaratur.

Ipso communi Jure (*cap. Placuit 1. cap. Illud 4. cap. Illud magnitudinem tuam 10 caus. 10. quæst. 3. et cap. Conquerente 16. et Offic. Ordinar.*) est cautum, ut Episcopis Cathedraticum a Clericis debeatur, quod est duorum solidorum, viginti scilicet Juliorum Census Cathedralis Ecclesiæ solvendus in signum honoris, et subjectionis Cathedræ Pontificali. Jus sane inter cætera Episcopalia ita privilegiatum, ut neque ab Episcopis in totum remitti, nec a quoquam valeat quocumque titulo, vel immemorabili consuetudine præscribi. Quod si forte aliquid sub alio, vel fixorum munerum, vel xeniorum nomine offeratur, decernimus, ut ab Episcopis, tanquam qui non præmium, sed honorem postulant, munera, et xenia recusentur hujusmodi; et Cathedraticum dumtaxat,

Digitized by Google

summam non excedens prædictam ab ecclesiis (non tamen Regularium) et a Beneficiatis sibi subjectis tali etiam volumus moderatione exigatur, videlicet :

I. Quibus sunt redditus infra scuta decem (idem de Ducatis monetæ Neapolitanæ intelligatur) duo Julii.

II. Quibus scuta infra quinquaginta, Julii quinque.

III. Quibus infra centum, Julii decem.

IV. Quibus ultra centum, vel quacumque in alia majori summa, Julii quindecim.

V. Ab Ecclesiis vero, ubi plures de massa participant, ab omnibus in communi, Julii viginti, salvis tamen Consuetudinibus, Ecclesiis, et Episcopis magis favorabilibus.

(25. Addenda sunt ad rem sequentia decreta relata in Thesauro Resolution.. *tom.* 6. *in Firmana Cathedratici*, ibi : In congregatione particulari super Cathedraticis pridem a Sanctissimo D. N. deputata quatuor ad instantiam Promotoris Fiscalis Curiæ Archiepiscopalis Firmanæ die 29. Aprilis 1731. contra Collegiatam Murri Vallis propositis Dubiis nimirum : « I. An Beneficia, quæ sunt ad collationem Capituli Firmani præter solutionem census, quam ei facere solent, teneantur etiam solvere Cathedraticum Reverendis. Archiepiscopo ? II. An Capellæ, et Confraternitates Laicales teneantur solvere Cathedraticum ? III. An Cathedraticum jam in certa summa taxatum, et solvi consuetum potuerit augeri ? IV. An augmentum hactenus exactum veniat restituendum ? » Responsum fuit : « Ad I. Affirmative. Ad II. Capellanias, et Confraternitates Laicales non teneri. Ad III. Negative. Ad IV. Affirmative. »

(26. Totidemque pariter propositis contra Collegiatam S. Elpidii, scilicet : « I. An Capitulares, et Beneficiati Sancti Elpidii, quatenus habeant Præbendas distinctas a Massa communi, teneantur solvere Cathedraticum pro qualibet eorum Præbenda ultra Cathedraticum in communi ? II. An antiqua, seu potius nova taxa Cathedratici, etiam quoad Beneficia extra gremium dictæ collegiatæ, et Loca Pia dictæ Terræ, sit exsequenda ? III. An Beneficia, et Loca Pia de præterito non taxata pro Cathedratico teneantur in posterum illud solvere, et ad cujus taxæ rationem ? IV. An constet de attentatis ? » prodiit Rescriptum : « Ad I. Negative. Ad II. Antiquam Taxam esse servandam. Ad III. Ad mentem, quæ fuit, ut servetur dispositio Concilii Romani. Ad IV. Negative ; » ac deinde reproposita Causa, die 5. Octobris ejusdem Anni, responsum fuit : « In Decisis in omnibus, et amplius. »

(27. Et in dicta *Firmana Cathedratici* ad tria sequentia dubia « I. An Beneficia, quorum redditus non excedunt annua scuta 15. deductis oneribus teneantur solvere Cathedraticum, et in qua summa, in casu, etc. ? II. An Confraternitates erectæ auctoritate ordinaria, et habentes propriam Ecclesiam teneantur solvere Cathedraticum, in casu etc. ? III. An ad solutionem Cathedratici teneantur etiam Confraternitates non habentes propriam Ecclesiam, sed simplicem tantum Capellam in honorem Sanctorum, sub quorum titulo sunt erectæ in casu, etc. ? responsum fuit : Ad primum, et secundum *Affirmative :* Ad tertium *Negative, et amplius.* »

(28. « In *Viterbien. Cathedratici*, propositis duobus sequentibus dubiis : I. *An sustinenda sit provisio Præbendæ Pœnitentiariæ facta ab Ordinario?* Et quatenus negative : II. *An dicta Præbenda Pœnitentiariæ sit conferenda Sigismundo Malatesta in casu, etc.* Sac. Congreg. Concil. 7. *Aprilis* 1742. respondit, Ad I. *Negative ad primam partem, et Affirmative ad secundam.* Ad II. *Satis provisum in primo* mo. Sic apud thesaurum *tom. X. indicta Viterbien. Cathedratici.* »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(29. Primis Ecclesiæ sæculis Cathedratici præstatio consuetudini potius quam legi innitebatur. (30. Synodus Bracharensis prima omnium jussit ut Cathedraticum Episcopo præstaretur ; *Can. Placuit* 10. *qu.* 3. (31. Hæc ipsa præstatio præscripta deinde fuit in tota Ecclesia ab Honorio III, *in cap. Conquerente, de Offic. Ordinarii.*

(32. Ex decreto vero Synodi Bracharensis Capitula dumtaxat, et Ecclesiæ Parochiales Cathedraticum solvere tenebantur. (33. « Hæc autem restricta Cathedratici solutio (*inquit Rota* coram Tanario decis. 228. n. 6 et 7.) non alia ratione processit, nisi quia ex tunc ab Episcopis construi permittebantur Ecclesiæ dumtaxat Parochiales, in quibus Sacramenta Christi fidelibus ministrarentur. (34. Quum autem post datam Ecclesiæ pacem plures in dies temporisque progressu ab hominum pietate ædificatæ, atque dotatæ fuerint Ecclesiæ, et respective fundata Beneficia ; (35. hinc per viam Legis universalis statutum fuit ab Honorio III. in cap. Conquerente, de Offic. Ordinar. ut Cathedraticum esset omnino solvendum tam a Capitulis, et Parochialibus Ecclesiis, quam ab omnibus aliis quibuscumque Capellis, et Beneficiis Ecclesiasticis. »

(36. Præstatio autem Cathedratici statuta a jure est in duobus solidis, nulla habita ratione majoris, vel minoris opulentiæ Ecclesiæ. (37. An autem consuetudo vim habere possit quoad quantitatem Cathedratici sive augendam, sive minuendam, vide apud Rotam *coram* Tanar. *impress. Romæ Tom.* 2. *apud Barbiellini d. dec.* 234. n. 43.

(38. Tempus vero non est præstitutum præstationi Cathedratici. (39. Licet enim ut plurimum præstari soleat in synodo, tamen consuetudine vel conventione partium potest alio tempore præstari. (40. Et, quod summopere notandum est, debet præstari in illis etiam annis, in quibus non celebretur Synodus. Sac. Congregatio Concilii interpres *in Cassanen. Cathedratici* 21. *Maii* 1735. *ad* 1 *et* 2. *dub. et rursus in Perusina Cathedratici* 19. *Novembris ejusdem anni* 1735 *ad secund. dub.*

(41. Consuetudinem etiam immemorabilem eximere haud posse a præstatione Cathedratici firmavit Rota *coram dict.* Tanar. *decis.* 238. *num.* 46.

Digitized by Google

CAUPO.

Vide verb. TABERNA, TABERNARII PER TOT. *et verb.* CLERICUS, *art.* 5. *a num.* 10. *ad* 14.

CAUSÆ.

SUMMARIUM.

1. Causæ omnes tam civiles quam criminales in prima instantia ab Ordinariis sunt cognoscendæ. — 2. Si pendentibus Causis in prima instantia impetrentur citationes in signatura justitiæ, hæ non valent ad retardandam exsecutionem processuum. — 3. In Causis ultra montes monitoria expediri prohibentur in curia absque speciali judicis rescripto. — 4. Causarum commissiones ad partes judicibus synodalibus duntaxat sunt dirigendæ. — 5. Causæ de partibus non attingentes valorem centum scutorum retineri nequeunt in curia. — 6. Causæ jam contestatæ, et introductæ in partibus, si deferantur ad A. C. quomodo reassumi debeant. — 7. Causæ infra valorem 35 scut. judicari possunt a Cardinali Vicario urbis, et a gubernatore. — 8. Causæ quæcumque per commissionem manu Pontificis signatam, cuilibet judici, tribunali, aut Congregationi committi possunt. — 9. 11. Causæ rotales quænam sint. — 12. 16. Causæ minus graves, seu prælatitiæ. — 17. 18. Causæ ad forum Capitolinum spectantes nunquam ab illius curia avocari poterunt, nisi de partium consensu. — 19. Causa ad capitolii curiam pertinens tam rotæ quam alteri cuicumque judici committi valet. — 20. Excipiuntur Causæ matrimoniales, et super nullitate professionum regularium. — 21. Causæ matrimoniales ad auditorium rotæ, vel ad S. Congregationem Conc. sunt deferendæ. — 22. 24. Causæ super nullitate professionis regularis a quo cognoscendæ. — 25. 26. Causæ nullitatis professionis monialium a quo judicari debeant. — 27. Causæ nullitatis professionis ex capite non expleti novitiatus in cœnobio ad institutionem novitiorum designato privative spectant ad Congregationem Concilii. — 28. Causæ super nullitate professionis post primam instantiam deferuntur ad judices, ad quos de jure appellatio interponitur. — 29. Causæ nullitatis etiam intra quinquennium promotæ, si devolvantur ad S. Sedem, a quonam judicari debeant. — 30. 31. Causæ nullitatis professionis in gradu restitutionis in integrum adversus lapsum quinquennii a S. Sede tantum cognosci possunt. — 32. Quandoque vero ex Apostolicæ Sedis dispensatione ordinariis, et aliis superioribus committuntur. — 33. Causas spirituales avocantes a judicibus Ecclesiasticis excommunicantur. — 34. Causæ beneficiales habent appellationem suspensivam ab eo interpositam, qui in prima instantia succubuit. — 35. Causæ omnes in quibus ecclesiastici tamquam rei conveniuntur, semper cognoscendæ sunt in foro ecclesiastico. — 36. Si clericus laicum convenerit pro repetendis rebus Ecclesiæ suæ, a quo judice cognosci debeat Causa. — 37. Causa quid sit; et in quo differat a lite et a quæstione. — 38. Causæ dividuntur in civiles, criminales, et spirituales. — 39. Causarum spiritualium cognitio ad quem spectet. — 40. Causæ majores Sedi Apostolicæ reservantur. — 41. Præcipuæ earum enumerantur. — 42. Gallorum contentiones circa reservationem Causarum majorum. — 43. Cardinalium Causæ a Pontifice cognosci debent. — 44. Causas criminales Vicarius expedire nequit, nisi specialiter ei commissæ fuerint. — 45. Quibus in Causis matrimonialibus capitulum, sede vacante, procedere possit. — 46. Episcopo inferior ex delegatione Causarum matrimonialium cognitionem habere potest. — 47. Causæ ecclesiasticæ, si coram ordinariis infra biennium non terminentur, liberum est partibus judices superiores adire. — 48. In Causa denegatæ, vel protractæ justitiæ Archiepiscopus supplet negligentiam Episcopi. — 49. Omnes Causæ generaliter loquendo delegari possunt. — 50. Causas matrimoniales, quæ spectant ad Episcopum jure ordinario, ipse committere potest decidendas doctoribus, qui non sunt ejus Vicarii.

(1. Causæ omnes tam civiles quam criminales exemptarum personarum in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat agnoscendæ sunt, Causis privilegiatis exceptis, neque committi possunt etiam Auditori Cameræ Apostolicæ, nisi per viam legitimæ appellationis. (2. Si autem pendentibus Causis in prima instantia impetrentur citationes in signatura justitiæ, hæ quidem valent ad comparendum, vel ad adeundam Signaturam, non vero ad retardandam exsecutionem processuum ad ulteriora. (3. In Causis autem ultra montes, etiam privilegiatis, monitoria expediri prohibentur in Curia absque speciali Judicis Rescripto. Benedic. XIV. *tom.* 1. *Constit.* 48. incip. *Ad Militantis* §. 22. *et sequ.*

(4. Causarum commissiones ad partes judicibus Synodalibus dumtaxat sunt dirigendæ. Idem §. 6. (5. Causæ de partibus non attingentes valorem centum scutorum, et non privilegiatæ, retineri nequeunt in Curia; sed subdelegandus est Judex cum soluta clausula: *Ad effectum cognoscendi de gravamine pro admissione, vel denegatione recursus*, etc. Idem *Constit.* 115. incip. *Romanæ Curiæ* § 12. (6. Causæ jam contestatæ, et introductæ in partibus, si ob privilegium variandi forum deferantur ad A. C. reassumi debent in statu, et terminis, refectis sumptibus, et transportatis actis expensis illius qui variare voluerit. Idem *ibid.* §. 6 (7. Causæ infra valorem scut. 35. et mercedis judicari possunt a Cardinali Vicario Urbis, et a Gubernatore contra quoscumque, etiamsi adsit obligatio Cameralis. Idem *ibid.* §. 24.

(8. Causæ quæcumque per commissionem manu Pontificis signatam, cuilibet Judici, Tribunali, aut Congregationi committi possunt. Idem *tom.* 2. *Const.* 51. incip. *Justitiæ et Pacis.* (9. Causæ Rotales a prælatitiis distinguuntur; Causæ enim graviores, et consequenter Rotales sunt illæ in quibus agitur de jurisdictionibus, Juribus Patronatus, etc. Et generaliter quoties earum valor citra montes ascendit ad scuta auri quingenta, ultra montes autem ad scuta mille hujusmodi Idem, *ibid.* (10. Item Causæ Beneficiales, in quibus agitur de Titulo Beneficii, et Pensionum, quorum redditus excedat summam 24 ducatorum de Camera; vel si agatur de prima Dignitate in Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis. Idem, *ibid.* (11. Et Causæ Matrimoniales, tam super fœdere Matrimonii quam super divortio. Necnon super nullitate Professionis Regularis. Idem, *ibid.* (12. Causæ minus graves, adeoque Prælatitiæ, censentur illæ pecuniariæ, citramontanæ, quæ summam quingentorum scutorum aureorum; ultramontanæ vero, quæ mille scutorum aureorum similium æstimationem

Digitized by Google

non attingunt. Idem *ibidem*. (13. Item Causæ Beneficiales, et Pensionum Ecclesiasticarum, ubi valor annuus Beneficii, aut Pensionis summam viginti quatuor ducatorum auri non excedat. Idem, *ibid*. (14. In Causis censuum, si agatur de censibus redimilibus, attendenda est quantitas, seu valor sortis, ut dicentur Rotales, necne. Idem, *ibid*. (15. In Causis servitutum tam realium quam mixtarum, considerandus est prædii valor. Idem, *ibid*. (16. In Causis Canonum habenda erit ratio fundi, super quo Canon constitutus fuit. Idem *ibidem*.

(17. Causæ tam graves, quam minus graves, ad Forum Capitolinum spectantes, numquam ab illius Curia avocari poterunt, nisi de partium consensu. Idem *ibid*. (18. Sed de consensu partium Causa Rotalis Prælato, et Prælatitia Auditorio Rotæ committi potest (1). Idem, *ibid*. (19. Sicut etiam Causa ad Capitolii Curiam pertinens, tam Rotæ, quam alteri cuicumque judici committi valet. (2) Idem *ibid*. (20. Exceptis Causis Matrimonialibus, et Causis super nullitate Professionum Regularium. Idem *ibidem*.

(21. Causæ Matrimoniales ad Auditorium Rotæ, vel ad Congregationem Concilii omnino sunt deferendæ. (3) Idem, *ibid*. (22. Causæ autem super nullitate Professionis, Regularis intra quinquennium, sive ex parte Religiosi Professi, sive ex parte Religionis proponantur, in prima instantia cognoscendæ sunt a Superiore Regulari simul cum Ordinario loci. Idem *tom*. 2. *Constit*. 47. incip. *Si datam*. (23. Idem statuitur, si Causa intra quinquennium intentata non prosecuta fuerit, et post quinquennium reassumpta. Idem, ibid. (24. Eædem in casu discrepantiæ inter Ordinarium, et Superiorem Localem devolvuntur ad Sanctam Sedem. Idem *ibid*.

(25. Causæ nullitatis Professionis Monialium, si fuerint Ordinario tantum subjectæ ab eo judicari debent. Idem, *ibid*. (26. Secus si Regularibus subjectæ sint; tunc enim judicandæ sunt ab Ordinario loci simul, et a Superiore Regulari, cui concreditum est universum Monasterii regimen, non autem ab earum Confessario. Idem *ibidem*.

(27. Causæ nullitatis Professionis ex capite non expleti Novitiatus in Cœnobio ad institutionem Novitiorum designato etiam intra quinquennium, privative spectant ad Congregationem Concilii, etiam in prima instantia. Idem, *ibidem*. (28. Causæ super nullitate professionis post primam instantiam deferuntur ad Judices, ad quos de jure appellatio interponitur. Qui tamen procedere debent una cum altero Superiore Regulari. Idem *ibidem*.

(29. Causæ nullitatis etiam intra quinquennium promotæ, si devolvantur ad S. Sedem, judicari debent vel ab Auditorio Rotæ, vel a Congregatione Concilii, vel a Congregatione Episcop. et Regular. sine interventu Superioris Regularis. Idem, *ibid*.

(30. Causæ nullitatis Professionis in gradu restitutionis in integrum adversus lapsum quinquennii a S. Sede tantum cognosci possunt. Idem, *ibid*. (31. Sive ex parte Religionis, sive ex parte Professi introducantur et impedimentum ad reclamandum duravit quinquennio. Idem *ibid*. (32. Causæ in gradu restitutionis in integrum quandoque ex Apostolicæ Sedis dispensatione Ordinariis, et aliis Superioribus committuntur. Idem *ibid*.

(33. Causas Spirituales avocantes a Judicibus Ecclesiasticis excommunicantur. Idem *tom*. 1. *Constit*. 14. incip. *Pastoralis* § 14. publicata, et publicari solita in Cœna Domini.

(34. Causæ beneficiales habent appellationem suspensivam ab eo interpositam, qui in prima instantia succubuit; nec nisi post sententiam definitivam apud Sedem Apostolicam sive in Petitorio, sive in Possessorio, est locus sequestrationi fructuum. *Clement. Unic. de sequestr. possess. et fruct.*, neque aliter statui potest in Synodis particularium Ecclesiarum. Ita in *Tract. de Synodo Diœces. lib*. 12. *cap*. 1. *num*. 3.

(35. Causæ omnes etiam civiles, et de re etiam profana, in quibus Ecclesiastici tanquam rei conveniuntur, semper cognoscendæ sunt in Foro Ecclesiastico, et in prima instantia in foro proprii Episcopi; nec etiam de Episcopi consensu transferri possunt in prima instantia ad Curiam Romanam, nisi ita conventum sit inter partes, ut decisum refertur a Sac. Congr. Concil. in *Instit. Eccles*. 40. § 3.

(36. Si vero Clericus laicum convenerit pro repetendis rebus Ecclesiæ suæ, quamquam de rigore juris cognitio hujus Causæ pertineat ad judicem sæcularem; tamen si consuetudo contraria invaluerit, pertinere possunt ad Forum Ecclesiasticum. Utrum privative vero, adeo ut conventio ista fieri non possit ad tribunal laicum, vel cumulative, ut possit ad utrumque, ex consuetudine decidendum erit. Quamquam in casu etiam, in quo valet privativa, de licentia Episcopi potest Causa ista agitari coram judice laico; ut ex decretis Sacræ Congregationis Episcopor. et Regular. confirmatis Brevi Pauli V. die 9. Martii 1617. *ibidem*. § 5.

ADDITIONES CASINENSES.

(37. Causa proprie dicitur ipsa res controversa quæ in judicium deducitur; et differt a lite, quod lis proprie dicatur post contestationem; causa vero ante et post. Jason. *in l. Postquam liti num*. 10. Differt etiam Causa a quæstione, quod hæc tam intra quam extra judicium dicatur, Causa vero proprie solum in judicio. Pirhing *lib*. 2. *tit*. 1. *n*. 4. (38. Causæ dividuntur secundum *Gloss. caus*. 11. *qu*. 1. *in Summa*, Abbat. in *cap. decernimus n*. 3. *tit*. 1. *lib*. 2. et alios, in mere civiles, in quibus agitur de rebus mere temporali-

(1) Ex nuperrima constitutione Clementis XIII, contrarium servari debet; nam Causæ rotales Sac. Auditorio rotæ, prælatitiæ, vero prælatis committuntur.

(2) Scilicet uti de voto.

(3) Quoad vero sponsalia ad judices ordinarios.

Digitized by Google

bus; in criminales, ubi de crimine agitur; et in spirituales, in quibus tractantur res spirituales; per quas non solum illa intelliguntur quæ per se ac essentiam suam sunt spiritualia, ut gratiæ, virtutes, etc., sed etiam omnia illa quæ vel causant spiritualia, uti sunt Sacramenta, vel saltem ad Dei cultum, et pios usus, sive ad salutem spiritualem animarum ordinantur» (39. Et cognitio Causarum spiritualium, seu Ecclesiasticarum nonnisi ad judices Ecclesiasticos spectat, privative quoad alios judices laicos; quod patet ex *lib.* II *tit.* 1. *cap.* 2. ibi : *ut Laici Ecclesiastica tractare negotia non præsumant;* et ex ipso Concil. Trident. *sess.* 24. *can.* 12. ubi anathema fertur contra asserentem *causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos.*

(40. Causæ majores in jure expresse denominatæ, quæ lege quoque Concordatorum Sedis Apostolicæ judicio in prima instantia reservantur, plene ostenduntur ab Altasser. *de Jurisd. Eccles. lib.* 10. *cap.* 1. *et sequ.*

(41. Inter eas præcipue numerantur quæstiones quæ spectant ad articulos fidei intelligendos, ad Canonicos libros discernendos, ad sensum sacrarum litterarum declarandum, approbandumque, ad interpretanda quæ dubia sunt, vel obscura in controversiis fidei, in jure Canonico vel divino : item ad declarandum quæ ad Sacramentum pertinent, videlicet ad materiam et formam, et ministrum : Causæ Criminales contra Episcopos, quæ depositione, aut privatione dignæ sunt.

(42. Galli nihilominus contenderunt quod Episcoporum Causæ, quæ depositione, vel privatione dignæ sunt, Romæ a Pontifice judicari non possint, sed earum cognitionem delegari debere Judicibus in partibus. Vide Spondan. *ad annum* 1563. *num.* 30. Pallavicin. *Histor. Concil. Trident. cap.* 7. Sed standum est Decreto Concilii Tridentini, quo statuitur : « Causæ criminales graviores contra Episcopos etiam hæresis, quod absit, quæ depositione, aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum summo Romano Pontifice cognoscentur, et terminentur. Quod si ejusmodi sit Causa, quæ necessario extra Romanam Curiam sit committenda, nemini prorsus ea committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis a Beatissimo Papa eligendis. Hæc vero commissio et specialis sit, et manu ipsius Sanctissimi Pontificis signata, nec unquam plus his tribuat, quam ut solam facti instructionem sumant, processumque conficiant, quem statim ad Romanum Pontificem transmittant, reservata eidem Sanctissimo sententia definitiva. Cætera alias sub fel. rec. Julio III. super his decreta, nec non et constitutio sub Innocentio III. in Concilio Generali, quæ incipit : *Qualiter et quando :* quam sancta Synodus in præsenti innovat, ab omnibus observetur. Minores vero criminales Causæ Episcoporum in Concilio tantum Provinciali cognoscantur, et terminentur, vel a deputandis per Concilium Provinciale. » Trid. *sess.* 24. *cap.* 5 *de Reformat.* Idem jam antea sancitum erat in Concordato inter Pontificem Leonem X, et Franciscum Francorum Regem, quod anno 1817, restitutum est Conventione inita inter Pont. Pium VII, et Christianissimum Regem Ludovicum XVIII.

(43. Cardinalium Causæ, in delictis privilegiatis; illa præsertim læsæ Majestatis, non nisi a Pontifice cognosci possunt. Rigant *Comment. in Regul.* 37, *n.* 198, *et* 172, ubi rejicitur contraria sententia relata.

(44. Causas Criminales Vicarius expedire nequit, nisi specialiter ei commissæ fuerint, ita ut nec inquirere, corrigere, aut punire subditorum excessus queat. Barbosa *alleg* 54, *par.* 3.

(45. Capitulum, vacante sede, de Causis matrimonialibus cognoscere potest illas tantum, quæ procedunt ex ordinaria jurisdictione, non autem quæ ex delegatione proveniunt; quia Capitulum, vacante sede, succedat in locum Episcopi quoad jurisdictionem ordinariam, non ita quoad delegatam. Barbosa *par.* III, *alleg.* 84.

(46. Inferior Episcopo ex delegatione Causarum matrimonialium cognitionem habere potest juxta text. *in cap. proposuisti, de probat. et in cap. ex litteris, de in integrum restitutione, et in cap.* 1, *ut lite non contest,* quibus probatur Causas matrimoniales a Romano Pontifice delegari non solum Episcopis, sed et inferioribus, nempe Archidiaconis, Prioribus et Archipresbyteris. Barbosa, *ibidem, n.* 6.

(47. Causæ quæcumque Ecclesiasticæ, si in prima instantia coram Ordinariis locorum infra biennium, a die motæ litis computandum, non terminantur, ex novo decreto Concilii Trid. *sess.* 24, *cap.* 20, statutum fuit, liberum esse partibus, vel alteri illarum, judices superiores, alias tamen competentes adire, qui Causam in eo statu, quo fuerit, assumant, et quamprimum terminari curent. Reiffenstuel. *lib.* 1. *Decret. tit.* 10, *n.* 32.

(48. In Causa denegatæ, vel protractæ justitiæ Archiepiscopus supplet negligentiam Episcopi. Denegata justitia accidit, quando judex inferior, puta Episcopus, debite saltem semel requisitus, justitiam denegavit, seu litem cum æquitate audire recusavit, tunc generaliter devolvitur jurisdictio primæ instantiæ ad superiorem, ut etiam per viam simplicis querelæ adiri possit. Protracta justitia vero accidit, quando inferior judex, puta Episcopus, acceptavit quidem Causam, sed protraxit, seu neglexit eam finire; et prius quidem decernuntur a superiore judice puta Archiepiscopo, Promotoriales, ut vocant, in quibus inferiori judici, puta Episcopo, assignatur terminus, sive certum tempus pro administranda justitia et elapso termino illo censetur primum jurisdictio devoluta ad superiorem judicem. Idem *num.* 29, *et seq.*

(49. Omnes Causæ generaliter loquendo, delegari possunt, nisi quid specialiter sit exceptum; Causæ vero non possunt subdelegari sine justa causa; et cum delegantur, censetur electa industria personæ. Barbosa *ibid., n.* 11, 12.

Digitized by Google

(50. Causas vero matrimoniales, quæ spectant ad Episcopum jure Ordinario, potest ipse committere discutiendas, et decidendas doctoribus, etiam qui non sunt ejus Vicarii. Et debent hujusmodi Causæ matrimoniales ob sui gravitatem cognosci, et judicari ab his, qui statuta canonum non ignorant.

Præterea iniquum esset quamquam conjugalem controversiam tractari ab eo, qui non sit juris canonici peritus, tamen lata sententia valida esset propter jurisdictionem, quam habet is, qui eam tulerit. Barbosa, *ibi dem*, *n.* 15.

CENSURA.

SUMMARIUM.

1. Censura unde sit dicta. — 2. Censura quid sit. — 3. Explicatur per singulas particulas definitio Censuræ. — 4. Censuræ ecclesiasticæ proprie dictæ sunt tantum tres, videlicet excommunicatio, suspensio, et interdictum. — 5. Irregularitas autem non est proprie Censura. — 6. Sic depositio et degradatio non sunt Censuræ. — 7. Item cessatio a divinis non est Censura. — 8. Potestas ferendi Censuras quibus competat.—9. Censura primo ferri non potest, nisi in delinquentes Christianos. — 10. Secundo ferri non potest, nisi in rationis capaces. — 11. Tertio non potest ferri, nisi in subjectos jurisdictioni ferentis ipsam Censuram. — 12. Quarto communitas, aut collegium potest quidem ligari suspensione et interdicto, minime tamen excommunicatione. — 13. Quinto ex speciali jure non ligantur Episcopi sententia generali suspensionis, aut interdicti, nisi de ipsis specialis mentio fiat.—14. Sexto sic etiam Cardinales, nisi specialis, et expressa de ipsis mentio fiat. — 15. Septimo Imperatores et Reges ob suæ dignitatis excellentiam Censura aliqua ab Episcopis ligari non possunt. — 16. Ad validitatem Censuræ requiritur culpa gravis, et in suo genere completa cum contumacia, seu inobedientia delinquentis. — 17. Intellige tamen de excommunicatione majori, vel alia Censura ecclesiastica gravi. — 18. Adducitur ratio, quare ad validitatem Censuræ requiratur, quod *culpa in suo genere sit completa*. — 19. Adducitur ratio, quare etiam debeat esse *cum contumacia, seu inobedientia delinquentis*. — 20. Ad incurrendam tamen Censuram non requiritur semper contumacia aut contemptus formalis, sed sufficit inobedientia generalis, et contemptus interpretativus. — 21. Ad validitatem Censuræ ferendæ ab homine, requiritur etiam trina monitio, nisi urgens necessitas aliud suadeat, quod nempe in aliquo urgenti casu, una solum admonitio peremptoria pro tribus sufficiat. — 22. Et talis monitio debet fieri in scripturis cum expressione causæ et nominis tam ejus, qui fert, quam ejus contra quem fertur Censura; et coram testibus tradi, vel legi ipsi personæ excommunicandæ. — 23. Nisi forsan malitiose se absconderet et fugeret; tunc enim sufficit, si monitio seu excommunicatio prævia scripta ad ejus domum, vel ad valvas Ecclesiæ, vel in alio publico loco affigatur. — 24. Dicitur autem notanter, *maxime excommunicationis*, quia Censura suspensionis, et interdicti aliquando non ut meræ Censuræ, sed ut pœnæ vindicativæ imponuntur, et imponi possunt, nulla comminatione præmissa. — 25. Ad validitatem tamen Censuræ latæ sententiæ a jure statutæ, non requiritur monitio. — 26. Censura interdicti potest infligi etiam ob peccatum alterius. — 27. Non potest tamen propter peccatum alterius infligi Censura excommunicationis majoris. — 28. Neque etiam propter peccatum alterius potest infligi Censura suspensionis proprie et stricte acceptæ. — 29. Ab incurrendis Censuris tres præcipue causæ excusant; et assignatur prima. — 30. Assignatur secunda. — 31. Assignatur tertia. — 32. Quando appellatio fit post latam excommunicationem, vel alterius Censuræ sententiam, non habet vim suspendendi, sed solum devolvendi, ut superior possit cognoscere de justitia Censuræ. — 33. Innocens censuratus, v. g. excommunicatus secundum allegata, et approbata in foro externo pro tali habere se debet, quamvis coram Deo ab ea immunis sit, et in secreto contra eam agere possit. — 34. In secreto tamen posset talis se gerere, ut non censuratus. — 35. A Censuris a jure, si non sint reservatæ, absolvere potest quilibet confessarius pro foro interno conscientiæ; pro foro tamen externo superior censurati. — 36. A Censuris ab homine latis per sententiam specialem potest absolvere solus ille qui eas tulit, vel ejus delegatus, vel superior censurantis plenam jurisdictionem in illum habens.—37. Non sic autem Archiepiscopus respectu suorum Suffraganeorum, nisi ad eum appelletur. — 38. Nemo tamen debet absolvi a gravibus Censuris, sive pro foro interno, sive pro foro externo, nisi prius serio promittat de parendo mandatis Ecclesiæ, vel absolventis, et de non committendo in posterum hujusmodi delicta. — 39. In articulo mortis potest quisquis confessarius, et in defectu confessarii quilibet sacerdos a quibusvis Censuris absolvere; sub onere tamen, ut elapso periculo pœnitens coram superiore compareat ad exsequendum quod ille præscripserit. — 40. Potest quis pluribus Censuris ligari; et potest absolvi ab una, et non ab aliis ad differentiam peccatorum. — 41. Censura excommunicationis ligatus non potest a peccatis absolvi, nisi prius ab ipsa absolvatur. — 42. Forma absolutionis a Censuris non habet præfixa, et determinata verba, sed potest dari verbis exprimentibus absolutionem talis specialis Censuræ, a qua fit absolutio. Sed de istis et aliis. *Remissive*. — 43. Reo correcto, ejusque contumacia cessante, non cessant Censuræ, nisi per absolutionem tollantur, maxime loquendo de Censuris absolute latis. — 44. Privilegium, ne quis Censuris irretiri possit inconsulta Sede Apostolica, non afficit ordinariorum potestatem. — 45. 47. Quando Censura irrogari possit in delinquentes. — 48. Quando requiratur sententia declaratoria. — 49. 50. Quanta moderatione uti debeant Episcopi in infligendis Censuris. — 51. 53. In præsenti disciplina tres sunt tantum Censurarum species. — 54. 57. Quæ sit differentia inter Censuras a jure, vel ab homine latas. — 58. 59. Quando sint Censuræ latæ vel ferendæ sententiæ. *Remissive*. — 60. An Episcopus possit ferre Censuras extra suam diœcesim. *Remissive*. — 61. An mulieres possint ferre Censuras. *Remissive*. — 62. De forma ferendi Censuras. — 63. De forma, conditionibus, effectibus, etc., Censurarum. *Remissive*. — 64. Ecclesia jus habet infligendi pœnas. — 65. Distinctio pœnarum et Censurarum. — 66. Quot conditiones requirantur, ut quis possit Censuras ferre. — 67. Impuberes possunt ligari Censuris, si id expresse cautum est in lege. — 68. Quando excommunicari possit communitas. — 69. Prælati regulares ubicunque existant, possunt Censuras ferre in suos subditos. — 70. Casus in quibus Episcopus extra territorium potest infligere Censuras in subditos. — 71. Quid si subditus existat extra territorium. — 72. Solemnitates observandæ in prolatione Censurarum. — 73. Quotuplex sit absolutio a Censuris. — 74. Confessarius potest absolvere a Censuris non reservatis etiam in foro externo. — 75. Absolutio *ad cautelam*. — 76. Absolutio ad *reincidentiam*. — 77. Censurarum in mortuos relaxatio.

(1. Censura, quæ venit *a censendo*, apud veteres Romanos significabat tum officium Censoris, tum sententiam ejusdem Censoris mores corrigentis, aut pœnam infligentis,

Digitized by Google

Unde occasione hujus posterioris acceptionis factum est, quod Censura significet correctionem quamdam, et punitionem, juxta illud Juvenalis *Satyra* 1. *de Junone* canentis : *Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*

(2. Nos autem nomine Censuræ intelligimus hic solam Ecclesiasticam, *quæ est correctio, et pœna quædam spiritualis, ac medicinalis privans usu aliquorum bonorum spiritualium, per Ecclesiasticam potestatem inflicta Christiano delinquenti, ut a contumacia recedat.* (3. Ita in re communis. Dicitur *correctio, et pœna quædam spiritualis* ad differentiam pœnarum corporalium, seu temporalium, v. g. pœnæ pecuniariæ, exsilii, carceris, et hujusmodi. Siquidem Censura non versatur principaliter circa similes pœnas corporales, vel temporales. Dicitur *medicinalis*, quia Censura Ecclesiastica non est pœna vindicativa delicti jam patrati, sed potius est pœna medicinalis intendens futuram correctionem Christiani delinquentis, id est inobedientis potestati Ecclesiasticæ sub Censura aliquid præcipientis, vel prohibentis ; *argum. capit. cum medicinalis* 1. *de sentent. Excommun. in* 6. ibi : *Cum medicinalis sit Excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem facta fuerit, non contemnat.* Dicitur *privans usu aliquorum bonorum spiritualium*, non autem *omnium*, quia inter bona spiritualia quædam sunt propria, et permanentia, quibus nemo invitus spoliari potest, ut gratia habitualis, virtutes infusæ, earum que bonæ operationes ; quædam vero sunt communia, quibus Christianus in pœnam privari potest quoad usum activum, et passivum, ut est ministratio, et receptio Sacramentorum, participatio publicorum suffragiorum Ecclesiæ, et hujusmodi. Dicitur per *Ecclesiasticam potestatem inflicta*, quia cum potestas mere sæcularis spiritualia tractare nequeat, *cap. Judicatum* 5. *dist*, 89. *cap. Decernimus* 2. *de Judic. cum concordant.* potestas ferendi Censuram soli potestati Ecclesiasticæ competit, et quidem Jure Divino, juxta illud *Matth.* 16. *Quæcumque alligaveritis super terram, etc.* et 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et Publicanus ;* hoc est a Fidelium communione segregatus, ut explicant omnes. Dicitur *Christiano delinquenti*, quia Judæi, Pagani, Saraceni, et alii Infideles, ex quo Ecclesiæ potestati non subsint, nulli Censuræ subjiciuntur, juxta illud Apostoli 1. *ad Corinth.* 5. *Quid mihi de iis qui foris sunt judicare ?* Dicitur ultimo, *ut a contumacia recedat*, quia finis Judicis Censuram ferentis debet esse, ut fideles a contumaci, et rebelli inobedientia reducat ad promptam, et obsequiosam Ecclesiæ obedientiam ; *arg. c. Cum medecinalis* 1. *de sentent. Excommunicat. in* 6. ibi : *Caute provideat Judex Ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit et medentis.*

(4. Censuræ Ecclesiasticæ proprie dictæ sunt tantum tres, videlicet Excommunicatio, Suspensio et Interdictum. Ubicumque enim in Jure fit mentio Censuræ Ecclesiasticæ, solummodo istæ tres species numerantur, ut patet ex *c. Cum medicinalis* 1. *cap. Statutum* 13. *c. Is cui* 20 *de sentent. Excommunic. in* 6. et præcipue *ex c. Quærenti* 20. *de V. S.* ibi : « Quærenti quid per Censuram Ecclesiæ debeat intelligi, cum hujusmodi clausulam in nostris Litteris apponimus. Respondemus, quod per eam non solum Interdicti, sed Suspensionis, et Excommunicationis sententia valet intelligi, nisi Judex discretus (rerum, et personarum circumstantiis indagatis,) ferat quam magis viderit expedire. » (5. Irregularitas autem non est proprie Censura, seu pœna, sed inhabilitas quædam ad ministerium Altaris, seu impedimentum quoddam accipiendi, vel exercendi Ordinem. (6. Sic Depositio, et Degradatio non sunt Censuræ, sed pœnæ quædam contra incorrigibiles a Jure Canonico statutæ. (7. Item cessatio a Divinis non est Censura Ecclesiastica, quia non est prohibitio Divinorum Officiorum, sed desistentia, et omissio. Navarr. *in Manuali Prælator, cap.* 26. *num.* 1. *et sequent. et num.* 188 Pirhing. *in Jus Canonic. lib.* 3. *tit.* 39. *num.* 3. *et* 4 et communissima aliorum. (8. Potestas ferendi Censuras competit præcipue in primis Summo Pontifici, et Episcopis ; *cap. Perniciosam* 1, *cap. Conquerente* 16. *de Offic. Ordinarii ;* Concil. Trident. *sess.* 6. *cap.* 3. *et sess.* 14. *cap.* 4. *de reformat.* Legatis Sedis Apostolicæ in territorio suæ Legationis ; *cap. Novit* 7. *de Officio Legati, et cap. Legatos* 2. *de Officio Legat. in* 6. Cardinalibus in Ecclesiis sui Tituli, et aliis suo Titulo annexis, textu expresso *in cap. His quæ* 11. *de Majorit. et obedient.* ibi : *correctionem ipsius Cardinalis recipientes humiliter, et Excommunicationis, Interdicti, vel suspensionis sententias, quas tulerit in eos, et in Ecclesias eorumdem inviolabiliter observantes.* Capitulis Cathedralibus Sede vacante ; *arg. c. Unic. de Majorit. et Obedient. in* 6. Vicario Generali Episcopi, et Vicario Capitulari Sede vacante ; *cap. Venerabilibus* 7. *de Sentent. Excommunicat. in* 6. Prælatis, et Præpositis Ecclesiarum Collegiatarum, et aliis habentibus Jurisdictionem in Foro Ecclesiæ externo ; *arg. c. Quærenti* 2. *de V. S. et cap. Cum medicinalis* 1. *de sent. Excommunicat. in* 6. Abbatibus, et reliquis Superioribus Regularibus non solum Generalibus, et Provincialibus, sed etiam per se loquendo localibus, scilicet Prioribus, Guardianis, Rectoribus, Correctoribus, et hujusmodi respectu suorum subditorum ; *cap. Cum in Ecclesiis* 10. *de Majorit. et Obedient. cap. Ea quæ* 8. *de statu Monachor. cap. Sicut tuis* 33. *de Simonia*, et ibi Glossa *verb. Anathematis ;* et demum Conciliis Generalibus, et Provincialibus in sua Provincia, aut natione, sicut et Capitulis, seu Congregationibus Generalibus in Religionibus, et Provincialibus in suis respective Provinciis. Suarez *de Censuris disp.* 2. *sect.* 2. Palao *tract.* 29. *disput.* 1. *sect.* 4. *a num.* 2. Navarr. *in Manuali cap.* 27. *n.* 5. et alii. (1).

(1) Superiores regulares reservare sibi possunt sequentes casus. 1. *Apostasia a religione, habitu dimisso, aut retento.* 2. *Veneficia, incantationes et sacrilegia.* 3. *Nocturna, et furtiva e conventu egressio.* 4.

Digitized by Google

(9. Censura primo ferri non potest, nisi in delinquentes Christianos; quia Judæi, Pagani, Saraceni, et alii Infideles, cum Ecclesiæ potestati non subsint, nulli Censuræ subjiciuntur, juxta illud Apostoli 1. *ad Corinth.* 5. *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Hæretici tamen, quia per Baptismum facti sunt subjecti potestati Ecclesiæ, possunt censurari, si legem, vel præceptum Superioris sui Ecclesiastici, v. g. Papæ, sub Censura impositum transgrediantur; *arg. c. de Judæis* 5. *dist.* 45. *cap. Majores, de Baptismo.* Et est communis, cum de facto quotannis excommunicentur in Bulla Cœnæ. (10. Secundo ferri non potest nisi in rationis capaces, quia infantes, furiosi, amentes, hoc ipso quod defectu rationis, veræ culpæ, et contumaciæ capaces non sint, neque etiam existunt capaces Censuræ, ut sentiunt omnes communiter. (11. Tertio, non potest ferri, nisi in subjectos Jurisdictioni ferentis ipsam Censuram, quia cum par in parem non habeat imperium; *cap. Innotuit* 20. *de elect.* § *Quamvis*, nec inferior in Superiorem, *cap. Cum inferior* 16. *de majorit. et obedient.* clarum est requiri Subditum ferentis Censuram. *Est communis.* (12. Quarto, Communitas, aut Collegium potest quidem ligari Suspensione, et Interdicto; c. *Quia sæpe* 49. *de elect. in* 6. *cap. Responso* 43. *de sentent. Excomm.* minime tamen ligari potest excommunicatione; *c. Romana* 5. *de sentent. Excommunic.*

Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. *Juramentum falsum in judicio legitimo.* 6. *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam non secuto effectu.* 7. *Falsificatio manuum, aut sigilli conventus.* 8. *Furtum de rebus monasterii.* 9. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.* 10. *Occisio, seu vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personæ.* 11. *Malitiosum impedimentum, vel retardatio, aut aperitio litterarum a superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad superiores.* Præter hos prælati regulares nequeunt alios sibi reservare casus. Venio nunc ad Censuras.

Falsum etiam est superiores locales posse in subditos Censuras ferre. Imo neque superiores possunt absque consensu capituli generalis, vel provincialis. Nam Clem. VIII. die 26 Maii 1593 dum restrinxit facultatem superiorum regularium ad undecim supra recensitos casus, quos reservare sibi valeant, præcepit, quod si aliquod aliud grave peccatum reservandum sit, « id aliter non fiat, quam generalis capituli in toto ordine, aut provincialis in provincia matura discussione, et consensu. » Cujus decreti vigore nequeunt dicti superiores alicui gravi peccato in eo non expresso Censuram adnectere, quam sibi reservent; ex declar. Congreg. Episcop. et Reg. 7 Julii 1617. (*Nota Romani Theologi.*)

Responsio Auctoris.

Asserit hic R. Theologus falsum esse posse superiores locales in subditos Censuras ferre. Et tamen sunt satis clari et expressi Sacri Canones, a me ibi citati, et signanter Canon *Quum in Ecclesiis* 10, de majorit. et obedient. in cujus summario sic expresse habetur: « Canonici regulares inobedientes priori suo, per ipsum excommunicari possunt, » et hic prior, ut patet ex textu canonis, erat solummodo superior localis, et id expresse statuunt nostræ leges minoriticæ in compilat. statutor. Sambucæ, cap. 8, § 6, num. 28 ibi: « Cum omnes religionis nostræ superiores sint vere prælati, videlicet minister, et commissarius generalis, provinciales ministri, et qui ab eis delegantur, custodes etiam, et guardiani quoque; propterea declaramus omnes supradictos juxta juris communis dispositionem sententiam excommunicationis in suos subditos fulminare posse, et oppositum asserentes, ut errantes, et perturbatores graviter puniantur superiorum arbitrio. » Quid ad hæc *Theologolus* noster? potestne esse clarior, et expressa nostra constitutio, quam tenebatur ipse scire, ut pote et ipse ipsi subjectus. Estne falsa, ut ipse prætendit, mea assertio, aut non potius falsissima sua injusta Censura? Ponderet illa verba. « Et oppositum asserentes, ut errantes, et perturbatores graviter puniantur, superiorum arbitrio. » Hinc inferat prudens lector quid sentiendum de *Theologo*, qui immerito censurat, et impugnat propriam suam legem, et judicet, an merito ei conveniat illud *Cantic.* 1, 5: *Filii matris meæ pugnaverunt* contra me (adde), *et contra legem meam.* Ultra quam quod meam conclusionem sustinent passim tum canonistæ, tum moralistæ, et signanter Fagnanus in cap. *Quanto*, de Officio Ordinarii, num. 12, expresse dicens: « Abbas, et prior conventualis potest monachos excommunicare, » ut est expressum in cap. *Cum in Ecclesiis* de majoritate, et obedien. et in cap. *Sicut*, lib. primo de Simonia, Monacell. Formular. legal. practic., part. 3, edit. rom. in præludio, n. 47. Reiffenstuel, lib. 5 Decretal., tit. 39, § 1, n. 7. Schmalzgrueber eod. tit. 39, n. 13. Pirhing. eodem tit. n. 24. Leurentus eodem tit. 39, q. 57, num. 1. Ludovicus de Amæno, tit. 1, practic, § 2, n. 14. Passerin. Tribunal. Regul., q. 2, n. 10, et de Election. Canonic., cap. 25, q. 34, num. 436, et Gaudentius de Janua, de Visitat. tom. II, c. 5, sect. 1, n. 29, edit., rom. an 1753. Sanctorus verb. *Excommunicat.* n. 2. Augustinus de Gabrielis in Theologia Morali, num. 1, tract. 16, q. 7, § 1, dico secundo, Felix Potestas tom. II, part. 5 de Censuris, cap. 1, num. 4339. Cl. Daniel Concina Theologia Christian., tom. X, lib. 3 de Censuris, cap. II, ubi ad quæstionem: quinam habeant potestatem ferendi jure ordinario Censuras, num. 5 respondet: « Prælati regulares, ut generales, provinciales, rectores, præpositi, Abbates, Priores, guardiani, sivi ex privilegio, sive ex natura rei hanc reipsa potestatem habent majorem, vel minorem, juxta cujuscumque religionis leges et consuetudines. » Et hic certe non est probabilista, sicut nec est eruditissimus Paulus Gabriel Antoine, qui in tract. de Censuris, quæst. 7 expresse dicit, « potestatem ferendi Censuras. . . a Papa habent superiores ordinum, saltem generales, et provinciales, vel etiam superiores locales secundum cujusque constitutiones, non item parochi, » Kazemberger in Supplem. Theolog. Patris Sporer, cap. 3 de censuris, § 4, num. 2. Vide etiam Gaudentium Kerckove in nostra statuta generalia, cap. 7, § 8, num. 7. Et sic etiam plurimi alii, brevitatis gratia missi. Aliud autem est facultas sibi reservandi casus, et aliud facultas ferendi Censuras: hæc, ut dictum est, competit etiam superioribus localibus, illa vero solummodo generalibus, et provincialibus, et quidem limitate ad solos illos undecim assignatos in decreto Clementis VIII. vel ad aliquos ex illos, ultra quos neque aliud quantumvis grave peccatum possunt sibi reservare sine matura discussione, et consensu capituli generalis, et respective provincialis ex eodem decreto; quod apostolicum decretum videntur illudere, qui, quia non possunt casus sibi reservare, reservant sibi excommunicationem, quam certis peccatis annectunt, ut declaravit Sacra Congregatio Episcop. et Regular. die 7. Julii 1617. Quod decretum jam ego retuli in verb. *Prælatus Regularis* num. 55. Vide ibi, et verb. *Reservatio casuum*, ubi multa ad rem.

Digitized by Google

in 6. ubi Pontifex provide statuit Censuram excommunicationis ferendam esse in singulos tantum de Communitate, vel Collegio, quos culpabiles esse constiterit; ibi : *Volens animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cum nonnunquam contingeret innoxios hujusmodi sententia irretiri.* (13. Quinto, ex speciali Jure non ligantur Episcopi sententia generali Suspensionis, aut Interdicti, nisi de ipsis specialis mentio fiat; *cap. Quia periculosum* 4. *de sentent. Excommunicat. in* 6. (14. Sexto sic etiam Cardinales, nisi specialis, et expressa de ipsis mentio fiat; *arg. d. cap. Periculosum*, et Doctores passim. *Vid. verb. Cardinales art.* 4. *num.* 1. (15. Septimo, Imperatores, et Reges ob suæ Dignitatis excellentiam Censura aliqua ab Episcopis ligari non posse, docent passim Doctores cum Sylvestro *verb. Censura num.* 10. Palao *tract.* 29. *disp.* 1. *punct.* 6. *num.* 3. Hodie enim fere omnes Reges muniti sunt specialiter tali Apostolico privilegio.

(16. Ad validitatem Censuræ requiritur culpa gravis, et in suo genere completa, cum contumacia, seu inobedientia delinquentis. Excommunicatio enim major, vel alia Censura Ecclesiastica gravis non potest infligi pro qualibet culpa etiam levi, quia pœna, ut sit justa, debet commensurari culpæ; Excommunicatio autem major v. g. est gravissima pœna; *cap. Corripiantur* 17. *caus.* 24. *qu.* 3. ibi : *Qua pœna in Ecclesia nulla major est*, adeoque gravem etiam culpam requirit.

(17. Dicitur tamen notanter : *Excommunicatio major, vel alia Censura Ecclesiastica gravis;* quia Excommunicatio minor potest imponi non solum ob peccatum mortale, sed etiam ob veniale v. g. ob communicationem cum excommunicato vitando in colloquio, mensa, aliisque commerciis humanis, in quibus non reperitur notabilis irreverentia Dei, vel læsio, aut scandalum proximi. Et sic etiam nihil prohibet, quin propter levem, sive venialem culpam, quandoque imponatur suspensio levis v. g. Suspensio ab uno actu electionis, aut Missa celebranda per unum, aut alterum diem, ut notat Pirhing *lib.* 5, *tit.* 39, *num.* 207. Layman, *lib.* 1, *tract.* 5, *part.* 3, *num.* 2. Suarez, Navarr. et alii. (18. Et notanter fuit positum, *quod culpa in suo genere sit completa*, quia Leges pœnales sunt stricte interpretandæ; *cap. Odia* 15. *de Reg. Juris in* 6, ibi : *Odia restringi, et favores convenit ampliari;* simulque eorum verba accipienda cum effectu; *arg. cap. Hæc autem verba* 17, *dist.* 1, *de Pœniten.* ibi : *Hæc autem verba* (*quod statuerit, qui Jurisdictioni præest*) *cum effectu accipimus*, etc. Unde qui tentavit percutere Clericum, sed erravit, aut impeditus fuit, non incurrit Excommunicationem latam in percussores Clericorum; et sic dicendum de similibus. (19. Dicitur etiam *notanter cum contumacia, seu inobedientia delinquentis*, quia ad incurrendam Censuram requiritur ulterius, ut culpa illa gravis habeat adnexam inobedientiam, et contumaciam delinquentis, per quam reus Ecclesiæ monentis, et præcipientis auctoritatem spernere censeatur; ut cum communi docet Navarr. *cap.* 27. Manual. *num.* 9. Sannig. *dist.* 1, *de Censuris qu.* 3, *num.* 12. Abbas, et alii. Et hoc colligitur *ex Matthæi* 18, ubi dicitur : *Si Ecclesiam non audierit* (*id est si ei obediens non fuerit*) *sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus;* id est tanquam excommunicatus, et exclusus ex gremio Ecclesiæ. (20. Advertendum tamen hic est, quod ad incurrendam Censuram non requiritur semper contumacia, aut contemptus formalis, sed sufficit inobedientia generalis, et contemptus interpretativus, in hoc consistens, quod quis sciens quidpiam ab Ecclesia esse prohibitum sub Censura, nihilominus illud facere velit. (21. Ad validitatem Censuræ ferendæ ab homine requiritur etiam trina monitio, nisi urgens necessitas aliud suadeat, quod nempe in aliquo urgenti casu una solum admonitio peremptoria pro tribus sufficiat; *cap. Reprehensibilis* 26. *de appellat. cap. Sacro* 48. *de sentent. Excommunic. cap. Romana* 5. *cap. Constitutionem* 9. *et c. Statutum* 13. *de sentent. Excommunicat. in* 6. (22. Et talis monitio debet fieri in scriptis cum expressione causæ, et nominis tam ejus, qui fert, quam ejus, contra quem fertur Censura *maxime Excommunicationis*, ut vult Palao *tract.* 29. *disp.* 1. *punct.* 5. *n.* 9. et alii passim; et coram testibus tradi vel legi ipsi personæ excommunicandæ; *cap. Sacro* 48. *de sentent. Excommun.* ibi : *Personis præsentibus idoneis, per quas si necesse fuerit, possit probari monitio.* (23. Nisi forsan talis malitiose se absconderet, et fugeret, tunc enim sufficit, si monitio, seu comminatio prævia scripta ad ejus domum, vel ad valvas Ecclesiæ, vel in alio publico loco affigatur; *c. Quoniam* § *Porro, ut lite non contestata, et Clement. causam.* 3. *de election.* Suarez. *de Censuris disp.* 3. *sect.* 11. et alii.

(24. Dicitur autem notanter *maximæ Excommunicationis*, quia Censuræ Suspensionis, et Interdicti aliquando non ut meræ Censuræ, sed ut pœnæ vindicativæ imponuntur, et imponi possunt, nulla comminatione præmissa; *arg. cap. Cum in Cunctis* 7. § *final. de election. cap. Sacro* 48. *de Sentent. Excommunicat. et cap. cum medicinalis* 1. *de sentent. Excommunic. in* 6. (25. Ad validitatem Censuræ tamen latæ sententiæ a Jure statutæ non requiritur monitio, quia ipsum Jus præcedens, seu Lex, et commune præceptum est continua monitio, adeoque alia monitione opus non est; *arg cap. Reprehensibilis* 26. *de appellation. et cap. Conquesti* 22. *verb. Nuntietis, de sentent. Excommunicat.*

(26. Censura Interdicti potest infligi etiam ob peccatum alterius; propter enim peccatum Regis potest interdici totum Regnum; *arg. cap. Non est vobis* 11. *de sponsalibus.* Et pro peccato Episcopi, terra ipsi subjecta; *cap. Sane* 11. *de Officio delegati.* Et propter peccatum Rectoris, Civitas; *cap. Si sententia* 16. *de sentent. Excommunicat. in* 6. et Monasterium ob peccatum Prælati contumacis; *cap. Cum dilectus* 8. *de Religiosis domibus*, ac notat Fagnan. *cap. Responsio* 43. *de sentent. Excommun. num.* 42. (27. Non potest tamen propter peccatum alterius infligi Censura Excommu-

Digitized by Google

nicationis majoris, quia Excommunicatio major non est infligenda nisi propter peccatum mortale; peccatum vero, cum consistat in actu, non est communitatis, sed proprium singularium personarum; adeoque non est excommunicanda tota communitas propter peccatum unius personæ singularis, ut expresse statuitur *in cap. Romana* 5. *de sentent. Excommunic. in* 6. ibi: « in Universitatem, vel Collegium proferri Excommunicationis sententiam penitus prohibemus, volentes animarum periculum evitare, quod exinde sequi posset; cum nonnunquam contingeret innoxios hujusmodi sententia irretiri, sed in illos duntaxat de Collegio, vel Universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgetur. » Et quod unus non sit excommunicandus propter peccatum alterius v. g. Filius pro delicto Patris, dixit expresse Augustinus relatus *in cap. Si habet* 2. *caus.* 24. *quæst.* 3. (28. Neque etiam propter peccatum alterius potest infligi Censura Suspensionis proprie, et stricte acceptæ. Sic Navarr. *in Manual. cap.* 27. *n.* 165. Layman. *lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 3. *cap.* 3. *num.* 1. Suarez, et et alii passim. Et ratio est, quia Suspensio est proprie dicta pœna, quippe directe cuipiam adimens usum Ecclesiasticæ potestatis, atqui pœna talis non incurritur sine culpa propria; *arg. cap. Quæsivit* 2. *de his, quæ fiunt a majori par. cap.* ubi expresse dicitur: *Peccata suos auctores tenere debent;* adeoque, etc.

(29. Ab incurrendis Censuris tres præcipue causæ excusant. Prima est ignorantia invincibilis Juris, aut facti, cui sit annexa Censura. Quod ignorantia invincibilis Juris, seu ipsius Censuræ, dummodo non sit crassa, aut supina, excuset ab incurrenda Censura, habetur expresse *in cap. Ut animarum* 2. *de Constitutionibus in* 6. ibi: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina:* et quod excuset ab incurrenda Censura ignorantia facti, qua quis ignorat factum suum tale esse, quod sit prohibitum sub Censura, habetur *in cap. Si vero* 3. *de sent. Excomm.* ubi statuitur, quod non incurratur Excommunicatio ab eo, qui occidit Clericum, quem invincibiliter ignorabat esse talem, et putabat esse laicum, ibi: *Si quis autem in Clericum nutrientem comam manus injecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico præsentari conspectui, nec etiam Excommunicatione innodari, dummodo ipsum esse Clericum ignoraverit.* (30. Et quantum ad hoc excusat etiam inadvertentia, quia æquivalet ignorantiæ. Secunda est impotentia sive physica, sive moralis; unde ratione impotentiæ physicæ, qui non habet, quid restituat, excusatur a Censura lata contra detinentem rem alienam. Et ratione impotentiæ moralis excusatur, qui ob metum gravem v. gr. mortis, mutilationis, infamiæ, gravis jacturæ bonorum, et similium cogitur omittere, aut facere aliquid quod sub Censura præscribitur, vel respective prohibetur. Et ratio est, quia Leges Ecclesiasticæ regulariter loquendo non obligant cum periculo vitæ, membrorum, vel alterius gravis damni juxta communem sententiam; *arg. cap.* 4. *de Regulis Juris,* ibi: *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* (31. Tertia est appellatio legitima interposita ad Superiorem post comminationem Censuræ ab inferiori factam, antequam incurratur. Et ratio est, quia appellatio facta in tempore suspendit usum Jurisdictionis in Judice, ut habetur expresse *in cap. Romana* 3. *et cap. Si a Judice* 10. *de appellat. in* 6. Et idem omnino facit recusatio Judicis, antequam sententiam Excommunicationis, vel alterius Censuræ ferat; textu claro *in cap. Quoties Episcopi* 16. *caus.* 2. *quæst.* 6. ibi: « Quoties Episcopi se a suis Comprovincialibus, vel a Metropolitano putaverint prægravari, aut eos suspectos habuerint, mox Romanam appellent Sedem, atque eis libere ire liceat, et dum prædictam Romanam Ecclesiam appellaverint, aut ab ea se audiri poposcerint, nullus eos excommunicare, aut eorum Sedes surripere, aut res eorum auferre, aut aliquam eis vim inferre præsumat. » (32. Hoc tamen non verificatur, quando appellatio sit post jam latam Excommunicationis, vel alterius Censuræ sententiam, quia tunc appellatio facta solum post latam sententiam, non habet vim suspendendi, sed solum devolvendi, ut Superior possit cognoscere de justitia Censuræ; *cap. Ad reprimendam* 8. *de Offic. Judicis Ordinarii.*

(33. Innocens censuratus v. gr. Excommunicatus secundum allegata, et probata in foro externo pro tali habere se debet; quamvis coram Deo ab ea immunis sit, et in secreto contra eam agere possit. *Est communis sententia Doctorum;* et colligitur *ex cap. Sententia* 1. *caus.* 11. *quæst.* 3. ibi: *Sententia Pastoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda est;* et concordat *c. Inquisitioni tuæ* 44. *de Sentent. excommun.* Ubi Excommunicatus innocenter, ob sanctam observantiam Legis Divinæ, ex justa tamen præsumpta causa in Foro externo, cogitur in eodem Foro servare Censuram. In publico enim se gerere debet, ut censuratus, et a ministerio suo abstinere, ne debitam auctoritati Ecclesiæ reverentiam, et obedientiam infringat, si lata in eum sententia publice fuerit promulgata. *Ne,* ut dicit S. Gregorius *Homil.* 26. *in Evangel. Ne, etsi injuste ligatus est, culpa, quæ non erat, fiat.* Et revera si talis secundum allegata, et probata in judicio censetur reus, et causa ad Censuram censetur sufficiens, debet Censura in Foro externo, tam a Censurato, quam ab aliis servari, donec, vel ab ea præsumptus reus fuerit absolutus, vel innocentia ipsius, atque error Censuræ publice innotuerit. Hoc enim necesse est ad publicam utilitatem, et disciplinam, ipsamque Judicis ex Officio secundum allegata, et probata judicantis auctoritatem tuendam, cui bono communi merito bonum privatum postponi debet. Aliter aperiretur via malevolis quaslibet Censuras contemnendi, cum semper dicere possent se coram Deo esse innocentes, quamvis in Foro

Digitized by Google

externo juxta allegata, et approbata essent damnati ut rei. (34. In secreto tamen posset talis se gerere, ut non Censuratus, *cap. Cui est illata* 46. *caus.* 11. *qu.* 3. ibi: « Cui est illata sententia... si injusta est, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum, et Ecclesiam ejus neminem potest iniqua gravare sententia; ita ergo ex se, non absolvi desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum. » Imo ut habetur *in cap. Illud.* 87. *caus.* 11 *quæst.* 3. ex verbis S. Augustini, Censura injuste lata potius nocet Latori, quam ei in quem est injuste lata ibi: « Quod illud plane non temere dixerim, si quisquam fidelium fuerit anathematizatus injuste, ei potius oberit, qui faciet, quam ei, qui hanc patietur injuriam. Spiritus enim Sanctus habitans in Sanctis, per quem quisque ligatur, aut solvitur, immeritam nulli pœnam ingerit. »

(35. A Censuris a Jure, si non sint reservatæ, absolvere potest quilibet Confessarius pro Foro interno Conscientiæ, pro Foro tamen externo Superior Censurati; *cap. Nuper* 29. *ver. in secundo casu, de sentent. Excommunic.* Si sint reservatæ, possunt absolvi ab eo, cui sunt reservatæ, aut ejus Delegato, vel a Superiore ejus, cui sunt reservatæ, vel a Confessariis ad id privilegiatis, uti sunt Confessarii Regulares, qui ab omnibus Censuris a Jure latis, et Papæ reservatis (exceptis contentis in Bulla Cœnæ, et aliis sex casibus intra Italiam, et extra Urbem de mandato Clementis VIII. reservatis, et aliis quos Romani Pontifices sibi post Clement. VIII. reservarunt) absolvere possunt, ut constat ex privilegio Pauli III. *Constit.* incip. *Cum inter cunctas edit.* 3 *Junii* 1545. in quo communicant alii Regulares, et ex aliis privilegiis. Vide verb. *Absolutio* (1).

(36. A Censuris ab homine latis per sententiam specialem potest absolvere solus ille qui eas tulit, vel ejus Delegatus; *cap. Pastoralis* 11. § *Præter de Offic. Ordinar. cap. Quærentis* 26. *de Offic. Delegati*, vel ejus Successor; *cap. Si Episcopus* 11. *quæst.* 3. pro quo venit etiam Capitulum Sede vacante; *cap. unic. de Major. et obedient. in* 6. vel (si agnoscantur injustæ) Superior Censurantis plenam Jurisdictionem in illum habens, ut Papa respectu omnium, Generalis respectu Superiorum totius Ordinis, Provincialis respectu Superiorum suæ Provinciæ; adeo ut neque summus Pœnitentiarius Romæ Censuras illas in aliquem nominatim latas tollere consueverit, ne jurisdictio Ordinariorum turbetur. Benedictus XIV. *Institut. Eccles.* 55. § 11. (37. Non sic autem Archiepiscopus respectu suorum Suffraganeorum, nisi ad eum appelletur, quia Archiepiscopus non habet Jurisdictionem absolvendi a Censura, quam in proprium Subditum tulit Episcopus ejus Suffraganeus, nisi ad eum a sententia Censuræ appelletur, ut colligitur *ex cap. Nullus Primas* 7. *caus.* 9, *q.* 3, et ex *cap. Pastoralis* 11. *de Offic. Ordinarii*. Nec etiam Legatus Sedis Apostolicæ, qui licet aliquo modo Superior sit Episcopi, non tamen in ordine ad causas subditorum, nisi ad ipsum sit appellatum, ut deducitur ex Conc. Trid. *sess.* 24, *cap.* 20. *de Reformat.* (38. Barbosa ibi, et alii. Nemo tamen debet absolvi a gravibus Censuris, sive pro Foro interno, sive pro externo, nisi prius serio promittat de parendo mandatis Ecclesiæ, vel absolventis, et de non committendo in posterum hujusmodi delicta; *cap. Super eo* 1. *cap. Ex tenore* 10. *cap. Ad hæc* 12. *et cap. Venerabili* 52. *de sentent. Excommunicat.* (39. In articulo mortis potest quivis Confessarius, et in defectu Confessarii quilibet Sacerdos a quibusvis Censuris absolvere sub onere tamen, ut elapso periculo pœnitens coram Superiore compareat ad exsequendum, quod ille præscripserit; *cap. Eos* 22. *de sentent. Excommunicat. in* 6. (40. Potest quis pluribus Censuris ligari, et potest absolvi ab una, et non ab aliis ad differentiam peccatorum. (41. *Ita communis.* Censura Excommunicationis ligatus non potest a peccatis absolvi, nisi prius ab ipsa absolvatur, quia excommunicatus est incapax susceptionis Sacramenti. (42. Ita etiam *Communis Doctorum.* Forma absolutionis a Censuris non habet præfixa verba, sed potest dari verbis exprimentibus absolutionem talis specialis Censuræ, a qua fit absolutio; sed de istis, et aliis vide verb. *Excommunicatio*, verb. *Suspensio*, verb. *Interdictum*, ubi diffuse de singulis. (43. Hoc unum advertas, quod etiam Reo correcto, ejusque contumacia cessante, non cessant Censuræ, nisi per absolutionem tollantur, maxime loquendo de Censuris absolute latis, ut clare patet ex *Decreto* 2. Alexandri VII. die 18 Martii 1666. inter alias propositiones sequentem ordine 44 condemnantis: *Quoad forum conscientiæ, Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant Censuræ.*

ADDITIONES AUCTORIS.

(44. Privilegium, ne quis inconsulta Sancta Sede Censuris irretiri possit, non afficit Ordinariorum sententias. Ideoque nec probat ab eorum jurisdictione exemptionem. Bened. XIV. *tom.* 2. *Const.* 40. incip. *Causarum Palatii Apostolici.*

(1) Circa sex casus ex speciali mandato Clementis VIII. a Sac. Congr. Episcop. et Regul. an. 1602. 20. Novembris reservatos, adest declaratio Clementis XI. die 3. Martii 1711, qua decernitur, nec sæculares, nec regulares privilegiatos in urbe absolvere posse ab istis casibus, scilicet *violationis clausuræ monialium ad malum finem, violationis publicæ immunitatis ecclesiasticæ in terminis constit. Gregor. XIV vel etiam occultæ, si fiat publica auctoritate;* atque *publicæ presbyteri occasionis.* In reliquis vero casibus intacta manent in urbe privilegia confessariorum, quæ ante dictum decretum obtinebant. (*Nota Romani theologi.*)

Responsio auctoris ad notas Rom. theol.

Sed meminisse debuerat accuratus theologus, et adnotare, jam in verb. *Absolvere, Absolutio*, art. 1, num. 47, fuisse a me allatam ad litteram dictam declarationem Clem. XI. Vide ibi.

Digitized by Google

(45. Censura potest irrogari nolentibus accedere ad Synodum, si accedere teneantur; aut ea absoluta, pervenientibus, vel nondum completa, recedentibus. Idem *De Synodo Diœcesana, lib.* 3, *cap.* 12, *num.* 1. (46. Non sunt ferendæ Censuræ nisi ad coercenda graviora crimina. Nec quidquam sub Censura prohibendum, aut præcipiendum, nisi materiæ gravitas, ratione sui, aut circumstantiarum eas exposcat. Idem *ibid.*, *n.* 2. 3 *et* 4. (47. Et gravius debet esse delictum, ob quod infligatur Censura latæ sententiæ. Ac ad hanc incurrendam in foro externo, requiritur sententia declaratoria commissi, cui est Censura jure ipso alligata. (48. In foro autem interno nulla est necessaria Judicis declaratio, sed sufficit, quod quis committat crimen, cui sciat adnexam esse Censuram, cum sic suam contumaciam, in Ecclesiæ contemptum satis aperte manifestet. Idem *ib. n.* 5.

(49. Parcissimi esse debent Episcopi in Censuris latæ sententiæ ferendis; cum enim extrema ea sit pœna, pro extremo remedio gravibus criminibus puniendis, coercendisque reservanda est ex constanti Sacr. Congr. sensu; *ibid.*, *lib.* 7, *cap.* 45.

(50. Verumtamen prudenter ab Episcopis interdum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ vetantur quædam ex natura sua leviora, sed ob grave scandalum, quod inde consequeretur, si res vetita neglecta fuisset, res ipsa postulat, ut ita provideatur. Ita Pontifex defendit Constitutionem suam, qua vetuit, ne dispensati in Quadragesima a comestione carnium pisces degustent. *Ibid. tot. cap.* 46. At generatim loquendo, contra immoderatum Censurarum usum docte, et sapienter more suo insurgit laudatus Pontifex in *cit. Tract. lib.* 10, *cap.* 2, adducta primum auctoritate Navarri, qui *Manual. capit.* 27, *num.* 49. declamat contra exorbitantem Censurarum usum, additque, *utilem, imo et necessariam fore aliquam earum limitationem, saltem quoad forum conscientiæ:* allatis deinde multis exemplis indicat, et suadet Episcopis cautelam, et circumspectionem, quam adhibere debent in decernendis prædictis Censuris.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(51. Probari nequit Veteribus fuisse tres tantum species Censurarum, idque quia non tam stricte et præcise de Censuris locuti ii sunt, sicut recentiores. (52. Juxta igitur modernam disciplinam enumerantur tres species Censurarum, excommunicatio scilicet, suspensio, et interdictum; (53. degradatio vero, depositio, similesque pœnæ Canonicæ non dicuntur Censuræ. Morin. *de Sacrament. Pœnitent. lib.* 6, *c.* 25, *n.* 12. *et seq.* Vanesp. *jur. Eccles. univers. part.* 3. *tit.* 11, *cap.* 2, § 1, *et plur. seq.*

(54. Censuræ, vel a jure, vel homine feruntur. (55. Censuræ a jure sunt generales, durant post mortem etiam Legislatoris, potestque quilibet Confessarius ab iis absolvere, nisi sint reservatæ. (56. At Censuræ ab homine non sunt semper generales, nec durant post mortem Superioris, nec ab iis regulariter absolvere potest nisi idem Superior, vel Successor. Rousseaud de la Combe *in sua jurispr. Canon. verb. Censuræ sect.* 1, *num.* 1. (57. Posse etiam absolvere ab ipsis Vicarium Capitularem Sede vacante, tenet idem Auctor *loco citato sect.* 7, *n.* 1.

(58. Censuræ tam a jure, quam ab homine solent esse vel latæ, vel ferendæ sententiæ. (59. Ast quando dici debeant Censuræ latæ sententiæ, et quando ferendæ sententiæ, tradunt Cabassut. *lib.* 5. *cap.* 10. *n.* 5 *et seq. et ibi* Gilbert. Zoel. *in decr. lib.* 5, *titul.* 39. *n.* 25.

(60. Num Episcopus existens extra suam Diœcesim ferre Censuras possit in subditos suos, vide apud Gilbert. in Cabassut. *lib.* 5, *c.* 10, *n.* 9.

(61. Mulieri an competere possit potestas ferendi Censuras, adi Vanespen. *jur. Eccles. univers. p.* 3, *tit.* 11, *cap.* 2, *n.* 11, *et plur. seq.* ubi expendit text. *in cap. de major. et obed.*

(62. Quod attinet ad formam ferendi Censuras, notat Hurtad. *de Censur. in commun. difficult.* 18, *per tot.* quod quando agitur de Censura ipso facto incurrenda annexa alicui præcepto, sufficit quod ipsum præceptum fuerit notificatum, ut ipsa per ejus violationem sine ulla monitione incurratur, quum ipsum præceptum stet loco ipsius monitionis, et quidem continuæ.

(63. Cæterum de ipsa forma, et conditionibus in prolatione Censurarum observandis, tum quæ causæ requirantur, qui item sint earum effectus, et quomodo solvi queant, dicemus et quidem opportunius, dum de singulis Censuris.

ADDITIONES CASINENSES.

(64. Cum Christi Ecclesia distincta et perfecta respublica sit, quæ suas habet leges, suosque cives, profecto necesse est etiam quod illi competat potestas animadvertendi in crimina suorum subditorum. Nam cui summa potestas et jurisdictio commissa est, cui jus est imperandi, legesque ferendi, ei quoque jus competit puniendi sontes, qui legibus non obtemperant, statumque reipublicæ pervertunt. Puffendorfius *de Jure nat. et gent. lib.* 8. *c.* 2. § 4. *n.* 3. et Heineccius *Elem. jur. nat. et gent. l.* 2. *c.* 8. § 159. (65. Sed Ecclesiæ duplex est forum, internum et externum, et duplex potestas, spiritualis nempe et temporalis; quapropter ei convenit etiam potestas animadvertendi in transgressores legum suarum, altera, quam communem habet cum omni vera et perfecta republica, quaque pœnas infligit, quæ corpus cruciant, altera ipsi propria, ei a Christo data, qua pœnas irrogat, quæ animum affligunt. Illæ pœnæ dicuntur, istæ proprio nomine Censuræ appellantur. Corporales pœnæ, quas Ecclesia semper adhibuit, fuere præcipue ictus fustium, detrusio in Monasterium, aut in carcerem, exilium, mulctæ pecuniariæ, etc. Spiritualium vero triplex est genus: excommunicatio, interdictum, suspensio; Innoc. III, *cap.* 20, *de verb. signi-*

Digitized by Google

fic. et omnibus his pœnis curat Ecclesia, ut reus emendetur, et cæteri a crimine deterreantur; propterea excludit pœnam sanguinis, et ita temperat pœnas, quas adhibet, ut levioribus criminibus leviores quoque pœnas constituat. Vide Devoti *Lib. IV. tit.* 1. § 2 *et seq. et tit.* 17. § 1 *et seq.*

(66. Sex conditiones requirit Ecclesia, ut quis possit valide Censuras ferre. 1. Ut sit vir. Nam hanc potestatem Christus dedit Apostolis eorumque successoribus, cum illis commisit clavium potestatem, quæ nullo modo mulieribus tradi potest. Ita S. Thomas, Conc. Sot. Salm. *c*, 4. *n.* 48. Quapropter feminæ, « licet sint Priorissæ, vel Abbatissæ, Censuras ferre non possunt; quando vero in jure dicuntur posse subjectos sibi Clericos suspendere ab officio, vel beneficio, suspensio non accipitur proprie pro Censura, cujus violator irregularitatem incurrit, sed late, et improprie pro præcepto, quo Abbatissa Clerico sibi quodammodo subjecto prohibet celebrationem, donec satisfecerit, subtrahens ei redditus interea. » D. Ligorius *li* . 7. *dub.* 3. num. 11. 2. Ut sit baptizatus. Suar. Cardin. et Salmat. *cap.* 1. *n.* 51. 3. Ut sit saltem prima Tonsura insignitus, nam laici ex *c. Ecclesiæ, de Const.* spiritualia tractare non possunt. Salmat. *c.* 1. *n.* 52 *et* 53. Sed ex communi Doctorum sententia potest Pontifex illis in aliquo casu committere potestatem ferendi Censuras. Bonac. *p.* 2. *n.* 3. *et* 6. Salmat. *loc. citato.* 4. Ut sit compos rationis, et intentionem habeat ligandi illum, contra quem fert Censuram *ex c. Cum voluntate, De sentent. excommun.* Unde Prælatus potest aliquem non includere in generali sententia, et si ille ligare non intendit, non incurritur Censura. Requiritur 5. ut non habeat jurisdictionis usum impeditum, quod accidit, quando judex est excommunicatus, vel suspensus, vel dum interponitur legitima appellatio. Suarez *disp.* 2. *sect.* 4. *n.* 1. *et* 2. Bonac. *l. c.* Ideoque Vicarius Episcopi excommunicati, vel suspensi non potest Censuras ferre ex *c. de Offic. Vic. in* 6. sed valide, quamvis illicite ferret occultus excommunicatus, vel hæreticus; ita Suarez. *D.* 14. *sect.* 1. *n.* 8. Sotus *in* 4. *Dist.* 22. *qu.* 2. *art.* 1. Salmat. *c.* 1. *num.* 58. nam Ecclesia propter publicum bonum illi non adimit jurisdictionem; Sayr. *in cap. Ad evitanda*, imo idipsum sentiunt de publico excommunicato, si nominatim non sit denunciatus. Salmat. *Tract. X. c.* 1. *punct.* 5. n. 58. Avila *p.* 2. *disp.* 6. *dub.* 3. Bonac. *disp.* 2. *de censur. qu.* 2. *punct.* 5. *num.* 3. etc. Requiritur 6. quod libere agat, scilicet libertate physica, nam Censura, quam judex profert metu gravi coactus, est valida, uti verius affirmant Suarez *D.* 2. *sect.* 5. *n.* 6. Bon. *q.* 1. *p.* 12. *n.* 1. et Salmat. *loco citato n.* 60. Vide D. Alphon. de Ligor. *Theolog. moral. lib. VII. dub.* 3. *num.* 12. (67. Quamvis, ut dicit auctor, usus rationis necessarius sit, ut quis Censura ligari possit, admonendum tamen impuberes incurrere in Censuras, si id expresse cautum sit in lege, uti de pueris ingredientibus Monasteria Monalium *in Trid. sess.* 25. *c.* 5. vel qui Clericum percutiunt in. *c. fin. de. sent. excom.* (68. Non potest per modum sententiæ excommunicari aliquis incertus communitatis propter delictum jam patratum, ligari tamen potest Censuris latis per modum præcepti, vel statuti; sed Pontifex potest totam communitatem excommunicare, si omnia ejus membra peccarunt, Prælatus vero id facere nequit ex *c. Romana de sentent. excomm. in* 6. tamen irrita non esset Censura, uti sentiunt varii auctores. Fagnan. *in c. Responso de sent. excomm. ex n.* 93. (69. Prælati Regulares possunt suos subditos excommunicare, ubicunque existunt; jurisdictio enim Prælatorum Regularium ratione voti obedientiæ immediate respicit personas. (70. Episcopus vero non potest in subditos suos Censuras ferre, dum extra diœcesim moratur, nam *ejus dominium immediate est in territorium, et hujus ratione in personas, quamdiu sub tali territorio degunt.* Salmat. *Tract. X. p.* 9. § 103. *et ex Clement. Quamvis de Foro compet.* Excipitur 1. si subditi contumacia sit ita manifesta, quod non indigeat cognitione causæ; *Can. Manifesta* 2. *q.* 1, 2. si causa sit jam cognita in proprio territorio; 3. si Censura feratur per modum statuti, vel præcepti ad evitanda futura crimina; 4. si Episcopus sit injuste expulsus a sua diœcesi, nam tum in viciniioribus locis, petita, licet non obtenta Ordinarii licentia, potest exercere suam jurisdictionem *ex cit. Clement. Quamvis;* 5. demum si Ordinarius loci, in quo moratur Episcopus, consentit ex *cap. Nullus* 9. *q.* 2. sed tunc requiritur etiam consensus partium; nam nemo invitus trahi potest extra suum territorium. Bonac. *p.* 11. *n.* 3. Salmat. *num.* 105. Vide D. Ligor. *Theolog. Moral. lib. VII. dub.* 3. § 21. (71. Si vero Episcopus sit in sua diœcesi, potest excommunicare subditum alibi commorantem, et tunc sufficit pro citatione, ut reus in propria domo, vel loco publico proprii territorii citetur. Salmat; *loco cit. n.* 108. sed hoc valet pro delictis patratis in proprio territorio, non vero extra illud; Suarez *D.* 5. *sect.* 4. *n.* 8. Bonac. *p.* 11. n. 7. nisi forte ab Episcopo lata fuerit Censura in aliquem per præceptum particulare, puta si furetur, nam tunc peccando extra territorium probabiliter Censuram incurrit; Suarez. *D.* 5. *sect.* 5. *in fine;* Croix *l.* 9. *n.* 43. Layman. *c.* 4. *n.* 8. quia statutum respicit territorium, præceptum vero respicit personam, et propterea ligat etiam extra territorium.

(72. Ut judex licite Censuras ferre possit, observare debet solemnitates assignatas ab Innocentio IV. in *c. Cum medicinalis* 1. *de sentent. excom. in* 6. « Quisquis igitur excommunicat, inquit, excommunicationem in scriptis proferat, et causam excommunicationis expresse conscribat. Exemplum vero ejusmodi teneatur tradere excommunicatio infra mensem, si fuerit requisitus, super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum, vel litteras testimoniales confici, sigillo authentico consignatas; » et deinde : « Et hæc eadem in suspensionis et interdicti sententiis volumus observari; » multas

Digitized by Google

præterea inde statuit pœnas, vel ipso facto incurrendas, vel inferendas a Superioribus. Sed hoc currit, quando Censura fertur per modum sententiæ, cognita causa cum citatione, ut ex dicto capite, secus vero si fertur a jure, vel ab homine per modum legis, vel præcepti; Salm. *c.* 1. *num.* 74. pariterque si judex solemnitates omitteret aliqua urgente causa, quæ dilationem non patitur, aut demum, si ita ageret ex ignorantia, licet culpabili, dum Pontifex dicit: *Si quis autem judicium hujusmodi Constitutionis* temerarius *exstiterit violator, per mensem unum ab ingressu Ecclesiæ et Divinis Officiis noverit se suspensum.* Vide D. Ligorium *loco citato n.* 60. *et* 61. Censuræ sententia non debet ferri die feriato, *c. final. De Feriis*, nisi rei contumacia sit adeo evidens, quod non indigeat cognitione causæ; *c. Evidentia de accusat.* Si vero fertur diebus feriatis, erit quidem illicita, sed non irrita. Salm. *c.* 1. *n.* 100. De cæteris vide S. Alphons. de Ligor. *Theol. Moral. lib.* 7. *dub.* 4.

(73. Censura semel inflicta non potest tolli, nisi per absolutionem, quæ antiquitus dicebatur *pax, relaxatio, venia*, vel *communio;* et quia Ecclesia duplicem habet forum externum et internum, duplex est etiam absolutio, altera quæ in foro exteriori conceditur, altera quæ forum internum tantum respicit. (74. Quamvis dicat auctor, quod Confessarius non possit in foro externo absolvere a Censuris a jure latis, tamen D. Alphonsus de Ligorio contrariam tenet sententiam; nam Innocentius III. in *c. Nuper de sent. excom.* ait: « In secundo casu (scilicet quod excommunicatio non sit reservata) a suo Episcopo, vel a proprio Sacerdote poterit absolutionis beneficium obtineri. Quamvis enim et tunc non juris, sed judicis sententia sit ligatus; quia tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. Decreta enim Pontificum, concludit, præcipue forum externum spectare solent: et cum favores Principis ampliari debeant, non est, cur tantum ad forum internum restringantur. » Vide *loco citato Dub.* 20. §. 70. Ita etiam D. Thomas *in addit. quæst.* 24. *art.* 1. Salm. *tract.* 10. *p.* 5. *n.* 44. Vasq. *de excom. dub.* 19. et admittunt etiam dari posse extra Confessionem.

(75. Absolutio Censuræ *ad cautelam* est illa absolutio quæ datur ad majorem securitatem, ut omnis dubitationis causa removeatur. Eam adhibent generatim Pontifices in suis rescriptis Apostolicis, ad omne impedimentum removendum, ut concessa gratia effectum suum habeat; pariterque Sacerdotes ante absolutionem Sacramentalem illam præmittunt, ne propter Censuram a jure latam, et ignotam, irrita sit absolutio Sacramentalis. Demum conceditur semper quando locus est dubitandi, num quis in Censuram inciderit, aut cum est incerta vis illatæ Censuræ; *cap.* 40. *de sent. excom.*

(76. Absolutio *ad reincidentiam est illa quæ datur ad certum tempus, aut ad certum actum, ita ut tempore elapso, aut actu peracto ita absolutus iterum Censura implicetur.* Devoti *lib. IV. tit.* 21. § 6. Datur tamen cum certa conditione, nempe vel ut lædens læso satisfaciat, vel ut reus in constituto tempore certa pietatis opera compleat, etc. quibus si non satifecerit sine justa causa, in Censuram iterum incidat.

(77. Neque solum vivos, sed etiam mortuos Ecclesia a Censuris absolvere consuevit. Cum enim aliquis moriens dat certa pœnitentiæ signa, vel cum apparet latas in eum Censuras injustas fuisse, si ante mortem impetrare pacem non potuit, post eam Ecclesia publice Censuras removet, ut compertum sit omnibus, quod ille in Catholica communione decessit. Olim tantum defuncti nomen in sacris diptychis restituebatur, vel accipiebantur oblationes ejus nomine factæ. Ita Theodoretus narrat, Alexandrum Antiochenum restituisse in diptychis S. Joan. Chrysostomi nomen ab illis jam deletum. *Histor. l.* 5. *c.* 35. *p.* 235. *ed. Cantabrig.* et multa alia adfert exempla Mabillon. *Annal. Benedict. lib.* 58. n. 33. *et lib.* 61. *n.* 42. *et* 43. *tom.* 4. *p.* 409. 543. 544. *ed. Lucæ,* 1739. Sed nunc certa precum forma absolvuntur. Devoti *lib.* 4. *tit.* 21. § 7.

CENSUS.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Quoad ea quæ concernunt esse et conditiones Census.*

1. Hoc nomen *Census* varie accipitur. — 2. Census proprie acceptus, prout ad nostrum propositum spectat, quid sit. — 3. Explicatur Definitio Census per singulas particulas; ad n. 4. — 5. Quis dicatur *Censuarius*, et quis *Censuista*. — 6. Census dividitur in reservativum et consignativum, et quid sit uterque; ad n. 7. — 8. Census consignativus dividitur in realem, et personalem, et mixtum; et quid sit quilibet ex istis. — 9. Census consignativus dividitur ulterius in perpetuum et temporalem; et quid sit uterque. — 10. Census perpetuus subdividitur in redimibilem et irredimibilem; et quid sit uterque. — 11. Temporalis etiam subdividitur in temporalem, qui extenditur ad certum et determinatum tempus, et in temporalem, qui extenditur ad tempus incertum; et quid sit uterque. — 12. Ut Census sit licitus, ac justus jure naturæ, saltem quatuor conditiones requirantur, et assignatur prima. — 13. Assignatur secunda. — 14. Assignatur tertia. — 15. Assignatur quarta. — 16. Ut autem Census sit licitus, et justus jure canonico plures aliæ conditiones requiruntur. — 17. Affertur ad id constitutio Santi Pii V in qua per distinctos §§ exprimuntur conditiones ad Census requisitæ. — 18. Afferuntur declarationes dubitationum desuper exortarum. — 19. Quamvis hanc sancti Pii V constitutionem ob solam præsumptionem usuræ esse latam, et consequenter in conscientia non obligare, ubi *Contractus Censualitius* ab usura alias immunis est, teneant Navarrus et alii, nihilominus omnino tenendum est dictam constitutionem Pianam, ubi usu recepta est, et per legitimam contrariam consuetudinem non est abrogata, absolute obligare. — 20. Ubi autem dicta Piana constitutio, vel non est recepta, vel si primitus recepta, deinde fuit per legitimam contrariam consuetudinem abrogata, utique in nullo foro obligat. — 21. Hinc, quia dicta sancti Pii V constitutio non est usu recepta in Gallia, Belgio, Germania, Hispania, et Sicilia, ibi non

Digitized by Google

obligat. — 22. Census consignativus realis, sive perpetuus et irredemibilis, sive temporalis et redimibilis ex utraque parte, tam censuarii quam censuistæ seu censualistæ, ubi non est in usu Piana constitutio, est licitus de jure naturali. — 23. Sic etiam de jure naturæ est licitus Census personalis, dummodo persona, in qua Census constituitur, sit fructifera. — 24. De jure autem canonico, tam Census perpetuus, et irredimibilis ex utraque parte, sicuti et redimibilis pariter ex utraque parte, quam Census personalis est illicitus et prohibitus. — 25. Census creati ad formam bullæ Pianæ, spectantes ad Ecclesias et loca, pia reduci non possunt ad minorem fructum sine beneplacito apostolico. — 26. Census perpetui creati ad formam bullæ Pianæ, connumerantur inter bona immobilia. — 27. Regulares nequeunt censuario nomine recipere pecuniam sine beneplacito apostolico. — 28. Censuum et cambiorum fructus a communitatibus ditionis ecclesiasticæ conventi ad æquitatis rationem reducuntur. — 29. Census realis licitus est, et immunis ab usura. — 30-32. De Censu personali. — 33. De Censu reservativo et consignativo. *Remissive.*

ARTICULUS II. — *Quoad exstinctionem Census.*

1. A quibusnam possit Census exstingui. — 2. Census a tertio dupliciter exstinguitur. — 3. Creditor censualis quando dicatur dimissus per modum absolutæ exstinctionis. — 4. Pactum subingressus in simplici sessione qualitatem fructiferam Census non inducit. — 5. Idem dicendum de clausula : *translativamente non estintivamente.* — 6. Exstinguitur Census, si creditor Census irrevocabiliter censiti fundi dominium acquirat, adeo ut a qualibet cesset productione fructuum. — 7. Nec loco damnorum, et interesse hujusmodi fructus percipi, et percepti retineri possunt. — 8. Quoad alia. *Remissive.*

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt esse et conditiones census.

(1. Hoc nomen *Census* varie accipitur. Primo accipitur Census, prout dicit, descriptionem, et æstimationem bonorum singularium civium, ut juxta singulorum quantitatem proportionaliter dividantur tributa. In hoc sensu accipitur Census *Matthæi* 22. ibi : *Licet Censum dare Cæsari, an non?* Et sic etiam sumitur ab Ulpiano *in l. Vitia; et in l. Forum, ff. de Censibus.* Secundo, interdum sumitur Census pro ipsis bonis, seu fortunis, quæ censentur, juxta illud Poetæ : *Dat Census honores, Census amicitias.* Tertio accipitur Census pro descriptione Civium, vel ad distinguendos diversos status in ordine ad distributionem munerum, seu pacis, seu belli juxta singulorum habilitatem, ut notat Budæus *in l. ultima ff. de Senat.* Vel ad imponenda onera, in quo sensu accipitur *Lucæ* 2. ibi : *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Quarto, sumitur pro omni eo, quod alteri solvitur in signum subjectionis, et imperii, et in hoc sensu accipitur *in cap. Quæsitum 4. caus. 1. quæst. 3.* ibi : *Salvo utique Episcoporum Censu annuo, quem ab eisdem Altaribus habere soliti sunt.* (2. Quinto, prout ad nostrum propositum spectat proprie accipiendo Censum, *Census est jus percipiendi pensionem annuam ex re alterius utili, et fructifera, supra qua fundatur.* (3. Dicitur *Jus percipiendi pensionem annuam*, per quæ verba indicatur, Censum non esse rem ipsam, quæ Censui subjicitur, nec ipsam pensionem, quæ solvitur, sed potestatem, seu Jus exigendi talem pensionem ex re ipsa, super qua fundatus est Census. Et ideo cum quis per Contractum vendit *Censum*, non dicitur vendere pecuniam, aut fructus annuos, sed Jus quoddam, ratione cujus emptor *Census* potest annuatim exigere certam pecuniam, aut fructus ex re alterius. (4. Dicitur *ex re alterius utili, etc.* Per quæ verba indicatur, *Censum* differre ab *Emphyteusi, et Feudo*, quia in Emphyteusi, et Feudo Dominium directum manet penes Dominum. Utile vero transit in *Emphyteutam*, vel *Vassallum*; secus autem fit in *Censu*, nam Censuista, vel Censualista nullum habet dominium in re *Censuali* (quæ proinde simpliciter est alterius), sed habet Jus duntaxat percipiendi ex ea quamdam certam pensionem in contractu conventam. (5. Hinc adverte, quod Venditor *Census* se obligando ad solvendam annuatim certam pensionem ex ea, dicitur *Censuarius.* Qui vero pretium dedit, sicque *Censum*, seu Jus percipiendi pensionem annuam ex re alterius emit, vocatur *Censuista*, seu *Censualista.* Salas *tract. de Censibus dub. 1. n. 7.* qui dicit hanc esse magis communem appellationem. Licet alii appellent Creditorem ipsum *Censuarium*, et *Censualistam*, et alii utroque nomine, utrumque appellari posse dicant.

(6. Census dividitur in Reservativum, et Consignativum. Reservativus est, *quo quis transfert rem suam in alterum, quoad dominium directum, et utile, servata sibi pensione annua super eadem re*, ut cum quis dat alteri suam domum, vel prædium reservando sibi certam pensionem annuatim ex domo illa, vel prædio sibi præstanda, et de hoc Censu fit sermo *lege ult. C. de rerum permut.* ibi : *Ea lege rebus donatis Candido, ut quod placuerat, annuum sibi præstaret.* Uti Joseph Ægyptiis dedit terras prius titulo permutationis cum tritico subjectas Dominio Pharaonis sub annuo *Censu* præstando; *Gen. c. 47. v. 24.* et de hoc Census non loquuntur Pontifices in suis Constitutionibus, neque in eo procedunt conditiones ibi requisitæ. (7. Census consignativus, de quo in præsenti est sermo, et Pontifices loquuntur : *Est quo quis alteri consignat, seu vendit Jus percipiendi annuam pensionem super rebus suis fructiferis, vel super persona sua, manente integro Dominio tam directo, quam utili ad venditorem.* Et hic Census Consignativus est veluti species quædam emptionis, ac venditionis, unde et in Jure Canonico *in Extravagant.* Martini V. et Calixti III. quarum quælibet incip. *Regimini*, de eo agitur sub titulo *de Emptione, et Venditione.* (8. Census Consignativus dividitur in Realem, Personalem, et Mixtum. Realis est, *qui constituitur seu fundatur super re aliqua fructifera, cui adhæret, et qua pereunte, Census perit.* Personalis est, *qui fundatur super certa persona obligante se ad annuam pen-*

Digitized by Google

sionem ex industria, arte, opificio, vel labore suo solvendam. Mixtus est, *qui immediate super re, et persona fundatur*, ita ut si res pereat, maneat obligata persona ad Censum solvendum, ad differentiam Census realis, in quo pereunte re ex parte, vel in totum ex parte etiam, vel in totum, perit Census super ipsa re fundatus. (9. Census Consignativus dividitur ulterius in Perpetuum, et Temporalem. Perpetuus est, *quo pensio, stante contractu, cæterisque salvis, semper solvenda est;* ideoque etiam ad hæredes, et Censuarii, et Censualistæ transit. Temporalis est, *quo pensio solvenda est solummodo ad tempus aliquod in contractu conventum.* (10. Census Perpetuus subdivditur in Redimibilem, et Irredimibilem. Redimibilis est, *qui restituto per venditorem pretio potest redimi.* Irredimibilis est, *qui amplius redimi nequit.* (11. Temporalis etiam subditur in Temporalem, qui extenditur ad certum, et determinatum tempus v. g. ad 40. vel 60. annos; et in Temporalem, qui extenditur ad tempus incertum v. g. ad vitam unius hominis, vel duorum, et hic Census proprio nomine vocatur *Vitalitius.*

(12. Ut Census sit licitus, ac justus Jure naturæ, saltem quatuor requiruntur conditiones. Prima est, ut Census fundetur in re fructifera, ut prædium, domus, etc., cum enim Censuarius vendat Censuistæ, seu Censualistæ Jus percipiendi annuatim pensionem ex fructibus alicujus rei, debet necesse ipsa res esse fructifera ad hoc, ut ex ea possit solvi pensio. (13. Secunda est, ut justo pretio Census vendatur, et ematur, cum justum pretium ex natura rei requiratur ad quamlibet venditionem, et emptionem. Rota *par 4 tom. 2. decis. 17, num. 34* (14. Justum autem pretium est, quod lege, vel consuetudine taxatum est, uti est in Imperio Romano centum pro quinque annuatim solvendis ex Constitutione Caroli V. edita in Comitiis Augustanis anno 1548. Tertia est, ut pereunte re in totum, vel in partem, æqualiter pereat Census. (15. Quarta est, ut res Censui subjecta non alienetur sine Censualistæ, ne, vel minus secure, vel majori difficultate cogatur exigere pensionem annuam. (16. Ut autem Census sit licitus et justus Jure Canonico, plures aliæ conditiones requiruntur, ut videre est in Constitutione Martini V. incip. *Regimini* edita 1423. et relata *in Extravagan. commun. cap. 1 de emptione, et venditione;* et in Constitutione Calixti III. incip. etiam *Regimini* edita 1455. et relata pariter *in d. Extravagan. commun. cap. 2. de emptione, et venditione*; et in Constitutione Sancti Pii V. incip. *Cum onus Apostolicæ servitutis*, edita 1569. quæ cum præ aliis conditiones ad Census requisitas diffuse exprimat, per distinctos § ad litteram datur.

PIUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

(17. Cum onus Apostolicæ Servitutis obeuntes cognoverimus innumeros celebratos fuisse, et in dies celebrari Censuum Contractus, qui nedum continentur intra limites a nostris Antecessoribus eisdem Contractibus statutos, verum etiam, quod deterius est, contrariis omnino pactionibus, propter ardentem avaritiæ stimulum, Legum etiam Divinarum manifestum contemptum præ se ferunt, non potuimus, animarum, prout tenemur, saluti consulentes, ac piarum mentium petitionibus etiam satisfacientes, tam gravi morbo, lethiferoque veneno salutari antidoto non mederi.

§ 1. Hac igitur nostra Constitutione statuimus, Censum, seu annuum redditum creari, constituive nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur de sui natura frugifera, quæ nominatim certis finibus designata sit.

§ 2. Rursum nisi vere in pecunia numerata, præsentibus testibus, ac Notario et in actu celebrationis Instrumenti, non autem prius recepto integro justoque pretio.

§ 3. Solutiones quas vulgo anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci prohibemus.

§ 4. Conventiones directe, vel indirecte obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus.

§ 5. Quemadmodum nec pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem Censui suppositam, quia volumus rem ipsam semper, et libere, ac sine solutione laudemii, seu quinquagesimæ, aut alterius quantitatis vel rei, tam inter vivos, quam in ultima voluntate alienari.

§ 6. Ubi autem vendenda sit, volumus Dominum Census aliis omnibus præferri, eique denuntiari conditiones, quibus vendenda sit, et per mensem exspectari.

§ 7. Pacta continentia morosum Census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad Cambium, seu certas expensas, aut salaria, seu expensas medio juramento Creditoris liquidendas, aut rem Censui subjectam, sive aliquam ejus partem amittere, aut aliud Jus ex eodem contractu, sive aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita sint et nulla.

§ 8. Imo, et Censum augeri, et novum creari super eadem, vel alia re in favorem ejusdem, aut personæ per eum supositæ pro Censibus temporis, vel præteriti, vel futuri, omnino prohibemus.

§ 9. Sicuti etiam annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem alias de Jure, et ex natura contractus non spectarent.

§ 10. Postremo Census omnes in futurum creandos non solum re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio exstingui. Non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabili, imo centum, et plurium annorum præscriptione, non obstantibus aliquibus pactis directe talem facultatem auferentibus, quibuscunque verbis aut Clausulis concepta sint.

§ 11. Cum vero traditione pretii redditus

Digitized by Google

exstinguendus erit, volumus per bimestre ante id denunciari ei cui pretium dandum erit, et post denunciam intra annum tamen etiam ab invito pretium repeti posse, et ubi pretium, nec volens intra bimestre solvat, nec ab invito intra annum exigatur, volumus nihilominus quandocumque redditum exstingui posse, prævia tamen semper denuncia, de qua supra, et non obstantibus his de quibus supra; idque observari mandamus etiam si pluries, ac pluries denunciatum fuisset, nec unquam effectus secutus fuisset.

§ 12. Pacta etiam continentia pretium Census extra casum prædictum, ab invito, aut ob pœnam, aut ob aliam causam repeti posse, omnino prohibemus.

§ 13. Contractusque sub alia forma posthac celebrandos fœneratitios judicamus, et ita illis propterea non obstantibus, quidquid vel expresse, vel tacite hæc nostra mandata dari remitti, aut dimitti contingat a Fisco volumus posse vindicari.

§ 14. Hanc autem salutiferam sanctionem nedum in Censu noviter creando, verum etiam in creato quocumque tempore alienando, modo post publicationem Constitutionis creatus sit, perpetuo, et in omnibus servari volumus.

§ 15. Declarantes pretium semel Censui constitutum numquam posse ob temporum, aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, nec quoad ultimo contrahentes minui, vel augeri.

§ 16. Et licet Legem ipsam ad contractus jam celebratos non extendamus; illos tamen omnes, in quos sub alia forma pervenerunt Census, hortamur in Domino, ut singulos contractus Censuræ bonorum Religiosorum subjiciant, et animarum saluti consulant.

§ 17. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, statutis et consuetudinibus, nec non privilegiis, et Litteris, etiam per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam Nos sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis Clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, nec non irritantibus Decretis, ex quavis causa etiam per modum Legis universalis, aut alias quomodolibet editis, sive in favorem Universitatum, Communitatum, Collegiorum, Congregationum, Civitatum, et Locorum concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, quatenus directe, vel indirecte præsenti nostræ Constitutioni in toto, vel in parte contrarientur, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§ 18. Volumus autem, quod præsentes in Cancellaria, et acie Campi Floræ publicentur, et inter Constitutiones extravagantes perpetuo valituras conscribantur.

§ 19 Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus, et etiam declaramus, quod earum transumptis, etiam impressis alicujus Notarii manu subscriptis, ac sigillo alicujus Prælati munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§ 20. Nulli ergo omnino, etc.

Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quartodecimo Kalendas Febr. Pontificatus nostri anno quarto.

(18. Sequuntur Declarationes dubitationum desuper exortarum.

PIUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

Etsi Apostolica sedes magna adhibita industria operam det omnia perspicue promulgare, vix tamen est, ut unquam satis queat usquequaque cavere, quin scrupulosæ quorumdam mentes novos illi sensus inducant, quorum perplexitate multi in dubium evocantur.

§ 1. Pridem enim per constitutionem nostram de Censuum creatione inter alia voluimus, Census omnes in futurum creandos non solum re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum effecta ad ratam perire, sed etiam pro eodem pretio exstingui posse. Ac pacta continentia morosum Census debitorem ad interesse lucri cessantis, vel ad Cambium, seu salaria, et expensas medio creditoris juramento liquidandas teneri, aut rem Censui subjectam, sive aliquam ejus partem amittere, aut aliud Jus, sive ex eodem contractu, sive aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto nulla, atque irrita esse. Censum autem, seu annuum redditum nonnisi in re immobili, aut quæ pro immobili, habetur ex sui natura fructifera, atque nominatim certis finibus designata sit. Sed nec Censum ipsum, nisi vere in pecunia numerata præsentibus Notario, et Testibus in actu celebrationis Instrumenti, non autem prius recepto integro, justoque pretio creari constitutive nullo modo posse.

§ 2. Deinde per dilectum Filium Octavium Spinulam Regni Siciliæ Magistrum Portulanum hac de causa ad nos destinatum, accipimus, in d. Regno Siciliæ scrupulum exoriri, an rerum prædictarum infructuositas etiam annalis, aut alias temporalis intelligatur.

§ 3. Et an per nullitatem pactorum aliorum prædictorum, etiam Jus recuperandi, sive repetendi impensas, quas litigando contra morosos prædictos, aut exsecutores ad eorum loca transmittendo, aut alias ex Judicum mandato subire oportet, auferatur.

§ 4. Præterea an tam pro ipsis expensis, quam etiam pro Censu recuperando contra tertium possessorem procedi, et etiam Fidejussores dari, aliave bona prædii Censu gravati evictione, et ipsius Census solutione hypothecari, denique, an Census hujusmodi super pluribus rebus inter se divisis constitui possit?

§ 5. Postremo an id, quod de pecunia numerata dicitur, prohibeat quominus in dotium assignatione Census creari possit?

Digitized by Google

§ 6. Nos hæc discrimina, quantum in nobis est, tollere cupientes, tenore præsentium declaramus rem infructuosam, quæ tota, vel ex parte infructuosa perpetuo redditur, non autem ex qua fructus uno, duobus, pluribusque annis, sive tempestate, sive alio casu non proveniunt, salva alia Juris communis dispositione intelligi debere.

§ 7. Præterea exactionem iliarum expensarum prohiberi quæ ex pacto, vel conventione tantum inter contrahentes inita, et instrumento Census specialiter appositæ reflci permittuntur, non autem eæ quæ ex dicti juris dispositione repetendæ veniunt, et mandato Judicis adjudicantur.

§ 8. Cæterum Fidejussores dari, aliave bona hypothecari pro prædii Censu gravati evictione, aut si prædium in alium devenerit, aut si aliquis tertius Fidejussor intercesserit, tertium possessorem, vel ejus bona obligari minime prohibemus. Hæc autem omnia pro evictione dumtaxat, non autem solutione pœnæ adjudicari posse intelligimus.

§ 9. Postremo in Dotium assignandarum casu Censuum erectionem, et constitutionem prædictam respectu actualis numerationis coram Notario, et Testibus faciendæ locum non habere. Sed in hoc casu Census ipsos etiam pecunia ad manum non habita creari posse declaramus.

§ 10. Denique, ut periculis, quæ ex transportatione pecuniarum frequenter in dicto Regno eveniunt, occurratur, permittimus, ut si in creatione Census pecunia ad manum commode haberi nequiverit, illius loco Emptor apocam, seu schedulam bancariam idoneam integri pretii in ipso emptionis actu debeat exhibere.

§ 11. Constitutione nostra prædicta tam in casu Dotium, quam cæteris omnibus in ea contentis, in suo robore permanentibus.

§ 12. Volumus autem, etc.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die 10. *Junii* 1570. *Pontificatus nostri anno quinto.*

(19. Hanc vero Sancti Pii V. Constitutionem ob solam præsumptionem usuræ esse latam, et consequenter in conscientia non obligare, ubi *Contractus Censualitius* ab usura alias immunis est, tenet Navar. *de usuris n.* 69 *et* 70. Sa *verb. Census et alii;* sed nihilominus omnino tenendum est dictam Constitutionem Pianam, ubi usu recepta est, et per legitimam contrariam consuetudinem non est abrogata, absolute obligare. Castropalao *par.* 7. *tract.* 2. *disp.* 6. *punct.* 15. *num.* 4. ubi testatur hanc esse communem sententiam Doctorum. Census enim creatus contra formam Constitutionis S. Pii V. remanet nullus. Rota *part.* 19. *t.* 1. *dec.* 338. *num.* 2. (20. Ubi autem dicta Piana Constitutio, vel non est usu recepta, vel si primitus recepta, deinde fuit per legitimam contrariam consuetudinem abrogata, utique in nullo Foro obligat, cum Lex humana usu non recepta, vel per legitimam contrariam consuetudinem abrogata, vim obligandi non habeat *ex cap. Cum tanto* 11. *de consuetudine,* ibi: *Licet etiam longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel Juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, et legitime sit præscripta.* Unde cum in hoc Canone Lex jam recepta, et usu confirmata per contrariam consuetudinem abrogari possit, multo magis ab initio per non usum ei derogari poterit, ut recte dicit Layman, *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 3. *verb. quartum.* Et ad hoc optime facit, quod dicit Herincx *part.* 2. *Summæ Theologicæ, disp.* 3. *de legibus num.* 117. ibi: *Ex his patet quomodo multæ Leges seu Bullæ Pontificiæ in variis regionibus non obligent; videlicet, quia vel in iis neque divulgatæ, seu publicatæ, neque acceptatæ fuerunt, consentiente, seu tacite connivente Pontifice; vel quia defectu publicationis, et acceptationis, esto in principio culpabili, tandem in perfectam desuetudinem desierunt. Illud autem plerumque oritur ex eo quod Ordinarii frequenter advertant, aut existiment, ac sæpe non infundate, Leges varias non congruere publicæ utilitati suarum Diœcesium ob inveteratas et rationabiles earumdem consuetudines, genium plebis, defectum finis Legis, v. g. quia lata fuit ob pericula, et defectus, qui ibidem generatim non grassantur, immo vix nosciuntur, etc. Interdum etiam Ordinarii ob Potestatem Laicam non possunt exsequi pro libitu suo mandata Apostolica. Interea vero tempore fluente in desuetudinem Leges abeunt, antequam usu recipiantur.* (21. Hæc illæ, quia testibus Tamburino *tom.* 2. *lib.* 9. *tract.* 2. *de censibus,* Lessio *l.* 2. *c.* 23. *duo.* 13. Herincx *in summa l.* 7. *cap.* 20. § 1. *lit. l.* et aliis, dicta S. Pii V. Constitutio non est usu recepta in Gallia, Belgio, Germania, Hispania, et Sicilia, ibi non obligat, et consequenter valide, et licite ibidem fiunt contractus Censuales, non attentis conditionibus in ipsa Piana Constitutione præscriptis.

(22. Census Consignativus realis, sive perpetuus, et irredimibilis ex utraque parte, tam Censuarii, quam Censualistæ, sive Temporalis, et redimibilis ex utraque parte, ubi non est in usu Piana Constitutio, est licitus de Jure naturali, quia universaliter *ex Regula* 75. *Juris in* 6. *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur,* et tenent passim Doctores. (23. Sic etiam de Jure naturæ est licitus Census personalis, dummodo Persona, in qua Census constituitur, sit fructifera, id est talis, quæ sua arte, opera, vel industria fructum aliquem pariat, unde Censum solvere possit; potest enim super industria hominis constitui obligatio solvendi annuatim aliquid ex suis lucris per modum Decimarum, vel tributorum, quæ dicuntur personales; *arg. cap. ad Apostolicæ, et cap. Pastoralis, de Decimis;* et nihil obstat similem obligationem vendi posse, adeoque, etc. (24. De Jure autem Canonico, tam Census perpetuus, et irredimibilis ex utraque parte, sicuti et redimibilis pariter ex utraque parte, quam Census personalis, est illicitus, et prohibitus per citat. Constitutiones Martini V. et Calixti III. incip. *Regimini,* et S. Pii V. incip. *Cum onus,* adeoque non nisi in locis, ubi illæ, vel non receptæ, vel abro

Digitized by Google

gata sunt, potest valide, et licite sustineri.

(25. Census perpetui creati ad formam Bullæ Pianæ connumerantur inter bona immobilia. Clement. *Exivi* § *Cumque annui redditus, de verb. significat.* Merlin. *de pignorib. lib.* 2. *tit.* 1. *quæst.* 44. *num.* 37. Binsfeld. Molinæus, et alii, quos affert, et sequitur Salas *dub.* 44. et Cardinal. Lugo *disp.* 27. *section.* 1 *num.* 8. ubi dicit quod communis, et verior sententia docet, Census, seu redditus ad longum tempus censeri inter bona immobilia; secus vero si sint ad modicum tempus, et habetur etiam ex Rota *parte* 12. *recent. dec.* 413. *num.* 72. (26. Census creati ad formam Bullæ Pianæ spectantes ad Ecclesias et Loca Pia reduci non possunt ad minorem fructum sine Beneplacito Apostolico. Riccius *dec. Cur. Archiepiscop. Neapol.* 134, *part.* 1. *per tot. et in praxi p.* 1. *resol.* 87. *n.* 2. et alii, quos refert, et sequitur Donat. *prax. rerum. Regul. tom.* 2. *part.* 2. *tract.* 14. *quæst.* 58. *num.* 1.

(27. Regulares nequeunt censuario nomine recipere pecuniam sine Beneplacito Apostolico. Sacr. Cong. Conc. *in Romana Cirstercien-sium* 1. *Sept.* 1617. teste Card. Petra *tom.* 3. *in Constit.* 3. *Pauli IV. sect.* 3. *n.* 23.

ADDITIONES AUCTORIS.

(28. Censuum et Cambiorum fructus a Communitatibus Ditionis Ecclesiasticæ conventi, ad æquitatis rationem reducuntur a Benedicto XIV. *tom.* 1. *Const.* 139. incip. *Ci è stato*, ubi acriter improbata aviditate vilis lucri illorum, qui non erubuere opprimere, et aggravare magis Communitates dicti status exorbitantibus usuris quinque, sex, septem, et etiam octo, et novem pro centenario; ipsos Census reducit, et moderatur ad quatuor tantum pro quolibet centenario. Vide ipsam, ubi multa ad rem scitu digna traduntur.

(29. Census realis, de quo supra *n.* 8. licitus est, et immunis ab usura, nam venditur, et emitur jus percipiendi partem fructuum ex alieno fundo, quæ fructuum portio est pensio singulis annis solvenda. Idem *de Synodo Diœces. lib.* 7. *cap.* 48. § 4.

(30. Census vero personalis non transit in realem, quamvis detur hypotheca, qua perente Census non perit: de eo dubium est, num de sua natura sit usurarius nec ne. Constat tamen vetitum esse ex Constitutione S. Pii V. in qua constituuntur Census conditiones; *ibid.* § 4.

(31. Num conditiones illæ, quoad ea quæ non sunt de jure naturali ac divino, ex contraria consuetudine legitime præscripta, cessarint obligare apud quasdam nationes, dubium est. Ac pro Hispania idem Pius V. concessit non obligare, ut ex Guttierez; *ib.* § 5. Et revera accidere posse, ut ea contraria consuetudo alicubi invaluerit, scribitur *ibid.* (32. Monet tamen Pontifex, etiam in iis Diœcesibus, in quibus Piana Constitutio non viget, ut a Censibus personalibus, præsertim utrinque redimibilibus abstineatur; *ibid.* § 6.

ADDITIO EX ALIENA MANU.

(33. De Censu reservativo, tum consignativo, ea suppliere quæ ab Auctore omissa sunt, longum esset, limitesque præfixos excederet. Vide, si lubet, qui de utroque hoc Censu pancis, sed dilucide agit, Aulisium in libro singulari *de Censibus.*

ARTICULUS II,

EX EDITIONE BARBIELLINIANA,

Quoad extinctionem census.

(1. De exstinctione Census, cujus adeo frequens in foro occurrit disputatio, nil meminit Auctor, neque hic vacat operosius super omissis inquirere, ideo paucis complectar quæ singulariora reputavi. Census potest quantolibet a Debitore exstingui. Sed non solum a Debitore, verum etiam a tertio potest exstingui, et a tertio quoque exstinctus omnem adimit facultatem Creditori agendi contra Debitorem. (2. A tertio dupliciter exstinguitur, vel absolute, vel translative reportata nempe per solventem a Creditore cessione translativa jurium Census anterioritatis, et potioritatis. Primo casu solvens acquirit tantum jus ad sortem repetendam. Secundo vero casu distinguendum est inter cessionem simplicem translativam anterioritatis, et potioritatis, et cessionem Census vivi, et realis, ac Crediti fructiferi. Primo casu nil aliud pariter præter sortem consequetur. Constantin. *Vot. decis.* 29. *per totum*, Zanch. *de prælat. credit. exercit.* 2. § 9. *num.* 85. Rota *post Cenc. de Cens. decis.* 503. *num.* 5. Secundo autem casu eodem gaudet privilegio perceptionis fructuum, quo fruebatur ipse Creditor, adeo ut, mutata tantum Creditoris persona, Debitor ad idem teneatur.

(3. Dicitur autem Creditor censualis dimissus per modum absolutæ exstinctionis, cum in potiori instrumenti parte de omnimoda exstinctione agitur; deinde vero in Capitulo prorsus separato apponitur cessio simplex jurium anterioritatis, et potioritatis, non cessio Census vivi, et realis, ac Crediti fructiferi. Rota *in Romana Immissionis* 27. *Martii* 1726. § *Sed omnem, coram Eminentissimo Calcagnino. In Recineten. Salviani* 5. *Decembris* 1735. § *Quidquid, inquam, coram Nunez. In Romana Censuum super subingressu quoad partitam reservatam* 22. *Julii* 1753. § 3 *et* 4. *in fin. coram Bussio confirm.* 10. *Decemb.* 1753. *impress.* 1654. § *coram eodem.*

(4. Nec pactum subingressus in simplici cessione qualitatem fructiferam Census inducit. Duplex enim subingressus dari potest tum quoad sortem, tum quoad fructus, et ad excludendam qualitatem fructiferam satis est, quod respectu sortis possit verificari, ne sine effectu remaneat. Constantin. *loc. citato.* Rota *in recent. part.* 19. *tom.* 2. *decis.* 515. *num.* 7. Licet per subsequentem fructuum solutionem tacita Debitoris supponerit ratificatio. Rot. *post Paulut. dissert.* 52. *tom.* 2. *dec.* 1. *n.* 7. *et seq. in recent. p.* 14 *dec.* 171. *n.* 15.

(5. Item dicendum de clausula: *Transla-*

Digitized by Google

tivamente non estintivamente in hujusmodi exstinctionem instrumentis apponi solita. Rota *in Romana censuum super Subingressu quoad partitam reservatam* 22 *Junii* 1753. § 3 *et* 4. *confirmat ut sup.*

(6. Exstinguitur etiam Census, si Creditor Census irrevocabiliter censiti fundi dominium acquirat, adeo ut a qualibet cesset productione fructuum. Cenc. *de Cens. qu.* 119. *n.* 1. *et seq.* Rota *post eumd. dec.* 511. *n.* 1. *et* 2. *coram Emerix jun. dec.* 661. *n.* 2. *coram Crescent. decis.* 503. *num.* 16. Cum enim Census impositio naturam sapiat servitutis realis, quæ exstinguitur per irrevocabilem prædii servitutis acquisitionem; Paulut. *dissert.* 52. *num.* 7 *et seq.* Cenc. *de Cens. quæst.* 114. *num.* 2 *et* 3. ita et consecuto irrevocabili fundi censiti dominio Census exstinguatur oportet, ne creditum, et debitum dominium, et servitus, actio, et passio in eodem subjecto reperiatur contra censuram *text. in leg.* 1. *Codic. de hæred. vel. act. vend. ibique* Gotofred. *not.* 28. et Donell. *tom.* 3. *edit. Lucen. col.* 929. *et* 930. *num.* 2. *et seq.* Rot. *in Eugubina Census super fructibus* 3. *Februar.* 1736. § *Statim, coram Molino.*

(7. Neque loco damnorum, et interesse hujusmodi fructus percipi, et percepti retineri possunt. Ita enim eluderetur lex, et quod directe prohibitum est, indirecte permitteretur. Rota post Cenc. *de Cens. decis* 228. *n.* 3. *In recent. dec.* 336, *a. n.* 1. *ad* 4. *et num.* 7. *in Nepesina Salviani* 25. *Januarii* 1726. § *Posita cor. Cerro*, et in dicta *Eugudina Census super fructibus* § *Nec profuit*, ubi plures allegantur.

(8. Cætera quæ omittuntur, habes *in* Cenc. *de Cens.* et consulend. etiam Zech. *Rigor. moderat. circa usuras Dissert.* 3. *c. de Cens. sect.* 7. *per tot.*

CESSIONES.

SUMMARIUM.

1. Concessiones commodi exigendi fructus Beneficiorum prohibendi sub pœna Excomunicationis. — 2. Cessiones commodi exigendi pensiones, factæ intra sex menses a die captæ possessionis Beneficii, annullantur. — 3. Quoad Cessionem bonorum. *Remissive.* — 4. Quinam possint juri suo cedere. — 5. Debitor non potest in præjudicium creditorum jus quæsitum cedere. — 6. De Cessione translativa. — 7. Non valent cessiones factæ a majoribus in potentiores. — 8. Quænam requirantur, ut Cedens incidat in pœnam. — 9. An Ecclesia potentior nequeat Cessionem habere. — 10. An possit fieri Cessio in Clericos ratione mutandi judicii. *Remissive.* — 11. Jura personalia personis ipsis adnexa cedi non possunt. 12. Quæ enumerantur. — 13. Generalis regula de Cessione. — 14. An jura passiva cedi possint. — 15. An Cessio jurium sit stricti juris. *Remissive.* — 16. Cedens tenetur tradere Cessionario instrumentum nominis cessi, ut agere queat contra debitorem cessum — 17. Periculum nominis cessi, quando illud fuit venditum, vel in solutum datum, tunc cedens ad aliud non tenetur, quam quod nomen cessum sit verum; non tamen quod sit exigibile. — 18. Cessio facta sine causa, et sine titulo est nulla. — 19. An cedens post Cessionem possit aliquid facere in præjudicium Cessionarii. *Remissive.* — 20. Quid sit Cessio Bonorum. — 21. Ejusdem divisio. — 22. Quid Cessio voluntaria. — 23. Quidve judiciaria. — 24. Quinam beneficio Cessionis judiciariæ non gaudeant. — 25. Debitor eximitur a pœna detentionis. — 26. Quid in casu quo bona non sufficiant ad debiti solutionem. — 27. Quomodo Cessio bonorum sit peragenda. *Remissive.*

(1. Cessiones commodi exigendi fructus Beneficiorum prohibentur sub pœna excommunicationis, et annullantur, a Bened. XIV. *tom.* 1. *Constitut.* 29. in *Universalis* § (2. Cessiones commodi exigendi pensiones, factæ intra sex menses a die captæ possessionis Beneficii, annullantur. Idem *Constitution.* 30. incip. *In sublimi* § 4.

(3. Quoad Cessionem bonorum, vide verb. *Restitutio, art.* 1. *a num.* 49. *ad* 59; et verb. *Solutio a num.* 3. *ad* 6.

ADDITIONES CASINENSES

(4. Juri suo cedere possunt illi tantum, qui possunt alienare vel transigere. Ita non potest cedere sua jura decoctus. Noguerol. *alleg.* 16. *num.* 102. Ita Ecclesia et minores non possunt sua jura cedere; *c.* 2. *de rebus Eccles. non alienand. in* 6. *Clement.* 2. *eodem.* Molina de *just. et jur. tr.* 2. *c.* 224. Mantic. *de tacit. l.* 4. *tit.* 6. *n.* 39.

(5. Debitor non potest in præjudicium creditorum jus quæsitum cedere; *L. debitorem, Cod. de pignor.*, quamvis in jure nondum quæsito, sed quærendo possit illis præjudicare, uti repudiando hæreditatem sibi delatam; *L. debitorem*, 20. *ff. quæ in fraud. credit.*, quia jus quærendum nondum est in bonis debitoris. *L. vitia renum. ff. ad leg. falcid.* Sanch. *de matrim. l.* 6, *dis.* 4. *a n.* 8.

(6. Hæc sunt de Cessione simplici; videamus nunc de translativa. Cessio translativa in alium supponit jus quæsitum in transferente non posse a debitore fieri in præjudicium creditorum. *L. si avia, Cod. de Jur. deliber.* Maschard. *tom.* 1. *concl.* 44. Limita, si Cessio fieret in eum, qui absque Cessione succedere potest, uti cohæres, vel substitutus, aut hæres ab intestato. Cancer. 3. *p. var. res. c.* 15. *n.* 160. Aliud erga est simpliciter repudiare hæreditatem aut legatum, et aliud illud in alium transferre, seu cedere illi qui absque tali Cessione illud acquirere non potuisset; et prius fieri potest, quia hæres aut legatarius nondum fecit per acceptationem suam, rem legatam; non item secundum; ex quo enim hæres aut legatarius rem legatam alteri cedat, videtur tacite illam adire, aut acceptare, et talis non tam diceretur omittere, quam patrimonium minuere, quod fieri non potest in præjudicium creditorum, nisi Cessionarius etiam non obstante Cessione illam rem legatam acquisivisset. Vide D. D. cit.

(7. Non tantum Cessiones a minoribus factæ, ut supra dictum est, non valent, sed neque factæ a majoribus, si fiant in potentiores, ut quando creditor actionem et nomen debitoris sui potentiori cedit juxta *L.* 1 *et* 2. *Cod. ne liceat potentioribus.*

(8. Cedens, ut incidat in pœnam, debet esse

Digitized by Google

dolosus, et quod cedat causa opprimendi adversarium.

(9. Quæritur an Ecclesia potentior nequeat Cessionem habere. Affirmant multi apud Oleam *de cess. tit.* 2. *q.* 4. *n.* 44. Maschard. *de prob. concl.* 558. *num.* 20. Vera tamen sententia est negativa, et Cessio in ejus favorem facta non subjacet pœnæ ; *L.* 2. *Cod. ne liceat potentiori ;* nisi Ecclesia, vel Clerici jurisdictionem haberent in Laicum contra quem fit Cessio. Menoch. *l.* 1. Olea. de *cess. tit.* 2. 9. 4. *num.* quamvis ipse Olea. *n.* 48. ab hac sententia recedat, et verius judicet, minorem, et Ecclesiam inter potentiores ratione privilegiorum, quæ habent, esse referendos, ideoque si de fraude appareat, exceptione et edicto Prætoris posse repelli, et citat Farin. *in fragm. n.* 308. *et* 311. nisi velint uti illo jure, quo uteretur is a quo causam habuerunt; ex Cujacio *lib.* 8. *obs.* 31. ibi ; *vel si non denegatur actio, etc.* (10. An possit autem fieri Cessio in Clericos ratione mutandi judicii ? vide Oleam. *loc. cit. a. n.* 46.

(11. Neque jura personalia personis ipsis adnexa cedi possunt. *L. mulier ff. de jur. dot.* Archid. *in cap. privil. de Reg. Jur. in* 6. (12. Talia sunt : 1. actio directa. Noal. de *transmis. cap.* 24. *num.* 14. et auct. mox cit. 2. Usus fructus. *L. si ususfructus, ff. de jur. dot.* Surd. de alim. *tit.* 8. *privil.* 55. *num.* 4. *et tit.* 5. *num.* 9. Limita quoad commoditatem fructuum, quæ cedi potest. Mantic. de *tacit. lib.* 13. *tit.* 32. *num.* 4. Ita usus tamquam jus personale cedi non potest. *L. si habitatio, ff. de habitat.* Noal. *de transmis. cap.* 66. 3. Ita privilegium personale cedibile neque transmittitur. Olea *loc. cit. num.* 21. 4. Ita facultas eligendi, vel nominandi, quam quis habet jure proprio, licet in alium transferri potest, tamen facultas competens ad alterius utilitatem, uti nominandi aliquem ad succesionem non potest cedi. Vide Oleam *de cess. tit.* 3. *quæst,* 1. Cyriac. *lib.* 2. *contr.* 297.

(13. Generalis regula est quod omne quod cedi potest, possit etiam transmitti, et quod transmitti non potest, neque cedi potest. Consule D. D. cit.

(14. Ad quæsitum : An jura passiva, vel actiones passivæ cedi possint ? negative respondetur secundum communiorem apud Oleam *de cess. jur. tit.* 3. *quæst.* 9. *num.* 8. Ratio est, quia Cessio est translatio facta juris proprii in alium, actiones vero passivæ nostræ non sunt, neque in nostris bonis, sed creditorum. *L. postquam, ff. de usufr. L. mulier. bona, ff. de jur. dot.* Merlin. *de pignor. lib.* 1. *quæst.* 8. *num.* 4, et ita in usufructuarium universalem bonorum, immo nec in emptorem hæreditatis transeunt debita, ut contra illos agere possint creditores.

(15. Olea contra multos tenet in quæstione, an Cessio jurum sit stricti juris; *d. tit.* 6. *quæst.* 6.

(16. Cedens tenetur tradere Cessionario instrumentum nominis cessi, ut agere queat

contra debitorem cessum. Gratian. *disc. for. cap:* 501. Cenc. *de cens. quæst.* 72. *num.* 23. Neque sufficit quod constet de credito per sententiam. Hering. *de fidejuss. cap.* 27. *p.* 3. Limita si creditor juramento suo affirmaret, se amisisse, tunc enim liberaretur. An vero sufficiat quod cedens ostendat, et indicet notarium, qui fecit instrumentum ? ut tenuit Rot. *apud Seraph. dec.* 1477. *num.* 8. vel requiratur actualis traditio, ut tenuit Rot. *dec.* 14. *num.* 3. *p.* 4.

(17. Periculum nominis cessi, quando illud fuit venditum, vel insolutum datum, tunc cedens ad aliud non tenetur, quam quod nomen cessum sit verum, non tamen quod sit exigibile. *L. si nomen.* 4 *ff. de hæred. vel act. vendit.* Olea *loc. cit. quæst.* 3. *num.* 3.

(18. Cessio facta sine causa et sine titulo est nulla, *L. fin. Cod. mandati.* Ciarlin. *contr. for. cap.* 189. *num.* 20. Grass. *de excep. excep.* 40. Sicut est nulla, quando titulus fuit nullus. Gratian, *disc. for. cap.* 479. *num.* 72. Farin. *de falsit. quæst.* 162. Menoch. *lib.* 3. *præ.* 129. *num.* 29. et sicut falsa causa vitiat contractum, ita et Cessionem. Sanch. *de matrim. lib.* 8. *disp.* 21. *quæst.* 2. *et per totum*, Præsumitur enim tunc simulate facta. DD. cit.

(19. Quæstio autem, an cedens post Cessionem possit aliquid facere in præjudicium Cessionarii, ut confitendo, liberando, vel exigendo, videri potest apud Cacheran. *decis.* 52. *et* 45. Merlin. *de pignor. lib.* 2. *quæst.* 32. Olea *de cess. tit.* 8. *quæst.* 2.

(20. *Cessio Bonorum* est desertio bonorum omnium in creditorum favorem peracta a debitore, quum non possit amplius debitis suis satisfacere. (21. Hæc autem Cessio una est voluntaria, judiciaria altera. (22. Cessio Bonorum *voluntaria* est ea, quam creditores sua sponte admittunt, et hæc aliud non efficit, quam id, quod ex stipulationibus Creditores inter et debitorem derivatur. (23. Cessio vero Bonorum *judiciaria* in beneficium est debitoris, cui pro incolumitate suæ libertatis, omnia bona sua creditoribus deserere conceditur, non obstante quacumque in contrarium stipulatione. (24. Cessionis hujusmodi beneficio non gaudent. Exteri, omnes qui vulgo dicuntur *Stellionarii*, fraudulenter Decocti, damnati causa furti, etc. Tutores, Administratores, Depositarii, etc. Cessio judiciaria creditoribus proprietatem nullo modo tribuit, sed tantum jus bona venumdandi in propriam utilitatem, et fructus, percipiendi donec venumdentur. (25. Hac Bonorum Cessione eximitur debitor a pœna detentionis, vulgo *Arresto personale.* (26. Si vero bona satis non sint ad omnia debita solvenda, debitor et alia si acquirat bona cedere tenetur, usque in integrum solvat. *Cod. Regn. utrius. Sicil. leg.* 1218. *ad* 1225

(27. Quomodo Cessio Bonorum sit peragenda, vid. Azzariti *Dizionar. Ragionat. del Codice del Regno delle due Sicilie, part.* 3. *ad verb. Cessione di Beni.*

Digitized by Google

CHARACTER SACRAMENTALIS.

Vide verb. SACRAMENTUM, *art.* II. *a num.* 33. *ad* 41.

CHARITAS.

Vide verb. VIRTUS, *a num.* 34. *ad* 87.

CHARITATIVUM SUBSIDIUM.

Vide verb. SUBSIDIUM CHARITATIVUM.

CHIROMANTIA

Vide verb. SUPERSTITIO, *num.* 20.

CHOREÆ.

SUMMARIUM.

1. Choreæ publicæ festis diebus prohibentur. — 2. Choreas extrema die Bacchanalium ultra mediam noctem produci vetatur in tota Ecclesiastica Ditione. — 3. Choreæ, quamvis ex sui natura sint licitæ, vix tamen in actu, quomodo nunc fiunt, permitti possunt. — 4. Choreas a Clericis non sine peccato gravi agi posse Theologi plerique affirmant. — 5. Alia ad rem. *Remissive.*

(1. Choreæ publicæ festis diebus prohibentur a Benedicto XIV *tom.* 1. *Constit.* 60. incip. *Nihil profecto*, § 4. in. qua *Constitut.* multa ad rem merito observanda traduntur.

(2. Choreas extrema die Bacchanalium ultra mediam noctem produci vetatur in tota Ecclesiastica Ditione ab eodem Pontifice, *tom.* 2. *Constitut.* 45. incip. *Inter cætera;* et utinam ubique hoc observaretur.

(3. Choreæ, quamvis ex sui natura sint licitæ, vix tamen in actu, quomodo nunc fiunt, permitti possunt, cum plerumque sint peccandi occasio. Idem *Instit. Eccles.* 76. § 5.

(4. Choreas vero a Clericis non sine peccato gravi agi posse Theologi plerique asserunt; *ibid.* § 7. Quin et prohiberi possunt ab Episcopis Clerici omnes ne Choreas ducant, ne in illis ludant instrumentis, quin nec permittant eas fieri in suis ædibus Ecclesiasticis, Canonicalibus, seu etiam Beneficialibus deputatis pro domicilio Beneficiati, etiamsi illæ fierent nomine consanguineorum ibidem cohabitantium; quæ verba sunt decreti Sac. Congregationis, relati *in cit. Instit.* 76. § 8.

(5. Alia ad rem, vide verb. *Clericus*, *art.* 4. *ann.* 13. et verb. *Luxuria*, *num.* 88.

CHOREPISCOPI.

ARTICULUS EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

SUMMARIUM.

1. Quæstio exorta de Chorepiscopis, et variæ opiniones de eorum Ordinatione. — 2. Affertur prima. — 3. Affertur secunda. — 4. Affertur tertia. — 5. Distinctio facta a Chardonio inter Orientem et Occidentem. — 6. Quoad alia. *Remissive.* — 7. Chorepiscoporum institutio est antiquissima. — 8. Etymologia nominis. — 9. Eorum munus. — 10. Discrimen Chorepiscopos inter et Presbyteros referendum est ad jurisdictionem, non ad Ordinem. — 11. Confirmatur sententia Chorepiscopos alios fuisse Episcopos, alios Presbyteros

(1. Quæ sub Carolo M. Gallicanas Ecclesias multum divexavit, de Chorepiscopis controversia, fuerintne ordinatione sua et charactere veri Episcopi, an tantum Presbyteri aliqua dumtaxat auctoritate, et jurisdictione supra cæteros donati; eadem Theologos nostros, et Jurisperitos etiamnum in varias sententias distrahit.

(2. Petrus de Marca *de Conc. lib.* 2. *cap.* 13. *et* 14. Morinus *de Sacr. Ordin. part.* 3. *Exercit.* 4. *cap.* 2. Thomassius *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *et* 2. cum primis vero Witasse *de Sacram. Ordin. p.* 11. *q.* 1. *append. de Chorepiscopis*, docent, Chorepiscopos ordinatione sua fuisse meros Presbyteros, adeoque Chorepiscopatum nudum fuisse officium, et ministerium ad levandam Episcopis in pagis et villis sollicitudinem; quod etiam *l. infra cit.* Auctor noster existimabat.

(3. Contra Rhabanus Moguntinus Archiepiscopus in opusculo de Chorepiscopis, quod ad postulationem Reginbaldi Chorepiscopi edidit, Turnelius *de Ord. quæst.* 7 *art.* 1. et P. Sbaralea *Dissert.* 29. inter additas a Franc. Antonio Zaccharia Fleuryanæ *Disciplinæ populi Dei tom.* 3. *edit.* 1782. *p.* 180. contendunt, Chorepiscopos non officio tantum, et aliquo ministerio, sed etiam propria ordinatione fuisse veros Episcopos.

(4. Bellarminus *l.* 1. *de Cleric. cap.* 17. et Hallierus *de Sacr. Election. et Ordinat. sect.* 5. *c.* 2. § 2. *seqq.* mediam iuierunt viam, duosque distinguunt Chorepiscoporum ordines, quorum alii Episcopi fuerint, alii tantum Presbyteri ordinatione sua.

(5. Fortassis tamen in hac quæstione præstabit cum Chardonio Orientem ab Occidente distinguere, et in Occidente ipso varios variorum sæculorum mores. Nam in Oriente Chorepiscopos Episcopali fuisse potestate insignitos nullus dubitat; at in Occidente non eadem semper et ubique disciplina obtinuisse videtur.

Digitized by Google

(6. Alia ad rem, vide verb. *Episcopus art.* 1. *ann.* 36. *ad* 41,

ADDITIONES CASINENSES.

(7. Antiquissima est in Ecclesia Chorepiscoporum institutio, cum ad IV. sæculum relata sit : quod probatur ex diversis Conciliorum canonibus. Vide Concil. Ancyr. *can.* 13. Antioch. etc. (8. Munus eorum ex ipsa nominis notione patet ; appellantur enim τῆς χώρας, id est, ruris Episcopi, Episcopi regionarii, quod etiam confirmat *can.* 10. Concilii Antiocheni, ubi dicitur : *Qui in villis, et vicis constituti sunt Chorepiscopi.* (9. Chorepiscopi igitur illi erant, qui ab ipsis Episcopis adsumebantur, ut administrarent Ecclesias extra civitates, quibus ipsi præesse personaliter non poterant; quod colligitur ex ipso citato Concilio : *S. Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, ut gubernent subjectas sibi Ecclesias, earumque moderamine contenti sint.* Unde Ferrandus Diaconus in *Breviario Canonum* minus ad nominis originem quam ad sollicitudinem quam subjectis sibi Ecclesiis Chorepiscopi sibi impendebant, respiciens, illos *vicarios Episcoporum* vocat : quam interpretationem secutus est etiam Carolus Magnus in Capitulari Aquisgranensi. (10. Cum de his quæstio orta sit (vide *supra*), utrum Episcopi an simplices Presbyteri fuerint, quædam addenda censuimus, quomodo discrepantes sententiæ auctorum hac de re conciliari possint. Opinio Petri de Marca et aliorum nititur præsertim Athanasii loco *Apolog. contr. Arian. tom.* 1. *pag.* 158. *edit. Par. An.* 1777. cujus hæc sunt verba : « Mareotis regio est Alexandrina, in qua nunquam Episcopus fuit, aut Chorepiscopus ; sed universæ illius regionis Ecclesiæ Alexandrino parent Episcopo. Presbyteri autem singuli suos vicos habent maximos, qui decem circiter sunt; immo plures numero; » ubi quidem discrimen vides Chorepiscopos inter et Presbyteros, quod vero referendum esse potius ad officium et jurisdictionem, quam ad Ordinem putamus; ita ut idem essent Chorepiscopi et Presbyteri quoad Ordinem, majores vero Chorepiscopi quoad jurisdictionem. Et hanc sententiam sequuntur etiam Francisc. Turrian. *Not. in cap.* 54. *Concil. Nicæn.* Natal. Alexand. *Hist. Eccles. sæc. IV. Append. ad dissert.* 44. *quæst. un. tom.* 4. nempe quæ *canoni* 8. Concil. Nicæn. consonat, et colligitur ex responso dato a Leone III. ad Carolum M. cui cum legatos ad dictum Pontificem misisset, idem respondit : Chorepiscopos meros esse Presbyteros, ideoque irritum esse quidquid ipsi gesserant proprium Ordinis Episcopalis ; quod approbaverunt Concilii Ratisbonensis Patres. Vide Sirmondum *Concil. Gallican. tom.* 2. *p.* 239. *et Seq. Paris.* 1629. (11. Sed huic nostræ sententiæ contrariæ videntur alii Canones in quibus non solum de consecratione Episcopali Chorepiscoporum sermo occurrit, sed etiam decernitur, ut Episcopi hæretici ad fidem catholicam conversi provideantur Chorepiscatu. Attamen facile canones discrepantes conciliare possumus, admittentes distinctionem Bellarmini, nempe fuisse Chorepiscopos Episcopali consecratione insignitos; et præsertim eos qui ab hæresi conversi jubentur Chorepiscopi constitui, scilicet administratores Ecclesiarum in pagis, *ne in Civitate duo sint Episcopi;* alios vero fuisse Chorepiscopos minime distinctos a Presbyteris quoad ordinem, sed majores quoad jurisdictionem.

CHRISMA.

SUMMARIUM.

1. Chrisma benedici nequit, nisi ab Episcopo. — 2. Chrisma pro Ecclesiis Græcis recipi debet ab Episcopo Catholico. — 3. Aliquos simplices Sacerdotes accepisse a Pontifice facultatem Chrisma consecrandi fertur. — 4. At insuetum est hac prærogativa inferiorem Presbyterum insignire. — 5. Vetitum est Parochis aliud Chrisma, quam ab Episcopo suo consecratum adhibere. — 6. Quum novum Chrisma benedicitur, vetus comburendum est. — 7. Licitum est Oleo consecrato admiscere aliquid olei non consecrati in minori quantitate. — 8. Cum Fontes die Sabbati S. a Parochis benedicuntur, præstat novo Chrismate ritum peragere. — 9. Quibusnam liceat deferre sacra Olea. — 10. Alia ad rem. *Remissive.*

(1, Chrisma benedici nequit, nisi ab Episcopo, Benedict. XIV. *tom.* 1. *Constitut.* 17. incip. *Etsi* § 4. (2. Chrisma pro Ecclesiis Græcis recipi debet ab Episcopo Catholico, et quidem ab Ordinario. (3. Idem *ibid.* Quamvis autem Chrismatis consecratio sit unum ex præcipuis muneribus Ordinis Episcopalis, fertur tamen aliquos simplices Sacerdotes accepisse a Pontifice facultatem illud consecrandi, ut testatur Wadingus *Annal. Minor. tom.* 9. *ad ann.* 1440. de Eugenio IV. qui Fabiano de Bacchia Ordin. Minor. ad Indos proficiscenti facultatem dedit non solum Chrismate consignandi Fideles, sed etiam ipsum Chrisma consecrandi; et de aliis Mabillonius *tom.* 1. *part.* 2. *Musæi Italici,* ex Epistola Joannis Diaconi ad Senarium, *num.* 8. *pag.* 73. (4. At vero insuetum esse, hac prærogativa Episcopalis Ordinis propria inferiorem Presbyterum insignire, erudite suo more tradit Bened. *de Synodo Diœcesana lib.* 7. *cap.* 8. *n.* 2.

(5. Ex Can. *Si quis de alio, de Consecr. dist.* 4. colligitur vetitum esse Parochis aliud Chrisma, quam ab Episcopo suo consecratum adhibere. *Instit. Eccles.* 81. § 2. idque omni quacumque exemptione exclusa, ut ex Passerino; *ibid.*

(6. Cum novum benedicitur, vetus comburendum est, nec licet absque necessitate veteri Chrismate uti ad extremam Unctionem, cum novum haberi potest, ut ex Can. 112. *distinct.* 4. *de Consecrat.* colligunt Doctores; *ib.* § 4.

(7. Licitum est oleo consecrato admiscere aliquid olei non consecrati, quod attamen sit in minori quantitate quam consecratum; sed nec fas, nec ratio permittit, ut vetus oleum, cum potest novum haberi, ea admixtione perpetuetur; *ibid.* § 4.

Digitized by Google

(8. Cum Fontes die Sabbati Sancti a Parochis benedicuntur, præstaret novo Chrismate ab Episcopo feria V. in Cœna Domini ejus anni benedicto ritum peragere; *ib.* § 5.

(9. Ex jure communi *Can. Omni tempore dist.* 4. *de Consecrat.* non licet deferre sacra Olea nisi Subdiaconis, vel Diaconis, vel Sacerdotibus; *ib.* § 5.

(10. Alia ad rem vide infra verb. ***Confirmatio***, et verb. ***Extrema Unctio***.

CHRISTUS.

SUMMARIUM.

1. Miracula quædam a Christo patrata. *Remissive.* — 2. De Clavis quibus Christus Cruci affixus est. *Remissive.* — 3. De verbis a Christo in Cruce ad latronem prolatis. *Remissive.* — 4. De Christi Divinitate. *Remissive.*

(1. Miracula quædam a Christo patrata vide verb. *Magi*, verb. *Hemorrhoissa*, verb. *Malchus*, verb. *Samaritana*, verb. *Filius Viduæ Naim* (1).

(2. De Clavis, quibus Christus Cruci affixus est, vide verb. *Clavi;* tum in loco crucifixionis vide verb. *Calvarius* (2).

(3. De verbis a Christo in Cruce ad latronem prolatis, vide verb. *Latrones* (3).

ADDITIO EX EDITIONÆ BARBIELLINIANA.

(4. Christi Divinitas, quam præter Theologos singulari dissertatione illustravit Thomas Ansaldi *Tom.* 3. *Thesauri Theologici Zachariani*, cum ex Christianis Lapidibus, tum ex Libris Liturgicis *Tom.* 1. ejusdem *Thesauri Theologici p.* 377. *et* 445. confirmatur. Accedat insignis Anonymi Gallica Dissertatio, quam brevi Italice redditam habebimus, inscripta : *La Religion Chrétienne prouvée par un seul fait, ou Dissertation où l'on démontre que des Catholiques à qui Hunéric, roi des Vandales, fit couper la langue*, magno utique ad ostendendam Christi divinitatem miraculo, *parlèrent miraculeusement le reste de leur vie.* Parisiis. 1766.

CIRCUMCISIO

SUMMARIUM.

1. Circumcisio fuit verum, et proprie dictum Sacramentum deletivum culpæ originalis, et collativum gratiæ ex opere operato; *ad num.* 2. — 3 Circumcisio non solum fuit sacramentum Legis scriptæ, sed etiam Legis naturæ. — 4. Imo Circumcisio in Lege scripta non fuit aliud Sacramentum ab eo quod erat in Lege naturæ, sed idem magis determinatum. — 5. In Lege naturæ ante Circumcisionem fuit a Deo institutum Sacramentum aliquod pro justificatione parvulorum. — 6. Circumcisio quamvis fuerit data 400 circiter annis ante Legem scriptam, et jam ab illo tempore debuerit applicari omnibus masculis ex Abrahæ familia descendentibus; illi tamen, qui non erant ex genere Abrahæ poterant ante Legem scriptam circumcidi, sed non tenebantur. — 7. Pro fœminis etiam post institutam Circumcisionem remansit, et perseveravit Sacramentum Legis naturæ. — 8. Quare Circumcisio instituta fuerit pro solis masculis, et non pro fœminis. — 9. Cur Circumcisio fiat in membro genitali. — 10. Circumcisio, et Baptismus in multis differunt, et in multis conveniunt inter se. — 11. Affertur prima, secunda, tertia, et quarta differentia. Adducitur prima, secunda, et tertia convenientia; *ad n.* 17. — 18. Affertur, et solvitur objectio ex auctoritatibus Apostoli, quod Circumcisio non deleverit culpam originalem, nec contulerit gratiam ex opere operato. — 19. Adducitur, et solvitur instantia ex aliis auctoritatibus ipsius Apostoli. — 20. Affertur, et solvitur objectio adducta ex Conc. Florent. et Trid. — 21. Circumcisio et Sacramentum Legis naturæ imprimebant characterem. — 22. Reprehenditur A. sententia de effectu Circumcisionis.

(1. Circumcisio præcepta a Deo Abrahæ *Genes.* 57. deinde post 400. circiter annos in lege scripta firmata, fuit verum, et proprie dictum Sacramentum deletivum culpæ originalis, et collativum gratiæ ex opere operato. Sic Scotus *in* 4 *dist.* 1, *qu.* 6. quem sequuntur passim Scotistæ, et plurimi alii, et hanc sententiam prius docuerant plures SS. Patres, et præsertim S. Augustinus *lib.* 1. *contra Petilianum cap.* 72. ibi : *Certe antiquus populus Dei Circumcisionem pro Baptismo habebat*, et idem tradit *lib.* 3. *contra Julianum c.* 18. *lib.* 2. *de gratia, et peccato originali cap.* 30. *lib.* 16. *de Civitate Dei cap.* 27. *lib.* 4. *de Baptismo c.* 24. *lib.* 2. *de nuptiis, et concupisc. cap.* 11. et alibi frequenter. S. Gregorius *lib.* 4. *moral. cap.* 2. ibi : *Quod apud nos valet aqua Baptismi, hoc egit apud veteres... Mysterium Circumcisionis*, et sic etiam S. Bonaventura, Alensis, Bernardus, Prosper, Fulgentius, Hugo, Beda, ac alii, et colligitur ex *Genes.* 17. ibi : *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*, et ex *cap. Majores* 3. § *Caute de Baptismo*, ibi : *Originalis culpa remittebatur per Circumcisionis Mysterium, et damnationis periculum vitabatur* (4).

(1) Vide præclarum Adreæ Spagni *de Miraculis* dissertationem. (EDIT. BARBIELL.)

(2) De his adeundus cum primis Gretserus; item Benedictus XIV de festis Christi, et Sandinius *de Sac. Famil.* (EDIT. BARBIELL.)

(3) Pius itemque doctus exstat Bellarmini *de septem verbis Christi Domini* libellus, quem legi ab omnibus velim. (EDIT. BARBIELL.)

(4) Si Auctor binas tantum legisset D. Augustini Calmeti Dissertationes, quarum altera *de Orig. et Antiquit.*, altera *de effectibus Circumcisionis* est, non ea scripsisset quæ Circumcisionem respiciunt. Brevitatis ergo solam Dissertationis secundo loco memoratæ conclusionem exscribo. « Quamvis autem vulgo Scholastici, et Commentatores in Augustini, et Gregorii Magni sententiam concedentes autumaverint originale crimen piaculo Circumcisionis deleri, alia tamen sedit pluribus aliis Theologorum opinio, ratis cum Græcis, et Latinis vetustissimis Patribus nihil in Circumcisione agnoscendum, quam merum aliquod signum, nullam habens remittendi criminis efficacitatem. Id sibi disertissime asserendum suscepit Cardinalis Bellarminus *lib.* 2. *de Sacrament. in gener. cap.* 16, 17. Sasbout in *cap.* 4. *Epist. Rom.* Stapletonus *Antidot. Apost. contra Hæret. in Ep. ad Rom.* Sylvius *in D. Thom.* 3. *part. quæst.* 79. *art.* 4. S. Thom. 3. *part. et in Rom.* 4. *et in* 2. *part. qu.* 62. *art.* 6. aliique plures ejus interpretes, docentes originale crimen Circumcisione nonnisi ex obliquo, et ex consequenti remitti; quod enim de-

Digitized by Google

2. Quod Circumcisio nedum fuerit deletiva culpæ originalis, sed etiam collativa gratiæ ex opere operato, necessario sequitur, nam juxta Concilium Trid. *sess.* 6. *cap.* 7. non remittitur peccatum sine infusione gratiæ, cum de facto non detur status medius inter filium Regni, et filium Gehennæ; adeoque concesso quod Circumcisio deleverit culpam originalem, necessario sequitur quod gratiam contulerit, cum de potentia ordinaria non aliter culpa originalis deleri possit, quam per gratiæ collationem, ut omnes concedunt, teste Mastrio *in* 4 *disp.* 1. *q.* 2. *art.* 3. *n.* 74. et quidem ex opere operato, quia illam non contulit ex opere operantis ipsius suscipientis, id est parvuli circumcisi, utpote meriti personalis incapacis, nec ex opere operantis ipsius Ministri, id est Circumcidentis, quia poterat conferri a perverso, et malo Ministro, ac etiam ab infideli, et adhuc valida fuisset, si facere intendisset, quod facere intendebat vera Fidelium Ecclesia, ut recte tradit S. Augustinus *lib.* 1. *contra Cresconium cap.* 31. *et Epist.* 103. dicens, Circumcisionem a Samaritano collatam fuisse validam non minus quam nunc sit Baptismus collatus ab Hæretico, adeoque, si gratiam non contulit ex opere operantis, necessario sequitur eam contulisse ex opere operato, cum non detur alius modus in productione gratiæ, nisi ut conferatur intuitu meriti suscipientis, vel ministrantis, quod dicitur conferri ex opere operantis; aut virtute ipsius Sacramenti, quod dicitur conferri ex opere operato, nam juxta verum, et proprium loquendi modum, per opus operatum non intelligitur Passio Christi peracta, sed Sacramentum ipsum quatenus constitutum ex pacto, et promissione Dei, ut notat Mastrius *loc. cit. n.* 78. *circa medium* (1).

3. Circumcisio non solum fuit, ut supra, Sa-

leretur, in causa fuisse fidem, atque meritum illius, qui se Circumcisione initiandum traderet; quorum sane sententia æquior nobis probatur. » (*Nota Rom. Theol.*)

(1) Quæ disputat, atque edocet Auctor noster in hoc Articulo paullo altius rem repetendo rejicienda, atque convellenda nobis videntur; licet Romano Theologo in adnotatione subjecta indicasse tantummodo satis fuisset Circumcisionis legem a Deo ipso sancitam *Genes. cap.* 17, *v.* 10, 11, 12, 13, 14, Abrahamo Patri credentium, ejusque futuræ posteritati usque ad *tempus correctionis* impositam renovatam deinde *Levitici, cap.* 12, *v.* 2, fuisse præter cætera institutam in remedium Originalis culpæ in confesso apud omnes videtur. Non pauci etiam inter Catholicos Theologos in ea fuere sententia, ut crederent virtute ejusdem Circumcisioni et deletam fuisse originalem noxam, et justificationis donum recipientibus collatum. Hanc sententiam primus docuisse videtur magnus ille Augustinus, atque inde cæteri avide arripuerunt, ac propugnarunt; quibus Auctor noster comitem se se adjunxit. Isthæc etiam sententia arrisit Calvino, cæterisque Romanæ Communionis hostibus, ut suum tuerentur errorem, nempe quod Sacramenta Novæ legis a veteribus non differrent alia ratione, nisi solo ritu, solisve cæremoniis; quod damnatum occurrit in ipsa Tridentina Synodo *sess.* 7, *can.* 2, *de Sacramen.* Verum isthæc nobis sententia non probatur, et merito, quippe quæ pugnat cum apertissimis Sacrarum Scripturarum Oraculis, neque ipsius Augustini auctoritate potest sese satis tueri.

Et sane, ut reliqua prætermittantur, quæ in hanc rem possent dici, quæque legi poterunt apud Bellarmin. singula sigillatim recensentem atque expendentem; atque ut simul omnia Adversariorum effugia, quibus etiam tueri se se gestit Auctor noster, præcludantur, unum aut alterum argumentum ex *Epist.* D. Pauli *ad Roman.* deductum hic proponam, quo res omnis confici videtur.

Justificationis gratia nemini unquam collata nisi per fidem in venturum Reparatorem : *Relevatur justitia Dei ex fide in fidem, sicut scriptum est : Justus ex fide vivit. laud. Epist. ad Roman. cap.* 1, *v.* 17. *Unus Deus est, qui justificat Circumcisionem ex fide, et præputium per fidem. cap.* 3. *Justitia Dei per fidem Jesu Christi, in omnes, et super omnes qui credunt in eum.* Et infra : *Arbitramur enim hominem justificari per fidem sine operibus legis.* Aliaque his similia laud. *cap.* 3. Quod etiam *cap.* 4. probat exemplo Abrahæ, de quo scriptum est : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et signum accepit Circumcisionis signaculum justi iæ fidei; laud. cap.* 4. *v.* 3. *et v.* 13. h. e. veluti signum, ac sigillum, quo justificationis donum per fidem antea receptum comprobaretur, ratificaretur, declararetur, firma, ac certa præcedens ejus justitia redderetur, uti explicant Patres Græci apud Estium *Comment.* in laud. D. Pauli Epistolam. At vero si Circumcisionis mysterium justificationis gratiam Judæis contulisset, tota simul argumentatio, ac doctrina Apostolica corrueret, uti patet. Quod sane ferendum non est.

Deinde initio *cap.* 3. enumerat Apostolus præcipuas saltem Circumcisionis utilitates his verbis : *Quid ergo amplius Judæo est, aut quæ utilitas Circumcisionis? multum per omnem modum. Primum* (h. e. præcipuum illud et maximum) *quia credita sunt illis eloquia Dei.* At si Circumcisio *per se* valeret ad veram justitiam, hoc certe maximum Dei donum ac summa præ omnibus aliis Circumcisionis utilitas, silentio prætereunda non erat; præsertim cum ad rem, de qua disputabat Apostolus maximopere pertineret. Neque poterit hic adhiberi illa responsio, qua utitur Auctor noster *n.* 18. ut declinet vim argumenti deducti ex verbis ejusdem Paul. *Epist. ad Galatas cap.* 5. *v.* 6. *Nam in Christo Jesu neque Circumcisio aliquid valet, etc.* et *ad Corinth. c.* 7. *v.* 19. *Circumcisio nihil est,* et nimirum illa esse intelligenda de hominibus ad Fidem Christi conversis; siquidem meridiana luce clarius patet, hic agi de Judæis, ac de Circumcisione ipsa secundum omne tempus, quo illa viguit, spectata, ab ipso primordio suæ institutionis.

Neque etiam quidquam proficitur pro contraria sententia, cum Magni Augustini auctoritas obtenditur; siquidem B. Augustinus compulsus Versione LXX virali hanc sententiam amplexatus est. Cum enim in Versione memorata hoc modo legeretur Scripturæ testimonium : *et incircumcisus masculus, cujus non circumcidetur caro præputii in die octavo, peribit anima illa de populo suo. Genes. cap.* 17. At si ex allato testimonio demantur illæ voculæ : *in die octavo* a Græcis adjunctæ, evanescet tota ratio, ac vis argumenti, quo utebatur B. Augustinus. Quandoquidem rejectis duabus memoratis voculis, quæ neque in Hebraico textu, neque in Paraphrasi Chaldaica, neve in nostra Vulgata occurrunt, nulla apparebit necessitas exponendi memoratum testimonium de parvulis, sed de solis adultis, neque de pacto inito cum Adamo protoparente de non comedendo ligno scientiæ boni et mali; sed de pacto inito cum Abrahamo de circumcidendis masculis, neque de pœna mortis æternæ; sed tantum de pœna, aut morte temporali. Lege Bellarminum *lib.* 2. *cap.* 17. *et* 14. *de Effectu Sacrament.* et Benedictum XIV. *Inde Festis, etc. De festo Circumcisionis.*

Quapropter merito nobis semper potior visa fuit

Digitized by Google

cramentum Legis scriptæ, sed etiam Legis naturæ, cum fuerit data Patribus 400. circiter annis ante Legem Moysis. Unde Christus *Joann.* 7 dicit : ***Moyses dedit vobis Circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex Patribus.*** (4. Immo Circumcisio in lege scripta non fuit aliud Sacramentum ab eo, quod erat in lege naturæ, sed idem magis determinatum in Lege scripta, quam fuerit antea in Lege naturæ, cum non fuerit nisi determinatio quædam illius communis remedii pro populo Hebræo, et protestatio ejusdem Fidei peculiari ritu facta, sicque proprie non fuerit Sacramentum Legis Moysis, nec vim habuerit justificandi ex vi ipsius Legis Moysis, seu scriptæ, sed quatenus remedium Legis naturæ, ut recte docet Mastrius *loc. cit. num.* 72. 83, *et* 86. ex Scoto *in* 4. dist. 1. *quæst.* 6. § ***Hic supponendum.*** (5. Jam enim in Lege naturæ ante Circumcisionem fuit a Deo institutum pro justificatione parvulorum Sacramentum aliquod consistens in signo exteriori protestativo Fidei in Christum venturum, sive interim illud esset oratio, sive benedictio, sive oblatio sive sacrificium, dummodo sive explicite, sive implicite protestationem d. Fidei significaret, ut expresse docet S. Augustin. *Lib.* 5. *contra Julianum cap.* 21. dicens : « Non ideo tamen credendum est, et ante datam Circumcisionem famulos Dei (quandoquidem illis inerat Mediatoris Fides in carne venturi) nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset aliqua necessaria causa Scriptura nos latere voluerit; » ubi, ut vides, non utitur S. Doctor nomine *Remedii*, sed Sacramenti, et sic etiam tenent S. Gregorius *lib.* 4. *Moral. cap.* 3. S. Bernardus *Epist.* 77. Beda *in Lucam cap.* 8. Scotus *in* 4. *dist.* 1. *q.* 7. et Scotistæ passim, ac alii, et teste Mastrio *loco cit. art.* 1. *n.* 45. Hæc est communis, et constans omnium Theol. sententia. Et ratio est, quia Deus, qui neminem vult perire, in omni statu providit hominum saluti instituendo remedium, ac Sacramentum culpæ originalis deletivum. Unde *in cap. Majores* 3. *de Baptismo* dicitur : « Absit, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem. » Et quamvis non constet, quale fuerit illud remedium, nec a Deo fuerit determinatum in specie, fuit tamen determinatum in genere, et quantum sufficit ad rationem Sacramenti, in quantum voluit, ut esset actus externus Fidei de Christo Mediatore venturo, quocumque modo fieret, sive oratione, sive benedictione, sive oblatione, sive sacrificio, etc. hujusmodi, uti patet de Sacramento Ordinis, quod non fuit a Christo institutum in certa determinata materia et forma, sed tantum in genere sub ratione signi expressivi potestatis, quæ per ordinem traditur, relinquendo Ecclesiæ facultatem ipsas in specie determinandi.

(6. Circumcisio, quamvis fuerit data 400 circiter annis ante Legem scriptam, et jam ab illo tempore debuerit applicari omnibus masculis ex Abrahæ familia descendentibus, ut patet *Genes.* 17, illi tamen qui non erant ex genere Abrahæ, poterant ante Legem scriptam circumcidi, sed non tenebantur, cum Circumcisio proprie loquendo fuerit Cæremonia Legis Mosaicæ, et solum in ipsa cœperit obligare etiam illos masculos, qui non erant de genere Abrahæ, *Levit.* 12. *Joan.* 7. (7. Pro fœminis autem etiam post institutam Circumcisionem remansit, et perseveravit remedium, seu Sacramentum Legis naturæ, *Genes.* 17 *et* 34, et offerebantur in Templum die 14 post earum nativitatem, ibique nomen imponebatur. *Levit.* 12. Glossa *in cap. Majores* 3 *de Baptismo verb. Fœminæ;* Hostiens. *ibidem num.* 9. *verb. Quam Fœminæ;* Fagnan. *ibidem num.* 44. et alii passim.

(8. Quare autem Circumcisio instituta fuerit pro solis masculis, et non pro fœminis. Tostatus *in Genes. cap.* 17. *vers. Quare*, dicit irrisoriam esse istam quæstionem; posito enim quod Circumcisio fieri debeat, impossibile est eam fieri in fœmina, cum non habeat, in quo fiat : superfluum ergo est quærere, quare in viro, et non in fœmina fit Circumcisio. Unde omissis variorum placitis, placet hic solum referre, quod ex S. Thoma *in* 3. *part. quæst.* 70. *art.* 2 *ad* 4, tenet Fagnan. *loco cit. num.* 5. videlicet, quia Circumcisio instituta fuit, ut signum Fidei Abrahæ, qui credidit se Patrem futurum Christi sibi repromissi, et ideo convenienter solis maribus competebat. Peccatum etiam originale, dicit ipse, contra quod specialiter Circumcisio ordinabatur, a Patre trahitur, non a Matre. (9. Hinc Circumcisio fit in membro genitali, quo generamur, et transfunditur peccatum originale, quod ipsa Circumcisione curatur, ut inter alias hanc adducit rationem Cornelius a Lapide *in Genes. cap.* 17. *vers.* 11.

sententia B. Thomæ qui 3. *part. qu.* 63. *art.* 6. luculentissime probat Sacramenta Veteris legis non potuisse homines justificare, neque *per se ipsa, neque virtute* passionis Christi, sed homines in lege Veteri fuisse justificatos in usu illorum Sacramentorum per fidem passionis Christi, cujus quidem fidei Sacramenta Veteris legis erant quædam protestationes, et *quæst.* 71. *art.* 4. loquens de ipsa Circumcisione hæc habet : « Et ideo dicendum quod in Circumcisione conferebatur gratia quantum ad omnes gratiæ effectus, aliter tamen quam in Baptismo. Nam in Baptismo confertur gratia ex virtute ipsius Baptismi, in quantum est instrumentum passionis Christi jam perfectæ. In Circumcisione autem confertur gratia, non ex virtute Circumcisionis, sed virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat Circumcisio : ita scilicet quod homo, qui accipiebat Circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis. Unde et Apost. dicit *Rom.* 4. quod Abraham accepit signum Circumcisionis signaculum justitiæ fidei, quia scilicet justitia erat ex fide significata, non ex Circumcisione significante. Et quia Baptismus operatur instrumentaliter in virtute passionis Christi, non autem Circumcisio; ideo Baptismus imprimit characterem incorporantem hominem Christo, et copiosiorem confert gratiam, quam Circumcisio; major enim est effectus rei præsentis, quam spei. » Atque ita intelligendi quidam antiqui Patres, et Innocentius III. *in cap. Majores de Baptismo, etc.* (Edit. Neap.)

Digitized by Google

(10. Circumcisio et Baptismus in multis differunt, et in multis conveniunt inter se. (11. Differunt primo, quia Baptismus est generalior Circumcisione; *cap. Majores* 3. *de Baptismo*, nam hodie ex necessitate medii, tam masculi, quam fœminæ baptizari debent, cum Christus expresse, et generaliter omnes cujuscumque ætatis et sexus includens dixerit *Joan.* 3. *num.* 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* At vero Circumcisio in veteri Testamento ad fœminas non pertinebat, *Genes.* 17. et patet ex dictis *supra. n.* 7.

(12. Secundo differunt, quia multo plus confert nunc Baptismus Christianis quam Circumcisio olim Judæis, textu expresso *in cap. Majores* 3. § *Caute, de Baptismo*, ibi : « Caute tamen notandum est, quantum plus Baptismus hodie conferat Christianis, quam quondam Judæis Circumcisio contulisset..... quoniam etsi originalis culpa remittebatur per Circumcisionis Mysterium, et damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad Regnum Cœlorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum, sed per Sacramentum Baptismi Christi sanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum, et ad Regnum Cœlorum etiam pervenitur, cujus januam Christi Sanguis Fidelibus suis misericorditer reseravit. »

(13. Tertio differunt, quia Baptismus confert augmentum gratiæ, seu gratiam secundam, ubi baptizatus habet jam primam. Non sic autem Circumcisio, ut recte docet Scotus *in* 4. *dist.* 1. *q.* 6. exemplo Abrahæ, qui jam ab originali mundatus et justificatus per remedium Legis naturæ, seu per suam veram Fidem, non fuit amplius justificatus ex Circumcisione, ne quidem justificatione secunda, seu augmento gratiæ, ut colligitur ex *Epistola ad Romanos cap.* 4. ibi : *Reputata est Abrahæ Fides ad justitiam; quomodo ergo reputata est? In Circumcisione, an in præputio? Non in Circumcisione, sed in præputio.*

(14. Quarto differunt, quia Baptismus non modo est generalior, et efficacior, quam Circumcisio, ut supra in prima et secunda differentia, sed etiam significatior, ut *in cap. Debitum* 5. *de Bigamis*, et decentior, ut per se patet, ac facilior, quia in Baptismo non effunditur sanguis, sicut in Circumcisione, ubi *tertia die gravissimus vulnerum dolor est*, ut expresse dicitur *Gen. cap.* 34. *num.* 25. et sic notat Hostiens. *in cit. c. Majores* 3. *de Baptismo num.* 9. *in verb. Cum generaliter*, Joan. Andreas *ibid. num.* 5. Fagnanus *ibid. num.* 50. et alii.

(15. Conveniunt autem primo inter se Baptismus, et Circumcisio, quia sicut olim Circumcisio tam adultis quam parvulis ex præcepto Domini conferebatur, textu expresso *in cit. cap. Majores*, ibi : *Cum ergo Circumcisio tam adultis quam parvulis ex præcepto Domini conferretur*, ita etiam nunc Baptismus tam adultis, quam parvulis est conferendus, textu expresso *in cit. cap. Majores*, ibi : *Ne Baptismus, qui successit loco ipsius... minoris videatur effectus, tam adultis quam parvulis est conferendus;* et concordat Conc. Trident. *sess.* 5. *in decreto de peccato originali cap.* 4. *et sess.* 7. *de Baptismo can.* 12. 13. *et* 14.

(16. Conveniunt secundo, quia sicuti sine Circumcisione tunc nullus salvari poterat, ita nunc nemo salvari potest sine Baptismo, textu expresso *in cit. cap. Majores*, ibi : « Sicut enim sine distinctione qualibet Mosaica Lex clamabat, Anima, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo, ita nunc indistincte vox intonat evangelica : Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Dei. »

(17. Conveniunt tertio, quia sicuti in Veteri Testamento per circumcisionem, quæ vicem baptismi supplebat, remittebatur originale peccatum; cap. *Quod autem* 4, et c. *Ex quo* 5 de Consecrat., dist. 4, cap. *Majores* 3, § *Caute*, de Baptismo, ita in Novo Testamento originalis culpa remittitur per baptismum; cit. cap. *Majores*, § *Caute*, et Concil. Trident. sess. 5, in decreto de peccato originali can. ultimo, ibi : « Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit. »

(18. Nec valet objicere contra istam ultimam convenientiam, et principalem conclusionem sub n. 1, positam, quod Apostolus *I. ad Corinth.*, cap. VII, n. 19, dicit absolute : « Circumcisio nihil est; » *ad Galatas*, cap. V, num. 6, cap. VI, n. 15 : « Neque Circumcisio aliquid valet, » et consimiliter frequenter alibi, adeoque Circumcisio non delebat culpam originalem, nec conferebat gratiam ex opere operato, uti facit baptismus. Non valet, inquam, quia Apostolus vult ibi Circumcisionem nihil esse, nihil valere homini Christiano, quia licet valeret in lege mosaica, non sic tamen amplius in lege evangelica, in qua est penitus abrogata, uti patet ex ipsismet verbis Apostoli loco cit. ibi : « Nam in Christo Jesu neque Circumcisio aliquid valet. » Quod si prætendatur Apostolum alibi insinuare Circumcisionem etiam in lege mosaica nihil valuisse : respondetur, Apostolum velle tantum insinuare, quod Circumcisio nihil valuerit, seu non habuerit vim justificandi in lege mosaica, quia ex lege illa habuit tantum vim consignandi Dei populum, ipsumque ab aliis populis discernendi : Vim autem justificandi habuit, quatenus determinatum legis naturæ remedium, juxta dicta supra n. 13.

(19. Et si instetur, quod Apostolus pluribus in locis negare videtur universaliter antiquæ legis sacramentis vim justificandi, ut *ad Romanos* III : « Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo, » et *ad Galatas* III : « In lege nemo justificatur apud Deum, » ubi sub nomine legis sacramenta, quæ in eadem epist. *ad Galatas*, cap. IV, vocat *infirma et egena elementa*, et *ad Corinth.* II, dicuntur *umbra futurorum* : Respondetur statim, quod Apostolus in dictis locis loquitur solum de lege mosaica, et de sacramentis improprie dictis, quæ in ipsa præter Cir-

Digitized by Google

cumcisionem vigebant, ut oblationes hostiarum, aspersiones sanguinis hircorum, et vitulorum, purgationes ab immunditiis legalibus per aquam expiationis, consecrationes Pontificum, sacerdotum, et levitarum, esus Agni paschalis, et hujusmodi, prout notat Scotus n. 4. dist. 1, quæst. 6, lit 3, quæ utique vim justificandi non habebant ex se, nec conferebant gratiam ex opere operato, sed solum ex opere operantis, quatenus pro tempore d. legis fiebant in charitate, et ex obedientia Dei sic præcipientis. Non autem loquitur ibi Apostolus de communi remedio, seu sacramento legis naturæ, nec de ipsa Circumcisione, in quantum erat determinatio quædam illius communis remedii pro populo Hebræo, ut patet ex dictis supra num. 3, 4, 5. Et sic explicandi sunt Patres apparenter nostræ conclusioni contrarii, cum fundamenta suarum assertionum potissimum desumant ex adductis, aliisque similibus Apostoli auctoritatibus.

(20. Nec etiam valet objicere Concilium Florent. sess. ult. in Decreto fidei ad Armenos, ubi sic habet : « Novæ legis sacramenta multum differunt a sacramentis antiquæ legis. Hæc enim non causabant gratiam, sed solum per passionem Christi dandam figurabant. Nostra vera sacramenta, et continent gratiam, et digne suscipientibus eam conferunt; » et Concilium Tridentinum sess. 7, canon. 2, ubi sic definitur : « Si quis dixerit novæ legis sacramenta a sacramentis legis antiquæ non differre, nisi quia sunt cæremoniæ aliæ, et alii ritus externi, anathema sit; » adeoque sacramenta veteris legis non conferebant gratiam ex opere operato, uti sacramenta novæ legis. Non valet, inquam, quia Concilium Florentinum loquitur solum, de supradictis sacramentis veteris legis proprie dictis, non autem de remedio, seu sacramento legis naturæ, nec de ipsa Circumcisione, quæ 400 circiter annis ante legem scriptam fuit instituta, et sic proprie non fuit sacramentum legis scriptæ, sed potius legis naturæ in sensu explicato supra num. 4. Non enim præsumendum est, condemnatos esse in dicto Concilio Augustinum, Gregorium, Innocentium tertium, aliosque Sanctos Patres sub n. 1, allegatos, expressissime docentes id præstitisse Hebræis Circumcisionem, quod præstat Christianis baptismus. Et sic fere eodem modo responderi posset ad canonem Concilii Tridentini. At etiam stante nostra conclusione, quod Circumcisio, et remedium, seu sacramentum legis natura deleverit originale peccatum, et contulerit gratiam ex opere operato, ut facit nunc baptismus, adhuc in multis differunt a sacramentis novæ legis, ut patet ex differentiis adductis sup. a n. 11 ad 14, et sic nihil ponitur contra definitionem Concilii Tridentini.

(21. Circumcisio et remedium, seu sacramentum legis naturæ, imprimebant characterem. Sic Scotus in 4, dist. 6, quæst. 9, in solutione primi, et Scotistæ passim, ac alii contra plurimos alios. Et ratio est, quia Circumcisio fuit verum, et proprie dictum sacramentum deletivum culpæ originalis, et collativum gratiæ ex opere operato, ut patet ex dictis supra n. 1 et 2, eratque janua salutis, ac distinguebat familiam Dei, et Messiæ a circumcisis, sive explicite, sive implicite crediti venturi, sicut nunc baptimus. Circumcisio enim non tantum instituta fuit ad remittendum originale peccatum, sed etiam ad consignandum Dei populum, illumque distinguendum a cæteris nationibus. Adeoque sicuti baptismus his de causis characterem imprimit, ita a pari dicendum est, quod characterem impresserit etiam Circumcisio, cum utrobique quantum ad hoc par sit ratio. Quod idem per eamdem rationem dicendum est de sacramento legis naturæ deletivo culpæ originalis, ac collativo gratiæ ex opere operato; quod sacramentum perseveraverit etiam in lege scripta pro fœminis, ut patet ex dictis supra num. 7, quia alias fœminæ non fuissent æquiparatæ masculis in donis supernaturalibus, si character fuisset impressus in masculis per Circumcisionem, et non in fœminis per dictum legis naturæ sacramentum pro ipsis adhuc perseverans in lege scripta.

ADDITIO EX EDITIONE ROMANA 1767.

(22. Quæ hic tradit auctor de effectu, et efficacia Circumcisionis, eam nempe peccato originis extinguendo fuisse institutam, gratiamque ex opere operato contulisse, non omnibus certe placet theologis, sacrarumque Scripturarum interpretibus. Solis novæ legis sacramentis privilegium competere conferendi gratiam ex opere operato, omnes fere theologi merito sentiunt, cum ab Apostolo *ad Galat.* IV, vers. 3, veteris legis sacramenta *infirma et egena elementa* vocentur. Neque irrefragabile putamus Circumcisionem peccatum originale delevisse. Eam fuisse veluti insigne, quo a cæteris gentibus Judaicus populus distingueretur, tradunt omnes Patres tam Græci, quam Latini ante S. Augustinum, nulla de remissione originalis criminis facta mentione. « Gregem Israeliticum, *inquit Sanctus Hieronymus* lib. 1, in epist. *ad Galat.* quodam Circumcisionis cauterio denotavit, ut viventes inter Ægyptios, inter Assyrios, Babylonios, atque Chaldæos hoc signaculo distinguerentur. » Tom. 7, edit. noviss., pag. 224 (1).

(1) Bellarminus *lib.* 2. *de Sacram. c.* 13. *n.* 6. putavit a conciliis Florentino et Tridentino fuisse definitum, Mosaica Sacramenta gratiam non conferre ex *opere operato*. At quæstio non fuit a conciliis Florentino et Tridentino definita. Definitum quidem in illis fuit Sacramenta antiqui fœderis a Sacramentis Novi plurimum differre; in quo vero differunt, non statuerunt. Conveniunt autem Theologi ea differre ab invicem quoad cæremonias, facilitatem, numerum, et durationem. Sed de vi gratiæ conferendæ dissentiunt. Qui Angelicum sequuntur doctorem docent : Veteris legis Sacramenta vi gratiæ conferendæ ex *opere operato* carere; qui vero S. Bonaventuram sequuntur, volunt Sacramenta veteris legis, non quidem *primario* et *per se*, sed secundario et per incidens, vi justificandi esse prædita. Hinc inferunt, Sacramenta nova per se justificant, Sacramenta vero vetera, et præsertim *Circumcisionem* non

Digitized by Google

CIRCUMSTANTIÆ PECCATORUM.

Vide verb. Pœnitentiæ Sacramentum, *art. 4. num. 100. ad 124.*

CIVES.

SUMMARIUM.

1. Civitas multis modis sumitur. — 2. Civitas quomodo sumatur proprie. — 3. Civitas dicitur Civium unitas, et definitur. — 4. Urbs sumitur pro ædificiis, et ipso loco mœnibus cincto. — 5. Urbs unde dicta. — 6. In Jure quælibet Civitas potest appellari Urbs. — 7. An in rigore latino Civitas, et Urbs differant. Et assignatur differentia. — 8. Civitas Romana appellatur Urbs per excellentiam. — 9. Oppidum quid. — 10. Oppida unde dicta. — 11. Castrum quid. — 12. Villa quid. — 13. Villicus quis. — 14. Solum late sumpto vocabulo Villæ *Civitates* vocantur. — 15. In Francia tamen Civitates appellantur *Villæ*, et Rus *Villagium*. — 16. Solam illam dici Civitatem, quæ habet Episcopum, sustinent multi. — 17. Plurimi autem alii verius, et melius censent ad essentiam Civitatis non requiri neque Episcopum, neque Cathedralem. — 18. Licet nequeat dari Episcopus, et Ecclesia Cathedralis sine Civitate, potest tamen dari Civitas sine episcopo et Ecclesia Cathedrali. — 19. Et de facto passim videmus plures Civitates non habentes Episcopum. — 20. Civitas occidens suum Episcopum privatur in pœnam dignitate Episcopali. — 21. Occisio tamen debet esse de Episcopo consecrato, non vero de electo, et confirmato. — 22. Dicta pœna an procedat solum, quando occisio processit ex facto Civitatis, vel etiam quando processit ex odio privato aliquorum Civium; *ad n.* 25. — 26. Cathedralitas ratione occisionis Episcopi non admittitur ipso jure, sed sententiam requirit. — 27. Si Civitas, vel populus occidat Episcopum in sui defensionem, non incurrit pœnam privationis. — 28. Nec incurrit dictam pœnam, si occidat vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ. — 29. Nec si occidat Episcopum, eum non agnoscens. — 30. Si Civitas tentaverit occidere Episcopum, eum vero non occidit, sed solum vulneravit, non amittit Cathedralitatem. — 31. Civitas propter persecutionem, et ejectionem Episcopi a sua Diœcesi non amittit Cathedralitatem. — 32. Civitas, quæ auxilium, consilium, aut favorem dederit ad occidendum, seu offendendum Cardinalem, privatur Cathedralitate. — 33. Civitas conspirans contra Summum Pontificem, vel contra Sedem Apostolicam, privari potest Cathedralitate. — 34. Item si tota Civitas labatur in Hæresim, demoliri potest, sicque privari Cathedralitate. — 35. Civitas condemnata ad aratrum, seu ad demolitionem, non potest amplius ædificari absque speciali licentia principis. — 36. Unde Civitas damnata ad aratrum desinit esse civitas. — 37. Civitas tamen privata cathedralitate propter occisionem proprii Episcopi, vel offensionem Cardinalis, appellatur, et remanet adhuc civitas quoad privilegia sæcularia. — 38. Civitas privata cathedrali propter delictum, non privatur diœcesi. — 39. An privatio civitatis dignitate episcopali ob occisionem Episcopi sit perpetua, vel temporalis; ad n. 40. — 41. Civitas Atinensis privata fuit in perpetuum ob occisionem sui præpositi. — 42. Civilitas triplici modo acquiritur. Primo per nativitatem. Secundo de jure. Tertio per privilegium. Prima dicitur naturalis, seu originaria; secunda domiciliaria, et tertia privilegiativa. — 43. Civilitas naturalis, seu originaria plures subalternas habet species, quæ assignantur. — 44. Duplex originaria qualitas in eadem persona concurrere potest, una propria, et altera parentis. — 45. Civilitas domiciliaria quæ sit, et quos operetur effectus. — 46. Civilitas privilegiativa quæ sit, et a quibus concedi possit. — 47. Licet ad effectum veræ, et naturalis civilitatis requiratur nativitas in loco. — 48. Tamen si sequatur nativitas extra patriam originariam occasionaliter, habetur ac si vere, et naturaliter quis natus esset in propria patria. — 49. Originarius, seu oriundus dicitur a nativitate propria, seu paterna. — 50. Secundum jus civile locus originis alicujus est ille, in quo ejus pater natus est. — 51. Civilitas acquiritur etiam per spiritualem nativitatem. — 52. Civilitas originis non amittitur ob alterius loci incolatum necessarium, vel occasionalem. — 53. Potest quis acquirere, et retinere duplicem civilitatem, unam originis, et alteram domicilii. — 54. Civilitas domiciliaria acquiritur decennali habitatione cum animo tamen perpetuo permanendi in tali loco. — 55. Domicilium quid sit. — 56. In quo differat domicilium ab habitatione. — 57. Non contrahitur civilitas domiciliaria per permanentiam in civitate per decem annos; imo nec per triginta in servitio alicujus domini. — 58. Unde cum quis habet animum recedendi ab aliquo loco, licet per mille annos ibi habitaverit, non contrahit domicilium, seu domiciliariam civilitatem. — 59. Assignatur præcipua conjectura, et præsumptio propensi animi ad acquirendum domicilium, seu domiciliariam civilitatem. — 60. Civilitatem domiciliariam potest quis habere in pluribus locis. — 61. Unde potest quis plures civilitates retinere, et ex eis privilegia assequi tamquam Civis diversorum locorum. — 62. Civilitas legitime acquisita cum habitatione, et solutione onerum, constituit aliquem verum Civem, ita ut possit consequi officia Civibus debita. — 63. Nec amittitur talis acquisita civilitas per quamdam necessariam, seu occasionalem absentiam. — 64. Nec civilitati loci jam quæsitæ fit præjudicium ex possessione bonorum extra territorium. — 65. Civilitas privilegiativa generaliter quo ad omnes effectus non conceditur nisi a supremo principe. — 66. Civitates autem subditæ, et domini inferiores solum in suum præjudicium, suorumque subditorum eam concedere possunt; secus autem in præjudicium tertii suum jus ab ipsis independenter metientis. — 67. Unde civilitas concessa per civitatem subditam, aut dominum inferiorem, non præjudicat Episcopo, qui solum exigit quædam vectigalia a forensibus, non autem a Civibus. — 68. Civilitas privilegiativa concessa per totam Civitatem, seu consilium generale tolli non potest per magistratum particularem. — 69. Civis naturalis, et originarius alicujus loci secundum aliquos dicitur, qui natus est etiam casu, et per transitum in tali loco. — 70. Secundum autem alios verius requiritur ultra suam nativitatem, quod ejus pater ibi habeat domicilium constitutum. — 71. Hinc Legatum v. g relictum pro puellis originariis alicujus loci non debetur illis, quæ ibi natæ sunt casu, aut per transitum. — 72. Civis originarius, ac naturalis paternæ patriæ dicitur quis, etiamsi natus sit extra patriam originariam occasionaliter. — 73. Civis originarius esse non desinit, qui alibi necessarium, vel occasionale domicilium habet. — 74. Civis domiciliarius alicujus loci dicitur, qui ibi, licet aliunde oriundus, jam per decennium habitat cum animo perpetuo ibidem permanendi. — 75. Potest quis eodem tempore esse Civis domiciliarius plurium loco-

nisi per *incidens*, justificasse. Hæc vero sententia, per se, plures magnosque habet fautores; nec ullo pacto fidei adversari videtur. (Edit. Casin.)

Digitized by Google

rum. — 76. Et esse Civis alicujus loci, et habere incolatum, et domicilium in alio. — 77. Ac sic privilegia assequi tanquam Civis diversorum locorum. — 78. Civis ex privilegio dicitur Civis verus, et proprius non minus ac Civis originarius. — 79. Eadem civilitas ex privilegio transit in filios alibi quoque natos, licet de illis non fuerit facta mentio in concessione. — 80. Quamvis princeps per suum privilegium possit creare Civem exterum, non potest tamen facere, ut sit originarius. — 81. Si statutum, seu dispositio aliqua requirat, quod aliquis sit verus Civis, ista verba sunt naturalia, et non possunt verificari in qualitate civili acquisita per rescriptum principis. — 82. Hinc cum statuum, seu dispositio aliqua requirit, ut quis sit verus Civis origine propria, et paterna, excludit legitimatum. — 83. Civis ex privilegio, quamvis non habitet in civitate, adhuc tamen gaudet beneficio Civium quoad immunitatem a solutione vectigalium. — 84. Civis ex privilegio etiam creatus cum onere habitandi, civilitatem non amittit, nisi fuerit interpellatus adimplere. — 85. Imo requiritur Judicis declaratio, et quod interpellatus contumax fuerit, et per annum steterit adimplere. — 86. Modus impleri debet per compulsionem ad differentiam conditionis, quæ impleri debet per expulsionem. — 87. Civium appellatione veniunt etiam nati in suburbiis præcipue in favorabilibus, et materia utrisque conveniente. — 88. Hinc filius originem habens a patre nato in suburbiis, seu villa, in collegium civitatis, vel oppidi, est recipiendus. — 89. Civibus ex privilegio nihil suffragatur privilegium ad effectum successionis, ubi excludantur exteri forenses. — 90. Civis autem ex privilegio admittitur ad beneficium, ad quod vocantur soli Cives civitatis. — 91. Civitas tamen Bononiæ habet privilegium apostolicum, ut ad illa beneficia non possint admitti Cives ex privilegio. — 92. Generaliter loquendo beneficia Civibus potius, quam exteris conferri debent. — 93. Imo si fundator legem imposuit, ut beneficium conferatur solis originariis, et non alienigenis, non potest conferri exteris; ad n. 94. — 95. Beneficium erectum, seu legatum fundatum pro solis Civibus debetur tantum natis in civitate, suburbiis, vicis, et districtu, non autem natis in toto comitatu, provincia, seu diœcesi. — 96. Et si tali beneficio, seu legato excludantur expresse Cives ex privilegio, isti ad illud non possunt admitti. — 97. Non censentur tamen exclusi Cives nati extra civitatem originariam occasionaliter. — 98. Nec nati in civitate, et alibi necessarium vel occasionale domicilium habentes. — 99. Beneficium seu legatum, ad quod vocantur Cives naturales, et originarii, debetur solum natis in tali loco, non casu, aut per transitum, sed quando pater ibi domicilium habuit, aut est locus, ubi pater natus est. — 100. Et solum in istorum defectum deberetur natis ibi casu, aut per transitum. — 101. Beneficium, seu legatum, ad quod vocantur naturales alicujus loci, potest conferri non solum illius loci originariis, seu oriundis, sed etiam illis, qui per decennium ibidem domicilium habent, licet aliunde originem traxerint, dummodo tamen animum habeant ibi perpetuo commorandi. — 102. Beneficium seu legatum, ad quod vocantur patricii alicujus loci, potest conferri non solum patriciis originariis, sed etiam patriciis domiciliariis. — 103. Patria est duplex, una originis, altera domicilii. — 104. In dictis et similibus dispositionibus est omnimode investiganda voluntas disponentis, seu erigentis, vel relinquentis, idque perpendendum ex verbis ipsius Vocantis, et qualitatibus vocatorum. — 105. Si testator sub nomine naturalium voluerit solos originarios intelligere, non debent admitti domiciliarii; et si voluerit comprehendere etiam domiciliarios, etiam isti, quamvis originem non habeant, debent admitti. — 106. Si vocando originarios voluerit testator intelligere solum de illis, qui nati sunt in loco, ubi eorum parentes habent domicilium, non debent admitti nati per transitum, seu casu in tali loco. Et si voluerit comprehendere etiam ibi natos casu, aut per transitum, etiam isti veniunt admittendi. — 107. Cum hoc tamen ordine, quod habentes omnes qualitates volitas a testatore præferendi sunt habentibus solum aliquas ex ipsis. — 108. Jus civitatis differt a jure civilitatis. — 109. Quidnam sit illud. — 110. Refertur ad regalia Majestatis. — 111. Jus civilitatis quid sit. — 112. Hoc non est de regalibus. — 113. Civilitas tripliciter acquiritur. — 114. 117. De civilitate, quæ origine acquiritur. — 118. 119. Num natus ante cooptionem patris in civium numerum pro Cive originario haberi debeat. — 120. Quid requiratur ad domicilii constitutionem. *Remissive.* — 121. Novi domicilii ratio an habeatur, si in fraudem ea mutatio facta sit. *Remissive.* — 122. Quando gaudeat commodis cæterorum Civium receptus decreto Decurionum. — 123. Quomodo receptus rescripto principis. — 124. De commodis, et oneribus civilitati a jure adnexis. *Remissive.*—125. De modis, quibus amittitur civilitas. *Remissive.*

(1. Civitas aliquando sumitur pro populo, aliquando pro situ Civitatis, seu pro loco mœnibus cincto, vel denique pro coadunatione hominum, ut tradunt Bald. *consil.* 327. *Pridie enim, num.* 10. *in fine. l.* 1. Bartol. *consil.* 196. *Civitati Camerinæ num.* 6. *l.* 1. Frances, *de Ecclesiis Cathedralibus c.* 4. *num.* 33. Magnum Lexicon Juridicum Calvin. verb. *Civitas*, Beyerlinch. in *Theatr. vitæ humanæ verb. Civitas*, et alii.

(2. Proprie tamen Civitas sumitur pro habitatoribus, et incolis, vel pro ipsa societate Civium, aut jure Civitatis, ac Civium, vel pro constitutione, et ordine populi, ac Civium, cit. Magnum Lexicon Calv. *verb. Civitas.* (3. Civitas enim dicitur Civium unitas; Glossa *in c. Si Civitas* 17. *de sent. Excomm. in* 6. Fagn. *in c.* 1. *num.* 20. *de privileg.* Unde Cicero *de Somnio Scipionis* ait : *Nihil est, quod in terris Deo fiat acceptius, quam consilia, cœtusque hominum jure sociari, quæ Civitates appellantur.* Quare Civitatem multitudinem hominum societatis vinculo adunatam, muris cinctam, Episcopum habentem, a Veteribus sic appellatam definivit cum pluribus Ripol. *in tract. de regal. c.* 44. *de Regalia creandi Civitates, et Villas*, ac Frances *loc. cit. num.* 34. Seu Civitas est multitudo hominum societatis vinculo adunata ad simul una vivendum, uti ex Isidoro *lib.* 1. *Etymolog.* eam definit Joan. Andr. *in d. cap. Si Civitas num.* 1. ubi etiam alias recenset definitiones.

(4. Urbs autem pro ædificiis, et ipso loco mœnibus cincto accipitur. Magnum Lexicon Calv. verb. *Urbs*, et cit. verb. *Civitas.* (5 Urbs enim dicta est ab *Urbo*, quod est aratrum, cum Urbum, sive Urvum sit curvatura aratri, et urbare, sive urvare, sit arare, aratroque definire, textu expresso *in leg. Pupillus* 239. § *Urbs, ff. de verb. signific.* In condendis enim Urbibus olim Veteres aratro utebantur, quo futuræ Urbis magnitudinem, proportionem, situmque muro cingendum definiebant. Cæl. Rhodig. *lib.* 24. *cap.* 15. Grat. *discept.* 179. *n.* 34. Bayerlinch *loco cit*

Digitized by Google

verb. Urbs in princ. et verb. Civitas in princ. Frances *loco citato num.* 27. *et* 28. Magnum Lexicon Calvin. verbo *Urbs.* Et ideo sicuti pro ædificandis, seu definiendis Urbibus aratrum adhibebant, ita etiam in destructione ad aratrum condemnabant, ut eodem, quo definitæ essent Urbes, modo rursus delerent, everterent, destruerent, juxta *l. Nihil tit.* 35. *ff. de Regul. jur. et cap. Omnis res* 1. *de Regul. juris;* sic citati Doctores, et alii.

(6. Licet in jure quælibet Civitas possit appellari Urbs, ut ex text. *in leg.* 2. *ff. de verborum signific. in leg.* 2. *Cod. de ædific. priv. leg. præscriptio Cod. de oper. public.* et ex Bartol. observant Loaysa *de jure univers.* 1. *part. cap.* 2. *n.* 24. Joan. Andr. *in c. Si Civitas* 17. *de sent. Excomm. in* 6. Abbas *in cap,* 1. *de privileg. num.* 1. Frances *loco cit. num.* 34. (7. In rigore tamen latino Civitas, et Urbs in hoc differunt, quod Civitas *Incolæ* dicuntur, Urbs vere complectitur ædificia; ex Calep. verb. *Civitas:* Aristotel. *l.* 4. *polit. et lib. etiam OEconomicar.* Beyerlinch. *d. verbo Urbs vers. Cicero tamen;* Frances *loco cit. n.* 34.

(8. Civitas Romana Urbs appellatur per excellentiam; ut dicit Abbas *in c.* 1. *de Offic. Ordinar. num.* 5. Frances *loco cit. num.* 103. eo modo quo D. Paulus antonomastice vocatur *Apostolus,* quia omnium maxime profuit in Evangelicæ prædicationis semine propagando, ex Barbosa *in Collect. ad tract. in cap. B. Paulus* 22. *qu.* 2. *num.* 4.

(9. Oppidum proprie est omnis Urbs præter Romam, quæ peculiari nomine Urbs vocari cœpta est, et cæteræ Urbes vocantur Oppida, ut ex aliis notat Calv. *in suo magno Lexico juridico verb. Oppidum.* (10. Oppida sic dicta fuere, ut refert Isidorus *lib.* 15. *orig. cap.* 1. vel ab oppositione murorum, vel ab opibus recondendis, vel ab ope, quod contra hostem opem dent, seu apud Jurisconsultos Oppidum nomen accepisse traditur ab ope ferenda, et sustinenda; *l. Pupillus* 239. § *Oppidum, ff. de verbor. signific.* ibi : *Oppidum ab ope dicitur, quod ejus rei causa mœnia sint constituta.* Unde Civitates muris cinguntur, ut ipsorum ope hosti securius resistamus, et ab incursionibus hostium, aliisque malis tuti simus; *cit. Magn. Lexicon. juridic. verb. Oppidum.* (11. Castrum autem dicitur quasi casa arcta, quia non debet esse diffusum, ne tempore guerræ egeat magna custodia hominum, et victualibus. Sic expresse Glossa *in cit. cap. Si Civitas* 17. *de sentent. Excommun. in* 6. *verb. Nota primo.*

(12. Villa pro ædificio posito in Rure sumitur; *l. Fundi appellatione* 211. *ff. de verb. signific.* ibi : *In usu urbana ædificia, ædes rustica, Villæ dicuntur,* et concordat *l. si fundum* 81. § 3. *ff. de Legatis* 1. Frances *loco cit. num.* 57. (13. Ex quo Villicus appellatur ille, qui propter fructus percipiendos in rure præponitur; *l. Si cum villico* 16. *ff. de Institoria actione;* Frances *loco cit. num.* 58. cum aliis ibi allegatis. (14. Unde solum late sumpto vocabulo Villæ *Civitates* vocantur, cum proprie Villa ædificium in rure situm sine muro et vallo dicatur. Cosmas *in pragm. sanction. in Gloss. verb. Villis* § *Insuper rus; In Eccles. autem tit. de Collat.* Guillelm. Benedict. *in cap. Raynutius* 16. *verb. Et uxorem num.* 464. *de Testamentis;* Frances *loc. cit. num.* 54. Hinc ad summum cum Villæ appellantur Civitates, hoc procedit in pusillis Civitatibus, quæ uti Terræ in Italia nudam tantum sui ipsius habent defensionem, et ideo habitatores vocantur rustici, quasi a rure, sicuti habitatores Civitatum appellantur Cives. Guillelm. Benedict. *loc. cit.* et Frances *loco cit. num.* 56. (15. Quamvis tamen Civitates in Francia *Villæ* appellentur, Rus vero *Villagium,* ut testantur Cassan. *in Catalog. gloriæ mundi* 12. *p. cons.* 60 *paulo post principium,* Frances *loco cit. num.* 59.

(16. Solam illam dici Civitatem, quæ habet Episcopum, quasi dignitas Episcopalis Civitatem constituat, et Urbem Cathedrali carentem Civitatem appellari non posse sustinent multi, inter quos Bartol. *in l. Si hæres.* § 1. *ff. de Legat.* 1 *et in final. col.* 2 *ff. de Colleg. illicitis, et in Extravag. qui sint Rebelles* § *Lombardiæ n.* 5. Baldus *in l. Ex hoc jure* 12. ff. *de justit. et jure* Cassaneus *in Catalog. gloriæ mundi part.* 12. *Consil.* 60. *statim post initium,* et alii plures per text. *c. In illis* 2. *dist.* 80. ubi in singulis Civitatibus, in quibus antiqui Flamines erant positi, constitutos fuisse Episcopos a B. Petro docetur, et per text. *in cap. Episcop.* 3. *ead dist.* 80. ubi prohibetur ne in Castellis, et modicis Civitatibus constituantur Episcopi, et *in cap. Non debere eadem dist.* 80, ubi interdicitur, ne in Vicis, et Castellis Episcopi ordinentur, et *in cap.* 1 *de Offic. Ordinar.* ubi singularum Urbium Episcopos causas decidere debere statuitur.

(17. Alii autem plurimi censent, et quidem verius, et melius, ad essentiam Civitatis neque Episcopum, nequo Ecclesiam Cathedralem requiri. Ita Abbas *in cap.* 1. *de priv* ubi late Decius *ibidem num.* 8. Ripal *tract de Regal. cap.* 44. *n.* 14 *et seq.* Frances *loco cit. num.* 75. *et seq.* testans de communi DD. *in l. Ex hoc jure* 12. *ff. de just. et jur.* ubi docent jus creandi Civitates dari independenter a Summo Pontifice, vel Episcopi designatione, et residere apud supremum Principem. Et id desumitur ex eisdem fundamentis adversariorum. Nam ex eo quod *in cit. cap. In illis* 2. *dist.* 80. *et cit. cap.* 1. *de Offic. Ordinar.* statuitur in Civitatibus ponendos esse Episcopos, supponitur jam antea fuisse Civitates sine ipsis, et si *in cit. cap. Episcop.* 3. *ead. dist.* 80. prohibetur ne in Castellis, et modicis Civitatibus constituantur Episcopi, ergo dantur modicæ Civitates, quæ veræ Civitates sunt, et non habent Episcopum. Et per hoc quod *in cit. c. non debere* 5. *ead dist.* 80 interdicitur, ne in Vicis, et Castellis Episcopi ordinentur, non sequitur, quod debeant Episcopi ordinari seu constitui in omnibus Civitatibus. Quia licet nequeat dari Episcopus, et Ecclesia Cathedralis sine Civitate, ex quo cum novus erigitur Episcopatus, creaturque in Villa, vel Oppido, prius Civitatis honore decoretur; *Extravag. Salvator* 4. *vers. Volen-*

Digitized by Google

tes de Præbend. inter communes, potest tamen dari Civitas sine Episcopo, et Ecclesia Cathedrali, adeoque dantur Civitates sine Episcopis.

(18. Et de facto passim videmus plures Civitates non habentes Episcopum, per text. *in cap. Audivimus 4. caus. 3. quæst. 2.* et ultra experientiam testantur de pluribus Bartolus, Gratianus, Barbosa, Solorzan, Ripall. Cenedo apud Frances *loco cit. num. 78.* et alii passim scriptores. Unde Doctores asserentes illas solum dici Civitates quæ habent Episcopum, intelligendi sunt secundum communem usum loquendi, ex quo ordinarium sit, quod unaquæque Civitas suum habeat Episcopum.

(19. Civitas occidens suum Episcopum privatur in pœnam dignitate Episcopali, et regimen committitur viciniori Episcopo; *cap. Ita nos 25. caus. 25. qu. 2. cap. Felicis in fine de pœnis in 6. et Clement. si quis suadente, de pœnis*, Pittonius *part. 4. discept. 108. num. 8.* Frances *loco cit. cap. num. 6.* Gonzal. *ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 5. § 7. num. 149.* et alii communiter.

(20. Occisio tamen debet esse de Episcopo consecrato, non vero de electo, et confirmato, per text. in *l. si nondum, Cod de furtis*, ubi res destinata animo ex voto ut sit sacra, non habetur pro sacra ante consecrationem; Glossa *in Clem. si quis suadente, verb. quemvis Pontificem, de pœnis*, ibique Panormitan. *num. 2.* Bald. in *l. si nondum num. 4. C. de furtis*, Card. de Luca *in Miscellan. Eccl. disc. 46. num. 3.* Pax Jordan. *Lucubrat. tom. 1. prælud. 2. num. 6.* Fagnan. *in cap. eam te num. 16. et 17. de Rescriptis;* Felin. *ibid. num. 1. vers. Unde.* Vitalin. *in cit. Clement. si quis suadente num. 7. de pœnis;* Frances *cit. cap. num. 9.* cum pluribus ibi citatis; Piton. *loco cit. a num. 9.* cum multis ibi allegatis. (21. Et ratio est, quia pœna privationis Civitatis dignitate Episcopali ob necem Episcopi statuta fuit per Sacros Canones favore Ordinis Episcopalis, nec non consecrationis, non autem ratione Dignitatis, et Jurisdictionis, adeoque locum habere non potest in Episcopo solum electo, et confirmato, seu nondum consecrato, ut notat Ancharan. *in cit. Clem. si quis suadente num. 2. in fine, de pœnis*, ibi: « Iste textus requirit, quod quis ista delicta comittat in Pontifice, etc. non autem in Electo, confirmato non consecrato secundum Glossam. Ista enim constitutio inducta est in favorem Ordinis Episcopalis, etc. Electi autem, confirmati, non consecrati, non sunt Episcopi. »

(22. Dicta pœna non procedit; si occisio Episcopi processerit ex odio privato aliquorum Civium, sed solum quando processit ex facto Civitatis saltem cooperantis per auxilium vel consilium, vel tacite ratificantis necem. Sic colligitur ex supracitatis Canonibus; in allegato enim *cap. ita nos 25. caus. 25. qu. 2.* supponitur delictum Civitatis, ibi: « Hæc sit reperta Civitas, quæ Præsules ministrantes sibi Fidei Christianæ Sacramenta sine persecutione prosternat, » et inferius hoc ipsum replicatur, ibi: « Vel illa Civitas dum in quos desæviat non habebit, ab hujusmodi temeritate desistat, etc. egeat ergo Episcopalibus subsidiis sibimet aliunde pensandis, quæ Sacram in suo gremio collocatam fuso crudeliter maculat sanguine dignitatem. » *Et explicat hoc delictum Civitatis alter textus* in cit. cap. Felicis, § Civitas de pœnis in 6. ibi: « Civitas vero, etc. quæ talia facienti, vel facientibus, seu præsumentibus, in his consilium, vel auxilium dederit, aut favorem, vel infra mensem saltem taliter delinquentes, prout tanti facinoris enormitas exegerit, et facultas ei adfuerit, non duxerit puniendos, Pontificali, ut supra, sit eo ipso dignitate privata. »

(23. Ex quo textu clarissime infertur, quod pœna privandi Civitatem dignitate Episcopali procedit, quando ipsa Civitas delinquit saltem cooperando in necem Episcopi mediante auxilio, seu consilio, vel ratum habendo delictum, non puniendo, aut puniri non curando delinquentes, ut in individuo quod requiratur necem Episcopi fuisse commissam ad suggestionem Civium, seu populi, tradit Turrecremata in *cit. c. Ita nos n. 2. vers. suggest. domest. Civium.* Quodque requiratur delictum Universitatis pulsata Campana, et convocato consilio post Gloss. *in l. Sicut verb. Non debetur. ff. Quod cujusque Universit. nomine*, in subjecta quæstione firmarunt omnes Canonistæ *in d. Clem. Si quis suadente, de pœnis*, et signanter Vitalin. *num. 71.* ibi: « Quod est intelligendum, quando Campana pulsata, et convocato Consilio conveniant, ut delinquant. Joann. de Lignano ibid. ait, quod tunc dicitur Civitas facere, cum homines communicato Consilio, et tractatu habito in hoc faciunt, et sicut corpus, secus si ut singuli, etc. Et per hoc dicit se consuluisse Civitatem Bononiæ non interdictam propter rebellionem factam a quibusdam ut singulis. » Ancharan. ibid. n. 81. Imola n. 4. Joann. Andr. in c. Felicis § Civitas num. 20. de pœnis in 6. ubi alias firmavit: Teneri singulos, et non Universitatem, et late consuluerunt Soccin. et Doctores Collegii Florentini inter Consilia Curtii senior cons. 20. et 21. per tot. Hactenus Pitonius citat. discept. 118. n. 13. et 14. ubi num. 15 et 16. plurimos alios ad id citat Doctores.

(24. Et hoc ea legali, et naturali ratione, quod pœna suos tenere debet Auctores; *leg. Sancimus 22. Cod. de pœnis, cap. Quæsivit 2. de his, quæ fiunt a majori parte Capituli;* et rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit; *c. Cognoscentes 2. de Constitut. l. Gracchus 4. Cod. Ad leg. Jul. de adulteriis*, ut in proposito advertit Archidiaconus *in citat. cap. Felicis num. 20. de pœnis in 6.* neque justum est, ut privatum delictum ad perniciem publicam Civitatis, quæ non deliquit, convertatur. Quod etiam agnoverunt majores nostri, quibus absonum visum est, paucorum privatorum culpam universorum juri derogare posse, quemadmodum refert Tacitus decisum per Senatum Romanum, et Cæsarem *lib. 13. ann.* ibi: « Paucorum culpam ipsis exitiosam esse debere, nihil universorum juri derogandum, etc. Hæc sententia valuit, scripsitque Cæsar Senatui, privatim expenderent causam, etc., in commune nihil derogent. »

Digitized by Google

(25. Non improbabilis tamen est contraria opinio, quod nempe id procedat, etiamsi occisio Episcopi processerit ex solo odio privato aliquorum Civium, et non ex facto Civitatis, ut tenent Belletus *disquisit. Cler. part.* 1. *tit. de favor. Cler. Can.* § 1. *n.* 26. Covarruv. *lib.* 2. *variar. cap.* 8. *num.* 10. Frances *de Eccles. Cathedralibus c.* 9. *num.* 21. Corrad. *prax. Beneficiar. lib.* 8. *c.* 8. *num.* 71. Hojed. *de incompatib. Benefic. p.* 1. *c.* 23. *num.* 113. et alii dicentes, quod licet non omnes Cives peccaverint, et tanti criminis rei non sint adhuc privantur honore, et dignitate Episcopali, quia cum hæc sit pœna temporalis, ideo ex justa causa possunt etiam innocentes eam pati, sicut Interdicti pœnam patiuntur, quæ cum animam non afficiat, ideo etiam innocentes ligat; *cap. Sane* 11. *de Offic. Delegati; cap. Non est vobis* 11. *de sponsalibus; cap. Si sententia* 10. *de sentent. Excommunic.*

(26. Cathedralitas ratione occisionis Episcopi non amittitur ipso jure, sed sententiam requirit ex Text. *cap. In quibusdam* 12. § *Sacri, de pœnis*, nam cum textus *in cit. c. Ita nos* 25. *caus.* 25. *qu.* 2. factum hominis postulet, declaratione indiget, et certum est ipso jure non esse Civitatem privatam, ut in terminis Patroni probat Moneta *de commut. ultim. volunt. cap.* 11. *num.* 268. Frances *cit. cap.* 9. *num.* 11.

(27. Si Civitas vel populus occidat Episcopum in sui defensionem, non incurrit pœnam privationis; *arg. cap. Si vero* 3. *de sentent. Excomm.* Frances *loc. citat. num.* 14. Less. *de inhibition, cap.* 8. § 4. *num.* 21. (28. Nec incurrit dictam pœnam, si occidat vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, et alio modo mortem evitare non possit; *arg. Clem. si furiosus, de homicid.* Glossa *in cit. c. Inquibusdam, verb. Præsumpserint.* Moneta *loco citato num.* 268. Marius Itala *de Immunit. Eccles. lib.* 1. *cap.* 5. § 12. Frances. *loc. cit. n.* 15. (29. Nec si occidat Episcopum eum non agnoscens, utpote quia non indutum habitu Episcopali, sed armatum, et enormibus incumbentem. Decian. *in tract. crim. lib.* 7. *c.* 5 *n.* 8. *in fine.* Farinac. *in Prax. min. crimin. par* 4. *quæst* 112. *num* 127. Frances *l. c. n.* 16. *et* 27.

(30. Si Civitas tentaverit occidere Episcopum, eum vero non occidit, sed solum vulneravit, a quo vulnere sanatus fuit, non amittit Cathedralitatem, cum conatus tantum non puniatur pœna ordinaria, sed extraordinaria. Menoch. *de arb. l.* 2. *cent.* 3. *casu* 360. ubi late de hoc; Frances *loco cit. n.* 25. et alii.

(31. Si Civitas persequatur Episcopum, ita ut eum a sua Diœcesi ejiciat, aut ejicere mandet, aut auxilium ad hoc facinus perpetrandum dederit, non privatur ob id Cathedralitate, sed tantum id facientes excommunicantur in Bulla Cœnæ Domini, ut patet *in* § 11. *ejusdem Bullæ*, Farinac. *in prax. crimin. part.* 4. *qu.* 112. *inspect.* 2. *n.* 84 *et* 130. Suarez *de Censur. tom.* 5. *disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 8. Navarr. *in Manual. cap.* 21. *n.* 67. Frances *loc. cit. n.* 23. et alii.

(32. Civitas, quæ auxilium, consilium, aut favorem dederit ad occidendum, seu offendendum Cardinalem, privatur Cathedralitate; *c. Felicis* 5. § *Civitas, de pœnis in* 6. ubi Gloss. et plures, quos sequitur Farinac. *in praxi crimin. part.* 4. *quæst.* 112. *inspect.* 2. *num.* 101. Frances *loc. citato cap.* 4. *num.* 141. *et cap.* 9. *num.* 39. et alii.

(33. Civitas conspirans contra Summum Pontificem, vel contra Sedem Apostolicam, privari potest Cathedralitate; *arg. l. Si usus fructus* 21. *ff. Quibus modis usus fructus amittatur*, ubi fit mentio de Civitate rebelli. in qua aratrum immittitur; *et arg. cit. cap. Felicis* 5. *de pœnis in* 6. Frances *cit. cap.* 9. *num.* 32. et in simili Card. Petra *tom.* 3. *Comment. in Constitut.* 9. *Innocentii IV. n.* 7. *et* 33. cum pluribus ibi citatis.

(34. Item si tota Civitas labatur in Hæresim, demoliri potest, sicque privari Cathedralitate, ut colligitur *ex cap. Si audieris* 23. *quæst.* 5. et notant Gondisalv. *de Hæretic. c.* 25. *per tot.* Decian. *tract. crimin. l.* 5. *c.* 51. *n.* 1. Card. Petra *loc. cit. n.* 8. *et* 33. Frances *cit. c.* 9. *n.* 31.

(35. Civitas condemnata ad aratrum, seu ad demolitionem, non potest amplius ædificari absque speciali licentia Principis. Frances *in cap. Felicis* 5. *de pœnis in* 6. *num.* 4. *et cit. cap.* 4. *num.* 145. Gratianus *discept.* 179. *a num.* 12. et alii. (36. Unde Civitas damnata ad aratrum desinit esse Civitas, quia tunc mori dicitur, quando Superiorum auctoritate ad aratrum damnatur. Felin. *in cap. Dilectus* 30. *column. penult. post. medium num.* 4. *vers. secundo in quantum, de Simon.* Grat. *disc.* 217. *num.* 4. Frances *cit. cap.* 4. *n.* 142. et alii, et patet de Carthagine *ex leg. Si usus fructus* 21. *ff. Quibus modis usus fructus amittatur*, ibi : « Si usus fructus Civitati legetur, et aratrum in eam inducatur, Civitas esse desinit, ut passa est Carthago, ideoque quasi morte desinit habere usumfructum; » et de Civitate Castri a fundamentis demolita jussu Innocentii X. apud Cardin. Petra *l. c. n.* 33.

(37. Civitas tamen solum privata Cathedralitate propter occisionem proprii Episcopi, vel offensionem Cardinalis appellatur, et remanet adhuc Civitas, quoad privilegia sæcularia Civitatum, nam cum hæc non dependeat a Cathedralitate, per accidens se habet privatio, vel existentia illius ad privilegia. Bartol. *In Extravag. Qui sint rebelles c. Lombardiæ n.* 5. Gratian. *disc.* 291. *num.* 37. Frances *cit. c.* 4. *n.* 134. cum aliis ibi citatis per text. *in cap. Ita nos* 25. *caus.* 25. *q.* 2. ubi Civitas privata Cathedrali propter necem Episcopi, Civitas adhuc mansit, et pro tali adhuc appellatur, et per text. *in cap. Felicis* 5. § *Civitas de pœnis in* 6. ubi Civitas, quæ auxilium, favorem, seu consilium ad occidendum, vel offendendum Cardinalem dederit, privatur Cathedralitate, et nihil dicitur de Civitate.

(38. Civitas privata Cathedrali propter delictum, non privatur Diœcesi, unde in ea potest Episcopus quidquid antea in Civitate, et Diœcesi exercebat. Et ratio est, quia Civitatis appellatione non venit Diœcesis in acti-

Digitized by Google

bus potissimum odiosis. Coccinus *dec.* 129. *num.* 2. Frances *citat. cap. 4. num.* 139. *et seq. et cit. cap.* 9. *num.* 142. et plures alii apud Barbosam *de appellat. verb. Utriusque jur. appellat. verb. Civitas n.* 7.

(39. An privatio Civitatis dignitate Episcopali ob occisionem Episcopi sit perpetua, vel temporalis? Variant DD. Quod sit tantum ad tempus seu temporalis, tenent Archidiacon. *in cit. cap. Ita nos* 25. *caus.* 25. *quæs.* 2. *num.* 3. ibi : « Hic non fuit translatus Episcopatus, sed ad tempus isti caruerunt Episcopo in pœnam. » Turrecremata *ibidem num.* 2. ibi : « Ad tempus suspendit dignitatem Episcopalem hujus Ecclesiæ, non abstulit. » Bellarmin. *ibid.* n. 2. ibi : « Secundum eum non fuit translatus Episcopatus, sed ad tempus isti caruerunt Episcopo. » Pitonius *cit. discept.* 108. *n.* 34. *et* 35. ubi ex Ughell. *in Ital. Sacr. tom.* 8. *fol.* 316. *n.* 34. *et* 35. refert sic servatum fuisse per san. mem. Urbanum VIII. occasione homicidii Episcopi Arianen. secuti *die* 10. *Junii* 1645. propter quod homicidium privata exstitit illa Ecclesia proprio Pastore per solum decursum quinque annorum, dum de anno 1650. fuit iterum proprio Episcopo provisa.

(40. Melius tamen, et verius, quod talis privatio sit perpetua, tenent Corradus *in praxi Benefic. lib.* 2. *cap.* 8. num. 71. Rebuff. *tit. de differ. inter privil. Rescript. et Mandat.* Zerola *in praxi Episcop. part.* 1. *verb. Episcopus vers. vigesimo primo Episcopum;* Card. Lauræa *Epitom. Canon. in verb. occidens Episcopum;* Frances *cit. cap.* 9. *num.* 138. Ancharan. *in cit. cap.* 5. *de pœnis in* 6. *col.* 3. *notabil.* 7. et alii, quos sequitur Gratian. *discept.* 179. *num.* 12. et concordat Summarium *in d. c. Ita nos;* ibi : *Veluti dum Civitati Episcop. dignitas perpetuo subtrahitur.*

(41. Et de facto Civitas Atinensis privata fuit in perpetuum Præposito, ob ejus necem ejus culpa secutam, ut patet ex Decreto Sacr. Congreg. Episcop. et Regul. *sub die* 13 *Julii* 1698. quæ censuit Civitatem privandam esse Dignitate Præpositi, illam perpetuo afficiendo vicino Episcopo Aquinaten. mediante sequenti Rescripto : « Cum Sanctissimo ad mentem, et mens est, Præposituram Atinæ esse perpetuo afficiendam, seu destinandam, cum specifica provisione Episcopi Aquinaten. pro tempore firmis remanentibus omnibus, et singulis juribus, præeminentiis, quibus hactenus eadem Præpositura usa fuit. » Unde san. mem. Innoc. XII. mediante Brevi in forma Motus proprii in sequelam allati Rescripti Sacræ Congregationis perpetuo affecit, seu destinavit Præposituram Episcopo Aquinaten. Reclamante autem Civitate apud eumdem Summum Pontificem Innocentium XII. obtinuit remitti causam ad Sac. Congregationem Episcop. et Regul. Sed deinde Summus Pontifex mandavit super hac causa imponi perpetuum silentium Noviter autem reclamante Civitate, et Clero sub die 15. Septembris 1714. emanavit novum Rescriptum pro remissione causæ ad eamdem Sacram Congregat. Ex audientia Sanctissimi die 10 mensis Septembris 1714. Sanctitas sua mandavit, Quod Partes deducant omnia jura sua in Sacra Congregat. Episcop. et Regul. Superveniente autem Rescripto Summi Pontificis, quod in Sacra Congregatione disputaretur, an sit concedenda aperitio oris, non obstante alio deinde subsecuto, quod causam simpliciter remittebat ad eamdem Congregationem, oportuit disputari dubium super aperitione oris. Et eadem Sacra Congregatio sub die 24 Julii 1716. ad relationem clar. mem. Card. Casini ad dictum dubium : *an sit concedenda aperitio oris;* respondit : *Negative et amplius.* Sic refert Pitonius *cit. discept.* 108. *per tot.* in qua scripsit pro dicta Civitate, et ejusdem Capitulo.

(42. Civilitas triplici modo acquiritur. Primo, per Nativitatem; secundo, de jure; tertio, per Privilegium, ut notant Zaul. *ad statut. Faventiæ lib.* 1. *Rubr.* 11. *num.* 1. *fol.* 226. Cardinal. de Luca *de Præemin. in Summar. num.* 94. Ursaya *tom.* 6. *part.* 2. *discept.* 50. *num.* 37. ubi prima dicitur Civilitas originaria; secunda domiciliaria, et tertia privilegiativa, seu ut dicit Card. de Luca *cit. n.* 94. prima dicitur naturalis, quæ sub originariæ vocabulo explicatur; secunda accidentalis, vel acquisita, quæ domiciliaria dicitur; tertia pariter accidentalis, vel acquisita, quæ privilegiativa sive occasionalis sit.

(43. Civilitas naturalis, seu originaria plures subalternas habet species. Prima omnino vera, et propria tam legalis, quam naturalis est, quæ propriam, ac parentis originem in loco habet, adeo ut nulla Legis fictio vel suppletio accedat. Secunda naturalis quidem, sed quamdam legis fictionem habens, ea est, quæ provenit ex propria nativitate in loco ab extero patre, qui domiciliariam jam contraxit Civilitatem in tali loco. Tertia naturalis quidem, sed quamdam adhuc majorem Legis fictionem habens, ea est, quæ provenit ex propria nativitate in loco ex extero tamen patre, casualiter, vel occasionaliter secuta, utpote quia ejus pater non ut domicilium, neglecta originaria patria, contraheret, ibi morari contigit, sed officii, feudi, mercaturæ, aulæ, vel professionis, seu artis occasione. Quarta, quæ majorem adhuc Legis fictionem habet, ea est, cui in propria persona, et propria nativitate naturalis deest veritas, originaria vero civica paterna qualitas filio eamdem tribuit originariam Civilitatem, ut patet de filio nato extra patriam patris alibi occasione solius temporalis officii, ut Judicis, Modici, Mercatoris, et hujusmodi commorantis.

(44. Hinc ex dictis patet, quod duplex originaria qualitas in eamdem personam concurrere potest, una scilicet propria, et altera parentis; quamvis enim occasionaliter, vel causative extra patriam in diverso loco natus, habeatur ac si vere, et proprie in ipsa patria natales habuerit; adhuc tamen naturæ beneficium sibi non est denegandum, ut originarius Civis illius loci dici mereatur, ubi vere natus est.

(45. Civilitas domiciliaria ea est, quæ per

Digitized by Google

exterum in aliena patria eligentem domicilium acquiritur. Et ista ubi quæsita sit, eosdem favorabiles, ac odiosos operatur effectus, quos ipsa originaria, seu naturalis Civilitas producit, cum ei assimilata sit, nisi munerum qualitas veram, ac naturalem pro loci moribus, vel legibus exigat, istamque fictam non admittat.

(46. Civilitas privilegiativa, quæ magis ficta dicitur, ea est, quam pro generali regula nobilitatis ad instar solus supremus Princeps concedit, eaque de Regalibus reputatur. Solius enim supremæ potestatis est fictum reddere verum, atque veri operationem ficto tribuere. Subditæ enim Civitates, et inferiores domini sine expresso supremi Principis Indulto eam solam concedere possunt Civilitatem quæ concedenti, atque ab eo dependentibus præjudicet, non autem ut personæ statum in omnibus firmet. Hactenus Card. de Luca *de præemin. in Summa a n.* 94. *ad* 103.

(47. Ad effectum veræ, et naturalis Civilitatis licet requiratur nativitas in loco, ad text. *in l. Cives* 7. *Cod. de incolis lib.* 10. *l. Adsumptio* 6. § *Filius ff. ad municipalem cum concord.* Card. de Luca *de præeminent. discept.* 27. *num.* 7. Giurba *observ.* 75, *numer.* 1. Melin. *dec.* 882. *num.* 1. *et* 2. Rota *in Sypontina Archiepiscopatus*, 14. *Martii* 1646. *coram Verospio*, Barbosa *de Offic. et potestat. Episcopor. part.* 2. *allegat.* 4. *num.* 2. *et* 3. cum aliis ibi allegatis. (48. Attamen si sequatur nativitas extra patriam originariam occasionaliter, quia nempe parentes ibi morentur occasione officii, feudi, militiæ, mercaturæ, et hujusmodi, habetur ac sic vere, et naturaliter natus esset in propria patria. Felin. *in cap. Rodulphus n.* 14. *de rescript.* Menoch. *consil.* 80. *n.* 9. *cum seq. et lib.* 6. *præsumpt.* 30. *n.* 16. *et* 17. Giurba *d. Observat.* 76. Othobon. *decis.* 148. *n.* 8. Card. de Luca *loc. cit. n.* 9. allegans ad id Rotam *in Anconitana, et in Avenion.* (49. Originarius enim, seu oriundus dicitur a nativitate propria, seu paterna, per text. *in cit. l. supra n.* 46. Jason. *in l. Hujusmodi* § *Legatum num.* 18. *ff. de Legatis* 1. Mandos. *ad Regul. Cancell. reg.* 16. *quæst.* 40. Lexicon juris verb. *Oriundus*, Barbosa *loco cit. n.* 3. *et* 6. cum aliis ibi allegatis. (50. Cum jus Civile indicet locum originis alicujus eum esse, in quo ejus pater natus est; *l. Adsumptio* 6. § 1. *ff. Ad Municip. et l. Si ut proponis* 2. *Cod. de Municipibus lib.* 10. Alciat. *in l.* 147. *num.* 4. *ff. de verbor. signific.* Petr. Gregor. *in tract. de usuris lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 15. Campanil. *in diversar. jur. Canonici rubr.* 9. *cap.* 8. *num.* 8. Barbosa *loco cit. num.* 5.

(51. Civilitas etiam per spiritualem nativitatem acquiritur, ita ut in illo loco quis dicatur ortus, ubi salutari lavacro Sacri Baptismatis fuit ablutus, quia Baptismus est nativitas spiritualis, et de ea ad naturalem validum est argumentum; *cap. Debitum de Baptism. juncto cap. Inter corporalia, de translat. Episcopor.* et in specie firmant Luc. de Penna *in l. Cives, n.* 3. *et* 47. *Cod. de Incolis, lib.* 10, ibique Amasa, *n.* 47. Gratian., *cap.* 75. *n.* 16. ubi quod procedat nedum quoad spiritualia, sed etiam quoad temporalia. Paschal. *de Patria potest., part.* 3. *cap.* 2. *n.* 34. *in fine*, Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancellar. gloss.* 9. § 1. *n.* 106. *et seqq.* Ciarlin., *c.* 149. *n.* 12. Merlin., *Controv. juris, c.* 32. *n.* 22. *lib.* 2. Barbosa, *de Offic. Paroch. c.* 7. *n.* 5. Carleval. *de Judic. tit.* 1. *Disput.* 2. *n.* 111. Navar. pluries judicatum referens in Senatu Neapolitano *in Pragmatic.* 1. *de Immunit. Neapol. collect.* 2. *n.* 14. Antunez., *de donat. Reg., l.* 1. *part.* 2. *c.* 15. *n.* 5. Rocca *Disp. select. c.* 83. *n.* 4 cum aliis ibi citatis, Amostaz. *de Causis ptis, lib.* 4. *c.* 7. *n.* 2. *et* 3. cum aliis ibi allegatis.

(52. Civilitas originis non amittitur ob alterius loci incolatum necessarium, vel occasionalem, seu causativum negotiationis. Bartol. *in l. final.* § *Item rescripserunt, ff. Ad municipal. sub n.* 5. Altograd. *consil.* 97. *n.* 16. *et seq. volum.* 1. Card. de Luca *de Regalib. discept.* 83. *n.* 12. *discept.* 97. *n.* 11. *dis.* 128. *n.* 9. Rota *part.* 9. *recent. dec.* 66. *n.* 23. *et seqq.* et communis aliorum.

(53. Potest quis acquirere, et retinere duplicem Civilitatem, unam scilicet originis, et alteram domicilii; *leg. Adsumptio* 6. § *juris ff. Ad municipal.* Card. de Luca *de Præeminent. dis.* 37. *num.* 3. Ursaya, *tom.* 7. *part.* 2. *disc.* 31. *sub n.* 33. § *Ratio est.* Rota *part.* 5. *t.* 1. *recent. decision.* 137. *n.* 13.

(54. Civilitas domiciliaria acquiritur decennali habitatione. Rota, *p.* 9. *recent., tom.* 1. *d.* 127. *n.* 6. Card. de Luca, *de Præeminent. disc.* 27. *n.* 3. Barbosa, *cit. allegat.* 4. *n.* 28. cum pluribus ibi citatis; maxime si sit cum acquisitione domus, ac aliorum bonorum, et supportatione onerum Civicorum; *l. Nec ipsi* 1. *et l. Cives* 7. *Cod. de Incolis.* Talis enim decennalis habitatio perpetuæ permanentiæ regulariter suffragatur. Rota, *p.* 13. *recent. dec.* 261. *n.* 3. (55. Et domicilium est habitatio animi destinatione perpetua, in qua quis rerum suarum magnam summam constituit; *l.* 1 ubi Bartol., *n.* 11. *l. Adsumptio* 6. § *Juris prudentibus*, ibique idem Bartolus, *n.* 2. *ff. Ad municipal., l. Cives* 7. *Cod. de Incolis, lib.* 10. *c. Cum nullus*, ubi Glossa, verb. *Domicilium, de temporib. ordinat. in* 6. Menoch. *de Arbitr. casu* 86. *a n.* 6. *et lib.* 6. *de Præsumpt. q.* 42. *n.* 2. Mascard., *de Probat. concl.* 535. *n.* 13. Gratian., *discep. forens. c.* 181. *n.* 10. *cum seqq.* Turreblanca, *l.* 2. *c.* 3. *n.* 10. Barbosa, *cit. allegat.* 4. *n.* 23. Ursaya, *t.* 6. *disc.* 50. *a n.* 62. cum pluribus ibi citatis; Rota, *in Granaten. Capellaniæ* 1. *Dec.* 1606. *coram Card. Marquemont.* impressa per Farinac. *dec.* 188. *n.* 1. *et* 2. *part.* 2. *recent.* ubi asserit tantum domicilium probari ex anima habitandi, et permanendi, quando scilicet quis cum tota familia mobilia bona transportavit, et habuit domum apertam.

(56. In hoc enim differunt domicilium, et habitatio, quia domicilium est locus originis, vel perpetuæ habitationis; habitatio vero est commoratio in loco per accidens, et animo alio se transferendi. Unde ad habitationem sufficit habitare pro aliquo tempore ex aliqua causa, puta litis, mercaturæ, studio-

Digitized by Google

rum, et hujusmodi. Ad domicilium autem in aliquo loco constituendum requiritur animus ibi perpetuo permanendi, sine quo non contrahitur domicilium; *l. Cives, Cod. de Incolis, l.* 10. Menoch. *de Præsumpt., q.* 42. *n.* 2. *et de arb. cas.* 87. *a n.* 6. Sanchez, *de Matr., l.* 3. *disp.* 13. *a princ.* Barbosa *l. c. n.* 24. et alii.

(57. Non contrahitur Civilitas domiciliaria per permanentiam in Civitate per decem annos; immo nec per triginta in servitio alicujus Principis, seu alterius domini. Parisius, *cons.* 53. *n.* 91, *lib.* 3. Rota, *in Romana Beneficiatus S. Petri*, 30 *Martii* 1626. *coram Pirovano, et in Ferrarien. Bonorum de Tassonis* 18. *Martii* 1630. *coram eod. Pirovano in vers. Quia de hoc præsupposito*, quæ est decisio 109. apud Fenzon. *ad statuta Urb. et p.* 9. *recent. t.* 1. *dec.* 312. *n.* 17. *et* 18. ubi habetur hæc ratio, quod causa habitandi diversa est ab animo domicilium contrahendi, id est domicilium non contrahitur sine animo. (58. Unde cum quis habet animum recedendi ab aliquo loco, licet per mille annos ibi habitaverit, non contrahit domicilium, seu domiciliariam Civilitatem. Joseph. Ludovic. Perusina *dec.* 76. *n.* 1. *cum seq.* Menoch. *de arb. casu* 86. *n.* 7. Marchin. *de Sacrament. Ordin. tract.* 1. § 5. *c.* 7. *n.* 1. Barbosa, *cit. alleg.* 4. *n.* 5.

(59. Præcipua autem conjectura, et præsumptio propensi animi ad acquirendum domicilium, seu domiciliariam Civitatem ea est, si quis non solum habitationem transtulerit, sed et simul secum familiam, et omnia bona sua, vel eorum majorem partem retulerit; nam ex illa habitationis suæ, et rerum suarum translatione conjecturatur, et præsumitur animus alicubi perpetuo permanendi, et ibidem domicilium, et Civitatem acquirendi; *l. Cives* 7. *Cod. de Incolis, l. Senatores* 3. *Cod. ubi Senatores* cum similibus, Ursaya *Instit. criminal. lib.* 1. *t.* 3. *n.* 33. Ugolin, *de Offic. Episcop. part.* 2. *c.* 36. § 2. *n.* 2. Marchin., *cit. tract.* 1, § 5. *c.* 7. *n.* 7. Barbosa *cit. alleg.* 4. *n.* 27. et alii passim.

(60. Civilitatem domiciliariam potest quis habere in pluribus locis, si in eisdem habeat domicilium, et bona cum supportatione onerum Civicorum; *l. Labeo* 5. *l. Adsumptio* 6. § 2. *et l. Ejus* 27. § 2. *ff. municipal.* Rota, *p.* 5. *recent. t.* 1. *dec.* 177. *n.* 50. Marchin. *loc. cit. c.* 7. *n.* 10. Ugolin, *l. c. c.* 26. § 2. *n.* 3. Barbosa, *loco cit. n.* 37. cum pluribus aliis ibi allegatis. (61. Unde potest quis plures Civilitates retinere, et ex eis privilegia assequi tamquam Civis diversorum locorum. Rota, *part.* 19. *recent. t.* 2. *dec.* 459. *n.* 17. cum aliis ibi citatis

(62. Civilitas legitime acquisita cum habitatione, et solutione onerum constituit, et designat aliquem esse verum Civem, ita ut possit consequi Officia Civibus debita. Rota, *cit. dec.* 459, *n.* 15. Nec amittitur talis acquisita Civitas per quamdam necessariam, seu occasionalem absentiam. (63. Habitatio enim dicitur continuata etiam ad effectum assequendi honores, et privilegia, quoties relinquitur famulus ad custodiam domus, et bonorum tempore absentiæ cum supportatione onerum. Rota, *cit. dec.* 459. *n.* 12. Card. de Luca, *de Præeminent. dis.* 37. *n.* 4. *cum seqq.* et alii apud ipsum. (64. Nec Civilitati loci jam quæsitæ fit præjudicium ex possessione bonorum, quæ sint sita extra illius territorium. Rota, *cit. dec.* 459. *n.* 21.

(65. Civilitas privilegiativa generaliter quoad omnes effectus est de Regalibus, et pertinet ad supremam Principis potestatem, sicque non conceditur nisi a Supremo Principe. Card. de Luca, *de Jurisdictione, disc.* 46. *n.* 10. Menoch. *lib.* 6. *præsumpt.* 30. *n.* 52. Sessa, *dec.* 90. *n.* 3. *et* 4. Roland., *consil.* 79. *lib.* 2. et alii apud ipsos.

(66. Civitates non subditæ, et Domini inferiores solum in suum præjudicium, eorumque subditorum eam concedere possunt. Secus autem in præjudicium tertii suum jus ab ipsis independenter metientis. Bartol. *in l. Si Maritus* 15. § *Legis Juliæ in fin. ff. Ad leg. Jul. de adulter.* Salicet. *in l. Cives n.* 4. *Cod. de appellat.* Roman., *consil.* 62. *n.* 9. Roland., *consil.* 79. *num.* 16. *lib.* 3. Berojus *consil.* 130. *n.* 6 *et* 8. *l.* 1. Sessa, *dec.* 90. *n.* 3. *et* 4. Salernus, *consil.* 2. *per tot.* Card. de Luca, *de Jurisdictione disc.* 46. *n.* 10. *et de Præem. disc.* 13. *n.* 26. *cum sequent.* Et ratio est, quia Civilitas, et formalis adoptio tertio præjudicialis fieri non potest, nisi cum auctoritate Principis, qui solus tollere potest jus tertii, ac facere verum id, quod est fictum.

(67. Unde Civilitas concessa per Civitatem subditam, vel per Baronem, aut Dominum inferiorem, non præjudicat Episcopo, qui solum exigit quædam vectigalia a forensibus, non autem a Civibus, cum Episcopus ipsi Civitati, aut Baroni, seu Domino inferiori non sit subjectus. Berojus, *cons.* 104. *n.* 6. *et* 8. *lib.* 1. Card. de Luca, *de Jurisdictione. c. disc.* 49. *n.* 10.

(68. Civilitas privilegiativa concessa per totam Civitatem, seu Consilium generale, per eamdem totam Civitatem, seu generale Consilium tolli debet, non autem per Magistratum particularem. Card. de Luca *de præeminentiis disc.* 83. *n.* 13. cum aliis ibi citatis. Unumquodque enim dissolvendum est eodem vinculo, quo est ligatum, cum eadem res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvatur; textu expresso *in c. Omnis res* 1. *de Regul. Juris.*

(69. Civis naturalis, et originarius alicujus loci secundum aliquos dicitur, qui natus est etiam per transitum in tali loco, quamvis parentes ibi nati non sint, nec habeant domicilium, nec bona, nec animum ibi habitandi, sed casu ibi, aut tamquam peregrini reperti sint; unde volunt ex sola nativitate pendere originem. Sic Felinus *in c. Rodulphus* 35. *de Script. n.* 14. Cravetta *vol.* 4. *consil.* 441. *n.* 3. Barbosa *in l. Hæres absens,* § *Proinde, ff. de Judiciis art. de Orig. for. n.* 2. Riccius *in Praxi for. dec.* 289. *num.* 2. Gratian. *Discept. forens. c.* 75. *a n.* 1. Amaya *in l. Cives* 7. *Cod. de Incolis, n.* 43. Narbona, *in l.* 2. *tit.* 1. *l.* 4. *Recopilat gloss.* 2. *a n.* 138. et alii per text. *in L. Municipem* 1. *ff. ad*

Digitized by Google

Municipalem; et in l. Cives 7. *Cod. de Incol.*

(70. Secundum autem alios, ut quis dicatur Civis naturalis, et originarius alicujus loci, verius requiritur ultra suam nativitatem in tali loco, quod etiam pater in illo loco habeat domicilium constitutum, nec sufficit esse peregrinum, aut casu ibidem inveniri. Ita Carleval. *de Judiciis l.* 1. *tit.* 1. *diss.* 2. *q.* 2. *n.* 93. Andreol. *controv.* 293. *n.* 49. Dunoz junior, *dec.* 743, *n.* 8. Cævallos, *Commun., q.* 458 *n.* 17. Sanchez *de Matrimon. l.* 3. *disp.* 23. *n.* 3. Trullench. *l.* 7. *Decalog. c.* 18. *dub.* 7. *n.* 3. Marchin. *de Ordin. part.* 1. *l.* 5. *c.* 6. *n.* 8. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop. part.* 2. *allegat.* 4. *n.* 7. ubi citat Rotam Romanam, *decis.* 327. *n.* 3. *p.* 1. *div.* et Doctores *in c. Rodulphus* 35. *de Rescriptis*, per text. *in l. Filios* 3. *Cod. de municip. et originariis*, qui textus ad originem supponit domicilium esse necessarium; quapropter si casu alibi filius nascatur, seu in aliquo alio loco per transitum natus sit, ibidem non contrahit, sed sequitur domicilium patris, ubi ipsum habet; quamvis enim aliqua jura dicant originem contrahi, ubi quis natus est, non expresse loquuntur ex sola nativitate : unde intelligenda sunt, quando quis natus fuerit in domicilio patris, non vero alibi casu, aut quando peregrinus fuerit, ut ex citatis recte tradit Amostaz. *de Causis piis lib.* 4. *c.* 7. *n.* 7. *et* 11. et alii.

(71. Hinc si legatum v. g. relictum sit pro puellis originariis alicujus loci, debetur illis, quæ ibidem natæ sunt, non casu, aut per transitum, sed quando pater domicilium ibi habuit, aut est locus, ubi pater natus est, aut de jure communi, ubi Avus natus fuit; et neptæ natæ in ejus potestate. Sic expresse Amostaz. *loc. cit. n.* 11. et concordant omnes supracitati et alii.

(72. Civis originarius, ac naturalis paternæ patriæ dicitur quis, etiamsi natus sit extra patriam originariam occasionaliter, quia nempe parentes ibi morabantur occasione officii, feudi, Militiæ, mercaturæ, et hujusmodi; *l. Adsumptio* 6. § 1. *ff. ad municip. l. Si ut proponis* 2. *Cod. de municipibus; l. Hujusmodi* 28. § *Legatum, ff. de Legat.* 1. Vide *supra numer.* 48. 49 *et* 50.

(73. Civis originarius esse non desinit, qui alibi necessarium, vel occasionale domicilium habet. Rota *coram Durano decis.* 31. *num.* 4. *cum seq. et p.* 5. *recent. dec.* 137. *num.* 13. *et part.* 13. *dec.* 364. *num.* 7. Bertazzol. *consil. Civil.* 56. *n.* 14. Peregrin. *consil.* 126. *n.* 7. *usque ad fin. lib.* 5. Pitonius *part.* 4. *discept.* 122. *num.* 8. et alii passim per text. *in. l. Adsumptio* 6. § 1. *et* 2. *et l. ejus* 27. § 2, *ff. Ad municip.* Vide *supra numer.* 52.

(74. Civis domiciliarius alicujus loci dicitur, qui ibi, licet aliunde oriundus, jam per decennium habitat cum animo perpetuo ibidem permanendi. Sic Doctores communiter per text. *in l. Cives* 7. *Cod. de Incolis. l. Municipem* 1. *et l. Adsumptio* 6. § *Jurisprudentibus; ff. Ad municipalem.* Vide *supra n.* 54. *et* 55. *et* 39. ubi assignatur, ex quibus conjecturetur animus alicubi perpetuo permanendi.

(75. Potest quis eodem tempore esse Civis domiciliarius plurium locorum, si in eisdem habeat domicilium et bona, cum supportatione onerum Civicorum; *l. Labeo* 5. *l. Adsumptio* 6. § 2. *et l. Ejus* 27. § 2. *ff. ad municipalem;* Rota *p.* 5. *recent. tom.* 1. *dec.* 177. *num.* 50. *et part.* 8. *dec.* 177. *n.* 11. Vide *supra n.* 60.

(76. Et sic esse Civis alicujus loci, et habere incolatum, et domicilium in alio. Rota *part.* 8. *recent. cit. dec.* 177. *num.* 12.

(77. Ac sic privilegia assequi tanquam Civis diversorum locorum. Rota *p.* 19. *recent. tom.* 2. *dec.* 459. *num.* 17. cum aliis ibi allegatis. Vide *supra n.* 61.

(78. Civis ex privilegio dicitur Civis verus, et proprius, non minus ac Civis originarius; *leg. Municipem* 1. ubi Glossa, et Bartol. *num.* 16. *ff. ad municipal. l. Cives* 7. *Cod. de Incolis;* Aretin. *in l.* 2. *in princip. vers. Nam si Civis creatus, ff. de verb. obligat.* Castrens. *consil.* 37. *lib.* 1. Ruin. *consil.* 227. *num.* 2. *lib.* 1. Bald. *in l.* 3. § *Hæc verba num.* 2. *ff. de negot. gest.* Rocca *disp. select. cap.* 83. *n.* 1. cum aliis innumeris ibi citatis. (79. Et eadem Civilitas ex privilegio transit in filios alibi quoque natos, licet de illis non fuerit facta mentio in concessione; *l. Adsumptio* 6. §. *Filius, ff. Ad municipal.* et Clarius *in l. Libertus* 17. § *Patris, ff. eod. l. Filios* 3. *Cod. de Municipibus;* Bartol. *in d. l. Libertus* § *Patris;* Bald. *in l. Non plures, Cod. de sacrosanct. Ecclesiis.* Menoch. *cons.* 165. *num.* 6. *lib.* 2. Peregr. *cons.* 126. *num.* 2. *lib.* 5. Rocca *loco cit. num.* 2. cum pluribus aliis ibi allegatis.

(80. Quamvis autem Princeps per suum privilegium possit creare Civem exterum, qui gaudeat omnibus immunitatibus, et prærogativis, quibus gaudent alii originarii, non tamen potest facere, ut sit originarius. Rota *coram Seraphin. decis.* 1251. *num.* 9. *et part.* 9. *recent. tom.* 1. *dec.* 180. *num.* 9. *et* 10. Bartol. *in l. Si is, qui pro emptore n.* 23. ubi Jason. *num.* 120. et Bologn. *num.* 224. *ff. de usucap.* et alii.

(81. Si enim statutum, seu dispositio aliqua requirat, quod aliquis sit verus Civis, ista verba sunt naturalia, et non possunt verificari in qualitate Civili acquisita per Rescriptum Principis, ut ex communiori sententia tradit Lara *de annivers. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 95. *cum seqq. et num.* 196. Rota *p.* 9. *recent. tom.* 1. *dec.* 180. *a n.* 6. cum aliis ibi citatis per text. *in l. fin. Cod. de his, qui ven. ætat. impetr.* ubi ætas 26 annorum completur tantum annorum curriculs, non vero imperiali beneficio.

(82. Hinc cum statutum, seu dispositio aliqua requirit, ut quis sit verus Civis origine propria, et paterna, excludit legitimatum, cum filius legitimatus non dicatur verus Civis in sui origine, sed efficiatur per fictionem ex post facto, et ubi qualitas requiritur in origine non sufficit, si supervenial. Rota *coram Seraphin. dec.* 1390. *ad fin.*

Digitized by Google

vers. Sed vis est in probando, et part. 9. *recent. tom.* 1. *dec.* 180. *a num.* 11. Baldus *consil.* 367. *num.* 1. *vers. Item quando;* Soccin. *junct. consil.* 12. *n.* 8. *post medium et seqq. lib.* 4. Ruin. *cons.* 92. *n.* 13. *lib.* 3. Roland. *consil.* 100. *n.* 26. *et sequent. lib.* 2. Cephal. *consil.* 111. *num.* 13. Natta *consil.* 602. *num.* 2. 3. Decian. *cons.* 88. *num.* 12. *lib.* 2. Mantic. *de conjectur. lib.* 11. *tit.* 12. *num.* 19. *vers. Quarto ego considero;* Peregrin. *de Fideicommis, art.* 24. *n.* 29. *et* 32. Fachin. *lib.* 4. *controv. cap.* 54. *vers. Ego eorum sententiam.*

(83. Civis ex privilegio quamvis non habitet in Civitate, adhuc tamen gaudet beneficio Civium quoad immunitatem a solutione vectigalium, cum habitatio non sit de substantia Civilitatis, Bartol. *in l. Municipem* 1. *ff. Ad municipal.* Soccin. Senior *consil.* 35. *ante num.* 8. *vers. Quarto probatur lib.* 1. Alexander *consil.* 117. *num.* 13. *lib.* 2. Decian. *consil.* 44. *num.* 37. *et seqq.* præcipue *num.* 62. *usque ad* 71. *lib.* 4. Cephal. *consil.* 451. *n.* 104. *et seqq. l.* 4. Peregr. *consil.* 126. *per tot. lib.* 5. Surd. *consil.* 346. *numer.* 11. Menoch. *consil.* 1129. *num.* 11. Cyriac. *controvers.* 291. *num.* 40. *et* 543. *num.* 54. Rocca. *loc. cit. num.* 6. aliique apud ipsum dicentes, regulare esse, ut habitatio ad retinendam Civilitatem non sit necessaria.

(84. Civis ex privilegio etiam creatus cum onere habitandi, Civilitatem non amittit, nisi fuerit interpellatus adimplere. Menoch. *consil.* 131. *num.* 5. *et seq.* Rocca *loco cit. n.* 18. Beroi *consil.* 153. *lib.* 3. Cyriac. *controv.* 153. *n.* 56. Andreol. *controv.* 239. *n.* 6. Castald. *consult.* 15. *n.* 21. *et consult.* 53. *n.* 9. et alii.

(85. Immo requiritur Judicis declaratio, et quod interpellatus contumax fuerit, et per annum steterit adimplere. Glossa in § *Si quis autem non implens, verb. Admonitus, Authent. de hæredibus et Falcidia;* Alciat. *resp.* 12. *n.* 3. *et seq. et resp.* 13. *n.* 6. *lib.* 4. Cyriac. *controv.* 153. *n.* 17. Andreol. *controv.* 239. *n.* 6. Gobius *consult.* 116. *n.* 97. (86. Rocca *loc. cit. num.* 19. et alii. (86. Et hoc ex ratione communiter recepta; quia modus impleri debet per compulsionem ad differentiam conditionis, quæ impleri debet per expulsionem, seu exclusionem, quæ est regularis differentia inter modum, et conditionem, prout est textus *in Authent. Hoc amplius, Cod. de Fideicommis.*

(87. Civium appellatione veniunt etiam Comitatenses, seu forenses nati in Suburbiis, præcipue in favorabilibus, et in materia, quæ utrisque conveniat. Nomine autem Territorii venit quidquid intra fines loci simul cum ipso loco continetur; *l. Pupillus* §. *Territorium, ff. de verborum significat.* et natus in Suburbiis et continentibus Vicis idem est, ac si in Oppido natus fuisset; *l. Qui in continentibus* 147. *ff. de verbor. signific. l. Qui ex Vico* 30. *ff. Ad municipal.* Rota *p.* 18. *recent. tom.* 2. *dec.* 431. *num.* 13. *et dec.* 557. *num.* 8. Gratian. *discept.* 217. *n.* 10. *cum duobus seq.* Martin. de Monte *de finibus regend. c.* 6. *num.* 9, *inter tract. divers. tom.* 3. *part.* 2. *fol.* 234. Rebuff. *in l.* 2. *column.* 1. § *In quantum, ff. de verb. signific.* Soccin. *in l.* 2. *ff. de reb. dub.* et alii. (88. Hinc Filius originem habens a patre nato in Suburbiis, seu Villa, in Collegium Civitatis, vel Oppidi recipiendus est, cum per cit. Leges *Qui in continentibus*, et *Qui ex Vico*, natus in Suburbiis, et continentibus Vicis, idem sit, ac si in Civitate, vel Oppido natus fuisset. Rota *part.* 18. *recent. decis.* 117. *n.* 11. *et* 12. Baldus *consil.* 183 *n.* 1. *lib.* 3. et alii.

(89. Civibus ex privilegio nihil suffragatur privilegium Civilitatis ad effectum successionis, ubi excludantur exteri forenses, nisi constet de habitatione, et onerum sustentatione. Sic Rota articulo discusso *in Cæsenaten. Hæreditatis* 18. *Jan.* 1620. *coram Pirovano, et part.* 6. *recent. decis.* 160. *num.* 28. Afflict. *decis.* 384. *num.* 6. et alii. Prout etiam non suffragatur, si quis eodem privilegio Civilitatis non est usus, nec umquam habitavit, nec onera sustinuit, ut multis cumulatis firmavit Rota *in Romana, seu Cæsenaten. Hæreditatis* 6. *Nov.* 1619. *et* 18. *Jan.* 1620. *coram Pirovano, et part.* 5. *tit.* 1. *decis.* 177. *num.* 57.

(90. Civis autem ex privilegio admittitur ad Beneficium ad quod vocantur soli Cives Civitatis. Sac. Cong. Conc. *in Romana* 16. *Septemb.* 1649. *lib.* 10. *Decr. fol.* 674. referente Ursaya *Instit. crimin. lib.* 1. *tit.* 3. *n.* 82.

(91. Civitas tamen Bononiæ ex concessione Julii II. habet privilegium, ut illa Beneficia non nisi Civibus conferri possint, idemque privilegium confirmatum fuit per duos Pontifices Bononienses Gregorium XIII. et Gregorium XV, quorum ultimus addidit, ut Civilitas ex privilegio non suffragaretur. Sic Card. de Luca *de Beneficiis disc.* 113. *num.* 1.

(92. Generaliter vero loquendo Beneficia Civibus potius quam exteris conferri debent, et originarii, seu naturales loci præferendi sunt exteris, seu alienigenis. Rota *part.* 3. *recent. dec.* 61. *num.* 1. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 96. *num.* 12. Decius *consil.* 542. *num.* 13. Roch. de Curt. *tract. de Jurepatron. verb. Honorificum, num.* 45. *cum pluribus seqq.* et alii. Licet enim in Beneficialibus ex regula, quod apud Deum non est acceptio personarum, ista qualitas Civilitatis non reputetur necessaria, et sola qualitas loci non sufficiat de Jure ad exclusionem a Beneficio, per Rotam *part.* 13. *recent. dec.* 55. *n.* 12. Attamen data æqualitate idoneitatis, atque in concursu dicitur considerabilis, ac species etiam benemerentiæ, ob quam cæteris paribus prælatio saltem de congruo, seu de honestate debeatur, ex collectis apud Cavill. *decis.* 66 *alias decis.* 232. *part.* 7. *recent.* et pluries ex præcedentibus, nec discordat in hac parte hæc justa et recta opinio a juris communis dispositione, secundum quam Beneficia, Officia, et Gubernia propriis Civibus, non autem exteris demandanda, et conferenda sunt, ut post multos firmavit Rota *in Perusina*

Digitized by Google

Abbatiæ 14. *Januarii* 1701. § *Accedente*, *coram Scotto* apud Ursajam *tom.* 8. *part.* 2. *discept.* 8, *num.* 9. et ead. Rota *part* 7. *rec. decis.* 232. *num.* 11. dicens, quod cum Beneficia sint fundata ex bonis illius Civitatis, seu loci, fraudarentur Fundatores sua ultima voluntate, si eorum redd tus ad extraneos transferrentur. Vide ibi, ubi multa ad rem.

(93. Imo si fundator legem imposuit, ut Beneficium conferatur solis originariis, seu oriundis ex tali loco, et non alienigenis, nullimode conferri poterit exteris, tum de Jure Divino, tum de Jure Canonico, tum de Jure Civili. De Jure Divino Deuteron. *cap.* 17. *n.* 15. ibi : *Non poteris alterius gentis hominem facere Regem*, et *c.* 18 *n.* 15 ibi : *Prophetam de gente tua.* De Jure Canonico; *c. Bonæ memoriæ* 4. § *Quia vero, de Postulat. Prælat.* ibi : *Non poteramus salva conscientia eidem Ecclesiæ de persona alterius Regni providere*, ut allegat Rota *part.* 7. *recent. decis.* 232. *num.* 9. standо in vero sensu Canonis, non præcise in littera; *cap. Ne pro defectu* 41. *de elect. cap. Nec emeritis, et cap. Nullus, dist.* 61 *cap. Afros distinct.* 98. cum similibus. De Jure Civili; *l. in Ecclesiis* 11. *Cod. de Episcopis, et Clericis*, ibi : *Clerici non ex alia possessione, vel Vico, sed ex eo, ubi Ecclesiam esse constiterit, ordinentur, leg. Unica Cod. non licere Habitatoribus*, ibi : *Ut nullo extraneo illic quoquo modo possidendi licentia tribuatur*, et concordat Conc. Trident. *sess.* 25. *cap.* 5. *de reformat.* ubi expresse jubet, ut in conferendis Beneficiis serventur omnino conditiones, et qualitates in eorum erectione, seu fundatione impositæ, ibi : « Ratio postulat ut illis, quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur : quando igitur ex Beneficiorum quorumcunque erectione seu fundatione, aut aliis constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta in Beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur. »

(94. Et ratio est, quia voluntas Testatoris, seu Fundatoris tamquam Lex est omnino servanda; *cap. ultima voluntas* 4. *caus.* 13. *quæst.* 2. ibi : « Ultima voluntas defuncti modis omnibus servari debet; leg. In conditionibus 19 ff. de conditionibus, et demonstrationibus, *ibi :* In conditionibus primum locum voluntas defuncti obtinet, eaque regit conditione, lib. Cum quæst. 23. in fin. Cod. de Legatis, *ibi :* In omnibus etenim Testatoris voluntatem, quæ legitima est, dominari censemus. » Nec ab alio, quam a Summo Pontifice, et quidem de potestatis plenitudine in his circumstantiis dicta ultima voluntas commutari potest, juxta text. in *Clementin. Quia contingit de Religios. domibus, et in l. Legatum ff. de administrat. rer. ad hæreditatem pertinent*, et animadversa per Monet. *de commutat. ultim. volunt. cap.* 5. *quæst.* 2. *conclus.* 1. *num.* 86. Ursajam *tom.* 8. *p.* 2. *discep.* 8. *num.* 12. et Rota *dec.* 560. *num.* 2. ibique addendo *n.* 12. *coram Burat. et dec.* 979. *a n.* 1. *dec.* 1042. *n.* 1. *cor. Emerix jun. p.* 7. *cit. dec.* 232. *per tot.* cum plurimis ibi adductis.

(95. Beneficium erectum, seu Legatum fundatum pro solis Civibus v. g. Alexandrinis, debetur tantum natis in Civitate, Suburbiis, Vicis, et districtu, non autem natis in toto Comitatu, Provincia, seu Diœcesi, per text. *in leg. Qui ex Vico* 30. *ff. Ad municipal. l. Qui in continentibus* 147. *ff. de verb. signific.* et dixit Rota *dec.* 188. *num.* 3. *dec.* 127. *num*, 12. *par.* 17. *dec.* 9. *num.* 1. *dec.* 429. *num.* 21. *part.* 10. *rec. et in Romana, seu Senen. Dotium* 22. *Junii* 1703. *coram Caprara, et* 7. *Januarii* 1704. *coram eod.* impress. apud Monacell. *par.* 2 *in append. dec.* 49 *et* 50. Et sic in terminis similis dispositionis Lara *de Anniv. c.* 21. *n.* 34. ubi de Legato facto puellis Toletanis; Gratian, *dec. Marc.* 96. *num.* 1. *et seq.* ubi de Legato pro maritandis puellis Fanensibus; Ventrigl. *prax. for. Eccl. tom.* 1. *annot.* 29. *num.* 12, *in fine*, ubi de Legato facto maritandis puellis pauperibus Capuæ; Capon. *discept.* 115. *tom.* 2. Moron. *resp.* 4. *num.* 1. *et* 60. Amostaz. *lib.* 4. *de causis piis c.* 6. *n.* 17. cum pluribus ibi citatis.

(96. Et si a tali Beneficio, seu Legato excludantur expresse Cives ex privilegio, isti ad illud non possunt admitti, per dicta *supra a num.* 91 *ad* 94. Et Decretum allatum *n.* 90. intelligendum est de Civibus ex privilegio, qui non sunt expresse exclusi, seu de habentibus tale privilegium a Summo Pontifice de plenitudine potestatis derogante expresse simili depositioni. (97. Non censentur tamen exclusi Cives nati extra Civitatem originariam occasionaliter per dicta *supra num.* 48 *et seq. num.* 52. *et* 72. (98. Nec nati in Civitate, et alibi necessarium, vel occasionale domicilium habentes, per dicta *supra num.* 73. (99. Beneficium, seu Legatum, ad quod vocantur Cives naturales, et originarii alicujus loci, debetur solum natis in tali loco non casu, aut per transitum, sed quando pater domicilium ibi habuit, aut est locus, ubi pater natus est, per dicta *supra num.* 70. *et* 71. (100. Et solum in istorum defectum deberetur natis ibi casu, aut per transitum, ut a fortiori id debent tenere DD. citati *supra n.* 69. et patet a pari ex dictis sub verb. *Legatum n.* 74. 75 *et* 76.

(101. Beneficium, seu Legatum, ad quod vocantur naturales alicujus loci, potest conferri non solum illius loci originariis, seu oriundis, sed etiam illis, qui per decennium ibidem Domicilium habent, licet aliunde originem traxerint, dummodo tamen habeant animum ibi commorandi cum retentione domus, et supportatione onerum Civicorum, nam talis habitatio facit quemquam naturalem illius loci; *leg. Nec ipsi* 2. *et l. Cives* 7. *Cod. de incolis;* Rota *part.* 2. *divers. decis.* 159. *num.* 2. Gregorius *in l.* 32. *tit.* 2. *p.* 3. *glossa dies annos*; Diana *p.* 4. *tract.* 4. *res.* 140. *vers. Nota quinto*; Sanchez *de Matr. lib.* 3. *dis.* 23. *n.* 2. *et lib.* 4. *c.* 2. *dub.* 12. Amostaz. *de causis piis lib.* 4. *c.* 6. *n.* 58. Ursaya *tom.* 9. *part.* 2. *discept.* 50. *per tot.* et signanter *a num.* 60. ubi innumeros ad id affert Doctores.

Digitized by Google

(102. Beneficium, seu Legatum, ad quod vocantur patricii alicujus loci, potest conferri non solum patriciis originariis, sed etiam Domiciliariis. (103. Patria enim est duplex, una originis, altera Domicilii, ut notant communiter DD. allegati et secuti ab Ursaya *cit. discept.* 50. *a num.* 75. Unde cum quis per decennalem habitationem cum retentione domus, et supportatione onerum Civicorum, et animo morandi perpetuo in aliquo loco reddatur verus patricius illius loci, per text. *in cit. leg. Nec ipsi* 2. *et leg. Cives* 7. *de incolis*, debet admitti ad tale Beneficium, seu Legatum, ad quod vocantur patricii. Vide dicta *supra n.* 53 *et seq.*

104. In dictis tamen, et similibus dispositionibus est serio, attente, et caute investiganda voluntas disponentis, seu erigentis, vel relinquentis, idque perpendendum ex verbis ipsius vocantis, et qualitatibus vocatorum. Potest enim Testator vocare naturales intelligendo, non solum domiciliarios, sed etiam oriundos alicujus Civitatis, vel Oppidi, prout quando est sermo de naturalibus alicujus Regni, in quo non domiciliarii tantum intelliguntur, sed etiam qui ibidem originem habent. Gregorius *in leg.* 2. *tit.* 24. *p.* 4. *gloss.* 14. Salced. ad *Bernard. cap.* 54. *num.* 23. Bolanus *in Curia tom.* 2. *leg.* 1. *cap.* 1. *num.* 37. Sanchez *Consil.* l. 2. *cap. dub.* 9. Amostaz. *loc. cit. num.* 61. Et aliter potest naturales vocare intelligendo de iis, qui solum sunt domiciliarii, quamvis originem non habeant, ut sunt, qui decennalem habitationem habent in aliquo loco cum retentione domus, supportatione onerum Civicorum, et animo ibidem perpetuo permanendi. Item vocando originarios potest Testator intelligere non solum de iis, qui nati sunt in loco, ubi parentes eorum habent domicilium constitutum, sed etiam de iis, qui nati sunt per transitum, seu casu in loco, ubi eorum parentes non habent domicilium, sed tanquam peregrini per transitum, aut casu ibi reperiebantur.

(105. In his casibus, si Testator sub nomine naturalium voluerit solos originarios intelligere, non debent admitti domiciliarii, quia exclusi censentur. Castrensis 1. *p. cons.* 21. *n.* 5. Menoch. *l.* 6. *præsumpt.* 30. *n.* 22. Gail. *l.* 2. *Obs*, 35. num. 6. Barbosa *in l. Hæres absens* § *Proinde ff. de judiciis art. de for. orig. n.* 58. Amostaz. *loc. cit. num.* 61. et alii passim. Et si voluerit comprehendere etiam domiciliarios, etiam isti, quamvis originem non habeant, sunt admittendi, per text. *in cit. l. Nec ipsi* 2. *et l. Cives* 7. *Cod. de Incolis*, et dicta *supra n.* 53. *et seq.*

106. Si vocando originarios voluerit Testator intelligere solum de illis, qui nati sunt in loco, ubi eorum parentes habent domicilium constitutum, non debent admitti, qui nati sunt per transitum, seu casu in loco, ubi eorum parentes non habent domicilium, sed tamquam peregrini per transitum, aut casu ibi reperiebantur, per text, *in l. Filios* 3. *Cod. de municip. et originariis*, et dicta *supra num.* 70 *et* 71. Si autem voluerit comprehendere etiam eos, qui nati sunt per transitum, aut casu in loco, ubi parentes non habebant domicilium; etiam isti veniunt admittendi per text. *in leg. Municipem.* 2. *ff. Ad municipalem, et in leg. Cives* 7. *Cod. de Incolis*, et dicto *supra n* 69. *et seq.* (107. Cum hoc tamen ordine, quod habentes omnes qualitates volitas a Testatore præferendi sunt habentibus solum aliquas ex ipsis; unde qui sunt naturales, et domiciliarii, præferendi sunt pure domiciliariis, et pure naturalibus. Et qui sunt originarii nati in loco, ubi eorum parentes habent domicilium, præferendi sunt originariis natis in loco, ubi eorum parentes non habent dictum domicilium. Et sic de similibus. Hoc enim est magis conforme Testatoris voluntati, quæ tamquam Lex est omnino servanda per text, *in cap. Ultima voluntas* 4. *caus.* 12. *quæst.* 2. *l. In conditionibus, et demonstrationibus l. Cum quæst.* 23. *in fine Cod. de Legatis*, et dicta *supra num.* 93. *et sequent. et num.* 100.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(108-109-110. Jus Civitatis differt a jure Civilitatis. Illud regulariter est potestas dandi seu condendi e pago, vel alio loco Civitatem, id quod ad Regalia Majestatis, vel majora Principi reservata referunt; L. 1. *C. de Metrop.* Beryt. Stephanus *de Jurisdic. lib.* 1. *par.* 1. *cap.* 1. *membr.* 2. *n.* 14. Limnæus *de Jur. public.* 2. *c.* 9. *n.* 128. (111. Hoc autem est Jus recipiendi Cives, quibus dari solet facultas seu potestas utendi, fruendi commodis, libertatibus, et privilegiis, Civitatis. Besold. *Thesaur. Pract. Voce Stadt.* Knipsch. *de Jur. Civil. Imper. lib.* 1. *cap.* 29. *num.* 1 *et* 2. (112. Minimeque est de Regalibus; Mævius *ad. Jus Lubecense part.* 1. *tit.* 2. *art.* 2. *n.* 50. *et* 60.

(113. Civilitas, ut tradit Auctor, acquiritur vel origine, vel domicilio, vel allectione. (114. De civilitate, quæ origine acquiritur, vulgo dicitur, non Matris, sed Patris spectandam esse originem; *l.* 1. § 2. *ff. Ad Municip. L. Filios C. de Municip. et originar.* (115. At intellige id procedere, si de Civilitate quæstio sit, ut quis particeps esse possit commodorum, et onerum omnium a jure ipsi Civilitati annexorum. (116. Cæterum si de Civilitate disseratur, ut admitti quis possit ad commoda ab homine relicta Civibus alicujus Loci, Filius non solum Patris, sed et Matris sequitur originem, Escobar *de Pontific. et Reg. Jurisdict. in Stud. c.* 1. *a num.* 53. *ad plur. seq.* et rursus *cap.* 2. *a num.* 1 *ad num.* 16. Mendo *de jure Academ. lib.* 2. *quæst.* 18. *num.* 187. *et plur. seq.* (117. Quinimo id ipsum obtinere, si quis non per Matrem, sed vel per Aviam, vel Proaviam originem ducat a Loco, de quo agitur, tenent iidem Auctores, prior, *d. c.* 2. *n.* 17. *et plur. seq.* posterior *d. q.* 18. *n* 181. *et plur. seq.*

(118. De eo quæri solet, num natus ante cooptionem Patris in Civium numerum pro Cive originario haberi debeat? (119. Tratant de hac quæstione Besold. *Politic. lib.* 1 *c.* 16. *num.* 8. Wurmser. *in fasciculi. jur*

Digitized by Google

public. exercit. 2. *thes.* 15. Carpzov. *Jurisprud. Forens. par.* 2. *c.* 10. *definit.* 32. Lyser. *de Jure Civilitatis* § 20. qui ultimus allegato loco pro affirmativa est, et hæc ita se habere conclu iit *per Leg.* 2. *ff. de Decurion.* nisi tamen speciali alicujus Civitatis Statuto aliud sit introductum.

(120. Quid requiratur ad Domicilii constitutionem explicat, et recte Strikius *dissert. jurid. tom.* 9. *disp.* 10. *cap.* 3. § 6. *et plur. seqq.* Confer etiam de domicilio Voet *in Commentar. ad Pandect. lib.* 5. *t.* 1. *n.* 91. *et plur. seqq.*

(121. Novi domicilii ratio an habeatur, si in fraudem ea mutatio facta sit? Consule Argentr. *ad Consuet. Britan. art.* 9. *n.* 5. Anton. Fabr. *in Cod. lib.* 9. *tit.* 30. *defin.* 10. *n.* 2. Larea *decis.* 94. *n.* 7. Ganaver. *dec.* 6. *n.* 7. 9. 28 35. *et* 48.

(122. Quod demum attinet ad allectionem, multum interest, utrum quis recipiatur in numerum Civium decreto Decurionum, an rescripto Principis. Priori casu non aliter gaudet commodis cæterorum Civium, quam si et onera eorumdem subeat. (123. Posteriori vero casu gaudere valet commodis cæterorum Civium, quin dicta onera subeat, modo Princeps sciverit eum non esse subiturum ipsorum onera; idque quia videtur Princeps in hoc casu jus Civilitatis concessisse sine oneribus illis. Boss. *de Princip. n.* 351. Campell. *ad Constit. Ducat. Urbin. decr.* 23. *n.* 307. (1)

(124. De commodis, et oneribus Civilitati a jure annexis adi Strykium *Juridic. diss. tom.* 9. *disp.* 10. *c.* 5. *per tot.*

(125. Tum de modis, quibus amittitur Civilitas vide eumdem Strykium *Juridic. diss. tom.* 5. *disp.* 24. *fer. per tot.* egregie æque ac late disserentem.

CLAUSULÆ.

ARTICULUS NOVUS CASINENSIS.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Clausulæ Communes.*

1. Etymologia nominis. — 2. Clausula apud jurisconsultos quid. — 3. Clausulas respicientes solemnitates actus notarius apponere potest; et quamvis non expressæ, pro expressis habentur. — 4. 5. De Clausulis in instrumentis, testamentis, etc., appositis. — 6. Si testator appositis in testamento Clausulis non contradixerit, illas approbare censetur. — 7. Quando Clausulæ censeri debeant appositæ a voluntate testatoris, vel contrahentium, et quando de stylo notariorum. *Remissive.* — 8. Clausula generalis explicatur per specialem. — 9. Clausula universalis quidnam operetur. — 10. Clausulæ accessorie adjunctæ contractui simulato, quomodo judicentur. — 11. In quantum deroget Clausula derogatoria alicujus legis. — 12. Clausulæ appositæ in prima commissione an pro repetitis habeantur in aliis. — 13. De Clausulis appositis in privilegiis. — 14. Clausulæ præservativæ non tribuunt de novo jus. — 15. De Clausulis respicientibus plura, quæ determinabilia sunt. — 16. An Clausulæ exsecutivæ poni solitæ post perfectum contractum aliquid innovent in principali dispositione. — 17. Clausula *super quibus omnibus et singulis petit sibi jus et justitiam administrari*, quid operetur. — 18. Clausula *salva moderatione.* — 19. Clausula *salvo consensu Domini, et non aliter, nec alio modo.* — 20. De Clausula codicillari. — 21. Clausula *si, et in quantum.* — 22. Clausula *sine præjudicio.* — 23. De aliis Clausulis. *Remissive.*

ARTICULUS II. — *Clausulæ Apostolicæ.*

1. Clausula *motu proprio, et certa scientia, et de plenitudine potestatis.* — 2. Clausula *supplentes.* — 3. Clausula *sine retardatione solutionis pensionis.* — 4. Clausula *amoto quolibet detentore.* — 5. Clausula *inducas et inductum defendas.* — 6. Clausula *Appellatione remota.* — 7. Clausula *quorum tenores.* — 8. Clausula *sine præjudicio exsecutionis litterarum apostolicarum, et parito brevi, et judicato.* — 9. Quænam operetur Clausula *parito brevi et judicato.* — 10. Clausula *volumus autem.* — 11. Clausula *vocatis vocandis, servatis servandis.* — 12. Clausula *si tibi constiterit.* — 13. Clausula *verificato prius.* — 14. Clausulæ *ut asseris, ut asseritur.* — 15. Clausula *quatenus.* — 16. Clausula *ex nunc prout ex tunc.* — 17. Clausula *si et in quantum.* — 18. Clausula *gratis ubique, etc.* — 19. Clausula *si ita est.* — 20. Clausula *tunc et ex casu.* — 21. Clausula *omni meliori modo.* — 22. Clausula *statum, et merita causæ.* — 23. Clausula *sine præjudicio, et dummodo tempore datæ non sit alteri jus quæsitum, etc.* — 24. Clausula *anteferri.* — 25. Clausula *arbitrio tuo, vel judicio tuo.* — 26. Clausula *audiat, et cognoscat, et justitiam faciat.* — 27. Clausula *dummodo septem Missæ, etc., in altari privilegio o, etc.* — 28. Clausula *pro jurato.* — 29. Clausula *arbitrio Romæ.* — 30. Clausula *conscientiæ tuæ committimus, etc., discretioni tuæ.* — 31. Clausula *volumus autem, quod si alias Christi fidelibus dictam Ecclesiam visitantibus.* — 32. Clausula *te a quibusvis excommunicationis, etc., absolventes.* — 33. Clausula *in tua, et in tuæ familiæ præsentia.* — 34. Clausula *consentientibus dilectis filiis.* — 35. Clausula *ut pretium subrogetur in aliud prædium emendum.* — 36. Clausula *dummodo centum pro rectore.* — 37. Clausula *dummodo intrusus non sit.* — 38. Clausula *habita vel non habita possessione.* — 39. Clausula *quam et quas.* — 40. Clausula *summarie, simpliciter, sine strepitu, sine figura judicii, sola veritate inspecta, et de plano.* — 41. Clausula *si per diligentem examinationem idoneum repereris.* — 42. Clausula *contradictores compescendo.* — 43. Clausula *prout juris, et de jure.* — 44. Clausula *perinde valere.* — 45. Clausula *non aliter, alius, nec alio modo.* — 46. Clausula *pro expressis habentes.* — 47. Clausula *non obstantibus, etc.* — 48. Clausula *decretum irritans.* — 49. Clausula *districtius inhibentes.* — 50. Clausula *derogatoria.* — 51. Clausula *circa, vel circiter.* — 52. Clausula *ip o facto, et ipso jure.* — 53. Clausula *de facto et de jure.* — 54. Clausula *sine vitio spolii et salvo jure.* — 55. Clausula in omnibus et per omnia. — 56. De aliis Clausulis. *Remissive.*

(1) In regno Utriusque Siciliæ civitatis beneficio frui possunt I. Exteri Reipublicæ benemeriti; II. qui magno præditi sunt ingenio, vel nova inventa, aut utiles artes intulerunt; III. qui bona immobilia acquisierunt, ex quibus annuum censum ducatorum 100 fisco persolvunt: attamen animadvertendum eos civitatis jure gaudere minime posse, nisi per totum annum in regni territorio commorati fuerint; IV. qui per decennium ibi fuerint domiciliati, et habeant unde honeste vivant; vel qui per quinquennium, modo matrimonium contraxerint cum muliere ejusdem nationis. Ex decret. 17. Decemb. 1817. Vid. Collez. *delle legi e Decreti Reali del Regno delle Due Sicilie.* Ibi de forma adscriptionis. (EDIT. CASIN.)

Digitized by Google

ARTICULUS I.

Clausulæ communes.

(1. Clausula dicitura verbo *claudo*, et significat extremam partem alicujus rei, quo sensu accipitur apud Cic. *pro Cæl. c.* 27. *in fin.* Senec. *ep.* 66. *ad fin.* Sumitur etiam de conclusione ac fine periodi. Cic. 3. de Orat. *c.* 46. et nonnumquam ipsa periodus Clausula dicitur, et definitur a Diomed. *lib.* 1. *Orat.* et Victorin. *lib.* 1. *de art. Grammat. Compositio verorum plausibilis structuræ exitu terminata.* (2. Unde a JCtis Clausula sæpe sumitur pro parte qualibet, seu capite edicti, legis, scripturæ, licet extrema non sit. Ulpian. *Dig. lib.* 4. *tit.* 8. *leg.* 25. *et tit.* 6. *leg.* 23. *a med. et leg.* 26. *ad fin.* Sed in litteris Apostolicis et in Jure Ecclesiastico Clausula accipitur pro dictione aliqua, quæ in illis solet apponi, et quæ continet conventiones, decreta, vel conditiones illis adjectas.

(3. Clausulæ respicientes solemnitates actus Notarius apponere potest; quamvis de hoc non sit expresse rogatus; quas si in publicatione non expresserit, pro expressis habentur. Felin. *in cap. ex litteris* 3. *sub. num.* 13. *vers. si autem concernunt solemnitatem, et si non exprimantur, habentur pro expressis; de fid. instrum.* ubi vide Bal. in *cap. cum M.* 9. *num.* 29. *in fin. vers. ibi vel esse debuerit, de const.*

(4. Clausulæ, quæ regulariter apponi solent in instrumentis, testamentis, etc., præsumuntur appositæ de Notariorum stylo; sed si testator fuisset persona idiota, nihil operantur dictæ Clausulæ, quamvis appositæ, nisi probetur testatorem de eorum vi certificatum fuisse, ut Gabr. de Clausula codicillari cum Clausula : *omni meliori modo; de consuet, concl.* 1. *num.* 7. Bursat. Turret. *in tract. de clausul. codicill. quæst.* 9. *num.* 2. Mascard. *de probat. in vero. certificatio concl.* 283. apud Cyriac. *contr. for.* 360. *lib.* 2. *num.* 86. *ad* 107. (5. Si vero Clausulæ sunt de illis, quæ regulariter non solent apponi, prout Clausula deroga oria ad futura testamenta, tunc validæ habentur, quamvis testator sit persona idiota, nam tunc Notarius de voluntate testatoris illas apposuisse censetur. Menoch. *cons.* 170. *sub num.* 24. apud Cyriac. *l. cit.*

(6. Si Notarius legit testamentum coram testatore, si iste non contradicit appositis Clausulis, illas approbare censetur, nisi, ut supra diximus, testator esset aliquis rudis, vel mulier; tunc enim earum vim testatori declarare tenetur. Aret. *in. cons. fin.* Corn. *con.* 150. *col.* 2. *vol.* 3. *et cons.* 225. *col. fin. vol.* 3. (7. Quando vero Clausulæ censeri debeant appositæ a voluntate testatoris vel contrahentium, ac quando de stylo Notariorum, magna est contentio inter auctores. Vide Menoch. *de arbitr. cas.* 144. *num.* 9. *seq. et de præsum. lib.* 2. *præs.* 79. *num.* 4. *et lib.* 4. *præs.* 31. *a num.* 1. Altograd. *contr. for.* 82. *num.* 31. *seq.* Rot. *coram Coccin. decis.* 1366. *num.* 5. Gabr. *lib.* 6. *de consuet. concl.* 4.

(8. Clausula generalis antecedens explicatur per specialem subsequentem, si est clara; *glos. in L. ille a quo* 13. § *quid ergo, vero verba fideicommissi ff. ad Trebell.* Navar. *cons.* 6. *num.* 9. *de hæret.* Rot. *dec.* 79. *p.* 6. *rec.* Si enim est dubia, non restringit generalem antecedentem. *L. regula ff. de Jur. et fact. ignor. Dec. cons.* 125. E contra vero dispositio generalis sequens explicatur per specialem antecedentem. *L. si de certa* 31. *C. de tran. L. legatorum petitio* § *fin. ff. de leg.* 2. *L. quoties. C. famil. erisc.* et Doctores apud Rotam *loco citato. Atque Clausula generalis est restringenda secundum naturam actus, cui apponitur, et refertur tantum ad ea quæ fuerunt specificata. L. si de certa C. transac. ubi* Doctores; *L. jubemus ad Vellejan; dummodo præcesserit Clausula specialis; quia tunc generalis sequens restringitur ad præcedentia narrata : nec generalis comprehendit majora expressis, et in privilegiis posita non porrigitur ad ea, quæ ignorata sunt.* Natta *cons.* 209. Marta *de clausul. p.* 4. *clausul.* 1. *et* 2. Barb. *claus.* 116. Vide Begnudelli *vero Clausulæ Communes num.* 5. *pag.* 169. *edit. Mutinæ* 1757.

(9. Clausula universalis comprenendit omnia, ampliat significatum verborum, cui adnectitur, et nullam patitur exceptionem. Schrœder. *de feud. p.* 10. *sect.* 5. Barb. *claus.* 126.

(10. Clausulæ accessorie adjunctæ contractui simulato, etiam simulatæ judicantur. Aretin. in *L.* 1. § *si vir uxori col.* 3. *ante med. vers. sed hoc esset conceden. de plano ff. de acquir. posses.* Rot. *decis.* 81. *num.* 7. *p.* 9. *rec. tom.* 1.

(11. Clausula derogatoria alicujus legis in tantum legi derogat, in quantum cum ea pugnat. Barb. *in extravag. ad reprimen. super vers. non obstant. L. un* § *his tantummodo cum glos. C. de latin. libert. tollen. gl. in authen. de hæredibus ab intest. circa prin. in verb. vacantibus*, quam singularem dici Roman. *cons.* 57. *num.* 2. apud Rot. *decis.* 289. *num.* 6. *p.* 3. *rec.*

(12. Clausulæ appositæ in prima commissione habentur pro repetitis etiam in secunda, quomodo si causa aliqua esset avocata ab uno judice, et alteri delegata, delegatio censetur facta cum iisdem Clausulis, quæ in prima; Rot. *decis.* 510. *p.* 2. *ecc. n.* 1. et sic simper Clausula apposita in prima commissione pro repetita in aliis habetur, si adhuc manet prima commissio, secus vero si revocata fuit; Rot. *decis.* 140. *n.* 6. *et* 7 *p.* 6. *rec.* et cum priori causæ nova aliqua accessit, si quis vult prosequi priorem causam, Clausulæ censentur repetitæ, secus si novam tantum prosequitur. Maresc. *l.* 1. *var. res. c.* 87. *n.* 1. *seq.*

(13. Clausulæ appositæ in privilegiis censentur habere Clausulam : *quatenus pars uti velit.* Rot. *decis.* 229. *n.* 12. *p.* 2. *rec.* Oldrad. *cons.* 206. Sarnen. *de trien. q.* 94. *n.* 11. *et de annua. q.* 4. *num.* 4. *apud* Rot. *l. c.*

(14. Clausulæ præservativæ non tribuunt de novo jus, sed tantum conservant jus

Digitized by Google

præexistens. Rot. *decis.* 197. *n.* 9. *p.* 4. *divers. et decis.* 418. *n.* 6. *p.* 13. *rec.*

(15. Clausulæ respicientes plura, quæ determinabilia sunt, oportet quod omnia uniformiter æqualiterque definient, cum æqualis sit omnium ratio; *L. jam hoc jure ff. de vulgar. et pupill.* Dec. *consult.* 456. contra vero si non militat eadem ratio. *L. si ita scriptum. ff. de manumiss. testam.* Vide Vivian. *in praxi Jurispatr. p.* 2. *lib.* 13. *cap.* 8. *num.* 292. *et seq.*

(16. Clausulæ exsecutivæ a Notariis poni solitæ post perfectum contractum, ut *de quibus, etc, quæ omnia, etc.*, nihil innovant in principali dispositione, nisi fuerint expressæ in verbis substantialibus. Dec. in *cap. ult. de pact.* Abb. *in cap. com nostris, de concess. præb.* Gratian. *disc. for. c.* 201. *num.* 92. In litteris vero Apostolicis nihil operantur; nam tunc adhibentur præter mentem Pontificis. Barbos. *de clausul. claus.* 115. Vivian. *l. c.*

(17. Clausula *super quibus omnibus et singulis, petit sibi jus et justitiam administrari*, adhibetur in libellis, et illos salvat 1. a defectu conclusionis, et ab omni ineptitudine, ita ut sustineatur ex causa apta, quamvis conclusum super inepta. Pelleg. *in pract. civil. p.* 2. *sect.* 3. *sub sect.* 3. *intersec.* 1. *n.* 2. *vers. tertio;* Gabr. *cum concl.* 1. 6. *tit. de claus. concl.* 4. *n.* 23, 11. Facit, ut judex possit judicare etiam de non petitis. Abb. *in cap. fin. de jurejur.* ita ut actor possit obtinere in actione personali, licet intentaverit realem, ut dicit Alciat. *cons.* 216. *in fin.* Pellegr. *l. c.* Barbos. *in cap.* 1. *num.* 22. *de offic. deleg.* III. Similiter operatur, quod si actor concludat in possessorio, cum narrata tam petitorium quam possessorium respicere possunt, obtinere possit etiam in possessorio et e contra Corn. *cons.* 91. *incip. in causa in pr. lib.* 4. Tusc. *lit. C. concl.* 359. *n.* 5. IV. Operatur, ut virtute hujus Clausulæ videatur intentata omnis actio, quæ ex narratis colligi possit. Barbos. in *cap.* 1. *col.* 3. *vers. nota ibi etiam justitiam, de Offic. deleg.* Pelleg. *ubi supra vers. nono ut omnis.* Excipe primo, si constet ex prosecutis, quod actor ad certum remedium se continere voluerit. Innoc. *in c. cum dilectus col.* 1. *vers. qualis erit finis.* Secundo si ex narratis actio aliqua non competat, nec colligi possit, nam tunc nihil operatur dicta Clausula. v. Hæc Clausula liberat libellum ab omni contrarietate, si in ea non perseveratur, et salvat sententiam haud conformem libello. Marant. in *Specul. p.* 6. *membr.* 3. Scacc. *de Jud. lib.* 1. *cap.* 50. Tandem facit, ut Judex, licet non sit rogatus, possit, imo debeat deferre juramentum actori semiplene, vel plusquam semiplene probanti. Mascard. *de prob. concl.* 954. *num.* 48. Abb. *in cap. final. vers. sed nec obstant, de Jurejur.* De aliis Clausulis in libellis apponi solitis vide Mascard et Scacc. *loc. citato.* Eccles. *obs. for. senat. Pedem obs.* 22. *n.* 17. *seq.*

(18. Clausula *salva moderatione* relinquit locum compositioni etiam post sententiam condemnatoriam. Riccius *in prax. composit. res.* 223. *num.* 3. *q.* 4.

(19. Clausula *salvo consensu Domini et non aliter nec alio modo* salvat vendentem feudum a caducitate. Curt. sen. *cons.* 8. *Clar. in § feudum quæst.* 31. Simon de Præt. de *interpret. ult. volunt. interp.* 1. *dub.* 3. Maresc. *lib.* 1. *var. res. p.* 2. *cap.* 78. *ibi n.* 2. Rotæ *decis.*

(20. Clausula codicillaris *obliquat institutionem et facit ut directa transeat in fideicommissariam.* Fachin. *l.* 4. *contr. jur. c.* 91. Item facit ut filius debeat vocatis restituere hæreditatem patris, etiam si esset posthumus ignoranter præteritus. Clar. *in § testamentum; quæst.* 46. Contrariam tamen secuti sunt sententiam Fachin. *l.* 4. *cont. jur. cap.* 11. Fusar. de *substit. quæst.* 479. *num.* 6. 19. *et* 22. Ciarlin. *cap.* 11. *num.* 17. præcipue si hæreditas esset restituenda extraneo. Rot. *decis.* 405. *p.* 9. *rec. tom.* 2. *num.* 53. *seqq.* quæ assignat rationem, quia nempe « non præsumitur, quod, si testator scivisset se præterire filium, voluisset illum gravare de restituendo hæreditatem extraneo. » De hac Clausula vide late Barb. *de claus. claus.* 21. *pag.* 369. *edit. Lugdun.* 1670. Mascard. *de probat. conclus.* 300. Perez. *ad l.* 1. *vers. sexta solemnitas tit.* 2. *lib.* 3. *Ordin. pag.* 108. Card. Tusch. *practic. conclus. tom.* 1. *lit. C. conclus.* 292. *et conclus.* 304. *num.* 16. *cum seq.* Riccius *in collect. decis. part.* 1. *collect.* 59, *et p.* 4. *collect.* 1186. De Rub. *in sing. Rotæ tom.* 2. *p.* 4. *d.* 11. *pag.* 229. *et d.* 205. *pag.* 325.

(21. Clausula *si*, et *in quantum*, quæ ponitur in admissione positionum, ita præservat jus respondentis, ut confessio habeatur pro non emanata, si probari potest, quod positiones non erant admittendæ, et propterea quod reus non tenebatur illis respondere. Rot. *in una Romana aliorum* 28. *Febr.* 1582. *coram Orano.* Bas. jun. *in l.* 2. *in fin. c. qui legit pers. habet stand. in Jud.* Curt. jun. *in l. cum et Judices, § quod observari num.* 106. *C. de juram. quod propt. calumn. datur apud Rot. dec.* 27. *p.* 9. *rec. tom.* 1.

(22. Clausula *sine præjudicio* non præservat a præjudicio in expressis, sed tantum in aliis. Oldrad. *cons.* 330. *num.* 9. *in fin.* Rot. *decis.* 23. *pag.* 9. *tom.* 1.

(23. De aliis Clausulis vide Begundelli *verb. Clausulæ Communes tom.* 1. *pag.* 161. *et* 162. *edit. Mutin.* 1757.

ARTICULUS II.

Clausulæ apostolicæ

(1. Clausula I. *motu proprio et certa scientia, et de plenitudine potestatis* tollit omnem subreptionem. DD. in *cap. motu proprio, de præben. in* 6. *Clem. si Romanus Pontifex* 4. *eodem tit. de præben.* Pal. Rub. *in annot. ad decis.* 90. *p.* 9. *rec. Rot. Roman. num.* 91. Et adeo ampliatur ista conclusio, ut impetrans gratiam cum tali Clausula non tenetur illam justificare, uti speciatim de pensionario tenet Mascard. *de probat concl.* 622. *et* 1233. et alii auctores apud Vivian. *in praxi Jurispatr. p.* 2. *lib.* 13. *cap.* 8. *n.* 21. Notandum tamen, quod quamvis gratia *motu proprio* con-

Digitized by Google

cessa, vel ejus narrativa non sit justificanda, *Clem. supra cit. si Romanus. Clem.* 1. *verb. fecisse narramus de probat.* et licet gratia non possit esse subreptitia, cum dici non potest aliquid subreptitie obtentum fuisse Pontifice *motu proprio* concedente; Rub. *l. c. n.* 134. *et* 135. tamen per dictam Clausulam non eripitur facultas impugnandi gratiam, probandique falsum narratum fuisse. Rot. *decis.* 33. *num.* 6. 7. *et* 8. *de præbend. in antiq.* Cassad. *dec.* 3. *num.* 4. *de concess. præb.* et alii apud Rubeum *l. c. num.* 140. et Rota coram Merlino *decis.* 318. *inter ejusdem impress.* alias *decis.* 119. *p.* 5. *rec. num.* 4. ubi habes, quod *motus proprius* solum hoc efficit, quod onus probandi non incumbit utenti gratia; quia ille fundat suam in ipso motu proprio, sed hoc onus incumbit impugnanti ex Felin. *in cap. causam quæ il. num.* 3. *et* 4. *de testib.* Gabriel. *de probat. concl.* 2. *num.* 61. Sed præter dicta multas alias patitur exceptiones ista Clausula *motu proprio et certa scientia*, etc. 1. Si Pontifex non testetur de facto proprio, sed de alieno, nam tunc, maxime si narrativa tenderet in alicujus præjudicium, causa justificari debet. Putæus *dec.* 323. *lib.* 2. Maresc. *lib.* 2. *var. res. cap.* 1. *n.* 168. 11. Si gratia est subreptitia ex taciturnitate causæ finalis, tunc enim non vitiatur ob Clausulam *motu proprio*, vitiatur tamen expressione falsæ causæ, ut docet Amicus apud Dianam *p.* 8. *tr.* 3. *res.* 70. Menoch. *de arbitr. cas.* 201. *num.* 83. ubi alii. Sed Suarez. Bonac. et alii apud Dianam *loco citato* sentiunt, quod motus proprius, quando nulla præcessit petitio a parte facta, ipsius gratiæ tollit omnem obreptionem et subreptionem, contra vero quando præcessit partis petitio; nam tunc concessio gratiæ infirmatur tam expressione falsæ causæ, quam taciturnitate causæ finalis, quia sicut per importunitatem Pontifex gratiam concessit, per eamdem dicta Clausula adjecta censetur. Et ita videtur tenere Rot. Rom. *in una Cassalen. Beneficiorum* 10. *Decembr.* 1627. coram Merlino *decis.* 318. *inter ejus impres.* alias *decis.* 119. *p.* 5. *rec.* Et quod Clausula *motu proprio* non tollit obreptionem, cum exprimitur causa falsa, docent etiam Felin. *in cap. causam, de testib.* Gab. *de clausul. concl.* 2. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 21. Riccius *in praxi alien. rer. Eccles. res.* 93. et deducitur ex text. *in cap.* 2. *de reser.* Vide etiam Scacc. *de judic. lib. quæst.* 64. Gloss. *in cap. Romanus de præb.* Vivian. *in prax. Jurispatr. lib.* 13. *p.* 2. *cap.* 8. *num.* 21. III. Non tollit subreptionem in præjudicium tertii. Riccius *in prax. p* 3. *resp.* 306. *et res.* 100. et ejusdem testimonio ita tenet etiam Rot. *Sarnen. de jur. quæst. q.* 1. *num.* 2. *et quæst.* 4. *num.* 7. Gratian. *disc. for. cap.* 624. *n.* 22. *et cap.* 421. *num.* 42. *seq.* Gabr. *de claus. concl.* 2. Ratio est, quia semper censere debemus Pontificem circumventum fuisse, cum gratia, etiam motu proprio concessa, cedit in præjudicium aliorum, cum ipsum nemini præjudicare velle præsumitur, uti Rot. *coram Dunozet. p.* 8. *rec. dec.* 4. apud Rubeum *l. c. num.* 147. et Rot. *coram Merlin. d decis.* 318. nec firmat privilegium contra jus tertii. Gab. *de claus. claus.* 2. Rot. *in novis decis.* 451. *p.* 1. Riccius *d. res.* 100. et ideo Clausula *motu proprio* non derogat legem, per quam est quæsitum jus fisco, nisi enim additum fuerit *non obstante jure quæsito*, nihil operatur in præjudicium tertii, nam regula de Jure quæsito non tollendo, præcipue si præcessit postulatio partis, præservat quodcunque Jus quomodolibet quæsitum fuerit. Peregr. *de Jure fisci lib.* 1. *tit.* 3. *num.* 37. IV. Tollendo omnem subreptionem non tollit tamen obstacula cohærentia personæ, nec supplet personales defectus, uti irregularitatem, defectum ætatis legitimæ, etc. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *dispen.* 21. *num.* 49. Rot. apud Scacc. *de Judic. lib.* 1. *cap.* 64. *num.* 14. Menoch. *de arbitr. cas.* 201. *num.* 81. *seq.* ubi Dec. *constit.* 602. *num.* 19. Et tunc non supplet personæ inhabilitatem, etiamsi adsit Clausula supplentes, quia ista Clausula supplet tantum defectus narratos; Ægid. *decis.* 33. Dec. *cons.* 10. sed gratia non est invalida causa subreptionis, sed propter jus commune, in quo Pontifex non intendit dispensare; *glos. in Clem. si Roman. vers. validam, de præb. et in cap. si motu proprio verb. ob hoc. eod. in* 6. apud Sanch. *l. c.* V. Cum posita est in dispensationibus nihil operatur ex silentio causæ, licet adesset Clausula *supplentes omnes, et singulos, tam juris, quam facti defectus;* nam dispensatio esset facta sine causa, et si agitur de jure divino, vel naturali, Pontifex certe mortaliter peccaret dispensando, imo juxta plurium auctorum sententiam irrita esset dispensatio; etenim Pontifex est inferior quoad jus divinum et naturale; Gobat. *de impedim. matrim. cas.* 22. *num.* 603. S. Thom. *l.* 2. *quæst.* 49. *a.* 5. Innoc. *in cap. innotuit, de elect.* et si dispensatio esset in jure positivo, non supplet defectus, ut supra diximus, nisi specificentur, quia dispositio et mens Pontificis non fertur ad incognita. Angel. in *L. sed et si quis. ff. si quis caution.* Roman. *cons.* 327. Riccius *in prax. clausul. p.* 3. *d. res.* 100. Si vero nulla sit læsio juris tertii, partes non possunt talem dispensationem sine causa emanatam impugnare. De Rubeis *l. sup. cit. num.* 125. *seq.* et DD. *in cap. si motu proprio, de præb. in* 6. VI. Nihil operatur in iis, quæ sunt facti. Riccius *l. sup. cit. n.* 11. Bal. *in l. impetrata c. sent. rescind. non poss.* Vivian. *in prax. jurispatr. p.* 2. *lib.* 13. *cap.* 8. *num.* 21. Gonz. *ad reg.* 8. *Cancell. glos.* 6. *et* 32. Barb. *de clausulis claus.* 37. VII. Non tollit defectum intentionis Pontificis. De Rubeis in *adnot. ad d. dec.* 90. Rot. *Rom. p.* 9. *rec. tom.* 1. *num.* 139. Sanch. *de matrim. d. lib.* 8. *disp.* 21. *num.* 31. ita ut, si omittitur qualitas beneficio intrinseca, gratia irrita sit, non ob subreptionem, sed quia non apparet de concedentis voluntate. Abb. *in cap. ad accres. num.* 5. *de rescr.* Rebuff. *in concordat. tit. de form. mandat. Apost. in clausul. motu proprio.* Et sic etiam, si non est facta mentio expressa mensis Episcopalis, gratia sustineri non potest, cum Pontifex Ordinario præjudicare non intendit, ut jam diximus. Pyrr. Corrad. *in prax. benef. lib.* 3. *cap.* 6.

Digitized by Google

num. 49. 8. Demum per Clausulam *motus proprii* non censetur Pontifex dispensare in pluralitate beneficiorum. Glos. *in Clem. si Romanus, in verb. validum, vers. etiamsi illa ex talium pluralitate procedat, etc., de præb. et in d. c. motu proprio verb. Benef. vers. cum per hoc sibi dispensatum non sit, etc., de præb. et in c. final. in fin de offic. deleg. in* 6. Bonif. *in dicta Clem. si Romanus num.* 30. Rub. *l. cit. num.* 143. Gabr. *lib.* 6. *com. concl. tit. de clausul. num.* 48. quem vide.

(2. Clausula II *supplentes*, uti diximus, cum est conjuncta Clausulæ *motus proprii*, non supplet defectus juris naturalis vel divini, sed tantum defectus expressos juris positivi. Jo. Andr. *in Clem. Pastoralis, de re jud.* Secundo non supplet defectum causæ; Redoan. *de reb. Eccles. non alien. verb. alienatio vers. et si sit facta;* sic non supplet primo defectum causæ necessitatis vel utilitatis in alienationibus rerum Ecclesiæ; Pyrr. Corrad. *in prax. dispensat. Apost. lib.* 9, *cap.* 6, *num.* 7. Secundo posita in litteris *si ad evidentiam* non supplet defectus substantiales; Decius *cons.* 14. nisi expresse sint commemorati. Abb. *in cap.* 1. *num.* 5. *vers. an autem suppletio de translat.* apud Pyrr. Conrad *l. cit. num.* 4. Tertio non supplet. defectum facientis actum. Rot. *in noviss. decis.* 2. *de util. vel inutil.* Abb. *in cap. inter dilectos, de fid. instrum.* Quarto non valet in præjudicium tertii, nisi concedens non obstante notitia juris tertii concedat gratiam illi præjudicialem; nec tunc opus erit derogatione regulæ *de Jure quæsito non tollendo.* Gratian. *disc. for. cap.* 599. *a num.* 9. *ubi* Cornel. *cons.* 83. *circa primum consultationis, col. penult. post med. vers. tertio respondetur num.* 16. *lib.* 4. Quinto, non tollit defectus cohærentes personæ impetrantis, sed tantum concernentes juris solemnia. Vivian *in praxi Jurispat. p.* 2. *lib.* 13. *cap.* 8. *num.* 164. Marta de *Clausul. p.* 1. *claus.* 181. Barbos. *de claus.* 14.

(3. Clausula III. *sine retardatione solutionis pensionis* limitat jurisdictionem commissarii, et facit illam conditionalem, ita ut non possit procedere, nisi soluta pensione. Put. *dec.* 29. *de pension.* Rot. apud Riccium *in prax. claus. p.* 3. *res.* 108. Vivian *loco supra cit. num.* 273. ita ut sententia lata ante pensionis solutionem esset irrita et nullius valoris. Ricc. *l. supr. cit. d. res.* 108. *num.* 13. nisi addita fuisset Clausula *arbitrio Rotæ;* cum enim omne arbitrium debet juri consonare, subintelligitur *prout de jure*, ideoque potest judex procedere, etiam solutione non secuta. Garz. *de benef. p.* 1. *c.* 5. § 4. *num.* 518. Censetur tamen satisfactum huic Clausulæ, quomodocunque realis fiat satisfactio, etiam coacta. Effectus hujus Clausulæ est ergo ut titularis teneatur ad solutionem pensionis, licet lis pendeat, et a sententia appellatum fuerit. Riccius *in prax. resol.* 379. *p.* 1, *et d. res.* 108. Garz. *de benef. p.* 5. *c.* 5. § 4. *a num.* 516. licet sententia fuerit lata super spolio, etiam non docto de aliqua quasi possessione exigendi, sed sufficit, quo *litteræ* fuerint expeditæ Romæ. Rot. *decis.* 301. *p.* 1. *divers. et decis.* 193, *p.* 3. *rec. num.* 15; demum sufficit etiam sola petitio signata. Vide alia multa apud Ricc. *in prax. resol.* 379. *p.* 1. et res. 108. Valet tamen tantum in præjudicium titularis, non vero pensionarii. Rot. *decis.* 103. *p.* 3. *rec. num.* 15, *in fin.* In commissione appellationis præservatur hac Clausula jurisdictio judicis *a quo* appellatur, ideoque iste potest compellere titularem ad pensionis solutionem; Lancellot. *de attent. post inhibit. cap.* 20. *limit.* 13. *num.* 2. ponitur enim ad evitandas cavillationes et fraudes solvere recusantium vel differentium, et posita in principali commissione respicit etiam tertium venientem ad causam. Ricc. *loc. cit.* Hæc Clausula non adhibetur primo, si pensionarius per longum tempus, cum potest, negligit petere pensionem; Ricc. *loc. cit.* secundo quando pensio est imposita beneficiis pluribus postea collatis. Vide Garz. *de benef. p.* 1. *cap.* 5. § 4. *num.* 529.

(4. Clausula IV. *Amoto quolibet detentore* non censetur de detentore, qui contradicit de jure, sed qui contradicit de facto. Ricc. *in prax. var. res. p.* 2. *res.* 297 *et p.* 3. *res.* 103. Ideoque non potest removeri aliquis de possessione colorata, nisi fuerit intrusus. Staphil. de *tit. gratia tit. de vi et effect. clausul.* Requirit observantiam juris judiciarii, cum agitur de amovendo quia de executore vero facit mixtum. Barb. de *claus. claus.* 5. Abb. *in cap. de cætero;* Vivian *loc. sup. cit. num.* 36. Limita 1. dicta procedunt tantum, quando fuit posita in litteris principalibus, non vero in executivis. Abb. *in cap. cum in nostris, de concess. præb.* Ricc. *in prax. p.* 2. *res.* 158. II. si nullus adest contradictor, nec possessor, executor remanet merus, et non datur appellatio. Rebuff. *in prax. in forma novæ provisionis in verb. amoto vers. nec virtute hujus clausulæ apud* Rot. *decis.* 333. *p.* 4. *rec. tom.* 2. *num.* 2 *et* 3.

(5. Clausula V. *Inducas et inductum defendas* concedit executori facultatem inducendi in possessionem, et in ea defendendi, donec Clausula fuerit executioni rite demandata; Ricc. *in prax. p.* 2. *res.* 229. *et p.* 3. *res.* 101. et usque ad annum, juxta *cap. quærendi de offic. deleg.* Abb. *in cap. pro illorum num.* 11. *de præb.* vel etiam post annum respectu molestiæ, quæ fit ex causa antiqua, Ricc. *loc. cit.* et Rot. *decis.* 256. *p.* 7. *rec. num.* 18.

(6. Clausula VI. *Appellatione remota*, etc., non obstante particula generali *omni et quacunque* 1. non valet, quando sententia est notorie injusta. Riccius *in prax. clausul. p.* 3. *res.* 97. gloss. *in cap. ex conquestione de rest. spolii.* Abb. *in cap. inter cætera de re jud.* Vivian. *l. supra cit. num.* 43. II. non valet nisi contra litigantes, non vero contra tertium, qui non litigavit. Ricci. *in prax. clausul. part.* 3. *resol.* 97. *ubi* Rot. III. non censetur ablata hac Clausula restitutio in integrum; gloss. *fin. in. L. un C. si de moment. possess.* Barbos. *claus.* 9. *n.* 29. *dec.* 109. *n.* 5. *inter impressas*, nec causæ cognitio aut processus ordinarius usque in finalem sententiam. Bichius *decis.* 256. *n.* 14. Effectus præcipuus hujus Clausulæ est, quod in ap-

Digitized by Google

pellatione sit inserenda causa, quæ justificatur appellatio, et probanda ab appellante. Vivian. *loc. cit.* et Ricc. *l. cit.* qui testatur de decisione Rot. Cum a partibus ponitur in contractibus, potest procedi executive. Rot. *decis.* 369. *p.* 17, *rec. num.* 2 *et* 3. Felin. *in cap. pastoralis* § *cum autem num.* 28. *de offic. Jud. deleg.*

(7. Clausula VII. *Quorum tenores, etc.* I. derogat, cum ponitur in constitutionibus, cuicunque præcedenti constitutioni etiam habenti Clausulam derogatoriam. Gabr. *de claus. conc.* 5. Vivian. *l. sup. cit. num.* 92. Rot. *decis.* 630. *p.* 4. *rec. tom.* 3. II. Vim habet specialis ac individuæ expressionis eorum omnium, ad quæ refertur; Ricc. *in collect. decis. p.* 4. *collect.* 959. *effect.* 1. et sufficit etiam pro specificatione eorum, quorum Pontifex non habet notitiam. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 36. *num.* 60. Nam hæc Clausula fuit adinventa, ut Papa posset paucis verbis omnia impedimenta tollere, quæ ex aliis constitutionibus oriri possunt; ideoque operatur, ac si tenor priorum constitutionum contrariis litteris derogatoriis fuisset insertum. Rot. *decis.* 666. *p.* 1. *rec. num.* 3. III. habet vim expressionis cujuscunque litis, juris, et prætensionis in judicium deductæ, et tollit vitium subreptionis. Garz. *de benef. p.* 3. *cap.* 2. *num.* 234. IV. Derogat Regulus Cancellariæ, ac si essent expressæ in specie. Gratian. *disc. for. c.* 182. *num.* 18. Maresch. *lib.* 1. *var. res. c.* 19. *num.* 19. V. Dicta procedunt etiam in privilegiis motu proprio emanatis; quoad vero privilegia vel gratias, ad instantiam partis concessas non conveniunt DD. sed verisimiliter non operatur circa non expressa, et circa illa, de quibus Pontifex non habet notitiam, quamvis adsit Clausula *ex certa scientia;* Rot. *decis.* 297. *num.* 7. *p.* 4. *rec. tom.* 2. maxime si agatur de præjudicio tertii, uti Gabr. tenet de Clausula *pro expressis; loc. cit. num.* 13. Denique addita in rescriptis non valet in illis, quorum specialis mentio requiritur, maxime cum adest alia Clausula *ut asseritur, de præmissis notitiam non habentes.* Rot. *coram Seraphin. decis.* 981. *num.* 8. *et decis.* 148. *num.* 19. Vide Mart. *de claus. p.* 1. *claus.* 139. Ricc. *in collect. decis. collect.* 949. Monet. *de commut. ultim. volunt. c.* 7. *num.* 201. *cum. seqq.* De Rubeis *in sing. Rotæ tom.* 2. *part.* 4. *claus.* 77.

(8. Clausula VIII. *sine præjudicio executionis litterarum Apostolicarum, et parito Brevi et judicato.* In litteris appellationis facit, ut Judex ad quem appellatur non possit se intromittere in causam ante executionem sententiæ judicis *a quo;* Ricc. in *prax. p.* 2. *res.* 368. *et p.* 3. *res.* 112. *in praxi clausul.* Maresc. *lib.* 1. *var. res. v.* 86. *et* 87. quem vide; ergo ista Clausula præservat Jurisdictionem Judicis *a quo*, ita ut libere possit procedere ad executionem suæ sententiæ, nisi forte additum esset *sine præjudicio executionis faciendæ coram Judice appellationis;* tunc enim potestas executoria devolvetur Judici *ad quem* Rot. *divers. decis.* 473. *num.* 3. *lib.* 3. *part.* 3. apud Gratian. *de benef. p.* 1. *num.* 21. Facta tamen executione potest dici de ejus nullitate; est enim jam satisfactum huic Clausulæ; Ricc. *loc. cit. num.* 3. ubi Rota. Et ad Judicem *a quo* spectat cognitio, an modus excessus fuerit in exsequendo, si executio fuerit facta a Judice *ad quem;* Rot. *dec.* 8. *n.* 2. *p.* 6. contra vero si erat demandata Judici *a quo* Rot. *dec.* 132. *p.* 7. *rec.* Non valet autem hæc Clausula pro litteris posterioribus commissioni, in quibus adjuncta erat, si istæ de lite mentionem non faciunt. Vivian. *l. c. n.* 270. Et posita in commissione causæ principalis, commissarius non potest procedere, nisi prius litteris executionem dederit. Rot. apud Riccium *l. cit.* Vivian. *loc. cit.*

(9. Clausula vero *parito Brevi* facit commissionem conditionalem, ita ut commissarius procedere non potest, nisi constet de Brevis executione. Marta *de clausul. p.* 1. *clausul.* 90. et probatur *ex c. cum dilecta, de rescrip.* Tria requiruntur ut ista Clausula habeat suum effectum: I. ut reus dimittat rem et illius possessionem; II, fructus restituat; III. expensis satisfaciat; *c. ult. de rest. spolior. Clem. ut calumnius, de re judicat.* Rot. *dec.* 335. *n.* 16. *rec.* quibus si non satisfecerit, Judex *ad quem* ad ulteriora procedere nequit nec ex capite læsionis, nec ex capite injustitiæ, vel quovis alio; arg. *in* L. 1. *et tot. tit. C. si a non competenti; c. inter monasterium, de re judic.* vide Rot. *decis.* 335: *a n.* 4. Excipe I. si nullitas vel injustitia esset notoria, ut per Verall. *decis.* 188. *p.* 3. II. post paritionem præstitam, post quam non impeditur Judex *ad quem*, quin executionem nulliter, vel injuste factam etiam per viam manutentionis revocare possit; Rot. *dec.* 322. *p.* 12. *res.* III. Si pars, ad cujus favorem est addita, patitur cognosci de meritis et justitia causæ principalis; Marta *de claus. p.* 1. *claus.* 2. *sub num.* 10. *vers. limitata nisi esset.* Rot. *dec.* 322. *p.* 12. *rec.* habet enim tacitam conditionem, quatenus ille, ad cujus favorem fuit apposita, ea uti velit. Maresc. *l.* 1, *var. res. c.* 87. *num.* 34 *et* 35. Fructus vero et expensæ debent actualiter restitui, ut dici possit huic Clausulæ esse satisfactum; Rot. *d. dec.* 335. *n.* 2. et non sufficit oblatio, si hæc clausula fuit posita in Litteris Principis, ut sentit Maresc. *loc. cit.* secus vero si est apposita in pacto inter partes; quia tunc, si fructi sunt illiquidi, sufficit cum depositione unius Julii. Angel. in *L.* 4. § *ait Prætor. ff. de re jud.* Alex. *cons.* 24. *n.* 9. *l.* 4. Capyc. *dec.* 17, *n.* 5. Plura de Clausula *Parito Brevi* vide apud Maresc. *d. c.* 87. *per tot. de Commiss. p.* 1, *pag.* 397. *cum seq.* Nicol. Garc. *de beneficiis, p.* 3. *cap.* 3. *num.* 103. *cum. seq.* Campanil. *in diversorio Juris Canonici, rubr.* 11, *c.* 13. *a num.* 258. Theod. de Rubeis *in sing. Rotæ tom.* 2. *p.* 4. *cl.* 55. *et* 522. Barb. *de Claus. claus.* 98. *pag.* 464. *edit. Lugdun.* 1670. Clausula *parito judicato* habet eosdem effectus; vide DD. citatos.

(10. Clausula IX. *Volumus autem;* hæc autem sic extenditur *volumus autem, quod infra annum a die præsentium computandum reddituus sexaginta ducatorum hujusmodi dictæ Præposituræ realiter, et cum effectu assignare omnino tenearis;* et ponit conditio-

Digitized by Google

nem, quam adimplere oportet pro valore gratiæ. Rot. *dec.* 539. *p.* 5. *rec. tom.* 2. Vide Barb. *de clausulis, claus.* 186

(11. Clausula X *Vocatis vocandis, servatis servandis, vel si tibi constiterit.* Duo primæ Clausulæ 1. de exsecutore *mero* faciunt *mixtum*, unde debet assumere partes judicis. Riccius in *prax. claus. p.* 3. *res.* 98. Maresc. *lib.* 2. *var. res. cap.* 1. *num.* 80. ubi Rot. Gratian. *disc. for. cap.* 596. *num.* 30. II. Earum vi exsecutor tenetur adimplere omnia quæ habentur in forma rescripti, aliter irrita omnino sunt omnia ejus acta; *cap. exhibita*; Abbas *de Judic.* Dec. *cons.* 173. et ita citare debet eos qui de jure sunt citandi. Felin. *in cap. de cæt. num.* 2. *de rejudic.* et Rot. *decis.* 391. *p.* 4. *rec. tom.* 1. *et decis.* 525. *n.* 4. *p.* 2. *rec.* III. Tollit vitium subreptionis. Marta *de claus. p.* 1. *claus.* 190. Garz. *de benefic. p.* 12. *c.* 2. § 1. *n.* 140. IV. Facit causam appellabilem. Barb. *claus.* 169. Rot. *decis.* 558. *num.* 3. *p.* 1. *rec. num.* 3. Vide de hac Clausula Cels. Ugon. *in tract. claus. pag.* 483. *col.* 2. *in fin.* Marta *de claus. p.* 1. *claus.* 196. Ricc. *in collect. decis. p.* 4. *collect.* 805, Vivian *in praxi jurispatr. lib.* 17. *c.* 8. *n.* 26. *cum seq.* Theod. de Rubeis *in sing. Rotæ tom.* 2. *p.* 4. *cl.* 111. Barb. *claus.* 181. *pag.* 537. *edit. cit.* et Pyr. Corrad. *in praxi dispens. Apost. lib.* 9. *c.* 5. *n.* 3. *seq.*

12. Eosdem habet effectus Clausula: *Si tibi constiterit*; sed requirit insuper 1. causæ cognitionem, et partis citationem, nisi adjuncta sit Clausula *extrajudicialiter*, vel narrata verificentur ex actis et coram eodem Judice. Gloss. *in Clem. præsenti de cen.* Abb. *in c. conquerenti de restit. spol. num.* 9. Innoc. *in c. fin.* II. Plenam probationem. Ricc. *in prax. claus. p.* 3. *res.* 104. vide Pyr. Corrad. *in prax. dispen. Apostol. lib.* 9. *c.* 5. *a num.* 51. *ad* 56. Barbos. *claus.* 18. *et* 87. Vivian. *l. cit. p.* 2. *lib.* 13. *c.* 8. *n.* 4. ubi Rot.

(13. Clausula XI. *verificato prius.* Ponitur hæc Clausula in Litteris Apostolicis de provisione beneficii jurispatronatus; et facit gratiam conditionalem, ita ut omnia probare oportet ad effectum gratiæ assequendæ; *c. quia circa, de consang. et affin.* Marta *de claus. p.* 1. *claus.* 190. Gonzalez. *ad reg.* 8. *Cancell. glos.* 18. Garz. *de benef. p.* 6. *c.* 3. *a num.* 39. Vivian *loc. cit.* apud quem vide praxim hujus Clausulæ.

(14. Clausula XII. *Ut asseris, ut asseritur.* Prima in hoc differt a secunda, quod illa censetur narrativa partis, et propterea supplicans tenetur verificare asserta, ut gratia non sit subreptitia; altera vero non indiget justificatione, quia non est narrativa partis, sed Pontificis. Rebuf. *in concord. tit de form. mandat.* Rot. *decis.* 60. *num.* 2. *de rescripit. in antiq. et decis.* 412. *num.* 2. *et* 447. *num.* 1. *p.* 2. *divers.* Vivian. *l. cit. c.* 8. *num.* 131. Ricc. *in prax. clausul. p.* 3. *res.* 99. qui asserit, quod si Clausula loquitur alternative, puta, *ut asseris de jurepatronatus Laicorum et Clericorum*, sufficit quod unum tantum verificetur.

(15. Clausula XIII. *Quatenus Juspatronatus mixtum*, operatur causæ cognitionem extrajudicialem tantum. Ricc. *in prax. claus. p.* 3. *res.* 105.

(16. Clausula XIV. *ex nunc prout ex tunc.* Hæc Clausula *est retroactiva ad tempus datæ, et operatur, ut rescriptum retrotrahatur, veluti si actus a principio pure factus esset.* Barb. *claus.* 51. Adverte quod relata ad futurum infert actus ad tempus, ad quod refertur, et facit, ut actus tunc valeat, ut nunc valeret. Marta *de claus. p.* 1. *claus.* 54. Vivian. *ubi supra.* Posita in statuis debet expectari conditionis eventus; Ricc. *in prax. clausul. p.* 3. *res.* 106. in contractibus vero retro transfert dominium. Bar. *in L. qui absenti ff. de acquir. possess.* Ricc. *loc. citat.* Cum a Papa ponitur in beneficio vacante, non suspendit gratiam, contra tamen in vacaturo, et non operatur in præjudicium tertii. Ricc. *loc. cit.* vide Pyr. Corrad. *in prax. disp. Apost. lib.* 6. *c.* 1. *num.* 43. Si ponitur in reservatione pensionis ad favorem alicujus, qui nondum sit Clericus, Clausula *ex nunc, prout ex tunc, vel ex tunc, prout ex nunc* eumdem effectum habet, et illi tribuit tantum spem pensionem exigendi, cum sit habilis. Vide late Pyr. Corrad. *in prax. benef. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 180. *et seq.* Neque hæc Clausula contractui conditionali adjecta vim habet retrotractivam, nisi a die existentis conditionis. Vide Menoch. *cons.* 946. *n.* 34. *et* 35. De hac Clausula vide etiam Mart. *de claus. p.* 1. *collect.* 71. *et p.* 4. *collect.* 753. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell.* § 5. *proœm. num.* 86, Vivian. *in praxi jurispatronatus, lib.* 13. *c.* 7. *num.* 57. *et seq.* De Rubeis *in singular. Rotæ tom.* 2. *part.* 4. *claus.* 398. *n.* 1. *seq.* Rot. *decis.* 770. *n.* 3 *p.* 1. *in posth. Far. alias p.* 3. *rec.* Barb. *claus.* 71. *pag.* 419. *edit. cit.*

(17. Clausula XV. *Si et in quantum* ponitur in decretis judicialibus, in admissione ad beneficia patronata, etc., ponit conditionem, et facit actum valere tantum, quantum de jure valere potest. Rot. *dec.* 53. *n.* 42. *p.* 5. *rec. tom.* 1. De hac Clausula vide Lancellot. *de. atten. part.* 2. *cap.* 20. *limit.* 11. *num* 4. *et* 5. Mart. Ricc. *in collect. decis. collect.* 954. Mascard. *de Commiss. part.* 1. ubi de *commis. appellat. in causis Camer. obligat. p.* 699. *a num.* 18. *et pag.* 705. *a num.* 132. *et pag.* 709. *a num.* 146. Theod. de Rubeis *in singular. Rotæ tom.* 2, *part.* 4. *concl.* 95. *et* 775. *qui d. claus.* 95. § 1.

(18. Clausula XVI. *Gratis ubique, etc.* Solet poni in dispensationibus emanantibus a Curia, sed non derogat consuetudini legitime præscriptæ, quæ in pluribus Episcopatibus viget, aliquid accipiendi pro examine testium. Diana *p.* 8. *tract.* 3. *res.* 3.

(19. Clausula XVII. *Si ita est, etc.* In rescriptis gratiæ hæc gratia non est conditionalis, nec requirit causæ cognitionem, ob text. *in L. conditiones ff. de condit. et demonstr.* Maresch. *lib.* 2. *var resc. c.* 1. *num.* 138. 159. *et* 160. Vivian. *loc. cit. num.* 50. Contra vero in rescriptis justitiæ, quando agitur de præjudicio tertii, tunc enim requiritur causæ cognitio et citatio partium, saltem extrajudicialis, *ut ex text. in cap. omnia* 3. *q.* 9.

Digitized by Google

tenet Rot. *dec.* 226 *p.* 18. *rec.* Duran. *decis.* 78. *num.* 6. *et* 10. Imo de judice *mero* facit *mixtum*, ut alia Clausula *si tibi constiterit*; Rot. *decis.* 148. *p.* 19. *rec. num.* 8. nam quamvis positæ in rescriptis gratiæ, hæ Clausulæ requirunt causæ cognitionem semper ac sunt verificanda narrata. Pyr. Corrad. in *prax. dispensat. Apost. lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 30. De ista Clausula vide Mart. de *claus. part.* 1. *claus.* 141. Mari Antonin. *var. resol.* 58. *n.* 2. 3. *et* 4. Monet. *de commut. ult. volunt. cap.* 7. *n.* 126. *cum seq.* De Rubeis *in sing. Rotæ tom.* 2. *p.* 4. *claus.* 92. *et* 745. Barb. *de claus. claus.* 154.

(20. Clausula XVIII. *Tunc, et eo casu* est restrictiva, et arctat dispositionem ad præsentem casum, nec potest ullo modo ultra extendi. Monoch. *cons.* Sperel. *dec.* 144. *n.* 18. Fusar. de *substit. qu.* 460.

(21. Clausula XIX. *Omni meliori modo* facit ut actus valeat quomodo valere potest; Rot. *apud Sperel. decis.* 144. sed non extendit dispositionem, nec valere potest circa non expressa, nisi forte adsit Clausula *omni et alio meliori modo.* Vivian. *in prax. Jurispatronat. p.* 2. *lib.* 13. *cap.* 8. *num.* 335. Rot. *dec.* 108. *p.* 7. *rec. num.* 26. In testamento supplet Clausulam codicillarem, et illa adhibita codicillaris censetur apposita. Marta *de claus. p.* 1. *claus.* 88. *et p.* 3. *claus.* 56. Vivian. *ubi supra.* In contractibus supplet omnes defectus. Mart. *de claus. p.* 1. *claus.* 84. Demum cum ponitur in libellis, censetur supplicans non obligari ad specificata. Mar. Antonin. *var. res. lib.* 2. *res.* 46. De ejus vi et effectu Ricc. *in collect. dec. p.* 4. *collect.* 879. Gonz. *ad reg.* 8. *Cancel. gloss.* 3. *num.* 8. Lotter. *in tract. de re benef. lib.* 1. *q.* 40. *n.* 328. *cum. seq.* Duran. *dec.* 60. *n.* 38, *et dec.* 151. *n.* 3. Valasc. *de jure emphyt. q.* 6. *num.* 16. *et consult.* 719. *n.* 15.

(22. Clausula XX. *Statum, et merita causæ* operatur ac si integre processus, ac omnia acta et partium comparationes fuissent in individuo narrata. Rot. *decis.* 20. *de rescrip. in nov.* Vide Riccium *in prax. subrept. p.* 3. *res.* 439. *num.* 5. Excipe I. si fuit posita ad instantiam partis. Mart. *de claus. p.* 1. *claus.* 15. Rot. *de rescrip. in nov. dec.* 20. II. Non supplet mentionem rei judicatæ; Marta *claus.* 15. Addend. *ad Gregor. XV. decis.* 2. *num.* 17. si tamen res judicata esset jam deducta in controversiam; nam tunc sufficit mentio de lite cum Clausula *cujus litis statum, etc.* Adden. ad Greg. *loc. cit. num.* 18. quæ supplet defectum subreptionis ob non factam litis mentionem. Rot. 413. *p.* 18. *rec. tom.* 2. *num.* 16. *et decis.* 424. *n.* 14. *d. p.* 18. *et decis.* 667. *num.* 18. *d. p.* 18. *rec. et dec.* 605. *num.* 11. *p.* 2. *rec.* Rebuff. *in prax. p.* 8. *sing. in vers. quatenus litigiosum litis statum.* Adden. ad Greg. *d. dec.* 2, *num.* 16.

(23. Clausula XXI. *Sine præjudicio, et dummodo tempore datæ non sit alteri jus quæsitum, etc.* Prima Clausula præservat I. jus illius, in cujus favorem apposita est tam in petitorio quam in possessorio; Rot. post Cenc. *de censib. dec.* 250. *ante num.* 8. Garz. *de benef. p.* 5. *cap.* 5. *num.* 65. Vivian. *in prax. Jurispatr. p.* 2. *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 12. *in fin.* quod ultimum procedit in actu facto ab ipso Judice. Addend. ad Gregor. XV. *Dec.* 332. Non tamen præservat illa Clausula parti possessionem, si agitur de actu possessorio spontaneo ipsiusmet partis; *cit.* Addend. *n.* 6. Rot. *dec.* 332. II. Reddit actum conditionalem, si, et quatenus præjudicium ex actu alicui inferatur; Put. *dec.* 32. *num.* 1. *lib.* 2. Marta *d. claus.* 157. *num.* 2. quod tamen non est intelligendum de conditione suspensiva, sed resolutiva, ita ut nempe constito de alterius præjudicio irritus sit actus; secus si non constet de tali præjudicio. Addend. *cit.* ubi Rot. *rec. decis.* 513. p. 1. *num.* 3. III. Prædicta Clausula censetur posita in omnibus concessionibus, quamvis non sit expressa. Sarnen. *in reg. de jure quæsito non tollendo, quæst.* 1. *in princ.* Sed non solet exprimi, nec subintelligitur in litteris Apostolicis, in quibus adest Clausula *vocatis* etc. Pyr. Corrad. l. cit. *c.* 14. *num.* 74. et intelligitur de alio præjudicio, non de expresso. Rot. *dec.* 236. *num.* 3. *p.* 1. *diver.* Marta *loc. cit. claus.* 157. *num.* 3. *p.* 1.

Altera Clausula *dummodo tempore datæ etc.* valet de jure valido, de jure pleno, et radicato, reddit gratiam conditionalem, præservat jura tertii, non tamen ejus quæsitum in re, et semper subintelligitur, ut præcedens. Mart. *de claus. p.* 1. *claus.* 25. Ricc. *in collect. decis. p.* 4. *collect*, 814. *et in praxi rer. for. Eccl. decis.* 195. *a num* 204. De Rub. *in sing. Rotæ tom.* 2. *part.* 4. *claus.* 26. *et* 301. Barb. *de claus. claus.* 44. *pag.* 403. *edit. cit.* Sed I. hæc Clausula non suspendit exsecutionem litterarum Apostolicarum. Rot. apud *Archil. de Grass. dec.* 18. Garz. *de benef. p.* 10. *c.* 1. *sub num.* 74. *circa fin.* II. Non præservat jus ad rem, quod habetur ob exspectativam, nam non est considerabile. Gar. *loc. cit. p.* 4. *cap.* 3. *num.* 17. *et* 18. *et p.* 10. *cap.* 1. *num.* 74. *in fin.* III. Non operatur, quando addita est alia Clausula *anteferri*, quæ derogat cuicunque juri ad rem, quomodocunque sit quæsitum; *cap. pen. de præb. in* 6. Ricc. *res.* 188. *n.* 4.

(24. Clausula XXII, *anteferri.* Hæc Clausula I. liberat gratiam a vitio subreptionis, II. facit de posteriore priorem, III. per eam tolluntur omnes reservationes, et exspectativæ, tam generales quam speciales. Cardin. Tusch. *tom.* 1. *l.* 1. *C. conclus.* 314. *num.* 18. non tollit tamen jus *in re*, non retrotrahitur in præjudicium juris quæsiti ad rem, demum nihil operatur, nisi is, in cujus favorem concessa est, voluerit anteferri. Mart. *de claus. p.* 1. *claus.* 21. Vivian. *l. cit. num.* 102. De hac Clausula vide Mari Anton. *variar. resol.* 9 *num.* 13. De Rubeis *in sing. Rotæ tom.* 2. *p.* 4 *claus.* 159. Monet. *de commut. ult. volunt. cap.* 11. *num.* 487. Barbos. *claus.* 8. *pag.* 358. *edit. cit.*

(25. Clausula XXIII. *arbitrio tuo*, vel *judicio tuo.* Important hæ Clausulæ arbitrium boni viri; de Rubeis *in sing. Rotæ tom.* 2. *par.* 4. *claus.* 176. *n.* 1. quod est intelligendum, quod faceret ita, ac vellet fieri in rebus suis; Barb. *claus.* 11. et arbitrium regulari

Digitized by Google

debet juxta juris dispositionem. Rot. *apud Seraph. dec.* 29. *et* 1429. Sed aliquando importat etiam liberam voluntatem. Mar. Anton. *variar. resol. lib.* 1. *res.* 74. *num.* 8. Maresch. *var. res. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 30. Rot. *dec.* 426. *p.* 5. *rec. tom.* 2. *num.* 9, Executor cum hac Clausula potest extrajudicialiter procedere; Rot. *dec.* 14 *et* 15. *de dol. et contum. in antiq. et decis.* 426. *p.* 5. *rec. tom.* 2. *num.* 10. et non datur ab ipso appellatio saltem suspensiva. Rot. *d. decis.* 426. *num.* 12 *et* 13.

(26. Clausula XXIV. *Audiat et cognoscat, et justitiam faciat*, aufert rem judicatam, si S. Pontifici fuit narratum de illa, Bal. *in cap.* 2. *de offic. Deleg.* Ruginel. *de appel.* §. 6. *gloss.* 8. *num.* 12.

(27. Clausula XXV. *Dummodo septem Missæ*, etc. *in altari privilegiato*, etc. Non intelligitur hæc Clausula ad literam; unde non vitiatur gratia, si aliquando, sed raro, deficiat numerus præscriptus. Dian. *mor. p.* 9. *tract.* 2. *res.* 9.

(28. Clausula XXVI. *Pro jurato* ex decretis Apostolicis habet vim juramenti. Ciarlin. *lib.* 1. *contr. for. cap.* 2. *num.* 13. *et lib.* 2 *cap.* 136. *num.* 2. Sed non tenetur debitor propter illam ad contractum invalidum; Ciarlin. *loc. cit. cap.* 2. *et cap.* 121. *num.* 17. et violator non fit reus perjurii erga Deum. Rot. *coram Merlin, dec.* 506. *num.* 49.

(29. Clausula XXVII. *Arbitrio Rotæ*. Hæc Clausula dat facultatem aliquid relaxandi de jure, servata æquitate. Rot. *decis.* 85. *num.* 4. *et dec.* 179. *apud* Farinac. *part.* 1. *rec. et decis.* 284. *num.* 5. *et dec.* 440. *n.* 8. *et dec.* 587. *num.* 1. *apud eumdem p.* 2. *rec.* Vide Ricc. *in collect. dec. par.* 4 *collect.* 1604. *et collect.* 12. 7. De Rub. *sing. Rotæ tom.* 2. *p.* 4. *d.* 8. *et d.* 175. *pag.* 319. Barb. *claus.* 21. *p.* 362. *edit. cit.* •

(30. Clausula XXVIII. *Conscientiæ tuæ committimus, oneramus*, etc. *discretioni tuæ*, etc. Cum ponitur hæc Clausula I. delegatus non potest subdelegare, nam Pontifex censetur respexisse personæ qualitates. II. Judex debet judicare juxta allegata et probata, atque juxta juris decreta in illis figendo pedes, ut inquit Rot. *dec.* 94. *p.* 7. *rec. num.* 48. III. potest procedere extrajudicialiter in rescriptis gratiæ. Demum ab illo datur appellatio devolutiva et suspensiva, quando agitur de gravi præjudicio. Rot. *dec.* 156. *p.* 18. *rec. tom.* 1. *num.* 9. *et dec.* 325. *pag.* 10. *rec. num.* 11. Barb. *claus.* 24. *et claus.* 13. Mart. *de claus. p.* 1. *claus.* 274. Vivian. *in praxi Jurispatr. p.* 2. *lib.* 13. *cap.* 8. *num.* 181. Bal. *in L.* 1. *n.* 11. *C. si plures*, etc. *et cons.* 298. *n.* 7. *l.* 1.

(31. Clausula XXIX. *Volumus autem, quod si alias Christi fidelibus dictam Ecclesiam visitantibus*, etc. non reddit nullas indulgentias concessas ab aliis Pontificibus, cum verb. *concesserimus* est personale; Sanch. *de matrim. lib.* 8. *dip.* 28. *sub num.* 46. Garz. *de benef. p.* 5. *c.* 1. 650. et indulgentia præterea deberet esse omnino similis, unde valet indulgentia concessa ab eodem Pontifice in eadem Ecclesia pro diverso Altari. Dian. *mor. p.* 6. *tr.* 8. *res.* 31. Bonacin. *de Sacrement. disp.* 6. *quæst.* 1. *punct.* 7. *num.* 4. *vers. quæritur.*

(32. Clausula XXX. *Te a quibusvis excommunicationis, etc. absolventes*, ponitur in omnibus rescriptis Apostolicis tam gratiæ quam justitiæ ad tollendas nullitates et inhabilitates, quæ ex excommunicatione oriri possunt; et subintelligitur, quando non adest, vel saltem possunt reformari literæ, et in illis apponi. Navarr. *cons.* 28. *sub n.* 5. *de sentent. excom.* Sed non comprehendit I. excommunicatum propter hæresim; Garz. *de benef. p.* 7. *c.* 11. *a num.* 54. *seq.* II. contumacem in excommunicatione; Rot. *lib.* 3. *p.* 3. *dec.* 580. *in nov. apud.* Ricc. *in prax. clausul. res.* 102. Quarant. *in Summ. Bullar. verb. Regula*, etc. III. in excommunicationem incidentem post literarum impetrationem. Pax Jordan. *de re benef. lib.* 10. *lit.* 21, *num.* 22. Vide de hac Clausula Rebuff. *in praxi benef. p.* 1. *de forma novæ provisionis, verb. Teque absolventes, et in concordat. in form. mandati Apostolici, verb. quavis occasione, et in repet. c. postulastis, de Clerico excommunicato min. nob.* 67. Mart. *de claus. part.* 1. *claus.* 47. De Rub. *in sing. Rotæ tom.* 2. *p.* 5. *d.* 814.

(33. Clausula XXXI. *In tua et tuæ familiæ præsentia* apponitur in concessionibus Oratorii privati; et non est adeo stricte sumenda, ut absente domino gratia locum non habeat. Dian. *p.* 9. *tr.* 1. *res.* 2. Nomen familiæ comprehendit etiam eos qui extra domum ejus sumptibus vitam ducunt. Palaus. *tom.* 4. *tr.* 25. *disp. un. punct.* 9.

(34. Clausula XXXII. *Consentientibus dilectis filiis* etc. est usitata in Beneplacito Apostolico pro alienatione bonorum Ecclesiæ, et requirit ut consensus sit expressus. Ricc. *in prax. p.* 1. *res.* 83. Mart. *de claus. p.* 1. *claus.* 3.

(35. Clausula XXXIII. *Ut pretium subrogetur in aliud prædium emendum*, ponitur in Beneplacito Apostolico pro alienatione bonorum Ecclesiæ ut præcedens, et respicit venditorem tantum. Ricc. *loc. cit. p.* 1. *res.* 96. Gratian. *l.* 1. *disc. for. c.* 45. *num.* 26.

(36. Clausula XXXIV. *dummodo centum pro Rectore* etc. regulariter est conditionalis, et habet vim suspensivam. Pyr. Corrad. *in prax. benef. lib.* 5. *c.* 1. *n.* 30. Rot. *dec.* 505, *p.* 18. *rec. tom.* 2. Ricc. *in prax. pension. res.* 376. *p.* 1. *et res.* 109. *p.* 3. Probatio autem exhiberi debet a Pensionario. Rot. *p.* 2. *in rec. dec.* 417. Vivian. *loc. cit. n.* 714. Plura vide apud Pyrr. Corrad. *in prax. benef. de l.* 5. *c.* 1. *a n.* 31. *seq.*

(37. Clausula XXXV. *Dummodo intrusus non sit*, est similiter conditionalis, sed respicit intrusionem diversam a narrata et expressa. Rot. *dec.* 569. *p.* 5. *rec. tom.* 2. *n.* 4. Marta *de claus. p.* 1. *claus.* 38. Quis vero dicatur intrusus, vide Ricc. *in prax. p.* 2. *res.* 224. Sed ad effectum subrogationis hæc Clausula requirit, ut vera et perfecta sit intrusio, scilicet cum propria auctoritate, vel sine titulo ejus, qui potest conferre, capitur possessio. Rot. *in decis.* 124. *p.* 11.

Digitized by Google

rec. n. 10 *et* 11. Lotter. *de re benef. lib.* 2. *quæst.* 20. *num.* 82. Garz. *de benef. p.* 11. *c.* 10. *n.* 266. Vide Sarnen. *super regul. de trienn. quæst.* 47. *n.* 3. *in fin.* Et intrusus non dicitur, nisi qui capta possessione percepit etiam fructus. Gigas *de intrus. n.* 70. *ad* 77. Rot. *decis.* 405. *p.* 13. *res. n.* 14.

(38. Clausula XXXVI. *Habita, vel non habita possessione* est usu frequens in reservatione pensionis, et non extenditur ultra biennium, vel triennium, si lis non est calumniosa, et si titularis succumbit bona fide. Ricc. *in prax. clausul. p.* 3. *res.* 107. Vivian. *loc. cit. num.* 210. Barbos. *de clausul. claus.* 63.

(39. Clausula XXXVII. *quam, et quas*, etc. sic extenditur : « Necnon quam, et quas idem orator habet et monet, habereque et monere vult, et intendit contra adversarios, omnesque alios præmissorum occasione sua communiter vel divisim interesse putantes in executione præsentium nominandos, et cognominandos; » Marches. *de Commiss. pag.* 1. *pag.* 200. *num.* 56. non restringit Jurisdictionem ad expressa tantum, sed censetur deductum omne jus. Rub. *claus.* 596. *num.* 8. Rota *apud Maresc. l.* 1. *var. res. c.* 20. *num.* 1. Committitur per illam totum negotium, et tunc, si appellatum non fuit, potest procedi ut in prima instantia. Sed hæc non procedunt cum addita est Clausula restrictiva *de, et super præmissis.* De hac Clausula vide Mart. *de claus.* 1. *d.* 120. De Rubeis *in sing. Rotæ tom.* 2. *p.* 4. *el.* 596.

(40. Clausula XXXVIII. *Summarie, simpliciter, sine strepitu, sine figura judicii, sola veritate inspecta, et de plano.* Clausula *summarie* tollit juris solemnitates, sed non probationes, et alia, quæ sunt de substantia. Mart. *de clausul. p.* 1. *claus.* 180. Gratian. *disc. for. c.* 569. *an.* 30. Unde non tollit citationem. defensionem, nec juramentum calumniæ. Gabr. *de citat. concl.* 1. *n.* 36. *et seq.* Pelleg. *in pract. civil. p.* 2. *sect.* 2. *subsect.* 1. *intersecat. un. vers. quarto limit.* Adverte, quod hæc Clausula non potest apponi, nisi a Principe superiorem non cognoscente, ut est Papa. Pelleg. *loc. cit. n.* 9. Felin. *in c.* 1. § 1. *col.* 1. *n.* 2. *vers. legatus non committit. de rescrip.* Alia Clausula *simpliciter* dat judici facultatem audiendi partes in occulto, non potest per illam allegari suspectus, et non datur tempus ad quærendos advocatos. Scacc. *de Judic. l.* 1. *c.* 53. Idem operatur Clausula *sine strepitu et figura Judicii.* Pelleg. *l. cit. et num.* 19. Sed Clausula *sola veritate inspecta* dat etiam potestatem pronuntiandi super non petitis. Marant. *in Specul. p.* 4. *dist.* 9. et idem dicendum de aliis Clausulis *manu regia*, et *de plano.* Sed cum sunt simul positæ, omnes habent istos effectus. Pelleg. *loc. cit.* Marant. *in Specul. p.* 3. *dist.* 9. *n.* 32. Sed judex, si vult, potest observare juris solemnitates text. *in c. novit. de Jud. ubi innoc. circa princ.* Felin, *in cap. cum dilecta, col.* 14. *vers. ampliatione, de resc.* Bal. *in L. nulla circa fin. ff. de legib. et in L. testamentum not.* 3. *C. de testam.*

(41. Clausula XXXIX. *Si per diligentem examinationem idoneum repereris, etc.* non operatur causæ cognitionem judicialem; Mart. *de clausula* 171. Garz. *de benef. p.* 6. *c.* 2. *n.* 231. Barbos. *claus.* 98. et idem potest dici de Clausula *si inveneris*, vel *repereris*, nisi dirigatur ad personam Judicis. Vivian. *loc. cit. p.* 2. *lib.* 13. *cap.* 8. *num.* 19. Cum ponitur in dimissorialibus Clausula *si per diligentem, etc.* ad Ordines suscipiendos, non requirit solum doctrinæ idoneitatem, sed etiam natalium, ætatis et morum juxta Con. Trid. *sess.* 23. *c.* 5. *de reform.* et est conditionalis, sed Episcopus, si aliter noverit subjecti idoneitatem, potest omittere examen. Pyr. Corrad. *in prax. disp. Apost. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 1. *et* 9. Admonendum demum, quod in mandatis de providendo de Parochialibus, est similiter conditionalis, sed non potest omitti examen, licet fuisset factum ad omnes Parochiales generatim. Pyr. Corrad. *in prax. benef. l.* 3. *c.* 14. *et* 15. Garz. *de benef. p.* 6. *cap.* 2. *num.* 253. Gonz. *super reg.* 8. *glos.* 4. *n.* 89. 96. *seq.*

(42. Clausula XL. *Contradictores compescendo* dicitur de contradictoribus de facto, non de jure; *cap. is cui, de præb. in* 6. Marta *de clausul. p.* 1. *claus.* 21. Barb. *claus.* 5.

(43. Clausula XLI. *Prout juris et de jure* est conditionalis, ac omnia quæ præcedunt, secundum jus sunt regulanda; *cap. causam quæ, de reser.* Mart. *loc. cit. claus.* 112.

(44. Clausula XLII. *perinde valere* revalidat et confirmat gratiam et facit, ut valeat a die concessionis primæ gratiæ, nisi id foret in præjudicium tertii; Put. *p.* 2. *dec.* 190. Menoch. *de arbitr. l.* 2. *cas.* 185. sed est irrita subito ac cessat causa, vel principalis dispositio. Mart. *loc. cit. claus.* 321. Barb. *claus.* 56.

(45. Clausula XLIII. *Non aliter, alias, nec alio modo etc.* strictam inducit obligationem servandi omnia præscripta, et est conditionalis, ita ut nullus sit actus, si illa exacte non servetur. Rot. *decis.* 252. *d. p.* 18. *rec.* Gratian. *cons.* 138. *num.* 13. *lib.* 1. alia Rot. *decis.* 269. *p.* 2. *rec. tom.* 1. *n.* 17. Vide de hac Clausula Barb. *claus.* 81. *pag.* 437. *edit Lugdun.* 1650. Card. Tusch. *pract. concl. tom.* 1. *lit. C. concl.* 311. Ricc. *in collect. decision. collect.* 526. et 868. De Rub. *in sing. Rotæ. tom.* 2. *part.* 4. *claus.* 48. *et* 492.

(46. Clausula XLIV. *Pro expressis habentes.* De hac Clausula diximus in aliis Clausulis *quorum tenores*, et *supplentes;* nam stat pro expressione speciali et individua omnium qualitatum et conditionum, quæ essent exprimendæ. Mart. *de claus. claus.* 101. Ricc. *collect. decis. p.* 4. *collect.* 949. Theod. de Rub. *in sing. Rotæ tom.* 2. *p.* 4. *claus.* 553. Vide Barb. *claus.* 102. *pag.* 468. *edit. cit.*

(47. Clausula XLV. *Non obstantibus, etc.* tollit illa omnia, quæ gratiæ exitui obstant, etiam privilegia clausa, vel non, in corpore juris. Gratian. *disc. for. c.* 421. *n.* 15. et *c.* 438. *n.* 6. Sed 1. non tollit statuta particularia. Rot. *decis.* 114. *n.* 28. *pag.* 9. *rec. tom.* 1. 11. Non operatur in præjudicium tertii. Maresc. *l.* 2. *var. res. c.* 40. *num.* 22. 23. *et* 24. ubi

Digitized by Google

Rot. L. decurionibus. C. de Silen. 11. *Jus in L. postquam lit. num.* 11. *C. de pact.* III. Non aufert obstacula personalia. Vivian. *in prax. Jurisp. l.* 13. *c.* 8. *n.* 156. IV. Nec dispositiones firmatas consensu partium. Idem *ibid.* V. Similiter nec jus quæsitum Laico ex dotatione vel fundatione, et hoc etiam, si addita est Clausula *motu proprio.* VI. Non derogat Regulis Cancellariæ, nec Conciliis generalibus. Maresc. *l.* 2. *var. res. c.* 40. *n.* 14. *et* 16. Felin. *in. c.* 1. *n.* 23. *eod.* Adverte tamen I. quod si gratia sit irrita, invalidatur etiam Clausula. Vivian. *l. cit. num.* 163. Maresc. *loc. cit.* II. quod per istam Clausulam non inducitur dispensatio; text. *in cap. non potest. in fin.* et *ibi gloss.* Rot. Rom. *p.* 9. *rec. tom.* 1. *n.* 106. Barb. *de claus. claus.* 82. *pag.* 441. *et seq. edit. cit.* De vi et effectu hujus Clausulæ ultra cit. vide Rebuff. *in prax. lit. de form. novæ provis. verb. non obstantibus;* Mart. *de claus. pag.* 1. *claus.* 79. Gonzal. *ad. reg.* 8. *Cancell. gloss.* 9. § 1. *num.* 57. Cardin. Tusch. *practic. concl. tom.* 1. *lit. C. concl.* 349. *cum. seq.* De Rub. *in singul. Rotæ. tom.* 2. p. 4. *claus.* 49. *et* 496. Rot. *apud* Paul. de Rub, *dec.* 333. *n.* 4. 4. *tom.* 2. *divers.*

(48. Clausula XLVI. *Decretum irritans.* Hæc Clausula I. invalidat collationem Ordinarii, ita ut non valeat actus, quamvis gestus de partium consensu; *cap. statum, de rescrip.* in 5. et ibi gloss. *in verb. committatur, et cap. dispendia eod.* II. Inficit possessionem et titulum; Gabr. *de claus. concl.* 3. *num.* 50. ubi Rota *in nov decision.* 16. et propterea nullum remedium possessionum valet; Pyr. Corrad. *in prax. benef. lib.* 2. *tit.* 15. *n.* 175. et irritum omnino est judicium tam in possessorio, quam in petitorio, et id præcipue si adest Clausula *sublata,* at non irritat actum jam perfectum ante dicti decreti emanationem. Maresc. *lib.* 2. *var. res. c.* 38. *n.* 15. III. Ligat etiam ignorantes, sed non respectu pœnæ; *cap.* 1. *verb. adjiciebatur insuper, de concess. præb. et cap. quondam, ver. prima enim collatio, de præbendis* in 6. *et cap. dudum, ver. et quod decretum nostrum, eod.* et *cap. si beneficia;* Felin. *in cap. cognoscentes, col.* 5. *vers. quanto limita, et in cap. fin. col.* 12. *vers. fuit singulare dictum de constit.* et ligat ignorantes, licet in eorum favore fiat dispositio. Gabr. *de claus. concl.* 3. *num.* 50. IV. Demum generaliter irritat hæc Clausula quidquid operatur contra dispositionem vel gratiam, in qua apposita fuit; *cap. si postquam de elect. in* 6. Sarnen. *in reg. de trienn. quæst.* 46. *n.* 2. *et in reg. de annal. quæst.* 4. *n.* 3. Sed ut hæc Clausula possit sortire suum effectum, debet prius cognosci, an dispositio possit habere locum, ita ut in dubio possessor sit manutenendus. Garz. *de benef. p.* 5. *num* 430. Rot. *decis.* 48. *p. rec. tom.* 1. *num.* 5. De vi et effectibus hujus Clausulæ vide Ricc. *in collect. decis. p.* 4. *collect.* 1302. Rot. *decis.* 241. *num.* 9. *part.* 1. *rec. decis.* 516. *num.* 6. *decis.* 570. *n. et* 7. *decis.* 613. *n.* 3. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. gloss. num. ult.* 11. De Rub. *sing. Rotæ tom.* 2. *p.* 4. *d.* 20. *et* 257

(49. Clausula XLVII. *Districtius inhibentes,* nisi adsit præcedens Clausula, prohibet tantum actum contrarium. Vivian. *in prax. jurispatr. l.* 13, *cap.* 8. *n.* 183.

(50. Clausula XLVIII. *Derogatoria* cum Clausula *quorum tenores* irritat omnes dispositiones contrarias, ac si nominatim essent expressæ; *L. omnes. C. de præscr.* 30. *annor.*: ubi: *tamquam per hanc legem specialiter, et nominatim fuissent enumeratæ.* Maresc. *lib.* 2. *var. res. cap.* 40. *n.* 1. non autem tolli, partium conventiones. Ferret. *cons.* 319. *num.* 2. *vol.* 2. apud Vivian. *loc. cit. num.* 188. Et sufficit dispositio generalis cum Clausula *quorum tenores,* si dispositio, cui derogatur, habeat Clausulas prægnantes cum derogatoriis derogatoriarum ad dispositiones sequentes. Gab. *de claus. concl.* 5. *num.* 14. Sarnen. *ad prooem. regul. quæst.* 6. *num.* 7. *et ad reg. de trien. quæst.* 17. *num.* 5. Sed non derogat constitutionibus antecedentibus nisi quoad ea quæ sunt contraria; Mart. *p.* 1. *cl.* 261. et non tollit privilegia concessa ad publicam utilitatem. Gab. *de claus. cond.* 5. Vivian. *loc. cit. n.* 189. Mart. *de claus. p.* 4. *claus.* 14. Gonzal. *ad regul. Cancel. glos.* 36. *num.* 3. Card. Tusch. *pract. conclus. tom.* 2. *lit. C. concl.* 346. De Rub. *in sing. Rotæ tom.* 2. *p.* 4. *claus.* 21. *et* 277. Rota apud Paul. de Rub. *decis.* 333. *num.* 5. *tom.* 2. *divers.*

Clausula XLIX. *Circa, vel circiter, et ipso facto, ipso jure, de jure et de facto.* Prima, si agitur de ætate, intelligitur de quinque, vel sex mensibus; Vivian. *l. cit. n.* 204. Mares. *lib.* 2. *var. res. cap.* 40. *num.* 5. et generatim intelligitur de modico tempore. Barb. *de diction. dict.* 132. Si agitur de coadjutoria sumitur pro semestre; Garz. *de benef. p.* 11. c. 3. §. 1. *num.* 49. Idem intellige de resignationibus; idem *ibid.* arg. text. in *L. non tantum ff. de excusat.* Rebuff. *in L. cæterorum ff. de V. S. in fine.*

(52. Clausulæ *ipso facto et ipso jure* idem sonant. Vivian. *l. cit. num.* 216. Rebuff. *in prax. p.* 3. *de mod. amitt. benef. num.* 1. *cap.* 2. *ut Cler. vel Monac. in.* 6. *L. quisquis C. ad L. Jul. Majest. c. cum secund. de hæret. in* 6. (53. Tertia dat delegato facultatem procedendi etiam in diebus feriatis *ob necessitatem hominum;* arbitratori etiam in feriatis *ad honorem Dei,* et facit, quod uterque possit procedere sine citatione; Mart. *loc. cit. claus.* 257. quod intellige juxta dicta in *Claus.* 38.

(54. Clausula L. *Sine vitio spolii, et salvo jure.* Prima denegat spoliato facultatem agendi pro spolio, sed nisi adsit alia Clausula *sine vitio attentatorum,* non excusat a capta possessione lite pendente, vel ab alio attentato. Verall. *dec.* 151. *p.* 3. Vivian. *l. cit. num.* 238. Secunda vero præservat jus, et est modificativa illius, cui apponitur. Mart. *l. cit. claus.* 355. Vivian. *l. cit. num.* 345.

(55. Clausula LI. *In omnibus et per omnia.* Hæc Clausula I. facit ob suam universalitatem, ut comprehendantur, quæ alias non comprehenderentur; II. extendit mandatum ad rem subrogatam; III. valet pro speciali specificatione. Adverte tamen, quod non comprehen-

Digitized by Google

dit insolita, non operatur ultra mentem, nec habet vim pro reservatis Pontifici. Vide Barb. *claus.* 67. *pag.* 424. *edit. cit.* Marta *de claus. par.* 1. *claus.* 62. *et p.* 3. *claus.* 42. Card. Tusch. *pract. conc. tom.* 1. *lit. C. concl.* 354. Vivian. *in prax. jurispatr. lib.* 3. *c.* 8. *n.* 343.

(56. De his et aliis Clausulis videre potes, i plura cupis, Barb. *Tract. de clausul. usu-*

frequent. Ricc. *in collect. decis. et in praxi rerum fori Eccles.* Joan. Bapt. Rigant. *Comment. in Regul. Cancellariæ passim*; Begnud. *Bibl. Juris. tom.* 1. *verb. claus.* Reiffenstuel *Tract. de Reg. Juris tom.* 1. *t.* 2. 3. 4. 29. *tom.* 2. *tit.* 3. 18. 19. 27. 30. et in aliis tomis passim, ac in Appendice *de dispensat. sup. Imped. matrimon. tom.* 4. ubi multa reperies.

CLAUSURA.

SUMMARIUM.

1. Clausura monasteriorum quorumcumque virorum regularium asseritur. — 2. Revocantur quæcumque indulta et privilegia admittendi fœminas intra Clausuram conventuum quacumque de causa. — 3. Prohibetur quibuscumque sub pœna nullitatis, et sub ecclesiasticis censuris, ne facultates ingrediendi Clausuram conventuum religiosorum fœminis ullo modo concedant. — 4. Clausura monialium constabilitur. — 5. Constitutiones apostolicæ et conciliares innovantur super Clausura monialium. — 6. Ordo præscribitur pro introductione mulierum in monasteria. — 7. Clausuram monialium violantes ad malum finem quando Card. Major Pœnitentiarius possit absolvere. — 8. Episcopo licitum est ad impartiendam benedictionem moniali in mortis articulo constitutæ monasterium ingredi. — 9. Sub qua conditione. — 10. Moniales post professionem, neque etiam ad breve tempus exire possunt e monasterio, nisi causæ quædam occurrant, quæ assignantur. — 11. In consecratione tamen exire debent e Clausura, et ingredi Ecclesiam. — 12. Occasione consecrationis monialium non licet episcopo ingredi in Clausuram, nec multo magis aliis quibuscumque. — 13. Violantes Clausuram monialium ad malum finem incurrunt excommunicationem reservatam, sicuti etiam admittentes hujusmodi violatores. — 14. Clausura monialium vigore Concilii Trident. Episcopi curæ subjicitur. — 15. Hujus Clausuræ modus et effectus. — 16. Causæ ex quibus Pius V. egressum e Clausura permitti voluit. — 17. Assignantur aliæ causæ. — 18. Alter effectus est prohibitus quarumcumque personarum extranearum ad moniales accessus. — 19. Ita ut nullus earum monasteria intrare possit sine licentia in scriptis obtenta. — 20. Dare autem debet Episcopus hujusmodi licentiam in casibus necessariis. — 21. Quonam modo hæc necessitas a Tridentino requisita recepta sit. — 22. Casus necessarii intelliguntur respectu monasteriorum. — 23. Pleræque synodi statuerunt, ne capellanus, seu alius sacerdos quidem ingrediatur eam Ecclesiæ partem, ubi moniales psallant. — 24. Neque in vestitionum aut professionum solemnitatibus licitus esse potest ingressus ad moniales. — 25. Excipiuntur tamen a prohibitione ingressus personæ necessariæ, quum id necessitas exigat. — 26. Episcopus potest prohibere, ne quis sine sua, aut commissarii sui licentia ad monasteria monialium etiam colloquendi causa accedat. — 27. Alia ad rem. *Remissive.*

(1. Clausura Monasteriorum quorumcumque virorum Regularium asseritur, sublata quibuslibet dispensandi facultate; Benedict. XIV. *tom.* 1 *Constit.* 30. incip. *Regularis disciplinæ.* (2. Revocat quæcumque Indulta, et Privilegia admittendi fœminas intra Clausuram Conventuum quacumque de causa etiam devotionis, associandi processiones, et Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. Idem *ibid.* § 4. (3. Prohibet quibuscumque, etiam Cardinalibus, sive singulis, sive eorumdem Cardinalium Congregationibus sub pœna nullitatis et sub Ecclesiasticis Censuris Papæ, (excepto mortis articulo) reservatis, ne facultates et licentias ingrediendi Clausuram Conventuum Religiosorum fœminis ullo modo concedant. Idem *ibid.* § 4. *et* 5. Vide verb. *Conventus art.* 3. *n.* 36. ubi alia necessaria ad rem.

(4. Clausura Monialium constabilitur ab eodem Pontifice *Constitut.* 21. incip. *Cum Sacrarum,* in qua Monialibus in Portugalliæ, et Algarbiorum Monasteriis rigorosam Clausuram professis, et extra illam degentibus, injungitur reditus ad claustra et egressus in posterum prohibetur; sublata quibuscumque facultate in posterum indulgendi egressum e Monasteriis. Et *Constitut.* 40. incip. *Salutare,* in qua universaliter de Clausura Monialium confirmantur sanctiones Ecclesiasticæ antea editæ, ac revocantur facultates extraordinariæ permittendi ingressum, et egressum e Monasteriis; et prohibetur quibuscumque, etiam Cardinalibus, sive singulis, sive eorumdem Cardinalium Congregationibus, ne facultates et licentias ingrediendi Clausuram Monialium ullo modo concedant sub pœnis nullitatis, et sub Ecclesiasticis Censuris Papæ (excepto articulo mortis) reservatis. Vide verb. *Monialis, art.* 3, *num.* 99. ubi alia necessaria ad rem. (5. Insuper super Monialium Clausura Constitutiones Apostolicæ, et Conciliares innovantur; (6. et Ordo præscribitur pro introductione mulierum in Monasteria, ab eodem Pontifice, *tom.* 2. *Constitut.* 26. incip. *Per binas,* de quibus sub verb. *Educandæ et famulæ.*

(7. Clausuram Monialium violantes ad malum finem quicumque sint, comprehensis etiam ipsis Monialibus in casibus publicis, non potest Card. Major Pœnitentiarius absolvere, nec mandare absolvi, nisi pro ipsis Episcopi seu Ordinarii supplicaverint, et casus in Sacra Congregatione Episcoporum et Regular. deducti non fuerint. Idem *Constitut.* 95. incip. *Pastor. bonus* § 38.

(8. Episcopo licitum est ad impartiendam benedictionem Moniali in mortis articulo constitutæ Monasterium intrare. Idem *tom.* 2. *Constit.* 34. incip. *Pia Mater.* (9. Sed ad hunc effectum intra Monasterii septa se se conferens, comites habere debet ordinarium Confessarium dicti Monasterii, aliumque Sacerdotem ipsius arbitrio eligendum. Idem *ibid.*

(10. Moniales post Professionem, neque etiam ad breve tempus exire possunt e Monasterio, nisi ex aliqua legitima causa ab

Digitized by Google

Episcopo approbanda. Causæ autem sunt ex Extrav. Pii V. incipit *Decori*, incendium, lepra, et epidemia. *Inst. Eccl.* 85. § 14.

(11. In consecratione tamen ex præscripto Pontificalis Romani exire debent e Clausura, et ingredi in Ecclesiam senioribus matronis eas comitantibus, et statim ad Clausuram redire. *Ibid.* § 30.

(12. Denique occasione consecrationis earumdem Monialium non licet Episcopo ingredi in Clausuram, nec multo magis licet id agere Magistro cæremoniarum, et consanguineis consecrandarum virginum, ita ex eod. decreto; *ibid.* § 21.

(13. Violantes Clausuram Monialium ad malum finem, non tamen prætextu facultatum obtentarum, non evitant excommunicationem reservatam Pontifici, quam etiam incurrunt admittentes hujusmodi violatores, neque excusantur ex contraria consuetudine, etiam post Concilium introducta. Ita ex alio Decreto Sac. Cong. *ibid* §. 26.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(14. Clausura Monialium vigore Concilii Tridentini Episcopi curæ subjicitur, ita ut in cujusque Ordinis Moniales, etiam eas quæ a Regularibus reguntur et alias sunt exemptæ, is solus auctoritatem habeat in his, quæ Clausuram concernunt; uti etiam expressit Pius V. in Bulla, *Cura Pastoralis.*

(15. Hujus Clausuræ modus et effectus est, ut Monialibus post professionem egredi non liceat Monasterii sui Claustra, sive interiora septa, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda, indultis quibuscumque et privilegiis non obstantibus, uti loquitur Concilium Tridentinum.

(16. Licet Synodus Tridentina non expresserit quæ sit ad id censenda justa Causa, eamque Episcopi judicio permississe videatur, tamen Pius V. nullo alio prætextu egressum permitti voluit, nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ aut epidemiæ.

(17. Credit nihilominus Barbosa post alios ab ipso citatos, quod non obstante restrictione Pii V. Moniales possint exire e Monasterio etiam ex aliis causis in ipsa Pii V. Bulla nominatim non expressis: verb. gr. tempore belli, quum periculum imminet invasionis a militibus, multaque incommoda sustinendi, nisi se in locum tutum recipiant.

(18. Alter effectus Clausuræ Monialium est, prohibitus quarumcumque personarum extranearum ad Moniales accessus.

(19. Ita ut nullus Monasteria Monialium intrare possit sine licentia in scriptis obtenta; quemadmodum decretum fuit a Synodo Tridentina.

(20. Dare autem Episcopum debere in casibus necessariis hujusmodi licentiam, patet ex eodem Decreto.

(21. Hæc autem necessitas ingrediendi a Tridentino requisita sic recepta est, ut etiam ipsi Prælati tam Sæculares quam Regulares, quibus cura et regimen Monasteriorum incumbit, auctoritate sibi ex officio attributa uti non possint, nisi in casibus necessariis: qua facultate si forte uti aliquando contigerit paucis iisque senioribus ac religiosis personis comitati ipsi Monasteria ingredi studeant; quemadmodum præscripsisse videtur Gregorius XIII. in Bulla quæ incipit, *Dubiis.*

(22. Casus necessarii, quibus Episcopis licet ingressum personarum sæcularium permittere, intelliguntur respectu Monasterii, non autem respectu ingredientis; uti sæpius declarasse Sacr. Congregationem testatur. Fagnanus ad *c. Quum Virum, tit. de Regularibus n.* 20.

(23. Clausuram Monialium ita servari jusserunt pleræque Synodi, ut nec Præfectum Monialium, sive Capellanum, aut alium Sacerdotem ingredi patiantur eam Ecclesiæ partem, ubi ipsæ psallunt, ne quidem prætextu ibidem celebrandi vel concionandi.

(24. Neque in vestitionum aut professionum solemnitatibus licitus esse potest ingressus ad Moniales, et id tam viris quam mulieribus etiam illustribus; sed omnes per cancellos ipsis colloqui debent.

(25. Excipiuntur tamen, quum id necessitas exigat personæ necessariæ ut pote Confessarius, quum ad ægrotantium Monialium, quæ ad Confessionale accedere non possunt, Confessiones audiendas, aut Sanctissimum Eucharistiæ vel Extremæ Unctionis Sacramentum ipsis deferendum et similia caritatis officia iisdem ægrotis impertienda, erit admittendus; item Medicus, Chirurgus, Bajulus vini aut cerevisiæ faber, et similes personæ, quas omnes duæ antiquiores Sanctimoniales semper comitari tenentur.

(26. Episcopum posse prohibere, ne quis sine sua aut Commissarii sui licentia ad Monasteria Monialium etiam colloquendi causa accedat, docet Fagnanus ad *cap. Quantum, tit. de Privilegiis num.* 11.

(27. Alia ad rem, vide verb. *Conventus, art.* 3. et verb. *Moniales, art.* 3.

CLAVI CRUCIFIXIONIS CHRISTI.

SUMMARIUM.

1. Clavis tribus an quatuor fuerit Christus affixus Cruci. — 2. Tribus solummodo Clavis Christum fuisse crucifixum, unde invaluit opinio. — 3. Sententia probabilior tenet quod quatuor et non tribus fuerit Jesus Christus cruci affixus. — 4. Afferuntur auctoritates.

(1. Clavis tribus an quatuor fuerit Christus affixus Cruci non parva est inter doctores controversia. (2. Tribus solummodo Clavis fuisse Christum crucifixum, jam invaluit opinio, quod Pictores tribus Clavis tantummodo Christum Cruci affixum hoc tempore pingant. (3. Ast cum ex Sacra Scriptura tum prophetica, tum Evangelica habea-

Digitized by Google

tùr expresse, nullum est Christi corpore os fractum fuisse, aut comminutum, nec facile percipi possit, quod non fuisset aliquod os fractum, si tribus solum Clavis fuisset Christus crucifixus, utrumque pedem alterum alteri impositum uno solo Clavo longiori et crassori trajiciendo, probabilius videtur dicendum, quod quatuor, et non tribus solum Clavis fuerit Christus Cruci affixus. (4. Sic tenent Gregorius Turonensis *de gloria Mart, lib.* 1, *cap.* 6. dicens quod Clavi Dominici quatuor fuerint, scilicet: *Duo sunt affixi in plantis, et duo in palmis.* Summus Pontifex Innocentius III. *Serm. de uno Martyre*, ibi; *Fuerunt clavi quatuor, quibus manus crucifixæ sunt, et pedes affixi;* Ajala in opere *Pictor Christianus, lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 9. *et seq.* ubi cum pluribus aliis, id asserit; Bellarminus *de septem Christi verbis*, in proœmio; Rocca *de Partic. Crucis, tom.* 1. *pag.* 261. veteres omnes refert imagines Christi quatuor Clavis crucifixi, Justus Fontaninus Archiep. Ancyranus Dissertat. de *Corona Ferrea* expresse dicit, quod opinio de quatuor Clavis est vetustior, ac propterea digna, ut eam omnes sequantur. Hanc de facto sequuntur Card. Gottus, Serrj, Sandinus, Gretserus, Lambertinus Benedictus XIV. *de Festis D. N. J. C.* n. 279. ipsos allegans, et plura erudite suo more adducens; sicque alii plures, et Græci passim quatuor assignant, singulos singulis manibus ac pedibus Crucifixi.

CLERICUS.

ARTICULUS I. — *Quoad ea, quæ concernunt Clerici nomen, habitum, et tonsuram.*

1. Clerici nomen unde veniat. — 2. Ideo dicuntur Clerici, quia sunt de sorte Domini, et Domini partem habent. — 3. Clerici describuntur. — 4. Clericorum nomen bifariam potest sumi; scilicet large, seu generaliter, et stricte seu specialiter, magisque proprie. — 5. Clericorum nomine large, seu generaliter capto, in materia favorabili, veniunt omnes omnino Clerici, sive sint primæ tonsuræ. — 6. Sive in minoribus, et majoribus ordinibus sint constituti. — 7. Sive etiam sint Canonici Ecclesiarum cathedralium, et collegiatarum. — 8. Sive sint in quacumque dignitate constituti, etiamsi sint episcopi. — 9. Sive etiam sint Cardinales. — 10. Imo in materia favorabili veniunt etiam monachi, quinimo et moniales. — 11. Et quantum ad hoc etiam conversi, et conversæ. — 12. Etiam novitii, et novitiæ. — 13. Tertiarii, et tertiariæ mendicantium in congregatione, et communitate viventes. — 14. Item moniales tertiariæ in propriis domibus viventes, virginalem, et cælibem vitam ducentes ex voto castitatis de Ordinarii licentia emisso. — 15. Item eremitæ habitum eremiticum ex legitima facultate deferentes, et sub speciali obedientia episcopi, vel alterius prælati alicui Ecclesiæ, vel eremitorio in communitate, vel separatim deservientes. — 16. Item omnes illi, qui assumpto habitu religioso monialium servituti sunt addicti, et pro illis eleemosynas quærunt, et prope monasterium, earum more degunt. — 17. Sic etiam laici, qui habitu clericali incedunt, et inserviunt congregationi presbyterorum, qui collegialiter sub certo superiore modo religioso vivunt. — 18. Item equites Sancti Joannis Hierosolymitani, vulgo dicti *Cavalieri di Malta.* — 19. Clericorum nomine stricte, seu specialiter in materia odiosa, veniunt dumtaxat soli inferiores clerici sæculares; non autem Canonici, Abbates, aliique in dignitate ecclesiastica constituti; nisi secus exprimatur, vel aliunde de opposito constet. — 20. Sic nomine clericorum in odiosis non veniunt Episcopi, eorumque superiores; et multo minus S. R. E. Cardinales. — 21. Nec veniunt Canonici, aliique in dignitate ecclesiastica constituti. — 22. Nec etiam nomine clericorum in odiosis veniunt monachi, seu regulares utriusque sexus, nisi istud exprimatur, vel ex subjecta materia, aliisque circumstantiis secus appareat. — 23. habitum, et tonsuram clericalem gerere tenentur clerici in sacris ordinibus constituti, et etiam clerici inferiores, si beneficium ecclesiasticum habeant. — 24. Imo clerici in sacris, seu beneficiati habitum ordini et dignitati convenientem non deferentes, subjiciuntur gravissimis pœnis, quæ assignantur; ad n. 25. — 26. Clerici vero in prima tonsura, aut etiam in minoribus ordinibus constituti, et beneficia ecclesiastica, seu jus ad illa nondum habentes, non tenentur deferre habitum, et tonsuram clericalem, nisi causative, quatenus velint gaudere privilegiis clericalibus. — 27. Clerici in prima tonsura, aut etiam in minoribus ordinibus constituti, non gaudent privilegio fori, nisi habeant aliquam ex tribus illis conditionibus, quas requirit Concilium Tridentinum, et quæ hic assignantur. — 28. Sufficit autem quælibet trium conditionum a Concilio Tridentino præscriptarum, ut clerici tonsura clericali insigniti, vel etiam in minoribus ordinibus constituti, privilegio fori gaudeant. — 29. Qualitas, et forma habitus clericalis, licet in jure communi non reperiatur in omnibus, et per omnia determinata, et stabilita, habentur tamen tum in jure communi, tum in Conciliis, tum in constitutionibus Pontificiis varia præscripta circa habitum clericorum. — 30. In primis enim præscribitur; ne clerici utantur vestibus sæcularibus sub pœna excommunicationis. — 31. Secundo præscribitur, ut clerici pannis rubris, aut viridibus, nec non manicis, aut sotularibus consutitiis, frenis, sellis pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus non utantur. — 32. Tertio præscribitur, ut clerici fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri, vel argenti ornatum habentes, sed nec annulos, nisi quibus competat ex officio dignitatis. — 33. Quarto præscribitur, quod clerici non utantur publice veste virgata, vel partita, nisi rationabilis causa subsit; et quid per talem vestem intelligatur. — 34. Quinto præscribitur, ut vestimenta etiam, vel calceamenta clericis, nisi, quæ religionem deceant, uti, aut habere non liceat. — 35. Sexto præscribitur, ut clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate, vel longitudine non notanda. — 36. Septimo jubentur clerici secundum Aaron talarem vestem induere. — 37. Per talarem vestem, quid intelligatur; ad n. 38. — 39. De primo ad ultimum vestes clericorum debent sic suo statui esse decentes, ut non sint pomposæ, aut vanam jactantiam, vel superfluitatem redolentes. — 40. Unde Concilium Tridentinum expresse statuit, quod oportet clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre. — 41. Caveant igitur clerici, ne nimio cultu in vestitu utantur; scientes quæ detestando eorum culpam scribunt Sancti Patres; ad n. 43. — 44. Laudabilis tamen est decor, et competens vestium ornamentum juxta qualitatem, et dignitatem personarum: dummodo in his redoleat clericalis modestia, et caveatur excessus. — 45. Tonsura ecclesiastica secundum divum Isidorum originem sumpsit a Nazaræis. — 46. Secundum alios originem sumpsit ex quodam facto in sancto Petro Apostolo successo; quod hic refertur; ad n. 47. — 48. Tonsura ecclesiastica fuit in usu usque de tempore Apostolorum. — 49. Reprobatur Calvinus aliter sentiens. — 50. Tonsura clericalis antiquitus fiebat raso desuper capite in modum

Digitized by Google

sphæræ, et inferius quoque, ita ut patentibus auribus, sola capillorum corona circa caput remaneret. — 51. Progressu tamen temporis introductum fuit, atque hodie ab Ecclesia generaliter receptum, ut dicta corona capillorum a monachis aliisque regularibus, nec non a Romano Pontifice retenta, reliqui Clerici sæculares loco ejusdem coronæ solummodo circulum aliquem modicum in superiori parte capitis abrasum gerant. — 52. Corona, et tonsura debet esse congruens cujuslibet statui, et ordini; ad n. 53. — 54. Hujus tonsuræ, seu coronæ mystica significatio declaratur. — 55. Clerici in sacris, vel beneficiati, licet in prima tonsura, aut etiam in minoribus ordinibus constituti, si per longum tempus tonsuram, et habitum clericalem non deferant, et comam sine causa nutriant, peccant mortaliter, et subjacent gravissimis pœnis, nec non excommunicationi; ad n. 58. — 59. Dantur tamen plures casus, in quibus habetur justa causa non deferendi habitum, et tonsuram. Primo igitur nullam incurrit culpam, et pœnam clericus incedens absque habitu, et tonsura clericali, quando id facit ex causa justi timoris. — 60. Secundo nullam incurrit culpam, et pœnam, qui non defert tonsuram propter infirmitatem, vel non defert habitum proprio ordini congruentem ratione magnæ paupertatis. — 61. Tertio nullam incurrit culpam, et pœnam, qui domi suæ, atque in occulto habitum clericalem dimittit. — 62. Quarto nullam incurrit culpam, et pœnam Clericus itinerans, vel peregrinans, qui in itinere brevioribus utitur vestibus. — 63. Quinto excusatur Clericus, qui semel habitum dimittit. — 64. Clericorum delectus et regimen episcopis summopere commendatur. — 65. Clerici operam dare debent instruendis fidelibus in doctrina christiana. — 66. Clerici antequam ordinentur in sacris, studium saltem theologiæ moralis præmittere tenentur. — 67. Sacerdotum penuria non satis est causæ, ut Clerici illiterati ad sacros ordines promoveantur. — 68. Clerici ordinandis in sacris cogendi sunt ad præmittenda exercitia spiritualia decem dierum. — 69. 70. An Episcopus possit præcipere ut Clerici minoribus ordinibus initiati, vel etiam majoribus, ad sacros ordines ascendant. — 71. 72. Christiani vel Clerici sunt, vel laici. — 73. 74. Clerici pro duplici functionum genere sunt duplicis generis. — 75. Gradus Clericorum diversi vocantur ordines. — 76. 78. Primis sæculis Clerici a laicis nec capillis, nec vestibus fuerunt distincti. — 79. 81. Tonsura an data fuerit separatim ab omni ordine. — 82. Probatio tonsuræ quomodo fieri possit. — 83. Occasio, ut Clerici peculiares vestes elegerint, unde tracta sit. — 84. De variâ Ecclesiæ disciplina circa vestem clericalem. *Remissive.* — 85. De veste Clericis convenienti.

ARTICULUS II. — *Clericus quoad privilegium Fori, et Canonis.*

1. Per privilegium fori quid intelligatur. — 2. Per privilegium Canonis, quid intelligatur. — 3. Clerici, et monachi, seu regulares gaudent privilegio fori. — 4. Nomine Clericorum, quantum ad privilegium fori, veniunt omnes omnino Clerici, sive sint primæ dumtaxat tonsuræ, aut in ordinibus minoribus constituti, sive sint constituti in majoribus ordinibus, aut etiam in dignitate ecclesiastica. — 5. Sic etiam nomine Clericorum, quantum ad privilegium fori, veniunt monachi, et regulares omnes, tam professi, etiam conversi, quam novitii; imo et moniales earumque conversæ, et novitiæ. — 6. Clerici tamen minoristæ non gaudent privilegio fori, nisi habeant aliquam ex tribus illis conditionibus, quas requirit in ipsis Concilium Tridentinum, et quæ hic assignantur. — 7. Sufficit vero quælibet trium conditionum a Concilio Tridentino requisitarum, ut Clericus tonsura clericali insignitus, vel etiam in minoribus ordinibus constitutus gaudeat privilegio fori. — 8. Unde clericus habens beneficium, gaudet privilegio fori, licet clericalem habitum, et tonsuram non deferat. — 9. Imo gaudet privilegio fori Clericus primæ tonsuræ, qui beneficium ecclesiasticum a se possessum resignavit, reservata sibi pensione, licet habitu, et tonsura non incedat. — 10. Quinimmo Clericus primæ tonsuræ, seu minorista non incedens in habitu, et tonsura clericali, gaudet privilegio fori, nedum quando possidet beneficium, seu beneficium possessum resignavit cum pensione, sed etiam ante adeptam beneficii possessionem, dummodo constet de valida collatione. — 11. Clericus tonsuratus, vel minorista non habens beneficii possessionem, nec titulum, nec pensionem, ut fori privilegio gaudeat, requiritur, et sufficit unum ex tribus infrascriptis, videlicet, quod clericalem habitum, et tonsuram deferens alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat, vel quod clericalem habitum, et tonsuram deferens in aliquo seminario de licentia Episcopi degat, vel quod in habitu et tonsura incedens in aliqua schola de licentia Episcopi versetur. — 12. Ita tamen, ut habitum clericalem, et tonsuram simul deferat. — 13. Clericus minorista in habitu, et tonsura deserviens Ecclesiæ gaudet privilegio fori, licet non deserviat ex mandato Episcopi. — 14. Sic etiam Clericus inserviens alteri Ecclesiæ, quam cui fuit adscriptus, gaudet privilegio fori. — 15. Imo, licet nulli Ecclesiæ esset adscriptus, talis clericus aliqui Ecclesiæ inserviens, adhuc gauderet privilegio fori; ad num. 16. — 17. Clericus, si habitum a se gestari solitum, aliqua occasione ad breve tempus deposuerit, non ideo fori privilegium amittit. — 18. Sic Clericus beneficiatus solitus incedere in habitu, et tonsura, licet aliquando talem gestationem interniserit, non incidit in pœnam privationis beneficii impositam a Sixto V. nec amittit fori privilegium. — 19. Imo Clericus beneficio privatus ex bulla Sixti V, eo quod habitum, et tonsuram non detulerit, fori privilegium non amittit ante latam a judice ecclesiastico declaratoriam super facto, vel delicto, id est quod habitum, et tonsuram clericalem minime gestaverit. — 20. Clericus non beneficiatus, solitus tamen Ecclesiæ inservire, et in habitu, et tonsura incedere, si noctu, vel interdiu in habitu laicali deprehendatur cum armis, gaudet privilegio fori. — 21. Clericus gaudet privilegio fori non obstante irregularitate contracta ob homicidium. — 22. Clerici enim non possunt citari ad forum laicale. — 23. Clericus, qui post commissum delictum, sine ullâ fraude clericatum assumpsit, gaudet privilegio fori, tam quoad personam, quam quoad bona. — 24. Si vero post commissum delictum in fraudem clericatum assumpsit, gaudet adhuc privilegio fori quoad personam. — 25. At non gaudet privilegio fori, quoad bona, si judex laicus post commissum delictum, ante illius promotionem, prævenit in causa. — 26 Judex tamen sæcularis prævenions non potest in bonis talis Clerici procedere, nisi postquam judex ecclesiasticus pronuntiaverit eum in fraudem curiæ sæcularis promotum fuisse. — 27. Clericus, qui dimisso habitu, et tonsura deliquit, et postea habitum, et tonsuram sumpsit, et Ecclesiæ inservivit, gaudet privilegio fori, nisi reassumpserit habitum in fraudem. — 28. Ad judicem ecclesiasticum spectat declarare, an ipse Clericus reassumpserit habitum in fraudem, nec ne. — 29. Et ad hoc adducitur notabilis cujusdam casus decisio. — 30. Quinimo Clericus, etiamsi propria auctoritate habitum clericalem reassumat post delictum et processum, et fidejussionem det de se præsentando coram judice laico, gaudere debet fori privilegio, et est liberatus a jurisdictione judicis laici quoad personam. Quod si subsit fraus, quam judex ecclesiasticus cognoscere, et declarare debet, potest judex laicus processui finem imponere, et contra illum realiter quoad bona procedere. — 31. Clericus, qui ante carcerationem reassumpserat habitum, fori privilegio gaudet. — 32. Clericus reassumens habitum, et tonsuram post prætensum delictum a se commissum,

Digitized by Google

gaudere debet privilegio fori ecclesiastici, tam quoad personam, quam quoad bona; etiam ex constitutionibus regni. — 33. Et Clerico licet reassumere habitum absque alia licentia Episcopi. — 34. Si tamen Clericus voluntarie, et expresse deponendo habitum, ipsum renuntiet in actis curiæ episcopalis cum acceptatione, et approbatione, et cum declaratione, quod absque illius licentia habitum non reassumet, non potest propria auctoritate ipsum reassumere. — 35. At vero, si Clericus in carceribus detentus, aut in alio loco, quem tenet loco carceris, renuntiet privilegiis clericalibus, aut beneficiis, poterit habitum reassumere clericalem sine licentia episcopi, et jura ad beneficium renuntiatum, non obstante decreto acceptationis. — 36. Licet Clericus per demissionem habitus, et tonsuræ, ante trinam monitionem, non perderet privilegium fori ex cap. *Contingit* 45. de sentent. excommunicat., tamen Clericus minorem dinum non beneficiatus, nisi habitum, et tonsuram deferat, et Ecclesiæ inserviat, vel in seminario, aut aliqua schola, vel universitate de licentia Episcopi versetur, perdit privilegium fori sine alia monitione ex Concilio Tridentino, et declaratione Sacræ Congregationis ejusdem Concilii. — 37. Nec ubi adsit, observanda est consuetudo, secundum quam Clerici habitum, et tonsuram deferentes, fori privilegio gaudeant, licet beneficium ecclesiasticum non habeant, nec alicui Ecclesiæ inserviant, vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel universitate de licentia episcopi versentur. — 38. Clericis tamen non habentibus supradicta requisita Concilii non adimitur perpetuo privilegium fori, sed suspenditur ad tempus. — 39. Clericus non habens requisita Concilii, quamvis non gaudeat privilegio fori ecclesiastici, et forum judicis sæcularis declinare non possit; tamen si adhuc se gerat pro Clerico, potest puniri etiam ab Episcopo, et est locus prævention. — 40. Imo potest Episcopus procedere etiam in causis similium Clericorum, in quibus non prævenit. — 41. Clericus repertus a curia seculari sine habitu clericali, donec doceat de suo clericatu, in carceribus laicis potest detineri; dummodo non sit notorie Clericus; et si per octo menses ante carcerationem habitum dimiserit, privilegio clericali nullo modo gaudet, si a curia, ut supra, captus fuerat in tali habitu. — 42. Clericus, qui in habitu, et tonsura se immiscet enormitatibus, et pluribus vicibus, censetur absque monitione renuntiasse privilegio clericali; secus si in habitu laicali hæc perpetrasset, quia tunc requiritur monitio. — 43. Clericus in minoribus constitutus recusans frequentare scholas, et Ecclesiam, non potest privilegio fori privari, si adsit probabilis spes profectus. — 44. Clerici filius legitimus ante clericatum susceptus, gaudet privilegio fori, durante vita ejus patris. — 45. Clericus non potest verbis renuntiare privilegio fori, nec judicem laicum sibi constituere; etiamsi proprium juramentum, et adversarii consensus accedat. — 46. Clericus si, a prælato suo tertio monitus, non reassumat habitum, et tonsuram, perdit privilegium clericale. — 47. Licet clerici in prima tonsura constituti, vel minoristæ non habentes beneficium ecclesiasticum, aut alias qualitates a Tridentino requisitas, privilegio fori non gaudeant, tamen privilegio Canonis non sunt privati. — 48. Unde percutiens hujusmodi Clericum incidit in excommunicationem Canonis. — 49. Quænam autem personæ gaudeant tali privilegio Canonis, et quænam censeantur illud violare. *Remissive.* — 50. Privilegio fori, et Canonis gaudent ne tum Clerici cælibes, sed etiam Clerici conjugati in Minoribus existentes. — 51. Ad hoc tamen, ut gaudeant his privilegiis, debent habere tres conditiones, quæ assignantur. — 52. Clerici conjugati ad hoc, ut gaudeant his privilegiis, debent habere copulative omnes tres supradictas conditiones, quarum una deficiente, nullo prorsus gaudent privilegio clericali. — 53. Clerici conjugati habentes supradictas tres conditiones, gaudent privilegio fori, nedum in causis criminalibus, sed etiam in causis mere civilibus; *ad num.* 54. — 55. Imo gaudent privilegio fori in causis mere civilibus, etiam independentibus a criminalibus. — 56. Clerici conjugati non possunt conveniri coram judice laico. — 57. Unde Clerici conjugati ad solutiones, ad quas de jure tenentur, non possunt cogi, nisi coram judice ecclesiastico. — 58. Clericum conjugatum carcerantes excommunicantur. — 59. Clericum conjugatum Episcopus tueri debet, ne vexetur a curia laica. — 60. Invocato etiam, quatenus opus sit, brachii sæcularis auxilio. — 61. Clericus conjugatus indulto apostolico dispensatus ab obligatione incedendi in habitu, et tonsura, gaudet privilegio fori. Clericus conjugatus habens omnia requisita excepto, quod non constat de deputatione ad servitium Ecclesiæ certæ, et particularis, inserviens tamen Ecclesiæ in genere, gaudet privilegio fori. — 62. Clericus conjugatus exercens artem merciariam cum mensuris fraudulentis, puniendus est ab Ordinario. — 63. Clericus conjugatus, qui post fugam a triremibus, ad quos a suo Episcopo damnatus fuerat ad septenium, ob nova delicta carceratus fuit a curia laicali, remittendus est Episcopo, qui postea remitti faciat ad triremes. — 64. Subdiaconus qui in vim dispensationis apostolicæ cum vidua matrimonium contraxit, et pensiones ecclesiasticas obtinet, de jure gaudet privilegio fori. — 65. Clericus conjugatus gaudet exemptione ab oneribus personalibus, et aliis de consuetudine competentibus. — 66. Clericus conjugatus est exemptus ab onere capitationis tamquam personali, etiamsi exerceat aliquam artem; dummodo non sordidam, sed honestam. — 67. Non gaudent tamen Clerici conjugati exemptione ab oneribus realibus, nisi succedant loco personalium, vel adsit consuetudo ad eorum favorem. — 68. Sic Clerici conjugati non gaudent exemptione a solutione collectarum, nisi adsit consuetudo contraria. — 69. Nec Clerici conjugati sunt exempti, circumscripta consuetudine ad eorum favorem, ab impositione taxæ, quæ non sit onus personale. Sic Clerici conjugati non sunt exempti ab oneribus etiam mixtis, non concurrente consuetudine legitima ad eorum favorem. — 70. Unde Clerici conjugati, circumscripta consuetudine ad eorum favorem, de jure communi non gaudent exemptione ab hospitatione militum, cum sit onus mixtum. — 71. De jure enim communi Clerici conjugali nullo gaudent privilegio clericali in rebus, seu bonis suis; ac proinde sicut alii uxorati tenentur præstare consuetas exactiones, seu collectas, et tributa. — 72. Clericus conjugatus non habens requisita cap. *Unic.* de Clericis conjugatis in 6. non gaudet privilegio fori. — 73. Unde Clericus conjugatus non incedens in habitu, et tonsura, imo exercens officium Gubernatoris armorum, conventus in curia Capitolina, ubi acquievit ad plures actus, sed postea petens gaudere privilegio fori, remittitur a Sacra Congregat. ad eamdem curiam Capitolinam. — 74. Clericus conjugatus habens servitium militare, cum functionibus mere militaribus, et laicalibus, non retinet privilegia cap. *Unic.* de Clericis conjug. in 6. — 75. Clericus conjugatus non gaudet privilegio fori, quando non incessit in habitu, et tonsura, aut fuit Capitaneus militiæ, et incubuit mercaturæ. — 76. Clericus conjugatus numquam incedens in habitu, et tonsura, nec inserviens Ecclesiæ, et exercens artem ruralem, non gaudet privilegio fori. — 77. Clerici gaudent privilegio fori de jure divino. — 78. Et probatur primo ex Sacra Scriptura, tum veteri, tum nova. — 79. Probatur insuper variis textibus juris canonici; ad n. 83. — 84. Adducitur ad id Concilium Tridentinum. — 85. Clerici gaudent privilegio Canonis solum jure ecclesiastico, et positivo inducto; ad n. 87. — 88. Clerici omnes, sive in Sacris, sive in minoribus, dimittentes habitum clericalem, et tonsuram ex sola vanitate, et negligentia, non per-

Digitized by Google

dunt privilegium Canonis ante trinam monitionem. — 89. Perdunt autem statim ante monitionem privilegium Canonis, si ex iniquitate, et malitia habitum clericalem, et tonsuram dimittant, seu deposito habitu, et tonsura clericali enormitatibus se immiscent. — 90. Privilegium tamen fori de jure communi non amittunt Clerici omnes, qui deposito habitu, et tonsura clericali, enormitatibus se immiscent, nisi ter moniti non desistant. — 91. Unde jure communi facilius perditur privilegium Canonis, quam privilegium fori.— 92. De jure autem Concilii Tridentini Clerici minoristæ perdunt hodie difficilius privilegium Canonis, quam privilegium fori; ad n. 93. — 94. Loquendo vero de Clericis in sacris, standum est dispositioni juris communis, quod ipsi non amittant privilegium fori, nisi ter moniti non desistant ab enormitatibus, quibus se immiscent, habitu, et tonsura clericali depositis. — 95. Et consequenter quod facilius ipsi amittant privilegium Canonis, quam privilegium fori. — 96. Clerici in minoribus constituti, non servantes præscripta Concilii Tridentini non gaudent privilegio fori in causis homicidii. — 97. Etiam expleta pœna eodem privilegio privati remanent. — 98. Utrum Clerici præscripta a Concilio Tridentino servaverint, ab ordinariis est declarandum. — 99. Simplices tonsurati non beneficiati, etiam servantes præscripta Concilii, privantur privilegio fori post duo homicidia. — 100. An admittenda sint ab Episcopis Principum privilegia a summis Pontificibus concessa. — 101. 104. An simplex Clericus, qui privilegium fori amisit, eo quia non implevit, quod præscribit Concilium Tridentinum, amiserit simul alia privilegia Clericis concessa.

ARTICULUS III. — *Clericus quoad negotia sæcularia.*

1. Negotium sæculare accipitur tripliciter, scilicet large, stricte, et strictissime. — 2. Negotium sæculare large acceptum quid, et quale sit. — 3. Negotium sæculare stricte acceptum quid, et quale sit. Hoc quamvis permissum sit laicis, Clericis tamen est interdictum. — 4. Clerici vacare debent Reipublicæ spirituali, laici vero Reipublicæ temporali. — 5. Negotium sæculare strictissime acceptum quid, et quale sit.—6. Clericis omnibus in sacris constitutis, aut in minoribus, congruam sustentationem habentibus, sive ex beneficio ecclesiastico, sive ex bonis patrimonialibus, est prohibitum negotiis sæcularibus se immiscere, cupiditatis, et turpis lucri gratia. — 7. Assignatur prima causa, cur Clericis sit interdicta negotiatio. — 8. Assignatur secunda. — 9. Assignatur tertia. — 10. Assignatur quarta. —11. Clerici exercendo negotiationes prohibitas peccant mortaliter, et possunt suspendi a divinis; imo et excommunicari, si tertio admoniti non resipiscant. — 12. Ultra culpam mortalem, et pœnas supra recensitas, Clerici negotiatores, si tertio admoniti, a negotiationibus non desistant, perdunt interim privilegium clericale, quoad bona. — 13. Dantur tamen plures casus, in quibus Clerici negotiationem exercentes nullam culpam, et pœnam incurrunt; et assignatur primus casus. — 14. Assignatur secundus. — 15. Assignatur tertius. — 16. Assignatur quartus. — 17. Afferuntur ad rem variæ petitiones factæ Sacræ Congregationi Concilii, et responsiones ab eadem emanatæ; usque ad num. 32. — 33. Afferuntur aliæ petitiones factæ eidem Sacræ Congregationi, et declarationes ejusdem Sacræ Congregationis; ad num. 45. — 46. Affertur alia Sacræ Congregationis Concilii responsio data dubio eidem Sacræ Congregationi proposito a Patre Passerino. — 47. Potest Episcopus prohibere Clericis minorum ordinum, et primæ tonsuræ, ne exerceant mercaturam, nec suscipiant appaltus aquæ vitæ, ceræ, tabacci, saponis, vel macinatus. — 48. Ex prædictis Sacræ Congregationis declarationibus satis aperte colligitur, posse Clericos dare operam negotiationibus illius speciei, quæ dicitur artificium; non autem negotiationi proprie sumptæ. — 49. Assignatur differentia intercedens inter negotiationem proprie sumptam, et artificium. — 50. Etiam tunc intervenit negotiatio Clericis interdicta, cum quis aliquam rem, v. g. lanam emit, ut suis expensis per mercenariorum, et opificum industriam, et laborem (non autem per semetipsum) aliquid efficiat, scilicet ex lana empta pannum conficiat postea venditurus, ut inde aliquid lucrari possit. — 51. Licet negotiatio proprie sumpta sit Clericis interdicta; tamen artificium, et manualis operatio absque fine turpis lucri non interdicitur Clericis; imo ipsis recommendatur. — 52. Nec enim tale artificium, et manualis operatio implicat ad peccatum, sicuti talis negotiatio. — 53. Quinimo tale artificium, et manualis labor, seu operatio ad multa bona inservit; primo enim principaliter inservit ad victum quærendum; ad. n. 55. — 56. Secundo artificium seu operatio manualis inservit ad tollendum otium; negotium enim est quasi negans otium. — 57. Tertio artificium, seu labor manualis inservit ad concupiscentiæ refrænationem. — 58. Quarto artificium, seu operatio manualis inservit ad evitanda furta, et ad eleemosynas faciendas. — 59. Inter negotia, artes et officia Clericis prohibita, multa alia reperiuntur; primo prohibentur Clerici præsertim beneficiati, aut in sacris constituti agere officium Procuratoris, et Advocati in foro sæculari; ad n. 60. — 61. Quod est intelligendum, etiamsi laici essent principes, aut alii magni Domini. — 62. Secundo prohibentur Clerici esse principum vices gerentes, vicedomini, cancellarii, locorum præfecti, aut præpositi, judices, administratores, vel quomodocunque alia ratione officiales. — 63. Tertio prohibentur Clerici, præsertim sacerdotes, ne inserviant laicis in officiis vilibus domus, feminisque nobilibus ancillentur. — 64. Quarto specialiter prohibetur Clericis officium tabellionis, seu notarii publici agere. — 65. Possunt tamen Clerici tam regulares, quam sæculares esse notarii, ac tabelliones in causis fidei pro favore ejusdem. — 66. Possunt etiam Clerici esse notarii Papæ, aut in curia Romana. — 67. Possunt insuper Clerici esse notarii in locis, ubi est consuetudo, præcipue in causis ecclesiasticis, seu spiritualibus coram judice ecclesiastico — 68. Fagnanus tamen variis solide adductis sententiam contrariam sequitur, et propugnat. — 69. Quinto est Clericis absolute prohibitum, ne judicium sanguinis exerceant, aut sententiam sanguinis dictent, proferant, vel executioni sententiæ intersint, et ne quidquam faciant, per quod ad vindictam sanguinis tendatur. — 70. Hinc Clerici, seu prælati ecclesiastici habentes jurisdictionem temporalem possunt, et debent causas sanguinis laico delegare; idque generaliter, et non specialiter. — 71. Sexto Clerici non possunt præponi ruptuariis, vel ballistariis, aut hujusmodi viris sanguinum. — 72. Unde non possunt Clerici constitui duces, vel capitani militum in bello. — 73. Septimo est prohibitum Clericis, et religiosis publice, seu in scholis vel universitatibus publicis jus civile, et physicam, id est medicinam audire. — 74. Privatim tamen, ac domi in camera non prohibentur religiosi, aut Clerici studere juri civili; præsertim si id faciant pro pleniori intellectu juris canonici ac theologiæ. — 75. Licet sit prohibitum religiosis, et Clericis publice jus civile, et medicinam audire, seu eis studere; non est tamen his prohibitum tale jus civile, et medicinam publice docere, et legere; ad n. 76. — 77. Octavo est prohibitum Clericis artem chirurgiæ exercere. — 78. Sic etiam est ipsis prohibitum artem medicinæ exercere. — 79. Hoc tamen limitatur in casu, quo urgente necessitate, et periculo mortis aliquis Clericus artem medicinæ, et chirurgiæ exerceat ex pietate, et charitate erga pauperes in defectu aliorum medicorum et chirurgorum. — 80. Et de facto indulgetur a Sacra Congregatione Concilii etiam presbyteris, ut possint aliquas compositiones

Digitized by Google

medicinales facere, ea distribuere in usum pauperum. — 81. Et solet etiam frequenter expediri a Secretaria brevium indultum pro sacerdotibus physicis, ut possint artem medicinæ exercere sine incursu irregularitatis, cum clausula tamen : *Gratis et amore Dei erga omnes, attenta penuria medicorum.* — 82. Et si adesset in brevi alia clausula, quæ ut plurimum apponi solet : *Dummodo nihil petas, sed a sponte dantibus ; a pauperibus vero nihil omnino recipias ;* tunc non posset medicus sacerdos a publico conduci mercede conventa. — 83. Clericis est prohibitum exercere tutelam testamentariam, et dativam extraneorum. — 84. Possunt tamen Clerici, si velint, tutelam legitimam consanguineorum usque ad quartum gradum subire. — 85. Non debent tamen administrationem suscipere, nisi accedente superioris licentia. — 86. Quæ licentia, ut solet expediri a Sacra Congreg. Episcop. et Regular. expediri consuevit sub hac formula, *Sacra Congregat., etc.* — 87. Ordinarie tamen talis facultas, et licentia solet concedi Clericis a propriis Episcopis. — 88. Adducitur formula dari solita. — 89. Quo vero ad tutelam testamentariam, et dativam extraneorum, sine Papæ, vel Sacræ Congregationis indulto Clerici ab Episcopo non dispensantur, nisi pro pupillis, pauperibus, orphanis, et viduis, aliisque miserabilibus personis. — 90. Quoad negotia Clericis vetita, attendenda est constitutio Benedicti XIV. incip. *Apostolicæ servitutis*, in qua multa statuuntur, quæ assignantur. — 91. Itidem attendenda est ad rem novissima constitutio fel. record. Clem. XIII, quæ per extensum affertur. — 92. 93. De sæcularibus negotiis Clericis prohibitis. *Remissive.* — 94. Series negotiorum sæcularium Clericis interdictorum. *Remissive.* — 95. 98. De negotiatione quæstuaria. — 99. An recollectio nivis in propriis puteis, ejusque venditio lucri causa pertineat ad negotiationem quæstuariam personalem. — 100. De contractibus a Clericis initis, qui continent negotiationem quæstuariam personalem. — 101. Quidnam intelligatur sub physicæ studio Clericis prohibito. — 102. De notariis, qui inserviunt Papæ, Regibus, Archiepiscopis, Episcopis, et magistratibus majoribus.

ARTICULUS IV. — *Clericus quoad cohabitationem cum mulieribus, et quoad choreas, larvas, comœdias, et alia spectacula publica.*

1. Clerici non possunt frequentare domicilia feminarum. — 2. Imo non solum Clericis est prohibitum frequentare domicilia feminarum, sed insuper est eis vetitum feminas ad sua domicilia admittere. — 3. Quotiescunque mulieres, quæ cum Clericis cohabitare permittuntur, sunt aliquo modo suspectæ, non tantum extraneæ, et famulæ, sed etsi consanguineæ sint, separandæ sunt, et arcendæ ab illorum domibus, licet sint senilis ætatis. — 4. Si nistra autem suspicione cessante, licitum est Clericis, et a jure concessum, in domo sua retinere rei domesticæ gratia, seu ob aliud honestum motivum matres, avias, materteras, amitas, et sorores, filias fratrum, aut sororum, aliasque stricto naturali fœdere sanguinis conjunctas. — 5. Quinimo cessante suspicione, nedum licitum est Clericis domi retinere supradictas feminas sibi conjunctas naturali fœdere sanguinis ; sed etiam alias extraneas pro re domestica sibi valde utiles, et necessarias. — 6. Ætas autem provecta, in qua cessat omnis aliena sinistra suspicio, et mulier, seu famula alias bonæ famæ, et honesta præsumitur cohabitare posse cum Clerico sine periculo incontinentiæ, est ordinarie ætas quinquaginta annorum. — 7. Possunt tamen interdum dari famulæ, seu mulieres tantæ bonæ famæ, et virtutis, ut etiam in minori ætate nullum relinquant sinistre, et male suspicandi locum ; sicut e contra possunt interdum dari aliæ, quæ licet in dicta ætate, aut simili, vel etiam in majori constitutæ, adhuc relinquant, seu præbeant sinistre suspicandi locum. — 8. Afferuntur ad id exempla, et decisiones Sacr. Congreg. Episcoporum, et Regularium. — 9. Unde remittitur prudentiæ et vigilantiæ Episcoporum, ut attenta ætate, qualitate, et morum honestate, tam Clericorum, quam mulierum, seu famularum, eis concedant, vel interdicant cohabitationem, prout eis melius in Domino expedire videbitur. — 10. Possun enim Episcopi de jure prohibere presbyteris, et Clericis, ne domi retineant famulas, nisi fuerint ab ipsis approbatæ, et absque sua licentia, quam gratis debent concedere. — 11. Dato autem quod mulier esset presbytero, vel Clerico conjuncta in gradu consanguinitatis de jure permisso, et tunc non videtur imponenda necessitas licentiam ab Episcopo impetrandi, etiamsi retineatur cum qualitate famulatus. — 12. Dummodo tamen non sit suspecta, quia in tali casu ob periculum incontinentiæ non posset retineri ; etiamsi esset sibi fœdere sanguinis stricte conjuncta. — 13. Clerici non possunt choreas, aut saltationes ducere ; nec ubi ducuntur publice interesse. — 14. Clerici non possunt personati incedere, seu larva, aut, ut vulgo dicitur, *Maschera* se tegere. — 15. Talis prohibitio potest ab Episcopo extendi etiam ad regulares. — 16. Clerici vitare tenentur comœdias, hastiludia, et alia hujusmodi vana spectacula, et hoc secundum plurimos classicos doctores sub peccato mortali. — 17. Nec ullo modo possunt Clerici recitare in comœdiis profanis, et Episcopi possunt statuere pœnam excommunicationis contra Clericos recitantes in ipsis. — 18. Nec mimis, jaculatoribus, et histrionibus impendere debent. — 19. Et quoad hæc attendenda est novissima Epistola de mandato Sanctissimi directa Vicario capitulari Aquilano. — 20. Clerici a profanis bacchanalium licentiis specialiter abstinere jubentur. — 21. 31. An Clerici vitare omnino teneantur comœdias, hastiludia, et alia hujusmodi vana spectacula. — 32. Quænam prohibeantur Clericis in *tit. Decret. de cohabitat. Clericor.* — 33. Prohibitio consortii Clericorum cum Agapetis. — 34. 35. Interdicta est Clericis omnis suspecta conversatio cum mulieribus extra domum. — 36. De variis prohibitionibus concubinatus Clericis factis. *Remissive.* — 37. 38. Episcopi adversus Clericos concubinarios procedere debent servato ordine præscripto a Concilio Trident. — 39. 44. Assignatur hic ordo. — 45. Quomodo puniatur simplex Clericus concubinarius, vel fornicarius. — 46. Quinam intelligentur nomine Clericorum concubinariorum, contra quos Episcopus ita procedere debet. — 47. 50. De cohabitatione Clericorum cum mulieribus extraneis. — 51. Quoad alia. *Remissive.*

ARTICULUS V. — *Clericus quoad ludos, cauponas, vel tabernas, crapulam, et ebrietatem.*

1. Clericis est severissime prohibitus alearum, seu taxillorum ludus, et maxime ille ludus, qui magis fortuna, quam arte, vel industria ludentium regitur. — 2. Imo non solum legibus ecclesiasticis, et canonicis est ludus prohibitus Clericis ; sed etiam legibus cæsareis, et civilibus. — 3. Unde doctores dicunt, quod Clericus lucri gratia, et pro notabili quantitate taliter ludens, peccet mortaliter ; præsertim si frequenter, aut publice cum scandalo aliorum id fiat. — 4. Secus vero esset dicendum, si privatim, ac sine scandalo ex bonis patrimonialibus, aut etiam ex redditibus beneficiorum suorum, sed solum in quantitate modica spectato statu suo, et redditnum copia, recreationis causa luserit ; ad n. 5. — 6. Ludus schaccorum, seu latrunculorum non est prohibitus Clericis, licet litteratis studio deditis sit minus conveniens. — 7. Sic etiam est Clericis permissus omnis ille ludus, qui consistit in ingenio, aut virtute corporis. — 8. Assignantur inconvenientiæ, quæ oriuntur ex ludis prohibitis. — 9. Ludo tria pretiosa amittuntur, scilicet tempus, pecunia, et devotio, et sæpe conscientia. — 10. Clerici cauponas, vel tabernas, nisi longioris itineris

Digitized by Google

causa, ingredi prohibentur. — 11. Et tanto minus eis tabernas habere licet. — 12. Tales Clerici, si ter personaliter moniti, non desistant; vel deinde reassumant; tunc si sint Clerici conjugati, omni carent privilegio clericali; si vero sint Clerici cælibes, carent privilegio clericali solum in rebus, dum incedant ut Clerici; et si incedant ut laici, carent etiam privilegio clericali in personis eo ipso, et quandiu in præmissis perstiterint. — 13. Quod tamen procedit, si hujusmodi artes exerceant per se, et personaliter; secus si per alium. — 14. Per tabernas autem, et cauponas intelliguntur domus, in quibus panis, vinum, et carnes coctæ, et alia hujusmodi venduntur. — 15. Crapula, et ebrietas sub gravissimis pœnis usque ad suspensionem ab officio et beneficio Clericis interdicta. — 16. Merito sunt statutæ tam rigidæ pœnæ contra Clericos crapulæ, et ebrietati deservientes; ad n. 17. — 18. Crapula quid sit. — 19. Crapula unde dicta. — 20. Ebrietas quid sit.—21. Ebrietas unde dicta.— 22. Crapula, et ebrietas licet omnibus prohibeantur, præcipue tamen damnantur in ecclesiasticis; ad n. 23. — 24. 26. An ludus schaccorum referendus sit ad ludum aleæ, Clericisque sit prohibitus.

ARTICULUS VI. — *Clericus quoad arma, et venationem.*

1. Clerici sine justa, et necessaria causa arma deferre non possunt. — 2. Quinimo est Clericis prohibitum arma deferre sub pœna excommunicationis. — 3. Unde inferunt doctores, quod Clerici arma prohibita deferendo peccant mortaliter; ad. n. 4. — 5. Sed quoad hoc, et omnia, quæ faciunt ad delationem armorum. *Remissive.* — 6. Venatio frequens, et voluptuosa, præcipue cum armis, et clamorosa, est Clericis interdicta. — 7. Venatio, quæ fit cum canibus, et falconibus propriis ex voluptate, dicitur clamorosa, et illicita. — 8. Unde juremerito observat S. Hieronymus, quod venatores fuisse Sanctos non legitur. — 9. Non minus urgent, quæ contra vitium venationis declamat S. Ambrosius. — 10. Unde neque Episcopis licet arma concedere Clericis pro sola voluptuosa venatione. — 11. Clericos arma deferre pro voluptuosa venatione est contra, et non juxta Sacros Canones. Unde Episcopi concedendo Clericis licentiam deferendi sclopum venatorium, non sunt immunes a culpa. — 12. Nec excusari possunt Episcopi prætextu, quod Canonum rigor abierit in desuetudinem, et quod contrarius fere ubique invaluerit usus. — 13. Talis excusatio improbatur hodie etiam a Sacro Concilio Tridentino. — 14. Affertur ad id Concilium Mediolanense.— 15. Affertur Decr. Sacr. Congr. Immunitatis.—16. Affertur, et solvitur instantia. — 17. Quamvis non sit licita Clericis venatio voluptuosa, tumultuosa et clamorosa, et moderata nimis frequenter facta; est tamen eis licita venatio quieta, et moderata raro facta, et non pro sola voluptate venationis, sed vel causa necessitatis, vel causa utilitatis, vel causa honestæ recreationis, ad n. 18. — 19. Et hoc venandi genus saltem approbasse videtur Sacra Congr. Immunitatis; ad n. 21. — 22. Venatio, quæ fit retibus, vel laqueis, moderatæ et honestæ recreationis gratia, et piscatio, et hujusmodi est licita Clericis; ad n. 23. — 24. Dummodo tamen non fiat in solemnitatibus majoribus. — 25. Et neque animo negotiandi. — 26. Et dummodo ab Episcopo eorum ordinario per edictum, vel in synodo, vel alias non prohibeatur. — 27. Licet venatio, et piscatio pro uno, eodemque jure ponantur, tamen inter venationem, et piscationem adest aliqualis differentia, quæ assignatur. — 28. Insuper piscatio differt a venatione, non solum tanquam jus magis licitum, et spectaculum minus cruentum, sed quia est magis humilis, et civilis. — 29. Et ideo piscatio ecclesiasticis personis indistincte permissa est, non autem venatio. — 30. Unde reperimus in jure impositas esse pœnas contra tales venatores, non autem contra piscatores; et assignantur tales pœnæ. — 31. Pœna suspensionis extenditur etiam ad Subdiaconos. — 32. Et etiam ad Clericos minoristas; ad num. 33. — 34. Et ideo laudantur illi ordinarii, qui sub determinatis, et arbitrariis pœnis interdicunt omnibus suis Clericis hujusmodi venationem, et delationem armorum. — 35. Quæ tamen pœnæ non debent esse nimis rigorosæ, præcipue in prima vice. — 36. Potest vero ab Episcopo prohiberi Clericis delatio sclopi sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, dummodo sint in sacris. — 37. Clerici deferentes arma contra prohibitionem Episcopi, possunt puniri, etiamsi non capiantur in fragranti, sed solum per testes fuerint visi. — 38. Clerici tamen, qui non abusive, et frequenter, sed raro, moderatione, et modestia servata, ac nunquam dimisso habitu clericali in saltu, vel in agro ad venandas aves recreationis gratia sclopo venatorio uterentur, non essent processandi, nec puniendi, sed cum eis esset connivendum, et dissimulandum. — 39. 40. Sententia asserens omnem quamcunque venationem a sacris Canonibus interdictam esse Clericis, magis juri conformis est. — 41. 44. An Clericus deferens arma, quæ statuto sæculari prohibita sunt, spoliari iisdem a ministris curiæ sæcularis possit. — 45. Prohibitionem venationis Canonibus tot Conciliorum Clericis factam accipiunt communiter Canonistæ de venatione *clamorosa*, et *periculosa*. — 46. Affertur contraria sententia.

ARTICULUS VII. — *Clericus, quoad immunitatem, et exemptionem.*

1. Clerici confugientes ad Ecclesiam gaudent immunitate Ecclesiastica. — 2. Clericus percussor alterius Clerici confugiens ad Ecclesiam gaudere debet immunitate. — 3. Etiam regularis captus in loco immuni pro delicto non excepto in bulla Gregorii XIV, gaudere debet immunitate ecclesiastica. — 4. Imo regularis sacerdos de ordine prioris conventus, et commissarii causæ criminalis extractus ab Ecclesia, ad quam confugerat e carceribus ipsius conventus restituendus est, et injungitur Archiepiscopo, ut mandet restitui. — 5. Clerici non tenentur ad solutionem onerum impositorum pro physico, chirurgo, et ludimagistro. — 6. Clerici non tenentur ad onera, nisi ea sint certa, realia et invariabilia. — 7. Clerici gaudent exemptione pro bonis patrimonialibus in totum, et etiam pro acquisitis, et donatis. — 8. Clerici ex solo charactere clericali gaudent exemptione ab impositionibus, collectis, et aliis oneribus. — 9. Etiamsi sint in minoribus, nec habeant requisita Concilii. — 10. Etiamsi in susceptione ordinis protestati fuerint, nolle eximi ab oneribus laicalibus. — 11. Etiamsi sint Clerici solum primæ tonsuræ, sunt exempti ab impositionibus laicalibus. — 12. Etiamsi ipsi Clerici habentes solum primam tonsuram, habitum, vel tonsuram non deferant, nisi tertio moniti, contumaces exstiterint. — 13. Clerici gaudent exemptione pro bonis patrimonialibus in portione sibi tangente. — 14. Clerici non tenentur ad gabellas, quando per alios, vel per se ipsos absque officii sui detrimento, arti sericæ operam dant cum foliis arborum in propriis bonis existentium. — 15. Clerici in minoribus constituti viventes simul cum eorum patribus non tenentur ad collectas, et alia onera pro bonis sibi donatis, nisi donationes sint fraudulentæ, et uti tales per judicem ecclesiasticum declaratæ. — 16. Clerici in minoribus etiamsi non se promovere faciant ad ordines sacros, gaudent exemptione ab impositionibus. — 17. Clerici sunt exempti a gabellis laicalibus etiam pro portione colonica. — 18. Clerici non tenentur ad gabellam pro extractione olei recollecti in suis bonis patrimonialibus et beneficialibus. — 19. Clerici cives Romani possidentes bona in territorio civitatis Mutinæ non tenentur ad solutionem gabellæ extractæ

Digitized by Google

nis, vigore statuti laicalis debitæ pro fructibus ex eisdem bonis recollectis Romam convehendis pro eorum usu. — 20. Clericus non tenetur ad impositionem capitationis ex bonis, et redditibus patris, cujus impensis vivit. — 21. Clerici non gaudent privilegiis patrimonii ecclesiastici pro bonis ad suscipiendos ordines sacros eis assignatis, donec non fuerint in sacris ordinibus constituti : si vero dicta bona fuerint translata in possessionem eorumdem Clericorum sine fraude, gaudent, ut cætera bona Clericis acquisita ante susceptionem sacrorum ordinum. — 22. Clerici et ecclesiastici sunt exempti a tributis impositis causa belli, pestis, et hujusmodi, nisi concurrant requisita cap. *Non minus* 4. et cap. *Adversus* 7. de immunit. — 23. Item sunt exempti a tributis impositis pro novis muris civitatis ædificandis, et pro refectione aggerum. — 24. Item pro excavatione alveorum, et fovearum. — 25. Item pro refectione pontium. — 26. Item pro reparatione fluminum. — 27. Item pro introducenda aqua in civitatem. — 28. Item pro defensione arcium. — 29. Ut Clerici licite solvant collectas, et impositiones laicorum, sex requiruntur. — 30. Primo requiritur, ut Episcopus simul cum Clero super hoc deliberent, et consentiant, unde hoc non potest Episcopus sine Clero, nec Clerus sine Episcopo. — 31. Quo fit, ut neque cum capitulo Episcopus id possit. — 32. Secundo requiritur, ut evidens utilitas, vel necessitas subsit. — 33. Et hæc necessitas, vel utilitas quanta esse debeat, ut Clerici licite solvant collectam pro subsidio laicorum, spectat ad Episcopum, et Clerum judicare. — 34. Tertio requiritur, ut hujusmodi necessitas, vel utilitas sit communis. — 35. Quarto requiritur, ut ad solvendas communes utilitates, vel necessitates non sufficiant solæ facultates laicorum. — 36. Quinto requiritur, ut contributio ab Episcopis fiat sponte, et sine aliqua exactione et compulsione. — 37. Semper enim exactio pecuniarum ab ecclesiasticis in similibus casibus est facienda a ministro deputando ab Episcopo, ut pluries censuit Sacra Congregatio immunitatis. Imo sæpius injungitur Episcopo, ut non permittat laicos exigere per se ipsos contributiones ab ecclesiasticis causa belli, et exacta restituere faciat. — 38. Sexto requiritur, ut Romanus Pontifex prius consulatur. — 39. Etiam quando contribuunt pro rata commodi particularis, et privati. — 40. Clerici non tenentur custodias facere occasione suspicionis Turcarum, nisi concurrente præcisa necessitate. — 41. Nec tenentur ad onus unius ligni pro qualibet sarcina ob servitium arcis. — 42. Nec ligantur bannimentis magistratus sæcularis de petenda licentia accedenti ad proprias vineas tempore vindemiarum; sed quando ista bannimenta sunt necessaria pro publica utilitate, et necessitate, Episcopus potest providere mediante suo edicto. — 43. Clerici, et ecclesiastici non sunt subjecti oneribus, atque taliis ordinariis impositis ad favorem principis; nec tenentur ad consignationem frumenti, et aliorum fructuum faciendam principi laico. — 44. Unde tempore penuriæ, ut dicitur, *le rassegne* frumentorum, et bladarum ecclesiasticorum faciendæ sunt per ecclesiasticos curiæ episcopalis, et ab Episcopo arbitranda est quantitas, qua indiget unusquisque ecclesiasticus; frumentum vero et bladæ asserventur in loco ipsi Episcopo beneviso, et sub custodia deputati ab ipso Episcopo; quod intelligendum de iis tantum provinciis, ubi hic mos viget. — 45. Unde prodiit rescriptum, quod contra edictum senatus super notificatione frumentorum, et visitatione horreorum comprehensivum ecclesiasticorum, uti læsivum immunitatis, libertatis, et jurisdictionis ecclesiasticæ, Episcopi tueantur ecclesiasticos; et desuper dantur litteræ circulares. — 46. Sic perquisitio frumentorum in locis immunibus est prorsus prohibita laicis. — 47. Non est permittendum ecclesiasticos comprehendi in prohibitione laicorum vendendi, et emendi frumenta, sed urgente necessitate potest ordinarius peculiari suo edicto ecclesiasticis prohibere. — 48. In venditione frumenti bladarum, et similium, Clerici, et ecclesiastici non tenentur servare taxam, et alias ordinationes editas a potestate laica, sed Episcopus sua ordinatione constituat eamdem taxam pretii justi, et contra transgressores procedat. — 49. Episcopus potest in casu necessitatis proprio edicto statuere pretium frumenti ecclesiasticorum, eosque cogere ad venditionem; reservata tamen pro usu, et sustentatione ipsorum, æqua et proportionata quantitate. — 50. Imo injungitur Episcopo, ut pro currenti anno attenta gravissima penuria præfigat, proprio edicto justum pretium frumento ecclesiasticorum, et obliget auctoritate Sacræ Congregationis ecclesiasticos tam sæculares, quam regulares ad venditionem frumenti, reservata tamen pro usu, et sustentatione eorum, ea quantitate, quæ æqua, et proportionata, omnibus consideratis, ab eodem Episcopo reputata fuerit. — 51. Quatenus Episcopus judicet talem esse penuriam frumenti, ut sit expediens prohibere ecclesiasticis extractionem, eam prohibeat proprio edicto, nulla facta mentione, vel habita relatione ad edictum laicale. — 52. Mandatur Episcopis, et Archiepiscopis regni, ut attenta penuria vendant eorum frumenta, et respective vendere faciant a propriis ecclesiasticis, pretio tamen per eosdem cum emptoribus concordato; et quatenus non concordent, vendant pro pretio justo judicato arbitrio Episcoporum. — 53. Nuncio Neapolis scribitur non esse extendendam facultatem extrahendi frumenta, ita, ut etiam cum deputatione personæ ecclesiasticæ minime liceat commissario regio extrahere frumenta recondita in locis immunibus, etiamsi fortassis empta contra formam pragmaticæ. — 54. Gubernator non potest cogere ecclesiasticos ad asportandum in horrea publica partem suorum frumentorum, imo ob edicta gubernatoris læsiva libertatis ecclesiasticæ proceditur contra eumdem. — 55. Clerici, et ecclesiastici non possunt cogi ire ad molendinum domini temporalis, seu communitatis; sed possunt ire ad alia sibi benevisa. — 56. Prohibitio communitatis eundi ad alia molendina, quam ad molendina ipsius communitatis, non comprehendit molendina Episcopi, ecclesiarum, et ecclesiasticorum, tam intra, quam extra communitatis territorium existentia; et communitas est cogenda ad declarationem non comprehensionis.—57. Ecclesiasticorum molendina non comprehenduntur sub bannis gubernatoris, qui debet facere declarationem de non comprehensione eorum. — 58. Ecclesiasticorum molendina, ac molentes in ipsis molendinis non comprehenduntur sub prohibitione laicali solvendi gabellam, ut dicitur *della Pesa*. — 59. Repugnat immunitati, et libertati ecclesiasticæ exactio oneris molituræ in molendinis ecclesiasticorum, et equitum S. Mauritii, nec non publicatio ordinis prohibitivi eundi ad dicta molendina. — 60. Edicta prohibentia ire ad certa molendina, afficere nequeunt ecclesiasticos.—61. Edicta curiæ laicalis prohibentia laicis molere olivas in molendinis ecclesiasticorum sunt revocanda. — 62. Impedientes molere olivas in molendinis ecclesiasticorum, et prætendentes decimas, sunt ab ordinario excommunicandi. — 63. Edictum pœnale baronis prohibens suis subditis, ne utantur molendino monachorum Cisterciensium, revocari coget Episcopus. — 64. Episcopus procedat prout de jure contra ministros laicos impedientes moniales in fabricatione molendini olearii. — 65. Clerici, et ecclesiastici sunt exempti ab impositione molituræ. — 66. Non licet gubernatori, seu curiæ sæculari visitare, seu perquisitiones facere in molendinis monialium, et aliorum piorum locorum. — 67. Clerici, et ecclesiastici sunt omnino exempti ab onere hospitandi milites. — 68. Etiam in bonis patrimonialibus pro sua portione, et virili.—69. Episcopus non permit-

Digitized by Google

tat hospitationem equorum militarium in atriis, et cortilibus monasterium monialium. — 70. Ministri publici civitatis, qui violenter fecerunt reponi fenum in claustro monialium, incidunt in excommunicationem; et quando absolvendi. — 71. Officiales, et milites prævia reintegratione Ecclesiæ et concensu partis absolvuntur ob violatam hospitationem in domo canonicali. — 72. Clerici, et ecclesiastici sunt immunes a gabella chartæ sigillatæ, seu bullatæ, et ab expensis novæ mensurationis bonorum ad instantiam communitatis factæ. — 73. Clerici, et ecclesiastici sunt exempti a collectis pro portione bonorum ad eos spectantium, non pro portione matris, fratrum, et sororum, ac conjunctorum, nisi isti vivant cum ipsis ecclesiasticis, et expensis eorumdem ecclesiasticorum. — 74. Ecclesiastici ementes bona cum pacto solvendi onera, non tenentur ad onera personalia, sed tantum ad onera realia, quæ sint certa, et invariabilia, et ante venditionem imposita. — 75. Clerici, et ecclesiastici non tenentur ad solutionem oneris nuncupati *il Tasso della Cittadella*. — 76. Clerici et ecclesiastici sunt taliter exempti a gabellis laicalibus, ut nec etiam sponte possint illas solvere sine beneplacito apostolico. — 77. Unde sponte solventes impositiones laicales absolvuntur a censuris. — 78. Ecclesiastici vendentes, et ementes vinum, non tenentur ad gabellam desuper impositam. — 79. Ecclesiastici possunt libere vendere triticum, et vinum in suis prædiis collectum. — 80. Insuper Clerici, et ecclesiastici possunt vinum recollectum in propriis bonis vendere etiam minutatim in suis domibus, absque eo quod teneantur ad gabellam. — 81. Quinimo ne dum tenentur ad gabellam pro vino minutatim vendito, sed et pignus desuper factum est iis restituendum. — 82. Edictum præcipiens describi omnes personas sui status, non comprehendit ecclesiasticos, nec personas exemptas. — 83. Archiepiscopus prohibeat Clericis suæ diœcesis sub comminatione censurarum, ut non pareant mandatis Judicis laici de exhibenda nota propriorum nominum, patriæ, qualitatis, etc.—84. Edictum gubernatoris Mediolani circa omnes censualistas, nequit afficere loca pia. — 85. Edictum regium quoad taxas impositas causa monetæ novæ, non afficit ecclesiasticos. — 86. Ad instantiam tamen Regis Catholici Sacra Congregatio ex placito Sanctissimi concedit approbationem Donativi extraordinarii ecclesiasticorum in regno Siciliæ; dummodo erogetur in causa monetæ novæ.— 87. 94. An Clerici obligentur statutis laicorum, quorum materia Clericis æque ac sæcularibus communis est, neque privilegiis ipsorum Clericorum repugnat.

ARTICULUS VIII. — *Clericus, quoad obedientiam, et subjectionem Episcopo.*

1. Clerici non possunt cogi ab Episcopo ad præstandum aliquod servitium non expressum in jure. — 2. Per hoc fuit alias responsum, Episcopum Burgi S. Donnini potuisse quidem invitare, sed non compellere Clericos suæ civitatis, ut interessent litaniis Beatissimæ Virginis, quæ in Sabbato decantari jusserat in sua cathedrali ecclesia. — 3. Et alias responsum est, Clericos non habentes officium, neque beneficium ecclesiasticum cogi non posse ab Episcopo ad publicas processiones accedere. — 4. Sic etiam simplices sacerdotes non habentes officium, neque beneficium in ecclesia cathedrali non possunt per Episcopum cogi ad idem, et Canonicis inserviendum in functionibus ecclesiasticis, seu munere Diaconi, et Subdiaconi in Missis cantatis, non obstante exiguo numero Canonicorum. — 5. Sola enim potestate ordinaria Episcopus hoc præcipere, et statuere nequit; nec minus multis presbyteros simplices non de gremio capituli, si non inserviant, gravare. — 6. Nisi adesset contraria consuetudo. — 7. Vel nisi ageretur de Clericis pro necessitate, et utilitate cathedralis ad titulum patrimonii ordinatis. — 8. Et dato, quod ob parvum numerum Canonicorum, et deficientiam mansionariorum, servitium ecclesiæ cathedralis detrimentum pateretur, tunc erit recurrendum ad Sacram Congregationem Concilii, quæ solet indulgere, ut possint cogi presbyteri, qui habent beneficia, vel capellanias in cathedrali ad inserviendum Missis solemnibus pro Diacono, et Subdiacono, assignata illis aliqua emolumentorum portione. — 9. De se enim, et sola sua facultate ordinaria nequit Episcopus compellere Clericos, et sacerdotes habentes beneficia, personalem residentiam non requirentia; et tanto minus Clericos non Beneficiatos, ut ecclesiæ cathedrali inserviant, neque pro solis diebus festis. — 10. Simplices sacerdotes non possunt compelli ad interessendum, et assistendum functionibus ecclesiasticis in cathedrali. 11. Clerici, aliive presbyteri non confessarii cogi non possunt, sed hortari ad interessendum conferentiis casuum conscientiæ; ad n. 12. — 13. Episcopus non potest Clericis beneficiatis addere nova onera in fundatione beneficiorum a fundatoribus non apposita, aut a sacris Canonibus non imposita. — 14. Neque alio modo testatoris voluntatem immutare. — 15. Neque de consensu patronorum potest Episcopus nova onera addere Clericis beneficiatis. — 16. Etiamsi aliquo tempore, ex sua voluntate præstiterint. — 17. Et etiamsi consensus Canonicorum, seu beneficiatorum antecessorum intercessisset. — 18. Episcopus non potest a clericis exigere charitativum subsidium, nisi sit pauper; unde qui habet congruam excedentem taxam Concilii non potest illud exigere. — 19. Episcopus non potest exigere charitativum subsidium a Clericis non beneficiatis. — 20. Episcopus non potest cogere Clericos in minoribus constitutos ad suscipiendos ordines majores sub pœna privationis privilegiorum clericalium. — 21. Clerici sæculares transire possunt ad religionem non petita Episcopi licentia; imo et ipso contradicente. — 22. Clerici omnes, imo et laici quantumcunque potentes, tenentur Episcopo præstare canonicam obedientiam. — 23. Clerici peregrinari non debent, nisi de licentia Episcopi. — 24. Clerici non possunt testimonium judiciale perhibere in foro sæculari sine licentia sui Episcopi. — 25. Et Episcopus permittere debet, ut presbyteri pro causis civilibus in foro sæculari examinentur, dummodo ex eo aliquo modo criminalitas exoriri non possit; et juramentum in tribunali Episcopi præstetur. — 26. Licentia autem, quæ per Episcopum Clericis testimonium ferendi in foro laico conceditur, gratis expedienda est. — 27. Clericus sponte deponens sine licentia coram judice laico, potest ab episcopo puniri pœna arbitraria. — 28. Episcopus in delictis difficilis probationis sibi notis potest extrajudicialiter, et sine processu Clericos, et presbyteros a divinis suspendere. — 29. Episcopus potest de facto absque judiciali monitione excommunicare Clericos, sive laicos, qui se opponunt visitationi. — 30. Et cæteros, qui solita obsequia ei injuriose denegant. — 31. Clericis ne ad sacros, et ulteriores ordines ascendant, prohibere potest Episcopus de occulto eorum crimine ex informata tantum conscientia conscius, sicut eo modo suspendere Clericos a divinis. — 32. Episcopus vetare non debet Clericis sæcularibus transitum ad claustra regularia. — 33. De jure simplices presbyteri, qui de redditibus Ecclesiæ non participant, cogi ab Episcopo nequeunt ad ullum ipsi servitium præstandum. — 34. 35. Quid hac de re statuerit Concilium Romanum. — 36. Clericus quoad ordines. *Remissive*. — 37. Ex mente Ecclesiæ Clericis tonsura confertur, ut per eam militiæ Christi adscribantur. — 38. Oppositum est vocationi clericali, otiosam esse ac inertem Clericorum vitam. — 39. Hinc jam pridem Ecclesia sollicita fuit, ne quis in Clericum, assumeretur, nisi certo loco adscriberetur. — 40. Affertur ad hoc, *Canon* 6. Concilii Chalcedonensis. — 41. Ab hac regula excipiuntur in universitate aut seminario degentes. — 42. Triplici modo Clerici possunt certæ

Digitized by Google

Ecclesiæ adscribi. — 43. Semel ac quis alicui Ecclesiæ adscriptus est, ita eidem alligatur, ut eam inconsulto Episcopo nunquam deserere possit. — 44. Quæ disciplina juris communis partem hodiedum constituit. — 45. Ita ut nec Episcopis alienos Clericos sine licentia proprii Episcopi suscipere ex canonibus unquam licitum esse possit. — 46. Quam odiosæ semper fuerint Clericorum de una ad aliam Ecclesiam migrationes. — 47. Clerici ad ordines promoveri non possunt, nisi a proprio Episcopo. — 48. Nec hujusmodi promotio peragi valet, nisi ad titulum illius Ecclesiæ, cui Clerici sunt adscripti. — 49. Titulus ordinationis quonam sensu acceptus fuerit.— 50. Cum patrimonii titulus invaluerit titulus ecclesiasticus acceptus fuit pro proventibus, e quibus honeste vivere possit. — 51. Differentia inter titulum *beneficialem et patrimonialem*. — 52. Quidnam concludendum ex hac differentia. — 53. Clerici ea integritate vivant, ut quæ verbo aliis docent, operibus non negent. — 54. Hinc plurima a Clericis sunt plane cavenda, quæ enumerantur. — 55. An supremus princeps possit restringere exemptionem Clericorum. — 56. A quibus oneribus immunes sint Clerici. — 57. An immunitas Ecclesiæ et Clericorum jure divino sit præcepta et stabilita. — 58. 59. De capitatione. — 60. Optimum et efficacissimum medium conservandæ immunitatis bonorum ecclesiasticorum.

ARTICULUS I.

Quoad ea, quæ concernunt Clerici nomen, habitum et tonsuram.

(1. Clerici nomen venit a verbo Græco *Cleros*, quod Latine *sors, seu hæreditas* dicitur; *c. Cleros* 1. *Distinct.* 21. ibi : « Cleros et Clericos, hinc appellatos credimus, quia Mathias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum; Cleros enim Græce, **sors** Latine, vel hæreditas dicitur (1). » (2. Et ideo dicuntur Clerici, quia sunt de sorte Domini, et Domini partem habent; *citat. cap. Cleros*, ibi : « Propterea ergo dicti sunt Clerici, quia de sorte Domini sunt, vel quia Domini partem habent. » (3. Hinc Clerici describuntur, quod sint *homines Christiani, qui a negotiis, curisque sæcularibus remoti, servitio, et cultui Divino specialiter sunt deputati. Cit. cap. Cleros* ibi : « Generaliter autem Clerici nuncupantur omnes, qui in Ecclesia Christi deserviunt; et cap. Duo sunt genera 7. caus. 12 qu. 1. ibi : Duo sunt genera Christianorum, est autem unum genus, quod mancipatum Divino Officio, et deditum contemplationi, et Orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt Clerici..... Cleros enim Græce, Latine sors; inde hujusmodi homines vocantur Clerici, id est sorte electi..... Aliud vero genus est Christianorum, ut sunt Laici; Laos enim Græce, est populus Latine, etc. » (4. Clericorum nomen bifariam potest sumi; scilicet large, seu generaliter; et stricte, seu specialiter, magisque proprie. (5. Clericorum nomine large, seu generaliter capto in materia favorabili veniunt omnes omnino Clerici, sive sint primæ Tonsuræ; *cap. Cleros* 1. *d.* 21. *cap. Cum contingat* 22. *de ætate, et qualit. præficiendor.* (6. Sive in Minoribus, et Majoribus Ordinibus sint constituti; *d. c. Cleros, et cap. Clericum* 2. *dist.* 72. (7. Sive etiam sint Canonici Ecclesiarum Cathedralium, et Collegiatarum; *cap. cum tibi* 18. *de verb. significat.* ibi : « Appellatio Clericorum non solum alios, sed etiam Canonicos comprehendit, et cap. Per exceptionem 9. de privileg. in 6. ibi : Si autem Clerici cujuscunque Ecclesiæ eximuntur; tunc tam Canonici, quam alii Clerici eximuntur. » (8. Sive sint in quacunque dignitate constituti, etiamsi sint Episcopi; *cap. Si quis suadente Diabolo* 29. *caus.* 17. *qu.* 4. et Abbas *in cap. Cum tibi* 18. *de verb. significat. num.* 4. *et in rubrica de vita, et honestat. Clericorum num.* 8. *et* 9. Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiastic. univers. cap.* 39. *num.* 4. et alii passim. (9. Sive etiam sint Cardinales; *cap. Ex gestis.* 1. *de Clericis non residentibus*, Barbosa *loc. cit.* et alii passim.

(10. Imo in materia favorabili veniunt etiam Monachi, quinimo et Moniales; *dict. c. si quis suadente* 29. *caus.* 17. *q.* 4. ubi Clerici et Monachi in materia favorabili, totumque statum Ecclesiasticum respiciente æqui parantur; et licet ibi facta non sit mentio expressa de Monialibus, nihilominus Canonem illum comprehendere etiam Moniales fuit postea declaratum; *c. de Monialibus* 33. *de Sentent. Excommun.* (11. Et quantum ad hoc etiam Conversi,

(1) Clericorum nomine sequioribus sæculis donatos fuisse, nedum illos, qui Ecclesiæ ministerio erant adscripti : verum etiam eos omnes, qui studiis disciplinisque liberalibus perdiscendis vacabant, illorum temporum scriptores passim ostendunt. Odericus Vitalis Anglus, qui sæculo XII floruit. Histor. Eccles. lib. 3. « Rodulphus autem, inquit, quintus Frater, Clericus cognominatus est, quia peritia litterarum, aliarumque artium apprime imbutus est. » Willelmus Gemeticensis l. 3, cap. 10. *Cognomento Clericus quia copiose litteratus erat.* Speculum Saxonicum, l. 1, art. 5, § 4. *Impossibile est aliquem Clericum nominare, nisi sit doctus.* Hist. Episcopor. Eystetensium in Bavaria. *Iste Joannes Episcopus.... Magnus Clericus in jure canonico fuit.* Hinc apud Gallos idem sonabat vox, *Clerc, Clericus*, ac vir doctus, et *Clergie, Clericatus*, ac doctrina et scientia. Loca congessit Du Cange Glossar. med. et inf. Latinit., ver. *Clericus*. Inde regis consiliarii *Clerici* dicebantur. *Clerici quoque nomine regis consiliari*, inquit Matthæus Parisius ad an. 1250. Ea de causa in Epitaphio Guillelmi Ambianensium Episcopi apud Morlerium legitur.

Clericus Angelici fuit hic Regis Ludovici.

Idem mos, eademque consuetudo apud Italos invaluerat. Sic chronicon Andrense « aliquibus Romanis annitentibus, Hispanum quemdam, Burdinum nomine satis Clericum ei fecit subordinari. » De Stephano de Vicomercato in Chronico Mediolan. Ord. Prædic. apud Muratorium (Rerum Italic. script. tom. III, pag. 60.) dicitur : « Hic fuit in sæculo valde honorabilis Clericus. » Joannes Villanius, l. 4. Hist., cap. 3, scriptum reliquit « post Hugonem Ciapettam regnasse Robertum filium, fuisseque magnum Clericum in scriptura. » Ex quibus, aliisque, quæ adduci possent, monimentis evidenter deducitur XIII sæculo, et sequentibus, ad restaurationem usque litterarum in more fuisse positum, ut viri litterati *Clerici* compellarentur. Hæc jam a pluribus eruditis viris fuerunt observata, et illustrata, præsertim a Clariss. Vir. Liberato Fassonio Schol. Piar. in quæstione, cui titulus : *De viro Laico cum Hæreticis disputante*, habita in regia Calaritana Academia ann. 1765, impressa Liburni apud Marcum Coltellini, a qua hæc excerpsimus. (EDIT. BARBIELL.)

Digitized by Google

et Conversæ; *dict. capit. de Monialibus* 33. *de Sentent. Excommun. et cap. Non dubium eod. tit.* (12. Etiam Novitii, et Novitiæ; *cap. Religiosos, de Sentent. excommun. in* 6. (13. Item Tertiarii, et Tertiariæ Mendicantium in Congregatione, et Communitate viventes, ex Constit. Leonis X. incip. *Dum intra*, edita 1. *Mart.* 1518. in Concil. Lateranensi *sess.* 11. (14. Item moniales Tertiariæ in propriis domibus viventes, virginalem, et cælibem vitam ducentes ex voto Castitatis de Ordinarii licentia emisso, ex eadem Constit. Leonis X. incip. *Dum intra.* (15. Item Eremitæ habitum Eremiticum ex legitima facultate deferentes, et sub speciali obedientia Episcopi, vel alterius Prælati alicui Ecclesiæ, vel Eremitorio in Communitate, vel separatim deservientes, isti censentur Personæ Ecclesiasticæ. Sic Glossa *in cap. Qui vere* 12. *caus.* 6. *qu.* 1. *Verb. vero*, afferens quod tales Eremitæ gaudent privilegio Clericorum, licet non renuntient propriis; « Fagn. in c. Nullus n. 61 de foro competent. post. Cardin. in Clem. Per litteras num. 9 de Præbend. Innocentius in cap. Cum Monasterium 13. de elect. dicens, quod licet Eremitæ possint habere proprium, quia non abrenuntiant, tamen Ecclesiasticæ personæ sunt; Anaclet. lib. 3. Decret. tit. 1. sess. 1. de vita, et honest. Cleric. et multi alii. » (16. Item omnes illi, qui assumpto Habitu Religioso, Monialium servituti sunt addicti, et pro illis eleemosynas quærunt, et prope Monasterium earum more degunt. (17. Sic etiam Laici, qui habitu Clericali incedunt, et inserviunt Congregationi Presbyterorum, qui collegialiter sub certo Superiore modo religioso vivunt. Sic Antonell. *n.* 22. Matthaeucci *Officialis Curiæ, quoad excommunicationem Canonis num.* 10. Felix Potestas *de Ministr. Sacrament. Pœnitent. c.* 5. *n.* 3560. et alii. Et collegitur *ex c. Duo sunt genera* 7. *caus.* 12. *q.* 1. ubi illud Christianorum genus reputatur inter Clericos, « quod mancipatum Divino Officio, et deditum contemplationi, et orationi ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt Clerici et Deo Devoti, videlicet conversi. » (18. Item Equites S. Joannis Hierosolymitani, vulgo dicti *Cavalieri di Malta*; ipsi enim emittunt tria vota substantialia a Sede Apostolica approbata, et sunt vere Religiosi, et si se invicem percutiant. Pontifex eis concedit, ut ab excommunicatione, hac de causa incursa, absolvi possint ab eorum Priore Sacerdote; *cap. Canonica* 30. *de Sentent. Excomm.*

(19. Clericorum nomine stricte, seu specialiter in materia odiosa, cum scilicet agitur de damno, vel incommodo Clericis inferendo, veniunt duntaxat soli inferiores Clerici Seculares; non autem Canonici, Abbates, aliique in Dignitate Ecclesiastica constituti, nisi secus exprimatur, vel aliunde de opposito constet; *arg. Regul.* 15. *Juris in* 6. *Odia restringi, et favores convenit ampliari;* et *Regula* 40. *etiam in* 6. *In pœnis benignior interpretatio est facienda;* et tenet Fagnan. *in cap. Bonæ Memoriæ de postulat. Prælator. num.* 12. Bellettus *Disquis. Cleric. par.* 1. § 2. *num.* 4. *et* 5. *et sequent.* Card. Tusc. *lit. C. conclus.* 337. *num.* 4. *et sequent.* Barbosa *lib* 1. *Juris Ecclesiast. cap.* 39. *n.* 6. *et seq.* et alii passim. (20. Sic nomine Clericorum in odiosis non veniunt Episcopi, eorumque Superiores, et multo minus S. R. E. Cardinales; *arg. c. Sedes Apostolica* 15. *de rescriptis, cap. Periculosum* 4. *de Sent. excommun. in* 6.

(21. Nec veniunt Canonici, aliique in Dignitate Ecclesiastica constituti; *arg. cit. cap. Sedes Apostolica* 15. *de rescriptis*; ubi dicitur, quod *majores, et digniores personæ sub generali clausula non intelligantur includi;* et *cap Statutum* 22. *de election. in* 6. Fagnan. *in citat. cap. Bonæ memoriæ num.* 12. Abbas *ad rubr. titul.* 1. *de vita, et honestat. Clericorum num.* 12. Barbosa *loc. cit. num.* 6 et alii passim. (22. Nec etiam nomine Clericorum in odiosis veniunt Monachi, seu Regulares utriusque sexus, nisi istud exprimatur, vel ex subjecta materia, aliisque circumstantiis secus appareat; *arg. cap. A Subdiacono* 5. *dist.* 93. Abbas *in cap. Non amplius num.* 3. et Fagnan. *ibid. num.* 7. *de instit.* Barbosa *loc. cit. num.* 9. Roman. Concil. 219. *et* 418. Bellet. *loc. citat. ad* § 2. *num.* 26. et colligitur etiam *ex cap. Si quis suadente* 29. *caus.* 17 *qu.* 4. *et cap. Super Specula* 16. *Ne Clerici, vel Monachi,* aliisque consimilibus Canonibus, ubi Clerici, et Monachi, ponuntur tanquam quid diversum.

(23. Habitum, et Tonsuram Clericalem deferre tenentur Clerici in Sacris Ordinibus constituti, et etiam Clerici inferiores, si Beneficium Ecclesiasticum habeant; *cap. Clericus* 8. *dist.* 41. *cap. Clerici Officia* 15. *de vita, et honestate Cleric. Clem. Quoniam* 2. *de vita, et honestat. Clericor.* Et Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 6. *de reform.* ibi : « Etsi habitus non faciat Monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam Habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. » (24. Imo Clerici in Sacris, seu Beneficiati habitum Ordini, et Dignitati convenientem non deferentes subjiciuntur gravissimis pœnis. Si enim postquam ab Episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum Clericalem illorum Ordini, et dignitati congruentem non detulerint, sunt in primis puniendi per suspensionem ab Ordinibus, Officio, et Beneficio, et si semel moniti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, et Beneficiorum puniri possunt, ac debent; Concil. Trident. *loco. cit.* ibi : « Propterea omnes Ecclesiasticæ personæ, quæ aut in Sacris fuerint, aut Dignitates, Personatus, Officia, aut Beneficia qualiacumque Ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo etiam per Edictum publicum moniti fuerint, honestum Habitum Clericalem, illorum Ordini, et dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi Ordinationem, et mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac Officio, et Beneficio, ac fructibus redditibus, et proventibus ipsorum Beneficiorum, nec non si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per pri-

Digitized by Google

vationem officiorum, et Beneficiorum hujusmodi coerceri possint, et debeant, Constitutionem Clementis V. in Concilio Viennensi editam, quæ incipit, *Quoniam*, innovando, et ampliando. » (25. Quinimo post Concilium Tridentinum fuit edita a Sixto V. Constitutio incipiens *Cum Sacrosanctum, sub dat.* 5. *Idus. Januar.* 1588. in qua statuit, quod Clerici Beneficiati non deferentes Habitum, et Tonsuram Clericalem ipso facto absque ulla monitione, citatione, aut Judicis decreto ipsis Beneficiis privati dicantur, adeo ut ipsa Beneficia vacent, et uti vacantia, aliis libere conferri valeant, quoties Clericalem Habitum non deferant. Lotter. *de re Benefic. lib.* 3. *qu.* 16. *n.* 92. Monacell. *tom.* 2. *tit.* 15. *formul.* 4. *num.* 2. et Benedictus XIV. *Institut. Eccles.* 71. *num.* 12. Rota *coram Caccia decis.* 1290. *num.* 1. et coram Molinos *in Barchinon. Beneficiorum* 15. *Aprilis* 1704. §. *Aretius*, in quibus decisionibus firmatur, quod non juvet allegare non usum dictæ constitutionis Sixtinæ, quoniam Garcias *de Benefic. par.* 7. *cap.* 1. *num.* 33. Barbosa *supra Concil. cap.* 6. *sess.* 14. *de reform. num.* 4. Cortiad. *dec.* 119. *num.* 13. id tenentes fuerunt reprobati.

(26. Clerici vero in prima Tonsura, aut etiam in minoribus ordinibus constituti, et Beneficia Ecclesiastica, seu jus ad illa nondum habentes, non tenentur deferre Habitum, et Tonsuram Clericalem nisi causative, quatenus velint gaudere privilegiis Clericalibus, ut notant Abbas, et alii in *cap Fin. de Cleric. conjugat.* Riccius *Decis. Cur. Archiepiscop. Neapolit.* 162. *n.* 2. *part.* 2. Genuens. *prax. Cur. Archiepiscop. Neapolit. cap* 45. *n.* 1. *secund. Impres. Neapolit.* 1602. *pag.* 280. et communiter, et clare deducitur *ex d. Clementina Quoniam* 2. *de vita, et honestat. Clericor.* ex Conc. Trident. *loc. cit.* et ex d. Constitutione Sixti V. incipiente *Cum Sacrosanctum*, quia dum ibi imponunt Clericis obligationem deferendi Habitum, et Tonsuram Clericalem, expresse loquuntur de Clericis in Sacris vel Beneficia Ecclesiastica, aut saltem jus ad illa habentibus. (27. Notanter tamen dicitur Clericos Minoristas non Beneficiatos non teneri deferre Habitum, et Tonsuram Clericalem, *nisi causative, quatenus velint gaudere privilegiis Clericalibus;* quia Clerici in prima Tonsura, aut etiam in primis Minoribus Ordinibus constituti, non gaudent privilegio Fori, nisi habeant aliquam ex tribus illis conditionibus, quas requirit Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 6. *de reformat.* ibi : « Is etiam (scilicet prima Tonsura initiatus, aut etiam in Minoribus Ordinibus constitutus) Fori privilegio non gaudeat, nisi benificium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem Habitum, et Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat; vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad Majores Ordines suscipiendos, versetur. » (28. Sufficit autem quælibet trium conditionum a Concilio Tridentino præscriptarum, ut Clerici Tonsura Clericali insigniti, vel etiam in Minoribus Ordinibus constituti privilegio Fori gaudeant, quia *ex Regula* 70. *Juris in* 6. *In alternativis sufficit alterum impleri;* et tenent passim Doctores; sed de his melius in articulo sequenti.

(29. Qualitas et forma præcisa Habitus Clericalis, licet in Jure communi non reperiatur in omnibus, et per omnia determinata, et stabilita, habentur tamen tum in Jure communi, tum in Conciliis, tum in Constitutionibus Pontificiis varia præscripta circa Habitum, seu vestitum Clericorum. (30. In primis enim præscribitur, ne Clerici utantur vestibus sæcularibus sub pœna Excommunicationis; Concil. Roman. I. sub Zacharia *capit.* 3. *et capit. Episcopi* 3. *caus.* 21. *quæst.* 4. ibi : « Episcopi, Presbyteri, Diaconi, sæcularibus indumentis non utantur, nisi ut condecet, tunica sacerdotali... quod si præsumpserint contra statuta agere, communione priventur, etc. (31. *Secundo præscribitur, ut Clerici* pannis rubris, aut viridibus, nec non manicis, aut sotularibus consutitiis, frenis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus non utantur; cap. Clerici Officia 14. de vita, et honestate Clericor. et Clement. cap. Quoniam 2. de vita, et honestate Clericor. (32. *Tertio præscribitur, ut Clerici* Fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri, vel argenti ornatum habentes, sed nec annulos, nisi quibus competat ex Officio Dignitatis; d. cap. Clerici Officia 15. de vita, et honest. Clericor. » (33. Quarto præscribitur, quod Clerici non utantur publice veste virgata, vel partita nisi rationabilis causa subsit; *Clementin. c. Quoniam* 2. *de vita, et honest. Clericor.* Per vestem autem *virgatam, vel partitam* intelligitur vestis diversi coloris, aut diversarum partium superinductione notabilis; *arg. cap. Vidua* 16. *caus.* 20. *qu.* 1. ibi : « Nec diversi coloris, aut diversæ partis eadem sit notabilis vestis, sed religiosa, et non suspecta. » Et nota Glossa *in cit. Clement. Quoniam verb. Partita*, et Barbosa *ibid. n.* 2. et Bonacina *tom.* 3. *de Censuris disp.* 3. *qu.* 6. *punct.* 6. *num.* 1. asserens nomine *vestis virgatæ, vel partitæ*, intelligi vestem habentem diversos colores intextos cum ipso panno, vel artificiose superinductos, seu superimpositos. (34. *Quinto præscribitur* ut vestimenta etiam, vel calceamenta eis (videlicet Clericis) nisi quæ religionem deceant, uti, vel habere non liceat; cap. Clerici 22. dist. 23. (35. *Sexto præscribitur*, ut clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate, vel longitudine non notanda; cap. Clerici officia 15. de vita, et honest. Clericor. (36. Septimo jubentur Clerici *secundum Aaron talarem vestem induere; cap. Non liceat* 32. *dist* 23. quod idipsum etiam statuit Sixtus V. Constitut. incip. *Cum Sacrosanctum*, ibi : « Tonsuram, et Habitum Clericalem, vestes scilicet talares deferant. » Unde potest Episcopus de Jure vestem talarem Clericis præscribere, ipsique eam deferre tenentur, nedum ex *dict. cap. Non liceat* 32. *dist.* 23. et ex Constit. Sixti V. incip. *Cum Sacrosanctum; ex cap. Episcopi* 3. *et cap. Sine ornatu* 4. *caus.* 21. *q.* 4. *Cle-*

Digitized by Google

ment. 1. *de vita et honest. Clericor.* Conc. Mediol. 1. *part. tit. de Cleric.* Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. *et sess.* 22. *cap.* 1. *de reformat.* et præsertim Sacerdotibus commorantibus in Civitate, qui continuo illam gestare debent, ut probavit Sacra Congr. Concil. *in Hortana* 8. *Julii.* 1690. Aliis autem quibuscunque Clericis hoc idem injungere in functionibus Ecclesiasticis, non obstante exiguitate, seu paupertate locorum; sic respondit eadem Sacra Congregat. *in Comen. Edicti* 4. *Aprilis* 1693. *in Vigilien. Synodi in Congregatione deputata* 20. *Maii* 1699. in responsione ad quintum ; et secuta est S. Congr. Episc. *in Faventina* 2. *Maii* 1699. Per talarem autem vestem in rigore intelligitur illa, quæ pertingit usque ad talos, sicque hominem usque ad imam partem pedum tegit; Garcias tamen *part.* 2. *de Benefic. cap.* 1. *num.* 21. *et* 22. cum aliis notat ex epicheia, et æquitate etiam illas judicari vestes talares, quæ juxta consuetudinem locorum Clericis sint decentes, quamvis non sint nimis longæ, neque usque ad pedes descendant. (38. Unde pro discernenda decentia vestium Clericalium erit attendendum an ipsæ sint conformes communi usui proborum Clericorum, seu consuetudini Provinciarum, Civitatum, aut locorum in quibus Clerici commorantur, quoniam ut recte observat Cardinalis de Luca in annotatione ad Concil. Trident. *disc.* 24. *num.* 22. *et sequent.* in Civitatibus, aliisque locis civilibus, in quibus cum decore vivitur, vestes Clericales sunt longæ ultra talos; in parvis autem, vel obscuris locis, ob Clericorum paupertatem, vix ad genua descendunt, ita tamen, ut ob diversum usum a sæcularium vestibus adhuc distinguantur, attendendo simul ad diversitatem Regionum, vel personarum varios usus secundum consuetudinem locorum, nam consuetudo et optima Legum interpres; *c. Cum dilectus* 8. *de consuetudine, et l. Si de interpretatione, ff. de legibus,* Glossa *in cap. Clerici Officia* 15. *de vita, et hon. Clericor. vers. de auratis,* Bellet. *p.* 1. § 16. *de Disciplina Cleric. num.* 12.

(39. De primo ad ultimum vestes Clericorum debent sic suo statui esse decentes, ut nec sint pomposæ, aut vanam jactantiam, vel superfluitatem redolentes; *cap. Parcimoniam* 5. *dist.* 41. *cap. omnis jactantia* 1. *cap. Præcipimus* 5. *caus.* 21. *quæst.* 4. *et cap. Multa sunt* 1. *Ne Clerici, vel Monachi;* nec sordidæ, vel laceratæ, ne vilescat dignitas Clericalis; sed inter utrumque præseferant medium aliquod cujuscunque statui, et ordini conveniens. Ita Abbas *in cap. Clerici Officia* 15. *de vita et honest. Clericorum num.* 17. Bellet. *loc. cit.* § 15. *num.* 18. *et seq.* Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. cap.* 40. *num.* 27. et communis aliorum cum Sancto Hieronymo, qui *in Epistola* 1. *ad Nepotianum, cap.* 11. sic ad propositum scribit: « Vestes cultas æque devita ut candidas; ornatus ut sordes pari modo fugiendæ sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. » (40. Unde Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* expresse statuit, quod opportet, « Clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre. » Et *sess.* 24. *c.* 12. *circa finem de reformat.* inter alia præcipit, ut Clerici « vestitu insuper decenti tam in Ecclesia quam extra assidue utantur. » (41. Caveant igitur Clerici, ne nimio cultu in vestitu utantur, scientes quæ detestando eorum culpam scribit Sanctus Gregorius his verbis : « Sunt nonnulli qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putent esse peccatum, quod si videlicet culpa non esset, nequaquam Sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod Dives, qui torquetur apud inferos, bysso et purpura indutus fuisset. » (42. Ut enim inquit S. Bern. *de consideratione lib.* 8. *c.* 11. « Forma vestium deformitatis mentium, et morum indicium est, quid sibi vult, quod Clerici aliud esse, aliud videri volunt ? Nempe habitu Milites, quæstu Clericos, actu neutrum exhibent; nam neque pugnant ut milites, nec ut Clerici evangelizant. » (43. Contra enim tales Clericos nimium cultum, aut affectatam compositionem ostentantes sic declamat Sanctus Hieronymus de custodia Virginitatis ad Eustochium scribens : « Sunt, inquit, quidam mei Ordinis, quibus omnis cura est in vestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non polleat, crines calamistri vestigio rotantur, digiti annulis radiant, et ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia ; tales cum videris, sponsos magis existimato quam Clericos. » (44. Non inficior tamen, quod non sit laudandus juxta qualitatem, et Dignitatem personarum decor, et competens vestium ornamentum, quæ morum manifestissima signa esse solent, dummodo in his redoleat Clericalis modestia, et caveatur excessus; inquit enim S. Ambrosius *lib.* 1. *Offic.:* « Decor corporis non sit affectatus, sed naturaliter simplex, neglectus magis quam exquisitus : non pretiosis, aut albentibus indutus sit Clericus vestimentis, sed communibus, ut honestati et necessitati nihil desit, nihil accedat nitoris. »

(45. Tonsura Ecclesiastica secundum Divum Isidorum Hispalensem Episcopum *lib.* 2. *de Offic. Eccles. cap.* 4. et Concilium Aquisgranen. sub Ludovico Pio *cap.* 1. originem sumpsit a Nazaræis, qui hoc præstabant in signum cujusdam devotionis, a quibus desumpserunt postea Apostoli, et in Ecclesiasticum usum traduxerunt, ut quicunque Ordinibus Ecclesiasticis essent initiandi, præciso crine præsentarentur. Ita refertur in dicto Concilio Aquisgranen. sub Ludovico Pio *cap.* 1. his verbis : « Tonsuræ Ecclesiasticæ usus a Nazaræis (ni fallor) exortus est, qui prius crine servato divina post magnam vitæ continentiam devotione completa caput radebant, et capillos in igne sacrificii ponere jubebantur, scilicet ut perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent. Hujus exempli usus ab Apostolis introductus est, ut hi, qui Divinis cultibus mancipati Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est, Sancti Dei crine præciso innoventur. » (46. Beda *lib.* 5. *Historia Anglorum cap.* 22. refert Divum Petrum primum omnium hanc Tonsu-

Digitized by Google

ram detulisse, et fuisse ejusdem institutorem secundum morem substantialem, qui servatur in Ecclesia. Occasionem hujus institutionis refert Sanctus Germanus *in Theorica rerum Eccles.* prout habetur *in tom. 4. Bibliothecæ antiquorum PP.* quod cum D. Petrus Antiochiæ Christum Crucifixum maximo cum ardore prædicaret, nonnulli hostes nominis Christiani in ignominiam ejusdem caput illi abraserunt; unde postea factum est, quod illud, quod fuit factum in opprobrium, verteretur in gloriam, juxta illud S. Leonis Papæ *Sermon. in Natali S. Laurent.* « In honorem transierunt triumphi etiam instrumenta supplicii. » (47. Hinc huic mysteriosæ Tonsuræ talem cœpit habere venerationem Ecclesia, ut licet non desint aliæ piæ considerationes, eam recepit etiam propter hanc reflexionem, tanquam insigne proprium Clericatus, ut scribit Petrus Patriarcha Antiochenus *in Epist. ad Cerularium*, quam refert Baron. *anno* 1054. *num.* 41. et Berninus *in Historia omnium Hæresum tom.* 1. *fol.* 24. in his verbis: « Nos Coronam in capite gestamus pro veneratione Principis Apostolorum Petri, super quem Dei Ecclesia est superædificata. Quod enim impii illi ad contumeliam illius Sancti, excogitaverunt, hoc nos pie ad gloriam, et honorem ipsius facimus. » (48. Et quo de facto Tonsura Ecclesiastica fuerit in usu usque de tempore Apostolorum habetur etiam ex Sacra Scriptura. In *capite enim* 18. *Act. Apostolor.* legimus Priscillam, et Aquilam hanc tonsionem capillorum adhibuisse, et hoc idem servasse Paulum Apostolum, et quatuor alios Christi discipulos, legimus *cap.* 21. *Actuum Apostolor.* (49. Unde patet, quam erronee, et temere asserat Calvinus hujus Clericalis Tonsuræ acerrimus hostis, et oppugnator, hunc morem tondendi originem duntaxat habuisse temporibus Divi Augustini, ut sic ostendat hanc Tonsuram esse novum figmentum Ecclesiæ, *lib.* 4. *Instit. cap.* 19. *num.* 27. Verum et si Catholici omnes hæreticos, qui Clericalem Tonsuram derident, jure, ac merito castigandos putent, sunt tamen ex ipsis, qui ejus institutionem ab Apostolis repetendam non esse censeant. « Merito, inquit Editor *Summæ Ven. Monetæ advers. Cath. et Valdenses not.* 6. *in cap.* 6. *lib.* 4. *pag.* 309. *seq.* ab Ecclesia, et non ab Apostolis coronæ, tonsuræque Clericorum repetit institutionem. Etenim, etsi Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, in Theor. rerum Ecclesiast. et Beda lib. 5. Historiæ Gentis Anglorum Cap. 22. Petrum in coronam attonsum fuisse dicet in memoriam Dominicæ Passionis, nonnullosque sequioris ævi Scriptores, habeat sibi consentientes, quoniam tamen nullus Auctor, qui aliquam mereatur fidem, hoc ipsum, prodiit, vereor ut illius testimonium suspectæ sit fidei. Cæterum imagines quædam Apostoli Petri veteres cum primis in fundo vitreorum vasculorum depictæ editæque a Bonarotio, et Boldetto, Petrum quidem exhibent aliquando Capillis detonsis in orbem, quamvis pleræque imagines sint generis ejusdem, nullam exhibentes Tonsuram. Quocirca ne ex his quidem elici quidquam potest, quod Bedæ suffragio sit. Itaque nulla nos impellit ratio, ut Tonsuræ institutionem a Petro repetendam esse arbitremur. Ego trium priorum Ecclesiæ sæculorum Clericos, ante redditam Christianis pacem Tonsuram non habuisse, aut perraros fuisse, qui haberent, puto; alioquin facile pro Christianis agnosci, extremoque supplicio affici potuissent; cum tamen illos revera Ethnici non distinguerent. Sed quarto quintoque sæculo eos, qui in Clericorum, aut Monachorum Collegium essent cooptati, totondisse capillos, compertum esse contendo. Nam Julianum Apostatam, cum Maximo philosopho Ephesio sese tradidisset in disciplinam, in spemque Imperii esset erectus, uti spes tanta Constantium fugeret, cutem abrasisse, et vitam Clerici fuisse professum, Auctor est Socrates *lib.* 3. *Histor. Capit.* 1. Id vero contigit circa annum 351. velut sapienter animadvertit eruditissimus Cardinalis Norisius in Lectionibus habitis in Acad. Pisana *Lect.* 6. *Tom.* 4. *Opp. Edit. Veron.* Labuntur ergo Thomassinus de *Discipl. Parte* 1. *Lib.* 2. *Capit.* 37 *seqq.* et Bohemerus *Instit. Can. l.* 1. *tit.* 5. § 6. qui aiunt sæculo V. assumptam fuisse Tonsuram a Clericis exemplum Monachorum secutis, dum ex Monasterio tracti essent. Suppetunt enim solidissima documenta, quibus liquido evincatur Clericos ante V. sæculum Tonsuram gestasse longe a Monastica discrepantem. Nam etsi Monachi tonderent se, coronam tamen non gestabant. Quarto autem sæculo et seqq. patet Episcopos coronam habuisse adeoque etiam Tonsuram ab ea Monachorum quæ propria fuit, diversam. Ita namque sciscunt testimonia Hieronymi, Paulini, Gregorii Nazianzeni, quæ referuntur ab Halerio *Hierarch. Eccl. tom.* 1. *in Append. art.* 2. § 2. *pag.* 1063. *Edit. ann.* 1636. et a Norisio *Lect.* 6. *De Tonsura Tom.* 4. *Opp. Edit. Veron.* Verumtamen corona Clericorum fuit, non qualis nunc defertur a Clericis, sed qualis a Monachis nostrorum temporum gestari solet. Synodus Toletana 4. *Can.* 41. « Omnes Cle« rici, inquit, vel Lectores, sicut Levitæ, et « Sacerdotes detonso superius toto Capite, « inferius solam circuli coronam relinquant, « non sicut hucusque in Galliciæ partibus fa« cere Lectores videntur, qui prolixis, ut Laici « comis, in solo capitis apice, modicum cir« culum tondent. Ritus enim iste in Hispa« nia hucusque hæreticorum fuit. » Paria habet S. Gregorius Turonensis in *vita S. Patricii cap.* 17. ubi de S. Nicetio loquitur. »

(50. Tonsura Clericalis antiquitus fiebat raso desuper capite in modum sphæræ, et inferius quoque, ita ut patentibus auribus, sola capillorum corona circa caput remaneret; *c. Psalmista* 20. *dist.* 23 (1) ibi: « Clerici comam nutrire prohibentur, quorum caput de-

(1) Sed nunc omnes norunt eruditi, caput illud ad falsas decretales Isidori Mercatoris pertinere. (*Edit. Casin.*)

Digitized by Google

super in modum spheræ rasum esse debet; » *cap. Prohibita* 27. *ejusdem dist.* 23. Ibi : « Clerici juxta Apostolum comam non nutriant; sed desuper caput in modum spheræ radant; » et *cap. Non licet* 72. *ejusd. dist.* 23. ibi : « Nec oportet Clericos comam nutrire, et sic ministrare, sed attonso capite auribus patentibus; » ad eum videlicet modum, quo hodie Monachi, et Regulares capita sua radere consueverunt. Barbosa *lib.* 1. *Juris eccles. univers. c.* 40. *n.* 7. (51. Progressu tamen temporis introductum fuit, atque hodie ab Ecclesia generaliter receptum, ut dicta corona capillorum a Monachis, aliisque Regularibus, nec non a Romano Pontifice retenta, reliqui Clerici sæculares loco ejusdem Coronæ solummodo circulum aliquem modicum in superiori parte capitis abrasum gerant. Barbosa *loco cit.* et testatur praxis communis. (52. Et de tali corona procedit text. in *cap. Clerici* 15. *de vita et honestate Clericor.* ubi loquendo de Clericis Sæcularibus dicitur : *Coronam et Tonsuram habeant congruentem*, id est congruentem cujuslibet statui, et Ordini, nam minor corona, seu circulus solet deferri a Clericis; major a Sacerdotibus, atque adhuc amplior ab Episcopis usque ad Summum Pontificem, qui etiam impræsentiarum retinet coronam a primordiis Ecclesiæ usitatam. (53. Et in specie pro minoribus Ordinibus pro quantitate, et longitudine Tonsuræ, seu Coronæ assignatur mensura unius Regalis, seu minoris hostiæ; pro Subdiaconatu paulo major; major etiam pro Diaconatu; pro Sacerdotio mensura Hostiæ Majoris; pro Episcopatu longe major totum fere caput circumcingens, ut definitum est in Conc. Toletano IV. et Conc. Placentino sub Urbano VI. (54. Hujus autem Tonsuræ, seu Coronæ mystica significatio potissimum declaratur *in cap. Duo sunt genera* 7. *caus.* 12. *qu.* 1. his verbis : « Hi namque (scilicet Clerici) sunt Reges, id est, se, et alios regentes, et ita in Deo Regnum habent; et hoc designat Corona in capite. » Hanc Coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum Regni, quod in Christo expectatur. Rasio vero Capitis est temporalium omnium depositio. Et hoc ipsum diffusius declarat Glossa in *Clementina Quoniam* 2. *de vita, et honestate Cleric.* sub verb. *Et Tonsura*, ibi : « Circa hoc sciendum est, quod Clericis deputatis ad Divina ministeria competit rasura, et Tonsura in modum Coronæ ratione figuræ, quia Corona est signum Regni, et perfectionis, cum sit circularis carens angulo, in signum carentiæ sordium, quia ubi angulus, ibi sordes; se ergo, et alios virtutibus regere, et sordibus mundare debent, et sic in Deo regnabunt. »

(55. Clerici in Sacris, vel Beneficiati, licet in prima Tonsura, aut etiam in Minoribus Ordinibus constituti, si per longum tempus Tonsuram, et habitum Clericalem non deferant, et comam sine justa causa nutriant, peccant mortaliter, ut colligitur *ex cap. Psalmista* 20. *cap. prohibita* 21. *et cap. Non licet* 31. *dist.* 23. ubi *Clerici prohibentur comam nutrire*, et jubentur nonnisi *attonso capite auribus patentibus ministrare et ex cap. Si quis ex Cleric.* 25. *dist.* 23. *et cap.* 4. *de vita, et honestate Clericor.* ubi sic præcise dicitur : *Si quis ex Clericis comam relaxaverit, anathema sit;* et ex Concil Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. *de reform.* ubi cum maxima energia improperat hunc neglectum; vocat enim temeritatem, et Religionis contemptum, et imponit transgressoribus maximas pœnas, sicuti imponit etiam graviores Sixtus V. in *Constitut.* incip. *Cum Sacrosanctum*, quod non posset fieri, nisi transgressio esset gravis culpa. Eo vel maxime quod ex *Concilio Romano* 1. *Zacharias cap.* 3. *et cap. Episcopi* 3. *caus.* 21. *qu.* 4. Clericus non deferens Habitum Clericalem supponitur Excommunicationi, ibi : *Communione privetur;* sicuti etiam Excommunicationi supponitur Clericus non deferens Tonsuram, et comam relaxans, *ex cit. cap. Si quis ex Clericis* 23. *dist.* 23. *et cap.* 4. *de vita, et honestate Clericor.* ibi : *Anathema sit.* (56. Non potest autem infligi Excommunicatio nisi propter gravem culpam, cum Excommunicatio sit pœna gravissima, quam habet Ecclesia; *cap. Corripiatur* 17. *causa.* 24. *qu.* 3. ibi : *Qua pœna in Ecclesia nulla major est.* Sic tenet Navarr. *in Manual. cap.* 25. *num.* 110. *et seq.* Vasquez *tom.* 3. *in tertia parte disp.* 250. *cap.* 9. Sperell. *decis.* 66. *num.* 12. Bonacina. *de Sacrament. disp.* 8. *quæst. unic. punct. ultim. num.* 3. Monacell. *tom.* 2. *tit.* 15. *formul.* 4. *num.* 2. et alii. (57. Imo Panormit. *in cap. Si quis* 4. *de vita et honestate Clericor.* Scotus *in* 4. *disput.* 24. *quæst.* 2. *art.* 1. *conclus.* 2. Silvester *verb. Clericus* 2. § 2. *vers.* 4. *peccat*, Banez *Secunda secundæ quæst.* 2. *art.* 1. statuunt indefinite omnes Clericos, qui per longum tempus negligunt Tonsuram, seu Coronam gestare, peccare lethaliter. (58. Videatur tamen Clementina *Quoniam* 2. *de vita, et honestate Clericor.* Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. *de reformat.* et Constitutio Sixti V. incipiens *Cum Sacrosanctum*, ubi expresse fit sermo de Clericis in Sacris, vel Beneficium Ecclesiasticum, aut saltem Jus ad illud habentibus, et solum contra ipsos non deferentes Habitum, et Tonsuram Clericalem variæ pœnæ statuuntur. Videatur etiam *Constitut.* Bened. XIII. incip. *Catholicæ Ecclesiæ* edita 2. Maii 1725, in qua aliæ pœnæ decernuntur.

(59. Notanter vero fuit dictum *sine justa causa*, quia dantur plures casus, in quibus habetur justa causa non deferendi Habitum, et Tonsuram pro aliqua differentia temporum, locorum, et circumstantiarum. Ita Barbosa *lib.* 1. *Jur. Ecclesiast. univers. cap.* 40. *num.* 32. *et sequent.* et communis aliorum. Primo nullam incurrit culpam, et pœnam Clericus incedens absque Habitu, et Tonsura Clericali, quando id faciat ex causa justi timoris; *cap. Clerici Officia* 15. *de vita, et honestate Clericor.* Ibi : *Nisi justa causa timoris exegerit Habitum transformari*, ut esset in Clerico, qui transiturus esset per loca infidelium, vel hæreticorum cum periculo vitæ, aut metu servitutis, verberum, aut al-

Digitized by Google

terius gravis incommodi; ut refert Glossa *in cap. Clericus de vita et honestate Clericor.* verb. *Relaxaverit*, de quodam Clerico, qui a Papa reprehensus, quod sine Tonsura, et Habitu Clericali Romam accessisset, sequentibus versibus sese excusavit :

Tutius ut peterem Laici sub imagine Romam,
Fas fuit, ut sinerem luxuriare Comam.

(60. Secundo, nullam incurrit culpam, et pœnam, qui non defert Tonsuram propter infirmitatem, vel non defert Habitum proprio Ordini congruentem ratione magnæ paupertatis. *Clementina Quoniam* 2. *de vita, et honestate Clericor.* ubi *excipiuntur* illi, qui id faciunt ex aliqua causa rationabili, ibi : *Præterquam ex causa rationabili ;* Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. univers. cap.* 40. *num.* 33. *et* 74. cum plurimis aliis. (61. Tertio, nullam incurrit culpam et pœnam, qui domi suæ atque in occulto Habitum Clericalem dimittit. Gloss. *in dicta Clement. Quoniam* verb. *Publice*, Ancharanus *ibidem num.* 2. Barbosa *loco cit. n.* 35. *et in collect. num.* 2. *de vita, et honestate Clericorum, et in Trident. sess.* 14. *cap.* 6. *de reformat. num.* 12. cum multis aliis, *quia d. Clement. Quoniam* loquitur de deferente publice vestes alienas, adeoque secus est discurrendum, quando deferuntur solummodo domi, et occulte sine spretu; tum quia iste talis non dimittit Habitum, ne deferat, sed ut paulo post assumat, quo casu non dicitur dimisisse, sicuti etiam abesse non dicitur, qui statim est reversurus; *l. Postliminii jus.* § *captivus, et l. Nihil, ff. de captiv. et postlim. rev.* (62. Quarto, nullam incurrit culpam, et pœnam Clericus itinerans, vel peregrinans, qui in itinere brevioribus utitur vestibus ; *arg. cap. Episcopi* 3. *caus.* 21. *quæst.* 4. ibi : « Præterquam si in itinere longo tempore ambulaverit ; *et ita rescripsit* Sac. Congreg. Episcop. et Regul. Archiep. Ulissiponensi 18. Octobris 1589. » (63. Quinto, excusatur Clericus, qui semel Habitum dimisit; is enim propter unicam Habitus dimissionem non debet Beneficio, vel Fori privilegio privari, sed requiritur, ut tantum perseveret, quod publice pro Laico habeatur. Ita Farinac. in *praxi Crimin. quæst.* 8. *num.* 68. Piaces. *in praxi Episc. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 14. *vers. excusetur ;* Ugolin. *de Offic. et potest. Episcop. cap.* 12. §. 6. *num.* 3. Barbosa. *loc. cit. num.* 32. Card. de Luca *in annot. ad Concil. Trident. disc.* 24. *n.* 32. asserens delationem Habitus moraliter, non autem physice intelligendam esse ; et favet textus *in leg. Quidquid iracundiæ ff. de regul. Jur.* ubi in brevi reversa uxor divertisse non videtur.

(64. Clericorum delectus et regimen Episcopis summopere commendatur. Bened. XIV. *tom.* 1. *Constitut.* 2. incip. *Ubi primum* § 1.

65. Clerici operam dare debent instruendis fidelibus in Doctrina Christiana. Idem *Constit.* 42. incip. *Etsi minime* § 5.

(66. Clerici antequam ordinentur in sacris, studium saltem Theologiæ Moralis præmittere tenentur; ita enim intelligenda est sanctio Tridentini *sess.* 23. *cap.* 14. injungens, ut ordinandi *ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda sacramenta comprobentur ;* atque hoc injunctum esse a Benedicto XIII. confirmando Bullam *Apostolici ministerii, etc.* datam pro reformatione Cleri Hispani, et tamquam normam pro aliis Episcopatibus, firmatur. *Instit. Eccl.* 2. § 4. *et* 5.

(67. Sacerdotum penuria non satis est causæ, ut Clerici illitterati ad Sacros Ordines promoveantur, ut a Sac. Cong. Conc. decisum refert Fagnan. *in cap. Quæris. n.* 18. *de ætat. et qualit. præficiend.*

(68. Clerici ordinandi in sacris cogendi sunt ad præmittenda exercitia spiritualia decem dierum, ut olim Episcopis Italiæ, et Insularum adjacentium mandavit in encyclica Innocentius XI et alia encyclica innovavit Clemens XI. *Instit. Eccles.* 104. § 5.

(69. Non debet Episcopus præcipere, ut Clerici minoribus ordinibus initiati, vel etiam majoribus Subdiaconatus, etc., ad Sacros Ordines ascendant, etiamsi id facile constituat ad evitanda scandala minorum Clericorum, qui otio et vitiis se dedunt, id enim Ecclesiasticæ disciplinæ repugnat; *de Synod. Diœces. lib.* 12. *cap.* 4. § 2. *nov. edit.* (70. Id tamen verum est, si quidem Clerici nullum Beneficium Ecclesiasticum obtineant, vel obtineant quidem Beneficium, sed non ex illis, quibus adnexum est onus suscipiendi Sacros Ordines. *Ibidem.* § 3. Qui enim obligationem beneficio suo adnexam neglexerunt, beneficio privantur; ex Trident. *cap.* 12. *sess.* 24. *de reform.* nisi tamen justo impedimento excusari possint; *ibid.* § 6. saltem dummodo hoc impedimentum ab illis prævisum fuerit, antequam beneficium acceperint. Excipitur tamen, nisi aliter exposcat necessitas Ecclesiæ. Ibid. § 7.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(71. Christiani vel Clerici sunt vel Laici. Dicuntur Clerici, qui servitio Ecclesiæ tanquam Ministri ejus publici dicati sunt. (72. Reliquus cœtus Fidelium nomen habet Laicorum. (73. Clerici vero pro duplici functionum genere, scilicet Sacerdotio et Ministerio, sunt duplicis generis. (74. Sacerdotium Episcoporum et Presbyterorum proprium est; Ministerium Diaconorum, et reliquorum Clericorum. (75. Gradus Clericorum diversi vocantur Ordines, quos omnes eminenter continet Episcopatus. Consule Fleury *Instit. Ecclesiast. part.* 1. *cap.* 3. *per tot.*

(76. Primis sæculis Clerici a Laicis nec Capillis, nec Vestibus, nec certo Habitu fuerunt distincti. (77. Cum enim Clerici crudelius quam Laici a Paganis vexarentur, noluerunt sine necessitate mala hoc pacto sibi arcessere. (78. Integra fuit libertas hæc ad sæculum quintum usque. Anno enim 428. Cœlestinus Papa, *Epist.* 2. scribit, tunc tem-

Digitized by Google

peris ne Episcopos quidem externo Habitu distinctos a Christianis fuisse (1).

(79. Tonsuram primis quinque Ecclesiæ sæculis datam haud fuisse separatim ab omni Ordine, sed simul cum primo Ordine veluti ritum ejus collationi adnexum, sentit Morin. *de ordinat. part.* 3. *exercit.* 15. *cap.* 3. (80. At Mabillon. *ad part.* 1. *sæcul.* 3. *Benedictin. num.* 19. Christianus Lupus *in scholiis ad Canon.* 13. *Concil. œcumenici VII.* tenent, tonsuram ante tempus a Morino præfixum, datam fuisse separatim, et ante susceptionem alicujus Ordinis.

(81. Quomodo autem Tonsura ab omni Ordine separari cœperit, ita narrat Morinus: « Parentes filios suos impuberes, imo fere infantes Ecclesiasticis officiis consecrabant, et Episcopis instituendos offerebant. Eos Episcopi in eadem domo educandos, et instituendos curabant, ut essent Cleri reparandi velut seminarium. Eorum institutioni senex aliquis e Clero præficiebatur, atque ut plurimum Archidiaconus. Cum autem propter ætatis infirmitatem Ostiariorum, aut Lectorum Officiis in Ecclesia fungi non possent, Ordines illos illis non conferebant, sed solum Tonsuram cum Veste Clericali; Tonsuram ideo ab ordine separantes, ne Pueri isti Ecclesiæ Ministeriis Parentum pietate devoti, ut prorsus sæculares, et profani hominum oculis comparerent; longo post tempore quod in pueris fiebat propter ætatis infirmitatem, in ætate valentibus usurpatum est, Tonsuraque Clericalis, ut Ordo quidam ab aliis separatus, quibuscunque separatim collata est. »

(82. Probatio Tonsuræ fieri potest per litteras, vel ipsius Tonsuræ, vel superiorum Ordinum. Vanespen. *Jur. Eccles. univers. par.* 1. *tit.* 1. *num.* 8. ubi quod, qui est in possessione Beneficii, is Tonsuram probare haud teneatur

(83. Occasio qua factum est ut Clerici peculiares Vestes elegerint, ex Monasticis moribus tracta est. Confer Bohemer *in decretal. lib.* 3. *tit.* 1. § 22. *et plur. seq.* (2).

(84. De varia vero Ecclesiæ disciplina circa Vestem Clericalem consule Thomassin. *de veter. et nov. Eccles. disciplina tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 44. utrobique *per tot.*

(85. De amictu sive veste Clerici in præsens convenienti « difficile (inquit Vanespen. *Jur. Ecclesiast. univers. part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 2. *num.* 5.) est generaliter determinare, cum pro temporum, et locorum varietate varium esse, ac mutari posse indubium sit. Assumenda ergo est Vestis, quæ pro loci et temporis conditione honestati, et modestiæ Clericorum sit conveniens, ita ut externus modestiam, vitamque Clericalem omnibus ostentet, nihilque mundani fastus aut vanitatis sæcularis præferat. Confer. etiam Card. de Luca in *adnot. ad Concilium Tridentinum disc.* 24. *num.* 21 *et sequent.*

ARTICULUS II.

Clericus quoad privilegium fori et canonis.

(1. Per privilegium *Fori* intelligitur illud, vi cujus quis exemptus est ab omni potestate, et jurisdictione Fori sæcularis, adeo ut non possit amplius a Judice sæculari in Judicium trahi, carcerari, vel puniri, sed duntaxat a Judice Ecclesiastico; ut colligitur *ex cap. Si Imperator* 11. *Distin.* 96. et est *Communis*, et dicitur *Fori* a Foraneo Rege, qui primus Græcis Legem dedit; *cap. Forus* 10. *de verbor. significat.* (2. Per privilegium *Canonis* intelligitur illud, vi cujus omnes offendentes, seu manus violentas injicientes in Clericos, vel Monachos ipso facto excommunicationem incurrunt; et dicitur *Canonis*, quia continetur in Canone 15. Concil. II. Lateranensis sub Innocentio II. *cap. Si quis suadente Diabolo* 29. *caus.* 17. *qu.* 4. ibi: « Si quis suadente Diabolo hujus Sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum vel in Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis periculo urgente) donec Apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat. » (3. Clerici, et Monachi, seu Regulares gaudent privilegio Fori, adeo ut ipsi ad Judicium Fori sæcularis trahi non possint. *Communis, et indubitata apud omnes.* Et quidem neque in casibus civilibus; *cap. Bene quidem* 1. *Dist.* 96. *cap. In Canonibus* 57. *caus.* 16. *quæst.* 1. *cap. Ecclesia S. Mariæ* 10. *de Constitutionibus*, *cap. Qualiter, et quando* 17. *de Judiciis*, *cap. Si diligenti* 12. *de Foro competent. et Authentic. Statuimus*, *de Episcop. et Cleric.* cum similibus. Et neque in causis criminalibus; *cap. Nemo nunquam* 1. *cap. Nullus Judicum* 2. *cap. Relatum* 13. *caus.* 11. *quæst.* 1. *cap. At si Clerici* 4. *de Judiciis*, cum concordantiis. (4. Nomine Clericorum, quantum ad privilegium Fori, veniunt omnes omnino Clerici, sive sint primæ duntaxat Tonsuræ, aut in Ordinibus Minoribus constituti; *cap. Cleros Dist.* 21. *et cap Cum contingat de stat. et qualit. præficiend.* dummodo habeant conditiones de Jure requisitas; *c. ultim. de Cleric. conjug. in* 6. et Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 6. *de reformat.* Sive sint constituti in Ordinibus Majoribus; *cit. cap. Cleros Dist.* 21. Aut

(1) Auctor *Additionum ex aliena manu* et plerique alii de Clericorum vestibus autumant, sæculo Ecclesiæ quinto nondum Clericos quoad vestes a laicis fuisse distinctos; sed postquam barbari Italiam invaserunt vestimentorum brevium usum fuisse invectum. Quædam vero nobis occurrunt monumenta in ecclesiastica historia, quæ suadere videntur aliquod fuisse discrimen inter Clericorum et laicorum vestes ante quintum Ecclesiæ sæculum. Re quidem vera Concilium Carthaginense IV habitum anno 398. *can.* 45 ita statuit: *Clericus professionem suam, et in habitu, et in incessu probet.* Et ut alia documenta, quæ ad hanc rem faciunt, omittam, unum Salvianum, Scriptorem V sæculi adducam, *lib.* 4. *de Guber. c.* 7. clare distinguentem habitum sæcularem a clericali. Locus autem Cœlestini Pontificis, qui nobis obtruditur, minime contrariæ sententiæ fautoribus suffragatur. (*Edit. Casin.*)

(2) Nobis minime arridet hæc Bohemeri sententia: peculiares Clericorum vestes Monachorum moribus acceptas referre deberre. (*Edit. Casin.*)

Digitized by Google

etiam in dignitate Ecclesiastica; *cap. Cum tibi* 18. *de Verbor. significat.* et Glossa final. ibi. (5. Sic etiam nomine Clericorum, quantum ad privilegium Fori, veniunt Monachi, et Regulares omnes Religionum ab Ecclesia approbatarum, tam Professi, etiam Conversi, quam Novitii; imo et Moniales, earumque Conversæ, et Novitiæ. *Est communis;* omnes enim tales sunt personæ Ecclesiasticæ, ac Dei Servitio Divinisque Ministeriis specialiter deputatæ, atque ideo in materia favorabili, ut est ista, veniunt nomine Clericorum, *ut c. Quisquis inventus* 21. *et cap. Si quis suadente* 29. *caus.* 17. *quæst.* 4. (6. Clerici tamen Minoristæ non gaudent privilegio *Fori*, nisi habeant aliquam ex tribus illis conditionibus, quas requirit in ipsis Concilium Trident. *sess.* 23. *c.* 6. *de reformat.* his verbis: « Is etiam (*id est prima Tonsura initiatus, aut in Minoribus Ordinibus constitutus*) Fori privilegio non gaudeat, nisi Beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem Habitum, et Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad Majores Ordines suscipiendos versetur. » (7. Sufficit vero quælibet trium conditionum a Concilio Tridentino requisitarum, ut Clericus Tonsura Clericali insignitus, vel etiam in minoribus Ordinibus constitutus gaudeat privilegio Fori, nam Concilium ibidem loquitur sub disjunctione, *Aut, vel*, uti patet ex ipsis verbis mox citatis, et ex *Regul.* 76. *Juris. in* 6. *In alternativis sufficit alterum impleri*, et in alternativa dispositione unum in effectu continetur; *l. Cum illud* 25. *ff. quando dies l.* (8. Unde Clericus habens Beneficium gaudet privilegio Fori, licet Clericalem Habitum et Tonsuram non deferat, et Ecclesiæ non inserviat, ut expresse declaravit Sacra Cong. Concil. teste Fagnan. *in c. Inter cætera* 5. *de rescriptis num.* 8. (9. Imo gaudet privilegio Fori Clericus primæ Tonsuræ, qui Beneficium Ecclesiasticum a se possessum resignavit, reservata sibi pensione, licet in Habitu et Tonsura non incedat. Ita Fagnan. *in cap. Ad audientiam* 31. *de rescriptis n.* 127 *et num.* 131. ubi refert Gregorium XIII. *Die* 8. *Decembr.* 1576. declarasse, Pensionarium censeri Beneficiatum ad effectum gaudendi privilegio Fori Ecclesiastici, de quo Concilium loquitur; idque duabus rationibus: Primo, quia Cancellaria habet Pensionarium pro Beneficiato, ideo vult exprimi in Bullis Pensiones, sicut beneficia; secundo, quia Sanctus Pius Bulla sua coegit Pensionarium ad dicendum Officium saltem Beatæ Virginis. (10. Quinimo Clericus primæ Tonsuræ, seu Minorista non incedens in Habitu, et Tonsura Clericali gaudet privilegio Fori, nedum quando possidet Beneficium, seu Beneficium possessum resignavit cum pensione, sed etiam ante adeptam Beneficii possessionem, dummodo constet de valida collatione. Ita Flaminius Paris. *lib.* 7. *de resignat. benefic. q.* 1. n 46. *et* 47. asserens quod fuerit resolutum in Sac. Cong. Conc. 16. *Julii* 1287. Beneficiatum gaudere privilegio Fori ante adeptam possessionem; et sic decrevisse refert etiam Fagnan. *in cap. si quis, de Foro competent. num.* 54. et tenet Gigas *de pensionibus qu.* 94. *n.* 12. Lezana *in Summa tom.* 3. *verb. Clericus n.* 20. et plurimi apud Barbosam *lib.* 1 *Juris. Eccles. univers. cap.* 39, § 2. *n.* 14. Et ratio est, quia in Beneficialibus non attenditur principaliter possessio, sed titulus; *arg. c. Ex frequentibus* 3. *de institutionibus.* Tum quia in possessione non est aliquid spiritualitatis, ut dicit Abbas *in cap. quod in dubiis n.* 8. *de renuntiat.*

(11. Clericus Tonsuratus, vel Minorista non habens Beneficii possessionem, nec titulum, nec pensionem, ut Fori privilegio gaudeat, requiritur, et sufficit unum ex tribus infra scriptis, videlicet quod Clericalem Habitum, et Tonsuram deferens alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat: vel quod Clericalem Habitum, et Tonsuram deferens in aliquo Seminario de licentia Episcopi degat; vel quod in Habitu, et Tonsura incedens in aliqua Schola de licentia Episcopi versetur. Sic decisum fuisse a Sacra Congreg. Concil. refert Armendar. *in addit. ad recopilat. legum Navarræ lib.* 2. *tit.* 19. *l.* 1. *de foro compet. n.* 2. Barbosa *in Conc. sess.* 23. *c.* 7. *de reform. n.* 20. (12. Ita tamen, ut habitum Clericalem, et Tonsuram simul deferat; non enim sufficit gestatio Habitus, vel Coronæ pro gaudendo privilegio Fori; Armendar. *loc. cit. n.* 13. Aloysius Ricc. *in decis. Curiæ Archiepisc. Neapol. par.* 4 *dec.* 154. Barbosa *in Conc. loc. cit. num.* 21 *et lib.* 1. *Juris Ecclesiast. c.* 39. § 2. *num.* 23. et sic decrevit Sacra Congreg. Conc. *super controversiis Jurisdictionalibus in Ariminen.* 21. *Januar. et* 28. *April.* 1626. (13. Clericus Minorista in Habitu, et Tonsura deserviens Ecclesiæ, gaudet privilegio Fori, licet non deserviat ex mandato Episcopi. Sacra Congr. Concil. *in Valentina* 29. *Jun.* 1628. (14. Sic etiam Clericus inserviens alteri Ecclesiæ, quam cui fuit adscriptus gaudet privilegio Fori. Sic decisum fuisse a S. Congreg. Conc. referunt Prosper de Augustino ad Quarant. *in Summa Bullarii verb. Habitus*, Genuens, *in prax. Cur. Archiep. Neapol. cap.* 7. *n.* 1. ubi dicit, quod cum de *anno* 1586. *mense Decembr.* ad instantiam Vicarii Archiepiscopi Neapolitani propositum fuisset dubium: « An Clericus alteri Ecclesiæ inserviens quam cui fuit adscriptus, Fori privilegio gaudeat; Congregatio censuit gaudere. » (15. Imo licet nulli Ecclesiæ esset adscriptus, talis Clericus alicui Ecclesiæ inserviens, adhuc gauderet privilegio Fori, prout decisum fuisse a Sacra Congreg. Conc. refert Sperell. *decis.* 26. *n.* 31. ubi dicit ipsam decisionem emanatam fuisse ad instantiam Episcopi Ferrariensis, et extare apud se in forma probante, et a bonæ memoriæ Cardinali Lancellotto subscriptam tenoris sequentis: « An Clericus in Minoribus Ordinibus constitutus, Clericalem Habitum, et Tonsuram deferens, atque Ecclesiæ inserviens, gaudeat privilegio Fori, si alicui Ecclesiæ adscriptus non sit? » Sac

Digitized by Google

Congreg. Conc. Trident. interpretum *censuit gaudere*. (16. Pluries enim, dicit *ibid.* Sperell. rescripsit ipsa Sac. Congregat. Conc. mandatum Episcopi non esse necessarium; quia, ut dicit Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. univers. cap.* 39. § 2. *num.* 36. qualitas mandati, vel licentiæ Episcopi est levis, satisque est concurrere quæ potiora sunt, nempe Tonsuræ, et Habitus Clericalis delationem, et servitium Ecclesiæ, vel commorationem in aliqua Schola, aut Universitate; et facit ad hoc alia decisio Sac. Congregat. ab ipso Barbosa mox citato adducta, tenoris ut sequitur : « Joannes Jacobus Cuperchinus Clericus Romanus, qui prima Tonsura in Urbe initiatus, quatuor Minores Ordines Panormi cum dimissoriis Illustr. Urbis Vicarii suscepit, Romam reversus, et Habitu Clericali incedens, studiis incumbens, Collegium S. Thomæ frequentavit, et licet nulli esset adscriptus Ecclesiæ tamen non destitit, diebus præcipue Festivis, et aliis, Sacrificio Missæ inservire in Ecclesia S. Jacobi Incurabilium, et alibi. Mox causa honoris sororem occidit, dubitatur an gaudeat Fori privilegio? Fisgus respondet eum non gaudere, quia neque Beneficium habet, neque est adscriptus Ecclesiæ, neque versatur in Scholis de licentia Episcopi, ut requirit *Conc. Trid. sess.* 23. *c.* 6. *de reform.* » *Die* 30 *jun.* 1609. S. Cong. Conc. « perpendit secundum ea quæ proponuntur, in hoc casu concurrere omnia requisita, ut hic Clericus gaudeat privilegio Fori; est enim initiatus prima Tonsura, incedebat in Habitu, et Tonsura, et Ecclesiæ inserviebat, imo in Schola versabatur, quia publicam dialecticæ lectionem in ædibus S. Mariæ super Minervam audiebat. »

(17. Clericus si Habitum a se gestari solitum aliqua occasione ad breve tempus deposuerit, non ideo Fori privilegium amittit. Sic decrevisse Sacram Congregationem Concilii refert Fagnan. *in c. si quis* 1. *de Foro competent. n.* 20. (18. Sic Clericus Beneficiatus solitus incedere in Habitu, et Tonsura, licet aliquando talem gestationem intermiserit, non incidit in pœnam privationis Beneficii impositam a Sixto V. in Constitutione incip. *Cum Sacrosanctum*, et ex consequenti non amittit Fori privilegium, sed eo tanquam Beneficiatus debet gaudere ad præscriptum Concil. Trid. *sess.* 23. *c.* 6. *de reformat.* Sic censuit Sacr. Congr. ejusdem Conc. 6 *Octob.* 1612. (19. Imo Clericus Beneficio privatus ex d. Bulla Sixti V. eo quod Habitum, et Tonsuram non detulerit, Fori privilegium non amittit ante latam a Judice Ecclesiastico declaratoriam super facto, id est quod Habitum, et Tonsuram Clericalem minime gestaverit. Sic declaravit ead. Sacr. Congreg. *d. die* 6 *Octob.* 1612. (20. Clericus non Beneficiatus, solitus tamen Ecclesiæ inservire, et in Habitu, et Tonsura incedere, si noctu, vel interdiu in Habitu Laicali deprehendatur cum armis, gaudet privilegio Fori, quia ex ipsa consuetudine Habitum jugiter deferendi colligitur esse in ipso Clerico voluntatem illum reassumendi, ex notat. per Menoch. *l.* 6. *præsumpt.* 37. *num.* 28. et facit textus *in* § *Pavonum, Institut. de rer. divis.* Mutatio autem voluntatis non præsumitur, nisi probetur; *l. Qui voluntatem, ff. de probat.* tum quia, cum versemur in materia pœnali, et odiosa amissionis privilegii Fori, factum non dicitur, quod factum non durat, *cap. Nam et ego; de verbor. significat. cum concord.* de quibus ibi per Glossam *in verb. Quasi nunquam esset;* Abbas *consil.* 69. *num.* 1. *col.* 1. *vers. sed his non obstantib.* Brevi enim reversa uxor, nec divertisse videtur; *l. Divortium, ff. de Divortio; l. Quidquid color, ff. de regul. jur.* nec dicitur versum, quod versum non durat; *l. si pro Patre* § *versum, de in rem verso*, et sic qui Habitum Clericalem dimisit, illum statim reassumpturus, censebitur non dimisisse; *argum. cap. ad nostram, de Regular.* ibi : *Statim pœnituit, quod Habitum induisset;* et Glossa *ibid.* (21. Clericus gaudet privilegio Fori non obstante Irregularitate contracta ob homicidium. S. Congregat. Immunit. *in Alatrina* 13. *Aug.* 1658. (22. Clerici enim non possunt citari ad Forum Laicalem. S. Congreg. Immunit. *in Nullius Montis Casini* 16. *Augusti* 1695.

(23. Clericus, qui post commissum delictum, sine ulla fraude Clericatum assumpsit, gaudet privilegio Fori, tam quoad personam, quam quoad bona, quia privilegium superveniens universaliter eximit; *c. Frater noster*, et ibi Glossa *in verb. Aliquid, caus.* 16. *q.* 1. *c. cum Capella, de privileg.* et liberat ab obligatione, qua quis antea tenebatur; *c. ex antiquis, c. Fraternitatem; et c. si Servus dist.* 54. *l. penult.* § *si post, et l. Spadonem* § *scire, ff. de excusat. tutor. l. Is cui ff. de alim. et cib. legat.* et sic expresse decisum fuisse a S. C. Conc. refert Fagnan. *in c. cum magnus* 1. *de obligat. ad ratiocin. num.* 64. (24. Si vero post commissum delictum, in fraudem Clericatum assumpsit, gaudet adhuc privilegio Fori quoad personam; sic ead. Sacr. Congreg. Concil. teste Fagnano *loc. cit. n.* 64 *et* 76. et Sacr. Congregat. Immunit. *in Regiensi* 28. *Maii* 1626. *et in Januensi* 16 *Decemb.* 1642. (25. At non gaudet privilegio Fori, quoad bona, si Judex Laicus post commissum delictum, ante illius promotionem, prævenit in causa. Qui enim post delictum assumit Clericatum in fraudem, quoad bona subest sæculari Jurisdictioni, et potest a Judice Laico puniri pœna pecuniaria, et confiscatione bonorum, si Judex Laicus in causa prævenit, ut probat text. *in l. si quis postea, ff. de Judic.* qua ex lege desumptus est similis text. *in cap. Proposuisti, de Foro competent.* et sic decrevit Sac. Congregat. Conc. apud Fagnan. *loc. cit. num.* 71 *et* 76. (26. Judex tamen Sæcularis prævenies non potest in bonis talis Clerici procedere, nisi postquam Judex Ecclesiasticus pronunciaverit, eum in fraudem Curiæ Sæcularis promotum fuisse; necesse enim est, ut præcedat Judicis Ecclesiastici declaratio super

Digitized by Google

fraude, et interim debet Judex supersedere; *cap. si Judex Laicus in fin. de sentent. excommun. in* 6. ibi : *Contra eum interim quivis processus Juris conquiescat;* et ratio est, quia cum ejus Jurisdictio sit fundata super hac qualitate fraudis, et ea circumscripta Clericus sit exemptus ab ejus Jurisdictione, etiam quoad bona ut diximus *num.* 23. priusquam de hujusmodi fraude constiterit, Laicus non est ejus Judex, ideoque de qualitate fraudis Jurisdictionem tribuentis ante omnia constare debet; *l.* 2. § *sed si dubitetur, et l. si quis ex aliena. ff. de Judice;* et sic declaravit ead. Sac. Congr. ut refert Fagnan. *loc. cit. num.* 74 *et* 76.

(27 Clericus, qui dimisso Habitu, et Tonsura deliquit, et postea Habitum, et Tonsuram sumpsit, et Ecclesiæ inservivit, gaudet privilegio fori, nisi reassumpserit Habitum in fraudem. Fagnan. *in cap. cum magnus* 1. *de oblig. ad ratiocin. n.* 29. ubi refert, sic decrevisse Sac. Cong. Conc. (28 Quæ Congregatio *die* 1. *Februar. et die* 26. *April.* 1607. censuit, spectare ad Judicem Ecclesiasticum declarare, an ipse Clericus reassumpserit Habitum in fraudem nec ne? Et ad hoc facit sequens casus. (29. « Clericus primæ Tonsuræ a die, quo fuit ordinatus, per septem annos continuos non incessit in Habitu, et Tonsura, imo intra dictum tempus exercuit Officium Judicis; commisso delicto, fuit a Judice Laico inquisitus, citatus, et domi sistere jussus, sed arrepta fuga, reassumptoque Habitu cœpit Ecclesiæ inservire. Pro sua directione supplicat Episcopus Nicien. declarari : »

1. An iste Clericus gaudeat privilegio Fori?
2. An Episcopus possit Judici Laico fundanti super notorietate, et reassumptione Habitus in fraudem, inhibere ne procedat, nec quoad personam, nec quoad bona, donec ipse cognoscat, an gaudere debeat?
3. An saltem id possit visis Litteris primæ Tonsuræ?
4. An contra Judicem Laicum nihilominus non desistentem, possit procedere ad Censuras?
5. An possit Episcopus hanc causam sibi vindicare?
6. An debeat?

Die 30. Maii 1676. Sacra Congregatio Concilii *respondit ad omnia affirmative.*

Utrum vero de fraude ista prius constare debeat ad hoc, ut judex laicus possit procedere realiter contra bona Clerici, quæstio est inter Doctores, in qua affirmativa sententia facilius admittitur. Porro in fraudem resumere habitum censuretur ille, qui post relictam vestem, crimenque commissum, actus in carcerem a Judice sæculari, fuga se vel aliqua ratione subtraxit, tuncque Clericalem vestem resumpsit. Ita in Tract. *de Synodo Diœc. lib.* 7. *c.* 67. § 2.

(30. Quinimo Clericus, etiamsi propria auctoritate Habitum Clericalem reassumat post delictum, et processum, et fidejussionem det de se præsentando coram Judice Laico, gaudere debet Fori privilegio, et est liberatus a Judisdictione Judicis Laici, quoad personam; quod si subsit fraus, quam judex Ecclesiasticus cognoscere, et declarare debet, potest Judex Laicus processui finem imponere, et contra illum realiter, quoad bona, procedere. Sacra Congregat. Concil. *in Papien.* 23. *Maii* 1626. Sacra Congregat. Immunit. *in Consentina* 16. *Septemb.* 1630. et in eadem Sac. Congreg. *Super controversiis jurisdictionalibus in Civitatis Castellanæ* 18. *Februar.* 1631. (31. Clericus qui ante carcerationem reassumpserat Habitum, Fori privilegio gaudet. Sacra Congregat. Immunit. *in Rossanen.* 18. *Mart.* 1631. (32. Clericus reassumens Habitum, et Tonsuram post prætensum delictum a se commissum, gaudere debet privilegio Fori Ecclesiastici, tam quoad personam, quam quoad bona, etiam ex constitutionibus Regni. Sacra Congreg. Immunitat. *in Marsicana* 11. *Decembr.* 1646. (33. Et licet Clerico reassumere Habitum, absque alia licentia Episcopi. Sacr. Cong. Immunit *in Oritana* 18. *Augusti* 1654 (1). (34. Si tamen Clericus voluntarie, et expresse deponendo Habitum, ipsum renuntiet in actis Curiæ Episcopalis cum approbatione, et acceptatione Episcopi, et cum declaratione quod absque illius licentia Habitum non reassumet; non potest propria auctoritate ipsum reassumere. Sacr. Congreg. Immun. *in Mazzarien.* 16 *Decembr.* 1642. (35. At vero si Clericus in carceribus detentus, aut in alio loco, quem tenet loco carceris, renuntiet privilegiis Clericalibus, aut Beneficiis, poterit Habitum reassumere Clericalem sine licentia Episcopi, et jura ad Beneficium renuntiatum, non obstante decreto acceptationis, quia hujusmodi renuntiatio tanquam metu carceris facta, pro nulla habetur; *l. Qui in carcerem, ff. quod met. caus.* et bis declaravit S. Congr. Episcopor. nempe *in Aquipendii* 18. *April.* 1692. referente Card. Merlino, *et in Aversana* 13. *Junii ejusdem anni* referente Eminentissimo de Abdua. Quod est verum, etiamsi carceratio esset justa, ut observat Antonell. *de locis legal. lib.* 3. *cap.* 37. *n.* 9. Monacell. *tom.* 1. *tit.* 5. *formul.* 9. *n.* 35. (36. Licet Clericus per dimissionem Habitus, et Tonsuræ, ante trinam monitionem non perderet privilegium Fori; *ex cap. Contingit* 45. *de sentent. Excommunic.* tamen Clericus Minorum Ordinum non Beneficiatus, nisi Habitum, et Tonsuram deferat, et Ecclesiæ inserviat, vel in seminario, aut in aliqua

(1) Et firmatur a Benedicto XIV. in Tract. *de Synodo Diœc. cit. lib.* 7, *cap.* 67. § 3. Ad hoc autem ut evitentur ea in re dissensiones inter utramque potestatem Ecclesiasticam, et laicam, suadendum est, ut Episcopus per edictum generale mandet Clericis, ut incedant in Habitu, et Tonsura, ac deserviant alicui Ecclesiæ per certum tempus; quo elapso transgressores admoneat tribus distinctis vicibus, ut pareant. Contravenientes dein per sententiam declaret eos propria culpa excidisse a juribus Clericalibus, neque deinceps ad ea restituendos fore. Hujus sententiæ vi transgressores illi neque resumpta veste privilegio fori gaudent. Ita *cit. Tractat. de Synodo Diœces. lib.* 7. *cap.* 67. § 4.

Digitized by Google

Schola, vel Universitate de licentia Episcopi versetur, perdit privilegium Fori sine alia monitione, ex Conc. Trid. *sess.* 23. *c.* 6. *de reform.* et ex declaratione Sac. Congregat. ejusdem Concil. relata a Fagnano *in cap. si quis* 1. *de Foro competent. num.* 21. his verbis: « Quibus autem casibus Clericus ex Decreto Concilii Fori privilegio non gaudet, nullam requiri monitionem, ut illud amittat. » (37. Nec ubi adsit, observanda est consuetudo, secundum quam Clerici Habitum, vel Tonsuram deferentes, Fori privilegio gaudent, licet Beneficium Ecclesiasticum non habeant, nec alicui Ecclesiæ inserviant, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate de licentia Episcopi versentur, justa *cap.* 6. *sess.* 23. Conc. Trid. *de reform.* Sic decrevit Sacra Congreg. Concil. teste Fagnano *in cap. si quis* 1. *de Foro compet. n.* 71.

(38. Clericis tamen non habentibus supradicta requisita Concilii non adimitur perpetuo privilegium Fori, sed suspenditur ad tempus, prout ex iis, quæ de Clerico conjugato tradunt Archidiacon. Joannes Andreas, Ancharan. et Felin. *in cap. unic. de Cleric. conjugat. in* 6. colligit Fagnan. *in cap. Si quis* 1. *de Foro competen. n.* 49. ubi dicit, quod sic censuit Sac. Congreg. Conc. respondens, Clericum conjugatum, qui post dimissum Habitum Clericalem deliquit, quamvis pro eodem delicto in Curia Laicali citatus, et condemnatus fuerrit, si deinde (modo non in fraudem) reassumpto Habitu, et Tonsura Ecclesiæ deserviat, non posse a Judice Laico pro eodem delicto personaliter distringi. (39. Clericus non habens requisita Concilii, quamvis non gaudeat privilegio Fori Ecclesiastici, et Forum Judicis sæcularis declinare non possit, ex Decreto Conc. Trid. *sess.* 23. *cap* 6. *de reform.* tamen si adhuc se gerat pro Clerico, potest puniri etiam ab Episcopo, et est locus prævention, ut declaravit Sac. Congreg. Conc. teste Nicolao Garcia *de Benefic. par.* 2. *cap.* 2. *num.* 16. et Fagnan. *in cap. Odoardus* 3. *de solutionibus num.* 25. *et in cap. Si quis de Foro comp. num.* 75. Et iterum sic declaravit his verbis: *Clerici non incedentes in Habitu, et Tonsura*, non gaudent privilegio Fori; sed non propterea impeditur Episcopus, quo minus si prævenerit eosdem Clericos punire possit. Sacr. Congreg. Concil. *in Baren.* 16. *Mart.* 1606. *et in Valentina* 20. *Mart.* 1607. *et in Leodiens.* 17. *Novemb.* 1630. Sac. Congr. *super Controv. jurisdiction. in Neapol.* 22. *Jun.* 1628. *et in Assisien.* 25. *Jun. et in Parmen.* 26. *ejusdem mensis* 1629. (40. Immo potest Episcopus procedere etiam in causis similium Clericorum, in quibus non prævenit, ut censuit Sac. Cong. Conc. *die* 8. *Novemb.* 1630. *in una Leod.* semel, iterum, ac tertio discussa, et a Sanctissimo approbata, tenoris sequentis:

« Die 12. Novembris 1630. *Sac. Congregat. Concil.* facta relatione Sanctissimo D. N. in causa Leod. 8. ejusdem in *Sacra Congregat. Concil.* proposita, et resoluta, Sanctitas sua approbavit declarationem factam, ut Clerici etiam non habentes requisita cap. 6. sess. 23. de reformat. licet ipsi tanquam contravenientes Ordinationi *Sacri Conc.* non possint per se ipsos allegare privilegium Fori, nihilominus subsint Jurisdictioni Episcoporum, et Ordinariorum cognitioni, ne dum in causis, in quibus iidem Episcopi, seu Ordinarii prævenerunt, sed etiam in quibus non prævenerunt, et illos e manibus Judicis Laici repetant, quando iidem Clerici adhuc Clerici permanent, videlicet si a Jure, vel ab homine per declarationem servatis servandis factam, privilegiis Clericalibus denudati, seu privati non sint. »

« Die 1. Augusti 1634. facta denuo relatione Sanctissimo D. N. Sanctitas sua ad removendam omnem difficultatem denuo jussit omnino observari supradictam declarationem, ut supra firmatam in dicta causa Leodiensi. » (41. Clericus repertus à Curia Sæculari sine Habitu Clericali, donec doceat de suo Clericatu in carceribus Laicis potest detineri, dummodo non sit notorie Clericus; et si per octo menses ante carcerationem Habitum dimiserat, privilegio Clericali nullo modo gaudet, si a Curia, ut supra, captus fuerat in tali Habitu. Sacr. Cong. Conc. 11. *Januar.* 1619. (42. Clericus, qui in Habitu, et Tonsura se immiscet enormitatibus, et pluribus vicibus, censetur absque monitione renunciasse privilegio Clericali, secus si in Habitu Laicali hæc perpetrasset, quia tunc requiritur monitio. Sac. Cong. Conc. *in Motulen.* 1. *Febr.* 1620. (43. Clericus in Minoribus constitutus recusans frequentare Scholas, et Ecclesiam, non potest privilegio Fori privari, si adsit probabilis spes profectus. Sacr. Congreg. Conc. *in Materanen.* 2. *August.* 1631. (44. Clerici Filius legitimus, ante Clericatum susceptus, gaudet privilegio Fori durante vita ejus Patris. Sacr. Congr. Immunit. *in Callien.* 18. *Mart.* 1632. (45. Clericus non potest verbis renunciare privilegio Fori, nec Judicem Laicum sibi constituere, etiamsi proprium juramentum, et adversarii consensus accedat, ut est casus *in cap. diligenti* 12. *de Foro competent.* et tamen potest hujusmodi privilegio renunciare ipso facto, si post dimissionem Habitus, et Tonsuræ, tertio commonitus se ipsum contempserit emendare, ut et textus expressus *in cap. Contingit* 45. *de Sentent. excommun. et in cap. In audientia* 25. *de Sentent. excommunic.* (46. Clericus enim si a Prælato suo tertio monitus non reassumit Habitum, et Tonsuram, perdit privilegium Clericale, habetur expresse *in dict. cap. In audientia* 25. *et cap. Contingit* 25. *de Sentent, excommunic.*

(47. Licet Clerici in prima Tonsura constituti, vel Minoristæ non habentes Beneficium Ecclesiasticum, aut alias qualitates a Concilio Tridentino *cit. sess.* 23. *cap.* 6. *de reform.* requisitas, privilegio Fori non gaudeant, ex ipso Concilio ibidem sic expresse statuente; tamen privilegio Canonis non sunt privati, ut expresse declaravit Sac. Cong. ipsius Conc. nam proposito dubio;

Digitized by Google

« An Clerici, *qui Decreto Concil.* cap. 6. sess. 23. privilegio Fori privantur, intelligantur etiam privati privilegio Canonis? Die 16. Octob. 1581. *Sac. Congr.* censuit non intelligi esse privatos. » (48. Unde percutiens hujusmodi Clericum incidit in Excommunicationem Canonis; Fagnan. *in* cap. *Si quis* 1. *de Foro compet. a n.* 72 *usque in finem*, Garcias *de Benefic. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 10. Belletus *Disquisit. Clerical. part.* 1. *tit. de favore Clericor.* § 8. *n.* 22. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell.* Glossa 5. *num.* 7. *cum seq.* Aloysius Riccius *in praxi rerum Fori Ecclesiastici decis* 607. *in* 1. *edition. et part.* 1. *resolut.* 551. *n.* 3. Portel *in dub. Regular, verb. manus violentæ;* Barbosa *part.* 2. *de Offic. et potest. Episcop. alleg.* 12. *num* 32. *et lib.* 1. *Juris Ecclesiastici c.* 39. § 2. *num.* 3. citans plures alios. Et ratio est quia Tridentinum circa hoc nihil innovavit, nec Juri communi derogavit, ut observat Clar. §. *fin. q.* 36. *num.* 19. et Barbosa *loc. cit.* De Jure autem communi omnes Clerici gaudent privilegio Canonis; *c. Si quis suadente Diabolo* 29, *caus.* 17, *q.* 4. Si enim Concilium *in d. sess.* 23, *c.* 6. voluisset comprehendere ultra privilegium Fori etiam privilegium Canonis, etiam illud expressisset, prout in simili argumentatur Pontifex *in c. Inter corporalia,* § *sed neque, de translatione Episcopi, et cap. Ad audientiam* 12 *de decimis.* Tum quia non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori; *l. Præcipimus, Cod. de appellat. et l. Si vero,* § *de viro ff. soluto matrimonio,* ubi Summarium ex Bartolo sic habet: *Provisio legis contra jus commune non extenditur ultra id, quod lex exprimit, licet eadem sit ratio.* Cum legum correctio veluti odiosa, quantum fieri potest evitanda sit; *c. Cum expediat* 29. *de elect. in* 6. *ex Reg.* 15. *Juris in* 6. *Odia restringi, et favores convenit ampliari.* (49. Quænam autem personæ gaudeant tali privilegio Canonis, et quænam censeantur illud violare, et Excommunicationem incurrere; vide verb. *Excommunicatio art.* 10. 11. *et* 12. ubi late de omnibus ad hoc facientibus.

(50. Privilegio Fori, et Canonis gaudent nedum Clerici cælibes, sed etiam Clerici conjugati in Minoribus existentes; *c. Clerici unic. de Clericis conjugatis in* 6. ibi: « Clerici qui cum unicis, et virginibus contraxerunt, si Tonsuram, et vestes deferant Clericales, privilegium retinent Canonis ab Innocentio Papa II. Prædecessore nostro editi in favorem totius Ordinis Clericalis. Et cum juxta Parisiense Concilium nullus Clericus distringi, aut condemnari debeat a Judice Sæculari, præsenti declaramus edicto, hujusmodi Clericos conjugatos pro commissis ab eis excessibus vel delictis, trahi non posse criminaliter, aut civiliter ad Judicium sæculare, nec ab ipsis sæcularibus Judicibus eos debere personaliter, vel etiam pecunialiter (ne per unam viam concedatur eisdem Judicibus, quod per aliam denegatur), nullatenus condemnari. » Et Concil. Trid. *sess.* 23. *c.* 6. *de reformat.* ibi: « In Clericis vero conjugatis servetur Constitutio Bonifacii VIII quæ incipit: *Clerici qui cum unicis,* modo hi Clerici alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent, et Clerici habitu, et Tonsura utantur, nemini quoad hoc privilegio, vel consuetudine, etiam immemorabili, suffragante. » (51. Ad hoc tamen, ut gaudeant his privilegiis, debent habere tres conditiones. Prima, ut hujusmodi Clerici cum unica, et virgine contraxerint, ut expresse habetur *ex citat. cap. Clerici unic. de Clericis conjugat. in* 6. alioquin forent bigami, qui sunt nudati omni privilegio Clericali; *c. Altercation. unic. de bigamis in* 6, ibi: « Bigamos omni privilegio Clericali declaramus esse nudatos. » Secunda, ut deferant Tonsuram, et vestes Clericales; *cit. c. Clerici,* et Concilium Tridentinum *loc. mox adducto.* Tertia, ut tales Clerici alicujus Ecclesiæ servitio vel ministerio ab Episcopo deputati eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent, ut expresse fuit de novo statutum a Concilio Tridentino *dict. sess.* 23. *c.* 6. *de reformat,* ut patet ex ejusdem verbis supra relatis. Nota tamen, quod etiamsi Clericus Ecclesiæ alteri a designata ab Episcopo inserviat, adhuc tamen gaudet privilegio fori, ut a Sacra Congreg. decisum refertur *in Tract. de Synodo diæces., lib.* 6. *c.* 69. *n.* 3. (52. Clerici conjugati ad hoc, ut gaudeant his privilegiis, debent habere copulative omnes tres supradictas conditiones, quarum una deficiente, nullo prorsus gaudent privilegio Clericali, ut patet *ex cit. cap. Clerici* § *fin. de Clericis conj. in* 6, ibi: « In cæteris autem vel nisi, ut præmittitur, Tonsuram, vel Vestes deferant Clericales, etiam in præmissis eos gaudere nolumus privilegio Clericali; » juncto Concilio Tridentino *cit. sess.* 23. *c.* 6, *de reform.* per ejus verba adducta supra sub *n.* 10. (53. Clerici conjugati habentes tres supradictas conditiones gaudent privilegio Fori, nedum in causis criminalibus, sed etiam in causis mere civilibus; quidquid dicant aliqui Canonistæ. Sic enim unanimi consensu Sacra Congreg. Immunitatis approbavit opinionem, quod Clericus conjugatus gaudet privilegio Fori, etiam in mere civilibus, in *Caputaquen.* 14. *Novembr.* 1649. *lib.* 3. *decret. Paulue. p.* 214 (54. Et insuper eadem Sacra Congregat. Immunit. approbat formulam sententiæ promulgandæ per A. C. pro exemptione privilegii Fori Clericorum conjugatorum, additis tamen verbis tam in civilibus, quam in criminalibus, quam etiam in mistis. *Caputaquen.* 21. *Junii* 1644. *lib.* 3, *decretal. Pauluc., p.* 229. (55. Immo gaudent privilegio Fori in causis mere civilibus etiam non dependentibus a criminalibus. Sac. Congreg. Imm. *in Bovin.* 2. *Julii* 1630. *l.* 2. *dec. Paul. c.* 47. *in Oppiden.* 27. *Septembr.* 1631, *ibid., p.* 140, *in ead. Oppid.* 11. *Septemb.* 1634. *ibid. pag.* 201. *et* 6. *Maii* 1635. *ibid. p.* 219 *in Squillacen.* 19. *Januar.* 1638, *lib.* 3. *decr. Paul. p.* 13. *in Rossanen.* 13. *Martii* 1638, *ibid. p.* 57.

(56. Clerici conjugati non possunt convenire coram Judice Laico. Sac. Congreg. Immunit. *in Montis Casini* 22. *Decemb.* 1694

Digitized by Google

l. 1. *dec. Valleman. p.* 163. (57. Unde Clerici conjugati ad solutiones, ad quas de Jure tenentur, non possunt cogi nisi coram Judice Ecclesiastico. Ead. Sac. Con. Imm. *in Rossanen.* 23. *Mart.* 1638. *lib.* 3. *Decret. Pauluc. pag.* 57. *in Nasaret.* 15. *Jun.* 1638. *ibidem pag.* 64. (58. Clericum conjugatum carcerantes excommunicantur. Ead. Cong. Imm. *in Hydruntina* 18. *Dec.* 1694. *lib.* 1. *Dec. Valleman. p.* 164. (59. Clericum conjugatum Episcopus tueri debet, ne vexetur a Curia Laica. Ead. S. C. *in eadem Hydruntina* 27. *Nov.* 1694. *l.* 1. *Decr. Vallem. p.* 199. *in Bisignanen.* 15. *Nov.* 1694. *l.* 3. *Decr. Vallem. p.* 628. (60. Invocato etiam, quatenus opus sit, brachii sæcularis auxilio. Ead. Sac. Cong. Immun. *in Nucerina* 9. *Feb.* 1694. *lib.* 1. *Decr. Vallem. pag.* 195. (61. Clericus conjugatus, Indulto Apostolico dispensatus ab obligatione incedendi in Habitu, et Tonsura, gaudet privilegio Fori. Ead. Sac. Cong. Immunit. *in Fulginaten.* 18. *Octobris* 1679. *lib.* 2. *Decret. Altovit. pag.* 1691. Clericus conjugatus habens omnia requisita, excepto quod non constat de deputatione ad servitium Ecclesiæ certæ, et particularis, inserviens tamen Ecclesiæ in genere, gaudet privilegio Fori. Ead. Sacr. Congr. *in Anconitana* 24. *Maii* 1601. *lib.* 3. *Decret. Valleman. pag.* 3. (62. Clericus conjugatus exercens artem mercimariam cum mensuris fraudulatis puniendus est ab Ordinario. Ead. Cong. *in Firmana* 17. *Decemb.* 1695. *lib.* 1. *Decret. Valleman. pag.* 135. (63. Clericus conjugatus, qui post fugam a Triremibus, ad quos a suo Episcopo damnatus fuerat ad septennium, ob nova delicta carceratus fuit a Curia Laica, remittendus est Episcopo, qui postea remitti faciat ad Triremes. Et cum Sanctissimo pro novis delictis, si de illis sufficienter constiterit, ut puniatur pœna Triremium ad vitam. Ead. Congregatio *in Milevitana* 15. *Decembr.* 1643. *lib.* 3. *Decret. Pauluc. pag.* 216. (64. Subdiaconum, qui in vim dispensationis Apostolicæ cum Vidua Matrimonium contraxit, et pensiones Ecclesiasticas obtinet, de Jure gaudere privilegio Fori, tenet Sellius *in Selectis Canonicis c.* 18. *n.* 29. attestans ita fuisse decisum *sub die* 7. *Septemb.* 1618. (65. Clericus conjugatus gaudet exemptione ab oneribus personalibus, et aliis de consuetudine competentibus. Ead. Sacr. Cong. Immunit. « in Lycien. 28. Maii 1626. lib. 1. Decret. Pauluc. p. 1. in Neritonen. 17. Januar. ejusdem anni 1626. ibid. pag. 80. in Anglonen. 18. Jun. ejusdem anni 1626. ibid. pag. 4. in S. Severinæ 19. Apr. 1627. ibid. pag. 46. in Squillacen 27. August. 1627. ibid. pag. 64. in Laquedonen. 22. Jul. 1630. lib. 2. Decr. Pauluc. pag. 51. In Oppiden. 11. Septemb. 1634. ibid. pag. 201. » (66. Clericus conjugatus est exemptus ab onere capitationis tanquam mere personali, etiamsi exerceat aliquam artem, dummodo non sordidam, sed honestam. Ead. Sac. Cong. in « Oppiden. 21. Novemb. 1635. lib. 2. Decret. Pauluc. pag. 238. in Squillacens. 19. Januar. 1638. lib. 3. Decret. Pauluc. pag. 53. in Tridentina 18. Novembr. 1685. lib. 1. Decret. »

(67. Non gaudent tamen Clerici conjugati exemptione ab oneribus realibus, nisi succedant loco personalium, vel adsit consuetudo ad eorum favorem. Ead. Sacr. Congr. Immunit. in *Aprutina* 6. *Mart.* 1631. *lib.* 2. *Decret. Pauluc. pag.* 218. (68. Sic Clerici conjugati non gaudent exemptione a solutione Collectarum, nisi adsit consuetudo contraria. Ead. Sac. Cong. « in Aquilana 15. Septem. 1627. lib. 1. Decr. Paul. pag. 65. in Camerinen. 28. Septemb. 1694. lib. 1. Decret. Vallem. p. 84. » (69. Nec Clerici conjugati sunt exempti, circumscripta consuetudine ad eorum favorem, ab impositione taxæ, quæ non sit onus personale. Ead. Sacr. Cong. *in Cathacen.* 19. *Novem.* 1641. *lib.* 3. *Decret. Pauluc. p.* 160. (70. Sic Clerici conjugati non sunt exempti ab oneribus etiam mixtis non concurrente consuetudine legitima ad eorum favorem. Ead. Sac. Cong. *in Cassanen.* 28. *Jun.* 1644. *lib.* 3. *Decret. Paul. pag.* 232. Unde Clerici conjugati, circumscripta consuetudine ad eorum favorem, de Jure communi non gaudent exemptione ab hospitatione Militum, cum sit onus mixtum. Ead. Cong. *in Oppiden.* 23. *Augusti* 1633. *lib.* 2. *Decr. Paul. p.* 169. (71. De jure enim communi Clerici conjugati nullo gaudent privilegio Clericali in rebus, seu bonis suis, ac proinde sicut alii uxorati tenentur præstare consuetas exactiones, seu collectas, et tributa. Ita textus *in cap. Clericis unic. de Clericis conjugatis* § *fin. in* 6. ibi : « *In cæteris autem...* (id est præter casus enumeratos) eos gaudere nolumus privilegio Clericali. Idipsum habetur cap. ex parte 9. de Clericis conjugatis, ibi : Cum igitur reddenda sint, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo, æquanimiter duximus tolerandum, ut a talibus justitias debitas, velut ab aliis uxoratis exigas, et servitia consueta. » Et in ejus Summario sic præcise dicitur : « Clerici conjugati in rebus suis non gaudent privilegio Clericali. » Ubi Abbas, Joan. Andreas, Barbosa, et alii communiter. (72. Sic Clericus conjugatus non habens requisita *cap. unic. de Clericis conjug. in* 6. non gaudet privilegio Fori. Sac. Congr. Imm. « in Civitatis Gastelli 20. Decemb. 1661. lib. Decret. Rocci p. 37. et in Reatina 13. Aug. 1704. l. 3. Decret. Vallem. p. 602. » (73. Unde Clericus conjugatus non incedens in Habitu, et Tonsura, imo exercens Officium Gubernatoris armorum, conventus in Curia Capitolina, ubi acquievit ad pluros actus, sed postea petens gaudere privilegio Fori, remittitur a Sacra Congregatione ad eamdem Curiam Capitolinam. Ead. Sacr. Cong. *in Romana* 11. *Jan.* 1695. *l.* 1. *Decret. Vallem. p.* 167. (74. Clericus conjugatus habens servitium militare cum functionibus mere militaribus, et laicalibus, non retinet privilegia; *cap. Unic de Cleric. conjug. in* 6. Ead. Congreg. 10. *Febr.* et 26. *Maji* 1699. *l.* 2. *Decr. Vallem. p.* 222. (75. Clericus conjugatus non gaudet privilegio Fori, quando non incessit in Habitu, et Tonsura, aut fuit Capitaneus Militiæ, et incubuit mer-

Digitized by Google

caturæ. Eadem Cong. *in Assisien.* 28. *Jan.* 1681. *l.* 2. *Decr. Altov. p.* 242. (76. Clericus conjugatus nunquam incedens in Habitu, et Tonsura, nec inserviens Ecclesiæ, et exercens artem ruralem, non gaudet privilegio Fori. Ead. Sacr. Congr. *in Sabinen.* 13. *Septemb.* 1701. *l.* 3. *Decr. Vallem. pag.* 379.

(77. Clerici gaudent privilegio Fori de Jure Divino. Ita Glossa *in cap. Si Imperator* 11. *dist.* 96. *verb. Et discuti*; Gloss. *in cap. Quamvis* 4. *de censibus in* 4. *Verbo Divino*, ubi id probat allegando Leges Divinas. Hostiens. *in cap.* 2. et Baldus ibid. *de Majorit. et obedient.* Abbas *in cap. Ecclesia S. Mariæ* 10. *de constitutionibus num.* 6. Bellarminus *lib.* 1. *de Clericis cap.* 29. *et* 30. Fagn. *in cit. cap. Ecclesia S. Mariæ* 10. *de Constitut. num.* 10. *et in. cap. Cum non ab homine* 10. *de Judic. num* 66. Sperellus *decis.* 37. *Fori Ecclesiast. num.* 1. *et seq.* ubi allegat plures alios Canonistas, et Theologos et dicit hanc sententiam fuisse canonizatam a Rota Romana *in dec.* 10. *n.* 2. *de consuetud. in antiquioribus;* Engel. *lib.* 2. *tit.* 2. *de Foro compet. n.* 38. Pirhing *lib.* 1. *tit.* 2. *de Foro compet. n.* 107. Reiffenstuel. *ibid. num.* 201 *et seq.* Marta *de jurisdict. par.* 2. *cap.* 6. *n.* 1. *et seq.* Julius clarus *in pract. crimin.* § *in fin. qu.* 36. *num.* 2. asserens post Alciatum *in cap. Cum non ab homine n.* 2. *de Judic.* et alios, hanc esse communem opinionem. Azorius *par.* 1. *instit. l.* 5. *cap.* 12. *q.* 1. Tannerus *tom.* 4. *Theol. Schol. disp.* 1. *qu.* 4. *dub.* 6. *n.* 138. Layman *lib.* 4. *Theolog. Moral. tract.* 9. *cap.* 8. et plures Theologi apud ipsum. Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. cap.* 39. § 2. *n.* 5. *et ibid.* § 5. *num.* 3. *et in Trident. sess.* 25. *cap.* 20. *de reform.* citans plures alios contra Covarruviam, Lessium, Medinam, Molinam, et alios plurimos ab ipso Barbosa relatos *loc. cit.* (78. Et probatur primo ex Sacra Scriptura, tum veteri, tum nova. Genesis enim 47. *vers.* 22. sub Pharaone Ægypti Rege habetur, Sacerdotes, et Levitas exemptos fuisse a Jurisdictione Sæculari, et a lege solvendi tributa, et referetur *in cap. Non minus* 4. *de Immun. Eccl.* ubi idcirco graviter arguuntur plurimi Christiani Principes, « quod deterioris conditionis factum sub eis Sacerdotium videatur, quam sub Pharaone, qui Legis Divinæ notitiam non habebat, ubi nota illa verba *Legis Divinæ:* » Et similiter colligitur *ex cap. ult. vers.* 28. *Levit. et ex. cap.* 3. *Numer. vers.* 10. *et cap.* 45. *vers.* 14. *et* 15. *et ex* 1. *Esdrae cap.* 7. *vers.* 24. Idem habetur ex Matthæi *cap.* 17. *vers.* 25. *et* 26. ubi Christus seipsum, et Petrum a tributo solvendo eximit, nam cum ab ipso exigeretur tributum, dixit Petro : « Reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel censum, a filiis suis an ab alienis ? » *et respondente Petro* : « ab alienis, » *subintulit Christus* : « ergo liberi sunt filii. » Nomine autem filiorum intelliguntur omnes sacerdotes, et Clerici, qui, cum Christo, ac Dei servitio peculiariter dedicati sint, e familia ejus esse censentur. Non enim illa verba intelligenda sunt de exemptione solius Christi, ut veri Filii Dei, nam statim jussit Christus, ut ad vitandum scandalum Petrus inventum in ore piscis staterem daret pro utroque; *Ut autem non scandalizemus eos da eis pro me, et te*; adeoque uterque de jure exemptus dignoscebatur, Christus quidem ut verus filius regis Regum, Petrus vero veluti repræsentans Ecclesiam sponsam Christi, et Ecclesiasticas personas, tamquam domesticus ejus, cum etiam in humana politia, non solum filii Regum, sed etiam eorum Domestici liberi sint a tributis. Et sic inferunt S. Hieronymus *in d. c.* 17, *Matthæi*; S. August. *l.* 1. *q. Evang. q.* 23. Maldonatus *in c.* 17. *Matth. vers.* 25. Pirhing. *loc. cit.* ubi post ipsum Maldonatum recte subjungit, id non esse extendendum ad omnes Christianos, qui etsi sint adoptione Filii Dei, et Christi nomen gerant, non tamen sunt Domestici ejus, ut ipsi Apostoli, et consequenter omnes Clerici in ipsis Apostolis repræsentati. Ultra quam quod Christianos tributum solvere jubet Apostolus expresse ad Romanos *c.* 13. *vers.* 7. (79 Probatur insuper variis textibus Juris Canonici privilegium Fori Clericorum esse de Jure Divino. Et in primis *ex c. Continua* 5. *caus.* 11. *q.* 1. ubi refertur, quod in prima generali Synodo Nicæna ante emanatum, quodcumque aliud privilegium super exemptione Clericorum, ad quorumdam querelas contra clericos coram se depositas sic pronuntiaverit Constantinus Magnus : « Vos a nemine dijudicari potestis, qui ad Dei solius judicium reservamini. » *Idipsum fusius habetur* in c. *Futuram* 15. *caus.* 12, *q.* 1. *ibi* : « Vos a nemine dijudicari potestis, quia solius Dei judicio reservamini; dii etiam vocati estis, et idcirco non potestis ab hominibus judicari. » (80. Concordat. *c. Si Imperator* 11. *dist.* 96. *ibi :* « Non a legibus publicis, non a potestatibus sæculi, sed Pontificibus, et Sacerdotibus Omnipotens Deus Christianæ Religionis Clericos, et Sacerdotes voluit ordinari, et discuti, » hoc est judicari ; ubi nota, illa verba, *omnipotens Deus voluit*, et illa *ordinari, et discuti*, per quæ demonstratur, ordinationem et discussionem, seu Judicium Clericorum de Jure Divino pertinere ad solos Episcopos, et respective Judices Ecclesiasticos. Unde Glossa ibid. vers. *Et discuti*, sic notanter concludit : « Ergo antequam esset aliqua Constitutio, etiam Clerici non erant de Jurisdictione sæculari ; unde omnes Constitutiones quæ emanarunt, quod Clerici non sint judicandi nisi ab Episcopis, non sunt nisi Juris declaratio. » (81. Et clarissime facit *cap. Silvester* 13, *causa* 11. *q* 1. ubi Sanctus Gelasius Papa reprehendit graviter attentatum cujusdam Clerici ad sæculare judicium pertrahentis, ibi : « Et contra leges Divinas, et publicas, pulsatis Clericis, Forum suum putatis auferri, » ubi nota illa verba *contra leges divinas.* Quid enim clarius ? (82. Similiter habetur in cap. *Nimis* 30 *de Jure divino, ibi* · « Nimis de Jure Divino quidam laici usurpare nituntur, cum viros Ecclesiasticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad præstandum fidelitatis juramenta compellunt » (83. Et expresse demonstratur *in c. Quamquam* 4. *de cen-*

Digitized by Google

sibus in 6. *ibi*: « Cum igitur Ecclesiæ Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum non solum Jure humano, quin et divino a sæcularium personarum exactionibus sint immunes. » (84. Et multis aliis relatis Canonicis textibus, id non obscure asserentibus, adducitur pro omnibus Concilium Tridentinum *sess.* 25, *c.* 20. *de Reform.* ubi expresse contestatur, « Ecclesiæ, et personarum Ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione, et canonicis constitutam. » Vide infra *num.* 96. *ad finem.*

(85. Clerici gaudent privilegio Canonis solum Jure Eccl. et positivo inducto. Fagnan *in c. Perpendimus* 23. *de sent. Excom.* (86. Licet enim Conc. Triburiense *cap.* 2 *tom.* 7. *Conc. pag.* 151. *col.* 2. *in impress. Paris.* aliud innuere videatur per verba sequentia : « Si quis, ut diximus, ullum eorum quocumque Ordine consecratum cædit vulneribus, vel quibuscumque injuriis angustiaverit, etc. constringat protervum Episcopus auctoritate Canonica, ut idem Clerico, cui contra divinas et humanas leges contumelias ingessit justam, et debitam persolvat compensationem. » (87. Tamen indubitatum est apud omnes, privilegium Canonis inductum esse ex consuetudine Ecclesiæ, nempe ex decreto Innocentii II. edito in Conc. Later. II. *c.* 15 relato *in c. Si quis suadente Diabolo* 29. *caus.* 17. *q.* 4. ut patet supra *n.* 1. ubi diximus, hoc privilegium ideo dici *Canonis*, quia continetur in *Canone* 15. Conc. Lat. secundi celebrati sub Innoc. II. (88. Clerici omnes sive in Sacris, sive in Minoribus dimittentes Habitum Clericalem, et Tonsuram ex sola vanitate, vel negligentia, non perdunt privilegium Canonis ante trinam monitionem; *c. In audientia* 25. *et c. contingit* 45. *de sent. excommunic.* et Gloss. *in c. Cum non ab homine* 14. *eod. tit. verb. Minime coercentur*; Hostiens. in *c. Perpendimus* 23. *eod. tit. in verb. Non propulsando*, et Fagnan. *ibid.* n. 14. (89. Perdunt autem statim ante monitionem privilegium Canonis, si ex iniquitate, et malitia Habitum Clericalem, et Tonsuram dimittant; seu deposito Habitu, et Tonsura Clericali enormitatibus se immisceant; *c. Cum non ab homine* 14. *de sentent. excommun.* § *in Articulo*, ibi : « Occisores Clericorum aut Presbyterorum, qui contempto Clericali Habitu tyrannidi, et enormitati se inverecunde immiscent, in odium Clericalis excessus, et terrorem, atque correctionem similium, Canone latæ sententiæ minime coercentur; » *cap. Perpendimus* 23. *de sent. Excommun.* et ibi Joannes Andreas, Butrius, Card. Ancharan. Felin. et Fagnan. ipsos citans *num.* 2. (90. Privilegium tamen Fori de Jure communi non amittunt Clerici omnes, qui deposito Habitu, et Tonsura Clericali, enormitatibus se immiscent, nisi ter moniti non desistant; *cap. Contingit* 45. *de sent. Excommunicat.* ibi : « Volumus et mandamus, ut tales, si tertio a te commoniti se ipsos contempserint emendare, illius efficiantur immunitatis extorres, quæ pro Clericorum tutela, et Laicorum violentia coercenda, dignoscitur instituta, et tenent Joannes Andreas in d. c. Perpendimus num. 5. Petrus de Ancharan. in cap. 1. n. 2. vers. » *Si vero reliquit, de Apostat.* ubi concludit, Clericum, qui demisso Habitu, et Tonsura sævis enormitatibus se immiscet, ac perseverat, ac deprenditur in illis per Judicem sæcularem, non posse ab eo puniri, sed esse remittendum ad Judicem Ecclesiasticum, nisi monitio præcesserit; et sequitur Alexander *in con.* 8. *Videtur super primo num.* 3. *lib.* 1. dicens veriorem, et magis communem intellectum esse, quod *d. c. Perpendimus* locum habeat in privilegio Canonis, non autem in privilegio Fori, quod secundum eum non amittitur, nisi post trinam monitionem. Et secundum hoc consilium Alexand. millies, immo semper fuisse judicatum per Curiam, et Consilia Neapolitana attestatur Grammaticus *super Constitutionib. Regni Fol.* 29. *col.* 1. *vers. decimo utique;* et sequitur Fagnan. *in d. cap. Perpendimus n.* 4. 5. *et* 17. *et in c. Contingit* 45. *de sentent. Excommunic. num.* 13. *et* 14. *et in c. Cum non ab homine* 10. *de judiciis num.* 26. *et n.* 106. ubi refert hoc servari in Curia. Et hoc videtur de mente *Sacræ Congregat. Concilii*, quæ in Motulen. 1. *Februarii* 1620. decrevit ut infra : « Clericus, qui in Habitu, et Tonsura se immiscet enormitatibus, et pluribus vicibus, censetur absque monitione renunciasse privilegio Clericali : secus si in Habitu Laicali hæc perpetrasset, quia tunc requiritur monitio; » sic refert ex Sellio Barbosa *Apostolic. dec. collect.* 157. *n.* 8. *et in Trident. sess.* 23. *c.* 6. *de reform. n.* 25.

(91. Unde de Jure communi facilius perditur privilegium *Canonis*, quam privilegium *Fori*, cum privilegium *Canonis* amittatur statim ante monitionem a Clericis, qui deposito Habitu, et Tonsura se immiscent enormitatibus, *ex cit. cap. Cum non ab homine* 14. *de sentent. excommun. et d. cap. Perpendimus* 23. *eod. tit.* ut patet *num.* 85. et privilegium *Fori* non amittatur a talibus Clericis nisi post trinam monitionem, *ex cit. cap. Contingit* 45. *de sent. excom.* et ut patet *n.* 86. Eo vel maxime, ut dicit Fagnan. *in d. cap. Perpendimus. num.* 9. quia privilegium *Canonis* est solum de Jure Canonico, ut patet *num.* 82. et privilegium *Fori* est de Jure Divino, ut patet *num.* 74. (92. De Jure autem Concilii Tridentini *sess.* 23. *cap.* 6. de *reformat.* Clerici Minoristæ perdunt hodie difficilius privilegium *Canonis*, quam privilegium *Fori*, (93. nam non perdunt privilegium *Canonis* per solam dimissionem Habitus, et Tonsurae, nisi vel præcesserit trina monitio, ut ex *d. cap. Contingit* 45. *de sent. excomm.* vel sævis enormitatibus se immiscuerint, *ut ex d. cap. Cum non ab homine* 14. *de sentent. excommun. et de. c. Perpendimus* 23. *eod. tit.* (94. At privilegium *Fori* perdunt per solam dimissionem Habitus et Tonsuræ, vel servitii Ecclesiæ, licet non fuerint tertio moniti, ut ex *d. sess.* 23. *cap.* 6. *de reformat.* et ex declarat. *Sac. Congr. ejusdem Concilii* relat. a Fagnan. *in cap. Si*

Digitized by Google

quis, de Foro competent. num. 21. ut patet *supra n.* 34. Loquendo vere de Clericis in Sacris, cum per Tridentinum nihil de novo de ipsis disponatur quoad amissionem privilegii *Fori* per solam dimissionem Habitus, et Tonsuræ, etc., ut disponitur de Minoristis in *d. sess.* 23. *cap.* 6. *de reformat.* standum est dispositioni Juris communis, quod ipsi non amittant privilegium *Fori*, nisi ter moniti non desistant ab enormitatibus, quibus se immiscent, Habitu, et Tonsura Clericali depositis *ex dict. cap. Contingit, de sentent. excommun.* ut patet *supra num.* 86. (95. Et consequenter quod facilius ipsi amittant privilegium *Canonis*, quam privilegium *Fori*, ut dictum est supra *n.* 87.

ADDITIONES AUCTORIS.

(96. Clerici in minoribus constituti non servantes præscripta Concilii Tridentini, non gaudent privilegio *Fori* in causis homicidii. Benedictus XIV. *tom.* 1. *Constit.* 88. incip. *Alias* 5. 2. (97. Atque etiam expleta pœna eodem privilegio privati remanent, et habitum clericalem reassumere nequeunt. Idem *ibidem.* (98. Utrum præscripta a Concilio Tridentino servaverint, ab Ordinariis est declarandum, non retardata assecuratione personæ. (99. Idem *ibid.* Simplices vero tonsurati non beneficiati etiam servantes præscripta Concilii privantur privilegio *Fori* post duo homicidia. Idem *ibid.*

(100. Pro hujus doctrinæ coronide illud hic omittendum non est, quod animadvertit doctissimus æque ac piissimus Præsul Josephus Maria Maraviglia Episcopus Novariensis in suis *Legibus Prudentiæ Episcopalis* Beatissimo Patri Venerabili Innocentio XI. dicatis, et anno 1678. editis. Ille enim in *Lege* 47. in qua defendit, *Admittenda ab Episcopis Principum Privilegia a summis Pontificibus concessa*, ipsissimis hisce verbis utitur: « Commune populorum commodum, quod in recto Principum regimine semper spectandum est, exigit plerumque, ut non modicis, sed amplis privilegiis a summis Pontificibus cumulentur Principes ipsi, cum nec ab eadem meta, quæ est mundanæ Reipublicæ salus ab iis, qui supremi moderatoris vices agunt in terris, nunquam fas sit aberrare; quæcunque enim temporanea populorum salus ita cum æterna animarum salute colligatur, ut hoc insolubile vinculum disrumpere nemini liceat; ac propterea non raro contingit, ut summi quoque Ecclesiæ Principes et Hierarchæ ad tuendas aliorum Principum Respublicas, easque in optimum finem perducendas privilegia quædam non solo dispensent arbitrio, sed aliqua ex causa rem justitiæ, vel æquitatis, vel remunerationis patrocinante. Ejusmodi igitur Principum privilegia in bonum commune ex instituto collimantia ab Episcopali prudentia, ne dum facile admittenda sunt, sed etiam toto conatu in usum revocanda, ut pote Ecclesiæ admodum faventia; licet enim videantur quandoque Ecclesiasticæ immunitati, aut libertati adversari, cum tamen, revera in ipsis ad summum jus Ecclesiæ ex indulto summorum Pontificum ad majora reparanda mala transferatur in laicam potestatem, sequitur aperte nihil juris Ecclesiæ lædi, aut violari per hujusmodi translationem; sed potius jus ipsum Ecclesiæ sustineri; cum omnia agant Principes ex hoc jure translato virtute privilegiorum, a quo etiam dicuntur accipere potestatem, etc.» Deinde aliam immediate. *Legem* 48 sapientissimus Auctor subdit, in qua probans, « Permittenda ab Episcopis quædam Principum Judicia adversus Ecclesiasticos, » hæc præcisa verba scribit: « Plures enumerant Canonistæ casus, in quibus licet Episcopali prudentiæ permittere Principibus judicia adversus Ecclesiasticos, sine læsione Ecclesiasticæ libertatis, qui quidem, cum sint fere omnibus noti, non est hic operæ pretium eos recensere. Quo jure vero id agant Principes, et Judices Laici etiam in causa mortis, ex supra dictis statutum est; utuntur namque jure illo in ipsos ab Ecclesia translato, ne sceleribus, vel criminibus atrocibus ab Ecclesiasticis perpetratis, vel pereat Orbis, vel ipsa contaminetur Ecclesia, aut ab innato paulatim concidat innocentiæ candore. Præ cæteris Principibus ejusmodi Privilegiis ditata est a summis Pontificibus Serenissima Venetorum Respublica, quæ licet ex delictis atrocibus vel ex criminibus læsæ Majestatis sæpe animadvertat in Clericos, cum tamen ubique terrarum fulgeat pietatis ac Religionis obsequio, atque Ecclesiæ veneratione, id sane non ageret, nisi hoc jure per Pontificia Diplomata in ejus potestatem translato impune uti posset. Diplomata, quæ exstant in hac materia apud Venetos plura sunt. 1. Xisti IV. datum Romæ die 11. Junii 1474. anno tert. Pont. 2. itidem Xisti IV. datum Romæ die 30. Jun. 1474. anno tert. Pont. 3. Innoc. VIII datum Romæ 1487. anno quart. Pontif. 4. Alexandri VI. datum Romæ die 28. Junii anno decimo Pontif. 5. Pauli III. datum Romæ die 10. Octobris 1541. anno oct. Pontif. Quorum exempla manuscripta ipsemet vidi, et sub hac Lege XLVIII. recensentur ad verbum, ad tollendas mentis dubietates; novi enim quamplures supra ejusmodi Venetorum privilegia hæsitare, etc. Hanc doctrinam temporibus Ven. Innocent. tuebatur numquam satis laudatus Episcopus Maraviglia. Diplomata ab illo indicata, quæ brevitatis gratia hic omittuntur, apud illum, si libuerit, videri poterunt per extensum.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(101. De eo gravis inter Doctores quæstio est, an simplex Clericus, qui privilegium Fori amisit, eo quia non implevit, quod præscribit Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 6. *de Reform.* amiserit simul alia Privilegia Clericis concessa?

(102. Negant Comitol. *Respons. Moral. lib.* 6. *quæst.* 20. ubi affert pro sua negativa sententia Epistolam Sacræ Congregationis Concilii interpretis, de Marin. *lib.* 2. *quotidian. Resol. cap.* 42. *num.* 5. ubi quod eadem Sac. Congregatio die 18, Septem. anni 1595. rescripsit: « Clericum prima Tonsura insignitum gaudere beneficio cap. Odoardus, quam-

Digitized by Google

vis ille habitum Clericalem et Tonsuram non deferat, nec in divinis inserviat. »

(103. Affirmat vero, et quidem de opinione Rotæ Cardinal. de Luca *in adnotat. ad* Conc. Trid. *discurs.* 24. *num.* 33. *et sequent.* « Prorsus etenim improbabile est (ait), ut denegari debeat illud privilegium Fori, quod concernit præjudicium totius Ordinis Clericalis, adeo ut neque volens possit Clericus illi renunciare, ac se laicali fori subjicere retenta Clerici figura vel statu, adeo ut possit ita per Magistratum sæcularem furcis suspendi, atque in frusta scindi, seu ignominiose fustigari, aliisque subjici pœnis Clericali statui omnino incongruis, et ut ea retinere debeat privilegia, quæ interesse privatum concernunt, et quibus sine aliquo Ordinis præjudicio renuntiare potest, ut est illud factionis testamenti, exemptionis ab usufructu legali cum similibus. Ac etiam est illud *cap.* Odoardus, quod etiam Clericis in Sacris vel ratione doli, vel ratione arctioris obligationis, et in plerisque aliis casibus denegari solet. » Assentiri videtur Cardinali de Luca *in Meliorat. ad de Marin. dict. lib.* 2. *dict. cap.* 47. *num.* 14. tum adduci pro Cardin. de Luca potest Rota *cor. Rojas dec.* 475. n. 5.

(104. In hoc opinionum conflictu Auctor *Notarum in Concordat. S. Sedem inter et Regem utriusque Siciliæ cap.* 3. *art.* 1. *num.* 35. tenet, tunc amplecti posse affirmativam opinionem Cardinalis de Luca, quum trina præcessit monitio, et eam Clericus monitus, minime curavit (1).

ARTICULUS III.

Clericus quoad negotia sæcularia.

(1. Negotium sæculare accipitur tripliciter, scilicet large, stricte, et strictissime. Fagnan. *in cap. Cum multa* 1. *Ne Clerici, vel Monachi, num.* 18. *et seq.* (2. Negotium sæculare large acceptum est quidquid provenit ex carnali concupiscentia non subjecta fræno rationis. Colligitur *ex cap. Multa sunt negotia* 1. *Ne Clerici, vel Monachi;* et dicitur Negotium sæculare, quia per illud vivitur omnino sæculariter, id est secundum sæculum, et mundum, seu carnem, non autem secundum Deum et Spiritum; et hæc etiam prohibentur Laicis, ut patet ex multis enumeratis in citat. *c. cum Multa;* sed specialiter prohibentur Clericis. (3. Negotium sæculare stricte acceptum comprehendit quidquid pertinet ad rempublicam mundanam, et sæculares homines; et hoc quamvis permissum sit Laicis, tamen Clericis est interdictum, ut *cap. Fornicari* 10. *dist.* 88. ibi: « Fornicari omnibus semper non licet: negotiari vero aliquando licet, antequam enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari, facto jam non licet: et l. Placet, Cod. de Episc. et Cleric. » ubi Clerici nihil commune habere dicuntur cum pluribus actionibus, vel ad curiam pertinentibus, cujus corpori non sunt annexi. (4. Unde Clerici vacare debent Reipublicæ spirituali; Laici vero Reipublicæ temporali; *arg. c. Duo sunt genera* 1. *q.* 1. *c. Convenior, et cap. Reprehensibile* 23. *q.* 8. *cap. Duo sunt, dist.* 96. *et cap. Solitæ, de major. et obed.* (5. Negotium sæculare strictissime acceptum sumitur pro exercitio mercatoris, seu negotiatoris, ut colligitur *ex cap. Quid est aliud* 13. *dist.* 88. ibi: « Quid est aliud negotium, nisi quæ possint vilius comparari, carius velle distrahere? » *et c. Forus de verb. significat.* ibi: « Negotiatio in Commerciis dicitur, ubi aliquid datur, ut majora lucrentur. » Et talis negotiatio est Clericis prohibita, ut mox subjiciam.

(6. Clericis omnibus in Sacris constitutis, aut in Minoribus congruam sustentationem habentibus, sive ex beneficio Ecclesiastico, sive ex bonis patrimonialibus, est prohibitum negotiis sæcularibus sese immiscere, cupiditatis, et turpis lucri gratia; *cap. Consequens* 2. *cap. Episcopus* 3. *cap. Prælatum* 4. *cap. Negotiatorem* 9. *cap. Fornicari* 50. *cap. Ejiciens* 11. *dist.* 88. *cap. Clerici officia* 15. *de vita, et honest. Cleric. cap. Cum Multa negotia* 1. *Ne Clerici vel Monachi et cap. Secundum* 6. *tit. eod.* ubi sic expresse dicitur: « Secundum instituta Prædecessorum nostrorum, sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici causa lucri negotientur, » et sæpe alibi consimiliter repetitur interdicta Clericis negotiatio propter varias congruentes rationes (2). (7. Prima quia, ut scribit Apostolus 2. *ad Timot. cap.* 2. « Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus; » cum negotia sæcularia homines retrahant a spiritualibus, et Divinis Officiis, quibus incumbere peculiare munus est Clericorum; *cap. Numquam dist.* 5. *de consecr. c. Clericus* 3. *dist.* 91. ibi: *Absque Officii sui detrimento c. Ex litteris* 16. *de vita, et honestate Cleric.* ibi: *Potius sæcularibus negotiationibus, quam Officiis Divinis intendunt.* (8. Secunda, quia Clerici sunt ex illo genere Christianorum, quod mancipatur Divino Officio, et deditum contemplationi, et Orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut expresse habetur in *cap. Duo sunt genera* 12. *quæst.* 1. (9. Tertia, quia Clerici non sunt de corpore Reipublicæ sæcularibus, sed Ecclesiasticæ; *leg. Placuit Cod. de Episc. et Cleric. et cap. Fornicari* 10. *dist.* 88. (10. Quarta, quia negotiatio, ut

(1) Definitum est, teste Giraldo *Expos. Jur. Pont. par.* 2. *sect.* 93. Clericos, qui tonsuram vestesque clericales abjecerunt, *Fori tantum* privilegia amittere, non vero reliqua. Ut autem hi Clerici fori amittant privilegium, monitione non indigent ulla. (*Edit. Casin.*)

(2) Rationes omnes, quibus Clerici, Sacris Canonibus Spiritu Dei conditis a negotiationibus exercendis jubentur abstinere, collegit, atque breviter, ac pulchre suo more proposuit D. Thomas 2. 2. *q.* 77. *Art.* 4. *ad* 3. quas apud ipsum legere minime pigeat. Ubi et quam maxime advertenda est Doctrina D. Thomæ, quæ non leviter conducit ad plures casuum nodos extricandos; quæ hunc in modum se se habet: *Dicendum, quod non quicumque carius vendit aliquid, quam emitur, negotiatur; sed qui ad hoc emit, ut carius vendat. Si autem emit, rem non ut vendat, sed ut teneat, et postmodum propter aliquam causam vendere velit, non est negotiatio, quamvis carius vendat. Ibid. ad* 2 (*Edit. Neap.*)

Digitized by Google

plurimum sine mendacio, et perjurio exerceri non potest; *cap. Ejiciens* 11. *dist.* 88. *et cap. Qualitas* 2. *dist.* 5. *de pœnit.* ibi: « Difficile est inter ementis, vendentisque commercium non intervenire peccatum; » ut enim Gloss. final. ibid. observat, contrahentibus naturale est se invicem decipere; *l. In causæ* 17. § *Idem ff. de Min. et l. Item si pretio*, § *Quemadmodum, ff. locati.*

(11. Unde tales Clerici exercendo negotiationes prohibitas peccant mortaliter, et possunt suspendi a Divinis, immo et excommunicari, si tertio admoniti non resipiscant; *c. Negotiatorem* 9. *dist.* 88. ibi: « Negotiatorem Clericum, et ex inope divitem, et ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge; » *cap. Sed nec procurationes* 4. *Ne clerici, vel Monachi* ubi præcipitur, ut suspendantur ex Officio Ecclesiastico, ibi: « Ecclesiastico fiat ministerio alienus, » *cap. Secundum* 6. *eodem tit.* ubi decernitur, ut excommunicentur, ibi: « Secundum instituta Prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis, prohibemus, ne Monachi, vel Clerici causa lucri negotientur, » *cap. Clericus* 4. *dist.* 91. *ubi imponitur eis degradationis pœna*, ibi « Ab Officio suo degradentur. » Cum autem pœnæ tam graves non imponi soleant, nisi propter gravissimas culpas; *argum. cap. Nemo Episcop. et cap. Nullus Sacerdotum* 11. *quæst.* 3. stat evidenter, quod Clerici exercendo tales negotiationes sæculares, peccent mortaliter. Et sic tenent expresse Bellett. *Disquisit. Cleric. p.* 2. § 51. *de pœnis Cleric. num.* 2. Fagnan *in c. Multa, Ne Clerici, vel Monachi n.* 11. Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. univ. cap.* 40. *n.* 114. *et* 128. cum pluribus ibi citatis et alii passim. (12. Ultra culpam mortalem, et pœnas supra recensitas Clerici negotiatores, si tertio admoniti a negotiationibus non desistant, perdunt interim privilegium Clericale, quoad bona sua; *capit. Ex litteris* 16. *de vita et honest. Clericorum*, ibi: « Mandamus, quatenus, si tales tertio a te moniti ab hujusmodi non resipuerint; sed prætermissis Divinis Officiis, negotiationibus insiterint supradictis, cum facto privilegium abjiciant Clericale, tu quominus, dum his se implicant de suis facultatibus, statutis, et consuetudinibus patriæ subjaceant, non defendas eosdem. » (13. Dantur tamen plures casus, in quibus Clerici negotiationem exercentes nullam culpam et pœnam incurrunt. Primo, si Clerici negotiationem exercent non turpis lucri gratia, sed meræ necessitatis causa, ut se suosque alant, cum aliunde non habeant, unde vivant, et bona ad eorum victum non sufficiant; *cap. Multa sunt negotia* 1. *Ne Clerici, vel Monachi*, ibi: « Nec tamen justum negotium est contradicendum propter necessitates diversas, quia legimus Sanctos Apostolos negotiatos fuisse, et in Regula Beati Benedicti præcipitur provideri, per quorum manus negotia Monasterii procurantur. » (14. Secundo, quando Clerici bona sua patrimonialia, ac Beneficiorum, quæ obtinent, excoli faciunt, animaliaque ad hunc effectum necessaria emunt, et vendunt. Ita Sacr. Congr. Episcop. et Regular. *in Barensi* 15 *Novembr.* 1616. (15. Tertio, si Clerici vinum suum etiam minutim vendiderint. Sacr. Congreg. Episcop. et Regular. in *Aversana* 5 *Maii* 1593. tabernam enim non dicuntur exercere, nec ad gabellæ solutionem tenentur, qui vinum suum ad minutum vendunt, ut pluries decrevit Sacr. Congr. Immunitatis, et signanter in *Ravennaten. et Spoletana* 25. *Septembr.* 1627. *in Nolana* 12 *Jul.* 1649. *in Lauretana* 17 *Junii* 1654. *in Theatina* 15. *Mart.* 1661. *in Faventina* 25. *Januar.* 1677. Et sic possunt Clerici vendere panem coctum, et ad minutum ex frumento collecto in prædiis Canonicalibus sine suspicione illicitæ negotiationis; Abbas *consil.* 6. *in fine lib.* 1. Cravetta *consil.* 5. *n.* 116. Sylvester *in summ. verb. Excomm.* 21. *vers. Secundo nota, n.* 46. Carol. de Grassis *de effectibus Clerical. effect.* 6. *num.* 33. etiam non obstante prohibitione; Rolandus *consil.* 72. *n.* 9. *lib.* 4. Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. univers. cap.* 40. *n.* 30. (16. Quarto, quando a principio defuit animus negotiandi, vel lucrandi; id est quia Clericus emit pertinentia ad se, suamque familiam sustentandam per totum annum, et præter propositum empta supersunt, vel diminutione familiæ, vel alia ratione; tunc enim prætio currenti, etiamsi cariore, quam erat, absque illicitæ negotiationis periculo vendere potest. Prosp. de Augustino *in addit. ad Quarant. verb. vectigal, vers. tertio;* Aloysius Riccius *p.* 3. *prax. resol.* 202. *n.* 1. Barbosa *lib.* 1. *Jur. Eccles. univ. c.* 40. *n.* 122. cum aliis ibi citatis.

(17. Circa hanc autem materiam variis aliis relictis, specialis decisio Sacræ Congregationis Conc. varios casus ad rem facientes complectens adducitur a Barbosa *loco cit. n.* 127. prout sequitur Eminentissimi et Reverendissimi Domini, Capitulum, Presbyteri, et Clerus Civitatis, et Diœcesis Caputaquensis pro ut plurimum ob loci, personarum, et temporum qualitatem aliquas ex infrascriptis actionibus facere, nec non ad suam, et familiæ sustentationem coguntur quærere, ad obviandas vexationes Commissariorum petunt, ut declaretur, an liceat infrascripta facere absque reatu illicitæ negotiationis.

(18. Primo. An liceat eis terras Patrimoniales, et Beneficiales per laicos colere.

(19. Secundo. An pro necessario culturæ usu possint emere boves, et alia animalia, et fœtus illorum vendere.

(20. Tertio. An ii, qui in propriis terris habent quercus, et castaneas, quarum fructibus sues vescuntur, possint sues emere, eosque alere, et pro familiæ sustentatione vendere?

(21. Quarto. An iidem Clerici cum foliis suarum arborum possint in propriis ædibus arti sericæ operam dare, vel idem opus dare ad medietatem, seu ad quartum, et fructus inde percipiendos vendere absque reatu illicitæ negotiationis.

(22. Quinto. An Clerici pauperes ad suam, suæque familiæ sustentationem possint terras Ecclesiæ conducere.

(23. Sexto. An possint locare boves, oves,

Digitized by Google

et animalia, quæ habent ex successione, vel aliis debitis, vel decimis, eorumque fructus vendere?

(24. Septimo. An liceat ex olivis, vineis, quercubus, et aliis arboribus existentibus in terris Patrimonialibus, et Beneficialibus, et aliis obtentis vendere oleum, vinum, glandes, et alios fructus ad sustentationem suæ familiæ; item, et granum, et frumentum hujusmodi ex bonis Patrimonialibus, aut Beneficialibus?

Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum prævia matura consideratione, et inhærendo declarationibus alias factis.

(25. Ad primum respondit, licere Clericis agros Beneficiorum, et bonorum Patrimonialium Laicorum opera colere absque metu illicitæ negotiationis.

(26. Ad secundum, posse similiter Clericos pro culturæ usu boves, et alia animalia necessaria emere, illorumque fœtus justo pretio, et honesta ratione vendere, nec ob id prohibitæ negotiationis prætextu vexari posse, aut debere.

(27. Ad tertium item, et posse Clericos habentes in propriis bonis quercus, et castaneas, sues emere, eosque alere pro sua, et familiæ sustentatione, dummodo tamen in emendis, alendis, distrahendisve nihil sordidum, aut indecens Ordini Clericali exequantur.

(28. Ad quartum, licere Clericis folia arborum in propriis bonis existentium alicui Laico concedere eo pacto adjecto, ut lucrum ex bombicibus inter utrumque dividatur; et pariter eisdem licere earumdem arborum foliis per se ipsos absque Officii eorum detrimento arti sericæ operam dare pro sua, et familiæ sustentatione; dummodo tamen artificio hujusmodi personas non suspectas adhibeant, et quoad hoc Episcopi licentia, quæ gratis sit concedenda, obtineatur.

(29. Ad quintum, Clericos pauperes ad suam suæque familiæ sustentationem posse terras Ecclesiæ conducere absque reatu illicitæ negotiationis; bona vero Laicorum non posse nisi ex mera, et præcisa necessitate.

(30. Ad sextum, posse retinere, et locare boves, et oves, et alia animalia, quæ habent ex successione, vel decimis, nec non fructus illorum vendere absque reatu illicitæ negotiationis.

(31. Ad septimum, eosdem posse vendere granum, hordeum, et alios fructus recollectos ex bonis Patrimonialibus, vel Ecclesiasticis pro sua, et suorum sustentatione. R. Cardin. Ubaldinus. Franc. Paulucius Sac. Congreg. Conc. Trident. Secretarius.

(32. Et sic responsum fuisse Presbyteris, et Clericis Terræ Maidæ Nicostraten. Diœcesis *de anno* 1627. refert Fagnan. *in cap. Multa sunt negotia* 1. *Ne Clerici, vel Monachi n.* 34. *et seqq.* adducens ipsam declarationem. Et consimiliter responsum etiam fuisse Presbyteris, et Clericis Alti Montis Casinensis Diœcesis *de anno* 1629. refert Carol. Marant. *tom.* 2. *res.* 41. in fine adducens declarationem Sac. Congreg. quæ cum præcedenti coincidit.

(33. Sacerdotes, et Beneficiati Diœcesis Alexanen. et Ugen. cum a Commissariis Spolii molestarentur ex capite illicitæ negotiationis in infrascriptis casibus, supplicant Sac. Congregat. dignetur declarare, quando in eisdem, sit licita, vel illicita Oratoribus negotiatio.

(34. Primo. An Sacerdotes, et Clerici Beneficiati possint operas suorum bovum, quos pro laborandis prædiis suis Patrimonialibus, seu Beneficialibus retinent, dum sibi vacant, aliis locare pro certa mercede absque periculo spolii, et pœnarum Clericis negotiatoribus impositarum?

(35. Secundo. An possint, si boves emerint, vel in suis prædiis natos educaverint, et instruxerint, conducere, ut vulgo dicitur *a giovatico* pro certa tritici quantitate quolibet anno persolvenda.

(36. Tertio. An possint oves centum, vel saltem quadraginta simili actione concedere pro certa caseorum quantitate pro eorum, et suæ familiæ usu?

(37. Quarto. An in suis molendinis pro tritico, et pistrinis pro oleo, postquam suum triticum, et olivas moluerint, alienum triticum, et alienas olivas certa mercede constituta molere possint; suppositis infrascriptis, quod id ab immemorabili tempore semper fuerit factum, et observatum : quod singulis annis non expedit pro solo servitio proprio triginta, vel quadraginta ducatos impendere in conficiendis pistrinis, nam fiunt ex juncis, et aliis materiis, quæ mensibus quinque, aut sex corrumpuntur : et in uno equo, et quatuor personis inservientibus ipsis pistrinis. Et quod molitura olivarum durat per quatuor, quinque, vel sex menses, juxta annorum fertilitatem.

(38. Quinto. An possint assumere onus colligendi, et faciendi a sua familia colligere olivas pro certa olei portione domino oliveti reddenda, supposita in hoc immemorabili consuetudine.

(39. Sexto, et ultimo. An possint in bonis amicorum, et propinquorum operas diurnas præstare, ut illis easdem in prædiis restituant?

Ad dubia proposita responsum fuit, ut sequitur.

(40. Ad primum, affirmative, si tot juga bovum retineantur, quot sunt pro prædiis necessaria, vel si ultra necessitatem culturæ prædiorum, vel alio licito modo tenentur, per Doctrinam Molinæ loco infra citando.

(41. Ad secundum, quoad boves emptos, negative, quo vero ad boves proprios, affirmative; P. Molina *de contract. disp.* 342. *sub num.* 4. quam refert, et sequitur Quaranta *in verb. Vectigal.* § *similiter ad illicita.*

(42. Ad tertium, affirmative, si oves propriæ fuerint, et non emptæ ad illum effectum, ex præcedenti Molinæ Doctrina; et si emptæ, dummodo ad comparandum necessaria ad victum, et non ad lucrum.

(43. Ad Quartum, affirmative, duobus concurrentibus, videlicet modo ob hanc cau-

Digitized by Google

sam non se subtrahant ab iis, in quibus ex Officio Clericali incumbere debent, et dummodo non ad lucrum, sed ad necessaria vitæ comparanda pro se, et sua familia; non enim hujusmodi artificium sordidum videtur, aut inhonestum in illis partibus, cum per unum equum, et quatuor famulos, seu operarios fiat, et non per ipsos Clericos. Quarant. *ubi supra*, post alios, § *difficultas versatur circa med. et fin.*

(44. Ad quintum, negative, nisi proprii redditus, sibi, suæque familiæ non sufficiant; nam hoc casu ad comparandum victum etiam aliena prædia conducere licet; Gloss. *in cap. Pervenit, verb. conductiones* 86. *Dist.* quod est de mente omnium Doctorum, ut testatur Quaranta *ubi supra* §. *quæritur in fine.*

(45. Ad Sextum, si opera non sit sordida, et inhonesta, possunt fieri hujusmodi commutationes per ea, quæ scribit Quaranta *ubi supra* § *Difficultas in fine* ex Doctrina Sylvestri.

(46. Hinc juvat afferre aliam Sacræ Congregationis responsionem datam in dubio eidem Sacræ Congregationi proposito a Patre Passerino suæ Religionis Generali procuratore his verbis... « An prædictis Presbyteris, et Clericis liceat absque negotiationis Clericis interdictæ nota, oves, boves, aliaque hujusmodi animalia emere, eaque locationis, aut societatis titulo conductori, aut socio tradere, ac lucrum ex hujusmodi locatione sive societate percipere? Die 7. Octob. 1662. Sac. Congregat. S. R. E. Cardinalium Conc. Trident. Interpret. censuit non licere. » Quam resolutionem authenticam apud se retinuisse testatur *in Tractat. de statu homin. t.* 2. *q.* 187. *art.* 2. *n.* 187. *pag.* 339. (47. Potest Episcopus prohibere Clericis Minorum Ordinum, et primæ Tonsuræ, ne exerceant mercaturam, nec suscipiant appaltus aquæ vitæ, ceræ, tabacci, saponis, vel macinatus, ut respondit Sacr. Congreg. Conc. *in Civitatis Plebis* 2. *Augusti* 1687. *lib.* 37. *Decretor. fol.* 464.

(48. Ex prædictis Sacr. Congr. declarationibus satis aperte colligitur, posse Clericos dare operam negotiationibus illius speciei, quæ dicitur artificium, non autem negotationi propriæ sumptæ. (49. Ut autem hoc facilius percipiatur, advertenda est differentia intercedens inter negotiationem proprie sumptam, et artificium. Negotiatio enim proprie sumpta est, quando emitur res, ut omnino integre, et immutata carius vendatur, ita ut ex sola transmutatione de persona in personam sequatur lucrum. Artificium vero est, quando emitur res, ut inde habeatur materia ad operandum propriis manibus, eamque reducendi ad aliam formam; deducitur *ex cap. Ejiciens* 11. *Dist.* 88. ubi sic expresse dicitur: « Quicumque rem comparat non ut ipsam rem integram, et immutatam vendat, sed ut materia sibi sit inde aliquid operandi, ille non est negotiator; qui autem comparat rem, ut illam ipsam integram, et immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei ejicitur. » Et sic notat *ibidem* Gloss. Butr. Abbas, et alii passim cum Fagnan. *in d. cap. Multa num.* 23. (50. Addit autem Bellettus *in disquisit. Clerical. part.* 2. § 51. *de pœnis Clericor. n.* 1. etiam tunc intervenire negotiationem Clericis interdictam, cum quis eorum aliquam rem v. g. lanam emit, ut suis expensis per mercenariorum, et opificum industriam, et laborem (non autem per semetipsum) aliquod efficiat, scilicet ex lana empta pannum conficiat postea revenditurus, ut inde aliquid lucrari possit.

(51. Unde licet negotiatio proprie sumpta sit Clericis interdicta; « ex cit. c. Consequens 2. cap. Negotiator 9. cap. Fornicari 10. cap. Ejiciens 11. Dist. 88. cap. Clerici officia 15. de vita, et honest. Cleric. cap. cum Multa negotia 1. » *Ne Clerici, vel Monachi, et cap. Secundum* 6. *eod. tit.* cum similibus; tamen artificium, et manualis operatio absque fine turpis lucri non interdicitur Clericis; imo ipsis recommendatur, sicut agricultura, dummodo fiat absque neglectu Officii Ecclesiastici; *cap. Clericus* 3. *dist.* 91. ibi: « Clericus victum, et vestitum sibi artificiolo, vel agricultura absque officii sui detrimento ponet: » et *cap. Cler.* 4. *eod. dist.* 92. ibi: « Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus artificiolo victum quærat. » (52. Non enim tale artificium, et manualis operatio implicat ad peccatum, sicut talis negotiatio, quæ vix potest exerceri sine mendaciis, perjuriis, fraudibus, et similibus, *ex cap. Ejiciens* 11. *dist.* 88. *et cap. Qualitas* 2. *dist.* 5. *de pœnit.* et aliis adductis supra *num.* 10. Hinc Apostoli post Christi passionem redierunt ad piscandum; Joann. *cap.* 11. Sanctus Matthæus vero ad telonium non amplius resedit, quia istud posterius est de illis, quæ implicant ad peccatum, non autem prius, prout observat Sanctus Gregorius Papa *Homil* 24. *in Evang.* et refertur in *cap. Negotium* 7. *dist.* 5. *de pœnit.* (53. Quinimo tale artificium, et manualis labor, seu operatio ad multa bona inservit, ut observat Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 87. *artic.* 3. Primo enim, et principaliter inservit ad victum quærendum; unde Protoparenti Adamo dictum est: *In sudore vultus tui vesceris pane; Genes.* 3. et *Psalm.* 127. *Labores manuum tuarum quia manducabis;* et secundum hoc dubitandum non est, quin Clericis, et Monachis licet operari manibus propriis; ait enim Apostolus *Actor* 20. *Ad ea, quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* Et adducitur *in cap. Clericus* 1. *caus.* 21. *q.* 1. *et in cap. Cum Apostolus* 6. *de Censibus.* (54. Et de facto hoc laudabile institutum vivendi ex labore manuum suarum adhuc in dies observatur a pluribus Monachis, et maxime Basilianis Eremi del Tordon, de quibus Clemens VIII. in suis Litteris sub datum Tusculi sub annulo Piscatoris *die* 23. *Septemb.* 1603. *Pontificatus sui anno duodecimo cap.* 4. sic ait: « Quærendi victus solertia (ut verba Sancti Basilii de institutionibus Monachorum serm. 1. referamus) his qui in hujusmodi vitæ genere degunt, ea maxime conveniens judicanda est, quæ præscripta est ab Apostolo, nimirum ut mani-

Digitized by Google

bus laborantes panem suum honeste manducent; ex quo et aliis dicti Patris locis declaramus, Monachos S. Basilii ex peculiari suæ Regulæ instituto ad victum propriis manibus parandum in communi teneri. Atque ita juxta præsentis reformationis statuta jubemus observari in illis artibus, quas etiam S. Basilius concedit; præcipue quæ intra domum exerceri possunt, velut texendi, plectendi, suendi, sarciendi et aliis secundum locorum, et temporum exigentiam. Cum autem Sanctus Basilius agriculturam, quia ea facillime res ad usum necessariæ haberi possunt, concedat, modo ea neque ab Accolis tumultus afferat, aut turbas, nos eamdem ad frumentum, vinum, mel, oleum, et cæteros agri fructus comparandos permittimus. » Et refertur in *cap. Nunquam* 33. *dist.* 5. *de consecrat.* (55. Sic S. Hieronymus ad Rusticum Monachum *de vivendi forma scribebat* : « Si Apostoli habentes potestatem de Evangelio vivere, laborabant manibus suis, ne quemquam gravarent... Cur tu in usus tuos cessura non præparas? Vel fiscellam texe junco, vel canistrum lentis plecte viminibus, sarciatur humus, areolæ æquo limite dividantur, in quibus cum olerum jacta fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ... Inferantur infructuosæ arbores gemmis, vel surculis, ut parvo post tempore laboris tui dulcia poma decerpas; apum fabricare alvearia, ad quas te mittunt Salomonis proverbia, et Monasteriorum ordinem, ac Regiam disciplinam in parvis disce corporibus, texantur et lina capiendis piscibus; scribantur libri, ut et manus operetur cibum, et animus lectione saturetur. » Hæc ibi Hieronymus, ubi subjungit, « quod Ægyptiorum Monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque operis labore suscipiant. »

(56. Secundo, artificium, seu operatio manualis inservit ad tollendum otium, ex quo multa mala oriuntur. Unde dicitur Ecclesiast. 33. « Mitte servum tuum in operationem, ne vacet; multam enim malitiam docuit otiositas. » Negotium enim auctore Isidoro *lib.* 18. *Etymolog. c.* 15. sic dictum est, quasi negans otium, ut refertur *in cap. Forus* 10. *de verborum signific.* ibi : « Dictum est negotium, id est sine otio. et Glossa ibid. in verb. Negotium; » unde ex ipsa vi nominis importat privationem otii, et significat actum omnem, cui otium repugnat; et ad hunc finem, nedum est licitum, sed et laudabilissimum Clericis, et Monachis operari manibus propriis, et ideo S. Hieronymus ad Rusticum Monachum : « Facito, inquit, aliquid operis, ut semper te diabolus inveniat occupatum, ut refertur in dict. cap. Nunquam 33. dist. 5. de consecrat. » (57. Tertio artificium, seu labor, manualis inservit ad concupiscentiæ refrænationem, in quantum per hoc maceratur corpus. Unde 1. ad Corinth. 6. *In laboribus, in jejuniis, in vigiliis, in castitate.* Et ad hunc finem est licitissimum Clericis, et Monachis tale artificium, seu labor manualis, unde in Monasteriis Ægypti nullus suscipiebatur incapax operandi, et laborandi, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem, ne vagarentur similes Monachi perniciosis cogitationibus; *d. cap. Nunquam* 33. *dict.* 5. *de consecr.* ibi : « Ægyptiorum Monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque opere, et labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem, ne vagetur perniciosis cogitationibus mens, et ad instar fornicantis Hierusalem omni transeunti divaricet pedes suos. » (58. Quarto, artificium, seu operatio manualis inservit ad evitanda furta, et ad eleemosynas faciendas, juxta illud Apostoli *ad Ephesios* 4. ibi : « Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. » Et ad hunc finem est sine omni prorsus dubio licitum Clericis, et Monachis operari manibus propriis; *arg. c. Pervenit* 26. *c.* 86, *et d. Decr.* 1. *dist.* 88.

(59. Inter negotia, artes, et officia Clericis prohibita, multa alia reperiuntur. Primo, prohibentur Clerici præsertim Beneficiati, aut in Sacris constituti agere Officium Procuratoris, et Advocati in sæculari judicio, seu foro, apud quem postulare non possunt, nisi pro seipsis, pro Ecclesia, aut si necessitas immineat, pro miserabilibus personis. Textus sunt clari, et aperti in corpore Juris Civilis; *Autent. de Sacr. Episcop.* § *Deo autem, vers. alium;* et in corpore Juris Canonici *in cap. Quia Episcopus* 5. *quæst.* 3. *cap. Nullus* 11. *q.* 1. *cap. Credo, et seq.* 21. *q.* 3. *cap. Clerici* 1. *de Postulando*, ubi sic expresse dicitur : « Clerici in subdiaconatu, et supra in ordinibus quoque Minoribus, si stipendiis Ecclesiasticis sustententur, coram sæculari Judice Advocati in negotiis sæcularibus fieri non præsumant; nisi propriam causam, vel Ecclesiæ suæ fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus forte personis, quæ proprias causas administrare non possunt. » (60. Concordat *cap. Cum Sacerdotis sit Officium* 3. *eodem tit.* ubi additur, posse etiam postulare necessitate imminente pro personis conjunctis, ibi : « Non nisi pro seipso, vel Ecclesia sua, vel (si necessitas immineat) pro personis conjunctis, aut miserabilibus sibi licitum est postulare; » *cap. Cum multa sunt negotia* 1. *Ne Clerici, vel monachi; cap. Sacerdotibus* 2. *eod. tit.* ibi : « Sacerdotibus, et Clericis tuis denuncies publice : ne ministri Laicorum fiant; nec in rebus eorum procuratores existant. » (61. Quod est intelligendum, etiamsi Laici essent Principes, aut alii Magni Domini; *cap. Sed nec* 4. *Ne Clerici, vel Monachi*, ibi : « Sed nec Procuratores villarum, aut Jurisdictiones etiam sæculares sub aliquibus Principibus, et sæcularibus viris, ut Justitiarius eorum fiat, Clericorum quispiam exercere præsumat (1). »

(62. Secundo, prohibentur Clerici esse

(1) Rescripta et Brevia pro exercendo Advocati munere Sæcularibus Clericis, etiam beneficiatis, tum et Sacris Ordinibus initiatis concedi, ut advocaturam exerceant in tribunalibus Ecclesiasticis, in lai-

Digitized by Google

Principum vicesgerentes, Vicedemoni, Cancellarii, locorum Præfecti, aut Præpositi, Judices, Administratores, vel quomodocumque alia ratione Officiales; *cap. Clericus* 5. *Ne Clerici, vel Monachi*, ibi: « Jubemus etiam sub interminatione anathematis, ne quis Sacerdos Officium habeat Vicecomitis, aut Præpositi sæcularis. » Concordat *cap. Clerici* 15. *de vita, et honest. Cler.* ibi: « Clerici Officia sæcularia non exerceant; » *c. Pervenit* 26. *dist.* 88. *et cit. cap. Clerici* 1. *et cap. Sacerdotis.* 3. *de Postulando cit. cap. Multa sunt negotia* 1. *c. Sacerdotibus* 2. *et cap. Sed nec* 4. *Ne Clerici, vel Monachi.* (63. Tertio prohibentur Clerici præsertim Sacerdotes, ne inserviant Laicis in Officiis vilibus domus, fœminisque Nobilibus ancillentur, ac obsequia præstent, ac si essent homines infimæ conditionis; *cap. Sacerdotibus* 2. *Ne Clerici, vel Monachi*, ibi: « Ne ministri Laicorum fiant; » et expresse de mandato Sanctissimi Sacra Congregat. Episcop. per Litteras Encyclicas sub datum Romæ præcisis his verbis: « Fra le più assidue sollecitudini, che occupano la mente zelantissima di N. Signore per il bene spirituale della Chiesa: una si è di conservare, e ravvivare nel suo vero decoro la Santità, e dignità del Sacerdozio; poichè dispendendo dagli Officj di quest' Ordine l' istruzione, e correzione, e la santificazione de' Fedeli, conviene ancora, che l' esemplarità della vita, e gravità de' costumi sia in esso cosi distinta, e superiore ad ogni altro, che corrisponda alla sublimità del grado, ed al fine della sua Istituzione. Quindi è, che con l' Oracolo della sua viva voce ha sua Beatitudine ordinato, che si scriva a tutti i Pastori delle Diocesi la presente Lettera circolare, a fine d' eccitare una più esatta vigilanza in procurare l'adempimento, ed osservanza dell' ordinazione de' Sacri Conciij Ecumenici, e specialmente di quello di Trento in ordine all' onestà della vita del Clero, e singolarmente in non permettere, ed onninamente impedire, che li Sacerdoti non s' impieghino in Officj servili del Secolo, e de' Laici, e specialmente di Donne, improprj a' Ministri dell' Altare, ed al Carattere Sacrosanto, il quale quando venga conferito secondo le disposizioni del Sagro Concilio di Trento con l'attual servigio d' una Chiesa, cesserà l' occasione di simili scandali, e si toglierà all' oziosità e povertà in un numero straordinario, e disapplicato, ogni scusa, e compatimento per tollerarli contro i Sacri divieti, in impieghi abjetti, ed indecenti. Saprà V. E. col fervente suo zelo conformarsi con l' esecuzione a quello di sua Beatitudine, e le bacio per fine umilmente le mani. Roma 16. Marzo 1697.

« G. Card. Carpegna Prefetto.

« Loco ✠ Sigilli.

« M. Arcivescovo d' Atene Segr. »

calibus, et coram Judice Sæculari, cum agitatur causa propria ipsorum, vel Ecclesiæ suæ, vel miserabilium personarum. Quanquam in Brevibus libere conceditur Sacerdoti sæculari pauperi, ut libere causas civiles, et criminales agat, dummodo in criminalibus tantummodo reis patrocinetur; quin et tandiu munus illud exercere permittitur, donec certos Ecclesiasticos redditus ad congruam sustentationem sufficientes, vel Beneficium residentiale obtineat. Benedict. XIV. *de Syn. Diœc. lib.* 13. *cap.* 19. § 12. *nov. edit.*

(64. Quarto specialiter prohibetur Clericis officium Tabellionis, seu Notarii publici agere; *cap. Sicut te* 8. *Ne Clerici, vel Monachi*, ibi: « Fraternitati tuæ mandamus, quatenus Clericis in Sac. Ordin. constitutis Tabellionatus Officium per Beneficiorum subtractionem appellatione postposita, interdicas. » Concordat *cap. Ut officium* 11. § *verum de Hæretic. in* 6. (65. Possunt tamen Clerici tam Regulares, quam Sæculares esse Notarii, aut Tabelliones in causis Fidei pro favore ejusdem; text. expresso *in c. Ut officium* 11. *in* § *ad conscribendas de Hæret. in* 6. (66. Possunt etiam Clerici esse Notarii Papæ, aut in Curia Rom. Fagn. *in cap. sicuti te* 8. *Ne Clerici, vel Monachi num.* 60. *et* 68. et Barbosa *ibid. num.* 7. Nam Papa admittendo, vel officium hoc tribuendo Clericis, videtur eos habilitare ad illud exercendum; *arg. l. Idem Ulpianus, ff. de excus. Tutor.* et de facto in Concil. Trid. fuerunt duo Notarii Laicus unus, et alter Clericus, ut patet ex eorum subscriptionibus, quæ habentur in calce Concilii, ut observat etiam ipse Fagnan. *loc. citat. num.* 68. (67. Possunt insuper Clerici esse Notarii in locis, ubi est consuetudo, præcipue in causis Ecclesiasticis seu spiritualibus coram Judice Ecclesiastico. Ita Joan. de Anan. et Philippus relati per Joann. Andream *in cit. c. sicut te n.* 8. Et Golfred. *per c. Quinam* 5. *q.* 1. ubi Clericus potest esse Notarius Papæ; item Episcoporum, et Archiepiscoporum, *ut in c. Multorum* 17. *q.* 2. *et in c. Monachus dist.* 77. et Butrius *in d. c. sicut te n.* 8. ubi dicit hanc sententiam esse veram, *et ibid.* Ancharan. *n.* 2. ubi dicit esse veriorem; Hostiens. *n.* 3. *vers Quid ergo;* Barbosa *n.* 9. et alii, et ratio est quia sola lege humana prohibitum est Clericis Officium Tabellionis, adeoque vi consuetudinis id peragere possunt; *arg. cap. fin. ne consuetudine*, maxime in causis Ecclesiasticis coram Judice Ecclesiastico, ut pleris que in locis Episcopi pro suis Cancellariis, Actuariis, et Tabellionibus adhibent Clericos. (68. Fagnan. tamen *loc. cit. n.* 61. variis solide adductis sententiam contrariam sequitur, et propugnat. (69. Quinto, est Clericis absolute prohibitum, ne judicium sanguinis exerceant, aut sententiam sanguinis dictent, proferant, vel executioni sententiæ intersint, et nequidquam faciant, per quod ad vindictam sanguinis tendatur; *cap. Clericus* 5. *Ne Clerici, vel Monachi*, ibi: « Clericis in Sacris Ordinibus constitutis ex Concilio Toletano judicium sanguinis agitare non licet. Unde prohibemus ne, aut per se, truncationes membrorum faciant, aut judicent inferendas; » *cap. Sententiam* 9. *eod. tit.* ibi: « Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur intersit.... Nec quisquam Clericus litteras dictet, aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas. » Concordat

Digitized by Google

cap. Sæpe 29. *et cap. His a quibus* 30. *caus.* 23. *qu.* 8. *et cap. Ex litteris* 10. *de Exercitibus Prælat.* (70. Hinc Clerici, seu Prælati Ecclesiastici habentes jurisdictionem temporalem possunt, et debent causas sanguinis Laico delegare, idque generaliter, non specialiter; textu expresso *in c. Episcopus* 3. *Ne Clerici, vel Monachi in* 6. ibi : « Episcopus, seu quicunque alius Prælatus, vel Clericus jurisdictionem obtinens temporalem, si homicidio, aut alio maleficio ab aliquibus in jurisdictione sua commisso Ballivo suo, aut alii cuicunque injungat, ut super hoc veritatem inquirens justitiæ debitum exsequatur, irregularis censeri non debet, quamvis ipse Ballivus, vel alius contra malefactores ad pœnam sanguinis processerint justitia mediante. Nam licet Clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cum jurisdictionem obtinent temporalem) debent, et possunt metu irregularitatis cessante aliis delegare (1). »

(71. Sexto, Clerici non possunt præponi Ruptuariis, vel Ballistariis, aut hujusmodi viris sanguinum. *cap. Sententiam* 9. *Ne Clerici, vel Monachi*, ibi : « Nullus quoque Clericus Ruptuariis, vel Ballistariis, aut hujusmodi viris sanguinum præponatur. » Ruptuarii autem sunt illi, qui præsunt machinis bellicis, quibus rumpuntur muri, ut notat Joan. Andreas in *dict. cap. Sententiam n.* 7. et Ballistarii sunt iidem, ac Sagittarii. (72. Unde deducitur non posse Clericos constitui Duces, vel Capitaneos militum in bello, ut recte advertit Abbas in *d. cap. Sententiam*. Licet enim Clerici possint interesse bello justo, ac milites ad pugnandum hortari ; *cap. Hortatu* 10. *et cap. Ut pridem* 17. *caus.* 23. *q.* 8. *et cap. Petitio tua* 24. *de homicid.* tamen non possunt esse belli Duces ordinantes aciem, et dirigentes tormenta bellica, et hujusmodi, *ex cit. cap. Sententiam*, Abbas *ibidem*, et alii communiter. (73. Septimo, est prohibitum Clericis, et Religiosis publice, seu in Scholis vel Universitatibus publicis Jus civile, et Physicam, id est Medicinam audire ; *cap. Nam magnopere* 3. *Ne Clerici, vel Monachi*, ubi adducitur justa ratio : « Ne occasione talis scientiæ spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur ; » *et c. Super Specula* 10. *eodem titulo*, ubi assignatur pro fine, ut studium Theologiæ, et SS. Canonum magis frequentetur pro dilatatione, et defensione Catholicæ Fidei contra suos impugnatores, ibi : « Quia vero Theologiæ studium cupimus ampliari, ut dilatato sui tentorii loco funiculos suos faciat longiores, ut sit Fides Catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus resistere valeat ascendentibus ex adverso, etc.» (74. Hic tamen duo sunt advertenda : Primum, quod notanter dicitur, *publice, seu in scholis, vel Universitatibus publicis*, quia privatim, ac domi in camera non prohibentur Religiosi, aut Clerici studere Juri Civili, ut tenet communior Doctorum, teste Fagnan. *in cit. cap. Super Specula n.* 8. *et seq. num.* 30. et observat etiam Barbosa *ibidem n.* 3. et alii, præsertim si id faciant propleniori intellectu Juris Canonici, ac Theologiæ. (75. Secundum, quod licet sit prohibitum Religiosis, et Clericis publici Jus civile, et Medicinam audire, seu ei studere, non est tamen eis prohibitum tale Jus Civile, et Medicinam publice docere, et legere. Ita Abbas *in d. cap. Super Specula n.* 16. Barbosa *ibid. num.* 7. Pirhing *lib.* 3. *decret. tit.* 50. *n.* 37. Reiffenstuel *ibidem. n.* 10. Navarr. *in Manual. cap.* 27. *n* 176. Fagnan *loc. cit. a n.* 37. *usque ad n.* 44. et alii. Licet enim varii Canonistæ contrarium sentiant, ex quo *in d. cap. Non magnopere*, videatur expresse loqui de Religiosis legentibus, et docentibus ibi : « Ad legendas leges, et confectiones Physicales ponderandas... Ad Physicam, legesve mundanas legendas ; » tamen quia Honorius III. *in d. cap. Super Specula* dicit, Alexandrum III. in Concilio Turonensi olim statuisse, ut tanquam excommunicati vitentur Religiosi de claustris exeuntes, ad audiendas Leges, vel Physicam, necesse est, ut Constitutio dicti Alexandri III. in Concilio Turonensi condita, et relata *in dict. cap. Non magnopere*, loquatur de Religiosis audientibus,

(1) Rectissime Auctor noster deducit Clericis minime esse prohibitas negotiationes ejus generis, quæ potius *artificium* exhibent, aut ad illud pertinent; quod et variis Ecclesiæ Canonibus confirmat, atque auctoritate D. Thomæ, qui 2. 2. *q.* 187. *artic.* 3. hoc etiam de Religiosis edocet.

Quaquidem in re geminæ conditiones ob oculos habendæ sunt, ac eis necessario servandæ, qui hujusmodi artificiolo aut oblectantur, aut utentur, ut vitæ necessitatibus consulant. I. quam indicat etiam Auctor noster, ne Ecclesiasticis officiis inde detrimentum importetur. II. Ne aliquid sordidum, atque indecens Clericorum statui hic occurrat, quod et laicorum frugi offensioni sit, aut dedecus ac contemptus Ordini Clericali inferatur.

Quapropter licet Ecclesiastici Canones permittant Clericis patrimoniales terrulas, aut alios agros ad se pertinentes colere, lege *cap. Sacerdos 1. de celebrat. Missar.* nihilominus iisdem permittendum non erit, ita agriculturam exercere, seu per se viliora etiam officia obire, ut populo despicabiles reddantur, ac desiderio ditescendi inflammari videantur. Cui, quæso, nostris temporibus vilis non appareret Rector ille animarum, qui per totam diem, seu majorem ipsius partem ligone terram foderet, ipsamque stercoraret, ac dein terra, stercoreque sordidatus sacrorum mysteriorum incumberet celebrationi.

Hinc etiam, licet communi Theologorum suffragio Canonum auctoritati innixo, permittatur eisdem Clericis texendi, suendi, pingendi opificia exercere, modo tamen, ac decore Clericalis dignitatis caute servato; minime tamen iisdem indulgendum erit, ac permittendum, ut ex uvis emptis per famulos, ac ministros ad id conductos vinum conficiant, quod postea venui exponant; aut ex lanis emptis pannos per artifices conductitios conficiant, quos postea divendere satagant; hæc enim aut similia, licet inter *artificia* connumerentur, tamen proxime accedunt ad negotiationes proprie dictas, ac mercaturas Clericis interdictas, ideoque per Epikejam quamdam censendæ sunt iisdem prohibitæ. Lege hac de re Dissertationem *De Negotiat.* insertam inter opera Gabrielis Antoine *tom.* IV. *pag.* 169. Editionis Neapolit. 1772. ubi hoc ipsum plurimis Theologorum etiam benignorum auctoritatibus, ac rationem momentis evincitur. (*Edit. Neap.*)

Digitized by Google

non autem docentibus ; alioquin Papa Honorius in *dict. cap. Super Specula* falsum dixisset, et non fideliter retulisset illam Constitutionem, aut certe illius tenorem ignorasset, quod non est dicendum, cum habeat omnia Jura in scrinio pectoris ; *cap. Licet* 1. *de Constitutionibus in* 6. ibi : « Romanus Pontifex, qui Jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere. » (76. Unde quamvis illa, *ad legendas leges, etc.* quæ habentur *in dict. cap. Non magnopere*, inspecto cortice, legentes, et docentes importare videantur, tamen intelligi debent de audientibus, et sic de legentibus audiendo, seu addiscendo, ex qua illa sic intellexit Romanus Pontifex, qui solus auctoritatem habet verba Conciliorum per modum legis interpretandi ; *cap. Nec licuit* 4, *dist.* 17. ibi : « Sed quoties aliqua de universali Synodo in aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendum de eo, quod non intelligunt rationem... Ad Apostolicam Sedem conveniant. » Et de facto etiam Summarium ipsum *dict. cap. Non magnopere* loquitur tantummodo de audientibus, ibi : « Religiosi professi exeuntes ad audiendas Leges, vel Physicam (nisi infra duos menses ad Claustrum redeant) excommunicati sunt ; » adeoque verba illa ad docentes, aut legentes non sunt extendenda, utpote odiosa ; *capit. Pœnæ* 18. *distinct.* 1. *de pœnitent. cap. Odia* 15. *et cap. In pœnis* 49. *de regul. Juris in* 6.

(77. Octavo, est prohibitum Clericis artem Chirurgiæ exercere ; *c. Sententiam* 9. *Ne Clerici, vel Monachi*, ibi : « Nec ullam Chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ adustionem, vel incisionem inducit. » (78. Quod etiam specialiter prohibitur Religiosis ; *cap. Tua nos* 19. *de Homicidio*. Sic etiam est ipsis prohibitum artem Medicinæ exercere. *cap. Ad aures* 7. *de ætate, et qualitate*. Ars enim Medicinæ, et Chirurgiæ, ultra quam quod subjaceat variis erroribus, et periculis, est officium sæculare, ob quod Abbas *in cap. Sententiam* 9. *Ne Clerici, vel Monachi n.* 21. *et* 22. notat esse absolute prohibitam Clericis, etsi citra adustionem, et incisionem illam exerceant ; *arg. cap. Multa sunt negotia* 1. *Ne Clericis, vel Monachi*. Et de arte Medicinæ ratio ulterior est, quia prohibetur Clericis illius studium, adeoque multo magis ejus exercitium ; Abbas ; *loc. cit. arg. c. Cum quid* 39. *de Regulis Juris in* 6. ibi : « Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo. » (79. Hoc tamen limitant Doctores in casu, quo urgente necessitate, et cessante periculo mortis, aliquis Clericus artem Medicinæ, et Chirurgiæ exerceat ex pietate, et charitate erga pauperes in defectu aliorum Medicorum, et Chirurgorum. Barbosa *in dict. cap. Tua nos* 19. *de homicidio ;* Pirhing. *l.* 3. *decretal. tit.* 50. *n.* 17. Sanchez *l.* 6. *Moral. cap.* 14 *et* 15. *et seq.* Molina, Bonacina, et alii passim. (80. Et de facto indulgetur a Sacra Congregatione Concilii etiam Presbyteris, ut possint compositiones Hyacinthi, Juleporum, et Alchermos facere, et distribuere in usum pauperum, prout indulsit Canonico Visino Terræ Apiri Camerinen. (81. Diœcesis *sub die* 26. *Sept.* 1693. Et solet etiam frequenter expediri a Secretaria Brevium Indultum pro Sacerdotibus Physicis, ut possint artem Medicinæ exercere absque incursu Irregularitatis, cum clausula tamen : « Gratis, et Amore Dei erga omnes, attenta penuria Medicorum ; » et tunc neque a sponte dantibus poterunt mercedem recipere, quia prohibitum, ne aliquid exigatur, censetur vetitum etiam a sponte dantibus, juxta theoricam traditam a Sperell. *dec.* 37. *num.* 80. et Bellet. *disquisit. Cleric. de exempt. Cler. bon.* § 2. *n.* 5. et ita intelligi debere declaravit Sacra Congregat. Concil. in *Cadurcen.* 14 *April.* 1690. *ad quartum ;* in qua causa declaratum quoque fuit, quod illa verba Brevis, *attenta penuria Medicorum*, accipienda sunt moraliter. (82. Et si adesset in Brevi alia Clausula, quæ ut plurimum apponi solet, « dummodo nihil petas, sed a sponte dantibus, a pauperibus nihil omnino recipias ; » tunc non posset Medicus Sacerdos a Publico conduci mercede conventa, prout respondit Sac. Congr. Episcop. *in Terracinen.* 9. *Septembr.* 1697. *referent. clar. mem. Card. Petrucio.*

(83. Clericis est prohibitum exercere Tutelam testamentariam, et dativam extraneorum. Rota *par.* 4. *tom.* 2. *recent. dec.* 116. *n.* 18. Sacra Cong. Episcop. *in Salernitana* 24. *Jun.* 1619. *et in Thelesina* 30. *Maii* 1626. *et* 13. *Jun.* 1648. (84. Possunt tamen Clerici, si velint, Tutelam legitimam consanguineorum usque ad quartum gradum subire, ut colligitur *ex cap. Pervenit* 26. *dist.* 56. et tenet Grass. *de effect. Cleric. effect.* 16. *num.* 10. *et* 22. Turrecremat. *in cap. fin. dist.* 86. Passer. *de statu. hom. tom.* 2. *q.* 187. *art.* 2. *n.* 131. Monacell. *tom.* 1. *tit.* 6. *form.* 4. *n.* 1. et alii passim. (85. Non debent tamen administrationem suscipere, nisi accedente Superioris licentia. (86. Doctores mox citati. Quæ licentia, ut solet concedi a Sacra Congregatione Episcoporum, et Regularium, expediri consuevit sub hac formula : « Sacra etc. Benigne indulsit Oratori, ut verificatis expositis, et quod ipse uti proximior antedictorum pupillorum Tutor legitimus, et a Jure datus existat, Tutelam, et curam eorumdem suscipere, et gerere, atque omnia, et singula, quæ ad Tutores, et Curatores de Jure, usu, vel consuetudine pertinent, facere, et exercere possit ; dummodo tamen Curator negotiis personis Ecclesiasticis interdictis, nullatenus se immisceat, nec quidquam aliud a sua professione alienum exercere permittatur. » *Ita in Capuana* 11. *Octobr.* 1645. *in Albinganensi* 8. *Decemb.* 1646. *in Verulana* 15. *Febr.* 1647. ac sæpe alibi, ut tradit Pignatell. *tom.* 5. *consult. num.* 12. qui *num.* 13. subjungit, eamdem licentiam pro Tutela legitima solere concedi Regularibus, addita clausula : « Dummodo extra claustra non pernoctent. » (87. Ordinarie tamen talis facultas, et licentia solet Clericis concedi a propriis Episcopis, ut constat ex formula, quam dat Monacell. *tom.* 1. *tit.* 6. *formul.* 4. ut sequitur :

Digitized by Google

N. Episcopus N.

Dilecto etc.

(88. Cum tu N. et N. pupillorum uti proximior *Tutor legitimus*, et a Jure datus existas, ut Tutelam, et curam eorumdem usque dum ad legitimam ætatem pervenerint, suscipere, et gerere, atque omnia, et singula, quæ ad Tutores, et Curatores de Jure, usu, et consuetudine pertinent facere, et exercere possis, licentiam, et facultatem concedimus; dummodo tamen negotiis personis Ecclesiasticis a Jure interdictis nullatenus te immisceas, sed omnino abstineas. In quorum etc. datum etc.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

(89. Quo vero ad Tutelam Testamentariam, et dativam extraneorum sine Papæ, vel Sac. Congregationis Indulto Clerici ab Episcopo non dispensantur nisi pro pupillis, pauperibus, orphanis et viduis, aliisque miserabilibus personis, pro quibus, quando alius Tutor aptus non posset inveniri, possent etiam cogi, sicuti possunt etiam cogi, pro assumenda Tutela legitima consanguineorum; *cap. Pervenit* 26. *dist.* 86. *cap. Licet* 1. *c. Defensionis* 2. *dist* 87. et Glossa ibi; *cap. Decrevit* 1. *dist.* 88. et Glossa ibi; Surd. *dec.* 207. *num.* 23. Bellet. *disquisit. Cleric. tit. de Discipl. Cleric.* § 23. *num.* 2. Turreceremat. *in cap. fin. dist.* 86. Passerin. *de stat. hom. tom.* 2. *quæst.* 187. *art.* 2. *num.* 131.

(90. Quoad negotia Clericis vetita attendenda est dispositio Benedicti XIV. in Const. incip. *Apostolicæ servitutis;* ubi sub pœnis a Sacris Canonibus, et Constitutionibus Apostolicis jam fulminatis, rigorose vetat omnibus Clericis omne sæculare negotium nomine proprio, aut alieno, et sub quocumque colore, aut prætextu exercitum; et sub eisdem pœnis expresse ipsis præcipit, ut statim dimittant quodcunque negotium ipsis spectans via hæreditatis, aut quocunque alio titulo, aut separatim, aut unitim aliis, quamvis ab istis esset exercitum; et si nequeant statim illud dimittere sine gravi detrimento, mandat, quod teneantur obtinere a Sacra Congregatione Concilii, aut ab Ordinario loci expressam facultatem solum concedendam, attentis circumstantiis pro aliquo brevi congruo tempore, intra quod tamen debebit negotium exerceri indispensabiliter a Persona Laica : et si intra id temporis exerceatur a Clericis, aut eodem tempore elapso, statim non dimittatur negotium, vult dictos Clericos subjacere præfatis pœnis, et Spolio, non obstante quocunque Privilegio, et Indulto.

(91. Hic ad rem ducimus afferre novissimam Epistolam fel. record. Clementis XIII. super observantia Canonicarum sanctionum adversus Clericos negotiatores et sæcularibus negotiis sese immiscentes editarum.

Venerabilibus Fratribus, universis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habentibus

CLEMENS PAPA XIII

Venerabiles Fratres, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Cum primum incomprehensibili Pastoris æterni judicio in Beati Petri Cathedra constituti, Dominici Gregis curam suscepimus, complures audivimus Ecclesiastico zelo ferventes Viros, præsertim animarum Pastores, et Verbi Dei præcones, qui Civitates, atque Provincias peragrant, pœnitentiam populis, et morum emendationem indicentes, quorum unanimis conquestio fuit, inter abusus, et corruptelas, quas pro Ministerii sui officio notarunt, et pro viribus reformare studuerunt, reprehendendam sibi frequenter occurrisse quorumdam Ecclesiasticorum avaritiam, habendique cupiditatem. Quæ quoniam malorum omnium radix a Spiritu Sancto appellatur, nil mirum, si eos omnes, quorum semel animos imbuit, ut ut in atrociora crimina non abripiat, saltem in Dei cultu, propriæque vocationis muneribus obeundis socordes reddat, et ad sæcularia desideria conversos, mundanis addicat curis, et occupationibus, quibus abrenuntiare se publice elixerunt, quum inter sacræ initiationis mysteria, solum Deum hæreditatis suæ partem agnoscere professi sunt. Hinc etiam litigiosi necessario fiunt, atque omnia miscere parati, ne vile aliquod lucrum, sive speratum sive jam partum amittant. Hinc se ad abjecta quælibet officia, et ministeria, in gradus, et Ordinis sui dedecus, demittere non erubescunt. Quo fit, ut Laicorum plerique non eos ipsos duntaxat, qui talia agunt, sed sæpe etiam universum Ecclesiasticorum cœtum contemnunt; quia et amaro, aversoque animo sint erga illud hominum genus, quorum lites, et contentiones, ob temporalia negotia, sustinere coacti sunt, vel a quibus prærupta sibi viderunt honesta media, per quæ suæ, suorumque sustentationi consulere potuissent.

Horum relationibus, quas satis superque veritati innixas existimamus, quibusque nonnullos etiam designari censemus Regulares Viros, qui aliquando ab imposita sibi sollicitudine de temporalibus Communitatum suarum emolumentis, ultra Ecclesiasticæ moderationis fines ferri se sinunt, excitari Nos quidem intelleximus, ut Apostolica, qua immerentes fungimur, auctoritate, hujusmodi corruptelam, unde Fidelis Populus scandalum, aliique noxii consequuntur effectus, e medio tollere satageremus.

Verum quum ab ipsis Ecclesiæ incunabulis usque ad hæc nostra tempora, nihil apertius, nihil districtius aut Conciliorum Decretis, aut Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutionibus statutum legatur, nihil a Sanctis Patribus Ecclesiarumque Pastoribus frequentius, aut impensius inculcatum appareat, quam, ut Ecclesiæ Ministri, tum Clerici, tum Monachi a temporalium lucrorum cupiditate abstinere, et a sæcularium negotiorum sollicitudinibus arcere, se debeant : Cumque non solum

Digitized by Google

spirituales censuræ, sed etiam gravissimæ temporales pœnæ in eos decretæ fuerint, qui Canonicas Regulas hac in re infringere, aut violare præsumpserint; omnibus mature perpensis, nihil nobis reliquum esse judicavimus, nisi ut Vos, Venerabiles Fratres de constanti enixaque voluntate Nostra, Prædecessorum Nostrorum menti, Ecclesiæque spiritui per omnia inhærente, commonefactos, Paternis, Fraternisque hortationibus excitaremus, ut debitam Sacrarum legum observationem ab omnibus Ecclesiasticis, tam Ordinariæ Vestræ, quam Delegatæ vobis Jurisdictioni subjectis ad formam Sacrorum Canonum, et Decretorum Apostolicæ Sedis, ac respective synodalium uniuscujusque Diœcesis statutorum, exigere studeatis, ac reipsa obtinere curetis.

Ut igitur clarius innotescat perpetuum Nostrum, et Apostolicæ Sedis studium pro religiosa prædictarum Legum custodia, simulque vis omnis adimatur contrario cuilibet usui, stylo, aut consuetudini (quæ corruptelæ potius, et abusus, servata legitima vocabulorum proprietate, appellari debent) quibus Ecclesiastici quicunque criminosam suam in negotiis, curisque sæcularibus immixtionem obtegere, aut excusare contenderent, Nos, omnes, et singulas Canonicas leges, et Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, adversus Clericos negotiatores, et sæcularibus negotiis sese immiscentes, præsertim a Pio Quinto, Urbano Octavo, et Clemente Nono latas atque editas, usque ad novissimam, quam S. M. Decessor Noster Benedictus Papa Quartusdecimus sub Dat. Kal. Martii 1741. Pontificatus sui anno primo evulgavit, cum omnibus item, et singulis pœnis, atque censuris per eas respective indictis, perinde ac si decreta omnia in præmissis contenta, eorumque pœnales sanctiones, præsentibus Nostris Litteris de verbo ad verbum inserta forent per easdem præsentes approbamus, confirmamus, et innovamus; decernentes, ac declarantes, prædictis omnibus legibus, ac pœnis subjici, ac subjectas censeri debere omnes, et singulas personas Ecclesiasticas, non solum e Sæculari Clero, sed etiam e Regulari, cujuscunque sint Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti, amplissimis licet, et singularibus Indultis, Privilegiis, et Exemptionibus muniti, et cujus etiam expressam et individuam mentionem fieri oporteret; ita ut quicunque adversus hujusmodi leges deliquerint, statutas in ipsis pœnas incurrant, ac respective ab iis, ad quos pertinet, juxta casuum distinctionem et procedendi methodum alias a Tridentina Synodo, seu ab Apostolica Sede præscriptam, cum effectu multari, et puniri debeant; non obstante contrario quolibet usu, seu stylo, aut consuetudine, etiam immemorabili, quæ aliquo in loco, Diœcesi, aut Religione insolevisse dici posset: quam quidem Nos, veluti damnabilem abusum, et impræscriptibilem corruptelam, earumdem præsentium tenore, damnamus, proscribimus, et viribus omnibus vacuamus.

Deinde Vos omnes, Venerabiles Fratres, hortamur, et in Domino obsecramus, ut pro Ecclesiasticæ Disciplinæ integritate, et animarum salute advigilantes, in Clericorum omnium, Vobis tam Ordinario, quam Delegato jure subjectorum, agendi rationem sedulo inquiratis; ac, si quos forte hujusmodi avaritiæ labe infectos, adversus Canones, et Apostolicas Constitutiones peccasse comperietis, in eos, ad formam eorumdem Canonum, et Constitutionum, cum omni severitate, etiam ex officio, procedere non omittatis.

In quo sane duo Vobis magnopere cavenda erunt: Primum videlicet, ne subdolis delinquentium artibus diligentiam vestram eludi patiamini. Sæpe enim contingit, ut qui legum scita non ignorant, res suas ita fraudulenter componant, ut quatenus eorum crimen in judicium adducatur, tueri possint, se nihil contra leges ipsas admisisse. Modo enim, interposita alterius, sibi, suæque cupiditati inservientis, persona, aut alieno nomine tabulis, et rationum libris inscripto negotiationem, aut conductionem, de qua quæritur, ad se nequaquam pertinere contendere: Modo scientes intra quos fines districtior legum censura coerceatur, ita se gerere studebunt, ut si de lucrosis quæstibus a Superiore arguantur, defendere possint non se turpi cupiditate adductos, ad lucrum captandum primario animum intendisse, sed provido consilio de damno vitando unice laborantes, insperatum emolumentum fortuito temporis beneficio adeptos fuisse. Aliquando etiam non sua, sed suorum, aut sanguinis, aut alio necessitudinis vinculo sibi conjunctorum, bona negotiationibus implicita; ad eorum sustentationem, ex charitatis officio, et directionis titulo, procurare se prædicabunt.

Quamvis autem, propria etiam experientia in Episcopalis officii muneribus obeundis, satis edocti simus, quam difficile sit judicium ferre de peculiaribus quibusdam casibus, in quibus potiorem sibi partem vindicat bona, vel mala fides illius, qui de illicita negotiatione accusatur; non ideo tamen censere debetis, diligentiam vestram omni effectu vacuam fore, ubi saltem Ecclesiastici intelligant, vos minime conniventes esse super hujus gravissimi Ecclesiasticæ Disciplinæ capitis violatione. Magnum enim fructum capietis ex eo ipso, quod Vestram Ecclesiæque mentem ab obscurioribus etiam eorum prævaricationibus abhorrentem sæpius testatam facietis: iisdemque oblata opportunitate, graviter denuntiabitis, haud irrideri Deum, qui hominum renes, et corda scrutatur, nihilque apud Supremum illius Tribunal profuturas aliquando cavillationes, quibus nunc Ecclesiæ Præsulem decipere, indictasque legibus pœnas declinare satagunt. Cæterum non omnino impossibile erit latentem rei veritatem plerumque agnoscere, occultumque crimen revincere; si debita cura, atque solertia expendantur hominum mores, qui ex universo eorum vitæ tenore se produnt, rerumque, et casuum adjuncta, quæ

Digitized by Google

allatas excusationes probabilius admittendas, rejiciendasve suadent. Id quod exemplis illustrare facile possemus, nisi de Fraternitatum vestrarum sapientia, et rerum usu, quantum par est, in Domino consideremus.

Alterum vero, quod æque revera ac illud cavere debetis, est, ne pravas Canonicarum legum interpretationes, quibus earum vigor enervatur, aut indulgentia præter fas extenditur, præter mentem et spiritum Ecclesiæ, ex privatis opinionibus adinventas, et sine legitimi Superioris assensu ad proprii cujusque casus opportunitatem accommodatas, apud Vos ullo modo valere sinatis, ubi Clericorum Sæcularium, aut Regularium negotiationem, vobis Judicibus, ad trutinam revocari contingat. Si enim quæstio sit de ipsa natura contractus, qui alia in Diœcesi ab Ecclesiasticis iniri soleat, an scilicet ipsis licitus, vel potius interdictus censeri debeat; haud æquum erit pro judicandi norma accipere, vel frequentiam ipsorum actuum, de quorum natura quæritur, vel ipsa contrahentium opinionem; sed ad tollenda dubia, reprimendamque opinantium licentiam, et audaciam, expeditissima erit via recurrendi ad hanc Apostolicam Sedem, quæ sicuti alias complures hujus generis quæstiones, per organum præsertim Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilio Tridentino Interpretum definivit, ita etiam in posterum, quid de propositis casibus sentiendum sit, decernere non omittet: idoneis editis responsis, ex quibus agendi judicandique regula desumi valeat.

Quo in genere, quum acceperimus perspicuam Nostram, et Apostolicæ Sedis declarationem desiderari super eo, an Clericis liceat Cambium activum contrahere, quamvis non aliam fere rem dubitationi minus subjectam putemus, nihilominus, ad omnem causandi occasionem amputandam, præsentium Litterarum tenore declaramus, ac definimus, Cambium activum, natura sua, esse actum veræ et propriæ negotiationis, ideoque Ecclesiasticis omnibus vetitum censeri debere, tam proprio nomine, quam per interpositam personam illud contrahere: quemcumque vero e Sæculari, vel Regulari Clero Cambium activum contraxerit, omnibus obnoxium fieri pœnis, atque censuris, quæ in Clericos negotiatores constitutæ noscuntur.

Si autem Ecclesiasticorum quispiam, ad se excusandum, quod Sæcularibus negotiis se immisceat, necessitatem præferat indigentiæ, non quidem suæ (quandoquidem unicuique Clerico Canonicus Ordinationis Titulus, vel saltem congruum sufficiens patrimonium esse debet, quo se sustentet, forsan deficientibus, debet ipse honestioribus artibus, suaque professioni conformibus, propriis necessitatibus consulere), sed aut Parentum, aut Sororum, aliarumque Personarum, quibus ex naturalis officii debito opem ferre teneatur; primum volumus atque decernimus, hujusmodi excusationem a Superiore Ecclesiastico nequaquam admitti, eidemque Clerico minime suffragari posse, quominus ad Canonicæ legis præscriptum pro modo culpæ puniatur, nisi doceat, se antea præfatas necessitates Apostolicæ Sedi, si intra Italiam, et Insulas adjacentes existat, si vero in remotioribus Regionibus versetur, saltem Ordinario loci exposuisse, earumque intuitu, opportunam dispensationem, et facultatem prædictas Personas industria sua juvandi, vel ab eadem Apostolica Sede, vel respective ab Ordinario impetrasse.

Deinde pro eo, quod pertinet ad hujus Curiæ nostræ Officia, notum facimus, nostram mentem, et voluntatem esse, ut hujusmodi dispensationes, et facultates numquam concedantur, nisi cum ea conditione, quatenus adductæ causæ veritati nitantur, et non simul constet prædictas indigentias nulla alia ratione levari posse, eoque etiam casu numquam Ecclesiasticis permittatur, ejusmodi negotiationis genus assumere, cujus administratio Clericalem statum, et Characterem dedeceat; quinimo in ipsis Indultorum Præscriptis, et Litteris indicentur, ac præscribantur honestiores modi, quibus Clericus, justa moderatione servata, et intra veram indigentiæ mensuram pauperibus Consanguineis operam præstare valeat. Quæ omnia similiter Ordinarii, ad quos pertinet, in hujusmodi dispensationibus, et facultatibus concedendis observare debebunt: Hoc insuper advertentes, ne ea, quæ, vel ab ipsis, vel Apostolica Sede, peculiaribus quibusdam Clericis hoc in genere aliquando permissa, et justis concurrentibus causis, frequentius forsan indulta dignoscuntur, (exempli gratia, ut Ecclesiarum Fundos, certa annua pensione conventa, colendos, exercendosque conducerent); eadem a reliquis Ecclesiasticis, tamquam generaliter omnibus concessa, absque justa causa, et sine speciali indulto usurpentur.

Cæterum facultates ipsas, etiam ut supra dictum est, obtentas, semper quoad tempus revocationi obnoxias censeri decernimus, ita ut pro invitis, et revocatis ipso jure habeantur, quoties allegatæ conjunctorum indigentiæ cessaverint, vel alia legitima se offerat ratio iisdem opportune prospiciendi. Super quorum omnium tum executione, tum observantia, Ordinariorum localium vigilantiam atque conscientiam onerari volumus, et reipsa oneratam fore denunciamus.

Verum non uni dumtaxat negotiationi tribuenda est, quæ nunc temporis cernitur Ecclesiasticæ Dignitatis depressio. Sunt alii quidam abusus, quibus Ecclesiastici Viri proprium decorem totiusque cœtus, et ordinis existimationem eo frequentius atque securius adjicere dignoscuntur, quod eos nolunt non tam aperte adversari Literæ Sacrorum Canonum, et Constitutionum ab Apostolica Sede editarum; proindeque se censuris, et pœnis ibidem statutis nequaquam subjiciendos fore confidunt. Plurimi enim, ut ex prædictorum relatione cognovimus, in ipsa bonorum suorum administratione, eorumque cultura, in distractione fructuum, animalium, et cæterorum, quæ in propriis Ecclesiæve fundis enascuntur, seu aluntur, nec non in comparandis rebus, quæ, vel ad

Digitized by Google

proprios usus, vel ad fundos prædictos instruendos sunt necessaria, adeo indecoris actibus se ipsos exercere conspiciuntur, adeo se totos curis, et sollicitudinibus hujus sæculi deditos, ac temporalibus lucris inhiantes ostendunt, ut qui sacræ dignitatis præstantia supra humanæ conditionis sortem erecti merito reputantur, infra ipsos abjectissimi status homines sese dimittant; et qui filii lucis esse, et apparere deberent, sæculi filios terrenæ aviditatis anxietate superare videantur. Hos aiebant omnibus Nundinis, atque Mercatibus, laicali propemodum apparatu, ac specie se sistere, nec quicquam minus, quam Clericalis moderationis, atque modestiæ, vel Ecclesiastici decoris, et gravitatis, specimen præ se ferre.

Quibus Nos quidem palam edicimus, nihil per Nos interdictum iri, quod ipsis, pro recta, et provida Ecclesiastici Patrimonii administratione, quod ipsam actus naturam, permissum dignoscitur, vel etiam a Sanctis Patribus, et Ecclesiasticarum Legum Conditoribus eorum diligentiæ commendatum. Verum sicut alia complura sunt, quæ Clericis, quoad rei substantiam non prohibentur, et tamen eorum usus, sub certis dumtaxat modo, et forma, iisdem permittitur, iis autem, qui præscriptum modum excesserint, statutamque Ecclesiasticæ Disciplinæ formam violaverint, tum temporales pœnæ, tum etiam spirituales censuræ a Sacris Canonibus infliguntur, cujus rei innumera extant exempla in generalibus Canonici Juris legibus, ac etiam in peculiaribus Diœcesum statutis, quæ plura de vita, et honestate, de habitu, et tonsura Clericorum, sive observanda, sive vitanda, præscribunt: Ita Vos, Venerabiles Fratres, oportet, Ecclesiasticorum omnium, qui in Diœcesibus vestris versantur, agendi rationem circa præmissa circumspectantes, si quid Vobis constiterit frequentius ab iis admitti, quod Clericorum Statum dedeceat, non solum eos idoneis institutionibus docere, ut collatæ sibi dignitatis celsitudinem cogitantes, non sibi licere putent indecoris actibus eam deturpare, debitamque Ecclesiastico Ordini existimationem, et reverentiam, quæ etiam spiritualibus Populorum utilitatibus plurimum prodest, ex Laicorum animis abolere; utque memores se in sortem Domini vocatos esse, non tam, quæ sua sunt, quam quæ Jesu Christi, quærant, et curent. Sed præterea, quatenus opus esse noveritis, opportunis Decretis conditis, ac severioribus Edictis propositis, ejusmodi Clericorum turpitudini, et cupiditati obviam ire; ac delinquentium culpas, habita minoris, majorisque scandali ratione, nunc quidem increpando arguere, nunc autem salutaribus pœnitentiis emendare, nunc demum districto pœnarum, ac etiam censurarum gladio ad cæterorum exemplum, coercere, et punire.

Et parem quidem, vel etiam majorem Pastoralis Zeli vestri sollicitudinem, atque constantiam requirit aliud corruptelæ genus, quod plures Ecclesiasticos Viros inficere, et ab Ecclesiæ servitiis abductos, ad sæculi curas convertere accepimus. Sunt enim, qui industriam, operamque suam, quam totam Divino cultui, et proximorum utilitatibus, ex charitatis lege, impendere deberent, Laicorum obsequiis, abjectisque servitiis addicere, aliquando etiam eorum negotiis administrandis, curandisque, pro temporali, eaque satis vili mercede, locare non recusant. In quo difficile est judicare, an magis deflenda sit eorum cæcitas, qui proprii gradus dignitatem ipsi proculcant, an potius reprehendenda sit Laicorum præsumptio, qui Sanctuarii Ministros, a quibus Christianæ vitæ documenta, æternæque salutis subsidia petere deberent, tam parvipendunt, ut eos in domesticis officiis sibi dicto audientes, servilibus ministeriis adhibere non vereantur.

Verum quod altius animum nostrum sollicitat, illud est, ne forte hujusmodi malum ex alio non minus detestabili abusu profluat; quod nempe aliquibus ad clericalem statum temere aspirantibus quandoque contingat fallacibus corruptisque documentis Ordinarium suum decipere, confictoque sibi Patrimonio, cujus fructus, aut nulli sint, aut ad ipsos non vere pertingant, ad Sacros Ordines absque redditibus ad honestam vitæ sustentationem sufficientibus, promoveri. Quare ne quis vestrum miretur, Venerabiles Fratres, si hac occasione arrepta, Vos omnes, et singulos enixe hortamur, atque monemus, ut cautiores hac in re, oculatioresque vos præbeatis, ne cui Subditorum vestrorum detur ad Sacram Ordinationem obrepere, qui ex Beneficio Ecclesiastico, vel Ecclesiastica pensione, aut ex Patrimonio sibi constituto, in casibus a jure permissis, omni submota collusione, ac fraude, eam reipsa non percipiat annui redditus summam, quæ Synodalibus cujusque Diœcesis statutis, aut legitima consuetudine definita dignoscitur.

Clericos autem, et Sacerdotes in Laicorum Domibus ejusmodi Ministeriis addictos, quæ eorum gradum et professionem dedeceant, quæque eos a Divinis obsequiis, et propriæ perfectionis cultura, ad illiberalium occupationum, et sæcularium negotiorum agitationem traducant, quamtumvis honestioribus in speciem titulis susceptum servitii genus aliquando obtegere adnitantur, ne patiamini quietos in suo dedecore insordescere, aut forte obfirmatos, de sua ab Ecclesiæ castris defectione impune gloriari; sed omni Pastoralis sollicitudinis studio, et quatenus opus sit, tota Ordinariæ ac Delegatæ Jurisdictionis auctoritate, servatis servandis, eosdem ad Ecclesiasticæ vitæ instituta, et ad Clericalis Militiæ munera revocate.

Hæc sunt, Venerabiles Fratres, quæ pro Apostolici Ministerii Nostri officio, ad Ecclesiastici Ordinis honestatem, dignitatemque tuendam, et vindicandam sollicitudini vestræ suggerenda, enixeque commendanda judicavimus. Hac enim in re, qua ex peculiaribus actionum circumstantiis maxime pendet, vestras omnino partes primas esse oportet, utpote qui Subditorum Vestrorum facta, eorumque adjuncta, regionum necessitates et

Digitized by Google

personarum mores, quidque apud prudentes, et probos viros, honesti, aut indecori speciem habeat, in singulis locis præsentes constituti, et melius agnoscere, et securius æstimare potestis. Ut autem liberum Vobis sit in hoc rerum genere inordinata quæque corrigere, et reformare, quodcumque dispensationis, aut facultatis Indultum circa præmissa a quolibet Romanæ Curiæ Officio hactenus concessum, prudenti arbitrio vestro moderandum permittimus; nullum vero imposterum concedi volumus, nisi auditis prius Fraternitatum Vestrarum relationibus, et votis, adjectisque eidem Indulto ejusmodi formulis et conditionibus, per quas integrum Vobis relinquatur arbitrium de illius executione, et effectu ita cognoscendi, ut nemini Ecclesiasticorum licet, illius prætextu, Negotium ullum, aut Ministerium minus honestum, contra interdictum vestrum assumere, aut susceptum retinere, et protrahere. Interim in Pastorali zelo vestro acquiescentes, Fraternitatibus Vestris Apostolicam benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 17 Septembris 1759. Pontificatus nostri anno secundo.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(92. *Ne Clerici, vel Monachi* (ita conceptus est ipse titulus quinquagesimus et ultimus libri tertii Decretalium) *sæcularibus negotiis se immisceant.* Inter alios vero hunc titulum commentatus est Boetius Epon. (93. Consulendi etiam, ubi res postulat, sunt Granulett. *in Apologia pro Lege divina prohibente Clericis Mercaturam;* Renatus a Valle, seu Theophilus Raynaudus *in Hipparcho seu disceptat. de Religiosa negotiatione;* Lick *de Cleric. artific. et negotiator. et* Michael Grassus *de negotiat. Cleric. prohibit.* (94. Series vero negotiorum sæcularium Clericis interdictorum refertur *in c.* 1 *hoc titulo.* (95. In primis vero Clericis est interdicta negotiatio quæstuaria; *cap.* 9. *et* 10. *dist.* 88. Hæc vero negotiatio quæstuaria duplex est, vel *personalis*, vel *realis.* (96. Illa citra respectum prædiorum personis simpliciter competit, hæc autem prædiis cohæret, et jus quoddam reale et eximium, et quod cum re ad omnem possessorem transit, denotat. (97. Non prohiberi autem Clericos talia prædia possidentes jus tale reale exercere, modo decorum non lædatur, tenet Michael Grassus, *de Negotiatione Cleric. prohibita, cap.* 5. *p.* 40. (98. Quod attinet ad negotiationem quæstuariam *personalem*, eam Clerici minime exercere dicuntur, si res emant non consilio illas vendendi et lucrum inde faciendi, sed animo comparandi necessaria, et superflua vendendi. Pignatell. *consult.* 34. *n.* 19. Panciroll. *dec.* 6. *adnotat. n.* 5. *et plur. seq.*

(99. Recollectionem vero rivis in propriis puteis, ejusque venditionem lucri et compendii causa pertinere ad negotiationem quæstuariam *personalem*, et sic vetitam esse Clericis, nervose pro more firmat Lanfredin. *Respons. Ecclesiast.* 26. *per tot.*

(100. Nota vero, quod contractus a Clericis initi, qui continent negotiationem quæstuariam *personalem*, non declarantur invalidi favore debitorum, sed quæsita ex iis spectant ad Cameram Apostolicam. Rota *in Decis. Lucana Pecuniaria* 21. *Jan.* 1744. *cor. bon. mem. Peralt. et in Romana Salviani* 17. *Junii* 1748. *cor. bon. mem. Vicecomit.*

(101. Illud non est omittendum, quod sub prohibito Physicæ studio Clericis *in c.* 3. *et* 10. *tit. Ne Cleric. vel Monach. etc.* intellecta eo tempore fuit Medicinæ ars. Confer. Bohemer. *in decretal. l.* 13. *dict. tutul.* § 16 (1).

Additio ex Edit. Rom. 1767.

(102. Notarii qui inserviunt Papæ, Regibus, Archiepiscopis, Episcopis, Magistratibus majoribus, vere sunt nobiles, cum dicantur in dignitate constituti. Hi tamen cæteris Notariis in probitate in scientia et in prudentia debent præcellere. Adeoque solliciti sint, ne eorum vitio Fiscus detrimentum patiatur; *arg. text. in leg. fin. Cod. de bon. vacant.* Sed ut quisque suum teneat, et suis pacifice gaudeat, et ne de privatorum bonis diminutio fiat in familiarum direptionem ac eversionem; ne alias in seipsos, ipsorumque familias iram Dei, ac indignationem illorum, quibus inserviunt, convertant, ut advertit Imperator in severa *l. universi*

(1) Inter sæcularia negotia Clericis interdicta recenseatur etiam studium Juris Civilis, uti patet ex allatis ibidem Juris Canonici sanctionibus. Causam enatam hujusce Constitutionis Canonicæ edendæ adjecta etiam censura excommunicationis ipso facto refert Cl. Gonzalez in *Notis ad cap.* Super Specula 10. *tit. Ne Clerici, vel Mon.* ubi et personæ etiam recensentur, quibus hujusmodi studium interdictum fuit. (Etenim ad solos studentes longe verosimilius restringendam laud. Canonicam Sanctionem probat et docet etiam Gonzalez *Comment. in cap. Non Magnopere tit. laud. n.* 5.) Hinc olim, uti refert Van-Espenius *Part. I. tit.* 2. *de Vita et honest. Cleric. n.* 8. in Romana Curia expediri solebant dispensationes, quibus Presbyteris, aliisque Clericis potestas fiebat hisce studiis Juris Civilis vacandi ad solum triennium.

Ex allatis porro Juris Canonici sanctionibus haud recte quis deducet legum humanarum sive Civilium studium Clericis et Monachis esse plane interdictum: quandoquidem satis per se constat legum humanarum sive Civilium studium Clericis et Monachis esse plane interdictum: quando quidem satis per se constat legum Civilium cognitionem Theologicæ Scientiæ, illi præsertim quæ de Justitia et jure agit, plurimum conducere, atque ad Pontificiarum legum rectam intelligentiam plurimum adjumenti adfert Civilium legum peritia. Etenim quemadmodum *Leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita et Sacrorum statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur. Cap.* 1. *de Novi oper. nuntiation.*

Nullatenus ergo statui, et vocationi Clericorum adversatur legum Civilium studium, modo ea fiat moderatione, ut nec contra Apostoli præceptum Deo militantes negotiis sæcularibus implicentur.

Quapropter moribus receptum est, ut Clerici quicunque libere leges, et Medicinam sine ullo excommunicationis metu audiant, neque ullus credat sibi specialem dispensationem Pontificiam esse necessariam, ut tutus sit a pœnis Canonicis. Quod de Belgio testatur Cl. Van-Espen. *loc. cit. n.* 10. et alib. etiam idem obtinuisse videtur. (*Edit. Neav.*)

Digitized by Google

Cod. ubi caus. Fisc. Sed ad hæc evitanda eligantur viri probi, ut monet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 3. Ita Felix Tombolini *de offic. Notar. lib.* 1. a quo hæc exercenda sunt.

ARTICULUS IV.

Clericus quoad cohabitationem cum mulieribus, et quoad choreas, larvas, comœdias, et alia spectacula publica.

(1. Clerici non possunt frequentare domicilia fœminarum ; *cap. Clericus* 20. *dist.* 81. ibi : « Clericus solus ad fœminæ tabernaculum non accedat, neque frequenter properet sine majoris notæ Sacerdotis jussione. Nec solus Presbyter cum sola fœmina fabulas misceat ; nec Archidiaconus sub prætextu humilitatis, aut Officii frequenter intret domicilia Matronarum, aut forte per Clericos, aut Domesticos Matronæ mandet aliquid secrete. Si quid agnitum fuerit, et ille deponatur, et illa a liminibus Ecclesiæ arceatur. » Concordat *cap. Sed si forte* 21. *et cap. Cum omnibus* 27. *eod. distin.* 81. *et cap. Clerici* 32. *eod. dist.* 81. ibi : « Clerici, vel continentes ad viduas, vel virgines nisi ex jussu vel permissu Episcoporum, aut Presbyterorum non accedant. Et hoc non soli faciant, sed cum conclericis, vel cum quibus Episcopus, aut Presbyter jusserit, nec ipsi Episcopi, et Presbyteri soli habeant accessum ad hujusmodi fœminas, sed ubi aut Clerici præsentes sint, aut graves aliqui Christiani. » (2. Immo non solum Clericis est prohibitum frequentare domicilia fœminarum, sed insuper est eis vetitum fœminas ad sua domicilia admittere ; *cap. Hospitiolum* 17. *dist.* 32. ibi : « Hospitiolum tuum, aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant ; quia non potest toto corde cum Deo habitare, qui fœminarum accessibus copulatur ; fœmina conscientiam secum pariter habitantis exurit. » Concordat *cap. Oportet* 23. *dist.* 81. *et cap. Volumus* 24. *eod. dist.* 81. ubi sic expresse habetur : « Volumus, ut Sacerdotes prohiberi debeant, ne cum mulieribus conversentur ; » et *cap. Legitur* 25. *eod. dist.* 81. ubi refertur S. Augustinum nec cum sorore sua habitare consensisse, ibi : « Legitur quod Beatus Augustinus ne cum sorore habitare consenserit dicens : Quæ cum sorore mea sunt, Sorores meæ non sunt ; » et *cap. inhibendum* 1. *de cohabitat. Cleric. et Mulier.* ibi : « Inhibendum est, ut nullus Sacerdos fœminas, de quibus suspicio esse potest, retineat, sed neque illas, quas Canones concedunt, Matrem, Amitam, et Sororem, quia, instigante Diabolo, et in illis scelus perpetratum reperitur, aut in pedissequis earumdem, sed si qua de his necessitatem habuerit, Presbyteri habeant in vico, aut in villa domum longe a sua conversatione, et ibi eis, quæ sunt necessaria, subministrent. » (3. Quotiescumque enim Mulieres, quæ cum Clericis cohabitare permittuntur, sunt aliquo modo suspectæ, non tantum extraneæ et famulæ, sed etsi consanguineæ sint, separandæ sunt, et arcendæ ab illorum domibus, licet sint senilis ætatis. Nicol. *lucubrat. Canon lib.* 3. *tit.* 2. *de cohabitat. Clericor n* 1. Sacr. Cong Episcop. *in Senogallien.* 13. *Febr.* 1619. *et in Ferrarien.* 7. *Junii ejusdem anni*, in qua famula erat ætatis annorum 66.

(4. Sinistra autem suspicione cessante, licitum est Clericis, et a Jure concessum, in domo sua retinere rei domesticæ gratia, seu ob aliud honestum motivum, Matres, Avias, Materteras, Amitas, Sorores, Filias Fratrum, aut Sororum, aliasve stricto naturali fœdere sanguinis conjunctas, textu expresso *in cap. Cum omnibus* 27. *dist.* 81. ibi : « Cum omnibus omnino Clericis extraneæ fœminæ non cohabitent, sed solæ Matres, Aviæ, Materteræ, Amitæ, Sorores, et Filiæ Fratrum, aut Sororum, et quæcunque ex familia domestica necessitate, etiam antequam ordinarentur jam cum eis habitabant ; vel si filii eorum, jam ordinatis parentibus, uxores acceperint, aut servis non habentibus in domo quas ducant, aliunde ducere necessitas fuerit. » Concordat *cap. Interdixit* 16. *dist.* 32. ubi Sancta Synodus Nicæna quibuslibet Clericis interdixit « subintroductam habere mulierem, nisi forte, aut Matrem, aut Sororem, aut Amitam, aut etiam idoneas personas, quæ fugiant suspiciones. » Et *cap. A nobis* 9. *de cohabitat. Clericorum et Mulierum* ibi : « Cum Clericis quoque non permittas mulierculas habitare, nisi forte de illis personis existant, in quibus naturale fœdus nihil permittet sævi criminis suspicari. » (5. Quinimo cessante suspicione, nedum licitum est Clericis domi retinere supradictas fœminas sibi conjunctas naturali fœdere sanguinis, sed etiam alias extraneas pro re domestica sibi valde utiles, et necessarias ; *citat. cap. Interdixit*, ubi Sancta Synodus Nicæna præter Matrem, Sororem, etc. permittit Clericis habere etiam *idoneas personas, quæ fugiant suspiciones ;* et Glossa ibi verb. *Idoneas* istud exemplificans in uxoribus servorum suorum, *cit. cap. Cum omnibus* 27. *dist.* 81. Quibus addi possunt mulieres quæ sunt provectæ ætatis ; *arg. cap. Cum in juventute* 15. *de præsumptionibus.* (6. Ætas autem provecta, in qua cessat omnis aliena sinistra suspicio, et mulier, seu famula alias bonæ famæ, et honesta præsumitur cohabitare posse cum Clerico sine periculo incontinentiæ, est ordinarie ætas quinquaginta annorum, ut notat Monacell. *tom.* 1. *tit.* 6. *formul.* 2. *num.* 1. (7. Dicitur autem notanter *ordinarie* esse ætatem quinquaginta annorum, ad denotandum posse interdum dari famulas, seu Mulieres tantæ bonæ famæ, et virtutis, ut etiam in minori ætate nullum relinquant sinistre, et male suspicandi locum. Sicuti e contra possunt dari interdum aliæ, quæ licet in dicta ætate, aut simili, vel etiam in majori constitutæ, adhuc relinquant, seu præbeant, sinistre suspicandi locum. (8. Et ideo, ut refert Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiast. univers. cap.* 40. *num.* 39. « conquerente apud Sacram Congregationem Cardinalium negotiis Episcoporum, et Regularium præpositorum Presbytero Jacobo Sanctissimo in sexagesimo ætatis, suæ anno constituto,

Digitized by Google

Episcopum Senogalliensem, ut famulam ætatis quadraginta annorum removeat, sibi injunxisse, » eamdem Sac. Congregationem supplicavit, « ut Oratorem hac de causa molestria minime permittat : » Sac. vero Congr. *die* 15. *Februarii* 1619. » eumdem Jacobum parere debere respondit. Idem censuit in una Ferrariensi die 7. Junii ejusdem anni contra Presbyterum Joannem Baptistam Rebellum annorum 64. et ejus famulam annorum 66. »

(9. Unde remittitur prudentiæ, et vigilantiæ Episcoporum, ut attenta ætate, qualitate, et morum honestate tam Clericorum quam Mulierum, seu famularum eis concedant, vel interdicant cohabitationem, prout eis melius in Domino expedire videbitur. (10. Possunt enim Episcopi de Jure prohibere Presbyteris et Clericis, ne domi retineant famulas, nisi fuerint ab ipso approbatæ, et absque sua licentia. Sed hanc concedendo debent illam gratis expedire, ne unquam pusillis occasio detur dubitandi Sacros Canones cohabitationem cum Clericis prohibuisse, ut exinde Episcopi quæstum faciant, ut monuit Sac. Congreg. Episcop. et Regul. *Episcop. Bergomensem* 22. *Novembr.* 1593. (11. Dato autem quod mulier esset Presbytero, seu Clerico conjuncta in gradu consanguinitatis de Jure permisso, tunc non videtur imponenda necessitas licentiam ab Episcopo impetraudi, etiamsi retineatur cum qualitate famulatus, ut censuisse videtur Sac. Congreg. Conc. *in Cæsenaten. Synod.* 26. *Febr.* *et* 26. *Mart.* 1695. (12. Dummodo tamen non sit suspecta, quia in tali casu ob periculum incontinentiæ non posset retineri, etiamsi esset sibi stricto fœdere sanguinis conjuncta ; *ex d. cap. Inhibendum* 1. *de Cohabitatione Cler. et Mulier.* ibi : « Inhibendum est, ut nullus Sacerdos fœminas, de quibus suspicio esse potest, retineat, sed neque illas, quas Canones concedunt, Matrem, Amitam, et Sororem, quia instigante Diabolo, et in illis scelus perpetratum reperitur ; » et declaravit Sac. Congr. *deputata in Vigilien. Synodi* 20. *Maii* 1699. *ad* 16.

(13. Clerici non possunt Choreas, aut Saltationes ducere, nec ubi ducuntur publice interesse. Conc. Senonense *cap.* 25. ibi : « non se admisceant Choreis publicis, tripudiationibus, aut saltationibus, non turpes, amatorias, aut lascivas depromant cantilenas, seu cantationibus faveant, aut adsint. » Concil. Mogunt. IX. *c.* 74. ibi : « Choreas spectaculaque, et Convivia publica vitent, ne ob luxum, petulantiamque eorum nomen Ecclesiasticum male audiat ; » Conc. Mediolanens. I. *part.* 2. *cap. His igitur, dist.* 23. *cap. Non oportet, dist.* 5 *de consecr.* Conc. Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. *de reformat.* et Sacr. Congregat. Episcop. et Regularium, *in Ferrarien.* 5. *Februar*, 1585. (14. Clerici non possunt personati incedere, seu larva, aut ut vulgo dicitur *Maschera* se tegere ; *cap. Cum demum* 12. *de vita et honestate Clericor.* c. *Nullus, dist.* 44. *c. Nullus Presbyterorum, dist.* 5. *de consecr.* Concil. Mediolanens. 1. *part.* 2. *tit. de armis, ludis* etc. (15. Et hinc est, quod talis prohibitio potest ab Episcopo extendi etiam ad Regulares, prout laudando Episcopum Ferrariensem respondit Sac. Congreg. Episc. et Regul. 5. *Febr.* 1585. et Sac. Congregat. Conc. *in Mantuana* 10. *Aprit.* 1645. declaravit posse etiam in Clericos incedentes personatos tempore bacchanalium imponi ab Episcopo pœnam Excommunicationis. (16. Clerici vitare tenentur Comœdias, Hastiludia, et alia hujusmodi vana spectacula. *Authen. de Sanctissim. Episcop.* § *Interdicimus cap.* 1. *dist.* 37. *cap. Non oportet distinct.* 5. *de Consecr. cap. Cum duorum* 12. *et cap. Clerici Officia* 15. *de vita ethonest. Cler. cap.* 2. *Ne Clerici, vel Monachi, cap. inter dilectos, de excessibus Prælat.* Non igitur licet Clericis interesse Comœdiis, dum ut plurimum sint de rebus lascivis, turpibus, et amoribus mundanis, provocantes auditores ad malum, et libidinem ; ac Spectatores suo accessu, et præsentia causam afferant scenicis turpia agendi ; et ob id plurimi ex classicioribus Doctoribus docent, mortali peccato obnoxios esse, et qui Comœdias exhibent, et qui ad eas accedunt, ut plurimis ad hoc cumulatis refert Pignatell. *tom.* 8. *consult.* 153. *per tot.* acriter invehens in Comœdiarum Actores, et Spectatores. (17. Nec ullo modo possunt Clerici recitare in Comœdiis profanis ; et contra recitantes in ipsis posse Episcopum statuere pœnam Excommunicationis ferendæ sententiæ, declaravit Sac. Congreg Conc. *in Sulmonen.* 22. *Aug.* 1655. (18. Nec mimis, Joculatoriis, et Histrionibus intendere debent ; *text. expresso in cap. Clericis Officia* 15. *de vita et honest. Cler.* ibi : *Mimis, Joculatoribus, et Histrionibus non intendant.*

(19. Et quoad hæc attendenda est sequens novissima Epistola, qua Vicario Capitulari Aquilano jussu Summi Pontificis mandatur, ut Sacerdotibus, et Clericis ejusdem Civitatis inhibeat, ne in Comœdiis cujusvis generis interlocutorum partes agant.

E pervenuto a notizia della Santità di Nostro Signore, che in cotesta Città sia per recitarsi una Commedia in Musica, nella quale intendano d'intervenire per Interlocutori alcuni Sacerdoti ; e se bene la Santità Sua difficilmente si persuade, che voi, quando seriamente riflettiate alle Calamità universali, ed anco particolari di cotesta Città, non vi possiate indurre a permettere a'Sacerdoti, e Chierici, che compariscano ne'Teatri, e Rappresentanze, le quali appena si tolerano nelle persone Laicali, essendo ciò vietato da'Sagri Canoni, e dalle Risoluzioni di questa Sagra Congregazione, tuttàvia ha stimato distrettamente ingiungere, che proibiate in nome di Sua Beatitudine sotto gravi pene a'Sacerdoti, e Chierici d'intervenire, come sopra, in alcuna sorta di Commedie, o Rappresentanze, benchè Sagre, o Spirituali. Non mancherete per tanto d'obbedire al Supremo comando di Nostro Signore ec. E Dio vi prosperi ; Roma 31. Ottobre 1706.

ADDITIONES AUCTORIS.

(20. Clerici a profanis bacchanalium licentiis specialiter abstinere jubentur. Bened.

Digitized by Google

XIV. *tom.* 2. *Constit.* 45. incip. *Inter cætera in fin.*

(21. Clerici, ut jam tradidi in hoc *art. n.* 16. vitare omnino tenentur Comœdias, hastiludia, et alia hujusmodi vana spectacula, qua in opinione eo magis firmor, quia suffulta irrefragabili mente Benedicti XIV, qui in suo admirabili, semperque commendabili, omni rationum pondere, omni Scripturarum, Canonum, et Patrum auctoritate omnique eruditionis cultura suo more referto Opere *de Synodo Diœcesana, lib.* 11. *cap.* 10. *n.* 11. absolute asserit, temere nimii rigoris censuram appingi Synodali Statuto, quo Ecclesiastici a choreis, comœdiis, aliisque spectaculis longe abesse jubentur; et *num.* 12. nimis laxam pronunciat doctrinam a me *loco cit.* (in prima editione) subjunctam sub *num.* 17. « Verum si Comœdiæ audiantur ob solam vanam curiositatem, absque probabili periculo lapsus etiamsi res turpes repræsententur, et modus repræsentandi sit turpis, probabilius est, non esse peccatum mortale, cessante scandalo, quod modo videtur cessare, et non esse, quia frequentissimum est Clericos Comœdiis interesse. » Cui propterea ex animo, omni filiali veneratione summas, quas possum gratias rependo, et ob tantum mihi aliisque præstitum documentum, et ob gratam censuram, per quam me insuper absolvit ab alia censura, qua notabar nimiæ rigiditatis tum in consiliis, tum in exercitio Sacramentalium Confessionum.

Verum, ut de me fatear, quod est, fateri cogor, non ut alios incusem, (quod a me Deus semper avertat) sed dumtaxat, ut me excusem, dicta doctrina non est mea, quamquam alioqui mea, ut phrasi utar S. Joannis Damasceni *Oration.* 1. *de Virgin. Mariæ Nativit.* recitari solita quotannis lect. 6. in Festo S. Joachim Hanc enim accepi ab Augustino Barbosa Protonotario Apostolico, Sacræ Congregationis Indicis Consultore, Episcopo Ugentino, et a consiliis D. Philippi IV. Hispaniar. Regis Catholici, qui *lib.* 1. *Juris Ecclesiastici universi cap.* 40. *num.* 60. sic præcise habet: « Verum si Comœdiæ audiantur ob solam vanam curiositatem, absque periculo probabili lapsus, etiamsi res turpes repræsententur, et modus repræsentandi sit turpis, ego puto non esse peccatum mortale, cessante scandalo, quod existimo modo non esse, quia frequentissimum est Clericos comœdiis interesse. » Non obstat probatio ex *d. cap. pen de vita, et honestat. Cleric.* quia secundum Innocent. ibi est sermo tantum de honestate, vel quod verius credo cum Cajetano *in Summ. verb. Clericorum peccata*, ille textus non obligat sub mortali, cessante scandalo, et contemptu. Quare ita resolvunt Fr. Emmanuel. *in Summ. tom.* 3. *cap.* 71. *num.* 1. Joannes Salas *in* 1. 2. *tract.* 3. *disput.* 6. *sect.* 24. *n.* 165. Paulus Squillant. *de oblig. Cleric. part.* 2. *n.* 45. Gallet. *in Margarita cas. conscient. verb. Comœdia;* Sanch. *de Matrimon. lib.* 9. *disp.* 46. *num* 41. Bonacin. *d. tract. qu.* 4. *punct.* 9. *n.* 22. *Diana resolut. moral. par.* 2. *tract.* 3. *Miscell. resol.* 35. *et part.* 5. *tract.* 13. *Miscell.* 1. *resol.* 18. Lezana *in Summ. qq. Regular. c.* 10. *num.* 7. Illustriss. D. Roder. a Cunha *in comm. ad c.* 7. *n.* 3. *diss.* 86. Ego ipse *in collect. ad cap. penult. n.* 3. Hæc ille.

(22. Item a Sanchez *tom.* 3. *de Matrim. lib.* 9. *disp.* 46 *num.* 41. ibi: Ex his infertur primo, quamvis comœdiis interesse non sit mortale, ubi nec res turpes repræsentantur, nec modus repræsentandi est turpis, vel si hæc concurrant, audiuntur ob solam vanam curiositatem, absque periculo probabili lapsus in aliquod peccatum mortale. At quando turpia repræsentantur, vel modus est turpis, audiunturque ob delectationem ex ipsis turpibus rebus consurgentem, modo expósito *num.* 39. aut cum probabili ruinæ periculo, est lethale, quod ex ibi dictis constat. Quod si roges, an saltem Clerici in Sacris constituti peccent mortaliter, si illis intersint ob illam solam curiositatem? Respondeo, non peccare lethaliter, cessante scandalo, quod hodie cessare credo, cum frequentissimum sit, Clericos illis interesse. Nec obstat prohibitio *cap. Clericis, in* 2. *de vita, et honestat. Cleric. et cap. Non oportet* 2. *de consecr. dist.* 3. *et cap. Præterea dist.* 51. Quia si credimus Innocentio *dict. cap. Clerici num. unico*, est tantum de honestate; vel (quod verius credo) dicendum est cum Cajetano *Summ. verb. Clericorum peccata, ad finem*, non obligare sub mortali, cessantibus scandalo, et contemptu. Sic ille ad literam.

(23. Item a Diana *locis inibi citatis, et tom.* 7. *coordinat. tract.* 5. *resol.* 26. *num.* 2. ibi: « Tamen si audiantur ob solam vanam curiositatem, absque periculo probabili lapsus, etiamsi res turpes repræsententur, et modus repræsentandi sit turpis, ego puto non esse peccatum mortale. » Et ad id citat Bonacin. Squilla t. Sanchez, Alphonsum de Mendoza, Joann. Salas, Lorcam, et Azorium. Deinde *num.* 3. subjungit: « Quæ quidem opinio non solum tenenda est quoad sæculares, sed etiam quoad Clericos, non enim peccant mortaliter, cessante scandalo, quod puto non esse, quia frequentissimum est, Clericos comœdiis interesse. » Neque ob id sæculares ad peccatum moventur, nam eodem modo audirent comœdias, licet Clerici abessent, et cum eodem detrimento, si quod patiuntur. Nec obstat prohibitio *cap. Clerici* 2. *de vita, et honestat. Clericor.* quia secundum Innocentium *in dict. cap. Est tantum de honestate;* vel quod verius credo cum Cajetano *in Summ. verb. Clericorum peccata*, ille textus non obligat sub mortali, cessante scandalo, et contemptu. Deinde contraria consuetudine videtur abrogatum. Et sic hanc opinionem sequuntur Sanchez, Rodriguez, et Salas *ubi supra*, et novissime Paulus Squillante *de obligatione Clericorum part.* 2. *num.* 45. Martinus Bonacina *de Matrimon. q.* 4. *punct.* 9. *n.* 22. et alii. Sic ipse expresse.

(24. Item a Bonacina *tom.* 1. *de iis, quæ pertinent ad usum Matrimonii, quæst.* 4. *punct.* 9. *Tertia propositio num.* 21. ibi: Tertio, utrum interesse comœdiis sit pecca-

Digitized by Google

tum mortale ? Nam si comœdiæ turpia repræsentent, est peccatum mortale illis interesse cum delectatione rerum narratarum, vel cum periculo delectationis vel alterius peccati gravis. Non est vero peccatum mortale interesse comœdiis ob solam delectationem in verbis, quæ ob solam vanam curiositatem audiuntur. Ita Sanchez *n.* 42. Filliucius *n.* 210. *et* 212. et alii communiter. Et *sub num.* 22. subjungit? Si quæras, utrum Clerici, qui assistunt comœdiis, peccent mortaliter? respondetur, secluso scandalo, vel alio periculo peccati, non peccare mortaliter. Ita Sanchez *lib.* 9. *disput.* 46. *n.* 42. Filliucius *n.* 212. Verum tamen est, Ecclesiasticos debere ab hujusmodi nugis abstinere; nam prohibitum est illis interesse; *de consecrat. dist.* 5. *cap. Non oportet* 2. *cap. Clerici* 2. *de vita, et honestat. Clericor.* Nihilominus istæ prohibitiones non obligant sub mortali, ut notat Sanchez cum Cajetano. Hæc ille præcisis verbis.

(25. Item a Busembaum *lib.* 3. *part.* 1. *c.* 2. *dub.* 1. *num.* 8. ubi sic præcise tradit : Verba turpia, lectio obscœnorum, spectatio comœdiarum turpium, cantiones inhonestæ, gestus, litteræ, et dona amatoria, si tamen fiant ex curiositate, vel vano solatio, non sunt mortalia; secus tamen si fiant, vel animo inhonesto, sive venereo, vel cum periculo ruinæ spiritualis sui vel aliorum.

(26. Item a Gobat. *tom.* 2. *tract.* 5. *cap.* 23. *n.* 198. *et* 199. ibi : Si vero illæ turpes cantilenæ ideo solum canantur, quia delectant, vel ut delectent, et sic hilariter transeunt, vel transeant, non sunt ut sic peccata mortalia, sed tantum venialia, valde periculosa, inquit Cajetanus *loc. citato* (nempe 2. 2. *q.* 148. *art.* 6. recte id probans, tum ex Scriptura, tum ex Patribus, tum ratione, ut ipsum legenti patet). Et generaliter locutio de rebus turpibus facta solum ob voluptatem, quæ præcise oritur ex ipsa narratione, absque interiore intentione ipsarum rerum (addo, aut voluptatis venereæ) non excedit veniale. Filliucius *tract.* 30. *n.* 200. Unde non peccant mortaliter, qui turpes cantilenas audiunt præcise ob delectationem, quam adfert prolatio illorum verborum, aut ex levitate, aut ex curiositate; Filliucius *loc. cit. num.* 219. Ita ipse expresse.

(27. Consimiliter tradit Augustinus de Gabrielis Lector Capuccinus in Theologia Morali novissime impressa Pisauri 1747. *t.* 3. *tract.* 11. *q.* 3. *num.* 492. ubi sic præcise concludit : Dico ergo primo : Audiens cum delectatione carmina turpia mortaliter peccat; si vero ea audit absque prava intentione, ac sine ullo lapsus periculo, venialiter... Probatur secunda pars. Qui audit turpia sine prava intentione, et periculo lapsus, solum indecenter se gerit, sed hæc indecentia non est tanti momenti, quod per eam Deus velit damnare audientem ; ergo solum venialiter peccabit. Dico secundo, interesse comœdiis obscœnis, et spectaculis turpibus, plerumque ob periculum labendi in aliquam delectationem turpem, est peccatum mortale. Si absit hoc periculum, veniale... Probatur secunda pars. Ubi abest prorsus hoc periculum, interesse spectaculis, est mera curiositas contra verecundiam, sed hæc curiositas nequit dici mortalis, ergo, etc.

(28. Idem docet Clericatus, *dec. Sacram. tom.* 3. *c.* 73. *n.* 23. ubi sic expresse habet : Quær. An verba turpia, lectio obscœnorum, spectatio comœdiarum turpium, cantiones inhonestæ, litteræ, aut dona amatoria sint peccata mortalia ? Respond. cum distinctione, si fiant ex sola curiositate, sine periculo pollutionis, aut consensus in Venerem, sunt venialia ; secus vero censentur mortalia

(29. Nec desunt alii, ultra inibi allegatos, brevitatis gratia missi, qui in eamdem, ut eruditis compertum, consentiunt, præsertim in hypothesi, ubi concurrant quatuor illæ conditiones, restrictiones, seu modificationes, quibus limitata adest dicta propositio, nempe : « comœdiæ audiantur ob solam vanam curiositatem, absque probabili periculo lapsus, cesset scandalum, et frequentissimum sit Clericos comœdiis interesse, » quibus conditionibus non concurrentibus, habetur pro non posita propositio, cum conditionalia nihil ponant in esse, nisi purificatis conditionibus, *arg.* §. *Sub conditione* 4, *instit. de verborum obligationib. L. Hoc jure utimur* 8, *et ibi addit. margin. ff. de verbor. obligationib. L. Quia autem* 6. § *final. ff. Si quis omissa causa testament. L. unica* § *Si autem. Cod. de caducitatibus tollendis cap.* 1. § *final. de sponsalib. in* 6. *Clement.* 1. *de concession. præbend.* Suspenditur enim eorum valor usque ad eventum conditionum; *L. Legata sub conditione* 41. *ff. de condit. et demonstrationib. Cap. Si vero pro te, et ibi Glossa si ad id. de Rescript. in* 6. *cap.* 1. § *final. de sponsalib. in* 6. *Clement.* 1. *de concession. præbend.* cum similibus.

(30. Ad quorum sequelam movebar potissimum ex iis, quæ tradit S. Thomas *quodlib.* 9. *q.* 7. *artic.* 15. *in corp. ibi :* « Respondeo dicendum, quod omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur.» Quod et confirmat 1. 2. *q.* 107. *art.* 4. *in corp.* provida hac sua, et S. Augustini *epistol.* 119. *cap.* 19. *circa fin. tom.* 1. monitione : In iis, quæ ex institutione Sanctorum superaddita sunt præceptis Christi, et Apostolorum, *esse moderationem attendendam, ne conversatio fidelium onerosa reddatur.* Et ex dicto Aragonii *in* 2. 2. *quæst.* 83. *artic.* 12. *in titulo* 30. *conclus.* 3. ibi : « Certe videtur durum, et a Christiana Charitate alienum, mittere aliquem in Infernum, et dicere, quod peccet mortaliter sine evidenti, et certa ratione. » Unde et Gobat *tom.* 1. *tract.* 3. *casu* 21. *num.* 702 *et* 703. habet : « Mihi displicet asseri aliquid esse peccatum etiam veniale, et consequenter extare aliquod præceptum, quando non habetur sufficiens fundamentum. Et longe magis horreo, noxam lethalem asserere, nisi vel clara ratio, vel auctoritas irrefra-

Digitized by Google

gabilis cogat. » Quod similiter asserit *tr.* 5. *casu* 23. *n.* 723. *in fin.*

(31. Sed quidquid de illis, prævio recessu a sequella ipsorum, quod scripsi *loc. cit. n.* 17 *et* 18. (prioris edition.) expunctum penitus volo, et sistendum edico tantummodo in scriptis inibi *n.* 16, 19, 20 *et* 21, captivans omnimode intellectum in obsequium tantæ Lambertinianæ Pontificiæ opinionis, malens ipsum præ cæteris aliis in omnibus, et per omnia sequi, uti et in istis secutus fuissem, et nedum scripto, sed nec animo contraire ei ausus fuissem, si dum ea scriberem præ manibus habuissem suas mirabiles Notificationes, eruditissimum dictum Opus de Synodo Diœcesana, et prope divinum suum Bullarium firmiter mecum reputans, inoffenso posse pede procedere, si tantum Doctorem, tantumque Pontificem, ac peculiarissimum meum Benefactorem (utpote ab ipso Summis Apostolicis Gratiis cumulatus) pro Duce, pro Magistro, et Canone habendum censuerim. Et oh! faxit Deus, ut nedum ego, sed et omnes pari animo, submissione, et veneratione tantum cœlitus datum sanioris Doctrinæ Instructorem, firmioris Juris Conditorem ac summe vigilem Ecclesiæ Catholicæ Moderatorem plane sequantur, et imitentur.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(32. Tria *titul. Decretal. de cohabitat. Clericor. etc.* prohibentur Clericis : 1. Consortium cum fœminis, quas olim vocabant Sorores, Agapetas, aut extraneas mulieres; 2. Conversatio suspecta cum mulieribus, et quod caput rei est, 3. Concubinatus.

(33. Prohibitio consortii Clericorum cum Agapetis continetur *cap.* 1. *dicto tit.* Eas Justell. *ad cap* 3. *Concil. Nicæn.* describit : « Erant neque Uxores, neque Concubinæ; sed tertii cujusdam generis Mulieres, quas secum Clerici non sobolis, nec libidinis gratia, sed pietatis studio aut certe prætextu fovebant (1). »

(34. Interdicta præterea est Clericis omnis suspecta conversatio cum mulieribus extra domum, quod variis Conciliorum Canonibus exornat Claudius Espencæus *lib.* 6. *de Continent. cap.* 12. « Nemo (ait Symmachus Papa in cap. 2. dist. 81.) enim recte Personam majoris suscipit, nisi qui actibus suis errata condemnat, et amorem innocentiæ conversatione demonstrat. » (35. Cæterum hoc intelligendum de conversatione frequentiori, et ex aliis causis suspecta, quod ex moribus Clerici, tum vita anteacta mulieris, æstimandum.

(36. De variis prohibitionibus Concubinátus Clericis factis consule Bohemer. *in decretal. lib.* 3. *tit.* 2 *fer. per tot.* (37. Hic vero ommittendum non est, Episcopos adversus Clericos concubinarios procedere debere servato ordine præscripto a Conc. Trid. *sess.* 22. *c.* 6. *et sess.* 25. *cap.* 14. *de reformat.* (38. quo, ut monet clariss. P. Girald. *in Elench. Decretal. ampliat. a Sacr. Concilio Tridentino Elench.* 3. *lib.* 3. *tit.* 2. ampliata, et respective moderata fuit Decretalis in *cap.* 2. *de cohabit. Clericor.* infligens Clerico in sacris suspecto de fornicatione cum quacumque fœmina pœnam excommunicationis latæ sententiæ post trinam monitionem. Ordo autem hic sequens est.

(39. Monendi in primis et quidem monitione speciali in personam sunt, etiamsi notorii sint. (40. Quare non sufficit generalis per edictum, aut in Synodo facta. (41. I. Licet alias hæc trinæ monitionis vim habeat. II. Si ita moniti non abstinuerint ipso facto, privati sunt parte tertia fructuum quorumcumque, et pensionum, quæ Fabricæ Ecclesiæ, aut alicui Loco Pio arbitrio Episcopi applicatur. (42. III. Si perseveraverint in eodem delicto cum eadem, vel alia fœmina, nec paruerint secundæ monitioni, eo ipso amittunt fructus omnes Locis Piis applicandos, et insuper ab administratione suorum Beneficiorum, quandiu Ordinario videbitur, debent suspendi. (43. IV. Si ita suspensi nihilominus non abstineant, privandi sunt perpetuo beneficiis, pensionibus, et officiis Ecclesiasticis quibuscumque, ac inhabiles ad ea in posterum assequenda debent declarari. (44. V. Si etiam ita puniti non resipiscant, excommunicationis gladio sunt plectendi. Rota *in Placen. Parochiæ* 9. *Decembr.* 1743. § 9. *cor. bon. mem. Lan.* et et in confirmatoria 15. *Jun.* 1744. § 8. *cor. cl. mem. Millin.*

(45. Simplex vero Clericus concubinarius, vel fornicarius punitur pœna carceris, vel suspensionis ab Ordine, ac inhabilitatis ad beneficia obtinenda, ut pariter monet P. Girald. ubi supra.

(46. Nomine vero Clericorum, concubinariorum, contra quos ita procedere potest, et debet Episcopus, intellige eos, qui concubinam, vel domi suæ, vel etiam extra illam alibi instar uxoris continue retinent. Cæterum Clerici, qui simplicem incontinentiam commiserint, non possunt ita plecti; ut tradunt DD. *in titul. decretal. de cohabit. Clericor.* Zypæus *n.* 6. Pirhing. *n* 14. Schmalzgrueb. *n.* 9.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(47. Concilium Nicænum vetuit cohabitare Clericos cum mulieribus subintroductis. Sunt autem Mulieres subintroductæ Latinis, quæ Græcis συνείσακτοι. Ex versionibus Concilii Nicæni patet, Mulieres subintroductas, esse Mulieres extraneas. Prohibitionem hanc Concilii Nicæni confirmarunt alia Concilia.

(48. Plures sane quæstiones proponit, at-

(1) Vide, si libet, Ludovicii Antonii Muratori Dissertationem de Synisactis, et Agapetis *in Mantissa Dissertat. ad Part. III disciplinæ Populi Dei* Claudii Fleury. Confer Prosperi Cardinalis Lambertini *Institution.* 82. *et* 83. in quibus agitur de Parochis, et Sacerdotibus, qui habitant cum mulieribus, vel consanguineis, et recensentur rationes, quibus abuntur et Viri Ecclesiastici, et Mulieres, quæ ipsis inserviunt. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

que resolvit Cornelius Sa *judicii œcumenici par.* 3, de hac cohabitatione Clericorum cum Mulieribus extraneis.

(49. Solum hic nos duas exscribemus, nimirum quæstionem decimam nonam et quæstionem vigesimam primam. Quæstio decima nona ita concepta est, an omnes extraneæ senes sint Clericis permissæ. Respondeo, debent esse minime suspectæ de vita anteacta. Et cum servitutem partiti simus in primam a quinquagesimo anno, quæ est viridis, et cruda usque ad 60 annum, in mediam usque 70 annum, et in curvam atque decrepitam a 70, usque ad finem vitæ, dic Clericis nullo modo permissas extraneas senes nondum sexagenarias. Primo quia minores sunt adhuc crudæ virides, et robustæ. Et porro fœdus illud naturæ nec dum initum, vel percussum. Secundo quia supradicti Auctores qui senes permittunt, requirunt multum antiquas, seu vetulas, idest quasi victas, et cariosas, juniores autem sexaginta annis non possunt dici multum antiquæ vel vetulæ. Tertio quia minores 60 annis non excusantur a jejunio, etc., quarto supra monstratum est ex Julio Claro sexagenarios et ultra tamquam adhuc robustos, et fortes Judicum sententia tormentis subjici; ex quibus omnibus elicimus, quod intendimus omnium calculo fœminas senes minores sexaginta annis generaliter esse non victas, sed vegetas, et porro virere, vigere, et robustas esse, et consequenter Clericis periculosas. Alia affert argumenta Auctor hic ad probandum, quod intendit, et argumenta contraria solvit. Eum consule ubi res postulet.

(50. Transeo ad quæstionem vigesimam primam, cujus tenor est.—An extraneæ mulieres deformes possint Clericis ancillari? Respondeo illas deformitatis titulo nullo jure, vel autore permitti. S. Cyprianus *de singularitate Clericorum* prope finem illas vetat. « Nulla despecta ad domesticum obsequium est suscipienda, *inquit*, quia cupidini nulla deformitas, nulla despectio fastidio vel vilis existit, quia Diabolus pingens speciosum efficit quidquid fœdum vel horridum fuerit. » Memini me nuper ex ore cujusdam Illustrissimi Archiepiscopi audivisse, Maritum Uxoris pulcherrimæ consuetudinem habuisse cum turpissima Ancilla. Et experientia magistra novimus, ob deformitatem, modo corpore, et mente sanæ sint, nullas a matrimonio repudiari, sed omnes suos respective reperire consortes Conjugii, et tritum apud Belgas nullam ollam tam obliquam, quin reperiatur ei suum congruum, et proportionatum coperculum.

Alias quæstiones, ne nimius sim lege apud ipsum Autorem.

(51. Alia ad rem. Vid. in verb. *Comœdiæ* per tot.

ARTICULUS V.

Clericus quoad ludos, cauponas, vel tabernas, crapulam et ebrietatem.

(1. Clericis est severissime prohibitus alearum, seu taxillorum ludus, et maxime ille ludus, qui magis fortuna, quam arte, vel industria ludentium regitur; ut habetur expresse *ex Can.* 41 *et* 42 *Apostolorum*, ubi in transgressores, nisi desistant, statuitur pœna depositionis, aut excommunicationis, ibi: « Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui vel aleæ, vel ebrietatibus indulget, vel desinito, vel deponitor. Subdiaconus, aut Cantor, aut Lector, qui consimilia facit, vel desinito, vel a Communione sejungitor. » Concordat *c. Episcopus* 1. *dist.* 35. ibi: « Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ, aut ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur. Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor similia faciens: aut desinat, aut communione privetur; » *c. Clerici Officia* 15. *de vita, et honest. Cler.* desumptum ex Conc. Generali Later. celeb. sub Innoc. III. ibi: *Clerici . . . ad aleas, vel taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint;* Conc. Trid. *sess.* 22. *c.* 1 *de ref.* ubi renovat antiquas prohibitiones, quas Ecclesia circa hoc Clericis statuit, et præcipit, ut adhuc severius puniantur, si necesse fuerit, illi qui reperiuntur his prohibitionibus non paruisse, ibi: « Statuit Sancta Synodus, ut quæ alias a Summis Pontificibus, et a Sacris Conciliis de Cler. vita, et honestate... aleis, lusibus... copiose, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum, iisdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur. » Concilium Burdigal. celebratum 1583, ludum sic Clericis interdicit: « Ab alea, tesseris, Chartis, et quovis alio vetito, et indecoro ludo tum privatim, tum publice penitus abstineant. » Concil. Senonense celeb. 1528. *Can.* 15. sic præcipit: « A ludo alearum, aliisque, qui a sorte pendent, abstineant, neque ludentium fautores, spectatores, aut testes existant. Conc. Mediolan. I, par. 2, tit. de armis, ludis, etc., ubi S. Carolus sic statuit: Nec solum ludere vetamus, sed eos ludorum spectatores esse nolumus, aut quemquam ludentem in ædibus suis permittere.» (2. Immo non solum Legibus Ecclesiasticis et Canonicis est ludus prohibitus Clericis, sed etiam Legibus Cæsareis, et Civilibus, ut expresse habetur *in Authent. Interdicimus Cod. de Episcopis, et Clericis*, ibi: « Interdicimus Sanctissimis Episcopis, et Presbyteris, Diaconis, et Lectoribus, et omnibus aliis cujuslibet ordinis venerabilis Collegii..... ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes esse, aut inspectores fieri..... Si quis autem ex his in hoc deliquerit, jubemus hunc tribus annis a venerabili Ministerio prohiberi, et in Monasterium redigi (1). »

(1) Canonica disciplina ab ipso prope sui exordio, et deinceps semper succedentibus annis Clericis suis interdixit lusui alearum, aut hujusmodi ludis interesse, iisque spectatores sese præbere. Hoc satis aperte evincit Cl. Auctor noster productis ex omni ætate Ecclesiasticis sanctionibus. Legi etiam poterit hac de re Natalis Alexand. in *de Sacram. Ordinis Lib. II. cap.* 5. *de vita, et Honest. Cleric. Regul.* 4.

Digitized by Google

(3. Quare ex tam multiplici rigida prohibitione, simulque adjunctis pœnis, nonnisi pro peccato mortali imponi solitis communiter colligunt Doctores, quod Clericus lucri gratia, et pro notabili quantitate taliter ludens, peccet mortaliter, præsertim si frequenter aut publice cum scandalo aliorum id fiat. Navarrus *cap.* 20. *Manual. num.* 9. Sylvester *verb. Ludus q.* 4. Layman. *l.* 3, *Theolog. moral. tract.* 4. *cap.* 21, *n.* 1. Pirhing. *l.* 3. *dec. tit.* 1, *n.* 25. Reiffenstuel *ibid. n.* 58, et alii. (4. Secus vero esset dicendum, si privatim, ac sine scandalo ex bonis patrimonialibus, aut etiam ex redditibus Beneficiorum suorum, sed solum in quantitate modica spectato statu suo, et redditum copia, recreationis causa luserit, præsertim cum nostris hisce temporibus rigori antiquorum Canonum per consuetudinem derogatum videatur. Tum quia Canones relati loquuntur de illis, *qui aleæ, et ebrietati deserviunt*, idest, crebro, et per longum tempus ludunt, seu lusui hujusmodi *valde serviunt*, ut explicat Glossa in *cit. c. Episcopus d.* 35. *verb. deserviens*, Lessius *l.* 2, *de Justitia, et Jure cap.* 26. *dub.* 1. *num.* 5 *et* 6. Reiffenstuel, Pirhing et Layman. *loc. cit.* (5. Qui Layman *ibid. num.* 2. insuper addit, Clericos ludentes raro, et moderate ob recreationem, omnino excusari a peccato, si Lex Diœcesana ipsis non prohibeat tales fortunæ ludos, et consuetudo loci permittat, ac quodammodo cohonestet. Pirhing *loco citato*. Monacell. *tom.* 3. *tit.* 2. *formul.* 6, *num.* 6. (6. Ludum autem Scacchorum seu latrunculorum non esse prohibitum Clericis, tenent Abbas *in cap. Clericis* 15. *de vita, et honest. Cleric. n.* 4. Jo. Andr. *ib. n.* 18. Barbosa *ibid. n.* 8. et alii ab ipso citati; ubi idem Barbosa de Scacchorum, seu latrunculorum ludo sic subjungit: « Qui quidem latrunculorum ludus licet ingenio constet, non multum tamen literatis hominibus convenire arbitramur, quod mentem jam literarum studiis fatigatam recreare magis cessatione, et quiete, quam novo meditationis labore gravare oporteat, » ut etiam advertit Joann. Baptista fin. de regul. Jur. hom. 22, in fine. (7. Sic etiam est Clericis permissus omnis ille ludus, qui consistit in ingenio, aut virtute corporis. Farin. *in praxi Criminal. part.* 3. *q.* 109. *num.* 103 *et* 106. Bellet. *disquisit. Clerical. part.* 1. *titul. de disciplina Clerical.* § 24. *num.* 8 *et* 9. Barbosa *loc. cit. num.* 7. et alii. (8. Quantum autem ad ludos, ut supra prohibitos nempe alearum, et taxillorum, aliorumve, qui non recreationis gratia frequentantur, advertendum est, quod merito Clericis prohibentur, eo quod ex illis plura nascuntur inconvenientia, quæ recenset Archidiaconus *in cap. Episcopus dist.* 35. Primum est desiderium lucrandi, et sic est cupiditas, quæ est radix omnium malorum. Secundum est voluntas spoliandi proximum, et sic est rapina. Tertium usura quoque consideratur.

qui hoc ipsum omnium cumulatissime demonstrat. Qua quidem in re tria nobis advertenda ad majorem claritatem operæ pretium duximus. I. In confesso est apud omnes alearum nomine intelligendum lusum quemcumque, etiam chartarum, qui magis fortunæ innitatur, quam industriæ, et ingenio, quod sane haud ægre fatebitur quisquis notionem vocis *aleæ* apud Latinos perpendet, quæ designat incertum eventum. Unde illud Horatii *periculosæ plenum opus aleæ; aleam jacere*, aliaque id genus. Lege Van-Espenium *Part. I. tit. II. de Vita et Honest. Clericor. cap.* 5. II. Ecclesiasticis legibus, immo et imperatoriis, uti Justiniani *Novell.* 123. *cap.* 10. *de Sanctissim. Episcop. et Cleric.* æque damnantur, ac pœnis afficiuntur Clerici ludentes hujusmodi lusibus ac si fuerint eorumdem *inspectores, ac participes*. Spectatores porro, si proprie loqui velimus, aut ex sententia Canonum, non ii sunt intelligendi, qui scientes ac volentes non adeunt hujusmodi domus, aut societates, in quibus alea luditur; aut in iis forte non morantur eo fine, ut hujusmodi lusibus intersint: sed qui ex condicto, deliberata voluntate, absque necessitate, eo se conferunt, ubi alea luditur, et hujusmodi spectaculo avidos pascant oculos, quo Deus offenditur; qui ludentibus favent, iisque applaudunt, qui eorum cupiditate afficiuntur: qui denique sua præsentia hujusmodi ludis auctoritatem conciliant, quos omnes æque graviter peccare, ac ipsosmet ludentes extra omnem dubitationis aleam esse debet. Lege Natal. Alexandr. *In Append.* adtexta ad suam Theologiam *tom. I. Epist*, 3. *de Peccat. Cleric. aleæ ludentium*, et ubi hoc ipsum adversus Anonymi cujusdam scrupulos, qui hanc sanioris Ethices Regulam vellicare ausus fuerat, copiosius demonstrat. III. Quantum ad cæteros porro ludos, qui non illiciti reputantur, quique non a casu, sive fortuna, sed ab industria dependent, illos interdum ad animi levamen, quo suis obeundis muniis acrius, ut par est, intendere possint, etiam a Clericis posse adhiberi, nemo inficias ire poterit. Hujusmodi enim ludi, si congruant *personæ, tempori, et loco, et secundum alias circumstantias debite ordinentur, ut scilicet sint tempore, et homine digni*, non solum omni prorsus vitio vacant, sed etiam ad genus virtutis pertinere possunt, quam D. Thom. 2. 2. *qu.* 168. *Art.* 2. in corp. Aristotilem secutus *Eutrapeliam* vocat. Lege D. Thom. *loc. cit.* Et de cautionibus servandis a Clericis in hujusmodi lusibus, lege Van-Espen *loc. cit.*

Demum, ut Auctoris nostri doctrina proposita *n.* 3. magis illustretur, neve alienis interpretationibus in pravum sensum detorqueatur; placuit hic referre D. Antonini auctoritatem, unde propositum sub hoc num. doctrinæ caput mirifice confirmatur. Itaque S. Antoninus *Part. II. tit.* 1. *cap.* 23. docet inter cætera ludum aleæ esse peccatum mortale: *Quando ex cupiditate quis ludit, ea scilicet principaliter motus, non ob recreationem, sed ad acquirendum quid notabile per ludum. Nam ludere quid modicum, ut pueri faciunt, vel ob recreationem, et moderate, non videtur mortale.... Et hoc etiam videtur innuere textus Canonis:* Episcopus, *dicitur enim:* deserviens, *id est frequenter deditus ludo, quod fit communiter ex cupiditate.* Hoc tamen non ita intelligendum esse monet, quasi mortale peccatum non sit alea ludere, nisi ex consuetudine fiat; sed quia frequentia, et assiduitas vehementis cupiditatis indicium est. Cæterum vel semel taxillis, aut cartis etiam uti antea dictum est, ludere ex cupiditate lucri notabilis, lethale peccatum est. *Sicut etiam*, prosequitur D. Antoninus, *vitium ebrietatis, cui ludus æquiparatur in pœna, etiam semel commissum advertenter, est mortale.* Quædam alia non minoris momenti, quæ in hanc rem dici possent, discutientur opportunius, cum ad ver. *ludus* perventum fuerit. *(Ed. Neap.)*

Digitized by Google

Quartum multiplicata mendacia, et verba obscœna, otiosa, et vana. Quintum blasphemiæ, et ita hæresis. Sextum corruptio maxima plurimorum, qui ad ludum videndum, et concupiscendum conveniunt. Septimum scandalum bonorum. Octavum contemptus prohibitionis Sanctæ Matris Ecclesiæ. Nonum amissio temporis, et interdum (adde tu) desperatio. (9. Unde P. Ribadeneira *in vita S. Francisci de Borgia cap.* 5. dicit, ludo tria pretiosa amitti tempus scilicet, pecuniam, et devotionem, ac sæpe conscientiam.

(10 Clerici cauponas, vel tabernas, nisi longioris itineris causa ingredi prohibentur; *c. Non oportet* 2. *cap. Nulli Cler.* 3. *et cap. Clerici* 4. *Dist.* 44. *in quorum ultimo* sic præcise statuitur : « Clerici edendi, et bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. » Concordat *Can.* 13. *Apostol.* ubi sic decernitur : « Si quis Clericus in cauponas cibum capere deprehensus fuerit, a communione excludatur, excepto tamen qui necessario in itinere in commune diverterit hospitium ; » et c. Clerici Officia 15. de vita, et honestate Cleric. ubi sic expresse habetur : « Et tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. » (11. Et tanto minus eis tabernas habere licet ; si enim eas ingredi prohibentur, multo magis in ipsis ministrare aliis vetantur, textu expresso *in cap. Nulli Clerico* 3. *dist.* 44. ibi : « Nulli Clerico tabernam, aut ergasterium habere liceat, si enim eas ingredi prohibentur, multo magis aliis ministrare in ea. Si quis vero tale quid fecerit, aut cesset, aut deponatur. » Concordat *Clement.* 1. *de vita, et honest. Cleric.* ibi : « Diœcesanis locorum districte præcipimus, ut Clericos carnificum, seu macellorum, aut tabernariorum officium publice, et personaliter exercentes nominatim, et tertio moneant, ut sic ab hujusmodi Officiis intra convenientem terminum monentium ipsorum arbitrio moderandum desistant, et quod ipsa nullo unquam tempore reassumant. » (12. Tales Clerici si ter personaliter moniti non desistant, vel deinde reassumant, tunc si sint Clerici conjugati, omni carent privilegio Clericali solum in rebus, dum incedunt ut Clerici ; et si incedant ut Laici, carent etiam privilegio Clericali in personis eo ipso, et quamdiu in præmissis perstiterint ; textu claro *in d. Clement.* 1. ibi : « Qui si taliter moniti ab ipsis non destiterint, aut ipsa (ut præmissum est) exercendo reassumpserint quandocunque, conjugati omnino, non conjugati vero in rebus, et si omnino incedant ut laici, in personis, privilegium Clericale, quamdiu præmissis institerint, eo ipso amittant. » (13. Quod tamen procedit, si hujusmodi artes exerceant per se, et personaliter, secus si per alium. Ita Gloss. verb. *publice et personaliter in dict. Clement.* 1. Duaren. *reg.* 69. *vers. limita tertio* ; Menoch. *de arbitr. caus.* 413. Perez *lib.* 3. Glossa 1. *pag.* 96. *tom.* 4. *lib.* 8. *ord.* Azeved. *lib.* 15. *n.* 2. *tit.* 7. *novæ recop.* Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccles. univers. c.* 40. *n.* 74. (14. Per tabernas autem, et cauponas intelliguntur domus, in quibus panis, vinum, et carnes coctæ, et alia hujusmodi venduntur. Ita Gloss. *verb. Tabernariorum in dict. Clem.* 1. *de vit. et honest. Cleric.* Rebuff. *in leg. Tabernæ appellatione* 183. *ff. de verb. signific. pag.* 96. Cardinal. Tusch. *pract. conclus. tom.* 8. *lit. V. Conclus.* 1. Barbosa *de appellatione verborum utriusque Juris signific. appel.* 257. *n* 1.

(15. Crapula, et ebrietas sub gravissimis pœnis usque ad suspensionem ab Officio, et Beneficio est Clericis interdicta. *Canon.* 41 *et* 42. *Apost. cap. Episc. dist.* 35. quorum verba relata sunt supra *num.* 1. *cap. A Crapula* 14. *de vita, et honest. Cleric.* ibi : « A crapula et ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant, unde vinum sibi temperent, et se vino ; nec ad bibendum quispiam incitetur, cum ebrietas, et mentis inducat exilium, et libidinis provocet incentivum. Unde illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores ; et ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat et calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a Superiore commonitus satisfecerit, ab Officio, et Beneficio suspendatur. » Concordat Concil. Trid. *sess.* 22, *cap.* 1 *de reform.* sub eisdem pœnis per antiquos Canones statutis, et etiam majoribus arbitrio Ordinarii infligendis abstinentiam a comessationibus, et ebrietatibus injungens, ibi : « Statuit Sancta Synodus, ut quæ alias a Summis Pontificibus, et a Sacris Conciliis de Clericorum vita, et honestate... luxu, comessationibus ... copiose, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis observentur. » (16. Et merito sunt statutæ tam rigidæ pœnæ contra Clericos crapulæ, et ebrietati deservientes, cum ex Concilio Agathensi relato *in cap. Ante omnia* 9. *dist.* 35. ebrietas sit omnium vitiorum fomes, et nutrix, ibi : « Ante omnia Clericis vetetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, et nutrix est, *et juxta cit.* c. A Crapula : Ebrietas, et mentis inducat exilium, et libidinis provocet incentivum : *adeoque suadeat Apostolus* ad Ephse. 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria ; *et Salvator ipse* Luc. 21, *præcipiat :* attendite vobis, ne forte graventur corda vestra a crapula et ebrietate, » cum sit maxima Dei offensa ; propter quam ebriosi Regnum Dei non possidebunt ; 1. *ad Cor.* 6. utpote *quorum Deus venter est*, ut scribit Apostolus *ad Philippen.* 4. (17. Unde contra hanc cibi, et potus immoderantiam vehementer declamat S. Hieronymus relatus in *cap. Ne tales* 28. *et cap. Legimus* 29. *dist.* 5. *de consecr.* ex quo talis immoderantia valetudinem lædat, morbos accrescat, et vitam ipsam abrumpat, juxta illud Ecclesiastici 37 : « In multis escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad choleram ; propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adjiciet vitam. » (18. Observandum tamen est, quod hic in sensu Sacrorum Canonum aliud est crapula, et aliud est

Digitized by Google

ebrietas. Crapula enim est excessus cibi, seu immoderata voracitas, et ingluvies, qua stomachus prægravatur; *Cap. Ne tales* 28. *dist.* 5. *de consecr.* dicit enim lex : « *Ex nimia ingurgitatione olet os;* l. Quod clarum § Is cui, ff. de ædil. edict. *Glossa* in cap. Cum Apostolus, de censibus in verb. sumptuosas. » (19. Dicitur autem *Crapula* quasi *cruda epula.* Glossa *in d. cap. A Crapula, verb. Crapula*, quia homines ita voraciter epulantes nimiamque ciborum superfluitatem ingurgitantes, perfecte non digerunt, sed materiam indigestam emittunt; *cap. Sint tibi* 18. *et cap. Ne tales* 28. *dist.* 5. *de consecr.* (20. Ebrietas vero est excessus vini, et immoderata potatio, et sic distinguunt Glossa 1. in *cap. A Crapula* 14. *de vita et honest. Cleric.* et ibidem Hostiens. *n.* 1. Joann. Andeas *n.* 4. Butrius *n.* 8. Ancharan. et Abb. *n.* 1. Fagn. *n.* 9. et alii. Sed Aristoteles *in Problem.* in eo distinguit crapulam ab ebrietate, quod ebrietas una cum mente adimit et sensum doloris, crapula vero constante animo caput afflictat. (21. Dicitur autem ebrietas ab *E* quod est sine, et *bria* quod est mensura; unde ebrius dicitur, qui sine mensura bibit, hoc est usque ad privationem usus rationis. Ita Glossa *in d. c. A Crapula, verb. Crapula.* (22. Unde licet hæc omnibus prohibeantur, præcipue tamen damnantur in Ecclesiasticis, et Dei servitio mancipatis; *cap. Vinol.* 6. *dist.* 35. ibi : « Vinolentum Sacerdotem et Apostolus damnat, et vetus lex prohibet. Sacerdotes, qui ministrant in templo Dei, prohibentur vinum et siceram bibere, ne crapula, et ebrietate aggraventur corda eorum. » (23. Nec Clerici debent bibere ultra tertiam vicem, ut dicit textus *in cap. Quando presbyteri* 9. *dist.* 44. ibi : « Et maxime ultra tertiam vicem poculum non contingant. » Unde Lucius Apuleius *Florid.* 1. Prima, inquit, cratera ad sitim pertinet, secunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad insaniam; sed in hoc spectanda est qualitas complexionis, et temporis, et omnia ad sobrietatem, et necessitatem sunt reducenda, ut recte advertit Marian. Soccin. *in cap. Si constiterit num.* 19. *vers. Tertio quoties sit bibendum, de accusationibus.* Licet enim Navarrus *in Manual. cap.* 25. *n.* 111. dicat, quod Clerici ultra tertiam vicem bibentes peccent, tamen secundum rectum sensum Abbat. *in cit. cap. A Crapula n.* 2. *verb. Nam debet Clericus*, est sic tenendum, dummodo appetitus naturalis ultra non exigat.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(24. An lusus schaccorum referendus sit ad ludum aleæ, Clericisque sit prohibitus, non conveniunt Doctores. (25. Dubium nascitur ex eo quod ingenii magis quam fortunæ ludus esse videatur. Qui licitum eum faciunt, quatuor observari volunt requisita. I. Ut ad oblectamentum non ad lucrum ludus instituatur. II. Ut non magnum temporis spatium insumatur, ne a rebus sacris abstrahantur. III. Ut aliorum, et præsertin sæcularium aspectus evitetur. Et IV. Ut profanos viros in eo socios non admittant (26. At Angelus *de Malefic.* *pag.* 333, et Navarr. *in Manual. Confess. cap.* 20. *sub num.* 3. eum Clericis interdictum volunt, quum ad latrunculos istos artificiose versandos exigatur ea ingenii contentio, ac prolixitas temporis, ut ad animos potius defatigandos, quam relaxandos aptus videatur, et qui vincitur numquam non male se habet.

ARTICULUS VI.

Clericus quoad arma, et venationem.

(1. Clerici sine justa et necessaria causa arma deferre non possunt; « cap. Nimirum 1. Cap. Cum a Judæis 2. cap. Non pila 3. capit. Clerici quæ. 15. cap. Quicumque ex Clero 6. caus. 23. quæst. 8. cap. Clerici arma 2. de vita, et honestate Clericor. cap. In audientia 25. de Sentent. Excommunic. et Clement. 1. de vita et honestate Clericor. in fin. » ibi : *Arma portantes.* (2. Quinimmo est Clericis prohibitum arma deferre sub pœna Excommunicationis; textu claro in *dicto cap. Clerici arma portantes . . . excommunicentur.* (3. Unde inferunt Doctores, quod Clerici arma prohibita deferendo peccent mortaliter, quia Excommunicatio non fertur nisi pro gravi crimine; *cap. Nemo Episc. cap.* 14. *Caus.* 11. *q.* 3. ibi : « Quia Anathema æternæ est mortis damnatio, et non nisi pro mortali debet imponi crimine. *Concordat* cap. Nullus Sacerdotum 42, eadem caus. et quæstione. » (4. Et ratio, quam communiter reddere solent Doctores, est, quia Clericorum arma, et munimenta debent esse Orationes, et lacrymæ, ut inquit S. Ambrosius *ad Marcellinam sororem Epist.* 33. et refertur *in c. Convenior.* 21. *caus.* 23. *q.* 8. ibi : « Lacrimæ meæ mea arma sunt, talia enim sunt munimenta Sacerdotis. » Idemque S. Ambrosius relatus *in cap. Non pila* 3. *caus.* 23. *q.* 8. ibi : « Orationes, et lacrimæ fuerunt mihi arma adversus Milites, talia enim sunt munimenta Sacerdotis, » et colligitur ex Divo Hieronymo in *Levitico*, et relato *in cap. Si quis* 3. *dist.* 36. et ex Joanne Summo Pontifice *in cap. Porro* 14. *caus.* 16. *q.* 3. (5. Sed quoad hoc, et omnia quæ faciunt ad delationem armorum, vide verb. *Arma* ubi late per totum.

(6. Venatio frequens, et voluptuosa præcipue cum armis, et clamorosa, est Clericis interdicta; *cap. Episcopum* 1. *de Clerico venatore*, ibi : « Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum canes, aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit; si Episcopus est, tribus mensibus a communione, si Presbyter duobus; si Diaconus ab omni officio suspendatur; » *cap. Omnibus* 2. *eodem tit.* ibi : « Omnibus Servis Dei venationes, et silvaticas fatigationes cum canibus, et accipitres, aut falcones habere interdicimus. » Conc. Lateranense IV. *Can.* 15. sub Innocentio III. his verbis : « Venationem, aut Aucupationem universis Clericis interdicimus; *et Concil. Trident.* sess. 24. cap. 12. de reformat. *ubi præcipitur, ut Clerici* ab illicitis venationibus, et aucupiis absti-

Digitized by Google

neant. » (7. Venatio enim, quæ fit cum canibus, et falconibus propriis ex voluptate, dicitur clamorosa, et illicita; ex citat. *cap. Episcopum* 1. *et cap. Omnibus* 2. *de Cleric. venat.* Difficile enim est, quod hæc venatio non sit illicita Clericis, si canes, qui ad venandum retinentur, ex bonis Ecclesiæ nutriantur. Nam cum bona Clericorum sint pauperum, aut Ecclesiæ, et consumi non possint, nisi in usus pios, non erit leve delictum, si comedant bestiæ, quod Christi pauperes alere deberet. Passer. *de stat. homin. tom.* 2. *qu.* 187. *art.* 2. *num.* 293. ubi expendit textum Evangelii *Matth.* 15. « Non est bonum sumere panem filiorum, et dare canibus. » (8. Unde jure merito observat S. Hieronymus, quod et notare, et trepidare deberent omnes Clerici venatores, quod venatores fuisse Sanctos non legitur. Sic refertur in *cap. Quorumdam* 1. *dist.* 34. ibi : « Nam et B. dicit Hieronym. venatorem numquam legimus sanctum; et cap. Esau 11. dist. 86. *ibi :* Esau venator erat, quoniam peccator erat, et penitus non invenimus in Scripturis Sanctis Sanctum aliquem venatorem. » (9. Nec minus urgent, quæ contra vitium venationis declamat Sanctus Ambrosius relatus *in cap. Quid prodest* 12. *dist.* 86, ibi : « Quid prodest jejunare visceribus, et luxuriare venatibus, abstinere cibis, et errare peccatis? » Et in *cap. An putatis* 13. *eod. dist.* 86. ibi : « An putatis illum jejunare fratres, qui primo diluculo non ad Ecclesiam vigilat, non Beatorum Martyrum loca Sancta perquirit, sed surgens congregat servulos, disponit retia, canes producit, saltus, silvasque perlustrat? Servulos, inquam, secum pertrahit, fortasse magis ad Ecclesiam festinantes, et voluptatibus suis peccato accumulat aliena, nesciens reum se futurum tam de suo delicto, quam de perditione servorum. »

(10. Unde neque Episcopis licet arma concedere Clericis pro sola voluptuosa venatione, quia ex Sacra Congregatione Immunitatis fuit declaratum, licere Episcopis concedere Clericis licentiam gerendi arma solum cum legitima causa juxta Sacros Canones, ut *in Carinolen.* 2. *Jul.* 1647. *Decret. Paul. pag.* 14. his verbis : « Episcopo licere licentiam concedere Clericis gerendi arma ad præscriptum Sacrorum Canonum, illaque non posse comprehendi sub bannimentis laïcalibus; et in Bellocast. 18. Junii 1658. lib. Decret. Rocci pag. 92. his verbis : Episcopus cum legitima causa juxta Sacros Canones potest concedere Clericis licentiam gerendi arma, nec illi comprehenduntur sub bannimentis Laicalibus. » (11. Adeoque cum ex supradictis aperte constet extra casus itineris, et necessariæ defensionis ab hostibus, et latronibus, Clericos arma deferre, et præsertim pro voluptuosa venatione, esse contra, et non juxta Sacros Canones, stat evidenter, quod Episcopi nequeant licite pro ista sola causa eis licentiam concedere arma gestandi; et consequenter Episcopi, concedendo Clericis licentiam deferendi sclopum venatorium, non sunt immunes a culpa, quia potestate, quam dedit illis Deus in ædificationem, ipsi abutuntur in destructionem contra præceptum Apostoli 2. *ad Corinth. cap.* 18. *et c.* 13. (12. Nec excusari possunt Episcopi prætextu, quod Canonum rigor abierit in desuetudinem, et quod contrarius fere ubique hodie invaluerit usus; quia talia opponentibus aptatur responsio Innocentii III. data Archiepiscopo Turonensi contra aleatores, qui se excusabant prætextu consuetudinis, *in cap. Cum inter dilectos* 11. *de excessibus Prælator.* his verbis : « Nos tamen, qui ex Officii nostri debito pestes hujusmodi extirpare proponimus, atque ludos voluptuosos, occasione quorum sub quadam curialitatis imagine ad dissolutionis materiam devenitur, penitus improbamus excusationem prædictam, quæ per pravam consuetudinem (quæ corruptela est) palliatur, frivolam reputamus, cum in illis magis plectibilis sit offensa, per quos ad excusandas excusationes in culpis, delinquendi auctoritas usurpatur. » Et concordat *cap. Ad Audientiam nostram* 3. *de consuetudine*, ubi sic expresse habetur. *Consuetudo quæ Canonicis obviat institutis, nullius debet esse momenti.* (13. Et etiam quia talis excusatio improbatur hodie a Sacro Concilio Trident. *sess.* 22. *c.* 1. *de reform.* præcisis, et formidandis his verbis : « Statuit Sancta Synodus, ut quæ alias a summis Pontificibus, et a Sacris Conciliis de Clericorum vita, et honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus ac quibuscumque criminibus, nec non sæcularibus negotiis fugiendis copiose, et salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis observentur. Nec appellatio excusationem hanc, quæ ad morum corruptionem pertinent, suspendat. Si qua vero ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quam primum in usum revocari, et ab omnibus accurate custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas Deo vindice pœnas persolvant. »

(14. Et per hoc Patres *In Concilio Mediolanensi I. part.* 1. *tit. de armis, ludis, et spect. pag.* 18. una cum S. Carolo congregati sic absolute decreverunt : « Idcirco edicimus, ne Clerici arma cujusvis generis ferant; quod si Episcopus probabili justaque de causa id eis permittendum judicaverit, tunc scripto impetrata venia, ipsis uti liceat, non tamen publice, nisi rei, aut facti necessitas postulet : omnino balista, hastis, et sclopeto, aliisque hujus generis instrumentis uti ipsis interdicimus. » (15. Et sic etiam censuit Sac. Congreg. Immunit. *in Ostunen.* 6. *Jul.* 1697. in qua cum Clerus Terræ S. Viti illius Diœcesis recursum habuisset ad dictam Sacram Congreg. pro moderatione Synodi, in qua inter cætera *in tit. de vita et honestat. Clericor.* statutum reperiebatur sic : *Ne quis gestare audeat, seu afferre arma non prohibita offensiva, videlicet Pistole, Terzette, Archibugi seu Schiopette, Spade*, etc., *ed altre armi offensive, sub pœna exilii ab hac Civitate, et*

Digitized by Google

Diœcesi per quinquennium, etc. Et cum Eminentissimus Cardin. Casanata, cui dictæ Synodi revisio commissa fuerat, votum dedisset ita conceptum : *Episcopus gratis, et discrete licentiam concedat ;* facta relatione in plena Congregatione sub dicta die prodiit resolutio : *Servetur decretum Synodi prout jacet.* (16. Nec valet objicere, quod non desunt Doctores tum Canonistæ, tum Theologi, qui sustinent esse licitam Clericis delationem sclopi venatorii pro sola voluptuosa venatione. Non valet, inquam, quia præcipui Doctores, qui admittunt, Clericis aliquando recreationis gratia licitam esse venationem, intelligunt de venatione quæ exercetur, et fit cum retibus, laqueis, et hujusmodi sine strepitu, et clamore, ut patet ex propriis ipsorum verbis, quorum varia hic ad uberiorem notitiam subnectimus. Abbas *in cap.* 1. *de Clerico Venatore n.* 1. *lit. C.* six expresse habet : « Quædam vero est venatio, quæ fit cum retibus, seu laqueis, et licita est Clericis, dummodo frequenter non insistant ; » Sylvester in Summ. verb. venatio sic habet : « Ponere autem laqueum, vel rete sine strepitu, et clamore, et Canibus, licet etiam Clericis ; » Hostiens. in Summ. tit. de Clerico venatore, n. 2. ait : « Licet enim Clericis causa necessitatis, utilitatis, vel recreationis cum retibus, laqueis, et canibus venari, dommodo cum silentio et modestia ; » Bertacin. repert. in verb. Venatio vers. 3. circa fin. dicit : « Quædam est venatio, quæ fit cum rete, seu laqueo, et licita est Clericis, dummodo frequenter non insistant : » Turrecremata in cap. Quorumdam Dist. 34. num. 9. sic habet : « Alia venatio, quæ fit cum retibus, et laqueis forte licita est Clerico, quia non fit cum clamore, nec emittuntur voces ; » et in cap. Qui venatoribus dist. 86. num. 3. in fin. sic inquit : « Venatio cum laqueis, et Pedicis atque retibus clericis etiam est licita, dummodo cum silentio, et modestia fiat ; » Graff. dec. aur. par. 2. lib. 3. n. 9 sic concludit : « Venatio cum laqueis, et pedicis, atque retibus, et canibus Clericis etiam est licita, dummodo cum silentio et modestia fiat ; » Barbosa Juris Ecclesiast. univ. lib. 1. cap. 40. num. 79. sic asserit : « Postremo Clericis non licet canes habere, vel accipitres ad venandum ; nec venationes facere periculosas, seu clamorosas, veluti aprorum, et cum armis ; » Gonzal. commentar. in cap. 1. de Clerico Venatore sic adducit : « Venatio silvatica, aucupatica, saltuosa, de qua in præsenti agitur, est dum armis, canibus, seu avibus quis animalia terrestria, seu aves aucupatur, et ratio prohibitionis ea est, quia plerumque fit armis ; » et num. 8. refellendo objectiones concludit, quod venatio hæc in Clericis sit usus improbus ; Sebastian. Medic. tract. de venat. part. 1. quæst. 8. num. 18. sic firmat : « Venatio vero quæ fit cum rete, aut laqueo, licita est Clericis, dummodo frequenter non insistant ; » Diana part. 3. tract. 6. miscellan. resolut. 19. sic dicit : « Sed ego puto cum Panormitano, venationem Clericis recreationis causa non esse prohibitam, dummodo non sit clamorosa, sed modesta, nempe cum retibus vel laqueis. »

(17. Et sic fere omnes Canonistæ consimili sensu, quamvis non iisdem verbis, cum quibus et nos concludimus, quod quamvis non sit licita Clericis venatio voluptuosa, tumultuosa, et clamorosa, et moderata nimis frequenter facta, ut usque modo diximus ; est tamen eis licita venatio quieta, et moderata raro facta, et non pro sola voluptate venationis, sed vel causa necessitatis ad tollendas feras noxias vineis, segetibus, etc., vel causa utilitatis, ut dum ex tali venatione partem redditum, vel alias fructum notabilem percipiunt, vel causa honestæ recreationis, seu distractionis pro tuenda, et recuperanda sanitate. (18. Sic Gloss. *in cap. Episcopum* 1. *de Clerico Venatore, verb. voluptate,* ibi : « Ergo videtur, quod causa necessitatis, vel recreationis licitum sit, quod possit concedi aliis Clericis excepto Episcopo, cui omnino non licet ; dist. 34. cap. 1. dummodo clamorosam venationem evitent. Dist. 86. cap. An putatis, et non sæpius, ut hic, (scilicet in *d. cap. Episcopum*) dicit *ne in consuetudinem perducant* ; » et sic etiam tenent communiter Doctores, et in specie Abbas *in d. cap. Episcopum* 1. *de Clerico Venatore num.* 1. et ibi Hostiens. et Barb. *num.* 2. Sylvester *verb. Venatio ;* Menoch. *consil.* 121. *num.* 50. Sebast. Medic. *de venat. piscat. et aucup. p.* 2. *quæst.* 7. *num.* 17. Bellet. *disquisit. Cleric. p.* 1. *tit. de Disciplina Cleric.* § 19. Bernard. *in pract. cap.* 79. *per totum, secundum novissimam impressionem,* Sayr. *in Clavi Regia lib.* 11. *cap.* 9. *n.* 7. Rebell. *de obligat. justit. part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 14. *num.* 9. Pirhing. *lib.* 5. *Decretal. tit.* 24. *num.* 3. Reiffenstuel *ib. num.* 5. Th. Valasc. *allegat. Juris tom.* 1. *alleg.* 21. *num.* 13. ubi refert ad hoc Constitutiones Synodales Diœcesium Brachar. Ulyssipon. Elbor. Colimb. Visen. et Lamacen. Martha *de Jurisdict. part.* 4. *cas.* 57. *a num.* 17. ubi advertit, Clericos *per d. c. Episcopum* non esse regulariter prohibitos venari, sed tantum si ad voluptatem venati fuerint, et sæpius in ipsa voluptate detenti ; et alii passim id colligentes *ex d. cap. Episcopum*, ubi videtur interdici Clericis sola venatio frequens, voluptuosa, et clamorosa, ibi : *In hac voluptate sæpius detentus..... canes aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet ; et ex d. cap.* 13. *Concil. Trident.* ubi præcipitur Clericis abstinere *ab illicitis venationibus.* Cum enim ibi non dicatur absolute a venationibus, aut ab omnibus venationibus, sed ab illicitis, supponitur aperte, aliquas esse ipsis licitas, quales revera videntur esse venationes quietæ, et modestæ, et raro factæ propter aliquam ex tribus causis adductis *sub num.* 17. (19. Et hoc venandi genus saltem approbasse videtur Sacra Congregatio Immunitatis *in una Civitatis Castellan. sive Hortana Libertatis venandi pro Clero Suriani,* in qua *sub die* 23. *August.* 1667. censuit rescribendum ad A. C. non impedita interim venatione Ecclesiasticis ; *et sub die* 20 *Decemb. ejusd. anni* re iterum proposita *censuit standum esse in decisis ;* quod quidem non decrevisset, si omnis venatio esset Clericis interdicta. (20. Et per hoc fuit notanter dictum

Digitized by Google

in conclusione *sub num.* 6. quod *venatio frequens, et voluptuosa præcipue cum armis, et clamorosa, est Clericis interdicta.* Et de facto hanc tantum venationem prohibuit Sacra Congr. Episc. et Regul. *in una Casertana sub die* 6 *Jun.* 1601. (21. Et notanter etiam diximus *sub n.* 10. quod neque Episcopis licet arma concedere Clericis pro sola voluptuosa venatione, quia ex Decretis Sac. Cong. Immunit. *sub d. n.* 10. adductis possunt Episcopi concedere Clericis facultatem arma gestandi ad præscriptum Sacrorum Canonum, et cum legitima causa, uti esset aliqua ex tribus assignatis *sub d. n.* 17. Et a fortiori esset justa ratio concedendi talem facultatem causa itineris, et defensionis ab hostibus, et latronibus *ex cap. Maximianus caus.* 23. *q.* 3. utque fuit dictum *verb. Arma num.* 9. 10 *et* 11.

(22. Venatio quæ fit retibus, vel laqueis moderatæ, et honestæ recreationis gratia, ut piscatio, et hujusmodi, est licita Clericis. Tum quia cessant omnes rationes, quibus est prohibita venatio tumultuosa, et clamorosa cum armis offensivis; ut periculum homicidii, mutilationis membrorum, et consequenter irregularitatis, etc. (23. Tum etiam quia invenimus in Scriptura Sacra plures Piscatores Sanctos, venatores autem, ut supra, prohibitos, non item, ut observat S. Hieronymus relatus *in c. Quorumdam* 1. *dist.* 34. *et in c. Esau* 11. *dist.* 86. ubi sic habet: *Et penitus non invenimus in Scripturis Sanctis sanctum aliquem Venatorem, Piscatores invenimus Sanctos.* (24. Dummodo tamen non fiat in solemnitatibus majoribus; *c. Licet, de feriis.* (25. Et neque animo negotiandi; dicerentur enim Clerici negotiatores, si piscationem exercerent, ut pisces venderent. Alberic. in *l. Legatis servis, ff. de legat.* 3. Sebastian. Medic. *in tract. de piscat. et venat. q.* 60. Bellet. *disquisit. Cleric. part.* 1. *tit. de discipl. Cleric.* § 19. *in fin.* Sperell. *decis.* 124. *num.* 35. Barbosa *in cap. Episcopum* 1. *de Clerico venatore num.* 6. et alii passim. (26. Et dummodo ab Episcopo eorum Ordinario per edictum, vel in Synodo, vel alias non prohibeatur; tunc enim absque ejus licentia piscari non possunt; quia tunc solum causa rationabilis excusat, quando fit de licentia Superioris, ad quem pertinet distinguere inter casum et casum, et tempus licitum et illicitum; *c. Concilium vers. potes, et debes de observ. jejun.* Sperell. *dec.* 124. *sub num.* 37. Graff. *dec. aur. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 14. Monacell. *tom.* 1. *tit.* 6. *form.* 5. *n.* 15. (27. Hinc advertendum venit, quod licet venatio, et piscatio pro uno eodemque Jure ponantur *in l.* 2. *et* 5. *ff. de acquir. rer. dom. et* §. *fere, instit. eod.* tamen non nihil inter venationem, et piscationem revera interest; nam generaliter loquendo venari in alieno licet, piscari non item; *l. Injuriarum* 13. §. *fin. de injur.* Donell. *lib.* 4. *com.* 8. Pignatell. *tom.* 3. *consult.* 7. *num.* 59. (28. Insuper piscatio differt a venatione, non solum tamquam Jus magis licitum, et spectaculum minus cruentum; sed quia est magis humilis, et civilis, quæ non eget hujusmodi clamore, et tumultu canum, accipitrum, aut falconum, quos alere prohibentur Clerici; *c Episcopum* 2. *dist.* 34. *c. Episcopum* 1. et *c. Omnibus* 2. *de Clerico venatore.* (29. Et ideo piscatio Ecclesiasticis personis indistincte permissa est, non autem venatio, nam quo cruentius est Jus venationis, eo videtur magis ab humilitate esse alienum; *l. Cruenta Spectacula, Cod. de glad. lib.* 11. minusque Ecclesiasticis convenire personis. Pignatell. *loc cit. n.* 7. *in fin.*

(30. Unde reperimus in Jure impositas esse pœnas contra tales Venatores, non autem contra Piscatores. Si enim Venator sit Episcopus, suspenditur tribus mensibus, si Presbyter duobus, si Diaconus ab omni Officio; textu expresso *in cap. Episcopum* 1. *de Clerico Venatore*, ibi: « Quod si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus a communione; si Presbyter, duobus; si Diaconus ab omni officio suspendatur. » (31. Quam suspensionis pœnam etiam ad Subdiaconum extendit Gloss. *ibidem.* (32. Et etiam ad Clericos Minoristas Innoc. Hostiens. Joann. Andreas, Henrich. Boisch. *ibid.* quos refert et sequitur Sperell. *dec.* 124. *n.* 29. (33. Qui minoristæ, licet in dicto *cap. Episcopum* non comprehenderentur, ut volunt varii Canonistæ, essent tamen per communem Doctrinam arbitrio Judicis plectendi.

(34. Et ideo laudantur illi Ordinarii, qui sub determinatis, et arbitrariis pœnis interdicunt omnibus suis Clericis hujusmodi venationem, et delationem armorum. (35. Quæ tamen pœnæ non debent esse nimis rigorosæ præcipuæ in prima vice, ut censuit *Sacra Congregat. Episcop. et Regul. in Assisien.* 16. *Mart.* 1622. præsertim excommunicationis ipso facto, ut in *una Eugubina* 16. *Januar.* 1596. ac sæpe alibi censuit, quod in prohibitione venationis, vel delationis armorum etiam prohibitorum facta quibuscumque etiam Clericis non debet apponi pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, nec privatio privilegii Clericalis, sed aliæ pœnæ Sacrorum Canonum, ut *die* 2. *Apr.* 1691. *et in Licien.* 18. *Junii* 1602. *et* 15. *Apr.* 1604. *et in Squillacen.* 15. *Jul.* 1605. (36. Potest vero ab Episcopo prohiberi Clericis delatio sclopi sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, dummodo sint in Sacris. Sic *Sacr. Congr. Conc.* damnando delationem armorum in *Sarcinaten.* 12. *Aug.* 1645. responsum dedit Episcopo, ipsum potuisse edicto publico imponere Clericis in Sacris constitutis pœnam suspensionis a divinis ipso facto incurrendam deferentibus archibugium, ita ut illud deferentes absque licentia dictam pœnam ipso facto incurrant, et si incursi celebrassent, irregulares evasissent; *lib.* 17. *dec. pag.* 499. (37. Clerici deferentes arma contra prohibitionem Episcopi possunt puniri, etiamsi non capiantur in fragranti, sed solum per testes fuerint visi. Cum enim de Jure Canonico in quolibet delicto procedatur per inquisitionem, et ex Officio, Rayn. *observ. Crimin. tom.* 3. *c.* 34. § 10. *n.* 7. prohibente

Digitized by Google

episcopali edicto delationem armorum seu sclopum venatorium, potest Episcopus contra transgressores procedere per inquisitionem, etiamsi non sint capti in fragranti, ne clypeo deficientiæ probationis corporis delicti per capturam in fraganti Clerici audaciores evadant, et sine pœnæ timore, delatione armorum abutantur, et occasio delinquendi illis præbeatur; Conciol. *resol. crimin. verb. arma, resol.* 11. *n.* 1. *et* 5. et alii ab ipso allegati. Tum quia Episcopus ex causa, et pro morum reformatione, sicuti potest augere pœnam Canonum, *cap. Et parte* 11, *de transactionibus, cap. Sicut dignum* 6. *de homicid.* Abbas *in cap. Licet n.* 2. *de Offic. Judic. Ordin.* Riccius *in praxi for. Ecclesiast. part.* 2. *resolut.* 206, *n.* 1. *vers. Secundo*; ita ad tollendos abusus potest ex officio, et per inquisitionem processum instituere contra Clericos arma, seu sclopum venatorium abusive, et frequenter deferentes, et eos moderata pœna pecuniaria mulctare. Farinac. *part.* 12. *q.* 108. *n.* 13. Amen. *de delict. et pœn. tit.* 7. § 1. *n.* 16. (38. Clerici tamen, qui non abusive, et frequenter, sed raro, bis, v. gr., ter, aut quater in anno moderatione et modestia servata, ac numquam dimisso habitu Clericali in saltu, vel in agro ad venandas aves recreationis gratia, sclopo venatorio uterentur, non essent processandi, nec puniendi, sed eum eis esset connivendum, et dissimulandum. Glossa *in cap.* 1. *de Cleric. venator.* Conciol. *resol. crimin. verb. arma, resol.* 24. *num.* 2. *et* 5. Monacell. *tom.* 2. *tit.* 15. *form.* 4. *n.* 23. Pignatell. *tom.* 3. *consult.* 59. *n.* 13. ubi dicit venationis abusum, et non usum esse Clericis prohibitum. Eo vel maxime, quod clerici venatores non nisi trina monitione præcedente, puniendi sunt. Hostiens. *in summ. tit. de venat.* § *fin.* Ananias *in cap.* 1. *de Cleric. venator.* Henic. *ibidem* Menochius *in const.* 221. *n.* 52. *vol.* 3. Belet. *disquisit. Cleric. tit. de disciplin. Cleric.* § 19. *sub n.* 6. *verb. Verumtamen*, quos refert, et sequitur Sperell. *dec.* 124. *n.* 33.

(39. Sententia asserens omnem quamcumque venationem a sacris Canonibus interdictam esse Clericis, magis juri conformis est. Benedict. XIV. de *Synodo Diœc. l.* 7. *c.* 61. § 7. (40. Quare nimii rigoris damnandæ non sunt Constitutiones illæ Synodales Episcoporum, quæ indicta pœna Clericos ab omni venatione removent: *ib.* § 8.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(41. De prohibita Clericis delatione armorum diximus in addit. ad verb. *Arma*. Hic vero non incongrue quæri potest, an Clericus deferens arma, quæ statuto sæculari simpliciter, vel certo tempore aut loco prohibita sunt, spoliari iisdem a ministris Curiæ sæcularis possit? (42. Affirmant inter alios Julius Clarus § *final. q.* 36. *n.* 26. Covarr. *variar. resol. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 18. idque quia tale statutum concernit publicam utilitatem, et sacris Canonibus conforme est, adeoque Clericos etiam obligat. (43. Sed esto quod statutum hujusmodi possit obligare Clericos, tamen non sæcularis, sed Ecclesiasticæ potestatis esse debet, uti Clerici illud observent. (44. Rectius igitur Ugolin. *de potest. Episcop. cap.* 13. §. 12. *n.* 3. Guazzin. *par.* 1. *defens.* 20. *cap.* 9. *n.* 11. *de Jurisd. part.* 4. *centur.* 1. *cas.* 7. *per tot.* aliique sentiunt, quod dictus Clericus, nisi in fragranti crimine, aut ejus machinatione deprehendatur, aliaque via non supersit, qua injuria, vel damnum ab ea inferendum prohiberi possit, armis etiam specialiter prohibitis jussu sæcularis Magistratus spoliari nequeat.

(45. Prohibitionem venationis Canonibus tot Conciliorum Clericis factam accipiunt communiter Canonistæ de venatione *clamorosa, et periculosa*, uti vocant, eaque quæ cum armis fieri solet, eaque propter tenent sanitatis, vel recreationis causa Clericos venatione uti non prohiberi, dummodo id faciant cum silentio, et modestia.

(46. At Ziegler. *de Episcop. lib.* 4. *cap.* 19. *n.* 5, *et seqq.* « Verum enim vero (inquit) interpretatio ista Canonistarum non videtur satis conveniens, vel Canonum textui, et literæ, vel priscis Ecclesiæ institutis. Canones quod attinet, generaliter illi omnem venationem interdicunt. Et ne de hac generalitate quis dubitet, legi poterit interpretatio Nicolai Papæ, quæ habetur apud Gratianum dicto loco. Verba digna sunt, quæ hic adscribantur: Quorumdam relatione fidelium nostris auribus intimatum est, quod Lanfredus Episcopus, qui et juvenis dicitur, venationi sit deditus, quod vitium plurimos etiam de Clericali catalogo, genere dumtaxat Germanos, et Gallos, irreverentes implicat. Verum iste, si ita est, ut audimus, merito juvenis dicitur, quia juvenilibus desideriis occupatus nulla gravitate constringitur; nam ut Beatus dicit Hieronymus, Venatorem numquam legimus sanctum.... Oportet ergo fraternitatem tuam, Synodale cum Episcopis, et suffraganeis tuis convocare Concilium, et hunc salutaribus eloquiis Episcopum convenire, atque illi pastorali auctoritate præcipere, quatenus ab omni bestiarum, vel volucrum venatione penitus alienus existat, etc. Generalia sunt verba, et talia, quæ nullam admittunt exceptionem, aut limitationes, ab omnium bestiarum, vel volucrum venatione penitus alienus. In verbis sequentibus comminatur Pontifex excommunicare eum debere pro venationis delectatione, si parere contempserit. Nec distinctionem fecit inter Episcopos, et alios Clericos, dum ait, vitium istud plurimos etiam de Clericali catalogo implicasse. In utrisque scilicet vitium esse censetur. Instituta Ecclesiæ primitivæ hæc erant, ut Clerici morum gravitate, et vitæ genere omnibus aliis in republica Civibus antecellerent, utve, quantum fieri posset, inania hominum studia, et nimiam familiaritatem vitarent, et ab omni negotio abstinerent, per quod corrumpi sanctitas Christiana posset. Honoratur Ministerium, inquit Bernardus epist. 28. morum gravitate, consiliorum auctoritate, et actuum honestate. Nec enim doctrina tantum, sed et vita Ministrorum Ecclesiæ in conspectu omnium instar Civitatis supra montem sitæ posita est, adeoque

Digitized by Google

cavendum ipsis assidue, ne vitæ humanæ tenebris involvantur, et ab enormi actionum suarum norma scandalum Ecclesiæ præbeant. Atque hinc dubitare licet, utrum per venationis exercitium servari possit ea morum gravitas, quæ in Ministro Ecclesiæ exigitur. » Hanc ipsam distinctionem pluribus rejicit Joannes Busæus *ad Epist.* 56. Petri Blesensis.

ARTICULUS VII.

Clericus, quoad immunitatem, et exemptionem.

(1. Clerici confugientes ad Ecclesiam gaudent immunitate Ecclesiastica. Sacr. Congregat. Immunitat. *in Romana* 17. *Januar.* 1628. *lib.* 1. *Decr. Pauluc. pag.* 79. (2. Clericus percussor alterius Clerici confugiens ad Ecclesiam gaudere debet immunitate; ead. Sac. Congreg. *in Sulmonen.* 9. *Octobr.* 1635. *lib.* 2. *decret. Paul. pag.* 236. (3. Etiam Regularis captus in loco immuni pro delicto non excepto in Bulla Gregorii XIV. gaudere debet immunitate Ecclesiastica. Eadem Sacra Congregatio in *Fulginaten.* 9. *Mart.* 1639. *lib.* 1. *Decr. Paul. pag.* 116. (4. Immo Regularis Sacerdos de ordine Prioris Conventus, et Commissarii causæ Criminalis extractus ab Ecclesia Conventus, ad quam confugerat e carceribus ipsius Conventus restituendus est, et injungitur Archiepiscopo, ut mandet restitui. Eadem Sac. Congregat. *in Neapolitana* 11. *octobr.* 1692. *lib. dec. Grimald. pag.* 299. (5. Clerici non tenentur ad solutionem onerum impositorum pro Physico, Chirurgo, et Ludimagistro. Sac. Congr. Episc. et Regul. in *Lauretana Pennen. Diœcesis* 2. *Aug.* 1619. et Sac. Congreg. Immunit. *in una Nullius S. Laurentii in Campo* 14. *Febr.* 1628. *lib.* 1. *decr. Paul. pag.* 84. (6. Clerici non tenentur ad onera, nisi ea sint certa, realia, et invariabilia. Sacr. Congreg. Immunit. in *Camerin.* 17. *Jan.* 1626. *lib.* 1. *decr. Paul. pag.* 80. (7. Clerici gaudent exemptione pro bonis patrimonialibus in totum, et etiam pro acquisitis et donatis. Eadem Sacra Congregatio *in Campanien.* 4. *Septemb.* 1674. *lib.* 1. *decr. Altovit. pag.* 992. (8. Clerici ex solo Charactere Clericali gaudent exemptione ab impositionibus, collectis, et aliis oneribus. Eadem Sacr. Congregat. *in Fanen.* 23. *Jun.* 1647. *l.* 4. *decr. Paul. p.* 19. (9. Etiamsi sint in Minoribus, nec habeant requisita Concilii; cum Concilium Tridentinum non habentibus dictas qualitates non adimat nisi privilegium Fori. Eadem Congregatio in *Firmana* 10 *Septembr.* 1629. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 5. *in Assisien.* 29. *Jun.* 1629. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 141. *et* 10. *Maii* 1633. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 155. *et* 3. *Octob.* 1634. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 203. *in Aprutina* 6. *Martii* 1635. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 218. *in Fanen.* 13. *Augusti* 1647. *lib.* 4. *decr. Paul. pag.* 23. (10. Etiamsi in susceptione Ordinis protestati fuerint nolle eximi ab oneribus Laicalibus. Eadem Sac. Congregatio in *Aprutina* 10 *Septembr.* 1652. *lib* 4. *decr. Paul. pag.* 196. (11. Etiamsi sint Clerici solum primæ Tonsuræ, sunt exempti ab impositionibus Laicalibus. Eadem Congregatio *in una Montis Regalis* 10. *Augusti* 1638. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 69. *in una Montis Alti* 10. *Novembr.* 1628. *lib.* 3. *decr. Paul. pag.* 77. *in Mutinen.* 23. *Aug.* 1650. *lib.* 4. *decr. Paul. pag.* 116. (12. Etiamsi ipsi Clerici habentes solum primam Tonsuram Habitum, vel Tonsuram non deferant, nisi tertio moniti, contumaces extiterint. Eadem Congregat. *in Aquilana* 5 *Maii* 1741. *lib.* 3. *decret. Pauluc. pag.* 138. Fagnan. *in cap. Pervenit.* 2. *de immunit. Ecclesiarum numer.* 14. *et* 15.

(13. Clerici gaudent exemptione pro bonis patrimonialibus in portione sibi tangente. Sac. Congregat. Immunit. in *Asten.* 10. *Maii* 1633. *l.* 2. *decr. Pauluc. pag.* 156. *in Novarien.* 23. *Aug.* 1633. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 169. (14. Clerici non tenentur ad Gabellas, quando per alios, vel per se ipsos absque sui Officii detrimento arti sericæ operam dant cum foliis arborum in propriis bonis existentium. Eadem Congregatio in *Neocastr.* 9. *Jun.* 1637. *lib.* 3. *decr. Pauluc. pag.* 34.

(15. Clerici in Minoribus constituti viventes simul cum eorum Patribus, non tenentur ad collectas, et alia onera pro bonis sibi donatis, nisi donationes sint fraudulentes, et uti tales per Judicem Ecclesiasticum declaratæ. Eadem Congregat. *in Hieracen.* 4. *Jul.* 1645. *lib.* 3. *decr. Paul. pag.* 244.

(16. Clerici in Minoribus etiamsi non se promovere faciant ad Ordines Sacros, gaudent exemptione ab impositionibus. Eadem Congregatio in *una Civitatis Pennæ* 21. *Mart.* 1636. *lib.* 3. *decr. Paul. pag.* 273.

(17. Clerici sunt exempti a Gabellis Laicalibus etiam pro portione colonica. Eadem Congregatio in *Ortunen.* 24. *Jul.* 1634. *l.* 2. *decr. Paul. pag.* 199. (18. Clerici non tenentur ad Gabellam impositam pro extractione olei recollecti in suis bonis Patrimonialibus, et Beneficialibus. Eadem Congregatio *in Lycien.* 24. *Julii* 1634. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 196. (19. Clerici Cives Romani possidentes bona in Territorio Civitatis Malleani, non tenentur ad solutionem Gabellæ extractionis vigore statuti Laicalis debitæ pro fructibus ex iisdem bonis recollectis Romam convehendis pro eorum usu. Eadem Congregatio in *Sabinen.* 8. *April.* 1687. *lib. decr. Martell. pag.* 86. (20. Clericus non tenetur ad impositionem Capitationis ex bonis, et redditibus Patris, cujus impensis vivit. Eadem Congregatio in *Aquilana* 4. *Sept.* 1640. *lib.* 3. *decr. Paul. pag.* 127.

(21. Clerici non gaudent privilegiis Patrimonii Ecclesiastici pro bonis ad suscipiendos Ordines Sacros eis assignatis, donec non fuerint in Sacris Ordinibus constituti. Si vero dicta bona fuerint translata in possessionem eorumdem Clericorum sine fraudee de qua Episcopus diligenter cognoscer, debet, gaudent, ut cætera bona a Clericis acquisita etiam ante susceptionem Ordinum Sacrorum. Eadem Congregatio in *Castellaneten.* 20. *Mart.* 1662. *lib. Decret. Rocci pag.* 391. *in Campanien.* 4. *Septembris* 1674. *lib.* 1. *Decret. Altovit. pag.* 992. *in Pedemontana* 22. *Novembr.* 1692. *Decr. Valleman. pag.* 4.

Digitized by Google

(22. Clerici, et Ecclesiastici sunt exempti a tributis impositis causa belli, pestis, et hujusmodi, nisi concurrant requisita *cap. Non minus* 4. *et cap. Adversus* 7. *de Immunit. Ecclesiarum.* Sacra Congregatio Immunitatis *in una Poloniæ* 3. *Januar. lib.* 1. *decr. Paul. pag.* 78. (23. et sæpe alibi pro consimilibus contributionibus, ut pro novis muris Civitatis ædificandis in *Jan.* 16. *Aprilis* 1630. 1628. *decr. Paul. pag.* 36. Pro refectione Aggerum; *in Mut.* 19. *Decemb.* 1634. *lib.* 2. *decr. Pauluc. pag.* 212. *in Nullius Guastallæ* 8. *Aprilis* 1636. *l.* 3. *Decr. Paul. pag.* 2. *in Perusina* 3. *Jun.* 1690. *l. Decr. Martell. pag.* 616. (24. Pro excavatione alveorum, et fovearum; *in Assisien.* 18. *Febr.* 1631. *lib.* 2. *decr. Paul. p.* 95 *et* 23. *Aug.* 1650. *lib.* 4. *decr. Paul. p.* 115. *in Mutinen.* 13. *Jul.* 1637. *lib.* 3. *Paul. p.* 37. (25. Pro refectione pontium; *in Mutinen.* 19. *Dec.* 1634. *l.* 2. *decr. Paul. p.* 212. (26. Pro reparatione fluminum; *in Lucana* 28. *Jan.* 1681. *lib.* 2. *decr. Altovit. pag.* 2145. *et in eadem* 22. *Januar.* 1692. *lib. Decret. Grimald. p.* 78. (27. Pro introducenda aqua in Civitatem; *in Isolana* 17. *Jul.* 1585. Pro excavatione facienda Canalis; *in Ferrarien.* 4. *Januar.* 1632. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 112. (28. Pro defensione Arcium Africæ ad formam indulti S. M. Clement. X. sub *die* 17. *Jul.* 1671. *In una Regni Siciliæ* 21. *Nov.* 1690. *lib. decr. Martell. p.* 688. (29. Ex d. autem *cap. Non minus* 4. *c. Adversus* 7. *de Immunitat. Ecclesiast.* ut Clerici licite solvant collectas, et impositiones Laicorum sex requiruntur. (30. Primo requiritur, ut Episcopus simul, et Clerus super hoc deliberent, et consentiant, ut patet ex litera in *d. cap. Non minus*, ibi *Episcopus. et Clerus.* Unde hoc non potest Episcopus sine Clero, nec Clerus sine Episcopo; cum copula *Et* in textu posita requirat concursum utriusque copulati; *l. Si quis ita stipulatus*, et ibi Bart. *ff. de verb. oblig.* et clarissime habetur ex verbis *d. c. adversus*, ibi : *Episcopus simul cum Clericis.* (31. Quo fit, ut nec cum Capitulo Episcopus id possit, quia, in tangentibus totum Clerum, non sufficit, quod Episcopus habeat consensum sui Capituli, sed requiritur, quod interveniat consensus Cleri; ut colligitur *ex Clem.* 1. *et* 2. *de censibus*, et tenet Abbas *in dict. cap. Minus n.* 5. et ibidem Fagnan. *n.* 24. (32. Secundo requiritur, ut evidens utilitas, vel necessitas subsit, ut declarant verba textus, et in *d. cap. non minus*, ibi : *tantam necessitatem, et utilitatem perspexerint.* (33. Et hæc necessitas, vel utilitas quanta esse debeat ad hoc, ut Clerici licite solvant collectam pro subsidio Laicorum spectat ad Episcopum, et Clerum judicare, ut colligitur ex ipsis verbis utriusque textus : *Aspexerint*, *Prospexerint*, et tenet Gloss. *in d. c. Non minus, verb. tantam necessitatem*, et ibid. Fagnan. *n.* 25.

(34. Tertio requiritur, ut hujusmodi necessitas, vel utilitas sit communis, scilicet tam Laicorum, quam Clericorum; ut patet ex verbis iisdem in utroque capite, ibi : *Ad revelandas communes utilitates, vel necessitates.* Et sic solide tenent Abbas in *d. c. Non minus num.* 18. Fagnan. ibidem *num.* 18. et alii passim. (35. Quarto requiritur, ut ad solvendas communes utilitates vel necessitates non sufficiant solæ facultates Laicorum, textu expresso in utroque dicto capite, ibi : *Ubi Laicorum non suppetunt facultates.*

(36. Quinto requiritur, ut contributio ab Episcopis fiat sponte, et sine aliqua exactione, vel compulsione, ut clare ex verbis *dict. c. Non minus*, ibi : *Absque ulla exactione*, et clarius ex verbis *dict. cap. Adversus*, ibi : *Absque ulla coactione.* (37. Semper enim exactio pecuniarum ab Ecclesiasticis in similibus casibus est facienda a Ministro deputando ab Episcopo, ut pluries censuit Sac. Congreg. Immunitatis, et signanter 22. *Apr.* 1697. *et in Florentina* 19. *Aug.* 1698. *lib.* 2. *decr. Vallem. pag.* 169. *et in una Montis Politiani* 17. *Novembris* 1696. *lib.* 2. *decr. Valleman. pag.* 258. Immo sæpius injungitur Episcopo, ut non permittat Laicos exigere per se ipsos contributiones ab Ecclesiasticis causa belli, et exacta restituere faciat. Eadem Sac. Congreg. in *Aquen.* 6. *Decemb.* 1602. *lib.* 1. *decr. Vallem. pag.* 8. *in Casalensi* 13. *Decemb.* 1692. *lib.* 1. *decr. Valleman. pag.* 10. *ibid.* 16. *Mart.* 1694. *lib. decr. Valleman. pag.* 110. (38. Sexto requiritur, ut Romanus Pontifex prius consulatur; textu expresso in *d. cap. Adversus*, ibi : *Propter imprudentiam tamen quorumdam Romanus Pontifex prius consulatur; cujus interest communibus utilitatibus providere.* Et hæc est opinio vera, et observata in Constitutionibus Ecclesiasticorum, cum semper requiratur Beneplacitum Apostolicum. Sacra Congregatio Immunitatis in *Mutinens.* 10. *Mart.* 1643. *lib.* 3. *decr. Paul. pag.* 197. (39. Etiam quando contribuunt pro rata commodi particularis, et privati. Sacra Congreg. *in Firmana* 13. *Jul.* 1633. *lib.* 3. *decr. Paul. pag.* 37. *in Mutinens.* 19. *Novembr.* 1647. *lib.* 4. *decr. Paul. pag.* 3

(40. Clerici non tenentur custodias facere occasione suspicionis Turcarum, nisi concurrente præcisa necessitate. Sac. Congreg. Immunit. in *Tranen.* 11. *Januar.* 1633. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 140. (41. Nec tenentur ad onus unius ligni pro qualibet sarcina ob servitium arcis. Eadem Sac. Congr. *in Perusina* 9 *Octobr.* 1640. *lib.* 3 *decr. Paul. pag.* 132. (42. Nec ligantur bannimentis Magistratus sæcularis de petenda licentia accedendi ad proprias vineas tempore vindemiarum, et ideo non tenentur petere præfatam licentiam, et quando bannimenta ista sint necessaria pro publica utilitate, et necessitate Episcopus potest providere mediante suo Edicto. Eadem Congregatio *in Forolivien.* 31. *Maii* 1659. *lib.* 5. *decr. Paul. pag.* 92. (43. Clerici et Ecclesiastici non sunt subjecti oneribus, nec ordinariis, nec extraordinariis impositis ad favorem Principis, nisi juxta decisionem *in Brundusina, et Albanen. Gabellæ.* Nec tenentur ad consignationem frumenti, et aliorum fructuum faciendam Principi Laico. Eadem Congregatio *in Casalen.* 18. *Aug.* 1637. *lib.* 3. *decr. Paul. pag.* 79. Etiam hoc decreverat Sac. Congregat. Episcopor.

Digitized by Google

et Regular. *in Ferrarien.* 19. *Junii* 1592. quod semper Clerici non tenentur denunciare sua frumenta vel bladas Judici Laico, sed Episcopo, qui notam dabit sæcularibus, absque eo tamen quod graventur Clerici. (44. Unde tempore penuriæ ut dicitur, *le rassegne* frumentorum, et bladarum Ecclesiasticorum faciendæ sunt per Ecclesiasticos Curiæ Episcopalis, et ab Episcopo arbitranda est quantitas, qua indiget unusquisque Ecclesiasticus; frumentum vero, et bladæ asserventur in loco ipsi Episcopo beneviso, et sub custodia deputati ab ipso Episcopo; et ut dicitur *si spiani* in furno Ecclesiastico, si quem habent. Sac. Congreg. Immunit. *in una Civitatis Castelli* 4. *Jan.* 1630. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 25. (45. Unde prodiit rescriptum, quod contra Edictum Senatus super notificatione frumentorum, et visitatione horreorum comprehensivum Ecclesiasticorum uti læsivum Immunitatis, Libertatis, et Jurisdictionis Ecclesiasticæ, Episcopi tueantur Ecclesiasticos, et desuper dantur literæ circulares. Eadem Congregat. *in Papien.* 19. *Octobr.* 1675. *lib.* 1. *decr. Altovit. pag.* 1159. (46. Sic perquisitio frumentorum in locis immunibus est prorsus prohibita Laicis. Eadem Sacra Congregatio *in Florentin.* 15. *Decemb.* 1648. *lib.* 4. *decr. Paul. pag.* 66. Et ideo dantur literæ circulares Episcopis status Ecclesiastici pro perquisitione frumenti in locis immunibus ad effectum faciendi ejus assignationem Ministris Abundantiæ soluto competenti pretio. Ead. Congr. 20. *Aug.* 1678. *lib.* 2. *decr. Altovit. pag.* 1630.

(47. Non est permittendum Ecclesiasticos comprehendi in prohibitione Laicorum vendendi et emendi frumenta, sed urgente necessitate potest Ordinarius peculiari suo Edicto Ecclesiasticis prohibere. Ead. Congregat. *in Ragusina* 10. *Jun.* 1636. *lib.* 3. *decr. Paul. pag.* 7. (48. In venditione frumenti, bladarum, et similium Clerici, et Ecclesiastici non tenentur servare taxam, et alias ordinationes editas a Potestate Laica, sed Episcopus sua ordinatione constituat eamdem taxam pretii justi, et contra transgressores procedat. Ead. Congregatio *in Melevitana* 21. *Mart.* 1646. *l.* 3. *decr. Paul. pag.* 276. *in Bovinen.* 17. *Mart.* 1695. *l.* 1. *decr. Vallem. pag.* 189. (49. Episcopus potest in casu necessitatis proprio edicto statuere pretium frumenti Ecclesiasticorum, eosque cogere ad venditionem, reservata tamen pro usu, et sustentatione ipsorum æqua, et proportionata quantitate. Eadem Congregatio *in Casal.* 12. *Febr.* 1695. *lib.* 1. *decr. Valleman. pag.* 171. (50. Immo injungitur Episcopo, ut pro currenti anno attenta gravissima penuria præfigat proprio Edicto justum pretium frumento Ecclesiasticorum, et obliget auctoritate Sac. Congregationis Ecclesiasticos tam Sæculares, quam Regulares ad venditionem frumenti, reservata tamen pro usu, et sustentatione eorum ea quantitate, quæ æqua, et proportionata omnibus consideratis ab eodem Episcopo reputata fuerit. Eadem Sacra Congregatio in *Neocastren.* 1. *Decemb.* 1696. *lib.* 2. *decr. Vallem. p.* 61. (51. Quatenus Episcopus judicet talem esse penuriam frumenti, ut sit expediens prohibere Ecclesiasticis extractionem, eam prohibeat proprio Edicto, nulla facta mentione vel habita relatione ad Edictum Laicale. Ead. Sac. Congr., *in Neocastrens.* 8. *Aug.* 1693. *l.* 1. *decr. Valleman. p.* 66. (52. Mandatur Episcopis et Archiepiscopis Regni, ut attenta penuria vendant eorum frumenta, et respective faciant vendere a propriis Ecclesiasticis pro pretio tamen per eosdem cum emptoribus concordato, et quatenus non concordent, vendant pro pretio justo judicato arbitrio Episcoporum. Eadem Sacra Congr. *in Neap.* 10. *Novemb.* 1646. *lib.* 4. *decr. Paul. pag.* 63. (53. Nuncio Neapolis scribitur, non esse extendendam facultatem extrahendi frumenta, ita ut etiam cum deputatione personæ Ecclesiasticæ minime liceat Commissario Regio extrahere frumenta recondita in locis immunibus, etiamsi fortassis empta contra formam Pragmaticæ. Eadem Sacra Congregatio *in Neapolitana* 28. *Septemb.* 1694. *lib.* 1. *decr. Valleman. pag.* 149. (54. Gubernator non potest cogere Ecclesiasticos ad asportandum in horrea publica partem suorum frumentorum. Eadem Sacra Congregatio in *Auximana* 10. *Decemb.* 1646. *lib.* 4. *decr. Paul. pag.* 35. Immo ob Edicta Gubernatoris læsiva libertatis Ecclesiasticæ proceditur contra eumdem. Eadem Sacra Congregatio *in Minerbinen.* 6. *Novemb.* 1594. *lib.* 1. *decr. Vallem. pag.* 155. *et* 19. *Apr.* 1695. *d. lib. pag.* 183.

(55. Clerici, et Ecclesiastici non possunt cogi ire ad molendinum Domini temporalis, seu Communitatis, sed possunt ire ad alia sibi benevisa. Sacr. Congregat. Immunitatis *in Neritonen.* 1. *Septemb.* 1643. *lib.* 3. *decr. Paul. pag.* 208. (56. Prohibitio Communitatis eundi ad alia molendina, quam ad molendina ipsius Communitatis, non comprehendit molendina Episcopi, Ecclesiarum, et Ecclesiasticorum, tam intra, quam extra Communitatis Territorium existentia, et Communitas est cogenda ad declarationem non comprehensionis. Ead. Sac. Congreg. *in Firmana* 19. *Novembr.* 1630. *lib.* 2. *decr. Paul.* 65. (57. Ecclesiasticorum molendina non comprehenduntur sub bannis Gubernatoris, qui debet facere declarationem de non comprehensione eorum. Eadem Sacra Congreg. *in Æsina* 8. *Apr.* 1631. *lib.* 2. *decr. Paulucc pag.* 47. (58. Ecclesiasticorum molendina, ac molentes in ipsis molendinis non comprehenduntur sub prohibitione Laicorum solvendi Gabellam, ut dicitur *della Pesa.* Eadem Sac. Congreg. *in Maceraten.* 19. *Jan.* 1638. *lib.* 3. *decr. Paul. pag.* 52. (59. Repugnat Immunitati, et Libertati Ecclesiasticæ exactio oneris molituræ in molendinis Ecclesiasticorum, et equitum Sancti Mauritii; nec non publicatio ordinis prohibitivi eundi ad dicta molendina. Eadem. Sacr. Congregatio *in Taurinen.* 11. *Septemb.* 1643. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 202. (60. Edicta Laicalia prohibentia ire ad certa molendina, afficere nequeunt Ecclesiasticos. Eadem Sac. Congreg. *in Maceraten.* 4. *Jun.* 1672. *lib.* 1. *decr. Altoviti*

Digitized by Google

pag. 694. (61. Edicta Curiæ Laicalis prohibentia Laicis molere olivas in molendinis Ecclesiasticorum sunt revocanda. Eadem Sac. Congregatio *in una Nullius Marubii* 16. *Septemb.* 1687. *l. decr. Martell. pag.* 157. (62. Immo impedientes molere olivas in molendinis Ecclesiasticorum, et prætendentes decimas, sunt ab Ordinario excommunicandi. Eadem Sac. Cong. *in Catacen.* 11. *Aug.* 1631. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 85. *in Ugentina* 29. *Octob.* 1695. *l.* 1. *decr. Vallem. pag.* 226. (63. Edictum pœnale Baronis prohibens suis subditis, ne utantur molendino Monachorum Cisterciensium omnino revocari cogat Episcopus, et referat Sac. Congregationi. Eadem Sac. Congr. *in Anglonen.* 2. *Novemb.* 1693. *lib.* 1. *decr. Vallem. pag.* 87. (64. Episcopus procedat prout de Jure contra Ministros Laicos impedientes Moniales in fabricatione molendini olearii, non obstante Monitorio A. C. Eadem Sac. Congreg. *in Ariminen.* 9. *Febr.* 1700. *lib.* 2. *decr. Valleman. pag.* 272. (65. Clerici, et Ecclesiastici sunt exempti ab impositione molituræ. Eadem Sac. Congreg. *in Isernien.* 18. *Mart.* 1631. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 99. (66. Non licet Gubernatori, seu Curiæ sæculari visitare, seu perquisitiones facere in molendinis Monialium, et aliorum Piorum Locorum, quamvis sint conducta a Molitoribus affictuariis. Ead. Sacr. Congregat. *in Verulana* 2. *Octobr.* 1691. *lib. decret. Grimald. pag.* 18.

(67. Clerici, et Ecclesiastici sunt omnino exempti ab onere hospitandi Milites. Eadem Sac. Congreg. *in Papiens.* 10. *Septembr.* 1629. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 6. (68. Etiam in bonis patrimonialibus pro sua portione, et virili. Eadem Sacr. Congreg. *in Derthonen.* 4. *Decembr.* 1629. *lib.* 3. *decr. Paul. pag.* 18. *in Aquilana* 16. *Apr.* 1630. *l.* 2. *decr. Paul. pag.* 35. (69. Episcopus non permittat hospitationem equorum Militarium in atriis, et cortilibus Monasteriorum Monialium. Eadem Sacra Congregatio *in Asten.* 5. *Decemb.* 1696. *lib.* 2. *decr. Vallem. pag.* 61. (70. Ministri publici Civitatis, qui violenter fecerunt reponi fœnum in Claustro Regularium, incidunt in Excommunicationem, sed attenta remotione fœni, et prævia aliqua eleemosyna eroganda Ecclesiæ violatæ consensu partis, et obligatione de non incurrendo amplius in similia, datur facultas absolvendi in forma. Eadem Sacr. Congr. *in Papiens,* 27. *Augusti* 1697. *lib.* 2. *decr. Vallem. pag.* 110. (71. Officiales, et Milites prævia reintegratione Ecclesiæ, et consensu partis absolvuntur ob violentam hospitationem in domo Canonicali. Eadem Sacra Congregatio *in Augustana* 9. *Aprilis* 1693. *lib.* 1. *decret. Vallem. pag.* 181. (72. Clerici, et Ecclesiastici sunt immunes a Gabella chartæ sigillatæ, seu bullatæ. Eadem Sac. Cong. *in Florentin.* 19. *Mart.* 1647. *lib.* 3. *decr. Paul. p.* 7. Clerici, et Ecclesiastici non tenentur ad expensas novæ mensurationis bonorum, quæ fit ad instantiam Communitatis. Eadem Sacra Congregatio *in Bertinoren.* 10. *Maii* 1630. *lib.* 3. *decret. Paul. p.* 89. (73. Clerici et Ecclesiastici sunt exempti a collectis pro portione bonorum ad eos spectantium, non pro portione Matris, Fratrum, et Sororum, ac Conjunctorum, nisi isti vivant cum ipsis Ecclesiasticis, et expensis eorumdem Ecclesiasticorum. Eadem Sac. Congreg. *in Albanen.* 14. *Augusti* 1634. *lib. decr. Paul. pag.* 197. *in Aprutina* 6. *Mart.* 1635. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 218. *in Auximana* 25. *Jan.* 1650. *lib.* 4. *decr. Paul. p.* 94. (74. Ecclesiastici ementes bona cum pacto solvendi onera non tenentur ad onera personalia, sed tantum ad onera realia, quæ sint certa, et invariabilia, et ante venditionem imposita. Eadem Sac. Congreg. *in Taurinen.* 26. *Mart.* 1620. *lib.* 2. *decr. Paul. p.* 132. (75. Clerici, et Ecclesiastici non tenentur ad solutionem oneris nuncupati *il Tasso della Citadella.* Ead. Sac. Cong. *in Casalen.* 23. *Apr.* 1634. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 188.

(76. Clerici, et Ecclesiastici sunt taliter exempti a gabellis Laicalibus, ut nec etiam sponte possint illas solvere sine Beneplacito Apostolico. Eadem Sacr. Congr. *in Placentin. Provinc. Compostellanæ* 31. *Maii* 1639. *l.* 3. *decret. Pauluc. pag.* 93. (77. Unde sponte solventes impositiones Laicales, absolvuntur a Censuris. Ead. Sacra Congr. *in Sulmonen.* 10 *Sept.* 1639. *lib.* 3. *decret. Paul. pag.* 102. (78. Ecclesiastici vendentes, et ementes vinum, non tenentur ad Gabellam desuper impositam. Ead. Sac. Congr. *in Neriton.* 21. *Novemb.* 1651. *lib.* 4. *decret. Paul. pag.* 167. (79. Hinc Ecclesiastici possunt libere vendere triticum, et vinum in suis prædiis collectum juxta privilegia Sacrorum Canonum, et declarationes Sacræ Congregationis. Ead. Sacra Congr. *in Lucana* 30. *Jul.* 1692. *lib. decret. Grimaldi pag.* 192. (80. Insuper Clerici, et Ecclesiastici possunt vinum recollectum in propriis bonis vendere etiam minutatim in suis domibus, absque eo quod teneantur ad Gabellam vulgo dictam *della foglietta,* et cognitio fraudum, quæ desuper fieri possunt, spectat ad Judicem Ecclesiasticum. Ead. Sac. Congr. *in Spoletana* 25. *Sept.* 1627. *lib.* 1. *decr. Paul. pag.* 67. *in Theatina* 15. *Mart.* 1661. *lib. decr. Rocci pag.* 323. *in Faventina* 25. *Jan.* 1677. *lib.* 2. *decret. Altovit. pag.* 1338. *in Auximana* 2. *Avril.* 1680. *l.* 2. *decr. Altovit. pag.* 1654. (81. Quinimmo ne dum non tenentur ad Gabellam pro vino minutatim vendito, sed et pignus desuper factum, est iis restituendum. Ead. Sacr. Congr. *in Callien.* 1. *April.* 1704. *lib. decr. Vallem. pag.* 568. (82. Edictum, vulgo *Grida,* jussu Ducis N. facta præcipiens describi omnes personas sui status, non comprehendit Ecclesiasticos, nec personas exemptas. Eadem Sacra Congr. *in Casalen.* 9. *Maii* 1695. *lib. decr. Martel. pag.* 607. (83. Archiepiscopus prohibeat Clericis suæ Diœcesis sub comminatione Censurarum, ut non pareant mandatis Judicis Laici de exhibenda nota propriorum nominum, patriæ, qualitatis, et valoris Beneficiorum, atque de tempore, quo illa possident. Ead. Sacra Congr. *in Mediolan.* 19. *Jul.* 1624. *Ex regesto scripturarum Veterum pag.* 29. (84. Edictum Gubernatoris Mediolani circa omnes Censualistas nequit afficere Loca Pia. Ead. Sacr. Congr.

Digitized by Google

in *Cremon.* 31. *Jul.* 1691. *l. decr. Martell. pag.* 748. (85. Edictum Regium, quoad taxas impositas causa monetæ novæ, non afficit Ecclesiasticos. Ead. Sac. Congr. 1. *April.* 1695. *lib.* 1. *decret. Valleman. pag.* 180. (86. Ad instantiam tamen Regis Catholici Sacra Congregatio ex placito Sanctissimi concedit approbationem Donativi extraordinarii Ecclesiasticorum in Regno Siciliæ, dummodo erogetur in causa monetæ novæ. Ead. Sac. Cong. *in una Regni Siciliæ, seu Panormitana* 15. *Sept.* 1698. *lib.* 2. *decret. Valleman. pag.* 176. Vide alia ad rem in verb. *Bona Ecclesiastica quoad eorum immunitatem art.* 2. *per tot.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(87. Non incongrua hic est quæstio illa, an Clerici obligentur statutis laicorum, quorum materia Clericis æque ac sæcularibus communis est, neque privilegiis ipsorum Clericorum repugnat. (88. Affirmant communiter Doctores. Vide inter alios Suarez *de Leg. cap.* 33. *num.* 13. Soll. *de immunit. part.* 2. *num.* 278. idque quia uniformis talium statutorum observatio necessaria omnino est ad Reipublicæ pacem, tranquillitatem, et incolumitatem conservandam.

(89. Tria vero ad plenam hujus quæstionis discussionem examinanda sunt. Primum est, unde oriatur obligatio Clericorum quoad observationem dictorum statutorum. Alterum est, an Clerici a potestate Civili adigi possint ad servanda dicta statuta. Tertium illudque magni momenti, quænam statuta sint illa, quorum materia est communis tum Clericis tum laicis, neque Clericorum Privilegiis repugnat.

(90. Quod attinet ad primum, Soll. *ubi supra: Eos obligari* (inquit) *ex æquitate seu ratione naturali, seu potius vi juris Canonici Clericis hanc obligationem imperantis.* (91. Quoad vero secundum, non a potestate Civili, sed a Potestate Ecclesiastica adigendi sunt Clerici ad dicta statuta servanda. (92. Quinimmo non tenetur Judex Ecclesiasticus Clerico transgressori imponere pœnam a dictis statutis inflictam. Covarruv. *practic. quæst. cap.* 33. *in fin.* Sperell. *decis.* 123. *a num.* 6. *ad plur. sequent.* (93. Quod demum concernit tertium, difficile est regulam generalem tradere, qua tuto affirmari possit statuta, de quibus controversia est, esse de iis, quorum materia non minus Clericis, quam sæcularibus sit communis, et Privilegiis haud repugnet Clericorum. (94. In particulari de ipsis agendum. Plura id genus statuta ad examen revocat Zypæus *de jurisdict. lib.* 2. *fer. per totum*, omnino ubi res postulat, consulendus. Illud non est silentio prætereundum, quod traditur de dictis statutis, locum itidem sibi vindicat quoad consuetudinem, quæ pariter versetur circa materiam communem Clericis et Laicis, et non repugnet privilegiis Laicorum. Zypæus *de jurisdict. d. l.* 2. *cap.* 3. *per tot.*

ARTICULUS VIII.

Clericus quoad obedientiam, et subjectionem episcopo.

(1. Clerici non possunt cogi ab Episcopo ad præstandum aliquod servitium non expressum in Jure; *c. quia cognovimus* 6. *caus.* 10. *q.* 3. (2. Et per hoc fuit alias responsum, Episcopum Burgi S. Donnini potuisse quidem invitare, sed non compellere Clericos suæ Civitatis, ut interessent Litaniis Beatissimæ Virginis, quas in Sabbato decantari jusserat in sua Cathedrali Ecclesia. (3. Et alias responsum est Clericos non habentes Officium, vel Beneficium Ecclesiasticum cogi non posse ab Episcopo ad publicas Processiones accedere. Sic refert, et tenet Fagnan. *in c. Conquerente* 16. *de Offic. Ordinar. num.* 8. et Barbosa verb. *Processio num.* 5. *in collectan. Ap. dec.* ubi refert Sacram Congr. Conc. 9. *Maii* 1597. expresse decrevisse, quod Processionibus publicis interesse non sunt compellendi ab Episcopo Sacerdotes nullum Officium, aut Beneficium Ecclesiasticum in Civitate, vel Diœcesi obtinentes.

(4. Sic etiam simplices Sacerdotes non habentes Officium, neque Beneficium in Ecclesia Cathedrali, non possunt per Episcopum cogi ad idem, et Canonicis inserviendum in functionibus Ecclesiasticis, seu munere Diaconi, vel Subdiaconi in missis cantatis, non obstante exiguo numero Canonicorum, ut pluries declaravit Sacr. Congreg. Conc. apud Nicol. *lucubrat. Canon. lib.* 1. *tit.* 22. *num.* 3. *et* 4. *in Sarnen. Servitii Ecclesiæ* 17. *Jun.* 1690. *in Nullius S. Laurentii in campo* 27. *Jan.* 1691. (5. Sola enim potestate ordinaria Episcopus hoc præcipere, et statuere nequit; nec minus mulctis Presbyteros simplices non de gremio Capituli, si non inserviant, gravare, ut declaravit eadem Sacr. Congr. Concil. *in terminis paucitatis numeri Mansionariorum in Auximana* 17. *Augusti* 1702. et in *Signina* 15. *Dec.* 1703. (6. Nisi adesset contraria consuetudo, ut decrevit Sacr. Congreg. Conc. *in Trojana* 20. *Sept.* 1704. *et in Bellocastren. Servitiis* 15. *Nov.* 1670. *et* 21. *August.* 1706. (7. Vel nisi ageretur de Clericis pro necessitate, et utilitate Cathedralis ad titulum Patrimonii ordinatis, quæ cum eis indigeat, possunt cogi ad inserviendum, dato illis assignamento competenti pro servitio, ut respondit Sacr. Congr. Episcop. et Regular. *Archiepiscopo Cosentino* 5. *Apr.* 1593. et Sacra Congregat. Concil. *in Naxien.* 22. *Aug.* 1631. ut sequitur: « Ad 2. respondit, si hujusmodi Sacerdotes ad servitium Ecclesiæ Cathedralis in ipsa Ordinum susceptione vigore decreti prædefuncti Archiepiscopi hactenus executioni demandati eidem Ecclesiæ servitium præstare consueverint; nec non patrimonia, ad quorum titulum sunt ordinati, una cum redditibus extraordinariis, qui ex ipsa Ecclesia percipiuntur, ad honestam ipsorum sustentationem sint sufficientia, posse utique a suo Archiepiscopo compelli ad præstandum servitium, quod ejusdem Ecclesiæ necessitas

Digitized by Google

et utilitas requirit; » *lib.* 14. *decr. p.* 491.

(8. Et dato quod ob parvum numerum Canonicorum, et deficientiam Mansionariorum servitium Ecclesiæ Cathedralis detrimentum pateretur, tunc erit recurrendum ad Sacr. Congr. Conc. quæ solet indulgere, ut possint cogi Presbyteri, qui habent Beneficia, vel Capellanias in Cathedrali, ad inserviendum Missis solemnibus pro Diacono, et Subdiacono, assignata illis aliqua emolumentorum portione, prout indulsit Episcopo Civitatis Plebis *sub die* 21. *Jun.* 1631. tribuens eidem sequentem facultatem : « Eminentissimi Patres impertiti sunt Episcopo facultatem, ut pro necessario servitio suæ Ecclesiæ cogere possit quolibet die Festo duos ex obtinentibus Beneficia, seu Capellanias in eadem Ecclesia, ut dum Missa decantatur, duo ex eis per turnum inserviant, alter in officio Diaconi, alter in officio Subdiaconi, et pro eorum stipendio applicanda esse quolibet anno scuta decem monetæ ex mulctis, et pœnis Curiæ Episcopalis, quæ inter dictos Beneficiatos, habita ratione servitii præstiti, in fine anni dividi debeant; » *l.* 4. *dec. p.* 459. (9. De se enim, et sola sua facultate ordinaria nequit Episcopus compellere Clericos Sacerdotes habentes Beneficia personalem residentiam non requirentia, et tanto minus Clericos non Beneficiatos, ut Ecclesiæ Cathedrali inserviant, neque pro totis diebus festis, ut declaravit S. Congr. Conc. *in Americana* 15. *Jun.* 1639. *lib.* 16. *decret. pag.* 137. sic rescribendo : « Ab Episcopo non potuisse Sacerdotes, et alios Clericos nulla, vel tantum simplicia Beneficia obtinentes, etiam Diœcesanæ Synodi auctoritate compelli, ut dominicis, et aliis diebus Festis ad Ecclesiam Cathedralem accederent, et Missis majoribus, et aliis Divinis Officiis intersint, sed si aliquis adesset in ordinatione servitio dictæ Ecclesiæ Cathedralis adscriptus, qui locum inconsulto Episcopo desereret, interdicendum erit tantummodo sacrorum exercitium juxta cap. 16. sess. 23. de reform. » (10. Et de simplicibus Sacerdotibus, quod non possint compelli ad interessendum, et assistendum functionibus Ecclesiasticis in Cathedrali, adest resolutio Sac. Congregationis Episcoporum *in una Castri Maris* 20. *Martii* 1692. *emanata partibus informantibus ad relationem Claræ Mem. Cardin. Petruccii*, et concordant Decreta citata supra *num.* 5. (11. Clerici, aliive Presbyteri non Confessarii, cogi non possunt, sed hortari ad interessendum conferentiis casuum conscientiæ, ut pluries declaravit Sacr. Congr. Concil. et novissime in *Civitatis Plebis* 15. *Mart.* 1692. in qua collatis decretis, quæ ad invicem videbantur pugnare ad dubium propositum : « An Episcopus posset compellere Canonicos Confessarios, cæterosque Presbyteros Cathedralis sub pœna pecuniaria, ut accederent ad Congregationem casuum conscientiæ, *responsum fuit*, posse compellere omnes Sacerdotes sæculares Confessarios, etiamsi Canonici sint, cæteros autem hortari. » (12. Hæc resolutio, quæ cum antiquis Decretis relatis a Pignatelli. *consult.* 18. *n.* 8. a Panimoll. *dec.* 1. *annot.* 18. *n.* 20. concordat, fuit deinde confirmata *a Congreg. particulari deputata in Vigilien. Synodi* 20. *Maii* 1699. *in responsione ad* 35. *Decretum*, et iterum *in Cong. Gener. in Ariminensi* 16. *Jul. ejusd. ann.* 1699. et prius *in alia S. Angeli Bisacciarum.*

(13. Episcopus non potest Clericis Beneficiatis addere nova onera in fundatione Beneficiorum a fundatoribus non apposita, aut a Sacris Canonibus non imposita. Verb. grat. non potest injungere Clerico Beneficiato onus residentiæ, quod Testator, seu Fundator non injunxit; nec addere, quod Beneficiatus, seu Capellanus pro tempore per se ipsum Missas celebret, prout respondit Sacra Congregatio Concilii *in Viterbiensi* 11. *Januarii* 1698. *et in Asten.* 14. *Februarii* 1699. *et Mexicana* 16. *Maii ejusdem anni* 1699. (14. Neque alio modo Testatoris voluntatem immutare. Eadem Sacra Congregatio Concilii *in Derthonen.* 4. *Junii* 1701. (15. Barbosa supra Concil. Trident. *sess.* 25. *de reform. c.* 5. *n.* 7. ubi *n.* 11. addit, neque de consensu Patronorum posse Episcopum nova onera addere Clericis Beneficiatis; et sic decisum fuisse a Sac. Congr. Conc. refert Garcias *de Benef. par.* 7. *cap.* 1. *num.* 122. (16. Et ibi Garcias hoc ampliat, etiamsi aliquo tempore ex sua voluntate præstiterint; et tenent Riccius *in praxi parte* 4. *resol.* 468. *num.* 2. Fagn. *in cit. c. Conquerente, de Clericis non residentibus num.* 24. *et* 25. (17. Et etiamsi consensus Canonicorum, seu Beneficiatorum antecessorum intercessisset. Riccius *loc. cit. resolut.* 463. *per tot.* Monacell. *tom.* 3. *tit.* 2. *form.* 7. *num.* 21. (18. Episcopus non potest a Clericis exigere charitativum subsidium, nisi sit pauper; unde qui habet Congruam excedentem taxam Concilii, non potest illud exigere. Sacra Congreg. Episcopor. *in Policastren.* 19. *April.* 1697. *referente Clar. Mem. Cardinal Petrucci.* (19. Episcopus non potest exigere charitativum subsidium a Clericis non Beneficiatis. Leoncin. *de privil. pauper. par.* 2 *privil.* 50. *n.* 29. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop. alleg.* 87. *n.* 48. cum pluribus aliis ab ipso citatis. (20. Episcopus non potest cogere Clericos in Minoribus constitutos ad suscipiendos Ordines Majores sub pœna privationis privilegiorum Clericalium. Sacr. Congregatio Immunitat. *in Casertana* 22. *Augusti* 1628. *lib. Decret. Pauluc. pag.* 102. *in Neocastren.* 9. *Junii* 1637. *lib.* 4. *Decret. Pauluc. pag.* 34. (21. Clerici sæculares transire possunt ad Religionem non petita Episcopi licentia, immo ipso contradicente, textu expresso *in cap. Duæ sunt* 2. *caus.* 19. *quæst.* 3. ibi : *Quisquis igitur hoc spiritu ducitur etiam suo Episcopo contradicente, eat liber nostra auctoritate*, et in ejus Summario sic præcise dicitur : *Qui Monachorum propositum appetit etiam invito Episcopo suscipiendus est.* Fagnan. *cap. Licet* 18. *de Regul. n.* 28. Et sic expresse statuit novissime Benedictus XIV. *Constitut.* incip. *Ex quo.* Vide infra. *num.* 32.

(22. Clerici omnes, immo et Laici quantumcumque potentes tenentur Episcopo

Digitized by Google

præstare Canonicam Obedientiam; *cap. si autem nobis* 11. *caus.* 11. *quæst.* 3. *cap. Omnes Principes* 4. *et cap. Dilecta* 12. *de majorit. et Obedient.* (23. Clerici peregrinari non debent nisi de licentia Episcopi; *cap. Non oportet.* 35. *de consecrat. dist.* 5. *cap. Magnæ* 7. *de voto.* (24. Clerici non possunt testimonium judiciale perhibere in Foro sæculari sine licentia Episcopi; *cap. Testimonium* 11. *q.* 1. *cap. Super prudentiam et c. Quamquam* 14. *q.* 2. Bellet. *disquisit. Cleric. teste* § 2. *n.* 1. (25. Episcopus permittere debet, ut Presbyteri pro causis civilibus in Foro sæculari examinentur, dummodo ex eo aliquo modo criminalitas oriri non possit, et juramentum in tribunali Episcopi præstetur. S. Congr. Episcop. *in Tifernitana* 16. *Apr.* 1616. *et in Placentina* 19. *Jul.* 1619. (26. Licentia autem, quæ per Episcopum Clericis testimonium ferendi in Foro laico conceditur, gratis expedienda est, ut respondit Sac. Congreg. Immunit. *in. Aquilana* 5. *Maii* 1637. *ad n.* 2. *lib.* 3. *Decret.* Pauluc. *pag.* 30. (27. Clericus sponte deponens sine licentia coram Judice Laico, potest ab Episcopo puniri pœna arbitraria. Bellet. *disquis. Cleric. tit. de pœn. Cler.* §. 51. *num.* 14. Monacell. *tom.* 1. *tit.* 6. *form.* 3. *num.* 6. Ejus tamen depositio valida esset. Bellet. *disquis. Cleric. part.* 1. *tit. de Cleric. teste* § 6. *n.* 2. Monacell. *loc. cit.* et alii. (28. Episcopus in delictis difficilis probationis sibi notis potest extrajudicialiter, et sine processu Clericos, et Presbyteros a Divinis suspendere, prout declaravit S. Congr. Conc. *in Bonon.* 14. *Nov.* 1654. in qua cum supplicatum fuisset declarari : *An Ordinariis Locorum facultate sibi concessa* a *S. Conc. Trid. sess.* 14. *c.* 1. *de reformat. liceat ob legitimas causas suspendere etiam extrajudicialiter Clericos, et Presbyteros sæculares, etiam Parochos sibi subditos, sublata eis potestate appellandi?* Sac. Congregat. Conc. *censuit Ordinariis, ut supra, licere.* Quam declarationem refert Crispin. *de visit. Pastor. part.* 3. §. 5. *num.* 5. (29. Episcopus potest de facto absque judiciali monitione excommunicare Clericos, sive Laicos, qui se opponunt Visitationi, ut pro validitate Censurarum respondit Sac. Congreg. Conc. *in una Vicentina Juris Visitandi* 26. *Septemb.* 1699. 16. *Januar.* 1700. (30. Et cæteros qui solita obsequia et injuriose denegant. Ead. Sac. Congreg. *in alia Venafrana Interdicti* 26. *Januar.* 1697. Alia vid. verb. *Episcopus.*

(31. Clericis ne ad sacros, et ulteriores Ordines ascendant, prohibere potest Episcopus de occulto eorum crimine ex informata tantum conscientia conscius, sicut eo modo suspendere Clericos a Divinis, ut a S. Congregatione decisum traditur in Tract. *de Synodo Diœces. lib.* 7. *cap.* 71. § 3. Quod adeo verum est, ut nullo jure obstringi possit ad causam ejus suspensionis manifestandam. Fas est tamen reo querelas tantummodo suas, non appellationem Sedi Apostolicæ exponere, ut ex responso Congregationis traditur *ibid.* § 4. Ex quo fit, ut, etsi reus appellationem interposuerit, si interim ordinem suum solemniter exercuerit continuo irregularitatem incurrat; *ibidem* § 5. (1).

(32. Episcopus vetare non debet Clericis

(1) Confert hic addere, quæ, quoad facultatem Episcoporum suspendendi Clericos ab Ordinis exercitio ob occultum crimen, in foro externo non probatum, affert idem Benedict. XIV. *de Synodo Diœcesana lib.* 12. *cap.* 8. *a. n.* 3. *ad.* 5. *inclusive:* Ibi, ut sequitur, concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. *de reformat.* decrevit : *Ei, cui ascensus ad Sacros Ordines a suo Prælato ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extrajudicialiter fuerit interdictus, aut qui a suis Ordinibus seu gradibus, vel dignitatibus Ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Prælati voluntatem, concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus, et Dignitates, sive honores, restitutio suffragetur.* Ex quibus verbis colligitur, posse Episcopum ob occultum crimen, etiam extrajudicialiter cognitum, non solum Clericis prohibere ascensum ad Superiores Ordines, sed etiam a suscepti jam Ordinis ministerio eosdem interdicere. Quamvis enim in secunda decreti parte, ubi de suspensione est sermo, non iterentur illa verba *etiam ob occultum crimen, quomodolibet etiam extrajudicialiter;* constans nihilominus, et perpetua Sacræ Congregationis Concilii sententia fuit, ob continuationem sermonis censetur repetita, eaque utrumque casum complecti. Ab Episcopo siquidem Aleriensi interrogata : *An verba illa, ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, expressa dumtaxat in prima parte periodi, censeantur repetita in secunda parte, adeout inde colligi valeat, Prælatum nedum posse ob occultum crimen extrajudicialiter interdicere suo subdito ascensum ad Ordines, sed itidem ob occultum crimen posse etiam extrajudicialiter illum suspendere ab Ordinibus jam susceptis? Sacra Congregatio die* 24. *Novembris* 1657. *re sedulo examinata, censuit, non recedendum ab antiquis declarationibus super hoc eodem dubio pluries datis : ac proinde Affirmative respondit, lib.* 21. *Decretor. pag.* 134. Et cohærenter ad hanc responsionem eadem Sac. Congreg. die 16. Decembris 1730. sustineri dixit, *suspensionem a Divinis ab Episcopo Capritano ex informata tantum conscientia duobus Sacerdotibus inflictam, uti videre est in Thesaur. Resolut. Concil. tom.* 5. *pag.* 81. Itemque responsum dedit in causa *Oritana, seu Tarentina* 20. *Aug.* 1735. *ejusd. Thesaur. tom.* 7. *pag.* 115.

Adeo porro verum est, posse Episcopum virtute prædicti Decreti, ex causa sibi nota Clericum interdicere tam Sacrorum exercitio, quam ascensu ad altioris Ordinis gradum; ut neque teneatur *causam suspensionis, seu delictum manifestare ipsi reo, sed tantum Sedi Apostolicæ, si suspensus ad eam recursum habuerit.* Quod totidem verbis a Sac. Congreg. responsum legimus Episcopo Vercellensi *die* 21. *Maii* 1643. *lib. Decretor. pag.* 170 *et seq.* Atque universim loquendo, Episcopum renuentem alicui Ordines conferre, nullo jure obstringi ad manifestandam causam, cur cum repellat, neque ei, qui repulsus est, ullam competere appellationem, sed tantum permitti adire Sedem Apostolicam, eique suas querelas exponere, ead. Sac. Cong. disserte declaravit, cum ad Cardinalem Antonium Barberinum Archiepiscopum Remensem, Apostolica limina visitantem, atque hac ipsa de re Sacræ Congr. sententiam scisciantem, diei 21. Aprilis 1688. in hunc modum respondit : *Cum nullus ordinari debeat, quem Episcopus suæ Ecclesiæ utilem aut necessarium non judicaverit, Congregatio non semel declaravit, ab hujusmodi judicio nullam dari appellationem, sed recursum dumtaxat ad Sedem Apostolicam, quæ, juxta ipsius Congregationis sententiam, per Gregorium XIII. felic. record. approbatum, quotiescumque*

Digitized by Google

sæcularibus transitum ad claustra Regularia; ipsis enim licet sanctioris vitæ statum etiam contradicente Episcopo amplecti, et ingredi Religionem non solum deditam vitæ contemplativæ, sed etiam activæ. Benedictus XIV. *tom.* 2. *Constitut.* 25. incip. *Ex quo.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(33. De jure, ut monet Auctor, simplices Presbyteri, qui de redditibus Ecclesiæ non participant, cogi ab Episcopo nequeunt ad ullum ipsi servitium præstandum. (34. Dubitari vero potest, num aliquid novi hac in re statuerit Concilium Romanum *tit.* 6. *cap.* 2. (35. Verum recte perpenso hoc Concilii Romani loco, perspicuum est, ipsum non de Presbyteris, sed de Clericis aliisque in sacris constitutis, sed nondum Presbyteris, loqui, ut sensit S. Congregatio Concilii interpres *in Segnen. Decretorum* 2. *Novembris* 1749. *ad dub.* 11. Conceptum enim ita erat dubium : « An aliud decretum in visitatione editum, quo præcipitur, ut omnes Presbyteri præter legitime impeditos interesse teneantur Missæ sacrificio per unum Canonicum cum expositione SS. Sacramenti in quolibet die Jovis celebrari solito sub eadem pœna sustineatur? » Respondit vero d. S. Congregatio : *Negative, et esse hortandos, sed non esse cogendos.*

(36. Clericus, quoad Ordines; vide verb. *Ordo.*

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(37. Ex mente ac sententia Ecclesiæ, Clericis Tonsuram conferri, ut per eam Militiæ Christi adscribantur, et ita a sæculi servitute liberati, Deo fidelem cultum præstent, nemini dubium esse potest.

Hinc a Tonsura Clericali Clerici nuncupantur, et de foro Ecclesiæ constituuntur, atque ita privilegia Clericalia adipiscuntur, uti ipsemet Episcopus ordinans ex Pontificali Tonsurandis denunciat, dicens : *Filii carissimi, animadvertere debetis, quod hodie de Foro Ecclesiæ facti estis, et privilegia Clericalia sortiti estis.* Pontif. Roman.

(38. Nihil adeo vocationi Clericali oppositum, nihilque Ecclesiæ magis probrosum, et Laicis scandalosum, quam otiosam esse ac inertem Clericorum vitam.

(39. Hinc jam pridem sollicita fuit Ecclesia, ne qui in Clerum assumeretur; nisi certo loco adscriberetur, ubi functionibus Ordini suo convenientibus occuparetur, et vitam Clerico dignam institueret.

(40. Quam disciplinam Canone sexto Concilii Chalcedonensis probatam, sed temporum injuria pene collapsam, restauratam volens Synodus Tridentina, inhærendo vestigiis dicti Concilii, statuit : « Ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. » *Sess.* 23. *cap.* 16. *de Reform.*

(41. Ab hac regula non immerito excipiuntur in Universitate aut Seminario degentes, hi enim præter quam quod in Oratoriis Collegiorum aut Seminariorum functiones Ordinum obire soleant, etiam studiis aliisque exercitiis se ad altiores Ordines, et majores functiones obeundas ex voto Ecclesiæ præparant.

(42. Clerici possunt certæ Ecclesiæ adscribi tum ipsa ordinatione, tum per Beneficiorum acceptionem, et Canonicam in iis institutionem.

(43. Semel ac quis alicui Ecclesiæ adscriptus est, ita eidem alligatur, ut eam, inconsulto Episcopo, numquam deserere possit. Et si quis, inconsulto Episcopo, eam deseruerit, Synodus Tridentina vult, ut eidem sacrorum exercitium interdicatur.

(44. Quæ disciplina pristinis Ecclesiæ Canonibus conformis, et pluribus Romanorum Pontificum rescriptis confirmata, tali auctoritate donata est, ut juris communis partem hodiedum constituat.

(45. Ita ut nec Episcopis alienos Clericos sine licentia proprii Episcopi suscipere ex Canonibus unquam licitum esse possit.

(46. Quam odiosæ semper fuerint Clericorum de una ad aliam Ecclesiam migrationes, quæ vel ex ambitione, vel ex avaritia procedere solent, probat vel ipsa pœna a Concilio Chalcedonensi inflicta tam in Episcopum suscipientem, quam in Clericum susceptum, quæ est, ut ille ab exercitio Pontificalium, iste vero a functionibus Ordinis suspendatur. Quam pœnam, optandum maxime, ut hodie Clerici illi saltem expenderent, qui non alio quam lucri aut proprii commodi vel promotionis intuitu videntur Eccclesiæ esse adscripti; ita ut dubium esse non pos-

Ordinarius recusaverit quemcumque ordinare, Metropolitano, aut viciniori Episcopo committit, ut ab eorum Ordinario prius requirat causam recusationis, quo legitimam non allegante, licet illi eumdem recusatum ordinare. Itaque si qui ex Diœcesanis Episcoporum Eminentiæ vestræ Provincialium Sedem Apostolicam adiverint, juxta prænarratam formulam, eorum querimoniis consuletur, cui formulæ, ut unum in præsens addatur, censuerunt expedire EE. PP. videlicet, ut Metropolitanus, aut vicinior Episcopus, antequam commissas sibi partes exequi aggrediantur, paterne curent, ut illi denuo apud suos Episcopos per tres vices suppliciter petant; lib. 16. *Literar. Visitationis Sacror. Liminum p.* 441.

Ex hoc vero, quod suspensus ab Episcopo ob occultam causam, quam tamen Episcopus sibi notam asserit appellare nequeat ad Superiorem, necessario consequitur, quod si nihilominus appellationem interponere, ejusque obtentu in Altari ministrare, seu quovis modo suum Ordinem solemniter exercere præsumat, statim incidat in irregularitatem. Quidquid enim in contrarium senserint nonnulli Doctores, ita expresse definivit *Sac. Cong. Concil. in Sagonen.* 21. *Junii* 1625. *lib.* 24. *Positionum pag.* 1. ubi hæc adnotantur : *Episcopus Sagonentis ex facultate sibi attributa Decreto Concilii cap.* 1. *sess.* 14. *ex causis sibi notis suspendit Parochum ab exercitio Curæ : sed ille appellavit, et præcepto Episcopi contempto, celebravit, et Curam exercuit. Quæritur, an a dicta suspensione non detur appellatio, ita ut Parochus, non obstante appellatione interposita, per exercitium Curæ effectus fuerit irregularis? Sac. Cong. Concil. censuit, ab hujusmodi suspensione non dari appellationem, et Parochum, qui Sacramenta ut supra ministravit, irregularitatem contraxisse.*

Digitized by Google

sit quin deserturi eam sint, ubi majus lucrum, vel aliud quidpiam temporale offerretur.

(47. Ex præallegata disciplina infertur, quod Clerici ad Ordines promoveri non possint nisi a proprio Episcopo.

(48. Item quod hujusmodi promotio sive ordinatio peragi non valeat, nisi ad titulum illius Ecclesiæ, cui Clerici sunt adscripti.

(49. Et titulum Ordinationis acceptum fuisse pro Ecclesia, cui Clerici adscriberentur eum in finem, ut ibidem stabiliter functiones Ordini proprias obirent, indubitatum est; ita ut ante sæculum XII. quum de titulo Ordinationis agebatur, numquam mentio Patrimonii aut proventuum, unde Clerici sustentationem accipere possent, ullibi facta fuerit.

(50. Quum itaque Patrimonii titulus invaluerit, non amplius titulus Ecclesiasticus acceptus fuit pro Ecclesia, sed pro proventibus, e quibus ipse Clericus honeste vivere possit.

(51. Hinc Synodus Tridentina duos Ordinationis titulos agnovit, *Beneficialem* scilicet et *Patrimonialem*, cum hac tamen differentia, ut primus *Ordinarius*, alter vero *Extraordinarius* habeatur.

(52. Ex quo concludendum esse videtur Synodum non voluisse in titulo Ordinationis solum attendi, utrum Ordinandus habeat sufficiens vitæ subsidium; id enim æque ex Patrimonio, quam ex Beneficio haberi potest, sed insuper ut Clericus alicui Ecclesiæ vi sui tituli adscriptus esset, ubi stabiliter functionibus sui Ordinis incumberet; quemadmodum Patrum disciplina religiose servavit, quæ Clericos otiosos et vagantes, nulli speciali Ecclesiæ adscriptos, exclusos ab ordinatione volebat.

(53. Quum autem per ordinationem Clerici Ministri Ecclesiæ efficiantur, æquum est, ut ipsi Laicorum sint Magistri et Doctores, ea vitæ integritate viventes, ut, quæ verbo alios docent, operibus non negent.

(54. Hinc plurima a Clericis sunt plane cavenda, ut sunt inhonestas in habitu, incontinentia, et familiarior cum mulieribus conversatio, ebrietas, comessatio, popinarum frequentatio, ludus alearum seu a fortuna dependens, venatio, mercatura, et hujusmodi alia, de quibus Auctor noster fuse disserit.

(55. Quum de exemptione Clericorum sermo est, non sic eam competere Ecclesiæ intelligendum est, quin supremus Princeps, qui eam benigne indulsit, possit eamdem restringere, mutare, ac ejusdem legitimum usum præscribere, ubi commune bonum id exegerit; uti etiam eos non raro fecisse constat. Manet enim semper apud illos summa potestas ordinandi, statuendi, et agendi, quæ ad subditorum et Reipublicæ commodum, secundum Deum judicaverint expedire.

(56. Quo vero ad immunitatem, de qua Auctor noster, si Decretales attendamus, evidens est Clericos, sive personas Ecclesiasticas immunes esse ab exactionibus ac talliis et oneribus patrimonialibus, quæ personalia dicuntur.

(57. Sed quemadmodum hæc Ecclesiæ et Clericorum immunitas præsertim ab oneribus temporalibus non ita est accipienda, quasi esset jure divino præcepta et stabilita; ideo ut pro temporum et locorum diversitate variam circa ipsam fuisse et adhuc esse disciplinam constat, ita in hac materia non nisi consuetudo et usus receptus attendenda videntur.

(58. Inter onera mere personalia, sed tamen patrimonialia, est illud quod *Capitatio* dici consuevit, estque vectigal sive tributum, quod pro capite solvitur, puta quod patresfamilias pro singulis capitibus ærario publico dependere coguntur.

(59. Ab hoc titulo sive onere Clericos esse immunes, ex Jure scripto evidens est: quum nimis evidens sit hujusmodi oneris impositione Ecclesiasticas personas a laicis gravari contra *Cap. 7. tit. de Immunit. Eccles. et cap. 1. de Censibus. in* 6.

(60. Quoad hanc materiam nihil aliud subjungendum ducimus, nisi quod optimum et efficacissimum medium conservandæ immunitatis bonorum Ecclesiasticorum erit, si bona Ecclesiastica in usus Ecclesiasticorum operantium in vinea Domini, et ex iis moderate viventium, et alimenta pauperum aliosve pios usus impenderentur. Si enim hunc in usum bona Ecclesiæ impendi viderent Principes, haud dubie non secus ac majores ipsorum ad bona illa Ecclesiis integra servanda incitarentur; ubi e contra, dum ea in usus profanos, contra Fundatorum et Offerentium intentionem, insumi conspiciunt, parum existimant piaculi, dum ea in Reipublicæ commoda convertunt; tuncque sæpe locum habet illud vulgatum: *Quod non capit Christus, rapit Fiscus.*

CLERUS.

ARTICULUS NOVISSIMUS.

SUMMARIUM.

1. Clerum tamquam membrum Reipublicæ Principibus subjici, expeditum est.—2. Annua dona offerebantur Principi a sæcularibus, et Ecclesiasticis. —3. Quibus Clerus debito suo erga Principes satisfacere intendebat. — 4. Quid Patres congregati in Synodo secus Theudonis Villam hac de re statuerint. —5. Et Ecclesia probavit, ut etiam ex Ecclesiæ facultatibus Reipublicæ et Principibus ad defensionem Regni, etc., subsidium feratur.—6. Occasione expeditionis Hierosolymitanæ cœpisse a Clero postulari contributionem compertum est. — 7. Hæc contributio etiam exigi cœpit ad bellum conficiendum contra alios hæreticos. — 8. Processu temporis adeo frequentes fuerunt impositiones, ut fere ordinariæ fierent. — 9. Quas Clerus in defensionem et conservationem Regni et Ecclesiæ annuere non destitit. — 10. Quam contributionem in casu necessitatis Principes a Prælatis et Clero petiere. — 11. Quomodo postea hujusmodi impositio exacta fuerit. — 12. 13. Quæ ratio tenenda sit in annuendis subsidiis. — 14. Verisimile non est, Principes desiderare, ut per subsidia competentia pastoralis minuatur.

Digitized by Google

(1. Clerum omnem, tamquam membrum et partem Reipublicæ, Principibus subjici, expeditum est. *Omnis* enim *anima* (teste Apostolo ad *Rom.* 13. *v.* 1.) *potestatibus sublimioribus subdita sit.*

(2. Certum est, quod jam pridem in more fuerit, ut non tantum sæculares, sed et Ecclesiastici Proceres annua dona sive munera Principi offerrent.

(3. Quod per hæc dona Clerus satisfacere intenderet debito suo erga Principes per Apostolum denuntiato, scribit Hincmarus Remensis Opusculo *De Ordine Palatii*. Verba ejus sunt : Causa suæ defensionis Regi ac Reipublicæ vectigalia, quæ nobiscum annua dona vocantur, præstat Ecclesia, servans quod jubet Apostolus, *Cui honorem, honorem; cui vectigal, vectigal*, præstate Regi ac Defensoribus vestris. *Rom. c.* 13. »

(4. Etiam Patres congregati in Synodo secus Theudonis Villam statuerunt, ut Clerus, et omnes Ecclesiastici, quantum possunt, non tantum spirituali, sed et temporali subsidio Regi auxilio essent. Verba Synodi sunt : « Unusquisque vir Ecclesiasticus et intercessionis adjutorium, et solatii, quo Respublica indiget, subsidium, juxta quantitatem rerum Ecclesiæ sibi commissæ, salvo jure, quod exinde divinis dispensationibus debet impendi, prompte et ex animo parato et impigro, sicut tempore Antecessorum vestrorum consueverat, studebit afferre. »

(5. Et sane numquam Ecclesia non probavit, ut etiam ex Ecclesiæ facultatibus Reipublicæ et Principibus ad defensionem Regni, aliasque necessitates, liberali et grato animo subsidium feratur.

(6. Occasione expeditionis Hierosolymitanæ pro recuperatione *Terræ Sanctæ* pro expensis illius expeditionis sustinendis, cœpisse a Clero postulari contributionem, apud omnes in confesso est.

(7. Hæc contributio etiam exigi cœpit ad bellum conficiendum contra alios hæreticos. In Concilio enim Bituricensi decretum fuisse legitur : « Clerus cum animi gaudio, de pura liberalitate, ne tanto negotio deesse videretur, dimidiam partem decimæ, non quidem nomine decimæ, sed obtentu subsidii persolverunt, aliam partem et etiam majorem, si expediret, si Deus eumdem Regem reservasset incolumem, et in eodem negotio persistentem, libenter, et liberaliter soluturi. »

(8. Processu temporis adeo frequentes fuere hæ decimarum impositiones, ut fere annuæ et ordinariæ fierent, et Reges eas in suum ærarium referre postea non dubitarunt.

(9. Interim Clerus jam quodammodo assuefactus huic decimarum pensitationi, eam in defensionem et conservationem proprii Regni et Ecclesiæ annuere non destitit.

(10. Et hac contributione, titulo defensionis vel tuitionis, semel introducta, eam in casu necessitatis a Prælatis et Clero Principes passim petiere.

(11. Ut autem progressu temporis Pontifices Romani voluerunt, ut absque expressa Sedis Apostolicæ licentia non liceret in aliquam contributionem consentire; ita interdum impetrata licentia Pontificum, interdum ipso Clero in subsidium ad postulationem Regum consentiente, hujusmodi impositionem exactam fuisse, multis ostendit Ludovicus Thomassinus *De Discipl. Eccles. part.* 4. *lib.* 3. *cap.* 24.

(12. In annuendis subsidiis ea ratio potissimum tenenda videtur, ut dum necessitatibus Patriæ succurri prætenditur, ipse Clerus, ac signanter Pastores et animarum Directores suis necessariis non priventur.

(13. Unde omnino justum est, dum subsidio aut aliqua voluntaria contributione Clerus gravatur, ut ipsa Pastoralis competentia omnino servetur exempta.

(14. Et nullatenus verisimile est, Principes desiderare, ut per subsidia competentia Pastoralis minuatur, qui tantopere solliciti fuerunt ut sine mora Parochis de competentia provideretur.

COADJUTOR.

SUMMARIUM.

1. Coadjutoria quid sit. — 2. Coadjutoria est duplex: una temporalis, et revocabilis, seu data sine jure succedendi in Ecclesia; et alia perpetua, et irrevocabilis, seu data cum jure succedendi, et qualis sit utraque. — 3. Coadjutoria perpetua cum Jure succedendi est Sacris Canonibus inimica, et odiosa, et expresse prohibita a Concilio Tridentino. — 4. Unde Coadjutoria perpetua cum futura successione, concedi non potest nisi per Papam. — 5. Talis perpetua Coadjutoria cum futura successione nequit concedi a Cardinali Legato, seu Nuncio. — 6. Coadjutoria autem temporalis sine futura successione in Ecclesiis, et Beneficiis Episcopatu inferioribus potest concedi a proprio Prælato. — 7. Coadjutoria vero temporalis, sine futura successione in Ecclesiis Episcopalibus, aliisque superioribus pertinet ad solum Papam, non obstante consuetudine contraria; *ad num.* 8. — 9. Coadjutor quis et quid sit. — 10. Coadjutor unde dicatur. — 11. Coadjutor ob varias causas dari potest, et solet. Primo datur Coadjutor simpliciter, et sine futura successione Clericis ob morbum incurabilem, et perpetuum. — 12. Secus est dicendum, si morbus sit curabilis, et temporalis. — 13. Secundo propter lepram. — 14. Tertio datur Coadjutor Beneficiato propter amissum usum linguæ. — 15. Quarto dandus Coadjutor Clerico Beneficiato propter ejus amentiam. — 16. Quinto datur Coadjutor propter senectutem, atque ingravescentem ætatem Beneficiati. — 17. Sexto propter imperitiam, et illiteraturam Rectorum Ecclesiarum Parochialium. — 18. Coadjutor debet habere omnes qualitates de jure requisitas ad illud Officium, pro quo datur. Unde debet esse constitutus in illa ætate, quæ ad obtinendum illud Beneficium, seu Ecclesiam requiritur. — 19. Et si Coadjutor datur in spiritualibus Parocho, aut Episcopo, debet habere scientiam, et prudentiam, qua scit populum regere, Parochiam vel Diocesim gubernare, etc. — 20. Coadjutor datus Episcopo universaliter quoad spiritualia, debet esse Episcopus consecratus, aliter non posset exercere Pontificalia; sed solummodo Jurisdictionem Episcopalem. — 21. Si vero datur Coadjutor Episcopo, vel alteri Beneficiato solum in temporalibus, debet esse fidelis et probus, et circumspectus administrator. —

Digitized by Google

23. Coadjutor fere coincidit cum Administratore. — 25. Et etiam Coadjutor fere coincidit cum Suffraganeo. — 24. Et ideo Coadjutoria, et suffraganeatus sine successione, et solum temporalis expirant per obitum Episcopi. — 25. Sicuti etiam cessat redeunte Episcopo absente, aut Episcopo ex dispensatione Apostolica ætatem debitam attingente illico cessat Officium Administratoris interim constituti. — 26. Quamvis autem Coadjutoria temporalis, sicuti et suffraganeatus, et Administratio cesset statim mortuo Coadjuto; Coadjutoria tamen perpetua concessa per Sedem Apostolicam cum futura successione non expirat per obitum Coadjuti. — 27. An perpetuus Coadjutor datus Episcopo cum futura successione, et cum libera potestate administrandi, possit ipso Episcopo Coadjuto vivente, et contradicente, solus administrare, quæ sunt Jurisdictionis spiritualis, seu temporalis; *ad n.* 30. — 31. Coadjutor vivere debet, et recipere congruam portionem de proventibus Ecclesiæ, seu Beneficii, cujus Prælato, vel Beneficiato datus est. — 32. Et in hoc conveniunt omnes Doctores, quando redditus Ecclesiæ sunt abundantes, seu saltem sufficiunt pro congrua sustentatione tam Coadjutoris, quam Coadjuti. — 33. Quando redditus Ecclesiæ non sufficiunt pro utroque, quis sit præferendus; *ad n.* 41.—42. Afferuntur variæ responsiones, et declarationes datæ a Sacra Congregatione Rituum, quoad ea, quæ concernunt Coadjutorem perpetuum datum Archiepiscopo, vel Episcopo; *ad num.* 52. — 53. Coadjutor Episcopi non sedet celebrans, nisi in Faldistorio, neque habet Diaconos assistentes, neque Canonicos paratos, neque septimum Candelabrum. — 54. Nec utitur Baculo, nisi in Ordinationibus. — 55. Ipse tamen Coadjutor Episcopi celebrans præter Diaconum, et Subdiaconum, debet habere assistentem Canonicum pro libro. — 56. Coadjutor Episcopi non tenetur visitare Limina Apostolorum; sed Coadjutus. — 57. Coadjutor Episcopi etiam non adhibitus ad ullam functionem, tenetur residere; nec discedere potest absque consensu Coadjuti, vel licentia Sacræ Congregationis, et tenetur, quoties fuerit requisitus, Pontificalia, et alias functiones obire, quamvis Coadjutus propria impedimenta non probet. — 58. Non potest dictus Coadjutor præsente Coadjuto Benedictionem Pontificalem impertiri; non est tamen cogendus in hoc casu Missas, aut Vesperas celebrare, sed hoc peragi debet a simplici Canonico, vel Dignitate; tenetur tamen interesse Concioni in Cathedrali etiam absente Coadjuto, in loco decenti, et separato, sed non sub Baldachino. — 59. Coadjutor debet quoties fuerit requisitus Coadjutum in Visitatione comitari, expensis tamen ipsius Coadjuti pro eo, et familia, et absque ulla exactione Procurationis ratione ejusdem Coadjutoris. Visitans autem ex commissione Coadjuti non potest recusare assistentiam Vicarii Generalis cum facultatibus, quas ei dare Coadjuto placuerit. — 60. Cum Episcopus habens Coadjutorem est impeditus, non potest functiones alteri, quam Coadjutori delegare. — 61. Episcopus Coadjutus debet dare suo Coadjutori commoditatem habitationis in Palatio Episcopali, et omnia necessaria pro exercitio Pontificalium, et pro aliis Episcopalibus functionibus. — 62. Coadjutor separatum Tribunal statuere, aut habere non potest, sed in consueto Tribunali Episcopi Jus reddendum est. — 63. Episcopus residere tenetur, licet habeat Coadjutorem. — 64. Coadjutor Archiepiscopi Metropolitani Bononien. debet præcedere vexillifero ejusdem Civitatis. — 65. Coadjutor Episcopi in Synodo Provinciali debet sedere inter Episcopos Provinciales loco suæ promotionis. — 66. Coadjutor Parochi in absentia Coadjuti in functionibus Parochialibus præcedit Beneficiatos, et recipit eadem emolumenta, quæ Coadjuto debentur. — 67. De Coadjutoribus perpetuis Canonicorum. *Remissive.* — 68. Episcopo Titulari suffraganeo, qualis honor, et præeminentia debeatur in Ecclesia, in qua vice Episcopi Ordinarii functiones Pontificales exercet; *ad num.* 69. — 70. Episcopus suffraganeus, quando nomine proprii Episcopi exercet functiones Episcopales, debet habere assistentiam Dignitatum, et Canonicorum. — 71. Episcopus Suffraganeus solemniter celebrans non debet habere assistentiam duorum Canonicorum ultra Diaconum, et Subdiaconum, qui sunt cantaturi Evangelium, et Epistolam: sed sufficit Diaconus, et Subdiaconus, et unus Canonicus paratus cum pluviali ad librum. — 72. Episcopo Suffraganeo solemniter celebranti non debent Canonici assistere, sicuti assisterent Episcopo proprio, sed in Habitu ordinario, et Canonicali. — 73. Episcopo Suffraganeo facienti Ordinationes, vel alias functiones nomine proprii Episcopi, Canonici debent assistere in Habitu ordinario Canonicali præter aliquos, qui juxta necessitatem Officii debent accipere paramenta. — 74. Episcopo Suffraganeo non tenentur Canonici obviam ire usque ad cubiculum, sicuti teneatur proprio Episcopo venienti ad Ecclesiam; sed satis est, si aliqui Canonici ei obviam procedant usque ad portam Ecclesiæ. — 75. Episcopus Suffraganeus solemniter celebrans non debet sedere in Sede Episcopali, sed in Faldistorio. — 76. Episcopus Suffraganeus solemniter celebrans non debet uti Baculo Pastorali, nisi in Ordinationibus, et aliis actibus necessariis. — 77. Episcopo Suffraganeo solemniter celebranti non debet poni super Altare septimum Candelabrum, sicut ponitur celebrante Episcopo Ordinario. — 78. Episcopus Suffraganeus non dispensat super Interstitiis, nisi habeat speciale mandatum, neque votum habet in approbatione Ordinandorum, nisi sit ex numero Examinatorum. — 79. Episcopus Suffraganeus, ubi per Diœcesim pro Pontificalibus exercendis proficisci contigerit expensas ab Episcopo habere debet. — 81. Episcopus Suffraganeus non potest visitare Clausuram Monasteriorum Monialium, nisi sit simul Vicarius Generalis, et ab Episcopo, cujus est Suffraganeus, facultatem Vicarii Generalis, vel aliud speciale mandatum habeat. — 81. Coadjutorem habens in animarum cura, aut in Canonicatu, tenetur residere in loco Parochiæ, et Canonicatus. — 82. De Coadjutoria. *Remissive.* — 83. 84. Gratia Coadjutoriæ cum futura successione non est valida, si consensus detur a Procuratore post obitum Coadjuti. — 85. Quando qualitates necessariæ concurrere debeant in Coadjutore. — 86. Coadjutore effecto impotente ad servitium Ecclesiæ, cessat gratia Coadjutoriæ.

(1. Coadjutoria est facultas ex causa auctoritate Juris vel Judicis cuipiam concessa adjuvandi Prælatum, vel alium Beneficiatum in Ecclesiæ, vel Beneficii regimine. *Est in re communis.* (2. Et Coadjutoria est duplex: una temporalis, et revocabilis, seu data sine jure succedendi in Ecclesia, seu Beneficio, per quam Prælato, seu Rectori Ecclesiæ, aut alii Beneficiato propter infirmitatem, aliamve causam impedito ab exercitio sui muneris datur Coadjutor quamdiu is vivit; *cap. Ex parte sua, et cap. in Consultationibus* 6. *de Clerico ægrotante.* Alia est perpetua, et irrevocabilis, seu data cum jure succedendi in Ecclesia, seu Beneficio, per quam Coadjutori jus tribuitur mortuo Coadjuto in ejus Ecclesiam, seu Beneficium succedendi. (3. Et hæc ex stylo est adinventa, ut apud Cassiod. *decis.* 2. *num.* 2. *de rest. spoliat.* Fagnan. *in d. cap. Ex parte sua num.* 15. Cum talis Coadjutoria sit Sacris Canonibus inimica, et odiosa; *cap. Accepimus* 5. *de pactis, cap. Nulla* 2. *de Con-*

Digitized by Google

cessione Præbend. cap. Detestanda 2. *cap. Ne captandæ* 3. *de concess. Præbendæ in* 6. et expresse prohibita a Concil. Trident. *sess.* 25. *de reformat. cap.* 7. *vers. in Coadjutoriis*, ibi : « In Coadjutoriis quoque cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis permittantur. » (4. Unde Coadjutoria perpetua cum futura successione, utpote Sacris Canonibus odiosa, et Patrum Decretis contraria, concedi non potest, nisi per Papam, cum ipse solus secundum plenitudinem potestatis de Jure possit supra Jus dispensare ; *cap. Proposuit* 4. *de concessione præbend.* ibi : « Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra Jus dispensare. » (5. Hinc fit quod talis perpetua Coadjutoria cum futura successione, nequeat concedi neque a Cardinali Legato, seu Nuncio Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancellariæ gloss.* 5. § 9. *num.* 91. Garcias *de Benefic. par.* 4. *cap.* 5. *num.* 19. Moneta *de Distributionibus quotidianis par.* 2. *q.* 1. *num.* 33. Paris. *de resignat. lib.* 6. *q.* 5. *num* 15. *et lib.* 7. *qu.* 20. *n.* 14. (6. Coadjutoria autem temporalis sine futura successione in Ecclesiis et Beneficiis Episcopatu inferioribus, potest concedi a proprio Prælato. Parochis enim, et aliis Beneficiatis Episcopo inferioribus, qui propter infirmitatem incurabilem, aut aliud perpetuum impedimentum munus suum adimplere nequeunt, Coadjutorem temporalem dare pertinet ad proprium Episcopum, quia sicuti Episcopus potest eos instituere et destituere in Beneficiis, ita potest etiam, et quidem a fortiori, Coadjutorem dare. Ita Jo. Andr. *in cap. Consultationibus* 6. *de Clerico ægrotante* n. 7. Abbas *ibid. num.* 5. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell. glos.* § 9. *n.* 38. cum aliis ab ipso citatis. (7. Notanter vero dictum fuit in Ecclesiis, et Beneficiis Episcopatu inferioribus; quia Coadjutoris datio etiam temporalis Episcopis, et Superioribus Prælatis, est de causis majoribus, et pertinet ad solum Papam, non obstante consuetudine contraria ; textu expresso *in cap. Pastoralis unic. de Cleric. ægrot. in* 6. ibi : « Pastoralis Officii debitum exequentes declaramus, atque statuimus, Coadjutoriam Episcoporum, et superiorum Prælatorum intelligendam esse de causis majoribus, et referendam ad Sedem Apostolicam, ac ab ea (consuetudine non obstante contraria) tantummodo postulandam. » (8. Nec obstat textus *in cap. Ex part.* 4. *de Cler. ægrotante;* quia potius facit pro hac parte, quia Episcopus Arelatensis ibi signatus non dedit Coadjutorem Episcopo Comprovinciali auctoritate ordinaria, sed tamquam Sedis Apostolicæ delegatus ; ut patet *ex littera*, ibi : *Mandamus*, et observant ibi Card. *in* 4. *not.* Abbas *num.* 3. Guid. Papa *num.* 2. Fagn. *n.* 2. et Glossa *in d. cap. Pastoris, verb. Tantummodo.*

(9. Coadjutor est ille, qui datur ex causa Juris vel Judicis auctoritate ad coadjuvandum Officium Præsidentis, seu Ministri Ecclesiæ. Ita Joan. Andreas *in cap. Consultationibus* 6. *de Cler. ægrot. n.* 3. *vers. deprimo die*, et ibi Butr. Card. Ancharan. Abbas, et alii communiter cum Fagnan. *n.* 22. (10. Dicitur enim Coadjutor a coadjuvando, sicuti Tutor a tuendo, quasi Tuitor, et Defensor; *l.* 1. *ff. de tutel.* Fagnan. *loc. cit. n.* 13. (11. Coadjutor ob varias causas dari potest, et solet. Primo datur Coadjutor simpliciter, et sine futura successione Clericis ob morbum incurabilem, et perpetuum; *c. ex par.* 5. *de Cler. ægrot.* « ibi · Gravi et incurabili morbo ; *cap. Pastoralis unic. de Cleric. ægrot. in* 6. ibi : « Incurabili morbo gravatus et perpetuo impedimento detentus. » (12. Secus est dicendum, si morbus sit curabilis, et temporalis, tunc enim ipsemet Clericus ægrotus poterit sibi Vicarium temporalem constituere pro tempore morbi durantis ; *arg. cap. Adjicimus* 19. *cau.* 16. *qu.* 1. juncto Concilio Trid. *sess.* 21. *c.* 1. *de reform.* ubi Rectores Ecclesiarum jubentur « sibi tot sacerdotes ad munus Pastorale adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda et cultum Divinum celebrandum. » Ita Joan. Andreas *in d. c. Consultationibus n.* 6. Fagnan. *ibi n.* 11. 12. *et* 13. citans Hostiensem *in cap. Clericos, de offic. Vicar.* et alios. (13. Secundo propter lepram, cum ratione lepræ non possit leprosus Clericus sua officia obire sine scandalo, et horrore populi ; *c. de Rectoribus* 3. *de Cleric. ægrotante*, ibi : « De Rectoribus Ecclesiarum lepræ macula usque adeo infectis, quod Altari servire non possunt, nec sine magno scandalo eorum, qui sani sunt, Ecclesias ingredi, hoc volumus te, quod eis dandus est Coadjutor, tenere. » Concordat *c. Tua nos* 4. *eodem tit.* (14. Tertio datur Coadjutor Beneficiato propter amissum linguæ usum ; *c. Consultationibus* 6. *de Cleric. ægrot.* ibi : « Archidiacono autem, quem morbo paralitico laborantem officium linguæ asseris amisisse, Coadjutor est merito adhibendus. » (15. Quarto dandus est Coadjutor Clerico Beneficiato propter ejus amentiam ; *c. Quamvis* 14. *caus.* 7. *qu.* 1. *cap. Pastoralis, unic. de Cleric. ægrot. in* 6. (16. Quinto datur Coadjutor propter senectutem, atque ingravescentem ætatem Beneficiati, qua ipse reddatur perpetuo inutilis ad executionem Officiorum suorum; *cap. Petiisti* 17. *q.* 1 *et d. c. Pastoralis*, ibi: « Episcopus senio aut valetudine corporali gravatus, vel etiam alias adeo impeditus perpetuo, ut suum Officium nequeat exercere. » (17. Sexto propter imperitiam, et illiteraturam Rectorum Ecclesiarum Parochialium, textu expresso in Concilio Trid. *sess.* 21. *c.* 6 *de reformat.* ibi : « Quia illiterati, et imperiti Parochialium Ecclesiarum Rectores Sacris minus apti sunt Officiis... Episcopi etiam tamquam Apostolicæ Sedis Delegati eisdem illiteratis, et imperitis, si alias honestæ vitæ sint, Coadjutores, aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint. »

(18. Coadjutor debet habere omnes qualitates de Jure requisitas ad illud officium, pro quo datur. Sic expresse statuit Concilium Tridentin. *sess.* 25. *c.* 7. *de Reform.* Unde debet esse constitutus in illa ætate, quæ ad obtinendum illud Beneficium, seu Ecclesiam requiritur. Rota *dec.* 347. *n.* 3. *par.* 3. *div.* Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. gloss.*

Digitized by Google

5. § 9. n. 6. Garcias *de Benefic. part.* 7. *cap.* 4. *in fine;* Barb. *in Conc. Trid. sess.* 25. *de Reform. c.* 7. *n.* 38. *et de Canonicis c.* 29. *n.* 48. Squillant. *de privileg. c.* 4. *n.* 97. et alii passim. (19. Et si Coadjutor datur in Spiritualibus Parocho v. gr. aut Episcopo, debet habere scientiam et prudentiam, qua sciat populum regere, Parochiam, vel Diœcesim gubernare, animarumque sibi commissarum saluti prospicere, et inquietos sub disciplinæ vinculo constringere; *cap. Quamvis sit triste* 14. *cap. Petitisti* 17. *et cap. Quia Frater* 18. *caus.* 1. *cap. Ex par.* 5. *de Clerico ægrot.* (20. Et Coadjutor datus Episcopo universaliter, quoad Spiritualia, debet esse Episcopus consecratus, aliter non posset exercere Pontificalia, sed solummodo Jurisdictionem Episcopalem; *arg. c. Aqua, de consec. Eccles.* (21. Si vero datur Coadjutor Episcopo, vel alteri Beneficiato, seu Rectori Ecclesiæ solum in temporalibus, quia v. gr. Episcopus, seu Rector Ecclesiæ seu Beneficii est dilapidator, debet esse fidelis, et probus, et circumspectus Administrator; *cap. Grandi* 2. *de supplend. neglig. Prælat. in* 6. et sufficit, quod sit constitutus in ætate viginti quinque annorum, cum ætas hæc censeatur esse perfecta, quoad administrationem temporalem. Unde et in tali ætate potest quis esse Tutor; *l. ult. Cod. de legit. tutela,* atque Procurator etiam ad judicia; *cap. Qui generaliter, § fin. de Procuratoribus in* 6. (22. Hinc nota, quod Coadjutor fere coincidit cum Administratore, qui tum in Spiritualibus, tum in temporalibus a Sede Apostolica dari solet Episcopis a suo Episcopatu legitime absentibus, vel Personis Principibus auctoritate Apostolica dispensatione promotis ad Episcopatum ante legitimam ætatem, aut ipsis Ecclesiis Cathedralibus, ut fit mentio *in c. Is cui* 42. *de elect in* 6. juncta Glossa, et *D. D. ibid.* (23. Et etiam Coadjutor fere coincidit cum Suffraganeo, qui solet deputari pro Ecclesiis Cardinalium, et pro aliis, quæ consueverunt Suffraganeum habere, sicut enim dicitur Coadjutor a coadjuvando, ita Suffraganeus a suffragando. (24. Et ideo Coadjutoria, et Suffraganeatus sine successione, et solum temporales expirant per obitum Episcopi, quia non est, quem coadjuvent, aut cui suffragentur, prout hæc notantur per Joan. Andream *in cap. Consultationibus* 6. *de Cler. ægrot. in* 6. *q. n.* 10. et Fagn. *in cap. Episcopalia* 1. *de privil. n.* 58 *et in cap. Ex part.* 5. *de Cleric. ægrot. n.* 6. *et* 10. cum Rota *par.* 1. *recent. dec.* 456. *num.* 5. (25. Sicuti etiam cessat redeunte Episcopo absente, aut Episcopo promoto ex dispensatione Apostolica ætatem debitam attingente, illico cessat Officium Administratoris interim constituti; *cap. de caus.* 4. *de officio delegati.*

(26. Quamvis autem Coadjutoria temporalis, sicuti et Suffraganeatus, et Administratio cesset statim mortuo Coadjuto, Coadjutoria tamen perpetua concessa per Sedem Apostolicam cum futura successione non expirat per obitum Coadjuti; quia potius transit in Jus plenum, et de Jure ad rem transit in jus in re respectu Ecclesiæ seu Beneficii. Puteus *dec.* 98. *lib.* 2. Fagn. in *c. ex par.* 5. *de Cleric. ægrotant. n.* 15. 16. et alii passim. Per Apostolicam enim concessionem Coadjutoriæ perpetuæ acquiritur Coadjutori in Beneficio jus ad rem, quod eveniente morte Coadjuti efficitur jus plenum, seu in re: adeo ut non requiratur pro tali perpetuo Coadjutore nova collatio, sed absque alio ministerio illa gratia Coadjutoriæ ex primo Jure sibi concesso effectum sortiatur: cum Papa in istis Coadjutoriis perpetuis cum futura successione sub Clausula *Ex nunc pro tunc* faciat collationem, ut resolvit Rota *in Tirasonen. Coadjutoriæ* 8. *Nov.* 1599. *cor. Penia,* quæ habetur impressa apud Garciam *de Benefic. part.* 4. *c.* 5. 128. Prædicta enim Clausula operatur, ut unum tempus videatur alteri inesse, futurum scilicet in præsenti; sicque actus postea factus, censeatur jam a principio factus. Barbosa *in tract. de Clausulis usu frequent. Clausul.* 61. *n.* 1. *et* 6. *et seq.* Beneficium potest alteri conferri. Seraphin. *dec.* 1447. *num.* 4. Fagnan. *loc. cit. num.* 16. (27. Sed hic oritur dubitatio: An perpetuus Coadjutor datus Episcopo cum futura successione, et cum libera potestate administrandi, etc. possit ipso Episc. Coadjuto vivente, et contradicente, solus administrare, quæ sunt Jurisdictionis Spiritualis, seu Temporalis? (28. Et ad hoc respondetur cum distinctione: Aut enim Coadjutor datus est Episcopo dementi, vel alias omnino inhabili, ut in casu *cap. Pastoralis unic. de Cleric. ægrotant. in* 6. § *si vero Episcopus,* et tunc Coadjutor potest solus administrare; quia cum non possit Episcopus Coadjutus præstare rationalem consensum, vel dissensum, § *Furiosus, instit. de inutil. stipulat.* Coadjutor libere exequitur; *cit.* § *si vero Episcopus.* Aut Coadjutor datus est episcopo impedito, vel alias non prorsus inhabili, sed propter gravem infirmitatem, aut decrepitatem Pastoralia munia per se ipsum exercere non valenti; et tunc Coadjutor non potest solus exequi, et expedire ea, quibus Episcopus Coadjutus rationabiliter contradicit; ut colligitur *ex c. Pontifices* 4 *caus.* 7. *qu.* 1. addita ibi hac ratione: « Ne per necessitatis occasionem præsumptionis pullulet ambitio; » et Rota *in una Eborensi Distributionum* 23. *Oct.* 1598. *cor. D. Corduba* expresse tenuit, Coadjutorem non posse inservire invito Coadjuto, sed ipso petente; sic refert Garcias *part.* 4. *de Benef. c* 5. *num.* 60. citans Campegium *de Coadjutore Episc. num.* 9. atque id probat ulterius *ex cap. Nihil contra* 16. § *Ecce caus.* 7. *qu.* 1. *et ex cap. Pastoralis unic. de Cler. ægrotant n.* 6. (30. Et de mente Sacr. Congregationis Fagnan. *in cap. Ex part.* 5. *de Cleric. ægrotant. n.* 24. infert præcisis his verbis: « Ut Coadjutor datus Episcopo ob senium, aut ægritudinem de ejus consensu, cum futura successione, et cum plena, et libera, et omnimoda facultate in temporalibus, et Spiritualibus administrandi ea omnia, quæ ad Officium Coadjutoris pertinent; minime possit se immiscere in exercitio Pontificalium, neque Jurisdictionalium, quibus

Digitized by Google

defungi potest, et vult ipse Episcopus; nec ea solus expedire, quibus ex rationabili causa Episcopus contradicit.»

(31. Coadjutor vivere debet, et recipere congruam portionem de proventibus Ecclesiæ, seu Beneficii, cujus prælato, vel Beneficiario datus est; *c. de Rectoribus* 3. *de Cleric. ægrot.* ibi: « De facultatibus Ecclesiæ ad sustentationem suam congruam recipiat portionem; » *cap. Pastoralis unic. de Cler. ægrot. in* 6. § *Præsenti* ibi: « Præsenti quoque adjicimus Sanctioni, ut Coadjutores hujusmodi, de proventibus Prælatorum, in quorum assumuntur auxilium, sumptus recipiant moderatos. » Concordat Conc. Trid. *sess.* 21. *cap.* 6. *de reform.* ibi: « Episcopi etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegati eisdem illiteratis, et impeditis, si alias honestæ vitæ sunt, Coadjutores, aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare... possint. » (32. Et in hoc conveniunt omnes Doctores, quando redditus Ecclesiæ, seu Beneficii sunt abundantes, seu saltem sufficiunt pro congrua sustentatione tam Coadjutoris, quam Coadjuti v. gr. ægrotantis. (33. Sed quis sit præferendus, an Coadjutor, vel Coadjutus, quando redditus Ecclesiæ non sufficiunt pro utroque, non parum controvertunt Doctores; Glossa enim *final. in d. cap. de Rectoribus* 3. *de Clerc. ægrotan.* tenet, quod ex proventibus Ecclesiæ prius sit providendus Coadjutor, utpote operarius, qui Ecclesiæ inservit, ac proinde dignus est cibo suo, juxta illud *Matthæi* 16. *Dignus est operarius cibo suo.* (34. Coadjuto autem infirmo provideat postea Episcopus. Et ad hoc allegat *cap.* 1. *et* 2. *dist.* 82. et cum Glos. concordat Tancred. et Goffred. *in d. c. de Rectoribus*, Henric. Boich. *in d. cap. Consultationibus, de Cleric. ægrot.* (35. Sed tenenda est sententia contraria, quod scilicet in casu dictæ insufficientiæ redditum Ecclesiæ pro utroque, sit præferendus Coadjutus, et ipse potius sit subveniendus, quam Coadjutor; et sic tenent Vincentius Cardinalis, et Abbas *in d. cap. de Rectoribus n.* 5. Barbosa *ibid. num.* 4. Fagn. *ibid. num.* 12. Pirhing. *lib.* 3. *decr. tit.* 6. *n.* 8. Reiffenstuel *ibid. num.* 57. Engel *ibid. num.* 7. et alii magis communiter. (36. Et ratio est, quia Coadjutus infirmus adhuc remanet Prælatus, et Rector Ecclesiæ, saltem quoad Jus, licet non quoad exercitium; adeoque illi prius subveniendum est de redditibus Ecclesiæ tamquam proprio Rectori, et Prælato; maxime quia his adhuc ut infirmus residere debet; ut pro Parocho declaravit Sacra Congr. Conc. his verbis: « Propter Deputationem Coadjutoris Parochus, cui datur, non poterit abesse a residentia; » sic refert Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancell. gloss.* 5. § 9. n. 30. (37. Et pro Episcopo declaravit Sacra Congreg. Episcopor. et Regular. his verbis: « Cum episcopus Nicotenen. eo, quia Coadjutorem in ejus Episcopatu haberet, a residentia abesset, Sanctissimus sub die 7. Sept. 1619. mandavit dari Literas Episcopo eum monendo, quod concessio Coadjutoris non liberat a residentia, et quod propterea omnino ad suam accedat residentiam; » sic refert Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccles. univers. cap.* 17. *num.* 13. Unde cum sic ratione hujus suæ residentiæ censeatur Ecclesiæ suæ deservire; *cap.* 1. *de Cler. ægrot.* merito ex ejus facultatibus est sustentandus; *c. Cum secundum* 16. *de Præbend.* (38. Et cum Coadjutus habeat titulum, et possessionem cum servitio residentiæ, præferendus est Coadjutori, qui ex Rota *dec.* 410. *n.* 5. *par.* 4. *rec.* nec titulum habet, nec possessionem, sed nudum exercitium. Alioquin si ægroto subtraherentur stipendia, hoc exemplo deterriti non invenirentur, qui vellent Ecclesiæ militare, ut dicit Pontifex *in cit. cap.* 1. *de Clerico ægrotante*, ibi: *Quia si alii ejus essent exemplo deterriti, forte non posset, qui militaret Ecclesiæ, inveniri.* (39. Tum quia pro hac nostra sententia multum etiam facit textus *in d. c. de Rectoribus*, quod scilicet Coadjutor *de facultatibus Ecclesiæ ad sustentationem suam congruam recipiat portionem;* et textus *in d. c. Pastoralis unic. de Cleric. ægrot. in* 6. quod scilicet *Coadjutores hujusmodi de proventibus Prælatorum, in quorum assumuntur auxilium, sumptus recipiant moderatos;* et textus Concil. Trid. *dict. sess.* 21. *c.* 6. *de reform.* quod scilicet Episcopi *partem fructuum eisdem* (Coadjutoribus) *pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint*, ex quibus textibus satis innuitur, quod proventus Ecclesiæ primo, et principaliter sunt in dispositione Coadjuti, vejuti Prælati, et Rectoris Ecclesiæ, et consequenter, quod illius necessitati prius sit provi dendum, et postea, si redditus sufficiant, sit providendum Coadjutori cum congrua portione, seu cum *moderatis sumptibus*, seu *cum parte fructuum* ipsius Ecclesiæ. (40. Si vero redditus Ecclesiæ pro utroque non sufficiant, tunc Coadjutori, pro quanto adhuc ipsi ad congruam sustentationem deficiet, providebit Episcopus, in quantum sibi possibile fuerit; juxta *c.* 1. *dist.* 82. alleg. a Glossa *supr. n.* 34. pro sententia contraria.

(41. Et si nullo modo id Episcopus præstare sufficiat, tunc auctoritate ejusdem Episcopi erit cogendus populus ad Coadjutori necessaria præbenda; *arg. cap. Omnis Christianus* 67. *de Consecratione dist.* 1. et Glossa *ibid. verb. Vacuus, et c. ad audientiam* 3. *et c. de his* 4. *de Eccl. ædificand.* Et Conc. Trid. *sess.* 22. *c.* 4. *de reform.* ubi statuitur, quod si redditus Ecclesiæ non sufficiant pro Sacerdotibus Parochialium noviter erectarum, cogi possit populus ea subministrare, qua sufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam; et in Coadjutore sic alias respondit Sacra Congregatio ejusdem Concil. interpres *in Theatina*, ut refert, et tenet Fagnan. *in c. de Rectoribus* 3. *de Cleric. ægrot. num.* 13. et sic etiam tenent Abbas *ibid. n.* 5. *et* 6. Barbosa *num.* 4. Azorius *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 2 *num.* 9. Pirhing. *lib.* 3. *dec. tit.* 6. *num.* 8. Reiffenstuel *ibid. n.* 58. et alii passim.

(42. De his, quæ concernunt Coadjutorem perpetuum datum Archiepiscopo, vel Episcopo, habetur specialis declaratio Sacr. Congr. Rituum *data* 31. *Jan.* 1561. *ad dubia*

Digitized by Google

proposita nomine Cardinalium Paoletti, et Veronen. quibus respondendum censuit, ut sequitur.

(43. Ad primum dubium censuit Coadjutori cum futura successione non licere ingredi Civitatem Pontificaliter, quia licet sit Coadjutor cum futura successione, ex quo tamen non habet jus in re, sed ad rem, non debet recognosci tamquam Superior, et Caput, sed uti Coadjutor, et eo magis, quia contingere potest, ut non succedat in Episcopatu, sed prior moriatur.

(44. Ad secundum respondit, ipsum non debere uti Cruce in Divinis, nec in functionibus Pontificiis, nec dum incedit per Urbem, cum Crux sit signum, et ornamentum dignitatis, et Jurisdictionis, et Coadjutor utraque careat.

(45. Ad tertium censuit Coadjutorem Pontificalia in Ecclesia exercentem absente Archiepiscopo uti posse Cappa, cum ea sit tantum ornamentum Dignitatis Episcopalis, præsente autem Archiepiscopo uti debere Mantelletta, et Rochetto; neque licere unquam Coadjutori uti Mozzetta, et Rochetto etiam absente Archiepiscopo, cum hoc proprium sit ejus, penes quem est Dignitas, et Jurisdictio.

(46. Ad quartum respondit negative, cum una sedes non capiat duos.

(47. Ad quintum censuit Canonicos esse compellendos, ut Coadjutori Episcopo solemniter celebranti, et Pontificalia exercenti semper assistant, alioquin indecorum videretur, si Episcopus sine Canonicorum assistentia celebraret, nec non videretur esse contra Decretum Concilii Trid. quod extensive huic etiam casui accommodari potest.

(48. Quoad circulos respondit, Canonicos non debere accedere ad circulos, cum ipsi circuli denotent membrorum unionem ad ipsum Caput, ut ex superius deductis constat, Coadjutorem non debere esse Caput.

(49. Quo vero ad Confessionem faciendam cum celebrante solemniter, respondit decere, ut Coadjutor Episcopi Confessionem faciat cum Sacerdote Canonico celebrante, ut idem quoque benedicat in fine Missæ, ne populus præsens Divinis Benedictione Episcopali defraudetur, et jam est usu receptum, ut Episcopus benedicturus in fine Missæfaciat etiam Confessionem cum celebrante.

(50. Ad sextum censuit, licere Coadjutori, de licentia tamen Archiepiscopi, benedicere populo, dum per Civitatem incedit.

(51. Ad septimum respondit, maxime decere, ut Canonici prodeant obviam Coadjutori Episcopo ad Ecclesiam Pontificaliter accedenti ad ostium Ecclesiæ, eumque discedentem ad idem ostium deducant, immo esset valde commendandum, si nonnulli Canonici officii, et urbanitatis gratia ad ipsius Coadjutoris ædes accederent.

(52. Ad octavum respondit Coadjutorem non habere facultatem largiendi Indulgentias, et sic eas Archiepiscopi nomine, si quas Archiepiscopus concedere voluerit, esse publicandas.

(53. Coadjutor Episcopi non sedet celebrans nisi in Faldistorio, neque habet Diaconos assistentes, neque Canonicos paratos, neque septimum Candelabrum. S. C. Rit. 1. *Sept.* 1607. (54. Nec utitur Baculo, nisi in Ordinationibus. Eadem Sacr. Congregatio eodem die, et anno. (55. Ipse tamen Coadjutor Episcopi celebrans præter Diaconum, et Subdiaconum, debet habere assistentem Canonicum pro libro. Eadem Sac. Congregatio 7. *Augusti* 1627. (56. Coadjutor Episcopi non tenetur visitare Limina Apostolorum, sed Coadjutus. Eadem Sacr. Congr. Concil. 4. *Augusti* 1609. (57. Coadjutor Episcopi etiam non adhibitus ad ullam functionem, tenetur residere, neque discedere potest absque consensu Coadjuti, vel licentia Sacræ Congregationis; et tenetur quoties fuerit requisitus Pontificalia, et alias functiones obire, quamvis Coadjutus propria impedimenta non probet. Sac. Congregatio Episcoporum *in Fulginat.* 28. *Maii* 1628. (58. Non potest dictus Coadjutor præsente Coadjuto Benedictionem Pontificalem impertiri; non est tamen cogendus in hoc casu Missas, aut Vesperas celebrare, sed hoc peragi debet a simplici Canonico, vel Dignitate; tenetur tamen interesse Concioni in Cathedrali etiam absente Coadjuto in loco decenti, et separato, sed non sub Baldachino. Eadem Sacra Congregatio *in d. Fulginatensi eodem die, et anno.* (59. Coadjutor debet, quoties fuerit requisitus, Coadjutum in Visitatione comitari; expensis tamen ipsius Coadjuti pro eo, et familia, et absque ulla exactione Procurationis ratione ejusdem Coadjutoris. Visitans autem ex commissione Coadjuti non potest recusare assistentiam Vicarii Generalis cum facultatibus, quas ei dare Coadjuto placuerit. Eadem Sac. Congregatio Episcoporum *in d. Fulginaten. eodem die, et anno*, ut refert Nicol. *in lucubrat. tom* 2. *tit.* 6. *lib.* 3. *num.* 3. 6. 7. 9. 10. *et* 11. (60. Cum Episcopus habens Coadjutorem est impeditus, non potest functiones alteri, quam Coadjutori delegare. Sacra Congregatio Episcoporum *in Firmana* 25. *Septembris* 1623. apud Nicol. *loco citato num.* 5. ubi *num.* 12. ait, quod Episcopus non potest Coadjutorem punire, licet sit etiam Canonicus, vel Archidiaconus in sua Ecclesia, et sic nec ratione Beneficii. Sacr. Congregatio Conc. *in Posnaniens.* 18. *Fevr. ejusd. anni.* (61. Episcopus Coadjutus debet dare suo Coadjutori commoditatem habitationis in Palatio Episcopali, et omnia necessaria pro exercitio Pontificalium, et pro aliis Episcopalibus functionibus. Sacra Congregatio Episcoporum *in Nicoterensi* 27. *Junii* 1619. (62. Coadjutor separatum Tribunal statuere, aut habere non potest, sed in consueto Tribunali Episcopi jus reddendum est. Sic ex Sacra Congregatione infert Fagnan. *in cap. Ex parte quinta, de Cleric. ægrotant. num.* 27. (63. Episcopus residere tenetur, licet habeat Coadjutorem. Sac. Congr. Episc. *in Neapolitana* 24. *Mart.* 1597. *et in Nicoteren.* 7. *Sept.* 1619.

(64. Coadjutor Archiepiscopi Metropolitan. Bononien. debet præcedere vexillifero ejusdem Civitatis. Sacra Congregatio Rituum *in*

Digitized by Google

Bononien. 4. *Maii* 1592. (65. Coadjutor Episcopus in Synodo Provinciali debet sedere inter Episcopos Provinciales loco suæ promotionis, cum propriis radiis fulgeat; sic decrevit Sacra Congregatio Rituum 20. *Septembris* 1596. pro Coadjutoribus Episcoporum Veronen. et Trident. occasione Synodi Provincialis Aquilejensis. (66. Coadjutor Parochi in absentia Coadjuti in functionibus Parochialibus præcedit Beneficiatos, et recipit eadem emolumenta, quæ Coadjuto debentur. Sacra Congregatio Conc. *in Lucana* 15. *Apr.* 1690. (67. De Coadjutoribus perpetuis Canonicorum, vide verb. *Canonicatus art.* 10. *per tot.*

(68. Episcopo Titulari Suffraganeo, qualis honor, et præeminentia debeatur in Ecclesia, in qua vice Episcopi Ordinarii functiones Pontificales exercet, innuitur in provisionibus captis a Sac. Congr. Rit. *in Veliterna*, in qua pro parte illius Suffraganei propositis sequentibus dubiis :

1. An saltem aliqui Canonici teneantur eidem Suffraganeo obviam ire usque ad ostium Ecclesiæ, ibique ex iisdem dignior Aspersorium porrigere, et in reditu usque ad eamdem januam comitari, dum Cappa indutus ad Pontificales functiones obeundas accedit, Antecessoris conniventia minime obstante?

2. An eidem Suffraganeo debeatur genuflexorium cum stratu, et pulvinaribus ad orandum ante SS. Sacramentum, dum occasione earumdem functionum Ecclesiam ingreditur?

3. An Suffraganeo facienti ordinationes generales in aliquo ejusdem Ecclesiæ Sacello (propter impedimentum Altaris Majoris ex causa recitationis horarum in Choro) debeant in eodem Sacello assistere aliqui ex Canonicis?

4. An dum assistit Concioni Prædicatoris, salutatio ei prius dirigi debeat distincte ab illa Canonicorum, et Magistratus sæcularis?

Sacra Congregatio die 6. Septembris 1698. respondit:

Ad primum, posse de licentia Eminentissimi Decani Episcopi Ostiensis, et Veliterni deferre Cappam, et in hoc casu teneantur duo Canonici ire usque ad ostium Ecclesiæ, et dignior porrigat Aspersorium, quo Suffraganeus se ipsum tantum aspergat, et pariter eum associent in reditu usque ad eumdem locum.

Ad secundum, in Voto Magistri Cæremoniarum,

Ad tertium, servetur Pontificale cum Missa solemni in Altari Majori præsente Clero.

Ad quartum, affirmative quatenus sedeat in Presbyterio.

(69. Quia vero in aliis præeminentiis, et juribus præfatum Suffraganeum excessisse modum Capitulum conquerebatur, eodem tempore per viam reconventionis proponi curavit sequentia dubia :

1. An Suffraganeus Veliternen. occasione functionum Episcopalium solemnium teneatur se parare in Sacristia, vel potius paramenta sumere ab Altari, vel in Faldistorio?

2. An valeat deferre Cappam Pontificalem in accessu, et recessu ad Ecclesiam Cathedralem, et quatenus affirmative?

3. An possit sibi deferri facere caudam ejusdem Cappæ per alium, seu potius illam deferre teneatur involutam sub brachio sinistro?

4. An similiter possit sibi deferri facere caudam vestis violaceæ una cum elevatione fimbriæ anterioris in plano pavimenti Ecclesiæ?

5. Eidem accedenti ad Ecclesiam porrigi debeat Aspersorium ad januam Ecclesiæ per aliquem ex Canonicis; et an possit Alumnos Seminarii, aliosve circumstantes aspergere, vel potius aquam tantum recipere extremitate digitorum?

6. An possit per Civitatem uti Mantello oblongo coloris violacei cum signis rubeis super vestem nigram interiorem, vulgo Zimarra?

7. An per Civitatem possit sibi deferri, et elevari facere umbellam sericam viridis coloris?

8. An dum assistit Concioni possit sedere in Sede separata a Canonicis, vel potius debeat sedere in eodem scamno Canonicorum, absque tapeto, et pulvinari primus inter illos, in quo habitu?

Quibus Sacra Congregatio eadem supradicta die respondit :

Ad 1. Si accedat cum Cappa, in Faldistorio; alias in Sacrario.

Ad 2. Jam provisum.

Ad 3. Negative quoad primam partem, et affirmative quoad secundam.

Ad 4. Negative.

Ad 5. Jam provisum.

Ad 6. Negative.

Ad 7. Negative.

Ad 8. Dilata.

(70. Episcopus Suffraganeus, quando nomine proprii Episcopi exercet functiones Episcopales, debet habere assistentiam Dignitatum, et Canonicorum. Sacr. Congregatio Rituum *in Bracharen.* 21. *Febr.* 1604. (71. Episcopus Suffraganeus solemniter celebrans non debet habere assistentiam duorum Canonicorum ultra Diaconum, et Subdiaconum, qui sunt cantaturi Evangelium, et Epistolam, sicut haberet proprius Episcopus, sed sufficit Diaconus, et Subdiaconus, et unus Canonicus paratus cum Pluviali ad librum. Sacr. Congregatio Rituum *in Cæsaraugustana* 9. *Maii* 1606. *et in Bracharen.* 1. *Septemb.* 1607. (72. Episcopo Suffraganeo solemniter celebranti non debent Canonici assistere, sicuti assisterent Episcopo proprio, sed in habitu ordinario, et Canonicali; eadem Sacra Congregatio Rituum *in dicta Bracharensi.* (73. Episcopo suffraganeo facienti Ordinationes, vel alias functiones nomine proprii Episcopi, Canonici debent assistere in habitu ordinario Canonicali præter aliquos, qui juxta necessitatem Officii debent accipere paramenta; eadem Sacra Congregatio Rituum *in d. Bra-*

Digitized by Google

charensi. (74. Episcopo Suffraganeo non tenentur Canonici obviam ire usque ad cubiculum, sicut tenentur proprio Episcopo venienti ad Ecclesiam, sed satis est, si aliqui Canonici ei obviam procedant usque ad portam Ecclesiæ. Sacra Congregatio Rituum *in dicta Bracharen.* 1. *Sept.* 1607. (75. Episcopus Suffraganeus solemniter celebrans non debet sedere in Sede Episcopali, sed in Faldistorio; ead. Sacra Congreg. Rituum *in dict. Bracharen.* (76. Episcopus Suffraganeus solemniter celebrans non debet uti Baculo Pastorali, nisi in Ordinationibus, et aliis actibus necessariis; eadem Sacra Congregatio Rituum *in dict. Bracharen.* (77. Episcopo Suffraganeo solemniter celebranti non debet poni super Altare septimum Candelabrum, sicut ponitur celebrante Episcopo Ordinario; eadem Sacra Congregatio Rituum *in dict. Bracharen.* (78. Episcopus Suffraganeus non dispensat supra Interstitiis, nisi habeat speciale mandatum; neque votum habet in approbatione Ordinandorum, nisi sit ex numero Examinatorum. Sacra Congregatio Episcoporum, et Regularium *in Brixinen.* 14. *Februarii* 1585. (79. Episcopus Suffraganeus, ubi per Diœcesim pro Pontificalibus exercendis proficisci contigerit, expensas ab Episcopo habere debet; eadem Sacra Congregat. Episcop. *in dict. Brixinensi.* (80. Episcopus Suffraganeus non potest visitare Clausuram Monialium Monasteriorum, nisi sit simul Vicarius Generalis, et ab Episcopo, cujus est Suffraganeus, facultatem Vicarii Generalis, vel aliud speciale mandatum habeat, prout pro Suffraganeis Germaniæ declaravit Sacra Congregatio Conc. 17. *Junii* 1630. *l.* 4. *decr. fol.* 3000.

(81. Coadjutorem habens in animarum Cura, aut in Canonicatu, tenetur residere in loco Parochiæ, et Canonicatus, ut Coadjutoris impediti vices supplere possit. Benedict. XIV. *tom.* 1. *Constit.* 135. *Quod inscrutabili* § 28.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(82. De Coadjutoria vide, quæ diximus in addit. ad verb. *Canonicatus art.* 10. (83. Hic vero tria, eaque magni momenti sunt notanda. Primum est, quod gratia Coadjutoriæ cum futura successione minime valida sit, si consensus detur a Procuratore post obitum Coadjuti. (84. Nec obstat, quod aliud sit gratia Coadjutoriæ, aliud futura successio, quia utrumque provenit a legitimo consensu Coadjuti, qui non dicitur adesse dum datur a Coadjutore post obitum Coadjuti. Rota *in Seguntina Archidiaconatus* 6. *Maii* 1726. *cor. bon. mem. Cornelio.*

(85. Alterum est, quod in Coadjutore ad tempus qualitates necessariæ concurrere debent de tempore gratiæ, at in Coadjutore perpetuo cum futura successione possunt intra annum concurrere. Rota *in Monasterien. Decanatus* 9. *Junii* 1738. § 9. *cor. clar. mem. Millin.*

(86. Tertium est, quod Coadjutore effecto impotenti ad servitium Ecclesiæ, cessat gratia Coadjutoriæ, et ita quidem, ut nec successionem in Beneficium prætendere valeat ipse Coadjutor. Plenissime Rota in *Mindonien. Coadjutoriæ* 2. *Decembr.* 1732. *et in confirmatoria* 25 *Febr.* 1735. *coram clar. mem. Aldrovando.*

CODICILLUS.

Vide verb. TESTAMENTUM, *art.* 4, PER TOT.

COEMETERIUM.

ARTICULUS NOVISSIMUS.

SUMMARIUM.

1. Cœmeterium quid, et unde dictum. — 2. Cœmeterium per Episcopum consecrandum est. — 3. Qui ritus cum ipsa Ecclesiæ consecratione cœpisse affirmari potest. — 4. Cœmeterium tanquam pars tem Ecclesiæ una quasi consecratione cum ipsa consecratum fuisse, innuere videtur Innocentius III. — 5. Cœmeterium per solemnem benedictionem a loco profano religiosus efficitur. — 6. Prohibitio negotiationum et cujusvis tumultus in Ecclesiis earumque Cœmeteriis. — 7. 8. Cœmeteriis tanquam locis religiosis specialis veneratio debetur. — 9. Ex Cœmeterii benedictionis formula sat constat, Cœmeterium unice benedici ad inhumationem corporum Christianorum. — 10. Admissio in Cœmeterio ad ecclesiasticam sepulturam videtur esse species quædam Communionis. — 11. Hinc est, quod excommunicatis, aliisque, quibus in vivis non communicamus, non tantum sepultura sit neganda; sed insuper per eorum in loco religioso sepulturam locus ipse pollui seu profanari censeatur. — 12. Unde excommunicatorum corpora in Cœmeterio Ecclesiastico tumulata exhumari debent. — 13. Cœmeteria non secus ac ipsæ Ecclesiæ asylo gaudent. — 14. Cœmeteriorum varia nomina, eorumque significatio. — 15. Cœmeteriorum usus apud veteres. — 16. Cadavera in Civitatibus sepeliri per leges vetitum. — 17. Qua de causa factum sit, ut intra civitates indiscriminatim omnibus sepultura concessa sit. — 18. Lex, per quam in regno Neapolitano Cœmeteria extra civitates construi jubentur.

(1. Loca humandis corporibus destinata usitatius et olim et hodie dicuntur Cœmeteria a græco verbo κοιμάω, quod *dormire* significat; ex eo scilicet, ait Baronius ad *ann.* 226. quod Fides doceret, Christianos non mori, sed rursus excitandos, interea in Domino obdormire.

(2. Cœmeterium ut corporibus Christianorum humandis deserviat, prius in locum religiosum per Episcopum solemni ritu erigendum et consecrandum est.

(3. Hujus ritus consecrandi seu benedicendi Cœmeteria videtur etiam Sanctus Gregorius Turonensis *de Gloria Confessorum cap.* 106 meminisse; adeo ut consecrationem Cœmeterii cum ipsa quodammodo Ec-

Digitized by Google

clesiæ consecratione cœpisse affirmari posset.

(4. Imo Cœmeterium tanquam partem et appendicem, aut verius aream vel porticum ipsius una quasi consecratione cum ipsa Ecclesia consecratum fuisse, innuere videtur Innocentius III. *tit. de Consecrat. Eccles.* scribens : « Cœmeteria vero in quibus excommunicatorum corpora sepeliuntur, per suorum violentiam propinquorum, reconcilianda erunt aspersione aquæ solemniter benedictæ, sicut in Ecclesiarum dedicationibus consuevit. »

(5. Cœmeterium, per solemnem benedictionem, a loco profano effici locum religiosum, imo tanquam Ecclesiæ appendici etiam de jure immunitatem localem esse indultam, compertum est.

(6. Ecclesias et Cœmeteria, tanquam loca religiosa junxit Concilium Lugdunense sub Gregorio X. decernens, ut « cessent in Ecclesiis earumque Cœmeteriis negotiationes et præcipue nundinarum ac fori cujuscunque tumultus, omnis in eis sæcularium judiciorum strepitus conquiescat, nulla inibi causa per laicos criminalis agitetur, sint loca eadem a laicorum cognitionibus aliena. »

(7. Cœmeteriis, tanquam locis religiosis, specialem venerationem deberi, ex pluribus patet, quæ ad eorum decorem et venerationem conducunt. Synodus enim Provinc. II. Cameracensis *tit.* 13. *c.* 6. statuit : « Cœmeteria diligenter sepiantur et claudantur, nec animalia in eisdem ad pascendum admittantur. » Quod interdixisse quoque videtur Synodus Diœces. Mechliniensis *tit.* 11. *cap.* 16. ubi statuit, ut « Cœmeteria muris, fossis aut sepibus ita concludantur, ut equis, vaccis, porcis, aliisque similibus animalibus nullus pateat accessus. »

(8. Ita ut profanas omnes actiones Synodi volunt a Cœmeteriis abesse, et generaliter nihil in eis permitti, quod loci religioni ac sanctitati repugnet; ut speciatim colligitur ex Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. *in c.* 2. *de Immunit. Eccles. in* 6. quod nominatim de Cœmeteriis loquens statuit, *ut cessent in Ecclesiis earumque Cœmeteriis negotiationes, et præcipue nundinarum ac fori cujuscunque tumultus.*

(9. Ex ipsius Cœmeterii benedictionis formula, quæ hodie in Pontificali legitur, sat constat Cœmeterium unice benedici ad inhumationem corporum Christianorum : adeo ut summus abusus dicendus sit mos hodiernus promiscue sepeliendi in Ecclesiis.

(10. Admissio in Cœmeterio ad Ecclesiasticam sepulturam, videtur esse species quædam Communionis.

(11. Hinc est quod excommunicatis, aliisque, quibus in vivis non communicamus, non tantum sepultura sit neganda, sed insuper per eorum in loco religioso, sive Cœmeterio sepulturam, locus ipse pollui seu profanari censeatur, eatenus saltem, ut divinæ Officia ibidem agi nequeant, ne Ecclesia illum ibidem sepultum in sua communione recipere videatur, neque ullus fidelis eo loco sepeliri possit, ne per eam inhumationem cum excommunicato, ibidem sepulto, cum quo in vivis communicare non poterat, post mortem communicare videatur.

(12. Unde conformiter ad plurimos Synodorum Canones Innocentius III. *in c.* 12. *de Sepulturis*, respondit : « Si contingat interdum, quod vel excommunicatorum corpora, per violentiam aliquorum, vel alio casu in Cœmeterio Ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum corporibus discerni poterint, exhumari debent, et procul ab Ecclesiastica sepultura jactari. »

(13. Cœmeteria, non secus ac ipsæ Ecclesiæ, hodie ubique asylo gaudent, quia scilicet tanquam loca sacra solemni ritu ab Episcopo benedicuntur, et humandis fidelium cadaveribus specialiter deputantur; uti latius ostendit Gambacurta, in suo speciali de hac immunitate Tractatu *lib.* 4. *cap.* 3.

ADDITIONES CASINENSES.

(14. Sacer ille locus, in quo Christianorum corpora sepeliuntur diversis appellari nominibus consuevit, ut *Cœmeterium*, *Polyandrium*, et etiam *Mausolæum*, *Dormitorium*, *Monumentum*, *Ergastulum*, *Sarcophagus*, *Pyramis et Tumulus*. Etymologiam autem Cœmeterii jam per Auctorem explicatam vidimus. *Polyandrium* ille locus appellatur, ubi multa sunt sepulchra publica. Cætera vero nomina unius hominis sepulchrum designant. A celeberrimo illo Mausoli sepulchro inter septem mundi miracula olim connumerato omnia pretiosa sepulchra deinceps *Mausolæa* sunt appellata. *Monumentum* vero nominatur a monendo, quod prætereuntes moneat eos quoque citius ocyus in cineres esse reversuros. *Tumulus* appellatur, quasi terra tumens, id est collis, quod ibi coacervari terra consuevit. *Ergastulum* dictum est per antiphrasim ab ἐργάσομαι operor, quasi quod in sepulchris corpora minime laborent, sed requiescant, qui in Domino moriuntur. Sic item *Sarcophagus* appellatus est a σάρξ, σαρκὸς, caro, et φάγω, comedo, quasi istic caro consumatur et comedatur. Dicitur etiam *Pyramis* sepulchrum ejusmodi, quod flammæ habet similitudinem, ita ut e lato in acutum tendat. Est enim altissimum genus sepulturæ. Tale Romæ visitur, in quo positi sunt cineres Caii Cæstii.

(15. Primitus Cœmeteria tanta Christianorum veneratione colebantur, ut in illis pias omnes et religiosas peragerent actiones; quod tamen verius necessitati tribuendum videtur propriæ consulendi securitati ob ingruentes persecutiones, quibus palam Sacra fieri et ministrari prohibebantur. Vetustiores quidem Episcopos ibi et Synodos congregare, et psalmos canere, et Sacramenta administrare consuevisse docet S. Clem. *l.* 6. *const. Apost. c.* 29. Et Athanas. *in Apolog.* Convivia quoque fiebant, quæ tamen S. Aug. detestari videtur *ep.* 64. *ad Aurelium*. Immo uti templa et orationum loca erant Christianis, et Cassiod. *lib.* 5. *hist. tripart. cap.* 3. Cœmeterium oratorium appellat. Itaque cum profani Imperatores persecutionem in Christianos instaurarent, in primis eos a Cœmeteriis

Digitized by Google

arcere solebant, ne in unum conveniendo facultas esset. *Nullatenus licebit vobis*, Æmilianus Præfectus Romanus loquens ad Dionysium Episcopum Alexandrinum, *nec quibuscunque aliis, conventus agere, aut ea quæ vocantur Cœmeteria adire.* Vide Euseb. *lib.* 6. *cap.* 13. *et lib.* 7. *c.* 2. Ac propterea Christianæ religionis initio complurima construebantur Cœmeteria. Et Romæ in suburbanis quadraginta istiusmodi Cœmeteria recenset Cardin. Baronius ad ann. 226. Et Onuphrius Panvinus *De Cœmeteriis, cap.* 12. Qui etiam observat Cœmeteria non in Urbe, sed in publicis viis extra mœnia extructa fuisse, ut in via Appia, Aurelia, Ostiensi, aliisque compluribus. De quibus cryptis S. Hieronymus elegantissimam habet descriptionem in Commentario ad *cap.* 40. *Ezechielis.* Ac Prudentius in *Hymno* 11. *De Coronis.* Adde etiam Baron. ad annum 130. *n.* 11, qui unum quoddam suo tempore inventum, ac Cœmeterium Priscillæ dictum, egregie describit. Durant. *lib.* 1. *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ. cap.* 23. Beleth. *Ration. Divin. Offic. cap.* 159.

(16. Leges etiam vetabant, ne cadavera unquam in civitatibus sepelirentur. *Hominem mortuum in Urbe ne sepelito, neve urito*, lex ferebat apud Romanos. *Lex. XII Tabularum c.* 31. Meminit hujus capitis Cicero in *lib.* 2. *de Legibus ;* rationemque referens, inquit: *Credo vel propter ignem, vel periculum.* Quæ tamen Romanorum leges non semper adeo severæ erant, quin aliquando veluti privilegio concederetur viris magnis sepultura in Urbe honoris causa, ut ex pluribus veterum Scriptorum testimoniis ostendit auctor eruditissimus Franciscus Balduinus in dictam *legem* 31. *duodecim Tabularum.* Verum cum harum Legum observantia sensim exoleverit, Theodosius Junior ann. 381. per quamdam Constitutionem prohibuit mortuos in Ecclesiis æque ac in Civitatibus sepeliri; idque sive solum cineres, et reliquiæ corporum essent, supra terram urnis clausæ, sive integra corpora sarcophagis detenta, ex iisdem rationibus, quas veteres leges assignarunt, nimirum: *Ut et humanitatis instar exhibeant, et relinquant Incolarum domicilio sanctitatem.* Atque pœnam imponens, sequitur: « Quisquis hujus præcepti negligens fuerit, atque aliquid tale ab hujus interminatione præcepti ausus fuerit moliri, tertia in futurum patrimonii parte mulctetur: officium quoque quod sibi paret, quinquaginta librarum auri adfectum dispoliatione merebitur. Ac ne alicujus fallax, et arguta solertia ab hujus se præcepti intentione subducat, atque Apostolorum, vel Martyrum sedem humandis corporibus æstimet esse concessam, ab his quoque ita ut a reliquo Civitatis noverint se atque intelligant esse submotos. »

(17. Attamen lapsu temporis, sepultura in Civitates et Ecclesias introducta est. Cum enim post Theodosianam legem Martyrum sepulchra in ipsis Civitatibus permitterentur, privati quoque homines, sive honestum fuerit desiderium, sive *fallax et arguta solertia*, uti appellarat Theodosius, summopere exoptarunt apud Martyrum loca sepeliri, indeque factum est, ut partim pietate, partim æmulatione ac fortasse etiam ambitione, sensim sepulchra urbana invaluerint, donec tandem Leonis Imperatoris constitutione in Novella 53. data fuit plena libertas eligendæ sepulturæ, vel intra, vel extra Urbem. Inde mos invaluit, longe lateque diffusus et ad hæc usque tempora communiter viguit, mortuos intra civitatum mœnia sepeliendi.

(18. Qui abusus, haud effugit providentiam Siciliarum Regis Ferdinandi IV. qui ann. 1817. de cœmeteriis legem tulit his verbis: « Il costume di seppellire i cadaveri umani in sepolture stabilite dentro o vicino i luoghi abitati abolito fra le più colte nazioni non potrebbe essere ulteriormente tollerato nel nostro regno, senza grave pregiudizio della salute pubblica. » Quibus adductus causis statuerat: « 1. totius Neapolitani Regni civitates, oppida, etc., sibi Cœmeteria extra habitatum constitui debere ad humana Cadavera sepelienda. 2. Ita Cœmeteria disponi, ut nullum detrimentum patiatur publica salus, et pium ac religiosum inspirent in mortuorum corpora obsequium et summorum hominum præclaræ virtutes posteritatis memoriæ tradantur. » Sequuntur inde statuta, quibus Cœmeteria construantur, corpora humentur, ac denique pœnæ, quibus legis violatores mulctentur. Sed per id tempus etiam hujusmodi lex inefficax evasit; atque ad illam implendam nova lege primam plene confirmatam vidimus.

COGNATIO LEGALIS.

ARTICULUS NOVISSIMUS.

SUMMARIUM.

1. Cognatio legalis unde oriatur. — 2. Cur ita appelletur. — 3. 5 De impedimento Matrimonii ex hac Cognatione provenienti. — 6. Hoc impedimentum a legum auctoritate primum inductum, Ecclesia quoque recepit. — 7. Neque circa hoc impedimentum Ecclesia aliquid mutavit. — 8. Quoad alia. *Remissive.*

(1. Cognatio legalis oritur ex adoptione, qua quis liberos naturales non habens, alienum sibi in filium adoptat.

(2. Cognatio quam adoptio parit, *Civilis, et legitima*, seu *legalis*, ad differentiam Cognationis *naturalis* appellatur *Leg.* 4. §. 2. *ff. De gradibus ;* quia sola lege adoptio nititur, et actus est mere civilis.

(3. Quum autem per legem ideo inducta sit adoptio, ut is qui natura filius non erat, filius per legem efficiatur adoptanti, consequens visum est, ut nec inter hos, per matrimonii vinculum, alia connexio seu necessitudo intercedere debeat.

(4. Itaque civilis hæc Cognatio impedimentum matrimonii contrahendi inter adoptantem et adoptatam, et generaliter inter omnes personas, quæ per adoptionem

Digitized by Google

liberorum et parentum loco sunt, induxit, idque, etiam soluta adoptione, per emancipationem. *Leg.* 17. *et* 55. *ff. de Ritu Nuptiarum.*

(5. Quod impedimentum ulterius leges extendunt ad adoptatum, et filias naturales adoptantis, quasi jure fraternitatis, quod inter adoptatum, tanquam filium legalem adoptantis, et hujus proles naturales intercedit; hac tamen differentia, quod hoc fraternitatis impedimentum solvatur, soluta per emancipationem adoptione; dicta *Leg.* 55. §. 1. quia post emancipationem (ait) extraneus intelligitur.

(6. Hoc impedimentum a legum auctoritate primum inductum, Ecclesia quoque recepit; ejusque mentio fit apud Gratianum in *Can.* 6. *caus.* 30. *qu.* 3. *et in*

c. unico tit. de Cognatione legali, ubi ex responsis Nicolai I. ad consulta Bulgarorum refertur: « Si qua per adoptionem mihi soror esse cœperit, quandiu durat adoptio inter me et ipsam nuptiæ consistere non possunt. »

(7. Nec legitur Ecclesiam circa hoc impedimentum aliquid mutasse; nec quidquam innovavit ipsa Synodus Tridentina, uti monet Cujacius ad titulum Decretalium *De Cognatione Legali*, qui credit etiam hodie fraternitatem legalem constituere impedimentum dirimens; nimirum, durante adoptione: quemadmodum Legibus constitutum erat, et ipse Nicolaus I respondit.

(8. Quæ adducit Auctor noster quoad hanc Cognationem, vide verb. *Impedimenta matrimonii, art.* 1. *n.* 61. *ad* 63.

COGNATIO NATURALIS.

Vide verb. IMPEDIMENTA MATRIMONII, *artic.* 1. *num.* 28. *ad* 47

COGNATIO SPIRITUALIS.

SUMMARIUM.

1. De Cognatione spirituali. *Remissive.* — 2. Affertur casus, in quo contracta fuit Cognatio spiritualis. — 3. Ad Cognationis legalis imitationem et exemplum comparata est Cognatio spiritualis, atque impedimentum ex ipsa profluens. — 4. Hæc Cognatio spiritualis, et ex ea resultans impedimentum Matrimonii nota fuit in Ecclesia Græca sæculo VII. — 5. Hæc Cognatio est ex jure mere positivo, sicut etiam exinde resultans impedimentum. — 6. 7. Synodus Tridentina hoc impedimentum contra jampridem stabilitam disciplinam in multis restrinxit. — 8. Ex hoc decreto moderna Ecclesiæ disciplina metienda est. — 9. Hinc contra dispositionem veterum Canonum hodie valet Matrimonium contractum inter filiam suscipientis, et baptizatum. — 10. Cognatio spiritualis contrahitur inter conjuges, si alter eorum prolem communem suscipiat, vel baptizet extra casum necessitatis. — 11. Ob hanc vero Cognationem conjuges non sunt separandi. — 12. Quæ de Cognatione contrahenda in baptismo decrevit Synodus Tridentina, eadem servari voluit in ea Cognatione, quæ ex confirmatione contrahitur. — 13. Cum non tantum per baptismum quis dicatur regenerari, sed etiam per Sacramentum pœnitentiæ, hinc creditum fuit, inter pœnitentem et Sacerdotem spiritualem quamdam Cognationem oriri.

(1. De Cognatione spirituali. Vide verb. *Baptismus art.* 7. *per totum;* verb. *Confirmatio art.* 3. verb. *Impedimenta Matrimonii artic.* 1 *a n.* 48. *ad* 59. quibus adde sequentem hunc casum, qui hic affertur.

(2. Cognatio spiritualis an fuerit contracta in hoc casu dubitatur. Petrus, et Anna Conjuges elegerunt in susceptores in Baptismo filii Andream, et Lauram, sed adveniente tempore Baptismi, audiens Andreas a Petro fuisse electam Lauram in Commatrem, rogavit Petrum, ut illa posthabita eligeret Rosam, replicavit Petrus se id facere non posse citra injuriam; cui responsioni Andrea non acquiescente, idem Petrus omnia retulit Parocho, et facta expresse declaratione animi sui, quod nullo pacto intendebat Rosam in Commatrem habere; Parochus consilium dedit, ut ambæ admitterentur, sed pollicebatur expresse se nullatenus admissurum Rosam ad tangendum infantem. Cui consilio Petrus acquiescens designavit etiam Rosam in Commatrem: ista autem præter intentionem Petri, et promissionem eidem Petro factam a Parocho infantem in actu Baptismi simul cum Laura tetigit. Quæritur an fuerit contracta Compaternitas etiam inter dictam Rosam, et Petrum, an potius solum inter Petrum, et Lauram. Sacra Congregatio *in Aquens.* 10. *Mart.* 1731. censuit contraxisse etiam cum Rosa, quia fuit designata. Sic ex Sellio refert Barbosa *Collectan. decis. Apostol. verb. Cognatio spiritualis, n.* 10. Vide ut supra cit. verb. *Confirmatio art.* 3. *verb. Impedimenta Matrimon. a n.* 48. *ad* 59.

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(3. Ad Cognationis legalis imitationem et exemplum comparata est Cognatio spiritualis, atque impedimentum Matrimonii ex ipsa profluens. Sicuti enim Adoptans adoptatum sibi in locum filii assumit et habet, ita quoque Susceptor, sive Patrinus recipit Baptizatum in filium suum spiritualem, idest, ut illi Patris spiritualis loco sit, sive ejus curam spiritualem tamquam alter Pater gerat.

(4. Hanc Cognationem spiritualem, et ex ea resultans impedimentum Matrimonii, notam fuisse in Ecclesia Græca sæculo VII. manifestum est ex *Canone* 53. Synodi VI. in Trullo, ubi Patres dicunt: « In nonnullis autem locis cognovimus quosdam, qui ex sancto et salutari Baptismate infantes suscipiunt, postea quoque cum matribus eorum viduis Matrimonium contraherent, statuimus, ut imposterum nihil fiat hujusmodi. Si qui autem post præsentem Canonem hoc facere deprehensi fuerint, ii quidem ab illicito Matrimonio desistant: deinde et fornicatorum pœnis subjiciantur. »

(5. Hanc omnem Cognationem, atque exinde resultans impedimentum esse ex jure mere positivo, sat ostendit varia quæ diverso

Digitized by Google

tempore, et in diversis Ecclesiis circa hæc fuit disciplina.

(6. Synodus quoque Tridentina nullam hic Divinam Legem, quæ impedimentum hoc induxisset, aut ad certas personas expendisset agnoscens, illud contra jam pridem stabilitam disciplinam in multis restrinxit: « Eo quod doceret experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonium, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur; « uti loquitur *c.* 2 *sess. de reformat. Matrimonii.*

(7. His incommodis occurrere volens Synodus statuit: « ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta Sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant; et inter ipsos ac Baptizatum ac illius patrem et matrem nec non inter Baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem ac matrem spiritualis Cognatio contrahatur. »

(8. Ex hoc decreto modernam Ecclesiæ disciplinam circa Cognationem Spiritualem metiendam esse, compertum est.

(9. Hinc contra dispositionem veterum Canonum, et *cap.* 1. *tit. De Cognat. Spirituali*, hodie valet Matrimonium contractum inter filiam suscipientis et baptizatum, uti censuit Sacra Congregatio apud Fagnanum ad dictum *cap.* 1. *num.* 4. neque ultra personas in decreto antedicto expressas impedimentum extenditur.

(10. Cognatio spiritualis contrahitur inter conjuges, si alter eorum prolem communem suscipiat, vel baptizet, extra casum necessitatis; quæ Cognatio impedit usum conjugii, saltem donec Ordinarius dispenset.

(11. Ob quam Cognationem tamen Gratianus affirmat, quod mulier a viro suo non sit separanda; quod et de viro similiter oportet intelligi. Et hanc conclusionem secuti Pontifices, ac signanter Alexander III. *in cap.* 2. *tit. de Cognatione Spirituali*, respondit: Quod sive ex ignorantia, sive ex malitia, proprium filium de Fonte susceperint, non esse ab invicem separandos, nec alter alteri debitum debere subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci. »

(12. Quæ de Cognatione contrahenda in Baptismo decrevit Synodus Tridentina, eadem servari voluit in ea Cognatione, quæ ex Confirmatione contrahitur; ut scilicet hæc extra confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem ac tenentem non egrediatur.

(13. Quum non tantum per baptismum quis dicatur regenerari, sed etiam per Sacramentum Pœnitentiæ, tanquam per secundas naufragii tabulas, hinc et creditum jam pridem fuit, inter pœnitentem et Sacerdotem, spiritualem quamdam Cognationem oriri, aitque Gratianus ad calcem Canonis 7. « Dicitur etiam spiritualis filia Sacerdotis, quæ ei peccata sua confitetur. » Unde peccatum carnis inter illos gravius est, graviusque puniendum.

COLLATIUNCULA

Die Jejunii. Vide verb. JEJUNIUM, *art.* 1. *a n.* 14. *et* 41. *ad* 46.

COLLEGIUM.

SUMMARIUM.

1. Collegium, Universitas, Communitas sunt synonyma. — 2. Collegium unde dictum, et quid sit. — 3. Universitas unde dicta, et quid sit. — 4. Communitas unde dicta, et quid sit. — 5. Ad constituendum Collegium requiruntur tres. Jus autem Collegii conservari potest in duobus, imo et in uno. —6. At tunc non est Collegium actu, sed habitu, seu virtute. — 7. Istud autem Jus, quod in uno remanet, non retinet pro se ipso, sed pro Collegio. — 8. Adeo ut nomine Collegii, si non potest eligere se ipsum, poterit tamen alium eligere in totius Collegii Prælatum. — 9. Ad constituendam Universitatem sufficiunt quinque personæ. — 10. Universitatis nomine censetur Synodus, Concilium, Cœtus, Conventus. — 11. Universitatis Jus propter casus supervenientiam conservari potest etiam in una persona. — 12. Ad constituendam Congregationem sufficiunt duæ personæ. — 13. Ad constituendam Familiam requiruntur plures duobus. — 14. Ad faciendam Parochiam sufficiunt decem homines. — 15. Ad constituendum Populum sufficiunt decem homines. — 16. Item plures, quam decem, vel quindecim faciunt Turbam. — 17. Item Gregem ovium decem oves, Porcorum vero quatuor, vel quinque faciunt. — 18. Collegiata non potest erigi nisi per Papam; ad n. 19.— 20. Adeo ut erectio facta etiam cum reservatione Beneplaciti Apostolici nulla sit, antequam obtineatur. — 21. Sola auctoritate Episcopi Collegiata nunquam potest erigi, sed semper debet recurri ad Papam, qui erectionem concedit, dummodo votum Sacræ Congregationis Concilii (ad quam remittuntur preces) sit favorabile; quæ regulariter pro concessione solet inclinare, quoties concurrant aliquæ conditiones, quæ assignantur. — 22. Licet Collegiatæ erectio nequeat fieri de novo ab Episcopo; posita tamen erectione Collegiatæ rite facta auctoritate Summi Pontificis, si contingat Collegium deficere ob mortem v. g. Canonicorum, vel aliam consimilem causam, in tali casu reductio Collegialitatis ad actum poterit fieri ab Episcopo, cum hæc non sit erectio. — 23. Quamvis enim desierit esse Collegiata actu, remanet tamen adhuc talis habitu. — 24. Si agatur de Collegiata jam erecta tempore, quo vigebat opinio, ut posset ab Ordinario erigi, tunc similiter judicari debet juxta illud tempus; et non secundum opinionem posteriorem contrariam. — 25. Ex antecedenti enim statu Collegialitatis præsumitur ejus continuatio. — 26. Quod procedit etiam quando agatur de re multum remota. — 27. Status Collegialitatis non dissolvitur nisi tribus modis, qui assignantur. — 28. Nec Collegiatæ suppressio unquam justificata dicitur, nisi de auctoritate Superioris supremi facta appareat. — 29. Quæ tamen suppressio non inducitur ex Decreto facto ab Episcopo declarante Ecclesiam non esse Collegiatam, sed simplicem Parochialem. — 30. Episcopus sicuti non habet facultatem de non Collegiata faciendi Collegiatam; tanto minus habet facultatem de Collegiata faciendi non Collegiatam. — 31. Uti nec potest Curam supprimere, ut erigat Dignitatem. — 32. Collegiata Ecclesia, quando non constat de primæva legitima erectione, vel subsequenti privilegio Apostolico, probatur ex conjecturis, indiciis, et enuntiativis. — 33. Conjecturæ, et indicia potissima Collegialitatis sunt: primo ex im-

Digitized by Google

memorabili reputatione, et nominatione Collegialitatis; junctis enuntiativis antiquis. — 34. Secundo ex Litteris Apostolicis dirigi solitis Canonicis Cathedralis, vel Collegiatæ. — 35. Tertio ex communi Sigillo, id est proprio ipsius Collegii. — 36. Dummodo tamen sigillum contineat insignia ipsius Ecclesiæ : non autem ejus ministri, et Exactoris. — 37. Quarto ex communi Arca, et Massa. — 38. Quinto ex convocatione Canonicorum de mandato principalis Dignitatis illorum capitis, et Congregationibus capitulariter factis. — 39. Sexto ex electione vel collatione Canonicatus facta per Capitulum, et Canonicos ad hunc effectum congregatos. — 40. Septimo ex possessione tradita Canonicatuum cum assignatione Stalli in Choro, et loci in Capitulo, facta per Canonicos capitulariter congregatos. — 41. Octavo ex receptione Provisorum in Fratres, juncto nomine Fraternitatis, quæ circumstantia plurimum ad id confert. — 42. Nono ex juramento posito a Provisis, de servandis Constitutionibus, statutis, et consuetudinibus ipsius Ecclesiæ. — 43. Decimo ex venditionibus, et locationibus, et aliis contractibus capitulariter factis. — 44. Undecimo ex eo, quod in Ecclesia adeit aliquis uti Caput; et Clerici, vel Canonici uti membra. — 45. Duodecimo ex jure eligendi Prælatum. — 46. Tertiodecimo ex eo quod Cura animarum sit penes Capitulum, etiamsi habitu tantum. — 47. Quartodecimo ex eo quod in actu Visitationis ab Episcopo dicatur Collegiata, vel si in ea facta fuerit provisio tanquam de prima Dignitate. — 48. Quintodecimo ex declarationibus Parochorum. — 49. Ex prædictis conjecturis, seu signis, aliisque sufficientibus, Ecclesia est existimanda Collegiata; licet de fundatione, et privilegio non constet. — 50. Non est autem necessarium, quod omnes supradictæ conjecturæ, seu signa simul concurrant, ut Ecclesia dicatur Collegiata, sed sufficit aliquas adesse, ex quibus id argui possit, et verisimile credi. — 51. Collegiata Insignis præcedit aliis non Insignibus, etiamsi fuerint prius erectæ. — 52. Quænam autem Collegiata dicatur Insignis, in Jure Canonico definitum non est. Unde res ex facto dependet, attento nomine *Insignis*, quod Ecclesiæ nobilitatem, et excellentiam præsefert.—53. Et DD. volunt, quod Collegiata communiter reputetur, et dicatur Insignis, si sit Matrix in loco, præcedatque aliis in publicis functionibus, sit antiqua, et conspicua quoad structuram materialem, et numerositatem Dignitatum, Canonicorum, aliorumve Ministrorum; sitque in loco, seu Oppido nobili, et numeroso, et peritorum copioso. — 54. Et quod in dijudicatione hujusmodi Insignitatis fieri possit consideratio ex qualitate loci, fuit decisum a Sacra Rit. Congregatione. — 55. Canonici Collegiatarum Insignium præferendi sunt in Synodo, ac Processionibus Canonicis Collegiatarum non Insignium. — 56. Etiamsi Collegiata non insignis sit antiquior in erectione. — 57. Imo etiam erectio Collegiatæ insignis facta fuerit cum clausula, *sine alicujus præjudicio*. — 58. Pro expensis factis a Canonicis pro obtinendo Indulto deferendi Cappas, et Rocchettum, non possunt ab ipsis alienari bona Ecclesiæ. — 59. Affertur ad id responsio Sacræ Congregationis Concilii in una Montis Regalis pro Canonicis Civitatis Cunæi ejusdem Diœcesis. — 60. Collegiata Ecclesia circa ritus, et cæremonias debet servare laudabiles, et antiquas consuetudines aliarum similium Ecclesiarum Provinciæ. — 61. Collegiatæ Ecclesiæ statuta quærenda sunt a proprio Episcopo. — 62. Collegiata debet præcedere omnibus aliis Ecclesiis simplicibus, vel quæ tantum Parochiales sunt. — 63. Etiamsi antequam erigeretur in Collegiatam, illis cederet. — 64. Archipresbyter, et Canonici Collegiatæ, quæ non est Parochia, possunt benedicere Cineres, et Palmas, populoque distribuere, similiter aquam, ignem, ova, fructus, et cætera omnia secundum Ritum S. Ecclesiæ; sed non possunt Sabbato Sancto, vel alio tempore aspergere publice domos Aqua Benedicta, vel aliquem actum Jurisdictionis Parochialis exercere; similiter non possunt Sabbato Sancto pulsare Campanas ante Parochialem, neque aliquos communicare in Paschate, nisi Presbyteros, et Clericos suæ Collegiatæ. — 65. Canonici Collegiatæ non tenentur inservire Episcopo extra eorum Ecclesiam, nisi in casu necessitatis, vel contrariæ consuetudinis. — 66. Canonici Collegiatæ non tenentur intervenire processioni Sanctissimi Sacramenti, quæ fit in Cathedrali qualibet tertia Dominica. — 67. Collegiata nuper erecta, subjecta est Ordinario; nec habet præcedentiam super alias. — 68. Capitulum Cathedralis præbere non potest ullam molestiam Capitulo Collegiatæ, quod teneat Clericos ad cantandum in Choro, et extra, et serviendum Missis, et aliis Divinis Officiis cum Cotta, et vestibus Talaribus, eundum ad processiones, sepeliendum mortuos, et celebranda Divina Officia in aliis Ecclesiis, ubi invitantur. — 69. Collegiatæ Canonici possunt juxta eorum consuetudinem deferre Crucem propriam in processionibus, dummodo digniorem, et ultimum locum relinquant Clero Ecclesiæ Cathedralis. — 70. Collegiata non debet accedere ad Ecclesiam Parochialem, ad faciendam benedictionem, et distributionem Candelarum, et Palmarum, non obstante consuetudine. — 71. In Ecclesia Collegiata possunt Divina persolvi citius, quam in Cathedrali. — 72. Numerus trium Canonicorum congruus est ad Collegiatam constituendam. — 73. Qui si recesserint, vel saltem de præsenti non existat Collegiata, adhuc tamen sufficit illam habitu esse ad hoc, ut censeri debeat Collegiata. — 74. Collegiata adhuc dicitur, et gaudet privilegiis, deficientibus omnibus illius Canonicis, et tantum uno remanente. — 75. Ecclesia Parochialis erigi potest in Collegiatam, et nihilominus Cura animarum remanere penes Parochum prout antea erat; non autem in Collegium, vel Dignitatem transferri. — 76. Collegiata antiquior, quæ habet insignitatem a Jure; præfertur habenti insignitatem ex privilegio posteriorem. — 77. 79. Num Ecclesia sit Collegiata, probari potest Apostolico Privilegio; saltem præsumpto. — 80. 84. In quibus conveniat Ecclesia communitativa cum Collegiata. — 85. Ex his sustineri nequit, Ecclesiam aliquam habitam esse pro Collegiata. — 86. Etiamsi præterea illi tributa sit denominatio Collegiatæ. — 87. 94. In quibus differat Ecclesia communitativa a Collegiata. — 95. Rigide inquirendum est de Collegialitate, si de ea quæstio sit ad omnes effectus. — 96. Collegium tanquam repræsentans unam personam non dicitur, aliquid fecisse, nisi major ejus pars consenserit. — 97. Si vota scindantur in duas partes æquales, non constituunt duo Collegia. — 98. Collegium habens juspatronatus, si dividatur in duas partes habentes æqualia vota, locus est gratificationi. — 99. Et adhuc illa pars dicitur major et sanior, quæ præsentavit digniorem. — 100. Si cum paritate votorum concurrit paritas meritorum in præsentatis, electio non est conclusa, nec locus gratificationi. — 101. Præsentati a Collegio si paria vota bis in scrutiniis uterque sortitus sit, Papa solus potest gratificare. — 102. Pendente termino ad eligendum, an Collegium possit iterare scrutinium, donec sequatur electio per majorem partem. — 103. Potest etiam adiri Superior, ut compellat ad concordandum inter certum terminum. — 104. 105. Patroni plures singulares si discordent in præsentatione, fit locus gratificationi; secus quid. — 106. Jura Collegii remanent etiam in uno. — 107. Ad extinguendum Collegium in actu quid attendatur, et quid in habitu. — 108. Destructio Collegii per desuetudinem, seu rerum naturam æquiparatur, destructioni factæ de jure. — 109. Præpositus, ubi adest, regulariter indicat, se fuisse caput Collegii. — 110. Nomen præpositi per se non adaptatur Parocho, vel Plebano. — 111. Acclamatio, seu congratulatio vocalium post electionem factam cum majori

Digitized by Google

parte respectu minoris, vim habet collegialis approbationis. — 112. Ex dispositione juris electio Prælati in Collegiata pertinet ad Collegium seu Capitulum.

(1. Collegium, Universitas, et Communitas sunt synonyma, seu idem importantia, ut dicunt Joannes Monach. et Joan. Andreas *in cap. Romana* 5. *de sentent. excommun. in* 6. et Fagnan. *in cap. Responsio* 43. *de sent. excomm. num.* 35. (2. Collegium dicitur, quasi unum Collectum, et est societas Collegarum in uno corpore positorum, secundum Joannem Monach. et Joann. Andream *l. c.* vel ut dicit Prob. *in eod c. Rom. n.* 6. Collegium est collectio plurium corporum rationabilium, constituens unum Corpus repræsentatum. (3. Universitas secundum Joann. Monach. et Joan. Andream *loc. cit.* dicta est ab *Universo*, et Universum dicitur quasi in *Unum versum*, cum scilicet plures habent jus, vel causam vertendi se in unum, ut faciant Universitatem, eo quod requiratur hoc eis concessum ab his, qui super hoc jus habent, ut *l.* 3. *ff. de Colleg. illicit.* Unde ut ipsi definiunt, Universitas est plurium Corporum inter se distantium uno nomine specialiter eis deputato collectio; vel secundum Oldrad. *cons.* 315. *circa istud*, Universitas est multorum in unum Congregatio eidem Capiti subjectorum. (4. Communitas dicta est a communi, et est commune compositum a *cum et munium*, idest Officium, quasi communio plurium in unum Officium; *cap. Consulti de procurat.* ut qui habent arcam communem, sigillum commune, unum Rectorem, et similia; *arg. cap. Dilecti, de excessibus Prælator.* notat Bald. *in cap. Cum omnes, de Constitut. n.* 26. Fagnan. *loc. cit. num.* 36. (5. Hinc juvat observare, quod ad constituendum Collegium requiruntur tres; *l. Neratius*, *ff. de verb. significat.* Jus autem Collegii conservari potest in duobus, imo et in uno; *c.* 1. ubi Glossa *de election.* Glossa *in cap. Statutum verb. Collegiat. de election. in* 6. Fagnan. *in cap. Cum sit ars, de ætate, et qualitate n.* 33. *et* 34. (6. At tunc non erit Collegium actu, sed habitu, seu virtute. Fagn. *in dict. cap.* 1. *de election. num.* 30. Pirhing. *in Jus Canonic. lib.* 1. *tit.* 6. *n.* 12. (7. Istud autem Jus, quod in uno remanet, non retinet pro se ipso, sed pro Collegio. Gloss. *in l. Neratius, ff. de verbor. significat.* Glossa *in cap.* 2. *de postulat. Prælator. verb. Pauciores in fin.* (8. Adeo ut nomine Collegii, si non potest eligere se ipsum (prout plures volunt) poterit tamen alium eligere in totius Collegii Prælatum. Glossa *in dict. cap.* 2. *de Postulat. Prælat.* cum aliis pluribus, quos allegat, et sequitur Passerin. *de election. cap.* 10. *qu.* 1. *num.* 8. (9. Ad constituendam Universitatem sufficient quinque Personæ, ut notat Bald. *in dict. cap.* 1. *de election. num.* 8. *per text. in l. fin. Cod. de testament.* et per Gloss. *in l. sicut ad fin. ff. Quod cujusque univers. nom.* Universitas potest constitui per tres. Glossam sequitur Bartol. *in leg. Præter la seconda num.* 1. *ff. de vi bonorum raptorum.* (10. Et Universitatis nomine censetur Synodus, Concilium, Cœtus, Conventus, de quibus Isidor. *in cap.* 5. *dist.* 15. Fagnan. *loc. cit. n.* 35. (11. Et Universitatis jus propter casus supervenientiam conservari potest etiam in una persona; *l. sicut, ad fin. ff. Quod cujusque univers. nom.* et notat Glossa *in cap.* 1. *de Election. et in cap. Gratum. de postulat. Prælator.* (12. Ad constituendam Congregationem sufficiunt duæ personæ; *cap* 1. *de election.* Fagnan. *in cap. vestra* 7. *de cohabitat. Cleric. et Mulier. num.* 91. (13. Ad constituendam familiam requirentur plures duobus; *l. Detestatio* 40. *ff. de verbor. significat.* (14. Ad faciendam Parochiam sufficiunt decem homines. Fagnan. *loco cit. in d. c. Vestra num.* 89. (15. Ad constituendum populum sufficiunt decem homines; *cap. Unic.* 3. *caus.* 10. *qu.* 3. Glossa 1. *et D. D. in cap.* 1. *de elect.* Fagnan. *in cap. Responso* 43. *de sent. excommunic.* (16. Item plures, quam decem, vel quindecim faciunt Turbam; *l. Prætor ait* §. 1. *ff. de vi bonorum raptor.* (17. Item gregem ovium decem oves; porcorum vero, quatuor vel quinque faciunt; *l. Oves, ff. de abig.* Nicol. *in floscul. verb. Grex.*

(18. Collegiata non potest erigi nisi per Papam, quia Collegia non nisi potestate Principis supremi erigenda sunt; *l.* 3. §. *in Summa, ff. de Colleg. illicit.* et sic probat inconcussa observantia, quod scilicet Collegiatarum erectiones fiant semper a Papa, ut testatur Card. de Luca *de Benefic. disc.* 14. *num.* 12. Lotter. *de Benefic. lib.* 1. *qu.* 14. *n.* 43. et 44. Barbosa *de Jur. Ecclesiast. univers lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 1. Rota *decis.* 1084. *num.* 5. *coram Emerix. junior. decis.* 331. *num.* 5. *par.* 4. *tom.* 1. *decis.* 99. *num* 9. *part.* 7. *decis.* 32. *num.* 9. *cum sequent. et decis.* 297. *num.* 2. *part.* 17. *recentior. et in Montis Regalis Prioratus* 2. *Maii* 1701. §. *atque, coram D. Ansaldo,* atque ita pluries respondit Sacra Congr. Episc. et signanter *in Tropien.* 22. *Julii* 1588. *in Messana* 4 *Junii* 1602. *in Aurien.* 23. *Maii* 1614. et Sacra Congr. Concil. *in Conversana* 27. *Jun.* 1629. et nuper ead. Sacra Cong. *in Catanien. Erectionis Collegiatæ* 1. *Septem.* 1691. in qua proposito dubio: *An erectio Collegiatæ, facta per Episcopum in actu Visitationis Ecclesiæ S. Antonii Oppidi S. Philippi de Argyra sustineretur;* responsum fuit, *Negative.* (19. Et de quodam motu proprio Clementis VIII. prohibentis de cætero Episcopis erigere Parochiales in Collegiatas testatur Rebuff. *in prax. tit. de erect. in Colleg. in fine, vers. Quidquid autem;* et ex eo Tondut. *resol. Benefic. part.* 2. *cap.* 2. §. 2. *num.* 10. et Card. Petra *tom.* 3. *commentar. ad Constitut.* 7. *Innocent IV. num.* 11. (20. Adeo ut erectio facta etiam cum reservatione Beneplaciti Apostolici nulla sit, antequam obtineatur. Sacra Congreg. Episcop. *in Nicoteren.* 16. *Mart.* 1612. *in una Montis Regalis* 27 *Novemb.* 1654. *in Syracusana* 30. *April.* 1655. (21. Sola enim auctoritate Episcopi Collegiata nunquam potest

Digitized by Google

erigi, sed semper debet recurri ad Papam, qui erectionem concedit, dummodo votum Sacræ Congreg. Concilii (ad quam remittuntur preces) sit favorabile; quæ regulariter pro concessione solet inclinare, quoties concurrant sequentia. Primo, qualitas loci nota digni. Secundo docilitas, civilitas, et numerositas populi et Clericorum. Tertio, structura decora, et capacitas Ecclesiæ in Collegiatam erigendæ. Quarto abundantia, decentia, et pretiositas sacrarum supellectilium. Quinto dos congrua pro Præbenda Canonicorum, et distributionibus, quæ regulatur a qualitate loci, et consuetudine aliarum Collegiatarum illius Provinciæ dependet, adeo ut aliquando admiserit summan scutorum sexdecim pro unoquoque Canonico, præter distributiones, *ut in una Sarzanen.* 26. Januar. 1704. licet non habuerit effectum propter litem ortam super pertinentia Ecclesiæ inter Postulatores et Cathedralem. Sexto, si conditiones fundationis et erectionis non sint exorbitantes a Jure. Septimo, si augeatur Divinus cultus, et concessio nemini inferat præjudicium. Octavo, si Episcopus approbet, et laudet erectionem. Sic refert Monacell. *tom.* 2. *tit.* 13. *form.* 6. *num.* 8.

(22. Licet autem Collegiatæ erectio nequeat fieri de novo ab Episcopo ex hucusque adductis, posita tamen erectione Collegiatæ rite facta auctoritate Summi Pontificis, si contingat Collegium deficere ob mortem v. g. Canonicorum, vel aliam consimilem causam, (23 ex qua licet desinat esse Collegiata actu, remanet tamen adhuc talis habitu, ut per Felin. *in cap. Accedentes, de præscriptionibus n.* 2. *vers. possit etiam.* Innocent. *in cap. Postulasti, de Jure patronatus, n.* 1. Archidiacon. *in cap. Licet Canon. de elect. in* 6. *n.* 2. Mascard. *de probat. Conclus.* 584. *n.* 5. Barbosa *lib.* 2. *Juris Eccles. univ. c.* 6. *n.* 9. cum aliis, quos refert, et sequitur Rota *in Cremonensi Præposituræ* 25 *Februarii* 1622. coram bonæ memoriæ Rambaldo, *et decis.* 221. *part.* 6. *recentior. n.* 25 *et* 26. In tali casu reductio Collegialitatis ad actum poterit fieri ab Episcopo, cum hæc non sit erectio; sic D. Piton. *tom.* 1. *Disceptation.* 8. *num.* 24. Fuscus *in Visitat. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. *in fin. Card.* Petra *loc. sup. cit. n.* 12. ubi *n.* 13. (24 Subjungit, quod si agatur de Collegiata jam erecta tempore, quo vigebat opinio, ut posset ab Ordinario erigi, tunc similiter judicari debet juxta illud tempus, et non secundum opinionem posteriorem contrariam, ut notat Rota *decis.* 240. n. 12. *coram S. M. Alexandro VIII et cit. decis.* 1048. *n.* 5. *et seq. coram Emerix junior*, ita ut præscriptio validitatem erectionis inducat per spatium temporis centum annorum; et consensus Papæ præsumitur, si fuerit in statu Collegialitatis, saltem implicito, donec contrarium declaretur. (25. Ex antecedenti enim statu Collegialitatis præsumitur ejus continuatio. *D. D. in l. Sive possidetis, Cod. de probat. Rota decis.* 4. *de probat. et decis.* 4. *n.* 12. *par.* 2. *div. et decis.* 221. *num.* 8. *part.* 8. *recentior.* et late Menoch. *lib. præsumpt.* 64. (26. Quod procedit etiam, quando agatur de re multum remota. Rota *in Comen. Decimarum.* 11. *Martii* 1611. *coram bonæ memoriæ Cardinali Sacrato circa fin. et dict. decis.* 221. *n.* 9. *part.* 9. *recentior.* (27. Status enim Collegialitatis non dissolvitur nisi tribus modis, nempe, vel volentibus omnibus Collegialibus; vel etiam ipsis invitis ex facto Superioris supremi; vel casu per mortem omnium, ut tradunt *D. D. in cap. Dilect. de excessibus Prælator. et* Rota *par.* 6. *recent. dict. decis.* 221. *n.* 1. (28. Nec Collegiatæ suppressio unquam justificata dicitur, nisi de auctoritate Superioris supremi facta appareat. Glossa *in cap. Statutum num.* 22. *verb Collegiata, de election. in* 6. Gemin. *in cap. Licet. num.* 6. *ante fin. vers.* 3. *casu. eod. tit.* Felin. *in cap. Accedentes, de præsumptionib. num.* 2. *vers. ponit etiam de istis signis;* Rota *part,* 1. *recent. decis.* 163 *sub n.* 4. (29. Quæ tamen suppressio non inducitur ex Decreto facto ab Episcopo declarante Ecclesiam non esse Collegiatam, sed simplicem Parochialem. (30. Cum Episcopus sicuti non habet facultatem de non Collegiata faciendi Collegiatam, ex dictis *supra num.* 18. et etiam Rota *par.* 6. *recentior. decis.* 221. *num.* 29. *et part.* 7. *decis.* 99 *num.* 9. *et part.* 17. *decis.* 195. *num.* 5. *et* 14. tanto minus habeat hanc facultatem de Collegiata faciendi non Collegiatam. Rota *part.* 6. *recentior. dict. decis.* 221. *n.* 30. (31. Uti nec potest Curam supprimere, ut erigat Dignitatem. Sacra Congreg. Concil. *in Pientina* 14. *Februarii* 1693.

(32. Collegialitas Ecclesiæ, quando non constat de primæva legitima erectione, vel subsequenti privilegio Apostolico, probatur ex conjecturis, indiciis, et enuntiativis. Barbosa *lib.* 2. *Juris Ecclesiast. univers. cap.* 6. *num.* 5. cum pluribus ibi citatis; Cardinal. Petra *tom.* 3. *comment. ad Constitut.* 7. *Innocentii IV. sect.* 2. *n.* 16. cum pluribus pariter ibi citatis; Rota *part.* 6. *recent. decis.* 221. *num.* 1. *part.* 16. *decis.* 234. *part.* 19. *t.* 2. *decis.* 469. *n.* 16. (33. Conjecturæ autem, et indicia potissima Collegialitatis sunt: Primo ex immemorabili reputatione, et nominatione Collegialitatis junctis enuntiativis antiquis. Rota *part.* 16. *recent. decis.* 234. *num.* 5. Felin. *in cap. Cum causam num.* 4. *de probat.* Nonius *cons.* 73. *num.* 8. cum aliis relatis per Rotam *decis.* 587. *n.* 1. *part.* 4. *divers. et decis.* 99. *n.* 6. *part.* 10. *recent.* (34. Secundo ex litteris Apostolicis dirigi solitis Canonicis Cathedralis, vel Collegiatæ; *cap. Statutum, de rescriptis in* 6. Amiden. de Stylo Datariæ *lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 36. *quæst.* 1. Rota *part.* 16. *recent. d. decis.* 234. *num.* 6. (35. Tertio ex communi sigillo, idest proprio ipsius Collegii; *c. Dilecta, de excessib. Prælator. c. Significavit, de appell.* Barbosa *de Canonic. c.* 2. *n.* 10. *et lib.* 2. *Juris Eccles. c.* 6. *n.* 6. Petra *loc. cit. n.* 24. (36. Dummodo tamen sigillum contineat insignia ipsius Ecclesiæ, non autem ejus Ministri, et Exactoris. Rota *p.* 6. *recent. dec.* 136. *n.* 17. Sigillum enim publicum, seu authenticum nonnisi Capitulis, et Collegiis approbatis habere licet ad faciendam fidem pro tota Communitate, ut observat Gonzal. *ad cit. cap. Dilecta num.* 3. (37.

Digitized by Google

Quarto ex communi Arca, et Massa; *lib.* 1. § *Quibus autem, ff. quod cujusq. univ. nom.* Barbosa *cit. lib.* 1. *num.* 6. cum aliis pluribus ibi adductis, Rota *decis.* 175. *n.* 1. *et decis.* 215. *num.* 1. *coram Mantica, decis.* 960. *n.* 3. *coram Penia, decis.* 1256. *num.* 1. *coram Seraphin. decis.* 482. *num.* 4. *coram Ludovisio, et decis.* 584. *num.* 2. *part.* 4. *divers. et dec.* 56. *num.* 5. *part.* 5. *recentior. tom.* 1. *et decis.* 216. *num.* 2. *part.* 7. *et decis.* 234. *n.* 7. *part.* 16. *recentior.*

(38. Quinto ex convocatione Canonicorum de mandato principalis dignitatis illorum Capitis, et Congregationibus capitulariter factis. Barbosa *loco cit. num.* 6. Vivian. *de Jure Patronatus part.* 2. *lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 3 *et* 5. Rota *decis.* 584. *num.* 2. *et decis.* 585. *n.* 1. *et* 2. *part.* 4. *divers.* et coram Buratt. *decis.* 473. *n.* 11. et coram Merlin. *decis.* 87. *n.* 10. et coram Ludovis. *dec.* 482. *n.* 4. et coram Eminentiss. Ottobon. *dec.* 248. *num.* 17. *et* 18. *et part.* 16. *recentior. d. decis.* 234. *n.* 9. *et* 10. (39. Sexto ex electione, vel collatione Canonicatus facta per Capitulum, et Canonicos ad hunc effectum congregatos. Rota *part.* 4. *recent. t.* 2. *decis.* 465. *n.* 2. *part.* 6. *decis.* 221. *num.* 2. *et* 3. *p.* 16. *dec.* 234. *num.* 11. Rota *in antiq. decis.* 8. *num.* 1. *et* 2. *de Præbend.* Put. *decis.* 135. *lib.* 1. Seraphin. *decis.* 1041. *n.* 4. (40. Septimo ex possessione tradita Canonicatuum cum assignatione Stalli in Choro, et loci in Capitulo, facta per Canonicos capitulariter congregatos. Barbosa *lib.* 2. *Juris Eccl. univers. cap.* 6. *num.* 7. Vivian. *de Jure Patronatus decis.* 44. *num.* 2. Rota coram Penia *decis.* 960. *num.* 6. *et decis.* 1163. § *tertium signum, et part.* 4. *tom.* 2. *recentior. decis.* 465. *num.* 2. *part.* 6. *decis.* 221. *num.* 5. *part.* 16. *decis.* 234. *num.* 12. (41. Octavo ex receptione Provisorum in Fratres juncto nomine Fraternitatis, quæ circumstantia plurimum ad id confert. Rota *part.* 6. *recentior. decis.* 221. *num.* 5. *part.* 16. *decis.* 234. *n.* 13. et coram Buratt. *decis.* 809. *n.* 2. et 28. Paris. *de resignat. lib.* 6. *quæst.* 5. *num.* 32. Vivian. *de Jure Patronat. decis.* 44. *num.* 2. (42. Nono, ex juramento posito a Provisis de servandis constitutionibus, statutis, et consuetudinibus ipsius Ecclesiæ. Rota coram Mantica *dec.* 175. *num.* 1. *vers. item quia; et decis.* 215. *num.* 1. *et part.* 4. *divers. decis.* 284. *et* 285. *utrobique num.* 1. *et part.* 16. *recent. decis.* 234. *n.* 14. Fagnan. *in cap. Postulasti, de Jure Patronat. n.* 5. *in fine;* Barbosa et alii passim. (43. Decimo, ex venditionibus, et locationibus et aliis contractibus capitulariter factis. Alexand. *const.* 74. *num.* 4. *l.* 4. *Penia dict. decis.* 960. *num.* 3. Rota *part.* 16. *recent. decis.* 234. *num.* 8. (44. Undecimo, ex eo quod in Ecclesia adsit aliquis uti Caput, et Clerici, vel Canonici uti membra. Alexander *const.* 74. *num.* 5. *lib.* 4. *Barbosa dic. lib.* 2. *n.* 10. Mantica *decis.* 215. *sub num.* 1. *vers. Unde;* Rota *in Cremonen. Præposituræ* 25. *Februar.* 1622. coram Rambaldo, *et in Asculana Plebaniæ* 13. *Januarii* 1624. coram Merlino.

(45. Duodecimo, ex jure eligendi Prælatum; *cap.* 1. *de election.* electio siquidem Prælati in quolibet Collegio de jure pertinet ad personas ejusdem Collegii, nisi adsint reservationes Apostolicæ, ut in secunda, et tertia Regula Cancellariæ, ubi reservantur omnes Dignitates majores post Pontificalem in Cathedralibus, et principales Dignitates in Collegiatis; cum enim Prælatus censeatur ille, qui est Caput, habetque Jurisdictionem in singulos de Collegio, sequitur, ut ex ejus electione eruatur maximum signum in probanda Collegialitate. Cardin. de Luca *de Benefic. disc.* 14. *num.* 13. Lambertin. *de Jure Patronat. part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 5. *principal. n.* 4. *pag.* 39. Lotter. *de re Benefic. quæst.* 14. *n.* 74. Mascard. *de probat. conclus.* 584. *num.* 10. Card. Petra *d. tom.* 3. *in Constit.* 7. *Innocent. IV. sect.* 2. *num.* 33. et alii. (46. Tertiodecimo, ex eo quod Cura animarum sit penes Capitulum, etiamsi habitu tantum. Lotter. *d. q.* 14. *num.* 93. Card. Petra *loc. cit. num.* 34. Rota *decis.* 60. *num.* 3. coram Carillo. (47. Quartodecimo, ex eo quod in actibus Visitationis ab Episcopo dicatur Collegiata, cum hic præsumatur scire statum suarum Ecclesiarum; vel si in ea fuerit facta provisio tanquam de prima Dignitate. Petra *loc. c. num.* 34. Rota *decis.* 482. coram Ludovisio, *et in Matheranen. Archipresbyteratus* 27. *Junii* 1707. § *Collegialitas* coram D. Kaunitz, *et in Comen. Canonicatus* 11. *Februarii* 1704. § *visa fuit* coram D. Scotto. (48. Quintodecimo, ex declarationibus Parochorum ejusdem Ecclesiæ, quam conjecturam alias Rota maximi fecit. Rota coram Penia *dec* 1163. *num.* 11. *et decis.* 960. *num.* 8. et apud Postium *de manut. decis.* 32. *numer.* 3. et coram Buratt. *decis.* 455. *num.* 1. *vers. Ecclesiam vero, et part.* 19. *tom.* 2. *recent. decis.* 469. *n.* 17. (49. Ex prædictis igitur conjecturis, seu signis, aliisque sufficientibus, Ecclesia est existimanda Collegiata, licet de fundatione, et privilegio non constet; sic censuit Sac. R. Cong. *in una Caputaquens* 16. *Januar.* 1620. ut refert, et tenet Barbosa *d. l.* 2. *c.* 6. *Juris Eccles. num.* 14. *et de Canon. et Dignitat. c.* 2. *num.* 16. (50. Non est autem necessarium, quod omnes supradictæ conjecturæ, seu signa simul concurrant, ut Ecclesia dicatur Collegiata, sed sufficit aliquas adesse, ex quibus id argui possit, et verisimile credi, ut per Rotam *decis.* 584. *num.* 2. *part.* 4. *divers.* Mantic. *decis.* 215. *num.* 5. *vers. nec etiam;* Rota *part.* 4. *recentior. tom.* 2. *decis.* 292. *num.* 12. *part.* 16. *dec.* 234. *num.* 4. *part.* 19. *tom.* 2. *dec.* 469. *num.* 22. Barbosa *locis mox citatis,* Lotter. *dict. quæst.* 14. *num.* 79. *cum sequent.* advertens ex multis fieri posse, ut sigillum deficiat, vel non sit in usu, vel etiam quod Collegium non habeat Prælatum, cum ad ejus essentiam id minime necessarium sit.

(51. Collegiata insignis præcedit aliis non insignibus, etiamsi fuerint prius erectæ. Sac. Rit. Congreg. *in Firmana* 24. *Maii* 1612. Quamvis erectio sine præjudicio alterius facta fuerit. Ead. Sac. Rituum Congregat. *in Nolana* 21. *Apr.* 1602. *et in Nullius, seu Firmana* 23. *Martii* 1602. Sic Barbosa

Digitized by Google

Collect. Apostolic. dec. verb. Collegiata num. 5. (52. Quænam autem Collegiata dicatur Insignis, in Jure Canonico definitum non est. Unde res ex facto dependet, attento nomine *Insignis*, quod Ecclesiæ nobilitatem, et excellentiam præsefert. (53. Et D. D. volunt, quod Collegiata communiter reputetur, et dicatur insignis, si sit Matrix in loco, præcedatque aliis in publicis functionibus, sit antiqua, et conspicua quoad structuram materialem, et numerositatem Dignitatum, et Canonicorum, aliorumve Ministrorum; sitque in loco, seu Oppido nobili, et numeroso, et peritorum copioso. Card. de Luca *de præeminent. disc.* 8. *num.* 14. Barbosa *in cap. Transmissæ* 33. *de verbor. signific. et de jure Eccles. lib.* 2. *c.* 6. *num.* 15. *et de Canon. c.* 2. *n.* 18. Lotter. *de re Benefic. lib.* 1. *quæst.* 15. *a num.* 1. *ad* 9. Corrad. *in praxi Benefic. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 17. Aloys. Ricc. *in Collect. dec. par.* 6 *collectan.* 2350. *vers. insignis*, Petra *loc. cit. num.* 36. et plene Rota *dec.* 29. *per tot. part.* 2. *divers.* (54. Et quod in dijudicatione hujusmodi Insignitatis fieri possit consideratio ex qualitate loci, fuit decisum a Sacra Rituum Congreg. *in una Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Pauli Civitatis novæ Firmanæ Diœcesis* ad instantiam D. Ludovici Centoflorini, qui obtinuit dictam Collegiatam dici insignem, eo quod oppidum, in quo sita est, insigne reddat numerus quatuor mille habitatorum, hoc est focularium 820. quatuor Regularium Conventus, et unum Monasterium Monialium, copia peritorum, et nobilium ibi existentium. Sic refert Massobrius *in sua praxi habendi concursum prælud.* 2. *dub.* 2. *et tract. de Synodo Episcopi cap.* 4. *dub.* 14. *num.* 9. et ex ipso Barbosa *locis citatis.* Et insuper refert Massobrius *ibidem*, quod idem D. Ludovicus supplicavit Sacram Rituum Congregationem, ut dignaretur declarare : Primo : An Canonici Ecclesiarum Collegiatarum insignium debeant præcedere in Synodo Canonicis Ecclesiarum non insignium? Secundo : An debeant adhuc præcedere, si Ecclesia Collegiata non insignis sit antiquior in erectione? Tertio : quid si erectio Collegiatæ Insignis facta fuerit sine præjudicio alicujus? (55. Sacra Rituum Congregatio ad primum respondit, Canonicos Ecclesiarum Collegiatarum Insignium præferendos esse in Synodo, ac processionibus Canonicis Ecclesiarum Collegiatarum non Insignium. (56. Ad secundum, itidem præferendos esse, etiamsi Ecclesia Collegiata non Insignis sit antiquior in erectione. (57. Ad tertium, idem procedere, etiamsi erectio Collegiatæ Insignis facta fuerit cum clausula, *sine alicujus præjudicio*, cum eo ipso, quod Ecclesia est effecta Insignis, gaudeat privilegiis Ecclesiarum insignium. Sic ipse Massobrius *loc. cit.* et ex ipso Barbosa *in cap. Transmissæ* 33. *de verbor. significat. n.* 3.

(58. Pro expensis factis a Canonicis pro obtinendo Indulto deferendi Cappas, et Rochettum, non possunt ab ipsis alienari bona Ecclesiæ. Sacra Congregatio Concilii *in una Pratensi Beneplaciti die* 7. *Julii* 1696. quæ denegavit Capitulo facultatem alienandi Capitale Scutorum 25. aureorum relictorum eidem cum libera facultate erogandi pro Ecclesia, ad effectum convertendi dictum Capitale pro expensis Bullæ Indulti deferendi Cappas et Rochettum, quia non considerabatur utilitas evidens Ecclesiæ, licet majus decus Canonicorum. (59. Et eadem Sacra Congreg. Concilii *in una Montis Regalis* 19. *Maii* 1708. occasione, qua in Civitate Cunei ejusdem Diœcesis erecta fuerat Collegiata, adhibita tantum auctoritate Ordinarii. Cumque Episcopus successor Canonicos coegisset ad obtinendam, prout ab initio obtinere debuerant, dispensationem Apostolicam; pro qua quemadmodum etiam pro Indulto deferendi Rochettum, et Cappas, nonnullas fecerunt expensas. Unde pro eorum satisfactione supplicarunt pro facultate alienandi, seu obligandi quædam stabilia Ecclesiæ, quam eadem Sacra Congregatio die, qua supra, concessit tantum pro expensis factis pro erectione Collegiatæ, non autem pro Indulto deferendi Cappas, et Rochettum. (60. Collegiata Ecclesia circa ritus, et cæremonias debet servare laudabiles, et antiquas consuetudines aliarum similium Ecclesiarum Provinciæ. Sac. Rituum Congr. *in Ter.* 25. *Febr.* 1607. (61. Collegiatæ Ecclesiæ statuta quærenda sunt a proprio Episcopo. Ead. S. Rituum Congr. *in Mediol.* 28. *Sept.* 1602. (62. Collegiata debet præcedere omnibus aliis Ecclesiis simplicibus, vel quæ tantum Parochiales sunt. S. Rituum Cong. *in Nolana* 10. *Jun.* 1620. *et in Sen.* 23. *Mart.* 1619. *et* 4 *April.* 1620. (63. Etiamsi antequam erigeretur in Collegiatam, illis cederet. Ead. Sac. Congreg. *in Teracinensi Somnini* 24. *Febr.* 1606. (64. Archipresbyter, et Canonici Collegiatæ, quæ non est Parochia, possunt benedicere cineres, et palmas, populoque distribuere, similiter aquam, ignem, ova, fructus, et cætera omnia secundum Ritum Sanctæ Matris Ecclesiæ, sed non possunt Sabbato Sancto, vel alio tempore aspergere publice domos Aqua benedicta, vel aliquem alium actum jurisdictionis Parochialis exercere. Similiter non possunt Sabbato Sancto pulsare Campanas ante Parochialem, neque alios communicare in Paschate, nisi Presbyteros, et Clericos suæ Collegiatæ. Sac. Congreg. Episcop. *in Senogallien.* 21. *Julii* 1578. (65. Canonici Collegiatæ non tenentur inservire Episcopo extra eorum Ecclesiam, nisi in casu necessitatis, aut contrariæ consuetudinis. Sac. Cong. Episc. *in Verulana* 20. *Julii* 1592. *in Andr.* 10. *Martii* 1597. *et* 20. *Martii* 1637. (66. Canonici Collegiatæ non tenentur intervenire processioni SS. Sacramenti, quæ fit in Cathedrali qualibet tertia Dominica mensis, quia illa est privata Processio, cui non tenentur intervenire, nisi Clerici illius Ecclesiæ, in qua fit. Sacra Congregatio Episcop. *in Verulana* 20. *Julii* 1592.

(67. Collegiata nuper erecta subjecta est Ordinario, nec habet præcedentiam super

Digitized by Google

alias. S. C. Episc. *in Nolana* 29. *Maii* 1601. (68. Capitulum Cathedralis præbere non potest ullam molestiam Capitulo Collegiatæ, quod teneat Clericos ad cantandum in Choro, et extra, et serviendum Missis, et aliis Divinis Officiis cum Cotta, et vestibus talaribus, eundum ad processiones, sepeliendum mortuos, et celebranda Divina Officia in aliis Ecclesiis, ubi invitantur. Sac. Cong. Episc. *in Barchinonen.* 21. *April.* 1592 (69. Collegiatæ Canonici possunt juxta eorum consuetudinem deferre Crucem propriam in processionibus, dummodo digniorem, et ultimum locum relinquant Clero Ecclesiæ Cathedralis. Sac. Rituum Congregat. *in Anconitana* 24. *August.* 1609. (70. Collegiata non debet accedere ad Ecclesiam Parochialem ad faciendam benedictionem, et distributionem Candelarum, et Palmarum, non obstante consuetudine. Sac. Rit. Congregat. *in Hostiensi Coræ* 29. *April.* 1607. (71. In Ecclesia Collegiata possunt Divina persolvi citius, quam in Cathedrali. Sac. Congr. Episc. *in Bohoniensi* 3. *Dec.* 1602. (72. Numerus trium Canonicorum congruus est ad Collegiatam constituendam. Rota *in Asculana Plebaniæ* 13. *Januar.* 1624. *coram Merlino*, et cum multis aliis Barbosa *lib.* 2. *Juris Eccles. cap.* 6. *n.* 8 *et* 9. (73. Qui si recesserint, vel saltem de præsenti non existat Collegiata, adhuc tamen sufficit illam habitu esse, ad hoc ut censeri debeat Collegiata. Rota *in Cremonensi Præposituræ* 25. *Febr.* 1622. *cor. Rambaldo, et part.* 6. *recent. dec.* 221. *num.* 25. *et* 26. Barbosa *loc. cit.* cum aliis. (74. Collegiata adhuc dicitur, et gaudet privilegiis, deficientibus omnibus illius Canonicis, et tantum uno remanente. Sacr. Congr. Concil. *sub die* 6. *April.* 1621. (75. Ecclesia Parochialis erigi potest in Collegiatam, et nihilominus Cura remanere penes Parochum, prout antea erat, non autem in Collegium, vel Dignitatem transferri. Rota *in Mediolanensi Jurium Parochialium coram Matth.* 10. *part.* 19. *tom.* 1. *recent. dec.* 224. *n.* 24. (76. Collegiata antiquior, quæ habet insignitatem a Jure præfertur habenti insignitatem ex privilegio posteriorem. Sacr. Rituum Congregat. *in Civitatis Castellanæ Præcedentiæ* 13. *Februarii* 1700. *et in Novariensi* 8. *Maii ejusdem anni* 1700.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(77. Frequenter de eo disputari solet, an aliqua Ecclesia sit Collegiata? (78. Jam vero si erectio Ecclesiæ in Collegiatam reservata est S. Sedi, non aliter probari potest, Ecclesiam aliquam esse Collegiatam, quam Apostolico Privilegio, vel saltem præsumpto, inde scilicet eruto, quod fuerit Ecclesia, de qua quæstio est, per spatium immemorabile, aut centenarium habita pro Collegiata. Rota *in Gerunden. Canonicatus* 3. *Martii* 1727. *cor. clar. mem. Calcagnin.* (79. ubi quod Privilegium Apostolicum præsumi haud potest, quoties de tempore proximo prætensæ illius expeditioni, de ipso doctum haud est occasione alterius litis, nec ejus notitia haberi potest, ex revolutione actorum Datariæ, in quibus adnotari debuisset, quantumvis concessa per Secretariam Status, aut Brevium.

(80. Difficile vero est statuere, ex quibus Ecclesia habita dicenda sit Collegiata. (81. Datur enim Ecclesia communitativa, quæ in multis convenit cum Ecclesia Collegiata. (82. Quo circa nisi sciantur differentiæ intercedentes Ecclesiam Communitativam inter et Ecclesiam Collegiatam, facile haud est dijudicare, ex quibus habenda sit aliqua Ecclesia pro Collegiata.

(83. Quoad ea, quæ natura sua requirit unaquæque communitas, non differt Ecclesia communitativa ab Ecclesia Collegiata. (84. Sigillum, stallum, communis massa, communis arca, Archivium commune, locus certus, tum signum sese congregandi, statuta, juramentum de iis servandis, liber resolutionum, et alia id genus utpote propria uniuscujusque Communitatis, non solum conveniunt Ecclesiæ Collegiatæ, sed et Ecclesiæ communitativæ. Rota *in Celson. Admission.* 5. *Jul.* 1751. § 4. *cor. Illustriss. Migazzi in Barchinonen. Collegii.* 9. *Maii* 1755. § 5, *coram Reverendissimo P. D. Bussio Decano.* (85. Quocirca ex his sustineri nequit, Ecclesiam aliquam habitam esse pro Collegiata, (86. et quidem etiamsi præterea tributa sit Ecclesiæ denominatio Collegiatæ, et Beneficiatis illa Canonicorum. Rota *in Thelesina Collegiatæ* 4. *Julii* 1757. *coram Eminentissimo Crescentio.*

(87. Differt vero Ecclesia Communitativa ab Ecclesia Collegiata, quod in Ecclesia Communitativa nequeunt esse Dignitates, ut tradunt Fagnan. *in cap. Ut Abbates num.* 23. *de ætat. et qualit.* Thomassin. *de veter. et nov. Eccles. Disciplin. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 8. et rescripsit Sacra Congregatio Concilii interpres *in Cassanen. Matricitatis* 5. *Aprilis* 1756. *ad dub.* 5. (88. et sic locus esse nequit Regulæ quartæ Cancellariæ perpetuo reservanti S. Sedi primam Dignitatem Ecclesiarum Cathedralium, et Collegiatarum. (89. In Ecclesia autem Collegiata non solum esse possunt Dignitates, sed esse debet una saltem Dignitas, eaque juxta mox dictam Regulam quartam perpetuo S. Sedi reservata. (90. Insignia non conveniunt Beneficiatis Ecclesiæ Communitativæ, at conveniunt Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ. Rigant. *in comment. ad. Regul. IV. Cancellar.* § 2. *n.* 92. (91. Executio Litterarum Apostolicarum numquam committitur a Summo Pontifice Beneficiatis Ecclesiæ Communitativæ, at committi solet Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ. Rota *in recent. dec.* 234, *n.* 6. *part.* 16. *cor. Molin. dec.* 156. *n.* 11. (92. Sunt etiam qui tenent, ad residentiam præcisam de jure non teneri Beneficiatos Ecclesiæ Collegiatæ. Sed dicemus de hoc in addit. ad verb. *Residentia.* (93. Quod si concurrant, et quidem per tempus legitimum, ea quæ æque conveniunt Ecclesiæ Communitativæ, ac Ecclesiæ Collegiatæ, tum hæc quæ proprie dumtaxat sunt Ecclesiæ Colleg. concludi potest, aliquam Ecclesiam esse Collegiatam privilegio Apostolico præsumpto. Confer

Digitized by Google

Rigant. *loco mox citato a n. 43. ad fin.* ubi quod Rota variavit in hac materia.

(94. Recte monet idem Auctor *n.* 39. rigide inquirendum de Collegialitate, si de ea quæstio sitad omnes effectus; secus vero si de ipsa disputari contingat incidenter ad unum, vel alterum effectum.

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(95. Collegium vel Universitas tamquam repræsentans unam personam non dicitur aliquid fecisse, nisi omnes, vel major ejus pars consenserint.

(96. Et si vota scindantur in duas partes æquales; non ideo constituunt duo Collegia, vel duas Universitates.

(97. Collegium vel Universitas habens jus patronatus, si dividatur in duas partes habentes æqualia vota, quarum una unum, alia alium præsentet, utraque valet, et est locus gratificationi, pensatis meritis utriusque præsentati. Ita Lambertinus *de Jurepatr. l. 2. par. 2. q. 3. art. 8. num. 10.*

(98. Scissa Universitate vel Collegio in duas partes habentes æqualia vota circa præsentationem, adhuc illa pars dicitur major et sanior, quæ præsentavit digniorem; ratio est, quia majoritas et sanioritas non coalescit tantum ex numero, sed etiam ex meritis electi, et dignitate eligentium, cum quibus in paritate numeri efficitur major et sanior pars, ut relatis antiquioribus, firmavit Rota *coram Cerro decis. 26. num. 33 et 34.*

(99. Si autem cum paritate votorum concurrit paritas meritorum in præsentatis, electio non est conclusa, nec est locus gratificationi Ordinarii, aut alterius inferioris a Papa; juxta Glossa *in cap. Ecclesia vestra* 57. *de elect.* quam ibi explicant Joan. Andreas, et Abb. *num. 13. circa finem vers. dicit.*

(100. Præsentati ab Universitate vel Collegio, si paria vota bis in scrutinio uterque sortitus sit, Papa solus potest gratificare, etiam pendente termino ad eligendum; inferior vero non potest gratificare, sed tantum providere jure devoluto, elapso dicto termino. Ita Loth. et Panorm. in dicto *cap. Ecclesia vestra num. 13. in fin. vers. Sed si potestas eligendi.*

(101. Pendente termino ad eligendum, potest Collegium vel Universitas, toties quoties sibi videbitur, iterare scrutinium, donec sequatur electio per majorem partem.

(102. Potest etiam, durante termino, adiri Superior, ut compellat ad concordandum intra certum terminum, quo elapso, ad ipsum devolvatur electio, ut docuit Glossa *in cap. penult. in 6. verb. tenentur.*

(103. Patroni plures singulares si discordent in præsentatione, fit locus gratificationi; secus quando illi plures constituunt unicam vocem individuam, ut in Universitate et Collegio, quia tunc attenditur tantum factum a majori parte; et si partes sunt æquales, nulla dici potest facta præsentatio. Rot. *Decis. 148. num. 10. penes Vivian. de Jurepatronat.*

(104. Ideo hoc casu nulla esset provisio Apostolica facta, pendente termino ad præsentandum, favore unius ex præsentatis.

(105 Jura Collegii remanent etiam in uno, et apud ipsum stat nomen totius Universitatis.

(106. Ad extinguendum Collegium actu, attenditur factum de facto, sed in habitu attenditur factum de jure.

(107. Destructio Collegii, per desuetudinem seu rerum naturam, æquiparatur destructioni factæ de jure.

(108. Præpositus ubi adest, regulariter indicat, se fuisse caput Collegii; quod procedit, concurrente circumstantia, quod sub eo antiquitus aderant Canonici tamquam membra ipsius Corporis.

(109. Nomen Præpositi per se non adaptatur Parocho, vel Plebano; potest tamen esse Parochus, retento nomine Præpositi, ex quo cura animarum est penes Collegium, et exercetur per Præpositum tamquam caput ejusdem.

(110. Acclamatio, seu congratulatio Vocalium post electionem factam cum majori parte respectu minoris, vim habet Collegialis approbationis; sic sæpe decisum fuit per Rotam *in Leodien. Præposituræ 3. Martii 1648. § finali coram Albergato, et 2. Junii 1687. § finali, et 26. Januarii 1681. § finali coram Benincasa.*

(111. Ex dispositione Juris communis electio Prælati in Collegiata pertinet ad Collegium, seu Capitulum; *ex cap. In Genesi, et cap. In veteri, de election.* quod affirmant quoque Cardinal. de Luca *de Benefic. disc. 12. num. 13.* Garzias *de Benefic. part. 5. cap. 5. n. 58. et seqq.* et Rota *dec. 32. n. 8.*

COLOR PARAMENTORUM

Vide verb. PARAMENTA SACRA, A N. 25. AD 28.

COMA FICTITIA.

SUMMARIUM.

1. Coma fictitia, seu adscititia, vulgo *Parrucca*, est Personis Ecclesiasticis prohibita. — 2. Nec valet consuetudo contraria.—3. Referuntur varii Summi Pontifices, qui eam per specialia Edicta sub gravibus pœnis interdixerunt. — 4. Afferuntur verba Edicti Clementis IX. — 5. Afferuntur verba Edicti Innocentii XI. — 6. Afferuntur verba Edicti Innocentii XII. — 7. Afferuntur verba alterius Edicti Innocentii XII. — 8. Quæ omnia Edicta confirmata fuerunt a Clemente XI. ad n. 11. — 12. Afferuntur verba Edicti Benedicti XIII. confirmativi omnium supradictorum. — 13. Tales Comas fictitias, seu Capillitia adscititia pluries prohibuit expresse Sac. Cong. Concilii. — 14. Hinc plurimi, ac gravissimi Doctores tenent, Clericos præsertim in Sacris constitutos, vel Beneficiatos deferentes Comam adscititiam peccare mortaliter. — 15. Zelantes Episcopi in suis Synodis Edictis sub gravibus pœnis gestationem Comæ fictitiæ solent prohibere, reservata sibi facultate, eam permittendi illis, qui medicorum ju-

Digitized by Google

dicio valetudinis causa ipsa indigent. — 16. Caveant tamen Episcopi, ne hanc veniam elargiantur, nisi præter causam, etiam Comam ipsam, quam Clerici gestare cupiunt, diligenter examinaverint. — 17. 18. Non possunt tamen Episcopi ulli Sacerdoti licentiam concedere, ut cum Coma fictitia Missam celebret. — 19. Quæ dispensatio neque ab Episcopis, neque a Legatis Sedis Apostolicæ concedi potest. — 20. Episcopi justa de causa potestatem facere queunt Clericis gerendi Comam fictitiam. — 21. De differentia Comam fictitiam inter ac circulum Capillorum. *Remissive.*

(1. Coma fictitia, seu adscititia, vulgo *Parrucca*, est Personis Ecclesiasticis interdicta. Sic sæpe sæpius statuerunt Summi Pontifices, Concilia, tum Generalia, tum Provincialia, tum Synodalia, adeo ut a Caston. *in Tractatu de Corona, Tonsura, et Habitu Clericorum*, a Clericato *in Miscellan. dec.* 109. *n.* 5. et ab Ursaya *tom.* 4. *part.* 1. *discept.* 20. *n.* 54. numerentur ad id Decreta 16. Bullarum Apostolicarum, 10. Conciliorum Generalium, Provincialium 136. Synodalium 252.

(2. Nec valet consuetudo contraria, ut optime Clericatus *loc. cit.* præcisis his verbis : « Nec suffragari potest contraria consuetudo particularium Personarum, vel locorum, quia hæc tamquam abusus, et corruptela, ubique terrarum declarata est, ac damnata infinitis propemodum Constitutionibus, quas collegit Caston. Chamillard. *in Tractatu de Corona, Tonsura, et Habitu Cleric.* in quo leguntur Decreta. 16. Bullarum Apostolicarum, 10. Conciliorum Generalium, Provincialium 136. Synodalium 252. et ulterius referuntur plurimæ SS. Patrum sententiæ, Principum, ac Senatuum Edicta, Theologorum, ac Canonistarum allegationes in condemnationem Clericorum relaxantium Comam. Neminem vero latet invalidam nulliusque roboris esse consuetudinem (quamvis centenariam, et immemorabilem) quæ declarata est abusus, et corruptela. »

(3. Hinc Clemens IX. Innocentius XI. Innocentius XII. Clemens XI. Benedictus XIII. per specialia Edicta sub gravibus pœnis interdixere Personis Ecclesiasticis tales fictitias comas, seu adscititia Capillitia.

(4. Verba Edicti sanct. mem. Clem. IX. sub die 29. Junii 1667. sunt sequentia : « Comanda, che non sia permesso ec. non avere la Chierica, Corona Ecclesiastica ec. e senza Zazzera, o Capigliatura, e questo sotto pena di Scudi dieci d' applicarsi ad opere pie, e Luoghi Pii conforme al solito. »

(5. Verba edicti san. mem. Innocentii XI. sub die 10. Octobris 1681. sunt : « Che la Chierica si veda, e li Capelli sieno corti, accio non resti coperta, et si distingua il Sacerdote per la Tonsura, e Abito. »

(6. Verba Edicti san. mem. Innocentii XII. sub die 20. Nov. 1691. sunt sequentia : « Si ordina parimente e comanda, che nessun Sacerdote o Chierico ancora di prima Tonsura come sopra, porti Zazzera, o Capigliatura, e nemmeno Zazzera, o Capelli finti chiamata volgarmente Parrucca, che copra la fronte, e l' orrecchie sotto pena ec. per qualsivoglia volta si trasgredira, della carcere, e di scudi dieci d' applicarsi ad opere, e luoghi Pii. »

(7. Verba Edicti ejusdem san. mem. Innocentii XII. sub die 31. Martii 1699. sunt hæc : « Che verun Sacerdote, o ordinato in Sacris, o ancora Chierico di prima Tonsura, come sopra, porti Zazzera, o Capigliatura, che cuopra la fronte, e le orecchie sotto pena in ciascheduno di detti casi, e per qualsivoglia volta, che si trasgredira, di dieci Scudi d' applicarsi ad Opere e Luoghi Pii, ed altrettanti giorni di carcere. Che non permettono ec. che il Sacerdote celebri con Capigliatura finta detta comunemente Parrucca sotto pena tanto a' medesimi deputati, o Sagrestani come sopra, quanto a' Sacerdoti, che celebrano in qualsivoglia di detti casi, della Sospensione da' Divini Offizj da incorrersi *ipso facto* senza altra dichiarazione. »

(8. Quæ Edicta confirmata fuerunt a san. mem. Clemente XI. die 7. Decembris 1706. sequentibus verbis : « Primieramente col presente Editto si rinnovano gli altri sopra tal maniera pubblicati, ed in specie li. 29. Giugno 1667. e li 10. Ottobre 1681. e li 20. Novembre 1691. e li 22. Novembre 1696. e li 31. Marzo 1699. dalli Sommi Pontefici Clemente IX. Innocenzio XI. ed Innocenzio XII. ec. »

« Si ordina parimente, e comanda che verun Sacerdote, ed ordinato in Sacris, o ancora Chierico di prima Tonsura, come sopra, porti Zazzera, o Capigliatura, che cuopra la fronte, e l'orecchie sotto pena in ciascheduno di detti casi, e per qualsivoglia volta, che si trasgredira, di dieci Scudi d'applicarsi subito all'Opere, e Luoghi Pii, e d'altrettanti giorni di carcere. Potendo in oltre esser certi quelli, che contravverranno, che la loro disobbedienza sarà ad essi di totale impedimento per conseguire qualsivoglia Beneficio, o Officio Ecclesiastico. »

(10. Nec non die 18. Jun. 1714. sequentibus verbis : « Che non si permetta che alcun Sacerdote celebri con Capigliatura finta detta comunemente Parrucca. Altrimente incorreranno nella Sospensione *ipso facto* secondo l'ultimo Editto. »

(11. Immo idem san. mem. Clem. XI. quoad obligatos ad Chorum in Urbis Basilicis, et Collegiatis Ecclesiis die 4. Maii 1701. per organum Congregationis Visitat. Apostolicæ sequens publicavit præceptum punctualissimæ exequutioni usque ad hodie demandatum, et registratum *in Lib. Decret.* ejusdem Sacræ Congregationis *ab ann.* 1692. *usque ad annum* 1705. *fol.* 154.

« Considerando la Santità di N. S. Papa Clemente XI. quello, che da' Sacri Canoni, dal Sacro Concilio di Trento, e da altre Ordinazioni Apostoliche si prescrive sopra la moderazione, e congrua Tonsura di Capelli delle Persone Ecclesiastiche, e riconoscendosi dalla S. S. quanto repugni alla disposizione de' medesimi Sagri Canoni, e sia disconveniente ed indecente a chiunque professa stato Clericale, usare Capelliere finte

Digitized by Google

dette volgarmente Parrucche, e specialmente a quelli, che essendo obbligati al servizio delle Chiese devono assistere alli Divini Offizj, nel Coro : d' ordine espresso datoci a bocca comanda; che in avvenire principiando dal primo giorno d'Agosto dell' anno corrente, niuno che in qualsivoglia Basilica e Chiesa di Roma goda Vicariati, Dignita, Canonicati, Beneficiati, e Chiericati, Mansionariati, Capellanie perpetue, o annuali, Prebende, ed ogni altro Officio, che con qualunque titolo abbia annesso il servizio della Chiesa, e l' assistenza del Coro, non intervenga con Capelli finti, girelli posticci, o Parrucche, benche queste fossero liscie, corte, e moderate, o con Berrettini di artifizio straordinario, ed insolito a praticarsi, e la S. S. espressamente comanda, che ciascheduno de' sopranominati, che ardisse d'intervenire, ed assistere alle Messe, Divini Offizj, Processioni ed ogni altra funzione Ecclesiastica con Capelli finti, girelli, Parrucche, ovvero Berrettini di artifizio straordinario, ed insolito a practicarsi, come sopra, terminato il mese di Luglio prossimo venturo sia tenuto, e reputato come assente, e dalli Puntatori si punti, come se non fosse in modo alcuno intervenuto, e presente, lasciando in suo vigore tutte le ordinazioni, proibizioni, e pene rispettivamente altre volte decretate contro li Ecclesiastici, ec. che usassero Capelli finti, e Parrucche. »

(12. Verba edicti san. mem. Benedicti XIII. sub die 20. Decembr. 1724. sunt ista : « Primieramente col presente Editto si rinnovanno gli altri sopra tal materia pubblicati, ed in specie a 29. Giugno 1667. a 10 Ottobre 1681. a 20. Nov. 1691. a 22. Novemb. 1696. ed a 17. Decemb. 1706. per ordine de' Sommi Pontefici Clem. IX. Innoc. XI. Innoc. XII. e di Clem. XI. di fel. mem. ed a quelli riferendosi, e respettivamente ampliandoli ordina, e comanda : Che niun Sacerdote, ed ordinato in Sacris, o Chierico Beneficiato, come sopra, ancorche il Benefizio sia tenue secondo la risoluzione della Sacra Congreg. del Concilio 18 Sett. 1677. possa andare per la Città dalla levata del Sole sino a mezz'ora di notte con Abito, e veste corta, e sia tenuto andare con Abito lungo sino al collo del piede detto volgarmente Abito talare, che ciascuno de' suddetti devono avere ; e se vi fosse qualcheduno, che non l' avesse, se li da un mese di tempo a provvedersene, ed in oltre debba sempre portare la Chierica, o sia Corona, o Tonsura Clericale della grandezza conveniente all' Ordine, e grado di ciascheduno, la quale pero non sia minore d'un Testone, e sia totalmente apparente, e cosi spesso rinnovata, che si possa ben vedere.

« Ordina parimente, e comanda, che niun Sacerdote, ed ordinato in Sacris, o ancora Chierico di prima Tonsura come sopra, porti Zazzera, o Capigliatura, che cuopra la fronte, e le orecchie, e molto meno usi Parrucca sotto pena in ciascheduno di detti casi, e per qualsivoglia volta, che si trasgredira, di dieci scudi da applicarsi subito ad Opere, e Luoghi Pii, e di altrettanti giorni di carcere, potendo in oltre esser certi quei, che contravveranno, che la disobbedienza sarà loro di totale impedimento per conseguire qualsivoglia Benefizio, o Officio Ecclesiastico. Comanda parimente a tutti i Rettori, Sagrestani, Capellani, Custodi, o altri sotto qualsivoglia nome deputati all' amministrazione, cura, o sovraintendenza di qualsivoglia Sagrestia, tanto nelle Patriarchali, Basiliche, Collegiate, Congregazioni, Oratorj, Cappelle, Ospedali, ed altre Chiese secolari, quanto di qualsivoglia Chiese Regolare, o in qualsisia modo privilegiata, tanto dentro di Roma, come de' Sobborghi, che non permettano ad alcun Sacerdote di celebrare nelle loro Chiese, o Cappelle senza la Chierica, o Tonsura Clericale, o senza l'Abito decente, e talare, qual' Abito il Sacerdote l'abbia indosso avanti l'ingresso della Chiesa, nè possa esserli prestato, o vestirsene dentro la Sagrestia, o che il Sacerdote celebri con Capigliatura finta detta comunemente Parrucca, ovvero con l' anello, anzi che, nè tampoco permettano di celebrare a qualsisia Sacerdote, in cui si riconosce chiaramente, che porta Parrucca, ancorchè la lasci in Sagrestia, o prima d'entrare in essa sotto pena tanto ai medesimi Deputati, e Sagrestani, come sopra quanto a' Sacerdoti, che celebrano in qualsivoglia de' detti casi, della sospensione a *Divinis* da incorrersi *ipso facto* senz' altra dichiarazione per quindici giorni riservata a Noi, oltre alle altre di carcere, e pecuniarie come sopra, espresse. »

(13. Et tales Comas fictitias, seu Capillitia adscititia pluries prohibuit expresse Sacr. Congregat. Concil. et signanter *in Bergomen. sub die* 9. *Decembris* 1690. *lib.* 4. *Decret. fol.* 765. rejiciendo instantiam Abbatis Petri Negronis Canonici Cathedralis deferendi Comam fictitiam in Choro sub prætextu frigiditatis, et subtilitatis aeris. Et *in Vigilien. Synodi* 28. *Maii* 1699. *ad dub.* 28. ubi approbavit pœnam Excommunicationis impositam Clericis ferentibus dictas Comas fictitias, aut Capillitia adscititia; *in Melphiten.* 8. *Augusti* 1722. approbando edictum Episcopi interdicentis Clericis sub pœnis arbitrariis etiam excommunicationis, delationem Capillitii adscititii, seu Comæ fictitiæ vulgo *Parrucca.*

(14. Hinc plurimi, ac gravissimi Doctores tenent Clericos præsertim in Sacris constitutos, vel Beneficiatos deferentes Comam adscititiam calamistratam contra tot Pontificias, Conciliares, ac Synodales prohibitiones peccare mortaliter, cum obligent sub culpa gravi, per text. *in cap. si quis venerit.* 2. *de Majorit. et obedient.* ibique Barbosa *num.* 6. *et* 7. de communi sententia testatur Fagnan. *in c. quoniam de Constitutionibus num.* 22. et Clericatus *de Sacrificio Missæ decis.* 48. *a num.* 21. *ad num.* 27. reprobando inclinantes in oppositum respondet omnibus contrariis, optimum dans consilium Confessariis, ne absolvant Clericos adulterinos Capillos gestantes, eo quod id involvit lethalem culpam, ibi : « Utinam crinati Clerici, et

Digitized by Google

eorum Confessarii serio considerarent delationem Comæ in Ministris Sacris esse peccatum mortale, ut probant etc. Hi enim non impenderent ipsis Sacramentalem absolutionem et illi melius consulerent animabus suis. »

Et in terminis exclamando contra similem abusum, et junctis manibus Deum exorando, ut nostrorum temporum Confessarii imitarentur Confessarios illos, qui absolutionem negabant Clericis ad ipsos accedentes cum fictitia Coma, inter quos piæ memoriæ vir. P. Joannes Maria Mons-Rubeus Sacerdos Congr. Oratorii Patavii atque P. Joannes Marianus in Historia Congr. Oratorii Neapolis *t. 4. lib. 3. cap. 9.* ibi : « Fosse in piacere di Dio che in questi nostri tempi, nei quali gli Ecclesiastici anche Sacerdoti non contenti de' propri Capelli, li prendono in prestito da altri comprandoli a caro prezzo per vanamente ornare il loro venerando Capo, vi fossero molti imitatori del Monterosso, che con petto constante latrassero come cani fedeli contro questo intollerabile abuso, e come giusti, e severi Giudici negassero a' trasgressori l'assoluzione, che ben tosto si vedrebbe tolta la vanità de' Capelli, e delle vesti corte, e quasi secolaresche, che con sì poca edificazione si usano oggi da molti Ecclesiastici. » Et Clericat. *de Sacrament. Ordin. decis. 10. num. 28.* ubi : « quod idem P. Mons-Rubeus (sunt ejus præcisa verba) adeo zelabat observantiam Sacrorum Canonum, circa Clericalem Tonsuram, ut cuicumque Clerico Comam, Capillosve prolixos deferenti constanter absolutionem Sacramentalem negaret. Et quadam die Capellano cujusdam exteri Episcopi, ac Principis prohibuit celebrare in Ecclesia sui Oratorii, quia comatus erat, et eidem Capellano dicenti sibi, usum deferendi Comam ab Ecclesiasticis esse universalem, pius Pater respondit abusum fore, et corruptelam incessanter ab Ecclesia, et a Summis Pontificibus damnatam, etc. Quapropter Capellanus ille confusus, et ejus Herus convictus absque Missæ celebratione discesserunt. » Sic ad Literam refert doctissimus D. Ursaya *tom. 4. part. 1. discept. 20. a n. 59. ad 62.* Vide ipsum per totam dictam disceptationem, ubi plurima ad rem scitu dignissima.

ADDITIONES AUCTORIS

(15. Gestationem Comæ fictitiæ vulgo *Parrucca* esse Personis Ecclesiasticis interdictam jam supra late tradidi, et *in verb. Pileolus*. Hinc solent zelantes Episcopi suis in Synodis, aut Edictis sub gravibus pœnis eam Clericis omnibus prohibere, reservata sibi facultate, qua pollent, ut eruditissime suo more tradit Benedictus XIV. *de Synodo Diœcesana lib. 7. c. 60. n. 5.* eam permittendi illis, qui Medicorum judicio valetudinis causa ipsa indigent, uti prudenter factum animadvertit in Synodo Bononiensi anni 1698. *lib. 3. c. 1.* ubi similis prohibitio hac mitigatur limitatione : *Nisi ex causa Nobis, vel Vicario nostro cognita indulgendum ad tempus arbitrabitur;* atque in Synodo Asculana anni 1719. *c. 20. nisi ex justa, et rationabili causa dispensationem impetraverint.* Et in hac Synodo Alexandrina *anni* 1732. cui et ego tamquam Consultor, atque Examinator interfui, ubi sub *c. 10. de vita, et honestate Clericorum* inter alia hæc statuuntur : « Multo magis præcipimus, ne quis ex Clericis Comam nutriat, vel concinnet, vel Coma fictitia utatur, neque pulvere Cyprio aspergat; quod si necessitas postulaverit Comam fictitiam, nonnisi prævia concessione nostra, et omnino eamdem juxta concessionis formam adhibebunt, ita ut in hac materia peccantes habendi sunt tamquam in Tonsura non incedentes, iisdem pœnis puniendi. » (16. Monet tamen Pontifex *loc. cit.* quod caveant Episcopi, ne hanc veniam elargiantur, nisi præter causam, etiam Comam ipsam, quam Clerici gestare cupiunt, diligenter examinaverint. Non alia siquidem est iisdem, præcipue si sint in Sacris constituti, permittenda, nisi quæ nullam præferat vanitatem; sed tanta sit moderatione, ac modestia concinnata, ut omnibus manifeste appareat, eam ob meram necessitatem, non ad luxum, et pompam, ad capitis, non ornamentum, sed tegumentum adhiberi.

(17. Nullimode tamen possunt Episcopi ulli Sacerdoti licentiam concedere, ut cum Coma fictitia, seu adscititia Missam celebret : ut pluries decreverunt Sacræ Congregationes, et statuerunt Summi Pontifices.

(18. Cum enim in Congregatione particulari ab Alexandro VIII. anno 1690. deputata, fuerit speciatim discussum, an *Pileoli* nomine comprehendatur etiam Coma suppositicia, ita ut neque cum hac fas sit Sacerdoti, sine dispensatione Papæ, Missam facere, etiamsi illa sit decens et modesta, responsum fuit *comprehendi*, in cujus quidem decreti sequelam Innocentius XII. per suos Apostolicos Nuncios locorum Ordinarios moneri jussit, ne quemquam permitterent, sine dispensatione Apostolica, cum Capillitio fictitio Missam celebrare, ut ex aliis refert dictus eruditissimus et zelantissimus Pontifex *loc. cit. n. 5.* (19. Quam dispensationem Presbyteris actu celebrantibus concedi non posse neque ab Episcopis, neque a Legatis Sedis Apostolicæ, idem Pontifex Benedict. XIV. probat in *Instit. Ecclesiast. Instit.* 34. § 4. Vid. supra, et *in verb. Missa art. 9. n. 2. ad 4. et verb Pileolus n. 7.* ubi referuntur dictæ Apostolicæ prohibitiones.

ADDITIONES EX ALIENA MANU

(20. Dubitant aliqui Episcopi, an justa de causa potestatem facere queant Clericis, Beneficio præditis, vel Sacris Ordinibus initiatis gerendi Comam fictitiam. At omne dubium sustulisse videtur Summus Pontifex Benedictus XIV. posse affirmando, tum de *Synod. Diœcesan. l. 11. cap. 9. num. 5.* tum *Institut. Eccles. n. 8.* extra tamen celebrationem Missæ.

(21. De differentia Comam fictitiam inter

Digitized by Google

ac circulum Capillorum, tum an hic eamdem, ac illa, prohibitionem incurrat, vide eumdem Benedict. XIV. *dicta Institut. Eccles.* 69. *num.* 5. *et plur. sequent.* (1).

COMESSATIONES

Vide verb. ECCLESIA *art.* 5 *num.* 53.

COMMEMORATIO.

SUMMARIUM.

1. Commemoratio Romani Pontificis, et Episcopi Latini Diœcesani ab Italo-Græcis in Missis fieri præcipitur. — 2. Permittitur tamen Commemoratio Episcopi Græci exercentis Pontificalia in ea Diœcesi. — 3. Schismatici, vel hæretici Patriarchæ, sive Episcopi Commemoratio fieri nullo modo potest ab Orientalibus.—4. Immo in iis locis Romani Pontificis Commemoratio fieri omnino debet; et quare. — 5. Monitum Benedicti XIV. hac de re in Epistola de novi Euchologii Græci editione. — 6. Antiquam esse hanc consuetudinem probatur ex eo, quod omnes Latini cujuscumque ritus Romani Pontificis Commemorationem faciunt. — 7. In Græca quoque Ecclesia a multis sæculis hæc Commemoratio fieri consuevit. — 8. 9. Quod probatur ex historia. — 10. 13. Et post natum in Græcis schisma numquam agi cœptum est de unione cum Romana Ecclesia, nisi admissa conditione, ut S. Liturgiæ Romani Pontificis nomen insereretur. — 14. Hinc Apostolica Sedes Græco-Italis imperavit, ut hanc Commemorationem facerent; et a variis Orientalis ritus Christianis in Synodis id constitutum legimus.

(1. Commemoratio Romani Pontificis, et Episcopi Latini Diœcesani, ab Italo-Græcis in Missis fieri præcipitur a Summo Pontifice Benedicto XIV. *Const.* incip. *Etsi Pastoralis* § 9. Non vero Patriarcharum, vel Episcoporum Orientalium; idem *ibid.*

(2. Permittitur tamen Commemoratio Episc. Græci exercentis Pontificalia in ea Diœcesi de licentia S. Sedis, vel Ordinarii; idem *ibid.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(3. De commemoratione in sacris Liturgiis facienda addendum censuimus, Schismatici, vel Hæretici Patriarchæ, sive Episcopi Commemorationem fieri nullo modo posse a Græcis, Armenis, aliisque Orientalibus. Nam id esset cum iisdem in divinis communicare, ac probare quodammodo Schisma, vel Hæresim. (4. Immo in iis locis Rom. Pontif. Commemoratio fieri omnino debet; tum quia hæc Commemoratio tessera est communionis cum eodem Pontifice; tum etiam quia ibi necessaria ad tollendam Schismatis suspicionem, et ad Fidem illam profitendam, quam Schismatici, negando primatum Summi Pontificis, contemnunt. (5. Huc spectat monitum primum, quod Benedictus XIV. in prima de novi Euchologii Græci editione Epistola proponit: « Sciendum est, inquit, quod Sacerdotes, qui Euchologio sunt usuri, nosse debent Ecclesiasticos Sanctorum Patrum Canones, et Catholicæ Ecclesiæ Constitutiones, ne divina administrantes Sacramenta, aliaque peragentes officia, errare comperiantur. Cum igitur in Sacra Liturgia Commemorationes fieri soleant, oportet primum quidem Romani Pontificis Commemorationem agi, deinde proprii Episcopi, et Patriarchæ, dummodo Catholici sint. Quod si alter eorum, vel ambo sint Schismatici, sive Hæretici, eorum Commemoratio nequaquam fiat.» Id autem decreto consonum est Cong. habitæ 1. Maji anno 1746. ac a Pontifice Maximo probato, quo instructionem hanc Euchologio præmittendam præcipiebatur. (6. Omnes Latini sive Ambrosianum, sive Mozarabicum, sive alium quemcumque ritum habentes, in Missa Romani Pontificis Commemorationem faciunt, quod argumentum est, antiquam esse, et a primis deductam temporibus hanc in Latina Ecclesia consuetudinem. (7. In Græca quoque Ecclesia a multis sæculi hanc fieri consuevisse Commemorationem, et nonnisi orto Schismate sublatam facile conjicimus. (8. Nam Romanus Pontifex Acacium Constantinopolitanum Antistitem communione privavit, quod anno 484. inaudito ad eam diem temeritatis excessu Felicis III. Romani Pontificis nomen e diptychis abraserit, cujus damnationi Græca quoque Ecclesia subscripsit sub Hormisda Pontifice, ac Justino Imperatore. Erat itaque in Sacris dyptichis Romani Pontificis nomen; pro eo ergo nominatim orabant Græci inter Missarum solemnia. (9. Quod quidem magis magisque comprobatur ex eo, quod Michael Cærularius Photiani Schismatis instaurator ad alios Patriarchas Orientis scripserit, ut videre est apud Cotelerium *tom.* 2. *monument. Eccles. Græcæ num.* 9. *p.* 140. ac miratus sit, quod nomen Romani Pontificis in sacris diptychis recenserent. Cui Petrus Patriarcha Antiochenus ita respondit Epistola ab eodem Cotelerio in citato Opere relata: « Ad hæc ego quoque testis sum omni exceptione major, aliique mecum plures eorum, qui in Ecclesia præcellunt, quod sub beatæ memoriæ Patriarcha Antiochiæ Domino Joanne, Papa Romæ ipse etiam Joannes nominatus in Sacris Diptichis refertur. Constantinopolim præterea ante hos annos quadraginta quinque ingressus reperi, sub sanctæ memoriæ Patriarcha Domino Sergio, prædictum Pa-

(1) De coma fictitia consulendus Saussaius *in Panoplia sacerdotali*, et Thiers *Histoire des Perruques*, Parisiis 1690, quæ Venetiis Italice prodiit 1721. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

pam in Sacra missa cum aliis Patriarchis referri. » (10. Accedit etiam, post natum in Græcis Schisma numquam agi cœptum de unione cum Romana Ecclesia instauranda, nisi ea in antecessum admissa conditio fuerit, ut Sacræ Liturgiæ Romani Pontificis Commemoratio inseretur. (11. Hanc sane conditionem Michaeli Palæologo anno 1163. unionem optanti Urbanus IV. proposuit, teste Niceta *lib.* 5. *cap.* 2. eamdemque conditionem proposuit in Concilio Lugdunensi anno 1275. Beatus Gregorius X. eamque a Græcis fuisse admissam, ac exequutioni demandatam asserit Pachymeres *lib.* 5. *cap.* 32. ubi ait : « Ex hoc Legatorum adventu pacem factam referentium, duo consecuta sunt, vi prius conventorum exauctoratio Patriarchæ, et Papæ in Sacro Commemoratio publica. » (12. Id etiam in Florentina Synodo actum fuisse testatur quoque Sylvester Sguropulus Schismaticus Scriptor *in hist. Concil. Florentini sess.* 10, *cap.* 12. (13. Eademque præmissa conditione tentata iterum fuit concordia a Constantino, dum ad Nicolaum V. Legatos pro ea interim obtinenda misit. Hujus autem Commemorationis necessitas ex eo patet, quia hæc membrorum cum Ecclesiæ capite communionis est tessera. (14. Hinc Apostolica Sedes Græco-Italis imperavit, *Constit. Etsi Pastoralis*, ut hanc Commemorationem facerent : et a variis Orientalis Ritus Christianis in Synodis id constitutum legimus. In Synodo præsertim Zamosciæ a Ruthenis habita 1710. et in ea, quæ in Monte Libano a Maronitis celebrata fuit anno 1736. in qua *tit. de Symb. Fidei num.* 12. habetur : « Sanctissimi Romani Pontificis Commemorationem tam in Missis, quam in Divinis Officiis, ante Reverendissimi Domini Patriarchæ nomen, ut hactenus consuevimus, celebrare non omittamus. »

COMMODATUM,

SUMMARIUM.

1. Commodatum unde sit dictum. — 2. Qui rem alteri commodat, dicitur *Commodans*, seu *Commodator*. Qui autem rem sibi commodatam recipit, appellatur *Commodatarius*. — 3. Commodatum quid sit. — 4. Commodari potest quælibet res, sive immobilis, sive mobilis. — 5. Commodatum differt a pignore, et deposito, et quare. — 6. Non est licitum uti re commodata ad alium usum præter eum, ad quem est concessa. — 7. Commodatum differt a precario, et quare. — 8. Commodatum differt a locatione, emphyteusi, et aliis similibus contractibus, et quare. — 9. Commodatum differt a mutuo, et quare. — 10. Culpa aliter sumitur apud Theologos, et aliter apud Juristas, et assignatur differentia. — 11. Culpa juridica, seu civilis, quæ ad præsens spectat, dividitur in culpam latam, levem, et levissimam. — 12 Culpa lata quid sit. — 13. Culpa lata, licet dolus proprie non sit, tamen in jure æquiparatur dolo. — 14. Culpa levis quid sit. — 15. Culpa levissima quid sit. — 16. Casus fortuitus quid sit. — 17. Dolus quid sit. — 18. Cum aliquid commodatur in gratiam Commodatarii tantum, tunc Commodatarius obligatur etiam ex levissima culpa; ad n. 19. — 20. Affertur ratio probans ad id teneri Commodatarium etiam in foro conscientiæ ante omnem sententiam Judicis. — 21. Opposita, seu negativa sententia est etiam probabilis. — 22. In praxi tamen tenenda est sententia affirmativa. — 23. Cum aliquid commodatur in gratiam, vel utilitatem solius Commodantis, et non Commodatarii, tunc Commodatarius tenetur secum de dolo, et culpa lata, non autem de culpa levi, et levissima. — 24. Cum aliquid commodatur in gratiam utriusque, scilicet Commodantis et Commodatarii, tunc Commodatarius tenetur de culpa lata, et levi, non autem de levissima. — 25. Affertur ad id exemplum. — 26. Qui utitur re commodata ad diversum usum ab eo, pro quo fuit sibi commodata, tenetur de omni damno causato in tali re propter diversum, et longiorem, seu graviorem usum de ipsa factum. — 27. Commodatarius, qui equum v. g. sibi commodatum adhibet ad solum moderatum usum, seu iter, pro quo fuit sibi commodatus, abunde interim ei ad vitam necessaria suppeditans, licet ex tali usu, et itinere, deterior, et pretio vilior factus sit, sine ulla sua culpa, nullum damnum Commodatori pro tali deterioratione præstare tenetur. — 28. Si vero culpa Commodatarii equus sit factus deterior, tunc de ea deterioratione tenetur. — 29. Ex Commodato duæ oriuntur actiones, una, quæ dicitur *actio directa Commodati*; et altera, quæ dicitur *actio contraria Commodati*. Actio directa Commodati, quæ sit, — 30. Actio contraria Commodati, quæ sit. — 31. Actio contraria Commodati competit Commodatario, si Commodans non patiatur Commodatarium uti re pro eo tempore, et usu pro quo est commodata. — 32. Cum dicitur rem commodatam non posse repeti ante tempus finitum, vel usum rei expletum, pro quo fuerat res concessa; id limitari debet, nisi inopinate, eveniat, ut ipse Commodans æquale damnum sit passurus, nisi rem commodatam mox repetat. — 33. Secundo actio contraria Commodati competit Commodatari quando Commodans scienter ipsis commodavit rem vitiosam, propter quam Commodatarius damnum passus est. — 34. Secus autem, si Commodans ignoranter rem vitiosam ipsi commodavit. — 35. Tertio, actio contraria Commodati competit Commodatario, ad recuperandas a Commodante impensas majores, et extraordinarias, quas fecit circa rem commodatam. — 36. Commodatarius non tenetur de casu fortuito, quo res sibi commodata periit. — 37. Affertur ratio. — 38. Excipiuntur tamen communiter tres casus, in quibus Commodatarius etiam de casu fortuito tenetur; et habentur expressi in *cap. Cum gratia unic. de Commodato*. — 39. Primus casus est, si culpa Commodatarii secutus est casus infelix, seu eventus fortuitus. — 40. Secundus casus est, si ab initio ita conventum fuit, ut Commodatarius omne periculum eventus fortuiti in se susciperet. — 41. Tertius casus est, si Commodatarius fuit in culpabili mora restituendi rem commodatam. — 42. Dummodo tamen mora fuerit culpabilis. — 43. Et dummodo res commodata peritura non fuisset apud Dominum, si suo tempore et loco restituta fuisset. — 44. Si enim res commodata eodem modo peritura fuisset apud Dominum, etiamsi suo tempore, et loco restituta fuisset, tunc morosus Commodatarius non teneretur ad compensandum damnum. — 45. Hoc tamen est intelligendum si Dominus non erat rem commodatam venditurus; quia, si fortasse interea Dominus rem sibi restitutam vendidisset, tunc Commodatarius tenere tur de damno causato Commodanti ratione suæ culpabilis moræ. — 46. Datur etia n quartus casus, in quo Commodatarius præstare debet casum fortuitum, nempe si res commodata tradatur æstimata Commodatario. — 47. Commodatarius ad nullum damnum tenetur, licet res commodata culpa nuncii, vel casu fortuito pereat, quando rem commodatam consignavit ipsi nuncio de expresso mandato Com

Digitized by Google

modantis. — 48. Secus autem esset, si rem commodatam consignasset nuncio, vel famulo sine mandato Commodantis; tunc enim Commodatarius teneretur de damno. — 49. Hoc tamen est intelligendum, si nuncius ille communiter pro fideli, ac idoneo non habeatur. — 50. Commodatarius eligens ipse nuncium, seu famulum, per quem remittat Commodanti rem commodatam, si res commodata culpa nuncii pereat, vel deterioretur, tenetur de omni damno. — 51. Et hoc est etiam intelligendum, si nuncius, seu famulus a Commodatario electus communiter pro fideli, ac idoneo non habeatur. — 52. Commodatarius in casibus fortuitis v. g. in incendio, naufragio, incursione hostium, et hujusmodi, potest res suas pretiosiores præferre, et salvare præ aliis minus pretiosis, quando utrasque salvare non potest. — 53. Si vero commodatæ pretiosiores sint rebus propriis ipsius Commodatarii, et in casu fortuito utrasque salvare nequeat, tenetur Commodatarius res alienas pretiosiores sibi commodatas salvare postpositis propriis minus pretiosis. — 54. Immo Commodatarius tenetur præferre, et salvare res commodatas relictis propriis, quando ambæ sunt æqualis pretiositatis, nec utrasque salvare potest. — 55. Commodatarius, si in casu fortuito omnes res salvare non potest, præferre potest res suas, si utiles sint, et ipsas salvare, relictis rebus Commodantis, quando Commodatum factum est in gratiam solius ipsius Commodantis. — 56. Sic etiam potest Commodatarius res suas præferre, et salvare præ rebus commodatis, quando utrasque salvare non potest, etiamsi Commodatum factum sit in gratiam utriusque. — 57. 60. Si pluribus simul res commodata sit, an contra singulos in solidum actio Commodati detur. — 61. Si ex duobus ejusdem rei Commodatariis unus restituendi facultatem habeat, an æquum sit alterum de restitutione conveniri. — 62. 63. Quid si ex pluribus Commodatarii hæredibus unus totam rem possideat.

(1. Commodatum ex etymologia nominis sic dicitur, ex quo in ejus, cui fit, commodum cedat. Gloss. *in cap. Cum gratia unic. de Commodato, verb. Commodatum*, ibi: « Et dicitur Commodatum, quasi utentis Commodo datum. » (2. Hinc ille, qui rem alteri commodat, dicitur *Commodans*, seu *Commodator*; qui autem rem sibi commodatam recipit, *Commodatarius* appellatur. (3. Commodatum est contractus quo res ad aliquem specialem usum et determinatum tempus gratis alicui conceditur sine translatione dominii. Colligitur ex § *Item is cui* 2. *Inst. quibus modis re contrahitur obligatio, lib.* 3. *tit.* 15. et concordat cum definitione tradita a Gloss. *loc. cit.* ibi: « Est autem Commodatum alicujus rei ad aliquem specialem usum gratuito facta concessio, et non translatio; » et est in re communis. (4. Dicitur autem res *ad aliquem specialem usum, et determinatum tempus*, quia per ly *res* intelligitur posse commodari quamlibet rem, sive immobilem, ut est domus, stabulum, et similia; sive mobilem præsertim usu non consumptibilem, ut est equus, vestis et hujusmodi; omnia enim ista commodari possunt; *l.* 1. § *hujus*, *ff. Commodati.* (5. Per ly *ad usum*, Commodatum differt a pignore, et deposito, quorum usus non conceditur, quia si Creditor Domino invito utatur pignore, et depositarius re deposita, furtum committit; § *Furtum autem, Instit. de obligat. quæ ex delicto*, etc. (6. Per ly *aliquem specialem*, datur intelligi, quod non est licitum uti re commodata ad alium usum præter eum ad quem est concessa; *l. in Commodato*, §. *sicut de Commodato*, ibi: « Modum Commodati, finemque præscribere ejus est qui beneficium tribuit; » *l.* 4. *Instit. tit.* 1. § *Placuit* 7. ibi: « Placuit tamen eos, qui rebus commodatis aliter uterentur, quam utendas acceperint, ita furtum committere, si se intelligant id invito Domino facere, eumque si intellexisset non permissurum. » (7. Per ly *determinatum tempus*, differt Commodatum a precario, quia precarium pendet ex mera liberalitate concedentis, qui potest illud revocare, quandocumque voluerit; *l. Precarium* 1. *ff. de Precario*, ibi: « Precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui concessit patitur; » et concordat *c. Precarium* 3. *de Precario*, ibi: « Precarium utendum conceditur, quamdiu patitur qui concessit. » Secus autem dicendum est de Commodato, utpote quod non potest revocari ante completum usum, sive tempus determinatum; *l. In Commodato* 17. § 3. *ff. Commodati, vel contra lib.* 13. *tit.* 17. *et c. Cum gratia unic. de Commodato*, ibi: « Nisi post usum expletum, cujus gratia res fuerat commodata. » (8. Per ly *gratis alicui conceditur*, differt Commodatum a locatione, emphyteusi, et aliis similibus contractibus, ubi pro concessione, seu pro usu cujuspiam rei certum pretium solvendum constituitur. Commodata autem tunc res proprie dicitur, cum nulla mercede accepta cuipiam utenda traditur; § *Item lib.* 3. *tit.* 15. *Institut. quibus modis re contrahitur obligatio*, ibi: « Commodata autem res tunc proprie intelligitur, si nulla mercede accepta, vel constituta, res utenda data est. » (9. Per ly *sine translatione dominii*, differt Commodatum a mutuo, quia in mutuo dominium rei datæ seu mutuatæ transfertur in mutuatarium, nam mutui datio sic appellatur, quia de meo tuum fit, juxta textum expressum *in l. Mutuum*, § *Appellata, ff. si certum petatur*. E contra in Commodato solus usus transfertur in Commodatarium, sine translatione dominii, cum dominium remaneat penes Commodantem; *l. Rei commodatæ, et sequent. ff. de Commodato.*

(10. Ad clarius, et facilius intelligendum, an, et ex qua culpa teneatur Commodatarius, si res commodata apud ipsum pereat, vel deterior fiat, et an teneatur præstare casus fortuitos? juvat prius advertere, quid, et quotuplex sit culpa juridica seu civilis, dolus, et casus fortuitus. Culpa enim aliter sumitur apud Theologos; et aliter apud Juristas; siquidem *culpa* apud Theologos, idem est ac peccatum contra legem, et mores. Apud Juristas autem *culpa* idem est, ac omissio alicujus diligentiæ præstari debitæ, unde sequitur aliquod damnum, vel incommodum proximo; et potest de facili contingere quod talis culpa juridica, seu civilis, sit homini involuntaria, et omni peccato coram Deo vacet, ut v. g. si ex naturali oblivione vestem sibi commodatam in pu-

Digitized by Google

blico loco aliquis relinquat, unde sequitur amissio, is culpam juridicam committit, quamvis coram Deo nihil peccet. (11. Unde culpa juridica, seu civilis, quæ ad præsens spectat, dividitur in culpam latam, levem, et levissimam. Ita Bartolus *in l. Quod Nerva* 32. *in repetit. num.* 7. *ff. Depositi*, Abbas *in c. cum gratia unic. de Commodato n.* 13. et est Communis. (12. Culpa lata, sive crassa est omissio ejus diligentiæ et circumspectionis quam passim omnes homines ejusdem conditionis, professionis, et ætatis adhibere solent, ut si quis vestem commodatam relinquat foris, ante ostium domus, quæ proinde auferatur, censebitur eam amisisse per culpam latam. (13. Et talis culpa lata, licet dolus proprie non sit, tamen in Jure æquiparatur dolo; *l.* 1. *ff. Si mensor falsum*, ibi: *Lata culpa plane dolo comparabitur.* (14. Culpa levis est omissio ejus diligentiæ, et circumspectionis, quam solent homines diligentiores illius conditionis, professionis, et ætatis adhibere, ut si quis vestem sibi commodatam relinquat intra cubiculum, non clauso ostio, censebitur eam amisisse per culpam levem. (15. Culpa levissima est omissio ejus diligentiæ, quam nonnisi diligentissimi, et expertissimi illius artis, professionis, et ætatis adhibere solent, ut si quis vestem sibi commodatam intra cubiculum relinquens claudat quidem ostium, sed non tendet manu, an illud sit bene obseratum, censebitur eam amisisse per culpam levissimam. (16. Casus autem fortuitus est rei inopinatæ eventus, qui nullo consilio humano prævideri potest; *l.* 1. § *Si eo tempore, ff. de administrat. rer. ad civ. pertin. cap. Joannes* 24. *De homicid.* et vis, cui resisti non potest; *l. In rebus* 8. *in principio ff. de commod.* (17. Dolus vero dicitur omnis calliditas, fallacia, et machinatio ad circumveniendum, fallendum, et decipiendum alterum adhibita; *l.* 1. § *Dolum, de Dolo malo.*

(18. Hinc colligitur primo, quod cum aliquid commodatur in gratiam Commodatarii tantum, v. g. in gratiam solius Commodatarii commodatur ei equus a Commodante, tunc Commodatarius obligatur etiam ex levissima culpa, et sic si equus fuit amissus ex sua culpa, licet levissima, tenetur jacturam resarcire, textu expresso *in cap. Cum gratia unica de Commodato*, ibi: *Cum gratia sui tantum quis Commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur.* (19. Concordat Jus Civile, istud pariter statuens; *l. in rebus* § 1. *ff. Commodati, vel contra*, ibi: *In rebus commodatis talis diligentia præstanda est, qualem quisque diligentissimus Paterfamilias suis rebus adhibet; l. Obligationes* 1. § *Is quoque ff. de obligationibus lib.* 4. *tit.* 7. ibi: *Is vero qui utendum accepit, exactissimam diligentiam custodiendæ rei præstare compellitur.* Nec sufficit eam diligentiam adhibere, quam suis rebus adhibet si alius diligentior custodire potuerit. Et cum antiquo Jure concordat etiam Jus novum; *l.* 3. *Instit. tit.* 15. *quibus modis re contrahitur obligatio* § 2. (20. Et ratio est, quia quo majus est beneficium, eo magis est cavendum, ne pro beneficio injuria, vel damnum rependatur. Et hoc procedit non solum in foro externo, sed etiam in foro interno conscientiæ, taliter quod Commodatarius teneatur sub peccato ante omnem sententiam Judicis ad reparationem damni etiam ex levissima sua culpa dati, quamvis in damno dato nullum peccatum, nec culpa theologica intervenerit. Molina *tract.* 2. *disp.* 295. *num. ult.* Covarr. *in epitom.* 4. *decis. num.* 40. Pirhing *l.* 3. *decr. tit.* 15. *num.* et alii passim. (21. Fateor tamen etiam oppositam sententiam probabilem, scilicet probabile esse, non teneri Commodatarium in conscientia ad reparationem damni dati ex sola levissima culpa, saltem antequam a parte damnificata exigatur, et ante sententiam Judicis, cum prædictæ leges humanæ non videantur cum tanto rigore in foro conscientiæ usu receptæ, et reparatio damni illati plerumque non nisi ob culpam latam, non autem levem, et levissimam a contrahentibus peti soleat, ut tradit Card. Lugo *tract.* 1. *de Justit. disp.* 8. *sect.* 8. *num.* 110. cum aliis. Sed revera ordinarie in praxi servanda est sententia dicens citatas leges obligare in conscientia etiam ante sententiam Judicis ad reparationem damni dati etiam levissima culpa, quia citatæ leges sanciunt id quod naturali æquitati est consentaneum præstare circa res commodatas, qua sanctione posita, qui facit talem contractum accipiendo Commodatum in solum sui commodum, implicite se obligat ad præstandam eam diligentiam quam leges requirunt; sed leges requirunt in hujusmodi Commodatario exactissimam diligentiam, ut patet ex textitibus sub *n.* 18. adductis. (22. Ergo si hanc diligentiam non præstet (quamvis id naturali oblivione sine omni culpa theologica factum sit) tenebitur in conscientia, etiam ante sententiam Judicis ad restitutionem. Navarrus *cap.* 17. *num.* 184. Covarr. *in Epitome* 4. *Decret. par.* 2. *c.* 6. § 6. *num.* 15. Lessius *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 45. Pirhing et alii citati *sub n.* 20.

(23. Colligitur secundo, quod cum aliquid commodatur in gratiam, vel utilitatem solius Commodantis, et non Commodatarii, tunc Commodatarius tenetur solum de dolo, et culpa lata, non autem de culpa levi, et levissima; *l. Si ut certo* § 5. *interdum, ff. Commodati*, ubi affertur exemplum de eo qui sua dumtaxat causa v. g. sponsæ, aut uxori suæ commodavit ornamenta, ut honestius culta coram se compareret, et de eo, qui ob sui voluptatem scenicis pretio non conductis vestes necessarias ad ludos theatrales exhibendos commodavit; tunc enim, quia tale Commodatum fit gratia solius Commodantis, re commodata pereunte, tenetur Commodatarius solum de dolo, et culpa lata, non autem de culpa levi, et levissima, quia cum Commodatarius potius præstet quam accipiat beneficium, non est conveniens ut ad arctam diligentiam obligetur. Gloss. *in cap. Cum gratia unicum de Commodato, verbum de levissima;* Abbas ibid. *num.* 12. Angelus *in Summa verb. Commodatum num.* 11. Pirhing *lib.* 3. *decret. tit.*

Digitized by Google

18. *num.* 5. Reiffenstuel *ibid. num.* 25. Sannig *ibid num.* 1. et alii passim. (24. Colligitur tertio, quod cum aliquid commodatur in gratiam utriusque, scilicet Commodantis et Commodatarii, tunc Commodatarius tenetur de culpa lata, et levi, non autem de levissima; *leg. in rebus* 18. §. 1. *ff. Commodati lib. Sicut certo* 6. § 2. *ff. eod. titul.* juncta Glossa *ibid. verb. Æstimatio;* et colligitur *ex leg. Contractus* 23. *ff. de R. J.* Glossa *in c. Cum gratia unica de Commodato verb. de levissima.* (25. Unde si Petrus v. g. contractu societatis conjunctus cum Paulo, commodet suum equum ipsi Paulo de communi consensu ituro ad aliam Civitatem pro exigenda solutione pecuniæ in communi sibi debitæ, Paulus Commodatarius tenetur pro equo amisso, non solum de damno, quod sua culpa levi contigit, cum etiam propriæ utilitatis causa Commodatum accipiat. Non tenetur autem de damno, quod sua tantum culpa levissima contigit, nam cum minus beneficium accipiat a Commodante, non tenetur ad exactissimam diligentiam in equo sibi commodato custodiendo. Abbas *in cit. c. unico de Commodato n.* 12. Angelus *verb. Commodatum n.* 11. Pirhing *lib.* 3. *decis. tit.* 15. *n.* 6. Sannig *ibid. c.* 2. *n.* 2. Reiffenstuel *ibid. n.* 24. et alii passim.

(26. Colligitur quarto, quod qui utitur re commodata ad diversum usum ab eo pro quo fuit sibi commodata, tenetur de omni damno causato in tali re propter diversum, et longiorem, seu graviorem usum de ipsa factum; *l. Si ut certo* § 8. *ff. Commodati, vel contra,* ibi : « Quinimmo, et qui alias re commodata utitur, non solum Commodati, verum furti quoque tenetur... Quemadmodum qui equo... vel vestimento, aliter quam commodatum est utitur, furti tenetur. » Concordat S. Raymundus *in summa lib.* 2. *tit.* 6. *de furtis* § 5. his verbis : « Qui accipit equum... usque ad certum locum, et ipse ultra locum procedit... furtum. » Quod cum hac justa, et optima definitione confirmat Justinianus *lib.* 4. *Institut.* 1. § 6. *et* 7. ibi ; « Si quis rem utendam accipit, et in alium usum eam transferat, quam cujus gratia ei data est, furtum committit; veluti... si quis equum gestandi causa commodatum sibi, longius aliquo duxerit... Placuit tamen eos, qui rebus commodatis aliter uterentur, quam utendas acceperint, ita furtum committere, si se intelligant id invito Domino facere, eumque, si intellexisset, non permissurum; at si permissurum credant, extra crimen videri, optima sane distinctione, quia furtum sine affectu furandi non committitur. »

(27. Colligitur quinto, quod Commodatarius, qui equum v. g. sibi commodatum adhibet ad solum moderatum usum, seu iter, pro quo fuit sibi commodatus, abunde interim ei ad vitam necessaria suppeditans, licet ex tali usu, et itinere deterior, et pretio vilior factus sit sine ulla sua culpa, nullum damnum Commodatori pro tali deterioratione præstare tenetur; *l. Dum qui* 10. *ff. Commodati, vel contra,* ibi : « Eum, qui rem commodatam accepit, in eam rem usus est, in quam accipit, nihil præstare, si eam in nulla parte, culpa sua deteriorem fecit, verum est. » Nam si culpa ejus fecit deteriorem, tenebitur; *l. Si commodavero fin. eod. tit.* ibi : « Si commodavero tibi equum, quo utereris usque ad certum locum, si nulla culpa tua interveniente, in ipso itinere deterior equus factus sit, non teneberis Commodati. Nam ego in culpa ero, qui in tam longum iter commodavi, qui eum laborem sustinere non potuit. » (28. Si vero culpa Commodatarii equus sit factus deterior, v. g. ex quo ad præcipitem cursum, indebitumque iter ipsum coegit, vel necessaria alimenta ei non præstitit, et hujusmodi, tunc ea deterioritate tenetur; *Sed mihi* 3. § 1. *ff. Commodati,* ibi : « Non videbitur reddita (*res commodata*) quæ deterior facta redditur, nisi quod interest, præstetur; proprie enim dicitur res non reddita, quæ deterior redditur. »

(29. Colligitur sexto, ex Commodato duas oriri actiones : Una, quæ dicitur *Actio directa Commodati;* et altera, quæ dicitur *Actio contraria Commodati.* Actio directa Commodati est illa quæ competit Commodanti, ejusque hæredibus adversus Commodatarium, ejusque hæredes, ut sibi res commodata post expletum usum, seu determinatum tempus restituatur, et si culpa Commodatarii deterior facta est, damnum resarciatur, sicuti de dolo, vel culpa Commodatarii res periit, debet ab ipso, vel a suis hæredibus damnum integrum resarciri; *l. Si is, qui Commodatum, l. In Commodum, ff. Commodati, vel contra. et* cit. *l. sed mihi* 3. § 1. ff. *Commodati, vel contra. Estque Communis;* et patet etiam ex hucusque dictis. (30. Actio contraria Commodati est illa quæ competit Commodatario adversus Commodantem; idque variis ex causis. (31. Primo, si Commodans non patiatur Commodatarium uti re pro eo tempore, et usu, pro quo est commodata, v. g. quia rem commodatam ante tempus et usum determinatum intempestive revocat. Si enim ex hoc Commodatario damnum inferat, tunc is actione contraria Commodati ad resarciendum damnum illatum tenetur; *l. in Commodato,* § *Sicut, ff. Commodati, vel contra.* Licet enim a principio meræ voluntatis sit commodare, et ita modum, tempus, et finem Commodati præscribere liceat Commodanti, postquam tamen commodavit ad determinatum tempus, et usum, remanet obligatus pro toto tempore, et usu concesso, nec ante ipsum potest commodatam rem revocare; *l. In Commodato,* 17. § 3. *ff. Commodati, vel contra l.* 3. *tit.* 7. ibi : « Sicut autem voluntatis, et Officii magis quam necessitatis est, ita modum *Commodati* finemque præscribere, ejus est qui beneficium tribuit. Cum autem id fecerit, idest postquam commodavit, tunc finem præscribere, et retro agere, atque intempestive usum commodatæ rei auferre, non officium tantum impedit, sed et suscepta est obligatio inter dandum accipiendumque. Geritur enim negotium invicem; et ideo invicem propositæ sunt actiones, ut appareat, quod principio, ac nudæ voluntatis fuerat committi in mutuas præstationes, actio-

Digitized by Google

nesque civiles... adjuvari quippe nos, non decipi beneficio oportet; » et concordat textus *in c. Cum gratia unic. de Commodato*, ibi: « Contra eum quoque recte Commodati non agitur, nisi post usum completum, cujus gratia res fuerat commodata, cum non decipi beneficio nos oporteat, sed adjuvari. »

(32. Hinc tamen advertendum est, quod cum dicitur rem commodatam non posse repeti ante tempus finitum, vel usum rei expletum, pro quo fuerat res concessa; id limitari debet, nisi inopinate eveniat, ut ipse Commodans æquale damnum sit passurus, nisi rem commodatam mox repetat; non enim censetur ad talem eventum se obligare voluisse, qui gratis commodavit, cum quisque ex re sua magis sibi consulere voluisse præsumendus sit, quam alteri. Azorius *part.* 3. *l.* 7. *de Commodato*, *c.* 8. *qu.* 2. *n.* 18. Molina *tract.* 2 *disp.* 294. *n.* 121. Pirhing. *lib.* 3. *Decret. tit.* 15. *n.* 11. Angelus *verb. Commodatum* § 4. Sylvester *verb. eodem qu.* 4. Lessius *l.* 2. *c.* 27. *n.* 17. Layman *lib.* 3. *c.* 14. *tract.* 4. *n.* 3. (33. Secundo contraria Commodati actione atque ad resarciendum damnum secutum tenetur Commodans, quando scienter alteri commodavit rem vitiosam, propter quam Commodatarius damnum passus est; *l. in rebus*, § *Item qui sciens*, *ff. Commodati, vel contra* ibi: « Qui sciens vasa vitiosa commodavit, si infusum ibi vinum, vel oleum, corruptum, effusumque est, condemnandus eo nomine est. » (34. Notanter autem dicitur, *qui sciens*, seu scienter, quia secus dicendum est de ignorante, ut notat Gloss. *in cit.* § *Item qui sciens*. An autem quis scienter commodaverit rem vitiosam, colligendum est ex circumstantiis, et ubi ex circumstantiis non potest certo colligi, et res adhuc manet in dubio, præsumendum est, ignoranter fecisse, seu rem vitiosam commodasse ignorans, et nesciens esse vitiosam; *arg. Regul.* 47. *Juris in* 6. ibi: « Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur. » (35. Tertio, potest interdum Commodatarius contrariam Commodati actionem adversus Commodantem instituere ad recuperandas v. g. impensas majores, et extraordinarias, quas fecit circa rem commodatam, v. g. in curationem equi, vel alterius animalis, seu etiam servi commodati, et infirmati, pro cujus valetudine recuperanda majores, et extraordinarias fecit impensas. Modica vero impendia, sicuti expensæ cibariorum ad Commodatarium pertinent; habetur hoc totum expressum *in l. Si in rebus* §. *possunt*, *ff. Commodati, vel contra*. Est communis.

(36. Colligitur septimo. Commodatarium non teneri de casu fortuito, quo res sibi commodata periit, id est non tenetur præstari Commodanti damnum in re commodata causatum, v. g. ex incendio, ex aquarum multitudine, seu naufragio, et hostium incursu, ex prædonum impetu, et hujusmodi; *leg. Contractus* 23. *de diversis Juris antiqui reg. in fin. lib.* 5. *tit.* 17. ibi: « Rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum a nullo præstantur; » l. *Sicut vero* 5. § 4. *ff. Commodati, vel contra* ibi: « Quod

vero senectute contigit, vel morbo, vel vi latronum ereptum est, aut quid simile accidit, dicendum est, nihil eorum imputandum esse ei, qui Commodatum accipit, nisi aliqua culpa interveniat. » Concordat textus clarus *in l. Si uni certo*, § *nunc videndum*, *ff. Commodati, vel contra, et l.* 1. § *Is vero*, *ff. de obligationibus, et actionibus, et c. Cum gratia unic. de Commodato*, ibi: *Licet casus fortuitus... sibi non debeat imputari.* Gloss. ibid. *verb. de levissima, et est Communis.* (37. Et ratio est, quia si res casu fortuito pereat, Domino suo perit; *l. pignus* 9. *Cod. de Pignorat. act.* Dominus autem rei commodatæ est Commodator; *l. Rei commodatæ*, *ff. Commodati, vel contra.* Cum in Commodato solus usus transferatur in Commodatarium sine translatione dominii, quod remanet penes Commodatorem, seu Commodantem, ut fuit dictum *supra num.* 9. adeoque, etc. (38. Excipiuntur tamen communiter tres casus, in quibus Commodatarius etiam de casu fortuito tenetur, et habentur expressi in *cit. cap. Cum gratia unic. de Commodato*, ibi: « Licet casus fortuitus (nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari. »

(39. Primus igitur casus, ut patet ex textu, est si culpa Commodatarii secutus est casus infelix, seu eventus fortuitus, ibi: *Nisi acciderit culpa sua*, v. g. Si quis tibi vas argenteum commodavit pro parando convivio in Civitate, tu illud transtulisti in longinqua, ubi prædonum, vel hostium incursu fuit deperditum, tunc debes damnum integrum resarcire Commodanti, textu expresso *in l. In rebus* § 1. *ff. Commodati, vel contra*; *et l.* 1. §. *Sed et in majoribus ff. de actionibus, et obligationibus.* Vel si quis equum tibi commodavit, ut equitares ad villam; et tu duxisti illum ad bellum, ubi occisus fuit, tunc teneris de integro damno; *l. Si ut certo* 6. § *Sed interdum*, *ff. Commodati, vel contra.*

(40. Secundus casus est, si ab initio ita conventum fuit, ut Commodatarius omne periculum eventus fortuiti in se susciperet, ut patet ex verbis citati textus, ibi: *Vel intervenerit pactum. qui juxta l. Contractus ff. de R. J. et l.* 1. § *Convenit ff. Deposito, et Regul.* 85. *Jur. in* 6. Contractus ex conventione legem accipiunt. Sic v. g. qui sibi bovem vel equum commodari petiit, sed intuitu hostilis incursionis timendæ periculum ejus in se suscepit, compellitur a Judice conventionem implere, et bovem, seu equum ab hostibus direptum resarcire, textu expresso *in l.* 1. *Cod. de Commodato.*

(41. Tertius casus est, si Commodatarius fuit in culpabili mora restituendi rem commodatam, ut patet ex verbis citati textus, ibi: *Seu in mora fuisset*, quia si quis v. g. tardasset reddere Domino equum commodatum post expletum ipsius usum, et tempus determinatum, et interim casu fortuito periisset, teneretur is integrum damnum resarcire Commodanti; *citat. cap. Cum gratia unic. de Commodato, quia mora sua cuilibet est nociva*; *Reg.* 25. *Jur. in* 6. (42. Dummodo tamen mora fuerit culpabilis, quia si Commo-

Digitized by Google

datarius justam causam habuit differendi restitutionem equi commodati, v. g. quia legitime impeditus fuit, quominus determinato tempore, et expleto usu, ipsum equum restitueret, casum fortuitum præstare non teneretur. Deducitur *ex leg. Illud* 40. *ff. de hæred. petit. l. Utique* 16. *ff. de rei vind. l. Deo eo* 12. § *Si post, ff. ad exhibend.* Pirhing *lib.* 3. *decis. tit.* 15. *num.* 8. (43. Et dummodo equus commodatus similiter periturus non fuisset apud Dominum, si suo tempore et loco restitutus fuisset. (44. Nam si equus commodatus eodem modo periturus fuisset apud Dominum, etiamsi suo tempore, et loco restitutus fuisset; tunc morosus Commodatarius non teneretur ad compensandum damnum, quia ratione illius moræ, licet culpabilis, non fuit causa interitus equi commodati, sive damni illati, siquidem equus eodem modo periturus fuisset etiam apud proprium Dominum; *leg. Si plures* 14. *in fine ff. Depositi*; Navarr. *cap.* 17. Manual. *num.* 80. Sylvester *verb. Commodatum. qu.* 4 Azor. *par.* 3. *lib.* 7. *de Commodato cap.* 7. *qu.* 3. § *quæ res*; Molina *tract.* 2. *disp.* 295. *n.* 4. Lessius *lib.* 4. *de justitia, et jur. cap.* 7. *num.* 38. Engel. *tit. de pastis* § 7. *num.* 26. Pirhing *lib.* 3. *decret. tit.* 15. *num.* 8. Reiffenstuel *ibid. num.* 32. et alii. (45. Hoc tamen est intelligendum, si Dominus non erat equum venditurus; tunc enim nihil ei deest, quia si fortassis interea Dominus equum sibi restitutum vendidisset, non apud se, sed apud alium periisset, et sic cum Commodatarius ratione suæ culpabilis moræ talem jacturam equi causasset Commodanti, teneretur de damno. Glossa *ad reg.* 20. *Juris in* 6. *verb. mora sua*; Pirhing *l.* 3. *decret. tit.* 15. *de Commodato sub num.* 8. Zoesius *ff. de Commodato. n.* 11. et alii.

(46. Datur etiam quartus casus, in quo Commodatarius præstare debet casum fortuitum, nempe si res commodata tradatur æstimata Commodatario. Glossa *in l. Si ut certo* 5. *verb. Periculum, ff. Commodati, vel contra*; Bartolus *ibid.* et alii. Et ratio est, quia Commodati non fuit æstimatio, nisi ut de illius pretio teneatur Commodatarius, si forte non restituat, nempe talem æstimationem non exigit Commodans, nisi ut de ea fiat securus in quoslibet futuros casus, aut de illius valore, si forte pereat; adeoque Commodatarius accepta æstimatione eosdem etiam casus fortuitos a se præstandos suscipit, ut Jure definitum est; *l. Si ut certo* § 3. *ff. Commodati vel contra*, ibi : *Si forte res æstimata data sit, omne periculum præstandum est ab eo, qui æstimationem se præstaturum recipit*; *l. Actio* 1. § 1. *ff. de æstimatoria actione : lib.* 19. *t.* 3. ibi : *Æstimatio periculum facit ejus qui suscipit : aut igitur ipsam debet interruptam reddere, aut æstimationem, de qua convenit*; *l. Plerumque* 10. § 5. *ff. de jure dotium l.* 23. *tit.* 3. quia, ut ibi dicitur : *Æstimatio venditio est.*

(47. Colligitur octavo, Commodatarium ad nullum damnum teneri, licet res commodata culpa nuncii, vel casu fortuito pereat, quando ipsam rem commodatam consignavit ipsi nuncio a Commodante misso cum mandato, ut ipsam repeteret, et ferret. Tunc enim ipsa res commodata Domino perit ratione mandati per Commodantem dati de consignanda re commodata ipsi nuncio ad hoc misso; textu expresso *in l. Eum, qui rem* § *Sed et si dum, ff. hoc tit.* (48. Secus autem esset, si nuncius, vel famulus missus fuisset tantum commonendi causa, ut res commodata restitueretur a Commodatario, sine mandato, ut per eum mitteret; tunc enim Commodatarius tali nuncio, seu famulo rem commodatam consignans non excusaretur, si casu fortuito, vel dolo seu culpa illius nuncii res periret; Bartolus *in cit. leg. Eum qui* § *Sed et si dum, verb. Tertio*; Pirhing *cit. lib.* 3. *tit.* 15. *de Commodato num.* 10. Reiffenstuel *ibid. num.* 35. et alii. (49. Hoc tamen est intelligendum, si nuncius ille communiter pro fideli, ac idoneo non habeatur; *arg. cit. leg. Eum, qui* 10. § *Sed et si dum ff. loc. cit. et leg. Argentum* 20. *ff. hoc tit.* Reiffenstuel *loc. cit. num.* 35. (50. Commodatarius eligens ipse nuncium, seu famulum, per quem remittat Commodanti rem commodatam, si res commodata culpa nuncii pereat vel deterioretur, tenetur de omni damno; sibi enim imputare debet, quod talem malum nuncium, seu famulum elegerit; textu expresso *in cit. Leg. Eum qui* 10. *et leg. Sequent.* de hoc rationem reddente his verbis præcisis; *Qui non tam idoneum hominem eligit ut recte id* (scilicet Commodatum) *perferri posset.* (51. Et hoc est etiam intelligendum, si nuncius, seu famulus a Commodatario electus communiter pro fideli, ac idoneo non habeatur; nam si Commodatarius remisit rem commodatam per servum communi opinione pro fideli, et idoneo habitum, non cogitur restituere, licet res per servi dolum, seu culpam pereat, aut deterioretur textu expresso *in l. Argentum* 20. *loc. cit.* ibi : « Argentum commodatum si tam idoneo servo meo tradidissem ad te perferendum, ut non debuerit quis existimare futurum ut a quibusdam malis hominibus deciperetur; tuum, non meum detrimentum erit si id mali homines intercepissent. » Et id ipsum brevius, et clarius tradit Bartolus *in Summario ibid.* his verbis : *Si res culpa nuncii perdatur, perit periculo Domini, si remittens non fuit in culpa malæ electionis;* et tenet Zoesius *in Comment. ff. hoc tit. num.* 13. Azorius *p.* 3. *lib.* 7. *de commodato cap.* 8. *qu.* 1. Navarr. *cap.* 17. *Manual. num.* 185. Pirhing. *loc cit. num.* 10. Reiffenstuel *ibid. num.* 37. et alii passim.

(52. Colligitur nono, Commodatarium in casibus fortuitis v. gr. in incendio, naufragio, incursione hostium, et hujusmodi posse res suas pretiosiores præferre, et salvare præ alienis minus pretiosis, quando utrasque salvare non posset; in tali enim casu Commodatarius eripiendo propria, quæ magis pretiosa sunt, nihil restituere debet. Et ratio est, quia quilibet vir prudens, ac diligens, quæ pretiosiora sunt, anteponit minus pretiosis; Commodatarius autem non tenetur facere circa alienas res sibi commodatas, nisi quod diligentissimus faceret circa proprias; *l. In*

Digitized by Google

rebus; *ff. Commodati*; adeoque, etc. Ita Glossa *in l. Si ut certo, verb. solvere facere, ff. Commodati*; Abbas *in c. de Deposito n.* 2. Angelus *verb. Commodatum num.* 16. Azorius *p.* 3. *lib.* 7. *de Commodato cap.* 7. *q.* 6. Lessius *lib.* 2. *de justit. et jure c.* 27. *num.* 23 *et* 27. Laym. *Theol. Moral. lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 7. *n.* 7. Pirhing *lib.* 3. *Decret. tit.* 16. Reiffenstuel *ibid. n.* 40. Engel *ibid. n.* 9. *et communis.* (53. Si vero res commodatæ pretiosiores sint rebus propriis ipsius Commodatarii, et in casu fortuito utrasque salvare nequeat, tenetur Commodatarius res alienas pretiosiores sibi commodatas salvare postpositis propriis minus pretiosis. Et ratio est, quia Commodatarius ex natura contractus commodati se tacite obligat ad exactissimam rei commodatæ custodiam; *lib.* 1. § *Is quoque, ff. de action. et obligat.* ibi: *Exactissimam diligentiam custodiendæ rei præstare compellitur; et ad eam custodiam, qualem quisque prudentissimus Pater familiæ rebus adhibet*; *l. In rebus* 18. *ff. Commodati*; sed quilibet Paterfamilias, et prudens, seu diligens, quæ pretiosiora sunt, anteponit minus pretiosis, et vilioribus relictis, quæ pretiosiora sunt salvat, ergo, etc. Ita Abbas *in cit. c.* 2. *n.* 2. *de deposito*; Angelus *verb. Commodatum n.* 16. Layman *loc. cit. n.* 7. Sylvester *verb. Commodatum qu.* 12. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 34. et alii. (54. Immo Commodatarius tenetur præferre, et salvare res commodatas relictis propriis, quando ambæ sunt æqualis pretiositatis, nec utrasque salvare potest; *l. Si ut certo* § *Quod vero, ff. Commodati*, ibi: « Proinde et si incendio vel ruina aliquid contigit, vel aliquod fatale damnum, non tenebitur, nisi forte cum res commodatas salvas facere posset, suas prætulit. » Et ratio est, quia in pari causa magis convenit Commodatarium, in cujus solius gratiam contractus institutus fuit, ex fortuito casu damnum sustinere, quia ut Jure cautum est *in l.* 1. § *Is quoque, ff. de actionibus, et obligationibus. Nec ei* (*Commodatario*) *sufficit eam diligentiam adhibere, quam suis rebus adhibet*; et tenet Sylvester *verb. Commodatum qu.* 12. sic dicens: « Sed si erant pretiositatis, si Commodatum factum est causa sui (Commodatarii), non potest præferre suas. » Lessius *lib.* 2. *de justit. et jure cap.* 27 *num.* 29. Layman *l. cit. n.* 7. Pirhing *lib.* 3. *decr. tit.* 16. *n.* 18. Reiffenstuel, *ibid. n.* 42. et alii.

(55. Commodatarius, si in casu fortuito omnes res salvare non potest, potest præferrre res suas si utiles sint, et ipsas salvare, relictis rebus Commodantis, quando Commodatum factum est in gratiam solius ipsius Commodantis; *l. Si ut certo* § *Interdum. ff. Commodati, l. Quod Nerva in fin. de deposito*; et tenet expresse Sylvester *verb. Commodatum qu.* 12. et alii. (56. Sic etiam potest Commodatarius res suas præferre, et salvare præ rebus commodatis, quando utrasque salvare non potest, etiamsi Commodatum factum sit in gratiam utriusque, ut tenet similiter Sylvester *loco citato* his præcisis verbis: *Si vero gratia utriusque, similiter potest præponere suas, quia cæteris paribus, debet plus se, et sua diligere, quam alium, et aliena*; et Glossa *in l. Si ut Certo* § *quod vero ff. Commodati, verb. salvas facere*; Bartol. *ibid.* et favet multum Abbas *in cap.* 2. *n.* 2. *de deposito*; Reiffenstuel *tit.* 16. *n.* 42. et alii.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(57. Si pluribus simul res commodata sit, contra singulos in solidum actio Commodati datur, (58. nisi aliud placuerit ab initio, ut placuit dum convenit, ut res commodata esset pluribus periculo communi, id est ut unusquisque præstaret partem. *L.* 21. § 1. *ff. Commodat.*

(59. Deficiente vero conventione hac, singuli tenentur in solidum, ita ut duo quodammodo rei habeantur, et si alter conventus præstiterit, liberetur alter, electione Commodanti tributa, quem convenire velit. *L.* 5. § *ultim. ff. eodem* junctis *lib.* 3. *et lib.* 11. *ff. de duobus Reis constituend.* (60. Nisi unus solus pro re commodata sibi furto subducta, egerit furti, permittente secundum jus novissimum Commodante, et furti actioni renunciante; tunc enim, si alter conveniatur qui furti non egit, et paratus sit periculo suo conveniri alterum qui agendo furti lucrum ex re commodata sensit, audiendus et absolvendus est. *L.* 7. *princip. ff. eodem pariter titulo.*

(61. Quin et si ex duobus ejusdem rei Commodatariis unus rei in solidum restituendæ facultatem habeat, æquum haud est, alterum de rei restitutione conveniri; (62. et quum plures hæredes sunt ejusdem Commodatarii, unus vero ipsorum totam rem possidet, atque ita solidæ rei restituendæ facultatem habet, solus is damnari debet, quasi hoc conveniat arbitrio boni judicis: (63. uti et tunc quum unus eorum non ex defuncti, sed proprio facto hac actione interpellatur, licet alioquin ita jus sit, ut hæredes Commodatarii singuli pro ea tantum parte, qua hæredes sunt, conveniri debeant. *L.* 3. § 3. *L.* 17. § 2. *ff. d. tit.*

COMMUNIO.

SUMMARIUM.

1. Communio populi infra Missam non est de præcepto. — 2. Ex justis causis prohiberi potest. — 3. 4. De Communione sub utraque specie apud Græcos. — 5. Communionis Paschalis tempus prorogatur pro incolis Serviæ. — 6. Ad primam Communionem admitti non debent pueri in doctrina christiana non satis edocti. — 7. Alia ad rem. *Remissive*

(1. Communio populi infra Missam non est de præcepto. Benedict. XIV. *tom.* 1. *Constitut.* 64. incip. *Certiores.* (2. Et justis ex causis prohiberi potest. Idem *ibid.* (1)

(1) Vide opus Neapoli an. 1774. editum hoc titulo: *Dissertazione Teologica Critica del P. F. Giuseppe Maria Elefante Maestro in Sagra Teologia nella Provincia di Puglia, detta di S. Tomaso dell' Ordine De Predicatori, in riposta all' Anonimo Italiano Autore del Catechismo sulla Communione dell' Augustis-*

Digitized by Google

(3. Communio sub utraque specie toleratur pro Græcis, ubi viget consuetudo. Idem *Constit.* 57. incip. *Et si Pastoralis* § 6. (4. Quæ tamen consuetudo alibi introduci prohibetur. (5. Idem *ibid.* Communionis Paschalis tempus prorogatur pro incolis Serviæ. Idem *Constit.* 39. incip. *Inter omnigenas* § 21. (6. Ad primam Communionem admitti non debent pueri in Doctrina Christiana non satis edocti. Idem. *Const.* 42. incip. *Et si minime* § 9. (1).

(7. Alia ad rem, vide verb. *Eucharistia n.* 40. 41. 42. verb. *Missa art.* 11. *a. n.* 7. *ad* 46. *et art.* 14. *n.* 22. 23. nec non *decreta S. R. C.*

COMMUTATIO LEGATORUM PIORUM.

Vide Verb. LEGATUM *a num.* 143. *ad* 165.

COMOEDIÆ.

ARTICULUS ROMANI THEOLOGI.

SUMMARIUM.

1. De Comœdiarum origine. — 2. Sancti Ecclesiæ Patres unanimi consensu Comœdias improbarunt. — 3. Interdicta quoque hujusmodi spectacula a Conciliis fuere sub gravissimis pœnis. — 4. Hujus prohibitionis causa affertur. — 5. An ea seclusa Comœdias Patres interdixerint. — 6. Si Comœdiæ inhonestæ, turpes obscœnæque sint, nefas Christianis est repræsentare, vel audire. — 7. Actores, cooperantes, spectatoresque gravis culpæ sunt rei. — 8. 9. Approbatur censura Benedicti XIV. in Auctorem. — 10. Animadversiones Auctoris in Articulum Romani Theologi. — 11. Comœdi sunt infames, et irregulares. — 12. Alia de Comœdiis. *Remissive.*

De comœdiarum apud christianos usu, et quænam licitæ, quænam vero illicitæ, patrum, theologorumque auctoritate comprobentur.

(1. Comœdiæ a superstitiosis gentibus originem trahunt, et primum apud Græcos, deinde apud Romanos usurpatæ fuerunt. Veluti moribus, ac publico bono noxias improbavit Plato *lib. de Republica*, ac damnarunt etiam nonnulli Romanorum sapientes. De earum origine, vicissitudine, et mutationibus egregie scripsit Vir cl. Jo. Antonius Bianchi Ordinis Minorum de Observantia in Opere nomine *Laurisii Past. Arc.* Romæ vulgato anno 1753. Vide præfationem ejusdem Operis.

(2. Sancti Ecclesiæ Patres unanimi consensu Comœdias improbarunt, atque uno omnes ore clamarunt vetitum Christianis esse, non solum Actores, sed etiam spectatores in Comœdiis esse. Patrum hac de re sententias collegit, et accurate recensuit omnes P. Daniel Concina in Opere de spectaculis Theatralibus, easque indicaverat antea Natalis Alexander in *Hist. Eccles.* 4. *Secult cap.* 6. *art.* 3. atque inter alios inculcaverat Hieronymus Florentinus Congr. Matris Dei Theologus in Opere inscripto *Comœdo-Crisis etc.* ubi observat, nuncupatas a Patribus fuisse *sacrarium Veneris, impudicitiæ consistorium, Dæmonum inventum, pudoris publici lupanarium, obscœnitatis magisterium, scholam fœditatis, et lasciviæ et fornicationis gymnasium, intemperantiæ, et inhonestatis exemplar.*

(3. Interdicta quoque hujusmodi spectacula a Conciliis fuere sub gravissimis pœnis. Vide Concilium Illiberitanum *Canone* 62. *et* 67. Arelatense 1. *Canone* 5. Carthaginense 3. *Canone* 2. Carthaginense 4. *Canone* 88. Concilium Africanum *Canone* 28. *vel* 61. secundum Codicem Canonum Ecclesiæ Africanæ, Arelatense 2. *Canone* 20. Trullanum *Canone* 51. Cabilonense 2. *Canone* 20.

(4. Cum apud Gentes superstitiosa essent hujusmodi spectacula, quod in falsorum Numinum obsequium plerumque fierent, ac

simo Sagrificio della Messa: cujus quidem Anonymi Catechismum, et cætera Opuscula, quibus traditam in Catechismo opinionem indicatæ Benedicti XIV. Constitutioni adversam, et cum recepta in Ecclesia disciplina pugnantem, tueri nitebatur, sacra Indicis Congregatio proscripsit. Consulito Indicis novissimi librorum prohibitorum Appendicem tertiam verb. *Communione del Popolo nella Messa.* (*Edit. Barbiell.*)

(1) Olim vox isthæc non eadem notione accipiebatur, ut nunc visitur; nunc enim vulgari acceptatione vox isthæc redacta est ad solam Eucharistiæ perceptionem designandam. Atqui antiquitus multo latius vocis prædictæ significatio protendebatur; quod vel ex eo luculentissime patet, quod olim Pœnitentes recipiebantur, aut admittebantur ad Communionem, cum tamen ipsis Eucharistiam sumere nondum liceret. Itaque vox *Communio* designabat omnem consuetudinem, ac societatem, quam fideles invicem habebant, sive in rebus Sacris, sive in aliis, quæ ad humanæ vitæ necessitatem pertinebant; et Jus istud *Communionis* situm erat in omnium istorum participatione. Unde *Excommunicati dicebantur*, qui omnibus hisce in pœnam criminis privabantur, atque a communicatione cum cæteris fidelibus etiam in rebus civilibus excludebantur; quod ex antiquis Canonibus evidentissime demonstrat Albaspinæus *Observat. Ecclesiast. lib.* 1. *Observat.* 1. atque satis luculenter innuitur in *cap. Nuper* 29. *de Sentent. Excommunicat.* Hinc divisio illa in Communionem *Laicam et Ecclesiasticam*, de qua jam antea dictum est. Hinc etiam *Peregrina Communio*, qua plectebatur in Clericos contumaces, et qua ejecti a Clero, atque expuncti ex albo cæterorum Clericorum cum iisdem communicare prohibebantur, et sui criminis pœnas hac ratione luere cogebantur, donec resipiscerent. Vide laud. Albaspinæum *loc. cit. Observat.* 3. Hinc etiam illud *communicare sine Oblatione* erat, cum quis ex Pœnitentibus ad societatem cum cæteris fidelibus in precibus admittebatur; sed ex ejusdem manibus munera, et oblationes recipere interdictum erat, quemadmodum et Eucharistiæ perceptione privabatur. Qua de re fuse idem Albaspinæus *loc. cit. Observat.* 6. *et lib. II. Observ.* 25. Vide etiam hanc in rem *Observat.* 8. *ejusd. lib. II.*

Digitized by Google

etiam obscœnitatis plena essent, facile intelligere est, qua de causa ab antiquis Patribus, et Conciliis tam severe Christianis prohiberentur. (5. Num vero iis etiam seclusis, theatralia spectacula, atque Comœdias Patres interdixerint, quæstio inter Theologos est. Natalis Alexander loco supracitato, et docti quamplures Galli Theologi, atque P. Concina, tum in laudato Opere, tum in alio italice deinceps scripto, opinantur omnem omnino Comœdiam Patres damnasse veluti Christianæ professionis inimicam. Atque inferunt Christianis omnibus illicitum esse spectaculis hujusmodi interesse, iisque delectari, et contra solemne illud fœdus agere, quod cum Deo in Baptismi susceptione inierunt, abrenuntiando *Satanæ, et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus*. Satanæ enim abrenuntiatione, inquiunt, Christianos profiteri idololatriæ detestationem, abrenuntiatione operum Satanæ, detestationem eorum omnium, quæ naturæ, ac Dei lege prohibita sunt, hæc enim cum peccata sint, opera Diaboli dicuntur; abrenuntiatione denique pomparum Satanæ, detestationem illarum rerum atque functionum, quæ vanitatem, concupiscentiam oculorum, concupiscentiam carnis, et superbiam vitæ foveant, et excitent. Ita enim professionem in Baptismo factam explicari a pluribus antiquis Patribus ostendit Concina in Operibus supra citatis; ubi laudat Tertullianum *lib. de Spectaculis c.* 25. Cyrillum Hierosolymitanum *Catechesi* 1. Jo. Chrysostomum *hom.* 21. ad Populum Antiochenum, Ephræmum Syrum, Cæsarium Arelatensem, aliosque. Contra vero Florentinius supracitatus, Manzius, Ludovicus Antonius Muratori, Scipio Maffejus, ac noster Joannes Antonius Bianchi, aliique quamplurimi contendunt, non omnes omnino Comœdias improbatas a Patribus fuisse, sed eas tantum, quæ superstitione, et obscœnitate aliisque defectibus scaterent, qui morum innocentiæ adversarentur. Id enim unice ex modo, quo Sancti Patres loquuntur, argumentari potest, ut vel ex ipsis nominibus colligere est, quibus nuncupatas ab ipsis Comœdias diximus. Si enim Comœdiæ argumentum morale sit, et honestum, quod nil morum innocentiæ adversum habeat, nil in eis occurrit, per quod dici possit *sacrarium Veneris, et impudicitiæ consistorium*, atque alias hujusmodi appellationes habere, quibus detestatæ a Patribus Comœdiæ nuncupantur. Audiatur Florentinius supracitatus, qui conclusionem primam ita proponit : « Licet sine peccato componêre Comœdias, in quibus argumentum est vel indifferens, vel honestum, et ad ejus repræsentationem nulla adhibentur vel facta, vel verba illicita, et immodesta, seu etiam alicui nociva. Licet etiam eodem modo Actoribus illas recitare, et auditoribus interesse ; habito tamen respectu, et adhibita debita moderatione quoad circumstantiam loci, temporis et personarum. Hæc Conclusio est S. Thom. 2. 2. *qu.* 168. *art.* 2. *et* 3. et omnes illam defendunt tamquam communem. » Nec rem demonstratu difficilem arbitror. Fac enim, in Comœdia rem sacram exhiberi, morale argumentum esse, nil vero in Actoribus occurrere, quod vitia foveat, sed omnia ad vitii detestationem, virtutisque commendationem ordinata esse, juxta artis Poeticæ regulas, quid in ea deprehendas Christianis illicitum ? « Officium Histrionum, inquit S. Thom. loc. cit. quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum : nec sunt in statu peccati, dummodo moderate ludo utantur, id est non utendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum, et non adhibendo ludum negotiis et temporibus indebitis. » Atque ludum hujusmodi pertinere ad virtutem Eutrapeliæ post S. Thomam tradidere S. Antonin. *part.* 2. *tit.* 2. § 2. *Sum. Theolog.* Card. Cajetanus, Sylvester aliique. Si ergo Comœdia ratione argumenti honesta, vel indifferens sit, ac loco, tempore, congruis personis, et gestis, ac verbis honestis exhibeatur, quid in ea erit ab illo Histrionum ludo diversum, per quod illicita fiat ? Numquid Theatrales pompæ ? At hæ natura sua malæ non sunt, sed indifferentes, et ad solatium hominibus exhibendum aptæ quam maxime sunt. Res autem indifferentes licite ad humanæ conversationis solatium adhibentur, ex eodem S. D. loco citato. Dicent fortasse, delectare has homines, atque vanitatem fovere. At delectatio ex licito ludo, quæ recto fine percipiatur, vetita homini Christiano non est. Neque pompæ, quæ honestam Comœdiam exornent, vanitatem homine Christiano indignam fovent. Si enim hæ licitam, atque honestam animæ recreationem pariant, ac delectationem, quæ ad Comœdiam illam attentionem conciliet, quæ optimis morum præceptis instructa sit, cujusque finis sit homines ad vitii detestationem, atque virtutem sectandam movere, et allicere, non video, quid in illis pompis reprehendi valeat : si peccatum non sit penes sumptus aliis Christianis virtutibus contrarios, de quibus in præsentia non disputamus. Hoc in sensu Auctores, qui licitum Theatrum propugnant, Diaboli pompas esse Comœdias negant.

(6. Si Comœdiæ inhonestæ, turpes, obscœnæque sint, nefas Christianis est, easdem repræsentare, vel audire. Inhonestæ dicuntur, quæ vel quidpiam continent morum præceptis contrarium, vel turpes, obscœnasque res exhibent, vel obscœnis verbis, aut actibus exprimuntur. Hæ malæ sunt atque illa etiam naturæ lege prohibitæ, qua scandalum prohibetur. Non solum enim præceptis illis contrariæ sunt, quæ inhonestos, ac turpes actus prohibent, sed etiam occasiones sunt ruinæ spiritualis proximi, cum inhonesti, turpes, obscœnique actus, fabulis, aut verbis ad inhonesta, atque turpia eo fortius homines alliciant, et trahant, quo vividius, ac majori cum apparatu exhibeantur. Hinc nemo negat, graviter peccare Actores, qui hujusmodi spectacula exhibeant. Non solum enim publice ac palam rei operam dant illicitæ, atque turpi, sed etiam actionem exercent, quæ in Spectatoribus pravos affectus, et gravia peccata natura sua excitat, atque parit. Et sane si prava colloquia, et studiosa

Digitized by Google

pravorum librorum lectio, præsertim dum coram multitudine fiant, excusari a gravi culpa non possunt, quis excusabit a gravi culpa publicam fabulæ repræsentationem, inter Theatri pompas, et apparatus, a gravi peccato? Hæc enim fortiora sunt ad vitia incitamenta.

(7. Sic Actores, cooperatores, spectatoresque gravis culpæ sunt rei. Nam et ii in actionem illam moraliter influunt, quæ natura sua nata est depravare hominum mores, ut manifestum est. Actores voco, qui composuere Comœdiam; cooperatores, qui mimos, ac mimas, saltatoresque dirigant, mercede illos conducant, vel alia præstent ad operam conducentia. Ad spectatores quod attinet, præterquam quod approbant rem illicitam, et solvendo pro audiendis, inspiciendisque Comœdiis pretio, morales illius causæ dicuntur, quia pretii solutione ad operam illicitam exercendam venales mimos movent, periculo etiam peccandi sese exponunt, atque alios exemplo suo in hujusmodi periculum trahunt. Qui vero se libere exponit occasioni peccandi, etsi non peccet, gravis culpæ reus est, ex Theologorum omnium sententia (1).

(8. Atque hinc facile patet, quam æqua censura sit sapientissimi Pontificis Benedicti XIV. qua in Opere *de Synod. Diœces., lib.* 11. *c.* 10. ita Auctorem nostrum reprehendit: « Nimis porro laxa, ne dicam aperte erronea, et scandalosa est doctrina, quam tradit Lucius Ferraris in sua Bibliotheca Canonica *tom.* 2. *verb. Clericus art.* 4. *n.* 17. *edit.* 1. ubi etsi fateatur non esse Clericis permittendum comicos agere, seu Comœdiarum actores esse, attamen a gravi culpa eosdem absolvit Comœdias spectantes quantumvis turpes, atque obscœnas, dummodo ex illarum auditione nullum sibi imminere prævideant probabile periculum lapsus, eorumque præsentia nullum in Populum ingerat scandalum. » Verum, ait, si Comœdiæ audiantur ob solam vanam curiositatem absque periculo probabili lapsus, etiamsi res turpes repræsententur, et modus repræsentandi sit turpis, probabilius est, non esse peccatum mortale, cessante scandalo, quod modo videtur cessare, et non esse, quia frequentissimum est Clericos Comœdiis interesse. *Quis est, qui non intelligat rerum obscœnarum vel solam narrationem pravos animi motus in audientibus excitare, eosque sensim ad interitum disponere, juxta illud Apostoli effatum* 1. ad Corinth. 15: Corrumpunt mores bonos colloquia mala? « Qua igitur ratione, quo pacto evenire poterit, ut suæ spiritualis ruinæ periculum declinet, qui earumdem turpium rerum theatrali interest repræsentationi, quæ plus certe efficacitatis habent ad spectatorum mentes perturbandas, animos commovendum, et tandem ad peccatum inducendum? Quocirca etiam mollioris ethices sectatores ejusmodi Comœdias damnant, et nedum Clericos, sed laicos quoque eas inspicientes vix umquam gravem culpam evadere, communi calculo docent cum D. Thoma in 4. *dist.* 16. *qu.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. » Ad secundam quæstionem dicendum, quod hujusmodi spectacula, si sunt rerum turpium, et ad peccatum provocantium, studiosa eorum inspectio peccatum est, et quandoque in eis tanta potest libido adhiberi, ut sit etiam mortale: unde a tali inspectione omnes se arcere debent

(9. Palinodiam Lucius cecinit, ut legere est in Biblioth. Sed tot ibi congerit Probabilistarum auctoritates ad se excusandum, ut suspicari possit, voluisse hac via ostendere, recitatam ab ipso opinionem, Pontificia probabiliorem ac plausibiliorem esse, præsertim iis, qui ex numero auctorum opiniones metiuntur. Ne vero hujusmodi apparatu lectores decipiantur, observandum hic duximus: 1. Summo Pontifici, dum pronunciavit laxam hanc opinionem, exploratas jam fuisse probabilistarum sententias, atque etiam has censura perstrinxisse. 2. Turpes et obscœnas Comœdias eas esse, quas Patres supracitati damnarunt, ac opera, pompasque Diaboli dixerunt, quibus Christiani abrenunciarunt in receptione Baptismi. 3. Plura Concilia non solum antiqua, sed etiam recentia sub excommunicatione, aliisque Ecclesiasticis pœnis turpes obscœnasque Comœdias populo interdixisse. 4. Denique rationes *num.* 6. a nobis allatas satis ostendere, turpes Comœdias naturæ esse lege prohibitas ac graviter peccare tum actores, tum spectatores illarum. Hæc omnia perspecta, atque rite examinata fuere a sapientissimo Pontifice Benedicto XIV. dum censuram in hanc Probabilistarum opinionem tulit.

Aiunt recensiti a Lucio Probabilistæ, abolitos contraria consuetudine esse Canones, quibus Clerici Comœdiis interesse prohibentur, atque hos ab omni culpa excusari, *quia frequentissimum est Clericos Comœdiis interesse.* Numquid vero licita usu et consuetudine fieri potest actio naturæ lege prohibita, atque ad ruinam animæ spiritualem contendens? Hujusmodi vero est repræsentatio, atque auditio turpis obscœnæque Comœdiæ, ut supra diximus. Rursus si Clerici spectatores sint, homines scilicet in Dei sortem vocati, sacro Altari addicti, ac illius status, in quo ad altioris virtutis gradum adstringuntur, quis eos a gravi culpa excusabit, dum libere peccandi occasioni sese exponant; dum turpem, obscœnamque operam præsentia sua probent, et dum alios exemplo suo ad id alliciant, et provocent? Numquid contraria consuetudine debitum tolli potest, quod ex proprii status obligatione enascitur; ac licita fieri actio, quæ maxime indecens proprio statui sit? Hujusmodi vero sunt turpes, obscœnæque Comœdiæ ad Clericos comparatæ.

Audiant hic benigniores Casuistæ Sancti

(1) Dignum est, quod legatur Opusculum Italico idiomate Romæ in Typographia Palearinorum An. 1754. impressum cui titulus: *Consultatione Teologico-Morale se Chi interviene per necessità ai Teatri publici vi possa intervenire lecitamente, e in qual maniera.* (*Edit. Barbiel.*)

Digitized by Google

Caroli Borromæi sententiam a tot deinceps Pastoribus in suis Ecclesiis inculcatam. In Concilio 3. Provinciali Mediolanensis Ecclesiæ hæc statuit, quæ legi possunt in Actis ejusdem Eccl. *par.* 4. *pag.* 500. « Publicorum pecatorum illecebras, quas homines depravatæ consuetudinis errore decepti pro nihilo putant, concionator perpetuo reprehendat... spectacula, ludos, lubricasque res id generis, quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt, disciplinæque Christianæ adversantur, perpetuo detestabitur, execrabitur. Demonstrabit incommoda, publicasque ærumnas inde in Christianum Populum emanare. In quam sententiam valde Populum confirmabit argumentis, quæ viri gravissimi Tertullianus, Cyprianus Martyr, Salvianus, et Chrysostomus afferunt. In eoque argumenti genere nullum aliud omittet, quo tanta corruptela extirpetur. Choreas, saltationes, ac tripudia, e quibus mortiferæ cupiditates excitantur, de suggestu sæpe graviter reprehendet, atque insectabitur. Scenicæ, personataeque actiones, unde tamquam e quodam seminario semina malefactorum, ac flagitiorum pene omnium existunt, quam a Christianæ disciplinæ officiis abhorrentes, quam valde cum paganorum institutis convenientes atque Diaboli astu inventæ omni officio a Populo Christiano exterminandæ sint, qua maxima poterit religiosa contentione aget. Omnem in muliebri vestitu luxum, caudatas vestes, superbum ornatum, deformem illam ornandi speciem, muliebres fucos, ac pigmenta, cæteraque ad mollitiem, atque adeo ad libidinis incitamentum fœde excogitata, omni persuasionum vi, et argumentorum quasi telis oppugnabit. Quæ multa subministrabunt magni illi Ecclesiæ viri Cyprianus Martyr, Augustinus, et Ambrosius in primis. »

ANIMADVERSIONES AUCTORIS.

(10. In hoc Articulo de Comœdiis a se de novo addito, immerito exaggerat R. Theologus contra ea, quæ a me tradita in prima Editione in verb. *Clericus art.* 4. retractaveram jam in *Supplemento* ad idem *verb.* in editionibus posterioribus, ubi post adductos Auctores, quos fueram secutus, tandem sub *num.* 31. ingenue subdidi : sed quidquid de illis, prævio recessu a sequela ipsorum, quod scripsi *loc cit. num.* 17. *et* 18. expunctum penitus volo. Unde cum ibi clarissime mentem meam aperuerim, et in claris nulla admittatur interpretatio ex communi post Gloss. *in. c. Quum dilectus* 8. *de consuetudine, verb. nec juri communi*, et colligitur ex *l. Licet Imperator* 74. *de legat.* 1. et *l. Ille, aut ille*, 25. *de legat.* 111. nescio quo animo voluerit falso interpretari mentem meam jam aperte manifestatam, eamque torquere in sensum obliquum, et a veritate aberrantem. Voluisset potius serio perpendere propositionem meam, et invenisset illam, prout a me traditur, restrictam, ac modificatam quatuor illis adjectis conditionibus, non tantopere, ut exaggerati, pugnare cum auctoritatibus, aliisque a se ibi adductis. Præterquam quod debuerat animadvertere criticus Theologus, quod Benedictus XIV. immortalis memoriæ Pontifex, in sua censura loquitur ut merus Doctor privatus, ut ipsemet testatur in præfatione primi sui tomi de *Synodo Diœcesana* §. *Prima hujus Operis* præcisis his verbis : At ubi neque a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, neque a Nobis in Bullario, aut alibi Apostolica auctoritate quidquam definitum est, ac generaliter omnibus in rebus, quibus nullum ex publica auctoritate pondus accessit, nihil nos definire, ac veluti decretorium exhibere intendimus... libentique animo subscribimus doctrinæ Scriptoris egregii Melchioris Cani, qui *lib.* 6. *de locis theologicis, cap.* 8. *in responsione ad nonum argumentum*, de libris agens, qui a Summis Pontificibus conscripti publicantur, hæc ait : « *Cum edunt libros de requalibet Romani Pontifices, sententiam suam ut homines alii docti exprimunt, non tamquam Ecclesiæ Judices de Fide pronunciant.* » Magnus ille Prædecessor noster Innocentius IV. Commentaria sua in Libros Decretalium scripsit, quum summum Pontificatum gereret... Neque profecto Innocentius hoc sibi unquam arrogavit, quidquid in eo opere scripsisset, pro re definita haberetur, sed facile passus est opiniones suas, quas tamquam privatus Doctor proposuerat, ab aliis Doctoribus oppugnari, ut patet ex ipsa, quam citavimus, illius vita, multoque magis ex ea, quam sibi amplissimam hac in re licentiam sumpserunt Canonistæ, dum sententias ab Innocentio suis in Commentariis insertas sæpe deserere, et in alia omnia ire non dubitarunt. Hæc ille ad literam, quæ si attendisset Theologus noster, tam acri stylo forsan non perstrinxisset, quæ tradideram opportunis jam restrictionibus moderata.

(11. Comœdi sunt infames, et irregulares; vid. verb. *Infamis n.* 11. et verb. *Irregularitas art.* 1. *n.* 11. vers. *Octava.*

(12. Alia de Comœdiis; vid. in verb. *Clericus, art.* 4. *n.* 16. et verb. *Luxuria n.* 87.

COMPENSATIO

SUMMARIUM.

1. Compensatio quid sit. — 2. Compensatio, si debitæ adsint conditiones, est licita. — 3. Ad hoc, ut Compensatio occulta sit licita, requiruntur plures conditiones. Et prima est, ut debitum sit certum. — 4. Secunda, ut debitum sit strictum, et proprie dictum debitum. — 5. Tertia, ut res non possit alia via recuperari, vel saltem non absque notabili molestia. — 6. Quarta ut non fiat Compensatio in re alterius, sed in re ipsius Debitoris. — 7. Quinta, ut fiat sine periculo scandali, seu sine periculo damnificandi tertium. — 8. Sexta ut fiat sine periculo damnificandi ipsum debitorem, vel ejus hæredes. — 9. Septima, ut in Compensatione non plus accipiatur, quam revera debetur. — 10. Octava, ut fiat sine præjudicio tertii. — 11. Affertur ad id exemplum. — 12. Affertur adhuc aliud exemplum. — 13. Pro foro externo varia sunt dubia a Jure excepta, in quibus Compensatio non potest fieri etiamsi adsint conditiones requisitæ ad occultam Compensationem, et alia via talia debita obtineri nequeant. — 14. Primo,

Digitized by Google

Creditor, quoad rem apud se depositam a debitore, non potest in foro externo Compensationem facere. — 15. Secundo, Creditor quoad rem sibi commodatam a debitore non potest in foro externo Compensationem facere. — 16. Licet enim varii hoc negent de Commodato, et concedant solum de deposito, tamen est utrobique par ratio. — 17. Tertio, Creditor non potest in foro externo Compensationem facere in rebus sui debitoris, quas inique ex furto, rapina, fraude, et spolio occupat. — 18. Quarto, Creditor non potest in foro externo Compensationem facere in rebus, quas ex causa vectigalis, vel tributi debet Principi, vel Reipublicæ sibi debitrici. — 19. Pro foro tamen interno, seu conscientiæ supradictorum debitorum exceptio locum non habet, sed licite potest fieri Compensatio occulta etiam in omnibus dictis casibus. — 20. Famuli. et famulæ domesticæ non possunt occulte heris suis surripere ad compensandum operam suam, quam absque certa, et evidenti cognitione majorem judicant salario, quod recipiunt. — 21. Affertur ratio. — 22. In propositione ad id damnata includuntur non solum famuli, et famulæ domesticæ, sed etiam omnes illi, qui pro mercede, et salario operas, et servitium præstant. — 23. Si vero non solum probabiliter, sed certo, et evidenter constat mercedem, seu stipendium famulis, vel aliis stipendio conductis, ac servientibus personis ex justitia debitum esse minus justo, tunc eis licitum est uti occulta Compensatione. — 24. Sic etiam licita est occulta Compensatio, quando certum est, quod famulus invitus occupatur in aliis, ad quæ non est conductus : nec datur ei stipendium, quod juxta servitii proportionem ab aliis communiter dari solet. — 25. Item licita est occulta Compensatio, quando herus, vel stipendium promissum integre non solvit, vel si solvit, solvit in materia inferiori, ex qua famulus damnum patitur. — 26. Item licita est occulta Compensatio, si famulus fuerit invitus a Domino coactus dolo, minis, etc. ad serviendum pretio minori infimo justo, vel pretio minori eo, quod communiter dari solet aliis talia servitia præstantibus. — 27. Confessarii satis caute procedere debent cum se occulte compensantibus, et firmiter in praxi tenere, quod nisi evidenter, certo, et indubitanter constet stipendium, seu salarium esse injustum, numquam liceat famulis, aliisque mercede conductis, occulta Compensatio. — 28. Nec in judicando, an stipiendium, seu salarium sit evidenter, certo et indubitanter injustum, standum est judicio famulorum. — 29. Immo, nec quantum ad hoc standum est judicio cujusvis obvii mediocriter docti Confessarii; sed debet inquiri vir valde doctus, multumque prudens, ac peritus in rebus similibus. — 30. Advertendum enim est, an adsint alii, qui pro tali vili stipendio parati sint tale servitium præstare. — 31. Item advertendum est, an tale servitium sit aliunde compensatum, v. g. per favores, per protectionem, per spem promotionis, et hujusmodi. — 32. Item advertendum est, an famulus se potius ad inserviendum obtulerit, et Dominus sui servitii parum, aut nihil indiguerit, et potius in gratiam ejusdem ad servitium receperit. — 33. Item advertendum est, an famulus conductus. ab initio contractus cesserit juri suo ad majus stipendium, et se contentum declaraverit stipendio convento. — 34. De Compensatione occulta. *Remissive.* — 35. Compensatio unde profluxerit. — 36. 37. De effectu Compensationis. — 38. 40. Locum sibi vindicat Compensatio in processu executivo, et post rem judicatam in termino executionis. — 41. Ante omnia autem præsuponitur debitum utrinque liquidum. — 42. Quoad vero sistendum cursum usurarum datur etiam Compensatio cum credito certo. — 43. 45. An alius pro alio recte compenset. — 46. 48. An cessionario obstet Compensatio, quæ obstabat cedenti. — 49. De Compensatione. *Remissive.*

(1. Compensatio est debiti, et crediti inter se contributio, *l. Compensatio* 1. *ff. de Compensationibus lib.* 16. tit. 2. et secundum Polman. *Breviar. Theol. part.* 2. *n.* 413. *Compensatio est rei unius per alteram adæquatio, et tantidem refusio*, et fit v. g. cum quis tibi debet centum scuta, et illa nequis via ordinaria recuperare ab eodem debitore, in occulto surripis totidem scuta; vel si debitor ejusdem occultus existas, solutionem in æquivalenti non præstes. (2. Et hæc Compensatio, si debitæ adsint conditiones, est licita; *l. Postquam* 21. *ff. de compensationib.* ibi : « Placuit inter omnes, id quod invicem debetur, pro jure compensari; » *l. ideo* 3 *ff. de compensationib.* ibi : « Compensatio necessaria est, quia interest nostra potius non solvere, quam solutum repetere. » Compensatio enim ad instar solutionis accipitur, ut constat *ex l. Si debitor, ff. Qui potiores in pignore*, ubi dicitur : « Nihil interesse solveritne aliquis, an compensaverit; » *et ex leg.* 76. *de verborum significat.* ubi dicitur, *dedisse etiam eum intelligendum esse, qui compensavit.* Et sic tenet Glossa *in cap. Jus gentium* 9. *dist.* 2. *verb. Sedium*, Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 16. *art.* 5. *ad tertium*, Abbas *in c. Sicut* 29. *num.* 14 *et* 15. *de Jure jurand.* Silvester *verb. Furtum q.* 13. Navarrus *in Manual. c.* 17. *num.* 112. Engel. *lib.* 3. *decret. tit.* 23. *et* 16. Reiffenstuel *ibid. num.* 57. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 1. *capit.* 1. *num.* 9. et communis aliorum; et ratio est, quia Jure naturali, et gentium licitum est ex rebus debitoris sibi satisfacere, seque indemnem reddere, quando aliter solutionem obtinere quis nequit. (3. Ad hoc autem, ut sit licita Compensatio occulta, requiruntur sequentes conditiones. Prima, ut debitum sit certum, idest, ut moraliter certo constet rem esse tuam, aut tibi ex justitia deberi; *l.* 4. *de compensat.* In dubio enim melior est conditio possidentis; *Regul.* 65. (4. *Juris in* 6. Secunda, ut debitum sit strictum, et proprie dictum debitum, idest quod sit res debita ex justitia, et non solum ex convenientia, et gratitudine, nam hæc non inducit stricte, et proprie dictum debitum. (5. Tertia, ut res non possit alia via recuperari, vel saltem non absque notabili molestia, aut expensis, vel amissione favoris, aut benevolentiæ, sive jactura honoris, ut v. g. si debitum sit quidem certum, et strictum, sed desint probationes; vel si habeantur, sine gravi tamen metu nequeant produci; *l.* 13. *ff. Quod metus causa.*

(6. Quarta, ut non fiat Compensatio in re alterius, sed in re ipsius debitoris, nam si fieret Compensatio in re alterius, tertius ille gravaretur. (7. Quinta, ut fiat sine periculo scandali, seu sine periculo damnificandi tertium, ne videlicet Compensatio alicui imputetur tamquam furtum, et cogatur indebite restituere. (8. Sexta, ut fiat sine periculo damnificandi ipsum debitorem, vel ejus hæredes; ne videlicet ab ipso debitore, vel ejus hæredibus tibi, vel tuis hæredibus idem debitum iterum solvatur; vel ne iose

Digitized by Google

debitor, aut sui hæredes putantes necdum esse solutum, maneant in conscientia peccati, nolendo solvere. (9. Septima, ut in Compensatione non plus accipiatur quam revera debetur : alioquin excessus ille esset contra justitiam, et consequenter in conscientia restituendus. (10. Octava, ut fiat sine præjudicio tertii, uti esset, si Compensatio fieret in re alteri v. g. locata, aut commodata; huic enim in tali casu fieret injuria, et præjudicium causaretur, si ante tempus expletum res locata, vel commodata eriperetur. (11. Et sic etiam in casu, quo essent alii creditores, quibus de jure deberetur anterior, vel partialis solutio; tunc enim si Petrus v. g. creditor sciat Paulum debitorem suum non posse solvere omnibus etiam aliis creditoribus habentibus æquale jus, non potest Petrus integrum debitum suum clam subducere Paulo, sed tantum pro rata. (12 Sic etiam in casu, quo tu non possis debitum a Rege obtinere, non potes illud tibi compensare, defraudando v. gr. gabellas venditas, seu locatas v. gr. Petro, quia hoc faceres in præjudicium ipsius Petri, cum compensares tibi non ex bonis Regis, sed ex bonis, quæ licet fuissent Regis, jam nunc ratione venditionis, seu locationis, essent Petri, qui solus, et non Rex damnum ex illa Compensatione sentiret; tum quia licet Petrus conducat, vel emat jus gabellarum, non ideo obligatio Regis transfertur in Petrum, sicuti ex eo quod conducas, vel emas agrum Pauli, et jus percipiendi fructus ex illo, non ideo obligationes Pauli transferuntur in te, ergo non ideo habebis jus compensandi ex gabellis, nisi quando istæ manebunt Regis. Sic Corduba *in Summa q.* 95. *dub.* 3. Reginald. *in praxi tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *num.* 383. Jacob. Graffius *in decis. aur. p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 125. *num.* 39. Sporer *tract.* 5. *in septim. et decim. Præc. decal. cap.* 5. *sect.* 3. *de occulta compensat. n.* 81. Claudius la Croix *tom.* 1. *lib.* 1. *tract.* 5. *num.* 970. et alii contra varios alios.

(13. Pro foro externo varia sunt dubia a Jure excepta, in quibus Compensatio non potest fieri, etiamsi adsint conditiones requisitæ ad occultam Compensationem, et alia via talia debita obtineri nequeant. (14. Primo v. g. Creditor quoad rem apud se depositam a debitore, non potest in foro externo Compensationem facere; *cap. Bona fides* 2. *de deposito*, ibi : « Sane depositori licuit, pro voluntate sua depositum revocare, contra quod Compensationi, vel deductioni locus non fuit; » ubi per ly *deductioni* intelligitur Compensatio ex parte; Glossa *verb. contra quod*, ubi dicit : « Quod nec in toto, nec in parte admittitur Compensatio contra depositum. » (1) (15. Secundo Creditor quoad rem sibi commodatam a debitore non potest in foro externo Compensationem facere; *l. fin. C. de Commod.* ibi : « Prætextu debiti, restitutio commodati non probabiliter recusatur. » (16. Licet enim varii hoc negent de Commodato, et concedant solum de Deposito, tamen est utrobique par ratio, quia sicuti depositum committitur soli fidei Depositarii, ita Commodatum soli fidei Commodatarii; immo fortius videtur obligare ipsum Commodatarium res commodata, quam Depositarium res deposita, quandoquidem magis obligatur quis pro eo, quod datum est in ipsius gratiam, et commoditatem, quam id quod datum, et acceptum est in alterius gratiam, et commodum. (17. Tertio Creditor non potest in foro externo Compensationem facere in rebus sui Debitoris, quas inique ex furto, rapina, fraude, et spolio occupat; *l. fin. Cod. de compensationib.* ibi : « Possessionem autem alienam perperam occupantibus Compensatio non datur. » (18. Quarto Creditor non potest in foro externo Compensationem facere in rebus, quas ex causa vectigalis, vel tributi debet Principi, vel Reipublicæ sibi debitrici; *l.* 3. *Cod. de compensationib.* (19. Pro foro tamen interno, seu conscientiæ supradictorum debitorum exceptio locum non habet, sed licite potest fieri Compensatio occulta etiam in omnibus dictis casibus. Et ratio est, quia de Jure naturæ, et gentium potest quilibet Creditor sibi de qualibet re debitoris satisfacere, quando aliter vel non nisi cum maxima difficultate, et summo incommodo potest satisfieri, adeoque in ipsis casibus non obstantibus Juribus positivis poterit Creditor etiam in Deposito, in Commodato, in Vectigalibus, et tributis, et in rebus alienis inique per rapinam, fraudem, et hujusmodi occupatis facere Compensationem. Non enim est credendum, quod in similibus casibus Jura positiva voluerint Creditores suo Jure privare in ordine ad consequenda sua credita, quia hoc esset eisdem noxium, et commodum inferret debitoribus, ne tenerentur satisfacere. *Sic communis Doctorum* (2).

(1) Contendit hic inter cætera Cl. Auctor præscriptum *cap. Bona fides* 2. *de deposit. et leg. final. C. de Commodato*; ut nempe non fiat Compensatio in re apud se deposita, aut sibi commodata; in solo foro externo locum habere; quæ fuit sententia Lessii, Layman, Navarri, aliorumque. At huic sententiæ refragatur sanior Theologorum pars edocens laudatas leges obstringere etiam in foro conscientiæ; cujus rei ratio valde, ut mihi videtur urget. Etenim agere contra fidelitatem, aut obligationem depositi, vel commodati, est quid illicitum jure naturæ, et in foro Conscientiæ prohibitum. Sed creditor qui ex re apud se deposita, vel sibi commodata compensaret, ageret contra fidelitatem, et obligationem profectam ex hujusmodi contractibus, uti patet. Ergo etc. Si quis vero Creditor, dum a Compensatione in re apud se deposita, aut sibi commodata prohibetur, velit sibi consulere retinendo rem depositam, vel sibi commodatam, donec quod sibi liquido debetur, consequatur, juxta *leg. Si non sortem* 26. §. *si centum de Condition. indebitis*, ita agendo peccare pronuntiare non ausim. (*Edit. Neap.*)

(2) Falsum est, in rebus alienis inique per rapinam, et furtum occupatis fieri Compensationem posse in foro Conscientiæ. Nam hæ debitoris non sunt, easque proprio domino restituere tenetur; ideoque ex re aliena compensaretur, quæ clamat ad Dominum suum; ut dicetur, ubi de furto disputabitur. Iniqua ergo hæc Compensatio erit, et obligationem secum ferre debet restituendi illam proprio domino. Falsum quoque est in foro Conscientiæ rem Debitoris depositam apud se, vel sibi commodatam

Digitized by Google

(20. Circa Compensationem, quam solent facere famuli, et famulæ surripiendo occulte de bonis Dominorum, ex quo judicent mercedem, seu salarium eorum non correspondere suo famulatui, et esse minus justo, absolute tenendum est, esse omnino illicitam, si famuli, vel famulæ absque certa, et evidenti cognitione simile judicium ferunt ex fundamento, sive apparenter, sive vere probabili tantum; hoc habetur clare, et expresse ex contraria doctrina damnata ab Innocentio XI *sub die* 2. *Martii* 1679. in sequenti propositione ordine 37. ex ibi damnatis : « Famuli, et famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.» (21. Et ratio est, quia ex dictis *sub num.* 3. prima conditio requisita ad licitam occultam Compensationem est, ut debitum sit certum; ergo non sufficit debitum solum probabile. In dubio enim, vel pari causa melior est conditio possidentis; *Regula* 65. *Juris in* 6. Unde cum Dominus sit in possessione suorum bonorum, iis a famulo, seu famula ob probabilem solum rationem privari nequit, quia possessio legitima tribuit Jus certum retinendi, quo spoliari ob rationes solummodo probabiles nemo potest; *arg. cap. Dilecto* 28. §. *fin. de V. S. l. Peregre* 44. *ff. de acquirend. posses.* (22. In damnatione supradictæ propositionis includuntur non solum famuli, et famulæ, sed etiam omnes illi, qui pro mercede, et salario operas, et servitium præstant, ut sunt opifices, seu artifices, Administratores, Consiliarii, Judices, Ministri, Secretarii, Belli duces, et hujusmodi; his enim omnibus est etiam illicita occulta Compensatio, nisi adsint omnes conditiones requisitæ ad justam et licitam Compensationem, et adductæ supra *a n.* 3. *usque ad* 12. Ita Cardenas in propositiones damnatas *dissert.* 23. *cap.* 1. *artic.* 3. ubi dicit, quod cum eadem sit ratio de istis ac de illis, consequenter idem debet esse judicium, et eadem juris dispositio; *arg. l. Illud, ff. Ad leg. Aquil.* (23. Si vero non solum probabiliter, sed certo, et evidenter constet, mercedem, seu stipendium famulis, vel aliis stipendio conductis, ac servientibus personis ex justitia debitum esse minus justo, tunc licitum est famulis, aliisque stipendio conductis uti occulta Compensatione, quia in simili casu famuli, aliique stipendio conducti accipiunt solum, quod suum est, vel saltem, quod eis certo debetur, nec alia via eis suppetit ad suum repetendum, nisi cum maximis incommodis, et periculis; ut videtur ordinarie evenire, quando famuli pro sua justa mercede obtinenda cum Dominis in judicio contendunt. Sic tenet Cardenas *in propositiones damnatas dissert.* 23 *c.* 1. *art.* 1. *num.* 38. Navarrus *Manual. cap.* 17. *num.* 172. Molina *disp.* 506. *num.* 5. Lacroix *loc. cit. n.* 971. et communis aliorum; *arg. l.* 6. *ff. de Compensationibus.*

(24. Sic etiam quando certum est, quod famulus invitus occupatur in aliis, ad quæ non est conductus, nec datur ei stipendium, quod juxta servitii proportionem ab aliis communiter dari solet, tunc licita est occulta Compens. (1) (25. Item licita est occulta Compensatio, quando herus vel stipendium promissum integre non solvit, vel si solvit, solvit in materia inferiori, et qua famulus non indiget, et cogitur eam vendere minori pretio, quam sit stipendium conventum. (26. Item licita est occulta Compensatio, si famulus fuerit invitus a Domino coactus, dolo, minis, etc. ad serviendum minori pretio infimo justo, vel minori pretio eo, quod communi dari solet aliis talia servitia præstantibus: in his igitur solum casibus, et totaliter consimilibus licita est occulta Compensatio. Cardenas *l. c.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 83. Molina *disp.* 506. Navarr. *in Manual. d. cap.* 17. et communis aliorum. (27. Unde Confessarius satis caute procedere debet cum se occulte compensantibus, et firmiter in praxi tenere, quod nisi evidenter, certo, et indubitanter constet stipendium, seu salarium esse injustum, numquam liceat famulis, aliisque mercede conductis, occulta Compensatio. (28. Nec in judicando, an stipendium, seu salarium sit evidenter, certo, et indubitanter injustum, standum est judicio ipsorum famulorum, cum isti in causa propria facile decipiantur; amor enim proprius facit sæpe credi evidens, quod dubium, aut vix probabile est. (29. Immo nec quantum ad hoc standum est judicio cujusvis obvii mediocriter docti Confessarii, sed debet inquiri vir valde doctus, multumque prudens, ac peritus in rebus similibus, ut omnibus pensatis judicet, an certum, et evidens sit, quod tale stipendium sit injustum, et sic licita sit occulta Compensatio. Difficillimum enim est judicare, quodnam sit stipendium, seu salarium certo, et evidenter injustum, ob varias circumstantias temporum et personarum, et consuetudines locorum, quæ possunt Compensationem illam occultam reddere illicitam. (30. Advertendum enim est, an adsint

accipere licere. « Ratio est, quia fieret contra fidelitatem, et obligationem depositi, vel commodati, « quod maximam fidem postulat, et contra conventionem saltem tacitam restituendi rem Domino; » ut animadvertit Antoine *in Tractat. de justitia, et jure Cap.* 3. *quæst.* 9. *num.* 3. qui conditionibus cæteris, quas ad occultam Compensationem, ut licita sit, Theologi requirunt, enumeratis, subdit : « Cum.... « rarissime omnes istæ conditiones concurrant, rarissime licita esse potest Compensatio occulta. » (*Nota Romani Theologi.*)

Nota Casinensis.

Veluti probabiliorem, communiorem et multo verriorem sententiam amplectimur illam, quæ habet, in deposito *compensationi*, in conscientiæ foro, dari locum. Primo quia frangenti fidem, uti fert effatum, non est servanda fides. Secundo quia nulla lege id est vetitum. Sed qui plura hac de re videre cupit, adeat Lugo. *disp.* 16. Less. Salmat. *Tr. XIII. de Rest. n.* 505.

(1) Nisi pactum intercesserit de minori mercede; nam posito hoc pacto, majus stipendium non deetur ut *num.* 33. exprimitur. Confer Antoine *loc. cit. resp.* 1. (*Nota Rom. Theologi.*)

Digitized by Google

alii, qui pro tali vili pretio, seu stipendio paratisint tale servitium præstare? (31. Item advertendum est, an tale servitium sit aliunde compensatum v. gr. per favores, per protectionem, per spem promotionis, et hujusmodi. (32. Item advertendum est, an famulus se potius ad inserviendum obtulerit, et Dominus suo servitio parum, aut nihil indiguerit, et potius in gratiam ejusdem ad servitium receperit. (33. Item advertendum est, an famulus conductus ab initio contractus cesserit Juri suo ad majus stipendium, et se contentum declaraverit stipendio convento; quia in his omnibus, et consimilibus casibus stipendium adhuc esset justum, quamvis solito minus, ut communiter fatentur Doctores.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

De Compensatione *occulta*, de qua hic potissimum agit Auctor, meum non est disserere. Consule tamen pro re nata Zamoran. *de Compensat. ad utrumq. for. pertinent.*

(35. Compensatio profluxit ex naturali æquitate primum; deinde in civili rationi. In hoc naturalis æquitas consistit, quod nostra interest potius non solvere, quam solutum repetere, et dolo agit, qui quod est restituturus petit. Civilis ratio in eo versatur, quod lites imminui Reipublicæ interest. Maestert. *De Compens. quæst.* 1. *n.* 1 *et* 2.

(36. Effectum Compensatio habet solutionis. (37. *L.* 4. *C. de Compensat.* Quo circa non tantum prior obligatio, sed et omnia ejus accessoria censentur sublata. Stryck. *in usu modern. Pandect. lib.* 16. *tit.* 2. §. 2. (38. Locumque ex hac ipsa ratione sibi vindicat Compensatio in processu executivo, tum etiam post rem judicatam in termino executionis. Stryck *in usu modern. Pandect. lib.* 16. *tit.* 2. §. 11. (39. Quinimmo pinguior Compensatio in eo est solutione, quod pupillo solvi nequit sine decreto magistratus; §. *ultim. institut. quib. alien. licet, vel non licet;*

(40. potest tamen opponi Compensatio. *L.* 1. §. 4. *ff. De Compensat. L.* 3. *C. eod. L.* 23. *C. de contr. tutel. action.*

(41. In primis autem, et ante omnia præsupponitur debitum utrinque liquidum. (42. Nota vero, quod ad sistendum cursum usurarum datur etiam Compensatio cum credito certo, sed non liquidato in principio, sed ex intervallo. Rota *in Romana Cambii* 1. *Martii* 1728. *cor. clar. mem. Calcagnin.*

(43. Alius pro alio non recte compensat. *L.* 18. §. 1. *ff. de Compensat.* (44. Limita tamen, si Tertii intersit Compensationem talem ex debito ejus fieri. (45. Quo fit, ut fidejussor opponere valeat Compensationem ejus, quod debet creditor, etiamsi vel maxime debitor non amplius solvendo sit, et concursus jam excitatus fuerit. Vide et alia exempla apud Stryck. *in usu modern. Pandect. l.* 16. *tit.* 2. *n.* 5.

(46. An cessionario obstet Compensatio, quæ obstabat cedenti, non est una omnium sententia. Distinguitur communiter, utrum cessio facta sit ex causa onerosa, an ex causa lucrativa; et an cessionarius agat tamquam Procurator in rem suam ex jure cedentis, an vero jure proprio, ita ut cessionario, qui ex causa onerosa jus creditoris sibi acquisivit, et actione utili agit, Compensatio objici non possit. (47. At Compensationem indistincte objici cessionario posse, tenent Franzk. *lib.* 1. *resolut.* 13. *fer. per tot.* Guid. Pap. *decis.* 567. *Thesaur. decis* 221. Afflict. *decis.* 84. *num.* 4 *et sequent.* (48. Hoc vero certum, si post factam cessionem cedens debere incipiat debitori cesso, Compensationi locum non esse, modo debitori cesso facta fuerit cessionis notificatio. Franzk. *l.* 1. *dict. resolut.* 13. *n.* 41. *et seq.*

(49. De Compensatione vide qui breviter, sed dilucide de ea agit, Maestert. *de compensat.*

COMPETENTIA PASTORALIS

ARTICULUS NOVISSIMUS.

SUMMARIUM.

1. 2. Competentia Pastoralis quid sit, et unde originem habeat. — 3. Qualis esse debeat. — 4. Determinatio hujus Competentiæ ut arbitrio judicis fiat, necesse est. — 5. Quænam judex in hac determinatione attendere debeat. — 6. Hujusmodi assignatio de jure favorabilis dicenda est. — 7. Unde judex debet potius inclinare ad Partem Congruam Vicariorum. — 8. Hæc assignatio est causa alimentorum. — 9. Quinam modus procedendi in hac causa servandus sit. — 10. Quomodo adjudicetur Competentia Pastoralis, si contingat in ejus assignatione oriri aliquam difficultatem. — 11. Competentia Pastoralis an tolli possit transactione vel conventione. — 12. 13. An talis conventio sive transactio successoribus præjudicare possit. — 14. Competentia Pastoralis nec compensatione elidi potest. — 15. Onus assignandi Competentiam decimis inhæret et reale est. — 16. Clausula in unionibus Ecclesiarum Parochialium cum decimis adjecta. — 17. Competentia debet esse sufficiens pro tot Presbyteris, quot ad curam animarum requiruntur. — 18. Quando Competentia æstimanda sit sufficiens ex mente Synodi Tridentinæ. — 19. Hinc Parochus petere potest augmentum, si Competentia sufficiens non sit Presbyteris, quos sibi in administrandis Sacramentis adjungere debet. — 20. Ad quid teneatur Parochus postulans Competentiæ augmentum. — 21. 28. Quomodo providendum sit Ecclesiis Parochialibus, si nequeat sufficienter provideri per Beneficiorum simplicium unionem. — 29. Diœcesanis districte inhibetur, ne præsentatum aliquem ad Ecclesiam aliquam admittant, nisi intra certum terminum ipsi præsentato fuerit coram eis Congrua de proventibus Ecclesiæ Portio assignata. — 30. Episcopi est, omni modo allaborare, ut Competentia assignetur, non tantum ipso Parocho, sed etiam tot Presbyteris, quot necessarii sunt, ut Parochiæ necessitati decenter satisfiat. — 31. Immo ad Competentiam agere possunt et ipsi Parochiani.

(1. Cum circa sæculum X. contigerit, ut quibusdam in locis Ecclesiæ Parochiales Canonicorum et Monachorum Collegiis incorporarentur, et Canonici ipsi ac Monachi

Digitized by Google

plerique abdicata a se cura illarum Parochialium Ecclesiarum, eam in Presbyteros, quos Vicarios dixere, transtulerint; ordinatum fuit, ne defectu sustentationis, Ministri hujusmodi curam negligerent, ut ex Decimis, aliisque proventibus per tales incorporationes ad Monasteria, vel similia Corpora devolutis, tantum ut minus detraheretur, et eorum possessores dare cogerentur, quantum curæ animarum debite exercendæ requireretur.

(2. Hæc Portio ex Decimis, aut aliis proventibus Ecclesiasticis Ministris Ecclesiarum Parochialium curam sustinentibus subministranda, vocatur communiter *Portio congrua*, quasi, scilicet congruens illi cui assignatur, idest proportionata illius necessitatibus; et venire nomine *Competentiæ Pastoralis*, apud omnes compertum est.

(3. Portionem Congruam sive Competentiam Pastoralem debere esse talem, quæ Presbyterorum Parochialium Ecclesiarum curam gerentium, ipsiusque Parochiæ necessitati decenter sufficiat, evincunt universa Ecclesiæ Decreta.

(4. Porro cum hæc sufficientia a temporum, personarum, et locorum diversitate plurimum dependeat, neque generaliter, quid sufficiat, decerni queat, sed ex pluribus factis frequenti mutationi obnoxiis judicandum sit; necesse est, ut determinatio Portionis Congruæ sive Competentiæ Pastoralis arbitrio judicis fiat, qui omnibus rite expensis statuat, quid hic et nunc sustentationi Presbyterorum et Parochiæ necessitati succurrendæ decenter sufficiat.

(5. In determinatione hujus Competentiæ, observat post Canonistas Johannes Tournet, quod judex attendere debeat qualitatem partium, situm locorum, quantitatem proventuum, amplitudinem Parochiæ, numerum Parochianorum, onera ordinaria et extraordinaria aliasque similes circumstantias; quæ omnia variis Judicum sententiis confirmata videntur.

(6. In quantum Portio Congrua sive Competentia Pastoralis desumitur ex Decimis intra limites Parochiæ excrescentibus, negari nequit, quin de jure favorabilis dicenda sit hujusmodi assignatio. Ita Wamesius *Cons.* 452. *num.* 9. cui unanimiter consentiunt Canonistæ.

(7. Itaque notat Rebuffus Tractatu *de congrua Portione n.* 82. quod judex debeat potius inclinare ad Partem Congruam Vicariorum quam ad possessorum Decimarum.

(8. Assignationem Portionis Congruæ sive Competentiæ Pastoralis esse causam alimentorum, extra dubium est.

(9. Porro si in causa alimentationis ex notorio jure et praxi summarie et per provisionem sit procedendum, vel magis in hac causa hic procedendi modus servandus erit. Ita Rebuffus *eodem Tractatu n.* 54. *et Tractatu de sententia provisionali in Præfatione n.* 30.

(10. Competentia Pastoralis adjudicatur per modum provisionis, si contingat in

ejus assignatione oriri aliquam difficultatem.

(11. Competentia Pastoralis transactione vel conventione tolli minime potest, nullo quippe facto effici potest, ut non dentur necessaria alimenta Parocho, aliisque in vinea Domini laborantibus.

(12. Conventio sive transactio super Competentia, si fiat quandoque Decimatores inter et Vicarios privata auctoritate, successoribus præjudicare nequit, quin ea non obstante majorem Competentiam petere queant.

(13. Si vero transactio auctoritate Superiorum interveniente legitime inita et firmata fuerit, ea quidem ad successores transibit; sed nequaquam ita ipsos ligabit, quin circumstantiis probabiliter mutatis Portionis Congruæ, augmentum petere queant. Ita Rebuffus, qui ulterius monet, quod ille idem Vicarius, qui super Portione Congrua convenit, possit augmentum ejusdem petere, si notorie appareat illum Vicarium nunc ex illis vivere non posse.

(14. Sicut per transactionem, sive quamcumque conventionem tolli nequit Competentia, eo quod necessariæ alimentationis loco sit; ita eamdem ob causam nec compensatione elidi potest.

(15. Onus assignandi Portionem Congruam sive Competentiam Decimis inhæret, et reale est.

(16. Proinde in unionibus seu incorporationibus Ecclesiarum Parochialium cum Decimis ac proventibus ad eas spectantibus solet adjici hæc similisque clausula: « Reservata tamen de fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus pro Vicario perpetuo in eis instituendo Congrua Portione, ex qua idem Vicarius commode sustentari valeat, jura Episcopalia solvere, et alia sibi incumbentia onera supportare. » Rebuffus *ad Reg. Cancell. De Unionibus gloss.* 11. *n.* 16.

(17. Portio Congrua sive Competentia debet esse sufficiens pro tot Presbyteris, quot ad curam animarum Parochiæ requiruntur.

(18. Proinde ex mente Synodi Tridentinæ nequaquam Competentia sufficiens erit, si non sufficiat tot intertinendis Sacerdotibus, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum.

(19. Hinc patet, Parochum sive Vicarium perpetuum petere posse augmentum Portionis Congruæ, tametsi hæc quam habet, sibi quidem sufficiat, sed nequaquam sufficiens sit Presbyteris, quos sibi in administrandis Sacramentis, et cultu divino celebrando pro multitudine Parochianorum, aut latitudine Parochiæ adjungere debet.

(20. Parochus postulans Competentiæ augmentum, ut plures sibi Presbyteros adjungere queat, hoc unum ostendere debet, quod in Ecclesia sibi concredita populus ita numerosus sit, ut nec ipse, nec hi, qui modo adjuncti sunt, sufficere possint Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo; tametsi forsan ejus Prædecessores vel soli, vel cum uno alterove adjuncto Presbytero, curam animarum sustinuerint.

Digitized by Google

(21. Si per Beneficiorum simplicium unionem Ecclesiis Parochialibus sufficienter provideri nequeat, vult Synodus Tridentina, *Sess.* 24. *c.* 13. *de Reformatione* : « Ut Primitiarum aut Decimarum assignatione, aut per Parochianorum symbola ac collectas, aut qua commodiori Episcopo videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro Rectoris, ac Parochiæ necessitate decenter sufficiat. »

(22. Et quidem quod ad Primitias attinet, cum hodie non alia quam voluntariarum oblationum loco habeantur, atque inter voluntaria oblationes recenseantur, merito in assignanda Competentia Pastorali, earum ante Decimas ratio habetur. Neque enim dubium quin oblationes, et quæ oblationum nomine veniunt, magis proprie ad Parochum, quam Decimæ pertineant; uti monet Zypæus *l.* 3. *De Consult. Can. Consult.* 3. *De Parochiis n.* 14.

(23. Ac propterea si oblationes alteri quam Parocho competant, prius ratione harum oblationum ad Congruam Portionem sive Competentiam is tenetur quam Decimarum possessor, ac prius oblationes Parocho vindicandæ : quæ si non sufficiant, tum demum ad Decimas recurrendum.

(24. Hoc vero intelligendum est de oblationibus, quæ ex solo privilegio, aut præscriptione ad Pastores, ver. gr. primitivos transierunt, et quæ secluso privilegio aut præscriptione et voluntate offerentium et Jure communi ad Parochum spectarent; qualia esse solent ea, quæ in Defunctorum inhumationibus offerri sive donari solent; secus vero de oblationibus, quæ ex voluntate offerentium in alium pium usum offeruntur. Hæ enim nullatenus in Parochorum Competentiam convertendæ videntur.

(25. Licet omnibus Decimis indifferenter onus Competentiæ Pastoralis videatur inhærere, atque cum hoc onere ad suos transiisse possessores; tamen indubitatum est, quod et inter Decimas nonnulla sint, quæ speciali titulo præ reliquis huic oneri sunt subjectæ, eo quod proprius et specialius ad Parochos pertineant.

(26. Hac ratione Decimæ novales, cæteris paribus, prius Parocho addicendæ sunt, et ad Competentiam possessoribus excutiendæ, quia proprie Parochorum sunt, ac difficilius quam veteres Decimæ a Parocho ad alios transferuntur. Ita Zypæus *loc. cit. Consult.* 3. *de Parochiis n.* 5.

(27. Quoad Decimas non novales seu veteres, ante alias Competentiæ, seu Congruæ Portioni obnoxiæ sunt, quæ ultimo loco ab Ecclesia Parochiali decisæ.

(28. Hinc inter decimarum possessores ante reliquos ad Competentiam ordinarie tenentur hi qui dicuntur primitivi Pastores, qui solent possidere ipsas Ecclesias Parochiales incorporatas cum Decimis et proventibus sub expressa conditione assignandi Vicario Congruam Portionem, si ipsi per se curam earum Ecclesiarum non habeant.

(29. Præterea de Jure communi in *Clem.* 1. *de Jure Patronatus*, Diœcesanis sub obtestatione Divini judicii districte inhibetur, « ne præsentatum aliquem per quamcumque personam Ecclesiasticam jus præsentandi ad Ecclesiam aliquam habentem admittant; nisi intra certum terminum competentem per Diœcesanos ipsos præsentantibus præfiendum, ipsi præsentato fuerit coram eis Congrua de proventibus Ecclesiæ Portio assignata : quam si iidem præsentantes intra terminum ipsum assignare neglexerint, ne factum eorum noceat præsentato, statuitur, ut ex tunc Diœcesani debeant præsentatum (nisi aliud Canonicum obstet) admittere, et in pœnam præsentantium, ad Diocesanos ipsos potestas assignationis hujusmodi devolvatur. »

(30. Cum Episcopo incumbat providere, ut Ecclesiis Parochialibus de sufficientibus et idoneis ministris provideatur; immo et ipsis injungat Synodus Tridentina, ut per Beneficiorum unionem, aut Primitiarum, vel Decimarum assignationem, aut qua commodiori ei videretur ratione curet, ut tantum redigatur, quod pro Rectoris ac Parochiæ necessitate decenter sufficiat, dubitari nequit, quin Episcopi sit, omni modo allaborare, ut Competentia assignetur non tantum ipsi Parocho, sed etiam tot Presbyteris, quot necessarii sunt, ut Parochiæ necessitati decenter satisfiat, et cura animarum laudabiliter exerceatur.

(31. Immo ad Competentiam agere possunt et ipsi Parochiani : « Quia sua interest, inquit Zypæus *dicto loc. Consult.* 6. *n.* 2. bonum habere Pastorem, eumque commodius sint semper inventuri, si dos detur liberalis. »

COMPLEX PECCATI.

SUMMARIUM.

1. Confessarii, ac Sacerdotes quicumque, sive Sæculares, sive Regulares, nequeunt absolvere suos Complices in peccato contra sextum Decalogi præceptum, nisi in articulo mortis, et tunc solum in defectu alterius Confessarii. — 2. Confessarii extra dictum mortis articulum illos absolventes incurrunt Excommunicationem Papæ reservatam. — 3. Et tales Confessiones sunt invalidæ, irritæ, ac nullius valoris. — 4. An Confessarii nequeant etiam absolvere suos Complices in quocumque alio peccato mortali, non carnali. — 5. Complex ordinarie Confessario manifestari non potest; potest tamen Confessarius interrogare necessaria ad Confessionem, quamvis per accidens veniret in notitiam Complicis. — 6. Potest autem Pœnitens nominare Complicem, si nec apud alium Confessarium, nec aliter possit integre confiteri. — 7. Confessarius cogere potest pœnitentem ad peccatum Complicis, vel cujuscumque alterius manifestandum illi, ad quem spectat scire, et emendare, vel cavere periculum relapsus, aut alienæ seductionis, seu propriæ gravis damnificationis. — 8. Non expedit tamen ordinarie Complicem moneri per Confessarium; quod si aliter fieri non possit, expedit illum a Pœnitente manifestari extra Confessionem. — 9. Si Complex absque necessitate manifestet peccatum Complicis Confessario, illud probabilius est materia sigilli. — 10. Complex an, et quando teneatur, et possit fateri, seu re-

Digitized by Google

velare Complicem; *ad n.* 12. — 13. Ad id attendenda est novissima Constitutio Benedicti XIV. *ad n.* 18.

(1. Confessarii, ac Sacerdotes quicumque, sive Sæculares sive regulares, nequeunt absolvere suos Complices in peccato contra sextum Decalogi præceptum, nisi in articulo mortis, et tunc solum in defectu alterius Confessarii. Sic novissime statuit Benedictus XIV. *Constit.* incip. *Sacramentum pœnitentiæ.* (2. Confessarii extra dictum mortis articulum audentes illos absolvere incurrunt Excommunicationem Papæ reservatam. Idem *ibidem.* (3. Et tales Confessiones sunt invalidæ, irritæ, ac nullius valoris. Idem *ibidem.*

(4. An Confessarii nequeant etiam absolvere suos Complices in quocumque alio peccato mortali, non carnali? Attendendæ sunt peculiares Constitutiones cujuscumque Diœcesis, ac Provinciæ. In Provincia Mediolanensi Concilio Provinciali VII. *tit. de Sacramento Pœnitentiæ vers. Qui criminis alicujus*, expresse prohibetur, ne Confessarius socius, aut particeps alicujus criminis, seu culpæ mortalis Complicem audiat in Confessione, ibi: *Interdictum sciat sibi munus audiendi Confessiones illorum, quos socios, etc.* cui concordat Mediolanensis Diœcesana Synodus undecima, *titulo: Monita executionis Decretorum, quæ ad Sacramentalia, vers. Confessario*, ubi non solum adimitur Confessario facultas, et jurisdictio absolvendi suos Complices in peccato mortali, sed insuper, si eos audiat, vel absolvat, subditur Excommunicationi Episcopo reservatæ; sic etiam in hac Alexandrina Diœcesana Synodo celebrata anno 1732. *titul. de Sacramento Pœnitentiæ in fine* expresse habetur: « Tandem monemus Parochos omnes, et Confessarium quemlibet, ademptam eis esse facultatem absolvendi Complices in quocumque peccato mortali. » Quod valde expedit ubique decerni, ac observari, cum in similibus Confessionibus factis Confessario Complici soleat deficere pœnitentium verecundia, pudor, dolor, ac propositum, immo ex ipsis sumant occasionem liberius peccandi; sic recte Bonacina *de Sacramento Pœnitentiæ disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 5. *n.* 11. expresse concludens, non posse Confessarios absolvere suos Complices in quocumque peccato mortali, etiam non carnali, quia *in cit.* Concil. Provinciali VII. et Synodo Diœcesana XI. Mediolanensi, ut etiam *in cit.* Alexandrina Diœcesana Synodo *de anno* 1732. habentur verba generalia comprehendentia omnia peccata mortalia, nec distinguentia inter mortalia carnalia, et non carnalia; verba autem generalia generaliter sunt intelligenda, et ubi

(1) Si Confessarius ex hac sua interrogatione, si scilicet Pœnitens in occasione proxima versetur, provideat se forte in cognitionem Complicis venturum, cur non posset ei conditionate loqui, injungendo quæ remedia v. g. adhibenda sint, si occasio est proxima, quæ si remota, quin exquirat utrum in proxima revera sit an in remota? Nonne ita et Complicis famæ et pœnitentis simul necessitati consulitur? (*Edit. Casin.*)

— 19. Affertur *Constit.* Benedicti XIV. incip. *Apostolici muneris.* — 20. Alia ad rem *Remissive.*

lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; *cap. Quia circa* 22. *de privileg. l. De pretio* 8. *ff. de publiciana in rem action. l. Non distinguemus* 32. *ff. de receptis Arbitr. l. Præses.* 3. *ff. de Officio Præsidis.*

(5. Quamvis Complex ordinarie Confessario manifestari non possit, ut tradunt Doctores communiter, ex quo sit naturale præceptum servandi famam proximi; potest tamen Confessarius interrogare necessaria ad Confessionem, v. g. an Pœnitens sit in occasione proxima, licet ita venturus sit in cognitionem Complicis: per accidens enim est, quod hujus peccatum etiam manifestetur. Stephanus *tract.* 5. *d.* 5. *n.* 162. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1144. et alii passim (1).

(6. Potest autem Pœnitens manifestare Complicem Confessario, si nec apud alium Confessarium, nec aliter possit integre confiteri, ut docent S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, Suarez, Vasquez, Lugo, aliique XX. gravissimi Auctores apud Joann. Sanchez, *d. num.* 9. et tradimus nos sub verb. *Pœnitentiæ Sacramentum art.* 2. *n.* 89. *et* 90, docendo cum Scoto, S. Bernardo ac plurimis aliis ibi citatis, non excusari ab integritate materiali Confessionis infamiam propriam, aut Complicis apud solum Confessarium. Vide *ibi.*

(7. Confessarius cogere potest Pœnitentem ad peccatum Complicis, vel cujuscumque alterius manifestandum illi, ad quem spectat scire, et emendare, vel cavere periculum relapsus aut alienæ seductionis, vel propriæ gravis damnificationis. Sic Doctores communiter cum Lugo *de Sacramento Pœnitentiæ disp.* 16 *a n.* 431. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1144. Cum enim quisque teneatur, quantum potest, gravia mala Reipublicæ, aut proximi impedire: nec possit Pœnitens in tali casu, ut supponitur, aliter impedire talia gravia mala, nisi manifestando Complicem, ad id tenetur (2).

(8. Quod si talia gravia mala, et damna timeantur a Complice, et Pœnitens non possit ea impedire, sed solus Confessarius, tenetur manifestare Confessario Complicem, quod expedit fieri extra Confessionem, ne reddatur apud Complicem, aut alios odiosa Confessio. Unde recte Mendo *dis.* 10. *q.* 5. *num.* 116. Lugo *loc. cit. num.* 435. La Croix *loc. cit. num.* 1144. 1752. *et* 1918. et alii passim, merito docent, non debere Confessarium per se corripere, seu manifestare Complicem ex licentia Pœnitentis; et si non possit id fieri per alium, expedire, ut potius petet a

(2) Verum quidem est, teneri aliquando pœnitentem Complicem manifestare: cum malum aliquod avertendum sit magnum. At Confessario licitum nequaquam est correctionis faciendæ causa. Quid ergo facere debet in casu Confessarius? Pœnitenti imponet, ut alicui, qui malum posset avertere, revelet: Confessario non est permissum dicere. *Revela mihi.* (*Edit. Casin.*)

Digitized by Google

Pœnitente, ut extra Confessionem de hoc sibi loquatur.

(9. Si Complex absque necessitate manifestet peccatum Complicis Confessario in Confessione, illud probabilius est materia Sigilli. Mendo *dis.* 10. *n.* 120. *et* 140. La Croix *loc. cit. num.* 1949. cum Suarez, et Aversa ibi allegatis, et aliis. Et ratio est, quia illud peccatum Complicis manifestum est Confessario ex intrinseca occasione Confessionis, et tamquam aliquid ad eam aliqualiter pertinens; tum quia fieri potest, ut occasione revelati peccati Complicis possit veniri in notitiam peccati Pœnitentis, adeoque Confessarius tenetur ad illius Sigillum.

(10. Complex delicti non tenetur, nec jure potest revelare Complicem, si omnino occultus sit, nec aliis indiciis, aut testimoniis convinci possit. P. Navarr. *l.* 2. *cap.* 4. *num.* 173. Layman *lib.* 3. *de justitia tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 8. Lessius *lib.* 2. *cap. ult. dub.* 15. Busemb. citatus, et secutus a La Croix *lib.* 4, *num.* 1521. *in fine.* (11. Si tamen vi tormentorum coactus Complicem revelet, ordinarie non peccabit. La Croix cum Busemb. *loc. citat.* cum aliis allegatis. (12. Si autem crimen sit exceptum, videlicet in publicam perniciem tendens, ut hæresis, proditio, falsatio monetæ, veneficium, latrocinium, tenetur Complicem etiam non rogatus revelare. Layman *loc. cit. vers. Nisi crimen*, Reiffenstuel *de Confess. malef. memb.* 2. *in princip.* La Croix cum Busemb. *loc. citat. num.* 1521. *in fine*, ubi addunt, quod si nolit revelare secundum Navarr. non sit absolvendus.

(13. Complices, seu socii criminis a pœnitentibus revelari non debent; Benedictus XIV. *tom.* 1. *Constitut.* 134. incip. *Suprema*; neque ad revelanda Complicum nomina pœnitentes obligari possunt a Confessariis denegata absolutione, sub gravissimis pœnis, ut patet ex altera *Constitut.* ejusdem Pontificis incip. *Ubi primum*, in qua confirmat priorem illam incip. *Suprema* adversus Confessarios exquirentes a Pœnitentibus in Sacramentali Confessione Complicum nomina, et merito reprobat, ac damnat tanquam scandalosam, et perniciosam, ac tam famæ proximorum, quam ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad Sacrosancti Sigilli Sacramentalis violationem, atque ab ejusdem Pœnitentiæ Sacramenti tantopere proficuo, et necessario usu Fideles abalienantem, nuper in Regnis Portugalliæ et Algarbiorum introduci cœptam praxim exquirendi in Sacramentali Confessione a pœnitentibus socios criminum habentibus ipsorum sociorum nomina, et habitationis locum, ipsisque denegandi, nisi revelent, Sacramentalem absolutionem.

Ad quam tam detestabilem praxim eliminandam solicitam mandat Ordinariis omnibus vigilantiam, tam contra Confessarios omnes, sive Sæculares, sive Regulares, quam contra quoscumque alios cujusvis status, gradus, conditionis, dignitatis et ordinis, etiam speciali, individua mentione, et expressione dignos, qui ausi fuerint in posterum docere licitam esse hujusmodi praxim, vel scribere aut loqui in ejusdem damnatæ praxis defensionem, vel ea, quæ in dicto Brevi incip. *Suprema*, contra eamdem praxim decreta sunt, impugnare, aut in alios sensus temere detorquere, seu interpretari; ipsosque omnes sic temere audentes declarat incidere ipso facto in excommunicationem, a qua præterquam in articulo mortis, a nemine quam a Romano Pontifice pro tempore existente, possint absolvi; dictosque Confessarios ut supra, delinquentes, statuit Suspensioni ab Officio audiendarum Confessionum, aliisque etiam gravioribus pœnis fore insuper subjiciendos.

Præterea decernit, quod contra docentes, et defendentes licitam esse talem exitialem, et damnatam praxim, vel ejusdem reprobationem impugnantes, aut perverse interpretantes, procedatur in Officio S. Inquisitionis, non minus ac contra illos procedi solet, qui asserunt, tradunt, ac tuentur opiniones scandalosas, perniciosas, et uti tales a Sede Apostolica rejectas, et condemnatas, sicque ipsi omnes severissime puniantur. Similiter in eodem S. Officio procedi mandat contra Confessarios quoscumque ut supra delinquentes, ac de nomine Complicis Pœnitentem interrogantes, eidemque Pœnitenti, nisi illud sibi manifestaverit, absolutionem denegantes; dummodo tamen ex circumstantiis de adhæsione ad prædictam damnatam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate tales Confessarii suspecti reddantur, et si ut supra culpabiles reperti fuerint, pro criminum qualitate, et circumstantiis, suspensionis ab Officio Confessiones audiendi, vel etiam ab executione Ordinum, privationis Beneficiorum, Dignitatum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, et passivæ, si Regulares fuerint, aliisque pœnis mulctentur

Insuper mandat, quod quicumque aliquem unq ex supradictis modis deliquisse cognoverint, eum intra terminum dierum in Edictis S. Officii præfigi solitum, eidem S. Officio denunciare teneantur, alioquin pœnas non denunciantibus per eadem Edicta infligi consuetas, incurrant. Ab hoc autem onere denunciandi justis de causis eximit Pœnitentem in causa propria; id est in casu, quo a Confessario adigatur ad sibi manifestandum nomen Complicis in eodem peccato, relicto tamen ei onere dictum Confessarium denunciandi, si aliunde, quam ex propria, ut dictum est, Confessione, noverit ipsum aliquo ex superius numeratis, et a S. Officio denunciandi modis deliquisse.

Quod si Confessarius Pœnitentem de Complicis nomine perperam interrogans, absolutionemque ei, ni sibi detegatur, denegans, de prava credulitate, vel de mala adhæsione ad supradictam damnatam praxim, tamquam ad licitam ex circumstantiis suspectus non reddatur, tunc istiusmodi delictum, neque denunciationis oneri, neque S. Officii cognitioni subjectum esse declarat; sed de illo cognoscere, atque in delinquentem Confessarium per suspensionem ab audiendis Confessionibus, vel alias Canonicas, et legitimas pœnas pro delicti modo animadvertere,

Digitized by Google

ad locorum Ordinarios in sua cujusque Diœcesi mandat omnino spectare.

Cum autem prædictas suas Apostolicas Literas, utpote ad Lusitaniæ Regnorum, atque Ditionum opportunitatem accommodatas, et pro eisdem solummodo emanatas, generalis definitionis, et legis vim, auctoritatemque habere, ab aliquibus temere negaretur, ipse Summus Pontifex Benedict. XIV. non ignorans etiam alibi irrepsisse dictam perniciosissimam praxim, alia sua provida Constitutione incip. *Ad eradicandam*, edit. 28. Septembr. 1746. sic expresse declarat : « Ideo Nos motu proprio, atque ex certa scientia hujus nostræ generalis sanctionis tenore, ac de Apostolicæ potestatis nostræ plenitudine easdem præinsertas Literas iterum confirmantes et roborantes decernimus, et declaramus memoratam praxim in se ipsa, et ubique locorum, ac temporum, Apostolica auctoritate reprobatam, atque damnatam esse, et censeri debere; nec ulli licitum esse contra doctrinam in præfato nostro Brevi contentam docere, scribere, aut loqui, eamque impugnare aut perverse interpretari, vel ipsi actu contraire, sub pœnis adversus tuentes, asserentes, aut tradentes opiniones scandalosas, perniciosas, et uti tales a Sede Apostolica rejectas, et condemnatas, et respective adversus contrafacientes mandatis Apostolicis, et Ecclesiasticis sanctionibus, statutis, atque præscriptis. »

19. Hinc juvat adducere, utpote scitu summe necessariam, declarationem Constitutionis incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*, de qua supra *num.* 1. editam ab eod. Pontif. Bened. XIV. *tom.* 1. *Constitut.* 120. incip. *Apostolici muneris*, et est tenoris sequentis.

BENEDICTUS PP. XIV.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Apostolici muneris partes in procuranda præcipue rerum sacrarum pura, illibataque penitus administratione versari debere probe intelligentes, non modo et assiduis hortationibus, et justa, ubi res postulat, legum severitate, ut ab Ecclesiasticis quibusque Ministris Sancta sancte tractentur, quantum cum Domino possumus, providere studemus; verum etiam leges ipsas, ne forte sinistris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportune communire, ac roborare, pro earumdem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non prætermittimus.

§ 1. Sane cum Nos alias per quamdam nostram Constitutionem, cujus initium est : *Sacramentum Pœnitentiæ*, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo Kalendis Junii Pontificatus nostri Anno Primo editam, omnibus, et singulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, interdixerimus, et prohibuerimus, ne aliquis eorum, extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus

obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ Complicis in peccato turpi atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commisso, excipere auderet; ita ut absolutio, si quam impertivisset, nulla, atque irrita omnino esset, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, et facultate ad valide absolvendum necessaria, ipsi per Nos vigore ejusdem Constitutionis adempta, privatus existeret, et alias prout in memorata Constitutione, cujus tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum Nos subinde super ea dictæ Constitutionis parte, quæ mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse accepérimus, quarum resolutionem privato cujusque judicio relinquendam minime existimamus, ne lex incertis conjecturis, et opinionibus jactata, in sensus a mente Nostra alienos forsitan distrahatur, ejusque vigor paulatim langueat, atque enervetur.

§ 2. Hinc est, quod nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino possumus, de medio auferre cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratam Constitutionem nostram, cum omnibus, et singulis in ea contentis, tenore præsentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integre, penitus et omnino, atque ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari præcipimus et mandamus. Præterea habita super his cum Venerabili Fratre Nostro Vincentio Episcopo Prænestino Sanctæ R. E. Cardinali Petra nuncupato Pœnitentiario Nostro Majori, ac dilectis Filiis Officii Pœnitentiariæ Apostolicæ Ministris, qui rem jussu Nostro mature perpenderunt, deliberatione, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus edicimus, ac declaramus, eadem Constitutione singulis, ut supra, Sacerdotibus quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in prædicto turpi peccato Complicem confitentem audire, atque ab hujusmodi quoque culpa rite contritam absolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit; ita interdici re ipsa, et prohiberi prædicto modo tunc audire, et absolvere, ut si alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo Sacerdos fuerit, sive alias ad Confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse Sacerdos simplex Confessionem excipere, ac absolutionem impertiri.

§. 3. Porro, si casus urgentis qualitas, et concurrentes circumstantiæ, quæ vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam constitutæ in dicto articulo personæ confessionem vocari, aut accedere, sine gravi aliqua exoritura infamia, vel scandalo nequeat; tunc alium Sacerdotem perinde haberi, censerique posse, ac si revera abesset, atque deficeret; ac proinde in eo rerum statu non prohiberi socio criminis Sacerdoti absolutionem pœnitenti ab eo quo-

Digitized by Google

que crimine impertiri. Sciat autem Complex ejusmodi Sacerdos, et serio animadvertat, fore se reipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus prædictam nostram Constitutionem inobedientiæ, latisque in ea pœnis obnoxium, si prædictæ infamiæ, aut scandali pericula sibi ultra ipse confingat, ubi non sunt : immo intelligat, teneri se graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere, vel removere opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius Confessionis, absque ullius infamia, vel scandalo audiendæ. Ita enim ipsum teneri vigore memoratæ nostræ Constitutionis declaramus, et nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus, et præcipimus.

§. 4. Quod si idem Sacerdos, aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit, aut, ubi infamiæ, vel scandali periculum timetur, si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personæ in dicto crimine Complicis, eoque in articulo, ut præfertur, constitutæ sacramentalem Confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla, sicut præmittitur, necessaria causa cogente, præsumpserit, quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte pœnitentis dispositiones a Christo Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requisitæ non defuerint. Non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam jurisdictionem auferre, ne in hac ipsa occasione aliquis pereat. Nihilominus Sacerdos ipse violatæ ausu ejusmodi temerario legis pœnas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta Constitutione, majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis, et huic Sanctæ Sedi reservatam, incurrere declaramus, volumus atque statuimus. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quæ in præfata nostra Constitutione voluimus non obstare cæterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem, etc.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Februar. 1745. Pontificatus Nostri anno Quinto.

D. Cardinalis Passionеus.

(20. Alia ad rem, vide verb. *Moniales art.* 1. *num.* 18. verb. *Pœnitentiæ Sacramentum n.* 89. 90. et infra verb. *Confessarius art.* 4. *n;* 22. *ad* 28 (1).

CONCEPTIO B. M. V.

ARTICULUS NOVUS CASINENSIS.

SUMMARIUM.

1. De peccato Originali, ejusque discrimine ab actuali. — 2. A generali humani generis infectione peccati originalis eximenda B. V. Maria. — 3. Distinctio intra Conceptionem Activam et Passivam. — 4. Non est sermo de Activa Conceptione, sed de Passiva tantum, et firmatur quænam sit quæstio. — 5. 7. Triplex Piæ Sententiæ expositio. — 8. Quibus Testimoniis probatur Immaculata Conceptio. — 9. Quid notandum pro Sacræ Scripturæ Testimoniis in favorem Piæ Sententiæ adductis. — 10. Sacræ Scripturæ Testimonia Immaculatam Conceptionem faventia. — 11. De Traditione Apostolica. — 12. Sanctorum Patrum nomina, qui de Immaculata Conceptione disserunt, per sæcula distributa. — 13. De Theologis ac Doctoribus qui a sæculo XIII. illam propugnarunt. — 14. Testimonia Conciliorum Generalium et Provincialium idem suadentia. — 15. De celebri Concilii Basileensis Decreto. — 16. Quomodo etiam a Summis Pontificibus facto adprobatum. — 17. De Concilio Tridentino ejusque Decreto. — 18. Summorum Pontificum Testimonia. — 19. Sixiti IV. Constitutiones de Immaculata Conceptione. — 20. A Summis Pontificibus statuta pro Immaculata Conceptione. — 21. Constitutio Sixti V. — 22. Sæculo XVII. quid a Pontificibus actum pro Pia Sententia. — 23. Constitutio Alexandri VII. — 24. De censuris circa quæstionem Conceptionis. — 25. Pontifices sæculi XVIII. — 26. Concessiones a Gregorio XVI. factæ. — 27. Academiæ Parisiensis statutum. — 28. De cæteris Academiis et Ordinibus Religiosis. — 29. De festo Conceptionis ejusque Officio. — 30. Numisma Conceptionis B. M. V.

(1. Cum omnis de Immaculata Virginis Mariæ Conceptione quæstio a quæstione pendeat de Originalis peccati lege, quæ pro omnibus asseritur constituta, sed non pro Maria, antequam illam propugnaturi aggrediamur, hanc saltem innuere necessarium ducimus. « Est peccatum (inquit D. Anselmus), quod quisque trahit cum natura in ipsa sua origine : et est peccatum, quod non trahit cum ipsa natura, sed ipse facit illud, postquam est persona discreta ab aliis personis. Illud, quod trahitur in ipsa origine, vocatur Originale ; quod potest etiam dici naturale, non quod sit ex essentia naturæ, sed quod propter ejus corruptionem cum illa assumitur. Peccatum autem, quod quisque facit, postquam persona est, hoc est sui juris, et arbitrii, Personale potest nominari, quia vitio personæ fit. » S. Ansel. *lib de conceptu Virgin. et Orig. pec. cap.* 1. (2. Fide insuper tenendum est (Trident. *sess.* 5.) Adæ prævaricationem sibi et ejus propagini nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam eum sibi et nobis perdidisse ; per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis in omne genus humanum transfudisse, necnon peccatum, quod mors est animæ ; dicente Apostolo. « Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. » *Rom. c.* 5. *v.* 12. Tamen a generali

(1) Quoad Compositionem super legatis relictis Fratribus Minoribus. Vide verb. *Legatum a n.* 97. *ad* 100. Quoad Compositionem debitorum cum creditoribus. Vide verb. *Restitutio art.* 5. *a n* 30. *ad* 35. *et a num.* 41. *ad* 59. De Compromisso quoad arbitros, vide verb. *Arbiter per tot*, et quoad electionem verb. *Electio art.* 1. *a n.* 14. *ad* 31.

Digitized by Google

hac humani generis infectione peccati eximenda est B. Dei Genitrix Maria ; ut *declarat ipsa Sancta Synodus* Tridentina, *non esse*, scilicet, *suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam Immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem* ; et constitutiones Sixti IV. hac de re innovat ; *l. c.*

(3. Scholastici distinguunt inter Conceptionem Activam et Passivam. Activa illa est, in qua Beati Virginis Parentes « opere maritali invicem convenientes præstiterunt ea, quæ maxime spectabant ad ipsius corporis formationem, organizationem et dispositionem ad recipiendam animam rationalem a Deo infundendam. Ipsa autem animæ infusio et unio cum corpore debite organizato, vulgo nominatur Conceptio Passiva, quæ scilicet fit illo ipso instanti, quo rationalis anima corpori omnibus membris, ac suis organis constanti unitur. » Sic cum Frassen. Benedictus XIV. *De festis B. Virg. M. cap.* 15. Huic consona est altera distinctio, qua Conceptio una *Inchoata* vel *seminalis appellatur ;* altera *Consummata*, quæ *Vitalis sive Animalis* et *Naturarum* etiam dici potest. Utramque breviter explicat Innocentius III. *lib.* 1. *de contempt. mundi cap.* 4. aiens : « Est duplex Conceptio, una seminum et altera Naturarum. Prima fit in commissis, secunda fit in contractis. Parentes enim committunt in prima, Proles contrahunt in secunda. »

(4. Hic vero non est sermo de activa Conceptione, sed de passiva tantum, nec ideo de Inchoata, seminali seu Carnali, quæ rationalis animæ infusionem præcedit. Nam fatendum omnino est, B. Virginem in hac sui Conceptione nec contraxisse, nec contrahere potuisse Originale peccatum formaliter et in se, sed tantum radicaliter et in causa, sive in debito. Qua propter B. Virgo in hujusmodi Conceptione nec sanctificata fuit, nec formaliter potuisset sanctificari ; quia sola rationalis Creatura est proprium subjectum peccati, et Gratiæ Sanctificantis. Immo BB. Virgo ante Animæ infusionem nec virtualiter quidem et in radice fuit sanctificata in semine vel in Parentibus : quia non est in semine qualitas aliqua, ratione cujus sit velut instrumentum physicum ad Originale Peccatum inducendum in Animam, ut hac ratione intelligi possit veluti mundari semen, et ita Prolem in illo, tamquam in radice sanctificari. Neque Parentibus Deiparæ Virginis indita fuit a Deo aliqua specialis Gratia, ex qua necessario consequeretur præservatio et Sanctificatio Prolis. Et hujusmodi Sanctificationem, ante Animæ infusionem repellere potissimum satagerunt primores illi Scholastici, Alexander de Hales, Albertus Magnus in *III. sententiar. defin.* 3. et D. Thomas *Summ. part.* 3. *Quæst.* 27. Hæc porro accurate distinguenda fuerunt, ne quod antiqui Scholastici de Sanctificatione B. Virginis in Conceptione activa et seminali negabant, de passiva Conceptione et de ipsa Animatione intelligatur. Præsens igitur quæstio est de B. Virginis Conceptione Passiva, vel Consummata seu Vitali, quæ fit per infusionem Animæ in corpus ; an scilicet in hac ipsa Conceptione B. Virgo fuerit a Deo sanctificata, sanctificatione præservante ipsam a peccato Originali. Vel ut in Alexandri VII. Constitutione *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* habetur : An Dei Genitricis Anima in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus, fuerit, speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum J. Christi, ejus Filii, humani generis Redemptoris, a macula Peccati Originalis præservata. »

(5. Pia Immaculatæ B. Virginis Conceptionis sententia triplici modo exponi potest ; quorum primus est quorumdam Antiquorum, qui, cum Originale peccatum per morbidas qualitates explicarent, Piam Sententiam sic exponebant : « Quamvis peccatum Originale sit in anima, in carne tamen est quædam qualitas, vel infectio morbida, ratione cujus ex conjunctione Animæ ad Carnem, habentem formaliter talem morbidam qualitatem, contrahitur peccatum Originale. Cum igitur ipsa qualitas morbida sit aliud ab ipsa Carne, potuit virtute Divina conservari talis massa Carnis, ne inficeretur, et si esset infecta, potuit mundari ante infusionem Animæ ; ut si quantum est ex parte Generantium, fuerit Caro immunda et morbida, in se tamen, virtute Divina mediante, facta est Immaculata et Munda ; ut sic ex unione Animæ ad ipsam non contraheretur in Anima peccatum Originale. » Sic apud Durandum et Paludanum *in* 3. *dist. quæst.* 1. Hunc ferme modum declarandi, tuendique Piam sententiam, posteriori tempore usurparunt Gab. Biel, Marsilius ab Ingen, Judocus Clichtoveus, aliique nonnulli ; at nobis non satis probatur, quia nec morbidæ illæ qualitates probantur.

(6. Altera sententia magno plausu a recentioribus Theologis recepta et propugnata asserit : B. Virgini cum cæteris Adæ Filiis minime communem fuisse legem illam seu pactum quod pepigit Deus cum primo Parente, de Justitia et Sanctitate in ejusdem posteros transfundenda vel non, prout ipse obediens, vel contumax fuisset ; sed secorsum omnino ab Adami merito, propter dignitatem Matris Dei et merita Christi, fuisse ad sanctitatem prædestinatam ; atque adeo nec peccasse in Adamo, nec Debitum proximum contraxisse Originalis peccati incurrendi, multoque minus ipsum incurrisse peccatum. Debitum tamen remotum in B. Virgine non negant, ea dumtaxat ratione, quod cum esset Adæ Filia, ab ipso per naturalem propagationem descendens, eamdem cum cæteris sortem subire debuerat, ut in illa communi lege comprehenderetur. At huic Suarez cum Vasq., Bellarmino, Raynaudo repugnans, vult : « Quemlibet prudentem Theologum et Dominæ nostræ valde affectum, debere non inclinare ad illud extremum (*negandi videlicet in B. Virgine Originalis peccati debitum*), quoniam ad honorem Virginis nihil refert, neque ejus Immaculatæ Conceptionis veritatem juvat ; præbetque occasionem adversariis dicendi, non posse nos Immaculatam Conceptionem defendere, nisi declinando ad

Digitized by Google

opiniones, vel censura dignas, vel diminuentes Christi Redemptionem, vel saltem apparentiam talem habentes. » *Tract.* 5. *de peccat. disp.* 9. *de peccat. Orig. post section.* 4.

(7. Tertia denique piæ sententiæ expositio, eamque defendendi ratio, est : B. Virginem inclusam quidem fuisse in illa Dei lege, seu pacto cum Adamo inito de transfundenda Justitia et Sanctitate in posteros ex merito Adami, et idcirco peccasse in Adamo, quatenus per ejus peccatum amisit jus ad Justitiam et Sanctitatem habendam (et hoc intelligunt *peccare in Adamo*), consequenter in se ipsa, et non in semine tantum vel in Parentibus contrahisse Debitum Justitia et Sanctitate carendi, atque ita Originis peccatum incurrendi. Verum tamen ex gratia et privilegio singulari, intuitu meritorum Christi, B. Virginem, futuram ejus Matrem, ipsum Deum prævenisse, ne in ea debitum illud, quod ex Adamo contraxerat, haberet effectum; largiendo nimirum Animæ B. Virginis in prima sui Creatione et Conjunctione cum Corpore, veram Justitiam et Sanctitatem, quam ex Adami merito non erat acceptura; et sic eam ab Originali peccato incurrendo, immunem servasse.

(8. Quamvis non uno, eodemque modo Doctores Immaculatam B. Virginis Conceptionem tueantur, tamen in eo conveniunt, quod B. Virgo in primo Conceptionis instante ab Originali peccato fuerit immunis; idque Sacræ Scripturæ testimoniis, Apostolicæ Traditionis documentis, SS. Patrum, Conciliorum, RR. Pontificum et Academiarum sententiis probant. Nos ex his quædam tantum speciali nota digna in medium afferemus. (9. Obiter tamen notandum est, in Scripturis Sacris nullum adesse testimonium expressum, clarum, et indeclinabile pro Immaculato Virginis Conceptu, hoc enim si afferre possemus, non solum pie et recte existimari hoc diceremus, sed hæretici habendi essent, qui contra sentirent. Bellarmin. *Lib. 4. de amiss. grat. et statu peccati c.* 15. *n.* 12. Sed nèque Adversarii aliquod hujusmodi testimonium proferre valent. Secus enim errasset Sedes Apostolica, Concilio Tridentino assentiente, declarans *erroneum esse* hæresis insimulare Piam Sententiam. Neque ab ipsis alia producuntur S. Scripturæ testimonia, nisi generalia quædam, ex quibus Originalis macula in humanum genus ex Adæ peccato transfusa colligitur; vel virtualia tantum, in quibus Christi Domini Redemptio omnibus necessaria prædicatur. Insuper a Piæ Sententiæ defensoribus plura exhibentur Sacræ Scripturæ testimonia, quæ sensu mystico accepta, non equidem ad demonstrandam, at saltem ad illustrandam, et efficacius insinuandam Immaculatam Virginis Conceptionem quam maxime faciunt. Porro hi mystico sensu bene quidem utuntur, quemadmodum Christus ipse, *Matth. XII.* 40. *Johan. III.* 14. Evangelistæ, *Matth. II.* 15. 17. *et Johan XIX.* 36. et Apostolus Paulus *ad Gal. IV.* 2. 3. 4. *et ad Hebr. IX.* cum Judæis agentes, veteris Testamenti locis,

sensu mystico intellectis usi sunt, non ad incredulos redarguendos, sed pluries ad fidei mysteria declaranda, et plausibili ratione eorum veritatem comprobandam. At non pauca ex iis Scripturæ testimoniis, quæ a Pia parte proferuntur, non in sensu mystico, sed etiam aliquo sensu literali afferuntur, et si non ita clare, ut convincant, adeo tamen congruenter, ut suadeant. (10. Inter cætera quæ producuntur testimonia hæc sunt principaliora. *Genesis III.* 14. 15. « Et ait Dominus Deus ad serpentem..... Inimicitias ponam inter te et Mulierem, et semen tuum et semen illius; tu insidiaberis calcaneo ejus, et Ipsa conteret caput tuum. » *Psalm.* 45. *v.* 5. 6. « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei; sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio ejus non commovebitur, adjuvabit eam Deus mane diluculo. » Præclara sunt, quæ in *Cantic. Canticor.* habentur *c.* 2. *v.* 2. « Sicut Lilium inter spinas, sic Amica mea inter Filias; » *cap.* 4. *vers.* 7. « Tota pulchra es, Amica mea, et Macula non est in te; » et *cap.* 6. « Una est Columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ et beatissimam prædicaverunt..... Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol. » In Isaia pariter *cap.* 11. « Et egredietur Virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. » Item *Lucæ I.* 28. ubi dicitur : « Et ingressus Angelus ad eam, dixit : Ave, gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus. » Quoad alia Scripturæ Sacræ Testimonia, et de modo, quo Immaculatæ Conceptioni applicantur, vide Salazar, Herminier, Ambros. Catharinum, Plazzam, nec non Emi S. R. E. Cardinalis Lambruschinii opus hac de re absolutissimum, quod vir præstantissimus, tot tantisque publicis detentus negotiis, pari sapientia ac pietate conscriptum ac universali omnium plausu exceptum nuper in lucem edebat. Confer etiam Johan. Scotum, P. Aureolum, Andream, Natalem, Mayron, Liranum, Carav. penes quos etiam S. Scripturæ Testimonia invenire est ab adversariis allegata, eorumque confutationem.

(11. Nunc quid de hac quæstione senserint Patres videamus. Confitendum est, duobus primis Ecclesiæ sæculis nihil hac de re actum fuisse; attamen hujusmodi silentium quin adversetur, rei nostræ quam maxime favet, quid censendum est, ea ætate hoc indubie ab omnibus et singulis Christi fidelibus fuisse habitum. Nam BB. Virgo peculiari quadam devotione venerabatur, et omnium privilegiatissima, cui numquam similis visa est, causa Divinæ maternitatis habebatur. Hinc si ab aliquo quocumque Doctore de immunitate ab Originali peccato B. Virginis Mariæ unquam dubitatum foret, ejusdem defensionem cæteri susciperent, de qua re aliqua extaret memoria : qua deficiente censendum est, numquam de hujus rei veritate fuisse dubitatum. Hujusmodi oppositionis fundamentum est præclara illa Litera, qua a Presbyteris et Diaconis Achajæ referuntur

Digitized by Google

hæc S. Andreæ verba : « Et propterea quod ex immaculata terra creatus fuerat primus homo, necesse erat, ut ex Immaculata Virgine nasceretur perfectus homo, quo filius Dei, qui ante condiderat hominem, vitam æternam, quam perdiderant homines, repararet. » Lambruschini in prælaudato opere *sull' Immaculato Concepimento di Maria.* § 18. 19. (12. Sunt tamen Auctores, qui ut Traditionis Apostolicæ seriem numquam interruptam demonstrent in hac materia, a primo Christi sæculo incipiunt, et præter Literam allatam, referunt testimonium Liturgiæ S. Jacobi Apostoli, quæ extat initio *part.* 1. *tom.* 2. *Bibl. maxim. PP.* et initio *tom.* 2. *Bibl. PP. GL. pag.* 5. 6. Ex Sæculo secundo afferunt testimonia SS. Justini Philosophi et Irenæi, *Dialog. cum Tryphon. tom.* 2. *part.* 2. *Bib. M. PP. pag.* 95. *et lib.* 3. *advers. hæres. Valentini cap.* 33. *p.* 300. *part.* 2. *tom.* 2. *Bibl. M. PP. et lib.* 5. *cap.* 19. *pag.* 353. *ibid.* Ex Sæculo III. S. Hippolyti Episcopi Portuensis, Origenis *homil.* 1. *in Matth. cap.* 1. *Cum. esset desponsata, et hom.* 3. *in Matth. cap. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph.* SS. Gregorii Neocæsariensis, Dionysii Alexandrini, Methodii. Ex Sæculo IV. SS. Ephrem Syri, *de Divinis nominib. cap.* 12. Basilii Magni *homil. in Christ. Nativit. pag.* 597, *edit. Paris.* Epiphanii Ambrosii (1) *lib.* 2. *in cap.* 2. *Luc. Ecce Ancilla Domini.* Hieronymi *Comment. in c.* 10 *Ecclesiast. Væ tibi terra.* Gregorii Nysseni, *hom.* 13. *in Cant.* Sophronii Senioris, et S. Johannis Chrysostomi. Ex Sæculo V. D. Augustini *Lib. de natur. et gratia cap.* 36. *n.* 42. præclara illa verba : « Excepta itaque Sancta Virgine, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum; quæ concipere, ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes

illos Sanctos et Sanctas, etc. » Insuper SS. Maximi Taurinensis, Cyrilli Alexandrini, Procli Patriarchæ, etc. Petri Chrysologi *Serm. de annunciat. B. M. V.* Basilii Seleuciensis, Jacobi Sarugensis et Sabbæ Abbatis, *in Menæis Græc.* 2. 3. 5. *Januar. et* 12. *Februar.* Ex Sæculo VI. S. Fulgentii, Anastasii Sinaitæ, Aratoris S. R. E. Subdiaconi, et Timothei Episcopi Hierosolymitani. Ex Sæculo VIII. Testimonium SS. Sophronii Junioris, Andreæ Hierosolymitani, Hildephonsi Toletani. Ex Christi Sæculo VIII. Germani Patriarchæ CP. *Orat. in annunciat. B. V. pag.* 88. *sui Marialis*, S. Johannis Damasceni *Orat.* 2. *de Assumpt. B. M.* Ven. Pauli Diaconi, et B. Flacci Albini, seu Alcuini. Ex Sæculo IX. Haymonis Episcopi Halberstatensis, S. Petri Argorum Episcopi, et Theophanis Ceramei Episcopi Thauramenitani. Ex Sæculo X. quod obscurum appellant, nullum est testimonium invenire, præterquam Leonis VI. Orientis Imperatoris, cognomento Sapientis seu Philosophi in *Orat.* 3. *de Annunciat. B. V. pag.* 50. *sui Marialis*, et Johannis Geometræ. Non ita ex duobus sequentibus, nam Sæculo XI. hujusmodi B. Mariæ privilegium satis aperte tradiderunt S. Fulbertus Episcopus Carnotensis, Petrus Damianus S. R. E. Cardinalis, *Serm. de Annunciat. B. V. M.* Michael Psellus Junior, dictus Philosophus, S. Anselmus Cantuariensis *Tract. de Concept. passiv. et Lib. de Concept. Virgin.* (sed magna dissensio est inter AA. an genuini D. Anselmi fœtus sint censendi) ejusque discipulus Eadmerus, S. Bruno Carthusianorum institutor, Jacob Monachus Græcus, S. Bruno Astensis, Episcopus Signiensis. Et Sæculo XII. Ven. Hildebertus Archiepiscopus Turonensis, B. Ivo Carnotensis, Rupertus Abbas Tuitiensis, Honorius Augustodunensis Ecclesiæ Presbyter, Hervæus Benedictinus Monachus, Auctor Sermonum super Antiphonam *Salve Regina*, B. Hugo. de S. Victore, Richardus a S. Victore, Arnoldus Carnotensis Abbas Bo-

(1) Divo etiam Ambrosio a Doctissimo P. Joh. Bapt. Federici (*La Immaculata Concezione della B. V. M. comprovata a' sentimenti dei SS. Padri, nel rincontro di un Inno attribuito al Dottore S. Ambrosio*) tribuitur Hymnus, *Quis possit*, qui extat in Cod. MS. n. 420. Archivi Casinensis, quo utebantur ejusdem Archisterii Monachi in Divino officio. Codex porro ille asseritur conscriptus sæculo IX. vel X. ut patet ex characterum forma qua tempore Caroli Magni veteres utebantur, et Hymnus S. Ambrosii nomen præfert. Codicis auctoritatem, et Hymni authenticitatem satis demonstrat laudatus Federici Casinensis Tabularii custos *l. c.* Quod ad nos pertinet in præfato Hymno luculentum habetur testimonium Immaculatæ Conceptionis in 4. stropha. Quoniam vero in Romanæ Ecclesiæ Hymnariis desideratur, illum hic per integrum subnectimus.

Quis possit amplo famine præpotens
Digne fateri præmia Virginis,
Per quam veternæ sub laqueo necis
Orbi retento reddita vita est!
Hæc, Virga Jesse, Virgo puerpera,
Hortus superno germine consitus,
Signatus alto munere fons sacer,
Mundum beavit viscere cælibi.
Hausto maligni primus ut occidit
Virus Chelydri terrigenum parens;
Hinc lapsa pestis per genus irrepens
Cunctum profundo vulnere perculit.
Rerum misertus sed Sator, inscia
Cernens piacli viscera Virginis,
His ferre mortis crimine languido
Mandat salutis gaudia sæculo.
Emissus astris Gabriel innubæ
Æterna portat nuntia Virgini:
Verbo tumescit latior æthere
Alvus replentem sæcula continens.
Intacta mater, Virgoque fit parens,
Orbis Creator ortus in orbe est,
Hostis pavendi sceptra remota sunt,
Toto refulsit lux nova sæculo.
Sic Virginalis vincula permanent
Prodit pudoris dum thalamo potens;
Mansere clausæ arctius ut fores,
Intrante demum quos sera vinxerat.
Hoc signat ædis janua non patens,
Quam celsa Vatis visio prodidit
Soli tremenda pervia Principi,
Mansura nempe clausa perenniter.
Sit Trinitati gloria unicæ
Virtus, potestas, summa potentia,
Regnum retentans, quæ Deus unus est,
Per cuncta semper sæcula sæculi. Amen.

(*Edit. Casin.*)

Digitized by Google

nævallis D. Bernardi discipulus, Venerabilis Gerholdus Præpositus Richerspergensis, Beatus Ogerius Abbas Lucedii, Petrus Comestor, Petrus Blesensis, Ecbertus Abbas S. Florini, Nicolaus Monachus S. Albani, et Petrus Episcopus Carnotensis. Sæculo XIII. B. Petrus Paschasius in *Opuscul. de Mysteriis et Sanctitate B. M. V. contra Judæos, prænotat. Biblia. parva tit.* 23. *de Matris Dei Virginitate* n. 71. Sæculo XIV. Ven. Engelbertus Abbas Admontensis, S. Birgitta in suis *Revelationibus*, Raymundus Jordanus. Sæculo XV. SS. Vincentius Ferrerius, Bernardinus Senensis, Johannes Capistranus, Laurentius Justinianus, Ven. Dionysius a Rihel Carthusianus. Sæculo XVI. S. Thomas a Villanova, Franciscus Borgia, Ludovicus Bertrandus. Sæculo XVII. S. Franciscus Xaverius. Sæculo denique XVIII. S. Alphonsus de Ligorio, et B. Leonardus a Portu Mauritio.

(13. Quoad Theologos vero, et Doctores dici potest absque falsitatis nota, quod a Sæculo XIII. quo in Scholis hujusmodi quæstio exagitari cœpit, ad Sæculum XV. usque Pia sententia defensores obtinuit præclarissimos, quos inter Johannes Duns, Petrus Aureolus, Franciscus de Mayronis, Gulielmus de Rubione, Antonius Andreas, Hervæus Natalis, Nicolaus de Lira, Johannes Taulerus, Petrus de Ally, Johannes Gersonius, Tostatus Abulensis, Nicolaus de Cusa, Gabriel Biel, Johannes Trithemius, Vasquez, Salmeronius aliique quos Eminentissimus Lambruschini in laudato opere § 52. commemorat. Adversæ nihilominus Sententiæ propugnatores non defuerunt, sed auctoritate, numero, atque doctrina longe inferiores, et eorum præcipui Egidius Columna, Henricus Gandensis, Durandus a S. Pontiano, Alvarus Pelagius, et Gregorius Ariminensis. A sæculo autem XV. usque in hanc diem, paucis exceptis, non est inter Theologos, qui nostræ sententiæ nomen non dederit. *Ibid.* § 53. 54.

(14 Sanctorum Patrum Testimoniis, Conciliorum et Synodorum generalium, necnon Provincialium adnectimus Testimonia. Et quamvis Provincialia et Episcopalia Concilia, Sedis Apostolicæ Auctoritate non munita, firmam fidem non faciant; nisi tamen a Sancta Sede fuerint rejecta, probabilissimum subministrant veritatis argumentum. Primum in hac re testimonium est Epistola Synodica S. Dionysii Episcopi Alexandrini ad Paulum Samosatenum anno 260. *tom.* 1. *Concilior.* sequitur Homilia S. Procli Ciziceni ad Concilium Ephesinum spectans circa annum 431. dein Concilium Lateranense sub Martino I. celebratum an. 649. his verbis: « Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur proprie, et secundum veritatem, Dei Genitricem, Sanctam, semperque Virginem, et Immaculatam, etc. » *Can.* 3. *tom.* 7. *Concilior.* Epistola Synodica S. Sophronii Hierosolymitani lecta et adprobata in VI. Synodo Generali *tract.* 10. *tom.* 7. *Concil.* Concilium Francofordiense, in epistola Synodica ad Hispaniæ Præsules anno 794. Concilium Provinciale Oxoniense in Anglia a. 1222. Statuta Synodalia Ecclesiæ Cameracensis a. 1310. Concilium Provinciale Londinense a. 1328. Synodus Suessionensis a. 1334. Synodus Cæseraugustana celebrata anno 1368. Concilii Generalis Basileensis Decretum editum anno 1438. his verbis: (15. « Elucidantibus Divinæ Gratiæ mysteria, mercedem gloriosam repromisit æterna Dei Patris Sapientia, dum ait: *qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* (Eccl. 24. 31.) Quod etiam de Gloriosa Virgine, quæ ipsam Patris Sapientiam, Dei filium Æternum, in utero pertulit Sacrosancta legit Ecclesia. Nam quidquid de dignitate, et sublimitate Virginis Matris educitur in lucem, hoc, non dubium est, ad laudem, et honorem Filii pertinere. Et qui honorificant Gratiam, et Sanctitatem Matris, honorificant, et elucidant gloriosum Nomen Filii ejus, qui ipsam sanctificavit, et replevit Gratia. Unde si in cæteris rebus elucidatio veritatis, quæ a Domino Deo est, præclara merita parturit; in ea re specialiter fructus uberrimos afferre speranda est, quæ Sanctificationem, et Dedicationem Templi illius concernit, in quo ante Sæcula, antequam terra fieret, et ab æterno sibi mansionem ordinavit prima, et æterna Veritas. Id quoque maxime congruit, ut pax habeatur in quæstionibus concernentibus Sanctitatem illius, per quam pax diffusa est in terris. Hactenus vero perdifficilis quæstio in diversis Partibus, et coram hac S. Synodo, super Conceptione ipsius Gloriosæ Virginis Mariæ, Matris Dei, et exordio Sanctificationis ejus, facta est: quibusdam dicentibus, ipsam Virginem, et ejus Animam per aliquod tempus, aut instans temporis subjacuisse actualiter Originali Culpæ; aliis autem e converso dicentibus, a principio creationis suæ, Deum, ipsam diligendo, gratiam eidem contulisse, per quam a Macula Originali illam Beatissimam Personam liberans, et præservans, sublimiori Sanctificationis genere redemit, cum *fundaret* eam *Altissimus ipse*, et ipsam fabricaret Filius Dei Patris, ut esset Mater ejus in terris.

« Nos vero, diligenter inspectis auctoritatibus, et rationibus, quæ jam a pluribus annis, in publicis relationibus ex parte utriusque doctrinæ, coram hac Sancta Synodo allegatæ sunt, aliisque etiam plurimis super hac re visis, et matura consideratione pensatis; doctrinam illam disserentem, Gloriosam Virginem, Dei Genitricem Mariam, præveniente, et operante Divini Numinis gratia singulari, numquam actualiter subjacuisse Originali Peccato, sed Immunem semper fuisse ab omni Originali, et Actuali Culpa, Sanctamque, et Immaculatam; tamquam Piam, et Consonam Cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectæ Rationi, et Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, et amplectendam, definimus, et declaramus, nullique de cætero licitum esse, in contrarium prædicare, seu docere. Renovantes præterea institutionem de celebranda Sancta ejus Conceptione, quæ tam per Romanam, quam per alias Ecclesias, sexto Idus Decembris, antiqua, et laudabili consuetudine, celebratur; statuimus et ordinamus, eamdem celebritatem præfata die in

Digitized by Google

omnibus Ecclesiis, Monasteriis, et conventibus Christianæ Religionis sub nomine Conceptionis, festivis laudibus colendam esse : cunctisque Fidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ea die Missarum solemniis, centum, primis autem, vel secundis vesperis, totidem, sermoni vero Verbi Divini de ea festivitate interessentibus, centum quinquaginta dies, concessione perpetuis temporibus duratura, de injunctis sibi pœnitentiis hæc Sancta Synodus largitur. » *Sess.* 36. *col.* 393. *tom.* 17. *Concil.* Eo tempore de Immaculata B. Virginis Conceptione acerrime inter Theologos digladiebatur; quapropter Patribus hujusce Concilii visum est ea de re in Synodo agi oportere, et Johanni de Turrecremata tunc S. Palatii Apostolici Magistro, mandarunt, ut quinam esset controversiæ status scripto declararet, suumque proferret judicium. Paruit Synodo Turrecremata, sed omnis adempta fuit occasio expendendi quæ ille scripserat, nam Cardinalis S. Angeli Legatus Pontificis, Concilio præsidens, dixit Patres majoribus esse curis distentos, ut tantam rem possent discutere. Hinc factum, ut eo tempore, quo Decretum illud edidit Concilium, jam non amplius legitimum, sed schismaticum erat Conciliabulum, quia gravissimis impulsus causis, Eugenius Ferrariam transtulerat Generale Concilium. Attamen Decretum illud Concilii Basileensis amplexata est Provincialis Synodus Avenione habita an. 1457. itidemque Universitas Parisiensis; « Et si non fuerit eo tempore ibi auctoritas Synodi, erat tamen auctoritas Virorum doctorum, ac sapientium. Nec parvi est momenti, Concilium illud, quod ad hanc determinationem attinet, a nonnullis Nationibus esse receptum; quodque magnopere est considerandum, non reclamante Summo Pontifice, et Sede Apostolica minime reprobante. » Ambrosius Catharinus in *disput. pro verit. Immaculat. Conception. B. V. M. ad Sanctam Synodum Tridentinam.* (16. Denique hoc idem Decretum ab Ecclesia, ejusdemque Rectoribus vel tacite vel expresse adprobatum est. In Basileensi enim Decreto definitum est ac declaratum, Doctrinam de Immunitate B. Virginis ab Originali peccato amplectendam esse; primo *tamquam Piam;* et Alexander VII. non alio nomine eam doctrinam indigitat, quam *Piæ Sententiæ;* secundo tamquam *Consonam cultui Ecclesiastico*, et hujusmodi Consonantiam inculcant Sixtus IV. Gregorius XV. et præfatus Alexander VII. tertio tamquam *Consonam Fidei Catholicæ, Rectæ Rationi, et Sacræ Scripturæ;* et hanc Consonantiam, nisi cognovisset Concilium Tridentinum, non excepisset suo Decreto de peccato Originali *Beatam et Immaculatam V. Mariam Dei Genitricem*, nec tot Pontifices in defensionem, favorem et exaltationem hujus doctrinæ, tot ac tam graves edidissent Constitutiones. Præterea declaravit Concilium : *Nulli de cætero licitum esse, in contrarium prædicare, seu docere*; et hoc quoque severius præstiterunt Paulus V. Gregorius XV. Alexander VII. Demum Concilium Basileense Festum Conceptionis B. M. Virginis, ex consuetudine antea celebratum, renovavit, mandavitque omnibus Eccles is sub *nomine Conceptionis esse colendum;* et fidelibus illud celebrantibus Indulgentias quasdam indulsit : et hæc omnia uberius executi sunt Sixtus IV. Gregorius XV. Alexander VII. Clemens XI.

(17. Concilium denique Œcumenicum Tridentinum anno 1545. celebratum de Immaculata Conceptione his verbis loquitur *Sess.* 5. « Declarat tamen ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato Originali agitur, Beatam et Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, sed observandas esse Constitutiones fel. record. Sixti Papa IV. sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat. » Non abs re erit huc referre, quæ Cardinalis Pallavicinus in sua præclara *Historia Concilii Tridentini lib.* 7. *c.* 3. *n.* 8. literis mandavit; nempe Cardinalem de Giaen, cum de peccato originali ageretur, proposuisse; ut tandem definitivam haberet Sententiam controversia de Conceptione B. Mariæ V., sed id nonnisi ægre a Patribus exceptum, qui se non ita otio abundare asserebant, ut ad ea, quæ ad Catholicam Fidem non spectarent, intendere possent. Eodem *lib. cap.* 7. acres exponit controversias inter Patres exagitatas ex Decreto de peccato Originali. Cardinalem Pacecum sententiam dixisse, ut ad universalem propositionem, qua omnes homines declarabantur peccato Originali obnoxii, ea adderentur verba. « De B. Virgine declarat S. Synodus, se nihil definire, etsi credit, eam sine originali labe esse conceptam. » Alii addi desiderabant : « Prout magis pie a majori parte Ecclesiæ, vel a multis creditur, B. Virginem non esse conceptam in peccato Originali. » Nonnulli requirebant : « imponi silentium, ut deinceps contra illam nullus audeat prædicare. » Alii vero responderunt : « si non adfertur præjudicium B. Virgini, » vel, « dum non præjudicetur Conceptioni. » Immo Episcopus Claromontanus pronuntiavit : « de Conceptione placeret, quod absolute diceretur, B. Virginem conceptam esse sine Peccato Originali. » Curtenbrosch. *Acta Concil. Trident. Sess.* 4. sed initis suffragiis Patres noluerunt contrariæ Sententiæ præjudicium ferre, quapropter editum est Decretum verbis superius allatis. Vid. Ambros. Catharinum in disputatione pro « Veritate Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ ad sanctam Synodum Tridentinam, præfat. »

(18. Summorum Pontificum Piæ sententiæ faventium seriem exordimur a Sixto IV. non quod antecessores Pontifices ab hac sententia alieni fuerint, vel Immaculatæ Conceptionis cultum ignoraverint, sed quia primus Sixtus multis præsentibus Doctissimorum Virorum disputationibus, Apostolicis Constitutionibus Immaculatæ Conceptionis cultum firmum, ratumque habuit in universa Ecclesia; Piamque sententiam ab omni censura vindicavit, et sartam tectam esse declaravit. Ejusdem verba hic referre juvabit, nam in prima Constitutione Conceptionis Festum Auctoritate

Digitized by Google

Apostolica solemniter instituit, eidem Missam et Officium designat, indulgentias et peccatorum remissionem proponit; in altera vero plura damnantur, quæ adversus Piam sententiam intendebant. Constitutione prima edita III. Kal. Martii anno 1471. ita loquitur Pontifex.

SIXTUS PAPA IV.

(19. Cum præcelsa meritorum insignia, quibus Regina cœlorum, Virgo Dei genitrix gloriosa, sedibus prælata ætherels, syderibus quasi stella matutina prærutilat, devotæ considerationis indagine perscrutamur, et intra pectoris arcana revolvimus, quod ipsa, (utpote via misericordiæ, Mater gratiæ, et pietatis, Amica humani generis, Consolatrix pro salute Fidelium, qui delictorum onere gravantur,) sedula oratrix, et pervigil ad Regem quem genuit, intercedit: dignum, quin potius debitum, reputamus, universos Christi Fideles, ut Omnipotenti Deo, cujus providentia ejusdem Virginis humilitatem ab æterno respiciens, pro reconcilianda suo Auctori humana natura, lapsu primi hominis æternæ morti obnoxia, eam sui unigeniti habitaculum Sancti Spiritus præparatione constituit: ex qua carnem nostræ mortalitatis pro redemptione populi sui assumeret: et immaculata Virgo nihilominus post partum remaneret: de ipsius immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias et laudes referant, et instituta propterea in Dei Ecclesia Missas, et alia Divina Officia dicant, et illis intersint; indulgentiis, et peccatorum remissionibus invitare, ut exinde fiant ejusdem Virginis meritis, et intercessione divinæ gratiæ aptiores. Hac igitur consideratione inducti, ejusdem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, auctoritate Apostolica hac in perpetuum valitura constitutione statuimus, et ordinamus, quod omnes et singuli Christi Fideles utriusque sexus, qui Missam et Officium Conceptionis ejusdem Virginis Gloriosæ juxta piam, devotam et laudabilem ordinationem dilecti filii Magistri Leonardi de Rogarolis Clerici Veronensis Notarii nostri, et quæ desuper a nobis emanavit, Missæ et Officii hujusmodi institutionem, in die festivitatis Conceptionis ejusdem Virginis Mariæ, et per Octavas ejus, devote celebraverint et dixerint, aut illis Horis Canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eamdem prorsus indulgentiam et peccatorum remissionem consequantur, quam juxta felicis recordationis Urbani IV. in Concilio Viennensi approbatæ ac Martini V. et aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, consequuntur illi, qui Missam, et Horas Canonicas in festo Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, a primis Vesperis, et per illius Octavas, juxta Romanæ Ecclesiæ Constitutionem celebrant, dicunt, aut Missæ Officio, et Horis hujusmodi intersunt, præsentibus perpetuis temporibus valituris. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1476. III. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno sexto.

In altera vero Constitutione edita pridie Nonas Septembris anno 1483. laudatus Pontifex loquitur verbis tenoris sequentis.

SIXTUS PAPA IV.

Grave nimis gerimus et molestum, cum inistra nobis de quibusdam Ecclesiasticis personis referuntur. Sed in eorum, qui ad evangelizandum verbum Dei sunt deputati, excessibus prædicando commissis, eo gravius provocamur, quo illi periculosius remanent incorrecti; cum facile deleri nequeant, qui multorum cordibus sic publice prædicando, diffusius et damnabilius imprimuntur errores. Sane cum Sancta Romana Ecclesia de intemeratæ semperque virginis Mariæ Conceptione festum solemniter celebret, et speciale ac proprium super hoc Officium ordinaverit: nonnulli, ut accepimus, diversorum Ordinum Prædicatores in suis sermonibus ad populum publice per diversas civitates et terras affirmare hactenus non erubuerunt, et quotidie prædicare non cessant, omnes illos, qui tenent aut asserunt, eamden Gloriosam et Immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse Hæreticos; ejusdem immaculatæ Conceptionis celebrantes, audientesque sermones illorum, qui eam sine hujusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare graviter. Sed et præfatis prædicationibus non contenti, confectos super his suis assertionibus libros in publicum ediderunt: ex quorum assertionibus et prædicationibus non levia scandala in mentibus Fidelium exorta sunt, et majora merito exoriri formidantur in dies. Nos igitur hujusmodi temerariis ausibus, ac perversis assertionibus ac scandalis, quæ exinde in Ecclesia Dei exoriri possunt (quantum nobis ex alto conceditur) obviare volentes, motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, et certa scientia, hujusmodi assertiones Prædicatorum eorumdem, et aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos qui crederent aut tenerent, eandem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione præservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare; aut hujusmodi Officium Conceptionis celebrantes, seu hujusmodi sermones audientes alicujus peccati reatum incurrere, utpote falsas et erroneas, et a veritate penitus alienas; editosque desuper libros prædictos id continentes, quoad hoc auctoritate Apostolica tenore præsentium reprobamus, et damnamus. Ac motu, scientia et auctoritate prædictis, statuimus, et ordinamus, quod Prædicatores verbi Dei, et quicumque alii, cujuscumque status, gradus aut ordinis ac conditionis fuerint, qui de cætero ausu temerario præsumpserint in eorum sermonibus ad populum seu alias quomodolibet affirmare hujusmodi sic per nos improbatas et damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere, habere, postquam de præsentibus scien-

Digitized by Google

tiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant; a qua ab alio quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere. Item motu, scientia et auctoritate similibus, simili pœnæ ac censuræ subjicientes eos, qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem tenentes, videlicet Gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale; cum nondum sit a Romana Ecclesia et Apostolica Sede decisum: non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque, quibus communiter vel divisim a Sede Apostolica indultum existat; quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et ne de præmissis aliquando valeant ignorantiam allegare, volumus, quod locorum Ordinarii requisiti præsentes Literas in Ecclesiis consistentibus in eorum civitatibus et suarum Diœcesum, et locis insignibus, dum major ibi multitudo populi ad Divina convenerit, sermonibus ad populum mandent et faciant publicari. Præterea, quia difficile foret præsentes Literas ad singula loca, in quibus expediens fuerit deferre: etiam volumus, et dicta autoritate decernimus, quod earumdem Literarum transumpto manu publici Notarii confecto, et authentico alicujus Prælati Ecclesiastici sigillo munito, ubique stetur, prout staretur eisdem originalibus Literis, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reprobationis, damnationis, statuti, ordinationis, voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1483. pridie Nonas Septembris, Pontificatus nostri anno decimo tertio.

(20. Eodem Sæculo XV. Sixti exemplum secuti sunt Innocentius Papa VIII. anno Domini 1489. Const. *inter innumera*, edita pridie Kalend. Maji, et Alexander P. VI. anno 1502. Const. incip. *Illius qui se pro Dominici Gregis salvatione*, edita VIII. Kalend. Martii, qua Sixti IV. Constitutionem *Grave nimis* innovat et confirmat, et sub iisdem pœnis, ac censuris inviolabiliter observari mandat. Sæculo XVI. Julius Papa II. anno Domini 1511. Constitutionem edidit incip. *Ad statum prosperum et felicem Ecclesiarum*; Leo X. tribus Constitutionibus plura concessit celebrantibus Festum Conceptionis B. V. nec minus Hadrianus VI. Paulus III. Pius IV. eidem Piæ sententiæ faverunt, editis Constitutionibus, quibus vel Tridentini Decreta confirmant, vel Confraternitates sub titulo Immaculatæ Conceptionis erectas adprobant, et privilegia nonnulla indulgent. Conqueritur autem S. Pius V. in Constitutione 114. *in Bullario Romano* anno 1570. edita, magno fidelium scandalo de utraque sententia palam disceptari. Itaque graves pœnas constituit in eos, qui in Concionibus, vel in publicis virorum et mulierum conventibus alterutram opinionem auderet attingere; facta tamen viris doctis potestate disputandi in Academiis, quin uti erroneam alterutram damnent sententiam. In eadem Constitutione Bullas Sixti IV. et Tridentini Concil. Decretum confirmat. S. Pium V. sequitur Gregorius XIII. huncque Sixtus V. cujus Constitutionis verba tertio Kalendas Junii editæ ann. 1588. referemus, quoniam revocat constituta in Bulla S. Pii V. quoad Piam sententiam; nam pium et laudabile propositum asserit Purissimam Conceptionem Fidelibus prædicare et explanare.

SIXTUS PAPA V.

(21. Ineffabilis Beatæ, et Gloriosæ, semperque Virginis Dei Genitricis Mariæ meritorum insignia, devotæ considerationis in dagine perscrutantes, etc. dignum profecto, seu potius debitum reputamus, ut Fidelium vota, in ipsius B. Virginis laudem, et honorem edita, ad exauditionis gratiam libenter admittamus. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius, Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum, S. Francisci de Observantia nuncupatorum, tam suo, quam Fratrum dicti Ordinis nominibus, quod, cum omnes dicti Ordinis utriusque Sexus personæ, ex ipsius Ordinis instituto, Purissimam ipsius Dei Genitricis Conceptionem devotissime celebrare, ac illam condignis laudibus, et honoribus extollere, ac Fidelibus prædicare, et explanare, ipsiusque Festum maxima reverentia venerari consueverint; cupiantque, pro majori eorum spirituali consolatione, ipsius Conceptionis Officium in Choro per totam Octavam, ut in Festivitatibus Nativitatis, et Assumptionis ejusdem B. Virginis ipsi Fratres consueverunt, recitare; propterea Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eorum pio, et devoto desiderio annuere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos tam pium, et laudabile propositum, ad ejusdem B. Virginis laudem, et honorem, fovere volentes, ipsorumque Ministri, et Fratrum, atque etiam Monialium erga hanc Sacratissimam Virginem devotionis affectum plurimum in Domino commendantes; hujusmodi supplicationibus inclinati, hac nostra præsenti Constitutione, perpetuo eisdem Ministro, ac Fratribus, et Monialibus concedimus, quod omnes, et singuli, etc. Officium Conceptionis ejusdem B. Mariæ, per totam ejus Octavam, ad instar Officii Nativitatis, in ejusdem B. Mariæ festivitate recitari soliti, tam in Choro, quam extra Chorum recitare possint, et valeant.

(22. Sæculo XVII. Tridentinum Decretum, Sixti IV. et Pii V. Constitutiones confirmavit Paulus Papa V. *Constitutione* 96. *in Bullario Romano*, qui adversus eos, qui parere nolebant, alias addidit pœnas. Anno autem 1617. postquam graves ostendit dissensiones, et scandala in fidelium populo exortas ex eo quod in publicis Concionibus, Thesibus, Lectionibus quidam ausi erant asserere B

Digitized by Google

Virginem in Originali peccato fuisse conceptam, Decreto suo vetuit, ne deinceps aliquis id affirmare auderet, verum Decreto hanc addidit declarationem: « Per hujusmodi provisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsus præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu et terminis, in quibus de præsenti reperitur, præterquam quoad disposita. » *Constitut.* 105. Tria deinde anno 1622. constituit Gregorius XV. *Constitut.* 29. quæ Antecessores sui non attigerant. Primo, ut qui publice Immaculatæ Conceptionis defensionem susciperet, alteram sententiam minime impugnaret, quin prorsus sileret. Secundo, novis exortis contentionibus et discordiis in Christiano populo ex eo, quod privatim propugnaretur sententia Immaculatæ Conceptioni adversa, statuit, ne in privatis quidem actibus contraria sententia liceret defendi; exceptis iis quibus Sedes Apostolica id permisisset; permisit autem Fratribus Ordinis Prædicatorum, modo privatim et inter se ea de re sermonem haberent. Tertio ut in Officio et Missa, quæ in Festo Conceptionis B. M. V. ab Ecclesia celebrabatur, nonnisi Conceptionis nomine sive publice, sive privatim Fideles uterentur. Præter Urbanum VIII. qui Ordinem Equitum Immaculatæ Conceptionis adprobavit, deditque habitum, et plura concessit Privilegia Confraternitatibus sub eodem titulo, plurimum favit Alexander VII. sua percelebri Constitutione edita die octava Decembris anno 1661. quæ cum sit quædam historia Conceptionis B. M. V. ejusque cultus, eam prætermittere fas non est.

ALEXANDER PAPA VII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

(23. Sollicitudo omnium Ecclesiarum, quam licet meritis, et viribus longe impares, Dei Optimi Maximi voluntate, et providentia gerimus, in id Nos anxie tenet intentos, et vigilantes, ut scandala, quæ inter fideles pro humanæ naturæ corruptione, et fragilitate necesse est ut veniant, quantum fieri potest, paucissima exoriantur, utque exorta quam celerrime, et quam diligentissime amoveantur; nam iis per quos veniunt, certam peccati perniciem, quibus vero præbentur, præsens afferunt labendi periculum; quorum Nos pro nostro pastoralis officii debito, et damnum summopere dolemus, et discrimine assidue urimur.

§ 1. Sane vetus est Christi fidelium erga ejus Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas, sentientium, ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia, et privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis præservatam immunem, atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium, et celebrantium; crevitque horum numerus, atque hujusmodi cultus post editas a fel. record. Sixto Papa IV. Prædecessore nostro in ejus commendationem Apostolicas Constitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque observari mandavit. Aucta rursus, et prorogata fuit pietas hæc, et cultus erga Deiparam post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, Monasteria religiosorum Ordinum, et Confraternitates, ac concessas ab iisdem indulgentias, ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam, jam fere omnes Catholici eam complectantur.

§ 2. Et quia ex occasione contrariæ assertionis in concionibus, lectionibus, conclusionibus, et actibus publicis, quod nempe eadem Beatissima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in Populo Christiano cum magna Dei offensa scandala, jurgia, et dissensiones; recol. mem. Paulus Papa V. etiam Prædecessor noster vetuit horum opinionem præfatæ sententiæ contrariam publice doceri, aut prædicari. Quam prohibitionem piæ mem. Gregorius Papa XV. similiter Prædecessor noster ad privata etiam colloquia extendit, mandans insuper favorem ejusdem sententiæ, ut in sacrosancto Missæ Sacrificio, ac divino officio celebrandis, tam publice, quam privatim, non alio quam Conceptionis nomine uti quicumque debeant.

§ 3. Nihilominus, prout Venerabiles fratres Episcopi fere omnes Hispaniarum cum Ecclesiarum suarum Capitulis datis ad Nos literis exposuerunt, accedente etiam insinuatione Charissimi in Christo filii nostri Philippi earumdem Hispaniarum Regis Catholici, qui specialem super hoc misit ad Nos Oratorem Venerabilem Fratrem Ludovicum Episcopum Placentinum, per quem etiam delatæ fuerunt ad Nos supplicationes Regnorum earumdem Hispaniarum, pergunt aliqui contrariæ illius opinionis assertores contra præfatas prohibitiones tum privatim, tum publice præfatam sententiam aut impugnare, aut vellicare, et favorem a Romanis Pontificibus cultui, et festo secundum illam præstitum ita interpretari, ut frustrentur, immo Ecclesiam Romanam huic sententiæ, et cultui juxta illam Beatæ Virgini exhibito favere negant, pios Christi fideles a sua pacifica quasi possessione deturbare conando, unde offensiones, scandala, et jurgia, quibus obviare voluerunt Paulus V. et Gregorius XV. nostri Prædecessores perdurant adhuc, et ex occasione eorumdem adversantium majora incommoda in posterum prudenter, et merito timentur. Quapropter super his tam præfati Episcopi cum Ecclesiarum suarum Capitulis, quam memoratus Philippus Rex, ejusque Regna Nobis pro opportuno remedio instanter supplicari fecerunt.

§ 4. Nos considerantes, quod Sancta Romana Ecclesia de intemeratæ semper Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter celebrat, et speciale, ac proprium super hoc officium olim ordinavit juxta piam, devotam, et laudabilem institutionem, quæ a Sixto IV. Prædecessore nostro tunc emanavit; volentesque laudabili huic pietati, et devotioni,

Digitized by Google

et festo, ac cultui secundum illam exhibito in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem numquam immutato Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum exemplo favere, necnon tueri pietatem, et devotionem hanc colendi, et celebrandi Beatissimam Virginem, præveniente scilicet Spiritus Sancti gratia a peccato originali præservatam, cupientesque in Christi grege unitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus, et jurgiis, amotisque scandalis conservare : ad præfatorum Episcoporum eum Ecclesiarum suarum Capitulis, ac Philippi Regis, ejusque Regnorum oblatam Nobis instantiam, ac preces, Constitutiones, et Decreta a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, et præcipue a Sixto IV. Paulo V. et Gregorio XV. edita in favorem sententiæ asserentis animam Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione, et in corpus infusione Spiritus Sancti gratia donatam, et a peccato originali præservatam fuisse, necnon et in favorem festi, et cultus Conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ secundum piam istam sententiam, ut præfertur, exhibiti, innovamus, et sub censuris, et pœnis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus.

§ 5. Et insuper omnes, et singulos, qui præfatas Constitutiones, seu Decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ sententiæ, et festo, seu cultui secundum illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eamdem sententiam, festum, seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directe, vel indirecte, aut quovis prætextu, etiam debilitatis ejus examinandæ, sive Sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, sive Doctores glossandi, vel interpretandi, denique alio quovis prætextu, seu occasione, scripto, seu voce loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quicquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, et insoluta relinquendo, aut alio quovis inexcogitabili modo differendo, ausi fuerint, præter pœnas et censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subjacere volumus, et per præsentes subjicimus, etiam concionandi, publice legendi, seu docendi, et interpretandi facultate, ac voce activa, et passiva in quibuscumque electionibus eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus, necnon ad concionandum, publice legendum, docendum, et interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas ipso facto incurrere absque alia declaratione ; a quibus pœnis nonnisi a Nobis ipsis, vel a Successoribus nostris Romanis Pontificibus absolvi, aut super iis dispensari possint : necnon eosdem aliis pœnis nostro, et eorumdem Romanorum Pontificum Successorum nostrorum arbitrio infligendis pariter subjacere volumus, prout subjicimus per præsentes, innovantes Pauli V. et Gregorii XV. superius memoratas Constitutiones, sive Decreta.

§ 6. Ac libros, in quibus præfata sententia, festum, seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque, ut supra, aliquid scribitur, aut legitur, seu loquutiones, conciones, tractatus, et disputationes contra eadem continentur, post Pauli V. supra laudatum Decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda, prohibemus sub pœnis, et censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, et ipso facto absque alia declaratione pro expresse prohibitis haberi volumus, et mandamus. Vetamus autem Sixti IV. Constitutionibus inhærentes, quempiam asserere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cum a Romana Ecclesia, et ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, prout Nos nunc minime decidere volumus, aut intendimus : quin potius contrariam illam opinionem hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos subjecit Sixtus IV. aliique Prædecessores nostri Romani Pontifices, gravioribus aliis pœnis subjicimus, quas in contrafacientibus huic nostræ Constitutioni superius infliximus.

§ 7. Volentes quod contra hujus nostræ Constitutionis transgressores, etiam regulares cujusvis Ordinis, et Instituti, etiam Societatis Jesu, et quomodolibet exemptos, et alias quascumque Ecclesiasticas, et sæculares personas cujuscumque status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ quam sæcularis, ut præfertur, tam Episcopi et Prælati, Superiores, aliique locorum Ordinarii, quam hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquisitores procedant, et inquirant, atque in eos stricte animadvertant : Nos enim iis, et eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, et inquirendi, ac pœnis coercendi, et puniendi liberam facultatem, et auctoritatem iisdem auctoritate, et tenore tribuimus, et impertimur, eosque, ut præfertur, procedere, inquirere, et punire districte præcipimus, et mandamus.

§ 8. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ac quibusvis indultis, et Literis Apostolicis quibusvis personis quantumcumque qualificatis, et in quacumque, etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, et quavis alia dignitate, et honore constitutis ; etiam quod contra eos procedi, interdici, suspendi, vel excommunicari nequeant, quomodolibet concessis. Quibus omnibus, et eorum singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de eis, ipsorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam idem importantes clausulas mentio habenda, aut alia exquisita forma observanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, et insertis habentes, harum serie specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§ 9. Ut autem hæc nostra Constitutio, et præmissa omnia ad eorum omnium, quorum interest, notitiam congruentius pervenire possint, in virtute sanctæ obedientiæ, et sub

Digitized by Google

pœna privationis ab ingressu Ecclesiæ eo ipso incurrenda præcipimus, et mandamus omnibus, et singulis locorum Ordinariis, ac eorumdem Vicariis, Suffraganeis, et Officialibus quibuscumque, et aliis singulis, ad quos quomodolibet spectat, et pertinet, quatenus hujusmodi nostram Constitutionem singulis suæ Diœcesis, vel districtus prædicatoribus, et aliis, quibus expedire judicaverint, opportune insinuent, et publicent, ac insinuari, et publicari faciant, ne quis in posterum quoquo modo ignorantiam de præmissis possit prætendere, aut se contra præmissa valeat excusare.

§ 10. Volumus, et similiter eadem auctoritate decernimus, et mandamus, quod præsentes literæ per aliquos ex nostris Cursoribus in Basilicarum S. Johannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum, et Cancellariæ Apostolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ de Urbe de more publicentur, et affigantur; quæ affixio, et publicatio ita omnes, et singulos, ad quos spectat, afficiat, et arctet, ac si illis personaliter intimatæ fuissent; et quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus literis adhiberetur, si ostensæ, vel exhibitæ forent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 8. Decembris 1661. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Hac Constitutione, ut facile quisque colligit, præter cætera Alexander sub eisdem censuris et pœnis renovat Decreta Prædecessorum suorum, alias addendo pœnas; privat enim facultate concionandi; voce activa et passiva, qui in dubium revocaret, aut alio sensu interpretaretur sive voce, sive scriptis (qui libri declarantur prohibiti) favorem Piæ Sententiæ, ejusque cultui concessum, asserendo aliquid contra ipsam, vel afferendo argumenta, quæ insoluta relinquuntur. Ex his et superius allatis a *n.* 19. infertur, quod pœnas incurrat, I. qui diceret posse defendi sententiam Immaculatæ Conceptioni oppositam, aut qui adduceret illius rationes, modo id non ageret, nisi ut eas impugnet. II. Qui asserit Festum Conceptionis celebrari, ex eo quod B. Virgo in utero Matris fuerit sanctificata, dum id aperte Piæ sententiæ opponitur. III. Qui transcribit oppositam sententiam, adeo ut videretur eam amplecti. IV. Transgressores ipso facto sunt a Divinis suspensi, et probabilius, ut tenet D. Ligorius cum Bonacina, *lib.* 7. *Theol. Moral. n.* 248. *et seqq.* etiam incurrunt inhabilitatem ad officia; sed quoad privationem vocis, Dignitatum, etc. requiritur sententia. V. Præfatæ pœnæ incurruntur tam ab Ecclesiasticis personis quam a Laicis. VI. Ab ipsis pœnis solus Pontifex absolvere potest, aut Episcopus, si peccatum sit occultum: quoad fautores autem Piæ sententiæ his vetitum est sub pœna excommunicationis asserere, hoc esse dogma irrefragabile fidei, oppositam aliqua censura notando. D. Ligorius insuper *l. c. n.* 249. defendit sententiam quod liceat

effundere vitam pro defensione Immaculatæ Conceptionis, cum talis cultus erga Mariam sit actus Religionis.

(25. Sæculo XVIII. Clemens Papa XI. pro festo Conceptionis Constitutionem edidit anno 1708. qua omnibus Christi fidelibus illud de præcepto servandum, Auctoritate Apostolica præscripsit, vestigiis inhærendo Antecessorum suorum Pii V. Clementis VIII. Gregorii XV. Innocentii X. Clementis IX. Innocentii XI. Innocentii XII. qui plurimum Conceptionis cultum auxerunt tribuendo illius Festo octavam, et elevando ritum ad gradum duplicis majoris et secundæ classis, et alia privilegia eidem tribuendo. Idem præstitit Innocentius XIII. et Benedictus XIII. Denique Benedictus XIV. Decreto edito anno 1742. Cappellam Pontificiam singulis quibusque annis in Liberiana Basilica haberi voluit in honorem Immaculatæ Virginis, die VIII. Decembris ejusdem Conceptioni Sacro. Quo die voluit illud intimari omnibus et singulis Eminentissimis et Reverendissimis DD. Cardinalibus, qui præfatæ Cappellæ interesse deberent cum Vestibus et Cappis Rubris, et eo etiam colore per enuntiatum diem uti. Intimari pariter Gubernatori Urbis, Vicecamerario, Principi Solii, Conservatoribus, Oratoribus Civitatum subditarum, Magistro Sacri Hospitii, ac Decanis omnibus Collegiorum, cæterisque omnibus intimari solitis. Pius VI. et Pius VII. Indulgentias elargiti sunt Antiphonas vel Jaculatorias preces recitantibus. (26. Demum felicis recordationis Gregorius XVI. Galliæ, Americæ, Angliæ, Germaniæ, et Italiæ Ecclesiis concessit, ut in festo Conceptionis in Præfatione apponerentur ea verba: *Et te in Immaculata Conceptione:* Et Benedictinæ familiæ, ut Lauretanis Litaniis adderent in fine: *Regina sine labe Originali Concepta. Ora pro nobis.* Uti jam pridem pro Regnis Hispaniarum et Dominiis, in quibus B. V. M. sub Immaculatæ Conceptionis mysterio, uti patrona principalis colitur, Clemens XIII. concesserat addi post versiculum *Mater Intemerata*, alterum *Mater Immaculata.* S. R. C. 12. *Septemb.* 1767.

(27. Superest ut post Scripturarum, Patrum, et Pontificum Testimonia, Academias commemoremus tam de Immaculata Conceptione optime meritas. Percelebris est Academia et Sacra Facultas Parisiensis; ipsa enim declaravit sententiam suam esse B. Virginem sine macula fuisse conceptam, et eum qui ad Doctoris gradum proveheretur, juramento obstrinxit, ut illam sententiam propugnaret. Formula statuti anni 1497, est tenoris sequentis: « Universi tertio congregati post multam, gravem, et maturam deliberationem, in ejus piissimæ doctrinæ, quæ benedictissimam Dei matrem ab originali peccato, Dei singulari dono, fuisse præservatam affirmat, quamque jam pridem veram credidimus et credimus, defensionem et propugnationem speciali Sacramento conjuravimus, nosque devovimus; statuentes ut nemo deinceps sacro huic nostro collegio adscribatur, nisi se hujus religiosæ doctri-

Digitized by Google

næ assertorem, strenuumque propugnatorem semper pro viribus futurum simili juramento profiteatur. Quod si quis ex nostris, quod absit, ad hostes Virginis transfuga, contrariæ assertionis, quam falsam, impiam et erroneam judicamus, spreta non nostra tantum, sed Synodi et Ecclesiæ, quæ procul dubio summa est, auctoritate, patrocinium quacumque ratione suscipere ausus fuerit, hunc honoribus nostris omnibus privatum atque exauctoratum a nobis, et a consortio nostro, velut ethnicum et publicanum procul abjiciendum decernimus. »

(28. Pari laude ac summo zelo pro veritate Immaculatæ Conceptionis decertarunt Academiæ Coloniensis, Moguntina, Complutensis, Toletana, Tarraconensis, Hispalensis. Ordines pariter Religiosi (quamvis non omnes) summam adepti sunt laudem, et præ cæteris Fratres Ordinis S. Francisci.

(29. De Festo Conceptionis ejusque antiquitate aliquid innuere visum est. In Græca Ecclesia Sæculo VII. quo floruit S. Andreas Cretensis, hoc Festum celebratum fuisse constat ex Canone pro Ecclesiasticis Officiis ejusdem Sancti, sub hoc titulo: *Die nona Decembris Conceptio Sanctæ ac Dei Aviæ, Annæ.* Conceptio videlicet activa S. Annæ, ut patet ex his verbis: « Tuam hodie, Religiosa Anna, celebramus Conceptionem, quod absoluta sterilitatis vinculis eam utero conceperis, quæ eum potuit capere, qui nusquam capi possit. » Cl. vir Edmundus Martene indicat hujusmodi Festum hoc eodem Sæculo in Hispania institutum fuisse, dum ait: « Ejus primam institutionem Hildephonso Toletano Episcopo referendam videri; » porro S. Hildephonsus obiit anno 667. Vid. *Acta Sanctor. sæculi secundi Benedictini.* Sed hæ prolabiles sunt conjecturæ, non omnino firmæ. Quidam vero hoc Festum cœptum existimant in Anglia circa finem Sæculi IX. ejusque institutionis auctorem D. Anselmum Archiepiscopum Cantuariensem volunt, qui hac de re Epistolam scripsit *Coepiscopis suis et omnibus B. Mariæ Mysteria colentibus, de Conceptione B. Mariæ;* in qua, ut ad hujus Conceptionis Festum recolendum illos induceret, revelationem narrat, quæ hac de re Helsino, sive Elphino Abbati Monasterii Ramesiensis cœlitus facta est. At ea Epistola *an Anselmi sit, a multis merito ducitur in controversiam, cum habeat multa, quæ eidem Auctori repugnant.* Christian. Lupus ad *Concil. Moguntin. sub Leone IV. tom.* 3. Idem Auctor *l. c.* ostendit hujusmodi Festivitatem ex Anglia in Normandiam fuisse traductam, inde in Galliam, et ad Ecclesiam Lugdunensem, quod D. Bernardo causa fuit, celeberrimam illam scribendi Epistolam, ex qua de Immaculata Conceptione B. M. V. tota quæstio exorta est. Profecto S. Bernardi ætate, qui anno 1153. obiit, nondum in Romana Ecclesia hoc Conceptionis Festum receptum erat; ille enim Canonicos Lugdunenses acriter reprehendit, quod in suam Ecclesiam Festum induxerint inconsulta Sede Apostolica, quodque Romana Ecclesia non colebat. At in Italia jam colebatur, et Assemani *Kalendar. tom.* 5. affirmat, Neapolitanos hanc Festivitatem celebrare cœpisse, antequam in cæteras Europæ regiones induceretur; quodque in Casinensi Archicœnobio saltem ejusdem commemoratio perageretur sæculo X. pulchre ostendit Federici ex Kalendario MS. Basilicæ Casinensis, in opere cui titulus. « La Immacolata Concezione della B. V. Maria comprovata a' Sentimenti dei Padri. » Festum hoc, quo anno Romæ cœptum fuerit celebrari, determinare nullo modo possumus, sunt enim qui asserunt ætate S. Bonaventuræ, qui mortuus est anno 1274. ex ipsius 3. *sentent. dist.* 3. *quæst.* 1. at locus ille non de festo, quod Romæ, sed alibi celebrabatur, intelligendum est. Alii autem verius non dubitant Sæculo XIV. celebritatem hanc Romæ fuisse peractam; testatur enim Alvarus Pelagius, qui obiit anno 1340. se in Liberiana Basilica, hujus Festivitatis die, concionem habuisse. Quidquid tamen sit de anno, Ecclesiæ Romanæ exemplum secutæ sunt cæteræ fere omnes Ecclesiæ; at in Casinensi Monasterio ejusdem fiebat Officium ante annum 1300. ut patet ex Breviario Monastico MS. ejusdem Ecclesiæ. Federici *loc. cit.* Prima autem Officii forma, qua in celebrando Conceptionis Festo Latina Ecclesia utebatur, fuit illa, quæ Abbati Helsino cœlitus præscripta est, videlicet: « Omne Officium, quod dicitur in ejus Nativitate, dicetur in Conceptione, excepto, quod nomen Nativitatis mutabitur in nomen Conceptionis. » *Epist. Encyclic. D. Anselmi,* ut eadem scilicet mente, qua Sanctam, et Immaculatam Dei Genitricis Nativitatem illa venerabatur, Sanctam et Immaculatam Conceptionem coleret. Hujusmodi Officium ex Anglia in Normandiam, Galliam, Navarram, Belgium, Germaniam, et alias provincias perductum est. Sixtus IV. vero, qui primus Apostolica auctoritate Conceptionis Festum instituit, Constitutione *Cum præcelsa* huic Festo, ad pietatis augmentum, proprium et peculiare Officium, sicut et Missam assignavit, quibus ubique cultus et protestatio exprimitur Immaculatæ Conceptionis B. M. ejusque præservatio ab Originali Peccato. S. Pius V. autem reformaturus Breviarium Romanum, quo omnes uterentur, justis de causis Officium Conceptionis a Sixto IV. inductum, sicut et pleraque alia diversa Officia Conceptionis suppressit, ac vetustissimum illud Abbatis Helsini Officium resumendum disposuit, ac ab omnibus Ecclesiis recitari voluit.

(30. Ad Immaculatæ denique Conceptionis veritatem adstruendam, præter rationem convenientiæ, ac præcellentiæ, qua decebat Matrem, Filiam et Dei sponsam absque Originali macula concipi, præter consensum Fidelium universalem, et Ecclesiæ cultum, quam maxime facit mira apparitio illa, et propagatio Numismatis, vulgo Conceptionis dicti, cum inscriptione: *Maria absque macula Originali concepta,* anno 1830. Parisiis revelati. Innumera sunt quæ narrantur miracula patrata per intercessionem B. Mariæ

Digitized by Google

sine macula conceptæ, uti patet ex libris de Historia hujus Numismatis tractantibus per universum orbem divulgatis. De tota hac quæstione, plura invenies, si lubet, apud jam laudatum Eminentissimum Lambruschini, Federici, Herminier, Plazzam, Sfondratum, Lambertinum sive Benedictum XIV, cæterosque quos supra memoravimus.

CONCILIUM.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *De his quæ concernunt Concilium ut sic, et Concilium Generale.*

1. Concilium unde sit dictum; *ad n.* 2. — 3. Concilium quod Græci Synodum appellant, quantum ad nostrum propositum, sumitur pro Cœtu, seu Conventu Sacerdotum, maxime Episcoporum pro resolvendis rebus Fidei, seu aliis gravioribus Ecclesiæ negotiis a legitimo Superiore congregatorum. — 4. Concilium sic acceptum est triplex, scilicet Generale, Provinciale, et Episcopale. Et quale sit Concilium Generale. — 5. Quale Concilium Provinciale. — 6. Quale sit Concilium Episcopale, seu Synodus Diœcesana. — 7. Concilium Generale absque auctoritate Romani Pontificis celebrari non potest. — 8. Unde Concilium non dicitur, sed Conciliabulum, seu Conventiculum, quod sine auctoritate Romani Pontificis celebratur. — 9. Et hoc adeo verum est, ut etiamsi ab initio Concilium fuerit auctoritate Apostolica congregatum, tamen, si postea per Romanum Pontificem dissolutum, aut alio translatum fuerit, ex eo tempore remaneat Acephalum, et Schismaticum, nec sit amplius Concilium, sed Conciliabulum. — 10. Hinc tamquam Conventicula, et Conciliabula fuerunt semper reprobata Concilia, quæ vel non a Summo Romano Pontifice, vel non ejus auctoritate ab Imperatoribus indicta sunt. — 11. Hoc titulo reprobatum est in Synodo Romana a Gregorio II. Conciliabulum Constantinopolitanum trecentorum Episcoporum congregatum anno 730. eodem Gregorio renitente a Leone Isauro Imperatore. — 12. Eadem ratione in Concilio Romano a Stephano IV. anno 769. rescissa sunt acta Conciliabuli Constantinopolitani pseudo-septimi universalis a Constantino Copronymo Leonis filio congregati anno 754. — 13. Eadem causa in Concilio Lateranensi V. reprobatum est Conciliabulum Pisanum contra Julium II. Papam indictum anno 1511. — 14. Sic ab Eugenio IV. anno 1433. fuerant cassata, irrita et annullata omnia, et singula statuta, et Decreta edita in Concilio Basileensi, postquam ab ipso fuerat ibi dissolutum, et Bononiam, inde Ferrariam, et ultimo Florentiam translatum. — 15. Affertur, et solvitur instantia; *ad n.* 16. — 17. Assignatur differentia inter Pontificem, et Imperatorem in convocatione Conciliorum. — 18. Ubi legitur Imperatores, sive etiam Reges Concilia indixisse, debet intelligi, quod ipsi hoc fecerint, vel mandante, vel consulente, vel exhortante ad id Romano Pontifice. — 19. Quod si aliquod ex Conciliis Generalibus reperiatur convocatum ab Imperatoribus, et Regibus absque auctoritate, et consilio, et consensu Romani Pontificis, nunquam poterit Œcumenicum appellari, donec ipse Romanus Pontifex ratam ex suo beneplacito, et assensu haberet illius convocationem. — 20. Et dato quod aliqua Concilia fuerint ab Imperatoribus et Regibus coacta, Romano Pontifice contradicente, et numquam assentiente : tunc illa irrita, et nulla fuerunt, immo expresse a Romanis Pontificibus cassata, et annullata. — 21. Conciliorum enim convocatio spectat ad solum Romanum Pontificem, etiamsi de ejus causa agatur. — 22. In casu Schismatis, existentibus pluribus dubiis Pontificibus, possunt Cardinales Concilium convocare, et præcipere ut Pontifices contendentes Pontificatu se abdicent. Quod ni fecerint, possunt eos sententia lata a Pontificatu dejicere, et alium Pontificem legitimum eligere. — 23. Et de facto ad tollendum Schisma fuit in simili casu convocatum a Cardinalibus anno 1409. Concilium Pisanum, et inibi depositis Gregorio XII. et Benedicto XIII. de Papatu contendentibus, electus fuit legitimus Pontifex Alexander V. *ad n.* 24. — 25. Et quamvis non defuerint, qui dubitarent de legitimitate hujus Concilii, tamen conclusum fuit licite, et canonice Concilium in tali casu convocari, et fieri potuisse. — 26. Et legitimitas hujus Concilii, et electionis Alexandri V. aperte comprobatur, ex quo Alexander V. in Catalogo legitimorum Pontificum communiter reponatur. — 27. Ad Concilia Generalia vocandi sunt de Jure solum Episcopi, et Majores Prælati, scilicet Patriarchæ, Primates, et Archiepiscopi. — 28. Ad omnes istos spectare Jure, et officio in Conciliis Generalibus Jus suffragii decisivi, communis Catholicorum sententia est. — 29. Immo eodem suffragii decisivi Jure gaudent etiam Episcopi Titulares; et ideo etiam ipsi sunt de Jure vocandi ad Generalia Concilia. — 30. Ex privilegio autem, et consuetudine vocandi sunt ad Concilia Generalia cum suffragio decisivo Cardinales etiam non Episcopi, Abbates, et Ordinum Regularium Generales. — 31. Ad Concilia Generalia solent vocari etiam aliqui insignes Theologi, et Sacrorum Canonum Doctores, non quidem pro Suffragio decisivo, sed solummodo pro voto consultivo. — 32. Principes etiam ad Concilia Generalia solent invitari, ut per se, vel per suos Oratores intersint, tum, ut Concilium defendant, et scandala, seu novitates Novatorum compescant, tum ut testes, et conscii Decretorum Concilii, postea transgressores, et contumaces pœnis corporalibus puniant. — 33. Ipsi autem Principes, sive Imperiali, sive alia quacumque Dignitate præfulgeant; et quacumque scientia, doctrina, et Juris utriusque peritia conspicui in Conciliis Generalibus suffragium non habent. — 34. Et hoc fuit observatum in veteri Lege. — 35. Sic etiam invenimus observatum ab exordio Ecclesiæ in Concilio Apostolorum. — 36. Et de facto auctoritas decidendi dubia ad Religionem, et mores spectantia, et functio regendi Ecclesiam, non Laicis, sed solis Episcopis est demandata. — 37. Et hanc demandatam Episcopis auctoritatem, et sibi non concessam cognoverunt, et fassi sunt ipsimet Imperatores; et Constantinus Imperator in Concilio Nicæno. — 38. Item Theodosius junior in Epistola ad Ephesinum Concilium. — 39. Item Basilius Imperator in octava Synodo. — 40. Item alii Imperatores. — 41. Hoc non spectare ad Laicos, sed ad solos Episcopos clare deducitur ex Conciliis Generalibus huc usque celebratis, in quibus Decreta facta esse a solis Episcopis patet ex solis eorum subscriptionibus. — 42. In omnibus enim Conciliis reperimus solos Episcopos subscripsisse, exceptis paucis Generalibus, in quibus etiam Imperator subscripsit, sed alia forma, quam Episcopi; Episcopi enim definiendo ut Judices, Imperatores consentiendo subscripserunt. — 43. Immo quibusdam etiam, paucissimis exceptis, ut Florentino, Lateranensi et Tridentino, quibus subscripserunt Abbates, et Generales Ordinum Regularium; nulli alii unquam quamvis optimi, et doctissimi, sunt admissi in Conciliis legitimis ad suffragium decisivum, et consequenter ad definitivam subscriptionem. — 44. Et per hoc supra *n.* 40. *et seq.* fuit dictum, quod solum ex privilegio, et consuetudine vocandi sunt Cardinales non Episcopi, Abbates, et Generales Ordinum Regularium ad Generalia Concilia cum suffragio decisivo, etc. — 45. Soli Romano Pontifici competit jus auctoritative præsidendi, vel per se, vel per suos Legatos in Conciliis Generalibus. — 46. Et revera in omnibus huc usque celebratis Conciliis Generalibus semper præsedit auctoritate Romanus Pontifex, sive per se, sive per suos Legatos. —

Digitized by Google

47. Affertur, et solvitur instantia. — 48. Ad faciliorem intelligentiam notandum est, quod alia est præsidentia *auctoritativa*, et alia est præsidentia *honoraria*. Præsidentia *auctaritativa*, quæ sit. — 49. Hæc præsidentia *auctoritativa* competit Romano Pontifici per proprietatem, quam suis Legatis communicat, ut eisdem Conciliis, ipso absente, præsint, semper tamen cum subordinatione ad ipsum, ad quam spectat res ultimo decidere, et definire. — 50. Præsidentia *honoraria* quæ sit. — 51. Hac præsidentia Imperatores nonnullis Concilliis Generalibus in Oriente celebratis præsederunt; cum ad ipsa nunquam interfuerint Summi Pontifices per se ipsos; *ad n.* 52. — 53. Quibus tamen nunquam fuisset permissum sedere in loco eminentiori, et digniori, quam Summus Pontifex, si ipse personaliter interfuisset. — 54. Uti patet in Concilio Florentino in initio, ubi nullatenus fuit permissum, sicuti Græci prætendebant, ut in summo loco sederet eorum Imperator, et Summum Pontificem præcederet. — 55. Soli etiam Romano Pontifici competit jus auctoritative confirmandi Concilia Generalia, et absque illius confirmatione decreta in illis robur non habent. — 56. Et de facto est praxis Patrum Conciliorum, petere semper a Romano Pontifice confirmationem eorum quæ in Concilio statuerunt; *ad n.* 58. — 59. Affertur, et solvitur instantia; *ad n.* 60. — 61. Ad hoc juvat notare, quod triplex est confirmatio. Prima est confirmatio *testificativa*, et quæ sit. — 62. Secunda est confirmatio *receptiva*, aut *executiva*; et quæ sit. — 63. Tertia est Confirmatio *auctoritativa*; et quæ sit. — 64. Hinc prima, et secunda confirmatio potest fieri etiam ab Imperatoribus, Regibus, aliisque supremis Principibus. Tertia autem a solo Romano Pontifice fieri potest privative quoad omnes. — 65. Affertur ad rem egregium dictum Cardinalis Cusani. — 66. Definitiones Universalis Concilii etiam legitime congregati editæ, absente Romano Pontifice, non sunt infallibiles sine ipsius Papæ Confirmatione. — 67. Unde infallibilitatem in definiendo dedit Christus solum Petro et successoribus ejus. — 68. Non autem Concilio, quod potest errare, prout de facto alias erravit. — 69. Affertur et solvitur instantia; *ad n.* 71. — 72. Concilia Generalia a Rom. Pontif. confirmata sunt infallibilis veritatis, et errare non possunt, nec in Fide, nec in moribus. — 73. Hinc Concilia Generalia a Summis Pontificibus approbata, seu confirmata habentur ab Ecclesia tamquam norma Ecclesiasticæ veritatis. — 74. Concilia Generalia ab Ecclesia totaliter approbata sunt decem et octo; et enumerantur; *ad n.* 75. — 76. Concilium Generale non est supra Papam; sed Papa est supra Generale Concilium. — 77. Hoc etiam ipsa Generalia Concilia sæpe sæpius declararunt; *ad n.* 78. — 79. Insuper Concilia ipsa dupliciter agnoverunt se inferiora esse Romano Pontifice; *ad n.* 81. — 82. A sententia Concilii Generalis potest appellari ad Papam tamquam ad Superiorem, sed non e converso. — 83. Immo appellantes a Romano Pontifice ad futurum Concilium, eorumque Consiliarii et fautores pœnis Excommunicationis, criminisque læsæ Majestatis Divinæ, et humanæ subjiciuntur, et decernuntur veri, et indubitati schismatici, et de Catholica Fide male sentientes. — 84. Unde cum appellatio sit de minore ad Superiorem Judicem provocatio, stat evidenter, quod Papa sit supra Concilium, et non e contra. — 85. Auctoritas Romani Pontificis supra Concilium est expresse definita a Summis Pontificibus; *ad n.* 86. — 87. Appellantes ad futurum Concilium Generale damnantur. — 88. De Romani Pontificis auctoritate supra Concilium Generale. — 89. 90. Ex hac Pontificis auctoritate supra Generale Concilium infertur primo, quod ab ipso nequeat fieri appellatio ad Concilium Generale. — 91. 92. Secundo, quod a Concilio Generali appellari possit ad Romanum Pontificem. — 93. Canones Concilii Œcumenici reliquorum Conciliorum Canonibus auctoritate prævalent. — 94. Inter Concilia Œcumenica eo major est eorum auctoritas, quo magis ad Œcumenicam Synodum accedunt. — 95. Recens non est, Concilium recipi in rebus fidei, licet non ubique recipiantur omnia ejus ad disciplinam spectantia. — 96. Priusquam per Provincias promulgentur Conciliorum Decreta exterlorem disciplinam spectantia examinanda sunt ab iis qui jurisdictioni in illis Provinciis præsunt. — 97. In Conciliis Episcopi sunt Judices. — 98. Unde ex eorum sententiis, sive suffragiis conclusio formanda est. — 99. Concilia etiam Generalia in particularibus factis non revelatis errare possunt. — 100. Concilia præcipue ad stabiliendam fidem, et formandos mores congregantur. — 101. Constitutio lata solemniter in Concilio Generali an obliget. — 102. Conciliorum præsertim Generalium Sanctionibus acquiescere nolentes, semper pro hæreticis declarati fuerunt. — 103. Concilii Nationalis auctoritas. — 104. Denominationes Conciliorum Nationalium. — 105. A Patribus Africanis statutum legitur, ut Synodus Nationalis annue haberetur. — 106. Quod postea fuit mitigatum. — 107. Concilium Provinciale auctoritate cedit Conciliis Nationalibus. — 108. Sicuti ipsum præstat Synodis Diœcesanis. — 109. 111. An Pontificis prærogativa sit convocandi Concilia. — 112. Quid requiratur ut Concilium Œcumenicum dici possit. — 113. De confirmatione Conciliorum per Romanum Pontificem. — 114. De infallibilitate definitionum Synodorum.

ARTICULUS II. — *De his, quæ concernunt Concilium Provinciale.*

1. Concilium Provinciale unde dictum. — 2. Concilium Provinciale quid sit. — 3. Indicere, convocare, et celebrare hoc Provinciale Concilium spectat ad Metropolitanum. — 4. Etiam sine auctoritate Primatis, et Patriarchæ. — 5. Hæc Concilii Provincialis convocatio debet fieri a Metropolitano, seu Archiepiscopo per se ipsum, non autem per Vicarium Generalem. — 6. Metropolitano autem legitime impedito, convocatio Concilii spectat ad Coepiscopum antiquiorem. — 7. Et sic etiam ad Coepiscopum antiquiorem spectat convocatio Concilii Sede Metropolitana vacante, et non ad Capitulum Metropolitanæ, seu ad ipsum Metropolitanæ Vicarium Capitularem. — 8. Licet enim antiquitus ante Concilium Tridentinum Capitulum Metropolitanæ, Sede vacante, convocaret Concilium Provinciale. — 9. Tamen post Tridentinum cessavit potestas Capituli Metropolitani, Sede vacante, celebrandi Concilium Provinciale, ac Suffraganeos convocandi, et demandata est Coepiscopo antiquiori. — 10. Absente, vel impedito, seu mortuo Archiepiscopo convocare Concilium Provinciale spectat ad Episcopum antiquiorem ex Suffraganeis : non autem ad Episcopum exemptum, quamvis antiquiorem. — 11. Ad Concilium Provinciale vocandi sunt, et admittendi omnes Episcopi Suffraganei cum voto decisivo. — 12. Quod locum habet etiam in Episcopo electo, et confirmato, quamvis nondum consecrato. — 13. Et hoc est etiam intelligendum de Episcopis exemptis. — 14. Episcopi tamen exempti, qui sunt in Provincia Romana, non tenentur ad electionem Metropolitani. — 15. Ad Concilium Provinciale vocanda sunt de necessitate Capitula Cathedralia Sede Episcopali vacante, et possunt mittere suum Vicarium Capitularem cum speciali mandato dandi vocem decisivam. — 16. Vocanda sunt etiam, sua Sede vacante, Capitula Collegiatarum quasi Episcopalem Jurisdictionem habentia. — 17. Abbates, et alii Prælati habentes proprium Territorium, et Jurisdictionem quasi Episcopalem exercentes intra ambitum ipsius Provinciæ, sunt vocandi ad Concilium Provinciale, et in eo habent votum decisivum. — 18. Procuratores Episcoporum, omniumque supradictorum quasi Episcopalem Jurisdictionem habentium, si principalibus legitime impeditis sint cum speciali mandato

Digitized by Google

deputati ad Concilium, habent votum decisivum, si Concilio placuerit. — 19. Capitula Cathedralium, etiam vivente Episcopo, vocanda sunt, et admittenda, aut eorum Nuncii ad Concilia Provincialia, præsertim ad ea tractanda, quæ spectant ad ipsa Capitula. — 20. Immo Capitula Cathedralium admitti debent ad Concilium Provinciale etiam pro negotiis ipsa Capitula non contingentibus. — 21. Sic etiam Capitula Collegiatarum Jurisdictionem quasi Episcopalem habentia, adhuc vivente suo Prælato, vocanda sunt ad Concilia Provincialia. — 22. Ipsa tamen Capitula, sive Cathedralium, sive Collegiatarum exemptarum, in Conciliis Provincialibus, adhuc viventibus suis Episcopis, et respective Prælatis non sunt Conjudices, nec habent votum decisivum, sed solum consultivum. — 23. In Concilio Provinciali omnia gerenda sunt de consilio Capitulorum Provinciæ. — 24. Sic etiam Abbates Commendatarii in Conciliis Provincialibus habent dumtaxat votum consultivum. — 25. Ad Concilia Provincialia vocari, et intervenire debent generaliter loquendo omnes qui de jure, vel consuetudine intervenire solent — 26. Sic etiam generaliter loquendo ad Concilia Provincialia accedere possunt pro justitia assequenda omnes qui se gravatos existimant. — 27. Laici autem non permittuntur interesse Conciliis Provincialibus, nisi ad justitiam petendam, vel defendendam. — 28. Omnes, qui de Jure vel consuetudine interesse tenentur Conciliis Provincialibus, si vocati non compareant, cessante legitimo impedimento, puniuntur. — 29. Pœna contra ipsos non interessentes sine legitimo impedimento vel contra illicentiatos discedentes, est excommunicatio. — 30. Talis vero Excommunicatio privat solummodo communione aliorum Episcoporum usque ad futurum Concilium, non autem Sacramentis. — 31. Poterunt tamen tales non interessentes contumaces insuper a communione fidelium segregari, et aliis pœnis canonicis per Metropolitanum affici, sed prævia trina monitione. — 32. Concilia Provincialia secundum antiquos Canones debebant celebrari bis in anno per singulas Provincias. — 33. Postea tamen in sexta Synodo Universali talis antiqua Constitutio fuit correcta, et definitum fuit ut hoc Concilium fieret semel in anno. — 34. Verum, quia neque hoc servabant Metropolitani, idcirco in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 10. Constitut. incipient. *Regimini* antiqua jura fuerunt correcta, et statutum fuit ut de cætero Concilia Provincialia fierent singulis triennii. Quod et fuit iterum expresse definitum in Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 2. *de reformat.* — 35. Metropolitani possunt quidem intra triennium etiam pluries Synodum convocare, si expediens judicetur, sed ultra triennium protrahere non debent. — 36. Immo Metropolitanus omittens, et negligens celebrare Concilium Provinciale intra triennium subjacet pœnis canonicis, et incurrit pœnam suspensionis a sui executione Officii. — 37. Quæ tamen pœna suspensionis non est latæ sententiæ, sed ferendæ; *ad n.* 39. — 40. Locus eligendus pro congregando Concilio debet esse commodus, quantum fieri potest omnibus, qui intervenire debent. — 41. Et electio talis loci pro Concilio Provinciali celebrando spectat ad Archiepiscopum. — 42. Concilium Provinciale postquam in loco indicto est congregatum, solet celebrari per spatium trium, vel quatuor dierum; nec potest ultra hebdomadam protrahi, nisi id exigentibus negotiis imminentibus. — 43. Quando in Concilio Provinciali Metropolitanus est unius sententiæ, Suffraganei autem omnes sunt alterius, debet prævalere sententia Suffraganeorum; *ad n.* 44. — 45. Sententia autem debet nihilominus pronunciari nomine Archiepiscopi de consilio, et consensu Suffraganeorum. — 46. Si vero Archiepiscopus dissentiat pronunciare sententiam ab ipso non approbatam, tunc recurrendum est ad Summum Pontificem. — 47. Concilium Provinciale nequit dissolvi a solo Archiepiscopo sine consilio, et assensu, seu voto Suffraganeorum. — 48. Completo, et dissoluto Concilio Provinciali de communi consensu, tenentur Episcopi infra sex menses publicare in suis Diœcesibus Conciliaria statuta. — 49. Non debent tamen publicari inconsulto Romano Pontifice. — 50. Debent enim Concilia Provincialia prius recognosci, et approbari a Summo Pontifice, seu a Sacra Congregatione Concilii. — 51. Et de facto sic servat praxis, quod Concilia Provincialia a Sacra Congregatione Concilii approbentur. — 52. Nec tamen per istam approbationem, ipsa Decreta Conciliaria obligant extra Provinciam. — 53. Bene vero obligant omnes subditos Provinciæ. — 54. Immo Decreta Conciliaria Provincialia ligant etiam Episcopum Successorem, licet sit elapsum decennium ab ultima Synodo Provinciali. — 55. Non tamen hæc Decreta obligant ad culpam, sed ad pœnam, nisi specialiter ad culpam obligare declaraverit ipsum Concilium. — 56. Conciliorum, et Synodorum celebratio Episcopis efficaciter suadetur.

ARTICULUS III. — *Concilium Episcopale, seu Synodus Diœcesana.*

1. Synodus ex Græco interpretatur Comitatus, vel Cœtus. — 2. Synodus Diœcesana est celebranda singulis annis ab unoquoque Episcopo in sua Diœcesi; potestque celebrari etiam extra Ecclesiam. — 3. Et si necessitas postularet, posset Synodus etiam sæpius in anno celebrari. — 4. Episcopus non celebrans singulis annis Synodum Diœcesanam incurrit pœnas a Jure statutas. — 5. Episcopus duarum civitatum unitarum debet in utraque Diœcesi alternative Synodum celebrare; nec Capitulum unius Cathedralis cogi potest, ut accedat ad Synodum alterius. — 6. Afferuntur ad id aliæ novissimæ Resolutiones Congregationis Concilii. — 7. Episcopus nondum consecratus, si Bullas expedivit, potest Synodum convocare. — 8. Archiepiscopus non potest Synodum congregare ante susceptionem Pallii. — 9. Synodus Cleri Romani convocari potest ab Eminentiss. Cardinali Urbis Vicario. — 10. Vicarius Generalis Episcopi absque ejus speciali mandato non potest Synodum convocare. — 11. Vicarius Capitularis, sede vacante, potest, immo debet Synodum congregare. — 12. Abbates, aliique Prælati Episcopo inferiores non possunt congregare Synodum, nisi habeant tria requisita, quæ assignantur. — 13. Episcopus justo aliquo impedimento detentus potest Synodum congregare per alium. — 14. Si in Diœcesi sit constitutus Vicarius Apostolicus, ad ipsum solum, et non ad Episcopum spectat congregare Synodum. — 15. Non est ordinarie convocanda Synodus, nisi prius expleta fuerit Visitatio Generalis Diœcesis. — 16. Debet autem Synodus fieri ante Visitationem, quando habita non fuit a multo tempore. — 17. Episcopus in convocatione Synodi non tenetur consilium Capituli requirere, nec in aliis actibus præparatoriis. — 18. Alii tamen tenent contrarium. — 19. Episcopus debet in publicatione Decretorum Synodi Capituli consilium exquirere, licet sequi non teneatur. 20. — Requisitio consilii Capituli debet ab Episcopo fieri Capitulo congregato, alias non valeret. — 21. Immo valde expedit, quod dicta requisitio facta Capitulo congregato, registretur in actibus Synodi. — 22. Si Canonici, et Dignitates nollent die ipsis indicta congregari, tunc sufficeret requisitio facta per Edictum. — 23. Et in casu, quo totum Capitulum congregatum contradiceret, vel protestaretur contra Synodum, posset Episcopus, his non obstantibus, ad Synodi celebrationem procedere. — 24. Capitulum Cathedralis debet necessario expresse in specie, et nominatim ad Synodum invitari — 25. Si autem Canonici, et Capitulum Synodo interesse recusent, cogi possunt ab Episcopo per censuras Ecclesiasticas. — 26. Laici, quamvis sit in facultate Episcopi eos invitare, non tamen possunt de jure prætendere quod teneatur eos invitare ad Synodum. — 27. Ad

Digitized by Google

Synodum accedere tenentur, et admitti debent solum Curati, et Beneficiati, nisi esset consuetudo, quod interveniret totus Clerus. — 28. In casu autem, quod in Synodo agendum sit de reformatione morum, vel de alia re, quæ clerum universum tangat, omnes Presbyteri, et Clerici interesse debent. — 29. Tunc tamen si Episcopus acturus sit super aliquo ex præmissis, debet facere mentionem verbis specificis in Edicto convocationis. — 30. Exempti omnes, qui alias, cessante exemptione, Synodo interesse deberent, nec Capitulis Generalibus subduntur, ad eam accedere tenentur. — 31. Omnes Curati, sive sæculares, sive Regulares, tenentur ratione curæ Parochialis accedere ad Synodum, etiamsi Curati Regulares subdantur Capitulis Generalibus. — 32. Synodo interesse tenentur etiam Abbates, aliique Superiores Regulares, et Prælati inferiores exempti, si per seipsos curam Parochialem exerceant; secus autem, si per alium, quia tunc ipsi soli alteri hoc onus incumbit. — 33. Item Synodo interesse tenentur Vicarii, seu Cappellani Religionis Hierosolymitanæ curam animarum habentes. — 34. Item Synodo interesse tenentur Parochi exempti Ecclesiæ Lateranensis. — 35. Rectores Parochialium nullius Diœcesis, etiamsi sint Abbates, tenentur accedere ad Synodum illius Episcopi, qui tamquam vicinior potest eos visitare. — 36. Abbates Regulares, Priores, Rectores, Guardiani, aliique Superiores parvorum Conventuum, qui subjiciuntur jurisdictioni Ordinarii, tenentur vocati accedere ad Synodum. — 37. Et si non interveniant, potest Episcopus suo arbitrio illos mulctare, excepta mulcta pecuniaria. — 38. Conventus tamen, qui non fuerunt suppressi, et in quibus adest numerus sex Religiosorum, non comprehenduntur sub hac obligatione. — 39. Episcopus potest cogere etiam Clericos subcollectores Apostolicos, ut Synodo intersint. — 40. Episcopus potest juris remediis, etiam per censuras Ecclesiasticas compellere ad interessendum Synodo omnes supradictos obligatos Synodo intervenire. — 41. Et sic etiam juris remediis compelli possunt ab Episcopo ad interessendum Synodo Curati Regulares Parochiarum illorum Conventuum, in quibus Residentiam habent Generales suorum Ordinum, quamvis istæ Parochiæ non subjaceant Visitationi Ordinariorum. — 42. In Synodo Diœcesana potest Episcopus facere constitutiones, et Decreta absque consensu, et approbatione Capituli, et Cleri. — 43. Solus Episcopus in Synodo votum decisivum habet. — 44. Decreta tamen, seu constitutiones synodales, antequam usu recipiantur, debent ostendi Capitulo, et aliis interessatis, eisque duorum mensium præfigi terminus, ut si se senserint gravatos, recurrere possint ad ipsum Episcopum, vel ad Sedem Apostolicam. — 45. Non tenetur tamen Episcopus Synodum ostendere civitati, vel Laicis, antequam imprimatur, vel promulgetur. — 46. Dum Romæ revidentur Decreta synodalia, non convenit, quod Episcopus procedat ad eorum executionem. — 47. Non tenetur tamen Episcopus ante Synodi publicationem ejus Decreta Romam mittere. — 48. Constitutiones, seu Ordinationes factæ in Synodo sunt perpetuæ, et non expirant morte conditoris. — 49. Constitutiones, seu Ordinationes synodales ligant Clericos, et Laicos Episcopo subjectos. — 50. Tales autem Constitutiones synodales ex defectu auctoritatis non obligant Regulares. — 51. Servanda tamen est Synodus a Regularibus quoad tempus humationis cadaverum. — 52. Item servandæ sunt constitutiones synodales a Regularibus in iis omnibus, quæ concernunt observantiam Sacrorum Canonum, Conciliorum, Pontificiarum constitutionum, et Decretorum S. Congr. — 53. Delenda est pœna Excommunicationis in Decreto synodali contra Moniales scribentes, vel recipientes Literas, quas Abbatissa non legerit. — 54. Expensis propriis vivere debent Canonici euntes ad Synodum, et non gravare Capitulum. — 55. Canonici Ecclesiæ Collegiatæ cedere debent locum in Synodo Beneficiatis Ecclesiæ Cathedralis. — 56. An Canonici, et Clerici Cathedralis sedere debeant in Synodo ad dexteram, Canonici vero cum Clero Collegiatæ ad sinistram. — 57. Beneficiati tamquam singuli, et vocati ab Episcopo possunt intervenire Synodo, et in loco juxta præscriptum Pontificalis. — 58. Adducitur Decisio S. Rit. Congr. in una Spoletana juris sedendi in Synodo pro Collegiatis S. Petri, et Sancti Georgii Civitatis Spoleti cum Capitulo Cathedralis ejusdem civitatis. — 59. Affertur Decisio Sacræ Congregationis Episcoporum in una Senogallien. de duobus Curatis reclamantibus in Synodo adversus illius Decreta. — 60. In fine Synodi non interrogatur Clerus per verba *Placetne vobis*. — 61. Non licet Episcopo cogere etiam mulctis singulos Presbyteros, et Clericos ad Synodum impressam retinendam. — 62. Ad Synodum Diœcesanam non tenentur adire omnes Canonici Collegiatæ, sed tantum ex his quatuor, nisi adsit legitima consuetudo in contrarium. — 63. Simplices Sacerdotes tenentur servire Ecclesiæ Cathedrali diebus Festivis juxta consuetudinem, et constitutiones Synodales. — 64. Decreto synodali prohiberi non potest, ne Regulares celebrent ex Legato in Ecclesiis sæcularibus. — 65. Synodali Decreto vetari non potest, ne in aliis Ecclesiis exponatur adoranda Reliquia SS. Crucis diebus, quibus exponitur in Cathedrali. — 66. Constitutione synodali, aut alio modo potest ab Episcopis statui, ne Sacerdotes quicumque sive sæculares, sive Regulares officium exorcizandi exerceant sine speciali sua facultate sub pœnis arbitrio suo imponendis. — 67. Synodalibus constitutionibus tenentur Presbyteri Parochialium S. Joannis Hierosolymitani se conformare quoad omnia Sacramentorum administrationem et curam animarum concernentia; et etiam ceteri Regulares in iis, quæ respiciunt curam animarum et Sacramentorum administrationem. — 68. Constitutionibus synodalibus, aliisque Legibus etiam per edicta panditis ab Episcopo sine Capituli consilio, et assensu subjicitur idem Capitulum. — 69. Synodis Alexamen. celebrata anno 1739. fuit declarata nulla. — 70. Alia ad rem. *Remissive*. — 71. Concilia Provinciala quolibet triennio; Diœcesanæ vero Synodus quotannis renovari jubentur a Concilio Tridentino. — 72. Ad Synodorum et Conciliorum celebrationem Archiepiscopos et Episcopos Benedictus XIV. hortatur. — 73. Episcopis, qui ob aliquod impedimentum Synodos congregare nequeunt, alii suppetunt modi Diœceses administrandi. — 74. Sola Synodus Generalis insignitur titulo *Sanctæ*. — 75. Ad quænam definienda indicatur Synodus Generalis. — 76. Convocatio Diœcesanæ Synodi pertinet ad potestatem jurisdictionis. — 77. Quo loco congreganda sit. — 78. 84. Si duæ sint Cathedrales æque principaliter unitæ, in qua ex utraque Synodus congregari debeat. — 85. 86. De antiqua et hodierna disciplina congregandi Synodos Provinciales et Diœcesanas. — 87. 88. Benedictus XIV. reprehendit Episcopos, qui ex sola socordia et negligentia Synodum celebrare prætermittunt. — 89. De loco ubi sessiones Synodales haberi solent. — 90. Synodis Generalibus Imperatores et Principes adstiterunt, non ut Judices, sed ut Defensores. — 91. Unde istis discedentibus Synodi auctoritas non minuitur. — 92. Synodis autem Provincialibus Laici cujuscumque Dignitatis intervenire non consueverunt. — 93. Hinc quædam ex his Synodis ob Laicorum potentium præsentiam reprobatæ sunt. — 94. Possunt tamen Laici interesse quibusdam circumstantiis concurrentibus. — 95. 96. Quibus exceptis nullus Laicus jus habet interveniendi Synodis Provincialibus. — 97. 98. Possunt tamen Laici interesse Synodis tanquam meri Auditores, seu testes eorum, quæ decernuntur. — 99. Episcopi tamen non nimis faciles se præbeant in Laicis ad Synodum invitandis. — 100. 102. De jure hodie non licet introduci Laicos ad Synodos Diœ-

Digitized by Google

cesanas. — 103. 105. De loco et tempore denunciationis Synodi celebrandæ. — 106. Synodus Diœcesana triduo absolvitur. — 107. Quænam agenda prima die. — 108. Quænam secunda. — 109. 114. Quænam tertia. — 115. 116. De ordine sedendi in Synodis. — 117. 118. Quænam agenda sint in Synodis. — 119. In Synodis abstinendum est a quocumque verbo, quo videatur reprobari opinio inter Catholicos controversa. — 120. 123. An Synodales Constitutiones, aliæque Sanctiones extra Synodum, consulto Capitulo, latæ, Episcopo moriente, vel Diœcesim relinquente, in suo robore durent. — 124. Potest aliquis a Constitutionibus Synodalibus eximi per dispensationem. — 125. A quo Constitutiones Synodi Provincialis relaxari possint. — 126. 128. Constitutionum Synodalium vires an retardentur per appellationem ad Superiorem. — 129. Cavere debet Episcopus, ne Clericos sub censuris, et mulctis compellat ad emendum codicem Constitutionum Synodalium. — 130. Solus Episcopus, vel ejus Delegatus subscribendi jus habet Synodo Diœcesanæ, solusque ipse in eo votum decisivum habet. — 131. 134. Quinam subscribant Synodo Generali. — 135. Synodo Provinciali subscribunt omnes Provinciæ Episcopi, uti Judices. — 136. Non autem Capitula, seu Canonici Cathedralium, nec Synodis Provincialibus, nec Diœcesanis. — 137. Synodus Generalis nullam vim obtinet, nisi sit a Summo Pontifice confirmata. — 138. Synodus Provincialis debet recognosci, et approbari a Summo Pontifice. — 139. Non vero obstringit universam Ecclesiam, nisi Pontifex expresse dixerit. — 140. Synodus Diœcesana non oportet, ut Romam mittatur pro revisione et confirmatione, sed sine alterius approbatione vim legis habet in Diœcesi. — 144. In fine Synodorum fieri solent faustæ acclamationes. — 142. 143. De fine Concilii Trident. et confirmatione petenda a Sanctissimo. — 144. 145. Acclamationes Patrum in fine Concilii. — 146. 147. Acclamationes in Concilio Provinciali Mediolanensi sexto. — 148. Acclamationibus de more absolutis Rever. Patres ad Illustriss. Metropolitanum pro osculo pacis accesserunt. — 149. Postea Metropolitanus Synodo solemniter benedixit et Indulgentiam centum dierum concessit. — 150. Post Acclamationes in Conciliis Provincialibus omnes Episcopi accedunt ad osculum pacis a Metropolitano accipiendum. — 151. 152. Etiam in fine Synodorum Diœcesanarum aliquando fieri solent dictæ Acclamationes, licet rarius. — 153. 154. Traduntur Acclamationes factæ in fine Synodi Diœcesanæ XI. Mediolanensis. — 155. Acclamationes fieri solitæ in fine Synodi. — 156. Synodus Diœcesana Presbyterium ab antiquis frequenter appellatur; item Concilium civile. — 157. Episcopus causam, cur Synodum non celebrarit, debet afferre in visitatione Liminum Apostolorum. — 158. Licet Eminent. Cardinalis Urbis Vicarius Synodum Diœcesanam celebrare possit, non tamen tenetur. — 159. Item intelligendum est de Episcopis Cardinalibus Suburbicariis. — 160. Si Episcopus inconsulto Capitulo novas ediderit Constitutiones, sanare illas poterit S. Concilii Congregatio. — 161. Si Statuta Synodalia etiam populum respiciant, promulganda sunt extra Synodum. — 162. In Belgio sine regio consensu ægre Synodorum publicatio permitteretur; in Gallia vero non tenentur Episcopi literas regias petere. — 163. Alia de Acclamationibus in Synodis Diœcesanis.

ARTICULUS I.

De his quæ concernunt concilium ut sic, et concilium generale.

(1. Concilium dicitur a *Con* et *cilium*, quia ibi omnes congregantur, ut conveniant, sicuti cilia oculorum, dum clauduntur, conveniunt, secundum Hug. et Archid. *in cap. Canones n.* 1. *dist.* 15. et Fagnan. *in cap. Ex parte* 3. *de Capellis Monachor. num.* 10. Unde *in cit. cap. Canones* 1. *Distinct.* 15. sic expresse dicitur : « Cilia enim oculorum sunt; unde qui sibimet dissentiunt, non agunt Concilium, quia non consentiunt in unum.... Concilii vero nomen, » dicit ipsemet Canon, « tractum est ex more Romano; tempore enim, quo causa agebatur, conveniebant omnes in unum, communique intentione tractabant; unde Concilium a communi intentione dictum quasi Consilium; dicitur in l. Literam transeunte. » (2. Sic ut observat Silvester *verb. Concilium numer.* 1. a societate multorum in unum concedentium appellatur. (3. Concilium igitur, quod Græci *Synodum* appellant, quantum ad nostrum propositum, sumitur pro Cœtu, seu pro Conventu Sacerdotum, maxime Episcoporum pro resolvendis rebus Fidei, seu aliis gravioribus Ecclesiæ negotiis, a legitimo Superiore congregatorum. E! Concilium sic appellatum est triplex, scilicet Generale, Provinciale, et Episcopale. (4. Concilium *Generale*, seu *OEcumenicum* est illud ad quod a Summo Pontifice convocantur omnes Episcopi totius Orbis, ut singuli competenter conveniant, nisi canonico impedimento fuerint præpediti; *cap. Placuit, distinct.* 18. *et cap. Ego* 4. *de Jurejurando.* (5. Concilium Provinciale est illud quod congregatur ex Suffraganeis certæ Provinciæ auctoritate Metropolitani ad definiendas causas spirituales illius Provinciæ, quæ non sunt ex majoribus, Summoque Pontifici reservatis; et nomine Concilii Provincialis venit etiam Concilium Nationale, in quo videlicet omnes Archiepiscopi, et Episcopi certæ Nationis sub uno Primate, vel Patriarcha conveniunt. (6. Concilium Episcopale (seu Synodus Diœcesana) est illud, quod ob idem motivum, et finem, ac Provinciale congregatur auctoritate Episcopi Diœcesani (1).

(7. Concilium Generale absque auctoritate Romani Pontificis celebrari non potest; *cap. Synodum* 1. *cap. Regula* 2. *et c. Multis* 5. *dist.* 17. cum similibus; et *Const.* Pelagii II. incip. *Manifesto*, ibi : « Generalem Synodum convocandi auctoritas Apostolicæ Sedi Beati Petri singulari privilegio est tradita; » *Constit.* Leonis IX. incip. *Cum ex eo*, ibi : « Nolo vos lateat, non debere præter sententiam Romani Pontificis universale Concilium celebrari. » *Constit.* Pii II. incip. *In minoribus*, ibi : « Inter Concilia nullum invenimus unquam fuisse ratum, quod stante Romano indubitato Pontifice, absque ipsius auctoritate convenerit; quia non est corpus Ecclesiæ sine Capite; et omnis ex capite defluit in membra potestas. » *Constitut.* Leonis X. incip. *Pastor æternus*, in Concil. Lateranensi *sess.* 11. *tom.* 4. *Concil. part.* 2.

(1) De hactenus dictis non erit inutile conferre Abbatem Salmon in Tractatu Parisiis edito 1724. *p.* 111. *cap.* 2. *de l'étude des Conciles.* (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

pag. 120. ibi : « Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, et transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, et potestatem habere, ne dum ex Sacræ Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, Sacrorumque Canonum decretis, sed propria, etiam eorumdem Conciliorum Confessione manifeste constat, » et ibi Pontifex aliqua talia Concilia recenset. (8. Unde Concilium non dicitur, sed Conciliabulum, seu Conventiculum, quod sine auctoritate Romani Pontificis celebratur; *cap. multis dist.* 17. ubi ex Pelagio II. scribente ad Episcopos, qui convenerant ad Concilium Universale a Joanne Patriarcha Constantinopolitano temere convocatum, sic habetur : « Multis Apostolicis, et Canonicis, atque Ecclesiasticis instruimur Regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilium celebrari. Quapropter recte non Concilium, sed vestrum Conventiculum, vel conciliabulum cassatur, et quidquid in eo actum est, irritum habetur, et vacuum. » (9. Et hoc adeo verum est, ut etiamsi ab initio Concilium fuerit auctoritate Apostolica congregatum, tamen si postea per Romanum Pontificem dissolutum, aut alio translatum fuerit, ex eo tempore remaneat Acephalum, et Schismaticum, nec sit amplius Concilium, sed Conciliabulum; *c. Clericus* 24. *q.* 3. *et cap. Submittitur dist.* 21. ibi : « Alioquin Acephalum liquet esse Concilium. » Et fuit definitum in Concilio Lateranensi sub Leone X, *sess.* 11. *tom.* 4. *Conc. p.* 2. *pag.* 120. *col.* 2.

(10. Hinc tamquam Conventicula, et Conciliabula fuerunt semper reprobata Concilia, quæ vel non a Summo Romano Pontifice, vel non ejus auctoritate ab Imperatoribus indicta sunt. (11. Hoc titulo reprobatum est in Synodo Romana a Gregorio II. Conciliabulum Constantinopolitanum trecentorum Episcoporum congregatum an. 730. eodem Gregorio renitente a Leone Isauro Imperatore. (12. Eadem ratione in Concilio Romano a Stephano IV. *anno* 769. rescissa sunt acta Conciliabuli Constantinopolitani pseudo-septimi universalis, a Constantino Copronymo Leonis filio congregati *anno* 754. (13. Eadem causa in Concil. Lateranensi V. reprobatum est Conciliabulum Pisanum contra Julium secundum Papam indictum *an.* 1511. (14. Sic ab Eugenio IV. *an.* 1433. fuerunt cassata, irrita, et annullata omnia, et singula statuta, et decreta edita a Concilio Basileensi, postquam ab ipso fuerat ibi dissolutum, et Bononiam, inde Ferrariam, et ultimo Florentiam translatum. Et sic de cæteris dicendum, cassata, et infirmata esse Concilia, quæ absque auctoritate Romani Pontificis convocata, seu continuata esse constat, et inter Acephala, et Schismatica Conciliabula numeranda esse. (15. Nec juvat objicere, quod olim Imperatores convocabant ipsi Concilia, quæ tamen sunt habita, ut vera, Canonica, legitima, et OEcumenica Concilia, et non Conventicula, et Conciliabula, ut patet de Nicæno primo convocato a Constantino Magno, de Constantinopolitano primo a Theodosio seniore; de Ephesino a Theodosio Juniore, de Chalcedonensi a Marciano, et sic de aliis. (16. Non juvat, inquam, sic objicere, quia respondetur, quod tales Imperatores, et alii, qui convocarunt Concilia, non convocarunt *coactive*, et *auctoritative, sed solum exhortative*, et *opitulative*. (17. Hæc enim est differentia inter Pontificem, et Imperatorem in convocatione Conciliorum : Papa indicit Concilia auctoritative, et potestative mandat Episcopis congregari; Imperator vero exhortative, et opitulative, in quantum suadet, et exhortatur, immo tamquam executor mandati et voluntatis Pontificiæ opitulatur, ac brachium, et adjutrices manus porrigit, ut tuto Patres congregentur, defendantur, et definita, juxta Romani Pontificis determinationem executioni mandentur; atque ita Romanus Pontifex efficacius, et facilius in convocatione Concilii suum consequatur intentum. (18. Unde ubi legitur, Imperatores sive Reges Concilia indixisse, debet intelligi, quod ipsi hoc fecerint, vel mandante, vel consulente, vel exhortante ad id Romano Pontifice, *ut dist.* 17. *per totum*, et prout D. Gregorius *lib.* 4. *Epist.* 1. exhortatur Theodoricum Galliæ Regem ad eliminandam Simoniam, et ad indicendam Synodum in suo Regno. (19. Quod si aliquod ex Conciliis Generalibus reperiatur convocatum ab Imperatoribus, et Regibus absque auctoritate, et consilio, et consensu Romani Pontificis, numquam potuit OEcumenicum appellari, donec ipse Romanus Pontifex ratam ex suo beneplacito, et assensu haberet illius convocationem; per subsequentem enim confirmationem robur tunc obtineret, et de Conciliabulo legitimum Concilium evaderet. (20. Et dato quod aliqua Concilia fuerint ab Imperatoribus, et Regibus coacta, Romano Pontifice contradicente, et numquam assentiente : tunc illa irrita, et nulla fuerunt; immo expresse a Romanis Pontificibus cassata, et annullata, ut patet de adductis supra *sub num.* 11. 12. 13. *et* 14. Hac enim in re Jus, non factum, est attendendum, et non tantum quid, sed quo Jure factum fuerit, oportet expendere. Conciliorum enim convocationem ad solum Romanum Pontificem spectare certum est, ex adductis supra sub n. 7. (21. Etiamsi de jure causa agatur, ut statuit Julius II. *Const.* 27. incip. *Sacrosanctæ*.

(22. In casu Schismatis, existentibus pluribus dubiis Pontificibus, possunt Cardinales Concilium convocare, et præcipere, ut Pontifices contendentes Pontificatu se abdicent, quod ni fecerint, possunt eos sententia lata a Pontificatu dejicere, omnesque Christi fideles ab eorum obedientia absolvere, ipsisque præcipere ne eos ullo modo pro Pontificibus agnoscant, et venerentur, sed eum ut legitimum teneant, qui a Cardinalibus canonice postea eligatur. (23. Et de facto ad tollendum Schisma, quod diu, et valde Ecclesiam exagitavit, contendentibus de Papatu Gregor. XII. et Bened. XIII. Pisis per

Digitized by Google

Cardinales utriusque partis congregatum fuit Concil. *an.* 1409. cui ex utraque factione interfuerunt viginti sex Cardinales (seu ut alii volunt, viginti tres), tres Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus, et Hierosolymitanus, Archiepiscopi, et Episcopi centum octoginta, Abbatum, et Theologorum ingens numerus. Et adfuerunt pariter Oratores Regum Franciæ, Bohemiæ, Angliæ, Hierusalem, Cypri, Siciliæ, Poloniæ, et aliorum Principum. (24. In eo igitur Pisano Concilio, duo scilicet Gregorius dictus XII. et Benedictus XIII. de Papatu contendentes accusati sunt, quod concordiam contra Jusjurandum, et fidem datam ad pacem Ecclesiæ dandam inire recusarent. Hinc juridice et peremptorie ipsis citatis, subinde non comparentibus, probataque prius eorum notaria in Schismate contumacia, fuit in eos tamquam Schismaticos, perjuros, et Schismaticorum fautores pronunciata e prætenso eorum Pontificatu sententia depositionis, et declaratum, Ecclesiam Romanam vacare, et omnes ab eorum obedientia fuerunt absoluti. Exinde a Cardinalibus Conclave ingressis electus Petrus Philargi ex Minorum Ordine, Archiepiscopus tunc Mediolanensis, et Cardinalis, magnæ vir Sanctitatis, et Doctrina conspicuus, qui appellari voluit Alexander V. (25. Et quamvis non defuerint, qui dubitarent de legitimitate hujus Concilii, tamen cum diu Florentiæ disputatum esset a Laurentio Rodulpho, tandem conclusum fuit, licite, et canonice Concilium in tali casu convocari, et fieri potuisse; quæ fuit quoque sententia Universitatum Parisiensis, et Bononiensis, a quibus hæc fuerunt Concilio directa : « Stante dubio inextricabili Papatus propter dubium facti, et Juris, ne in subversionem Fidei Ecclesia sic maneat perpetuo divisa cum tanto scandalo, et animarum perditione, provisio spectat ad Concilium, ut utrumque, eis non cedentibus, possit a Papatu ejicere. » (26. Et legitimitas hujus Concilii, et electionis Alexandri V. aperte comprobatur, ex quo Alexander V. in Catalogo legitimorum Pontificum communiter reponatur.

(27. Ad Concilia Generalia vocandi sunt de Jure solum Episcopi, et Majores Prælati, scilicet Patriarchæ, Primates, et Archiepiscopi, ut notat Innocent. et Joan. Andreas; *in cap. Grave, de Præbend.*, et alii communiter; ad quod facit *cap. Episcopus* 9. *c. Plucuit* 10. *cap. Si quis* 12. *cap. Si Episcopus* 13. *cap. Si quis Episcoporum* 14. *et cap. Propter* 15. *dist.* 18. *Cum similibus.* (28. Ad omnes istos spectare de Jure, et Officio in Conciliis Generalibus Jus suffragii decisivi, communis Catholicorum sententia est. Quia cum isti sub Romano Pontifice sint Pastores Ecclesiarum, ad eos pertinet ex officio sub eodem causas fieri decernere, et negotia Ecclesiastica in Conciliis OEcumenicis legitime congregatis tractare. (29. Immo eodem suffragii decisivi Jure gaudent etiam Episcopi Titulares, et ideo etiam ipsi sunt de Jure vocandi ad Generalia Concilia. Licet enim a Tyrannis infidelibus sint occupatæ Ecclesiæ, ad quorum titulum sunt ordinati, et consecrati Episcopi; et consequenter in actu secundo careant Jurisdictione, ex quo non habeant Territorium actuale, in quo subditis Jus dicere possint, etc..... retinent tamen jurisdictionem in actu primo quoad suas Titulares Ecclesias, quæ potest dari (et utinam pro dilatatione Fidei detur), quod liberentur a tyrannide infidelium, et sic etiam in actu secundo habeant Territorium, in quo subditis, sicuti omnes alii Episcopi, Jus dicere possint. (30. Ex privilegio autem et consuetudine vocandi sunt ad Concilia Generalia cum suffragio decisivo Cardinales etiam non Episcopi, Abbates, et Ordinum Regularium Generales. Bellarminus *lib.* 1. *de Conciliis cap.* 15. *et communis Catholicorum.* (31. Ad Concilia Generalia solent vocari etiam aliqui insignes Theologi, et Sacrorum Canonum Doctores; non quidem pro suffragio decisivo, sed solummodo pro voto consultivo. (32. Principes etiam ad Concilia Generalia solent invitari, ut per se, vel per suos Oratores intersint, tum ut Concilium defendant, et scandala, seu novitates Novatorum compescant; *ut cap. Quia Sancta* 28. § *Verum dist.* 63. tum ut testes, et conscii decretorum Concilii, postea transgressores et contumaces pœnis corporalibus puniant. Bellarminus *loc. citat.* ubi dicit, hanc esse sententiam communem Catholicorum; et sic patere tum ex personis, quæ interfuerunt Concil. Trident. tum ex Turrecremata *leg.* 3. *c.* 12. *et* 15. aliisque Catholicis Auctoribus. (33. Ipsi autem Principes, sive Imperiali, sive Regali, sive alia quacumque dignitate præfulgeant, et quicumque alii Laici, quacumque scientia, doctrina, et Juris utriusque peritia conspicui, in Conciliis Generalibus suffragium decisivum non habent. *Sic communis Catholicorum* contra Lutheranos, et Calvinistas, aliosque Hæreticos; Laici enim semper sunt ab Ecclesiasticis negotiis, ut Judices excludendi; *cap. Messana, de election. cap. Debent, de Offic. Judic. Ordinar.* cum similibus. (34. Et hoc fuit observatum etiam in veteri Lege, ubi dubia Religionis, et eorum quæ ad Deum pertinebant, decidere spectabat ad Sacerdotes, et non ad Laicos; ut *ex* 2. *Paralip. c.* 19. ibi : « In Hierusalem quoque constituit Josaphat Rex Levitas, et sacerdotes, et Principes familiarum ex Israel, ut judicium, et causam Domini judicarent habitatoribus ejus : Amasias autem Sacerdos, et Pontifex vester in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit : porro Zabadias filius Ismael, qui est dux in Domo Juda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. » (35. Sic etiam invenimus observatum ab exordio Ecclesiæ in Concilio Apostolorum *Actor.* 15. ubi Laici non habuerunt Jus suffragii decisivi, sed facta per Apostolos, et Seniores disquisitione super quæstione de Mosaicæ Legis ritibus, utrum necessarius esset illorum usus. Petrus sententiam definitivam pronunciavit : *Convenerunt Apostoli, et seniores videre de verbo hoc*, id est consultare : « Cum autem magna conquisitio fieret surgens Petrus dixit ad eos :

Digitized by Google

Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere; » et controversiam decidit. *Quo facto*, dicit textus, *tacuit omnis multitudo*, etiam aliter sententium, suo silentio definitivam sententiam Petri amplectens. (36 Et de facto auctoritas decidendi dubia ad Religionem, et mores spectantia, functio regendi Ecclesiam, non Laicis, sed solis Episcopis est demandata. *Actor.* 20. ibi : « Attendite vobis, et universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei. »

(37. Et hanc demandatam Episcopis auctoritatem, et sibi non concessam cognoverunt, et fassi sunt ipsimet Imperatores; Constantinus enim Magnus apud Ruffinum 1. *hist. cap.* 2. in Concilio Nicæno requisitus, ut auditis quorumdam Episcoporum quærimoniis, Judex esset, illud dignum tanto Principe protulit : « Vos a Deo nobis dati estis Dii, et conveniens non est, ut homo judicet Deos. » (38. Theodosius Junior in Epistola ad Ephesinum Concilium, quæ extat 1. *tom. ejusd. Conc. c.* 32. *Illicitum est*, inquit, *eum qui non sit in Ordine Sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus.* (39. Basilius Imperator in Octava Synodo scribens ad Episcopos, affirmat, eos Judicii Synodici potestatem divinitus accepisse; ubi nota, quod non sibi, sed Episcopis eam attribuit potestatem. (40. *Et in action.* 4. ex Gravina *tom.* 4. *part.* 2. *Cathol. præscript. disput.* 2. *art.* 8. § *Confutatio num.* 30. legitur : « Imperatores nostri miserunt servos suos, qui Senatus vocantur, ut simus discretivi eorum, quæ geruntur, Auditores; » quibus verbis, ut clare patet, Senatores illi fatentur sese testes solummodo discretivos, hoc est, distincte cognoscentes ea quæ per Patres in Concilio gerebantur. Et plurimæ habentur consimiles Imperatorum, aliorumque Principum confessiones, ex quibus patet, quod Jus decisivi suffragii, et sententiam ferendi in Conciliis competit solis Episcopis, et nullimode Laicis quavis auctoritate, dignitate, et doctrina fulgentibus, ut perperam prætendunt Hæretici protestantes, aliique hujus furfuris viri. (41. Tum quia hoc non spectare ad Laicos, sed ad solos Episcopos clare deducitur ex Conciliis hucusque celebratis; omnium enim Conciliorum Decreta ab episcopis solis facta esse patet ex subscriptionibus. (42. In omnibus enim Conciliis reperimus solos Episcopos subscripsisse, exceptis paucis Generalibus, quibus etiam Imperator subscripsit, sed alia forma, quam Episcopi; Episcopi enim definiendo, ut Judices; Imperatores consentiendo, subscripserunt. (43. Immo quibusdam etiam paucissimis exceptis, ut Florentino, Lateranensi, et Tridentino, quibus subscripserunt Abbates, et Generales Ordinum Regularium, nulli alii umquam, quamvis optimi et doctissimi, sunt admissi in Conciliis legitimis ad Suffragium decisivum, et consequenter ad definitivam subscriptionem, ut observat Bellarminus *l.* 1. *de Conciliis cap.* 15. (44. Et per hoc supra *num.* 30. *et seqnent.* fuit dictum, quod solum ex privilegio, ex consuetudine vocandi sunt Cardinales non Episcopi. Abbates, et Generales Ordinum Regularium ad Generalia Concilia cum suffragio decisivo; et solum pro ferendo voto consultivo solere vocari aliquos insignes Theologos, et Canonistas, et ut Defensores, et pro ampliativa observantia Conciliorum Decretorum potissimi adjutores, et executores solere vocari etiam Principes.

(45. Soli Romano Pontifici competit Jus auctoritative præsidendi, vel per se vel per suos Legatos in Conciliis Generalibus. *Est communis* inter Catholicos, contra Lutherum, Calvinum, Vergerium, et alios volentes Imperatorem Concilio Generali præesse, et ipsum sua auctoritate confirmare; solus enim Pontifex Romanus est omnium Pastor, et a Christo Primatum habet in tota Ecclesia, et is solus potest facere, ut reliqua Ecclesiæ capita conveniant in nomine Domini; *Matth.* 18. *vers.* 20. idest auctoritate a Christo emanante; et vere non Tiberio Imperatori, sed Petro piscatori tradidit Christus claves, et Regimen totius Ecclesiæ suæ; *Matth.* 16. *vers.* 19. *et Joann. ultimo vers.* 15. Nec enim dixit Imperatori *pasce oves meas*, sed Petro, per quæ verba auctoritati Pontificiæ Christus subjecit, nedum Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos, sed etiam Reges, et Imperatores, idem enim est, ac si dixisset Christus Petro ex Chrysostomo in hunc locum : « Esto præpositus loco mei, et caput Fratrum tuorum; unde sicut Christus in medio sedet eorum, qui congregantur in nomine suo, quibus obscura legis explicat, *Joan.* 16. *vers.* 13. : sic etiam sedere debet Summus Pontifex in medio Episcoporum, tanquam Judex Supremus; Christus enim plenissimam potestatem Petro, et Successoribus ejus plenissime commisit; S. Cyrillus Alexand. apud S. Thomam contra errores Græcorum, *Opuscul. l.* 1. *cap* 32. *Titulo de Romano Pontifice.* Cum ergo habeat plenissimam potestatem, non tantum convocare potest Prælatos ad Concilium, sed insuper in illo auctoritative præsidere tanquam Supremus Princeps sive per se, sive per Legatos. (46. Et revera in omnibus hucusque celebratis Generalibus Conciliis semper præsedit auctoritative Romanus Pontifex sive per se, sive per suos Legatos. (47. Nec valet objicere, quod in multis Generalibus Conciliis præsederint Imperatores, ut Constantinus in Nicæno, Martianus in Chalcedonensi, et sic de multis aliis : non valet, inquam, quia licet in aliquibus generalibus Conciliis, maxime Orientalibus, præsederint Imperatores præsidentia *honoraria*, numquam tamen præsederunt præsidentia *auctoritativa*, et per hoc notanter dicitur in conclusione, quod soli Romano Pontifici competit Jus præsidendi *auctoritative.* (48. Unde ad faciliorem intelligentiam notandum est, quod alia est præsidentia *auctoritativa*, et alia est præsidentia *honoraria.* Præsidentia *auctoritativa* dicitur ab auctoritate proponendi in Concilio quæ pertractanda sunt cum jure ferendi suffragium, et determinandi, ac decidendi, quæ expedire videntur, et insuper

Digitized by Google

cum auctoritate coactiva compescendi etiam per Censuras Ecclesiasticas, et alia juris remedia contradictores, et rebelles, et contumaces, prout ex Constitutione 11. Martini V. incipiente : *Dum onus.* (49. Et hæc præsidentia competit Romano Pontifici per proprietatem, quam suis Legatis communicat, ut eisdem Conciliis, ipso absente, præsint semper tamen cum subordinatione ad ipsum, ad quem spectat res ultimo decidere et definire. (50. Præsidentia *honoraria* dicitur a loco honoratiori, eminentiori, et digniori in consessu Concilii habito. (51. Et hac præsidentia fatemur Imperatores nonnullis Conciliis Generalibus in Oriente celebratis præsedisse, cum ad ipsa numquam interfuerint per se ipsos Summi Pontifices, ut patet ex *Epistola* 17. Leonis Papæ *ad Theodosium*; et 47. *ad Concilium Chalcedonense*, ubi dicit se non venire ad Synodum, quoniam id non patitur consuetudo, nec ulla Prædecessorum habet de hac re exempla. (52. Sed semper miserunt ad præsidendum *auctoritative* suos Legatos, ante quos, utcumque tolerabile esset, in loco eminentiori, et digniori sedebant in Concilio Imperatores ; (53. Quibus tamen numquam fuisset permissum sedere in loco eminentiori, digniori, quam Summus Pontifex, si ipse personaliter interfuisset ; (54. Uti patet in Concilio Florentino in initio, ubi nullatenus fuit permissum, uti Græci contendebant, ut in summo loco sederet eorum Imperator, et Summum Pontificem præcederet.

(55. Soli etiam Romano Pontifici competit Jus auctoritative confirmandi Concilia Generalia, et absque illius confirmatione Decreta in illis robur non habent ; ut colligitur *ex cap. Reg.* 2. *cap. Nec licuit* 4. *c. Multi* 5. *cap. Concilia* 6. *dist.* 17. et habetur *in cap. Significasti* 4. *de election.* ibi : *Cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, et facta sint, et robur acceperint.* Et in Constitutione Gelasii Primi incip. *Valde* § 16. ibi : *Prima sedes* (scilicet Romana) *unamquamque Synodum confirmat sua auctoritate.* (56. Et de facto est praxis Patrum Conciliorum petere semper a Romano Pontifice confirmationem eorum, quæ in Concilio statuerunt. Patres Concilii Nicæni (quod fuit norma et regula cæterorum) per Epistolam Synodicam petierunt a S. Silvestro, ut auctoritate Apostolica decreta Concilii confirmaret. *Nunc itaque* (sunt propria eorum verba) *nunc itaque ad vestræ Sedis augmentum accurrimus roborari;* et infra : *Quidquid autem constituimus in Concilio Nicæno, precamur vestri oris consortio confirmetur.* Silvester autem petitioni Patrum annuens Concilium Nicænum confirmavit, ut sequitur : « Quidquid in Nicæa Bithyniæ constitutum est ad robur Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ, et Apostolicæ, a Sanctis Sacerdotibus trecentis decem et octo, nostro ore conformiter confirmamus; Omnes, qui ausi fuerint dissolvere definitionem Sancti et Magni Concilii, quod apud Nicæam congregatum est sub præsentia piissimi, et venerandi Principis Constantini Augusti, anathematizamus. (1) » Sic ex Concilio Rom. III. sub eodem Silvestro celebrato anno 325. apud Bail. *Summ. tom.* 2. *Concil. sæcul. IV.* (57. Et similiter Patres, seu Legati, qui nomine Romani Pontificis in aliis Conciliis Generalibus præsederunt, confirmationem petierunt, et obtinuerunt ab ipso solo Romano Pontifice, ut, omnibus aliis brevitatis gratia relictis, constat ex Concil. Trident. in cujus fine habentur verba ipsa, quibus Patres ipsum Concilium a Pio IV. confirmari postularunt, ut sequitur : « Illustrissimi Domini, Reverendissimique Patres, placet ne vobis, ut ad laudem Dei omnipotentis huic Sacræ OEcumenicæ Synodo finis imponatur, et omnium, et singulorum, quæ tam sub fel. record. Paulo III. et Julio III. quam sub Sanctissimo Domino Nostro Pio IV. Romanis Pontificibus, in ea decrota, et definita sunt, Confirmatio nomine hujus Sanctæ Synodi per Apostolicæ Sedis Legatos, et Præsidentes a Beatiss. Romano Pontifice petatur ? » Patres responderunt : *Placet.* (58. Et confirmationem ab ipso Pontifice in executionem Decreti petierunt Cardinalis Moronus, et Simoneta, qui tunc Legati, et Præsidentes erant, quibus Pontifex annuens, et Concilium confirmavit, omnibusque fidelibus observantiam præcepit, ut patet ex verbis propriis ipsius Pontificis, in Resp. incip. *Petitioni nomine Concil. OEcumenici Triden.* ad finem ipsius Concilii, et Constitutionis incip. *Benedictus Deus.*

(59. Nec officit, quod reperiantur etiam plures Conciliorum confirmationes factæ ab Imperatoribus ad postulationem etiam Patrum ipsorum Conciliorum, ut patet de Concilio Constantinopolitano primo, ubi Patres in Epistola incip. *Initio*, rogaverunt Theodosium Seniorem, ut decreta Concilii confirmaret, ibi : *Cupimus abs te, humanissime et piissime Imperator, diplomate tuo Synodi sententiam confirmari . . . . . placita Synodi ad finem prædicta subscriptione tua munias;* et consimiliter reperitur de aliis. (60. Non officit, inquam, quia licet Imperatores etiam ad petitionem ipsorum Patrum aliquando Concilia confirmarint, et sua subscriptione munierint, numquam tamen *auctoritative*, ut Summ. Pont. sed solummodo *testificative*, vel *receptive*, aut *executive*. (61. Unde ad hoc juvat notare, quod triplex est confirmatio : Prima est confirmatio testificativa, in quantum per ipsam testificatur unio, et concordia in edendis Decretis Conciliaribus, et talia esse vere, et realiter decreta edita in tali Concilio. (62. Secunda est confirmatio *receptiva*, aut *executiva*, in quantum per ipsam recipiuntur, seu acceptantur Decr. Conc.

(1) Firmo remanente Romani Pontificis Jure Conciliorum Generalium confirmandorum, monitum Lectorem volumus, tum Epistolam Concilii Nicæni ad Silvestrum, tum ejusdem Silvestri ad Concilium, nec non acta Romani Concilii hoc numero laud. inter suppositia scripta esse recensenda, ut omnes

Digitized by Google

et præcipiuntur coercitive exequi, et observari etiam a contradicentibus, et rebellibus. (63. Tertia est confirmatio auctoritativa, in quantum per ipsam Decr. Conc. auctorizantur, ut divinæ revelationi conformia, et præcipiuntur haberi a tota Ecclesia tamquam Regulæ Fidei, et morum, simulque exacte observari. (64. Hinc prima, et secunda confirmatio potest fieri etiam ab Imperatoribus, Regibus, aliisque Supremis Principibus. (65. Tertia autem a solo Romano Pontifice fieri potest privative, quoad omnes. Unde egregie ad rem Card. Cusanus. *lib.* 3. *de Concord. Catholica*, *cap.* 15. dixit : « Summ. Pontif. confirmat tamquam auctoritatem præbens Concilio, Imperator vero tamquam testis eorum, quæ gesta sunt, et decreta, et tamquam ea approbans, et recipiens, eisque se subjiciens, et quia Regis ad exemplum totus componitur Orbis, cæteri omnes Concilio obediunt; nullam vero vocem Synodicam, vel decisivam, vel conclusivam habet; ideo cum deprehendimus Imperatores Concilia confirmasse, id factum est, ut manus auxiliares præberent Ecclesiæ (1). »

(66. Definitiones Universalis Concilii etiam legitime congregati editæ absente Romano Pontifice non sunt infallibiles sine ipsius Papæ confirmatione; Christus enim non pro Apostolorum Concilio, sed pro Petro rogavit, ut non deficeret Fides ejus; *Lucæ* 22. ibi : « Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat Fides tua, et tu aliquando conversus confirma Fratres tuos. » (67. Unde infallibilitatem in definiendo dedit solum Petro, et ejus successoribus; *cap. A recta* 9. *cap. Hæc est fides*, 14. *caus.* 24. *quæst.* 1. *et cap. Majores* 3. *de Baptismo.* (68. Non autem Concilio, quod potest errare, pro ut de facto alias erravit; *ut cap. de puellis* 4. *et cap. Placuit* 11. *caus.* 26. *quæst.* 2. et notat Abbas *in cap. Significasti num.* 3. *de election.* Turrecremata *in cap. Anastasius in fin. dist.* 19. Card. Alban. *de potest. Papæ, et Concilii in* 2. *part. num.* 107. Card. Petra *tom.* 5. *comment. in Constit.* 10. Pii II. *num.* 31. Fagn. *in cap. Majores* 3. *de Baptismo num.* 29. ubi *num.* 30. subjungit, quod licet Universale Concilium Ephesinum II. legitima auctoritate fuerit inchoatum, nihilominus Leo Papa unanime probavit ipsius Concilii definitiones, immo illas in sequenti Concilio Chalcedonensi tamquam hæreticas damnavit, ut refert Card. Turrecremata *in Summa de Ecclesia l.* 2. *cap.* 100. (69. Nec obstat, quod cum omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem celebrantur, ut expresse cavetur *in cap. Significasti* 4. *de election.* illorum definitiones post impertitam eis auctoritatem conseri debeant Papales, et consequentur infallibiles; *cap. Si Apostolicæ; c. Si eum, et c. Hi qui in fin. de Præbend. in* 6. *Cum aliquibus, de rescriptis in* 6. *quia ex l.* 1. § *Sed neque C. de veteri J. enucleun. Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem impertimur; et regul.* 72. *Juris in* 6. ibi : *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per scipsum.* (70. Non obstat, inquam, quia respondetur, prædictas Regulas, et Jura procedere in iis tantum, quæ ex sui natura possunt alteri delegari, ut notatur *in l.* 1. *ff. de Offic. ejus, et dict. Regul.* 72. *Qui facit per alium.* (71. Infallibilitas autem in determinationibus, et definitionibus spectantibus ad Dogmata Fidei non est alteri delegabilis, et communicabilis, quia fuit divinitus collata solum ipsi Petro; et ex Petri Persona illius successoribus, ut *ex cit. c.* 22. *Lucæ, cit. cap. A recta* 9. *cap. Hæc est Fides* 14. *caus.* 24. *quæst.* 1. *et citat. cap. Majores* 3. *de Baptismo*, Fagnan. *loc. citat. num.* 33. Bellarmin. *lib.* 2. *de Concil. cap.* 11. Malderus *disput.* 3. *de Concil. dub.* 1. Cardin. Petra *loc. citat. num.* 31 *et* 32. et sic alii passim.

(72. Concilia Generalia a Summo Pontifice confirmata sunt infallibilis veritatis, et errare non possunt nec in Fide, nec in moribus. Oritur autem hæc infallibilitas ex assistentia Spiritus Sancti non ipsi soli Pontifici, sed etiam reliquo Concilio cum Pontifice in unum collecto; *Matthæi* enim 18. expresse dicitur : *Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, idest ait Concilium Chalcedonense post *act.* 3. *in Epistol. ad Leonem Papam, si duo, vel tres congregati in nomine meo, meam assistentiam accipiant, quanto magis Congregatio tota Prælatorum cum capite suo?* Joan. 16; dicitur, *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Unde fidenter pronunciat primum Concil. Hierosolymitan. *Actor* 15. *Visum est Spiritui Sancto, et nobis.* (73. Hinc est quod Concilia Generalia a Summis Pontificibus approbata seu confirmata habentur ab Ecclesia tamquam norma Ecclesiasticæ veritatis; *c. Canones* 1. *cap. Sicuti Sancti Evangelii* 2. *et cap. Sancta Romana Ecclesia* 3. *dist.* 15. (74. Concilia autem Generalia ab Ecclesia totaliter approbata sunt decem et octo; videlicet, *Nicænum* celebratum sub Sylvestro Papa anno 325. contra Arium negantem Christi divinitatem, (2) *Constantinopolitanum* primum celebratum sub Damaso ann. 381. contra Macedonium negantem Spiritum Sanctum; *Ephesinum* sub Cœlestino I. anno 431. contra Nestorium constituentem duas in Christo personas; *Chalcedonense* sub Leone I. anno 451. contra Eutychetem, et Dioscorum, statuentes

cerdati viri hodie fatentur. Consule clariss. Constantii Congregat. S. Mauri censuram duarum illarum Epistolarum, et illius Synodi in Appendice Epistolarum RR. PP. *pag.* 51, *et sequ.* (*Edit. Rom.*)

(1) Quæ Auctor Romani Pontificis jura circa generalia Concilia hic asserit, invenies late pertractata in Zachariæ *Antifebronio Italico*, cui adde *Antifebronium vindicatum tom.* 3. *diss.* 7. *cap.* 7, et *t.* 4. *diss.* 11. *cap.* 4. ac Petrum Ballerinium *de Potestate Ecclesiastica.* (*Edit. Barbiell.*)

(2) Nicæno adde Sardicense Concilium, de quo fuerunt Œcumenicum, dubitari vix potest post ea, quæ hac de re disputata sunt a Ballerinis *tom. III. oper.* 5. *Leonis* 12. *p. XLII. seqq.* ac nuperrime in egregia de Sardicensi Concilio Italica dissertatione ab eruditissimo Presbytero Marchetto. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

enicam in Christo voluntatem, et naturam. Et de his quatuor primis Conciliis testatur expresse S. Gregorius *l.* 1. *Epist.* 24. se illa venerari sicut quatuor Libros Evangeliorum *cit. cap. Sicut Sancti Evangelii* 2. *dist.* 15. (75. *Constantinopolitanum* secundum sub Vigilio Papa anno 553. contra Petrum Ganaphæum Episcopum Antiochenum hæresi partim Macedoniana, partim Nestoriana infectum; *Constantinopolitanum* tertium sub Agathone Papa anno 681. contra Sergium, Pyrrhum, et alios Monothelitas; *Nicænum* secundum sub Adriano I. anno 781. contra Iconoclastas; *Constantinopolitanum* quartum sub Adriano II. ann. 870. contra Photium Pseudo-Patriarcham; *Lateranense* primum sub Calisto ann. 1123. pro recuperanda Terra Sancta; *Lateranense* secundum sub Innocentio II. anno 1139. pro Juribus Cleri, et Schismate sopiendo; *Lateranense* tertium sub Alexandro III. anno 1180. contra Waldenses; *Lateranense* quartum sub Innocentio III. anno 1215. pro reformatione Ecclesiæ, et recuperatione Terræ Sanctæ; *Lugdunense* primum sub Innocentio IV. ann. 1245. contra Fridericum II. Imperatorem, Henrici V. filium, et pro Terra Sancta; *Lugdunense* secundum sub Gregor. X. anno 1274. contra Græcorum errores; *Viennense* in Gallia sub Clemente V. anno 1311. contra Saracenos invasores Terræ Sanctæ, item contra hæreticos Beguardos, et Beguinas; *Florentinum* sub Eugenio IV. ann. 1439. pro reconciliatione, et reductione Græcorum; *Lateranense* quintum sub Leone X. an. 1517. contra Pseudo-Concilium Pisanum; *Tridentinum* sub Paulo III. indictum an. 1542. et inchoatum ann. 1545. contra Lutheranos, aliosque Hæreticos Novatores, et sub Pio IV. demum finitum anno 1563.

(76. Concilium Generale non est supra Papam, sed Papa est supra Generale Concilium; (1) soli enim Petro, et in Petri persona omni eius successori (non autem Concilio, aut alicui Congregationi) dictum est a Christo *Matth.* 16. *Ego dico tibi, tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Tibi dabo Claves* (quæ supremam potestatem denotant) *Regni cælorum*; Joan. ultimo *vers.* 15. *Pasce agnos, pasce oves meas*, id est etiam Episcopos in Concilio congregatos; et sic sæpius fuit definitum, videlicet ab Innocentio *in cap. Nemo judicabit*, a Symmacho *in cap. Aliorum*, ab Anthero *in c. Facta subditorum*, a Gelasio *in cap. Cuncta per Mundum* 9. *quæst.* 3. in quorum ultimo habentur (ut alia brevitatis gratia omittam) præcisa hæc verba: « Apostolica Sedes sine ulla Synodo præcedente, et solvendi quos Synodus inique damnaverat, et damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit, habuit facultatem, et hoc nimirum pro suo principatu, quem Beatus Petrus Apostolus Domini voce et tenuit semper, et retinebit. » Et ab Innocentio III. *in cap. Per venerabilem* § *rationibus; Qui filii sint legitimi*; et clarius a Pio II. in *Constitut.* incip. *In minoribus agentes*, in qua respuens contrariam opinionem, quam adhuc in minoribus imprimis defenderat, errorem suum, et scripta humiliter, et ingenue reprobans, docet firmiter tenendum esse auctoritatem Pontificiam esse supra Concilium. (77. Quinimmo hoc idem etiam ipsa Generalia Concilia sæpe sæpius declararunt. Sic Concilium Florentinum celebratum ann. 1436. sub Eugenio IV. ubi post *sess.* 25. *tom.* 4. *Conciliorum part.* 1. *pag.* 106. sic habetur: « Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum, et ipsum Romanum Pontificem successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, et omnium Christianorum Patrem, et Doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis OEcumenicorum Conciliorum, et in Sacris Canonibus continetur. » (78. Cui definitioni subscripserunt etiam Im-

(1) Cum dicant auctores Romanum Pontificem esse Concilio Generali superiorem, ita sunt intelligendi, quod loquuntur de superioritate Romani Pontificis certi, legitimi ac viventis supra Concilium generale; non vero de præeminentia Pontificis dubii, illegitimi, aut defuncti. Item loquuntur de Concilio seorsum spectato a Romano Pontifice; non de Concilio Generali, cui per se, aut per suos legatos præsederit, quodque confirmaverit Pontifex, aliter enim controversia nullum haberet sensum; idem esset ac disputare, utrum Pontifex se ipso superior sit, Conciliorum enim decreta suum robur a confirmatione Romani Pontificis accipiunt. Igitur, si quæ controversia adhuc movetur, est de relativa præeminentia Romani Pontificis seorsum considerati præ Concilio item a Romano Pontifice seorsum spectato. Sic quæstionem proponit Natalis Alexander *Diss.* 4. *sec.* 15. *et* 16. *art.* 3. Perrone S. J. *Tract. de locis Part.* 1. *sect.* 2. *n.* 620. *et seq.*

Ex quibus apparet quæstionem de Romani Pontificis præeminentia super Concilium vix non esse supervacaneam. Etenim donec deficiant promissa Christi, nunquam fieri posset, ut Caput a corpore Ecclesiæ, vel Ecclesia a capite suo visibili avulsa sit, vel ad invicem opposita. Quid enim est corpus sine capite? Quid Caput sine Corpore?

Nemo tamen tuto quæstionem impugnare potest. Patet ex damnatione prop. XXIX. ab Alexandro VIII. facta: *Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani super Concilium OEcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus infallibilitate.* Immo Bellarminus dicit: *est fere de fide* Romanum Pontificem esse super Concilium Generale. Gallicani veluti paradoxum sententiam nostram rejiciunt; alii vero putant quæstionem esse adiaphoram. Sed de his præter auctores citatos in additionibus consule doctissimum Perrone *loco citato*, qui non minus prudenter quam accurate eruditeque, uti solet, defendit *Romanum Pontificem vi sui primatus suprema auctoritate gaudere in omnes Episcopos etiam in generali Synodo collectos.* « Ego vero, inquit Devoti « *Tom.* 1. *cap.* 2. *n.* 21. *Prolegom. Inst. Canon.* Summo « Pontifici præstare Concilium nego, et pugnantia eos « loqui intelligo, qui cum ex catholicæ fidei doctrina ec- « clesiasticam monarchiam agnoscant, tamen opinio- « nem illam repente, ut equidem puto, sæculo XIV. « ex medio schismatis incendio ortam, et in aristocra- « tiam denique recidentem sequuntur. » (*Nota Casin.*)

Digitized by Google

perator Græcorum, et Patres, tam Græci, quam Latini. Et sic etiam fuit definitum in Concilio Lateranensi quinto celebrato ann. 1517. sub Leone X. ubi *sess.* 11. *tom.* 4. *Concil. part.* 2. *pag.* 120. sic habetur: « solum Romanum Pontificem pro tempore existentem tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, et potestatem habere nedum ex Sacræ Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum, aliorum Romanorum Pontificum, Sacrorumque Canonum Decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione constat; » et ibi varia talia Concilia recensentur, quæ brevitatis gratia ibi videnda, seu in Constitutione d. Leonis X. incip. *Pastor æternus* legenda relinquuntur.

(79. Insuper Concilia ipsa dupliciter agnoverunt, se inferiora esse Romano Pontifice. Primo, quia in Decretis Generalium Conciliorum clare excipitur auctoritas ipsius Romani Pontificis, ut patet *in c. Significasti* 4. *de election. vers. Cum omnia Concilia*; et concordat *cap. Dudum. et cap. Peregrina* 3. *quæst.* 6. et expresse *Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 21. *de reform.* Auctoritas autem non excipitur nisi Superioris; *c. Venientes de Jurejurand. et dic. cap. Dudum* 3. *quæst.* 6., (80. Secundo quia Patres consueverunt petere et obtinere Conciliorum confirmationem a Summo Pontifice; *c. Multi* 5. *c. Concilia* 6. *dist.* 17. Sicut in specie confirmationem petierunt Patres Concilii Nicæni, et aliorum, et postremo Patres Concilii Tridentini, ut patet supra *sub num.* 56. 57. et 63. (81. Confirmatio est evidens signum Superioritatis, ut per Bald. *in l. fin. n.* 4. *vers. ulterius, nota C. de legibus*, ubi ait: « Nihil est majus, sive sanctius imperio, intellige, nisi Apostolatus B. Petri, cum enim Apostolic. confirmet Principem, istud est manifestum signum Superioritatis, ut in Auth. de defen. civ. § interim. » Hæc Bald. quem ad propositum primatus Papæ in Conc. adducit Felinus *in cap.* 1. *in fin. vers. Pro dicto Abbatis, de treg. et pac.* et Card. Alb. *in tractat. de potest. Papæ p.* 1. *n.* 88. Qui propterea hinc deducit ipsamet Concilia, dum confirmationem petierunt, se Romano Pontifice inferiora declarasse. Quod satis etiam constat ex Bulla Pii IV. confirmationis Concilii Tridentini, quæ incipit: *Benedictus Deus*, ibi: « Cum autem ipsa Synodus pro sua erga Sedem Apostolicam reverentia, antiquorum Conciliorum vestigiis inhærens, Decretorum suorum omnium confirmationem a nobis petierit; » et infra ibi: « Cujus auctoritatem etiam ipsa S. Synodus tam reverenter agnovit. » (82. Tum quia a Sententia Concilii Generalis potest appellari ad Papam tamquam ad Superiorem, sed non e converso; *c. Cuncta per Mundum* 9. *q.* 3. *et cap. Qui se scit.* 2. *quæst.* 6. (83. Immo appellantes a Romano Pontifice ad futurum Concilium, eorumque consiliarii, et fautores, pœnis Excommunicationis, criminisque læsæ Majestatis Divinæ, et humanæ subjiciuntur a Pio II. in *Constitut.* incip. *Execrabilis.* Et decernuntur veri, et indubitati Schismatici, et de Catholica Fide male sentientes a Julio II. in *Constit.* incipiente *Suscepti Regiminis*, et quotannis excommunicantur in die Cœnæ Domini, ut patet *ex Bulla Cœnæ* § 2. (84. Unde cum appellatio sit de minore ad Superiorem Judicem provocatio; *l.* 1. § *si quis a Judice, ff. de appellat. c.* 2. *de consuetud. in* 6. ex quo non possit appellari a Papa ad Concilium, quia esset appellare a Superiore ad inferiorem contra naturam appellationis, stat evidenter, quod Papa sit supra Concilium, et non e contra. (85. Quid plura? Auctoritas Romani Pontificis supra Concilium, ultraquamquod fuit expresse definita a Leone X. *in Conc. Lateranensi quinto sess.* 11. ut patet ex ejus verbis relatis *sup. n.* 77. habetur ad præsens etiam expresse definita ab Alex. VIII. qui 7. *Dec.* 1690. hanc in ordine 29. propositionem damnavit: « Futilis, et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Conc. Œcumenicum auctoritate, et in Fidei quæstionibus decidendis infallibilitate. » (86. Et prius 4. *Aug. ejusdem anni* 1690. *Constit.* incip. *Inter multiplices*, proscripserat quatuor propositiones editas in Comitiis Gallicanis de anno 1682. quarum secunda auctoritatem Concilii supra Romanum Pontificem elevabat per sequentia verba: « Sic autem inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri Successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant Sanctæ Œcumenicæ Synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodit, Decreta de auctoritate Conc. Generalium, quæ sess. 4. et 5. continentur; nec probari, qui eorum Decretorum quasi dubiæ sint auctoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant. »

(87. Appellantes ad futurum Concilium Generale damnantur et excommunicantur etiam a Benedicto XIV. *Constit.* 14. incip. *Pastoralis* § 2.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(88. De Romani Pontificis auctoritate supra Concilium Generale non est quod disseratur, nam ea communiter admittitur a Theologis, et Canonistis. Confer Biner. *in Apparat. ad Jurisprud. Eccles. part.* 3. *cap.* 1. *quæst.* 6. *per tot.* (1).

(89. Ex hac autem Pontificis Romani auctoritate supra Generale Concilium, I. infertur, quod a Romano Pontifice, ut recte monuit Auctor, appellari nequeat ad Concilium Generale; (90. appellatio enim de sui natura fieri debet ab inferiore ad Superiorem. Non est itaque quod a Pontifice Romano appellari queat ad Concilium generale: « Neque

(1) Quære alia de hac celeberrima controversia apud Card. Orsi, et Zachariæ utrumque Antifebronium. *(Edit. Barbiell.)*

Digitized by Google

(*ita opportune Christianus Lupus* de appellat. cap. 19. Edit. Venet. anni 1742. fol. 90. col. 2.) in damnatam hanc appellandi temeritatem ullus unquam antiquis Ecclesiæ sæculis prorupit, nisi a turbulentia infamissimi Donatistæ. Dico antiquis Ecclesiæ sæculis. Etenim in novissimis, quibus iniquitas abundare cœpit, temporibus, eam resumpsit turbidus spiritus Friderici II. qui primus a Gregorio IX. ad Romanam, ac postea ab Innocentio IV. ad Lugdunensem Sydonum vocatus de hæresi, atque aliis criminibus respondere per Thaddæum legatum, suas primum Lugduni exceptiones proposuit, ac ob illas, a secunda depositionis sententia non retrocedente Pontifice, appellavit, uti scribit Matthæus Paris, ad Concilium futurum generalius, eo quod omnes Prælati, et Principum oratores non essent præsentes. Verum perrexit Pontifex, exuitque Fridericum et Imperio, et Ecclesiastica communione. Eamdem in foveam sese a Bonifacio VIII. excommunicatus projecit Philippus Pulcher Galliæ Rex, eique non solummodo Gallicani Proceres, sed et quidam Episcopi adhæsere, quos obsecrarat, ne Bonifacium spirituali gladio abusum in ulteriores excommunicationes prorumpere sinerent, pollicitus se congregandæ Synodo pro viribus adnisurum. Sciebat Philippus rem a se tentari irregularem. Hinc salva a se omnia Romanæ Ecclesiæ privilegia protestatus est et agi contra solam Pontificis Personam, eamque de hæresi accusavit. Sciebat enim nonnisi ex manifesta hæresi adversus Principales Claves posse quippiam attentari. Sic a Johanne XXII. appellans Ludovicus Bavarus dixit sibi quæstionem non esse de Potestate Papali, aut Jurisdictione Ecclesiastica, sed de temporalibus Imperii Juribus, quæ Johannes violenter per arma potius quam per Apostolicas Claves invadebat. Notat a Papali sententia appellationem rem esse minime Christianam. Et quem finem ambo hi Principes habuerint, novit Mundus universus. » Adi eumdem Chrstianum Lupum *loco citato* (1).

(91. Infertur II. quod a Concilio Generali appellari possit ad Romanum Pontificem. (92. Nec desunt exempla, et quidem in sanctis hominibus. Ea habemus in S. Athanasio Patriarcha Alexandrino, et Paulo Patriarcha Constantinopolitano, qui a Concilio depositi appellarunt ad Julium I. Papam, a quo Sedibus suis fuerunt restituti. Sozom. *l.* 3. *c.* 8. in S. Flaviano pariter Patriarcha Constantinopolitano, et Theodoreto Episcopo Cyri, qui a Concilio Ephesino II. appellarunt ad Leonem I. Pontificem; S. Leo *epist.* 25. Liberatus *in Breviario c.* 12. in S. Johanne Chrysostomo itidem Patriarcha Constantinopolitano appellante a Concilio, a quo fuit depositus, ad Innocentium I. Gelas. *in Epist. ad Episc. Dardan.* (2).

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(93. Quum indubitatum sit, Concilii OEcumenici universalem et Catholicam Ecclesiam repræsentantis majorem esse auctoritatem, quam cujusvis alterius Concilii, aut Conventus particularis, nequaquam dubitari potest, quin hoc titulo Canones Concilii OEcumenici reliquorum Conciliorum Canonibus auctoritate prævaleant.

(94. Inter Concilia OEcumenica indubie eo major est eorum auctoritas (cæteris intellige paribus), quo magis ad OEcumenicam Synodum accedunt, et majorem totius Ecclesiæ partem repræsentant. (95. Recens non est, Concilium aliquod recipi in iis, quæ fidem tangunt, licet non ubique recipiantur omnia ejus disciplinam spectantia.

(96. Quare priusquam per Provincias promulgentur Conciliorum Decreta, exteriorem disciplinam spectantia, expendenda et examinanda ab iis, qui jurisdictioni in illis Provinciis præsunt.

(97. In Conciliis Episcopi sunt Judices.

(98. Proinde, semper concludendum esse ex omnium Sacerdotum seu Episcoporum sententiis ex libertate prolatis, S. Leo ipse supposuit; ac per consequens omnes Episcopos qui adsunt esse veros Judices, e quorum sententiis, sive suffragiis conclusio formanda sit.

(99. Concilia etiam Generalia in particularibus factis non revelatis, errare possunt, nec id obest auctoritati Synodi in decidendis vel confirmandis articulis fidei.

(100. Concilia præcipue ad stabiliendam fidem, et formandos mores congregantur.

(101. Constitutio lata vel edita solemniter in Concilio Generali, si tamen non fuerit publice Communitati promulgata, non obligat etiam præsentes, et scientes.

(102. Conciliorum præsertim Generalium Sanctionibus acquiescere nolentes, semper pro hæreticis declarati fuerunt.

(103. Concilii Nationalis auctoritas proxime ad Concilii OEcumenici auctoritatem accedit.

(104. Hinc quædam Concilia Nationalia dicta sunt Universalia, Plenaria, et Generalia.

(105. A Patribus Africanis statutum legitur, ut Synodus Nationalis annue haberetur.

(1) Hoc argumentum de appellationibus a Romani Pontificis Constitutionibus ad Generale Concilium innumeri sunt, qui Quesnellianæ factionis occasione in Galliis præsertim pertractarunt. Consule etiam Zachariam tum in Antifebronio *Tom. IV. pag.* 165. *seqq.* tum in *Antifebronio vindicato Tom IV. diss. XII. cap.* 4. et Marchettum in præclaro opere, quod in Fleuryanam historiam Bononiæ edidit, nunc autem multo auctius Romæ recudit. (*Edit. Barb.*)

(2) Jure Cl. Auctor, a quo hæ additiones profectæ sunt, asserit, a Concilio Generali appellari posse ad Romanum Pontificem. Sed vereor, ut hoc exemplis ab eo indicatis comprobari possit. Nullus enim ex Sanctis illis Episcopis, qui de suis sedibus dejecti Romam appellarunt, fuit in Generali Concilio depositus, ne Flavianus quidem, aut Theodoretus; Ephesinum enim II. non tam Concilium Generale fuit, quam latrocinium. Athanasius, et Paulus ab Arianorum conventibus, Chrysostomus a Conciliabulo ad Quercum fuere depositi. Hæc tamen exempla locupleres argumentum suppeditant supremæ Romanorum Pontificum tum in abrogandis Conciliorum etiam Nationalium, multoque magis Provincialium decretis, tum in suscipiendis ex toto orbe Christiano appellationibus auctoritatis. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

(106. Sed hoc statutum de convocanda generali Synodo anniversaria fuit postea mitigatum.

(107. Concilium Provinciale auctoritate cedit Conciliis Nationalibus.

(108. Sicuti pariter indubitatum est, Provinciale Concilium auctoritate præstare Synodis Diœcesanis.

(109. Licet constet, primis ut minus octo sæculis Concilia præsertim Generalia convocata fuisse per Imperatores, uti perspicuum est ex literis, quibus, ipsi præfata Concilia indixerunt, et quemadmodum inter alios notavit Edmundus Richerius in Historia Conciliorum; nihilominus et hoc constat, sæculo IX. et sequentibus credi cœpisse hanc convocandorum Conciliorum auctoritatem penes Apostolicam Sedem esse.

(110. Ita ut inter speciales prærogativas Romano Pontifici competentes hæc recenseatur, sicuti colligitur ex Dictatu vulgo Gregorii VII. ubi dicitur: *Quod nulla Synodus absque præcepto Summi Pontificis debet generalis vocari.*

(111. Verum uti et notat D. Fleury in sua *Historia Eccl. lib.* 63. *num.* 11. quum hæc doctrina, prout ex falsis Decretalibus extracta, sit pristinæ disciplinæ omnino contraria, infertur quod hæc Romani Pontificis prærogativa circa convocanda Concilia admitti cœperit solummodo, postquam in auctoritatem receptæ fuerunt falsæ Decretales. (1)

ADDITIONES CASINENSES.

(112. Uti Concilium Generale sive Œcumenicum dici possit, non sufficit tantum evocatio generalis, si adeo pauci conveniunt, ut major meliorque pars provinciarum exclusa videatur, præsertim si legitima causa abfuit, quominus omnes convenire possent. Unde necesse est, ut etiam congregatio aliquo modo generalis sit; sed si per malitiam hominum vel per negligentiam, aut aliam quamlibet occasionem una vel alia provincia desit, nihilominus Concilium pro Generali haberi debet, et sic tota Ecclesia Œcumenicas semper existimavit Synodos Nicænam, Ephesinam, Constantinopolitanam, Chalcedonensem, ubi multorum Episcoporum nomina defuerunt. Melchior. Can. *De Loc. theolog. lib. V. cap.* 3. *pag.* 147. *edit. Bassan.* 1746. In antiquis autem Conciliis Œcumenicis in Oriente celebratis putatum est sufficere, si solus Rom. Pontifex ex Occidente adesset; nam cum ipse sit Occidentis Patriarcha, jure repræsentat totam Occidentalem Ecclesiam. Romanus Pontifex vero omnino adesse debet, vel per se, vel per legatos suos ut Concilium Œcumenicum dici possit, et sic semper tenuit Ecclesia: ita ut non putaretur Œcumenica Synodus quælibet, etiam frequentissima ubi Pontifex non adesset; unde Cl. Bossuet non dubitavit asserere Concilium *ipsum complecti Papam* et *quidem tamquam caput. Lib.* 10. *Defens. c.* 23. *t.* 2. *pag.* 227. Nam sicut caput est necessarium integritati corporis, ita Papa, cum sit caput corporis Ecclesiæ debet necessario adesse in Concilio Œcumenico, quod totam Ecclesiam repræsentat.

(113. Addere aliqua lubet iis, quæ dicit Auctor de jure RR. Pontificum in confirmatione Conciliorum, et in primis commemorare oportet regulam, quam adfert Socrates *Histor. lib.* 2. *cap.* 8. *pag.* 74. *edit. Taur.* 1747. inquiens: *canon ecclesiasticus vetat, ne decreta absque sententia Episcopi Romanæ Ecclesiæ sanciantur*; et *c.* 17. *pag.* 83. De Nicæna Synodo, vero vide Christianum Lup. *schol. c.* 9. *app. t.* 1. *p.* 281. *edit. Venet.* 1742. et Bertium *Hist. Eccles. t.* 3. *dissert.* 1. *cap.* 1. *et* 18. *pag.* 29. *et seq. edit. Bassan.* 1768. De Constantinopolitani et Ephesini Concilii approbatione consultare potes Bianchium *della potestà e della polizia della Chieza l.* 2. *c.* 3. §. 11. *n.* 3. *et seq. t.* 4. *p.* 556. Patres IV. Concilii Œcumenici in relatione ad S. Leonem eorum quæ in Synodo gesta fuerant, *tom.* 4. *Concil. col.* 1778 *collect. Labœi edit. Venet.* « Et aliqua quædam, *inquiunt*, pro rerum ipsarum ordinata quiete, et propter ecclesiasticorum statutorum definitivum firmitatem, scientes quia et vestra Sanctitas addiscens et probatura et confirmatura est eadem. » Item Marcianus Imperator ad eumdem S. Leonem 6. *inter Epist. S. Leonis* 100. *opp. tom.* 1. *col.* 1114. *edit. Ballerin. Venet.* 1753. et Anatolius Episcopus Constantinopolitanus *ib. Epist.* 101. *c.* 5. *col.* 1134. *et epist.* 132. *c.* 5. *col.* 1134. *et epist.* 132. *c.* 4. *col.* 1263. *Et sic*, inquit, *gestorum vis omnis, et confirmatio auctoritati vestræ Beatitudinis fuerit reservata.* Leo vero confirmavit Chalcedonensis Concilii decreta tantum quoad ea, quæ de fide fuerant constituta, reprobando privilegia concessa Ecclesiæ Constantinopolitanæ, uti ex literis ad Anatolium et Marcianum *cit. t.* 4. *Conc. col.* 1785. *seq.* atque ad Synodum universam *ib. col.* 182. *et epist.* 117. *ad Julianum Coensem col.* 1208. *tom.* 1. *opp. S. Leon edit. cit.* Vigilius Papa confirmavit V. Synodum. Evagr. *hist. Eccles. lib.* 4. *c.* 38. *pag.* 379. *edit. Taurin.* 1748. et Vigilii epistola Decretalis *apud Labbæum tom.* 6. *Concil. col.*

(1) Cum Concilia Generalia universam representent Ecclesiam, ideo consequitur illa *formaliter* et *auctoritative* indicere posse eum solum, qui jure divino universæ præsidet Ecclesiæ, quique auctoritatem in universam habet Ecclesiam, nec non in omnes Episcopos (omnes enim sunt vocandi) auctoritatem exercere potest. Atqui unus Rom. Antistes hæc præstare potest. Talis enim est vis et natura Primatus Rom. Antistitis. Vi ergo sui Primatus ad unum spectat Rom. Antistitem Concilia Generalia *formaliter* et *auctoritative* indicere. Diximus *formaliter* et *auctoritative*, quia novimus Imperatores partem aliquam in convocandis Conciliis aliquando habuisse; sed quæcumque demum pars Imperatoribus erat, ea non est ex nativa et insita iis auctoritate, verum vel ex hortatu et consilio, vel ex tacito aut expresso consensu Rom. Antistitum. Res enim est facti, Imperatores consilio et auctoritate RR. Antistitum priora octo Concilia indixisse: De jure ergo et de facto ad unum Rom. Antistitem spectat Concilia Generalia convocare. Qui ergo fieri potuit, ut ex falsis Decretalibus hæc doctrina sit repetenda? cum Decretales, de quibus agit Fleury, antiquiores non sint octavo vel nono sæculo. (*Nota Casin.*)

Digitized by Google

239. *seq.* de qua vide Dissertationem 6. de Marca *ib. col.* 245. *seq.* Concilii VI. confirmationem petierunt Patres his verbis: « Quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternam sanctitatem. »

(114. Quoad ea, quæ noster Auctor tractat de fallibilitate definitionis Concilii Universalis ante Pontificis confirmationem, observat Melchior Canus, quod tres casus occurrere possunt, cum intersunt Concilio Apostolici Legati instructi et moniti prius de Ecclesiæ Romanæ fide circa ea, quæ sunt in Concilio tractanda, uti fieri solet, quamvis propter multiplices quæstiones, quæ agitandæ erant, locum habere non potuit in Tridentino Concilio. Cum ergo legati tali auctoritate muniti in Concilium conveniunt, 1. fieri potest, quod Concilium Legatorum doctrinæ repugnet, vel e contra; in tali casu certum est, quod talis doctrina incerta est, et imbecilla cum sit reprobata ab Apostolica auctoritate. 2. Quod Legati agant contra instructionem Apostolicam, et tunc Concilii definitiones non gaudent Pontificis et Romanæ Ecclesiæ approbatione, et eumdem valorem habent, ac si Rom. Legati Concilio non interfuissent; nam ipsi tunc non agunt ex potestate delegata; unde Agatho Papa actione 4. sextæ Synodi: « Auctoritatem, *inquit*, eis, hoc est legatis, dedimus, in quantum eis dumtaxat injunctum est, ut nihil præsumant augere, minuere, vel mutare, sed traditionem hujus Apostolicæ Sedis sinceriter enarrare. » Et Leo *epist. ad Pulcheriam Augustam.* « Lucentium, *inquit*, Episcopum, et Basilium Presbyterum dirigere præparavi, qui dispositiones meas secundum eas, quas acceperunt regulas exequantur. » 3. Quod Legati accedunt ad Concilium sine prævia instructione, et tunc etiam Synodi decreta valida haberi non possunt, nisi Apostolica auctoritate confirmentur, ut *in epist.* 51. *Leonis ad Anatolium*, 52. *ad Martianum*, 53. *ad Pulcheriam*, et 59. *ad Concilium Chalcedonense*, et videre potes, si lubet, cætera Cani argumenta quoad ea, quæ ad fidem attinent. Sed si Legati ad Concilium accedunt instructi et moniti de Ecclesiæ Romanæ fide, et Synodi patres definiunt secundum Pontificis instructionem, vix dubitari potest, tales definitiones errori obnoxias esse posse, et afferemus hic verba Cardinalis Bellarmini, cujus tanta est auctoritas in tali materia: « De quarto modo, *scilicet de isto ultimo casu*, vix dubium esse potest, videtur enim esse certum, tale Concilium non posse errare; primum enim in tali Concilio invenitur expressus consensus capitis et membrorum, ac proinde totius Ecclesiæ, quæ sine dubio errare non potest neque obest, quod instructio illa a Pontifice data non videatur definitiva sententia Apostolicæ Sedis; nam quando Concilium consentit cum Pontificis sententia, formaturque decretum a Legatis nomine Pontificis, tunc incipit esse sententia definitiva et ultima, non solum Concilii, sed etiam Pontificis, nec potest Pontifex eam retractare: nam certo intelligit, sententiam suam fuisse a Deo, quando a Concilio approbatur, ut dixit B. Leo *in epist.* 63. *ad Theodoretum: Quæ*, inquit, *Dominus nostro prius ministerio definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut vere a se prodire ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum totius Christiani orbis judicium recepisset, ut in hoc quoque capiti membra concordent.* » Bellarm. *Disp. de controv. Christ. Fid. tom.* 2. *de Concil. et Eccles. lib.* 2. *cap.* 11. *col.* 85. *edit. Paristis* 1613. Unde Concilium Chalcedonense *in epist. ad S. Leonem act.* 3. expresse dicit, se confirmationem a Leone petere, quia præter Decretum fidei erant alia quædam, quæ statuta fuerant non petita Pontificis sententia; et ipse Leo in *epistol.* 1117. *ad ipsum Concilium Operum S. Leonis tom.* 1. *col.* 1198, *edit. Baller. Venet.* 1753. « Ne ergo, *inquit*, per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum quæ in Synodo Chalcedonensi per unanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem, hæc ad omnes fratres et Coepiscopos nostros, qui prædicto Concilio interfuerunt, scripta direxi, quæ gloriosissimus et clementissimus Princeps, sicut poposci, in notitiam vestram mittere pro catholicæ fidei amore dignabitur; ut et fraterna universitas, et omnium fidelium corda cognoscant, me non solum per fratres, qui vocem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium, propriam vobiscum unisse sententiam. » Advertere tamen oportet, quod quamvis Concilia ista ante confirmationem errare non possunt, cum Patres consentiunt Romanæ Sedis doctrinæ, tamen confirmatio Pontificis semper necessaria est, ut fideles certiores fiant de legitimitate definitionis Concilii, uti patet ex prænotatis S. Leonis verbis.

ARTICULUS II.

De his, quæ concernunt concilium provinciale.

(1. Concilium Provinciale (sic dictum ex quo repræsentet Ecclesiam unius Provinciæ per Abb. *in cap. Grave in fin. de Præbend.*) (2. est Concessus Episcoporum Provinciarium coactus ab habente potestatem congregandi, vocatis vocandis de Jure, vel de consuetudine. Quarant. *in Summ. Bullar. verb. Concilium Provinciale* 2. Navarr. *cons.* 4. *num.* 3. *de verb. significat.* et re coincidit cum dictis *supra art.* 1. *n.* 5. (3. Indicere autem, convocare, et celebrare hoc Provinciale Concilium spectat ad Metropolitanum; *cap. si Episcopus* 13. *cap. si quis Episcopor.* 14. et *cap. propter* 15. *dist.* 18. *cap. Quod sicut* § *præterea, de elextion. cap. sicut olim* 25. *de accusationibus, Concil. Trid. sess.* 24. *cap.* 2. *de reformat.* (4. Etiam sine auctoritate Primatis, seu Patriarchæ; *cap. de Concil.* 2. *dist.* 18. et ibi Præpositus *num.* 2. Fagnan, *in d. cap. sicut olim* 25. *de accusat. num.* 5. (5. Et hæc Concilii Provincialis convocatio debet fieri a Metropolitano, seu Archiepiscopo per ipsum, non autem per Vicarium Generalem; textu expresso in Concilio Tridentino *loco cit.* ibi: *Quare Metropolitani per seipsos etc.* (6. Metropolitano autem legitime impedito, convocatio Concilii spectat ad Coepiscopum an-

Digitized by Google

tiquiorem, ut litera expressa Concil. Trident. *loco citato* ibi : *Seu illis legitime impeditis Coepiscopus antiquior.* (7. Et sic etiam ad Coepiscopum antiquiorem spectat convocatio Concilii Sede Metropolitana vacante, et non ad Capitulum Metropolitanæ, seu ad ejusdem Metropolitanæ Vicarium Capitularem; et sic expresse declaravit Sacra Congregatio ejusdem Concilii *in Tarraconensi* 13. *Maii* 1604. Idem quippe est Archiepiscopum esse impeditum, et non inter vivos. Bottæus de Synodo *par.* 1. *num.* 43. Archidiacon. et Gemin. *in cap. placuit;* Bellarmin. et Turrecremata *in cap. propter Ecclesiasticas num.* 8. Præpositus *in cap. de Conciliis* 3. *notabili, dist.* 18. Quaranta *in Summa Bullarii verb. Concilium Provinciale num.* 2. Fagnan. *loc. cit. num.* 17. Barbosa ad *Concilium Trident. sess.* 24. *cap.* 2. *num.* 4. et alii passim. (8. Licet enim antiquitus ante Tridentinum, Capitulum Metropolitanæ Sede vacante convocaret Concilium Provinciale, ut docent Pavin. *de Potest. Capitul. Sede vacante part.* 1. *quæst.* 7. *sub. num.* 3. Bott. *de Synodo Episcopor. par.* 1. *num.* 43. Quarant. *loc. cit.* Petra *tom.* 1. *commentar. ad Constitut. unic. Honorii secundi sect.* 1. *sub num.* 13. et alii; (9. Tamen post Tridentinum cessavit potestas Capituli Metropolitani Sede vacante celebrandi Concilium Provinciale, ac Suffraganeos convocandi, et demandata est Coepiscopo antiquiori; ut patet ex supra citata declaratione Sacræ Congregationis ejusdem Concilii *in dict. Tarraconensi.* Quaranta *in Summa Bullarii verb. Concilium Provinciale num.* 2. in fine; Barbosa *loco cit. num.* 4. Petra *loc. cit. sub num.* 23. Fagnan. Turrecremata, Archidiac. Gemin. Præpositus *locis citatis sub num.* 7. et alii passim. (10. An autem convocare Concilium Provinciale absente, vel impedito, seu mortuo Archiepiscopo, spectet ad Episcopum antiquiorem ex Suffraganeis, aut ad Episcopum exemptum, qui cum non ut Suffraganeus elegit intervenire in Concilio Provinciali talis Metropolis, est antiquior omnibus Suffraganeis? Respondetur spectare ad antiquiorem ex Suffraganeis, non autem ad exemptum eligentem, etiamsi antiquiorem; sic teste Eminentiss. Petra *loc. cit. num.* 31. resolvit Sacra Congregat. Concil. *in una Burgen. die* 17. *April.* 1649.

(11. Ad Concilium Provinciale vocandi sunt, et admittendi omnes Episcopi Suffraganei cum voto decisivo; *cap. non oportet; cap. Pervenit; cap. Quoniam; cap. Si Episcopus; cap. Placuit; et cap. Si quis Episcoporum dist.* 18. et expresse *cap. Sicut olim* 25. *de accusationibus,* ibi : *Metropolitani..... cum suis Suffraganeis Provincialia non omittant Concilia celebrare,* et Tridentin. *loco cit.* (12. Quod locum habet etiam in Episcopo electo, et confirmato, quamvis nondum consecrato. Iste enim Episcopus potest interesse Concilio, ac proinde de necessitate est ad illud vocandus. Prosper de Augustino, *in addit. ad* Quarant. *in Summa Bullarii verb. Concil. post qu.* 6. Barbosa *ad Concilium Trident. sess.* 24. *cap.* 2. *de reformat. n.* 6. et alii. (13. Et hoc etiam est intelligendum de Episcopis exemptis, ut est statutum in Concilio Lateranensi *sess.* 10. sub Leone X. in Constitutione incip. *Regimini,* et expresse in Conc. Trident. *dict. sess.* 24. *cap.* 2. ibi : « Itidem Episcopi, qui nulli Archiepiscopo subjiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant, in cujus Synodo Provinciali cum aliis interesse debeant, et quæ ibi ordinata fuerint, observent, et observari faciant. » (14. Episcopi tamen exempti, qui sunt in Provincia Romana, veluti qui sunt inter Provinciam Pisanam, et Capuanam, non tenentur ad talem electionem Metropolitani; *cap. nos, de Offic. Vicar.* ex declaratione Sacræ Congregationis Concil. apud Fagnan. *in c. et si membra* 10. *de his, quæ fiunt a Prælatis num.* 36. et Petram *loc. cit. num.* 30. (1). (15. Ad Concilium Provinciale vocanda sunt de necessitate Capi-

(1) Quoad obligationem Episcoporum exemptorum, et Sanctæ Sedi immediate subjectorum, eis indictam a Concilio Tridentino *sess.* 24. *de reform. cap.* 2. sibi eligendi Metropolitanum, ad cujus Synodum Provincialem accedere teneantur, et quæ ibi ordinata fuerint, observare, et observari facere, Benedictus XIV. *de Synodo Diœcesana lib.* 13. *cap.* 8. *n.* 13. *et sequ.* hæc refert : Tridentinæ sanctionis habita fuit ratio in Concilio Romano coacto an. 1725. Cumque eidem aliqui Episcopi interfuissent, qui a Metropolitani jurisdictione immunes, et Sanctæ Sedi immediate subjecti, Archiepiscopum sibi non delegerant, ad cujus Synodum Provincialem accederent, jussi sunt, Canonicis etiam pœnis indictis, electionem hujusmodi statim perficere. Idemque absentibus significatum fuit, ac insuper particularis instituta Congregatio, quæ Decretum hac de re conditum exequendum curaret. Hæc Congregatio habita fuit die 28. Maii ejusdem anni 1725. editaque ab ipsa sunt consultissima Decreta, quæ, cum a nullo adhuc, quem sciamus, Auctore impressa fuerint, optimum ducimus ea huic capiti inserere :

« Examinato diligenter Decreto Sacri Concilii Tri-
« dentini *sess.* 24. *cap.* 2. de electione Metropolitani
« per Episcopos, qui nulli Archiepiscopo subjiciuntur,
« ad effectum perducenda, concordibus, et unifor-
« mibus votis fuit relatum, ut sequitur.

« Primo, Archiepiscopos, qui non habent Suffra-
« ganeos non teneri eligere Metropolitanum ad effec-
« tum conveniendi in ejus Concilio Provinciali.

« Secundo, sex Cardinales Episcopos urbium Ro-
« mæ adjacentium, non teneri, ut supra.

« Tertio, Episcopos omnes, qui sunt inter Pro-
« vinciam Capuanam, et Pisanam, non teneri eligere
« Metropolitanum ad effectum præfatum. Eos nihilo-
« minus, qui, vel quorum Antecessores jam semel
« post Tridentinum elegerunt Metropolitanum, teneri
« stare electioni, prout etiam Episcopos, qui a pro-
« vincia Romana, inter dictas Capuanam, et Pisanam
« constituta, divulsi fuerunt, et assignati Suffraganei
« Ecclesiarum in Metropolitanas electarum, eidem
« subesse debere.

« Quarto, Episcopos vere immediate subjectos
« Apostolicæ Sedi, qui sunt extra præfatam Provin-
« ciam Romanam, ubicumque locorum existentes,
« omnino teneri eligere Metropolitanum, juxta De-
« cretum Concilii Tridentini *sess.* 24. *cap.* 2. *de*
« *reform.* quatenus ipsi, vel eorum Antecessores jam
« non elegerint.

« Quinto, Abbates, aliosque Prælatos inferiores
« nullius Diœcesis, habentes Jurisdictionem quasi
« Episcopalem in Clerum, et populum, cum Territo-
« rio separato, tener eligere Metropolitanum, ut
« supra.

« Sexto, Episcopos, Abbates et Prælatos inferio-
« res, qui debent, ut supra, eligere Metropolitanum,

Digitized by Google

tula Cathedralia Sede Episcopali vacante, et possunt mittere suum Vicarium Capitularem cum speciali mandato dandi vocem decisivam. Quaranta *loc. citat. num.* 3. *quæst.* 4. Prosper de Augustino *in addit. ad Quarant. loc. cit. sub num.* 3. *quæst.* 4. Barbosa *loc. cit. num.* 11. Petra *loc. cit. num.* 35. Marchet, *in praxi Vicar. part.* 2. *tit.* 11. *numer* 17. ubi dicit, quod cum ad Vicarium Capitularem transeat sine mandato speciali Jurisdictio Capituli, Vicarii erit adire Concilium, et votum dare. (16. Vocanda sunt etiam, sua Sede vacante, Capitula Collegiatarum quasi Episcopalem Jurisdictionem habentia, ut decisum fuisse a Sac. Congreg. Concil. 19. *Decemb.* 1597. refert Sellius *in Selectis Canon. cap.* 25. *num.* 6. Barbosa *ad Conc. Trident. d. sess.* 24. *cap.* 2. *num.* 11. Petra *loc. cit. num.* 36. Fagnan. *in cap. Et si membra* 10. *de his, quæ fiunt a Prælatis num.* 3. (17. Abbates, et alii Prælati habentes proprium Territorium, et Jurisdictionem quasi Episcopalem exercentes intra ambitum ipsius Provinciæ, sunt vocandi ad Concilium Provinciale, et in eo habent votum decisivum. Prosper de Augustino *dict. verb. Concilium post qu.* 3. Barbosa *loco cit. num.* 8. Petra *loc. cit. num.* 39. (18. Procuratores Episcoporum, omniumque supradictorum quasi Episcopalem Jurisdictionem habentium, si principalibus legitime impeditis, sint cum speciali mandato deputati ad Concilium, habent votum decisivum, si Concilio placuerit. Fagnan. *cit. cap. Et si membra num.* 53. et ita rescripsisse Summum Pontificem occasione celebrationis Synodi Rothomagensis anno 1581. cum voto Sacræ Congregationis Conc. refert. ex Vanespen. Petra *l. c. n.* 39.

(19. Capitula Cathedralium, etiam vivente Episcopo, vocanda sunt, et admittenda, aut eorum Nunciii ad Concilia Provincialia, et præsertim ad ea tractanda, quæ spectant ad ipsa Capitula, textu expresso *in cap. Et si membra* 10. *de his, quæ fiunt a Prælatis, sine consensu Capituli*, ibi : « Visum fuit nobis, et Fratribus nostris, ut Capitula ipsa ad hujusmodi Concilia debeant invitari, et eorum Nuncii ad tractatum admitti maxime super illis, quæ ipsa Capitula contingere dignoscuntur. » Barbosa *de Canonicis cap.* 42. *num.* 21. Quaranta *in Summa Bullar. verb. Concilium Provinciale vers. quarto quæro ;* Fagnan. *in cit. cap. Et si membro num.* 40. Abbas *ibid. num.* 4. (20. Immo Capitula Cathedralium admitti debent ad Concilium Provinciale etiam pro negotiis ipsa Capitula non contingentibus, ut colligitur ex verbo illo *maxime* adducto in *cit. textu;* talis enim dictio implicat idem esse in casu contrario; *ib.* 1. § *vel maxime, ff. de collat. bonor. l. Scire etiam oportet,* § *Sed et si maxime, ff. de excusat. tuto.* Et sic tenent *in dict. cap. Et si membra,* Vincent. Hostiens. *num.* 2. *in fin.* Joann. Andreas *num.* 3. *in verb. Maxime,* Butr. *num.* 6. Card. *num.* 3. *vers. oppone ;* Ancharan. *num.* 5. Imola *num.* 4. *et* 5. dicens hanc partem esse veriorem; Abbas, et Joann. de Anan. *num.* 4. ex quibus, ut refert Fagnan. *ibid. num.* 13. patet hanc esse communem opinionem. (21. Sic etiam Capitula Collegiatarum Jurisdictionem quasi Episcopalem habentia adhuc vivente suo Prælato vocanda sunt ad Concilia Provincialia, ut decisum fuisse a Sac. Congreg. Conc. refert, et tenet ex Prospero de August. Barb. *de Canonicis cap.* 42. *num.* 22. *et lib.* 1. *Juris Ecclesiast. Univers. cap.* 31. *num.* 22. Fagnan. *loc. cit. n.* 3. (22. Ipsa tamen Capitula sive Cathedralium, sive Collegiatarum exemptarum, quasi Episcopalem Jurisdictionem habentia, in Conciliis Provincialibus, adhuc viventibus suis Episcopis, et respective Prælatis, non sunt Conjudices, nec habent votum decisivum, sed solum consultivum, in quantum scilicet sicut unusquisque Episcopus, seu consimilis Prælatus cum consilio sui Capituli expedire debet gravia, et non aliter, ut *in cap.* 1. *de excessibus Prælat.* ita omnes Episcopi, et consimiles Prælati Provinciæ ibi existentes cum consilio suorum Capitulorum expedire debent ea quæ in Provinciali Concilio aguntur; *argum. cap. Humiles, de majorit. et obedient.* (23. In Concilio enim Provinciali omnia gerenda esse de consilio Capitulorum Provinciæ, dicunt expresse Hostiens. *in cap.*

« etsi non teneantur eligere viciniorem, debere tamen, « juxta dictum Decretum Concilii Tridentini, vici- « num eligere ; quod est intelligendum de non nimis « longe distante, habita ratione regionum. »

Deinde *ib. n.* 15. sic prosequitur : Inter Episcopos, qui ut Metropolitanum sibi ad prædictum effectum eligerent, a Congregatione compulsi sunt, alter Papiensis fuit, Lucensis alter, sicuti legitur in Regestris prædictæ Congregationis habitæ, ut dictum est, die 28. Maii 1725. Et hi quidem plura obtendere non omiserunt, ut Metropolitani electionem declinarent; sed eorum contentiones, et studia in irritum cesserunt rejectis eorum instantiis per eamdem Congregationem habitam die 11. Februarii 1726. Cum vero felicis recor. Benedictus PP. XIII. justis, gravibusque de causis Episcopatum Lucensem in Archiepiscopatum erexerit nullo tamen ipsi adscripto Suffraganeo, ut patet ex ejus Constitutione incip. *Inscrutabili, in novo Bullario tom.* 12. et cum nos Papiensi Episcopatui unitum perpetuo voluerimus titulum Archiepiscopi Amasiæ in partibus Infidelium, sicuti videre est in nostra Constitutione, quæ incipit *Ad supremam, in nostro Bullario tom.* 1. *n.* 74. hinc uterque Præsul ab eligendi Metropolitani lege immunis evasit, juxta primum superius inserti Decreti caput. Ad Episcopos vero quod spectat, qui Capuanam, et Pisanam Provinciam interjacent, multo ante fuerat pronunciatum, non adigi eos Metropolitanum eligere, sicuti videri potest *lib.* 4. *Decretorum Congregationis Conc. anni* 1585. *p.* 53. *Sac. etc. censuit, Decretum cap.* 2. *de reformat. sess.* 24. *non habere locum in Episcopis, qui sunt in Provincia Romana.* De Provincia Romana inter Capuanam, et Pisanam loquitur Innocentius III. *in cap. Sua nobis de Officio Vicarii.* Nos de ipsa mentionem fecimus *in superiori lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 3. ubi etiam rationum momenta attulimus, ob quæ hujusmodi Provinciæ Episcopi ab eligendo Metropolitano eximuntur. Itaque alteri huic relationis capiti finem imponentes, censemus, facile ex dictis quemlibet Episcopum colligere posse, num ad eligendum Metropolitanum obstringatur, et quomodo de injuncti sibi oneris implemento docere debeat. Hactenus laudatus Pontifex *l. c.* (*Edit. Venet.*)

Digitized by Google

Et si membra 10. *de his, quæ fiunt a Prælatis num.* 2. *in verb. Nuncii*, et Joann. Andreas *ibid. num.* 3. Præpositus *in cap. Propter Ecclesiasticos, dist.* 18. *num.* 9. *vers. Aliter;* Innocent. *in cap. Grave, de præbend. num.* 8. Abbas *in dict. cap. Et si membra num.* 2. Fagnan. *ibid. n.* 40. *et seq.* (24. Sic etiam Abbates Commendatarii in Conciliis Provincialibus habent dumtaxat votum consultivum, ut decisum fuisse a Sacr. Congreg. Concil. refert Fagnan. *loco cit. n.* 33.

(25. Ad Concilia Provincialia vocari, et intervenire debent generaliter loquendo omnes, qui de Jure, vel consuetudine intervenire solent, textu expresso in Concil. Trident. *dict. sess.* 24. *cap.* 2. ibi : « Episcopi omnes et alii qui de Jure, vel consuetudine interesse debent, convenire omnino tenentur, » *et sess.* 25. *cap.* 2. ibi : « Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et omnibus aliis, qui de Jure, vel consuetudine in Concilio Provinciali interesse debent. » (26. Sic etiam generaliter loquendo ad Concilia Provincialia accedere possunt pro justitia assequenda omnes, qui se gravatos existimant, textu expresso *in cap. Propter Ecclesiasticos* 1. *dist.* 18. ibi : « In ipsis autem Conciliis, et Presbyteros, et Diaconos præsentes esse oportet, et omnes quotquot se læsos existimant. » (27. Laici autem non permittuntur interesse Conciliis Provincialibus, nisi ad Justitiam petendam, vel defendendam; *cap. Novit, de cap.* 1. *de Sponsalibus;* in Ecclesiasticis enim negotiis, et ubi tractatur de Clericorum correctionibus, non sunt vocandi Laici, immo omnino sunt excludendi; *argum. cap. Messana, de elect.* Et Sacra Congr. Concil. non approbat dictam vocationem, *ut in Oriolen.* 27. *Martii* 1632. et nullum Jus habere Laicos petendi assistentiam in Synodo denegando remissoriam, resolvit *in Lycien.* 10. *Januarii, et* 10. *Aprilis* 1688. (28. Omnes, qui de Jure, vel consuetudine interesse tenentur Conciliis Provincialibus, si vocati non comparent, cessante legitimo impedimento, puniuntur; *cap. Pervenit* 6. *et cap. Placuit* 1. *dist.* 18. et textu expresso in Concil. Trid. *d. sess.* 24. *cap.* 2. in fin. ibi : « Quod si in his tam Metropolitani, quam Episcopi, et alii suprascripti negligentes fuerint, pœnas Sacris Canonibus sancitas incurrant. » (29. Pœna autem contra ipsos non interessentes sine legitimo impedimento, vel contra illicentiatos discedentes, est Excommunicatio; et contumax vocatur ille, qui illicentiatus recedit. Decius *in cap.* 1. *de Judiciis n.* 43. Quaranta *quæsit.* 11. *et* 18. et faciunt *cap. Non oportet* 7. *cap. Pervenit* 6. *cap. Episcopus* 9. *cap. Placuit* 10. *cap. Si quis* 12. *cap. Si quis Episcopus* 13. *et cap. Si quis Episc.* 14. *dist.* 18. (30. Talis vero Excommunicatio privat solummodo communione aliorum Episcoporum usque ad futurum Concilium textu expresso in cit. *cap. Si quis Episcoporum* 14. *dist.* 18. ibi : « Si quis Episcoporum commonitus a Metropolitano ad Synodum, nulla gravi necessitate intercedente corporali, venire contempserit, sicut statuta Patrum sanxerunt, usque ad futurum Concilium cunctorum Episcoporum charitatis communione privetur. » (31. Poterunt tamen tales non interessentes contumaces insuper a communione fidelium segregari, et aliis pœnis Canonicis per Metropolitanum affici, sed prævia trina monitione; cum ad incurrendam veram Excommunicationem, tribus vicibus debeat quis citari; *cap.* 1. *de sentent. Excommunicationis in* 6. ubi ad infligendam dictam primam pœnam, cum non sit vera Excommunicatio, et sit sola pœna Canonica, sufficit unica monitio; Card. Petra *l. c. n.* 111.

(32. Concilia Provincialia secundum antiquos Canones debebant celebrari bis in anno per singulas Provincias; *c. de Conciliis* 2. *c. Habeatur* 3. *c. Propter Ecclesiasticos* 4. *et c. Pervenit dist.* 18. Semel quidem ante dies Quadragesimæ, secundo vero circa tempora Autumni; ut expresse *in d. c.* habetur. Vel semel post tertiam Hebdomadam Paschæ; et secundo idibus Octobris, ut expresse *in d. c. Propter Ecclesiasticos.* (33. Postea tamen in sexta Synodo Universali talis antiqua Constitutio fuit correcta, ac propter fatigationem, et ut opportune haberentur ad iter agendum, qui congregandi erant, a Sanctis Patribus definitum fuit, ut omnibus modis hoc Concilium fieret semel in anno; ut expresse *in c. Quoniam quidem* 9. *dist.* 18. et hoc statutum sextæ Synodi innovatur, et præcipitur observari *in cap. Sicut olim* 25. *de accusationibus*, ibi : « Sicut olim a Sanctis Patribus noscitur institutum, Metropolitani singulis annis cum suis Suffraganeis Provincialia non omittant Concilia celebrare, » *et c. Cum sit* 16. *de Judæis*, ibi : « Per Provinciale Concilium, quod singulis annis præcipimus celebrari, » etc. (34. Verum quia neque hoc servabant Metropolitani, idcirco in Concilio Lateranensi V. sub Leone X. anno 1517. *sess.* 10. *Constitut.* incip. *Regimini*, circa finem § *Matura quoque consideratione, tom.* 4. *Conciliorum part.* 2. *pag.* 99. *col.* 1. antiqua Jura fuerunt correcta, et statutum fuit, ut de cætero Concilia Provincialia fierent singulis trienniis; quod et fuit iterum expresse ordinatum in Conc. Trid. *sess.* 24. *c.* 2. *de reform.* ibi : « Ut Provincialia Concilia sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex Sacris Canonibus permissis renoventur. Quare Metropolitani per se ipsos, seu illis legitime impeditis, Coepiscopus antiquior, intra annum ad minus a fine præsentis Concilii, et deinde quolibet saltem triennio post Octavam Paschæ Resurrectionis D. N. J. C. seu alio commodiori tempore pro more Provinciæ non prætermittant Synodum in Provincia sua cogere. » (35. Ex quibus verbis habes, quod Metropolitani possint quidem intra triennium etiam pluries Synodum convocare, si id expediens judicetur, ut clare patet ex illa dictione *saltem;* sed ultra triennium protrahere non debent, ut patet clare ex illis verbis *non prætermittant.*

(36. Immo Metropolitanus omittens, et

Digitized by Google

negligens celebrare Concilium Provinciale intra triennium subjacet pœnis Canonicis; *ex cap. Quoniam quidem dist.* 18. et incurrit pœnam Suspensionis a sui executione Officii, ut expresse statuitur *in d. c. sicut olim* 25. *de occupationibus*, ibi : « Quisquis autem hoc salutare statutum neglexerit adimplere, a sui executione Officii suspendatur. » (37. Quæ tamen pœna Suspensionis non est latæ Sententiæ, sed ferendæ secundum Hostiens. *in d. v. Olim* in fine, Johannes Andreas *ibid. n.* 7. et Fagn. *ibid. n.* 107. Et sic intelligendum est decretum *dict. Lateranen. Conc. sub Leone X. sess.* 10. in *Constit.* incip. *Regimini*, ibi : « Circa hoc autem negligentes, pœnas in iisdem Canonibus contentas se noverint incursuros. » Et ita pariter intelligendum venit Decretum Conc. Trid. *in d. sess.* 24. *c.* 2. *in fin.* ibi : « Quod si in his tam Metropolitani, quam Episcopi negligentes fuerint, pœnas sacris Canonibus sancitas incurrant. » (38. Et ratio est, quia præcitata Decreta relationem habent ad pœnas a Jure statutas, ut intellexit Sac. Congr. Conc. relat. a Fagn. *loc. cit. sub n.* 109. ubi cum inter alia quæsita, fuisset, ut infra, dubitatum : « Tertio, dato quod censeatur imposita (*scilicet pœna Suspensionis*) an ipsa pœna, quæ secundum d. cap. sicut olim, incurritur mediante sententia, hodie ipso Jure incurratur propter illa verba d. c. 2. in fin. » ibi : « Pœnas sacris Canonibus sancitas incurrant? » (39. Sac. Congr. « ad tertium censuit per Concilium Tridentinum non esse alteratum, nec immutatum modum incurrendi pœnam d. c. sicut olim; quia Concilium utitur illis verbis : Incurrant pœnas sancitas, quæ nihil innovant. »

(40. Locus autem eligendus pro congregando Concilio, debet esse commodus quantum fieri potest omnibus, qui intervenire debent, ut non fatigentur propter discrimina itinerum ; *c. Quoniam quidem* 7. *dist.* 18. et ibi notat Præpositus *num.* 1. Henric. Bottæus, *de Synodo Episcopor. p.* 1. *q.* 10. *n.* 56. et Fagn. *in cit. cap. sicut olim n.* 26. (41. Et electio talis loci pro Concilio Provinciali celebrando spectat ad Archiepiscopum, qui tamen cessantibus justis impedimentis, Metropolitanam Ecclesiam, modo in ea adsint commoditates ad id necessariæ, relinquere non debet. Sic censuit Sac. Congr. Conc. ut refert Fagn. *in d. cap. sicut olim n.* 27. (42. Concilium Provinciale postquam in loco indicto est congregatum, solet celebrari per spatium trium, vel quatuor dierum. Hostiens. *in c. Grave, de præbend.* Nec potest ultra Hebdomadam protrahi, nisi id exigentibus negotiis imminentibus ; Genuens. *in praxi c.* 69. *n.* 13. Card. Petra *loc. cit. n.* 113.

(43. Quando in Concilio Provinciali Metropolitanus est unius sententiæ, Suffraganei autem omnes sunt alterius; quænam prævaleat, et num consulendus sit Summus Pontifex? variant Doctores, et varia etiam fuerunt vota Cardinalium Sacræ Congregationis Concilii in Ulixbonensi circa tale propositum dubium. *Die enim* 10. *Jan.* 1577. (postquam *die* 11. *Oct.* 1576. censuerat amplius deliberandum super hoc dubio) ex novem qui erant congregati Cardinales, scilicet, Mor. Column. Gess. Lancel. Alciat. Senon. Mont. alt. S. Sixtus, et Caraffa ; quatuor, nempe Mor. Gass. Lancell. et Caraffa censuerunt sententiam Suffraganeorum præferendam esse sententiæ Metropolitani, quia illi habent votum decisivum, et sunt Conjudices ; alii autem quatuor scilicet, Column. Alciat. Senon. et Mont. alt. (nam S. Sixtus quid sentiret non aperuit) dixerunt neutri sententiæ adhærendum, nec Suffraganeorum, nec Metropolit. sed absolute in quacumque causa adeundum esse Papam. (44. Quia autem Sanctissimus *die* 14. *Jan.* audita relatione Congregationis, inclinavit potius in opinionem illam, quod prævaleat Sententia Suffraganeorum, et quia habent votum decisivum et sunt Conjudices, et quia Doctores dicunt, quod debet Metropolitanus statuere de consilio, et assensu eorum, seu majoris partis, ut refert Fagn. *in d. c. sicut olim* 25. *de accusationibus num.* 24. *et* 104. tenendum est, in tali casu prævalere sententiam Suffraganeorum, ut colligitur ex *c. ne Episcopi* 7. *de temporibus ordinat.* ubi dicitur, quod Metropolitanus debet consentire majori parti suorum Suffraganeorum, ibi : « Quod si inter partes aliqua dubitatio fuerit, majori numero Metropolitanus consentiat. » Ita Hostiens. *in c.* 1. *de libell. oblat. ad fin.* Jacobat. *de Concil. lib.* 6. *art.* 2. *vers. Nemo faciat*, Navarr. *cons.* 1. *de his, quæ fiunt a Prælatis sine consens. Capit.* Bottæus de *Synodo p.* 8. *n.* 137. Genuens. *in cit. prax. c.* 89. *num.* 4. Quaranta *loco cit. quæst.* 29. Fagn. *loco cit. n.* 71. et alii. (45. Sententia tamen debet nihilominus pronunciari nomine Archiepiscopi de consilio, et consensu Suffraganeorum; Card. Hostiens. et Zabarell. *in cap. Grave de præbend. num.* 6. Jacobat. *de Concil. l.* 5. *art.* 8. *fol.* 288. *c. sicut, de accusat. et c. Sane d.* 67. (46. Si vero Archiepiscopus dissentiat pronuntiare sententiam ab ipso non approbatam, tunc recurrendum est ad Summum Pontificem. Quaranta *loco cit. quæst.* 30. Petra *loco cit. n.* 73. et alii.

(47. Concilium Provinciale nequit dissolvi ab Archiepiscopo solo sine consilio, et assensu, seu voto Suffraganeorum. Ita decisum fuisse a Sacra Congreg. Conc. refert Fagnan. *in dict. cap. Sicut olim, de accusat. num.* 98. (48. Completo, et dissoluto Concilio Provinciali de communi consensu, tenentur Episcopi infra sex menses publicare in suis Diœcesibus Conciliaria statuta; textu expresso *in cap. Decernimus* 17. *dist.* 18. (49. Non tamen debent publicari inconsulto Romano Pontifice, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii *in Januensi* 14. *Junii* 1573. his verbis : « Decreta, quæ in Conciliis Provincialibus conduntur, non debent publicari inconsulto Romano Pontifice. » (50. Debent enim Concilia Provincialia prius recognosci, et approbari a Summo Pontifice, seu a Sacra Congregat. Concilii, ut est dispositum a Sixto V. in *Constitut.* incip. *Immensæ de Institutione Sacræ Congregationis Concilii.* ibi : « Provincialium vero (Synodorum) ubivis

Digitized by Google

terrarum illæ celebrentur, decreta ad se mitti præcipiet. eaque singula expendet, et recognoscet; » et sic declaravit ipsa Sac. Congreg. Conc. *in Januens. de anno* 1573. *et in Hostiens. de anno* 1586. (51. Et de facto sic servat Praxis, quod Concilia Provincialia a Sacra Congregatione Concilii approbentur. (52. Nec tamen per istam approbationem, quæ fieri solet a Sacra Congregatione Concilii, ipsa decreta Conciliaria obligant extra Provinciam, ut decisum fuisse ab ipsa Sacra Congregatione Concilii refert Sellius *in selectis Canonicis, cap.* 25. et Barbosa *ad Tridentin. sess.* 24. *cap.* 2. *n.* 2. (53. Bene vero obligant omnes Subditos Provinciæ, et contra inobedientes Juris remediis est procedendum, cum afficiant omnes de Provincia; *cap. cum. omnes, de Constitutionibus*, et expresse Tridentinum *dict. sess.* 14. *cap.* 2. præcipit Episcopis, ut observent, et faciant observari talia Conciliaria Decreta, ibi : « Et quæ ibi ordinata fuerint, observent, et observari faciant. » Et Sacra Congregatio *sub die* 6. *Aug.* 1695. *in una Montis Morani executionis decretorum* mandavit exequenda esse Decreta Conc. Provinc. Beneventani in dicta Diœcesi; et Rota *in Cracovien. exemptionis* 16. *Jan.* 1689. § *Illud, cor. Card. Caccia.* (54. Immo Decreta Conciliaria Provincialia ligant etiam Episcopum Successorem, licet sit elapsum decennium ab ultima Synodo Provinciali, ut fuit decisum *in una Marsicana.* (55. Non tamen hæc decreta obligant ad culpam, sed ad pœnam, nisi specialiter ad culpam obligare declaraverit ipsum Concilium; Concil. Toletan. XXI. *cap.* 2. Petra *loc citat. num.* 120.

(56. Conciliorum, et Synodorum celebratio Episcopis juxta Concil. Trid. dispositionem efficaciter suadetur; Benedict. XIV. *tom.* 2. *Const.* 28. incip. *Quamvis* § 5. et *Const.* 31. incip. *Singularis* § 2.

ARTICULUS III.

Concilium episcopale, seu synodus diœcesana.

(1. Synodus ex Græco interpretatur Comitatus, vel Cœtus, textu expresso *in c. Canones dist.* 15. *vers. Synodus*, ibi : « Synodus autem ex Græco interpretatur Comitatus, vel Cœtus. »

(2. Synodus Diœcesana est celebranda singulis annis ab unoquoque Episcopo in sua Diœcesi. Sic expresse statuit Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de reformatione cap.* 2. ibi : « Synodi quoque Diœcesanæ quotannis celebrentur (1). » Potestque celebrari etiam extra Ecclesiam, ex Monacell. *tom.* 1. *titul.* 5. *formul.* 3. *num.* 7. Bott. Massobr. ibi citatis. (3. Et si necessitas postularet, posset Synodus Diœcesana etiam sæpius in anno celebrari. Barbosa *ad Conc. cit. sess.* 22. *cap.* 2. *n.* 17. *et p.* 5. *de Offic. et potestat. Episcop. alleg.* 93. *num.* 2. Ugolin. *de Offic. Episcop. cap.* 48. *num.* 3. et alii per textum *in cap. De Conciliis* 2. *dist.* 18.

(4. Episcopus non celebrans singulis annis Synodum Diœcesanam incurrit pœnas a jure statutas. *Sacra Congregatio Concilii* 26. *Junii* 1621. Episcopus omittens sine causa celebrare quotannis Synodum de jure communi est suspendendus ab executione Officii ex *cap. Sicut olim, de accusationibus. Sacr. Congreg. Conc.* 21. *Mart.* 1590. apud Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 132. Barbosa *ad Conc. loc. cit. n.* 18. Gavant. *in manual. Episcop. verb. Synodus n.* 5. Vide infra *n.* 86. *et seqq.*

(5. Episcopus duarum Civitatum unitarum debet in utraque Diœcesi alternative Synodum celebrare, nec Capitulum unius Cathedralis cogi potest, ut accedat ad Synodum alterius. *Sac. Congreg. Conc. in una Civitatis Castellanæ, et Hortanæ* 9. *Januarii* 1624. et sæpius alibi Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 132. Hinc *eadem Sacr. Congr. Conc. in Valven. et Sulmonen.* 3. *Septem.* 1650. declaravit, quod in qualibet Civitate deputandi sunt examinatores Synodales distincti ab illis, qui deputantur in altera Civitate; et quod Episcopus pro causis Diœcesanorum unius Diœcesis deputare debeat Vicarium Generalem in illa Diœcesi; ac etiam quod Clerici unius Diœcesis delinquentes debeant ibidem in carcerem condi, et non transmitti ad carceres alterius Diœcesis. Sic apud Pignatell. *loc. cit.* ubi insuper adducit ad rem alia Decreta Sac. Congr. Episcoporum.

(6. Afferuntur ad id aliæ novissimæ Resolutiones Sac. Congregationis Concilii, nempe, *in Ampurien. Synodi*, ubi ita habetur : « Approximante tempore celebrationis Synodi, Episcopus, stante quod Ampuriensis Diœcesis unita sit æque principaliter Civitatensi Diœcesi, nulla in hac parte suffultus consuetudine, supplicat ab Eminentiis VV. edoceri... I. An ipse teneatur celebrare Synodum in utraque Diœcesi, et quatenus negative, II. An renuentibus Civitatensibus accedere ad Cathedralem Ampuriensem, eos juris remediis ad accessum, et ad Synodi observantiam compellere possit ? » *Et Sacr. Congreg.* 8. *Maji* 1694. respondit : « Ad I. Affirmative alternatim. Ad II. Negative, » ut in *libro* 44. *Decret. pag.* 212. Et in *Geruntinen. et in Cariaten. Synodi et Gravaminum :* Cum Capitulares, et reliqui de Clero Geruntinen. ad Synodum per Episcopum indictam, et in Civitate Cariatensi habitam, non accessissent, tum ob itineris incommodum, tum etiam quia Ecclesiæ Geruntinen. et Cariaten. fuerint inter se accessorie unitæ, reservata tamen præeminentia Geruntinensi, inter cætera disceptata fuerunt hæc dubia : « I. An Synodus ab Episcopo celebrata in Cathedrali Cariaten. sustineatur? » Et quatenus negative. « II. An liget Diœcesim Geruntinam ? III. An Censuræ ab Episcopo fulminatæ contra Canonicos Geruntinos sustineantur ? » Et Sacra Congregat. *die* 7. *Octobr.* 1706 respondit : « Ad I. Affirmative. Ad II. et III. Negative. » Sed proposita causa sub Dubio : *An et in quibus sit standum, vel recedendum a decisis sub die* 2. *Octobris* 1709. *in casu etc. Die* 1. *Febr.* 1708. rescripsit : « Ad I. In decisis. Ad II. prævio recessu a decisis, Affirmative. Ad III. usque ad ultimum, in decisis, » ut *in lib.* 58. *decretal.*

(1) Vide infra *n.* 72, *et seqq.*

Digitized by Google

pag. 53. Et in *Matheranen. et Acheruntina Synodi*, ad sequentia dubia. « 1. An licitum sit Archiepiscopo Matheranensi, et Acheruntino convocare Synodum Diœcesanam in Civitate Matheræ pro utraque Diœcesi, seu potius eam celebrare teneatur in Civitate Acheruntina? » Et quatenus affirmative ad primam partem, et negative ad secundam. « II. An idem Archiepiscopus compellere possit Ecclesiasticos dictæ Civitatis, et Diœcesis Acheruntinæ ad interveniendum prædictæ Synodo in casu, etc. » Sac. Congreg. 24. Martii 1736. respondit : « dilata non retardato pro hac vice interventu Cleri Acheruntini Synodo jam indictæ in Civitate Matheranensi sine præjudicio jurium ambarum partium. » Sic apud Thesaurum Resolutionum Sacræ Congregationis Concilii *tom.* 7. *in d. Matheran. et Acheruntina Synodi*, in cujus causæ expositione refertur etiam sequens Decretum *in Pennen. et Adrien.* ubi eadem Sacra Congregatio *die* 26. *Julii* 1647. respondit : « Synodum ab Episcopo congregatam, et celebratam in Civitate Pennen. quæ ratione alternativæ celebranda erat in Civitate Adriensi, non esse abolendam, sed acriter corripiendum Episcopum, et faciendam declarationem, quod hujusmodi celebratio nullo modo præjudicet Civitati Adriensi ratione dictæ Alternativæ ; prout hæc Sac. Congr. declarat, ut in *lib.* 18. *Decret. pag.* 367. » Vide infra *n.* 78. *seqq.*

(7. Episcopus nondum consecratus, si Bullas expedivit, potest Synodum convocare. Gavant. *in Manual. Episc. verb. Synodus Diœcesana n.* 1. Massobrius *de Synodo Episc. c.* 2. *dub.* 1. *n.* 9. Barbosa *ad Conc. loc. cit. n.* 20. *et citat. allegat.* 93. *post. n.* 3. cum aliis ibi citatis.

(8. Archiepiscopus non potest Synodum congregare ante susceptionem Pallii. Sic expresse Gloss. *in cap. Pallium* 6. *verb. Missarum dist.* 100. ibi : « Et in Synodo etiam uti valet, sed non potest Synodum congregare ante susceptionem Pallii ; » Pirhing. *in Jus Canonicum tom.* 1. *l.* 1 *tit.* 8. *n.* 11. Azorius *Instit. moral. par.* 2. *l.* 3. *c.* 34. *qu.* Card. Petra *tom.* 5. *Commentar. ad Constit. Pii II. num.* 31. et alii cum Barbosa *cit. allegat.* 63. per text. *in c. Quod si ut* § *Super eo, de election.*

(9. Synodus Cleri Romani convocari potest ab Eminentissimo Cardinale Urbis Vicario, ut actum fuisse liquet in proemio statutorum Cleri Romani impressorum, et expresse data fuit facultas a Paulo III. *Const.* 36. *a* 10. ibi : « Synodum in Romano Clero pro correctione malorum morum, et pro necessitate, juxta temporum opportunitates in Clero occurrentes, ubi, et quando libuerit celebrandi, et congregandi, statuta, et ordinationes, seu Constitutiones pro tempore observandas edendi. » Sic. Card. Petra *tom.* 5. *Comment. ad Const.* 1. *Pauli II. n.* 64.

(10. Vicarius Generalis Episcopi absque ejus speciali mandato non potest Synodum Diœcesanam convocare. *Sac. Congr. Conc.* 11. *Aug.* 1688. apud Sell. *in Selectis Canonic. cap.* 25. *n.* 31. Barbos. *ad Concilium l. c. n.* 21. et tenent passim Doctores. Vide verb. *Vicarius Generalis art.* 2. *n.* 20.

(11. Vicarius Capitularis, Sede vacante potest, immo debet Synodum congregare ; in illum enim transfertur jurisdictio Episcopalis. Sic decisum fuisse a *Sac. Congregat. Concil.* referunt Garcias *de Benef. part.* 9. *c.* 2. *n.* 8. Card. Petra *tom.* 5. *Comment. ad Constit.* 4. *Callisti III. sect.* 2. *n.* 113. Gavant. *l. c. verb. Synodus Diœcesana n.* 2. Barbosa *ad Concilium loc. cit. n.* 22. et ad id teneri docent Sbroz *de Offic. Vicar. lib.* 2. *qu.* 3. *in addit. sub n.* 5. Pavin. *de potest. Capituli Sede vacante part.* 1. *quæst.* 9. *vers. Ex præmissis et qu.* 10. Bottæus *de Synodo part.* 1. *q.* 6. *n.* 40. Massobrius *loco cit. c.* 2. *dub.* 4. Barbosa *cit. allegat.* 93. *sub num.* 4. et alii.

(12. Abbates, aliique Prælati Episcopo inferiores non possunt congregare Synodum, nisi habeant copulative tria requisita, scilicet Territorium vere separatum cum Jurisdictione quasi Episcopali in Clerum, et populum, et speciale Indultum Apostolicum cum subsecuta consuetudine Barbosa *ad Concil. Trident. sess.* 24. *de reform. c.* 18. *n.* 45. Card. de Luca *ad Concil. disc.* 30. *n.* 12. Lotter. *de re Benefic. lib.* 2. *q.* 31. *num.* 88. et plurimi alii citati a Card. Petra *tom.* 5. *Comment. ad Constit.* 4. *Callisti III. sect.* 2. *n.* 114. *et* 115. ubi ad id refert plura *Decreta Sacr. Congreg. Conc.* Vide *ibi* multa ad rem.

(13. Episcopus justo aliquo impedimento detentus potest Synodum congregare per alium. Sic decisum fuisse *a Sacra Congregat. Concilii* referunt Ugolinus *de Offic. Episcop. cap.* 48. *n.* 3. Barbosa *ad Concil. Trident. sess.* 24. *de reform. cap.* 2. *num.* 19. *et cit. allegat.* 43. *n.* 3. ubi dicit, quod id innuit ipsummet Concilium *cit. cap.* 2. dum inquit, *Synodi Diœcesanæ quotannis celebrentur*, indeterminate enim loquitur, et non speciatim mandat Episcopis, ut ipsimet Synodum congregent, adeoque per alios possunt. Ita enim Piasec. in *praxi. p.* 2. *c.* 2. *n.* 1. et alii.

(14. Si in Diœcesi sit constitutus Vicarius Apostolicus, ad ipsum solum, et non ad Episcopum pertinet congregare Synodum, et facere concursum, quia Episcopus non habet nisi administrationem Ordinis. *Sac. Congreg. Episcop. in Lycien.* 9. *Jun.* 1608. *et in Bisinianen.* 16. *Maii* 1653. apud Piton. *Constit. et decis. ad Episc. n.* 1205.

(15. Non est ordinarie convocanda Synodus, nisi prius expleta fuerit Visitatio Generalis Diœcesis ; ipsa enim prævia Visitatio videtur necessaria, ut opportuna remedia malis, et pravis consuetudinibus, ac corruptelis, quæ in Diœcesi sunt, possint applicari. Crispin. *de Visit. p.* 3. § 18. *n.* 4. Pax. Jord. *Lucubrat. tom.* 2. *lib.* 8. *tit.* 2. *n.* 9. Monacell. *l.* 1. *tit.* 5. *formul.* 3. *n.* 2. et alii.

(16. Debet autem Synodus fieri ante Visitationem, quando habita non fuit a multo tempore. *Sacr. Congr. Episc. in Tarentina* 24. *Oct.* 1586. apud Nicol. *in Flosculis Verb. Synodus n.* 2.

(17. Episcopus in convocatione Synodi non tenetur consilium Capituli requirere,

Digitized by Google

nec in aliis actionibus præparatoriis; id enim sola sua auctoritate facere potest. Sic declaravit *Sacra Congreg. Concil. in Oriolen.* 22. *Martii* 1631. apud Barbosam *in Summa Apostol. decis. collect.* 124. *n.* 22. *et in Fulginaten.* 26. *Februar.* 1639. apud Nicol. *Lucubrat. Canon. lib.* 5. *tit.* 6. *de judic. num.* 6. *et in Hispalen. Visitationis* 18. *August.* 1695. apud Monacell. *tom.* 1. *tit.* 5. *formul.* 3. *num.* 5. (18. Piasec. tamen *prax. Episc. part.* 2. *art* 1. *num.* 4. *cit. de modo convocandi Syn* Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 69. et apud ipsum Rota *in Barbastren. Jurisdictionis.* 7. *Junii* 1585. *coram Card. Pamphilio*, et alii dicunt, quod Episcopus, antequam indicat Synodum, teneatur requirere saltem consilium Capituli juxta Regulam *cap. Quanto, De his, quæ fiunt a Prælat. sine consensu Capituli.*

(19. Episcopus debet in publicatione Decretorum Synodi, Capituli consilium exquirere, licet sequi non teneatur; Episcopus enim prudens, antequam Decreta Synodi promulget, debet prius in privatis congressibus a Viris doctrina, prudentia, et pietate præstantibus, et deinde ex obligatione a Capitulo collegialiter coadunato consilium exquirere: licet solus potestatem legislativam statuendi habeat, et consilium sequi non teneatur. *Sac. Congr. Concil. in Hispalen. Synodi* 26. *Novembr.* 1689. apud Monacell. *loc. cit. num.* 9. ubi dicit esse hanc propositionem, quæ non habet hodie oppositorem.

(20. Requisitio consilii Capituli pro publicatione Decretorum Synodi debet fieri ab Episcopo Capitulo congregato, non autem Canonicis particulariter, Syndico, aut Procuratori, alias non valeret, ut tradunt Rota *coram Verallo part.* 1. *decis.* 305. *n.* 3. Card. de Luca *de Jurisdict. discurs.* 6. *num.* 4. *et* 6. Gavant. *in prax. Synod. tit. de Confect. Decret. cap.* 6. *num.* 8. Pax Jordan. *Lucubrat. tom.* 2. *lib.* 8. *tit.* 1. *de Constitut. n.* 10. Monacell. *loco citato n.* 14. et alii.

(21. Immo valde expedit, quod dicta requisitio facta Capitulo congregato registretur in actibus Synodi, quia cum sub pœna nullitatis Synodi teneatur Episcopus consilium Capituli exquirere, ut pluries declaravit *Sac. Congreg. Conc.* et signanter *in una Sancti Marci Synodi* 10. *Maji* 1666. *et in Boven. Synodi* 17. *Februarii* 1680. *et in Hispalen. Synodi* 26. *Novembris* 1589. constando sic de tali facta requisitione evitantur omnes recursus, qui non semel in Sac. Congreg. audiuntur adversus hunc defectum.

(22. Si autem Canonici, et Dignitates nollent coram Episcopo die ipsis indicta congregari, tunc sufficeret requisitio facta per Edictum affixum in loco Capituli, seu ad valvas Sacristiæ, aut Ecclesiæ Cathedralis, protestando in eodem Edicto, quod sic habeantur pro requisitis, et ad celebrationem Synodi velle procedere, quod in tali casu sufficiet ad ejus validitatem, prout declaravit *Sac. Congr. Conc. in Ostunen. Synodi* 15. *Decembris* 1696. apud Monacell. *loco cit. n.* 12.

(23. Et in casu quo totum Capitulum congregatum, seu aliqua ejus pars contradiceret desiderio aut propositioni Episcopi, et protestaretur, et appellationem interponeret, posset Episcopus, his protestationibus, et appellationibus non obstantibus, suam Synodum libere celebrare, cum Synodi celebratio impediri, vel retardari nequaquam possit, etiam prætextu cujuscumque appellationis, ut expresse *Sacr. Congr. Conc. in Oriolen.* 27. *Mart.* 1632. *in respon. ad* 17. *dub.* apud. Barbos. *in Summa Apostolicar. decis. verb. Synodus n.* 8. quia Episcopus tenetur solummodo Capituli consilium petere, non tamen sequi, ut declaravit *Sac. Congreg. Concilii in d. Oriolen. in respons. ad* 15. *dub.* apud Barbos. *loc. cit. n.* 7. *in Fulginaten.* 26. *Febr.* 1639. apud Nicol. *Lucubrat. Canonic. lib.* 5. *tit.* 6. *de Judæis n.* 6. *et in Hispalen. Synodi* 26. *Novemb.* 1689. *in respons. ad* 2. apud Monac. *l. c. n.* 13.

(24. Capitulum Cathedralis debet necessario expresse in specie, et nominatim ad Synodum invitari juxta dispositionem Text. *in cap. Ultimo, De his, quæ fiunt a Prælat. sine consensu Capituli*, Fagnan. *in cap. Grave n.* 11. *et* 15. *de Præbendis*, Monacell. *loc. cit. n.* 5. et alii.

(25. Si autem Canonici, et Capitulum Synodo interesse recusent, cogi possunt ab Episcopo etiam per censuras Ecclesiasticas. *Sac. Congregat. Concil. in Oriolen.* 21. *Mart.* 1632. *in respons. ad* 19. *dub.* apud Barbos. *in Summ. Apostolicar. decis. verb. Synodus n.* 9. et Bonfadin. *in Thes. Eccles. decis. resolut.* 52. *n.* 13.

(26. Laicis, quamvis sit in facultate Episcopi, eos invitare, non tamen possunt de jure prætendere, quod teneatur eos invitare ad Synodum. *Sac. Congreg. Conc. in Lycien. Synodi* 10. *Jan. et* 18. *Apr.* 1688. *in respons. ad primum, et Sac. Congregat. Rit. in Urbinaten.* 23. *Januarii* 1700. *in responsione ad septimum* Vide infra *n.* 92. *seqq.*

(27. Ad Synodum accedere tenentur, et admitti debent solum Curati, et Beneficiati, nisi esset consuetudo, quod interveniret totus Clerus. *Sacra Cong. Episcop. in Aquilana* 31. *Maji* 1589, apud Nicol. *in Floscul. verb. Synodus. n.* 2. *et in Eugubina* 13. *Augusti* 1650. *in Forosempronien.* 17. *Januarii* 1654. apud Piton. *Constitut. ad Episcop. n.* 1212. (28. In casu autem, quo in Synodo agendum sit de reformatione morum, vel de alia re, quæ Clerum universum tangat, omnes Presbyteri, et Clerici interesse debent, ut declaravit *Sac. Congreg. Conc. in Eugubina* 12. *Augusti* 1650. apud Crispin. *de Visitat. p.* 3. § 18. *n.* 4. et Monacell. *loc. cit. num* 3. (29. Tunc tamen, si episcopus acturus sit super aliquo ex præmissis, debet facere mentionem verbis specificis in Edicto convocationis. *Sac. Congreg. Concilii.* 7. *Januarii* 1654. lib. *Position.* 98. *fol.* 124. apud Monacell. *tom.* 4. *supplem. ad* 2. *tom. n.* 155.

(30. Exempti omnes, qui alias cessante exemptione Synodo interesse deberent, nec Capitulis Generalibus subduntur, ad eam accedere tenentur, textu expresso *in Concil. Trident. cit. sess.* 24. *de reform. cap.* 2 ibi:

Digitized by Google

« Synodi quoque Diœcesanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec Capitulis Generalibus subduntur, accedere teneantur. »

(31. Omnes Curati, sive Sæculares, sive Regulares tenentur ratione Curæ Parochialis accedere ad Synodum, etiamsi ipsi Curati Regulares subdantur Capitulis Generalibus. *Communis*, per textum expressum in Concilio Trid. *loco citato* ibi : « Ratione tamen Parochialium, aut aliarum sæcularium Ecclesiarum etiam annexarum, debeant ii qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, interesse. »

(32. Synodo interesse tenentur etiam Abbates, aliique Superiores Regulares, et Prælati inferiores exempti, si per se ipsos Curam Parochialem exerceant. Secus autem, si ipsam Curam per alium ab ipsis eligendum exerceant, quia tunc onus accedendi isti soli incumbit, et non Abbati, seu alteri Superiori Regulari, aut Prælato inferiori exempto. Sic decisum fuisse a *Sac. Congr. Conc.* referunt Card. Petra *tom.* 5. *Commentar. ad Constit.* 4. *Callisti III. sect.* 2. *num.* 110. Sellius *in Selectis Canonic. cap.* 25. *num.* 32. Barbosa *ad Trident. cit. c.* 2. *n.* 28. et tenent alii communiter. Accedere tamen ad Synodum Diœcesanam non tenentur Abbates Regulares nullam animarum curam gerentes; ut ex Decretis *Sac. Congr.* Bened. XIV. *de Synod. Diœces. lib.* 3. *c.* 2. § 3. iterumque *lib.* 7. *c.* 65. § 2.

(33. Item Synodo interesse tenentur Vicarii, seu Capellani Religionis Hierosolymitanæ Curam animarum habentes *S. Congr. Conc. in Illerden.* 17. *Jun.* 1683. apud Monacell. *tom.* 4. *supplem. ad* 3. *tom. num.* 1538. et aliud *ejusd. S. Congr.* Decretum *in una Meliten.* refert ad id Card. Petra *loc. cit. n.* 111.

(34. Item Synodo interesse tenentur Parochi exempti Ecclesiæ Lateranensis. Card. de Luca *de Jurisdic. discurs.* 38. *num.* 6. et ad Concil. Trid. *discurs.* 30. *num.* 10. *et sequent.* Card. Petra *loc. cit. n.* 9. Tambur. *de jure Abbat. tom.* 1. *disp.* 2. *qu.* 4. *n.* 5. *et Communis aliorum.*

(35. Rectores Parochialium Nullius Diœcesis, etiamsi sint Abbates, tenentur accedere ad Synodum illius Episcopi, qui tamquam vicinior potest eos visitare. Sic decisum fuisse a Sac. Congr. Conc. referunt Franciscus Leo *in Thesaur. Fori Ecclesiastic. par.* 1. *cap.* 9. *n.* 13. Barbosa *loc. cit. num.* 17. ubi expresse habet, quod *Sac. Cong. Conc.* declaravit, debere « hujusmodi Abbates Nullius accedere ad Synodum vicinioris Episcopi, ut in Adrien. 12. Jun. 1592. tom. 7. pag. 51. a tergo; Teneri Curatos Nullius Diœcesis interesse Synodo illius Episcopi, qui tamquam vicinior potest eos visitare. Abbatem vero, si sit Nullius Diœcesis, non teneri, nisi Curam animarum exerceat. » Et 12. Februar. 1622. tom. 12. « Rectores Nullius tenentur accedere ad Synodum Diœcesanam illius Episcopi, qui tamquam proximior potest eos visitare; » ac refert Fagnanus in cap. Super his, n. 16. de Majoritat. et Obedient. et in citat. Meliten. ad secundum Sacra Congregatio censuit : « Rectores Nullius Diœcesis et ratione Visitationis ad Synodum sunt obligati, et ad ea omnia, quæ in Synodo decreta sunt, si visitentur ab Episcopo tamquam viciniore. »

(36. Abbates Regulares, Priores, Rectores, Guardiani, aliique Superiores parvorum Conventuum, qui vigore Decreti Innocentii X. *Ut in parvis*, subjiciuntur Jurisdictioni Ordinarii, tenentur accedere ad Synodum, quatenus vocati fuerint ab Episcopo tamquam Sedis Apostolicæ delegato, prout declaravit Alexander VII. suo Decreto emanato 30. Martii 1611. quod refert per extensum Fagnanus in cap. *Quanda* n. 64. de Offic. Ordinarii. (37. Et si non interveniant, potest Episcopus suo arbitrio illos mulctare, excepta mulcta pecuniaria. Sac. Congr. Conc. in Pientina 16 Jun. 1703 apud Monacell. tom. 4 ad 3. tom. n. 156.

(38. Conventus tamen, qui non fuerunt suppressi, et in quibus adest numerus sex Religiosorum, non comprehenduntur sub hac obligatione. Ead. Sac. Congr. in dicta Pientina 15. Sept. ejusdem anni 1703. apud Monacell. loc. cit. n. 157. et habetur clare ex Conc. Trident. cit. c. 2. quia subduntur Capitulis Generalibus.

(39. Episcopus potest cogere etiam Clericos Subcollectores Apostolicos, ut Synodo intersint. Sacra Congregat. Concil. in una Montis Pelusii 4. Febr. 1651. et in Cajacen. 21. Mart. 1654.

(40. Episcopus potest Juris remediis etiam per Censuras Ecclesiasticas compellere ad interessendum Synodo omnes supradictos obligatos Synodo intervenire. Sac. Cong. Conc. in Oriolen. 27. Mart. 1532. in resp. ad 19. dub. in Illerden. 9. Septembr. 1684. in Pientina 17. Jun. 1703. et sæpe alibi.

(41. Et sic etiam Juris remediis compelli possunt ab Episcopo ad interessendum Synodo Curati Regulares Parochiarum illorum Conventuum, in quibus residentiam habent Generales suorum Ordinum, quamvis istæ Parochiæ ex Concil. Tridentin. sess. 25. cap. 11. et Sacr. Congreg. Conc. in Lauden. Jurisdictionis 1. Decemb. 1691. non subjaceant Visitationi Ordinariorum. Sic Sacr. Congregat Concil. in dicta Laudensi 1. Decembr. 1691. in responsion. ad octavum, et nonum confirmata 20. Septembr. 1692. juxta resoluta in Justinopolitana 24 Septembr. 1739 in Comen. 16. Decembris 1645. et in Forosempronien. 3. Septembris 1650. apud Monacell. tom. 1. tit. 6. formul. 20. numer. 15. Vide ibi num. 14. et 15.

(42. In Synodo Diœcesana potest Episcopus facere Constitutiones, et Decreta absque consensu, et approbatione Capituli, et Cleri. Licet enim teneatur ad id consilium Capituli exquirere, non tamen tenetur illud sequi, ut declaravit Sacr. Congreg. Conc. in Oriolen. 27. Mart. 1632. in respons. ad 15. dub. in Fulginaten. 26. Februar. 1639. et in Hispalen. Synodi 26. Nov. 1689. (43. Solus enim Episcopus in Synodo Diœcesana votum deci-

Digitized by Google

sivum habet Sacr. Congregat. Conc. 13. Jan. 1594. apud Sellium in Selectis Canonicis, cap. 25, num. 32. et Barbosa ad Trid. cit. c. 2. num. 29.

44. Decreta tamen, seu Constitutiones Synodales, antequam usu recipiantur, debent ostendi Capitulo, et aliis interessatis, eisque duorum mensium præfigi terminus, ut si se senserint gravatos, recurrere possint ad ipsum Episcopum, vel ad Sedem Apostolicam. Sacr. Cong. Episc. in Fundana 4. Dec. 1592. apud Nicol. in Flosculis verb. *synodus*.

(45. Non tenetur autem Episcopus Synodum ostendere Civitati, vel Laicis, antequam imprimatur, vel promulgetur. Sacr. Congreg. Episc. Civitate Castelli 14 Apr. 1615 apud eundem loc. cit. et apud Barbosam ad Trid. cit. cap. 2. num. 33.

(46. Dum Romæ revidentur Decreta Synodalia, non convenit quod Episcopus procedat ad eorum executionem. Sacr. Congreg. Episcop. in Vintimillien. 21. Aug. 1666. apud. Nicol. loc. cit. num. 7.

(47. Non tenetur tamen Episcopus ante Synodi publicationem ejus Decreta Romam mittere. Piasec. in prax. Episcop. par. 2. cap. 2. n. 12. Gavant. in Manual. Episcop. verb. Synodus Diœcesana, n. 68. Barbosa ad Conc. Trident. cit. cap. 2. sub num. 33. et par. 3. de Offic. et potest. Episcop. alleg. 93. num. 24. ubi dicit sic eamdem Sacram Congreg. rescripsisse Episcopo Ostiensi, teste Quaranta verb. *Synodus Diœcesana, in fine.*

(48. Constitutiones, seu Ordinationes factæ in Synodo Diœcesana sunt perpetuæ, et non expirant morte Conditoris. Glossa in cap. *Ut animarum verb. statuto*, de Constitutionibus in 6. Zerola in praxi Episcop. part. 1. verb. *Edicta* § 3. Arced. de præcellent. Episcop. Dignit. part. 2. cap. 1. n. 14. Barbosa cit. allegat. 92. *n.* 24. et alii.

(49. Constitutiones, seu Ordinationes Synodales ligant Clericos, et Laicos Episcopo subjectos. Barbosa ad Trid. cit. cap. 2. n. 34. Massobr. de Synodo, cap. 4, dub. 76 et 78. Gavant. loc. cit., n. 75, et alii passim. (50. Tales autem Constitutiones Synodales ex defectu auctoritatis non obligant Regulares. Rota in Neopolitana Jurium Parochialium 18. Mart. 1711. § *Atque hæc, cor. Ansaldo.* Sic expresse Ursaya in 2. Miscellaneo sacro, et profano lit. S., n. 97, et tenent Peyrin. de privileg. ad Const. 2 Jul. II, § 25, n. 77. Lezana summa qu. Regul. tom. 1, c. 11, n. 11. Lanstuc. verb. *Constitutio*, num. 5. Hasbens. Summ. Select. qu. verb. *Constitutio*, n. 3, et alii passim quoad Constitutiones Synodales concernentes reformationes Clericorum.

(51. Servanda tamen est Synodus Diœcesana a Regularibus quoad tempus humationis Cadaverum. Sacr. Congr. Rit. in una Senogall. 22, Jun. 1675, in resp. ad primum apud supplem. Theatr. Regular. verb. *Associatio, num.* 5, et Matthæucc. Offic. Cur. quoad Diœcesan. Legem num. 11. et quoad exequias *n.* 1. (52. Item servandæ sunt constitutiones Synodales a Regularibus in iis omnibus, quæ concernunt observantiam Sacrorum Canonum, Conciliorum, Pontificiarum Constitutionum, et Decretorum Sacrarum Congregationum.

(53. Delenda est pœna Excommunicationis in Decreto Synodali contra Moniales scribentes, vel recipientes literas, quas Abbatissa non legerit. Sacr. Congregat. Conc. in Cæsenat. 26, Mart. 1695.

(54. Expensis propriis vivere debent Canonici euntes ad Synodum, et non gravare Capitulum. Sac. Congr. Episcop. in Sarzan. 16, Jun. 1595, apud Nicol. in Flosculis verb. *Synodus*. num. 4.

(55. Canonici Ecclesiæ Collegiatæ cedere debent locum in Synodo Beneficiatis Ecclesiæ Cathedralis, quando conveniunt cum Capitulo ipsius Cathedralis. Sic. Sac. Cong. Rit. in Ampuriensi Præcedentiæ 20. Jan. 1635, quia membra non debent separari a suo capite. Pignatell. tom. 4. consult. 187. (56. An autem Canonici et Clerus Cathedralis sedere debeant in Synodo ad dexteram, Canonici vero cum Clero Collegiatæ ad sinistram? Quam vis eadem S. Cong. Rit. in d. Ampuriensi 11. Maji 1641, censuerit Affirmative, apud Pignatell. loco cit. tamen ipse Pignatell. ibid. censet Negative, et multis probat. Vide ibid.

(57. Beneficiati tamquam singuli, et vocati ab Episcopo possunt intervenire Synodo et in loco juxta præscriptum Pontificalis. Ita declaravit Sacr. Congr. Conc. 5. Novemb. 1644, apud Pignatell. tom. 1. consult. 294

(58. Hic juvat adducere decisionem Sacr. Rit. Congr. in una Spoletana Juris sedendi in Synodo pro Collegialis Sancti Petri, et S. Georgii Civitatis Spoleti cum Capitulo Cathedralis ejusdem Civitatis. Die enim 10, Mart. 1708, proposita causa in Sacr. Rit. Congregat. per Card. Colloredum, rescriptum fuit. « Canonicis Collegiatarum Sancti Petri, et Sancti Georgii detur scamnum coopertum aliquo panno arbitrio Episcopi, nec non vocentur titulo Canonicali sigillatim. » Sic refert Ursaya tom. 2, part. 1, disceptat. 29, num. 60.

(59. Cum Episcopus Senogalliensis pœnitentiam publicam vellet imponere duobus Presbyteris Curatis, qui in Synodo adversus illius Decreta (quæ munia Parochialia per se ipsos adimplere debere Parochos arctabant) reclamaverant, et alta voce protulerant hæc verba: « Tu quoque prædicare teneris, et non prædicas. » S. Congr. Episcop. hac die, et ante sub 20. Martii ejusdem anni proposita causa, et Episcopo informante, eidem injunxit, ut petita per eos venia, et imposita pœnitentia salutari, illos reciperet privatim. Sacr. Congreg. Episcop. 27. Mart. 1692. Sic ex Monacell. refert Pitonius Constitut. et decis. ad Episcopos n. 1681.

(60. In fine Synodi non interrogatur Clerus per verb. *Placetne vobis? Sac. Cong. Conc. 27. April.* 1592. apud Gavant. in Manual. Episcop. verb. *Synodus Diœcesana, num.* 62.

(61. Non licet Episcopo cogere etiam mulctis singulos Presbyteros, et Clericos ad Synodum impressam retinendam. *Sacr. Cong. Conc.* 14. *Dec.* 1658. Sic ex Nicolio refert Pitonius *loc. cit. n.* 1281. *Et Sac. Congr.*

Digitized by Google

Episc. et Reg. in una S. Marci. 11. *Mart.* 1728. *et d. S. Cong. Conc. in Larinen. Decretorum Synodalium* 30. *Aug.* 1732. *ad* 12. *dub. apud tom.* 5. *Thesaur. Resol. Sac. Cong. Concilii.*

(62. Ad Synodum Diœcesanam non teneri adire omnes Canonicos Collegiatæ, sed tantum ex his quatuor, respondit *Sac. Rit. Congr. in Vicentina* 23. *Maji* 1639. apud Scarfantonum ad Ceccoper. *part.* 2. *lib.* 2. *tit.* 10. *sub. n.* 33. *et* 34. ubi etiam quod inconveniens profecto esset, universos Canonicos propriam Ecclesiam inofficiatam relinquere, ut inquit Piasec. in *prax. p.* 2. *c.* 2. *n.* 3. Videtur tamen circa id attendenda legitima cujusque loci consuetudo; *arg. c. Cum dilectus* 8. *de consuetud. l. Si de interpretatione* 37. *ff. de Legib.* (63. Sacerdotes simplices teneri inservire Ecclesiæ Cathedrali omnibus diebus festivis, et cogi posse juxta formam consuetudinis, et juxta Constitutiones Synodales, respondit *Sac. Rit. Cong. in Bellicastren. Servitii* 15. *Nov.* 1670. quam resolutionem utraque parte informante confirmavit *anno* 1706. 21. *August.* cum rescripto, *In decisis, et amplius*, ut testatur Ursaya *tom.* 1. *par.* 2. *discept.* 24. *sub. n.* 13. Et attenta consuetudine, et necessitate Ecclesiæ Cathedralis Sacerdotes et Clericos cogi posse ab Episcopo interesse Missis in diebus Dominicis, et aliis Festis, necnon in Processionibus, jam decreverat *Sac. Congr. Conc. in Brictinorien.* 11. *Jan.* 1648. apud d. Ursayam *loc. cit. sub. n.* 23.

(64. Decretum Synodale quo prohibebatur Regularibus, ne in Ecclesiis sæcularibus ex Legato celebrarent, delendum esse statuit *Sacr. Congreg. Concil. In Meliten.* 27. *Nov.* 1694. et stetit in *decisis anno* 1695. 11. *Jul.* et iterum contra reclamantes una cum Parocho Presbyteros sæculares *die* 1. *Dec.* 1696. rescripsit *in decisis*, ut Patres Dominicani continuare possent celebrationem Missarum in Ecclesia Parochiali oppidi Pizzoni, ut refert Card. Petra *tom.* 4. *comment. ad Constit.* 6. *Gregor. XII. num.* 19.

(65. Synodale Decretum, quo Episcopus Parmensis determinaverat ne in Sodalitatibus Civitatis sibi subjectis, nec in aliis Ecclesiis, ubi aliqua adsit Particula Ligni SS. Crucis Christi Domini publicæ adorationi exponatur iis diebus, quibus in sua Cathedrali exponitur, non esse attendendum respondit Sacr. Cong. Conc., in Parmen. 9 Augusti 1698. Proposito enim dubio: « An idem Decretum Synodale sit observandum? » rescripsit: « non competere privativam Ecclesiæ Cathedrali; » et stetit in decisis anno 1699, 28. Mart. cum additione, quod « amplius causa non proponatur, » ut refert Ursaya tom. III. par. 2. disceptat. 5. sub. n. 48 et 49.

(66. Synodali decreto, aut alio modo potest ab Episcopis statui, ne Sacerdotes quicumque sive Sæculares, sive Regulares Officium exorcizandi exerceant sine sua expressa licentia in scriptis sub pœnis arbitrio suo imponendis: sic habetur in Synodo Fulginatensi c. 11. n. 8. et Synodo Lucana de anno 1631. par. 2. cap. 11. sub. n. 14. Immo et in Concilio Mediolanen. quarto par. 2. tit. *Quæ ad Sacramenta* § 1. Et jussu Clementis XI. Sac. Congr. S. Officii 25. Jun. 1710, in Literis Encyclicis relatis in Appendice Synodi Fulginaten. de anno 1722. fol. 158. mandat quod Episcopi non permittant quemquam Sacerdotem Sæcularem, vel Regularem Energumenos exorcizare, nisi eis constet de Exorcistarum ætate, pietate, gravitate, integritate vitæ, prudentia, et aliis qualitatibus a Rituali Romano desideratis, cujus directione uti debeant, et regulas in illo præscriptas nullatenus transgrediantur, sed adamussim custodiant; uti videri potest etiam in Synodo Alexandrinæ Civitatis, ac Diœcesis celebrata anno 1711. pag. 232. et 433. ubi referuntur supradictæ Literæ Encyclicæ cum simili Synodali prohibitione confirmat. de anno 1732. in alia Synodo sub. tit. de Sacramento Ordinis pag. 55.

(67. Synodalibus Constitutionibus tenentur Presbyteri nominati, et deputati in Ecclesiis Parochialibus ad Ordinem Equitum S. Joannis Hierosolymitani spectantibus se conformare quoad omnia Sacramentorum administrationem, et curam animarum concernentia. S. Congr. Conc. in Pragen. Jurisdict. 3. et 17. Dec. 1707. et 14. Januar. 1708. et 9. Jun. ejusdem anni 1708. ad V. dub. Constitutionibus Synodalibus subjiciuntur etiam cæteri Regulares omnes in iis quæ respiciunt curam animarum, et Sacramentorum administrationem, ex Trid. sess. 25. c. 11. de Regular. quamvis secus sit in aliis; sed ad evitandam deformitatem sese illis conformet oportet, non tamen sub gravi eas negligerent, notante Suario. Censet tamen Benedictus XIV. contra nonnullos Regulares, quamvis teneantur ad festa Diœceseos ex Trid. sess. 25. c. 12. de Regul. non tamen teneri ad jejunia ab Episcopo indicta, nisi alia consuetudo in quibusdam Monasteriis forte invaluisset. De Synodo Diœces. lib. 8. cap. 4. § 5.

(68. Constitutionibus Synodalibus, aliisque Legibus, etiam per Edicta panditis ab Episcopo sine Capituli consilio, et assensu, subjicitur idem Capitulum. Sac. Congr. Conc. in Gerunden. Exemptionis 19. Dec. 1729. ubi ad IV. dub. « An dictum Capitulum subjiciatur Constitutionibus Synodalibus, sive aliis Legibus etiam per Edicta panditis ab Episcopo absque illius consilio, et assensu, vel potius editis cum ejusdem consilio tantum, in casu, etc. » respondit: « ad IV. Affirmative ad primam partem, et negative ad secundam, et amplius. »

(69. Synodum Alexanen. celebratam anno 1739, nullam declaravit Sac. Congr. Conc. in Alexanen. Synodi 20. Jan. 1742. in qua ad primum inter varia proposita dubia, sic conceptum: « 1. An constet de validitate Synodi celebratæ anno 1739, et quatenus affirmative; » respondit: « Ad primum constare de nullitate; in reliquis ad Eminentissimum Præfectum juxta mentem. » Sic apud Thesaurum Resolutionum Sac. Congr. Conc., tom. X.

(70. Alia ad rem; vid. verb. *Concursus*, et verb. *Examinatores*.

Digitized by Google

(71. Synodorum, et Conciliorum celebratio Ecclesiæ est summe utilis, quapropter a Concilio Tridentino sess. 24. de reformat. cap. 2. fuit expresse præceptum, quod Concilia Provincialia, sicubi omissa fuissent, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque statuendis, quolibet saltem triennio; Diœcesanæ vero Synodi quotannis renoventur. Bened. XIV. t. 1. Const. 32. incip. *Singularis* § 1. et de Synodo Diœcesana lib. 1. cap. 2. a n. 1. ad 5. (72. Hinc ad Synodorum et Conciliorum celebrationem pro injuncta sibi omnium Ecclesiarum sollicitudine, Archiepiscopos et Episcopos jugiter hortatur, obtestaturque Pontifex, ut sublatis quibusvis impedimentis sicubi omissa sit, quam primum haberi curent. Idem Constit. 28. incip. *Quamvis Paternæ vigilantiæ* § 1. (73. Non esse autem omnino, et absolute necessariam Synodorum celebrationem tradit idem cit. n. 5. cum Episcopis, qui ob aliquod impedimentum suas Synodos, juxta Tridentini Decretum congregare nequeunt, alii suppetant modi Diœceses administrandi, et Synodi defectus supplendi, iterum, iterumque tamen Synodorum celebrationem commendans, et inculcans.

(74. Sola Synodus Generalis insignitur titulo *Sanctæ*. Idem de Synodo Diœcesana cap. 3. n. 1. ubi refert quod Literis in forma Brevis ad Archiepiscopum Valentinum datis sic rescripsit Sanctus Pius V. Hæc verba: « Sancta Synodus, non conveniunt Synodo Provinciali, sed universali. » (75. Synodus Generalis indicitur ad definiendum quid credendum sit, et hujusmodi definitiones dicuntur *Dogmata*, et quid agendum sit, et istæ Leges dicuntur *Canones*. Sed Concilium Tridentinum fere semper primas appellavit *Canones*, et alteras *Decreta*. Idem ibid. num. 2.

(76. Diœcesanæ Synodi convocatio pertinet ad potestatem jurisdictionis, et insuper ad legem jurisdictionis simul, et Diœcesanam. Idem ibid. c. 4. per tot. (77. In quocumque Diœcesis loco cogi potest, et ex necessitate extra Diœcesim consentiente Ordinario. Congruentius tamen, nullo interveniente impedimento, celebranda est in sua Cathedrali, ut declaravit Sacra Congregat. Concil. in Acernen. Die 17. Maii 1636, hisce verbis: « Posse Episcopum etiam in d. Oppido, Diœcesanam Synodum congregare, sed satius esse, ut illam apud suam Cathedralem celebret. » Idem ib. c. 5. n. 2. et 3.

(78. Si duæ sint Cathedrales æque principaliter unitæ, unica Synodus, sola inspecta juris severitate, in alterutra, quam maluerit Episcopus, celebrari potest, cui utriusque Ecclesiæ Ecclesiastici interesse tenentur, et statuta observare. (79. At æquitate, vel decentia inspecta ad evitandas inter utramque Ecclesiam simultates, et concordiam fovendam, maxime expedit, ut illa modo in una, modo in altera, alternatim celebretur. (80. Et præterea, si alternativam induxerit legitima consuetudo, tenetur Episcopus hanc omnino servare. Hac enim opportuna distinctione, invicem conciliantur variæ Sacræ Congregationis Concilii responsiones, quæ minus peritis videri possent intra se pugnantes, uti patet in adductis supra n. 5 et 6. (81. Idem ibid. c. 5. n. 3. et 4. ubi scite advertit, quod ubi Sacra Congr. judicat ad exactam juris normam, decidit Synodum celebratam in una ex d. Diœcesibus ligare etiam subditos alterius, ut in Geruntinen. seu Cariaten. sub die 1. Febr. 1708. jam allat. supra n. 6. (82. Ubi vero judicat, non secundum Juris apices, seu secundum æquitatem et decentiam, si nulla intercedat consuetudo, pronunciat, Synodum esse celebrandam alternatim, modo in una, modo in alia diœcesi, uti in Ampurien. Synodi sub die 8. Maii 1694. jam etiam allata loc. citat. (83. Ubi autem judicat secundum probatam consuetudinem, sententiam non ex mera æquitate, et decentia, sed ex justitia esse servandam celebrando synodum alternis vicibus in utraque Civitate, ut in Atrien. et Pennen. sub die 12 April. 1625. ibi: Sacr. etc. « Partibus auditis, ac Sanctissimo domino Nostro approbante, censuit Episcopum Pennensem, et Atriensem debere primam Diœcesanam Synodum, cum ultima in Civitate Pennen. peracta fuerit, in Atriensi Civitate indicere, ac celebrare; » lib. 2. Decretor. pag. 276. et rursus, in eadem caus., 27. Julii 1647. jam item allata loco citat. n. 6. (84. Et quia in alia simili causa Matheranen. et Acheruntina Diœcesibus unitis, Capitulum Acheruntinum nondum legitime probaverat prætensam consuetudinem suæ Ecclesiæ favorabilem, cujus prætextu adesse renuebat Synodo, quam Archiepiscopus celebrandam indixerat in Civitate Matheranensi, ideoque Sac. Congr. die 24. Martii 1736. distulit controversiæ decisionem; at ne interim Synodi celebratio non sine utriusque Diœcesis detrimento protraheretur, prudentissime addit in responsione, post verb. *Dilata:* « Non retardato pro hac vice interventu Cleri Acheruntini Synodo jam indictæ in Civitate Matheranensi sine præjudicio jurium ambarum partium. » Idem *ibid. num.* 4. Vide etiam dict. Decretum jam allatum a me loc. cit. num. 6.

(85. Synodus Provincialis bis in anno olim celebranda erat, et aliquando semel. Quæ in illa decernebantur, promulganda erant in Diœcesana. Idem *ibid. cap.* 6. *num.* 1. 2. *et* 3. (86. Diœcesana quoque bis in anno olim cogenda erat, statutis temporibus, et diebus. Idem *ib. num.* 2. Nunc Provincialis quolibet triennio, et Diœcesana semel in anno. Sic expresse Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 2. *de reformat.* ubi contra contumaces huic Decreto parere recusantes, pœnas a Sacris Canonibus sancitas renovat, iterumque infligit: « Quod si in his tam Metropolitani, quam Episcopi, et alii suprascripti negligentes fuerint, pœnas a Sacris Canonibus sancitas incurrant. » (87. Idem *ib. num.* 4. *et* 5. ubi acriter improbat sententiam Doctorum asserentium contrarium, reprehendendo illos Episcopos, qui ex sola socordia, et negligentia Synodum celebrare prætermittunt, eosque insuper

Digitized by Google

magis redarguendo, qui cum plures annos Diœcesim gubernaverint, nec de cogenda quidem Synodo unquam cogitarunt. Hi enim, sequitur ipse, cæterique, qui ex mera incuria, et inertia præfato Trident. præcepto non parent, et sine ulla causa Synodum celebrare omittunt, meminisse deberent, se præter reatum inobedientiæ pœnam incurrere suspensionis ab Officio statutam *in cap. Sicut olim de accusat.* « Quisquis autem hoc salutare statutum neglexerit adimplere, a sui exsecutione Officii suspendatur, » licet pœna hujusmodi, ut ipsa indicat vox *suspendatur*, non sit latæ, sed ferendæ sententiæ, ut *ibid.* adnotarunt Ostiensis *in fine.* Joann. Andreas *num.* 7. Fagnanus *n.* 105. referens etiam ad id resolutiones Sacræ Congregationis Conc. (88. Nec audiendi sunt, qui ad propriam obtegendam ignaviam, se consulto, et prudenter abstinere dictitant a Synodi coactione, ne novarum Constitutionum in dies accessione, commissæ sibi Diœcesis status perturbetur; cum in primis non sit necesse, ut in singulis Synodis novæ constitutiones condantur, sed sufficiat, ut antiquarum exsecutio urgeatur, et deinde difficile videatur hoc tempore, quo Ecclesiastica disciplina quotidie consenescit, et labefactatur, aliquam inveniri Diœcesim, cui opus non sit ulla nova Constitutione, qua saltem antiquæ leges corroborentur, et quæ morum corruptela pœnæ obsoleverunt, reviviscant. Sic expresse zelantissimus Pontifex *ibid. num.* 5.

(89. Synodus olim celebrabatur in Ecclesia, aut loco Sacro Ecclesiæ adjuncto; nunc sessiones præparatoriæ antecedentes haberi solent in ædibus Episcopalibus, sessiones vero Synodales in Ecclesia, et quidem Cathedrali, nisi urgens et honesta causa obstet, ut plurimis ad id erudite suo more adductis tradit idem *ibid. n.* 5. *et* 6.

(90. Synodis Generalibus Imperatores, Reges, et Principes per se, vel per suos Legatos adstiterunt, non ut Judices, sed ut Defensores. (91. Unde istis abscedentibus Synodi auctoritas non minuitur. Idem *ibid. cap.* 9. *num.* 1. *et* 2. Vide ad id dicta *artic.* 1.

(92. Synodis autem Provincialibus Laici cujuscumque Dignitatis intervenire non consueverunt. Idem *ibid. num.* 3. (93. Hinc quædam ex his Synodis ob Laicorum potentium præsentiam reprobatæ sunt, ut patet de Synodo Tyria anni 335. reprobata a Concilio Alexandrino; et variis aliis contra S. Athanasium congregatis, reprobatis a Liberio Papa, eo quod illis potentes Laici interfuissent. Idem *ibid. num.* 4.

(94. Possunt tamen etiam Laici interesse ex consuetudine, aut invitati, aut ex aliis circumstantiis, ut si de rebus etiam politicis agendum sit, ut pluribus demonstrat Idem *ibid. num.* 5. (95. His autem circumstantiis exceptis, nullus Laicus jus habet interveniendi Synodis Provincialibus, præcipue post Concilium Tridentinum. (96. Quapropter Sacra Congregatio Concilii Acta Synodi Toletanæ ann. 1582. celebratæ noluit approbare, nisi expuncto nomine Administri Regii eidem interventi, et tandem Gregorius XIII. post longas hac super re habitas disceptationes suis Apostolicis Litteris in forma Brevis datis *die* 26. *Januarii* 1583. nomen Regii Legati ex præfato Concilio omnino deleri mandavit. Idem *ibid. num.* 6.

(97. Quamvis autem Laici nequeant invitari, ut Synodo Provinciali intersint tanquam Præsides, aut Judices, quod numquam licuit, possunt tamen etiam nunc invitari, ut intersint tamquam meri Auditores seu testes eorum, quæ decernuntur, præsertim si tales occurrant circumstantiæ, quæ quandoque Laicorum præsentiam Synodo valde utilem, et fructuosam reddant. (98. Hinc eadem S. Congr. Concilii post præfatum Decretum editum in causa Toletana *die* 22. *April.* 1598. in alia causa Turritana respondit: « Gubernatorem, aliosque Laicos non debere Concilio Provinciali interesse, nisi a Synodo fuerint invitati. » Et id tamquam certum ponit Cæremoniale Episcop. *lib.* 1. *cap.* 31. ubi loquens de Conciliis Provincialibus, etiam Laicis locum assignat. « Sedilia in Ecclesia disponentur, in Provincialibus quidem capacia pro numero Episcoporum, Abbatum, aliorumque Ecclesiastica dignitate fulgentium, item pro Canonicis, ac pro Laicis, si qui interfuturi sunt. » Idem *ibid. n.* 8. (99. Ubi recte, et opportune cum Pignatel. *Consult.* 70. *t.* 1. Episcopos monet, ut caute in hoc se gerant, neque nimis faciles se præbeant in Laicis ad Synodum invitandis, ne, quod ab initio meræ voluntatis, et urbanitatis fuit, tractu temporis fiat necessitatis, juxta illud vulgatum: « Quod a principio est voluntatis, ex post facto fit necessitatis; » *arg. L. sicut* 5. *Cod. de obligat. et act.* Vide dict. *art.* 2. *num.* 27.

(100. Ad Synodos Diœcesanas Laici olim aliquando introducti fuerunt. Nunc de jure non licet, nisi ex consuetudine, aut urgenti causa, dummodo suffragium non ferant, nec in Synodo consulantur. (101. Idem *ibid. num.* 8. ubi contra assertionem Monacell. *tom.* 1. *tit.* 5. *formul.* 3. *num.* 6. et Domini de Aste *in methodo Visitationis Apostolicæ part.* 5. § 3. *num.* 23. id arbitrio Episcopi plane permittentium adducit Sacram Congregationem Concilii, quæ in causa Oriolen. Synodi interrogata: « An Episcopus possit ad Synodum vocare Laicos, si eorum Consilio uti velit; » *respondit:* « Episcopum non posse; » *l.* 14. *Decretor. pag.* 600. *et* 601. monens insuper Episcopos, ne sine vera, et gravi necessitate Laicos ad Synodum accersant, et admittant, cum paulatim possent illi, consuetudinis obtentu, jus interveniendi sibi deinceps arrogare, juxta paulo ante de Synodo Provinciali cum Pignatello animadversa. (102. Concedit tamen quod Laici sermoni adesse possint; *ibid. n.* 9.

(103. Synodi celebrandæ dies in Ecclesia Cathedrali denunciari convenit in die Epiphaniæ, dum frequenti populo intra Missarum solemnia Festivitates ejus anni solemniores promulgantur; et per duos, aut saltem unum mensem ante dictam diem, schedula manu Notarii, seu Cancellarii subscri-

Digitized by Google

pta Ecclesiæ Cathedralis valvis affigi sub hujusmodi, aut simili tenore : « Synodus Diœcesana N. per Reverendiss. Dominum N. Episcopum indicta hoc anno etc. mense etc. die etc. Deo adjuvante, in Cathedrali Ecclesia inchoabitur. » (104. Rursus tribus proximis diebus Dominicis ante dictam diem conveniens erit, ut tam in Ecclesia Cathedrali per Concionatorem, quam in singulis Parochialibus per Parochos iterum, atque iterum denuncietur, populique fideles ad devotionem, orationes, jejunia, Sacramentum Pœnitentiæ, Sanctissimæ Eucharistiæ sumptionem, aliaque pia opera hortentur, ut actio hujusmodi, Deo opitulante, dignum sortiatur exordium, felicemque et fructuosum progressum, et exitum habeat. Sic expresse Cæremoniale Episcopor. *lib.* 1. *cap.* 31. (105. Et S. Carolus Borromæus in Concil. Provinciali IV. *part.* 3. (*pag.* 177. *par.* 2. *Act. Eccles. Mediolanen.*) et in Conc. Provinciali V. *part.* 3. (*ibid. pag.* 276.) statuit diem celebrandæ Synodi die Epiphaniæ, vel Kalendarum Jan. in Cathedrali e suggestu indici, promulgari, atque Calendario annuario adscribi, præcipitque Parochis, ut per mensem ante statutam diem quinta quaque feria Missam celebrent de Spiritu Sancto, aut pro diversitate temporum orationem saltem de Spiritu Sancto in Missa recitent, et populum hortentur, ut Die Dominico Synodi diem antecedente, vere pœnitentes et confessi Sacram Communionem sumant, precantes, prout supra ex Cæremoniali Episcoporum. Sic tradit etiam Bened. XIV. *loc. cit. lib.* 5. *n.* 1.

(106. Synodus Diœcesana triduo absolvitur, nisi aliqua urgenti ratione sit protrahenda. Sic Pontificale Romanum *tit. de Ordine ad Synodum.* S. Carolus Borromæus *loc. cit.* et Bened. XIV. *loc. cit. num.* 2. (107. Prima die Episcopus mane cappa indutus, comitante Clero cum superpelliceis Ecclesiam adit, et Processionem instituit, Missam de Spiritu Sancto per seipsum solemniter celebrat, et Clero Sacram Communionem porrigit, quam acceptis Stolis rubeis etiam sument Sacerdotes, qui forte ea die non celebraverint. Idem *ibid. num.* 2. *et* 3. ex Pontificali Romano *loc. cit.* et S. Carolo in Concil. Provinciali Mediolanensi IV. *par.* 2. *tit.* « quæ pertinent ad Sanctissimum Missæ Sacrificium. » *pag.* 152.

(108. Secunda die unus ex Canonicis Missam solemniter canit pro defunctis, cui Episcopus assistit, eaque peracta, Stolam, et Pluviale nigri coloris assumit, et consuetas orationes recitat pro defunctis, post quas vestes nigras, in rubeas mutat, et accepto Pastorali baculo ad Sedem Synodalem ascendit. (109. Tertia demum die, unus pariter ex Canonicis Missam celebrat de Sanctissima Trinitate, addita collecta in gratiarum actionem, cui assistit Episcopus Stola, et Pluviali albi coloris, et absoluta Missa, rubea accipit indumenta, ad consuetam Sedem se confert, ultimæ sessioni præsidet, et Synodo finem imponit. Sic expresse Idem *ibid. num.* 4.

(110. Post ultimam sessionem, alia fieri solet supplicatio, seu Processio, minus tamen solemnis intra, vel circa Ecclesiam, qua absoluta Episcopus consueto ritu Clero, et populo benedicit, et quadraginta dierum Indulgentiam impertitur. (111. Immo solent Episcopi saltem cum primam Synodum celebrant, Indulgentiam plenariam a Summo Pontifice sub consueta formula illis impetrare, qui una ex tribus Synodi diebus Ecclesiam Cathedralem visitaverint. (112. Idem *ibid. n.* 6. recte, ac sancte subdens *num.* 6. quod juxta vetus institutum Episcopus in Synodo brevi, gravique sermone Clerum alloquatur, et de iis admoneat, quæ in illo corrigenda deprehenderit, quod saltem in postrema sessione omnino fieri statuerunt Patres Conc. Mediolanensis V. *cit. par.* 3. *pag.* 279. ibi : « Episcopus antequam Synodum dimittat, sermonem habeat paternis monitionibus plenum, ac dimissioni accommodatum. » (113. Quibus omnibus, aliisque secundum laudabilem cujusque Diœcesis consuetudinem rite peractis, Episcopus a Clero associatus, eodem ritu, quo prius, ab Ecclesia se domum recipit, ex Pontificali Romano, *loc. cit.* ibi : « Tunc omnes pariter surgentes Pontificem Cappa indutum, cum superpelliceis ad domum reducunt. » (114. Idem *ibid. num.* 2. recte concludens, posse quoad hæc servari suam cujusque Ecclesiæ legitimam consuetudinem.

(115. Sedendi Ordinem in Synodis tradit idem *ib. lib.* 3. *c.* 10. ut sequitur. Cardinales in Synodis generalibus, et Nationalibus præferuntur Episcopis. In Synodo Diœcesana primus sedet Episcopus; postea Vicarius Generalis, nisi legitima consuetudo alteri faveat, aut Dignitates, et Canonici sacris vestibus induti Synodo assistant; secus si Vicario consuetudo faveat, aut ipse etiam habitu Prælatitio sit indutus. Sequuntur Dignitates, et Canonici Cathedralis; inde horum Coadjutores, si tamen Canonici capitulariter intervenient, aliter præferuntur Abbates, et Protonotarii non participantes induti Mantelletta, et Rochetto. Post Canonicos sedent Beneficiarii, et Mansionarii ejusdem Ecclesiæ. Post hos Canonici Collegiatarum Civitatis, servatis Dignitate, et antiquitate in præcedentia, quin obstet nobilius indumentum ex privilegio concessum; deinde Canonici Collegiatarum Diœceseos, servatis pariter Dignitate, et antiquitate, aliquando præcedunt Abbates, videlicet cum habent usum Mitræ et baculi. Etiam Titulares, et Commendatarii, sive Sæculares, sive Regulares præcedunt in Synodo Canonicis, capitulariter non intervenientibus, et inter ipsos Abbates præcedit, qui Dignitatem prior est assecutus. Post Canonicos sedent Vicarii Foranei, inde Plebani, sive Archipresbyteri Rurales : Post hos Parochi, nisi usum habeant sedendi cum Plebanis, præcedit vero qui primus Parœciam obtinuit, succedunt Beneficiarii simplices, post hos Clerici, servata Ordinis Dignitate, si æqualis sit, servatur Ordinationis antiquitas, quæ si par sit, habenda est ratio ætatis : Omnibus tamen præfertur ordinatus a Summo Pontifice. Post-

Digitized by Google

ea sedent Regulares, ultimi Laici, si adsint. (116. Quoad hunc autem sedendi ordinem, est potissimum servanda legitima consuetudo, quæ est optima legum interpres; *l. Si de interpretatione* 37. *ff. de legibus, c. cum Dilectus* 8. *de Consuetudine*. Ad præcavendas tamen, et amputandas lites, et cujusque jura illæsa servanda, expedit, quod in Synodi initio Episcopus Decretum promulget, quo declaretur, ex ordine inibi sedendi, nihil detractum iri juri habendi præstantiorem locum, quod quispiam sibi competere credat, uti habentur *in Concil. Provincial. Mediolanens. V. par.* 3. ubi inter decreta initio Diœcesanæ Synodi legenda, hoc a S. Carolo conditum quarto loco traditur, (*Act. Eccles. Mediolan. par.* 7. *pag.* 278.) ibi : « Si cui in Synodo contigerit suo loco non sedere, aut incedere, aut aliud quidquam agere, ad id propterea nemini jus acquiri, acquisitumve esse, neque quidquam de cujusquam jure possessioneve detrahi; sed omnia in eo statu permanere, quo antea fuisse compertum erit. » Quod et factum jam fuerat in Concilio Trident. in fine *sessionis* 2. ibi : « Insuper ipsa Sacra Synodus statuit, et decrevit, quod si forte contigerit, aliquos debito in loco non sedere. . . nulli propterea præjudicium generetur, nullique novum jus acquiratur. » Et idem denuo in fine *sessionis* 25. statuit de loco assignato *Oratoribus tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus in sedendo, incedendo, aut quibuscumque aliis actibus*, per quem nulli jus de novo acquisitum, nulli ablatum declaravit.

(117. In diœcesana Synodo notificanda sunt recentia Decreta Summorum Pontificum, et Sacrarum Urbis Congregationum, et aliquo modo addenda in Appendice ad Synodum. Item *ibid. lib.* 5. *cap.* 2. *n.* 2. (118. Constituenda sunt, quæ ad vitia coercenda, virtutem promovendam, mores reformandos, disciplinam Ecclesiasticam restituendam, vel fovenda utilia, et necessaria existimantur et alia juxta Diœcesium circumstantias, et indigentias. Idem *ibid. lib.* 6. *cap.* 1 *et seq.* Ubi plurima erudite adducit ad rem.

(119. In Synodis abstinendum est a quocumque verbo, quo videatur approbari opinio inter Catholicos controversa. Idem ibid. lib. 7. cap. 27. n. 1.

(120. Constitutiones Synodales, aliæque Sanctiones extra Synodum, consulto Capitulo, latæ, Episcopo moriente, vel Diœcesim relinquente, in suo robore perpetuo durant. Idem ibid. lib. 8. cap. 5. n. 2. Vide supra num. 42. 48. et 68. (121. Nisi ab eodem Episcopo ejusque Successore revocentur, aut posteriorum Synodorum Constitutiones iis adversentur. Idem ibid. num. 2. (122. Non persistunt tamen, si numquam moribus recipiantur, tolerante Episcopo, aut receptas Diœcesani contraria consuetudine excusserint. (123. Ad utrumque probabiliter sufficit spatium decem annorum. Idem ibidem num. 3 et 4. Dummodo tamen consuetudo habeat conditiones a Jure requisitas, et assignatas sub. verb. *Consuetudo*. (124. Potest tamen aliquis a Constitutionibus Synodalibus eximi per dispensationem a Superiore, aut ab Episcopo, ejusve Successore obtentam, etiam inconsulto Capitulo, sed ut licita sit, requiritur justa causa. Idem ibid. num. 7. (125. Constitutiones vero Synodi Provincialis, nec Episcopus, nec Archiepiscopus relaxare possunt. Idem ibidem num. 8. Confirmatæ a Summo Pontifice in forma specifica non possunt ab alia Synodo Provinciali relaxari; bene vero si confirmatio fuerit in forma communi. Idem n. 9. 10. et 11.

(126. Constitutionum Synodalium vires non retardantur per appellationem ad Superiorem, eaque nullo modo est admittenda in suspensivo; nec prudenter in devolutivo. Idem ibid. n. 12 et 13. (127. Si appellatio ad Sacram Congregationem Concilii interponatur, salius erit, ut ejusdem D. Secretarius appellantes compellat ad designandas singulas Constitutiones, contra quas reclamant, et ad assignandas rationes peculiares suarum reclamationum, quas significabit Sacræ Congregationi, quæ sic rite instructa, provide decernet, an appellatio sit admittenda, vel potius rejicienda. (128. Quam rectam methodum a se adhibitam fuisse, dum esset dictæ Congregationis Secretarius, fatetur in gravi controversia excitata adversus Synodum Fulginatensem celebratam anno 1722. ab Episcopo Baptistello. Eoque pacto ex innumeris causæ articulis ab appellantibus propositis, paucis selectis, visis aliqua discussione dignis, eisque dumtaxat Sacræ Congregationis judicio subjectis, causam contra appellantes in omnibus obtinuit Episcopus, ut patet in eadem Synodo typis impressa, pag. 285. Idem ibid. § 13.

(129. Cavere debet Episcopus, ne Clericos sub Censuris, et mulctis compellat ad emendum Codicem Constitutionum Synodalium; sed potius præcipere, ut eas crebro pervolvant, memoriæ mandent, atque observent. Idem ibid. num. 14. afferens ad id Decretum Sacræ Congregationis Concilii in Larinen. Decretorum Synodalium die 30. Augusti 1732. Vide supra num. 61. ubi affertur dictum Decretum una simul cum aliis.

(130. Synodis non omnes intervenientes subscribere debent, solus enim Episcopus, vel ejus Delegatus subscribendi jus habet Synodo Diœcesanæ, solusque ipse in eo votum decisivum habet. Idem ibid. lib. 8. cap. 2. num. 1. Vide supra n. 43. ubi affertur ad id Decretum Sacræ Congregationis Concilii. (131. Synodo Generali omnes Episcopi subscribunt uti Judices. Idem ibid. num. 2. (132. Etiam Episcopi Titulares. Vide art. 1. num. 29. (133. Etiam Abbates habentes proprium Territorium, et jurisdictionem quasi Episcopalem. Idem ibid. num. 5. (134. Et aliquando etiam Superiores Generales Ordinum Regularium Synodis Generalibus subscripserunt, ut Concilio Florentino, et Tridentino. Idem ibid. num. 5. Vide art. 1. num. 30. (135. Synodo Provinciali subscribunt omnes Provinciæ Episcopi, uti Judices. Idem ibid. num. 4. (136. Capitula autem, seu Canonici Cathedralium non subscribunt, nec Synodis Provincialibus,

Digitized by Google

nec Diœcesanis; in ipsis enim non habent votum decisivum, sed mere consultivum. Idem ibid. n. 7.

(137. Synodus Generalis nullam vim obtinet, nisi sit a Summo Pontifice confirmata; supremum enim judicium in Synodo Generali est penes ipsum, qui nec majorem partem Episcoporum, aliorumque suffragantium sequi tenetur. Idem ibid. c. 2. n. 3. Vide art. 1. n. 56. (138. Synodus Provincialis debet prius recognosci, et approbari a Summo Pontifice, seu a Sacra Congregat. Concilii. Idem ibid. cap. 3 et 4. ubi ad id plura affert exempla. Vide art. 1. num. 50. (139. Synodus Provincialis quamvis a Summo Pontifice confirmata, non obstringit universam Ecclesiam, nisi Pontifex expresse dixerit. Idem ibid. num. 5. Vide d. art. 1. a num. 62. et per tot. ubi plurima ad rem. (140. Synodus Diœcesana non oportet, ut Romam mittatur, pro revisione, et confirmatione, sed sine alterius approbatione vim Legis habet in Diœcesi. Idem ibid. n. 6. referens Decretum Sac. Congregationis Concilii, quæ rogata, ut recognosceret Acta Diœcesanæ Synodi Strongolensis die 17. Junii 1645. respondit: « Se non consuevisse revi- « dere, et approbare nisi Synodos Provinciales, ex Constitutione Sixti V, et quod idcirco Episcopus uteretur jure sibi ex Sacro Concilio competente; » lib. 17. Decretorum pag. 484, et ibidem dict. num. 6, concludit, expresse falli Cardinalem de Luca, et Van-Espenium asserentes, Diœcesanas Synodos robore, et efficacia carere, nisi a prædicta Sac. Congregatione approbentur. Non enim Sacra Congregatio eas recognoscere consuevit, nisi quis ad ipsam ab iis appellet. Idem ibidem n. 7. Vide supra n. 46 et 47.

(141. In fine Synodorum fieri solent faustæ Acclamationes, et præsertim in fine Synodorum Generalium, uti videre est in Concilio Tridentino post sessionem vigesimam quintam, ibi: « De fine Concilii, et Confirmatione petenda a Sanctissimo Domino Nostro.

(142. « Illustrissimi Domini, Reverendissimique Patres, Placet ne vobis, ut ad laudem Dei Omnipotentis huic Sacræ Œcumenicæ Synodo finis imponatur, et omnium, et singulorum, quæ tam sub fel. record. Paulo III et Julio III, quam sub Sanctissimo Domino Nostro Pio IV, Romanis Pontificibus, in ea decreta, et definita sunt, confirmatio nomine Sanctæ hujus Synodi per Apostolicæ Sedis Legatos, et Præsidentes petatur a Beatiss. Romano Pont. » Responderunt, *Placet*.

(143. Postmodum Illustrissimus, et Reverendissimus Cardinalis Moronus, primus Legatus, et præsidens benedicens Sanctæ Synodo, dixit:

Post gratias Deo actas Reverendissimi Patres ite in pace. » Qui responderunt: *Amen*.

(144. Acclamationes Patrum in fine Concilii.

Cardinalis a Lotharingia.

Beatissimo Pio Papa, et Domino Nostro Sanctæ Universalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni et æterna memoria.

Responsum Patrum.

Domine Deus Sanctissimum Patrem diutissime Ecclesiæ tuæ conserva multos annos.

Card. Beatissimorum Summorum Pontificum animabus Pauli III et Julii III, quorum auctoritate hoc Sacrum Generale Concilium inchoatum est, pax a Domino, et æterna gloria, atque felicitas in luce Sanctorum.

Resp. Memoria in benedictione sit.

Card. Caroli V Imperatoris, et Serenissimorum Regum, qui hoc universale Concilium promoverunt, et protexerunt, memoria in benedictione sit.

Resp. Amen. Amen.

(145. Cæteræ Acclamationes omittuntur, jam satis obviæ in quolibet exemplari Concilii Trident.

(146. Item in fine Conciliorum Provincialium, licet raro, ut advertit idem Benedictus *t. c. lib. 5. c. 1. num. 10.* et afferentur prout factæ fuerunt in Concilio Provinciali Mediolanensi sexto, ut habentur impressæ in Actis d. Ecclesiæ *par. 8. pag. 1229.* ultimæ impressionis Bergomensis, ibi:

(147. Acclamationes Reverendissimorum Patrum in Conc. Provinciali Mediolanensi sexto.

Archid. Deo Patri misericordiarum, et Deo totius consolationis gratiæ.

Resp. Immensa est misericordia tua super nos Domine, qui secundum multitudinem miserationum tuarum, nos Conciliorum Provincialium frequentia consolari jugiter dignatus es. Tibi laus, tibi honor, tibi gloria in sæculum, et in æternum.

Archid. Beatiss. Gregorio Papæ, et Domino Nostro Sanctæ universalis Ecclesiæ Pontifici, cunctarum gentium obedientia, et Christiani nominis in omnem terram propagatio.

Resp. Domine Deus Sanctissim. Patrem gratia tua custodi, ut eo gubernante, gentes sancto veræ Fidei lumine perfusæ, in unum Ecclesiæ tuæ ovile colligantur.

Archid. Patriarchis, et Archiepiscopis, et Episcopis omnibus salutaris vigilantia.

Resp. Deus Pater luminum, illustra faciem tuam super servos tuos, accende corda eorum in ædificationem corporis tui.

Archid. Regi Catholico, et aliis Regibus, Principibusque Christianis perpetua felicitas.

Resp. Æterne Deus, Christianæ Religionis Defensoribus optabilem de hostibus Crucis filii tui victoriam dextera potentiæ tuæ semper concede.

Archid. Fidelibus Provinciæ nostræ, et populo Christiano universo Pax Christi æterna.

Resp. Memento Domine Deus in beneplacito populi tui, et confirma in omni virtute gressus ejus, perpetuumque tuæ benedictionis rorem illi infunde.

Archid. Reverendiss. hujus Provinciæ Episcop. ad Ecclesias suas reditus cum spirituali fructu uberrimo.

Digitized by Google

Resp. Deduc nos Domine in viam rectam, et dirige gressus nostros in viam pacis, et ad dandam scientiam plebi tuæ.

Archid. Nos Domine, operarii in messem tuam missi, in omni opere bono ministerium explentes, Decreta Sancta exsequentes, digni reddamur misericordia, et gratia magni et Supremi Sacerdotis Jesu Christi Dei, intercedente simul beata ejus Genitrice Maria, Beato Ambrosio Confessore, atque aliis hujus Provinciæ Patronis, et omnibus Sanctis.

Resp. Amen, Amen.

(148. Acclamationibus de more absolutis, statim Reverend. Patres ordine singuli ad Illustriss. Metropolitanum adhuc in sessione persistentem pro osculo pacis accesserunt : quibus singillatim Illustriss. Metropolitanus, dum appropinquarent, assurgens prævia mutua capitis acclinatione osculum impartitus est.

(149. Tandem Illustriss. Metrop. deposita Mitra, et assumpto Baculo, surgens universæ Synodo solemniter benedixit, et Indulgentiam centum dierum concessit, ac postremo per Rev. Archidiaconum alta voce : *Redeamus cum pace*, enunciatum est, et responsum *in nomine Domini*. Et Sacras Vestes in sessionali loco statim exuit Illustriss. Metrop. et Reverendiss. Patres, et ibidem facta brevi oratione, cum jam secunda hora noctis imminueret, in ædes Archiepiscopales, etc.

(150. Post Acclamationes in Conciliis Provincialibus, ut tradit Cæremoniale Episcop. *cap.* 31. et notat idem Benedictus *loc. cit. num.* 10. omnes Episcopi accedunt ad osculum pacis a Metropolitano accipiendum, quod deinde sibi invicem pariter dant, et accipiunt, ut mutuam caritatem, animorumque conjunctionem ostendant.

(151. Etiam in fine Synodorum Diœcesanarum aliquando fieri solent dictæ Acclamationes, licet rarius, ut notat Idem *ibidem num.* 11. ex Cæremoniali Episcoporum *cit. cap.* 31. in fine sic expresse concludente : *In Synodis Diœcesanis magis expediret, ut Acclamationes, et oscula pacis omitterentur.* (152. At quia nihilominus Gavantus *in praxi Synodi Diœcesanæ pag.* 61. ait : *Acclamationes fiunt saltem in prima Synodo, ut aliquando fiant, et Cæremoniale non eas prohibet, sed parcius adhiberi censet in Diœcesanis Synodis*, adductis exemplis de Acclamationibus factis in variis Synodis Diœsesanis hinc inde celebratis, et tradita dispositione Concilii Provincialis V. Mediolanensis prout *in Actis Eccles. Mediolanensis par.* 1. *p.* 479. ibi : « Tum postea Acclamationes sanctæ fiant ex formula ab Episcopo præscripta. Acclamationibus factis Sacerdotes, et Clerici surgentes, cum reverentia osculum pacis ab Episcopo accipiant, et sibi invicem dent cum timore, et amore Dei. Si vero Cleri, qui convenerit, numerus is est, ut longius hic osculi ritus ducatur, ea ratio ineatur, ut Præpositi, et Archipresbyter solum ab Episcopo illud accipiant ; deinceps suo quique Clero dent, isque inter se mutuo item ; » tandem ipsemet *loc. cit. num.* 11. *in fine*, sic expresse concludit : Verum cum hæc in Cæremoniali Episcoporum nec præcipiantur, nec prohibeantur, liberum erit Episcopis ea vel facere, vel omittere, sicut fert cuiuslibet Diœcesis consuetudo.

(153. Hinc ad exemplum traduntur Acclamationes factæ in fine Synodi Diœcesanæ XI. Mediolanensis ann. 1584. Archiepiscopo S. Carolo Borromæo, et Summo Pontifice Gregor. XIII. prout traduntur in Actis d. Eccles. *part.* 8. *pag.* 1241. ibi : « Acclamationes Cleri in Synodo Diœcesana. »

Archid. Deo Patri misericordiarum, et Deo totius consolationis gratiæ.

Resp. Immensa est misericordia tua super nos Domine, qui Conciliorum exercitationibus rectum justitiæ tuæ tramitem, et disciplinæ regimen jugiter docere dignatus es. Tibi laus, honor, tibi gloria in sæculum, et in æternum.

Archid. Beatissimo Gregorio Papæ, et Domino Nostro, Sanctæ universalis Ecclesiæ Pontifici cunctarum gentium obedientia, et Christiani nominis in omnem terram propagatio.

Resp. Domine Deus Sanctissimum Patrem gratia tua custodi, ut eo gubernante, gentes sancto veræ fidei lumine perfusæ, in unum Ecclesiæ tuæ ovile colligantur.

Archid. Reverendiss. Archiepiscopo Nostro salutaris vigilantia.

Resp. Omnipotens Deus, super Antistitem nostrum benedictionum tuarum dona perpetuo multiplica.

Archid. Serenissimo Regi Philippo Christianæ religionis defensori perpetua felicitas.

Resp. Æterne Deus, Catholicum Regem nostrum in Amore tuo conserva, ut cœlesti gratia tua auctus, omni tua benedictione perpetuo dilatetur.

Archid. Populo Mediolanensi Pax Christi æterna.

Resp. Memento Domine Deus in beneplacito populi tui, ac perpetuam tuæ benedictionis rorem illi infunde.

Archid. Nos Dei voluntatem explentes, et Sancta Decreta in omni opere bono exsequentes, digni reddamur misericordia, et gratia magni, et Summi Sacerdotis Jesu Christi Dei, intercedente simul Beata ejus Genitrice Virgine Maria, Beato Ambrosio Confessore Patre Nostro, et omnibus Sanctis.

Resp. Amen. Amen.

(154. Quibus absolutis, Illustriss. Archiepisc. dedit omnibus Canonicis Ordinariis Ecclesiæ Metropol. et Præpositis Collegiatarum Ecclesiarum Civitatis, et Diœcesis, et Vicariis Foraneis et Syndicis regionum Civitatis osculum Pacis ; et demum cum benedictione solemni, et publicatione Indulgentiarum dimisit universum Clerum.

(155. Benedictus autem XIV. *loco cit. num.* 9. Acclamationes fieri solitas generatim recensens, sic expresse tradit : In fine Synodi fieri solent acclamationes, quibus Diaconus, cæteris respondentibus, omnem laudem, honorem, et gloriam refert Deo Patri misericordiarum, qui Spiritus Sancti invisibili gratia Synodum dirigere, atque ad felicem

Digitized by Google

exitum perducere dignatus est : Summo Pontifici universalem Ecclesiam gubernanti, veram, et diuturnam prosperitatem; Episcopo Synodo præsidenti, ejusque Ministris salutarem vigilantiam, et Divinarum miserationum abundantiam, Civitati, et Oppidis Diœcesanis pacem, animorumque concordiam, omniaque fausta precatur; supplicatque Deo, ut uberem opem elargiatur, qua singuli adjuti, edita in Synodo Decreta sancte, inviolateque custodiant, et exsequantur.

Hac in re si plura cupis, consule egregium Benedicti XIV. Tractatum *de Synodo Diœcesana*, præsertim ultimæ Romanæ multo uberioris editionis impres. an 1783.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(156. Synodus Diœcesana *Presbyterium* ab antiquis frequenter appellatur; item *Concilium civile*. Bened. XIV. *de Synod. Diœces. l. 1. c. 1. n. 4.*

(157. Episcopus causam, cur Synodum suam non celebrarit, debet afferre in visitatione Liminum Apostolorum. Gavantus *in praxi Diœces. Synod. capit. 1. § 1. n. 6.*

(158. Licet Eminent. Cardinalis Urbis Vicarius Synodum Diœcesanam celebrare possit ex dictis *n.* 9. non tamen tenetur. Diœcesis enim Romana unius urbis mœnibus concluditur; quare Cardinalis Vicarius una veluti oculorum conversione omnes suæ Diœcesis Parochos, Presbyteros cæterosque de Clero intueri, et qualibet hora eorum quemlibet ad se accersere potest, atque his vicissim semper ad Cardinalem Vicarium patet aditus; quod non contingit in aliis Diœcesibus, quæ plerumque ex Ecclesiis conflantur inter se, et ab Urbe, in qua Episcopus residet, longe dissitis. Bened. XIV. *de Syn. Diœc. lib. 2. 3. n. 6.*

(159. Eadem de causa Andreuccius *Tract. de Episcop. Cardinal. Suburbicariis cap. 4. num. 116. seq.* censet Episcopos Cardinales Suburbicarios ab hac lege congregandi quotannis Synodum facile posse sese subtrahere. Monet tamen aliqualem rationem legis tam Sanctæ ab his quoque Episcopis Cardinalibus habendam esse, ita ut si opportunitas cogendæ Synodi se se illis obtulerit, vel id necessitas exigat, eam minime negligant; quod etiam a pluribus laudabiliter factum novimus, ut Velitris ab Alderano Card. Cybo per Nepotem suum Patriarcham, et Tusculi cum a Francisco Maria Care. Biancaccio, tum ab Eminentiss. et Regio Principe Card. Eboracensi.

(160. Licet Sacra Conc. Congregatio, Synodorum diœcesanarum constitutiones non consueverit examinare (vid. *n.* 140.), nihilominus si Episcopus, inconsulto Capitulo, novas ediderit Constitutiones, quæ propterea ut a norma a Jure præscripta deficientes firmitate carerent, sanare illas poterit, si justæ et rationabiles deprehendantur : quod aliquando factum monet ex Card. Petra Benedictus XIV. in d. *lib. 13. cap. 1. num. 16.*

(161. Si Statuta Synodalia etiam populum respiciant, promulganda sunt extra Synodum : sin autem solum Clerum spectent diœcesis, non alia indigent publicatione ab ea distincta, quæ fit in ipsa Synodo, cui præcipua Cleri pars interest. Bened. XIV. *ibid. cap. 4. num. 1.*

(162. In Belgio, si Van-Espenio credimus, sine Regio consensu ægre Synodorum publicatio permitteretur. In Gallia tamen non tenentur Episcopi literas Regias petere, ut statuta eorum Synodalia vim legis in suis diœcesibus obtineant.

(163. Ad acclamationes quod attinet, in Cæremoniali Episcoporum *cap. 32.* habetur : *In Synodis Diœcesanis magis deceret, ut Acclamationes et oscula pacis omitterentur*; quibus quidem verbis non eas prohibet Cæremoniale, sed parcius adhibendas monet. Hinc Gavantus, ut saltem fiant in prima Synodo suadet. De osculo pacis vide S. Caroli Concilium Provinciale Mediolanense V. *part. 3. in Actis Eccl. Mediol. P. 1. pag. 279.*

CONCIONATOR.

Vide verb. PRÆDICATOR PER TOT.

CONCLAVISTA.

ARTICULUS NOVUS CASINENSIS.

SUMMARIUM.

1. 2. Electio, et qualitates Conclavistarum. — 3. Illorum privilegia. — 4. 5. Reservationes eorum Beneficiorum. — 6. Conclavistatus probari debet. — 7. Quibus concedatur Apostolicus Protonotariatus. — 8. Reservatio non cessat, cum Conclavista contrahit aliam familiaritatem. — 9. Dapiferorum privilegia. — 10. Dapiferorum Beneficia reservata Pontifici. — 11. Reservatio tamen non valet pro Beneficiis obtentis post mortem Pontificis cujus familiares fuerunt. — 12. Et non excipiuntur in indultis Cardinalium. — 13. 14. Conclavistarum et Dapiferorum Beneficia quoad Regulam XXXII. Cancellariæ.

(1. In octava Congregatione, quæ haberi solet a Cardinalibus post mortem Pontificis in sacristia Basilicæ S. Petri deputantur Cardinales, quibus munus committitur approbandi Conclavistas. Tali nomine nuncupantur illi Cardinalium familiares, quibuscum illis in Conclave introire permittitur, ut ipsorum curam habeant. Omnes tenentur in illo ipso die præbere Cardinalibus deputatis nomen, cognomen, patriam, officia illorum omnium, qui in proximo Conclavi inservire debent. Ex Constitutione Pii IV. *In eligendis*, *Bullar. Mainardi Tom. IV. Part. 11. pag. 145.* (2. Conclavistæ eligi non possunt, nisi qui per annum familiares et domestici perpetui proprii Cardinalis ejusque commensales fuerint; Mercatores vero, Ministri Principum, omnes qui jurisdictione temporali gaudent,

Digitized by Google

atque Fratres et Nepotes Cardinalium in Conclavistarum numero admitti non possunt; et cum semel Conclavistæ necessitate aliqua urgente e Conclavi egrediuntur, amplius introire non possunt.

(3. Clemens VIII. sua *Constitut. Æquitati consentaneum etc. Dat. die* 9. *Novemb.* 1592. *Bullar. Mainardi tom V. part.* 1. *pag.* 407. Conclavistas auxit plurimis privilegiis, et in primis declaravit 1. veros, indubitatos, et non fictos Pontificis familiares, 2. Palatii Apostolici et Aulæ Lateranensis Comites et Milites. 3. Cives et Nobiles Urbis, vel alterius, quam ipsi maluerint Civitatis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediate vel immediate subjectæ. 4. Illos qui tali honore digni habiti sunt a tribus Cardinalibus, qui Capita Ordinum dicuntur, recepit inter Apostolicos Notarios, sine præjudicio tamen Notariorum de numero participantium; 5. Eximit etiam a solutione et exactione quarumcumque decimarum, pedagii, subsidii et gabellæ, et cujuscumque oneris ordinarii et extraordinarii; 6. condonat fructus Ecclesiasticos indebite perceptos; 7. dispensat cum eisdem super inhabilitate quomodolibet contracta, etiam si divina officia celebraverint censuris ligati. 8. Legitimat natales eorum, qui tali defectu laborant; excipit tamen si procreati fuerint ex Presbyteri coitu. 9. Eximit illos a necessitate deferendi tonsuram et habitum Clericalem, eum gaudent quacumque pensione, non tamen ultra summam centum ducatorum auri de Camera; 10. præcipit, ut literæ Apostolicæ gratis pro eis expediantur; 11. Reddit illos habiles ad percipiendas quascumque pensiones super quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura et sine cura animarum, et super beneficia quorumvis Ordinum et Militiarum, etiam S. Johannis Hierosolymitani. 12. Voluit ut hæ literæ, quamvis insinuatæ, admissæ, et registratæ non fuerint in Camera intra legitimum tempus, tamen suum effectum consequerentur; 13. statuit demum quod talia privilegia nullo modo suspendi, revocari, vel limitari possint. Paulus V. sua *Const. Romanum decet etc. Dat. die* 31. *Jul.* 1605. *Bullar. magn. tom.* 3. *pag.* 199. confirmavit omnia Conclavistarum privilegia addendo, quod summa decem millium scutorum auri, quam novus Pontifex donare solet, æqualiter inter ipsos distribueretur; et voluit ut dispensatio illegitimitatis valeret etiam pro collatione Sacrorum Ordinum et Beneficiorum, ac demum contulit ipsis omnia beneficia non excedentia valorem ducentorum ducatorum auri de Camera, quæ sede vacante vacaverunt. Talia etiam statuit Gregorius XV. sua *Const. Romanus Pontifex etc. Dat. die* 15. *Mart.* 1621. *Bull. Magn. loc. cit. pag.* 418 et Urbanus VIII. *Const. circumspecta etc. Dat. die* 6. *Aug.* 1623. *Bullar. Magn. tom.* 4. *pag.* 1. qui etiam ipsis donavit summam decem millium scutorum auri in tot locis montium Urbis vacabilium, cum primum vacaverint, exemit a solutione et exactione Decimarum et cujuscumque oneris ordinarii vel extraordinarii ad instar. S. R. E. Cardinalium; et illorum bona liberavit a spolio Camerali; ratas habuit in foro conscientiæ tantum, collationes nullas Beneficiorum, ac demum a censuris, si quas incurrerunt occasione Conclavis, absolvit. Demum Clemens XII. *Const. Nos volentes etc. Dat. die* 16. *Jul.* 1730. *Bullar. Mainard. tom.* 14. *pag.* 12. addidit facultatem testandi, quam concessit omnibus Conclavistis, etiam professis cujuscumque Ordinis, excepto tantum S. Joannis Hierosolymitani; quam Constitutionem omnes sequentes Pontifices sua auctoritate firmarunt; uti videre potes in Bullario Romano.

(4. Conclavistæ sunt veri Pontificis familiares et commensales, uti patet ex constitutionibus supra citatis; unde eorum Beneficia veniunt sub reservatione IV. Regulæ Cancellariæ. Gonzal. *ad. Reg.* 8. *gloss.* 11. *n.* 16. *et n.* 35. *vers. Nec non;* Garcias *de Benef. part.* 5. *cap.* 1. *num.* 311 *et seq.* Animadverte tamen, quod oportet, quod novus Pontifex speciali constitutione confirmet privilegia Conclavistarum, qui in suo Conclavi interfuerunt, quod si ille id facere negligit, nulla est reservatio ratione Conclavistatus. Card. de Luca *de Benef. lib.* 12. *disc.* 141. *n.* 5. *pag.* 212. *edit. Venet.* 1726. Rot. *decis.* 1251. *num.* 2. *vers. Verum, et num.* 14. *in fine coram Seraphino.* Beneficia autem obtenta post mortem Pontificis electi in Conclavi, in quo inservierunt, non videntur venire sub istius regulæ reservatione; nam tamdiu durat reservatio, quamdiu perseverat familiaritas, cum vero morte Pontificis familiaritas extinguatur, Beneficia postea obtenta sunt liberæ collationis. Spad. *cons.* 39. *n.* 2. *lib.* 3. *Mandos. ad Regul.* 4. *qu.* 5. *n.* 3. Lotter. *de re Benef. lib.* 2. *qu.* 32. *num.* 152. *et* 167. Card. de Luca *de Benef. disc.* 141. *num.* 5. Rot. *in Hisp. Præstimonii prima Junii* 1661. *cor. Verosp. et dec.* 35. *n.* 5. *coram Emerix sen.* cum aliis *in decis.* 476. *part.* 18. *rec.* Contrariam tamen tenuit sententiam Congregatio in Dataria habita *die* 11. *Augusti* 1670. et Rot. *in Roman. Canonicatus coram Albergato decis.* 303 *et* 383. *part.* 17 *et* 476. *part.* 18. *recent.* quas habes apud Navar. *in Summ. Bullar. decis.* 28. 29. *et* 32. Nam primo Urbanus VII. in sua Constitutione LIX. quæ postea semper fuit confirmata a suis Successoribus in Regula IV. Cancellariæ, cum daret indultum conferendi aliqua Beneficia reservata, excipit Beneficia familiarium Pontificis, vel *Conclavistarum*, quæ sibi reservavit ad instar *reservationis apud Sedem*, quibus verbis ferme distinxit Conclavistatum a familiaritate Pontificis, et voluit istum constituere novam speciem reservationis, quæ non amplius ab illa regularetur, quod maxime patet ex adjecta particula disjunctiva *vel*, quæ distinctionem importat. Bartol. *in leg. Supra § Officium in fine. ff. de Aqua pluv. arcen.* Gonzal. *ad Reg.* 8, *gloss.* 48, *n.* 17. *et gloss.* 52. *num.* 3. Barbos. *Dict.* 415. *num.* 1. Secundo, similiter semper post dictam Urbani Constitutionem Pontifices in indultis concedi solitis Cardinalibus Nepotibus solent ponere distinctionem inter Concla-

Digitized by Google

vistatum et Pontificis familiaritatem, his adhibitis verbis : « Non tamen ratione vacationis apud Sedem, nec ex personis cujuslibet Conclavistæ, nec etiam ratione familiaritatis; etc. » Demum in formula, quam adhibet Cancellaria a tempore Alexandri VIII. citatur reservatio non ex capite familiaritatis, sed specialiter ratione Conclavistatus. « Dudum siquidem felic. recordat. Urbanus Papa VIII. Prædecessor noster, omnia Beneficia Ecclesiastica quorumcumque Conclavistarum tunc vacantia, et in antea vacatura collationi, et dispositioni suæ reservavit, decernens ex tunc irritum et inane, si secus etc. Cum itaque perpetuum etc., per obitum Hieronymi, qui alias Conclavi etc., vacaverit et vacet ad præsens; nullusque de illo præter Romanum Pontificem hac vice disponere potuerit, sive possit reservatione et Decreto obsisten. supradictis etc.» (5. Quapropter Conclavistatus duplicem importat reservationem, alteram simpliciter et absolute ratione Conclavistatus, alteram ratione familiaritatis Papæ illi cohærentis, uti Rot. *decis.* 1251, *numer.* 14, *et seq. coram Seraphino, et in Hispalen. Præstimonii prima Julii* 1661, *cor. Verospio.* Adde demum tertiam, ratione Protonotariatus Apostolici illis concessi ex supradictis Pontificum Constitutionibus. (6. Conclavistatus debet probari, ut reservatio locum habere possit, scilicet ejus nomen reperiri debet in Bulla novi Pontificis edita in favorem suorum Conclavistarum, ita ut si in dicta Bulla deest alicujus nomen, ille pro Conclavista haberi non potest. Rot. *in Rom. Præstim.* 11. *Maii* 1661, § *Non jus, cor. Verospio* (7. Protonotariatus autem Apostolicus non est communis omnibus Conclavistis, sed illis tantum, qui digni hoc honore habiti sunt a tribus Cardinalibus, qui Capita Ordinum dicuntur, unde probari debet, quod talis approbatio locum obtinuit, ut Conclavista Protonotarius dici possit. Spad. *cons.* 31, *num.* 4, *et seq.* (8. Adverte demum, quod contracta alia familiaritate non propterea cessat reservatio; nam hæc non pendet tantum a capite familiaritatis Pontificis, quæ in hoc casu dissolvitur, sed etiam a simplici ratione Conclavistatus, qui est personalis, et expirat solum morte Conclavistæ.

(9. Dapiferi, seu illi nobiles viri, quos Cardinales ante Conclave eligunt, ut præsint eorum dapibus, cum ad Rotas Conclavis deducuntur, gaudent fere omnibus iisdem privilegiis quibus Conclavistæ, et in primis sunt *veri, indubitati, et non ficti* Pontificis Familiares, ejus continui commensales, Sacri Palatii, et Aulæ Lateranen. Comites et Milites, Nobiles Urbis, vel cujusvis alterius ex Civitatibus, temporali Dominio Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjectæ, cujus cives esse elegerint; et tale jus pertransit etiam ad eorum hæredes; sunt Apostolici Sedis Notarii sine præjudicio Notariorum de numero participantium, si hoc honore digni habiti sunt a tribus Cardinalibus, qui Capita Ordinum nuncupantur, ut supra diximus; sed ut hoc privilegio frui possint, in Clericali militia adscribi debent. Liberantur a solutione et exactione Decimarum Ecclesiasticarum ubique locorum et quacumque ex causa et occasione, etiam ad instantiam Principum et Regum impositarum; condonantur ipsis fructus et proventus Ecclesiastici indebite percepti cujuscumque quantitatis fuerint; dispensatur etiam cum eis in inhabilitate quomodolibet contracta, etiam si celebraverint Missas, et alia divina officia, cum essent censuris ligati, et possint ad Ordines promoveri, nisi aliquid obstet; legitimantur eorum natales, ita ut, sine præjudicio venientium ab intestato vel ex Fideicommisso, possint succedere cum legitimis fratribus in paterna hæreditate, et promoveri ad Dignitates, Honores, et quæcumque alia Officia sæcularia publica vel privata; possunt Clericali charactere insigniri, ad Ordines promoveri, et accipere quæcumque Beneficia Ecclesiastica cum cura et sine cura animarum, ac Canonicatus et Præbendas, non tamen in Cathedralibus, et Dignitates, non tamen in eisdem Cathedralibus post Pontificalem majores, nec principales in Collegiatis Ecclesiis. Omnes gratiæ, provisiones, Commendæ, et literæ Apostolicæ etiam in forma Brevis ipsis gratis expediuntur tam de capienda possessione nomine Cameræ Apostolicæ, quam in favorem literarum Apostolicarum. Impertitur ipsis facultas transferendi pensiones cujuscumque Beneficii usque ad summam 100. Ducatorum, et cum hæc gratia fuit ab aliquo Pontifice concessa, cumulative ejus effectu gaudent. Eximuntur etiam a necessitate deferendi habitum et tonsuram Clericalem, et hoc non obstante possunt percipere pensiones usque ad summam 200. Ducatorum; bona ipsorum a spoliis liberantur, testandique facultate gaudent, quamvis sint adscripti Religioni alicujus Militiæ, etiam S. Joannis Hierosolymitani. Hæc et pauca alia videre potes apud Novaes *introd. ad Vit. SS. Pont. Tom. II.* § 29. *pag.* 66. *edit. Rom.* 1822. *et in Const. XIX. Urban. VIII. tom. V. fol.* 173. *Const. VII. Clem. X. tom. VII. fol.* 23. *Const. XII. Innocent. XI. tom. VIII. fol.* 18 *Const. III. Clem. XII. tom. XIII. fol.* 22. *Bullar. Mainardi edit. Rom.* 1756. *et Const. III. Clem. XIII. tom.* 1. *ejusdem Bullar. fol.* 9. *edit. Rom.* 1835. (10. Ex quibus privilegiis consequitur, Dapiferorum quoque Beneficia esse reservata juxta decreta in IV. Regula Cancellariæ, nam vigore Motus proprii supradicti Dapiferi fiunt veri Pontificis familiares, et quamvis eorum familiaritas ficta forsan videri possit, tamen in effectu reservatio tenenda est pro vera, cum Pontifex operare potest, ut quoad effectus juris fictus pro vero et proprio familiari habeatur. Marescat. *var. res. lib.* 2. *cap.* 94. *num.* 13. *in fin.* Lotter. *de re Beneficiar. lib.* 2. *quæst.* 28. *num.* 60. *et quæst.* 32. *n.* 139. Rota *decis.* 104. *lib.* 1. *et decis.* 131. *lib.* 2. *part.* 3. *divers. cor. Coccin. decis.* 159. *n.* 14. *et seq. et cor. Seraphin. decis.* 851. *n.* 15. et præterea etiam ficta familiaritas inducere potest reservationem. Lotter. *de re Beneficiar. lib.* 2. *quæst.* 29. *n.* 16. Frances. *Variar. resolut. lib.* 3. *cap.*

Digitized by Google

3. n. 20. Rota *cor. Buratt. decis. 706. n. 7. et coram Coccino dec. 1039. dic. n. 7.* (11. Et quia hæc reservatio inducta est tantum ratione familiaritatis Pontificis, afficit solum Beneficia obtenta ante et durante dicta familiaritate, et mortuo Pontifice, qui familiaritatem communicavit, non habet vim pro illis Beneficiis, quos Dapifer postea obtinere potest, quia tunc jam est dissoluta familiaritas, quæ fuit causa reservationis. Spad. *const. 36. n. 1. et per tot. lib. 3.* Card. de Luca *de Benef. disc. 141. num. 5.* (12. Demum cum in Indultis Cardinalium excipitur vacatio ex morte Conclavistarum, non excipitur propterea etiam vacatio per obitum Dapiferorum, nam Dapiferi proprie venire non possunt sub nomine Conclavistarum, uti videri potest apud Rigant. *Commen. in Reg. Cancell. Reg. 11. tom. 1. § 5. pag. 326. edit. Colon.* 1751. apud quem vide etiam cætera, quæ diximus de reservatione Beneficiorum Conclavistarum et Dapiferorum. (13. Quoad vero Regulam XXXII. Cancellariæ, qua præcipitur, ut impetrans Beneficium vacans per obitum familiaris alicujus Cardinalis ejus consensum obtinere debeat, adverte, quod locum non habet in impetratione Beneficiorum familiarium, qui simul Conclavistæ fuerunt; rationesque pro et contra hanc sententiam habes apud Rigant. *Commen. in Reg. Cancell. tom. 3. reg. XXXII. § 165. et seq. pag. 115. edit. cit.* (14. In Beneficiis vero Dapiferorum, tria occurrere possunt. 1. Si agitur de Beneficiis obtentis ante, vel durante familiaritate Pontificis, in cujus Conclavi Cardinalibus inservierunt, certum est, non requiri consensum Cardinalis Patroni, etiamsi vacatio evenerit post obitum illius Pontificis; nam Papæ familiaritas nobilior est, et ejus effectus semper durat. 2. Si vero agitur de Beneficiis obtentis post mortem Pontificis electi in Conclavi, in quo Dapiferi inservierunt, tunc Cardinalis Patronus potest consensum præbere; nam morte Pontificis dissolvitur familiaritas, ut sæpe diximus. Si vero Dapifer annumeratus fuit inter Apostolicos Protonotarios, etiam post mortem supradicti Pontificis ejus Beneficia sunt reservata; nam Protonotariatus est dignitas perpetua, quæ inhæret ossibus Dapiferorum. Rigant. *in Reg. XXXII. Cancell. t. 3. § 235. et seq. pag. 119. edit. Coloniæ Allobr. 1751.*

CONCORDATA.

ARTICULUS NOVUS CASINENSIS

SUMMARIUM.

1. Concordata quid sint. — 2. Concordata sunt modificationes juris, et jus particulare nationum. — 3. Habent vim Contractus. — 4. Unde Concordata originem duxerint. — 5. Afferuntur varia Concordata. — 6. Concordatum Bavaricum. — 7. Concordatum Neapolitanum. — 8. Concordatum Borussicum. — 9. Concordatum Belgicum.

(1. Concordata dicuntur a verbo concordare, quod est concorditer dare; unde Concordatum est conventio inter partes, et quoad nostrum propositum Concordatum est lex communi concordia principum data, videlicet Papæ et Regis, pro firmiori unione, et pace, et tranquillitate servanda. Dicitur Papæ et Principis sæcularis, quia ipsis duobus quæcumque respublica regitur; nam sicut Reges et Principes præsunt in causis sæculi, ita Sacerdotes in causis Dei; *cap. nos si incompetenter § sed notandum 2. q. 7.*

(2. Nonnullæ Conventiones hujus generis hodie existunt factæ partim temporibus anteactis, partim vero hoc sæculo; quas videmus juri novissimo adscriptas quasi modificationes juris communis, et jus particulare nationum. (3. Cum ipsæ prodiissent ex concordia ambarum partium, vim habent contractus, qui a neutra parte sine consensu alterius solvi potest. In ipsis constituuntur limites potestatis tam ecclesiasticæ, quam laicalis in rebus ambas attingentibus, et quarum utrique interest. (4. Quamvis in jure cautum sit, quousque se extendant limites utriusque, tamen vel malitia hominum, vel rerum circumstantiæ et locorum necessitatis nonnumquam postularunt declarationes et concessiones, quibus limites ecclesiasticæ potestatis restringebantur. Unde orta sunt Concordata Sedis Apostolicæ cum Imperatoribus Germaniæ (vide verb. Beneficium *art. XI.*), et cum Regibus Galliarum (vide Artic. sequentem). In quibus Concordatis Pontifices quidem moderati sunt rigorem Juris, quod nonnulla ipsis concessit, quæ ad majora mala evitanda Principibus indulserunt, ut eo magis confirmarentur alia jura inalienabilia, quum etiam adesset consensus alterius partis.

(5. Hæc cum ita sint, opportunum ducimus quædam principaliora Concordata inter Sedem Apostolicam et Reges facta adducere, ut facilius ab omnibus cognoscatur, quo pacto moderentur res ecclesiasticæ in diversis Europæ partibus.

Concordatum Bavaricum.

(6. Anno 1817. die 5. Junii inita fuit Conventio inter sedem Apostolicam et Bavariæ Regem Maximilianum ad ordinandas res Ecclesiæ temporum calamitate afflictas, cujus summa in sequentibus Articulis continentur.

ART. I. Religio Catholica Apostolica Romana semper servabitur illæsa in Regno Bavariæ cum omnibus juribus, ac prærogativis, quæ ipsi competunt ex Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus.

ART. II. Constituit duas Ecclesias Metropolitanas, et tribuit singulis tres Diœceses.

ART. III. Ordinat Capitula Ecclesiarum Metropolitanarum et Suffraganearum; et constituit in prioribus duas Dignitates, et decem Canonicos, in posterioribus item duas Dignitates cum octo Canonicis.

ART. IV. Firmat redditus mensarum Epi-

Digitized by Google

scopalium, et Archiepiscopalium, atque dotem Capitulorum.

Art. v. Quælibet Ecclesia servabit suum Seminarium, quod dirigetur, ac administrabitur juxta Concilium Tridentinum; Episcopus etiam vigilabit, ne aliquid Catholicæ Religioni contrarium in publicis scholis doceatur.

Art. vi. Rex cum consilio Episcoporum assignabit aliquam domum cum dote opportuna, in qua recipi possint clerici infirmi, vel senio confecti.

Art. vii. Continet promissionem restituendi cum convenienti dotatione aliqua Monasteria pro Juventutis educatione, vel in auxilium Parochorum, et pro cura infirmorum.

Art. viii. Servat Ecclesiæ facultatem acquirendi et conservandi bona temporalia.

Art. ix. Pontifex concedit Regi ejusque successoribus catholicis potestatem nominandi tantum dignos idoneosque Ecclesiasticos ad sedes Metropolitanas et Episcopales vacantes, vel vacaturas.

Art. x. Sanctitas Sua conferet Præposituram in Ecclesiis Metropolitanis et Cathedralibus, ad Decanatus vero nominationem habebit Rex, qui etiam nominat ad Canonicatus in mensibus papalibus; in aliis sex mensibus nominabit in tribus primis Archiepiscopus, vel Episcopus, et in aliis tribus Capitulum. Constituitur insuper, ne ad Capitula admittantur nisi indigenæ, quorum qualitates exponuntur; Collatio Vicariatuum in ipsis Ecclesiis libera sit Archiepiscopis et Episcopis.

Art. xi. Concedit Regi præsentationem ad omnia Beneficia, ad quæ præsentabant Duces et Electores antecessores ejus, et ad Beneficia, ad quæ jus præsentationis habebant Corporationes ecclesiasticæ actu non existentes; regulantur etiam præsentationes ad cætera Beneficia Jurispatronatus, et collationes faciendæ ab Archiepiscopis et Episcopis.

Art. xii. Archiepiscopi et Episcopi liberi erunt in exercitio Pastoralis Ministerii juxta Sacros Canones et vigentem Ecclesiæ disciplinam, et constituant Vicarios consiliarios et adjutores in administratione, quos idoneos judicaverint; promovebunt ad Ordines titulis à Sacris Canonibus provisos prævio examine quoscunque necessarios vel utiles ipsorum Diœcesibus judicaverint, et removebunt indignos, quin aliquo modo possint impediri; cognoscent in foro suo causas ecclesiasticas, et præsertim matrimoniales, quæ juxta Concilium Tridentinum ad judices ecclesiasticos spectant, ac de ipsis sententiam ferant; exceptis causis Clericorum mere civilibus; pœnas infligent à Concilio Tridentino statutas, vel alias opportunas in Clericos reprehensione dignos, eos in seminariis vel domibus destinandis claudent; animadvertent quoque censuris in quoscumque fideles ecclesiasticarum legum, et Sacrorum Canonum transgressores; liberum erit ipsis communicare cum Clero et populo, suasque instructiones et ordinationes de rebus ecclesiasticis libere publicare; et communicatio Episcoporum, Cleri et populi cum S. Sede in rebus spiritualibus et ecclesiasticis omnino libera erit; erigent, dividentet, et unient parochias cum consensu Majestatis Suæ; indicent preces publicas, et alia pia opera, et invigilabunt, ut in functionibus ecclesiasticis, et præsertim in Missa et administratione Sacramentorum adhibeantur formulæ Ecclesiæ in lingua latina.

Art. xiii. Gubernium ad instantiam Episcoporum non permittit eorum librorum divulgationem, in quibus Episcopi reperererint aliquid Ecclesiæ doctrinæ, vel bonis moribus contrarium.

Art. xiv. Rex prohibebit, ne catholica religio et ritus contemnentur, vel ministri ejus impediantur in exercitio sui officii; nec permittet fieri, quod dedecus vel contemptus sacris ministris afferretur.

Art. xv. Archiepiscopi et Episcopi coram Rege juramentum fidelitatis emittent.

Art. xvi. Præsenti Conventione abrogatur omnibus Legibus, Ordinationibus, et decretis in regno Bavariæ publicatis, in quantum cum illa pugnant.

Art. xvii. Cætera vero res ecclesiasticas spectantia, quorum nulla mentio in his articulis facta est, dirigentur juxta vigentem Ecclesiæ disciplinam. Si qua vero supervenerit difficultas, Sanctitas sua, et Majestas sua secum conferre sibi reservant.

Art. xviii. Utraque Contrahentium Pars spondet se, successoresque suos omnia, de quibus in his articulis utrinque conventum est, sancte servaturos; et præsens Conventio declarabitur *lex Status*.

Art. xix. Ratificationum hujus Conventionis traditio fiet non ultra quadraginta dierum spatium.

Concordatum Neapolitanum.

(7. Diversis temporibus Principibus hujus Regni, quod peculiare vinculum Sedi Romanæ univit, factæ sunt concessiones, sed quum Conventio anni 1818. substituta sit omnibus prioribus, hanc solam summarie afferemus.

Sanctitas sua Summus Pontifex Pius VII. et Majestas sua Ferdinandus I. Regni utriusque Siciliæ Rex, pari studio consulere cupientes malis, quæ in res ecclesiasticas sui regni irrepserunt, collatis consiliis novam inire Conventionem decreverunt, articulis sequentibus.

Art. i. Religio Catholica Apostolica Romana est sola Religio Regni utriusque Siciliæ, atque in eo semper conservabitur cum omnibus juribus, ac prærogativis, quæ ipsi competunt ex Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus.

Art. ii. Institutio in Regiis Universitatibus, Collegiis, et Scholis, tam publicis, quam privatis, erit in omnibus conformis doctrinæ ejusdem Religionis Catholicæ.

Art. iii. Nova Circumscriptio Diœcesum in ditione citra Pharum. In ditione trans Pharum omnes Archiepiscopales et Episcopales Sedes conservantur, immo eorum numerus

Digitized by Google

augetur. Territoria quarumdam Abbatiarum Nullius Diœcesis uniuntur Diœcesibus intra quarum fines in nova Circumscriptione sita reperiantur. Abbatiarum Consistorialium, quarum annui redditus summam ducatorum quingentorum excedunt, nulla fit unio.

Art. iv. Quælibet Mensa episcopalis in Regno gaudebit annuo redditu ad minus trium millium ducatorum ex bonis stabilibus, publicis deductis oneribus.

Art. v. Quælibet Ecclesia Archiepiscopalis sive Episcopalis suum habebit Capitulum ac Seminarium (dirigendum et administrandum juxta Concilium Tridentinum), quibus dos sufficiens erit constituenda. Congrua Dignitatum Capitulorum.

Art. vi. Bona Ecclesiarum uniendarum (quarum Capitula mutantur in Collegiata) applicanda sunt iis Ecclesiis, quæ in nova Circumscriptione conservabuntur, nisi aliter necessitas postulet.

Art. vii. Parœciis (quibusdam exceptis), congruam sufficientem non habentibus, dos augetur. Parochialis Ecclesiæ conservatio, uti et cooperatoris Parochi stipendia, ubi redditus ad id attributi non adsint, respectivis civitatibus incumbent.

Art. viii. Collatio Abbatiarum Consistorialium, quæ non sunt jurispatronatus regii, perpetuo spectat ad Sanctam Sedem. Collatio Beneficiorum simplicium liberæ collationis cum fundatione, et erectione in titulum ecclesiasticum fiet a Sancta Sede, et ab Episcopis pro diversitate mensium, quibus vacabunt.

Art. ix. Catalogus Abbatiarum sive regii patronatus, sive non, prout apud Cappellanum majorem descriptæ reperiuntur, quam primum exhibebitur. Catalogus concorditer corrigi poterit.

Art. x. Canonicatus liberæ collationis in Capitulis, respective conferentur a Sancta Sede et ab Episcopis; scilicet sex primis anni mensibus a Sancta Sede, aliis vero sex mensibus ab Episcopis. Prima dignitas semper erit liberæ collationis Sanctæ Sedis.

Art. xi. Sanctitas sua concedit Episcopis Regni jus conferendi Parœcias, quæ quovis anni tempore erunt vacaturæ Prævio concursu, quibus sint deferendæ, si liberæ collationis, vel si juris patronatus Ecclesiastici, sive regii fuerint. Excipiuntur Parociæ vacaturæ in Curia, aut quarum Parochi fuerint a S. Sede de aliqua ecclesiastica dignitate, aut Canonicatu provisi. Horum omnium collatio spectabit ad Summum Pontificem.

Art. xii. Omnia bona Ecclesiastica non alienata a Gubernio Militari, quæque in reditu Majestis suæ penes administrationem vulgo *del Demanio* reperta sunt, Ecclesiæ restituuntur.

Art. xiii. Sanctitas sua declarat eos omnes, qui Ecclesiæ bona alienata possident, nullam molestiam habituros neque a Se, neque à Romanis Pontificibus suis successoribus: ac consequenter proprietas eorumdem bonorum, redditus, et jura iis inhærentia immutabilia penes ipsos erunt, atque ab ipsis causam habentes.

Art. xiv. Dispositiones quoad Regularium domorum restitutionem, earumque bonorum distributionem. Pensiones Religiosis solvendæ, qui Indultum sæcularizationis a S. Sede obtinuerunt.

Art. xv. Ecclesia jus habebit novas acquirendi possessiones, et quidquid de novo acquisierit, faciet suum, et censebitur eodem jure ac veteres fundationes Ecclesiasticæ. Hac libertate in posterum gaudebit Ecclesia, quin tamen præjudicium ullum afferatur legalibus effectibus legum vulgo *di ammortizzazione*, quæ in Regno viguerunt usque in hanc diem, earumque legum executioni etiam in posterum pro casibus nondum consummatis, et conditionibus nondum impletis. Nulla Fundationum Ecclesiasticarum fiet suppressio, aut unio absque interventu auctoritatis Sedis Apostolicæ, salvis facultatibus a Sacro Concilio Tridentino Episcopis tributis.

Art. xvi. Quum luctuosæ temporum circumstantiæ non patiantur Ecclesiasticos exemptione a publicis regiis, et Civitatis oneribus gaudere, Majestas sua pollicetur abusum superioribus temporibus in Regno introductum, quo Ecclesiastici, eorumque bona durioribus taxis præ Laicis prægravabantur, cessaturum; quin immo, cum per feliciora tempora Status conditio prosperior evadet, Regia Majestas largitionibus Clero opitulabitur.

Art. xvii. Mons *Frumentarius*, Neapoli erectus, supprimitur. Constituentur Administrationes Diœcesanæ, quarum unaquæque constabit duobus Canonicis et Regio Procuratore. Cuilibet Congregationi seu Administrationi præsidebit Episcopus, aut ejus Vicarius. Ordinarius et Regia Majestas per suum Administrum, collatiis consiliis fructus ex Beneficiis vacantibus perceptos in favorem Ecclesiarum, etc., et in alios pios usus erogabunt; servata tamen dimidia parte redditnum Mensarum Episcopalium vacantium pro futuro earumdem Episcopo. Abrogatio *Tertii Pensionabilis*. Tempore provisionum Episcopatuum, et Beneficiorum regiæ nominationis, reservatio pensionum secundum formas canonicas locum habere perget. Nominati a Majestate sua ad prædictas pensiones a S. Sede Bullas Apostolicas obtinebunt, vi quarum pensiones ipsas quoad vixerint percipere, et suas facere poterunt. Pensionario vita functo, Episcopatus, aut Beneficium ab onere persolvendæ pensionis, qua gravabatur liberum erit.

Art. xviii. Sanctitas sua super aliquas Episcopales Mensas, et Abbatias Regni designandas sibi reservat in perpetuum annuas pensiones in summa ducatorum duodecim millium, quas Romanus Pontifex pro tempore suis subditis status Ecclesiastici pro lubitu conferet.

Art. xix. Beneficia et Abbatiæ existentes in Regno utriusque Siciliæ, quarum fructus aut ex toto, aut ex parte applicati reperiuntur personis ecclesiasticis, et aliquibus Ecclesiis etc. Urbis, aliorumque locorum

Digitized by Google

Status Ecclesiastici, suam conservabunt applicationem in favorem prædictarum. Hæc dispositio non respicit Beneficia, et Abbatias regii patronatus, et illa quorum bona alienata fuerunt.

Art. xx. Archiepiscopi et Episcopi in exercitio eorum Pastoralis Ministerii prorsus liberi erunt secundum Sacros Canones. Causas Ecclesiasticas, et in primis causas Matrimoniales in Foro Ecclesiastico cognoscent, ac de iis sententiam ferent. Hæc dispositio non respicit causas civiles Clericorum. Eorum potestas Clericos reprehensione dignos, et Fideles ecclesiasticarum legum transgressores puniendi. In sacris Visitationibus Diœcesum, et ad limina Apostolorum peragendis, et in Diœcesanis Synodis convocandis liberi erunt. In iis quæ ad pastoralis officii muneris executionem pertinent, liberi erunt. Causæ majores ad Summum Pontificem spectabunt.

Art. xxi. Archiepiscopi et Episcopi Clericos ad Sacros Ordines promovebunt, servatis cautelis et præscriptionibus contentis in Decreto Gregorii XV. anni 1623. necnon capite 4. Conventionis anni 1741. cui titulus *Requisiti dei promovendi*. Taxa patrimonii. De exemptione fundi patrimonii ab omni hypothecæ vinculo legaliter constare debebit. Si qui vero Clerici ad Sacros Ordines Beneficii ecclesiastici, aut Cappellaniæ titulo promovebuntur, quoties talis Beneficii, aut Cappellaniæ annuus redditus ad taxam Diœcesanam non pertingat, tantundem sibi ex aliis liberis fundis constituent, quantum supradictæ taxæ integritas postulaverit. Excipiuntur illæ Diœceses, in quibus ex Diœcesana lege taxa patrimonii in majori summa canonice constituta reperiatur, respectu quarum nulla mutatio fiet.

Art. xxii. Liberum erit ad Sanctam Sedem appellare.

Art. xxiii. Episcoporum, Cleri et Populi communicatio cum Sancta Sede in rebus spiritualibus, et negotiis ecclesiasticis prorsus libera erit, ac consequenter Epistolæ, ut aiunt, Circulares, Leges, et Decreta circa *Liceat Scribere* abrogantur.

Art. xxiv. Quoties Archiepiscopi, et Episcopi in libris introductis, vel qui introducuntur, impressis, vel qui imprimuntur in Regno, aliquid repererint Ecclesiæ doctrinæ, aut bonis moribus contrarium, Gubernium eorum librorum divulgationem non permittet.

Art. xxv. Regii Delegati jurisdictionis ecclesiasticæ munus a Majestate Sua supprimitur.

Art. xxvi. Curia Cappellani Majoris, ejusque jurisdictio, iis continebitur limitibus, qui in Constitutione Benedicti XIV. cujus initium *Convenit*, et sequenti ejusdem Pontificis *Motu proprio* super eadem re præscribuntur.

Art. xxvii. Ecclesiæ proprietas in suis possessionibus, et acquisitionibus sacra et inviolabilis erit.

Art. xxviii. Sanctitas Sua concedit Regi ejusque catholicis Successoribus Indultum nominandi dignos et idoneos ecclesiasticos viros ad omnes illas archiepiscopales et episcopales Ecclesias Regni, ad quas Majestas jure nominandi nondum gaudebat. Majestas Sua tempore debito Sanctitati Suæ Nominatos manifestabit, ut Canonicam Institutionem modis et formis consuetis obtineant.

Art. xxix. Archiepiscopi et Episcopi coram Majestate Regia juramentum fidelitatis emittent sequentibus verbis expressum: Ego juro et promitto ad Sancta Dei Evangelia obedientiam et fidelitatem Regiæ Majestati, item promitto me nullam communicationem habiturum, nullique consilio interfuturum, nullamque suspectam unionem neque intra, neque extra conservaturum, quæ tranquillitati publicæ noceat, et si tam in diœcesi mea, quam alibi noverim aliquid in status damnum tractari, Majestati suæ manifestabo.

Art. xxx. Cætera vero res ecclesiasticas spectantia, quorum nulla mentio in his articulis facta est, dirigentur juxta vigentem Ecclesiæ disciplinam. Si qua vero supervenerit difficultas, Sanctitas Sua, et Majestas Sua secum conferre sibi reservant.

Art. xxxi. Præsens Conventio substituitur omnibus Legibus, Ordinationibus, et Decretis in Regno utriusque Siciliæ circa res Religionis hucusque latis.

Art. xxxii. Præsens Conventio præcedenti anni 1741. in ditionibus trans et citra Pharum substituitur.

Art. xxxiii. Utraque Contrahentium Pars spondet Se, successoresque suos omnia, de quibus in his articulis utrinque conventum est, sancte servaturos.

Art. xxxiv. Ratificationum hujus Conventionis traditio fiet Romæ non ultra quindecim dierum spatium a die his articulis apposita.

Art. xxxv. Post hujus Conventionis ratificationem, ejusdem executio duobus selectissimis Viris, quorum alter a Sanctitate Sua, alter a Majestate Regia nominabitur, committetur, iique a respectivis Partibus Contrahentibus necessariis, et opportunis facultatibus munientur.

Concordatum Borussicum.

(8. Non solum Principes Catholici, sed etiam tales, qui Romanam Sedem non cognoscunt Matrem et Magistram omnium Ecclesiarum, obsecundaverunt vota Summorum Pontificum ad reordinandas res Catholicas in provinciis eorum temporali jurisdictioni subjectis; inter quos eminet Fridericus Guilielmus Borussorum Rex, quo regnante Pius VII. anno 1821. edidit literas Apostolicas incip. *De salute animarum*, quibus novam Diœcesium in illis provinciis circumscriptionem constituit.

Art. i. Unde invenimus constitutas duas Ecclesias Metropolitanas, Coloniensem, quæ pristinæ dignitati restituitur, et Gnesnensem, cui æque principaliter perpetuo unitur nova Archiepiscopalis Ecclesia Posnaniensis; priori assignavit Suffraganeas Trevirensem, Monasteriensem, et Paderbornensem, alteri Ecclesiam Culmensem, decernens Ecclesias

Digitized by Google

Wratislaviensem ac Warmiensem Sanct. Sedi perpetuo immediate subjectas.

Art. II. Constituitur numerus Dignitatum et Canonicorum in singulis Metropolitanis et Cathedralibus.

Art. III. Quilibet ad Dignitates et Canonicatus assequendas constitutus esse debet in majoribus Ordinibus, qui saltem per quinquennium utilem Ecclesiæ operam naverit, vel in S. Theologia, aut in Jure Canonico Doctoratus lauream rite fuerit consequutus.

Art. IV. Collatio majoris post Pontificalem in dictis Ecclesiis Dignitatis, necnon in Ecclesia Aquisgranensi (vide infra Art. 8.), itemque Canonicatuum in mensibus Januarii, Martii, Maii, Julii, Septembris, ac Novembris vacantium Apostolicæ Sedi reservatur; Decanatus vero in dictis Ecclesiis, et Canonicatus in aliis sex mensibus vacantes ab Archiepiscopis et Episcopis respective conferantur; Vicariatus autem, seu Præbendatus, quocumque mense vacaverint, respectivorum Archiepiscoporum, et Episcoporum collationi relinquuntur.

Art. V. Capitulis facultas tribuitur, ut in singulis illarum Sedium vacationibus infra consueti trimestris spatium Dignitates et Canonici capitulariter congregati novos Antistites ex ecclesiasticis quibuscumque viris Regni Borussici incolis ad formam Ss. Canonum eligere possint; ad quas electiones jus suffragii habebunt Canonici tam numerarii, quam honorarii; qui electi, si de eorum idoneitate constiterit, a Romano Pontifice per literas Apostolicas confirmabuntur.

Art. VI. In singulis Civitatibus tam Archiepiscopalibus quam Episcopalibus unum Clericorum Seminarium vel conservandum, vel de novo quamprimum erigendum est, in quo is Clericorum numerus ali, atque ad formam Decretorum S. Concilii Tridentini institui, ac educari debeat, qui respectivarum Diœcesium amplitudini, et necessitati respondeat.

Art. VII. Inspectis Diœcesium Borussici Regni amplitudine, ac magno Diœcesanorum numero confirmantur Suffraganeatus in Diœcesibus, in quibus constituti reperiuntur, et in Coloniensi et Trevirensi redintegrantur, et de novo constituuntur; idcirco quilibet Archiepiscopus et Episcopus Romanum Pontificem supplicabit, ut aliquis ecclesiasticus vir opportunis præditus requisitis ad Suffraganei munus designetur.

Art. VIII. Suppressa Episcopali Sede Aquisgranensi, Ecclesia antea Cathedralis immutatur in Collegiatam, cujus Capitulum constet ex unica Præpositi Dignitate, et sex Canonicatibus, quorum collatio quoad Præposituram apostolicæ Sedi, et quoad Canonicatus eidem Sedi Apostolicæ alternatim cum Coloniensi Archiepiscopo spectare debet. Quibus Capitularibus ex peculiari gratia conceditur licentia deferendi Cappam magnam sericam violacei coloris cordulis sericis subsutam cum pellibus armellinis hyemali, æstivo autem tempore Mozzettam supra Rocchettum.

Art. IX. Demum constituitur dotatio Ecclesiarum Metropolitanarum et Cathedralium, necnon Capitulorum et Seminariorum earumdem.

Concordatum Belgicum.[2]

Exemplum Borussici Regis secutus est Guilielmus I. Belgarum Rex, qui 18. Junii anni 1828. cum Pontifice Leone XII. ad componenda negotia Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ in Regno suo de sequentibus Articulis convenit.

Art. I. Applicabitur Conventio an 1801. ad septentrionales Provincias; qua conceditur libertas exercendi Religionem Catholicam Apostolicam et Romanam; Cultus publicus erit limitatus ordinationibus gubernii.

Art. II. Nova Diœcesium circumscriptio edatur; quarum numerum Sanctitas Sua in literis confirmatoriis constituit octo, inter quas Ecclesia Mechlinensis sit Metropolitana.

Art. III. Quælibet Diœcesis suum Capitulum et Seminarium habebit.

Art. IV. In vacationibus Sedis Archiepiscopalis vel Episcopalium, Capitula illarum Ecclesiarum ex Candidatis, de quorum nominibus prius Rex certior factus fuerit, et quos Regi gratos cognoverint, Archiepiscopum vel Episcopum eligant; Summus vero Pontifex, cui infra mensem documentum electionis deferendum est, postquam compererit Promovendum instructum iis dotibus, quæ a Ss. Canonibus in Episcopo requiruntur, eum quantocius confirmabit.

Si autem electio minime fuerit canonice peracta, aut promovendus prædictis dotibus instructus non reperiatur, ex speciali gratia indulgetur, ut Capitulum ad novam electionem valeat procedere.

Art. V. Prima tamen vice Summus Pontifex sibi reservavit, Ecclesias Regni Belgici de Pastoribus providere; uti pari modo sibi et successoribus suis reservavit, Episcopis Diœcesanis, prout necessarium judicatum fuerit, auxiliares Episcopos concedere, qui iis, tamquam Suffraganei, adjumento sint in pontificalibus muniis explendis.

Art. VI. Archiepiscopus et Episcopus quisque postquam canonicam acceperit institutionem, coram Rege juramentum fidelitatis emittat.

Art. VII. Idem juramentum præstent ecclesiastici viri secundi ordinis coram auctoritatibus civilibus a Rege designatis.

Art. VIII. In omnibus Ecclesiis post divina Officia recitetur Oratio: *Domine, salvum fac Regem nostrum* N.

Art. IX. Episcopi liberam habebunt suorum Vicariorum in spiritualibus generalium nominationem et electionem.

Art. X. XI. Episcopi ad novam, ubi opus fuerit, Parœciarum circumscriptionem procedent. Rex autem juxta Art. XIV. Conventionis anni 1801. omnium Parochorum, quos etiam ob novam Parœciarum, circumscriptionem creari, contigerit, sustentationi, quæ cujusque statum deceat, providebit.

Ultimo Summus Pontifex spem exprimit, fore ut inter istarum regionum Catholicos inveniantur, qui libertate Ecclesiis novis

Digitized by Google

fundationibus consulendi liberaliter uti velint; propensa vero Regis voluntas nos dubitare non sinit, quod protectionem fundationum, vel elargitionum in favorem Ecclesiarum non sit susceptarus.

CONCORDATUM GALLICUM.

ARTICULUS EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

SUMMARIUM.

1. Pragmaticæ Sanctionis Origo. — 2. Quibus articulis contineatur. — 3. Ejus vices. — 4. Tandem in Concilio Lateranensi V. abrogata, substitutis in illius locum Concordatis Bononiensibus. — 5. Horum summa. — 6. Variæ in illa querelæ, sed inutiles. — * 7. Hæc Concordata viguerunt usque ad annum 1789. — 8. Concordatum anni 1801. — 9. Conventio dicta Fontis bellaquei. — 10. Concordatum cum Ludovico XVIII.

1. Quemadmodum Provisiones beneficiales in Anglia, Germania, aliisque provinciis magnas excitarunt controversias, ita etiam in Gallia, colliso non raro Regno cum Sacerdotio; jam anno videlicet 1267. tempore Clementis IV. deinde in Concilio Lugdunensi II. a. 1274. rursus in dissidiis Bonifacii VIII. et Philippi Pulchri circa ann. 1304. denique in Concilio Basileensi. Cum enim hoc varia contra Romanorum Pontificum potestatem decreta edidisset, XXXVIII. ejusdem Canones in catalogum relati, Carolo VII. Francorum Regi fuerunt a Concilio missi. Porro Rex in Bituricensi conventu ann. 1438. eosdem Basileenses Canones recepit, ac famosa illa Gallorum *Pragmatica Sanctione* firmavit, deinde in Senatu Parisiensi promulgata. Juvat illius articulos summatim afferre.

(2. I. Papa singulis decenniis Concilium celebret. Si negligat, Patres suppleant.

II. Basileensis Concilii perpetua sit auctoritas.

III. Prælaturas electivas Papa non reservet, neque Canonicatus, nisi casibus in jure scripto expressis.

IV. Electiones sint omnino liberæ.

V. Electionis forma servetur: electus vero a Prælatis confirmetur.

VI. Papa huic Sanctioni non deroget. Si faciat, deferatur ad Generale Concilium.

VII. Si electio sit irrita, Electoribus altera relinquatur. Electus ab immediato superiore confirmetur.

VIII. Generali Concilio etiam Papa obediat, quatenus fides, et schismatum abolitio postulat.

IX. Concilii decreta a Christo auctoritatem protinus obtinent.

X. Ecclesiis digni præficientur.

XI. Expectativis gratiis non sit locus.

XII. Beneficia, vivo rectore, nemini reserventur.

XIII. In qualibet Ecclesia Episcopali Theologus constituatur.

XIV. In conferendis Beneficiis Graduati præferantur.

XV. Hi nomina sua offerant.

XVI. Collatio prima aliis facta nulla esto.

XVII. Nemo quatuor dierum itinere Roma dissitus, in Jus Romam vocetur, nisi in Causis majoribus.

XVIII. Appellatio fiat ad immediate superiorem. Exemptorum vero causam Papa Judici regionis committat.

XIX. Qui inaniter ante sententiam appellet, 25. florenos pendat, præter litis expensas.

XX. Triennalis possessio quieta non amplius turbetur, nisi impedimentum justum obstiterit, quominus potuerit possessor impeti.

XXI. Cardinales sint tantum XXIV. docti, XXX. annorum, legitimis natalibus.

XXII. De dignitatibus ac Beneficiis Ecclesiasticis nihil prorsus, neque annatam, neque primitias Pontifex exigat: secus irrita est provisio, et pœna Simoniacis debita infligatur. Scribis tantum, et notariis merces solvatur.

XXIII. Res divina sancte, ac devote peragatur.

XXIV. Qui tantum in aliqua horarum est præsens, non fruatur distributione quotidiana.

XXV. Hoc etiam ad Decanum et Præpositum extendendum.

XXVI. Idem de garrientibus, aut deambulantibus in Ecclesia.

XXVII. Insuper unius mensis stipendiis priventur.

XXVIII. Tabula officiorum hebdomadalium in Choro sit appensa.

XXIX. Symbolum integrum canatur.

XXX. Camænæ vulgi in Ecclesia ne canantur.

XXXI. Missa non celebretur sine Ministro, illaque alta voce legatur.

XXXII. Canonici debita non solventes statuto tempore, interdicuntur Divinis, et trimestri Ecclesiæ stipendio.

XXXIII. Solemnibus diebus nullum celebretur Capitulum.

XXXIV. Profana facessant ab Ecclesia.

XXXV. Clericus, concubinarius post secundam sanctionis istius promulgationem non resipiscens, tribus mensibus beneficii fructibus careat.

XXXVI. Hæretici non denunciati non sunt vitandi.

XXXVII. Nulli communitati sacris interdicitur, nisi per se ipsam, aut per magistratus suos deliquerit.

XXXVIII. Non credendum literis, quibus scribitur, quempiam beneficio suo se abdicasse, nisi testibus id, aut documentis idoneis, comprobetur.

(3. Hæc sunt Pragmaticæ Sanctionis Gallicanæ capitula, ex Concilio Basileensi prognata. Quamvis autem Rex Carolus ista receperit, ac promulgarit, quoad ea tamen, quæ Concilio Basileensi egit in deponendo Eugenio IV. Pontifice, noluit consentire, quinimmo a exturbandum illud conventiculum Ludovicus filium ad fines Basileensium misit, qu-

Digitized by Google

cruento prælio Helvetiorum copias fudit. Neque tamen his flexi sunt Romani Pontifices, quin Pragmaticæ Sanctioni omni conatu obsisterent. Ac Ludovicus quidem XI. an. 1462. Sanctionem illam rescidit, veluti seditionis, et schismatis tempore cusam ad Sedis Apostolicæ infringendam auctoritatem, urgente Pio II. cui illam abrogationem, Ludovicus promiserat, si quiete ad Regnum perveniret. Verum cum Galli Sanctionem Regno admodum utilem dicerent propter abolitionem appellationum, reservationum beneficialium, gratiarum expectativarum, ac præsertim Annatarum, per quas multum pecuniæ e Regno exportari querebantur, eamdem Ludovicus ipse permittere debuit, Carolus autem VIII. prorsus instauravit.

(4. Sed tandem a Francisco I. qui cum Leone X. hac de re pactionem Bononiæ inierat, abrogata omnino fuit, illique suffecta Concordata, quæ Bulla Leonis X. *Pastor æternus* in Concilio Lateranensi V. *sess. XI. a.* 1516. promulgata exhibet.

(5. Novemdecim ea Concordata articulis constant, quorum summa hæc est.

I. Conceditur Regi jus nominandi, seu præsentandi ad Ecclesias Cathedrales, et Abbatiales intra sex menses idoneum, qui gradu Theologiæ, vel Juris Canonici in celebri aliqua Academia sit insignitus, prævio rigoroso examine, et saltem 27. ætatis annos habentem. Quod si Rex inidoneum Pontifici nominaret, aut præsentaret instituendum, poterit Rex intra tres menses a die Pontificiæ recusationis numerandos, alium Pontifici nominare. Quo finito tempore pertinet ad Sedem Apostolicam Ecclesiæ providere. Reservantur etiam Pontifici vacantia apud S. Sedem. Aliter factæ provisiones sunt irritæ: exceptis tamen personis Regii Sanguinis, et Religiosis mendicantibus, in quibus nominandis non omnia prædicta requiruntur.

II. Pariter in Monasteriis, et Prioratibus Conventualibus, et vere electivis, secundum formam Capituli *Quia propter*, deinceps nominatio Abbatis, Prioris, aut Prælati ad Regem pertineat. Qui intra sex menses Pontifici præsentabit idoneum ejusdem Ordinis, ad minimum 23. annorum. Alias recusari poterit.

III. Salvis tamen Privilegiis a S. Sede specialiter concessis alicui Ecclesiæ eligendi proprium Prælatum.

IV. Tolluntur gratiæ expectativæ, et speciales, vel generales reservationes ad vacatura beneficia.

V. Si statuta requirant ut obtenturus dignitatem sit Canonicus, observabitur.

VI. Unus Canonicatus detur Theologo docenti.

VII. Tertia pars Beneficiorum detur graduatis ab ordinariis Collatoribus, et Patronis Ecclesiasticis. Unde statuuntur menses pro graduatis præsentandis, et alii menses pro aliis.

VIII. Decernuntur multa circa personas graduatas, tempus studii, Testimonia Academica, ordinem dignitatis, etc.

IX. Parochiæ Urbicæ solis conferantur graduatis ex Theologia, vel Jure Canonico.

X. Quilibet Pontifex semel in vita sua possit literas dare in forma mandati; ita ut collatorem X. beneficiorum in uno tantum beneficio, collatorem vero L. beneficiorum in duobus tantum beneficiis gravare possit.

XI. Causæ omnes (exceptis majoribus, in Jure expresse Pontifici reservatis) a Judicibus, qui de jure, vel consuetudine, vel privilegio, aut præscriptione cognitionem habent, terminari debent.

XII. Appellationes justæ fiant ad immediate superiorem, ita ut ne ad ipsam quidem S. Sedem fieri possint, præteritis Judicibus mediis. Ante sententiam vero definitivam absolute non potest appellari; nisi gravamen tale esset illatum, quod in definitivo sanari non posset: et tali etiam casu nonnisi ad immediate Superiorem potest appellari.

XIII. Si exempti a Jurisdictione Judicum Ordinariorum, seu immediate subjecti Sedi Apostolicæ ad eamdem duxerint appellandum, per rescriptum Papa committat causam Judicibus delegatis in Gallia: a quibus appellari non possit, nisi in casu denegatæ justitiæ, aut metus injuste incussi. Cardinales tamen, et officiales Pontificis in hoc non comprehenduntur.

XIV. Lites Beneficiales intra biennium terminentur.

XV. A duabus Sententiis interlocutoriis, et tribus definitivis conformibus ulterius non appelletur: sed mox ad executionem procedatur

XVI. Qui per triennium possedit Beneficium pacifice, et cum titulo colorato, neque in petitorio, neque in possessorio amplius molestetur, ne ratione quidem instrumenti noviter reperti, nisi violentus fuerit ingressus, aut pars altera justum impedimentum reclamandi doceat. Nullum tamen tempus illum juvat, qui sine titulo Beneficium possidet.

XVII. Concubinatus tamquam Divino præcepto omnibus vetitus, ac præsertim Clericis, severe prohibetur.

XVIII. Interdicta localia non ferantur propter culpam privatæ personæ.

XIX. Hæc Concordata vim habeant veri contractus, utrimque obligantis.

(6. Fuerunt hæc Concordata in Senatu Parisiensi promulgata anno 1517. rem urgente Rege, etsi ad hoc invitus Senatus devenit, Academia quoque Parisiensis ab hisce Concordatis ausa est futurum generale Concilium appellare; quin etiam non semel Clerus Reges exstimulavit, ut rescissis Concordatis Pragmaticam Sanctionem restituerent. Quieverunt tandem turbæ, atque experimento compertum est, non pauca ex Concordatis commoda in Gallicanam Ecclesiam redundare. Vide Thomassinum *par.* 11. *lib.* 1. *cap.* 45. *num.* 9. *seqq.* et Natalem Alexandrum *in hist. Eccles. Sæc. XV. et XVI. diss. XI. artic.* 6.

Digitized by Google

ADDITIONES CASINENSES

(7. Supradicta Concordata viguerunt per tria fere sæcula usque ad annum 1789. quo tempore illa natio seducta erroribus principis tenebrarum divina humanaque pedibus conculcavit, et adeo in insania profecit, ut etiam Religionem omnem excluderit, et Sacerdotes Dei interfecerit. (8. Sed paucos post annos, dissidiarum perturbationibus nondum exstinctis, ille, cui favit fortuna inter discordias intestinas et bella, haud ignarus quantæ virtutis Religio esset ad restituendum ordinem civilem, ad sedandos animos, et ad sublevandum ipsum in locum, quo destitutus fuit Ludovicus XVI. rogavit Vicarium Christi in terris, ut mitteret Legatos suos Parisios, qui præpararent novam Conventionem inter S. Sedem et illam nationem. Pius VII. desiderans pacem Ecclesiæ non dissimulavit voluntatem suam reducendi errantes in sinum S. Matris, et promisit, ut pote necessarium ad temporum indolem, relaxare rigorem ecclesiasticæ disciplinæ; immo, ut negotia citius et sine impedimento expediri possint, publicavit Breve ad Archiepiscopos et Episcopos, quo ipsos ad voluntariam renuntiationem suarum Sedium induceret. Articulos hujus Conventionis non afferemus, quia abrogata iis fuit per subsequentem novam Conventionem inter Apostolicam Sedem et Ludovicum XVIII. (9. Sed nec hæc Conventio restituere potuit pacem afflictissimæ Ecclesiæ Gallicanæ, cum imperans majori parti Europæ, victoriis suis elatus, ipsam Ecclesiam suis legibus subjici conaretur, quo in consilio illi obstabat constantia invicti Vicarii Jesu Christi in terris; qui tandem iterum atque iterum requisitus, cum in Galliarum regno patrimonio Ecclesiæ spoliatus detentus esset, promissionibus pro bono Ecclesiæ ab Imperatore inductus approbavit certis sub conditionibus novam Conventionem, et eam subscripsit cum clausula *servatis servandis*. Sed ille spretis conditionibus Conventionem istam absolute approbatam a Summo Pontifice contra promissionem datam publicavit; unde nullius valoris extitit ob defectum consensus alterius partis. Et hæc est Conventio dicta Fontisbellaquei (*Fontainebleau*).

(10. Pace tandem post bellici furoris tempestatem recuperata, et Ludovico XVIII. avito solio reddito, Pius VII. Summus Pontifex omni cura intendit, ut plagas Gallicæ Ecclesiæ sanaret, atque Religionem Catholicam in eo regno in pristinum splendorem restitueret, quare novam Conventionem cum Rege iniit, et decimoquarto Kalendas Aug. 1817. eamdem publicavit tenoris sequentis.

Art. I. Concordatum inter Summum Pontificem Leonem X. et Franciscum I. Francorum Regem initum restituitur.

Art. II. Consequenter ad Articulum præcedentem Concordatum diei 15 Julii anni 1801. suum effectum habere desinit.

Art. III. Articuli Organici nuncupati, qui inscia Sanctitate Sua conditi, ac sine ullo

ejus assensu die 8. Aprilis Anni 1802. una cum supradicto Concordato diei 15 Julii anni 1801. promulgati fuerunt, abrogantur in iis, quæ adversantur Doctrinæ et Legibus Ecclesiæ.

Art. IV. Ecclesiæ, quæ in Galliarum Regno per Apostolicas Sanctitatis Suæ literas diei 29. Novembris anni 1801. suppressæ fuerunt, denuo erigentur usque ad eum numerum, qui, ut pote Religionis bono magis proficuus, mutuo consensu præfinietur.

Art. V. Cunctæ Archiepiscopales, et Episcopales Ecclesiæ Regni Galliarum per memoratas Apostolicas literas diei 29. Novembris anni 1801. erectæ una cum earum Titularibus actualibus conservantur.

Art. VI. Præscriptum præcedentis Articuli circa conservationem eorumdem Titularium actualium in Archiepiscopalibus, et Episcopalibus eorum Sedibus nunc existentibus in Galliis, impedimento non erit peculiaribus aliquibus exceptionibus, quæ gravibus, legitimisque causis nitantur, neque officiet, quominus aliqui ex Titularibus prædictis ad alias Sedes transferri possint.

Art. VII. Diœceses Ecclesiarum, quæ in præsens exstant, itemque aliarum, quæ erigendæ sunt, exquisito prius ab actualibus Episcopis, et Capitulis Sedium Vacantium consensu, iis finibus circumscribentur, qui ad utiliorem ipsarum administrationem magis expedire dignoscantur.

Art. VIII. Conveniens dos cunctis tam existentibus, quam denuo erigendis Ecclesiis in bonis stabilibus, ac in redditibus super Regni debito fundatis, vulgo *Rentes sur l'Etat*. quamprimum fieri poterit, constituetur, assignato interim earum Pastoribus redditu in ea quantitate, quæ statum eorum meliorem reddat.

Pari ratione consuletur Dotationi Capitulorum, Parœciarum, et Seminariorum tum existentium; tum erigendorum.

Art. IX. Sanctitas Sua, et Majestas Sua Christianissima agnoscunt mala omnia, quibus Galliarum Ecclesiæ affliguntur. Perspiciunt etiam, quam fructuosum Religioni futurum sit, celeriter augeri numerum Sedium actu existentium. Ne proinde tam magna utilitas diutius retardetur, Sanctitas Sua per Apostolicas Literas ad Sedium erectionem, et novam Circumscriptionem Diœcesium supra memoratarum sine mora procedet.

Art. X. Majestas Sua Christianissima novum præbere volens sui in Religionem studii testimonium, omnia, quæ in sua potestate sunt, collatis cum Sanctitate Sua consiliis, præstabit, ut mala, et impedimenta, quæ Religionis bono, et legum Ecclesiæ executioni adversantur, quam citius fieri poterit, removeantur.

Art. XI. Antiquarum Abbatiarum *Nullius Diœcesis* Territoria iis Diœcesibus unientur, intra quarum fines in nova circumscriptione comprehensa reperientur.

Art. XII. Redintegratio Concordati, quod in Gallia observatum fuit usque ad annum 1789. (Articulo primo hujus Conventionis

Digitized by Google

stipulata) Abbatiarum, Prioratuum, et aliorum Beneficiorum, quæ tunc existebant, redintegrationem secum non ferret. Beneficia tamen, quæ in posterum fundari contingat, regulis in supradicto Concordato præscriptis subjecta erunt.

Art. xiii. Ratificationes præsentis Conventionis mutuo tradentur unius mensis spatio, aut citius si fieri poterit.

Art. xiv. Statim ac prædictæ Ratificationes mutuo traditæ fuerint, Sanctitas Sua per Apostolicas Literas præsentem Conventionem confirmabit, ac deinde aliis Apostolicis Literis Diœcesium fines circumscribet.

CONCORDATA QUOAD BENEFICIA.

Vide verb. Beneficia, art. 11. per tot.

CONCUBINARIUS CONCUBINATUS.

Vide verb. Absolutio, art. 2. a n. 11. *verb.* Luxuria n. 7. *et verb.* Poena, art. 2. a n. 74 ad 81.

CONCURSUS.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I.

1. Concursus, ut legitime, et canonice fiat, servanda est dispositio Sacrorum Canonum, et Apostolicarum Constitutionum, et Decretorum, et signanter dispositio Concilii Tridentini, Sancti Pii V. et Clementis XI. — 2. Affertur dispositio Concilii Tridentini. — 3. Affertur dispositio Sancti Pii V. — 4. Datur dispositio Clementis XI. — 5. Affertur compendiose novissima dispositio Benedicti XIV.

Articulus ii. *Ad quem spectet edicere, ac facere Concursum, et quinam debeant, et possint ad illum admitti?*

1. Concursum edicere spectat ad Episcopum, seu Ordinarium. — 2. Episcopus tamen non potest solus facere Concursum, quando habet Vicarium Generalem sibi Roma missum, sed assistere debet etiam Vicarius. — 3. Et si Vicarius sit Apostolicus, ad ipsum solum, non ad Episcopum, pertinet facere Concursum, sicut et Synodum, et declarare magis idoneum. — 4. Immo, si Episcopus reperiretur suspensus a Jurisdictione, et haberet præservatum Jus conferendi Beneficia, non posset ex approbatis in Concursu Parochialis digniorem præeligere; sed hoc ius pertineret ad Vicarium Apostolicum. — 5. Edicta pro Concursu habendo ad Parochiales vacantes, quarum collatio pertinet ad inferiores Prælatos, qui non habent Territorium distinctum, nec jus congregandi Synodum, debent publicari ab Episcopo, in cujus Diœcesi Parochialis existit: vel ab alio, qui est vicinior, si sit Nullius, et coram eo Concursus fieri, et ad ipsum Episcopum ex dignis digniorem eligere, et inferiori Prælato pro collatione, seu institutione remittere spectat. — 6. Et Prælatus inferior habita significatione, non poterit conferre alteri quam præelecto ab Episcopo. — 7. Abbas, seu Commendatarius, vel alius Prælatus Episcopo inferior, non potest Concursum et examen instituere ad Parochiales existentes intra fines suæ Jurisdictionis, et collationis, quando non habet potestatem congregandi Synodum, et actu non congregat, sed hujusmodi Concursus, et examen spectat ad Episcopum, intra cujus Diœcesis fines existit Abbas; et si non constat intra cujus Diœcesis fines existat, id spectat ad Episcopum viciniorem. — 8. Abbates tamen, seu Commendatarii, aliique Prælati Episcopo inferiores, qui omnimodam habent Jurisdictionem quasi Episcopalem, et proprium habent Territorium, si habeant Jus congregandi Synodum, et legitime constet illam congregasse, et elegisse Examinatores, possunt Concursum instituere, et omnia ad id necessaria facere. — 9. Et hoc in specie competit Abbati Montis Cassini. — 10. Episcopus manutenendus est in sua quasi possessione instituendi Concursum, donec Prælatus inferior coram Judice competente legitime probaverit Jus cogendi Synodum habere, illamque alias coegisse, in æque Examinatores ad præscriptam Concilii formam deputasse. — 11. Unde Episcopus Forosemproniensis uti vicinior, manutenendus est in sua quasi possessione Concursum instituendi in vacationibus Ecclesiarum Parochialium della Ravignana; donec Abbas Classen. legitime probaverit habere tale Jus. — 12. Concursus, qui in vacationibus Parochialibus fieri solet coram Episcopo viciniori, si occasione pestis Civitas illius sit bannita, et aditus præclusus ad eumdem Ordinarium viciniorem, potest prorogari. — 13. Concursus edicta Ordinarii proponere debent in Beneficiis Curatis reservatis Sedi Ap. vacantibus per obitum. — 14. Episcopus instituens Concursum ad formam Concilii, non potest ut suspectus recusari: sed qui se existimaverint gravatos, appellare poterunt a mala Ordinarii electione, seu Judicio, ad effectum devolutivum, non suspensivum. — 15. Vicarius Generalis Episcopi potest, Episcopo impedito, proponere Edictum pro Concursu, et coram se examen indicere. — 16. Immo multi tenent examen Concursus posse fieri coram Vicario Generali, etiam Episcopo non impedito. — 17. Quinimmo potest Vicarius Generalis proponere edictum pro Concursu, etiamsi ipsemet velit examen subire, et Episcopus illi sit Ecclesiam ipsam vacantem collaturus. — 18. Sic etiam Vicarius Capitularis potest Concursum ad Parochiales vacantes, tempore Sedis vacantis, facere. — 19. Capitulum nullam habet auctoritatem in his examinibus, sed debet constituere officialem, seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi. — 20. Is Vicarius sic constitutus potest obire illa omnia, quæ obeunda essent ab Episcopo, et debet indicere Concursum, uti faceret Episcopus. — 21. Deinde examinare debet Concurrentes, adhibitis saltem tribus Examinatoribus, quorum votis, si paria, aut singularia fuerint accedere poterit ipse Vicarius, quibus magis ei videbitur. — 22. Idem Vicarius debet curare, ut singulis annis a Diœcesana Synodo probentur Examinatores saltem sex. etc. — 23. Novus semper Concursus, et novum examen, novaque approbatio requiritur singulis vicibus pro quacumque Parochiali vacante; nec sufficit unus solus Concursus pro pluribus Parochialibus. — 24. Examinatores ex pluribus examinatis, non unum solum, sed plures, quos judicaverint idoneos, significabunt Vicario, et ex istis solus Vicarius eliget, quem cæteris magis idoneum judicaverit. — 25. Hæc enim facultas nullo modo Examinatoribus competit. — 26. Ipse solus Vicarius absque Examinatoribus scribit Literas ad Sanctissimum D. N. — 27. Ad quem Collatio Parochialis spectabit. — 28. Capitulum, aut Decanus Cathedralis non potest indicere Concursum, nec alia ad id necessaria obire, sed omnia spectant ad Vicarium Capitularem. — 29. Multo magis idem Capitulum abstinere debet a conferendo Parochialem vacantem in Commendam temporalem ei, qui magis idoneus fuerit judicatus. — 30. Maxime etiam cavere debet, ne concedat omnes fructus ipsius Pa-

Digitized by Google

rochialis eidem, dicta Commenda durante. — 31. Concilium enim hæc omnia prohibuit, dum statuit debere Episcopum statim habita notitia vacationis Parochialis, idoneum in ea Vicarium cum congrua fructuum portione constituere, quod munus, Sede vacante, spectat ad Vicarium Capitularem. — 32. Nec ipse Vicarius Capitularis potest constituere Vicarium in Parochia eum, quem magis idoneum in Concursu judicaverit; sed debet omnino a principio vacationis, et antequam fiat Concursus, constituere in ea alium Vicarium, qui curam animarum interea gerat, donec Parochialis fuerit a Sede Apostolica magis idoneo collata. — 33. Ad Concursum Parochialium non tantum Diœcesani, sed etiam exteri debent admitti, nisi adsit aliquod privilegium, quod Beneficia non conferantur exteris. — 34. Ad Concursum debent admitti tam exteri, quam Originarii, etiamsi habeant aliud Beneficium Curatum. — 35. Nec Episcopus prohibere potest Curatis, ne accedant ad Concursum aliarum Parochialium. — 36. Originarius tamen, et de gremio Ecclesiæ est semper cæteris paribus præferendus extraneo. — 37. Immo secundum multos, dignus de gremio Ecclesiæ potest eligi posthabito digniore extraneo. — 38. Regulares omnes, quamvis sint Canonici, sive Præmonstratenses, sive Lateranenses, sive quicumque alii Canonici Regulares, non sunt admittendi ad Concursus Parochialium sine dispensatione Apostolica. — 39. Afferuntur ad id plures declarationes Sacræ Congreg. Concilii; *ad num.* 40. — 41. Afferuntur ad id etiam declarationes Gregorii XIII et Clementis VIII. *ad n.* 42. — 43. Affertur ad Literam Decretum Clementis X, cum derogatione omnium privilegiorum, et consuetudinum etiam immemorabilium; non obstante etiam formula Professionis. — 44. Licet autem hoc Decretum Clementis X, respiciat solos Canonicos Lateranenses, tamen vere, et realiter complectitur omnes alios Canonicos Regulares; *ad n.* 50. Vid. verb. *Habitus n.* 69. — 51. Canonici Regulares omnes multo magis absque dispensatione speciali Apostolica sunt incapaces ad obtinenda Beneficia sæcularia non Curata. — 52. Afferuntur ad id Decreta Sacræ Congregationis, et responsio Gregorii XIII. *ad n.* 54. — 55. Unde hæc incapacitas Canonicorum Regularium ad quæcumque Beneficia sæcularia efficit, ut si obtineatur aliquod Beneficium ab Ordinariis absque dispensatione Apostolica, ipsa institutio sit ipso Jure nulla, et possit denuo uti vacans impetrari per alium; *ad n.* 56. — 57. Possunt tamen Regulares, et a fortiori ipsi Canonici Regulares assumi in Parochos sine dispensatione Apostolica in Parochiis eorumdem Monasteriorum, vel membris omnimode illis subjectis. — 58. Et posse sic deputari Regulares in Parochos dictarum Parochialium pluries probavit Sacr. Congregat. Conc. — 59. Nec possunt cogi ipsi Regulares deputare Sacerdotem sæcularem in simili Parochia subjective unita ipsorum Monasterio: sed libere sine alia dispensatione possunt Regulares Superiores in similibus suis Parochiis deputare pro Parochis suos Religiosos ad eorum nutum amovibiles. — 60. Nec ipsi Religiosi ad exercitium talis Curæ, seu Parochiæ deputati, possunt reclamare, si ab ipsis removeantur. — 61. Neque possunt Congruam pro Curato sæculari taxatam a Monasterio petere, nisi quantum indigent ad propriam, et onerum Ecclesiæ sustentationem, et totum id, quod superest, debetur fideliter a Curato Religioso suo Monasterio. — 62. Alia ad rem. *Remissive.* — 63. 70. An exclusio a Concursu operetur nullitatem ipsius Concursus independenter a reclamatione exclusi.

Articulus III. *Concursus, quando, ubi, et quomodo faciendus?*

1. Eveniente alicujus Parochialis Ecclesiæ vacatione debet Episcopus statim illius vacationis habita notitia, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua fructuum portionis assignatione constituere. — 2. Verba illa, *si opus fuerit*, addita sunt ad excludendum casum, quo in eadem Parochiali Ecclesia adessent alii Ministri Sacramentorum, qui interea Curam illam, quæ ad defunctum spectabat, exercerent. — 3. Illa dictio, *statim*, videtur importare, quod Episcopus non possit in longum differre, sed quantocius debere hujusmodi Vicarium constituere, saltem intra triduum a die habitæ notitiæ vacationis. — 4. Episcopus potest differre Concursum usque ad sex menses, si Parochialis in suo mense vacaverit; et usque ad quatuor, si vacaverit in mense Sedi Apostolicæ reservato. — 5. Isti sex, vel quatuor respective menses concessi ad conferendam Parochialem, incipiunt currere non a die vacationis Parochiæ, sed a die scientiæ vacationis. — 6. Sic etiam tempus quatuor mensium concessum Episcopis ad provisionem faciendam de Parochialibus ad Papæ collationem spectantibus, non currit, nisi a die notitiæ habitæ vacationis. — 7. Tempus sex, vel quatuor respective mensium concessum Episcopis ad conferendas medio concursu Parochiales vacantes, currit ipsis Episcopis etiam, quando accedunt ad Concilium Provinciale. — 8. Pendente termino sex, vel quatuor respective mensium, debet Episcopus proponere Edictum Concursus intra decem dies, vel aliud tempus a se præfigendum. — 9. Dies in edicto pro Concursu ab Episcopo præscripti possunt prorogari usque ad 20. dies, sed non ultra. — 10. Non tenetur tamen Episcopus terminum Concursus prorogare, sed bene facit prorogando. — 11. Si vero justa causa proroget Concursum ad Beneficia, hujusmodi prorogatio est publicanda, alioquin Concursus erit nullus. — 12. Concursus habitus infra terminum decem dierum non est nullus; si nemo post examen comparuit, qui se læsum prætendat. — 13. Idem dicendum est, si aliqui examinati fuerint infra decem dies, alii vero post, ita ut nullus ex Concurrentibus remanserit non examinatus. — 14. Tempus, quo debet esse affixum Edictum, est arbitrarium Episcopo, modo non excedat viginti dies. — 15. Dies certa examinis Concurrentium, et propositi Edicti, debet apponi in Literis citatoriis Concursus, alias ipse Concursus vitiaretur. — 16. Non debet amplius audiri, seu examinari, qui nullo detentus legitimo impedimento non comparuit in tempore Concursus præscripto. — 17. Qui tamen ratione legitimi impedimenti non comparuit in tempore Concursui præfixo, debet post terminum Edicti, re adhuc integra, ad Concursum admitti, etiam reclamantibus aliis oppositoribus. — 18. Ante lapsum terminum Edicti, nullus est Concursus, si post ipsum compareat aliquis, qui se læsum propterea prætendat. — 19. Unde examen, statim elapso termino Edicti, potest per Episcopum inchoari: sed potest eadem die claudi, ubi plures fuerunt descripti; alioquin vitiabitur Concursus, si ex pluribus descriptis unus, aut non omnes examinentur, et eis non expectatis, claudatur Concursus. — 20. Uno tantum comparente ex pluribus descriptis, fieri potest Concursus, nec est opus ut proponatur secundum Edictum. — 21. Quando unus tantum se describi facit, nec alii comparent oppositores ad se describi faciendum, fieri potest Concursus; nec opus est alio Edicto, aut termini prorogatione. — 22. Quando nullus ad Concursum comparuit, aut certe nullus ex comparentibus vult subire examen, Episcopus assignare debet aliud tempus, sive Edictum, et si adhuc nemo compareat, vel alias nemo idoneus reperiatur, tunc conferre potest sine Concursu. — 23. Edictum Concursus debet proponi ab Ordinario loci, ubi existit Beneficium Curatum vacans, et ibidem est examen peragendum, etiamsi Beneficium ab Ordinario alterius Diœcesis sit conferendum. — 24. Episcopus Civitatum unitarum, potest Concursum facere in Civitate, in qua reperitur, modo cum interventu Examinatorum Diœcesis, in qua sita est Parochialis. — 25. Concursus Parochialium vacantium in Abbatiis, Commendis,

Digitized by Google

aliisque locis subjectis Prælatis non habentibus jus congregandi Synodum, debet fieri in Civitate residentiali vicinioris Episcopi, cum ad ipsum spectet talium Parochialium Concursum edicere, et convocare. — 26. Adeo ut, si Civitas vicinioris Episcopi, occasione Pestis v. g. sit bannita, et aditus sit præclusus ad eumdem Episcopum viciniorem, detur potius facultas prorogandi tempus Concurrentium, quam Concursum permittere in loco subjecto Abbati, seu alio inferiori Prælato non habenti jus congregandi Synodum, et Examinatores Synodales eligendi. — 27. Immo, si Episcopus ipse sit Abbas, seu Commendatarius Abbatiæ nullius Diœcesis, non potest ibi concursum facere, sed debet concursum convocare in sua Diœcesi. — 28. Potest tamen Episcopus, in quocumque loco existat, etiamsi extra locum examinis sit, et etiam absentibus Examinatoribus, eligere magis idoneum. — 29. Examen Concurrentium debet fieri ab Episcopo, vel ipso impedito, ab ejus Vicario, et aliis Examinatoribus Synodalibus, non paucioribus quam tribus. — 30. In Concursu possunt adhiberi plus quam tres Examinatores Synodales, sed non pauciores. — 31. Examinatores ad minus sex debent eligi quotannis in Synodo Diœcesana. — 32. Examinatores Synodales in Synodo ad summum viginti eligi possunt. — 33. Examinatores electi in Synodo perdurant usque ad novam Synodum, licet quolibet anno celebretur. — 34. Si Examinatores ante celebrationem alterius Synodi moriantur, vel in longinqua recedant, sive omnes, sive tot, ut non remaneant sex, Episcopus cum approbatione Capituli subrogabit alios æque idoneos, dummodo semper utatur existentibus; et hoc infra annum a Synodo celebrata; elapso enim anno, talis facultas, et eorum auctoritas expirat. — 35. Hodie tamen occurrente casu, peti solet facultas a Sacra Congregatione. — 36. Examinatores Synodales eligi debent, qui sint Magistri, seu Doctores aut Licentiati in Theologia, vel Jure Canonico, si extent, alioquin alii Clerici sunt eligendi, qui ad id videbuntur magis idonei; *ad n.* 38. — 39. Tales electi Examinatores debent ad Sancta Dei Evangelia jurare, se fideliter munus suum executuros. — 40. Hoc juramentum est de forma substantiali, eoque deficiente, Examinatores non dicuntur legitimi, et Concursus factus coram eis ante præstitum juramentum, est nullus. — 41. Sufficit tamen ad validitatem Concursus, quod hoc juramentum sit semel præstitum, sive in synodo, sive extra Synodum. — 42. Concursus est nullus, in quo cum Examinatoribus Synodalibus, alius intervenit, qui non erat de Synodalibus, isque examinavit; *ad n.* 43. — 44. Si vero Examinatoribus Synodalibus intersit aliquis, qui non sit Examinator Synodalis, isque post examen interrogat tantum honoris causa, nec det Votum, nec se subscribat, Concursus est validus. — 45. Concursus est nullus, ubi fuerunt adhibiti Examinatores deputati in Synodis præcedentibus, et non confirmati in Synodo posteriori. — 46. Examen factum sine Synodalibus Examinatoribus in collatione Jurispatronatus Ecclesiastici, seu Laicalis, vel mixti, quando plures præsentantur, est nullum. — 47. Episcopus non habet votum decisivum in Concursu, sed tantum accedit, ubi vota sunt paria · aut singularia. — 48. Aprobatus autem nemo censetur, si ex tribus Examinatoribus quilibet eorum unum approbaverit, aut alii duo approbatum ab altero reprobaverint, licet Episcopus uni accedat. — 49. Idem dicendum, quando sunt quinque Examinatores, et quilibet eorum approbat unum ex examinatis, et cæteri quatuor reprobant approbatum ab altero: tunc enim nemo approbatus censetur, licet Episcopus uni accedat. — 50. Idem etiam dicendum, si unus tantum compareat ad se examinandum coram tribus Examinatoribus, uno illorum approbante, et aliis duobus reprobantibus, quia illi non potest accedere Episcopus. — 51. Non spectat ad Examinatores, sed ad Episcopum solum judicare, et eligere, qui ex Concurrentibus ad Parochiam vacantem sit magis idoneus. — 52. Rejectus in Concursu Parochialis potest provocare ad novum examen coram Judice appellationis, etiam antequam doceat de irrationabili judicio Episcopi. — 53. Et sic est intelligenda Constitutio Sancti Pii V. — 54. Et sic pariter fuit declaratum, quod novus Concursus dandus sit in Urbe, ubi fuit appellatum a mala Episcopi electione; et ad eamdem Urbem novo concursu vocandus sit præelectus ab Episcopo. — 55. Immo, quia in casu illius decisionis Sacræ Congregationis præelectus noluit accedere, eadem Sacra Congregatio mandavit significare D. Datario, ut expediret Bullas ad favorem appellantis, amoto a Beneficio detentore. — 56. Dato, quod Examen omnium Concurrentium una die fieri non possit, poterit in alia continuari; si vero aliqua suspicio sit, quod examinandi secunda die veniant in cognitionem examinis præcedentis, nova tunc poterunt fieri interrogatoria. Nunc autem servanda est novissima dispositio Clementis XI. et Benedicti XIV. — 57. Canonicatus Pœnitentiariæ et Canonicatus Theologalis debet nunc conferri per concursum. — 58. Quoad Parochiales et Beneficia, quæ debent conferri per Concursum, vel non. *Remissive*, ad 60. — 61. Terminus decem dierum, et ad summum viginti dierum, qui prorogari ab Episcopo regulariter nequit, non est pro perfectione Concursus, sed pro convocatione eorum, qui concurrere volunt. — 62. Unde etiam elapso termino illo, liberum Episcopo est, differre Concursum usque ad ultimam diem semestris. — 63. Quod si Episcopus in edicto pro convocatione nullam habuit mentionem de die, quo Concursus convocandus esset, debet omnibus, qui in Albo Concurrentium se descripserunt, notificare diem hunc *per personalem citationem*. — 64. Consuetudo est, ut Clericus ille velut aptior ad Beneficium obtinendum approbetur, qui ex majori Synodalium Examinentium parte magis reputatur idoneus. — 65. Qui mos fere apud omnes Episcopos inolevit. — 66. Sed cum non omnis consuetudo faciat doctrinam probabilem amplectendam. — 67. In Episcopi arbitrio posita est illius Concurrentis electio, cui etiam major Examinatorum numerus suis renuat votis. — 68. Cui doctrinæ favet Jus Civile, et Canonicum. — 69. Quæ regula servari poterit ab Episcopo etiam in aliis publicis consulentium Doctorum congressibus ad id genus alia institutis. — 70. Ab Episcopo potest unius tantum opinio eligi, et probari in quocumque eventu, relicta multorum opinione contraria.

1. Quia Concursus ad Parochiales debet omnino fieri juxta dispositionem Sacri Concilii Tridentini *sess.* 24. *cap.* 18. et juxta dispositionem Constitutionis Sancti Pii V. incip. *In conferendis*; ut ab omnibus in promptu, et præ oculis semper tamquam regula habeatur, utraque ipsa dispositio hic ad literam in primis adducitur. (2. Expedit maxime (sunt præcisa verba Concilii *loc. cit.*) expedit maxime animarum saluti, a dignis, atque idoneis Parrochis gubernari: id ut diligentius, ac rectius perficiatur, statuit Sancta Synodus, ut Parochialis Ecclesiæ vacatio, etiamsi cura Ecclesiæ, vel Episcopo incumbere dicatur, et per unum, vel plures administretur, etiam in Ecclesiis patrimonialibus, seu receptivis nuncupatis, in quibus consuevit Episcopus uni, vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infrascriptum examen teneri mandat, per obitum, vel resignationem, etiam in Curia, seu aliter quomodocumque contigerit etiamsi ipsa

Digitized by Google

Parochialis Ecclesia reservata, vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter, etiam vigore indulti, seu privilegii in favorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, seu Abbatum, vel Capitulorum: debeat episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur: Porro Episcopus, et qui Jus Patronatus habeat, intra decem dies, vel aliud tempus, ab Episcopo præscribendum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Ecclesiam coram deputandis Examinatoribus nominet. Liberum sit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut possit postea de cujuslibet ætate, moribus, et sufficientia fieri diligens inquisitio; et si Episcopo, aut Synodo Provinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per Edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Transacto constituto tempore omnes, qui descripti fuerint, examinentur ab episcopo, sive eo impedito, ab ejus Vicario generali, atque ab aliis Examinatoribus, non paucioribus quam tribus; quorum votis, si pares, aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur; Examinatores autem singulis annis in Diœcesana Synodo ab Episcopo, vel ejus vicario ad minus sex proponantur, qui synodo satisfaciant, et ab ea probentur; adveniente que vacatione, etc., reliqua brevitatis gratia vid. *in d. cap.* 18.

(3. In conferendis (sunt præcisa verba dictæ Constitutionis S. Pii V.) in conferendis Beneficiis Ecclesiasticis, et præsertim Parochialibus Ecclesiis personis dignis, et habilibus, quæ in loco residere, et per se ipsos curam exercere valeant quantam diligentiam adhiberi oporteat, Alexand. III. in Lateranensi, et Gregorii X. in Lugdunensi Generalibus Conciliis, Innocent. similiter III. et aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum editæ Constitutiones testantur; quod ut diligentius ac rectius perficiatur, statuit etiam Synodus Tridentina, ut occurrente vacatione Parochialis Ecclesiæ, etiam generaliter, et specialiter, etiam vigore indulti in favorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, aut alias quomodolibet reservatæ, vel affectæ, debeat Episcopus habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur. Et deinde Episcopus, et qui Juspatronatus habet, intra decem dies, aut aliud tempus ab Episcopo præscribendum, aliquos Clericos ad regendam Ecclesiam idoneos Examinatoribus juxta formam ejusdem Synodi deputatis, nominet; et nonnisi eisdem Examinatoribus per Concursum aliorum Examinatorum, etiam tamquam magis idoneo ab Episcopo judicato, et electo de Ecclesia provideatur, alias provisiones, seu institutiones omnes, præter formam prædictam factæ, subreptitiæ censeantur. Sed quoniam res humanæ semper in deterius prolabuntur, nisi sit qui eas retineat, ac debitæ executioni demandet, et verendum sit, ne propter Constitutionum hujusmodi transgressionem maximi abusus oriantur; Nos, ad quorum notitiam non sine gravi molestia pervenit, nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, et Episcopis occurrente vacatione Paroch. Ecclesiarum, eas nullo, aut minus rite servato examine, præsertim illo, quod per concursum fieri debet ex Concil. Trident. vel etiam examine rite servato, personis minus dignis, carnalitatis, aut aliæ humanæ passionis affectum, non rationis judicium sequentes contulisse, et de eis providisse; volentes, quantum cum Deo possumus, hujusmodi, atque etiam futuris periculis occurrere, eorumdem Prædecessorum nostrorum Constitutiones præfatas etiam innovando, auctoritate Apostolica tenore præsentium omnes, et singulas collationes, provisiones institutiones Parrochialium Ecclesiarum ab eisdem Episcopis et Archiepiscopis, quibusvis aliis collatoribus, tam Ordinariis quam Delegatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac Sedis Apostolicæ Legatis, vel Nunciis, præter, et contra formam ab eodem Concilio Tridentino præsertim in examine per concursum faciendo præscriptam, factas, aut in futurum faciendas, nullas, irritas, ac nullius roboris, vel momenti, fore, et esse, nullumque provisis Jus, aut titulum, etiam coloratum possidendi præbere; et Parochiales Ecclesias hujusmodi, quæ vacabant, ex tunc vacare statuimus, decernimus et declaramus, easque omnes eorum, quibus Jus conferendi eas, præterquam Episcopis et Archiepiscopis, qui curam dicti examinis juxta decretum ejusdem Concilii habere debent, competet, dispositioni reservamus. Insuper ne Parochiales Ecclesiæ diu in suspenso maneant, in maximum animarum periculum, quarumcumque Parochialium Ecclesiarum, quarum, dum pro tempore vacant, ad Episcopos, et Archiepiscopos, Primates, et Patriarchas, et quosvis alios Ordinarios Collatores, in mensibus Ordinariis Collatoribus etiam per nostras regulas assignatis provisio, et collatio spectat, et pertinet, de quibus eisdem Episcopi, et Ordinarii intra sex mensium spatium a die vacationis earumdem, perfecto examine, juxta formam Concilii Tridentini præfati, non providerint, ac illarum etiam, quarum collationes Nobis, et dictæ Sedi generaliter, vel specialiter ex quavis causa reservatæ, seu affectæ existunt, aut aliis ex indulto Sedis Apostolicæ competunt, ad quas occurrente illarum vacatione Episcopi, et Archiepiscopi præfati personas pro examine concursu mutuo habito juxta dicti Concilii Tridentini formam approbatas, et magis idoneas non elegerint, aut electas Nobis vel Successoribus nostris, aut iis, ad quos collatio spectabit pro collatione obtinenda, intra quatuor mensium spatium a die illius vacationis non significaverint, necnon

Digitized by Google

Parochialium Ecclesiarum similium, quæ Juris Patronatus Ecclesiastici, vel Laicorum vel Clericorum, et Laicorum simul fuerint, si præsentatus intra tempus eisdem patronis a Jure præfixum, prævio examine juxta formam dicti Concilii approbatus petatur institui, institutioque ipsa per duos menses a die præsentationis dilata fuerit, collationem, provisionem, institutionem, ac omnimodam dispositionem Nobis, et ipsi Sedi, ac personis indulta hujusmodi conferendi, providendi ac instituendi obtinentibus respective reservamus, data tamen in Parochialibus Jurispatronatus optione ipsis Patronis, ut si institutio ad Ordinarios spectabit, ipsis Ordinariis illam facere negligentibus, et ultra dictos duos menses differentibus, possint pro hujusmodi institutione obtinenda habere recursum ad Metropolitanum, vel viciniorem Ordinarium, aut ad Sedem Apostolicam : Prohibentes etiam eisdem Ordinariis, ne tempus decem dierum eisdem Ordinariis, et Patronis, ab eodem Concilio Tridentino ad nominandum idoneos Clericos coram deputatis Examinatoribus præfixum, ultra alios decem dies prorogare audeant, vel præsumant. Districtius inhibentes, ne quis præter Romanum Pontificem aut alios Indulta hujusmodi obtinentes, ut præfertur, quacumque sit super hoc auctoritate munitus, de hujusmodi Beneficiis sic reservatis ut præfertur, disponere, vel circa illa, etiam per viam permutationis, vel alias innovare quoquomodo præsumat. Ut autem non solum dignis, sed magis idoneis repertis juxta ejusdem concilii decretum Parochiales Ecclesiæ conferantur, volumus, et eadem auctoritate declaramus, quod si Episcopus minus habilem, posthabitis magis idoneis elegerit, possint ii, qui rejecti fuerint, a mala electione hujusmodi ad Metropolitanum, vel si ipse eligens Metropolitanus aut exemptus fuerit, ad viciniorem Ordinarium uti nostrum, et Sedis hujusmodi Delegatum, aut alias ad ipsam Sedem Apostolicam appellare, ac præelectum ad novum examen coram ipso appellationis Judice, et ejus Examinatoribus provocare, et constito de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis magis idoneo per eumdem Judicem appellationis auctoritate nostra (quatenus collatio ad Episcopum, a quo appellatum fuit, spectaret) conferantur; alias eidem magis idoneo per Judicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio, provisio, vel institutio spectabit. Hæc tamen appellatio interposita interim non impediat, aut suspendat, quo minus electio per Ordinarium primo loco facta interim debitæ demandetur executioni, et provisus ab eadem Ecclesia, causa appellationis hujusmodi pendente, non amoveatur. Et si quis a sententia per Judicem appellationis lata duxerit appellandum, is tunc ad Sedem ipsam Apostolicam appellabit; si secus in præmissis omnibus, et singulis actum, et attentatum fuerit, irritum decernimus, et inane. Volumus autem, quod præsentium transumptis manu alicujus Notarii, etc. Datum Romæ anno ab Incarnatione Dom. 1566. 15. Kal. Apr.

(4. *Epistola Encyclica methodum, ac normam præscribens observandam ab omnibus Episcopis, aliisque Prælatis facultatem habentibus indicendi concursum ad Parochiales Ecclesias, in examine, sive concursu ad easdem Ecclesias quoties earum vacatio contigerit, instituendo.*

Reverendissime Domine uti Frater; quo Parochiales Ecclesiæ dignioribus personis gubernandæ traderentur, statuit, ut notum est, Sacrosancta Tridentina Synodus *sess.* 24. *c.* 18. ut vacante Ecclesia Parochiali, indiceretur, et fieret Concursus, ac postquam Concurrentes ab Episcopo, vel ejus Vicario Generali, atque ab Examinatoribus Synodalibus saltem tribus examinati, et approbati essent, Episcopus eum eligeret, quem ætate, moribus, doctrina, prudentia, aliisque rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam necessariis, et opportunis, digniorem cæteris, magisque idoneum judicaret; adjecitque ad hanc Concilii sanctionem validius confirmandam, re, et nomine Sanctissimus Pontifex Pius V. quod si unquam Episcopus minus habilem, postpositis magis idoneis, elegisset, possint ii qui rejecti essent a mala ejusmodi electione ad Metropolitanum, vel si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus foret, ad viciniorem Ordinarium, ut Sedis Apostolicæ Delegatum, vel alias ad ipsam Sedem Apostolicam appellare, ac Præelectum ad novum examen coram ipso appellationis Judice, et ejus Examinatoribus provocare, ea tamen cautione, ut appellatio non in suspensivo, sed in devolutivo esse deberet; quemadmodum in ejus constitutione, quæ trigesima tertia est, latius cavetur; consulendo, quod constito de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis Ecclesia magis idoneo conferatur.

Cum autem neque Concilii Decreto, neque Pontificis Bulla examinis in concursu peragendi forma, seu methodus ulla certa, ac peculiaris servanda proponatur, difficile dictu est, quanta examinum aliorum alibi diversitas extiterit, atque hinc occasio querelarum; nam alicubi cum non eædem omnibus quæstiones, non iidem casus propositi fuissent; erant identidem, qui vel in judicio, vel extra conquererentur; sibi quidem postpositis difficiliores, præelecto autem faciliores ad solvendum quæstiones obtigisse Alibi vero eædem quidem omnibus quæstiones propositæ fuerunt, sed neque hæ, neque datæ a concurrentibus responsiones scripto, seu literis consignabantur. Cumque postmodum nec raro contigeret, ut e postpositis quispiam Jure Bullæ supradictæ novum ad examen coram Judice appellationis, ejusque Examinatoribus electum provocaret, Sacra Congregatio usque ab anno 1603, considerans gravamen non alia ratione, quam novo examine probari posse; provocationem ad novum examen censuit admittendam, gravamine necdum probato, et requisitis tantummodo probationibus in

Digitized by Google

subsequenti judicio, in quo probato per novum examen appellationis gravamine quo ad doctrinam, probanda superest ejusdem præ jam electo in reliquis ad regendam Ecclesiam requisitis præstantia, ut de majori alterutrius ad Parochialis Ecclesiæ gubernium idoneitate sententia ferri possit, cum non continuo, si quis est doctior, is etiam aptior, seu magis idoneus ad id regimen habeatur, vel etiam habendus sit. Quam Sacræ Congregationis sententiam scriptores, et Tribunalia laudarunt. Aliis demum in Diœcesibus laudabilis invaluit consuetudo, ut eædem omnibus quæstiones, iidemque casus proponantur; ac (ne qua detur ansa Cancellario quidquam suo marte addendi, minuendi, mutandi) ut ipsimet Concurrentes quæ interrogati fuerint, quæque responderint, sua manu perscribant; atque Ordinarii, qui morem hunc longe optimum in examinando tenuere, Sacræ deinde Congregationi etiam atque etiam considerandum reliquerunt, his, qui sic examinati essent, atque postpositi, in posterum, ut solent, appellantibus, indulgenda nec ne statim electi novum ad examen provocatio, nulla gravaminis prærequisita probatione, videretur; cum isti ex actis primi examinis gravamen doctrinæ facile alioquin probare possent; quod alii aliter nimirum examinati probare, nisi secundo seu novo examine, non poterant. Nec defuere alii probitatis ac peritiæ in administrandis diu Ecclesiis laude præstantes, qui monerent, frænum aliquod hujusmodi appellantium licentiæ tandem injiciendum, eorumque jam nimis crebras novum ad examen provocationes esse reprimendas; quippe quæ vix unquam sine magno Ecclesiarum damno contingunt. Nam cum novum examen coram Judice appellationis longe procul a Parochia peragendum sit electus ab Episcopo, qui provocatur, Parochiam, quam possidet, cogitur interea temporis deserere, eamque OEconomo, vel Vicario cuipiam veluti sponsam ignotis Custodibus relinquere, Sponso non parumper, sed diu sane abfuturo, dum neque implicita, ut fit, lite, terna etiam, vel quaterna, alia et aliis examina super præstantia primum doctrinæ, tum deinde aliorum, quæ ad integrandam idoneitatem opportuna sunt, contentiose multiplicentur, et commode, ne dicam otiose, transigantur, antequam deliberari possit, utri concurrentium Parochia sit adjudicanda.

Ad tollendam ejusmodi non minus querelarum, quam incommodorum occasionem, Sac. Congreg. Concilii Tridentini interpres, postquam rem omnem a capite repetitam in gemina cessione prima Octobris, et 16 Novembris 1720. summo studio recognovit, tandem, Sanctissimo etiam annuente statuit (quod per præsentes Literas encyclicas exequitur) omnes, et singulos Episcopos, aliosque Prælatos, penes quos sit Jus, et auctoritas faciendi Concursum, hortari, ut examen ejusmodi instituere non graventur, quale jam, et multæ Diœceses, et Urbs ipsa observat, atque Apostolica etiam Dataria postulat, sive cum, Sede vacante, vacat Ecclesia aliqua Parochialis, cujus collatio ad Sedem Apostolicam pertineat, sive cum vacat Parochialis aliqua, ut dicitur juxta decretum, sive demum cum vacante in Collegiatis, aut Cathedralibus Ecclesiis Dignitate aliqua majori, annexam habente curam animarum, faciendus est Concursus, atque ad Apostolicam Datariam transmittendus, ut notum est atque in literis, quæ de ordine Sanctissimi tunc e Dataria prodeunt, clare præscribitur.

Vacante itaque Ecclesia Parochiali, quæ conferenda sit per Concursum, atque hoc solitis formulis indicto, hæc, quæ sequuntur ex Sacræ Congregationis sententia, consilio, suasione, servanda proponuntur.

Primum nempe, ut assignentur eædem omnibus Concurrentibus quæstiones, iidem casus, idemque textus Evangelii; super quo Sermonis aliquid præscribant ad probandam dicendi pro Concione facultatem.

Alterum, ut Casus, et Quæstiones resolvendæ dictentur omnibus pariter eodem tempore, atque omnibus pariter eodem tempore textus Evangelii tradatur.

Tertium, ut certum idemque omnibus spatium temporis constituatur, intra quod casus resolvant, Quæstionibus respondeant, Conciunculam component.

Quartum, ut eodem Concurrentes omnes in Conclavi claudantur, unde, quandiu scribent (dabitur enim omnibus scribendi copia) nemo eorum egredi, neque alius quispiam eo ingredi possit, nisi postquam scripta confecerint, et exhibuerint.

Quintum, ut omnes sua quisque manu tum responsa, tum sermonem scribant subscribantque.

Sextum, ut responsa quidem latine, sermo autem ea, qua ad populum haberi solet, lingua scribatur.

Postremum, ut unumquodque responsum, et unusquisque sermo, cum ab unoquoque Concurrentium exhibebitur, non solum ab eo, qui scripsit, atque a Cancellario Concursus, verum etiam ab Examinatoribus, et ab Ordinario vel ejus Vicario, qui concursui interfuerint, subscribatur.

Peracto secundum hanc formulam Concursu, collataque ei, qui magis idoneus, ac dignior judicatus fuerit, Ecclesia Parochiali, non admittatur Appellatio, aut a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili judicio Episcopi, nisi intra decem dies Collationis interponatur.

Si quis autem hoc infra spatium appellaverit, Actaque Concursus petat ad Judicem Appellationis trasferenda; mittantur vel Acta ipsa originalia Concursus clausa, et obsignata, vel certe unum aliquod authenticum eorum Exemplum a Cancellario Concursus, atque altero Notario collatum, et auscultatum coram Vicario, vel alio in Ecclesiastica Dignitate constituto, quem eligat Ordinarius, ad quem etiam Notarii Cancellario, adjungendi electio pertinebit, nec

Digitized by Google

non ab Examinatoribus Synodalibus, qui Concursui interfuerunt, subscriptum.

Ex quibus actis, vel authentico eorum exemplo, nisi gravamen quoad doctrinam probet is, qui sic, ut præmittitur, examinatus aut a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili judicio Episcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem a Sacra Congregatione frustra postulabit.

Quemadmodum, et in judicio appellationis persequi Jus suum frustra tentabit is, qui forte se gravatum doleat quoad reliqua, nisi interposita mature, ut dictum est, appellatione ab irrationabili judicio Episcopi, gravamen quo ad illa ostenderit, vel ex actis primi Concursus, vel saltem ex attestationibus, et documentis extrajudicialibus etiam, sed non levibus.

Atque ita quidem sensit Sac. Congregatio, et Sanctissimus assensit. At si quis tamen Ordinariorum aliter, ac supra descriptum est, Concurrentium examina instituere perrexerit, perget et Sacra ipsa Congregatio more pristino Appellantibus, qui se gravatos dixerint, provocationem ad novum examen nulla gravaminis prævia probatione, indulgere. Interim tamen ne harum Literarum memoria dilabatur, vult eadem Sacra Congreg. eas in uniuscujusque Ordinarii Cancellaria perpetuo conservari. Cujus interea consilium, et voluntatem dum ego omnibus significo, Amplitudini tuæ fausta omnia e Cœlo precor. Romæ hac die 10. Januarii 1721.

Uti Frater.

P. M. Card. Corradinus Præfectus.

P. Lambertinus Secretarius.

(5. Quo ad concursum Parochialium attendenda est novissima Const. Bened. XIV. incip. *Cum illud*, in qua inter alia præscribit, quod Examinatores non solum attendant in concurrentibus Doctrinæ peritiam, sed etiam inquirant, qui præ aliis ætate, prudentia, probitate morum, præstito antea Ecclesiæ servitio, cæterisque dotibus ad Officium Parochi cumulate obeundum necessariis, essent idonei, et commendabiles. Et ne ab Examinatoribus ignorari possint supradictæ qualitates, præcipit quod Concurrentes ante Concursum intra terminum ab Episcopo assignatum, coram Cancellario Episcopali, vel alteri ab episcopo deputando, suarum qualitatum, meritorum et munerum probationes, attestationes, tam judiciales, quam extrajudiciales, aliaque id genus documenta, quæ fraude vacent, exhibeant; alioquin dicto termino elapso, documenta hujusmodi quæcumque, et qualiacumque ea sint, nullatenus recipiantur. Et eveniente die Concursus a Cancellario Episcopali singulorum merita, qualitates, et requisita (ut vocant) incorrupta fide deprompta a juribus tempore habili exhibitis, in scriptis, summatim redigantur, et copia Epitomes tradatur non solum Episcopo, vel Vicario Generali vices illius obeunti, sed singillatim

omnibus Examinatoribus ad concursum adscitis, ut tum de scientia, tum de vita, moribus, aliisque regendæ Ecclesiæ necessariis dotibus ferant judicium. Absoluto concursu, Notula compendiaria requisitorum antea distributa, tradatur Cancellario, qui illam comburat, vel penes Acta custodiat, et nemini ostendat, nisi de mandato Episcopi. Et demum circa Beneficia Sanctæ Sedi reservata, mandat quod ipsis vacantibus Concursus semper ab Episcopo indicatur, et absoluto Concursu, si res sit de Beneficiis Curatis, *quæ tantum ratione Mensium reservata sint*, Episcopus inter approbatos eligat magis idoneum, et Datariæ significet, nec acta Concursus transmittat, nisi a Dataria, cum id opportunum duxerit requirantur. Sin vero dicta Beneficia quibus Cura imminet Animarum, *ex alio quovis capite quam Mensium Apostolicorum S. Sedi reservata sint;* Eo sane casu, veteri non immutato more, abstineat Episcopus a ferendo dignioris judicio, et Acta Concursus ultro Datariæ exhibeat. Licebit tamen Ordinariis pro suo arbitrio, familiaribus Literis Datario scriptis, eidem denunciare Personam, quam censent regendæ Ecclesiæ magis idoneam, eumdemque commonere, an occulta aliqua, et in Actis juste reticita subsit causa, quæ cuipiam obstet ad Beneficium Curatum obtinendum.

ARTICULUS II

Ad quem spectet edicere, ac facere concursum, et quinam debeant, et possint ad illum admitti.

(1. Concursum edicere spectat ad Episcopum, seu Ordinarium; Conc. Trid. *d. sess.* 24. *cap.* 18. de *reform.* S. Pius V. d. Const. incip. *In conferendis;* et pluries declaravit Sacra Congreg. Concil. ut infra patebit. (2. Episcopus tamen non potest solus facere Concursum, quando habet Vicarium Generalem sibi Roma missum, sed assistere debet etiam Vicarius, qui procurabit, ut omnia Canonice fiant; Sacra Congr. Concil. *in Narnien.* 2. *Octob.* 1655. (3. Et si Vicarius sit Apostolicus, ad ipsum solum, non ad Episcopum pertinet facere concursum, sicut et Synodum, et declarare magis idoneum, quia Episcopus non habet nisi administrationem Ordinis; Sacra Cong. Con. *in Lycien.* 9. *Junii* 1608. *et in Bisinianen.* 16 *Maii* 1653. (4. Immo si Episcopus reperiretur suspensus a Jurisdictione, et haberet præservatum Jus conferendi Beneficia, non posset ex approbatis in Concursu Parochialis digniorem præeligere; sed hoc Jus pertineret ad Vicarium Apostolicum, ut præter decreta, quæ referuntur a Fagnan. *in cap. Illa* 2. *Ne Sede vacante num.* 30 *et seqq.* nuper declaravit Sacra Congreg. Concil. *in Sorana* 12 *Decemb.* 1699. (5. Edicta pro Concursu habendo ad Parochiales vacantes, quarum collatio pertinet ad inferiores Prælatos, qui non habent Territorium distinctum, nec Jus congregandi Synodum, debent publicari ab Episcopo, in cujus Diœcesi Parochialis existit, vel ab alio,

Digitized by Google

qui est vicinior, si sit Nullius, et coram eo Concursus fieri; et ad ipsum Episcopum ex dignis Digniorem eligere, et inferiori Prælato pro collatione, seu institutione remittere spectat; Sacra Congreg. Concil. *in Palentin.* 24. *Octobr.* 1573. *et in Forosempronien.* 2 *Decembris.* 1628. (6. Et Prælatus inferior habita significatione, non poterit conferre alteri quam præelecto ab Episcopo, ut respondit Sacra Congreg. Concil. *in Burgi Sancti Sepulcri* 15 *Decemb.* 1696. *ad tertium.* (7. Abbas enim seu Commendatarius, vel alius Prælatus Episcopo inferior, non potest Concursum, et examen instituere ad Parochiales existentes intra fines suæ Jurisdictionis, et collationis, quando non habet potestatem congregandi Synodum, et actu non congregat, sed hujusmodi Concursus, et examen spectat ad Episcopum, intra cujus Diœcesis fines existit Abbas, seu Commendatarius, vel alius Prælatus inferior; et si non constat intra cujus Diœcesis fines existat, id spectat ad Episcopum viciniorem; Sacra Congreg. Concil. *in Castri Durantis* 30. *Aprilis* 1611. (8. Abbates tamen, seu Commendatarii aliique Prælati inferiores Episcopo, qui omnimodam habent Jurisdictionem quasi Episcopalem, nec alicui subsunt, sed sunt immediate subjecti Sedi Apostolicæ, quique nullius sunt Diœcesis, sed proprium habent Territorium, si habeant jus congregandi Synodum, et legitime constet illam congregasse, et eligisse Examinatores, possunt Concursum instituere, examinare, approbare, omniaque alia facere, quæ continentur in Decreto Tridentini *sess.* 24 *cap.* 18. *de reformat.* Sacra Congreg. Conc. *in Forosempronien.* 18. *Martii* 1591. *in Causa Abbatiæ Farfen.* ut refert ex Aldan. Barbosa in Tridentin. *loco citat. num.* 51. et sæpe alibi. (9. Et in specie pro Abbate Monasterii in Monte Cassino Ordinis S. Benedicti, quod nullius sit Diœcesis, et nemini subsit, sed omnimodam Jurisdictionem Episcopalem, ac proprium Territorium, et Jus congregandi Synodum, ac ideo possit Concursum instituere, examinare, approbare, et Œconomum deputare, declaravit Sixtus V. 20. *Februarii* 1589, ut refert Tambur. *de Jur. Abbat. tom.* 1. *disput.* 3. *quæst.* 4. *num.* 2. *ex venerabili Archivio Cassinensi.* Et novissime Benedictus XIII. Constitut. incip. *Quod inscrutabilis,* in qua confirmat etiam Constitutiones Sixti V. Urbani VIII. et Innocentii XI. ad id emanatas.

(10. Episcopus manutenendus est in sua quasi possessione instituendi Concursum, donec Prælatus inferior coram Judice competente legitime probaverit jus cogendi Synodum habere, aliasque coegisse, in eaque Examinatores ad præscriptam Concilii formam deputasse; Sacra Congreg. Concil. 17. *Januarii* 1585. *et* 4. *Augusti* 1594. (11. Unde Episcopus Forosempronien. ut vicinior manutenendus est in sua quasi possessione Concursum instituendi in vacationibus Ecclesiarum Parochialium della Ravignana, et Juris præeligendi magis idoneos ex approbatis in eisdem Concursibus, donec Abbas Classen. legitime probaverit habere jus congregandi Synodum, aliasque coegisse, et in ea Examinatores ad præscriptum Concilii Tridentini, *sess.* 24. *cap.* 18. *de reformat.* deputasse; Sacra Congreg. Concil. *in Forosempronien.* 2. *Decemb.* 1618. (12. Concursus qui in vacationibus Parochialium fieri solent coram Episcopo viciniori, si occasione pestis Civitas illius sit bannita, et aditus præclusus ad eumdem Ordinarium viciniorem, potest prorogari, ut concessit Sacra Congregatio facultatem Prælato inferiori prorogandi tempus concurrentium, et ut interim provideretur de Œconomis, et Vicariis idoneis; Sacra Congreg. Concil. *in Nullius Terræ Guastallæ, Parmens. Diœcesis* 17. *Augusti* 1630. (13. Concursus edicta Ordinarii proponere debent in Beneficiis Curatis reservatis Sedi Apostolicæ vacantibus per obitum, puta in mensibus reservatis; et a Sede Apostolica provisio facienda est approbato ab Examinatoribus in Synodo Diœcesana deputatis, si fidem approbationis habet ab Ordinario. Ita decisum fuisse a Sac. Congreg. refert Piasec. *in praxi Episcop. par.* 2. *cap.* 20. *n.* 17. Barbosa *in Tridentino loc. cit. n.* 64. (14. Episcopus instituens Concursum ad formam Concilii, non potest ut suspectus recusari, sed qui se existimaverint gravatos appellare poterunt a mala Ordinarii electione, seu judicio ad effectum devolutivum, non suspensivum; Sacra Congreg. Conc. 28. *Septemb.* 1589. (15. Vicarius Generalis Episcopi potest, Episcopo impedito, proponere Edictum pro Concursu, et coram se examen indicere, textu expresso in Conc. Trid. *loco cit.* ibi: *Ab Episcopo, sive eo impedito, ab ejus Vicario Generali.* (16. Immo examen Concursus posse fieri coram Vicario Generali, etiam Episcopo non impedito, tenet Garcias *de Benefic. part.* 9. *c.* 2. *num.* 119. Barbosa *de potestat. Episcop. part.* 3. *alleg.* 60. *num.* 41. *et in Tridentin. sess.* 24. *c.* 18. *de reformat. n.* 77. et Massobrius *requisi.* 3. *dub.* 3. quia dicunt ipsi prædicta verba Concilii, *sive eo impedito,* sunt solum posita ad denotandum convenire, quod ab ipso Episcopo, cessante impedimento, fiat examen. (17. Quinimmo potest Vicarius Generalis proponere Edictum pro concursu, etiamsi ipsemet velit examen subire, et Episcopus illi sit Ecclesiam ipsam vacantem collaturus. Sic decisum fuisse a Sacra Congreg. Concil. super *d. c.* 18. *sess.* 24. refert Sbroz. *de Offic. Vicarii in addit. q.* 188. *lib.* 2. (18. Sic etiam Vicarius Capitularis potest Concursum ad Parochiales vacantes tempore Sedis vacantis facere, ut poterat Episcopus, servata forma Sacr. Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 18. *de reformat.* et magis idoneum eligere, et approbationem ad Sanctissimum Dominum, ejusque Eminentissimum Cardinalem Datarium mittere pro confirmatione electionis. Ita declaravit Sacra Congregatio Episcoporum *in Ravennaten.* 3. *Februarii* 1624. et sæpe alibi. Tota enim jurisdictio Capituli Sede vacante ad Vicarium Capitularem devolvitur; Benedict. XIV. *De Synod. Diœcesana l.* 4. *cap.* 8. §. 10. et ad hoc juvat adducere id, quod a Sacra

Digitized by Google

Congregatione Concil. actum fuit de observandis in examinibus faciendis pro collatione Parochialium Sede Cathedrali vacante, et ita concepta fuit declarationum formula per manus transmissa, et a Sanctissimo approbata, ut refert Fagnan. *lib.* 3. *Decret. in cap. Illa* 2. *Ne Sede vacante num.* 18. *et seq.* et est ut sequitur.

(19. In primis Capitulum nullam sibi in hisce examinibus auctoritatem vindicabit, sed constituet Officialem, seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi, prout mandat Concilium Tridentinum *sess.* 20. *cap.* 16. (20. Is Vicarius sic constitutus obibit illa omnia munia quæ Concilium *sess.* 24. *cap.* 18. statuit obeunda ab episcopo, seu ejus Vicario, cum Parochialis Ecclesiæ vacatio contigerit; et in specie statim habita notitia vacationis Ecclesiæ, et antequam ullum fiat examen, constituet idoneum in ea Vicarium cum congrua fructuum portionis assignatione, reservatis reliquis fructibus iis, quibus Jure videbitur. Hic autem Vicarius in Parochiali positus, ejus onera sustinebit, donec ei de Rectore provideatur. Postea per Edictum publicum vocabit omnes, qui voluerint examinari pro obtinenda Parochiali vacante. (21. Deinde examinabit eos, qui concurrerint, adhibitis etiam aliis Examinatoribus, saltem tribus, quorum votis, si paria, aut singularia fuerint, accedere possit ipse Vicarius quibus magis ei videbitur. (22. Curabit idem Vicarius, ut singulis annis a Diœcesana Synodo probentur Examinatores saltem sex, ex quibus tres ipse eliget, eosque congregabit, qui secum examen perficiant ad singulas Parochiales vacantes. Et si duo, vel unus tantum ex dictis Examinatoribus etiam cum Vicario, vel omnes tres, aut etiam sex absque Vicario se ipsos congregaverint, et examen perfecerint, nullum erit; et si ex dictis sex Examinatoribus aliqui intra annum suæ electionis mortui fuerint, tota facultas examinandi ad superstites, etiamsi unus tantum superesset, spectabit eo anno durante. Si contingat sequentibus annis nullos alios Examinatores eligi in Synodo Diœcesana, illi sex qui semel præcedente anno ex Decreto Concilii fuerint electi, pro legitimis habeantur, etiam post lapsum annum suæ electionis, et sic in Officio suo perseverare possint, donec alii, servata forma Concilii, electi fuerint. Et si ex dictis sex Examinatoribus aliqui mortui fuerint, curabit Vicarius, ut lapso anno alii in locum demortuorum sufficiantur seu eligantur in Synodo Diœcesana, alioquin qui supererunt pro legitimis non habeantur. (23. Examen, et approbatio pro legitimis non habeantur ad Parochialem vacantem, si ante ad alias Parochiales, quæ prius vacaverint, fuerint facta, ita ut non sufficiat aliquem judicatum fuisse idoneum præteritis mensibus, aut annis ad aliquas Parochiales; sed semper opus sit novo examine, et nova approbatione ad ipsam Parochialem, de cujus collatione singulis vicibus agitur. (24. Examinatores ex pluribus examinatis non unum solum, sed plures, quos judicaverint idoneos, significabunt Vicario, et ex istis pluribus idoneis per Examinatores judicatis, non ipsi Examinatores, sed solus Vicarius eliget quem cæteris magis idoneum judicaverit. (25. Hæc enim facultas nullo modo Examinatoribus competit, cum soli Episcopo a Concilio sit attributa, cujus loco erit Vicarius Sede vacante. (26. Ipse enim solus Vicarius absque Examinatoribus scribet Literas ad Sanctissimum D. N. (27. Ad quem collatio Parochialis spectabit, quibus præcipue testabitur propositum fuisse Edictum, et examen per Concursum factum, totque examinatos fuisse, et ex examinatis tot idoneos a tribus saltem Examinatoribus judicatos, se vero ex istis idoneis talem cæteris magis idoneum judicasse elegisseque.

(28. Capitulum, aut Decanus Cathedralis Ecclesiæ nullum sibi Jus vindicet proponendi Edictum, aut deputandi, seu eligendi, vel convocandi coram se Examinatores, nec jubendi, aut curandi, ut coram se aut Examinatoribus deputatis ab eo, examen fiat; minus eligendi magis idoneum aut literas testimoniales de eo scribendi. Sed hæc omnia, ut supra dictum, est exequetur partim Synodus Diœcesana, partim Vicarius Sede vacante constituendus, quem Capitulum omnino constituere debebit ex dictis *sub num.* 19. (29. Multo magis idem Capitulum abstineat a conferendo Parochialem vacantem in Commendam temporalem ei, qui magis idoneus fuerit judicatus. (30. Maxime etiam caveat, ne concedat omnes fructus ipsius Parochialis eidem, dicta Commenda durante. (31. Quoniam Concilium hæc omnia prohibuit, dum statuit debere Episcopum, statim habita notitia vacationis Parochialis, idoneum in ea Vicarium cum congrua fructuum portione constituere, quod munus obibit, ut supra dictum est, Vicarius præcise, Sede vacante deputatus. Cavebitque et ipse a dicta Commenda, et a concessione omnium fructuum. (32. Et illud quoque sibi interdictum sciet, ne eum, quem magis idoneum ipse judicaverit, constituat Vicarium in Parocniali, aut ei quoquomodo præficiat, donec collatio fiat; sed debet omnino a principio vacationis, et antequam ullum examen fiat, constituere in ea alium Vicarium, qui Curam animarum interea gerat, donec Parochialis fuerit a Sede Apostolica magis idoneo collata. Hactenus Fagnan. *loco supracitato.*

(33. Ad Concursum Parochialium non tantum Diœcesani, sed etiam exteri debent admitti, nisi adsit aliquod privilegium, quod Beneficia non conferantur exteris; *Est communis Doctorum*, et sic decisum fuisse a Sac. Congreg. Concil. refert. ex Nicol. Monacell. *tom.* 1. *tit.* 5. *for. mul* 20. *num.* 1. (34. Ad Concursum debent admitti tam exteri, quam originarii, etiamsi habeant aliud Beneficium Curatum; Garcias *de Benef. p.* 9. *c.* 2. *n.* 208. *et* 209. Corrad. *praxi Beneficior. lib.* 3. *part.* 4. *num.* 12. Monacell. *loc. cit.* et alii passim. (35. Non enim potest Episcopus prohibere Curatis, ne accedant ad Concursum aliarum Parochialium; Sac. Congreg. Episcopor. 29. *August.* 1591. apud Barbos. *de potest. Pa-*

Digitized by Google

roch. par. 1. *c.* 2. *num.* 48. (36. Originarius, tamen, et de gremio Ecclesiæ, est semper cæteris paribus præferendus extraneo; *arg. Regul.* 17. *Cancellariæ de concurrentibus in data*, ibi: « Et similiter cæteris paribus oriundus non oriundo, et Diœcesanus non Diœcesano præferatur, etc. *Nullus* dist. 61, c. *Hortamur* dist. 71. c. Ne pro defectu 61. de election. c. *Bonæ memoriæ* § *Intelleximus de postulat. Prælatorum.* Et ratio est, quia indigena præsumitur oppidum, et Ecclesiam magis diligere, et a populo plus amari, quam alienigena, juxta S. Th. 2. 2. *q.* 13. *art.* 2. ibi: « Ille, qui de gremio Ecclesiæ assumitur, ut in pluribus consuevit esse utilior, quantum ad bonum commune, quia magis diligit Ecclesiam, in qua est nutritus. » Et est communis. (37. Immo secundum Barb. p. 3. de offic. et potest Episc. alleg. 60. num. 102. et plurimos alios ab ipso ibi citatos dignus de gremio Ecclesiæ potest eligi posthabito digniore extraneo; arg. c. *Nullus* 13. dist. 61. ibi: « Tunc autem alter de altera eligatur Ecclesia, si de Civitatis ipsius Clero nullus (quod evenire non credimus) dignus poterit reperiri, etc. Obitum 16. dist. ead. Ibi: « Commonemus etiam Fraternitatem tuam, ut nullum de alia eligi permittas Ecclesia, nisi forte inter Clericos ipsius Civitatis... nullus... dignus... (quod evenire non credimus), poterit inveniri. »

(38. Regulares omnes, quamvis sint canonici, sive Præmonstratenses, (1) sive Lateranenses, sive quicumque alii Canonici Regulares, non sunt admittendi ad Concursum Parochialium sine dispensatione Apostolica. Sic expresse declaravit pluries Sacra Congregatio Concilii cum approbatione Sanctissimi. Cum enim, ut refert Fagn. in c. *Quod Dei timorem* 7. de stat. Monachor. num. 17. fuerit quæsitum: « An Regularis possit præfici Curæ animarum ab Episcopo sine dispensatione Apostolica; Sacra Congreg. Concilii censuit non posse, nisi accedente dispensatione, quæ non videtur concedenda, nisi instante Episcopo pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ. » Et alias consulta: (39. An Ecclesiæ Parochiali ex necessitate, nempe ob penuriam Sacerdotum, Regularis perpetuo possit præfici; respondit permitti posse; ita ut deducto victu, quod reliquum fuerit redditum in utilitatem Ecclesiæ, et pauperum convertatur; « Ob id autem necessariam esse hodie dispensationem contra opinionem antiquorum Doctorum, quod ita de stylo servari consuevit. Quod si magis placuerit Sanctissimo, posse quod petitur ad tempus concedi, quod scilicet Episcopus providerit de Clerico Regulari, nihil tamen concedendum, nisi instantem Episcopo pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ. » (40. In idemque coincidunt resolutiones ejusdem Sacræ Congregationis Concilii in una Cremonensi 1. Septemb. 1630. et in una Taurinensi relat. a Pignatell. tom. 1. consult. 44. num. 25. quod nullus hodie Regularis absque dispensatione Papæ possit obtinere sæculare Beneficium, licet Curatum; et in una Portugallien. 15. Jun. 1652. ubi declaravit Fratres Sacerdotes professos Ordinum Militaris Christi S. Jacobi, et de Avis ibi existentium, esse incapaces, absque dispensatione Apostolica, Beneficiorum sæcularium cum Cura, et sine Cura, et Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, ut refert Pignatell. tom. 1. consult. 254. (41. Et etiam similiter declaraverat de expressa mente Sanctissimi de Canonicis Regularibus, ut refert Fagn. loc. cit. num. 16. Cum enim quæsitum fuerit: « An Canonici Regulares de licentia sui Generalis possint assumere curam animarum tam ad tempus, quam perpetuo? Die 8. Jul. 1581. Sanctissimus Dominus Noster Gregorius XIII, noluit licere istis Regularibus etiam de licentia sui Generalis absque permissu Summi Pontificis assumere Curam etiam ad tempus, multoque minus Beneficium Curatum in titulum. » Et subinde, « cum Canonici Regulares Lateranenses peterent, ut sibi liceret cum licentia sui Generalis obtinere Beneficia Curata in titulum, vel ad tempus, et res a Congregatione delata esse ad Sanctissimum, Sanctitas sua abnuit. » (42. Quod Clemens VIII (ut refert Pignat. d. consult. 44. num. 25. et Nicolius in Flosculis verb. Regulares num. 25.) mandavit inviolabiliter observari, non obstante, quod id fortasse per Sacros Canones permitteretur Canonicis Regularibus, præterquam translatis, ut censuit eadem Sacra Congreg. in Cremon et Taurinen. allegatis. Quare cum hic casus die 15. Maii 1655. fuisset iterum propositus, eadem Sacra Congregatio perstitit in Decretis, Canonicosque hujusmodi ad Concursum admitti vetuit; ita quidem ut super hoc eorum Generalis nequeat dispensare, ut jam declaravit 24. Augusti 1628.

(43. Et de expressa mente, et auctoritate Clementis X. hanc Canonicorum Regularium incapacitatem ad Parochiales cum universali derogatione omnium privilegiorum, indultorum, consuetudinum etiam immemorabilium pronunciavit Sac. Congregatio Episcoporum, et Regularium in Decreto, ut sequitur.

« Cum fel. record. Greg. XIII. aliique nonnulli Summi Pontifices Successores, ad Regularem disciplinam in Congregatione Canonicorum Lateranensium Ordinis Sancti Augustini magis, magisque firmandam Decretis suis mandaverint, ne dicti Canonici Curæ Animarum in Ecclesiis sæcularibus exercendæ, juxta Constitutionem Innocentii III. recol. mem. incipien. *Quod Dei timorem*, etc., cæteroquin capaces ad hujusmodi curam in prædictis Ecclesiis exercendam admittantur, quorum Decretorum observantiam retinendam esse non semel declaratum fuit: Asserentibus vero e contra quibusdam dictorum Pontificum mentem adhuc fuisse certa, perpetua Lege lata. Innocentianam Constitutionem prorsus abrogare, Sed immo illorum decreta, seu mandata cum ipsis expirasse; ac propterea pro diversitate temporum diversas forsan editas fuisse declarationes, et interpretationes, et nec uniformem servatam praxim. Ideo ex prædictis non infrequentes

(1) Hi ad Parœcias obtinendas Apostolica facultate non indigent. Vide verb. *Canonici Regulares quoad beneficia curata num.* 10.

Digitized by Google

dubitationes et controversiæ subortæ noscantur, ob quas Religiosa quies perturbari facile posset accuratius in hoc sacro Ordine custodienda; cum illius Apostolica instituta primævam disciplinæ ac Sanctimoniæ antiquorum Clericorum imaginem et symbolum referant, quibus ipsa nascentis Ecclesiæ primordia florebant.

« Quapropter ad hujusmodi dubitationes explicandas, et controversias definiendas, atque ut magis accurata disquisitione eorum Canonicorum spiritus, et vocatio dignoscatur, qui dum in tranquillitate Montis Sion Cœlestium contemplatione suavissima pascuntur, ad frangendum in valle lacrymarum panem parvulis (videlicet e Claustro ad regimen descensuri Parochialium) invitantur: Sacra Congregatio Eminentiss. et Reverendiss. S. R. E. Cardinal. negotiis, et Consultationibus Episcoporum, et Regularium præposita, et re mature examinata, atque audito P. Procuratore Generali dictæ Congregationis Lateranensis, speciali sibi auctoritate per Sanctissimum Dominum Nostrum Clementem Papam X. vivæ vocis Oraculo attributa, declarat, atque discernit: Ut in posterum futuris perpetuis temporibus nemo ex Canonicis Regularibus Sancti Augustini Congregationis Lateranensis quamvis non translatus, ad curam animarum in Ecclesiis sæcularibus etiam de Jure patronatus in perpetuum, seu ad tempus, quocumque titulo exercendam admittatur; nisi præter Abbatis Generalis licentiam, expressum quoque Sedis Apostolicæ Indultum accedat. Quod juxta Sacrorum Ministrorum penuriam, et prout Animarum postulabit utilitas, in contingentibus casibus concedatur; ita ut quælibet collatio, institutio et deputatio in favorem hujusmodi Canonicorum aliter, facta irrita prorsus atque inanis censeatur, et sit. Ac nulla etiam triennali longior possessio iisdem suffragetur. Canonicus vero, cui ejusmodi concessum fuerit indultum ad mentem præfati Innocentii III. (si commode fieri possit) socium unum ex suo Ordine, et Congregatione secum habeat, cujus in iis, quæ Dei sunt et Regularis observantiæ tam consortio, quam solatio perfruatur.

« Non obstantibus quo ad supradicta omnia et singula in præsenti decreto contenta, supra dicta Constitutione Innocentii III. aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis necessario, et individue exprimendis: Nec non, etc., statutis formula professionis in eo ordine et Congregatione emitti solitæ, consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, Indultis, et privilegiis, etiam in corpore Juris clausis, etc., necnon irritantibus Decretis, etc., quibus quo ad ea, quæ presentibus adversantur, eadem Sacra Congregatio Sanctitatis suæ auctoritate specialiter, et expresse derogat, etc. Datum Romæ hac die 18. Martii 1671. »

F. M. Cardinalis Brancatius.

Loco ✠ Sigilli

C. de V. Archiep. Athen.

(44. Licet autem hoc Decretum de mente, et expressa auctoritate Clementis X. editum, videatur respicere solos Canonicos Lateranenses, tamen vere, et realiter hanc incapacitatem ad Parochiales habent omnes alii Canonici Regulares; tum ratione supra laudati Decreti Gregorii XIII. loquentis indefinite de omnibus Canonicis Regularibus, ibi: « An Canonici Regulares... Noluit licere istis Regularibus. » Cum etiam ratione ipsius Decreti jussu Clementis X. editi, omnium Canonicorum Regularium comprehensive communiter intellecti, et signanter a Rota in Leodiensi Parochialis 2. Decemb. 1693. in § finali, ubi firmat: Decretum præfatum Clementis X. indefinite procedere quo ad omnes Canonicos Regulares facta, mentione de Lateranensibus demonstrative tantum, cum Congregatio istorum sit omnium præstantissima, et concurrat in omnibus eadem ratio consulendi pristinæ, et laudabili disciplinæ Regularium, quæ vere unica reperitur in Claustrorum parietibus. (45. Immo nedum hæc ratio a Decreto adducta est omnibus Canonicis Regularibus communis, sed insuper fortius amplectitur reliquas Congregationes Canonicorum, quæ habent majorem regularitatem, quam illam Lateranensium, quæ magis Clericorum speciem refert, ut Card. de Luca de Præeminent. dis. 24. per tot. Card. Petra tom. 2. Comment. ad Constit. 1. Anastasii IV. sect. 1. sub. n. 40. (46. Tum quia hanc omnium indistincte Canonicorum regularium incapacitatem ad Parochialium Concursus jam expresse pluries declaravit Sacra Congregatio Concilii, et signanter in Brixiensi 15. Maii 1655. lib. 19. decret. pag. 468. ibi: « Quæsitum fuit an Regulares Congregationis Canonicorum Lateranensium Sancti Salvatoris, Sancti Georgii in Alga, et cruciferorum sint admittendi ad Concursum Ecclesiarum Parochialium sæcularium, præsertim quando habent licentiam proprii Generalis. » (47. Sacra Congregatio Concilii respondit negative et dandas esse declarationes jam editas. (48. Et de facto fuit requisita facultas d. Sacræ Congreg. Concilii die 23. Augusti 1692. in una Ferrariensi pro uno Canonico Regulari Sancti Salvatoris, non obstante quod dictus Canonicus prætenderet se esse capacem sine alia dispensatione Sacr. Congr. Et non obstante quod anno sequenti dicti Canonici Regulares S. Salvatoris exposuissent dictæ Sacr. Congreg. in una Placentina Præsentationis: se non esse comprehensos nec in Decreto Clementis X. nec in aliis huc usque emanatis prohibitionibus, et contenderent de licentia proprii Generalis absque Sedis Apostolicæ Indulto ad Parochiales Ecclesias vacantes concurrere, et de illis provideri posse in eadem causa sustinerent. Nihilominus Sacr. Congr. Conc. ad quam causa erat delata, sub. die 14. Novemb. 1693. respondit: « Unianter decreta, et causa proponatur formiter auditis omnibus Procuratoribus Generalibus omnium Canonicorum Regularium, et interim cum Sanctissimo pro concessione Indulti ad favorem Patris de Georgii præsentati cum clausula, quatenus opus sit. » Et exinde sua fundamenta in Sacra

Digitized by Google

Congregatione formiter producta apud majorem partem Eminentissimorum Patrum tunc in Sacra Congregatione sedentium, fuerunt habita tanquam nullius ponderis, uti sibi retulisse Eminentissimum Petruccium, tunc ibi sedentem testatur Monacell. tom. 1. in Appendice ad Formularium Legale practicum in annot. ad d. Decretum Clementis X. n. 4.

(49. Tum etiam quia, si qua militaret ratio pro aliqua Congregatione Canonicorum Regularium pro capacitate ad beneficia Curata, deberet potissimum esse pro præstantissima Congregatione Lateranensium, cujus canonici in eorum professione promittunt Beneficia Curata extra Ordinem non suscipere absque licentia Capituli, et Generalis. Unde si istis est dempta talis capacitas ad beneficia Curata non obstante ipsa formula professionis, ut patet ex supra laudato decreto jussu Clementis X. edito. ibi : « Non obstantibus, etc. statutis formula professionis in eo Ordine et Congregatione emitti solita, etc. » a fortiori erit dempta talis capacitas ad Beneficia Curata aliis Canonicis Regularibus, qui non habent similem formulam Professionis. (50. Et hanc incapacitatem ad Beneficia Sæcularia Curata comprehendere omnes Canonicos Regulares cujuscumque sint Congregationis, tenent Fagnan. in dict. c. *quod Dei timorem* 7. de statu Monachor. num. 16. et 17. et sequent. Pignatell. tom. 1. consult. 44. a num. 14. usque ad fin. Barbosa in d. c. *Quod Dei Timorem* num. 3. et lib. 3. Juris Ecclesiastic. n. 80. ad Trid. sess. 14. c. 11. n. 5. Nicolius in floscul. verb. Regul. n. 25. Garcias part. 7. de Benefic. c. 10. n. 33. Tondut. qq. Benefic. tom. 1. c. 80. per tot. Quarat. verb. *Canonicus Regularis*, Maranta resp. Juris tom. 4. c. 89. num. 35. Pignatell. in observatione ad Lauretum de Franchis q. 86. ubi testatur de observantia in praxi, Corrad. in praxi dispensationum lib. 6. cap. 1. num. 13. vers. At vero Ergo ; Capon. disceptat. form. 108. n. 77. Passerin. in c. cum. de Beneficio num. 3. de Præb. et dignit. in 6. Card. de Luca postquam contrarium innuerat, hanc veritatem fatetur in disc. 64. et 65. de Benefic. et de donationibus disc. 25. n. 6. Monacell. loc. cit. Card. Petra loc. cit. num. 39. et alii passim ; et firmavit Rota in Novariens. Prob. 15. Junii 1693. § *Nec adversari coram Reverendissimo Manuel.* confirmata 2. Decembr. ejusdem Anni, et in Leodiens. Parochialis 11 Decembr. 1693. in § final. Vide verb. *Habitus* num. 69.

(51. Canonici Regulares omnes, multo magis absque speciali dispensatione Apostolica, sunt incapaces ad obtinenda Beneficia sæcularia non Curata, nempe Canonicatum in Collegiata Ecclesia sæculari, aut Beneficium simplex. (52. Hoc enim etiam Jure veteri prohibitum erat, textu expresso in c. 16. Placuit quæst. 1. ibi : « Nec ad Ecclesias sæculares transire; » et clarissime in c. Super eo, de Regularibus, ibi : « Nec amplius in Ecclesiis sæcularibus debent assumi, ne contra votum, quod Domino fecerunt, venire probentur. » Et sic expresse declaravit Sacra Congreg. Concil. « Regulares sunt incapaces Beneficii simplicis, etiamsi essent Canonici Regulares, » ut Refert Garcias. cit. c. 2. part. 7. cap. 10. n. 31. (53. Et ita etiam in canonico Regulari alias respondit Gregorius XIII. Nam cum dubitaretur an canonicus Regularis esset capax Beneficii simplicis, Sacra Congregatio dixit videri incapacem, quia Cap. *Quod Dei timorem* loquitur de Parochiali : agendum tamen cum Sanctissimo. Die 23. Julii 1578. Sanctitas sua dixit, licet Tridentinum Concilium non prohibuisset Regularibus obtinere sæculare Beneficium, et concilium Lateranense sub Leone ad concordata tantum restringeretur, tamen Jus commune obstare, quod nonnisi in Parochialibus dispensat d. c. *Quod Dei timorem*. Hic autem agitur de simplici ; sic refert Fagnan. loc. cit n. 19. (54. Et anno 1695. cum Carolus Radosnenaschi Canonicus Regularis obtinuisset a Capitulo Generali facultatem consequendi omnia Beneficia, Canonicatus, et Prælaturas in quacumque Diœcesi Regni Poloniæ, et a Sacra Congr. peteret confirmationem hujusmodi facultatis ; Sacr. Congr. Episcoporum et Regularium Die 7. Julii 1685. petitam confirmationem concessit, quo ad Curata tantum ad formam Sacrorum Canonum, et Constitutionum Apostolicarum, eo quod raro permittatur dispensatio ad simplicia Beneficia, ut monet Card. de Luca in adnot. ad Conc. Trid. disc. 13. n. 7. et etiam dixit Sacr. Congr. Conc. in Taurinensi 1. Septemb. 1603. et 24. Aug. 1617. Et sic tenent Hostiens. in summa de statu Monachor. § *Utrum populum ;* Joann. Calder. in d. c. *Quod Dei timorem*, Gard. ibid. in 5. quæst. num. 14. vers. *Si autem assumitur ad Canonic.* Feder. de Senis. cons. 136. Factum tale est sub num. 4. vers. sed fortius obstat ; Fagnan. in d. c. *Quod Dei timorem*, num. 19. Petra loc. cit. n. 34. et omnes supracitati sub num. 50. (55. Unde hæc incapacitas Canonicorum Regularium ad quæcumque Beneficia sæcularia efficit, ut si obtineatur aliquod Beneficium ab ordinariis absque dispensatione Apostolica, ipsa institutio sit ipso Jure nulla secundum Regulam 43. Cancellariæ, et possit denuo uti vacans impetrari per alium, ut innuit Gonzal. in cit. cap. *Quod Dei timorem*, de statu Monachor. in fin. Petra loc. cit. num. 42. Riccius decis. 49. per tot. part. 1. Garcias. de Benefic. part. 7. c. 10. n. 2. et sequent. Laurent. de Franchis de controv. inter Episcopos : et Regul. p. 2. q. 86. Marc. Anton. Macerat. var. resol. l. 1. resol. 20. num. 12. et alii passim ; et supponitur a Rota in Leodien. Parochialis 4. Julii 1692. et 11. Decemb. 1693. coram Pio. Et ratio est clara, quia actus remanet nullus in prima provisione, ex quo Beneficium semper remanet vacans, et expresse hoc statuitur in supra laudato Decreto Sacr. Congr. de expressa mente et auctoritate Clementis X edito, § *Qua propter*, ita ut possessor neque triennali possessione posset se tueri, ut expresse

Digitized by Google

ibi cavetur, his præcisis verbis, ibi: « Ita ut quælibet Collatio, institutio, et Deputatio in favorem hujusmodi Canonicorum aliter facta, irrita prorsus, atque inanis censeatur, et sit, ac nulla etiam triennali longior possessio eisdem suffragetur. » (56. Et novissime Benedictus XIV. re prius mature discussa Const. incip. *Quam inscrutabili*, consilio, atque motu proprio expresse declaravit, ac definivit Canonicos Regulares incapaces esse cujuslibet Beneficii Sæcularis, aut Pensionis Ecclesiasticæ absque dispensatione Sedis Apostolicæ. Videatur ipsa Constitutio, in qua multa ad rem habentur et statuuntur merito legenda, et omnino servanda.

(57. Possunt tamen Regulares, et a fortiori ipsi Canonici Regulares assumi in Parochos sine dispensatione Apostolica in Parochiis eorumdem Monasteriorum, vel membris omnimode illis subjectis, ita ut titulus sit amovibilis, et Regularis. *Est communis*, et testatur praxis ubique recepta, quod in Parochialibus etiam extra Claustra plenarie unitis unione subjectiva eorum Monasteriis deputent pro Cura Regulares amovibiles ad nutum suorum Regularium Superiorum. (58. Et posse sic deputari Regulares in Parochos dictarum Parochiarum pluries probavit Sacr. Congr. Concil. et signanter in Aurien. 1693. de Mense Maii; et in Mechinen. 28. Novemb. ejusdem anni 1693. (59. Nec possunt cogi ipsi Regulares deputare Sacerdotem sæcularem in simili Parochia subjective unita ipsorum Monasterio; Sacra Congregat. Conc. in Regiensi 7. Februarii 1705; sed libere sine alia dispensatione possunt regulares Superiores in similibus suis Parochiis deputare pro Parochis suos Religiosos ad eorum nutum amovibiles. (60. Nec ipsi Religiosi ad exercitium talis Curæ seu Parochiæ deputati possunt reclamare, si ab ipsis removeantur, ut sensuit Sacr. Congreg. Concilii in Romana 17. Decemb. 1689. (61. Neque possunt congruam pro Curato sæculari taxatam a Monasterio petere, nisi quantum indigent ad propriam et onerum Ecclesiæ sustentationem, et totum id quod superest debetur fideliter a Curato Religioso suo Monasterio, cum ipsi, et non sibi acquirat; cap. *Nolo* 10. cap. *Non dicatis* 12. caus. 12. q. 1. cum concordant. et Authent. Ingress. C. de Sacros. Eccles. Et sic auditis partibus, et causa bis proposita respondit Sacr. Congreg. Episcop. et Regularium in Mediolanensi Congruæ 4. Septemb. 1693. et 4. Martii 1694. Contra N. N. Monachum Cisterciensem Curatum deputatum Parochiæ Fellenechiæ Granciæ Monasterii Murimundi, proponente Eminentissimo Cardinali Petruccio.

(62. Alia ad rem, Vide verb. *Beneficium*, etc., art. 1. n. 15. et verb. *Canonici Regulares*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(63. An exclusio a Concursu operetur nullitatem ipsius concursus independenter a reclamatione exclusi, non levis quæstio est. (64. Negavit Rota, et quidem raro exemplo, respondendo contra informantem in Tarraconen. Parochialis 10. Novembris 1634. coram Pancirol. impress. apud Pignatell. Consult. Canonic. tom. 1. consult. 1.

(65. Impetraverat enim quidam Jacobus Torcorella quoddam Beneficium Parochiale hoc ex capite, quod in ejus collatione non fuerat servata forma Concursus, præscripta a Concilio Tridentino sess. 24. cap. 18. de Reformat. et a notissima Constitutione Piana: « Ad ostendendum autem (sunt verba Decisionis § 2.) quod non fuerit servata forma Concursus adducit quod Antonius Gual non fuerit admissus ad examen, licet comparuerit, et protestatus fuerit pro admissione. » At Rota censuit: « quod omissio alicujus ad examen (sunt verba Decisionis § 7.) non est contra substantialem dispositionem Concilii, sed debet examinari de justitia, et si non examinaretur, potest agi de contemptu, non autem quod examen sit nullum, ipso non reclamante, ut in simili dicitur de vocatione Absentium ad electionem, quorum contemptus, ipsis non reclamantibus, non vitiat electionem. (66. Hæc igitur omissio non est de forma Concilii, sed de justitia, quum de forma illud solum censeatur, quod est adinventum ab ipso Concilio, non autem quæ ab aliis Canonibus prius disposita erant. Sed remanent in suo robore. (67. Secundum vero Canones antiquos licet Episcopus tenebatur eligere digniorem, (68. si tamen illum omittebat, et eligebat dignum, provisio sustinebatur. Concilium autem solum innovavit, ut fiat Concursus, et Episcopus eligat digniorem. (69. Unde si Episcopus rejecit unum, et non vult illum examinare, male fecit, et ille potest dare de contemptu, non autem provisio est nulla, quia secundum Canones antiquos non erat nulla. »

(70. At re novissime delata ad idem Sacrum Tribunal Rotæ, in ea ipsum videtur fuisse sententia, ut exclusio alicujus a Concursu nullitatem ipsius concursus operetur etiam independenter a reclamatione exclusi, ita ut possit Beneficium impetrari ob non servatam formam concursus. Vide Decisionem in Monopolitana Præbendæ Theologalis 25. Junii 1756. Coram R. P. D. Stadion.

ARTICULUS III.

Concursus quando, ubi, et quomodo faciendus.

(1. Eveniente alicujus Parochialis Ecclesiæ vacatione, debet Episcopus statim illius Vacationis habita notitia, si opus fuerit idoneum in ea Vicarium cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur; textu expresso in Concil. Trident. sess. 24. cap. 18. de reformat. ibi: « Debeat Episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec de Rectore provideatur. » (2. Verba autem illa *si opus fuerit* addita

Digitized by Google

sunt ad excudendum casum, quo in eadem Parochiali Ecclesia adessent alii Ministri Sacramentorum, qui interea curam illam, quæ ad defunctum spectabat, exercerent, ut declarasse Sacram Congregat. Concilii refert Garcias de Benefic. part. 9. cap. 2. num. 13. (3. Illa vero dictio *statim* videtur importare, quod Episcopus non possit in longum differre, sed quantocius debere hujusmodi in ea Vicarium constituere; posse tamen Episcopum talem deputationem Vicarii usque ad tres dies a die habitæ notitiæ vacationis, non autem ulterius differre, tenet Barbosa de Offic. et Potest. Episcop. part. 3. allegat. 60. sub num. 2. Massobrius requisit. 1 dub. 13. et facit Concil. Provincial. Mediolanens. 1. tit. de proponendo Edicto, ubi statuitur, ut intra triduum proponatur Edictum pro Concursu. (4. Episcopus potest differre Concursum usque ad sex menses, si parochialis in suo mense vacaverit, et usque ad quatuor, si vacaverit in mense Sedi Apostolicæ reservato; ut expresse statuit S. Pius V. in Constitutione incipiente *In conferendis;* et Barbosa ad Concil. Trident. sess. 24. cap. 18. de reformat. num. 58. et de Offic. et potestate Parochi par. 1. cap. 2. num. 40. refert Sacram Congregat. Concilii in una Tiburtina sub die 28. Aprilis 1629. expresse censuisse, eveniente vacatione Ecclesiæ Parochialis, posse Episcopum intra quatuor vel sex menses respective a die vacationis apponere Edictum pro Concursu dictæ Parochialis. (5. Et isti sex vel quatuor respective menses concessi ad conferendam Parochialem, incipiunt currere non a die vacationis Parochiæ, sed a die scientiæ vacationis; argum. cap. *Quia diversitatem* 5. de concession. Præbend. et cap. *Licet* 3. de supplenda negligentia Prælatorum; et Rota in una Placentina Parochialis de Malpardida 28. Junii 1585, coram Seraphino decis. 702. inter impressas, tenuit tempus sex mensium datum Ordinariis ad conferendum Parochiales ad eorum collationes spectantes per dictam Bullam Sancti Pii V. quæ dicit a die vacationis, intelligi a die vacationis notæ, quamvis Episcopus nondum accepisset possessionem Episcopatus, cum per ipsum stetisset, ut refert Garcias, de Benefic. par 10. c. 2. num. 22 et 23. (6. Sic etiam tempus quatuor mensium concessum Ordinariis ad provisionem faciendam de Parochialibus ad Papæ collationem spectantibus non currere nisi a die notitiæ habitæ vacationis, tenuit Rota in una Toletana 28. Novembr. 1578. Coram Seraphino dec. 380. inter impressas.

(7. Tempus sex, vel quatuor respective mensium concessum Episcopis ad conferendas medio concursu Parochiales vacantes currit ipsis Episcopis, etiam quando accedunt ad concilium Provinciale. Propositis enim circa hoc dubiis ad instantiam Episcopi Gerundensis in Sac. Congreg. concilii, « in una Gerundensi Juris conferendi. Primo, an tempus, et tempora, quibus Episcopus ex causa præfata cogitur a propria Diœcesi abesse, computanda sint in termino sex mensium, vel potius ex illo detrahenda? Et

quatenus computandum; Secundo, an ei indulgenda prorogatio præfati termini? » Sac. Congreg. die 7 Julii 1685, respondit ad primum, computandum; Ad secundum, negative. (8. Pendente termino sex vel quatuor respective mensium, debet Episcopus proponere Edictum concursus intra decem dies, vel aliud tempus a se præfigendum; Conc. Trident. loc. cit. ibi: « Intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum. » (9. Dies Edicto pro Concursu ab Episcopo præscripti possunt prorogari usque ad viginti dies, sed non ultra. Sic expresse statuit Sanctus Pius V. in dicta Constitutione incip. *In conferendis*, ibi: « Nec tempus decem dierum eisdem Ordinariis, et Patronis ab eodem Concil. Trident., ad nominandum idoneos Clericos coram deputatis Examinatoribus præfixum, ultra alios decem dies prorogare audeant, vel præsumant. » (10. Non tamen Episcopus tenetur terminum Concursus prorogare, sed bene facit prorogando, ut censuit Sac. Cong. conc., sub die 17 Mart. 1619. (11. Si vero ex justa causa Episcopus proroget Concursum ad Beneficia, hujusmodi prorogatio est publicanda, alioquin Concursus erit nullus; ead. Sac. Congreg. Concil. 6 Jul. 1606. (12. Concursus habitus infra terminum decem dierum non est nullus, si nemo post examen comparuit, qui se læsum prætendat. Cum enim Episcopus Montis Regalis publicasset Concursum, et statuisset terminum decem dierum Concurrentibus, intra quem terminum habitus fuit Concursus, quæsitumque an propterea sit nullus Concursus intra dictum terminum habitus; Die 2. Aug. 1607. Sac. Congreg. Concil. censuit, « examen factum intra terminum dictorum decem dierum non esse nullum, si nemo post examen comparuit, qui se læsum propterea prætendat. » (13. Idem dicendum est, si aliqui fuerint examinati infra decem dies, alii vero post, ita ut nullus ex Concurrentibus remanserit non examinatus. Cum enim, vacante Parochiali Ecclesia S. Margaritæ Placentiæ Provinciæ Bononiensis, positis Edictis Concursus decem dierum, et in ultima die, nempe decima, duo ex descriptis fuissent examinati, alii vero post elapsum dicti termini, et cum fuisset quæsitum: An propterea Concursus esset nullus? « Die 3. Jul. 1608. responsum fuit, tametsi duo examinati sint durante termino, si tamen reliqui omnes fuerint postea examinati, ita ut transacto constituto tempore ante renunciationem Examinatorum, et electionem Episcopi nullus remanserit non examinatus ex descriptis, satisfactum esse formæ Concilii, et Concursum ex hoc capite non esse nullum. »

(14. Tempus, quo debet esse affixum Edictum, est arbitrarium Episcopo, modo non excedat viginti dies; Concilium enim Trident. nullum tempus ad hoc præcise designat, immo sicut relinquit arbitrio Episcopi tempus præscribendum pro publicando Concursu: « Intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum, » ita videtur re-

Digitized by Google

linquere arbitrio Episcopi tempus, quo debeat esse affixum Edictum, per leg. *ff. de Jure deliberand.* Garcias de Benefic. p. 9. c. 2. n. 10. Massobrius in praxi requisit. 2. dub. 9. Barb. ad dictum Conc. sess. 25. c. 18. num. 67. (15. Dies certa examinis Concurrentium, et propositi Edicti, debet apponi in Literis citatoriis Concursus, alias ipse Concursus vitiaretur. Sic expresse Rota in Toletana Parochialis de Alcandete 3. Julii 1593. coram Seraphino; ubi dictum fuit, « Concursum esse defectuosum, nec in eo servatam formam Concil. Triden. quia non fuit apposita dies propositi Edicti, adeo ut sciri non possit, an intra terminum, vel post terminum fuerit Michael examinatus, quod tamen videtur necessarium ad examinis validitatem, cum terminus ille, qui præfigitur juxta dispositionem Concil. sess. 24. c. 18. sit ad convocandum eos, qui concurrere voluerint, et eo transacto non plus debent examinari, et ista non est forma ad effectum, sed præcisa.» Sic Rota ibi. (16. Et de facto, quod non debeat amplius audiri, seu examinari, qui nullo detentus legitimo impedimento non comparuit in tempore Concursui præscripto, fuit decisum a Sac. Congreg. Conc. in qua proposito dubio : An si quis non descriptus in tempore Concursui præfixo comparuerit, et legitimo impedimento cessante, ita ut potuerit nomen suum infra præscriptum terminum deferre, et elapso termino, examine nondum facto, seu re integra, petat se ad Concursum admitti, sit ne audiendus? Ead. Sac. Congreg. sub die 7. Julii 1625. censuit non esse audiendum. (17. Qui tamen ratione legitimi impedimenti non comparuit in tempore Concursui præfixo, debet post terminum Edicti, re adhuc integra, ad Concursum admitti, etiam reclamantibus aliis oppositoribus; sic declarasse Sac. Congreg. Conc. refert Garcias de Benefic. part. 9. c. 2. n. 206. et sic tenuit Rota in Firmana Parochialis 6 Martii 1692. coram Card. Pamphil. senior. et in Calaguritana dimidii Beneficii, sive Portionis 22. Aprilis 1602. coram Ottembergo, ibi : « Poterit Provisor admittere ad Concursum venientem elapso termino ab eo præfixo, licet contradicat Adversarius, qui comparuit in termino propter auctoritatem Congreg. Concil. quæ in simili casu respondit, si termino elapso alter superveniat, eum re integra esse admittendum, idque æquitas, et favor Ecclesiæ suadere videtur, cujus interest plures oppositores concurrere, et hanc opinionem Domini receptiorem, et de Jure veriorem laudaverunt, » arguin. l. *et si post tres, ff. si quis cautio;* cap. *consul*, de Offic. Delegati.

(18. Ante lapsum terminum Edicti nullum esse examen, et Concursum factum, maxime si post examen comparuit aliquis, qui se læsum propterea prætendat, resolvit Sacra Congreg. Concil. *in Potentina 4. Maji* 1619. *in Chariensi 28. Julii.* (19. Unde examen statim elapso termino Edicti potest per Episcopum inchoari, sed non potest eadem die claudi, ubi plures fuerunt descripti, quia sunt expectandi, vel vocandi, alioquin vitiabitur Concursus, si ex pluribus descriptis unus, aut non omnes examinentur, et eis non expectatis claudatur Concursus; Sic Rota *in Toletana Parochialis de Alcandete, coram Aragonio* 10. *Maji* 1596. in qua dictum fuit; « Ideo Concursum fuisse nullum, et invalidum, quia cum infra terminum Edicti plures alii se opposuerint, et se describi fecerint, ideo examinato dicto Michaele, Concursus non debebat statim eadem die claudi, prout fuit clausum, sed erat expectandum per aliquot dies, videndi gratia, si alii oppositores volebant se examini subjicere. » Et in eadem *coram Corduba* 26. *Decembr.* 1597. habetur : « Nec Dominis placuit, quod eadem die, qua fuit incœptum examen, fuerit clausus Concursus, examinatus, et approbatus Michael, et facta illi collatio, non vocatis, neque expectatis reliquis oppositoribus, qui intra tempus Edicti fecerant oppositionem, et debebant saltem vocari, etc. » Sic refert, et tenet Garcias *de Benefic. cap. 2. part. 9. num.* 33. Seraphin. *Decis.* 1148. *num.* 5. Barbosa *ad Concilium Tridentinum dict. sess.* 24, *cap.* 18, *num.* 75. *de Offic. et potest. Paroch. part.* 1. *cap.* 2, *num.* 46. et sic censuit Sac. Congreg. Concilii *in Tarraconensi* 2. *Decembris* 1634. *et* 12. *Maii* 1635. (20. Uno tantum comparente ex pluribus descriptis, fieri potest Concursus, nec est opus, ut proponatur secundum Edictum. Et ratio est, quia verba Tridentini : *Ut omnes descripti examinentur*, debent intelligi quatenus veniant ad examen, alias esset in potestate unius nolle venire, impedireque proinde, ne ulterius procederetur. Sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Concilii refert et tenet Garcias *de Beneficiis part.* 9. *cap.* 2. *num.* 215. Barbosa *ad Concilium Trident. dict. sess.* 24. *cap.* 18. *n.* 75. *et dict. cap.* 2. *num.* 49. (21. Quando unus tantum se describi facit, nec alii comparent oppositores ad se describi faciendum, fieri potest Concursus, nec opus est alio Edicto, aut termini prorogatione. Sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Concilii refert, et tenet Garcias dict. part. 9. cap. 2. n. 215. Ugolin. de Offic. et potest. Episcoporum cap. 50. §. num. 4. Barbosa ad Concilium Tridentinum loc. cit. num 76. et de officio, et potest. Episcop. part. 3. Allegat. 60. num. 51. et de officio et potest. Parochi dict. cap. 2. n. 50. (22. Quando nullus ad Concursum comparuit, aut certe nullus ex comparentibus vult subire examen, Episcopus assignare debet aliud tempus, sive Edictum, et si adhuc nemo comparet, vel alias nemo idoneus reperitur, tunc conferre potest sine Concursu. Sic pluries decisum fuisse a Sacra Congreg. Concil. testatur Garcias loc. citat. num. 218. Barb. de Offic. et potest. Parochi loc. citat. num. 51.

(23. Edictum Concursus debet proponi ab Ordinario loci, ubi existit Beneficium Curatum vacans, et ibidem examen est peragendum, etiamsi Beneficium ab Ordinario alterius Diœcesis sit conferendum. Sic decisum fuisse a Sacra Congreg. Concil. refert, et tenet Gonzal. ad Reg. 8. Cancel. §. 2. procem. num. 17. Barbosa ad Conc. Trid. dict. sess. 24. cap. 18. num. 52. et de Offic. et potestat. Episcopi

Digitized by Google

alleg. 60. num. 44. Flamin. Paris. de resignat. lib. 8. cap. 9. num 102. (24. Episcopus Civitatum unitarum potest Concursum facere in Civitate, in qua reperitur, modo cum interventu Examinatorum Diœcesis, in qua sita est Parochialis; Sac. Cong. Conc. in Civitatis Castellanæ, et Hortanæ 24. Septemb. 1639. Vide tamen verb. Conc. Episcopale num. 6. (25. Concursus Parochialium vacantium, in Abbatiis, Commendis, aliisque locis subjectis Prælatis non habentibus Jus congregandi Synodum debet fieri in Civitate residentiali vicinioris Episcopi, cum ad ipsum spectet talium Parochialium Concursum edicere, et convocare, ut pluries censuit Sacra Congreg. Concil. et signanter in Forosempronien si 18. Martii 1591. in Castri Durantis 30. Aprilis 1611. et sæpe alibi. (26. Adeoque, si Civitas vicinioris Episcopi, occasione Pestis v. gr. sit bannita, et aditus sit præclusus ad eundem Episcopum viciniorem, detur potius facultas prorogandi tempus Concurrentium, quam Concursum permittere in loco subjecto Abbati, sive alii inferiori Prælato non habenti jus congregandi Synodum, et examinatores Synodales eligendi, ut censuit Sacra Congregatio Concilii in Nullius Terræ Guastallæ, Parmensis Diœcesis 17. Aug. 1630. (27. Immo Episcopus ipse Abbas, seu Commendatarius Abbatiæ nullius Diœcesis, non potest ibi Concursum facere, sed debet Concursum convocare in sua Diœcesi; eadem Sacr. Congregat. in Celsonen. 27. Septemb. 1602. (28. Potest tamen Episcopus in quocumque loco existat, etiamsi sit extra locum examinis, et etiam absentibus Examinatoribus, eligere magis idoneum, cum ad ipsum solum id spectet sine Examinatoribus; Garcia, de Benefic. part. 9. c. 2. num. 59. Massobrius in sua praxi requisit. 5. num. 20. Barbosa, de offic. et potest. Parochi dict. c. 2. part. 1. num. 93. et alii; Cardinal. de Luca, de Paroch. disc. 1. n. 20. Monacell. tom. 1. tit. 4. formul. 16. num. 2.

(29. Examen concurrentium debet fieri ab Episcopo, vel eo impedito ab ejus Vicario, et aliis Examinatoribus Synodalibus non paucioribus quam tribus, textu expresso in Concil. Tridentin. dict. sess. 24. c. 18. ibi: « Examinentur ab Episcopo, vel eo impedito, ab ejus Vicario Generali et ab aliis Examinatoribus, non paucioribus quam tribus. » (30. In Concursu possunt adhiberi plusquam tres Examinatores Synodales, sed non pauciores. Sic decisum fuisse a Sacra Congreg. Concilii refert Garcias de Benefic. part. 5. cap. 9. num. 52. Barbosa ad Trident. d. sess. 24. cap. 18. n. 80. et de Offic. et potest. Parochi part. 1. cap. 2. num. 52. (31. Examinatores ad minus sex debent eligi quotannis in Synodo Diœcesana, textu expresso in Tridentino dict. sess. 24. cap. 18. ibi : « Examinatores autem singulis annis in Diœcesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario, ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, et ab ea probentur. » (32. Examinatores Synodales in Synodo ad summum viginti eligi posse tenent Aldan. in compend. Canonic. resolut. lib. 3. tit. 9. num. 29. et Barbosa ad Tridentinum loc. cit. num. 85. attestantes ita fuisse decisum a Sac. Congreg. Concil. in Cæsaraugustana 13. Martii 1623. (33. Examinatores electi in Synodo perdurant usque ad novam Synodum, licet quolibet anno non celebretur; Sacra Congregatio Concil. in una Imolen. 10 Decembris 1695. (34. Si examinatores ante celebrationem alterius Synodi moriantur, vel in longinqua recedant, sive omnes, sive tot, ut non remaneant tres, Episcopus cum approbatione Capituli subrogabit alios æque idoneos, dummodo semper utatur existentibus. Sic pluries censuit Sac. Congreg. Conc. et signanter in una Cæsaraugustana 13. Martii 1623. et in alia Monopolitana 13. Julii 1630. et tenuit Rota in Panormitana Archipræsbyteratus 3. Decembris 1618. coram Buratto, et in eadem 5. Julii 1620. coram eodem inter ejus impressas decis. 479. num. 2. ubi habetur, Clementem VIII. speciali Indulto concessisse Episcopis facultatem deputandi Examinatores extra Synodum, deficientibus, vel impeditis Synodalibus, dummodo infra annum a Synodo celebrata; et decrevisse, quod statim lapso anno talis facultas, et eorum auctoritas expiret, ut refert Barbosa ad Tridentinum d. sess. 24. c. 18. num. 93. et de Offic. et potest. Parochi loc. cit. num. 59. et in Collectan. Bullar. verb. Examinatores Synodales num. 11. Garcias d. part. 9. de Benefic. c. 2. num. 73. (35. Hodie tamen occurrente casu peti solet facultas a Sac. Congreg. Episcop. vel Concilii, quæ subrogationem indulgere solet ad sex menses, et aliquando usque ad proximam futuram Synodum, dummodo casu vacationis occurrente semper utatur existentibus. Ita testatur Nicolius in flosculis, verb. *Examen*, sub num. 1.

(36. Examinatores necessario eligi debent, qui sint Magistri seu Doctores, aut licentiati in Theologia, vel Jure Canonico, si extent; alioquin alii Clerici sunt eligendi, qui ad id videbuntur magis idonei, textu expresso in Trid. loc. cit. ibi : « Sint vero hi Examinatores, Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut Jure Canonico, vel alii Clerici, seu Regulares etiam ex ordine Mendicantium, aut etiam Sæculares, qui ad id magis videbuntur idonei. » (37. Unde Sac. Congreg. Concil. *in una Senonensi sub die* 19. *Februarii* 1628. censuit, « Episcopum non posse eligere Examinatores Synodales, qui non sunt Doctores, seu Magistri, aut Licentiati in Theologia, aut Jure Canonico, si extent; alioquin alios Clericos esse eligendos, qui ad id magis idonei videbuntur. » Et postea *in una Turritana sub die* 10. *Martii* 1629. censuit, « in prædictos Examinatores Synodales non posse eligi Clericos sæculares, aut Regulares, qui dictis gradibus non sint insigniti, nisi ulli viri qualitatis superius expressæ non extent, quo casu sunt eligendi, qui ad munus exercendum magis idonei videbuntur, eorumque vota æqualis valoris, et efficaciæ erunt, sicut aliorum. » (38. Et cum quæsitum fuisset : An Examinatores, tam ex Capitulo, quam ex Clero deputati in Synodo, qui non sunt Doctores, debeant denuo deputari ex dispositione

Digitized by Google

Sacri Concilii Tridentini, Sacra Cong. Concil. in una Fulginaten. 18. Novembris 1645. ad cap. 18. sess. 24. de reformat. censuit electionem sustineri tamquam de magis idoneis. (39. Tales electi Examinatores debent ad sacra Dei Evangelia jurare se fideliter munus suum executuros; textu expresso in Tridentino loc. cit. ibi : « Jurentque omnes ad Sancta Dei Evangelia se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros. » (40. Hoc juramentum est de forma substantiali, eoque deficiente Examinatores non dicuntur legitimi, et Concursus factus coram eis ante præstitum juramentum, est nullus; Sacr. Congregat. Concil. in una Bisinianen. sub die 2. Decemb. 1628. ubi censuit, « Concursus factos non præstito juramento ab Examinatoribus Synodalibus fuisse nullos, sed ex gratia convalidandos, facto verbo cum Sanctissimo, qui confirmavit, et convalidavit; » ut refert Barbosa de Offic. et potest. Parochi, loc. cit. num. 78. et ad Concilium Trident. loc. citat. num. 105. et in Collectan. decis. Apostol. verb. *Concursus* num. 18. et tenent communiter Doctores. (41. Sufficit tamen ad validitatem Concursus quod hoc juramentum sit semel præstitum, sive in Synodo, sive extra Synodum. Non enim requiritur, quod juramentum præstetur in Synodo, ut communiter tradunt Garcias de Benefic. part. 9. cap. 2. num. 359. Lotter. de re Benefic. l. 2. qu. 31. num. 94. Pax Jord. tom. 2. lib. 10. tit. 8. num. 133. Card. de Luca de Paroch. disc. 3. num. 8. Gavant. in praxi Synodi, cap. 31. num. 8. Pignatell. tom. 1. consult. 13. Monacell. tom. 1. tit. 6. form. 7. num. 3. et alii passim. Et desumitur ex ipso Tridentino loc. cit. quia cum ibi Concilium concedat posse eligi in Examinatores etiam Regulares, qui non interveniunt in Synodo, manifeste colligitur, et quod extra Synodum possint hujusmodi juramentum præstare; et fuit expresse a Rota decisum in una Fanen. Parochialis 28. Julii 1596. coram Corduba. Examinatores in Concursus tenentur judices esse non tantum doctrinæ, sed et cæterarum dotium, quæ necessaria sunt ad Parochiale officium; Bened. XIV. in Const. 68. tom. 1, incip. *Cum illud.*

(42. Concursus est nullus, in quo cum Examinatoribus Synodalibus alius intervenit, qui non erat de Synodalibus, isque examinavit; Sacra Congregatio Concil. *in Messanen.* 9 *Septembris* 1628 *et* 15 *Decembr.* 1629. Rota *in Bassanensi Parochialis* 18 *Febr.* 1628, coram Card. Virili, et in Niciens. Parochialis 25 Junii 1629, coram eodem. Et tenet Fagnan. in cap. *Cum sit ars, et qualitate* n. 55, ubi refert, quod Sacra Congregatio consulta ab Episcopo Carthaginensi, an Concursus, et Examen pro Parochialibus providendis factum a tribus, vel quatuor Examinatoribus Synodalibus una cum aliis tribus, vel quatuor, ab Ordinario tamen deputatis, sit contra formam Tridentini Concilii, et provisiones Parochialium, sic ab eo Ordinario factæ, sint nullæ, et Sedi Apostolicæ reservatæ, (43. « respondit esse contra formam a Tridentino Concilio præscriptam, nullusque esse momenti, et collationem ad Sedem Apostolicam vigore Constitutionis Sancti Pii V. esse devolutam. » (44. Si vero cum Examinatoribus Synodalibus intersit aliquis, qui non sit Examinator Synodalis, isque post examen interroget tantum honoris causa, nec det votum, nec se subscribat, Concursus est validus. Talis enim Concursus est habitus juxta formam Concilii in substantialibus observatam, cum sit factus ex solo Examinatorum Synodalium examine, et voto; et mutatio circa non substantialia non inducat mutationem formæ; Rota recent. p. 2, dec. 26, n. 3. Non enim prohibet Concilium, quin alii materialiter intersint Concursui, ac proinde censetur permittere; argum. text. in leg. *Nec non*, §. *Quod eis*, *ff. ex quibus caus. major.* et ita expresse declaravit Sac. Congreg. Concilii die 2 Septembris 1634, nempe Sacr. Congregat. censuit « Concursum esse nullum, quando Examinator non Synodalis Suffragium suum dat cum aliis Synodalibus; Secus si tantum interroget, et alii suffragium ferant in numero debito. » (45. Concursus est nullus, ubi fuerunt adhibiti Examinatores deputati in Synodis præcedentibus, quatenus tamen prædicti Examinatores in Synodo posteriori non fuerint confirmati; Sacra Congreg. Concil. in Neapolitana 13 Julii 1630. (46. Examen factum sine Examinatoribus Synodalibus in collatione Parochialium Jurispatronàtus Ecclesiastici, seu Laicalis, vel mixti, quando plures præsentantur, est nullum; Sacra Congr. Concilii in Vercellen. 21 Martii 1643.

(47. Episcopus non habet votum decisivum in Concursu, sed tantum accedit, ubi vota sunt paria, aut singularia; Concilium Tridentinum loc. citat ibi : « Quorum votis, si pares, aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur. » (48. Approbatus autem nemo censetur, si ex tribus Examinatoribus quilibet eorum unum approbaverit, et alii duo approbatum ab altero reprobaverint, licet Episcopus uni accedat. (49. Idem dicendum quando sunt quinque Examinatores, et quilibet eorum approbat unum ex examinatis, et cæteri quatuor reprobant approbatum ab altero, tunc enim nemo approbatus censetur, licet Episcopus uni accedat. (50. Idem etiam dicendum si unus tantum compareat ad se examinandum coram tribus Examinatoribus, uno illorum approbante, et aliis duobus reprobantibus, quia illi non potest accedere Episcopus, et talis examinatus dicitur reprobatus. Ita decisum fuisse a Sac. Congr. Conc. refert Garcias de Benefic. part. 9, c. 2, n. 60. (51. Non spectat ad Examinatores, sed ad Episcopum solum judicare, et eligere quis ex Concurrentibus ad Parochiam vacantem sit magis idoneus. Sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Concilii referunt Zerola in praxi Episcopor. part. 1, verb. Parochia § 2, Garcias dict. cap. 2, num. 105. Barbosa de Offic. et po-

Digitized by Google

est Parochi loc. cit. num. 90, et ad Tridentinum loc. cit. num. 121 et alii.

(52. Rejectus autem in Concursu Parochialis potest provocare ad novum examen coram Judice Appellationis, etiam antequam doceat de irrationabili judicio Episcopi; Sacr. Congreg. Conc. in Urbinaten. sub die 9 Septembr. 1628. (53. Atque ita intelligendam esse Constitutionem Sancti Pii V. alias dixit eadem Sacra Congregatio in una Montis Regalis 2 Augusti 1607. (54. Et sic pariter fuit declaratum, quod novus Concursus dandus sit in Urbe, ubi fuit appellatum a mala Episcopi electione, et ad eamdem Urbem pro novo Concursu vocandus sit præelectus ab Episcopo; eadem Sacra Congregat. Concil. in Reatina 16 Martii 1630, et in Pisana 17 Junii ejusdem anni 1630. (55. Immo quia in casu illius decisionis Sacræ Congregationis præelectus noluit accedere, eadem Sacra Congreg. sub die 17 Aug. ejusdem anni 1630. mandavit « significari D. Datario, ut expediret Bullas ad favorem appellantis, amoto a Beneficio detentore. » (56. Dato quod examen omnium Concurrentium una die fieri non possit, poterit in alia continuari. Si vero suspicio aliqua sit, quod Examinandi secunda die veniant in cognitionem interrogationum Examinis præcedentis, nova tunc poterunt fieri interrogatoria, ut censuit Sacra Congregatio Episcop. et Regularium sub die 20 Jul. 1591. Nunc tamen servanda est novissima dispositio Clementis XI. et Benedicti XIV. adducta supra ante art. 1, num. 4 et 5. (57. Canonicatus Pœnitentiariæ, et Canonicatus Theologalis debet conferri per Concursum ex novissima dispositione Benedicti XIII. in Constitut. incip. *Pastoralis.*

(58. In Concursu ad Parochialem, si collatio pertinet ad Episcopum, judicium de digniori ex approbatis ab Examinatoribus, pertinet ad illum; si vero Beneficium sit Patronatus Ecclesiastici, tunc prælatio ad Patronum spectat. Si Patronatus sit laicus, ab Examinatoribus deputatis approbandum, sed sine Concursu. Patronus debet eligere. Si tamen in Patronatu laicali plures sint Patroni, et a singulis suus præsentetur, ita ut singuli non habeant jus præ alio, tunc Concursus instituendus est, et ad Episcopum pertinet præelectio inter approbatos, ut ex Decreto Sac. Congreg. apud Barbosam; Benedictus XIV. de Synodo Diœces. lib. 4, cap. 8, § 8 et 9.

(59. Concursus habendi pro collatione Parochialium lege præscribuntur a Bened. XIV. tom. 1, Constit. 68, incip. *Cum illud.* Vide supra ante art. 1, ubi sub num. 5, traditur summarie dispositio dictæ Constitutionis.

(60. Quo ad Parochiales, et Beneficia, quæ conferri debent per Concursum, vel non; vide verb. *Beneficium*, etc., art. 3. a num. 31. ad num. 57.

ADDITIONES AUCTORIS.

(61. Terminus ille decem dierum, et ad summum viginti dierum, qui prorogari ab Episcopo regulariter nequit, non est pro perfectione Concursus, sed pro convocatione eorum, qui concurrere volunt, ut monent Barbos. ad Concil. Trident. sess. 24, cap. 18, num. 58. de Reform. Ventrigl. Prax. For. Eccl. p. 3, adnot. 5, § 1. num. 15. Loter. de re Benef. lib. 2, quæst. 35, num. 48, et seq. (62. Quo fit, ut elapso etiam termino illo, liberum Episcopo sit differre Concursum usque ad ultimam diem semestris, si vacatio contigerit in suo mense, et pariter usque ad ultimam diem quatrimestris, si evenerit in mense reservato, ut præter mox allegatos firmant Massobr. in Prax. habend. Concurs. req. 5, dub. 10, num. 2. Fagnan. de Jurepatron. part. 5, con. 10, cas. 1, num. 50.

(63. Quod si Episcopus in edicto pro convocatione nullam habuit mentionem de die, quo Concursus convocandus esset, debet omnibus, qui in albo Concurrentium se descripserunt, notificare diem hunc, et quidem non per novum edictum, sed per citationem personalem, idque quia ubi certus est oppositor, citandus est personaliter, et non per edicta, ut tradunt Ventriglia in Prax. For. Eccles. t. 2, adnot. 5, § 1, num. 17. Leuren. For. Benefic. part. 1, c. 3, § 4, quæst. 180, in fin.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(64. Non est hic omittendum Episcopi Novariensis Josephi Mariæ Maraviglia documentum, qui in aureo suo et perraro tractatu de Legibus Prudentiæ Episcopalis Lege 187, hæc habet: Episcopalis Prudentiæ praxis, et consuetudo ea est, ut Clericus ille velut aptior ad beneficium obtinendum, et ad exercendam animarum curam approbetur, qui ex majori Synodalium Examinantium parte magis reputatur idoneus. (65. Mos iste instituendi, sive probandi Concursus fere apud omnes Episcopos inolevit, quo tamen doctrinæ, vel rationis fundamento id sit institutum, nemini hactenus factis deprehensum est. (66. Neque praxis ejusmodi sola consuetudine firmanda est, cum ex cap. de consuetud. ex cap. Cleric. de Judiciis, et ex cap. de Sacros. Eccles. non omnis consuetudo faciat doctrinam probabilem amplectendam, doctrina namque probabilis fit talis potius ratione, quam authoritate, aut consuetudine, ut optime Brav. exerciti. 1. Pasqualig. decis. 2, et alii quamplures. (67. Cum igitur Episcopalis prudentiæ munus id unum sit, ut semper rationabilius operetur, et possit Episcopus plerumque rationabilius agere adhærendo probabiliori unius Examinatoris judicio, quam minus probabili plurium sententiæ, et voto, hinc sequitur apertissime in Episcopi arbitrio positam esse, idque tutissima conscientia, illius concurrentis electionem ad beneficium, cui etiam major (68. Examinatorum numerus

Digitized by Google

suis renuat votis, favente huic doctrinæ Jure Civili, et Canonico in l. § *neque*, cap. de veter. Jure enuclean. ubi habetur; « sed neque ex multitudine authorum, quod melius, et æquius est judicari debet, cum possit unius forsan sententia, et multos, et majores aliqua in parte superare » et ex cap. *Capellanus.* de feriis habetur, Summum Pontificem ex duabus propositis opinionibus, magis singularem elegisse, ex eo quod meliori, et probabiliori inniteretur rationi. (69. Quæ prudentiæ regula servari poterit ab Episcopo etiam in aliis publicis consulentium Doctorum congressibus ad id genus alia instituendis, in quibus unius opinio, dummodo sit optima ratione munita, poterit communiori præferri; omnis enim opinio habet probabilitatem a ratione, quæ dicitur probabilitas intrinseca, nimirum ex principio intrinseco, ad differentiam probabilitatis extrinsecæ, quam facit opinantium authoritas. (70. Cum itaque possit esse melior ratio in uno, quam in pluribus, et ideo etiam probabilitas major, sic poterit ab Episcopo unius tantum opinio eligi, et probari in quocumque eventu, relicta multorum opinione contraria.

CONCUSSIO.

Vide verb. Poena. *art.* 2, *a num.* 82 *ad* 85.

CONDITIO

PROUT EST IMPEDIMENTUM MATRIMONII.

Vide verb. Matrimonii quoad impedimenta, *art.* 1, *a n.* 16 *ad* 22.

CONDUCTIO. CONDUCTOR.

Vide verb. Locatio per tot.

CONFESSARIUS.

SUMMARIUM.

Articulus I. — *Quæ requirantur in Confessario ad valide, et rite ejus officium exercendum.*

1. In Confessario, ut valide ejus officium exerceat, requiritur intentio, potestas Ordinis, et Jurisdictionis. — 2. Intentio Confessarii est conditio sine qua non. — 3. Talis intentio, ut sit sufficiens, debet esse actualis, vel virtualis; non sufficit habitualis. — 4. Potestas Ordinis necessario requiritur in Confessario, quia solus Sacerdos est legitimus Sacramenti Pœnitentiæ Minister, *usq. ad n.* 5. — 6. Potestas Jurisdictionis etiam necessario requiritur in Confessario; cum absolutio data a Sacerdote sine Jurisdictione sit nulla, *usq. ad n.* 10. — 11. Defectu Jurisdictionis simplex Sacerdos non approbatus neque valide potest absolvere a peccatis venialibus, aut mortalibus alias confessis, *usq. ad n.* 12. — 13. Possunt tamen simplices Sacerdotes in articulo mortis absolvere nedum a venialibus, et mortalibus alias confessis, sed insuper a quibusvis casibus, et Censuris, etiam reservatis. — 14. Pro tali casu Ecclesia dat Jurisdictionem omnibus Sacerdotibus, etiam degradatis, Excommunicatis vitandis, Irregularibus, Apostatis, seu hæreticis. — 15. Talis ampla potestas extenditur ad probabile periculum mortis. — 16. Simplex Sacerdos non potest in tali articulo absolvere præsente Sacerdote approbato, *usq. ad n.* 17. — 18. Confessarius Sacramentum Pœnitentiæ sine debita intentione administrans peccat graviter, et sacrilege. — 19. Immo graviter peccaret, et Sacrilegium committeret, etiamsi Sacramentum simularet ex gravi metu, vel alia causa, *usq. ad n.* 21. — 22. Potest tamen Confessarius, qui reperit pœnitentem absolutione indignum, obmurmurando recitare *Pater noster*, vel hujusmodi, ne prodat apud adstantes pœnitentis indignitatem. — 23. Nemo sine potestate Ordinis, etiamsi esset in Sacris constitutus, potest in ullo casu Confessiones excipere. — 24. Hinc Sacramentaliter audens absolvere cum non sit Sacerdos, fit suspectus ab hæresi, et si compleverit vigesimum annum est degradandus, et brachio Sæculari tradendus, et ultimo supplicio afficiendus. — 25. Nullus Sacerdos sive Sæcularis, sive Regularis potest confessiones excipere sine potestate jurisdictionis, sive sine approbatione, aliter absolutio esset nulla, gravissime peccaret, et rigide posset, et deberet puniri *usque ad n.* 27. — 28. Potestas Jurisdictionis est duplex, ordinaria scilicet, et delegata. Quid sit utraque hæc potestas? *usque ad n.* 29. — 30. Quomodo differant inter se potestas Ordinis, et potestas Jurisdictionis quantum ad facultatem absolvendi? *usque ad n.* 32. — 33. Error communis potest dare jurisdictionem, si in vero sensu capiatur. Hinc error communis potest capi dupliciter; Error communis cum titulo colorato, seu putativo et error communis sine titulo colorato, et putativo; et quid sit uterque hic error communis? *usque ad n.* 35. — 36. Error communis cum titulo colorato, et putativo dat jurisdictionem ad valide absolvendum, licet occultum subsit impedimentum ex jure positivo proveniens. — 37. Secus autem si defectus, seu impedimentum esset ex jure naturali, vel divino proveniens. — 38. An autem etiam error communis sine titulo colorato, seu putativo det jurisdictionem ad valide absolvendum, fiat duplex contraria sententia, una negativa, altera affirmativa: et quamvis sententia negativa sit communior, affirmativa tamen est magis pia, communi utilitati, et animarum saluti magis consentanea, *usque ad n.* 42. — 43. In Confessario ultra tria requisita ad valide absolvendum, scilicet intentio, potestas Ordinis, et potestas Jurisdictionis, requiruntur alia tria ad rite, licite, et digne absolvendum, scilicet Probitas, Scientia, et Prudentia. — 44. In confessario ita requiritur probitas, ut si existens in peccato mortali scienter administret Sacramentum Pœnitentiæ, peccat mortaliter, *ad n.* 45. — 46. Immo Confessarius si absolvat in mortali, quamvis continuate Confessiones audiat, toties peccat, quoties successive aliquem absolvit, ut sentiunt multi Doctores. — 47. Quamvis tamen id negent aliqui; et varii alii merito dicunt esse probabile, quod talis Confessarius tantum semel peccet, ex quo videatur esse unicum tantum continuatum ministerium. — 48. Ut Confessarius licite, et digne audiat confessiones, debet habere saltem scientiam mediocrem, qua cognoscat id, quod ad suum spectat offi-

Digitized by Google

cium, et quidquid debeat judicare, discernat. — 49. Non tenetur tamen habere scientiam eminentem. Hinc habes quod duplex est scientia, una mediocris, et altera eminens : et quid sit utraque hæc scientia? *usque ad n.* 50. — 51. Scientiam mediocrem tenentur omnes Confessarii habere secundum magis, et minus, attenta diversitate personarum, et locorum. — 52. Confessarius ignorans quæ scientia mediocri saltem principaliter scire teneatur, peccat mortaliter se exponendo ministerio confessionis. — 53. Immo Confessarius ignarus ex ignorantia absolvens quem absolvere non poterat ob reservationem peccati, vel indispositionem pœnitentis, dupliciter peccat mortaliter. — 54. Quinimmo talis ignarus Confessarius, nisi congruam diligentiam sincere proponat, ipsemet confitens ab alio Confessario absolvi non poterit. — 55. Monitio ad tales Confessarios, *usque ad n.* 56. — 57. Monitio ad pœnitentes, qui scientes ad tales Confessarios accedunt, *usque ad n.* 58. — 59. Prudentia Confessarii principaliter consistit ut pro diversis, diversus sit medicus, diversus Doctor, diversus Judex, *usque ad n.* 63. — 64. Prudentia Confessarii maxima requiritur in exequendis Brevibus Sacræ Pœnitentiariæ, præsertim in certiorandis conjugibus de nullitate consensus ob impedimentum dirimens, quando alter eorum inscius contraxit. — 65. Circa hunc casum plures a Doctoribus traduntur modi certiorandi partem insciam, *usque ad n.* 79. — 80. Prudentia Confessarii potissimum requiritur, cum in confessione a pœnitente sponso, vel sponsa ei aperitur aliquod impedimentum dirimens, et jam parata sunt omnia ad nuptias, nec potest ab illis abstineri ad evitandam suspicionem alicujus criminis vel infamiæ inter sponsos, *usque ad n.* 83. — 84. Prudentia Confessarii requiritur pro discernendo quando debeat, vel non monere pœnitentem ignorantia alicujus gravis mali laborantem, *usque ad n.* 86. — 87. Absolutio Sacerdotis non approbati est nulla. — 88. Absolutio impertita complici in peccato turpi extra casum necessitatis irritatur. — 89. Hæc valida in articulo mortis, absque necessitate. — 90. Sed Sacerdos incurrit censuras Papæ reservatas. — 91. 93. Quænam Absolutiones irritæ Papæ reservantur. — 94. Absolutio denegatur ignorantibus mysteria Fidei, tenenda *necessitate medii*. — 95. Quid si tenenda necessitate præcepti. — 96. 97. Absolvendi facultas a casibus reservatis et censuris conceditur Cancellario Militiæ S. Januarii, et Confessariis Militiæ S. Joannis Hierosolymit. — 98. Non potest Superior Regularis inferiores absolvere a percussione Clerici Sæcularis. — 9 . 107. Quo jure Sacerdos potestatem absolvendi obtineat. — 108. De adprobatione Confessarii. *Remissive.* — 109. Casus in quibus probabiliter Complex Sacerdos in mortis articulo valide absolvere potest. — 110. Error communis sine titulo colorato jurisdictionem certam non confert. — 111. Si pœnitens sit in bona fide, et desperatur de restitutione, non admonendus. — 112. De debito pœnitentes interrogandi. — 113. De Confessionibus olim Diaconis, Abbatissis, et laicis factis. — 114. De Potestatis in Sacramento Pœnitentiæ origine.

ARTICULUS II. — *De facultate Regularium absolvendi Sæculares a Censuris et Casibus Apostolicæ Sedi reservatis.*

1. Causa hujus Appendicis scribendæ. — 2. Natalis Alexandri opinio de facultate absolvendi Sæculares a Censuris, et Casibus Apostolicæ Sedi reservatis generatim ubique Regularibus sublata, ejusque fundamenta. — 3. Hæc nullius momenti esse evincitur *ad n.* 12. — 13. A quibus Casibus Sedi Apostolicæ reservatis absolvere pœnitentes suos Sæculares possint Religiosi, qui sunt extra Italiam, vel in Urbe; a quibus qui intra Italiam extra Urbem. — 14. Quid de Casibus a Romanis Pontificibus post Decreta publicata sub Clemente VIII reservatis.

ARTICULUS III. — *Quoad varia alia, quæ concernunt Confessarium.*

1. Confessarius tenetur absolvere pœnitentem alias dispositum juxta sententiam vere probabilem ipsius pœnitentis, etiam contra propriam opinionem. — 2. Confessarius, nec debet, nec potest absolvere peccatores recidivos, et consuetudinarios, qui crebro peccant contra legem Dei, Naturæ, et Ecclesiæ, si nulla ipsis appareat spes emendationis. — 3. Nec potest Confessarius absolvere pœnitentem, qui est in proxima occasione peccandi, quam potest, et non vult dimittere; quinimmo directe, aut ex proposito quærit, aut ei se ingerit, non excusante, quod illa occasio multam conferat utilitatem. — 4. Nec potest Confessarius absolvere pœnitentes, quos cognoscit culpabiliter ignorare Mysteria fidei, et præcipue illud Sanctiss. Trinitat. et Incarn. Christi Domini. — 5. Nec potest Confessarius in magno pœnitentium concursu ipsos solummodo dimidiate audire, et absolvere, sed debet ipsos singillatim integre audire, et non nisi integre confessos absolvere, et dimittere. — 6. Religios. semel simpliciter approbati possunt in Diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, et quorumcumque etiam infirmorum Confessiones audire, absque ulla Parochorum, vel ipsius episcopi licentia; de qua tamen confessione tenentur dicti Religiosi eorumdem infirmorum Parochum, saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam certiorem reddere. — 7. Valde convenit, ut Confessarii extra casum infirmitatis aut alterius honestæ causæ nonnisi in Ecclesia audiant Confessiones. — 8. Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium approbavit Ordinarii Constitutionem; qua prohibebatur, quod Regulares non audirent Confessiones sæcularium in propriis Cellis. — 9. Confessarii sine necessitate audire non debent mulierum Confessiones post crepusculum vespertinum, et ante auroram. — 10. Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium laudavit prohibitionem audiendi mulierum, et puerorum Confessiones extra Sedem Confessionalem, vel e conspectu, et non interposita Crate sub pœna suspensionis ab audiendis Confessionibus, et postea literis Encyclicis hoc idem injunxit Sacr. Congregat. Inquisitionis. — 11. Confessarii possunt juberi ab Episcopo, ut denegent absolutionem parentibus notabiliter contumacibus quoad filiorum educationem in rebus ad animarum salutem spectantibus. — 12. Confessarius non absolvat sollicitatos, nisi denuncient sollicitantes. — 13. Confessarius sollicitans denunciandus a sollicitato. — 14. Confessarii sollicitantes inhabilitantur perpetuo ad Missæ celebrationem. — 15. Calumniatores Confessariorum quoad sollicitationem privantur beneficio absolutionis — 16. Constitutiones Greg. XV. et Bened. XIV. a Confessariis approbandis legenda. — 17. Constit. contra sollicitantes observanda a Græcis. — 18. Confessarius caret jurisdictione absolvendi socium criminis. — 19. Absolvens incurrit excommunicationem Papæ reservatæ. — 20. 21. Quid si pœnitens complex sit in mortis articulo. — 22. 28. Confessariis interdicitur exquirere a pœnitentibus nomina complicum in crimine; et pœnæ in exquirentes.—29. Confessarius Ordinarius Monialium unicus pro tota Communitate deputari debet.—30. extraordinarius bis aut ter concedendus. — 31. 33. Ad quid tenentur Extraordinarius et Moniales.—34. Confessarii Extraordinarii electio ad quem pertinet. — 35. Ad quem approbatio. — 36. Prælatorum Regularium negligentia in deputatione Extraordinariorum supplenda ab Ordinario; Ordinariorum a Cardinali Pœnitentiario. — 37. 41. Quandonam Extraordinarius concedendus peculiaribus Monialibus. — 42. 45. Quid statuerunt Innoc. XIII. et Bened. XIII. de Extraordinariis deputandis Monialibus Regularibus subjectis. — 46. Extraordinarius, expleto officio, abstineat ab accessu ad claustra Monialium. — 47. Confessarius Ordinarius nequit excipere Confessiones, durante officio Extraor-

Digitized by Google

dinarii. — 48. Confessarius Regularis qui non est Prælatus Monasterii non potest esse Judex in causis de nullitate Professionum. — 49. Facultates Confess. tempore Jubilæi. — 50. Vi Bullæ Cruciatæ. — 51. 53. Confessarius electus in vim Bullæ Cruciatæ pro absolutione a censuris, approbandus ab Ordinario loci. — 54. Absolvens absque approbatione incurrit suspensionem ipso facto, et absolutio est nulla. — 55. Confessarii quotannis Exercitiis spiritualibus vacent. — 56. Confessarius requisitus de attestatione Confessionis, debet illam concedere, sed non debet de absolutione affirmare. — 57. Pœnitens tempore Paschæ absolutus Confessario proroganti ejus communionem potest parere absque peccato. — 58. Decretum Sacræ Pœnitentiariæ. — 59. 63. Nota Censoris Theologi ex Edit. Romana. — 64. Responsio Auctoris. — 65. Animadversio novissima in superiorem Auctoris responsionem. — 66. Constitutiones Bened. XIV. de Sacr. pœnitentiæ quoad complices in peccatis declarantur.

ARTICULUS IV. —*Confessarius Monialium tam Ordinarius, quam Extraordinarius.*

1. Monialium Confessarii eligi debent, et approbari ab Episcopo loci pro monasteriis sibi subjectis. — 2. Pro monasteriis autem Regularibus subjectis eligi, et deputari debent a suis respective Superioribus Regularibus; ab Episcopo Diœcesano debent idonei judicari, et approbari. — 3. Potest tamen Episcopus in aliquibus casibus deputare Confessarium Sæcularem, seu Regularem etiam alterius Religionis monialibus exemptis. — 4. Quod Episcopus in casu negligentiæ Superiorum possit deputare Confessarium Extraordinarium monialibus Regularibus subjectis, decrevit expresse Sacr. Congreg. Concilii. — 5. Insuper potest Episcopus ex justa et rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut ejusmodi Confessarios amoveant, et si Superiores id facere detrectent, aut negligant, potest ipse prædictos Confessarios amovere quoties, et quando opus esse judicaverit. — 6. Nec Episcopus tenetur ejusmodi causam significare superioribus Regularibus. — 7. Confessiones monialium sibi subjectarum auditæ a Confessariis Regularibus sine approbatione Episcopi sunt irritæ, et nullæ. — 8. Neque Superiores quicumque, etiamsi sint Generales, possunt sine approbatione Episcopi audire Confessiones monialium sibi subjectarum. — 9. Licet iidem Confessarii sint generaliter approbati ab Episcopo ad audiendas Confessiones Sæcularium, adhuc est eis necessaria approbatio pro monialibus sibi subjectis. — 10. Nec approbati ab Episcopo ad audiendas Confessiones Monialium unius monasterii, censentur approbati ad audiendas Confessiones Monialium alterius Monasterii. — 11. Etiam Confessarii Extraordinarii indigent speciali approbatione Episcopi. — 12. Nec semel approbati censentur semper approbati. — 13. Nec in vim unius approbationis possunt pluries monialium etiam ejusdem monasterii Confessiones audire, sed toties debent ab Episcopo approbari, quoties casus deputationis contigerit. — 14. Immo tales Confessarii indigent approbatione Ordinarii ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum non obstante etiam contraria consuetudine immemorabili. — 15. Confessarii non approbati specialiter ad audiendas Confessiones monialium, nequeunt earum Confessiones audire, neque tempore Jubilæi. — 16. Approbatus pro Monialibus unius monasterii, neque tempore Jubilæi censetur approbatus pro monialibus alterius monasterii. — 17. Confessarius præsentatus ad excipiendas Confessiones Monialium Regularibus subjectarum debet, vel absolute rejici, vel per totum triennium approbari, non vero ad tempus brevius. — 18. Nulla ex Monialibus subjectis Regularibus sentiens se non gravatam mortali culpa potest de venialibus valide confiteri Sacramentaliter cuicumque Sacerdoti non approbato ab Ordinario. — 19. Confessarii monialium durare possunt solum triennio, quo elapso, non possunt amplius audire Confessiones in eodem monasterio per aliud tempus absque licentia Sacræ Congregationis, alias declarantur suspensi ab audiendis confessionibus. — 20. Quod habet locum etiam in Confessario conservatorii puellarum, ac aliarum quarumcumque mulierum. — 21. Confessarii vero Dominicani, et Casinenses non possunt durare in hujusmodi Officio nisi per biennium. — 22. Si autem esset quis deputatus Confessarius ad aliquot menses per modum supplementi, poterit iste in generali deputatione Confessariorum, quæ postea fiet, ab Ordinario eligi in Confessarium ejusdem Monasterii ad integrum triennium. — 23. Confessarius, si expleto triennio, ex dispensatione Sacræ Congregationis, eligatur ad aliud triennium, non potest rursus expleto secundo triennio absque alia dispensatione eligi ad tertium triennium. — 24. Confessarii Monialium esse non possunt qui sunt Vicarii Generales. — 25. Neque Parochi, si exinde cura notabiliter pateretur. — 26. Neque Minores Conventuales. — 27. Neque Observantes Provinciæ Reformatæ S. Antonii Lusitaniæ. — 28. Et generaliter Regulares, non solum non possunt esse Confessarii Ordinarii, sed neque Cappellani monialium Ordinario subjectarum. — 29. Unde Ordinarii non possunt uti opera Confessariorum Regularium, etiam pro Confessariis Extraordinariis, nisi in casu necessitatis. — 30. Sic etiam Parochi licet ordinarie non possint deputari Confessarii monialium, possunt autem, si exinde cura notabiliter non patiatur. — 31. Sic pariter licet regulariter Canonicus Pœnitentiarius non possit deputari Confessarius Monialium ubi non valeat utrique muneri satisfacere; potest tamen deputari, ubi valet utrumque munus adimplere. — 32. Præter Confessarium Ordinarium debet etiam alius Extraordinarius ab Episcopo, et aliis Superioribus bis, aut ter in anno monialibus offerri. — 33. Potest tamen confessarius extraordinarius eis concedi a Superioribus per plures vices, quam ter in anno. — 34. Moniales nequeunt recusare unum Confessarium Extraordinarium, seu Ordinarium, et alium petere, nisi assignata justa causa recusationis. — 35. Possunt tamen moniales etiam sine causa recusare Confessarium Extraordinarium, nullum alium loco ipsius petendo. — 36. Moniales, quamvis, si nolint, non teneantur omnes Confessario Extraordinario confiteri, tamen coram ipso debent omnes successive comparere, etiam quæ confiteri nolunt. — 37. Adducitur ad id Edictum pro monialibus Urbis, mandante Clemente XI. editum. — 38. Confessarius Extraordinarius nunquam datur pro Moniali particulari. — 39. Nec perpetuus, neque ad tempus. — 40. Nisi per sacram Pœnitentiariam pro una vice tantum, vel de licentia Sacræ Congregationis. — 41. Potest tamen Episcopus ex aliqua speciali ratione concedere Extraordinarium alicui Moniali particulari, puta in articulo mortis. — 42. Confessarius Extraordinarius potest deputari a Superioribus quolibet anni tempore, et ad dies sibi bene visos, prout suadent circumstantiæ hic, et nunc concurrentes. — 43. Dies autem determinati, si non obstet vel consuetudo, vel statutum aliquod particulare, incipiunt currere a die cœpti exercitii. — 44. Tempore deputationis Confessarii Extraordinarii expedit, quod Ordinarius non accedat ad Monasterium. Immo pro Monasteriis Urbis hoc præcipitur expresse omnibus Confessariis sub gravissimis pœnis. — 45. Sic etiam expedit, quod Confessarii omnes, tam Ordinarii, quam Extraordinarii completo suo Officio, et Ministerio, non amplius ad dicta Monasteria accedant, neque ob motivum directionis, et conferentiæ spiritualis. Immo pro Monasteriis Urbis hoc expresse præcipitur omnibus dictis Confessariis sub gravissimis pœnis. — 46. Prælati Regulares in Regnis Hispaniarum tenentur

Digitized by Google

saltem semel in anno deputare pro Monasteriis sibi subjectis Confessarium Extraordinarium, aut Sæcularem, aut Regularem alterius Ordinis, alias ipsum poterunt deputare Episcopi. — 47. Et quod pro Monialibus subjectis Regularibus deputentur Confessarii extraordinarii, etiam qui ejusdem Ordinis non sunt Regulares, jam decreverat Sacra Congreg. in Neapolitana. — 48. Confessarii, et Cappellani Monialium possunt celebrare Missas Sanctorum, de quibus ipsæ recitant Officium, sed cum Missali Romano, et de communi. — 49. Confessarii Monialium debent esse in ætate supra quadraginta annos. — 50. Socii autem Confessariorum debent esse in ætate supra quinquaginta annos. — 51. Confessarii Monialium non possunt ingredi Clausuram ad peragendum Officium Funeris. — 52. Alias omnes culpabiles incurrunt Excommunicationem violatæ clausuræ. — 53. Neque consuetudo excusat a Censura inflicta adversus violatores clausuræ, nec ab ea, quæ infligitur ab Alexandro VII. nec Episcopi, et alii Superiores possunt ad id licentiam concedere. — 54. Confessarius Monialium clausuram ingressus ad administranda Sacramenta, debet ire, et redire recta via absque diverticulo, nec potest in alia parte divagari, etiam occasione visitandi alias infirmas, quibus Sacramentorum administratio non est necessaria. — 55. Cum aliqua Monialis laboret in extremis, conceditur Confessario pernoctatio in mansione prope Monasterium extra clausuram, ut ingruente necessitate illico præsto esse possit vocatus. — 56. Dum Confessarius Monialis infirmæ Confessionem audit, cellæ janua debet remanere aperta, et ambæ Comitatrices debent morari ad ejusdem cellæ januam, ita ut Confessarius, et infirma ab eis commode cerni possint. — 57. Confessarii quovis tempore etiam de nocte in casu necessitatis possunt Clausuram ingredi. — 58. Confessarius non potest ingredi clausuram ad audiendam Confessionem illius infirmæ, quæ potest accedere ad Sedem Confessionalem. — 59. Confessarii nullatenus ingredi possunt clausuram prætextu comitandi operarios, Medicos, Chirurgos, vel alios. — 60. Confessarii non possunt ingredi Clausuram, ad conspergendum Cellas Monialium, aut alia loca aqua benedicta in die Sabbati Sancti, aut quolibet alio tempore. — 61. Confessarii nequeunt ingredi clausuram ad exorcizandam Monialem energumenam. — 62. Confessarius non potest ingredi clausuram Monialium ad inibi Missam celebrandam. — 63. An Confessarius ingredi possit Clausuram ad sumendam Particulam consecratam ipso in actu communicandi Moniales in Ecclesiam interiorem elapsam. — 64. Confessarius Monialium, etiam Regularis, non indiget speciali licentia ad ingrediendum pro necessitatibus sui officii, modo per Monasterium non vagetur, sed expleto ministerio, statim exeat. Confessarius debet ingredi cum cotta, et stola, et non aliter. — 65. Confessarii Monialium quamvis generaliter deberent ingredi absque socio pro ministrandis Sacramentis infirmis Monialibus; tamen hodie Confessarius Regularis, non obstante antiqua consuetudine, absque socio ingredi non debet, sed debet ei assignari socius, qui ipsi assistat, et sit ætatis ultra quinquaginta annos. — 66. Confessarius Regularis monialium, ejusque socius (Confessionis, ac Sacramentorum administrationis casibus exceptis) easdem Moniales absque Sacræ Congregationis licentia alloqui non possunt. — 67. Confessarii Extraordinarii Monialium ac Monasteriorum, in quibus degunt, at Religionis oneribus pro eo tempore dumtaxat, quo confessionibus audiendis occupantur, excusantur. — 68. Habitatio Confessarii, licet debeat esse vicina, non tamen sit contigua, seu conjuncta monasterio, sed ab eo disjuncta, non solum per parietes, sed etiam per tecta. — 69. Confessarii Monialium debent audire Confessiones ex Sede Confessionali collocata, non quidem in Sacristia, aut alio occulto loco, sed in ipsa Ecclesia exteriori. — 70. Confessariis Monialium certa annua merces constitui debet, quæ juxta morem, et qualitatem Religionis victui illius sufficiat, eademque merces Monasterio, in quo degit idem Confessarius, si Regularis sit, persolvatur. — 71. Unde Confessarius accipere non debet a monialibus victum dietim, nec utensilia, vel lineam supellectilem, sed tantummodo annuam provisionem. — 72. Quæ non excedat duos Julios pro quolibet die. — 73. Confessarii Monialium nullo modo possunt comedere, refici, aut cibum sumere in earum monasteriis, seu in locis, ubi sunt Crates, vel Rotæ in Monasterium respondentes, vel in locis adeo vicinis, ut videri, vel audiri possint a Monialibus, neque ante portam Clausuræ. — 74. Confessarii Monialium an possint eas absolvere in Foro conscientiæ a Censuris occultis, et pœnis Papæ reservatis. *Remissive.* — 75. Ad absolvendum monialem, repentino accidenti correptam, et jam jam animam agentem, in defectu sui proprii Confessarii, potest licite quilibet alius Confessarius, seu simplex Sacerdos prope monasterium existens, seu casualiter transiens, clausuram ingredi sine ulla licentia expressa, et tali moribundæ beneficium absolutionis impertiri. — 76. Confessarius sollicitans Monialem est denunciandus Episcopo, vel Inquisitori. — 77. Monialis sollicitata, si nolit denunciare Confessarium sollicitantem, non potest absolvi. — 78. Moniali recusanti denunciare, non potest Confessarius protrahere terminum ultra tempus vi Edicti præfixum: censent tamen plures Doctores posse ei concedi tempus consulendi peritiores, dummodo id brevi præstetur, et interim data fide denunciandi, posse absolvi. — 79. Monialis recusans denunciare præ nimia verecundia alloquendi Episcopum, vel inquisitorem, seu præ timore, ne detegatur, aut alio simili respectu, potest denunciare per internuncium, seu per Confessarium. — 80. Alia de hac re. *Remissive.* — 81. His juvat addere novissimas resolutiones Sacræ Congregationis Concilii. Sed quoad duas ultimas, attendenda est posterior dispositio Benedicti XIV. — 82. Superiores Monialium tenentur bis, aut ter singulis annis exhibere Confessarios extraordinarios monasteriis sibi subjectis. — 83. Si aliqua Monialis graviter ægrotat, ut sit in mortis periculo, petatque alium Sacerdotem, qui non sit ordinarius monasterii Confessor, huic a respectivo Superiore annuendum est. — 84. Hæc Confessarii extraordinarii oblatio bis vel ter in anno, præstari debet etiam cum aliis mulieribus, collegialiter degentibus, quæ unicum habent Confessarium. — 85. Rescriptum S. C. Episcoporum et Regularium. — 86. An Moniales ex lege Fundationis vel Consuetudine jus habere possint eligendi Confessarium ab Episcopo approbandum. *Remissive.* — 87. 90. An Confessarius Ordinarius Monialium ab Episcopo destinatus, et triennio elapso ex peculiari Indulto ad aliud triennium immediate sequens confirmatus, hoc altero triennio elapso, possit ab Episcopo destinari ad tertium triennium. — 91. Ad Episcopum pertinet cognoscere, tum approbare an Confessarius Regularis pernoctare debeat prope Monasterium. — 92. Quoad alia. *Remissive.* — 93. De Confessario Regularium. *Remissive.*

ARTICULUS. V. — *Confessarius quoad ea quæ concernunt sollicitationem.*

1. Ad coercendam Sacrilegam sollicitationem ad turpia in Sacramentali Confessione, vel occasione, seu prætextu ejusdem variæ sunt editæ Pontificiæ Constitutiones. — 2. Adducitur præ aliis Constitutio Gregorii XV, quæ est norma et regula in hac materia habenda. — 3. Sollicitatio quid sit. — 4. Per personas sollicitantes intelliguntur hic omnes, et singuli Sacerdotes, tam Sæculares, quam Regulares cujuscumque Dignitatis, aut Præeminentiæ existant. — 5. Hinc sollicitans dicitur, et est denunciandus.

Digitized by Google

etiam Sacerdos non Confessarius, qui se fingens Confessarium, fœminas, seu adolescentulos ad turpia, seu carnalia provocat, et incitat. — 6. Secus autem si Laicus sit se fingens Sacerdotem et Confessarium. — 7. Talis vero Laicus esset denunciandus tamquam suspectus de Hæresi ex aliis Pontificiis Constitutionibus. — 8. Fœminæ sollicitantes in Confessione Confessarios ad inhonesta non sunt denunciandæ. — 9. Per personas sollicitatas intelliguntur hic fœminæ, et mares, puellæ, et pueri. — 10. Hinc tam mares, quam fœminæ quæcumque etiam Moniales, et mulieres nobiles sollicitatæ a Confessariis ad turpia, tenentur ipsos denunciare, et assignatur modus pro nimis verecundis. — 11. Sollicitatio fieri potest pluribus modis, nempe scriptis, verbis, signis, et nutibus, tactibus, osculis, et hujusmodi. — 12. Unde Confessarius, qui in Sacramentali Confessione, tribuit Pœnitenti, sive fœminæ, sive mari chartam postea legendam, in qua ad Venerem provocat tamquam vere sollicitans est denunciandus. — 13. Item vere sollicitans, et est denunciandus Confessarius ille, qui per inhonestos sermones Pœnitentem ad Venerem provocat. — 14. Et sic vere sollicitat, et est denunciandus Confessarius ille, qui in actu Confessionis, seu immediate ante, vel post dicit Pœnitenti : *Si ego essem Sæcularis, vellem te solam ducere in Uxorem.* Vel si dicit : *Memento mei, quia ego te ex toto diligo. Vel permitte me, ut in domum tuam veniam, et amorem tibi os endam.* Vel pulchritudinem ejus lascivis verbis laudat, atque commendat, et hujusmodi. — 15. Item vere sollicitat, et est denunciandus Confessarius ille, qui signis nutibus, osculis, tactibus lascivis Pœnitentem incitat, seu provocat ad actus venereos. — 16. Item sollicitatio fieri potest in pluribus, et diversis temporibus, nempe vel tempore actualis Confessionis, seu immediate ante, vel immediate post; seu occasione, vel prætextu Confessionis. — 17. Unde Confessarius, qui tempore actualis Confessionis aliquo ex supradictis obscœnis modis Pœnitentem ad venerea incitat, vere sollicitat, et est denunciandus. — 18. Et talis Confessarius est denunciandus, etiam non pro se, sed pro alio sollicitet. — 19. Confessarius, qui in Confessione per inhonesta verba cœpit sollicitare fœminam ad turpia, quæ eidem consensit, sed post illa verba statim desistit, nec tunc Confessarius impendit absolutionem, sed differt tum complementum sollicitationis tum absolutionis, hoc non obstante, est denunciandus. — 20. Confessarius, qui fœminam Pœnitentem ante incœptam Confessionem, et dilata in aliud tempus Confessione, osculis, seu verbis, aut tactibus obscœnis sollicitat, est denunciandus. — 21. Item denunciandus est Confessarius, qui, immediate post Confessionem, et datam absolutionem tradidit Pœnitenti chartam postea legendam, quæ continet verba incitantia, et provocantia ad Venerem. — 22. Item denunciandus est Confessarius, qui post auditam Confessionem adolescentis, quem novit pluries fuisse Sodomitice cognitum, immediate ipsum ducit ad proprium cubiculum et ipsum ad turpia sollicitat. Vel ipsi statim post Confessionem dicit : Veni hodie ad meam domum et tradam tibi Chirographum Confessionis, et ipsum illuc perrectum, ad venerem sollicitat. — 23. Item denunciandus est Confessarius, qui fœminam in Confessione cognitam adulteram, et post ipsam Confessionem pro aliquo notabili tempore in Ecclesia commoratam in recessu ad suam domum sollicitat. Vel ad ejus domum eodem die hac occasione pergit, ibique eam sollicitat. — 24. Item denunciandus Confessarius, qui vocatus hodie a muliere ad audiendam ejus Confessionem domi, sequenti die illuc perrectus, eam postposita Confessione sollicitavit. — 25. Item denunciandus est Confessarius, qui hodie mulierem pro sequenti die ad Confessionem invitat, et ipsam, antequam accedat ad Confessionarium, prævenit et sollicitat. — 26. Item sollicitatio fieri potest in pluribus, et diversis locis, nempe vel Confessionario, aut loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo. — 27. Unde Confessarius in Confessionario sedens, si mulierem ad se accedentem, non ut confiteatur, sed alic jus negotii causa, sollicitet, est denunciandus. — 28. Adducitur, et solvitur instantia. — 29. Hinc denunciandus est Confessarius, qui in loco, ubi Confessiones audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo simulans ibidem Confessiones audire, mulierem ad venerea sollicitat. — 30. Confessarii sollicitantes in Confessione, vel occasione, seu prætextu Confessionis, tam in Confessionario, quam in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, non ad venerea, sed ad alia peccata, non subjacent pœnis sollicitantium, nec ut tales sollicitantes sunt denunciandi. — 31. Item denunciandi non sunt ex vi dictarum Constitutionum Pontificiarum Confessarii, qui Pœnitentes sollicitant, non in Confessione Sacramentali, sed in aliis Sacramentis, nempe in ministratione Baptismi, Eucharistiæ, etc. — 32. Item propter eamdem rationem plurimi defendunt, quod Confessarius fœminæ sollicitanti consentiens non sit denunciandus. — 33. Alii tamen volunt talem Confessarium esse denunciandum. — 34. Pœnitentes tenentur sub mortali denunciare Confessarium sui sollicitatorem Inquisitoribus, seu Episcopis. Et de tali obligatione tenentur etiam sub mortali eos monere Confessarii. — 35. Denunciare Confessarium sollicitantem tenentur, non solum Pœnitentes sollicitati, sed etiam omnes illi, qui certo sciunt sollicitationem. — 36. Secus autem secundum multos, si non certo sciant, quamvis alii sentiant, oppositum. — 37. Moniales, et Mulieres nobiles sollicitatæ a Confessariis tenentur eos denunciare, quamvis id facere vereantur, et assignatur aptior modus id faciendi. — 38. Confessarius sollicitans non tenetur denunciare seipsum, nec monere Pœnitentem, ut ipsum denunciet. — 39. Nec pater, mater, filius, frater, soror tenetur ipsum denunciare. — 40. Nec denunciare tenetur Pœnitens, si exinde prudenter, et probabiliter grave, et ingens malum sibi, aut suis conjunctissimis timeat. — 41. Denunciatio Confessarii sollicitantis facienda est Episcopis, vel Inquisitoribus. — 42. Episcopi sollicitantes non sunt denunciandi Inquisitoribus, sed Sedi Apostolicæ; alii tamen sentiunt oppositum. — 43. Inquisitores sollicitantes, ubi sunt veri Delegati Sedis Apostolicæ, et ejus Officiales, sunt denunciandi ipsi Sedi Apostolicæ; ubi vero sunt solum Subdelegati, et Commissarii Inquisitoris Generalis, sunt denunciandi ipsi Inquisitori Generali. — 44. Generales Ordinum Regularium sollicitantes denunciandi sunt Inquisitoribus, vel Episcopis. — 45. Denunciatione autem accepta, non posse ulterius Inquisitores, seu Episcopos contra dictos Generales procedere, sed debere rem totam deferre ad Sedem Apostolicam docent plurimi : Alii tamen defendunt contrarium. — 46. Obligati ad denunciandum Confessarios sollicitantes, si absque legitima causa, et vero impedimento negligant ipsos intra præfixum tempus denunciare, ultra peccatum mortale, incurrunt etiam Excommunicationem latæ sententiæ. — 47. Nec obstat, quod Confessarius credatur jam emendatus, vel elapsum sit jam multum tempus a facta sollicitatione. — 48. Multi tamen sustinent contrarium. — 49. Terminus pro denunciatione facienda pendet ab Edictis Inquisitorum. — 50. Unde si non sit perpetuum Decretum Supremæ, et Universalis Inquisitionis de die 3 Jan. 1625, assignans pro termino 12 dies, standum est termino præfixo a respectivis Inquisitoribus, cum hac advertentia, quod dies termini non computantur in termino. — 51. Pœnitens sollicitatus, qui ob non factam denunciationem intra debitum terminum incurrit Excommunicationem, quamvis accedat ad Confessarium, et promittat se statim de-

Digitized by Google

nunciaturum, non potest ab ipso absolvi, licet sit Privilegiatus. — 52. Pœnitens sollicitatus, qui ob omissam denunciationem incidit in Excommunicationem, facta postea denunciatione, potest quidem absolvi a Privilegiato, non autem a simplici Confessario. — 53. Sic Pœnitens sollicitatus, qui intra debitum tempus non denunciavit, quamvis postea extinguatur onus denunciationis, non potest absolvi a simplici Confessario, sed solum a Privilegiato. — 54. Confessarius sollicitatus potest a quolibet simplici Confessario absolvi. — 55. Regulariter loquendo Confessarii non debent absolvere Pœnitentes sollicitatos, nisi prius sollicitantem denuncient Inquisitoribus, vel Episcopis. — 56. In aliquibus tamen casibus expedit, quod Confessarii ipsos absolvant ante factam denunciationem. — 57. Confessarii cautissime procedere debent circa imponendam pœnitentibus obligationem denunciandi. — 58. In casu, quo reperiatur intervenisse veram sollicitationem, nec possit pœnitens induci ad personaliter denunciandum, ut sæpe accidit in verecundis nobilibus mulieribus, Monialibus, servanda est praxis juxta Decretum allatum *supra n.* 10. Quod si neque ad id possit talis verecunda pœnitens flecti, recurrendum est ad Sanctam Sedem, et interim tamquam indisposita nequit absolvi. — 59. Non est autem sufficiens modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis, si pœnitens sollicitatus confiteatur cum Confessario sollicitante sub prætextu, quod hic possit ipsum absolvere absque onere denunciandi. — 60. Quamvis Confessarius non moneat Pœnitentem de obligatione denunciandi, adhuc pœnitens ad id tenetur. — 61. Confessarii, qui culpabiliter, et malitiose non monent pœnitentes ab aliis sollicitatos de obligatione eos denunciandi, seu docent ad id non teneri sunt denunciandi Episcopis, vel Inquisitoribus, qui possunt, et debent illos punire pro modo culpæ. — 62. Confessarii ipsi vere sollicitantes gravissimis pœnis pro qualitate delicti puniendi sunt. — 63. Contra Confessarios sollicitantes æque procedere possunt Episcopi, et Inquisitores, sive unitim, sive separatim. — 64. Ad probandum enorme delictum sollicitationis admittuntur etiam testes singulares concurrentibus tamen præsumptionibus, indiciis, et aliis adminiculis simul comprobantibus. — 65. Una tamen fœmina, quantumvis honesta, non facit sufficientem probationem ad capturam et torturam, etiamsi concurrant alia indicia, sed tunc est consulenda S. Congr. — 66. Circa sollicitationem attendenda est nunc novissima Constitutio Benedicti XIV, in qua confirmat, et ampliat Constitutionem Gregorii XV, et reservat Papæ absolutionem eorum, qui falso Sacerdotes de sollicitatione accusant, aut procurant ut ab aliis falso accusentur. — 67. Sollicitantes ad turpia occasione Confessionis Sacramentalis, incurrunt inhabilitatem ad celebrationem Missæ. — 68. Sollicitatus nulla lege prohibetur, quominus ante denunciationem sollicitantes, illum occulte admoneat. — 69. Præceptum denunciandi Confessarios sollicitantes ad turpia, et pœnæ aliæ huic sollicitationi indictæ non extenduntur ad crimina a re venerea diversa.

ARTICULUS I.

Quæ requirantur in confessario ad valide, et rite ejus officium exercendum.

(1. In confessario, ut valide ejus Officium exerceat, requiritur Intentio, Potestas Ordinis et Jurisdictionis. (2. Intentio Confessarii est conditio sine qua non, ita ut sine ea Sacramentum Pœnitentiæ sit invalidum, quia Sacramentum debet exerceri modo humano, adeoque debet esse volitum. (3. Et talis intentio ut sit sufficiens debet esse actualis, aut virtualis, nec sufficit habitualis. (4. *Est communis* Doctorum. Potestas Ordinis necessario requiritur in Confessario, quia solus Sacerdos est legitimus Sacramenti Pœnitentiæ Minister, ut de fide definitum est in pluribus Conciliis, et signanter in Trident. sess. 7. canon. 10. ibi : « Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, et in omnibus Sacramentis, administrandis habere potestatem, anathema sit; » et sess. 14, cap. 6, ibi : « Circa ministrum autem hujus Sacramenti declarat Sancta Synodus falsas esse, et a veritate Evangelii pœnitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, et Sacerdotes, Clavium ministerium perniciose extendunt, » etc. et Canon. 10. ejusdem sess. 14. ibi : « Si quis dixerit.... non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis, sed omnibus, et singulis Christi fidelibus esse dictum : quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in Cœlo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo, et quorum remiseritis peccata remittuntur eis, etc., anathema sit. » (5. Et clare constat ex *c.* 20. Joan. ubi Christus solis Apostolis jam antea in ultima Cœna in Sacerdotes ordinatis, postquam a mortuis resurrexerat, dixit : « Accidite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. » (6. Potestas Jurisdictionis etiam necessario requiritur in Confessario, quia licet solus Sacerdos sit legitimus Sacramenti Pœnitentiæ Minister, non tamen quicumque Sacerdos est talis, sed solum ille, qui præter potestatem Ordinis, habet etiam potestatem Jurisdictionis, idest legitimam Jurisdictionem, vel ordinariam, vel saltem delegatam. (7. Et talis Jurisdictio Confessarii est jus in subditos ad exercendam potestatem absolvendi, quam ex vi Ordinis Sacerdos habet. (8. Unde absolutio data a Sacerdote sine Jurisdictione est nulla ex Tridentino *sess.*, 4. *cap.* 7. ibi : « Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. » (9. Et ad hoc faciunt duæ sequentes propositiones damnatæ ab Alexandro VII. 24 Septemb. 1665, quarum prima tertiadecima in ordine sic habet : « Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato. » Et secunda in ordine 16. sic habet : « Qui Beneficium Curatum habent possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario. » (10. Et ratio etiam est clara, quia absolutio est actus judicialis, adeoque ex parte Sacerdotis requirit jurisdictionem in subditos : nam sententia a suo Judice lata, nulla est ex defectu jurisdictionis ; cap. *At si Clerici* 4, de jud. et Regul. 26. Juris in 6, et Trident. cit. sess. 14, cap. 7, ibi : « Quoniam igitur natura, et ratio Judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur. »

(11. Unde ex defectu Jurisdictionis simplex Sacerdos non approbatus neque valide

Digitized by Google

potest absolvere a peccatis venialibus, aut mortalibus alias confessis, ut tenent Mastrius disp. 21, q. 8, num. 202. Faber, Brancatus, et Scotistæ magis communiter cum variis aliis; et ratio est, quia licet materia sit libera, absolutio tamen est sententia, et actus Judicii, qui actus Judicii in non subditos est nullus; cit. c. *At si Clerici*, et Regul. 26, Juris in 6, et Trid. cit. sess. 14, c 7. (12. Et ad hoc facit, quod oppositæ opinionis usus fuit prohibitus ab Innocentio XI, 12 Februarii 1679, in Decreto de expresso suo Ordine edito a Sacra Congregatione Concilii circa communionem quotidianam, et Confessionem venialium; ibi : « Non permittant, ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. » Hinc absolutio impertita a Sacerdote non approbato ab Ordinario loci, nulla declaratur a Benedicto XIV, tom. 1, Bullar. Constit. 100, incip. *Apostolica*. (13. Possunt tamen simplices Sacerdotes in articulo mortis absolvere, nedum a venialibus, et mortalibus alias confessis, sed insuper a quibusvis casibus, et Censuris etiam reservatis, ex Trident. sess. 14, cap. 7, ibi : « Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, et Censuris absolvere possunt. » (14. Pro tali enim casu Ecclesia dat Jurisdictionem omnibus Sacerdotibus, et tollit omne impedimentum Canonicum ex parte ipsorum, ut possint, licet sint degradati, Excommunicati, vitandi, Irregulares, Apostatæ, seu, hæretici, absolvere quoslibet fideles a quibuscunque casibus, et Censuris, quantumvis reservatis, maxime si non adsit promptus alius Sacerdos approbatus, aut proprius Parochus, ut est communis Doctorum sententia. (Vide tamen verb. *Sacerdos*, *n.* 38, et notam ad verb. *Absolutio*, Art. 1, n. 49, in Tomo 1) (15. Quæ ampla potestas extenditur ad probabile periculum mortis, ut tenet communior Doctorum cum Barbosa de Offic. et potestat. Episcopi allegat. 25, num. 81, et cum Mastrio disp. 21, q. 8, num. 203. In Jure enim quoad rem pro eodem sumuntur periculum, et articulus mortis; *c.* 29. *Si quis suadente* 17, q. 4, *c.* Eos qui, de sentent. excommunic. in 6. (16. Notanter autem fuit dictum, maxime si non adsit promptus alius Sacerdos approbatus, aut proprius Parochus, quia probabilius est quod simplex Sacerdos non possit absolvere præsente Sacerdote approbato, cum tota ratio, propter quam conceditur simplici Sacerdoti facultas tunc absolvendi, sit, ut dicit Tridentinum loco citato : *Ne hac ipsa occasione aliquis pereat*, quod periculum non adest, stante præsente Sacerdote approbato (1). (17. Hinc aliqui Canones exprimendant hanc concessionem fieri in defectum Sacerdotis approbati; cap. *Aurelius* 5, c. *Presbyter* 14, caus. 26, q. 6, et facit Regula ff. de regul. Juris, quod *cum aliquid conceditur propter necessitatem, durat concessio, quatenus urget necessitas*, et regul. 78, Juris in 6, ibi : *In argumentum trahi nequeunt quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa;* Et sic declarasse Sacram Congregationem Concilii refert Pignatell., tom. 10, consult. 163, n. 15.

(18. Ex dictis colliges primo, quod Confessarius Sacramentum Pœnitentiæ sine debita intentione administrans peccat gravissime, et Sacrilegium committit; defectus enim voluntarius debitæ intentionis in Confessario est gravissima irreverentia facta Deo, et Sacramento, et perniciosissima injuria facta pœnitenti; (19. Immo graviter peccaret et sacrilegium committeret, etiamsi Sacramentum simularet ex gravi metu, vel alia gravi causa; Sic v. g. si pœnitens absolutione indignus minaretur mortem Confessario, nisi distincte, et integre verba absolutionis proferret, non posset distincte, et integre proferre sine intentione absolvendi. Et ratio est, quia talis simulatio est gravis irreverentia facta Deo, et Sacramento, quoniam qui affirmat *Ego te absolvo* sine intentione absolvendi, mentitur, affirmat enim se absolvere, cum revera non absolvat; mentiri autem circa formam Sacramenti est magna irreverentia illata Sacramento, et Christo ejus Institutori; propterea simulatio in Sacramentis est ab intrinseco mala, et hac ratione non excusat metus gravis. Colligitur a simili ex cap. de homine 7. de celebration. Missarum, ubi Innocentius III. refert, et damnat casum de Sacerdote, ut sequitur : « Quæsivistis, quid de incauto Presbytero videtur, qui cum se sciat in mortali crimine constitutum, Missarum solemnia, quæ non potest propter necessitatem quamlibet intermittere propter sui facinoris conscientiam dubitat celebrare, peractisque cæteris circumstantiis Missam celebrare se fingit, et suppressis verbis, quibus conficitur Corpus Christi, panem, et vinum tantummodo pure sumit, ita credens per id, quod prætendit populo satisfacere, ut per hoc quod intendit, Deum non debeat provocare. » Ad quem casum respondet immediate Pontifex præcisis his verbis : « Cum ergo falsa sint abjicienda remedia, quæ veris sint periculis graviora; licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud, gravius tamen videtur offendere qui sic fraudulenter illud præsumpserit simulare, cum ille in solius misericordis Dei manum incidat, iste vero non solum Deo (cui non veretur illudere) sed populo, quem decipit, se astringat : » (20 Ex quibus Pontificis verb s sic arguitur : Non est minor irreventia Sacramenti, sed fortasse major dicere verba ab-

(1) Falsum omnino est, simplicem Sacerdotem, præsente approbato, absolvere posse; tunc enim necessitas illa deest, ex qua simplex Sacerdos jurisdictionem acquirit. Itaque probabile non est, simplicem Sacerdotem absolvere quempiam posse, approbato ad audiendas confessiones præsente (*Nota Rom. Theologi.*)

Digitized by Google

solutionis sine intentione absolvendi, quam supprimere verba consecrationis in casu, quo teneatur ea proferre; sed sic supprimere verba consecrationis declarat Pontifex esse illudere Deo; ergo proferre verba absolutionis sine intentione absolvendi, est Deo illudere, quod cum sit contra reverentiam Sacramenti, nullo metu, justificari potest. (21. Et facit ad hoc propositio 29. in ordine 65. ex damnatis ab Innocentio XI. 2. Martii 1679. ibi : « Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi ; » (22. Sic Cardenas disp. 20. in proposit. 29. cap. 5. n. 49. et 61. Qui tamen num. 52. concedit quod Confessarius, qui reperit pœnitentem absolutione indignum, quatenus, v. g, est in occasione proxima peccati, quam non vult relinquere, ne prodat apud adstantes pœnitentis indignitatem, possit obmurmurando recitare *Pater noster*, vel hujusmodi, quia ea non est in rigore simultatio Sacramenti, nam omnino materialiter se habet ad Sacramentum ; nec sunt verba absolutionis, unde proprie est medium ad vitandam fractionem Sigilli, ad quod Confessarius tenetur de jure divino, naturali, et Ecclesiastico, et deceptio adstantium, quæ sequitur, non intenditur, sed permittitur.

(23. Colliges secundo, quod nemo sine potestate Ordinis, etiamsi esset in Sacris constitutus, potest in ullo casu Confessiones excipere, lib. 3. Constit. Apostol. c. 10. Leo X. Constit. 40. incip. *Exurge;* Concil. Trident. sess. 7. can. 10. et sess. 14. c. 6. et can. 10. ejusdem sess. 14. ut patet ex ejusdem verbis adductis supra num. 4. (24. Unde Sacramentaliter audens absolvere, cum non sit Sacerdos, fit suspectus de hæresi, et est cogendus ab Inquisitoribus abjurare de vehementi, et licet esset minor 25. annorum, dummodo compleverit vigesimum annum, est degradandus, et brachio sæculari tradendus, et ultimo supplicio afficiendus ex Clem. VIII. Constit. incip. *Et si alias*, et Urbani VIII. Constit. 79. incip. *Apostolatus officium.* (25. Colliges tertio, quod nullus Sacerdos, sive sæcularis, sive Regularis possit præsumere Confessiones excipere sine potestate jurisdictionis, et consequenter etiam sine approbatione, aliter nulla esset absolutio, gravissime peccaret, et posset, immo deberet severe puniri, ut colligitur ex Conc. Trid sess. 23. cap. 15. de reform. ibi : « Quamvis Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decrevit tamen Sancta Synodus nullum etiam Regularem posse Confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem quæ gratis debetur, obtineat, privilegiis, et consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus; » Et de nullitate absolutionis ob defectum jurisdictionis patet expresse ex verbis ejusdem Concilii, adductis supra n. 8. (26. Et quod gravissime peccaret Sacerdos non approbatus, et sine jurisdictione excipiens Confessiones, patet aperte, ex quo contravenire in re gravissima expressæ Conciliari inhibitioni, et temere, et sacrilege, invalide, et nulliter Sacramentum administraret. (27. Quod autem possit severe puniri Sacerdos etiam audens sine approbatione, et jurisdictione Confessiones sæcularium excipere, habetur ex expressa declaratione Sacræ Congregationis Concilii in Neapolitana 14. Aprilis 1646. ad cap. 15. sess. 23. de reform. ubi cum quæsitum fuisset : Qua pœna, et a quo sit puniendus Sacerdos Regularis, qui absque prævia Ordinarii approbatione Confessiones personarum sæcularium audit, eo quod in Sacro Concilio nulla legitur pœna adjecta, nec a quo sit inferenda? Respondit Sacra Congregatio, « posse puniri ab Episcopo pœnis etiam Censurarum; » et sic statuerunt plures Summi Pontifices, et signanter Gregorius XV. Constit. incip. *Inscrutabili*, et Innoc. X. die 15. Maii 1648. Constit. incip. *Cum sicut accepimus*, ubi postquam confirmavit decretum Sacræ Congregationis specialiter deputatæ super ortis controversiis inter Episcopum Angelopolitanum, et Patres Societatis Provinciæ Mexicanæ, statuit, « contravenientes ab Episcopo tamquam Sedis Apostolicæ delegato coerceri, et puniri posse etiam Censuris Ecclesiasticis in vim Constitutionis Sanctæ memoriæ Gregorii XV. incipient. Inscrutabili Dei providentia : ac proinde memoratis Religiosis, qui hujusmodi approbationem, et licentiam se obtinuisse non docuerunt, potuisse Episcopum, sive ejus Vicarium Generalem, præcipere sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, ut a Confessionibus audiendis..... abstinerent. »

(28. Hinc advertendum venit primo, quod jurisdictio, seu potestas jurisdictionis est duplex, ordinaria scilicet, et delegata. Jurisdictio Ordinaria est illa, quæ annexa est alicui Officio, seu dignitati, quæ propterea ipso jure competit habenti tale officium, seu dignitatem, id est qua quis ex vi proprii officii (ut pote cui annexa est cura animarum) habet subditos, quos in Foro Conscientiæ judicare potest. Et talem habet Papa in omnes Christi fideles, Episcopus in omnes ad suam Diœcesim pertinentes, Parochus in suos Parochianos, Prælati Regulares in suos subditos, ut Generales, Provinciales, Abbates, Priores, Rectores, Præpositi, Guardiani, et hujusmodi ; ipsi enim omnes alia approbatione non indigent, ut suorum respective subditorum Confessiones excipiant, quia tam de jure communi, quam ex propriis cujusque Religionis Constitutionibus sunt propria Sacerdotes respectu suorum respective Subditorum. (29. Jurisdictio delegata est illa, quæ habetur ex commissione alterius habentis ordinariam, idest quam quis absque collatione alicujus Beneficii Curam animarum habentis, accipit ab habente jurisdictionem ordinariam; et talem habent Sacerdotes sive sæculares, sive Regulares nullum habentes Beneficium Curatum, sed

Digitized by Google

tamen legitime approbati, et admissi ab Ordinariis ad Confessiones excipiendas respectu sæcularium; et sic Religiosi a Generalibus, vel Provincialibus approbati, et admissi ad Confessiones excipiendas respectu Religiosorum suæ Religionis, vel respectu Provinciæ. (30. Advertendum est hic secundo, quod potestas Ordinis, quantum ad facultatem absolvendi, et potestas jurisdictionis, in hoc inter se differunt, quod potestas Ordinis Presbyteris omnibus data in sua Ordinatione est potestas remota, et in habitu tantum, non autem in actu, seu quantum ad usum, quatenus scilicet Sacerdos vi Ordinationis accepit a Christo potestatem ad absolvendum, sed non acce it pro tunc Subditos, in quos possit actu exercere potestatem; potestas autem jurisdictionis est potestas proxima, et in actu quantum ad usum, quatenus scilicet Sacerdos per collationem Beneficii Curati, vel per concessionem excipiendi confessiones sibi ab Ordinario factam, recipit potestatem actualiter exercendi talem potestatem in subditos sibi actualiter assignatos; ut patet ex Trid. in d. c. 15. sess. 23. de reform. et tradit Fagnan. in cap. *Omnis* 12. de pœnit. et remissionib. sub. num. 84. (31. Et hæc differentia solet exemplificari in Doctore in jure, qui licet in sui creatione, qua Doctor juris declaratur, accipiat potestatem, ut ubique locorum possit jus dicere respectu sibi subditorum, non tamen statim a sui graduatione potest judicium exercere, cum nondum sint sibi assignati subditi, in quos jus possit dicere, sed solum tunc primum potest judicium exercere, cum alicubi, vel ex officio, vel ex delegatione Superioris quosdam acquirit subditos, in quos possit jus dicere, et sententiam valide proferre, cum sententia lata in non subditos, et a judice non suo, sit nulla; l. ultima C. *Si non a competent. Judic.* l. *Factum a Judic. ff.* eodem tit. cap. *At si Clerici, 4. de Judiciis*, ibi: « Sententia a non suo Judice lata non tenet. » Regul. 26. juris in 6. ibi: « Ea quæ fiunt a judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt. » (32. Ita a pari servata proportione, discurrendum est de Sacerdote, qui quamvis in sua Ordinatione accipiat potestatem absolvendi a peccatis, non tamen statim a sui Ordinatione potest ipsam exercere, cum nondum sint ipsi assignati subditi, in quos ipsam potestatem exerceat, sed solum tunc primum potest talem potestatem exercere, cum alicubi, vel ex officio, vel ex delegatione Ordinarii quosdam acquirit subditos, in quos possit actu judicium Sacramentale exercere, et sententiam absolutionis valide proferre, cum etiam sententia absolutionis lata in non subditos, et a Judice non suo, sit nulla, ut expresse declarat Conc. Trid. sess. c. 7. ibi: « Quoniam igitur natura, et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. » Et consimiliter sess. 23. cap. 15. de reform. per verba adducta *supra sub. n.* 23.

(33. Advertendum tertio, etiam errorem communem posse conferre, seu dare jurisdictionem. (34. Error autem communis potest capi dupliciter: Error communis cum titulo colorato, seu putativo, et Error communis sine titulo colorato, et putativo. Error communis cum titulo colorato, seu putativo est, cum Sacerdos realiter obtinuit a legitimo Superiore titulum requisitum ad actum absolutionis, v. g. itulum Parochi, vel approbati, et admissi Confessarii; sed vel nulliter obtinuit, in quantum erat incapax ob aliquem occultum defectum, et impedimentum Canonicum, nempe quia Simoniacus, etc., vel talem titulum amisit; talis vero incapacitas, aut amissio tituli communiter ignoratur, et communiter a fidelibus existimatur, eum habere verum, et legitimum titulum. (35. Error communis sine titulo colorato, et putativo est, cum Sacerdos non obtinuit realiter a legitimo Superiore titulum requisitum ad actum absolutionis, sed ipse Sacerdos talem titulum fingit, aut ignoranter credit, et dicit habere, et talis fictio, et carentia tituli communiter ignoratur, ut cum Sacerdos, qui cum falsa licentia Confessiones excipit, aut cum falsis Bullis pro Parocho se gerit, communi populi errore legitimus Confessarius, aut Parochus reputatur. (36. Error igitur communis cum titulo colorato, et putativo dat, et confert jurisdictionem ad valide absolvendum, licet occultum subsit impedimentum ex jure positivo proveniens. Hæc sententia est moraliter certa, et sic docent communiter Doctores, arg. l. *Barbarius Philippus*, ff. de offic. Præt. et cum Jurist. axiom. quod Antonius Gabriellius communium concl., lib. 1, concl. 8 de prob., n. 1, refert: « Communis error facit jus, et veritati præfertur, » etc. *Infamis* 1, caus. 3, q. 7, ibi: « Si servus cum putaretur liber, ex delegatione sententiam daret, quamvis postea in servitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta rei judicatæ firmitatem tenet; » Glossa in l. 3, ff. de supellectili legata, verb. *Error jus facit;* Glossa in cap. *Ad probandum* 24, de sententia, et re judicata, Abbas in c. *Sciscitatus*, num. 11, de rescript. Mascard. de probat. concl. 648. Paludan. in 4, d. 17, q. 6, art. 2. Diana p. 8, tract. 1, resolut. 94. Cardenas dissertat. 2, c. 6, art. 5. Card. de Lugo de justit., tom. 2, disp. 37, sect. 3, n. 20 et sequent., et innumeri alii tum Jurisperiti, tum Theologi apud ipsos. Et ratio cur Error communis, cum titulo colorato, seu putativo det jurisdictionem, est, quia Superior, seu Ecclesia, ob bonum commune ad favorem fidelium, ad vitanda gravia incommoda, quæ alias sequerentur, eo maxime quia alias innumeræ animæ perirent, dat auctoritatem, et valorem, supplet defectum veræ jurisdictionis, et tollit omne impedimentum juris humani, seu a jure positivo proveniens. (37. Secus autem, si defectus, seu impedimentum esset juris

Digitized by Google

naturalis, vel divini, ut si Confessarius esset mulier, vel non esset Sacerdos, quem defectum nec tollere, neque supplere potest potestas humana, neque in eo dispensare, ut recte docent Diana Tract. 2 de potest. Pontificius resolut. 94, in fine, Pignatell., tom. 6, consult. 1, n. 12. Layman., lib. 1, tract. 4, cap. 22, sub num. 9. Cajetan., verb. *Confessio iteranda ex parte Confessarii*, Abbas in cap. 2 *de Presbytero non baptizato*, et alii passim.

(38. An autem error communis sine titulo colorato, seu putativo det, seu conferat jurisdictionem ad valide absolvendum, res controversa est inter Doctores. (39. Negativam sententiam tamquam communiorem, et probabiliorem tenent Card. de Lugo, de justit., tom. 2, disp. 37, num. 23. Nugnus, q. 8, art. 5, dub. 1, difficul. 1, p. 436. Thomas Sanchez, lib. 3 de Matr., disp. 22, q. 6 et 7. Cardenas, dissert. 2, c. 6, art. 5, num. 151, qui ex ipso Sanchez, loc. cit., adducit pro hac sententia XL, alios Auctores. (40. Affirmativam sententiam, nempe etiam errorem communem sine titulo colorato cum sola possessione officii dare, seu conferre jurisdictionem ad valide absolvendum, docent apud Sanchez, et Carden., loc. cit., Innocentius, Hostiensis, Joannes Andreas, Decius, Salicetus, Felinus, Petrus, Cynus, Fulgosus, Cardinalis, Burgos de Paz. et alii, et præcipue Basilius Pontius, qui mordicus defendit hanc opinionem lib. 5 *Matrim.*, cap. 20, et eam tenent Joann. Sanchez, in select. disp. 44, num. 3. Molfesius, Bordonus, Bonacina, et alii apud Dianam, p. 8, tract. 1, resol. 93 et 94., habentem una cum Caspensi, Silvio, Machado, pro probabili opinionem Pontii; sicuti habet Tampurin., de pœnit., lib. 5, c. 4, § 7, n. 17. Accedit Gobat tract. 7, caus. 3, n. 109. Sporer., tom. 3, p. 3, c. 6, sect. 1, q. 2, num. 714, et pro probabiliore tenent Diana, p. 11, tr. 2, resol. 69, citans sexdecim Auctores : et quod sit vere, et certo probabilis sententia docens, quod error communis sine titulo colorato jurisdictionem conferat, tenet novissime Felix Potestas, t. 1, p. 4, c. 5, n. 3262, citans pro se Dianam, p. 4, tr. 4, resol. 122. Basilium Pontium, de Matrim., lib. 5, c. 20. Verricelli, tract. 2, q. 25, n. 15. Sieri, de Pœnit., n. 701. Leandrum, de pœnit., Disp. 11, q. 102, et quamplures alios apud ipsos; Et ratio est, dicit ipse, quia in hoc casu sequerentur eadem incommoda, quæ sequerentur, quando adest error Communis cum titulo colorato. (41. Ut autem quid de me sentiam, aperiam, neutram ex his duabus sententiis reprobare auderem, cum utraque suis fulciatur fundamentis, et utraque plurimos habeat Patronos; (42. Sed quamvis sententia negativa sit communior, affirmativa tamen est magis pia, communi utilitatis, et animarum saluti magis consentanea; Nec repugnat, immo pium est credere, quod Ecclesia etiam hic suppleat veræ jurisdictionis defectum, et det auctoritatem etiam Ministris sine titulo colorato introductis ad valide absolvendum, maxime ne innumeræ animæ hoc communi errore deceptæ sine ulla sua culpa finaliter pereant (1).

(43. In Confessario, ultra tria requisita ad valide absolvendum; scilicet, intentio, potestas ordinis et potestas jurisdictionis, de quibus abunde a n. 1 et sequentibus, requiruntur alia tria ad rite, licite, et digne absolvendum, scilicet, Probitas, Scientia, et Prudentia. Sic communiter Doctores. (44. Quod in Confessario requiratur probitas, desumitur ex ipsa sui Ordinatione, qua datur Spiritus Sanctus, idest gratia Spiritus Sancti in ordine ad hoc ministerium debite exercendum, dicente Episcopo verba Christi Joan. 20. « Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, » etc., quam proinde gratiam ad illud ministerium servare, vel amissam suscitare tenetur juxta monitum Apostoli 2 ad Timoth. 6, ibi : « Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum. » (45. Unde Confessarius, existens in mortali scienter, et sic administrans Sacramentum Pœnitentiæ, peccat mortaliter ex communissima sententia omnium Doctorum. (46. Immo Confessarius, si absolvat in mortali, quamvis continuate Confessiones audiat, toties peccat, quoties successive aliquem absolvit, quia administratio Sacramenti toties est completa, neque una spectat ad alteram; tum quia singulis Sacramentis sit gravis injuria. Sic tenet Escobar, Ovid., Passerin., Dicastill., Borgia, Platel, cum Claudio la Croix, l. 5, c. 1, dub. 3, art. 2, n. 171, et lib. 6, p. 1, c. 2, dub. 1, n. 93. Rosignolus, de Sacramento Pœnitentiæ, qu. 4, art. 11, num. 29, et alii (2); (47. Quamvis tamen id negent aliqui cum Rodriq. apud Escobar., l. 8, n. 230, et varii aliqui dicant esse probabile, quod talis Confessarius tantum semel peccet, ex quo videatur esse unicum tantum continuatum Ministerium, et sic satis esse, si talis Confessarius confitendo dicat, excepi aliquot Confessiones continuas in peccato mortali; Sic Card. de Luca, de pœnit., disp.

(1) Si sententia negans, errorem communem titulo destitutum sufficere ad absolutionis validitatem, teste Auctore, communior est; non video quomodo contraria affirmans sit *magis pia, communi utilitati, et animarum saluti magis consentanea.* Immo oppositum esse statuendum, vir quisquam prudens judicabit. Quæstio est, utrum absolutio data sine titulo colorato, valida, an invalida sit reputanda, negans sententia communior et probabilior est, et per consequens affirmans, quæ minus communis et minus probabilis est dicenda, fideles periculo exponit frustranee suscipiendi absolutionem. Quis porro dixerit talem sententiam magis piam, communi utilitati, et animarum saluti magis consentaneam? Hinc recedendum omnino non est a sententia communi in jure fundata, videlicet tunc solum jurisdictionem tribui, cum communi errori titulus coloratus accedit. Vid. Fagnan. in cap. *Super eo*, tit. *de Crimine falsi ; num.* 8. tom. 5. pag. *mihi.* 163. (*Nota ex Edit. Rom.* 1767.)

(2) Caveat hic lector, ne sub probabilitatis larva laxam amplectatur sententiam, quæ vel ipsis primis Theologiæ moralis elementis repugnat. (*Nota ex Edit. Rom.* 1767.)

Digitized by Google

16, sect. 14, § 2, n. 558. Gobat, tract. 7, n. 260. Reiffenst., Theol. Moral. tract. 14, de Sacrament., d. 1, n. 13. Marchantius, t. 3, Tribunalis tract. 3, t. 4, q. 2. Diana, p. 1, tract. 7, resol. 41 et 43. Sporer, t. 3, n. 435 et 775, et alii.

(48. Ut Confessarius licite et digne audiat Confessiones et absolvat, debet habere saltem scientiam mediocrem, qua cognoscat id, quod ad suum spectat officium, et quidquid debet judicare discernat : cap. *de Pœnitent.*, d. 6, § *Caveat*, ibi : « Oportet sciat cognoscere quidquid debet judicare, judiciaria enim potestas hoc exigit, ut quod debeat judicare, discernat. » (49. Dicitur autem notanter debere habere saltem scientiam mediocrem, ad hoc ut advertatur non requiri absolute in Confessariis scientiam eminentem : Duæ enim sunt species scientiæ. Una dicitur *scientia eminens*, et altera *scientia mediocris*. (50. Scientia eminens est illa, qua quis est optime versatus in Theologia morali, et jure Canonico, unde casus omnes quantumvis difficiles scit prompte resolvere, et suarum resolutionum fundatam rationem reddere. Hæc tamen scientia, licet sit utilissima et toto conatu, atque studio prosequenda, nihilominus absolute necessaria non est, alioquin pauci reperirentur sufficientes Confessarii, cum quod deplorandum est, major Confessariorum pars vix scientiam mediocrem attingat. Scientia mediocris est illa, qua Confessarius sciat saltem quænam sint peccata ex genere suo mortalia, et venialia; quænam sint circumstantiæ speciem peccatorum mutantes, vel non; quænam sint regulæ communes, quibus quis excusari possit a præcepto, vel a peccato mortali, quinam sint casus reservati, et Censuræ, saltem a quibus ipse absolvere non potest, ne se extendat ultra suam facultatem, et ea potissimum, quæ ad legitimam Sacramenti Pœnitentiæ administrationem requirantur; et alia hujusmodi, ut obligationes, et onera, quæ per ipsa peccata communiter contrahi solet, ut sunt restitutiones bonorum, famæ, vel fortunæ, satisfactiones pro injuria. (51. Et hanc mediocrem scientiam tenentur omnes Confessarii habere secundum magis, et minus, attenta diversitate personarum, et locorum; nam in ordine ad aliquas personas potest requiri major, et in ordine ad alias minor scientia : major enim scientia requiritur in illo Confessario, qui audire debet personas assuetas negotiationibus, et quæ in rebus arduis implicantur, quam in eo, qui audit rusticos, ac simplices personas; sic major scientia, et peritia pro Confessionibus excipiendis in Civitatibus, ubi sunt arduiora commercia, et implicatiores casus, quam in Villis, et Pagis, ubi inter simplicem populum pauca ardua solent occurrere.

(52. Unde Confessarius, qui conscius suæ insufficientiæ, et ignorans quæ scientiæ mediocri saltem principaliter scire tenetur, peccat mortaliter se exponendo ministerio Confessionis, cum perverse, et inique tam tremendo ministerio, et sacramentali judicio se ingerat non idoneus, et insufficiens Judex scienter existens. (53. Immo Confessarius ignarus ex ignorantia absolvens quem absolvere non poterat ob reservationem peccati, vel indispositionem pœnitentis, dupliciter peccat mortaliter, nempe, et actuali Sacrilegio indebite absolvendo, et ignorantia eorum, quæ ad officium suum spectant, ratione cujus versatur in continuo statu peccati mortalis omissionis, quandiu necessariam scientiam sibi comparare culpabiliter negligit. (54. Quinimmo talis ignarus Confessarius, nisi congruam diligentiam sincere proponat, ipsemet confitens ab alio Confessario absolvi non poterit, utpote indispositus defectu necessarii propositi emendandi negligentiam illam mortalem; Sic. Sporer tom. 2 Sacramental. n. 786. (55. Caveant igitur Confessarii ignorantiæ suæ conscii, et sciendi incurii, ne dum alios solvere student a vinculis peccatorum, seipsos strictioribus nexis illaqueent. Nec enim eis prodesse potest excusatio, quod fuerint ab Episcopo prævio examine, vel aliter approbati, quandoquidem examen illud non facit scientem, eo vel maxime, si ex illis sint, (56. qui semel ac taliter qualiter approbati sunt, numquam, aut fere numquam oculos Theologorum Moralium libris admovere dignantur, ne dicam, quod tamquam mercem proscriptam præ manibus habere verentur. (57. Sed, et insuper caveant a similibus Confessariis ipsimet pœnitentes, et ne se æternaliter prodant quærendo ex animo, et studiose (ut in dies, proh dolor! frequenter accidit) hujus furfuris Confessarios. (58. Qui enim mala fide confitetur Confessario quem certo novit esse ignarum, nec scire distinguere inter lethalia, et venialia, inter lepram et lepram, graviter peccat, nec consequitur effectum absolutionis, unde tenetur eam confessionem iterare; Suarez tom. 4, disp. 28, sect. 2, num. 9; Reginaldus lib. 1, num. 151; Rossignol. de Sacrament. Pœnitent. part. 1, quæst. 7, art. 13, num. 19, ubi dicit in hoc alios communiter convenire, talis enim pœnitens cooperatur actioni per se malæ quærendo studiose Confessarium indignum in præjudicium animæ suæ, unde justum est, ut cum circa se sit negligens, negligatur a Deo, juxta cap. 1 de pœnitent. dist. 6 in princip. ibi : « Qui vult confiteri peccata sua, ut inveniat gratiam, quærat Sacerdotem scientem ligare, et solvere, ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet, et petit, ne ambo in foveam cadant, quam stultus evitare noluit (1). »

(59. Prudentia Confessarii circa pœniten-

(1) Hic subjicienda esse duximus verba Sapientissimi Pontificis Bened. XIV. pro scientia Confessariis necessaria, in Encyclica ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos, atque Episcopos data, die 26. Jan. 1749. §. 21. T. 3. Bullar. p. 155. edit. Rom. « Optandum sane esset, inquit, ut quilibet Confessarius ea polleret scientia, quam eminentem appellant : Verum, cum hæc dos paucorum sit, necesse omnino est, ut competenti saltem scientia sit instructus. Nec meliora sperare licet; cum Moralis Theo-

Digitized by Google

tes maxime in his consistit, ut discernat conditiones, et qualitates personarum : non enim omnes eodem modo, et tenore excipiendæ sunt ; sed aliæ maxima cum benignitate, et humanitate monendæ, aliæ acriter compescendæ ; aliis opportune est suadendum, aliis importune insistendum ; aliis beneficium absolutionis differendum, aliis immediate impendendum : aliis mitiores, et leviores etiam ob eadem, et similia peccata sunt pœnitentiæ imponendæ, et aliis graviores, dummodo non sint plus quam par est, atroces et arduæ, ne, dum illi compescere student delinquentes, ipsos in desperationem conjiciant, ita ut graviori, ne dicam gravissima mole perterriti, onus universum projiciant. (60. Prudentia Confessarii est, ut omnibus omnia sit factus, sit pro diversis diversus medicus, diversus Doctor, diversus Judex. (61. Diversus medicus ut juxta cap. *Omnis utriusque sexus*, de pœnit. et remission. More periti medici superinfundat vinum, et oleum vulneribus sauciati, juxta diversitatem vulnerum, et vulnerati, leviter objurgando pœnitentem, ubi humilem, et contritum invenerit, et acriter arguendo, ubi contumacem, et recidive delinquentem agnoverit. (62. Diversus Doctor, ut juxta diversitatem delinquentium et delictorum, diversas instructiones, et correctiones ad diversum captum, et exigentiam pœnitentium accommodans caute adhibeat. (63. Diversus Judex, ut juxta diversa causarum merita sine ulla personarum acceptione juste sententiam absolutionis aliis impendat, aliis vero denegel, vel suspendat. Hæc etenim, et similia exiguntur in prudentia Confessarii, sive qua Medici, sive qua Doctoris, sive qua Judicis, juxta diversas personarum qualitates, et conditiones, ne quæ uni inserviunt ad medelam, aliis conferant ad ruinam.

(64. Prudentia Confessarii maxime requiritur in exequendis Brevibus sacræ Pœnitentiariæ, præsertim in certiorandis Conjugibus de nullitate consensus Matrimonii ob impedimentum dirimens, quando aliter eorum inscius contraxit, et in Brevi adest infrascripta, vel similis Clausula. « Ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur, Matrimonium cum eadem, et uterque inter se de novo secrete ad evitanda scandala contrahere, etc., dispenses. » (65. Circa hunc casum plures Doctoribus traduntur modi certiorandi partem insciam, ut signanter videri possunt apud Sanchez *de Matrimon.* lib. 2, disp. 36. Quia tamen in praxi valde periculosa res est, poterit, et debebit Confessarius, divino implorato lumine, modum illum suggerere, seu adhibere,

logia tot, tantasque quæstiones, quæ a Sacrorum Canonum, et Apostolicarum Constitutionum notitia pendent, complectatur, ut arcana plane res sit, posse aliquem omnia simul bene nosse, atque illico nodos quoscumque dissolvere; ut ii solent, qui eminenti scientia præfulgent. Sat igitur erit; si inferioris notæ Confessarii, ope librorum, quos consulant, difficiliora quædam, quæ in Sacramenti administratione occurrunt, rite expediant. Et adductis pro sua sententia verbis Innoc. IV. in Comment. ad C. *Cum in cunctis*, de Elect. et elect. potestate, subdit : Cum igitur aut difficilior, aut nova quædam facti species ad Confessarium defertur, ideoque libros evolvere illi necesse sit, non sine sobrietate, ac librorum delectu id agendum. Notum quippe est, in tanto scriptorum numero aliquos prodisse, quorum opinio ac sententia Evangelicæ simplicitati (N. B.) ac Sanctorum Patrum doctrinæ non bene consonat. » Profert ad rem verba Decreti Alex. VII. additque : « Nolumus hac in re pressiorem Sermonem instituere ; nolumus vexatissimas quæstiones, quæ circa scriptorum fidem, eorumque integritatem agitantur, attingere. Sat erit Confessarios monuisse, ut in re dubia propriæ opinioni non innitantur : sed antequam causam dirimant libros consulant quamplurimos, *eos cum primis, quorum doctrina solidior*, ac deinde in eam descendant sententiam, quam ratio suadet, ac firmat auctoritas. » (Talice, prout e calamo Pissimi Pontificis prodiit : *prenda quel partito, che vedrà più assistito dalla ragione, e dall' autorità*, « quibus sane verbis probabilismus profligari videtur. ») Nec aliud sane docuimus « in nostra Encyclica super usuris etc, » Referenda hic essent alia, quæ in eadem leguntur Epistola ad Confessarii dotes et munera pertinentia, quæ ne ultra quam par est, longior evadat hæc nota, prætermittimus. Illud dumtaxat animadvertimus, laudari satis non posse zelum Pii Auctoris adversus Confessariorum ignorantiam et socordiam exclamantis. Et ideo ab ejus sententia num. 52. et seq. firmata recedendum penitus non est, scil. Confessarios ignaros, studio Moralis Theologiæ operam haud navantes, peccato lethali esse obnoxios. Scientia Confessario maxime est necessaria, illa cum primis, quæ non ex quibuscumque Moralis Theologiæ libellis deducitur; de his enim libris optime Celeberrimus Mabillon de Studiis Monasticis par. 2. c. 7. (*Edit. Venet. pag.* 144.) « Tantum abest, *inquit*, ut istorum Summistarum studium ad Christianæ Philosophiæ consecutionem quadantenus dirigat, quod potius ex libera ipsos legendi facultate non modicum sequatur detrimentum .... fructus longe major ex Ciceronis de officiis lectione hauritur, quam nonnullorum Summistarum. » Verum scientia, quæ Confessario decet, ex iis præsertim haurienda est fontibus, unde ea quæ a viro Christiano credenda et facienda sunt, ut vitam assequatur æternam, profluunt, videl. a Scriptura, Traditione, Sacrisque Canonibus. Quapropter et pluribus Conciliis cautum est, ut Confessarii Scripturarum, et Canonum studio incumbant. Et ne in re palmari ostendenda immoremur, sufficiant verba Concilii Toletani IV. c. 25. ubi dicitur : « Sacerdotes legere Sanctas Scripturas frequenter admonentur : Paulo Apostolo dicente... sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas, et canones, ut omne opus eorum in prædicatione et doctrina consistat. » T. 5. Conciliorum Edit. Labb. pag. 1731. Cæterum quoniam fieri vix, ac ne vix quidem potest, ut Confessarii, scientiam, qua ad Pœnitentiæ Sacramentum rite administrandum indigent, ex ipsis fontibus hauriant, non sunt omnino a Theologorum, qui morales Institutiones ediderunt, vel summas *de Conscientiæ Casibus* vulgarunt, lectione avocandi, sed monendi, ut ex Theologicis Institutionibus, ac summis eas deligant, in quibus solidior doctrina traditur; « Omnes Confessores, inquit S. Carolus in Instructionibus pro Confessoribus Actor. Eccles. Mediolan. par. IV. edit. Lugdun. 1583. Tom. 1. pag. 644. seq. licet ut idonei a nobis admissi, ob varios tamen Casus qui difficiliores quotidie occurrunt, præ manibus quantum poterunt, habeant de Conscientiæ casibus libros bonos, et a nobis approbatos, et cum iis resolvendis ipsi soli non sufficerint, ad doctiores, taliumque casuum magis peritos recurrant. » (*Nota ex Edit. Rem.* 17. 67.)

Digitized by Google

quem, omnibus pensatis, prudenter pro executione magis viderit expedire. (66. Licet enim plures Doctores apud Cardenas dissert. 11, num. 670, teneant non requiri talem certiorationem, sed sufficere ut sola pars conscia impedimenti consensum renovet, (67. tamen tenendum est, quod ad revalidandum Matrimonium sit necessaria certioratio nullitatis, saltem in genere, etiam apud inscium Conjugem, ut clare constat ex Clausula Brevis : « Ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, etc. » et docent plusquam triginta Doctores apud Sanchez loco cit. num. 2 et apud Carden. loco cit., num. 671, et varii alii recentiores. E' ratio est, quia consensus fuit ex utraque parte illegitimus, et cum ignorantia circa substantiam contractus, et dantem causam contractui. (68. Sufficiens autem modus certiorationis nullitatis Matrimonii, et revalidationis ipsius, videtur inter alios ille, quem offert Sanchez loco cit., num. 5, et est, si Conjux impedimenti conscius petat ab alio sic : Me ita diligis, ut si non esset inter nos Matrimonium, denuo contraheres, ac ex nunc vis me in Conjugem, ac si non fuisset validum Matrimonium inter nos prius contractum et respondeat alter : *Ita volo ;* et qui interrogavit dicat : *Ita et ego.* (69. Notanter vero ponitur illud verbum de præsenti, *Volo ut ex nunc*, quia, ut optime observat Cardenas loco cit., num. 679 et cum aliis La Croix lib. 6 num. 814 non sufficeret dicere : « Si non consisteret inter nos Matrimonium, denuo contraherem, » qui non est consensus de præsenti hic et nunc contrahendi, qualis ad Matrimonium requiritur. (70. Ratio autem quare talis modus certiorationis esset sufficiens ad revalidandum Matrimonium, est, ut dicit ipse Sanchez et Cardenas ipsum referens, quia novus ille consensus conditionate adhibitus procedit ex cognitione æquivalenti scientiæ nullitatis Matrimonii ; in isto enim casu vult conjux inscius contrahere denuo Matrimonium sub ea conditione : si prius Matrimonium irritum fuit.

(71. Dato autem quod in quibusdam casibus, attenta natura, et qualitate Conjugis inscii impedimenti, gravissima necessitas evitandi extrema mala et scandala obstringat ad nullimode revelandum impedimentum, tunc optimum expediens erit, quod Conjux conscius impedimenti dicat, se non habuisse consensum, quando contraxit Matrimonium. Non enim sic dicendo mentiretur, quia prior ille consensus, ex quo ratione impedimenti fuerit nullus, re ipsa non fuit consensus. Et hoc expediens non rare prodesse poterit, ut recte advertit Cardenas loc. cit., num. 680, et tenet Sanchez, loco cit., Claudius La Croix, loco cit. num 814, in fine, et alii (1). (72. Et dato etiam insuper quod neque hoc expediens prævideretur profuturum, imo ratione variarum suspicionum, quæ possent oriri in parte inscia, graviora imminerent mala parti consciæ impedimenti, ut esset divortium quoad torum, et vinculum, ex quo prudenter timeret alteram partem esse dissensuram, vel exinde evenire gravissima scandala, et mala sibi, et proli, perpetuas inimicitias, mortes, etc. Tunc in his et similibus casibus ratione extremæ necessitatis evitandi talia gravissima mala, quæ non possent aliter evitari quam omittendo hujusmodi certiorationem, vel supradictam cautelam, seu expediens, et alia similia, poterit ad praxim deduci contraria sententia defensa a plusquam sexdecim gravibus Doctoribus relatis a P. Thom. Sanchez, lib. 2, de Matrimonio, disp. 36, num. 2, et a Cardenas, loc. cit., num. 670, quod nempe non requiratur talis certioratio de nullitate præcedenti respectu Conjugis inscii, quando præcipue prudenter timentur talia gravia mala et scandala ; (73. Et sic tenent etiam ipse num. 8, Cardenas loc. cit., Sanchez, loc. cit. num. 681. Diana, par. 4, tit. 4, resolut. 49. Monacelli, tom. 1, tit. 9, formul. 1, n. 55, et alii dicentes, quod quando nullo modo extorqueri posset consensus absque periculo, quod pars ignorans impedimentum detrectet, et suspicetur de Matrimonii nullitate, et inde prudenter timeantur gravissima mala supradicta, vel alia similia, tunc etiam absque verbis poterit denuo Matrimonium illud consistere, habita copula affectu maritali ex parte partis consciæ impedimenti, nam ex parte alterius partis insciæ impedimenti, cum putet Matrimonium validum, constat copulam eo maritali affectu haberi.

(74. Et ratio est, quia licet ea opinio extra casum necessitatis parum probabilitatis habeat, accedente tamen gravissima necessitate, præcipue favore animæ, accrescit illi major probabilitas. (75. Unde cum in dubiis præferenda sit sententia animabus favens, videtur hanc opinionem in praxi sequi posse, præsertim cum supradicta Clausula de certioratione partis insciæ non ponatur ut conditio necessaria, sed ad instructionem Confessarii, ex Sanchez, de Matrimon., lib. 8, disp. 24, n. 61. (76. Alias hæ dispensationes suo valore frustrarentur, quia sæpe contingit non posse nullitatem detegi, absque periculo detegendi delictum, ut advertit

(1) Numquam expediens est mentiri ; cum id Auctore ipso fatente numquam liceat. Conjux vero, qui impedimenti inscius Matrimonium bona fide contraxit, in Matrimonio ineundo sincera voluntate consensit ; verum ergo consensum præstitit, qui non in alio quam in sincera voluntate contrahendi consistit. Si ergo dicat : Consensum non præstiti, dum Matrimonium contraxi, negat se voluntatem contrahendi habuisse, quam revera habuit. Ergo mentitur. Quis vero mendacium *expediens optimum* dicat? Ait : nullus erat ille consensus impedimento interposito. At id Matrimonium nullum reddit, non vero consensum, qui verus est præsertim in eo, qui impedimentum ignorat, etsi effectu privetur ob incognitum impedimentum. Ergo dicendo, Non consensi, revera mentitur, ut mentiretur ille qui se ignem applicasse negaret alicui combustibili re, cui revera applicavit : quod ex applicatione illa optata combustio sequuta non sit. Vide ea quæ in art. de Accusato contra restrictiones mentales adnotavimus. (*Nota Rom. Theologi.*)

Digitized by Google

Monacelli, loc. cit., num. 57. Unde Diana, loc. cit., in hoc proposito sic præcise ait : « Sed quando timetur scandalum, aut grave damnum, neque ex aliquibus verbis generalibus Conjux potest a Marito consensum extorquere, tunc sufficit copulam procedens ex affectu maritali, et in hoc casu puto sine scrupulo præferri posse secundam opinionem. » (77. Nec valet objicere cum Basilio Pontio lib. 4, de Matrim., cap. 25, n. 7, quod si opposita opinio revera probabilis est in praxi, etiam extra casum necessitatis poterit conjux illa uti. (78. Non valet, inquam, quia, ut recte respondet Cardenas, loc. cit., num. 682, id quod est indecens Sacramento extra casum necessitatis, ipsa extrema necessitas facit quod non sit indecens, maxime cum sit pro bono animæ; (79. Et patet in Sacramento Baptismi, in quo licet indecens et illicitum esset, et magna irreverentia irrogaretur Sacramento, si quis adhiberet lixivium, quando adesset copia aquæ naturalis, tamen hac aqua naturali deficiente, et in extrema necessitate, nulla fit irreverentia Sacramento, nec quid patratur illicitum; immo quia Sacramenta instituta sunt pro salute animarum, potius cedit in obsequium Sacramenti, cum istud applicatur pro salute animæ ex opinione probabili minus tuta, quando ex hac pendet salus animarum, et in extrema necessitate, et facit regula juris tit. 41, lib. 5. Decretalium cap. 2, ibi : « Quod non licitum in lege, necessitas facit licitum. » (1).

(80. Prudentia Confessarii potissimum requiritur cum in Confessione a Pœnitente Sponso vel Sponsa ei aperitur aliquod impedimentum dirimens, et jam parata sunt omnia ad nuptias, nec potest ab illis abstinere ad evitandam suspicionem alicujus criminis, vel infamiæ inter Sponsos. (81. Tunc enim si impedimentum revera afferret infamiam, aut scandalum, posset pœnitenti Sponso vel Sponsæ consulere, ut statim voveret castitatem ad mensem, et deinde diceret consanguineis, aut etiam aliis, se voto Castitatis obstrictum esse, sibique a Confessario mandatum esse, ut abstineat a Matrimonio, donec obtineatur dispensatio a Sede Apostolica. (82. Et debet prudens Confessarius Pœnitentem monere, ne dicat votum esse ad mensem, seu ad tempus, ne audientes asserant sufficere dispensationem Episcopi, sicque remedium eludatur. Sic Barbosa, de offic. et potest. Episcop., par. 2 alleg. 35, num. 5. Felix. Potestas, tom. 1, part. 4, cap. 5, num. 3625; et alii. (83. Si vero impedimentum esset ex illis, quæ non afferrent infamiam, aut scandalum, ut si esset ex copula licita, etc., tunc deberet monere pœnitentem, ut ipsemet illud manifestaret, et inde se retraheret, usquequo de remedio provideretur, vel penitus desistendo, vel dispensationem obtinendo; Felix Potest., tom. 1, loc. cit. par. 4. (84. Prudentia Confessarii requiritur pro discernendo quando debeat, vel non, monere pœnitentem ignorantia alicujus gravis mali laborantem. Si enim orta aliqua dubitatione pœnitens Confessarium pro dilucidatione interroget, tenetur Confessarius veritatem aperire, et de sua obligatione, et malo statu pœnitentem monere, quia aliter silentium esset erroris et mali approbatio. Ita communis Doctorum. (85. Si autem pœnitens Confessarium non interroget, et Confessarius prudenter advertat ignorantiam esse vincibilem, et culpabilem, adhuc tenetur pœnitentem monere, quia reperitur in statu peccaminoso, et est indispositus ad absolutionem, unde non potest eum absolvere, nisi velit se emendare, et malum reparare. Est pariter communis. (86. Si vero Confessarius prudenter advertat ignorantiam esse invincibilem, quatenus v. g. bona fide Matrimonium contraxit cum impedimento dirimente, vel bona fide retinet rem alterius, et similia, tunc si omnibus perpensis prævideat, aut prudenter timeat, admonitionem suam non esse profuturam, ex quo pœnitens, ipsa monitione non obstante, adhuc sit cum Conjuge remansurus, vel non sit rem alterius restituturus, et hujusmodi, ipsum pœnitentem monere non debet, quia monitio caret suo justo et debito fine; imo monitio esset causa majoris mali, quia transferret pœnitentem de bona fide in malam fidem, et ubi prius erat in statu solius peccati materialis sine offensa Dei, constitueretur per ipsam monitionem etiam in statu peccati formalis cum offensa Dei; cap. *Si quis* 4, de pœnitentia distinction. 7, ibi : « Si scirem tibi non prodesse, non te monerem, non terrerem. »

Nota Romani Theologi.

Scio, plures Probabilistas in eadem cum Auctore nostro opinione versari, ac palam docere non teneri Confessarios, nec monere Pœnitentes debere, qui hujusmodi ignorantia invicibili laborent, vel circa matrimonii impedimentum, vel circa rem alienam, quam bona fide possideant, aut erga alia hujus generis, dum admonitionem profuturam non esse prudenter timeant. At laxas esse, atque Christiano Theologo indignas hujusmodi opiniones, facile quisque intelliget, si animadvertat quæ Confessarii, quæque Peccatoris confitentis sint munia, dum hujusmodi Sacramentum administratur. Sicut enim Confessarii in hujusmodi Tribunali munus est Judicis, qui absolvit, vel ligat; medici, qui vulnera curat atque animi infirmitates; et Doctoris, qui instruit, docet, illuminat : ita Pœnitentis munus est ad hujusmodi Tribunal accedere, ut veluti subditus judicetur, ut tamquam infirmus curetur, et ut ignorans doceatur, et illuminetur. Necesse ergo est, ut Pœnitens ita sese Confessario exhibeat, ut huic compertum sit, Pœniten-

(1) Vide Instructionem Parochorum, et aliorum Confessariorum pro casibus, pro quorum absolutione vel dispensatione recurrendum est ad sacram Pœnitentiariam, et nostras ad illam additiones verb. *Pœnitentiarius*.

Digitized by Google

tem humili, demissoque animo Judicis sententiam suscepturum esse, salutarem medicinam exposcere, atque necessariæ doctrinæ, instructionisque avidum esse. Nam si animus in Pœnitente desit vel suscipiendi Judicis sententiam, vel spiritualis medici curationem, vel doctoris instructionem, dispositio illa deest, quæ necessaria est ad significandum detestari revera peccata omnia, ac paratam voluntatem esse ad ea facienda quæ Deus jubeat. Quis enim in homine eam animi præparationem concipiat, qua sese a peccatis, et creaturis aversum, et conversum ad Deum ostendat, si hunc non ita paratum agnoscat, ut scire a doctore cupiat, quæ facere, quæque omittere debeat, ut Dei voluntatem adimpleat? Si enim ita sese homo Confessario exhibet, ut satis declaret paratum non esse ad omittendum Matrimonii usum, si hunc sciat illicitum, vel ad rem alienam proprio Domino restituendam, quam ex invincibili errore suam esse putat: jam satis aperte ostendit paratum ei animum deesse ad peccata omnia detestanda, atque ad Dei voluntatem faciendam, quæ illicitum conjugii usum, illicitamque alienæ rei detentionem declarat. Ubi ergo dispositio, et necessaria animi præparatio et in Pœnitente illo, in quo instructio circa ea quæ invincibiliter ignorat peccata esse, et divinæ voluntati contraria, nil profutura deprehenditur? In hoc enim non modo amor Dei super omnia, ac peccati detestatio deesset sed certum quoque appareret peccati affectus indicium, amor nempe sceleris ignorantiæ nube obtecti, et animus in errore obstinatus, ut vel ex ipsis Probabilistarum momentis liquet. Præterea ignorantia hæc invincibilis haudquaquam esset: neque enim invicibilis illa ignorantia est, quæ apertam viam habet veritatem ignorantiæ oppositam agnoscendi. Pœnitenti autem, de quo loquimur, præsto hæc via esset, Confessarius scilicet paratus ad veritatem patefaciendam. Vinci ergo hæc ignorantia posset illius ope, qui doctor a Deo constitutus est, atque docere tenetur: neque enim sufficiens silendi causa est prævisio illa, qua novit, Pœnitentem veritatem amplexurum non esse. Imo conari etiam debet Confessarius, et Pœnitentem, quem ita in errore obfirmatum noverit, hortari tenetur, et objurgare, ut eam in illo animi præparationem excitet, quæ ad digne Sacramentum suscipiendum necessaria est. Omissa enim hac instructione, doctoris munus negligeret; omissa hortatione, atque apta objurgatione, nec medicum, nec judicem se ostenderet. Quid vero, quod Augustinus ipse hanc eamdem quæstionem iisdem ferme verbis versat, ac definit? Lib. de fide, et bon. oper., c. 7. « Quid si, inquiunt, virgo nesciens viro nupserit alieno? Hoc si semper nesciat, numquam ex hoc erit adultera; si autem sciat, jam ex hoc esse incipiet, ex quo cum alieno viro sciens cubaverit. Sicut in jure prædiorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum; cum vero scierit, nec aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibetur, tunc juste injustus vocatur... Absit ergo, ut sensu non humano, sed plane vano, sic doleamus, cum flagitia corriguntur, tamquam connubia dirimantur maxime in Civitate Domini, in Monte Sancto ejus, hoc est in Ecclesia, ubi nuptiarum non solum vinculum, verum etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere; quod in Republica tunc Romana non solum minime culpabiliter, verum etiam laudabiliter Cato fecisse perhibetur. Neque hinc diutius modo disputare opus est, cum et illi, quibus respondeo, non audeant affirmare nullum hoc esse peccatum; neque negent adulterium, ne ipsi Domino, sanctoque Evangelio aperte convincantur obsistere. » Vides ergo Augustinum non modo admonendam mulierem illam tradere, sed vanam etiam, et a Christiana Theologia alienam declarare contrariam opinionem, quæ monendam mulierem vetat, ne hæc correcta sciens deinceps peccet.

Si Augustino teste non licet mulierem in errore illo invincibili relinquere, sed instruenda, ac monenda est, etiamsi prævideatur correctionem haud profuturam esse, quis dicat Confessarium, cujus munus est docere ac illuminare eos qui ad ipsum accedunt, non teneri ad monendum pœnitentem de errore in quo versatur? Jam enim dixi, omitti monitionem non posse, quod inutilis, ac pœnitenti potius perniciosa prævideatur: quia si ita illum paratum agnoscit, intelligat necesse est deesse in eo dispositionem ad recipiendam absolutionem necessariam. Immo dum de eo agitur, qui rei alienæ possessor deprehendatur, potior est ratio quæ Confessarium ad monendum adstringit. Nam hujusmodi pœnitens ex alienis bonis ditior factus agnoscitur, ideoque cum damno tertii. Quis vero fingat, Judicem Christi nomine sedentem, atque doctorem, non teneri ad instruendum eum quem de ignorantia novit alterius bona occupare, et cum aliorum jactura factum ditiorem esse? Ubi enim in Confessario illo caritas illa esset, quæ damnum proximi impediri jubet? Ubi in Judice justitia appareret, quæ suum cuique tribuendum præcipit? Ubi denique in Doctore instructio, atque doctrina esset, quæ Dei legem, et naturæ præcepta ignorantibus exponit? Ait, hæc non profutura. At sit ex pœnitentis dispositione intelligat nolle hunc aliena bona restituere, ac damna illata compensare, non potest non agnoscere desiderari in eo voluntatem servandi legem Dei; immo et hunc divinæ legis contemptorem esse: nam si Dei legem non contemnat, sed paratus sit totam legem servare, ut necessarium est ad recipiendam absolutionem, sperandum est, profuturam revera monitionem, quæ Dei legem ex ignorantia neglectam servandam jubet, ac illatum aliis damnum resarciendum. Si animadvertas, Confessarium non solo fraternæ correctionis præcepto teneri, quod est Christianis omnibus commune, sed præterea præcepto docendi eos qui ad ipsum accedunt, et expli-

Digitized by Google

candi Evangelicam legem, et præcepto servandi Sacramentorum sanctitatem, atque hanc sartam tectam custodiendi ab omni sacrilega profanatione, statim intelliges, non idem de Confessario ac de Christianis reliquis ferendum esse judicium circa obligationem corrigendi. Potest sane tuto omitti fraterna correctio, si prudenter inutilis existimetur. At in Sacramenti hujus administratione omitti non potest, quin Confessarius doctoris muneri desit; quin curam necessariam negligat pœnitentis, cui illa necessaria est admonitio, ut rite ad Sacramentum disponatur; et quin injuriam Sacramento irroget, exponendo ipsum periculo sacrilegæ profanationis... Atque hinc liquet, dici non posse inutilem admonitionem illam; nam etsi otiosa quoad emendationem crederetur, tamen utilis esset ad tollendum gratiæ obicem in suscipiente Sacramentum, et ad impediendum sacrilegium, ut etiam Lacroixius adnotaverat.

RESPONSIO AUCTORIS.

Vult hic R. Theologus, contra ibi a me traditam conclusionem, esse monendum pœnitentem laborantem ignorantia invincibili. Ast tamen ultra ibi adducta, celeberrimus Pontas verb. *Confessarius*, casu 5, id expresse tenet cum sacris Canonibus, et Auctoribus ibi adductis, et doctissimus Paulus Gabriel Antoine Rom. edit. tract. de pœnit., quæst. 7, resp. 2, sic expresse habet: « Si error, vel ignorantia sit inculpabilis, et invincibilis... Si tamen probabile periculum sit, ne ex admonitione sequatur peccatum formale pœnitentis, vel grave scandalum et damnum innocentibus, puta liberis, differenda est monitio, donec hoc periculum sit ablatum, et petenda dispensatio; » ex c. 6, de consanguinit. et affinit. ubi Innocent. III. consultus de matrimonio invalide contracto, respondet: « Dissimulare poteris, ut remaneat in copula sic contracta quum ex separatione, sicut asseris, grave videas scandalum imminere. Nam quum Dei offensa per ignoratiam invincibilem vitetur, illud materiale malum recte permittitur ad impedienda graviora mala. » Hæc ille, qui certe est probabiliorista. Et idem tract. de virtutibus Theologicis qu. 2, jam tradiderat, quod corripiendus est, qui mala agit ex ignorantia invincibili juris naturalis, vel etiam positivi humani *quando fructus speratur*. Quid pro mea opinione evidentius? Et eruditiss. P. Cajetanus M. a Bergomo Cappuccinus « nell' *Uomo Apostolico istruito nella sua vocazione al Confessionario* italico idiomate impresso cap. 4, *n.* 15, sic ad rem tradit: « Si veda la lettera Decretale del Sommo Pontefice Innocenzio III, in rescritto all' Arcivescovo Roffense, registrata nel Canone: *Quia circa* 6, de consanguinit. et affinit. Aveva l'Arcivescovo riferito al Papa non so qual matrimonio invalidamente contratto per una dispensa, che si era ottenuta con pravità surrettizia nel rappresentarsi una causa falsa per vera; e desiderando egli ancor di sapere, come dovesse diportarsi nel fatto, mentre per una parte si conosceva il matrimonio esser nullo, e per l'altra si persuadeva potere dalla separazione seguirne scandalo, così il Papa rispose: « Dissimulare « poteris, ut remaneant in copula sic con« tracta, quum ex separatione grave videas « scandalum imminere. » Questa prudenza è conforme alle intenzioni di S. Chiesa dirette a Dio, permettendosi il peccato materiale per evitare il formale, ed in simili contingenze può il Confessore indi trovarsi pentito più d'aver detto, che d'aver tacciuto. » Hæc ille ad literam. Quid clarius? Et tamen ipse nequaquam est probabilista, sicuti non sunt alii plures inter quos etiam Sancti Patres id defendentes, ut est eruditis compertum. Unde vereor, ne rigidus Theologus noster, de eorum numero sit, de quibus Clemens XII, in sua Constit. ad Catholicos Oland. incip. *Illius vices*, emanat. 7 Aprilis 1703, hæc habet præcisis verbis: « Qui obtendunt quidem disciplinæ exactioris speciem, ac de rigidioris Theologiæ sibi fama blandiuntur: » ut refert dictus Cajetan. M. loc. cit., cap. 1, n. 15. Et novissime meam conclusionem tenet clariss. Ubaldus Giraldi cum suo Mascat tom. 2, lib. 4, pag. 458, n. 56, suæ edition. Rom. ann. 1757, quamvis, quod mirum est, ipse ut unus ex Revisoribus, probaverit etiam sibi contrariam opinionem Theologi Romani. Videatur insuper doctiss. D. Alphonsus de Liguori, nell'*Istruzione e pratica per li Confessori*, italico idiomate impressa Venetiis 1759, ex Typogr. Remondini, cap. 16, *della Penitenza*, punto 6, num. 108, ubi expresse hæc habet. « All'incontro lo nega la comune, e vera sentenza con Cano, Suarez, Navarro, Soto, Corduba, Sanchez, Lugo, Vasquez, Castrop. Bonac. Anacleto, Roncaglia, Sporer, Viva, ed altri innumerabili; ed in ciò trovo, che convengono due altri molto rigidi Autori, cioè Habert, ed Antoine; parlando Habert del matrimonio nullo per qualche impedimento occulto, dice: « Si adversum malum occultum, « et invincibiliter ignotum nullum appareat « remedium, et gravia incommoda prævidean« tur, dissimulandum est (a Confessario) im« pedimentum, et conjux in bona fide relin« quenda. » E parimente Antoine così scrive: « Si probabile periculum sit, ne ex admoni« tione sequatur peccatum formale pœnitentis, « vel grave scandalum, etc. Differenda est « monitio, et petenda dispensatio; » et n. 109. et seq. adducit rationes, et solvit omnes objectiones.

(87. Absolutio impertita a Sacerdote non approbato ab Ordinario Loci nulla declaratur; Benedict. XIV, tom. 1, Constit. 100, incip. *Apostolica*.

(88. Absolutio a Sacerdote impertita personæ complici in peccato turpi, extra casum necessitatis irritatur; Benedictus XIV. tom. Constitut. 20. incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*, § 4. (89. Absolutio tamen impertita hujusmodi personæ complici in mortis articulo constitutæ, etiam absque necessitate, aut infamiæ, vel scandali periculo, valida, declaratur; Benedictus XIV, tom. 1, *Con-*

Digitized by Google

stit. 120, incip. *Apostolici.* (90. Sed Sacerdos ita absolvens incurrit pœnas et censuras summo Pontifici reservatas. Idem *ibid.* Vide superius dicta, et infra verb. *Sacerdos.*

(91. Absolutio Sacerdotis excipientis Confessionem complicis in peccato turpi Summo Pontifici reservatur; Benedictus XIV, tom. 1, Constitut. 20, incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*, § 4. (92. Item absolutio calumniatorum, quoad sollicitationem in Confessione Summo Pontifici reservatur. Item *ibidem* § 3. (93. Item absolutio a censuris incursis ob mercimonia super eleemosynis Missarum reservatur Summo Pontifici. Idem, tom. 1, Constitut. 22, incip. *Quanta*, § 5.

(94. Absolutio deneganda est ignorantibus Mysteria Fidei, tenenda necessitate *medii*, Idem tom. 1, Constitut. 42, incip. *Etsi*, § 12.

(95. Ignorantibus autem sua culpa necessaria necessitate *præcepti* est absolutio rejicienda in aliquod tempus. Quandoque tamen potest talis pœnitens absolvi, si dolens de sua culpabili vincibili ignorantia, serio promittat Confessario, operam se impense daturum, qua divinæ gratiæ præsidio discat etiam necessaria necessitate *præcepti.* Idem loco citato.

(96. Absolvendi facultas a casibus reservatis et censuris conceditur Cancellario Militiæ S. Januarii. (97. Idem tom. 1, Constitut. 24. incip. *Romana Ecclesia*, § 3. Eadem facultas tribuitur Confessariis in vim Bullæ Cruciatæ concessæ Militibus S. Joannis Hierosolymitani, ejusque Militiæ subditis. Idem tom. 1, Constit. 76, incip. *Quoniam*, § 8.

(98. Absolvere non postest Abbas, seu Superior Regularis Monachos sibi subjectos a percussione Clerici Sæcularis, ut expresse respondit Sac. Congr. Conc. in Mediolanen. Censurarum 2 Decemb. 1719; ad 5, dub. Vide verb. *Excomunicatio.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(99. Quo jure Sacerdos potestatem absolvendi obtineat, in varias Theologi, tum canonistæ discedunt sententias. (100. Sunt qui tenent potestatem hanc Sacerdoti inesse ex jure divino in potentia, sed in actu, et exercitio ipsum eamdem consequi a jure Ecclesiastico, quo renitente et impediente, Sacerdos carebit tantummodo actu, sed retinebit potestatem, ita ut Ecclesia vere, et de facto, aliquam jurisdictionem Sacerdoti tribuat.

(101. At alii sentiunt, juridictionem in se, actu et potentia consideratam totam pendere a jure divino, ita tamen ut ab Ecclesia solummodo assignatio subditorum dependeat. Quod inde probant, quia ut patet ex Matthei 16, et Joannis 20, (102. Christus jurisdictionem absolvendi, et ligandi integram sine ulla diminutione Sacerdotibus est impertitus, nec usquam legitur quidquam in contrarium tributum Ecclesiæ. (103. Ergo jurisdictio in se, quanta est in Sacerdotibus, tota est a Christo.

(104. Patet hinc, qua ratione Summus Pontifex possit subjici Sacerdoti, ab eodemque in Sacramento pœnitentiæ absolvi; nam ita faciendo se subjicit jurisdictioni, quæ a jure divino est, cui ipse subjacet. (105. Quod haud ita facile explicatur ab iis, qui sustinent vere aliquam jurisdictionis potestatem tribui ab Ecclesia Sacerdoti, quippe quia pro ea saltem parte videretur Summus Pontifex Sacerdoti se subjicere minime posse, quum sit ipse Caput Ecclesiæ, nullique Ecclesiasticæ jurisdictioni subjiciatur

(106. Neque posita hac sententia difficile est explicare, quomodo possint Summus Pontifex, aliique majores Prælati graviora peccata reservare. (107. Si enim exiguntur subditi, qui ab Ecclesia conceduntur, potest Superior quædam sibi reservare, quorum judicium inferioribus non committat.

(108. Quoad ea, quæ concernunt Confessarium quoad ejus approbationem, vide verb. *Approbatio*, ubi diffuse per totum.

ADDITIONES CASINENSES.

(109. Dantur plures casus in quibus probabiliter simplices sacerdotes in mortis articulo, præsente etiam approbato, valide absolvere possunt. Et primo quidem si approbatus vel nollet vel non posset excipere Confessionem; deinde si approbatus nominatim esset excommunicatus vel suspensus; tertio si approbatus esset alienæ diœcesis; demum si pœnitens nollet peccata confiteri approbato, et periculum adesset sacrilegii. Ita quidem S. Ligorius l. 6, n. 563.

(110. Congregatio Concilii Tridentini in decreto 11 Dec. 1683, quum ageretur de multis bona fide confessis apud aliquos, qui errore communi confessarii legitimi credebantur, respondit invalide esse confessos, et si vel hoc resciverint, vel de validitate Confessionis dubitaverint, eosdem teneri confessionem reiterare. Casum hunc referunt Clericatus. De Pœnitentiæ Deces. 31, num. 14, et Lambertini t. 2, Notificationum, Notif. 84, n. 27. Sacra Congregatio vi hujus decreti nihil detraxit probabilitati opinionis, quæ tenet pietatem Ecclesiæ, in tali casu, jurisdictionem tribuere. Sed nobis certum videtur Ecclesiam non supplere jurisdictionem in dubio etiam probabili, cum desit jurisdictio. Vid. Ballerini *Prælectio* 2, c. 1, n. 6, 9, in Sum. S. Antonin.

(111. Ubi non desperatur fructus a munitione omittenda est etiam de re aliena restituenda, si pœnitens sit in bona fide. Hanc sententiam communem contra paucos, qui Concinam sequuntur, egregie defendit S. Ligorius, De pœnitentia l. 6, num. 614.

(112. Cum Confessarius non solum doctoris, verum etiam medici officium gerit, hinc a pœnitente quærere debet quæ ad ejus sanitatem judicat expedire; et non tam ea, quæ subindicat pœnitens, quam etiam ea de quibus is, sive ex ignorantia, sive ex verecundia, sive alia demum de causa tacet. De hoc confessarii debito lege, si vacat, pœnitentiales antiquos, quorum abundantiam habes penes Joann. Morinum ad calcem operis. De pœnitentia etiam S. Antoninum, SS. Thomam, Raymundum, Bonaventuram, et Sermonem 27. S. Bernardini Senensis, t. 2, pag. 147; ubi quæstionem tractat: An confessor teneatur diligenter perscrutari et examinare conscientiam peccatoris, et res-

Digitized by Google

pondet affirmative. Qui a necessariis abstineant interrogationibus, ut plures excipiant Confessiones, ii, nostro quidem judicio, haud bene agunt. Siquidem satius esset paucis cum fructu operam dare, quam plures festinanter, et cum periculo tum proprio tum alieno audire. Neque putandum omnes de omnibus, semperque interrogandos; sed pro conditionibus diversis, et cum quis ignotus aut novus ad confessorem accedat.

(113. Diaconi olim excipiebant exomologesim cæremonialem et conciliabant pœnitentes in foro externo; numquam vero exomologesim sacramentalem et in foro interno. Nec alio in sensu, teste Morino in Recognitione operis sui in pœnitentia, intelligenda sunt facta historica de absolutione a diaconis et laicis data. Relate vero ad Abbatissas idem dicendum est. Iis enim numquam permissum fuit confessiones sacramentales audire. Vide Chardon, *Hist. du Sacrament de la pénit.*

(114. In Tridentino sess. XIV, cap. VII, invalida declaratur absolutio quam sacerdos in eum profert in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem : hoc est: irrita et nullius est momenti absolutio sacerdotis, qui jurisdictione ecclesiastica, non qui divina, caret. Porro si jurisdictio penderet a jure divino (uti A., Nov. Add. n. 103, docet) etiam quoad ejus exercitium, quomodo a Romanis Pontificibus iis auferri posset? Nonne Benedictus XIV, in Constit. cujus initium : *Sacramentum pœnitentiæ* Confessario ademit facultatem omnem absolvendi complicem in peccato turpi? Potestas ergo jurisdictionis a dominio in subditos pendet; subditi autem per Episcopum assignantur; et per consequens potestatis exercitium immediate ab Episcopo habetur. Potestas quidem a Deo immediate habetur, minime vero ejusdem exercitium. Addatur et illud, sententiam quam hic vult adstruere præfatus A. communi Theologorum sententiæ contrariam esse.

ARTICULUS II.

EX EDITIONE BARBELLINIANA.

De facultate regularium absolvendi sæculares a censuris et casibus apostolicæ sedi reservatis.

(1. Cum verb. *Absolvere*, *Absolutio*, art. 1, num. 44 et seqq., tom. 1 hujus Bibliothecæ, col. 56, relata non fuerint Decreta Sacræ Congregationis, de quibus referendis Typographum monueramus, nostræque Additiones ad eosdem numeros omissæ præterea fuerint, quæstionem de facultate Regularium absolvendi Sæculares a Censuris et Casibus Apostolicæ Sedi reservatis hic retractare cogimur.

(2. Natalis Alexander Theologiæ Dogmaticæ, et Moralis lib. II. De Sacramento Pœnitentiæ art. X, hanc num. XXVII, regulam statuit : « Confessarii Regulares ab Episcopo approbati, absolvere non possunt a Casibus Summo Pontifici, aut ipsi Episcopo reservatis, nisi specialem ab ipsis acceperint potestatem : nullaque illis Privilegia quoad hoc suffragantur : » « Hanc enim illis potestatem jamdudum ademit Clemens V, in Concilio Viennensi (Clement. *Dudum*, tit. de sepulturis), declarans, se Regularibus ad Pœnitentiæ Sacramentum administrandum deputatis potestatem non impendere ampliorem, quam in eo Curatis, vel Parochialibus Sacerdotibus est a Jure concessa. Et alibi (Clement *Religioso*, tit. de Privilegiis, et Privilegiatorum excessibus) Regularibus vetat sub interminatione maledictionis æternæ, « ne in casibus Sedi apostolicæ, aut locorum Ordinariis reservatis quemquam absolvere præsumant, » Summi etiam Pontifices Clemens VIII, Paulus V, Urbanus VIII, et Innocentius X, (vide apud Barbosam p. 3, de offic. et potest. Episc., allegat. 3.) declararunt : Absolutionem a Casibus Sedi Apostolicæ, aut Ordinariis locorum reservatis illicitam esse Regularibus pariter, et Sæcularibus Sacerdotibus nulla illis ad hoc suffragari privilegia : absolutiones, si quas ab his casibus sine speciali facultate concesserint, nullas, et irritas esse : ab his absolventes, « Excommunicationis, privationis officiorum, et dignitatum, aut Beneficiorum, inhabilitatis item audiendi Confessiones, et ad quæcumque officia, Prælaturas, Beneficia in posterum obtinenda, pœnas ipso facto absque ulla alia declaratione, incursuros; super quibus a nemine, nisi a Romano Pontifice habilitatio, dispensatio, aut absolutio possit impertiri. » Alexander VII has propositiones damnavit. « Mendicantes possunt absolvere a Casibus Episcopis reservatis, » non obtenta ad id Episcoporum facultate. Et « Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum. »

(3. Verum a Clemente V. Regularibus adeptam facultatem absolvendi a Censuris et Casibus Apostolicæ Sedi reservatis, qua ex Romanorum Pontificum privilegiis potiebantur, falsum est. Neque hoc ex Clementina *Dudum* lib. III, Clementinar. tit. VII, de sepulturis cap. II, vel ex Clementina *Religiosi* lib. V, tit. VII. De privilegiis et excessibus privilegiatorum cap. 1, constat, ut Natalis Alexander arbitratur. Etenim cap. *Dudum* de casibus Ordinariis locorum, non S. Sedi reservatis Clemens V, loquitur, ubi se non intendere ampliorem concessione sua facultatem Religiosis taliter deputatis, quam Curatis, et Sacerdotibus Parochialibus impendere profitetur. Sic enim habet : « Si... iidem prælati præfatis fratribus ad confessiones (ut præmittitur) audiendas electis, hujusmodi exhibere licentiam recusarent : nos ex nunc ipsis, ut confessiones sibi confiteri volentium libere liciteque audire valeant, et eisdem pœnitentias imponere salutares, atque eisdem beneficium absolutionis impertiri, gratiose concedimus, de plenitudine Apostolicæ potestatis. Per hujusmodi autem concessionem nequaquam intendimus personis, seu fratribus ipsis ad id taliter deputatis, potestatem in hoc impendere ampliorem, quam in eo Curatis, vel parochialibus Sacerdotibus est a Jure concessa : nisi forsan eis Ecclesiarum prælati uberiorem in hac parte gratiam specialiter ducerent faciendam. » Itaque Glossa ad verb. *Concessa* inquit : « Hoc intendit quod in casibus Episcopis

Digitized by Google

reservatis non possunt absolvere. » Et ad verb. *Prælati :* « Episcopi et Superiores : unde videmus, quod hodie aliquibus ex illis concedunt casus reservatos. »

(4. Caput autem *Religiosi* excommunicationis Apostolicæ Sedi reservatæ sententiam ipso facto incurrendam fert in Religiosos qui excommunicatos a canone, præterquam in casibus a Jure expressis, vel per privilegia Sedis Apostolicæ concessis iisdem, absolvere præsumpserint. « Religiosis, ait, qui Clericis aut Laicis Sacramentum Unctionis extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, matrimoniave solemnizare, non habita super his parochialis presbyteri licentia speciali, aut qui excommunicatos a canone, præterquam in casibus Jure expressis, vel privilegiis Sedis Apostolicæ concessis eisdem, vel a sententiis per statuta provincialia aut synodalia promulgatis, seu (ut verbis eorum utamur) a pœna et culpa absolvere quemquam præsumpserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto per Sedem Apostolicam dumtaxat absolvendi, quos etiam locorum Ordinarii (postquam de hoc eis constiterit) excommunicatos faciant publice nunciari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides, nullo religiosis eisdem super hoc exemptionis, vel alio privilegio suffragante. » Ex quibus perspicue efficitur, Privilegia a casibus quibusdam Apostolicæ Sedi reservatis absolvendi Religiosis a Rom. Pontificibus concessa, a Clemente V adempta iisdem non fuisse, sed rata omnino habita. Quare Glossa ad verbum *Concessis :* « Habent, inquit, multi Religiosi privilegium ab Apostolica Sede super absolutionibus diversorum casuum. »

(5. Neque ex Decretis Sacræ Congregationis, ad quæ Natalis Alexander provocat, efficitur generatim ubique collata Regularibus absolvendi a censuris, et casibus Apostolicæ Sedi reservatis privilegia, fuisse sublata, ut ex eorumdem Decretorum lectione liquet. Nam Decretum primum Clementis VIII auctoritate editum est hujusmodi : « Decretum super absolutione a casibus reservatis. (6. Sacra congregatio S. R. E. Card. negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium præposita, justis, et gravibus causis id exigentibus, ac de SS. D. N. Clementis Papæ VIII speciali mandato, vivæ vocis oraculo desuper habito, Sacerdotibus omnibus tam sæcularibus quam regularibus per universam Italiam, extra Urbem degentibus, ad Confessiones audiendas probatis quorumvis Ordinum etiam Mendicantium, Militiarum, aut Congregationum, etiam Societatis Jesu, et generaliter quarumcumque aliarum, quovis nomine nuncupentur, jubet, et præcipit, ne quis eorum sub prætextu privilegiorum, indultorum, et facultatum generaliter, vel specifice scripto, aut vivæ vocis oraculo, vel per communicationem a Sede Apostolica, vel ejus auctoritate eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, vel societatibus, aut Archiconfraternitatibus sæcularium, aut singularibus personis, seu alias quomodocumque sub quibusvis tenoribus, formis, et clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ad cujusvis, etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum instantiam concessarum, seu confirmatarum, alicui cujusvis status, gradus, et conditionis, aut dignitatis tam ecclesiasticæ quam sæcularis, etiam Regiæ, vel Imperialis, ab ullo ex casibus clare, vel dubie, in Bulla in die Cœnæ Domini legi solita contentis, vel alias quomodocumque Sedi Apostolicæ reservatis, aut in futurum per Sanctitatem Suam, ejusque Successores pro tempore, in eadem Bulla, vel aliter reservandis, nec etiam a casibus quos Ordinarii locorum hactenus reservarunt, vel in posterum sibi reservabunt, nullo casu, etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, seu cum nova, et speciali Sanctitatis Suæ, aut Successorum suorum, vel Ordinariorum quoad casus ab ipsis tantum reservatos, respective impetrata in scriptis licentia, Ordinariis locorum exhibenda, absolutionis beneficium de cætero impendere audeat, vel præsumat : sed cum opus fuerit, pœnitentes ad Superiores, legitimosque Judices suos accedere consulat, sub pœna contrafacientibus tam regularibus, excommunicationis, privationis officiorum, aut beneficiorum, inhabilitatis item audiendi Confessiones, et ad quæcumque officia, prælaturas, beneficia in posterum obtinenda, ipso facto, absque ulla alia declaratione, incurrenda, super quibus a nemine, nisi a Romano Pontifice, habilitatio, dispensatiove, aut absolutio, præterquam in mortis articulo, possit impertiri. Sanctitas enim Sua, quatenus opus sit, facultates, et concessiones ipsas in hac parte uti cassas, et irritas haberi de certo voluit, et vult, non obstantibus quibuscumque.

« Præterea noverint pœnitentes, absolutionem, si quam obtinebunt contra hujusmodi prohibitionem, esse nullam, nulliusque roboris et momenti. Et ne locorum Ordinarii, quibus Jus hoc reservandorum casuum competit, plurium, quam opus sit, reservatione subditis aut Confessariis in animarum salute procuranda cooperatoribus sint onerosi, monentur omnes, ut paucos, eosque tantum, quos ad Christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem pro cujusvis Diœcesis statu et qualitate necessario reservandos esse judicaverint, reservent. In quorum fidem, etc. Datum Romæ die 9 mensis Januarii 1601.

« *Alex. Card. Florent.*

« Hieronymus Agucchius Secretarius. »

(7. Alterum quod inscribitur, *Declaratio Decreti, quo prohibetur absolutio a casibus reservatis*, sic habet :

« Editum fuit alias a Sacra Congregatione S. R. E. Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium præposita, Decretum super absolutione a casibus reservatis ejus, qui sequitur, tenoris : Sacra Congregatio, etc., justis et gravibus causis, etc., sub datum Romæ 9 Januar. 1601, ut supra. Cum autem dubia quædam, ac difficultates circa ejusdem Decreti interpretationem

Digitized by Google

et observationem emersissent, eadem Congregatio, ne ullus deinceps obscuritati, scrupulo, ambiguitative locus relinquatur, et ut clarius appareat, in quibus casibus, vigore ejusdem Decreti reservatis, intelligatur prohibita absolutio, speciali mandato ejusdem SS. D. N. Clementi papæ VIII, similiter vivæ vocis oraculo super ea re habito, ipsum Decretum ita moderatur, ac declarat: videlicet, sub ejusdem prohibitione illos tantum in posterum comprehendi casus, qui in Bulla Cœnæ Domini legi consueta, continentur. Ac præterea violationis immunitatis ecclesiasticæ in terminis Constitutionis felicis recordationis Gregorii XIV, quæ incipit: *Cum alias nonnulli:* Violationis clausuræ Monialium ad malum finem: Provocantium, et pugnantium in duello juxta Decretum Sacri Concilii Tridentini, et Constitutionem felicis recordationis Gregorii XIII, incipientem: *Ad tollendum:* Injicientium violentas manus in Clericos, juxta canonem: *Si quis suadent.* et cap. 17. qu. 4. ac juris dispositionem. Simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes casus, quos Ordinarii locorum sibi reservarunt, vel in posterum reservabunt. In quibus omnibus jam enumeratis casibus dumtaxat, et sublata etiam pœna inhabilitatis audiendi Confessiones, eadem Sacra Congregatio vult et mandat, dictum Decretum in sua firmitate, et pristino robore permanere; et præterea declarat eos quidem Sacerdotes tam sæculares quam regulares, qui aliquo ex privilegiis, indultis, et facultatibus in supradicto Decreto expressis, suffulti fuerint, posse juxta eorum privilegia, indulta, et facultates usu ante dictum Decretum receptas, et quæ sub aliis revocationibus non comprehenduntur, tantum, et non alias absolvere a casibus in præsenti declaratione non comprehensis; aliis vero Sacerdotibus hujusmodi privilegia non habentibus, nihil de novo concedi. Sed ne locorum Ordinarii, ad quos casuum reservatio spectat, ea in re modum excedant, eadem Sacra Congregatio illos rursus magnopere admonendos censet, ut non passim, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, et graviorum criminum absolutionem sibi reservent, quorum reservatio ad Christianam disciplinam retinendam conferat, in ædificationem, non autem in destructionem cedat, ne alioquin Sacramenti Pœnitentiæ Ministrorum coarctata potestate, sanctæ Matris Ecclesiæ piæ menti contrarius effectus subsequatur. Prohibet etiam ne sibi superflue reservent casus in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta contentos, neque alios Sedi Apostolicæ specialiter reservatos. Facultatem vero, et licentiam absolvendi a casibus reservatis, quam in scriptis tantum concedi permittebatur, etiam sola viva voce concedi posse declarat. Cæterum ne quis Sacerdotum sæcularium aut regularium, sub prætextu quod per primo dictum Decretum non fuerit sufficienter eorum specialibus privilegiis derogatum, eidem Decreto, sic ut præfertur declarato, contravenire audeat, Sanctitas Sua Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis omnibus in favorem quorumcumque Ordinum, seu Institutorum Regularium, aut Sacerdotum tam Sæcularium, quam Regularium editis, necnon eorumdem Ordinum, seu Institutorum, ac etiam Ecclesiarum et Monasteriorum, et aliorum Sæcularium vel Regularium locorum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, eisdem Ordinibus, seu Institutis, ac etiam Ecclesiis, et Monasteriis, et Sæcularibus, aut Regularibus locis, aut personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis Decretis, etiam motu proprio, et ex certa Scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis, concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, et innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, et formis, specialis specifica expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata forent, præsentibus pro expressis habens, quoad ea quæ præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogat, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ die 26 Novembris 1602.

« *Alex. Card. Floren. Episcopus Prænest.*

« Hieronymus Agucchius Secret. »

(8. In Decreto ejusdem Sacræ Congregationis de Pauli PP. V. mandato edito confirmantur Decretum, et Declaratio mox allata Decreti Clementis VIII, jussu publicati. En ipsa Decreti verba:

« Quoniam Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Episcoporum, ac Regularium præpositorum nuper accepit, quamplures regulares tantum facultatis, seu privilegii ab Apostolica Sede sibi concessum profiteri, ut etiam a casibus locorum Ordinariis in eorum Diœcesibus reservatis, absque alia ipsorum Ordinariorum licentia pœnitentes absolvere minime dubitent, nonnullosque alios in Decreto prohibitionis absolutionis a casibus Sedi Apostolicæ, vel locorum Ordinariis reservatis die 9 Januarii 1601, felicis recordationis Clementis Papæ VIII, jussu edito, necnon in Declaratione illius, eodem Clemente Pontifice jubente die 26 Novembris 1602, promulgata, excommunicationes Sedi, vel Ordinariis prædictis reservatas, minime comprehensas asserere, unde fit ut metus quo homines a peccando coercentur absolutionis facilitate exolescat. Ideo Sacra eadem Congregatio, de SS. D. N. Pauli Papæ V, speciali

Digitized by Google

mandato, vivæ vocis oraculo desuper habito, decretum hujusmodi illiusque declarationem, necnon censuras, et pœnas in eis contenta omnia confirmanda, atque innovanda operæ pretium duxit, prout per præsentes confirmat, atque innovat, ab omnibusque Sacerdotibus, tam sæcularibus quam regularibus, quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum, Congr. aut cujusvis alterius instituti, etiam necessario exprimendi, quovis, nomine nuncupetur, inviolabiliter observari; ac insuper, ut nulli ex Sacerdotibus prædictis, quibuscumque privilegiis, indultis, et facultatibus suffulti, ab excommunicationibus, vel a casibus eisdem Ordinariis, vel Sedi Apostolicæ reservatis, tam ad forum contentiosum eorumdem Ordinariorum deductis, quam non deductis, præterquam in mortis articulo absolvere audeant, vel præsumant, sub eisdem censuris, et pœnis, eo ipso, et absque alia declaratione, incurrendis, mandat, ac præcipit. Non obstantibus omnibus, quæ idem Clemens VIII in Decreto et Declaratione hujusmodi voluit non obstare. Datum Romæ 7 Januarii anni 1617.

« *Antonius Card. Saulius.*

« V. Theatinus Secret. »

(9. Neque vero alicui negotium facessere possunt extrema producti Decreti verba. Etenim quo sensu accipienda sint, eadem Sacra Congregatio in Declaratione, quam sub Urbano VIII publicavit, exposuit. Quæ quidem Declaratio ab Auctore nostro affertur verb. *Prælatus Regularis.*

(10. Eodemque pertinet Epistola ejusdem Sac. Congregationis ad Archiepiscopum Neapolitanum data sub Innocentio X, quam referunt Pasqualigus in Observationibus ad Opus Laureti de Franchis, cui titulus : *Controversiæ inter Episcopos et Regulares*, num. 1461, et Passerinus *de Statibus hominum* quæst. *CLXXXVII.* n. 379. Et noster Ferraris loc. cit.

(11. In Epistola vero sub Clemente VIII, missa ad Archiepiscopum Neapolitanum, quam Barbosa de Officio et Potestate Episcopi parte III, allegat. L. n. 188, refert, ac etiam Passerinus loc. cit. num. 377, seq. observatio Declarationis Decreti de prohibita absolutione a casibus reservatis inculcatur. Habet enim hoc modo : « Illustrissime et Reverendissime Domine. Accipiet Illustriss. amplitudo vestra una cum hisce literis exemplum declarationis quam Sacr. Congregat. S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et regularium præposita de expresso Sanctissimi Domini Nostri mandato nuper edidit super decreto de prohibita absolutione a casibus reservatis die 9, Januarii 1601, promulgato, quod in suis Diœcesibus Ostiensi, et Neapolitana publicandum, ac studiose observandum diligenter curabit. Cum autem locorum Ordinarii magna ex parte indicem, seu notam singulorum casuum a se reservatorum huc miserint, compertum est in hoc genere varie quid a variis admissum fuisse, quod aliqua emendatione indigeret; quosdam nimirum quædam reservasse quæ jam Apostolica Sedes sibi reservarat; alios alia, quæ minime expediebat; nonnullos vero in ea re modum excessisse, ut nullum fere superesset peccatum, quod non sibi vindicarent, indifferens illa servandi ratio, quæ (ut necesse erat) res plerasque levis momenti, et alioquin Conc. Trident. aliorumque Sacrorum Canonum sententiæ parum congruentes complectebatur. Verum quia nondum satis hic explorata erat cujusque loci conditio, ac necessitas, non potuit unicuique reservationum hujusmodi singillatim modus, ac temperamentum, quod res poscebat adhiberi. Nec sane debuit una, eademque regula omnibus Ecclesiis præscribi, quandoquidem alia alibi magis convenire certum est, et fieri vix potest, ut omnia omnibus in locis æque probentur, et prosint. Quæ cum ita sint, visum est eidem Sacr. Congregationi præter illam declarationem, privatas quoque literas ad singulos Ordinarios mittere, quibus moneant, ut simul, ac eas acceperint, omnes casus sibi jam olim reservatos, adhibitis aliquibus pietate, et doctrina præstantibus viris de integro discutiant, diligenterque examinent, et ad ipsius decreti jam declarati normam accommodent, eorum multitudinem sic resecantes, ut ad quam paucissimos, eosque maxime necessarios redigantur iidem casus, unde salutaris ille sequatur effectus, cujus causa hæc reservandi atrociores quosdam casus Episcopis in sua cuique Diœcesi tributa est auctoritas.

« Præcipue vero hæc monenda censet Sacra Congregatio, ut videant ipsi ordinarii, ne illos casus promiscue reservent, quibus annexa est excommunicatio major a jure imposita, cujus absolutio nemini reservata sit, nisi forte propter frequentiam, scandalum, aut aliam necessariam causam, aliqui hujusmodi casus reservandi viderentur; neque casus, in quibus absolutio, nisi cum restitutione, vel executione eorum, ad quæ pœnitentes tenentur, non confertur; neque illos, qui etiamsi mortale peccatum inducant, circa res tamen parvi momenti versantur, et frequenter inter idiotas evenire solent, uti damni dati, et similium. In peccatis etiam carnalibus reservandis multa utantur circumspectione propter periculum scandalorum, in iis maxime personis, in quas ob accessum ad Confessarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad ordinarios suspicionis aliquid capi possit. Postremo eam potissimum ineant ac sequantur rationem, quæ consideratis diligenter cujusque Provinciæ, ac populorum moribus, natura, ac propensione, magis in Domino expedire videbitur. Postquam autem ab iis peracta discriptaque fuerit hæc moderatio, unusquisque eam primo quoque tempore ad me perferendam curet, addita insuper causa, quæ cujusque casus reservationem potissimum suaserit. Hoc enim a S. D. N. deliberatum est, ut postmodum singulæ hujusmodi reservationes distinctius examinentur, quo perfecte tandem, adjutrice Dei gratia, opportunum iis incommodis remedium adhibeatur. Interim de

Digitized by Google

ipsius Sanctitatis Suæ mandato iidem Ordinarii monentur, ut per totam suam diœcesim, ac præsertim iis locis, qui a Civitate, et Cathedrali sede longius remoti sunt, Pœnitentiarios, aliosque Sacerdotes constituant, ac delegent, quibus facultatem absolvendi a casibus sibi reservatis, concedant, ita ut his quoque liceat eamdem aliis Confessariis, si opus sit, etiam viva voce impertiri : idque maxime in solemnioribus, et præcipuis anni festivitatibus, ut peccatores, quibus obvia, et facilis fuerit hujusmodi Sacerdotum copia, ad peragendam confessionem alliciantur, quia alioquin plerique, vel ob idipsum omittere possent, si necesse haberent, Pœnitentiæ ministros, quibus indigent longius quærere. In eam igitur curam, quantum in se erit, sedulo incumbet illustriss. Amplitudo vestra, ut hæc omnia ex Sanctitatis Suæ et Sacræ Congregationis mente debitæ executioni mandentur, ea diligentia, eoque zelo ubique adhibito, quam optimus quisque pastor erga animarum sibi creditarum salutem præse ferre debet. Ut autem apud se, Successoresque suos perpetuum extet monumentum, quid hic circa totam hanc reservandi rationem deliberatum sit, dabit operam, ut hæ literæ una cum ipso decreto, ac declaratione in publicis suarum Curiarum Episcopalium actis integræ describantur. Eas vero cum primum acceperit, dignabitur facere nos ea de re certiores, missuros postea quanto citius fieri poterit, expetitum novæ reservationis indicem ex præscripto hujusce mandati confectum. Quæ omnia mandante ipsa Sacra Congregatione ego Illustr. Dominationi vestræ scripsi, Deum precatus ut eamdem quam diutissime incolumem tueatur. Romæ die 26 Novembris 1602. Dignabitur etiam amplitudo vestra Illustrissima operam dare, ut Prælatis inferioris Ordinis exemptis, seu nullius Diœcesis, si qui sint in sua Provincia, innotescat decretum hisce literis inclusum, tum etiam hæc reliqua, quæ ei scribuntur super casuum reservatione. Illustriss. et Reverendiss. Dominationis vestræ humiliatus servus.

» *Alex. Card. Flor.* »

(12. Postremo ex propositionibus num. 12, et 36, ab Alexandro VII. damnatis confirmari non potest Natalis Alexandri opinio de interdicta generatim Regularibus absolvendi a censuris, et casibus Apostolicæ Sedi reservatis facultate. Nam in prima de solis casibus Episcopis reservatis sermo fit, in alia de casibus absolvendi in Tridentino Concilio adempta Regularibus potestas fuit, nec deinde a Romanis Pontificibus restituta. Quanto autem jure damnatæ ab Alexandro VII, propositiones illæ fuerint, præter alios Milante in Exercitationibus in easdem propositiones ostendit.

(13. Igitur Passerinus cum quæst. cit. art. 1, Observat. 1, num. 425, seqq. pluribus ostendisset ; a Regularibus, absolvi non posse suos pœnitentes sæculares a Casibus Bullæ Cœnæ, Observat. secunda num. 440, seqq. hæc scribit : « Loquendo autem de casibus extra Bullam Cœnæ, Papæ reservatis : primo distingui debent Regulares intra, vel extra Italiam, aut in Italia extra Urbem existentes. Nam pro Religiosis intra Italiam existentibus, sed extra Urbem, revocata fuerunt privilegia pro aliqua parte, nimirum quantum ad quinque casus in Decreto Clem. VIII. supra num. 373 et 374, relato recensita, scilicet casus violationis Immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constit. Gregorii XIII. Violationis clausuræ monialium ad malum finem. Provocantium, et pugnantium in duello juxta Decretum Concil. Trident. et Constit. Gregorii XIII. Injicientium manus violentas in Clericos juxta Canonem : *Si quis suadente* 17, q. 4, ac juris dispositionem. Simoniæ realis scienter contractæ, et confidentiæ beneficialis. Demptis igitur his quinque casibus ab aliis casibus Papæ reservatis etiam intra Italiam, possunt Regulares, quibus superiora privilegia concessa sunt, vel in eis communicant, ab aliis casibus Papæ reservatis absolvere. Hæc tamen prohibitio nec in Italia extenditur ad Urbem, ut patet ex decreto relato n. 373, ibi per universam Italiam extra Urbem degentibus. Et ita notarunt Peyr. concl. 1, ad Constitut. 1 Julii II, § 32, num. 62. Lezana part. 1, cap. 19, num. 16 ; Aluiset, num. 20. Quod vero ait Anton. a Spiritu Sancto d. disp. 3, num. 23, revocationem præfatam et exceptionem illorum quinque casuum nec nocere Regularibus intra Italiam, si alias decretum non fuit ab eis acceptatum, nec intimatum, nec promulgatum, supponit falsa principia ; vel scilicet, quod lex Ecclesiastica dependeat a subditorum acceptatione, vel quod non sufficiat intimatio, et promulgatio juxta stylum Romanæ Curiæ executa. Religiosi vero extra Italiam habent facultatem non limitatam per illos quinque casus, ut habetur nedum ex d. decreto Clementis VIII, sed ex decreto Urbani VIII, supra num. 376, relato, unde ipsi possunt absolvere, sicut poterant ante illa decreta, ab omnibus casibus Papalibus in Bulla Cœnæ non contentis Lezana d. cap. 19, num. 16 ; Antonius a Spiritu Sancto ubi supra, num. 33 ; Diana part. 6, tract. 4, res. 53 ; Nald. Bord. Sancti Merola, Delbene, Vidal. apud d. Anton. de Spir. Sanct. Peregr. in compen. v. *Absolutio* § 1. Barbosa in sum. v. *Absolutio* num. 7 ; Tambur. p. 2, disp. 16, q. 13, num. 112. Et nihilominus advertendum, quod quantum ad casus, qui reservantur Papæ post concessa privilegia, si in hujusmodi reservatione derogatur sufficienter privilegiis Regularium, non possunt ipsi ab eis absolvere. Ita non possunt Regulares in vi privilegiorum absolvere ab excommunic. lata in Constit. *Æterni Patris* Gregor. XV, pro eligendo Pontifice juxta formam ibidem statutam : quia Pontifex reservando sibi illam excommunicat, derogat facultati a Tridentino concessæ Episcopis sess. 24, cap. 6, pro casibus occultis, et Regularium privilegiis, ideo nec Episcopi nec Regulares ab ea absolvere possunt, ut late probat Diana part. 12, de colloc. Card. resol. 26, Regulares etiam posse absolvere a casu duelli intra terminos Constit. Clem. VIII, quia hic casus

Digitized by Google

non est numeratus intra illos quinque, quia ibi solum excipitur casus duelli in terminis Conc. Trident. et Gregorii XIII, dixerunt Peyr. ad Constit. 1 Julii II, § 32, num. 64, Tambur. p. 2, disp. 113. Ubi n. 114, quod pariter possunt absolvere ab excommunicatione lata contra mulieres ingredientes monasteria virorum prætextu privilegiorum, vel ingredientes monasteria monialium, non ad malum finem : quia inter illos quinque casus reponitur ingressus in monasteria monialium ad malum finem. Et tandem circa hujusmodi casus Papales, seu contentos in Bulla Cœnæ considerandum, quod licet Gaspar Hurtado, disput. 11, de pœnit., arbitretur hujusmodi casus esse reservatos ratione enormitatis, tamen communis sententia est, ut censeantur reservati ratione censuræ. D. Anton. 3, p. tit. 17, c. 11. Cajet. in sum., v. *Casus*. Navar. c. 27, num. 254. Armilla, v. *Casus*. Duar. et Casar. quos sequitur Aluiset ubi supra num. 21. Quod et esse de jure affirmat Suarez 4, disput. 26, sect. 2, concl. 2. Unde est, quod ubi casus sit talis, quod peccator non incurrit censuram, non est reservatus. Ab incursu autem censuræ excusant ignorantia, maxime ubi censura lata est contra temere agentes, aut praesumentes, aut scienter violantes legem, in quo casu etiam ignorantia cum bona fide excusat. Excusat etiam oblivio, et inadvertentia, et indeliberatio actus, et si actus non fuit consummatus. » Confer Billuart. de Sacram. Pœnit. Dissert. 6, art. 7, in resp. ad quæst. 5, tum Clementis XI Decretum ab Auctore nostro allatum verb. *Absolvere*, *Absolutio* art. 1, num. 47, in quo recensentur casus, a quibus Confessarii tam Sæculares quam Regulares in Urbe absolvere non possunt Pœnitentes extra mortis articulum.

(14. Ne quid autem desit, quod ad hanc controversiam, quam explicandam suscepi, pertinere videatur, subjiciam quæ Cuniliati de Sacramento Pœnitentiæ § 12, num. 6 et 7, tradit. Hæc igitur habet : « Demum inquisitione dignum videtur, num Privilegiati possint absolvere ab aliis casibus, quos sibi reservarunt Romani Pontifices, post Decreta Clementis VIII et Pauli V, ac deinceps sibi reservabunt, si non pertineant ad S. Inquisitionis Officium, et ad Congregationem de Propaganda fide, etc., quemadmodum in supra laudata Constitutione Urbani VIII, *Sicut accepimus* statutum est. Pater Dominicus Viva supra propositionem XII Alexandri VII, ex verbis Decreti Pauli V : « Ac insuper ut « nulli ex Sacerdotibus, quibuscumque pri« vilegiis, indultis, ac facultatibus suffultis, « ab excommunicationibus, vel a casibus,... « Sedi Apostolicæ reservatis,... præterquam « in mortis articulo, absolvere audeant, vel « præsumant, » deducit sublatam omnino Privilegiatis facultatem absolvendi ab hujusmodi casibus ; clausula namque illa *Insuper*, ait ille, videtur indicare novam dispositionem legislatoris, ab antiquis distinctam, ex capit. *Statum*, § *Insuper de Rescriptis* in 6, atque adducit pro sua opinione Floronum, et Bordenum apud Dianam p. 8, Tract. 7, respons. 71. Idem docet Pater Casnedi tom. 3, disp. 30, n. 58 ; ex verbis Decretorum Clementis VIII. Idem tenet Cardinalis Petra t. 5. Constitutionum Apostolicarum, super Constitutionem XIX Sixti IV, n. 15, et pro eadem sententia affert Pellicionum quæst. 7, cap. 2, § *dico quarto* ; et cap. 3, § *respondeo* : Matthæucium de Officialibus Curiæ, cap. 2, n. 11 et 12, Barbosam p. 3, de potestate Episcopi, alleg. 5, ad Concil. Trident. cap. 1, et P. Viva supra relatum. Passerinus noster de statibus Hominum quæst. 187, art. 1, Observatione 2, n. 443, advertit, quod quantum ad casus, qui reservantur Papæ post concessa Privilegia, si in hujusmodi reservatione derogetur sufficienter privilegiis Regularium, non possunt ipsi ab illis absolvere : ita non possunt Regulares in vi privilegiorum absolvere ab excommunicatione lata in Constitutione *Æterni Pastoris* a Gregor. XV, 1621, die 14 Novembris, edita contra violantes statuta circa electionem Romani Pontificis. Rursus idem Passerinus Observatione 3, n. 452, docet, ex Constitutione Urbani VIII, ad derogandum privilegiis Regularium, nullam specialem derogationem esse necessariam. Rotarius tom. 3 Theologiæ Regularium de Sacr. Pœnit. cap. 1, punct. 9, num. 8, ait : laudati Auctores, nempe Lezana, Passerinus, Naldus, Antonius a Spiritu Sancto, Diana, Barbosa, et alii advertunt, quod si Papa aliquem casum sibi reservaret, hic virtute privilegiorum non posset a Regularibus absolvi. Hinc mihi mirum est, quomodo P. Lucius Ferraris, vir alioquin doctissimus, in sua Bibliotheca Canonica verbo *Absolutio* concedat universim Regularibus facultatem absolvendi a casibus Papæ reservatis ; et deinde verbo *Complex*, excipiat casum, absolventis complicem in peccato contra sextum præceptum ; et verbo *Sollicitatio* excipiat casum, falso accusantium Sacerdotes de sollicitatione, et procurantium ut accusentur ; et verbo *Eleemosina*, casum illorum, qui Missas celebrare faciunt minori eleemosina, parte ejusdem sibi retenta, cum eadem sit ratio istorum quam cæterorum ; unde vel nec isti sint excipiendi, vel una cum istis etiam alii excipi debeant. Novissime de Regularium Privilegiis librum edidit Romea Fr. Didacus ab Aragonia, et in Tractatu 6, cap. 5, num 1, plures casus recenset, a quibus Regulares absolvere nequeunt, quamvis non contineantur in Bulla Cœnæ Domini, neque in Decretis Clem. VIII, unde inferendum videtur, saltem non apparere fundamentum, cur aliqui excipiantur, alii vero non, ac proinde tuto ad praxim deduci non posse illorum Teologorum sententiam, qui facultatem Regularium extendere student ad omnes casus Pontifici reservatos, præter illos, circa quos derogatum fuisse illorum privilegiis certissime ostendimus. Casus itaque Papales, circa quos verum duco, Regulares absolvere non posse, quique post Clem. VIII decreta, soli pontifici reservantur, præter illos quos supra recensuimus, sunt sequentes. Primus : De-

Digitized by Google

primentes, et impugnantes opinionem, asserentem B. Virginem sine originali labe conceptam : et vicissim contrariam opinionem damnantes hæresis, peccati mortalis, aut impietatis : Alex. VII, in Constit. *Sollicitudo*, die 8 Septemb. 1661, Secundus ; Romanæ Curiæ Officialibus, aut Judicibus, sive Romæ, sive quocumque loco, in quo dictam Curiam esse contigerit, dantes, recipientes, permittentes, deponentes mediate vel immediate aliquid, quodcumque illud sit, pro justitia, vel gratia, vel in spiritualibus, sive in temporalibus, et mixtis. Alex. VII, Constit. *Inter. gravissimas*, 2 Maii 1656. Tertius; Audentes quovis modo docere, tueri, aut ad praxim deducere opinionem asserentem, posse privilegiatos Bulla Cruciatæ eligere confessarium non approbatum ab Ordinario loci, in quo ipsi pœnitentes degunt, et confessarios eligunt. Innoc. XII, Const. *Cum sicut non sine*, 19 April. 1700, quæ confirmata fuit a Benedicto XIV, anno 1744. Quartus; Carthusiensium Monasteriorum Superior, vel alius ejusdem Ordinis Monachus, sive quælibet alia persona, quæ permittere audeat vesci carnibus, vel eisdem uti in Monasteriis ejusdem Ordinis, sive publice, sive secreto. Clem. XI, Constit. *Ex injuncto*, 11 Maii 1712. Quintus; Missarum eleemosinas qui accipiunt abundantiores, et in minori summa conferunt celebrantibus : et Laici quidem seu Sæculares excommunicationis pœnam, Clerici vero, sive quicumque Sacerdotes pœnam suspensionis ipso facto incurrunt. Benedictus XIV, Constit. *Quanta cura*, 30 Junii 1741, quam supra retulimus cap. 3, de Eucharist. Sacrament., § 14, num. 2. Sextus; Absolvens extra casum mortis, et deficiente tunc quocumque alio confessario (etiamsi approbatus non fuerit) personam complicis contra sextum Decalogi præceptum, nisi adsit periculum seipsum infamandi, aliisque malam sui suspicionem ingerendi Bened. XIV, Constit. *Sacramentum Pœnitentiæ*, 1 Junii 1741, et in declaratione, seu Constit. *Apostolici muneris* 8 Febr. 1745, de qua suo loco locuti sumus. Septimus; Confessarios innocentes apud Ecclesiasticos Judices falso sollicitationis ad turpia, qui insimulat. Bened XIV, in laudata Constit. *Sacramentum Pœnitentiæ*. Octavus, Clausuram Monasteriorum quorumcumque Religiosorum virorum Fœminæ violantes, quæcumque illæ sint, et quocunque prætextu ; exceptis Fundatricibus, quæ tamen primo habeant privilegium Pontificium nominatum, et signatum ; secundo, ostensum Ordinario, et ab eo recognitum ; tertio, ad ingrediendam dumtaxat Ecclesiam positam intra claustra. Benedict. XIV, Constit. *Regularis disciplinæ*, 3 Januarii 1742. Nonus ; Audentes sive pro se, sive pro aliis temere uti facultatibus vel a Romanis Pontificibus concessis ingrediendi monasteria monialium ; quas quidem facultates omnes, quæcumque sint, revocat, et irritas declarat Benedict. XIV, Const. *Salutare*, 3 Januarii 1742. Decimus ; Edentes, aut publicantes quamcumque confutationem aut interpretationem Decreti editi circa diminutionem Festorum : secundo, typis imprimentes, vulgantes, seu alia quacumque ratione in lucem edentes libros, libellos, relationes, theses, folia, epistolas, vel alterius cujusque generis opera, sive incidenter, sive ex professo de prædicto argumento tractantia : tertio, quæcumque edita sunt iterum prælo subjicientes, et recudentes ; pro Laicis est pœna excommunicationis ; pro Ecclesiasticis pœna suspensionis a divinis. Benedict. XIV, Constit. *Non multi menses*, 14 Novembr. 1748. Laudatus Didacus ab Aragonia ulterius contendit, nonnisi a Romano Pontifice absolvi posse : primo, revelantes secretum Sac. Romanæ Rotæ contra formam Bullæ Urbani VIII. Secundo, revelantes secretum S. Officii, juxta Decretum Clem. XI. Tertio, violantes juramentum quod emittunt Officiales S. Congregationis Rituum, circa Sanctorum Canonizationem. Quarto, violantes interdictum positum a Sede Apostolica. Quinto, tractantes de successore eligendo, vivente Romano Pontifice; et inquirentes per Astrologiam judiciariam de statu Christianæ Religionis, vel de vita, et morte Romani Pontificis pro tempore existentis. Sexto, delinquentes contra Constitutiones de Romani Pontificis electione editas, ut diximus supra cum Passerino. Alii fortasse erunt casus, supra quibus, jure merito vere creditur, quod Regulares careant facultate : sed neque tempus, neque opportunitas permittit ulterius inquirere : propterea studiosus Lector eos requirat, atque hic recensitis adjungat ne nostrum hunc novissimum Tertium artic. longius protrahamus. »

ARTICULUS III.

Quoad varia alia, quæ concernunt confessarium.

(1. Confessarius tenetur conformare se quoad judicium Sacramentale opinioni pœnitentis, si ejus opinio sit vere probabilis, etiam contra propriam opinionem. Unde Confessarius tenetur absolvere pœnitentem alias dispositum juxta sententiam vere probabilem ipsius pœnitentis. Si enim pœnitens bona fide sequatur sententiam, quæ a probatis Auctoribus tamquam tuta, et probabilis defenditur, Confessarius vero eam speculative improbabilem censeat, tenetur Confessarius, deposita ac relicta propria opinione, pœnitentem absolvere, quia pœnitens habet jus eligendi opinionem vere probabilem, et ut alias dispositus absolvatur. Sic Sanchez lib. 1, in Decalog. cap. 9, n. 27, et sequent. Cardenas disput. 56, num. 1144, et disp. 17, n. 85; cum communiori Doctorum. Immo Layman lib. 1, tract. 1, c. 5, n. 10, dicit, reprehendendos esse Confessarios qui aliter faciunt : « Reprehendenda, dicit ipse, est quorumdam Confessariorum consuetudo, qui veriti pœnitentem contra propriam sententiam absolvere, eumdem ad alium Confessarium ablegant, qui oppositam opinionem probabilem tenet; si enim ille aliter absolvere potest, cur non et

Digitized by Google

tu possis? aut cur tua speculativa persuasio pœnitenti obesse debeat? » Vide tamen ad calcem hujus Artic. Præmonitionem Censoris Theologi. (2. Confessarius nec debet, nec potest absolvere peccatores recidivos, et consuetudinarios, qui crebro peccant contra legem Dei, naturæ, et Ecclesiæ, si nulla in ipsis appareat spes emendationis. Ita communis, post expressam damnationem sequentis propositionis ordine 60. inter damnatas ab Innocentio XI, 2 Martii 1679, ibi : « Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, naturæ, et Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem. » (3. Nec potest Confessarius absolvere pœnitentem, qui est in proxima occasione peccandi, quam potest, et non vult dimittere, quinimo directe aut ex proposito quærit, aut ei se ingerit, non excusante, quod illa occasio mutuam conferat utilitatem : Sic expresse habetur ex propositionibus damnatis ab eodem Innocentio XI, una ordine 61, ibi : « Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur quam potest, et non vult omittere, quinimo directe, et ex proposito quærit, aut ei se ingerit, » et altera ordine 62, ibi : « Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit. » (4. Nec potest Confessarius absolvere pœnitentes, quos cognoscit, culpabiliter ignorare Mysteria Fidei, et præcipue illud Sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis Christi Domini; ita expresse idem Pontifex in propositione damnata ordine 64, ibi : « Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi. » (5. Nec potest Confessarius in magno pœnitentium concursu ipsos solummodo dimidiate audire et absolvere, sed debet ipsos singillatim integre audire, et nonnisi integre confessos absolvere, et dimittere. Ita etiam expresse habetur ex definitione ipsius Pontificis in propositione damnata ordine 59, ibi : « Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus, qualis v. g. potest contigere in die magnæ alicujus festivitatis, seu Indulgentiæ. »

(6. Religiosi semel simpliciter approbati possunt in Diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, et quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire, absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamen Confessione tenentur dicti Religiosi eorumdem infirmorum Parochum illico certiorem reddere, et hoc potest illis ab Episcopo sub pœna suspensionis a facultate audiendi Confessiones præcipi. Sufficit tamen, ut certioratio hujusmodi, fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam. Sic expresse statuit Clemens X, in Constitutione incipiente *Superna*, et jam antea declaraverat Sacra Congregat. Episcop. et Regul. sub die 1 Julii 1606, et in una Senogallien. 22 Januar. 1616, et in Anconitana 6 Octobr. 1645. (7. Valde convenit, ut Confessarii extra casum infirmitatis, aut alterius honestæ causæ, nonnisi in Ecclesia audiant Confessiones. Sacr. Congreg. Episcop. et Regul. in Neapolitana 29 Martii 1593. (8. Et eadem Sacra Congregatio in una Observant. 16 Sept. 1617, approbavit Ordinarii Constitutionem, qua prohibebatur, quod Regulares non audirent Confessiones Sæcularium in propriis Cellis. (9. Confessarii sine necessitate audire non debent Mulierum Confessiones post crepusculum vespertinum, et ante auroram; Sac. Congr. Episcop. et Reg. in Paduana 21 Januar. 1620. (10. Prohibitionem audiendi Mulierum, puerorumque Confessiones extra Sedem Confessionalem, vel e conspectu, et non interposita crate sub pœna suspensionis ab audiendis Confessionibus laudavit Sacr. Congreg. Episcopor. et Regul. in Collen. 13 Decemb. 1693, referente Eminentissim. Petruccio, et postea Literis Encyclicis injunxit Congregat. Inquisitionis, 4 Decem. 1694. (11. Confessarii possunt juberi ab Episcopo, ut denegent absolutionem Parentibus notabiliter contumacibus, quoad Filiorum educationem in rebus ad animarum salutem spectantibus, Clemens XI, 16 Martii 1703. Circulari in Litera pluribus in locis Italice impressa, quam utroque idiomate conscriptam refert Genettus in Theolog. Moral., tom. 7, in fine, ad Quartum.

ADDITIONES AUCTORIS.

(12. Confessarii caveant, ne pœnitentes, quos noverint ab alio sollicitatos absolvant, nisi prius, sive denunciationem fecerint, vel saltem promiserint se denunciaturos quam primum poterunt; Benedictus XIV, Constit. 20, tom. 1 Bullar., incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*.

(13. Confessarii ad turpia sollicitantes denunciandi sunt ab eodem pœnitente; quæ denunciatio fieri debet, etiamsi Confessarius sit simplex sacerdos et jurisdictione careat, etiamsi pariter sollicitationi ipse pœnitens consenserit; etiamsi post ipsam sollicitationem longum jam tempus efluxerit; etiamsi sollicitatio fiat a Confessario non pro se, sed pro alio; alioquin pœnitens sollicitatus denunciare detrectans, incapax fit absolutionis. Ibid.

(14. Confessarii ad turpia sollicitantes præter pœnas alias a Jure statutas, perpetuam inhabilitatem incurrunt, ad celebrationem Missæ, ut patet ex seq. Decreto S. Universalis Inquisitionis, allato tom. 2. Bullar. Benedicti XIV, in Append., num. 8.

Feria V. die V. Augusti 1745.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali, coram Sanctissimo Domino Nostro Domino Benedicto Divina providentia PP. XIV, et Eminent. ac Reverendiss. S. R. E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Gene-

Digitized by Google

ralibus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus Noster sollicite animadvertens, quam grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui Sacrosancto Missæ Sacrificio, ac salutaris Pœnitentiæ Sacramento, ad animarum reparationem a Christo Domino institutis, in illorum perniciem, et damnationem abutuntur; decrevit quod in posterum Sacerdotes, tam Sæculares quam Regulares cujuscumque Ordinis, Instituti, Congregationis et Societatis etiam de necessitate exprimendæ, vel in actu Sacramentalis Confessionis, sive illius occasione, aut prætextu ad turpia sollicitantes, vel Sacrificio Missæ abutentes ad sortilegia, præter pœnas a jure, Apostolicis Constitutionibus, ac signanter a san. mem. Sixti V et Gregorii XV, contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad præfati Sacrificii celebrationem. Quodque ejusmodi Decretum significetur singulis cujuscumque Ordinis Superioribus, ac Præpositis, ad hoc ut de illo, sicuti et de prædictis, aliisque Summorum Pontificum Constitutionibus, juxta præscriptum in Generali Decreto Supremæ Inquisitionis, die 15 Decembris 1633; semel saltem in anno, Feria sexta post octavam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis in publica mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato, ac insuper in quocumque Generali, vel Provinciali Capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari congressu suos subditos, ac Religiosos commonendos curent, ejusdemque commonitionis coram Suprema Congregatione juratum Testimonium exhibeant. Sic expresse in Appendice Tomi secundi sui Bullarii pag. 46, n. 8.

Ubi advertendum est, quod publicatio hujus Decreti sufficit, quod fiat per totum residuum mensis Augusti juxta enunciatum Decretum dici 15 Decembris 1633, extensum per aliud ejusdem Sac. Congregationis Decretum dici 11 Februarii 1638, a dicta Feria Sexta ad totum residuum illius ad instantiam Procuratoris Generalis Canonicorum Regularium Lateranensium, quam gratiam omnibus Regularibus suffragari voluit.

(15. Calumniatores vero Confessariorum quoad sollicitationem, privantur beneficio absolutionis, quæ summo Pontifici reservatur extra mortis articulum. Idem citat. Constitution. incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*, § 3.

(16. Injungitur Ordinariis, ut in approbatione Confessariorum Constitutionem Gregorii XV, et præsentem Benedicti XIV, ab omnibus Sacerdotibus approbandis attente legi, et observari curent; ex citat. Constitut.

(17. Constitutio contra sollicitantes a Græcis quoque observari debet. Idem Constit. incipien. *Etsi*, § 9.

(18. Confessarius caret omni auctoritate, et jurisdictione absolvendi socium criminis in ordine ad illud crimen cum illo commissum; et si nihilominus ausus fuerit absolutionem hanc impertiri, ipso facto incurrit excommunicationem (19. Summo Pontifici reservatam, quæ absolutio socii criminis neve ipso Jubilæo, vel privilegio Bullæ Cruciatæ impendi valet; ex cit. Constit.

(20. In mortis vero articulo, si adsit quicumque alius Sacerdos, qui præsenti necessitati provideat, et Confessarius socius criminis pœnitenti alias disposito absolutionem impenderit, absolutio quidem ipse valet; at Confessarius lethaliter peccat, et excommunicationem reservatam incurrit. (21. Quare non potest id agere Confessarius, nisi cum necessitas urgeat mortis, nec adsit alius Sacerdos saltem simplex qui eamdem absolutionem impertiri possit; vel saltem nisi ipse non posset ab hoc munere vacare sine gravi aliqua infamia, vel scandalo. Tenetur proinde omnia media adhibere citra scandalum vel infamiam suam ad hoc, ut ipse se subtrahat, et alium si fieri possit, substituat. Sic ex altera Constitut. ejusdem Pontificis incip. *Apostolici muneris*, in qua declarat priorem Constitut. incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*. Vide verb. *Complex peccati*, num. 22, ubi præf. Constitutio *Apostolici* affertur ad literam.

(22. Confessariis interdicitur exquirere a pœnitentibus nomina complicum, sive sociorum in crimine. Idem tom. 1, Constitut. 134, incip. *Suprema*. (23. Et hæc perversa praxis exquirendi a pœnitentibus complicum nomina, et denegandi absolutionem, nisi illa manifestarent, damnatur, et prohibetur sub gravissimis pœnis. Idem tom. 2, Constitut. 8, incip. *Ubi primum*. Vide supra tradita jam verb. *Complex peccati*. (24. Et declaratur quod hujusmodi sanctio generalis sit pro omnibus locis, et personis. Idem Constitut., 20, incipien. *Ad eradicandum*.

(25. Confessarii hac in re delinquentes cum suspicione pravi dogmatis denunciandi sunt Officio S. Inquisitionis ab iis, qui quoquo modo eorum delictum cognoverunt. Idem in cit. Constitut. incip. *Ubi primum*. (26. Pœnitentes tamen in casibus, et causis propriis non tenentur denunciare. Idem, ibid. (27. Inquisitionis Officium contra hujusmodi delinquentes procedere debet ad formam suarum consuetudinum et facultatum. Idem, ibid. (28. Confessarii in præmissis delinquentes sine suspicione pravi dogmatis judicandi sunt a suis Ordinariis. Idem, ibid.

(29. Confessarius Ordinarius Monialium unicus pro tota Communitate deputari debet. Idem tom. 2, Constitut. 16, incip. *Pastoralis Curæ*. (30. Præterea Extraordinarius iisdem concedi debet bis aut ter in anno, ex Decreto Concil. Trid. Idem, ibid. (31 Quod intellige non de singulis Monialibus peculiariter, sed de tota Communitate. Idem, ibid. (32. Hic autem Confessiones omnium monialium, quæ eidem confiteri velint, audire debet. Idem, ibid. (33. Moniales tamen non tenentur, singulæ eidem peccata sua confiteri, sed sufficit ut omnes in Monasterio degentes coram ipso se sistant. Idem, ibid.

(34. Confessarii Extraordinarii electio per-

Digitized by Google

tinet ad Ordinarium loci pro Monasteriis sibi immediate subjectis, seu ad Superiorem Regularem pro iis, quibus de cætero Confessarium Ordinarium deputare consuevit. Idem, ibid. (35. Pro utrisque Confessariis tam Ordinariis quam Extraordinariis, requiritur expressa approbatio Episcopi, seu Ordinarii loci. Idem, ibid. (1).

(36. Prælati Regulares negligentia in deputatione Confessariorum Extraordinariorum suppleri debet ad Ordinario : Ordinarii vero incuria a Cardinali Majori Pœnitentiario. Idem, ibid. (37. Confessarius Extraordinarius Monialibus peculiaribus denegari non debet in casu gravis infirmitatis, etiam post alteram, aut tertiam concessionem universo Monasterio indultam. Idem, ibid. (38. Et si a Prælato Regulari denegetur, Ordinarius loci poterit eum deputare. Idem, ibid. (39. Idem procedit in casu, quo Monialis aliqua firmiter recuset ordinario Monasterii Confessario confiteri. Idem, ibidem. (40. Si vero Monialis Extraordinarium peculiarem Confessarium optet pro spirituali dumtaxat consolatione et profectu, suadetur Ordinariis et Regularibus Prælatis, ut faciles se exhibeant in hujusmodi concessionibus. Idem, ibid. (41. Pœnitentiarii Majoris jura in præmissis firma semper intelliguntur. Idem, ibid.

(42. Pro Monialibus, quæ Regularibus subjectæ sunt, Extraordinarius Confessarius deputari potest tam e Clero sæculari, quam ex altero Ordine. Idem, ibid. (43. Verum saltem semel in anno deputari jubetur Sacerdos, vel sæcularis, vel alterius Ordinis ab eo cujus est monasterii Prælatus. Idem, ibid. (44. Hanc legem ab Innocentio XIII et Benedicto XIII maturo præmisso examine statutam, Pontifex declarat generaliter esse, et ubique observandam, ipseque expresse extendit ad omnia Monasteria Regularibus subjecta. Idem, ibid. (45. Et dat facultatem Episcopis sive Ordinariis, supplendi hac in re Regularium Superiorum negligentiam, et defectum; si nempe pensatis rerum circumstantiis, ita expediens esse judicaverint. Idem, ibid.

(46. Confessarius extra Ordinem alicui Monasterio, vel Monïali deputatus, expleto officio suo, abstinere debet ab accessu ad claustra, nec commercium etiam spiritualis causæ obtentu, cum monialibus fovere. Idem, ibid. (47. Confessarius Ordinarius Monialium Confessiones excipere nequit, durante Officio, et deputatione Extraordinarii : nec alia ratione huic impedimentum afferre, ne munus suum implere valeat. Idem, ibid.

(48. Confessarius Regularis Monialium, qui non est Monasterii Prælatus, Judex esse non potest in causis super nullitate earum Professionum. Idem, tom. 2 Constit. 17, incip. *Si datam*.

(49. Confessariorum facultates occasione Jubilæi assignantur a Benedicto XIV, tom. 1, Constit. 110, incip. *in Suprema* § 4, et sunt illæ jam assignatæ in tom 4, verb. *Jubilæum, art.* 2. Vide ibid.

(50. Confessariorum facultates in vim Bullæ Cruciatæ assignantur ab eodem Constit. 86, incip. *Quoniam* § 8 et 10. Vide tom. 1, verb. *Bulla Cruciata*, ubi abunde de omnibus. (51. Confessarius electus in vim Bullæ Cruciatæ pro absolutione a Censuris, et peccatis reservatis, approbatus esse debet ab Ordinario loci, in quo Confessiones excipit. Idem Constit. 100, incip. *Apostolica Indulta*, § 2. (52. Quod extenditur ad alia Indulta similia. Idem, ibid., § 5. (53. Et declaratur comprehendere omnes personas in Indulto comprehensas, etiam Regulares, sub pœna nullitatis absolutionis. Idem, ibid., § 6. (54. Confessarius absolvens absque approbatione Ordinarii loci, incurrit pœnam suspensionis ipso facto, et absolutio est nulla. Idem, ibid., § 12.

(55. Confessarii quotannis, sicut Parochi, vacare debent exercitiis spiritualibus. Idem, tom. 1, Constit. 2, incip. *Ubi primum*, § 3.

(1) Notandum hic quod Pontifex, quando in suis Constitutionibus injungit Confessarios Monialium debere esse approbatos ab episcopo seu Ordinario loci, non agit de Monialibus quæ subjacent Prælatis, seu Abbatibus jurisdictione quasi Episcopali gaudentibus in territorio nullius Diœcesis. Hujusmodi enim Prælati, et Abbates possunt in Diœcesi sibi assignata quidquid potest in sua Diœcesi Episcopus, iis tantummodo exceptis, quæ pendent ab Ordinis potestate, ut aperto docet Bened. XIV, lib. 13, de Synodo, cap. 25, num. 2. Idem pariter dicendum cum proportione de Abbatissis territorium hujusmodi separatum habentibus. Illæ enim pro suis Monasteriis Confessarios designant approbatos a Viris doctis, quos ipsæ ad hunc effectum destinant; Mendo in Epitome verb. *Abbatissa*, n. 4. Neque id novum censendum est, ait Mendo, cit. de Ordin. Milit. disput. 7, q. 4, num. 39. Plures scilicet Abbatissas Monialium gaudere jurisdictione Ecclesiastica respectu suorum Vassalorum, quam per se ipsas nequeunt exercere, sed designant personas, ut eam exerceant, et illico post designationem absque confirmatione Pontificis, et sine licentia alterius Prælati eam exercent, quia a Pontifice derivatur in eos, hoc ipso quod ab Abbatissis designentur, quæ designatio fit ex concessione, et privilegio Sedis Apostolicæ. « Attamen, subjungit idem Mendo, ego proprius loquendo, non assererem, eas Abbatissas gaudere jurisdictione spirituali (prout gaudere affirmant Emanuel Rodriguez in summ. tom. 1, lib. 9, cap. 49, num. 1. Flores de Mena in variis quæst. qu. 10, n. 4. Miranda in Manuali prælat. tom. 2, de Sacr. Monial. qu. 6, art. 5, concl. 4. P. Reginaldus in summ. tom. 1, lib. 9, cap. 7, sect. 2, n. 117), sed gaudere privilegio, ut designent Viros Ecclesiasticos, qua designatione facta, illi a Pontifice eam jurisdictionem accipiant. Quare Pontifex apponit ut conditionem, designationem personarum ab Abbatissis præstandam, qua designatione apposita, ac impleta, jurisdictionem eis personis concedit, non expecta o alio requisito, nec confirmatione Pontificia. » Hæc Mendo cujus doctrina confirmata in terminis per ea, quæ P. Franciscus Suarez in 3 Part. D. Thomæ, disp. 26, de Pœnit. sect. 1, habet his præcisis verbis : « Aliquando vero contingit in Ecclesia, ut laicis, vel fœminis concedatur facultas providendi, seu nominandi Confessores pro suis familiis, vel subditis : illa vero non est commissio jurisdictionis, quæ talibus personis fiat : sunt enim jurisdictionis spiritualis incapaces : sed solum est potestas ad eligendam, vel designandam talem personam qua designata, Pontifex, seu Prælatus Ecclesiasticus, qui talem facultatem dedit, confert illi jurisdictionem. » (Edit. Barbiell.)

Digitized by Google

(56. Confessarius, si audierit pœnitentem et non absolverit, requiraturque de attestatione confessionis in scriptis, debet illam concedere, non tamen unquam affirmare debet, se illum absolvisse nec tunc pariter cum illum absolverit, nam alias si de aliquo hoc attestatus fuisset, et de aliquo non, revelationis Confessionis periculum subiret. Institut. Eccles. 45, § 10.

(57. Si pœnitens tempore Paschæ absolutionem obtinuit, sed ex consilio Confessarii admonetur, ut aliquo tempore abstineat a communione, potest parere absque peccato. Non tamen potest Confessarius ad arbitrium prorogare eam communionem, ut ex cap. *Omnis utriusque sexus*, de Pœnit. et Remiss. Ibid. § 16.

(58. Hic juvat ad rem adducere novissimum Decretum, seu responsum Sacræ Apostolicæ Pœnitentiariæ ad seq. dub.

Eminentisssimi Signori.

Alcune Monache professe esistenti in questa Città di Torino, umilmente prostrate a piè dell' Eminenze Vostre, espongono qualmente avendo ricevuto dalla carità di cotesta Sagra Penitenziaria la facoltà in termini consueti, di potersi tre volte l'anno confessare Sacramentalmente da Confessore approvato dall' Ordinario; anzi dalla recente Constituzione del Regnante Sommo Pontefice per il Giubileo, di cui ha aggraziato li Monisteri, essendo concesso alle Monache potersi, nel tempo ivi prefisso, confessare da qualunque Confessore approvato per Monache, insorto perciò qualche dubbio.

Supplicano l'Eminenze Vostre degnarsi dichiarare in risguardo al primo punto, se quelle parole *A Confessario approbato ab Ordinario*, quali si leggono nelle Lettere, o Indulti della S. Penitenziaria, possano nel caso surriferito estendersi assolutamente a Confessore già stato ordinario, o straordinario del medesimo Monistero supplicante senz'altra nuova approvazione. In rapporto al secundo punto, se la predetta Constituzione s'intenda pure come sopra, di Confessore stato già approvato per ordinario, o straordinario, o di qualunque altro. Che della Grazia.

DECRETUM

Sacræ Pœnitentiariæ.

Sacra Pœnitentiaria ex deductis in hoc supplici libello respondet: Indulta, de quibus agitur, per ejusdem Sacræ Pœnitentiariæ organum a Summo Pontifice concedi Monialibus consueta ex eorumdem Summorum Pontificum mente ac voluntate, non cadere sub regulas in constitutione S. M. Clementis papæ X, incip. *Superna;* sive in aliis consimilibus. Quare declarat sufficere, quod Confessarius vigore hujusmodi indulti ejusdem Sacræ Pœnitentiariæ a Moniali eligendus fuerit alias, etiam semel, ad Monialium Confessiones audiendas ab Ordinario approbatus, nisi constet eumdem Confessarium fuisse postea ob demerita, quæ ipsas Confessiones concernant, ab eodem Ordinario positive reprobatum.

Datum Romæ in Sacra Pœnitentiaria die 10 Martii 1750.

Nota censoris Theologi, ex Edit. Romana, quoad varia quæ concernunt confessarium.

Opinio, quam numero primo recenset, atque inculcare videtur Auctor Romanis Censoribus non placuit. Quamobrem de eorum sententia prænonendos hic Lectores duximus. (59. Nec dubitamus, quin attendentes ad Confessarii munia statim intelligant, falsam esse opinionem, quæ prædicat: teneri Confessarium ad conformandum se voluntati Pœnitentis, quem absolvat, etsi hanc minus probabilem, atque hanc speculative falsam existimet. Nemo ignorat Confessarium Dei vices in Tribunali sustinere atque Doctoris, Judicisque personam gerere. (60. Si ut Doctorem se gerere velit, doceat, instruat, atque illuminet Pœnitentes necesse est; et si Judicem a Deo constitutum se ostendere velit, absolvere, aut ligare Pœnitentem debet, prout ex scientia, habet in Domino, judicaverit. Hæc sane sunt munia, quæ ex Christi institutione Confessarius exercet. (61. Contra vero Pœnitens ad illius Tribunal accedere tenetur humili, demisso, atque contrito animo, ut a Doctore erudiatur, a medico salutaribus monitis et satisfactionibus curetur, et ut a Judice sententiam exposcat, atque obtineat juxta legem, cujus is custos atque interpres habetur. Dum ita rem concipimus, ut concipienda, atque existimanda revera est, fierine potest, ut statuamus, teneri Confessarium ad accommodandum se opinioni Pœnitentis, atque ad hunc absolvendum, non sólum dum cognoscat probabilius esse versari in periculo perditionis, sed etiam dum id speculative ipse certum omnino habeat? Ubi enim tum munus doctoris in Confessario esset, si pœnitentem non moneret, viam quam ipse tenet, probabilius in infernum ducere; immo juxta propriam opinionem etiam certo? Ubi munus medici, si non curaret, ut Pœnitens juxta eam quam ipse salutarem, ac peccato inimicam doctrinam agnoscit, deinceps viveret? Ubi denique judicem se ostenderet, si juxta rei opinionem, et contra propriam sententiam reum Pœnitentem absolveret, immo absolvere teneretur? Audi S. Bonaventuram, Confess. c. 4, ita exclamantem: « O inauditum philosophandi genus! Judex sententiam ferre debet ad arbitrium rei, et reus Judici obtemperare non tenetur? » (62. Itaque si Confessarius post diligens examen veram, aut verosimiliorem judicat propriam opinionem, absolutionem Pœnitenti impertiri non tenetur opinione contraria persuaso, sed instruere, ac monere eum potest, ut juxta propriam opinionem vitam instituat; et si id renuat, potest etiam absolutionem negare, ac etiam debet, dum eam in Pœnitente animi dispositionem non agnoscat, quæ necessaria in eo est, qui humili, atque contrito animo ad Sacerdotem accedat, e cujus labiis divinam legem exquirere debet. (63. At si Pœnitens sit valde doctus, et probus, et Confessarius minus doctus, dum Pœnitens

Digitized by Google

habet opinionem; quam judicat probabiliorem, et versimiliorem, tum Confessarius minus doctus, etsi præventus opinione contraria, dum deprehendat, Pœnitentem doctum non duci pravo affectu, poterit, inquit P. Gonzalez, proprium judicium deponere, et doctrinam probabiliorem Pœnitentis assumere, suamque facere, et illum absolvere; sed caute procedendum Confessariis, ac cavendum semper, ne minus probabilibus, ac laxis Pœnitentium opinionibus indulgeant, recte enim Dei nomine judicare ipsi debent; ac recte non judicant dum probabilius existimant contra Dei legem judicium esse; et dum eum absolvant, quem juxta propriam sententiam probabilius censeant Dei legem violaturum.

Responsio auctoris.

(64. Negat hic R. Theologus posse ac debere Confessarium contra propriam opinionem absolvere pœnitentem alias dispositum, juxta sententiam vere probabilem ipsius pœnitentis, et adducit pro se S. Bonaventuram in Confessionali, cap. 3. sic exclamantem, et inclamantem: « O inauditum philosophandi genus! Judex sententiam ferre debet ad arbitrium rei et reus judicis judicio obtemperare non tenetur? » Et tamen in S. Bonaventura in dicto Confessionali tom. 6. Edit. Rom. ex Tipographia Vaticana an. 1596. loco a Theologo cit. nullimode reperitur falso allegatus textus. Unde videat eruditus Lector, quid in his similibus sit sentiendum, tum quia ultra a me ibi dicta, et allegatos Auctores, plures, ac plures alti classici Doctores etiam in latioribus terminis, quam mea conclusio, id defendunt; et signanter clarissimus Sporer, tom. 3. Theol. Sacram. part. 3. cap. 6. sect. 4. qu. 3. num. 1. expresse dicens, quod Confessarius tenetur sub mortali absolvere pœnitentem rite dispositum. « Idque etiam verum est, quando pœnitens sèquitur opinionem vere probabilem contra opinionem propriam, quantumvis probabiliorem, Confessarii; adhuc enim est recte dispositus per probabilem DD. sententiam volens vitare peccatum, ut ex communi doctrina alibi explicata, id est t. 1. tract. 1. de conscientia probabili, n. 47. expresse tradens, quod Confessarius in judicio Sacramentali etiam contra propriam opinionem sibi magis probabilem et tutam visam, tenetur se conformare opinioni probabili, et tutæ pœnitentis, et dicit, » quod est communis, et certa sententia Navarri, Suarez, Sanchez, Vasquez, et aliorum cum Layman, et Bardi. Et supra n. 43. jam concluserat, quod quilibet potest prudenter sequi opinionem vere probabilem, et vere tutam nihil obstante, quod alia opinio opposita sit, vel appareat probabilior, ac tutior, et ad id ultra alios a se ibi adductos, dicit quod quinquaginta quos citat Pasqualigus decisionum moralium decis. 5. num. 3. addens sub num. 44. « Id etiam contra propriam opinionem probabiliorem, et tutiorem visam. » Et celeberrimus La Croix editionis Mediolanensis 1724. tom. 1. lib. 1. de conscientia, num. 443. ad qu. 54. « An Confessarius possit vel debeat contra propriam opinionem, etiam probabiliorem, absolvere pœnitentem, qui tenet oppositam probabilem, et de reliquo rite est dispositus? » ibidem sub n. 445. sic precise respondet: « Supposito casu quæstionis, vel alio simili, omnino videtur certum, quod Confessarius teneatur absolvere pœnitentem », ita docent auctores communissime, inter quos Victor. in sum. de Confess. num. 178. citans Palud. et Goffred. Navarrus in Man. cap. 26. num. 4. citans Adrianum, Reginaldus de Prud. Confess. cap. 3. sect. 1. § 1. num. 7. Angelus de Clavasio, qui floruit circa annum 1480. in Sum. verb. Confessio, § 2. Joannes Wider sub ann. 1430. in consolat. timor. cons. 3. part. c. 12. et 15. citans præterea Claromontensem, et Erdemberg, Dominic. Sot. in 4. dist. 18. qu. 2. art. 5. Tolet. lib. 3. Instruct. Sacerdot. c. 20. Suarez t. 2. tract. 3. dist. 13. sect. 6. Diana part. 2. tract. 3. R. 11. addens: licet putet, opinionem pœnitentis esse falsam, dummodo reputet probabilem; Layman, et Schild. tract. 12. num. 121. Cardenas in addit. ad 1 crisin. n. 13. 14. et sequent. Mendo in stat. dist. 13. num. 205. Stoz. lib. 1. part. 5. n. 117. et lib. 2. n. 131. Optime Teril. in Reg. q. 47. Ills. § 1. dist. 1. n. 71. et ibi usque ad n. 453. efficaciter probat, et solvit objectiones. Et missis pluribus aliis Felix Potestas tot vicibus impressus, et reimpressus in Examine Confessariorum, tom. 1. part. 1. num. 73. sic expresse tradit: « sequitur tertio, teneri Confessarium absolvere pœnitentem alias dispositum juxta sententiam ipsius pœnitentis, dummodo sit vere probabilis; quia pœnitens habet jus ad eligendam opinionem vere probabilem, et ut alias dispositus absolvatur. » Et nostram sententiam defendit novissime cum pluribus aliis S. Alfonsus de Liguori loc. cit. cap. 16. puncto 6. n. 117. ubi postquam dixerit, quod « lo negano Fagnan. Elizal. Concina, Antoine, ed altri fautori della piu rigida sentenza, dicendo, che nel Sacramento della Confessione è Giudice il Confessore, ed il penitente deve stare al giudizio del suo Giudice. Ma la sentenza comune insegna, che il Confessore in tal caso può, ed è tenuto assolverlo sotto colpa grave... » et pluribus citatis sequitur sic: « ed in ciò consentono anche molti Autori Probabilioristi, come Vigandt, Pontas, Vittoria. » Videatur ipse ibi n. 118. et 119. ubi multa ad rem.

Additiones ex editione Barbielliniana.

(65. Etsi fatear opinionem, quam superiori responsione Lucius noster tuendam suscipit, a pluribus Theologis defendi, adduci tamen, ut illam approbem, nullo modo possum. Nihil enim solidi ab ejusdem Patronis affertur, vel afferi potest, ex quo efficiatur. I. Opinionem minus probabilem, pro libertate, qua pœnitens est imbutus, cum opposita probabiliori pro lege, quam Confessarius amplectitur, collatam, reipse probabilem, ac tutam esse. II. Pœnitentem a Confessario admonitum, qui abjicere opinionem probabilem pro libertate cum probabiliori pro lege

Digitized by Google

pugnantem nolit, rite ad Sacramentalem absolutionem percipiendam esse dispositum. III. Præpostere, perverseque non agere Confessarium, qui ex opinione, quam in praxi illicitam censet, sententiam ferat. Mitto incommoda, quæ ex sententiæ ab Auctore propugnatæ usu in tanta laxarum opinionum, quæ a novis Theologis pro probabilibus venditantur multitudine, in morum disciplinam manarent. Consulantur Antoine in tract. de Pœnitentia cap. 3. art. 3. quæst. 4. Cajetanus Maria Bergomensis in Opere, cui titulus : « L'Uomo Apostolico istruito nella sua vocazione al Confessionario cap. 7. num. 7. » Daniel Concina in Apparatu ad Theologiam Christianam tom. 2. de Probabilismo dissert. 9. cap. 5. num. 9. seqq. Cuniliati de Pœnitentia cap. 4. § 7. n. 13. et alii. Neque vero horum doctrina a communi Theologorum doctrina abhorret, ut Liguorius in testimonio ab Auctore descripto affirmat. Nam qui ex Probabilioristis in hac quæstione Probabilistis assentiuntur, et pauci omnino sunt, et sibi minus constant. Itaque fallitur Liguorius, dum opinionem probabilistarum communem sententiam vocat. Nec minus errat, cum pro ea ad Wigandt provocat. Hic enim tractat. 2. procemiali examin. 3. quæst. 9. num. 39. petenti : « Confessarius teneturne, aut potest absolvere pœnitentem, qui juxta sententiam minus probabilem scienter fecit contractum in probabiliori sententia Confessarii docti, et prudentis peccaminosum? vel potestne se accommodare sententiæ pœnitentis? » in hæc verba respondet, *cum tutiori, et probabiliori sententia*: « si pœnitens in sua opinione semel, ac iterum mala fide sit relapsus, non potest Confessarius eum absolvere, nisi sit paratus corrigi. Unde tenetur eum monere, ac instruere de sequela sententiæ probabilioris, licet antea etiam bona fide processerit, et pœnitens tenetur parere. Nec potest Confessarius ejus sententiam amplecti. » Mox, ubi singulas propositionis suæ partes demonstravit, subdit num. 31. « *Sed quid*, si pœnitens vir probatus, et timoratus esset multo doctior Confessario judicaretque sine pravo affectu, suam sententiam esse probabiliorem opinione, quam alias Confessarius affirmat verisimiliorem? *Resp.* In hoc casu non sum contrarius. *Oppono*. Ergo jam in aliquo casu Confessarius potest se accommodare sententiæ minus probabili pœnitentis contra suam probabiliorem, *Distinguo*. In sensu composito, id est, propriam sententiam retinendo, *Nego*. Eam deponendo, et sententiam pœnitentis, velut verisimiliorem amplectendo, *Concedo*. »

In Editione Romana an. 1767, hæc num. 26. subjecta fuit Adnotatio, quam aliæ Editiones retinuerunt. « Ne quis decipiatur brevitate, et quadam etiam obscuritate, qua Auctor hic indicat mentem Benedicti XIV. legat saltem notam, quam apponit P. Phil. a Carboneano in tractatu de pœnitent. P. Antoine qu. 6. art. 2. c. 1. » Nos vero, ut Lectoribus rem gratam faceremus, notam ipsam etsi longiorem hic describendam duximus. Nam longitudo utilitate pensabitur. Sic igitur habet P. Philippus a Carboneano : « De Sacramento pœnitentiæ, quod est ad Complices in peccatis, duæ occurrunt SS. D. N. Benedicti XIV. Constitutiones. Prior, quæ incipit *Suprema omnium Ecclesiarum*, extat in vol. 1. Bullarii pag. 535. Altera cujus initium est *Ubi primum*, habetur in vol. 2, pag. 54. Utramque exposuit, et Commentariis illustravit vir Cl. Ludovicus Antonius Muratori. Ex quo et regulas Confessariis præscriptas, et nonnulla, quæ clare Pontificias Constitutiones declarant, excerpsimus, atque Auctori, qui hac in re ob nimiam Brevitatem est obscurus, addidimus. »

I. Inquirere nomen Pœnitentis, non licet, neque ejus habitationem, aliasve ejus qualitates et circumstantias, quæ personam illius detegant sine ulla rationabili causa. Recte respondit quædam mulier de suo nomine interrogata : nomen meum peccatum non est. Ob hujusmodi curiositatem procul dubio peccaret Sacerdos.

II. Non licet pœnitentibus nomen complicis revelare; ejus enim est peccata sua, non aliena accusare. Peccato non caret, eoque interdum gravi, qui famæ proximi sine ulla necessitate detrahit. Nam tu æquo animo ferres, si quis infamiam tuam alteri proderet? Tu ergo præsta erga alios id quod ab aliis erga te præstitum cupis.

III. Si quis sponte, ex simplicitate tamen, et ignorantia, complicis nomen in confessione detegit, ut rudibus e vulgo hominibus interdum evenit, non peccat. Monendus tamen est, ut in posterum abstineat.

IV. Quicumque justo aliquo titulo sponte complicem in confessione revelat nullum incurrit peccatum. Justus exempli causa titulus est, ut petatur consilium ad disrumpendam pravam aliquam consuetudinem, ad consulendum famæ propriæ, cui minatur insultum complex, si a peccando desistatur, atque aliæ hujusmodi causæ. Prior est enim tutela conscientiæ, et famæ nostræ, quam alterius.

V. Nomen complicis sibi, sive per ignorantiam, sive justo titulo revelatum, sub sigillo confessionis Sacerdos retinere debet.

VI. Inter Theologos anceps disputatio est, an oblata sponte a pœnitente licentia revelandi complicem, ea uti Confessarius possit ad correctionem ejusdem complicis, atque ad alia officia in utilitatem illius, aut Pœnitentis derivanda. Et quidem tot hic diversi Casus occurrere possunt, in quibus tam prudenter, quam imprudenter ejusmodi licentia uti Confessarius potest, ut certa statui hic regula nequeat. Sed infra hac de re sermo recurret.

VII. Ad integritatem Confessionis licite potest, ac debet Sacerdos pœnitentem interrogare de complice, quum videlicet occurrere possit circumstantia aggravans, et speciem peccati mutans. Neque enim exempli causa sufficit confiteri commissum carnale peccatum, sed simul aperiendum est, an adulterium, aut sacrilegium, aut incestus intercesserit.

VIII. Confessarius in hoc casu interro-

Digitized by Google

gans, si nomen quoque, aut domum, aut alia signa exquireret a pœnitente, per quæ sibi persona complicis revelaretur, graviter peccaret. Suo enim debito satis pœnitens fecit, aperiendo circumstantiam peccati; et dum cætera rite concurrant, absolvendus est. Ulterior Confessarii interrogatio ad peccaminosam curiositatem est referenda, neque ad eam respondere pœnitens tenetur; immo ex complurium Theologorum sententia peccaret, si revelaret, ob præceptum non infamandi proximum.

IX. Ubi ex necessitate integritatis confessionis pœnitens animadvertit fieri non posse, quin Confessarius complicem cogniturus sit, puta si res fuit cum Sorore, aut Uxore fratris; tunc ex sententia quorumdam gravium Theologorum obligatur ad quærendum, et adeundum alium Confessarium, cui ignotus sit complex. Verum graves alii Theologi sentiunt, consilium hoc esse, non vero præceptum.

X. Accidere interdum potest, ut adigendus pœnitens ad revelandum complicem, quum nempe agitur de gravibus malis vitandis, quæ in perniciem Reipublicæ vergere possunt, sicuti accideret, si Principis vita periclitaretur, si aqua mortifera populo propinaretur, aut ex farina cui gypsum mixtum foret, panis publicus conficeretur. Ut impediatur, si fieri potest, hoc malum, obligatur pœnitens ad exquirendum consilium Confessarii, qui pro sua prudentia aut per se, aut per ipsum pœnitentem remedia conquirat. Nisi revelare velit pœnitens, minime est absolvendus; nam ex lege non minus justitiæ quam charitatis, tenetur ille pro virili curare, ut in tuto sit publica salus. De damno vitando, quod privatæ alicui personæ imminere potest, non loquor; nam fere semper suppressis complicum nominibus consilium præbere potest Sacerdos.

XI. Graviter peccat Confessarius, qui aut blandis artibus, aut minis haurire, aut extorquere a pœnitentibus nomina complicum absque justa necessitate velit. Gravius etiam delinquit, si ob negatam revelationem absolvere pœnitentem recuset. Non enim licet infamiam proximi ex legibus detractionis investigare; neque ad eam prodendam obligatione ulla constringitur pœnitens; immo si, præcisa necessitate, revelaret, ex multorum sententia reum se peccati faceret.

XII. Neque gravis peccati reatum effugeret Sacerdos, si revelationem complicis exigeret, ut per operam suam correptio, et correctio illius præstaretur. Nam Confessarii munus tantummodo est curare vulnera pœnitentis, non vero aliena; exquirere peccata pœnitentis, non aliena. Neque is tenetur ad eos corripiendos, qui crimina sua sibi revelare nolunt; immo cavere debet a corripiendo ob scandala quæ inde facile consequerentur.

Quod attinet ad primam Constitutionem *In primis*, inquit, animadvertendum est, quod hic damnatur omnis Confessariorum Curiositas, quæ necessaria, aut utilis non sit pœnitentibus. Hoc est, eis interdicitur quacumque arte exquirere nomen, et habitationem Complicis, et præcipue puniendus dicitur, qui minis, et negata absolutione notitiam hanc extorquere conetur. Itaque perversa, et perniciosa decernitur Confessariorum illorum praxis, « qui a Pœnitentibus, Socii hujusmodi, seu complicis nomen exquirunt, atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conantur, sed quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelent, absolutionis Sacramentalis negatione, prorsus adigunt, atque compellunt, immo etiam complicis ejusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigunt designari. » Quibus verbis praxis eorum proscribitur, qui nullum justum titulum habentes complicum nomina scrutantur, et indebitæ curiositatis reos se statuunt. Neque enim Sapientissimus Pontifex damnationem ad eos casus extendit, in quibus aut integritas confessionis, aut publica necessitas, aut pœnitentis ipsius conscientia exigit, ut Pœnitentes complicem revelent. Quod quum accidit, ipsum pœnitentem hortari, interdum etiam adigere potest ad revelandum, omisso tamen nomine, et loco habitationis, si fieri potest. At quandoquidem nonnulli causam hanc interrogandi de complice præferebant, videlicet ut ipsum postea corriperent, atque in ejus utilitatem hujusmodi revelatione uterentur: casum hunc præcipue disertis verbis se damnare Pontifex profitetur, ita ut in posterum, quamvis etiam non palliata, sed in bonum finem excogitata ea causa adhiberetur, nulli Confessario liceat inquirere nomina complicum. Sunt verba Decreti: « Quam illi quidem intolerandam imprudentiam, tum procurandæ complicis correptionis, aliorumque bonorum colligendorum specioso prætextu colorare, tum emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitant. » Quod sane decretum, quam justum sit, et disciplinæ Ecclesiasticæ conforme, nemo non intelligit. Ecquando enim sine necessitate infamiam alterius occultam prodere fas est? Immo aut incaute, aut malitiose detectam resarcire, si per nos commode licet, jubemus. Deinde quum Sacerdotes teneantur monere pœnitentes, ut sua quidem, non vero aliena crimina confiteantur, quid est quod ipsi postea sibi potestatem usurpent extorquendi a pœnitentibus aliorum peccata? At hoc, inquiunt, recta intentione exquiritur, atque ut complicem quoque ad meliorem frugem deducamus. Sed nulla tibi est obligatio corripiendi, nisi quos confessio reos in sacro Tribunali statuit. Contra tibi obligatio est servandi sub sigillo, quæ tibi in Confessione revelantur, sive pœnitentis sint, sive aliorum. Præterea indebitis hisce interrogationibus pœnitentes a Sacramento deterres, dum eos prodere cogis id, quod ipsi a detegendo abhorrent, neque ulla obligatione detegendi tenentur. Gravioris etiam peccati reum te facis, quotiescumque ob negatam complicis revelationem pœnitenti absolutionem negas. Dum suo munere functus fuerit pœnitens, et peccata sua detestatus, eadem plene fuerit confessus cum proposito non peccandi, neque agitur de

Digitized by Google

recidivis, de occasione proxima, aut de pœnitentibus diu in cœno gravium peccatorum voluntatis, id juris ad absolutionem pœnitens acquisivit, ut sine gravi injuria, et contemptu, atque abusu Sacramenti Confessarius denegare eamdem non possit. Ad hæc, quisquis ex notitia complicis in confessione habita, quamquam licentia pœnitentis confisus complicem corrigendum suscipit, scandalis non paucis obnoxius est. Indignatur enim quicumque secreta sua crimina detecta videt, suæque famæ vulnus illatum apud Confessarium. In querelas igitur is facile erumpet, et Sigillum Sacramentale fractum suspicabitur, et Sacerdotem veluti proditorem tanti Sacramenti habebit, quæ certe in perniciem Religionis vergere possunt. At quanto graviores tragœdias excitabit complex, ubi resciverit, non sponte factam, sed extortam fuisse in confessione revelationem sui nominis, atque licentiam revelatione illa utendi? Nam sine hac licentia fracti Sigilli reus foret Sacerdos. Igitur intolerandæ imprudentiæ, et zeli sine scientia facinus hic habes. Deindo tametsi sine dolo malo, et in bonum tantummodo finem complicis nomen Confessarius detegendum curaret, fieri non posset, quin hominum malitia id tentatum arbitraretur in pravum aliquem finem, ex quo non levis invidia, atque odium adversus ipsum Sacramentum conciperetur. Et sane quum inter tot probos Ecclesiæ Ministros vix fieri possit, quin aliquis interdum a concupiscentia in transversum agatur, et in venenum convertere possit, quæ Christus Dominus in medicinam nostram instituit. Satis ejusmodi periculum foret, ut omnino præcluderetur in posterum aditus ejusmodi interrogationibus minime ad Sacramentum necessariis, et tam facile scandala, et perniciem animarum parituris. Propterea sapientissime Summus Pontifex in Decretali addidit : « Nec fieri potuit, quin ea de causa et oblocutiones, et scandala, et non Ministrorum tantum, sed Sacri etiam ipsius Ministerii odium, et Animarum ingens perturbatio in populo fideli exorta sint. »

In alterius vero Constit. Comment. iterum, *ait*, conficitur quæcumque perversa Confessariorum Curiositas, ac præcipue negantium absolutionem renuentibus revelare complicem, eosque a Sacra Inquisitione puniendos S. Sedis decerni : « Dummodo tamen hujusmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit, ac convestitus ; quæ sic agentem Confessarium de adhæsione ad prædictam reprobatam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant. » Si ejusmodi circumstantiæ desint, deferendus non erit illé ad Inquisitionis Tribunal. Non desunt sane Confessarii simplicitate laborantes, qui melius conscientiæ pœnitentis se prospicere posse aliquando putent, si nomen Complicis audiant. Fieri potest, ut nulla malitiæ suspicio in ipsos cadat : quod non difficile prospici potest. Quum exempli causa de furtis, de fraudibus, de periclitante alicujus honore agitur : tum bonus Confessarius (imprudenter fortasse) exquirit complicis nomen, consilium, ut sibi videtur, opportunum daturus. Hic tamen illius error ad cognitionem Inquisitorum non pertinet. Idem infra aliis disertis verbis inculcat Pontifex inquiens : « Quod si Confessarii de complicis nomine perperam interrogantis, absolutionemque, ni sibi detegatur actum denegantis contingat ejusmodi esse, ut quamvis imprudens, et malus, simplex tamen quidam, et nudus actus fuerit, id est iis circumstantiis destitutus, quæ de prava credulitate vel de mala adhæsione ad praxim in sæpedicto nostro Brevi reprobatam tamquam illicitam, eumdem Confessarium suspectum reddant : tunc istiusmodi delictum, neque denuntiationis oneri, neque Sancti Officii prædicti cognitioni subjectum erit, sed de illo cognoscere, atque in delinquentem Confessarium per suspensionem ab audiendis confessionibus, vel alias Canonicas, et legitimas pœnas pro dilecti modo animadvertere ad locorum Ordinarios in sua cujuscumque diœcesi omnino spectabit. » Rectissime hæc, nam ea, quæ errorem, aut suspicionem erroris contra dogmata Fidei, aut opiniones scandalosas, et perniciosas, a Sede Apostolica damnatas, minime continent, ab Inquisitionis jurisdictione semota sunt. Æquissimus vero Pontifex nihil voluit imminutum de ordinaria jurisdictione Episcoporum, quam tamen læsam ab Inquisitore Generali iidem, ut supra vidimus, expostulabant.

Itaque si quis cognoverit quemquam e Confessariis deliquisse modis in Pontificio Brevi expressis, obligatur ad illum denuntiandum Sancto Officio intra terminum triginta dierum, tunc solum cum circunstantiæ occurrunt, quæ indicent, aut justæ suspicioni locum præbeant, Confessarium credere licitam hujusmodi interrogationem, quæ intrinsece illicita sit, nisi forte legitima aliqua causa interrogandi, de qua supra egimus intercedat. Ad hoc etiam, ut denuntiatio facienda sit Sancto Officio, exigit Pontifex, ut Confessarius Sacramentalem absolutionem pœnitenti denegarit. Exceptionem alteram nunc accipe. « Verumtamen, subdit Pontifex, ab hujusmodi onere justis de causis eximi volumus, et eximimus personam ipsam Pœnitentem dumtaxat in causa propria, id est in casu, quo suum peccatum » confitens, a confessario adigatur ad sibi manifestandum nomen complicis in eodem peccato ; tunc enim pœnitentem hujusmodi ab oligatione eumdem Confessarium denuntiandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex propria, ut dictum est confessione, noverit, Confessarium aliquo ex superius enumeratis, et Sancto Officio denuntiandis modis deliquisse ; tunc eum, et ipse denuntiare ex ista aliunde habita notitia teneatur.

ARTICULUS IV.

Confessarius monialium tam ordinarius quam extraordinarius.

(1. Monialium Confessarii non possunt

Digitized by Google

eligi ab Universitate, nempe ab ipsis monialibus, sed eligi debent, et approbari ab Episcopo loci pro Monasteriis sibi subjectis; Sacr. Congr. Epis. et Regul., in Lauretana 20 Sept. 1588, in Tuscul., 25 Octob. 1601, in Regien. 4 Septemb. 1602; in Valisoletana 26 Octob. 1604 (2. Pro monasteriis autem Regularibus subjectis eligi, et deputari debent a suis respective Superioribus Regularibus; arg. ex Conc. Trid. sess. 25 de Regul. et Monialib. cap. 10; ex Clement. *Dudum*, de Sepulturis § *Statuimus*, et ex Constit. Gregorii XV. incip. *Inscrutabili;* Sed tamen debent ab Episcopo Diœcesano ideonei judicari, et approbari ut expresse statuit d. Gregorius XV, in cit. Constit. Inscrutabili, ibi: « Confessores vero, sive Regulares, sive Sæculares, quomodocumque exempti, tam Ordinarii, quam Extraordinarii, ad Confessiones Monialium etiam Regularibus subjectarum audiendas nullatenus deputari (*scilicet per Superiores Regulares*) valeant, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, et approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. »

(3. Potest tamen Episcopus in aliquibus casibus deputare Confessarium Sæcularem, seu Regularem etiam alterius Religionis Monialibus exemptis, quando scilicet nulla ratione induci possunt, ut peccata sua Regularibus confiteantur; Sacr. Congr. in Regien. *apud Pignatell.* tom. 8, consult. 53, num. 5. Vel si injuste denegetur Confessarius a proprio Prælato; ead. S. Cong. ex Naldo verb. *Episc.* n. 13. et sequitur D. Cajetanus de Alexandris in Confessario Monialium c. 6, § 13, q. 1. (4. Et quod Episcopus in casu negligentiæ Superiorum possit deputare Confessarium Extraordinarium Monialibus Regularibus subjectis, decrevit expresse S. C. Concilii in Carducen. 12 Julii 1658, ubi cum ad instantiam Monialium S. Claræ quæsitum esset: « An habere possint Confessarium Extraordinarium ab Episcopo Diœcesano, non obstante contradictione Superiorum Regularium, quibus eædem Moniales subjiciuntur; *Respondit.* Habere posse Confessarium extraordinarium ab Episcopo Diœcesano in casu negligentiæ Superiorum Regularium: » Sic apud Monacell. p. 2, tit. 15, formul. 15, num. 6.

(5. Insuper potest Episcopus ex juxta, et rationabili causa Superiores admonere, ut ejusmodi Confessores amoveant, et si Superiores id facere detrectent aut negligant, potest ipse prædictos Confessores amovere, quoties, et quando opus esse judicaverit: Sic expresse statuit Gregorius XV, in d. *Constit.* Incip. *Inscrutabili*, ibi: « Liceatque Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut ejusmodi Confessores, atque Administratores amoveant; iisque Superioribus id facere detractantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, et administratores amovendi, quoties, et quando opus esse judicaverit. »

(6. Nec Episcopus tenetur ejusmodi causam significare Superioribus Regularibus, ut expresse decrevit S. C. Conc. in responsione ad duodecimum ex dubiis circa dictam Constitutionem Gregorii XV, incip. *Inscrutabili*, resolutis, approbante eodem Gregorio XV, et Urbano VIII, qui dictas responsiones et declarationes typis Cameralibus imprimi jussit de anno 1623, apud Barbosam super Conc. Trident. sess. 25, de Regul. et Monial. c. 5, a n. 7. Fagnan. lib. 5, decr. in cap. Cum Cappella, de privil. in fine, et apud Tamburin. de Monial. disp. 26, quæsit. 3. Dictum autem dubium duodecimum conceptum erat his verbis: « Duodecimo cum in eadem Constitutione statutum sit, ut liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut amoveant Confessores Monialium, atque Administratores bonorum ad earumdem Monialium monasteria pertinentium iisque Superioribus id facere detrectantibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, et Administratores amovendi, quoties, et quando opus esse judicaverit. An ejusmodi causam Episcopus significare teneatur *Respondit:* Ad duodecim non teneri ejusmodi causam significare Superioribus Regularibus; sed hoc relinqui arbitrio et prudentiæ Episcoporum, quorum conscientias Sacra Congregatio serio oneravit, ne facultate sibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur ejus rei in districto Dei judicio rationem reddituri. »

(7. Confessiones Monalium sibi subjectarum auditæ a Confessariis Regularibus sine approbatione Episcopi sunt irritæ, et nullæ; Ead. Sac. Congr. Conc. Vide verb. *Approbatio*, art. 3, num. 3.

(8. Neque Superiores quicumque, etiamsi sint Generales, possunt sine approbatione Episcopi audire Confessiones Monialium sibi subjectarum. Vide d. verb. *Approbatio*, art. 3, num. 4.

(9. Licet iidem Confessarii sint generaliter approbati ab Episcopo ad audiendas Confessiones sæcularium, adhuc est eis necessaria specialis approbatio pro Monialibus sibi subjectis. Vide ibid. n. 5.

(10. Nec approbati ab Episcopo ad audiendas Confessiones Monialium unius Monasterii censentur approbati ad audiendas Confessiones Monialium alterius Monasterii. Vide ibid. n. 6.

(11. Etiam Confessarii extraordinarii indigent speciali approbatione Episcopi. Vide ibidem num. 7.

(12. Nec semel approbati censentur semper approbati. Vide ibid. n. 8.

(13. Nec in vim unius approbationis possunt pluries Monialium etiam ejusdem Monasterii Confessiones audire, sed toties debent ab Episcopo approbari, quoties casus deputationis contingerit. Vide ibid. n. 9.

(14. Immo tales Confessarii indigent approbatione Ordinarii ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum, non obstante etiam contraria consuetudine immemorabile. Vide ibid. n. 10.

(15. Confessarii non approbati specialiter ad audiendas Confessiones Monialium, ne-

Digitized by Google

queunt earum Confessiones audire, neque tempore Jubilæi. Vide ibid. n. 11.

(16. Approbatus pro Monialibus unius Monasterii, neque tempore Jubilæi censetur approbatus pro Monialibus alterius Monasterii. Vide ibid. n. 13.

(17. Confessarius præsentatus ad excipiendas Confessiones Monialium Regularibus subjectarum debet, vel absolute rejici, vel per totum triennium approbari, non vero ad tempus brevius. Vide ibid. num. 12.

(18. Nulla ex monialibus subjectis Regularibus sentiens se non gravatam mortali culpa, potest de venialibus valide confiteri Sacramentaliter cuicumque Sacerdoti non approbato ab Ordinario. Vide ibid. n. 14.

(19. Confessarii Monialium durare possunt solum triennio, quo elapso, non possunt amplius audire Confessiones in eodem Monasterio per aliud tempus absque licentia Sacræ Congregationis, alias declarantur suspensi ab audiendis Confessionibus; S. C. Epis. in Comen. 4. Martii 1591. in Ragusina 2. Octobris 1626. et 27. Martii 1647. et sæpe alibi. (20. Quod habet locum etiam in Confessario Conservatorii puellarum, vel aliarum quarumcumque mulierum; ead. Sacr. C. Episc. 18. Martii 1649. et in Lucensi 25. Julii 1655. (21. Confessarii vero Dominicani, et Cassinenses non possunt durare in hujusmodi Officio audiendi Confessiones Monialium, nisi per biennium ex eorum Constitutionibus. Ead. S. C. Episc. 17. Novemb. 1645. et 8. Junii 1657. (22. Si autem esset quis deputatus Confessarius ad aliquot menses per modum supplementi, poterit iste in generali deputatione Confessariorum, quæ postea fiet, ab Ordinario eligi in Confessarium ejusdem Monasterii ad integrum triennium, quia prohibitio Sac. Congregationis de non eligendo Monialium Confessario ultra triennium, cum sit odiosa, benigne, et in mitiorem partem est interpretanda, arg. cap. *Odia* 15. de Regul. Juris in 6. et cap. *In pœnis* 49. eodem in 6. ita ut intelligatur de ea, quæ sit per modum supplementi. Sic expresse D. Cajetanus de Alexandris in Confessario Monialium cap. 6. § 6. quæs. 3. et alii.

(23. Confessarius, si expleto triennio ex dispensatione Sacræ Congregationis eligatur ad aliud triennium, non potest rursus expleto secundo triennio absque alia dispensatione eligi ad tertium triennium. Vide verb. *Abbatissa*, ubi sic fuit dictum in simili de ipsa confirmata ad aliud triennium per dispensationem, et fuit conclusum non posse eligi ad tertium triennium sine nova dispensatione, et fuit ad id allatum Decretum Sacr. Congreg. deputatæ ab Innocentio XII. pro causis Congregationis Cassinensium 26. Februar. 1694, in responsione ad quintum dubium.

(24. Confessarii Monialium non possunt esse Vicarii Generales, quia Moniales de ipsis non confiderent; Sacr. Congr. Episcopor. in Sorana 23. Julii 1587. in Mutinen. 3. Februar. 1597. (25. Neque Parochi, si exinde cura notabiliter patieretur. Ead. Sac. Congreg. Episcop. in una Venetiarum 26 Julii 1594. in Parmensi 7. Martii 1652. in Taurinensi 2. Aug. ejusdem anni, et sæpe alibi. (26. Neque Minores Conventuales, quibus id prohibitum fuit a S. Pio V. Ead. Sac. Congr. Episcop. et Regul. in Ortonensi 30. Jun. 1599. et in Neapolit. 20. Mart. 1621. (27. Neque Observantes Provinciæ Reformatæ S. Antonii Lusitaniæ, quibus prohibitum fuit a Sac. Congr. sub die 7. Novemb. 1653. (28. Et generaliter Regulares, non solum non possunt esse Confessarii Ordinarii, sed neque Cappellani Monialium Ordinario subjectarum. Sac. Congreg. Episc. in Pistorien. 16. Maii 1653. (29. Unde Ordinarii non possunt uti opera Confessariorum Regularium etiam pro Confessariis extraordinariis, nisi in casu necessitatis Eadem Sac. Congr. Episc. 18. Decemb. 1601. apud Nicol. in Floscul. verb. Moniales num. 38. et sub die 1. Octob. 1602. apud Barbosam lib. Juris Eccles. univ. cap. 44. num. 127. Et ad id Tamburin. de Jure Abbatis, disp. 16. q. 2. num. 4. refert duas Epistolas Sacræ Congregationis directas Patriarchæ Veneto in quarum prima 12. Maii 1617. ei prohibuit, ne Regulares sine licentia Sacræ Congregationis deputaret Confessarios Monialium sibi subjectarum; et in altera die 7. Jun. 1620. eidem concessit, ut ob penuriam Sacerdotum sæcularium posset prædictos Regulares deputare ad subeundum munus prædictum.

(30. Sic etiam, licet Parochi ex dictis supra num. 25. non possint regulariter deputari Confessarii Monialium, possunt tamen, si exinde cura notabiliter non patiatur; et ad id Tamburin. loc. cit. n. 4. refert pariter duas Epistolas Sacræ Congregationis directas Patriachæ Veneto, in quarum prima die 17. Martii 1592. id ei prohibuit propter præjudicium Parochianorum, et detrimentum animarum; et in altera die 22 Febr. 1593. id ei concessit, ubi non adsit tale præjudicium, et detrimentum animarum; idem etiam concessit S. C. Conc. in una Salutiarum in responsione ad primum die 20. Sept. 1642. (31. Sic pariter licet regulariter Canonicus Pœnitentiarius non possit deputari Confessarius Monialium, ubi non valeat utrique muneri satisfacere, ex adductis a Pignatell. tom. 7. consult. 13. an. 1. potest tamen deputari ubi valeat utrumque munus adimplere, ut censuit S. C. Conc. in Januen. 11. Septemb. 1666. apud eumdem Pignatell. loc. cit. n. 4.

(32. Præter Confessarium Ordinarium debet etiam alius Extraordinarius ab Episcopo, et aliis Superioribus bis, aut ter in anno Monialibus offerri. Sic expresse statuit Concilium Trid. sess. 25. de Regular. et Monialib. cap. 10. ibi: « Præter Ordinarium autem Confessorem alius Extraordinarius ab Episcopo, et aliis Superioribus bis, aut ter in anno offeratur. » (33. Potest tamen Confessarius Extraordinarius eis concedi a Superioribus per plures vices, quam ter in anno, quia Concilium Tridentinum statuendo, quod confessarius Extraordinarius offeratur bis, vel ter in anno, non limitat Supe-

Digitized by Google

riorum facultatem solum ad tres vices, seu solum indicat, quod per pauciores vices non debeat, non autem, quod per plures non possit. Sic decisum fuisse refert ex Galleto Bordonus resolut. 5. n. 11. Pellizar. de Monialib. c. 10. n. 250. et alii.

(34. Moniales nequeunt recusare unum Confessarium Extraordinarium, seu Ordinarium, et alium petere, nisi assignata justa causa recusationis; tunc enim, ipsa justa causa interveniente, possunt ipsum recusare, quia is comparatur Parocho, quem ex justa causa populus recusare potest, arg. cap. *Ut circa exactiones* 4. de election. in 6. cum similibus; Bordon. in Miscellan. decis. 166. D. Cajetanus de Alexandris loc. cit. cap. 6. § 6. quæst. 5. et § 13. quæst. 5. et alii passim. (35. Possunt tamen Moniales etiam sine causa recusare Confessarium Extraordinarium, nullum alium loco ipsius petendo, quia Confessarius Extraordinarius inductus est in earum favorem; quisque autem potest sine causa Juri suo renunciare. Cap. *Si diligenti* 12. de foro competent. et cap. *Si de terra* 6. de privilegiis, ibi : « Cum liberum sit cuique Juri suo renunciare; » Tum quia dicit Regula 61. Juris in 9. « Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. » Sic Monacell. part. 1. tit. 9. formul. 4. num. 4. Donat. prax. rer. Regular. tom. 4. tract. 13. quæst. 23. D. Cajetanus de Alexandris loc. cit. cap. 6. § 13. quæst. 5. Bordon. in Miscellan. decis. 166. Tamburin. loc. cit. disput. 26. q. 1. n. 8. Pellizar. loc. cit. cap. 16. num. 270. et alii.

(36. Moniales quamvis, si nolint, non teneantur omnes Confessario Extraordinario confiteri, per adducta num. anteced. Tamen coram ipso debent omnes successive se præsentare, etiam quæ confiteri nolunt, ne discerni possit, quænam indigeant, nec ne. Sic expresse statuit Sacra Congr. Episcop. in Tornacensi 19. Octobris 1621. in Canariensi 26. Julii 1651. apud Pignatell. tom. 6. consultat. 85. num. 235. et novissime mandante Clemente XI. statuit pro Monialibus Urbis Eminentissimus Cardinalis Vicarius Gaspar Carpineus in suo Edicto 12. Decemb. 1708. quod ut scitu dignum, hic ad literam datur.

EDICTUM

NORMAM PRÆSCRIBENS CONFESSARIIS ORDINARIIS, ET EXTRAORDINARIIS SANCTIMONIALIUM QUORUMCUMQUE MONASTERIORUM ALMÆ URBIS OBSERVANDAM.

Gasparo per la misericordia di Dio, Vescovo di Sabina, della S. R. C. Cardinale di Carpegna, della Santità di Nostro Signore Vicario Generale, etc.

« (37. Avendo determinato il Sacro Concilio di Trento nella sessione 25. cap. 10. *de Regular. et Monialium* doversi dare alle Monache due, o tre volte l'anno il Confessore straordinario : *Qui omnium Confessiones audire debeat* : più volte coll' esempio delle Ordinazioni fatte dal Glorioso S. Carlo Borromeo, che si leggono negli Atti della Chiesa di Milano, e inerendo alle risoluzioni della Sacra Congregatione de' Vescovi, e Regolari; affinchè la sudetta disposizione del Sacro Concilio abbia pienamente il fine, et l' effetto, per il quale è stata istituita, con vari Editti emanati dal nostro Tribunale è stato ordinato, che tutte le Monache siano obligate a presentarsi al sudetto Confessore straordinario, e benchè sia in arbitrio loro di confessarsi al medesimo, debbano però far quell'atto, *ut monita salutis recipiant, et actum subjectionis exerceant.* E in oltre, che durante la facoltà del detto Confessore straordinario, non debba il Confessore straordinario in qualsivoglia modo impedirlo, nè accostarsi al Monastero, e molto meno ascoltare le Confessioni di alcuna Monaca, e ciò per giuste, e rilevanti cause, per le quali in qualche Sinodo diocesano si è posta, la scomunica *ipso facto* alli Confessori Ordinarii, ed alcune Religioni per Costituzione generale han proibito con pene gravissime alli Confessori Ordinarî delle Monache a loro soggette, se si accostano alli loro Monasterii nel tempo, chevi stà lo Straordinario. Che però la Santità di Nostro Signore inerendo alle sudette disposizioni ordina, et comanda alle RR. Madri Superiori, e Monache di tutti li Monasterii, e Conventi di quest'Alma Città, ed anche agli stessi Confessori Ordinarii, e Straordinarii delle medesime le cose infrascritte.

« Primo, che in occasione, che si concede secondo il solito il Confessore Straordinario a qualche Monastero, debbano, come sopra, presentarsi al medesimo tutte le Monache, incominciando dalla Superiora, le Novizie, Educande, ed altre Secolari, che colle dovute licenze vi dimorano, sotto pena alle Superiori della privazione del loro Offizio, ed alle Monache della privazione della voce attiva, e passiva per un anno; siccome sta disposto dall'Editto emanato sotto li 18. Luglio 1603. d' ordine della san. mem. di Clemente VIII. ed alle Secolari sotto pena di esser licenziate dal Monastero.

« Secondo, che per tutto il tempo, che dura la facoltà concessa al Confessore Straordinario, non ardisca il Confessore Ordinario in qualsivoglia modo impedirlo, nè accostarsi al Monastero e molto meno sentire le Confessioni di alcuna Monaca, ancorchè sia la Superiora, Novizia, o Conversa, nè di altra persona, che dimora nell'istesso Monastero, nè queste debbano confessarsi al medesimo, sotto pena della privazione dell'Offizio al detto Confessore, ed alle Monache sotto le pene sudette, come parimente fu ordinato nel medisimo Editto.

« Terzo per conservare la pace nelli Monasteri, e per buona direzione, e profitto spirituale delle Religiose, ordina la Santità Sua alle Monache, e Secolari sudette sotto le medesime pene, ed a tutti li Confessori, Ordinarii, e Straordinarii, Secolari, e Regolari di qualsisia Monastero di quest'Alma Città, sotto pena di Carcere, ed altre ad arbitrio,

Digitized by Google

che finito, e terminato, che hanno il loro Offizio, non debbano più accostarsi alli Monasteri, nelli quali hanno sentito le Confessioni Sagramentali, nè tenere corrispondenza con qualsisia Monaca, inclusa anche la Superiora, Novizia, Educanda, o altra, che dimora nelli sudetti Monasteri, benchè sia per lettere, ed in materie di Spirito : essendosi osservato coll'esperienza, che simili corrispondenze, e direzioni spirituali partoriscono confusione, e scissure nelle Communità Religiose, e quel ch'è più, la poca obbedienza alli Confessori Ordinarii, e Straordinarii attuali.

« Finalmente la Santità Sua ordina, che il presente Editto sia universale a tutti li Monasteri, e Case d'Oblate di quest'Alma Città, anche a quelli governati da Regolari, e che hanno Protettori particolari, ancorchè fossero gli Eminentissimi Signori Cardinali.

« Volendo, che il presente Ordine intimato, che sarà alli Monasteri, e loro Confessori, con lasciarne la copia, o l'esemplare, che dovrà star sempre affisso nel Monastero, e nella stanza del Confessore, abbia la medesima forza, come se fosse a ciascheduno, o ciascheduna personalmente intimato.

« Dato in Roma dalla nostra solita Residenza questo di 12. Decemb., 1708.

« *G. Card. Vicario*.

N. A. Can. Cuggiò Segr. »

(38. Confessarius Extraordinarius nunquam datur pro Moniali particulari. Eadem Sacra Cong. Epis. et Regul. in Panormitana 27. Maii 1603. (39. Nec perpetuus neque ad tempus. Ead. Sac. Congr. Epis. in Januensi 27 Apr. 1657, ex dict. sess. 25, cap. 10. (40. Nisi per Sacram Pœnitentiariam pro una vice tantum, vel de licentia Sacræ Congregationis, ut decrevit die 1 Septemb. 1645, et 11 Januar. 1647, apud Pignatell., loc. cit., num. 235. (41. Potest tamen Episcopus ex aliqua speciali ratione concedere Extraordinarium etiam Moniali alicui particulari, puta in articulo mortis pro serenitate moribundæ, quia cum in tali periculo animarum saluti omnibus mediis sit succurrendum, talis ingressus est rationalis juxta exigentiam; cap. Unic. de statu Regular. in 6, et necessarius, juxta Conc. Trident. sess., 25, c. 5. Donat. prax. rer. Regul., t. 4, tract. 13, qu. 29; Passerin., de statu homin., tom. 2, quæst. 187, n. 291; Monacell., loc. cit. numer. 6; Bordon., in Miscell. decis. 47; D. Cajetan. de Alexandris, loco citat., cap. 6, § 13, quæst. 4, et alii.

(42. Confessarius Extraordinarius potest deputari a Superioribus quolibet anni tempore, et ad dies sibi benevisos, prout suadent circumstantiæ hic, et nunc concurrentes, quia cum Concilium Tridentinum nihil determinet, neque circa tempora, in quibus fieri debet deputatio, neque circa dies pro audiendis Confessionibus concedendos, utrumque relinquitur arbitrio ipsorum Prælatorum. Praxis tamen fere communis est, ut dicta deputatio fiat unoquoque quadrimestri, et quoad dies alicubi determinantur quindecim, alicubi plures, alicubi minores, et alicubi nulla sit temporis præfinitio. Unde in hoc servanda est consuetudo cujuscumque Diœcesis, aut Ordinis, cum consuetudo habeat vim Legis, cap. *Cum tanto* 12, de consuetudin. (43. Dies autem determinati, verb. gr. quindecim, si non obstet, vel consuetudo, vel statutum aliquod particulare, incipiunt currere a die cœpti exercitii, quia tempus respiciens actum incipit cum ipso actu, ut tradunt Glossa in cap. Anteriorum 28, caus. 2, quæst. 6. Imola, Baldus, et alii.

(44. Tempore deputationis Confessarii Extraordinarii expedit, quod Ordinarius non accedat ad Monasterium : Immo pro Monasteriis Urbis hoc præcipitur expresse Confessariis Ordinariis sub pœna privationis vocis activæ et passivæ, et privationis Officii, et sub eisdem pœnis prohibentur Moniales omnes ipsis confiteri pro tali tempore. Sic in adducto Edicto sub num. 37, § 3. Idem pro Confessariis Ordinis Minorum de Observant. disponunt Statuta Sambucana cap. 11, § 17, n. 12.

(45. Sic etiam expedit, quod Confessarii omnes, tam Ordinarii, quam Extraordinarii, tam Sæculares, quam Regulares, completo suo officio, et ministerio, non amplius ad dd. Monasteria accedant, neque ob motivum directionis, et conferentiæ Spiritualis, neque correspondentiam etiam per litteras ob tale motivum tenere cum aliqua Moniali, inclusa etiam Superiorissa, Novitia, Educanda, aut alia quacumque inibi degente. Immo pro Monasteriis Urbis hoc expresse præcipitur omnibus dictis Confessariis sub prædictis, aliisque pœnis. Sic in dict. Edicto § 3.

(46. Prælati Regulares in Regnis Hispaniarum tenentur saltem semel in anno deputare pro Monasteriis sibi subjectis Confessarium Extraordinarium, aut Sæcularem, aut Regularem alterius diversi Ordinis; alias ipsum poterunt deputare Episcopi. Sic expresse statuit novissime Innocentius XIII. Constitut. 1, incipient. *In supremo* § 19, ibi : « Cumque ex eodem Concilio Trident. Confessor Extraordinarius bis, aut ter in anno offerri Monialibus debeat, qui omnium Confessiones audiat : si in posterum Superiores Regulares quoad Monasteria ipsis subjecta toties prædictum Extraordinarium Confessorem deputare neglexerint, vel si etiam ex proprio eodem Ordine semel deputaverint, nec saltem semel in anno ad id munus elegerint Sacerdotem, aut Sæcularem, aut Regularem alterius diversi Ordinis Professorem, in his casibus Episcopi pro suo arbitrio, et conscientia deputatione hujusmodi facere possint, nec illa quovis titulo, aut prætextu a Superioribus Regularibus valeat impediri. » Et iterum statuit idem Benedictus XIII. Constit. 10, incip. *Pastoralis Officii*, § 7, graves pœnas imponens Superioribus contravenientibus, ibi : « Et quia mentis, ac intentionis nostræ est, ut remota quavis diversa intelligentia, et interpretatione, præcise serventur ea, quæ in eadem Innocentii Prædecessoris Constitutione super assignatione seu deputatione Confessarii ex-

Digitized by Google

traordinarii Monialibus sub Prælatorum Regularium gubernio viventibus disposita fuerunt, statuimus quoque : ut Superiores, qui decretum illud quocumque titulo, vel prætextu non servaverint, vel ejus executioni aliquod impedimentum directe, aut indirecte præbuerint ipso facto suspensionem ab eorum Officiis, nec non privationem vocis, tam activæ, quam passivæ incurrant. » (47. Et quod pro Monialibus subjectis Regularibus deputentur Confessarii Extraordinarii, etiam qui ejusdem Ordinis non sunt Regulares, jam decreverat Sacra Congr. 12 Julii 1577, in Neapolitana apud Pignatell., tom. 6, consult. 85, num. 235, in fine.

(48. Confessarii, et Capellani Monialium possunt celebrare Missas Sanctorum, de quibus ipsæ recitant Officium, sed cum Missali Romano, et de communi, non vero Missas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus a Sacra Congregatione concessa; Sic decrevit, ac servari mandavit Sacr. Congr. Rituum die 20 Novemb. 1717, approbante et confirmante Clemente XI, die 1 Decem. ejusdem anni 1717; ut apparet in ejus Bullario decret. 28 Sacræ Cong. Rit. Nisi Moniales ab Apostolica Sede impetraverint, quod earum Confessarii, et Cappellani Missas proprias Ordini, quem ipsæ profitentur concessas, celebrare possint.

(49. Pro Confessariis Monialium, quamvis de Jure communi satis sit ætas ad Sacerdotium requisita, ut patet de Parochis, qui statim ac in Sacerdotio constituti, alia ætate non expectata, suarum ovium utriusque sexus Confessiones excipiunt; Nihilominus Sac. Cong. Epis. et Regul. in una Venetiarum 2 Maii 1617, et 7 Jun. 1620, statuit Confessarios Monialium debere esse in ætate supra quadraginta annos. Quod pro Confessariis Ordinis Minorum de Observantia statuunt etiam sua statuta Sambucana cap. 11, § 17, num. 1, et hoc extendi debet etiam ad Confessarios Extraordinarios; prout pro Reformatis declaravit Sacra Congr. Concilii in Cosentina 26 Novembr. 1689, lib. 38, decr. fol. 340. Et juxta Epistolam Encyclicam sub die 16 Martii 1703, de mandato Sanctissimi directam omnibus Ordinariis Italiæ, et Insularum adjacentium debent Confessarii Monialium esse ætate provecti, prudentes, zelantes, et vita exemplari conspicui. (50. Socii autem Confessariorum debent esse ætatis ultra quinquaginta annos, vitæque exemplaris, ut decrevit Sacra Congr. Episcop. et Regular. in Nolana 21 Februar. 1617, et Alexander VII. Constitut. incip. *Felici* § 9, statuit, quod Socii sint probatæ vitæ, et maturæ ætatis.

(51. Confessarii Monialium non possunt ingredi clausuram ad sepeliendas Moniales, vel pro celebrandis Exequiis. Sic expresse decrevit Sacra Congr. Episcop. et Regular. in Reatina 10 Martii 1577, in una Dominicanorum 30 Januarii 1582, in Ulyssiponen. 11 Augusti 1620. (52. Alias omnes culpabiles incurrunt Excommunicationem violatæ Clausuræ. Eadem Sacr. Congr. Episcop. in Bononien. 20 Augusti 1596, apud Nicol., in Floscul. verb. Sepultura, num. 6. Et de facto Alexander VII. Constitut. incip. *Felici*, § 9, specificans actus ad licitum ingressum Confessarii in Clausuram, non memorat ingressum ad peragendum Officium Funeris, sed solum ad peragenda alia officia, et ministeria, ibi : « Ad hæc Confessor Sanctimonialium, tam Ordinarius, quam Extraordinarius minime ingrediatur septa Monasterii, nisi ad Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis ministranda Monialibus, vel aliis personis infirmis ibi degentibus, necnon ad commendandam animam agonizantium. » Ubi, ut vides, Pontifex utitur dictione *Nisi*, quæ est exclusiva aliorum cæterorum per Sperell., decis. 66, num. 32. (53. Neque consuetudo excusat a censura inflicta adversus violatores Clausuræ, nec ab ea, quæ infligitur ab Alexandro VII, in dict. Constitut. incip. *Felici*, quia Pontifex omnibus, et singulis etiam consuetudinibus quoad ea, quæ statutis in dict. Constitutione adversantur, expresse, et specialiter derogat, sublata cuilibet facultate, et auctoritate aliter judicandi, et interpretandi, ac adjecta clausula decreti irritantis, ut patet in fine ejusdem Constitutionis. Unde sequitur, quod Episcopi, aliique Superiores in hoc casu jam declarato per Sac. Congreg. et Summum Pontificem, non necessario, non valeant licentiam concedere, nec permittere, et tolerare, quod prætextu consuetudinis (quæ potius corruptela est) Confessarii ingrediantur clausuram ad Officium Funeris peragendum. Hinc Confessarii caute legant Auctores contrarium scribentes, et reflexe advertant, quod si pro tali Officio clausuram ingrediantur, Excommunicationem incurrunt juxta supra laudata Decreta, ut recte affirmant Pax Jordan., tom. 2, lib. 7, tit. 12, num. 88, vers. Item neque prætextu, et n. 173; Nicolius in Flosculis verb. *Sepultura*, num. 6; ubi citata decreta affert, Monacell., part. 1, tit. 9, formul. 3, num. 8 et 9; Matthæucci, Official. Curiæ cap. 13, num. 79 et alii; Videantur etiam Pignatell., tom. 6, consult. 85, num. 234; Gavant. in Manual. Episcop. verb. *Monialium Clausuram*, num. 40; Barbosa, lib. 1; Jur. Eccles. univers., cap. 44, n. 133.

(54. Confessarius Monialium clausuram ingressus ad administrandum Sanctissima Sacramenta recta via, et absque diverticulo eat, redeatque, nec in alia Monasterii parte divagetur, etiam occasione visitandi alias infirmas, quibus Sacramentorum administratio non est necessaria. Sacr. Congregatio Episcoporum et Regularium 13. Septembris 1583. apud Barbosam in Summa Apostolic. decis. verb. Confessarius Monialium, num. 2. Lezana in Summa quæst. Regular. tom. 3. verb. *Clausura*, num. 26. Gavant. in Manual. Episcop. verb. *Monialium Clausura*, n. 44. (55. Cum aliqua Monialis laborat in extremis, conceditur Confessario pernoctatio in sua solita mansione extra clausuram prope Monasterium, ut ingruente necessitate illico præsto esse possit vocatus. Eadem Sac. Congreg. Episcop. 22 Decembr. 1592. apud Pignatell. tom. 6, consult. 85, num. 233.

Digitized by Google

(56. Confessario Monialis infirmæ confessionem audiente, Cellæ janua aperta remaneat, et ambæ comitatrices ad ejusdem Cellæ januam morentur, ita ut Confessarius, et infirma ab eis commode cerni possint. Eadem Sacra Congregat. Episcop. die 13 Septembr. 1583, et novissime Innocentius XI. per Epistolam Encyclicam ejusdem Sacræ Congregat. Episcop. sub datum Romæ 21 Martii 1682. (57. Confessarii quovis tempore de nocte in casu necessitatis possunt clausuram ingredi. Eadem Sacra Congreg. 13. Septembris 1583. (58. Confessarius non potest ingredi clausuram ad audiendam Confessionem illius infirmæ, quæ potest accedere ad Sedem Confessionalem. Eadem Sacra Congreg. 13. Septembris 1583. (59. Confessarii nullatenus ingredi possunt clausuram prætextu comitandi operarios, Medicos, Chirurgos, vel alios. Eadem Sacra Congregat. Episcop. 13 Septembr. 1583. (60. Confessarii non possunt ingredi clausuram ad conspergendum Cellas Monialium, aut alia loca aqua benedicta in die Sabbati Sancti, aut quolibet alio tempore. Sacra Congregatio Episcop. 4 Septembr. 1596. (61. Confessarii nequeunt ingredi clausuram ad exorcizandam Monialem energumenam. Sac. Cong. Episcopor. et Reg. 1 Julii 1606.

(62. Confessarius non potest ingredi clausuram Monialium ad inibi Missam celebrandam, ut pluries declaravit Sacra Congreg. Episcopor. et signanter in Lancianensi et in Pistoriensi 16 Julii 1685. in Mantuana, 13 Junii 1591. in Bononien., 2 Januar. 1601. (63. An autem Confessarius ingredi possit clausuram ad sumendam particulam consecratam ipsi in actu communicandi Moniales in Ecclesiam interiorem elapsam? Variant Doctores; negativam sententiam tenent Bissus in Hierurg. Sacr. tom. 2, verb. *Particulæ* num. 45, § 12. Castaldus, cui adhæret Quartus in rubric. Missal. part. 2, tit. 10, sect. 3, difficult. 4. et alii volentes, Particulam in tali casu esse colligendam a Monialibus vel Abbatissa, et Confessario seu Sacerdoti porrigendam; quia, dicunt ipsi, ingressus in Monasterium strictius prohibetur, quam tactus Hostiæ consecratæ in casu necessitatis. At hoc solum admitti posset, si unica Particula caderet intra clausuram, et ibi adesset Monialis communicanda, quæ in tali casu genuflexa posset eam reverenter sumere, et sic communicare, ut tradit ipsemet Quartus loc. cit. et Clericatus de Eucharistiæ Sacramento decis. 44. et alii. In casu autem, quo nulla adesset Monialis communicanda, varii Doctores, inter quos Clericatus l. c. D. Cajetanus de Alexandris in Confessario Monialium, cap. 7, § 6, quæst. 7, recte dicunt, posse Confessarium ingredi ad sumendam talem Particulam, quia strictius obligat reverentia erga Sanctissimum hoc Sacramentum, quam Clausura; quia hæc habetur ex præcepto Ecclesiastico, illa vero ex præcepto Divino, ut ex D. Thoma 3 part. qu. 83, art. 3.

(64. Confessarius Monialium etiam Regularis non indiget speciali licentia ad ingrediendum pro necessitatibus sui Officii, modo per Monasterium non vagetur, sed expleto ministerio, statim exeat. Sacr. Congreg. Episcop. et Regular. in Comen. 9 Mart. 1609. Confessarius debet ingredi clausuram cum cotta, et stola, et non aliter. Sacr. Congreg. Episcop. in Lucen. 29 Martii 1589, et 22 Decembris 1602. Et hoc per quamcumque necessariam causam ingrediatur. Eadem Sacr. Congr. Episcop. in Cajetana 29 Januarii 1627. apud Nicol. in Flosculis verb. *Clausura*, n. 34.

(65. Confessarii Monialium, quamvis generaliter deberent ingredi absque socio pro ministrandis Sacramentis Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis Monialibus infirmis, ex decreto Sacræ Congregat. Episcop. 13 Septembr. 1583. relato a Pignatell. tom. 6, consult. 85, num. 231. Tamen hodie Confessarius Regularis, non obstante antiqua consuetudine, absque socio ingredi non potest, sed debet ei assignari socius, qui ipsi assistat; et sit ætatis ultra 50 annos, vitæque exemplaris; Sacr. Congr. Episcop. et Regular. in Nolana 21 Februar. 1617. apud Lezanam, tom. 3, verb. *Clausura* num. 27. Monacell. part. 1, tit. 9, formul. 5, num. 2. Barbosa in Summa Apostolic. decis. verb. *Confessarius monialium* num. 14. et expresse Alexander VII. in citat. Constitut. incip. *Felici* § 9. ibi: « Nec unquam ingrediatur, nisi cum Socio, qui sit probatæ vitæ, semperque maneat in ea parte Monasterii, qua Confessorem videre, et ab ipso videri semper possit. »

(66. Confessarius Regularis Monialium, ejusque socius (Confessionis, ac Sacramentorum administrationis casibus exceptis) easdem Moniales absque Sacræ Congregationis licentia alloqui non possunt. Ead. Sacr. Congr. Episcop. et Regular. in d. Nolana 21 Februarii 1616. apud eosdem loc. cit. Vide Verb. ***Moniales***, art. 4.

(67. Confessarii Extraordinarii Monialium a Monasteriorum, in quibus degunt, aut Religionis oneribus pro eo tempore dumtaxat, quo in Confessionibus audiendis occupantur. excusantur. Eadem Sacra Congr. Episcop. et Regular. 10 Mart. 1593. apud Barbosam loc. cit. num. 7.

(68. Habitatio Confessarii, licet debeat esse vicina, non tamen sit conjuncta, seu contigua Monasterio, sed ab eo disjuncta, non solum per parietes, sed etiam per tecta; Sacr. Congr. Episcop. in Ariminen. 22 Januarii 1576. 19 Augusti 1578. 2 Januarii 1579. et 22 Januarii 1593. In Bononien. 3 Maii 1593. in Januen. 14 Novembr. 1603. in Mantuana 22 Novembr. 1604. et sæpe alibi; et expresse statuit Alexander VII. in d. Constitut. incip. *Felici* § 10 et 11. sub gravissimis pœnis contra Superiores, et Confessores Regulares transgressores: et novissime Sac. Congr. Conc. in Ulixbonen. occidentalis 10 Septemb. 1722. ubi decrevit, quod Confessarii Monialium non possint habitare in atriis Monasteriorum muro circumvallatis contiguis Monasteriis, et habentibus portam, quæ clauditur, apud Ursayam in Mi-

Digitized by Google

scellaneo primo Sacro, et profano litt. C. n. 238.

(69. Confessarii Monialium debent audire Confessiones ex Sede Confessionali collocata, non quidem in Sacristia, aut alio occulto loco, sed in ipsa Ecclesia exteriori, ut habetur ex declaratione Sacr. Congreg. Concil. in Camerin. 29 Novemb. 1605, his verbis: « Confessionalia ex Sacristiis, et aliis locis occultis removeri debent, et collocari in Ecclesiis exterioribus Monialium; » et in Faventina 7 Martii 1617, his verbis : « Confessionalia Monialium in exterioribus Ecclesiis omnino collocentur, et si illæ in hoc renitentes fuerint, interdici debent. » Sic apud Barbosam in Summa Apostolic. decis. verb. Confessionalia n. 1 et 2. et idem statuit Ead. Sacr. Congr. Conc. in una Salutiarum in respon. ad 4. die 20 Sept. 1642.

(70. Confessariis Monialium certa annua merces constitui debet, quæ juxta morem, et qualitatem regionis victui illius sufficiat, eademque merces Monasterio, in quo degit idem Confessarius, si Regularis sit, persolvatur. Cæterum Ordinarii locorum prohibeant Monialibus sub aliquibus pœnis, non tamen censurarum, ne ultra mercedem illam aliquid communiter, vel privatim eidem Confessori, vel aliis quibuscumque Fratribus tribuant, eisdemque Fratribus, ne a Monialibus etiam sponte oblatum, aut donatum recipiant, sub iisdem pœnis inhibeant. Sic. Sacr. Congr. Episcop. et Regul. sub die 29 Novembr. 1605. apud Barbosam loc. citat. verb. *Confessarius Monialium*, num. 10. (71. Unde Confessarius accipere non debet a Monialibus victum dietim, nec utensilia, vel lineam supellectilem, sed tantummodo annuam provisionem. Ead. Sacr. Congreg. Episcop. in Bononien. 19 Junii 1601. in Januen. 28 Januarii 1603. in Recanaten. 19 Aprilis 1624. (72. Quæ non excedat duos Julios pro quolibet die. Ead Sacr. Congr. Episc. in Neapolitana 27 Septemb. 1652

(73. Confessarii Monialium nullo modo possunt comedere, refici, aut cibum sumere in earum Monasteriis, seu in locis, ubi sunt crates, vel rotæ in Monasterium respondentes, vel in locis adeo vicinis, ut videri, vel audiri possint a Monialibus, neque ante portam clausuræ, ut expresse pro omnibus Regularibus statuit Sacr. Congregat. Episcop. 13 Septembris 1583. et Nonis Maii 1590, in decreto jussu Sixti V. edito, relato verb. *Moniales*, articul. 4, ubi expresse mandat, quod ibi nullo modo comedant, reficiantur, aut cibum sumant, et solum eis permittit, in ædibus vicinis refectionem diurnam sumere diebus generalium Confessionum, si eorum Conventus, in quibus degunt, nimium distent a Monasterio Monialium.

(74. Confessarii Monialium an possint eas absolvere in Foro conscientiæ a Censuris occultis et pœnis Papæ reservatis? Vide verbum *Moniales*, articulo 3.

(75. Ad absolvendam Monialem repentino accidenti correptam, et jam jam animam agentem, in defectu sui proprii Confessarii potest licite quilibet alius Confessarius, seu simplex Sacerdos prope Monasterium existens, seu casualiter transiens, clausuram ingredi sine ulla licentia expressa, et tali moribundæ beneficium absolutionis impertiri. Si enim ex Decretis Sacræ Congregationis allatis verb. *Moniales*, articulo 3, potest quis licite sine licentia clausuram ingredi ad extinguendum incendium, vel ad succurrendum Monialibus in aliis casibus repentinæ ruinæ, multo magis poterit Confessarius, seu simplex Sacerdos sine licentia clausuram ingredi ad absolvendam Monialem in tali casu extremæ necessitatis. Quod enim non est licitum in Lege, necessitas facit licitum cap. *Quod non est* 4, de Reg. juris, et necessitas non habet legem; cap. *Sicut* 11, de consecrat. dist. 8, cap. *Omnes* 1, de Feriis, cap. *Consilium* 2, de observat. jejunior. ca). *Consuluisti*, 3, de Celebrat. Missar. In qualibet enim dispositione intelligitur excepta necessitas; c. *Licet* 6, de pœnit. et remiss. Et ad hoc facit Concilium Tridentinum, sess. 14, de Sacram. Pœnit. cap. 7, ubi dat facultatem cuilibet simplici Sacerdoti, ut sine alia licentia, aut approbatione, possit absolvere Pœnitentem in articulo mortis constitutum etiam ab omnibus censuris, et casibus reservatis, addita ratione : *Ne hac ipsa occasione aliquis pereat*, quæ ratio militat in nostro casu.

(76. Confessarius sollicitans monialem est denunciandus Episcopo vel Inquisitori. Gregorius XV, Constitut. incip. *Universi*. (77. Monialis sollicitata, si nolit denunciare Confessarium sollicitantem, non potest absolvi, quia remanet semper in peccato mortali, et in Excommunicatione majori, quoties moraliter potens denunciare, id recusat, seu culpabiliter negligit, *Communis*. (78. Moniali recusanti denunciare non potest Confessarius protrahere terminum ultra tempus vi Edicti præfixum ad denunciandum, quia nullam habet Jurisdictionem super Legem Superiorum, ad quorum prudentiam spectat examinare protractionis necessitatem; Censent tamen Sayrus, Freitas, Acunha, et alii apud Dianam part. 1, tract. 4, resol. 27, posse ei concedi tempus consulendi peritiores, dummodo id præstetur absque longa temporis dilatione, et interim, data fide denunciandi, absolvi posse

(79. Monialis recusans denunciare præ nimia verecundia alloquendi Episcopum, vel Inquisitorem, seu præ timore ne detegatur, aut alio simili respectu, potest denunciare per internuncium, seu per Confessarium, cui Episcopus, vel Inquisitor potest dare commissionem, ut recipiat in scriptis, et cum juramento denunciationem. Sic declaravit Sacra Suprema, et universalis Inquisitio jussu Urb. VIII, 27 Septemb. 1624, apud Bord. c. 24, de Sollicitatione num. 89, his verbis : « E quando il Penitente tuttavia persistesse nella medesima renitenza, N. S. si contenta, che dal Vescovo, o Inquisitore si dia autorità al Confessore di ricercare per scrittura, e con giuramento la dinunzia, per porla subito, a chi li avrà data l'autorità di pigliarla. » Instructio Confessarii pro reci-

Digitized by Google

piendis hujusmodi denunciationibus exhibetur a Pignatell. tom. 1, consult. 104.

(80. Alia ad rem, Vide verb. Confessarius quoad sollicitationem. (81. His juvat addere novissimas resolutiones Sacræ Congreg. Concilii in Coloniensi, 16 Novemb. 1720, ubi de Edicto Archiepiscopi, in quo nonnullos casus reservaverat, proposita fuerunt infrascripta dubia. I. An Confessarii Regulares possint Sæculares extra mortis periculum absolvere a casibus Ordinario reservatis, in casu? II. An Confessarii Monialium exemptarum, et Prælatis Regularibus subjectarum possint easdem, etiam extra mortis periculum, absolvere a casibus Episcopo reservatis, in casu? III. An supposito Edicto supra recensito Confessarius Regularis extra mortis articulum, absolvere possit Sæcularem complicem criminis carnalis externi mortaliter peccaminosi secum commissi, in casu? IV. An supposito pariter eodem Edicto, Confessarius Regularis Monialium exemptarum absolvere possit Monialem complicem criminis carnalis externi mortaliter peccaminosi secum commissi, in casu? Sac. Cong. censuit: « Ad I. Negative. Ad II. Affirmative præterquam quoad casus, quos Episcopus sibi reservaverit in materia clare spectante ad Jurisdictionem delegatam. Ad III. Negative. Ad IV. Affirmative quatenus non sit violata clausura. » Verum quoad duas ultimas resolutiones hodie attendi debet novissima dispositio Bened. XIV. in sua Constitut. quæ incip. *Apostolici muneris*, quam attulimus supra verb. *Complex peccati*, num. 19. Vide ibi. Confer etiam quæ adducuntur tom. 1. verb. *Approbatio pro confessionibus*, præsertim Art. III et verb. *Confessarius*, art. III. et verb. *Confessarius quoad sollicitationem.*

(82. Superiores Monialium tenentur bis, aut ter singulis annis exhibere Confessarios extraordinarios Monasteriis sibi subjectis; quibus tamen sic oblatis non tenentur Moniales confiteri peccata sua, sed solummodo se præsentare, ut saltem accipiant ab illis monita salutaria; patet ex jam dictis et allegatis supra.

(83. Si vero aliqua Monialis graviter ægrotet, ut sit in mortis periculo, petatque alium Sacerdotem, qui non sit Ordinarius Monasterii Confessor, huic a respectivo Superiore annuendum est. Si vero Superior Regularis illum concedere noluerit, potest id præstari ab Episcopo. Quin etiam si aliqua Monialis etiam extra prædictum casum postulet sibi per aliquod tempus alium Confessarium ab Ordinario diversum, debet illi dari a suo Superiore. Quod si Superior Regularis id renuerit, tunc potest Episcopus satisfacere ejus petitioni, etiamsi requirat alterius Ordinis Regularem, vel etiam Sacerdotem Sæcularem ex approbatis a Superiore ad confessiones Monialium. Demum suadetur Superioribus earumdem Monialium, ut si aliqua ex illis petat pro majori animi sui quiete et ulteriori progressu in via Dei, ut aliquando liceat sibi confiteri Sacerdoti ad excipiendas Monialium Confessiones jam approbato, etiamsi sit alterius Ordinis Regularis, vel Sacerdos Sæcularis, non sint difficiles ad præbendum assensum. Requiritur tamen semper ut Confessarius iste extraordinarius sit ex approbatis ab Ordinario ad Confessiones Monialium audiendas. Postremo si Superiores Regulares non saltem semel in anno elegerint in Confessarium extraordinarium, vel Sacerdotem Sæcularem, vel Regularem alterius Ordinis, in eo casu devolvitur hæc electio ad Episcopum. (84. Hæc oblatio Confessarii extraordinarii bis, vel ter in anno, sicut et cætera omnia, quæ superius præscripta sunt, præstari debent etiam cum aliis mulieribus, sive regularibus, sive sæcularibus collegialiter degentibus, quæ unicum habent Confessarium. Hæc omnia ex variis S. Congregationis decretis olim stabilita confirmat Pontifex in Bulla num. 56, tom. 2, incip. *Pastoralis curæ*, de qua sermo est verb. *Confessarius*, artic. 2, a n. 29, ad plures seqq.

(85. Hic locum habere potest sequens Rescriptum Sac. Cong. Episc. et Regul. ad Capitulum Cathedralis Alexandrinæ a quo instabatur pro remotione Confessariorum Regularium a Monasteriis Monialium ex causis, et in casu, ut sequitur.

ALESSANDRINA

Emo, e Rmo Sig. Sig. Patr. Colmo

Essendo alli 14 del corrente mese passato all'altra vita Monsignor Alfonso Miroglio Vescovo di questa Città, è subentrato questo nostro Capitolo nell'esercizio dell'ordinaria giurisdizione, e desiderando di riparare un disordine, a cui ostano patentemente i Decreti di cotesta Sacra Congregazione, ci troviamo in dovere, e ci diamo l'onore di rappresentare all' EE. VV. esservi in questa Città sei Monasteri, e non più, di Monache soggette alla giurisdizione dell'Ordinario, cioè cinque di rigorosa Clausura, ed uno senza tal legge, e tutti diretti da' Confessori Regolari, a favore dei quali (come da diligente ricerca fattasi ne' Registri di questa Curia Vescovile) ne appare, che siasi ottenuta la necessaria permissione delle EE. VV. ne siansi ad alcuno di essi dal Defunto Prelato spedite Patenti per tal' uffizio, affine che in occasione di contrario ricorso alle EE. VV. potessero sempre i medesimi essere scusati col titolo, o sia pretesto di Confessori provisionali, benchè uno di questi già da quattro anni successivi ritrovisi in tale esercizio del medesimo Monastero. Ed essendovi in questa Città Confessori Secolari, quali per dottrina, zelo, prudenza, e probità di costumi sono in caso di esercitare, come alcuni di essi hanno già per molti anni esercitato lodevolmente tale Uffizio, attese le angustie del tempo, che non ci permettono di dare pronte, e costanti providenze in questo affare, abbiamo concordemente determinato di ricorrere alla sovrana autorità delle EE. VV. supplicandola, come istantemente le supplichiamo, di dare al Vicario Generale Capitolare *de proximo eligendo* quelli Ordini, che stimeranno necessarî, ed opportuni, non solamente per l'os-

Digitized by Google

servanza de' sovraccennati Decreti di cotesta Sacra Congregazione, ma ancora per uniformarsi alla universale lodevole consuetudine sovra questo proposito della Chiesa Metropolitana di Milano, e di tutte le altre Chiese. E baciandogli riverentemente il lembo delle Sagre Porpore con la più alta stima, e venerazione ci protestiamo.

Dell' EE. VV.

Alessandria, 16 Aprile 1755.

Umil. Devotiss. ed. Obblig. Servitori, Dignità, Canonici, e Capitolo della Cattedrale.

Reverendissimo Signore.

Nell' annesso memoriale dato a nome del Capitolo di cotesta Cattedrale vedrete quanto per parte del medesimo è stato rappresentato alla Sagra Congregazione, Questi Eminentiss. miei Signori pertanto, atteso il voto dell' Eminent. Ferroni, hanno commesso alla vostra vigilanzia, che dobbiate chiamare avanti di Voi tutti li Regolari Confessori delle Monache soggette alla giurisdizione Vescovile, e da ciascuno di essi vi facciate esibire il documento di sua rispettiva deputazione, e quando non costi da simile documento la legittimità della provista, non solamente vi sia lecito, ma dobbiate rimovere i Regolari dall'impiego accennato senza veruna dilazione, ed immediantemente deputare allo stesso Uffizio altri Sacerdoti semplici Secolari di grave età, e di vita esemplare, di sperimentata prudenza, e sufficiente Dottrina, e che dagli Esaminatori Sinodali veranno formalmente esaminati, ed approvati ad udire le Confessioni delle Monache. Sarà per altro vostro debito preciso di procedere alla divisata remozione de' Confessori Regolari senza il minimo strepito, ansi usando tutta la maggior soavità, e circospezione per evitare l'ammirazione del Pubblico, ed insieme ogni confusione, e disdoro, che potrebbe tornarne ai Regolari. Cosi dunque eseguirete, e Dio vi prosperi.

Roma, 12 Maggio 1755.

Al piacer vostro

C. Al Card. Cavalchini.

P. G. Guglielmi Secret.

Reverendissimo Signore.

Essendosi osservato quando con lettera delli 22 Maggio prossimo passato avete rappresantato in proposito dei Confessori Regolari di Monache, giacchè non regge ciò, che per parte di cotesto Capitolo fu esposto, specialmente in ordine alla copia dei Sacerdoti Secolari abili a sostenere tale impiego; questi Eminentiss, miei Signori commendando la Vostra prudenza praticata in questo proposito, mi hanno imposto di suggerirvi, che qual' ora vi possa riuscire di deputare qualche Sacerdote Secolare idoneo in luogo dei Regolari procediate alla deputazione colle circospezioni insinuatevi nella precedente lettera. Quando poi la penuria di tali Sacerdoti Secolari renda necessaria l'opera dei Regolari, dovrete onninamente far supplicare questa Sacra Congregazione per impetrarne la facoltà opportuna, concedendovisi in virtù della presente la facoltà di farli continuare per modo di provisione per lo spazio di due, o tre mesi, acciò in questo tempo possino le Monache conseguire la necessaria licenza, senza la quale non dovrete ulteriormente tollerarli. E quantunque alli Parochi, e Canonici sia generalmente vietato l'esercizio di Confessore di Monache, acciò non abbiano a mancare alle loro incombenze, tutta volta in qualche caso, in cui si rende compatibile l'uno, e l'altro impiego, e che possa il sogetto commodamente supplire ad ambidue, sogliono l'EE. loro concedere la dispensa, quando sia richiesta, attesa la scarsezza dei Sacerdoti semplici. Ve lo significo per vostra regola, e Dio vi guardi.

Roma, 13 Giugno 1755.

Sottoscritta al piacer Vostro

C. Al Card. Cavalchini

P. G. Guglielmi Secret.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(86. Moniales ex Lege Fundationis, vel ex Consuetudine habere posse jus eligendi Confessarium ab Episcopo approbandum contra quam sentit hic Auctor num. 1, firmavimus in addit. ad verb. *Approbatio pro Confessionibus* articul. 3.

(87. Gravis quæstio est, an Confessarius Ordinarius monialium ab Episcopo destinatus, et triennio elapso ex peculiari Indulto S. Congr. Episc. et Regul. negotiis præfectæ, ad aliud triennium immediate sequens confirmatus, hoc altero triennio elapso, possit ab ipso Episcopo auctoritate ordinaria destinari ad tertium triennium, non secus ac posset, si secundo triennio non fuisset confirmatus a dict. S. Congregatione? (88. Agit de hac quæstione Pellizar. de Monial. cap. 10, sect. 3, sub sect. 1, num. 172, et negativam opinionem refert Cardinalis de Lugo, Baldelli, etc., affirmativam vero Dianæ Naldi, etc., cui ipse adhæret: « Concessum, inquit, alicui ob gratiam non est in ejus dispendium retorquendum, neque enim idem contrarios effectus operari potest. » Addit et alias rationes in confirmationem affirmativæ hujus sententiæ, quas videas.

(89. At negativa sententia amplectenda est ex rescripto Sacr. Congregationis destinatæ ab Innocentio XII, pro causis Congregationis Cassinensium 26 Februarii 1694, ad dubium quintum, quod refert Monacell. in Formular. part. 1, tit. 11, formul. 22, num. 12, tum laudat hic Auctor n. 23. (90. Ex hoc enim habetur, quod Abbatissa confirmata ex gratia dict. Sacræ Congregationis ad secundum triennium, eligi nequeat ad tertium triennium, absque dispensatione; « Neque ex hoc sequitur (recte ait Add. ad Pelizar. dict. tract. cap. 7, num. 47, editionis Romanæ anni 1751) quod favor convertatur in odium, et quod privilegium et gratia Principis nihil operaretur supra jus commune, nam aliquid operaretur pro secundo triennio, et pro tertio triennio ea non con-

Digitized by Google

verteretur in odium. Illa enim Regula potissimum valet, quando Regula, seu Privilegium concessum est a Principe motu proprio; Confirmatio autem Abbatissæ pro secundo triennio solet concedi ad instantiam Monialium, quæ dum petunt illam, censentur petere secundum naturam, quam habet de jure officium Abbatissæ, scilicet ut subsequatur vacatio pro triennio subsequenti.» Cur non idem dicendum de Confessario? ut tenet Auctor dict. n. 13.

(91. Tametsi agatur de Monasteriis exemptis, et Regularibus subjectis, ad Episcopum pertinet cognoscere, tum approbare, an Confessarius Regularis debeat pernoctare prope ipsa Monasteria ex causa distantiæ Conventuum, ut statuit Alexander VII, in Constitutione, quæ incipit *Felici*.

(92. Vide et alia de Confessario præsertim extraordinario monialium apud Constitutionem S. M. Benedicti XIV, cui initium est: *Pastoralis curæ*.

(93. Confessarius Regularium. Vide verb. *Approbatio* art. 2.

ARTICULUS V.

Confessarius quoad ea, quæ concernunt sollicitationem (1).

(1. Ad coercendam sacrilegam, et execrabilem sollicitationem ad turpia in Sacramentali Confessione, vel occasione, seu prætextu ejusdem, variæ sunt editæ Pontificiæ Constitutiones, et signanter a Pio IV. Constitut. incip. *Cum sicut nuper*, a Paulo V. Constitut. incip. *Dilecte fili*, a Gregorio XV. Constit. incip. *Universi Dominici Gregis*. Quæ Gregorii Constitutio, cum sit norma, et regula in hac materia habenda, in hoc V. articulo ad literam dandam arbitramur.

GREGORIUS PAPA XV,

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Universi Dominici Gregis curam quamquam immeriti cœlesti dispositione gerentes sedulo invigilare tenemur, ut ab omnibus præviis contagiis conservetur immunis, multoque majori studio providere, ut omnis pestis ab iis avertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne, quod Evangelica scripta Nos admonent, sale infatuato, non sit in quo saliatur, et ad nihilum prosit ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus.

§ 1. Quoniam autem a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris quibusdam in locis provisum fuit, ut impium, ac nefandum scelus, quod non solum inter Christi fideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur: videlicet ut aliquis Sacerdos ad Sacras audiendas Confessiones deputatus Sacrosancto Pœnitentiæ Sacramento, sollicitando Pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, et ex cœlesti medico infernales veneficus, ex patre spirituali proditor execrabilis Animarum reddatur; idcirco Nos ea, quæ his perniciosissimis Diaboli insidiis arcendis certis locis salubriter constituta sunt, ut nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, providenda duximus.

§ 2. Alias siquidem a fel. rec. Pio Papa IV. Prædecessore nostro emanarunt Literæ tenoris subsequentis, videlicet: Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiscopo Hispalen. in Regnis Hispaniarum hæreticæ pravitatis Inquisitori Generali. Cum sicut nuper, etc.

§ 3. Igitur ut Literæ prædictæ perpetuis futuris temporibus, et ubique Locorum inviolabiliter observentur, Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, ac de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinal. contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, præinsertas Literas hujusmodi, ac omnia, et singula in eis contenta, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, approbamus et confirmamus, illisque omnibus, et singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, illasque, non solum in prædictis Hispaniarum Regnis, sed in quibusvis Christiani Orbis partibus firmiter, et inviolabiliter observari præcipimus, et mandamus.

§ 4. Ac præterea, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, et de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus, et declaramus: quod omnes et singuli Sacerdotes, tam Sæculares, quam quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, et Congregationum Regulares, cujuscumque Dignitatis, et Præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, sive antea, vel post immediate, seu occasione, vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Confessione non secuta, sive extra occasionem Confessionis, in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire; sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio Sac. Inquisitionis severissime, ut infra, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquisitores, et Locorum Ordinarios, omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, et Locorum Universi Orbis Christiani in suis quemque Diœcesibus, et Territoriis per has nostras Literas, etiam privative quoad omnes alios, specialiter ac perpetuo Judices delegamus, ut super his, contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis Fidei, juxta Sacrorum Canonum formam, nec non Officii Inquisitionis hujusmodi Constitutiones, privilegia, Consuetudines, et Decreta diligenter inquirant, et procedant, et

(1) Vide verb. *Complex Peccati*, etc. et verb. *Confessarius*, art. 3, a n. 12, ad plures seqq.

Digitized by Google

quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos, pro criminum qualitate et circumstantiis, suspensionis ab executione Ordinis, privationis Beneficiorum, dignitatum, et Officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, et passivæ, si Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes et carceres, etiam in perpetuum absque ulla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant; eos quoque, si pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ Sæculari puniendos tradant.

§ 5. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, et Ecclesiæ Dei tam perniciosum, ob probationum defectum, impunitum (cum difficilis sit probationis), testibus etiam singularibus concurrentibus, præsumptionibus, indiciis, et aliis adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo judicandi, et Curiæ Sæculari, ut præfertur, reum tradendum esse, pronunciandi.

§ 6. Non obstantibus omnibus, quæ dictus Prædecessor in suis Literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§ 7. Mandantes omnibus Confessariis, ut suos Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, ut præfertur, tractantes, Inquisitoribus seu Locorum Ordinariis prædictis, quod si hoc officium prætermiserint, vel Pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes ut supra, iidem Locorum Ordinarii, et Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

§ 8. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra ubique habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§ 9. Quodque eadem præsentes Literæ, seu illarum exempla ad valvas Basilicarum Sancti Joann. Lateranen., ac Principis Apostolorum de Urbe, et in Acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscat. die 30 Augusti 1622 Pontif. nostri anno II.

(2. Hanc vero Gregorii XV. Constitutionem Benedictus XIV, An. 1741, confirmavit, ampliavit et extendit, altera sua Constitutione incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*, in qua et reservat Papæ pro tempore existenti absolutionem eorum, qui falso Sacerdotes de sollicitatione accusant, aut procurant, ut ab aliis falso accusentur.

(3. Unde sollicitatio quantum ad propositum non est nisi provocatio, seu incitatio facta verbis, scriptis, signis, nutibus, osculis, aut tactibus ad turpia, et inhonesta, idest ad res carnales, seu venereas. Sic in re Communis Doctorum.

(4. Per personas sollicitantes intelliguntur hic omnes, et singuli Sacerdotes, tam Sæculares, quam Regulares cujuscumque dignitatis, aut Præeminentiæ existant. *Communis* per expressa verba dictæ Gregorianæ Constitutionis § 1.

(5. Hinc sollicitans dicitur, et est denunciandus etiam Sacerdos non Confessarius, qui se fingens Confessarium, fœminas, seu adolescentulos ad turpia, seu carnalia provocat, et incitat. De ipso enim Sacerdote verificatur, quod sollicitet prætextu Confessionis, quod sufficit de mente dictæ Constitutionis, etiam Sacramentali Confessione non secuta, ibi : « Vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Sacramentali Confessione non sequuta. » Et sic tenent Diana part. 1, tract. 4, resol. 17, et part. 4, tractat. 5, resolut. 8. Sanctius in Selectis disput. 11, num. 39. Acugna tractat. de Confess. sollicit. 14, num. 4. Joannes Angelus Bossius in Appendic. ad tractat. de tripl. Jubil. privileg. dub. 9. Felix Potestas tom. 2, part. 3, cap. 2, num. 485. Rosignol, de Poenitent. part. 1, quæst. 7, art. 21, num. 4, et seq. Castropal. et alii plures contra Bordon. Leandr. et alios volentes non esse denunciandum.

(6. Laicus autem fingens se Sacerdotem, et Confessarium, si sollicitet in Confessione, non est ex vi dictæ Constitutionis denunciandus ut sollicitans, quia dicta Constitutio expresse loquitur solum de Sacerdote, qualis non est Sacerdos fictus. Si autem voluisset etiam Sacerdotem fictum comprehendere, expressisset; quod enim voluit, expressit, argument. cap. *Inter corporalia* 2, de translat. Episcop. § *Sed neque istud*, cap. *Quia circa* 22, de privileg. et cap. *Ad audientiam* 12, de Decimis. Tum quia odiosa restringenda, cap. Odia 15. de Regulis Juris in 6. Et in pœnalibus benignior interpretatio facienda est, leg. *Factum* 155 *ff. de Regulis Juris* § 2, ibi: « In pœnalibus causis benignius interpretandum est, » *cap.* In pœnis 49, *de Regulis Juris in* 6, ibi: « In pœnis benignior est interpretatio facienda. » Et concordat leg. *Cum quidem* 19. *ff. de liberis*, et cap. *Statutum* 22, de election. *in* 6. Et sic defendunt Rodericus de Acugna tractat. de Confessar. sollicitat. quæst. 13, num 1, et seq. Diana part. 1, tractat. 4, resolut. 15, part. 4, tractat. 5, resol. 9, part. 10, tract. 14, resol. 42. Castropal. tom 1, tract. 4, disp. 9, punct. 9, num. 5. Leander de Sacram. Pœnitent. tractat. 5, disp. 13. a quæst. 36. Joann. Angelus Bossius in Appendic. ad tract. de tripl. Jubil. privileg. dub. 10. Felix Potestas loc. cit. num. 489. Rosignol. loc. cit. num. 7. Viva ad prop. 6. Alexandri VII. num. 9, et alii contra Escobar, Trimarchium, et Freitam tenentes contrarium.

(7. Talis autem Laicus esset denunciandus tamquam suspectus de hæresi ex aliis Pontificiis Constitutionibus, et signanter ex Constitut. Gregorii XIII. incip. *Officii nostri partes;* præsertim si simul audisset Confes-

Digitized by Google

sionem, et absolutionem dedisset; et utramque qualitatem requiri, tenent passim Doctores ex verbis dictæ Constitutionis Gregorii XIII. ibi : « Confessiones audire, et absolutionem impertiri ausi fuerint; » quamvis tamen ex Constitutione Clementis VIII. incip. *Alias*, edita die 1 Decemb. 1601. non videatur requiri dicta qualitas, scilicet quod absolutionem impertitus fuerit, cum in ipsa Constitutione Pontifex subdat correctioni Inquisitorum eos, qui absque Presbyteratu audent Confessiones audire, nec ibi requirat qualitatem, quod absolutionem impertiti fuerint, ut inter alios recte notat Rosignol. loc. cit. num. 9.

(8. Fœminæ sollicitantes in Confessione Confessarios ad inhonesta, non sunt denunciandæ. *Communis*. Et ratio est, quia Lex mandat denunciari Confessarios, et non Pœnitentes sollicitantes, adeoque non est extendenda contra Pœnitentes sollicitantes Confessarios ad turpia, cum pœnalia non sint extendenda ultra expressa, argument cap. *Statutum* 22, de election. in 6. ibi : « Cum sit pœnale restringi potius convenit, quam laxari » et aliis citatis Juribus supra num. 6.

(9. Per personas sollicitatas intelliguntur hic fœminæ, et mares, puellæ, et pueri. *Est jam Communis* post dictam Constitutionem Gregorii XV, per verba inibi expressa : « Qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda. » Ly enim : *Quæcumque illæ sint*, additum personis; importat utrumque sexum.

(10. Hinc tam mares, quam fœminæ quæcumque, etiam Moniales, et mulieres nobiles sollicitatæ a Confessariis ad turpia tenentur ipsos denunciare. Et si valde vereantur id per se personaliter facere, monere debent Episcopum, seu Inquisitorem, ut mittat ad eas internuntium pro denunciatione recipienda, et satis expediens est, ut delegetur, seu mittatur Confessarius, ut recipiat in Scriptis, et cum juramento denunciationem juxta decretum Inquisition. Roman. jussu Urbani VIII. 27 Septembris 1624. apud Bordon. cap. 23. *de Sollicitat.* num. 89. his verbis : « E quando il Penitente tuttavia persiste nella medesima renitenza, N. S. si contenta che dal Vescovo, o Inquisitore si dia autorità al Confessore di ricercare per scrittura, e con giuramento, la dinunzia per portarla subito a chi gli avrà data l'autorità di pigliarla. »

(11. Sollicitatio autem fieri potest pluribus modis, nempe scriptis, verbis, signis, nutibus, tactibus, osculis, et hujusmodi. *Communis*.

(12. Unde Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti, sive fœminæ, sive mari chartam postea legendam, in qua ad Venerem provocat, allicit, seu incitat, tanquam vere sollicitans est denunciandus. *Communis;* et patet aperte ex propositione 6. inter merito damnatas ab Alexandro VII. die 7 Septembr. 1665. ibi : « Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus. »

(13. Item vere sollicitat, et est denunciandus Confessarius ille, qui per inhonestos sermones Pœnitentem ad Venerem allicit, seu incitat. *Communis* per verba dictæ Gregorianæ Constitutionis, ibi : « Aut cum eis illicitos, aut inhonestos sermones, sive tractatus habuerit. »

(14. Et sic vere sollicitat, et denunciandus est Confessarius ille, qui in actu Confessionis, vel immediate ante, seu post, dicit Pœnitenti : « Si ego essem sæcularis, vellem te solam ducere in uxorem. » Vel ei dicit : « Memento mei, quia ego te ex toto corde diligo. » Vel : « Permitte me, ut in domum tuam veniam, et amorem meum tibi ostendam. » Vel pulchritudinem ipsius lascivis verbis commendat, et laudat, et hujusmodi. Diana part. 9. tractat. 9. resolut. 32. Rosignol. loc. cit. num. 25. Felix Potestas loc. cit. n. 558 et 565. et alii plures contra paucos alios; Et ratio est, quia similia verba sine aliqua occasione in Confessione, seu immediate ante, vel post dicta, sunt impertinentia ad Confessionem, et vehementer provocativa, et incitativa ad Venerem.

(15. Item vere sollicitat, et est denunciandus Confessarius ille, qui signis, nutibus, osculis vel tactibus lascivis Pœnitentem incitat, seu provocat, vel allicit ad actus venereos; ut si eam osculetur, vel fixis aspectibus lascivis, aut signis vere libidinosis ei suum impurum, et inhonestum amorem studeat aperire. Vel ei suas verecundas partes ad id ostendat, seu ille ipsius tangat pedes, seu manus libidinose premat, et hujusmodi. Sic in re Communis per verba dictæ Gregorianæ Constitutionis, ibi : « Ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodo libet perpetranda. » Similia enim sunt omnia provocativa, incitativa, seu allicitiva ad Venerem.

(16. Item sollicitatio fieri potest in pluribus, et diversis temporibus, nempe vel tempore actualis Confessionis, seu immediate ante, vel immediate post, seu occasione, vel prætextu Confessionis. *Communis* per verba expressa dictæ Constitutionis, ibi : « In actu Sacramentalis Confessionis, sive ante, vel post immediate, seu occasione, vel prætextu Confessionis. »

(17. Unde Confessarius, qui tempore actualis Sacramentalis Confessionis aliquo ex supradictis obscenis modis Pœnitentem ad venerea, et inhonesta allicit, seu incitat, vere sollicitat, et est denunciandus. *Communis*, per ipsa clara verba dictæ Constitutionis : « In actu Sacramentalis Confessionis. » (18. Et talis Confessarius est denunciandus, etiamsi non pro se, sed pro alio, seu nomine alterius sollicitet. *Communis*, et clare habetur ex dicta Gregorii Constitutione, ibi : « Qui personas, quæcumque illæ sunt, ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda. » Et infra : « Aut cum illis illicitos, et inhonestos sermones, aut tractatus habuerint. » Qui enim

Digitized by Google

incitat, seu allicit, vel provocat ad inhonesta, et venerea cum aliis patranda, utique illicitos et inhonestos sermones cum incitato, seu provocato habet.

(19. Confessarius, qui in Confessione per inhonesta verba cœpit sollicitare fœminam ad turpia, quæ eidem consensit, sed post illa verba statim desistit, nec tunc Confessarius impendit absolutionem sed differt tum complementum sollicitationis, tum absolutionis, hoc non obstante, est denunciandus. *Communis.* Verificatur enim de ipso, quod « in Confessione habuerit cum Pœnitente illicitos, et inhonestos sermones seu tractatus, » quod sufficit secundum Bullam ad incurrendas pœnas contra sollicitantes inflictas.

(20. Confessarius, qui fœminam pœnitentem ante incœptam Confessionem, et dilata in aliud tempus Confessione osculis, seu verbis, aut tactibus obscenis sollicitat, est tamquam verus sollicitans denunciandus. *Communis.* Ipse enim sollicitavit Pœnitentem *immediate ante Confessionem*, ut loquitur Constitutio, et licet non sit sequuta Sacramentalis Confessio, adhuc Pontifex præcipit esse denunciandum, ibi : « Etiam ipsa Sacramentali Confessione non sequuta. »

(21. Item denunciandus est Confessarius, qui immediate post Confessionem, et datam absolutionem, tradidit Pœnitenti chartam postea legendam, quæ continet verba incitantia, et provocantia ad Venerem. Sanctius in Selectis disput. 11. n. 31. Rosignolus l. cit. sect. 3. num. 17. Viva ad proposit. 6. Alexandri VII. num. 5. et 7. vers. Ad ultimam, favet dicta damnata propositio allata supra num. 11. Et sic tenent plures alii contra Castropal. et alios sentientes contrarium. Et ratio est, quia quantum est ex parte Confessarii tunc immediate post Confessionem, ut loquitur Bulla, incipit Sollicitatio. Non enim requiritur, quod actio illa externa appareat mala immediate, quando Pœnitens accipit chartam, sed sufficit, quod deinde innotescat malitia illius actionis externæ Confessarii, ut sit denunciandus; sicut si immediate post Confessionem sollicitaretur Pœnitens verbis ambiguis, et deinde adverteret, quod certo ea verba in sensu sollicitatorio prolata fuerint, sine ullo dubio talem Confessarium, uti vere sollicitantem teneretur denunciare.

(22. Item denunciandus est Confessarius, qui post auditam Confessionem adolescentis, quem novit fuisse pluries sodomitice cognitum, immediate ipsum ducit ad proprium cubiculum, et ipsum ad turpia sollicitat; vel ipsi statim post Confessionem dicit : Veni hodie ad meam domum, et tradam tibi Chirographum tuæ Confessionis et ipsum illuc perrectum, ad inhonesta, et venerea sollicitat. Diana part. 4. tract. 4. resolut. 11. et tract. 5. resolut. 77. Leander de Sacrament. Pœnitent. tract. 5. disput. 23. quæst. 35. Sousa lib. 1. cap. 34. n. 39. Rosignol. loc. cit. sect. 3. num. 16. Felix Potestas loc. cit. num. 507. et alii. Et ratio est quia de tali Confessario verificatur, ut prætendit Bulla, quod sollicitaverit *immediate post Confessionem*, cum hujusmodi sollicitationes sint actiones continuatæ cum Confessione per signum externum per se ordinatum ad inhonesta datum immediate post Confessionem.

(23. Item denunciandus est Confessarius, qui fœminam in Confessione cognitam adulteram, et post ipsam Confessionem pro aliquo notabili tempore in Ecclesia commoratam in recessu ad suam domum sollicitat; vel ad ejus domum eadem die hac occasione pergit, ibique eam sollicitat. Sic defendunt Lezana in Summa qq. Regul. c. 19. n. 34. Bordon. in Manual. consult. sect. 25. num. 38. Peyrinus, et Hurtadus apud Felicem Potestatem loc. cit. n. 503. qui licet cum Leandro, Diana, Castropal. et aliis sequatur sententiam contrariam, nempe non esse talem Confessarium denunciandum, tamen ibid. n. 504. concludit, quod nostra sententia affirmativa valde sibi arrideat, si sollicitatio contingat eodem die, et ex peccato carnis in Confessione audito, quia videtur facta occasione Confessionis, qua cognovit Pœnitentem proclivem ad Venerem, et præsertim si sit facta eodem die, cum Hurtadus absolute velit., quod peccatum carnis a Confessario cum Pœnitente commissum intra 24. horas post Confessionem sit casus denunciationis. Talis enim sollicitatio facta eodem die censetur facta incontinenti, argument. leg. *Quod ait* 23. § 4. ff. Ad Legem Juliam, *de adulteriis*, ubi dicitur, quod si Pater occidat filiam deprehensam adulteram eodem die, interpositis horis, censeatur incontinenti occidisse, ibi : « Sed dum adulterum occidit, profugit filia, et interpositis horis, adprehensa est a patre, qui persequebatur, incontinenti videbitur occidisse. » Et sic tenet etiam Graff. tom. 1. consil. lib. 4. de cognat. spirit. consil. 1. a num. 37. et de casibus reservatis lib. 2. cap. 12. num. 30. et alii. Quamvis tamen Rosignol. loc. citat. sect. 3. num. 16. et 18. Scortia in Bull. Pontificum epist. 77. Theor. 197. Leander, Diana, Castropal. et alii sustineant oppositum.

(24. Item denunciandus est Confessarius, qui vocatus hodie a muliere ad audiendam ejus Confessionem domi, sequenti die, illuc perrectus, eam postposita Confessione sollicitavit. Bordon. in Manual. consult. sect. 25. num. 38. Felix Potestas l. cit. n. 510. et alii. Et ratio est, quia ipse vere sollicitavit occasione Confessionis, ut vult Bulla, cum occasionem sollicitandi acceperit a Confessione petita a persona vere confiteri volente.

(25. Item denunciandus est Confessarius qui hodie mulierem, pro sequenti die ad Confessionem invitat, et ipsam, antequam accedat ad Confessionarium, prævenit, et sollicitat. Bordon. loc. cit. n. 39. Felix Potestas loc. cit. num. 512. et alii. Et ratio est, quia in tali Confessario verificatur, quod dicit Bulla, nempe quod sollicitet prætexto Confessionis; Dictio enim sub prætextu idem significat, quod sub velamine, vel colore alicujus rei, quæ non est,

Digitized by Google

seu falsa est, vel jam desinit esse, leg. *Sub prætextu* 19. Cod. de transaction. adeoque, etc.

(26. Item sollicitatio fieri potest in pluribus et diversis locis, nempe vel in Confessionario, aut loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo. *Communis* per expressa verba in toties citata Gregoriana Constitutione, ibi : « Sive extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo. »

(27. Unde Confessarius in Confessionario sedens, si mulierem ad se accedentem non ut confiteatur, sed alicujus negotii causa sollicitet, est denunciandus. Sic Diana part. 1. tract. 4. resol. 18. part. 4. tract. 5. resol. 38. Bordon. in sacro Tribunal. c. 23. n. 6. Rosignol. l. cit. sect. 3. n. 12. et 13. Felix Potestas l. cit. n. 522. et 523. Escobar, Trullench apud Leandrum de Sacram. Pœnit. tract. 5. disp. 23. qu. 30 et habetur expresse decisum in decreto Pauli V. ut sequitur.

Feria V. die 10. *Julii* 1614.

« In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico coram S. S. D. N. D. Paulo Divina providentia Papa V. etc. facta relatione, quod multi Confessarii tractant cum mulieribus in Confessionali extra occasionem Confessionis de rebus inhonestis: S. S. decernit, ut contra hujusmodi Confessarios procedatur in Sancto Officio. »

(28. Nec valet objicere cum Leandro loc. cit. quæst. 30. et apud ipsum Freita, Fagundez, Sousa, Castropalao, Lezana, Sanctio, Hurtado, Bossio, Donato tom. 3. tractat. 13. quæst. 53. et aliis, quod dictum Decretum Pauli V. fuit moderatum, ac restrictum a Gregorio XV in citat. Constitut. *Universi Dominici Gregis* ad terminos simulationis Confessionis in Confessionario, per illa verba : *Simulantes ibidem Confessiones audire.* Non valet, inquam, quia illa verba; *Simulantes ibidem Confessiones audire,* non referuntur ad sollicitationem factam in Confessionario, sed in aliis locis, in quibus ex electione Confessarii quandoque audiuntur Confessiones ; quæ loca secundum se sunt indifferentia pro quocumque munere. In his enim requiritur simulatio Confessionis, ut fiat determinatio, quæ limitatio non videtur requiri, quoad Confessionarium, cum hoc ex se sit determinatum ad hoc munus.

(29. Hinc denunciandus est Confessarius, qui in loco, ubi Confessiones audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electum, simulans ibidem Confessiones audire, mulierem ad inhonesta, et venerea sollicitat. *Communis* per verba expressa in toties repetita Gregoriana Constitutione ibi: « Aut in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint. » (30. Confessarii sollicitantes Pœnitentes in Confessione, vel occasione, seu prætextu Confessionis tam in Confessionario, quam in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo non ad venerea, seu turpia in hoc genere, sed ad alia peccata, non subjacent pœnis sollicitantium, nec ut tales sollicitantes sunt denunciandi. Sic Rosignolus loc. citat. sect. 2. num. 11. Peyrinus tom. 2. privileg. Minimorum in Constitut. IV. Gregorii XV. num. 7. Lezana in Summa qq. Regularium tom. 1. c. 19. num. 34. Sanctarell. in tractat. de hæresi 44. num. 19. Bonacina de onere, et obligat. denunciat. 6, punct. 3, num. 13. Venerus de examin. Episcop. lib. 5, cap. 17, num. 18. Sanctius in Selectis disput. 11, num. 23, et alii Et ratio est, quia dicta Gregoriana Constitutio, sicuti, et aliæ præcise loquuntur de sollicitantibus, seu provocantibus, et incitantibus ad venerea, et inhonesta, unde extra illa non est facienda extensio per citata Jura supra n. 5 et 7.

(31. Item denunciandi non sunt ex vi dictarum Constitutionum Pontificiarum Confessarii, qui Pœnitentes sollicitant, non in Confessione Sacramentali, sed in aliis Sacramentis, nempe in ministratione Baptismi, Eucharistiæ, etc. Sic Rosignolus loc. cit. sect. 2, num. 9. Diana part. 4. tractat. 15. resolut. 16. Rodericus Acugna tract. de Confessar. sollicit. quæst. 16. num. 4. Sanctareli. loco cit. cap. 46, num. 5. Bonacina loco cit. num. 14. Sanctius loc. cit. num. 42. Lezana in Summa qq. Regular. tom. 1, cap. 19, n. 34, et alii. Et ratio est eadem, quæ adducta est *num. antecedenti*, quia dictæ Pontificiæ Constitutiones loquuntur præcise de sollicitantibus in Confessione, non autem administratione aliorum Sacramentorum, adeoque non est facienda extensio per citata Jura supra num. 5 et 7.

(32. Item propter eamdem rationem Rosignol. loco cit. sect. 1, num. 14. Lezana loco citat. num. 34. Peyrin. loc. citat. num. 9 et 10. Bonacina loc. citat. num. 17. Sanctarell. loc. cit. cap. 46, num. 2. Sanctius loc. cit. n. 23. Homobonus de examin. Eccles. tom. 2, tractat. 11, c. 12, quæst. 26. Donatus tom. 3. tract. 13, quæst. 53. Thomas Hurtadus, Portell. Castropal. Freita, Bossius, Delbene, et alii citati licet non secuti a Felice Potestat. loco citat. num. 579, defendunt, quod Confessarius fœminæ sollicitanti consentiens non sit denunciandus, quia Bulla loquitur solum de Confessariis sollicitantibus qualis non est iste. Nec consensus per ipsum præstitus fœminæ sollicitanti constituit illum reum sollicitationis activæ, sed reum passive culpabilis ; pœnæ autem inflictæ contra sollicitantem activum, non extenduntur ad passivum, argument. in citatis Juribus supra num. 5 et 7 (1). (33. Diana autem part. 4,

(1) Sententia eximens ab onere denunciationis nullo modo tenenda est, ut Constitutiones Pontificias consideranti manifestum fit.

Digitized by Google

tractat. 5, resolut. 4 et 42. Leander tract. 5, de Pœnitentia disput. 13, quæst. 43. Felix Potestas loco citat. num. 579. Fagundez, et alii tenent, talem Confessarium esse denunciandum, quia licet de ipso non verificetur, quod sit sollicitans, sed sollicitatus, verificatur tamen de ipso, quod cum Pœnitente habeat illicitos, et inhonestos sermones, seu tractatus prætextu, seu occasione Confessionis, quod sufficit pro debito ipsum denunciandi ex præcisis verbis d. Gregorianæ Constitutionis, ibi : « Aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones sive tractatus habuerint. » At vero primæ negativæ sententiæ Patroni inter alias responsiones dicunt, talia verba, seu tales tractatus intelligenda, seu intelligendos esse, quando ortum habuerunt ab ipso Confessario, quod colligitur ex contextu verborum, nam Bulla dicit denunciandos esse illos Confessarios qui Pœnitentes sollicitare, aut provocare tentaverint, aut cum eis, hoc est Pœnitentibus, illicitos, aut inhonestos sermones, seu tractatus habuerint. Ly autem *Cum eis*, cum sit sermo continuatus, habet connexionem cum præcedentibus, quæ indicant tentamentum factum a Confessario, et propterea important sermonem, seu tractatum inductum in origine ab eodem Confessario, quod non verificatur in hoc casu, cum talis illicitus, aut inhonestus sermo, seu tractatus inductus sit in origine a Pœnitente sollicitante, et non a Confessario sollicitato.

(34. Pœnitentes tenentur sub mortali denunciare Confessarium sui sollicitatorem Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis; et de tali obligatione tenentur etiam sub mortali eos monere Confessarii, qui eos fuisse ab aliis sollicitatos cognoverint. Agitur enim de re gravissima, et de execrabili et nefando abuso Sacramenti, et id sub positivo, et gravi præcepto expresse mandatur a Pontifice in d. Constitutione § 7 ibi : « Mandantes omnibus Confessariis, ut suos Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu ut præfertur tractantes, Inquisitoribus, seu Locorum Ordinariis. »

(35. Denunciare Confessarium sollicitantem tenentur, non solum Pœnitentes sollicitati, sed etiam omnes illi, qui certo sciunt sollicitationem, quatenus nempe quis propriis oculis vidit, aut propriis auribus eam audivit, seu ex proprio ore Confessarii sollicitantis, aut Pœnitentis sollicitati, qui sit fide dignus, et bonæ famæ, immediate audivit, et bene intellexit. Diana part. 1, tractat. 4, resolut. 24, et part. 9, tractat. 8, resolut. 46. Freitas in addit. ad tractat. de Confess. sollicit. qu. 21, num. 26. Fagundez part. 2, lib. 4, cap. 3, num. 21. Rosignol loc. cit. sect. 2, num. 13. Tancred. tom. 4, tract. 1 de Pœnitent. quæst. 23. Felix Potestas *loc. cit. n.* 590, et alii passim.

(36. Si autem tales non bene recordentur verborum, vel non recordentur, a quibus audierint, vel audierint a personis levibus et non fide dignis, non teneri ad denunciandum docent Bordonus *l. cit. n.* 94. Tancred. t. 4, tract. 1 de Pœnitent. qu. 23. Leander loc. cit. quæst. 57 cum Trullench, Rodriq. Portell. Cordub. Navarro, et Hurtado ibi citatis, et alii plures; quia dicunt in dubio sollicitationis non est onus denunciandi, cum in dubiis ex una parte quisque suam possideat libertatem, meliorque sit conditio possidentis, cap. *Ad aures* 6 de præscriptionibus. cap. *Quod autem*, 5 de Jurepatronat. cap. *In pari* 65 *ff. de Regulis Juris* leg. *Nemo* 126, § 2, *ff. de Regulis Juris*, et leg, *In pari* 128 *ff. eodem*. Et ex alia parte favendum sit Reo, argument. cap. *Sunt.*, de Regulis Juris in 6 et promptiora sint Jura ad absolvendum, quam ad condemnandum, c. Ex literis 3 de probationibus, cum similibus. Tunc quia dubia in meliorem, et benigniorem partem sunt interpretanda, leg. *Ea quæ* 192, *ff. de Regul. Juris*, ibi : « In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est, quam tutius. » Et concordat lex *Semper* 56, *ff. eod.* ibi : « Semper in dubiis benigniora præferenda sunt, » et leg. *Si fuerit* 10, *ff. de rebus*, ibi : « In ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet, » et cap. *In obscuris* 30, de Regulis Juris in 6, ibi : « In obscuris minimum est sequendum, » cum similibus. Diana tamen part. 4, tract. 5, resol. 28. Felix Potestas loc. cit. num. 592. Spatharius, et alii tenent contrarium (1).

(37. Moniales, et Mulieres nobiles sollicitatæ a Confessariis tenentur eos denunciare,

(1) His assentitur P. Philippus a Carboneano in Appendice de Sollicitatione subjecta Tractatui P. Antoine de Pœnitentia Tom. 2, pag. 246, seq. ubi scribit : « Quæstio dumtaxat est, num denunciare teneatur, qui idem ex levibus, ac suspectis personis audierit? Tutior vero, et communior opinio est, hos quoque denunciare debere. Quia in causis ad sanctum Officium spectantibus admittuntur etiam testes inhabiles, excommunicati, perjuri, infames, etc., nec privati est, sed inquisitoris investigare, et decernere, num persona, ex qua audita fuit facta a Confessario sollicitatio, fide sit digna. Cujus quidem rei ratio est, quod hæreseos suspicionis crimen ita Christianæ reipublicæ perniciosum sit, ut ad illud extirpandum omnia adhibere oporteat media, atque adeo cujuscumque generis testes. Ad cohibendum vero hac in re calumniatores SS. D. N. Benedictus XIV, in superiori Const. num. 3, pœnas in calumniatores, sive falsos delatores constituit, ut ibi legere est. » Verum ab eodem discrepat P. Giraldi, qui in *Exposit. Juris Pontificii* Part. 1, in Append. ad sect. DCCCIX, pag. 640, hanc ad descripta verba animadversionem apponit : « Cautius tamen procedendum crederem in firmanda obligatione denunciandi ob auditum ex levibus ac suspectis personis. Si enim Inqu. Supr. ad hoc Dub. XIV. relat. p. 633. *An quis teneatur denunciare Confessarium sollicitantem, si hoc audivit non solum a fide dignis, sed a levibus personis?* die 2. Februar. 1661, respondit : *Censuerunt, opinionem negativam non carere probabilitate;* itaque omnia responsa approbata fuere, et confirmata per Bullam, *Sacramentum Pœnitentiæ* a Benedicto XIV. idemque docent tot alii, et quidem præclari DD. Profecto non video, qua ratione communior, et quodammodo plausibilior venditetur opinio eamdem obligationem imponens, cum præcise quis id audivit a levibus, ac suspectis personis. » (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

quamvis id facere valde vereantur, et assignatur aptior modus id faciendi ex decreto relato supra num. 10.

(38. Confessarius sollicitans non tenetur denunciare se ipsum, nec monere Pœnitentem, ut ipsum denunciet. Diana part. 1, tractat. 4, resolut. 8. Reiffenstuel Theolog. moral. tractat. 14. distinct. 8, quæst. 5, num. 65, cum aliis ibi citatis, Leander loc. citat. quæst. 42. Felix Potestas loc. citat., n. 493, et alii passim. De Jure enim naturæ nemo tenetur prodere se ipsum; cap. *Quis aliquando* 87. de Pœnitent. dist. 1. Et clare patet ex verbis dictæ Constitutionis Gregorianæ; ibi : « Ut suos Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis sollicitatos, » etc., ubi nota quod Bulla dicit *ab aliis*, non autem a se ipso sollicitatos (1).

(39. Nec Pater, Mater, Filius, Frater, Sorror tenentur ipsum denunciare; leg. *Quarta* § 4, *ff. de testibus relat.* in cap. *Si testes* 3, caus. 4, quæst. 2 et 3. Diana part. 1, tractat. 4, resolut. 6. Tancred., tom. 4, tractat. 1, quæst. 23. Felix Potest l. c. n. 599, vers. *Pariter*, et alii (2).

(40. Nec denunciare tenetur Pœnitens, si exinde prudenter, et probabiliter timeat grave, et ingens malum sibi, aut suis conjunctissimis; nempe Patri, Matri, Marito, Filiis, aut Fratribus. Præcepta enim humana non obligant cum tam gravi sui, suorumque conjunctissimorum nocumento. Leander loc. cit. q. 44. Lezana tom. 1. qq. Regul. cap. 19, num. 34. Roderic. Acugna tract. de Confessorum sollic. quæst. 19. Felix Potestas loc. cit. num. 495 et 599. Peyrin. et alii plures. Rosignol. tamen loc. cit. sect. 2, n. 6. Bonacina de onere, et obligat. denunc. disput. 6, punct. 2. num. 11, in respons. ad 2, ad object. 2, et alii defendunt oppositum (3).

(41. Denunciatio Confessarii sollicitantis facienda est Episcopis, vel Inquisitoribus. *Communis*, per verba expressa toties repetitæ Constitutionis, ibi : « Moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, ut præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu Locorum Ordinariis. »

(42. Episcopi sollicitantes non sunt denunciandi Inquisitoribus, sed Sedi Apostolicæ; Episcopi enim etiam in causa Hæresis non subduntur Inquisitoribus, cap. *Inquisitores* 16, de Hæreticis in 6, et Concil. Tridentin. sess. 24, de Reformat. cap. 5. Et sic tenent Leander tract. 5, de Pœnitent. disput. 13, qu. 50. Thom. Hurtad. Castropal. Fagund. et alii apud ipsum, Felix Potestas loc. citat. num. 621, pluresque alii. Rosignol. autem loc. cit. art. 21, n. 10 et sequent. cum aliis ibi citatis dicit, quod Episcopi sollicitantes denunciandi sint Inquisitoribus,

(1) Ita in Supremo Tribunali S. Inquisitionis sub die 17. Nov. 1624. decisum fuisse refert Laurentius Cozza in Dubiis selectis circa sollicitationem dub. 44. num. 270. *nimirum Confessarios sollicitantes non esse cogendos ad denunciandos seipsos.* Ex quo infert pag. 145. seq. « Si non sunt adstringendi, sequitur, quod non teneantur seipsos denunciare. Etenim quia fœminæ sollicitatæ tenentur denunciare sollicitantem, adstringendæ sunt ad denunciandum, ergo si sollicitantes non sunt adstringendi, signum erit, quod non teneantur. » Cujus quidem rei hanc num. 271. pag. 146, rationem affert : « Cum... hoc in Apostolicis constitutionibus, neque in Edictis Inquisitorum præceptum sit, ut sollicitantes Confessarii se Inquisitoribus denuntient, non est unde oriatur hujusmodi obligatio. » (*Edit. Barbiell.*)

(2) Hoc ipsum docet... Diana, et veriorem, attenta praxi, existimat Carena opinionem affirmativam, *dict. tit.* 9. § 3. *num.* 13. Nam, inquit, eadem militat ratio de hæreticis, ac de hæresi suspectis denunciandis; et dum loquitur de personis obligatis ad denunciandum, loquitur per verba generalissima : *Comandiamo a tutti, ed a ciascuna persona, etc., di qualunque condizione, etc.*, ergo generaliter est intelligendum, ut comprehendat etiam omnes sanguineos personæ denunciandæ. *Hæc ex Carena.* Subjungit inde, quod Filius cogi potest ob generalitatem Edicti Inquisitorum, ad denunciandum Patrem blasphemum, ex sententia Lazarii *de Blasphem. q.* 12. *n.* 57. et Comitoli l. 4. cit. q. 8. Insuper et Parentes tenentur denunciare Filios maleficos, et Filii Parentes, ut tradunt idem Lazarius, et idem Comitolus, et firmat Petrus Binsfeld. *de Confessar. Malefic. membr.* 2. *post Principium* § *pro parte negativa.* Quin etiam probat Homob. tom. 1. disqis. mor. tract. 7. de primo præc. Dec. c. 13. q. 17. Atqui sunt isti solum de hæresi suspecti, nequaquam formaliter hæretici; ergo quamvis Confessarii sollicitantes sint solum suspecti de hæresi, erunt quoque et ipsi a propriis denunciandi consanguineis. Et cum hæc sit praxis, ut admonet Diana, ideo hæc est amplectenda opinio. » Ita Cozza *Dub.* 48, num. 99. seq. pag. 160. seq. (*Edit. Barbiell.*)

(3) Cæterum ait Cozza Dub. 42. n. 259. seq. pag. 140. seq. « ad evitandam omnem excusationem denunciandi, in præsenti casu præcipue, in Supremo Tribunali sub die 13. Septembris 1623, declaratum fuit, ut quoties mulier nobilis, et verecunda intra Urbem induci non potest ad denunciandum, consulatur Sacra Congregatio : si vero extra Urbem, consulatur Episcopus, vel Inquisitor, qui si habent difficultatem, isti quoque consulant Sacram Congregationem; sin minus, dent facultatem Confessariis absolvendi pœnitentes, quæ justis de causis denunciare recusant, quæ tamen absolvi debent sub conditione, quatenus cessantibus causis teneantur denunciare, atque interim non adeant amplius ad Confessarium, a quo fuerant sollicitatæ. Et ita in præsenti casu, quo quis timet notabile damnum ex denunciatione, ut induci non possit ad denunciandum, sequenda est praxis hujus decreti, nimirum, si intra Urbem, Confessarius consulat Sacram Congregationem S. Officii; si extra Urbem, Episcopum consulat, vel Inquisitorem respective, atque ab eis mandatum recipiat, quomodo se cum tali pœnitente gerere debeat : nec de suo capite hanc vel illam opinionem sequendo, ab obligatione denunciandi eam eximere audeant; nam in hac materia semper expectandum est Superiorum mandatum. Denique in eodem Supremo Tribunali sub die 11 Maii 1626, decretum fuit, ne Episcopi, sive Inquisitores sint valde solliciti, et proclives in danda Confessariis facultate absolvendi pœnitentes sollicitatas sine prævia denunciatione, sed solum hoc faciant, dum adest magna causa excusans ab onere denunciandi : semper tamen sub præfata conditione, ut cessante causa teneantur denunciare. Ex quibus constat, numquam licere Confessario eximere pœnitentem ab onere denunciandi quacumque de causa, sed in omni casu difficili consulere tenetur Superiores, expectando eorum mandatum, suspensa interim pœnitenti sollicitato Sacramentali absolutione. » (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

qui tamen nequeunt contra illos procedere, nec testes assumere, sed tenentur rem ad Summum Pontificem deferre.

(43. Inquisitores sollicitantes, ubi sunt veri Delegati Sedis Apostolicæ, et ejus Officiales, sunt denunciandi ipsi Sedi Apostolicæ; ubi vero sunt solum subdelegati, et Commissarii Inquisitoris Generalis, sunt denunciandi ipsi Inquisit. Gener. *Sic in re Communis.*

(44. Generales Ordinum Regularium sollicitantes denunciandi sunt Inquisitoribus, vel Episcopis; *Communis*, per verba expressa citat. Bullæ Gregorii, ibi : « Regulares cujuscumque Dignitatis, et Præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant. »

(45. Denunciatione autem accepta non posse ulterius Inquisitores contra dictos Generales procedere, sed debere rem totam deferre ad Sedem Apostolicam docent Bordon. in Sacro Tribunal. cap. 27, n. 27, et uterque Rodriq. Pegna, et Navarr. relati a Diana part. 4, tract. 8, resolut. 23, et etiam alii plures per text. in citat. cap. *Inquisitores* 16, de Hæreticis, in 6, ibi : « Si tamen Inquisitores ipsi Episcopos, vel alios Superiores Prælatos sciverint, vel invenerint circa crimen Hæreseos commisisse, ut eos de hoc diffamatos existere vel suspectos, id tenebuntur Sedi Apostolicæ denunciare. » Diana tamen loc. citat. Felix Potestas loco citato num. 626. Freitas, et alii volunt etiam puniendos esse Generales in Officio Sanctissimæ Inquisitionis per clara, et generalia verba; omnes Regulares cujuscumque Dignitatis, et Præeminentiæ, aut quovis privilegio munitos comprehendentia, et statuentia in Officio Sanctissimæ Inquisitionis severissime esse puniendos, ibi : in Officio SS. Inquisitionis severissime, ut infra puniantur.

(46. Obligati ad denunciandum Confessarios sollicitantes, si absque legitima causa, et vero impedimento negligant ipsos intra præfixum tempus denunciare, ultra peccatum mortale, incurrunt etiam Excommunicationem latæ sententiæ ex Decreto Supremæ Universalis Romanæ inquisitionis die 3 Januarii 1623, relato a Diana part. 4, tract. 5, resolut. 41, in quo præcipitur sub Excommunicatione majori latæ sententiæ denunciandos esse Hæreticos, aut de Hæresi suspectos, intra duodecim dies a notitia delicti, Inquisitoribus, vel Locorum Ordinariis; quod decretum esse perpetuum asserit Diana loc. citat. contra Bordon. in Tribunal. Fidei c. 30, n. 2.

(47. Nec obstat, quod Confessarius credatur jam emendatus, vel elapsum sit jam multum tempus a facta sollicitatione, quia adhuc urget præceptum et obligatio denunciationis. Carena de Sancto Officio p. 2, de Confessar. sollic. tit. 6, § 20, num. 128, et seq. Castrop. in suo opere moral. § 19, n. 1. Bonacina disp. 6, punct. 3, num. 9, vers. *Hæc limitatio;* Diana part. 4. tract. 5, resol. 23, cum Bonacina, Suarez, et aliis ibi citatis, Delbene p. 1, d. 18, et p. 2, d. 237, sect. 13, p. 1, cum pluribus aliis ibi allegatis. Felix Potestas loc. cit. n. 606. Rosignol. loc. cit. sect. 3, n. 23, et alii plures Et ratio est, quia hoc onus denunciationis non solum inductum est ad finem emendationis, sed etiam ad finem exemplaris punitionis, ut alii deterreantur ab hoc execrabili, et nefando crimine perpetrando; qui finis adhuc viget, etiam supposita emendatione Confessarii sollicitantis, adeoque, etc.

(48. Leander autem tract. 5, de Pœnit. disp. 13, q. 7, et apud ipsum, Sotus, Molfesius, Naldus, Acugna, Freitas, Portell. Peyrin. Sousa, Lezana, Castrop. S. Antoninus, et alii defendunt oppositum, (1) quia dicunt : finis denunciationis est emendatio proximi; unde, hac habita, cessat obligatio denunciationis, quia cessat ejus finis, cum cessante ratione, et causa Legis, vel obligationis, cesset ipsa Lex, seu obligatio; l. *Adigere* 6, § 2, ff. de Jurepatronat. cap. *Cum cessante* 60, de appell. Ratio enim Legis est anima Legis l. *Cum ratio* 7, *ff. de bonis damnator.* At isti hodie non sunt amplius audiendi ex Const. *Sacramentum Pœnitentiæ* Benedicti XIV, ubi sub § 2, obligat ad denunciationem, etiam si longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit.

(49. Terminus pro denunciatione facienda pendet ab Edictis Inquisitorum. Licet enim onus denunciationis directe oriatur ex lege Pontificia, executive tamen pendet ex Edictis Inquisitorum, qui sub pœna Excommunicationis compellunt intra determinatum tempus ad executionem, et observantiam talis oneris. Carena part. 2 de Conf. sollic., tit. 6, § 21, num. 120; Sanctarellus de Hæresi cap. 46, num. 10; Bonacina de onere, et obligatione denunciat. disp. 1, punct. 3, num. 10; Bellochius de casibus reserv. p. q. 9, num. 205; Rosignol. loc. cit., sect. 4, num. 3; Felix Potestas loc. cit. n. 631; Leander loc. cit. q. 53, ubi testatur, quod in Edicto Inquisit. Hispan. solent assignari sex, aut septem dies pro termino ad denunciandos Confessarios sollicitantes; qui terminus solet assignari etiam in Edicto Inquisit. Siciliæ, ut refert Felix Potest. loc. cit., num. 634. (50. Unde quatenus Decretum Supremæ, et universalis Inquisitionis Romanæ, die 3 Januarii 1623, relat. supra num. 45, assignans pro termino 12 dies non sit perpetuum, ut contendit Bordonus, et alii, standum est termino præfixo a respectivis Inquisitoribus, cum hac advertentia, quod dies termini non computantur in termino leg. *Vicinia Millia* 1, *ff. Si quis cautionibus*, cap. *Frequens* 1, cum concordant, de quibus ibi per Glossam in verb. *Proponitur*, de restit. spol. in 6, Diana p. 4, tract. 5, resol. 41; Felix Potestas l. c. num. 632 et alii.

(51. Pœnitens sollicitatus, qui ob non factam denunciationem intra debitum terminum incurrit Excommunicationem, quamvis accedat ad Confessarium, et promittat se statim denunciaturum, non potest ab ipso absolvi virtute Bullæ Cruciatæ, nec vigore privilegiorum Regularium, si ipse Confessarius sit Regularis; nam non potest quis ab-

(1) Prima sententia vera est, posterior vero falsa. Vide *Antoine.*

Digitized by Google

solvi a peccatis, nisi prius absolvatur a Censuris. A Censuris autem non potest quis absolvi per Bullam Cruciatæ, et Privilegiatus, nisi satisfacta parte; adeoque talis Pœnitens, non obstante dicta promissione, non potest absolvi, nisi prius denunciet. Diana part. 4, tract. 5, resol. 35; Felix Potest. l. c. n. 640 et alii contra alios.

(52. Pœnitens sollicitatus, qui ob omissam denunciationem incidit in Excommunicationem, facta postea denunciatione, potest quidem absolvi virtute Bullæ Cruciatæ, aut a Regularibus virtute suorum privilegiorum; at non a simplici Confessario. Bordon. in tribunal. Fidei c. 30, n. 19; Felix Potestas l. c. n. 641; Diana l. c. resol. 29 et alii. Et ratio primæ partis est, quia Confessarii virtute Bullæ Cruciatæ, et Regulares virtute suorum privilegiorum possunt, satisfacta parte, absolvere ab omnibus reservatis Summo Pontifici, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, et aliis Clementinis, ut patet sub verb. *Absolutio*, hoc ipso verb. *Confessarius*, et verb. *Reservatio Casuum*, iis tamen limitibus, de quibus in Append. ad art. 3. Ratio autem secundæ partis est, quia talis Excommunicatio est reservata Pontifici, et Inquisitoribus, ut patet ex eorum Edictis, et ex Decreto, die 3 Januar. 1623, relat. supra num. 45, adeoque non potest absolvi a simplici Confessario non habente ad id privilegium.

(53. Sic Pœnitens sollicitatus, qui infra debitum terminum non denunciavit, quamvis postea extinguatur onus denunciationis, ex quo mortuus sit Confessarius denunciandus, aut ex alio capite, non potest absolvi a quolibet simplici Confessario, sed solum a supradictis Privilegiatis propter rationem adductam. Leander tract. 5 de Pœnitentia, disp. 13, q. 59; Felix Potestas l. c. n. 642; Diana l. c. resol. 29, recte advertens insuper, quod tam in hoc, quam in cæteris casibus Inquisitionis illi, qui denunciare neglexerunt, quando postea denunciant, et sic parti satisfaciunt, possint a Confessariis Regularibus, et ab aliis virtute Bullæ Cruciatæ absolvi absque ullo onere se præsentandi Inquisitoribus (1).

(54. Confessarius sollicitans potest a quolibet simplici Confessario absolvi, quia sollicitatio nullo Jure est reservata; nisi tamen reservata sit in aliqua Diœcesi, ut in Neapolitana et aliis. Felix Potest. l. c. n. 601 et alii passim.

(55. Regulariter loquendo Confessarii non debent absolvere Pœnitentes sollicitatos, nisi prius sollicitantes denuncient Inquisitoribus vel Episcopis. Avila de Censuris p. 2, cap. 7, dub. 7, in fine; Rosignol. loc. cit., sect. 4, n. 4; Diana p. 1, tract. 4, resol. 27; Felix Potestas loc. cit. num. 638 et alii. Tales enim Pœnitentes una semel quod sunt absoluti, non curant amplius denunciare.

(56. Dicitur autem notanter : *Regulariter loquendo*, quia in aliquibus casibus expedit, quod Confessarii ipsos absolvant ante factam denunciationem et signanter si urgeat necessitas Communionis, aut aliqua adsit justa causa, ob quam prudentes Confessarii judicent denunciationem esse differendam, et Pœnitentes sint timoratæ Conscientiæ, et serio promittant quamprimum denunciare. Sic Zanardus in Direct. Theol. p. 2, præcept. 2, cap. 11 in fine; Rosignol. l. c. n. 5; Felix Potestas l. c. n. 639; Diana p. 1, tract. 4, resol. 27 cum aliis ibi citatis. Et idem docent in similibus casibus Emmanuel Rodriquez, in Summa tom. 2, cap. 34, num. 6; Sanctarell. de Hæresi c. 9, dub. unic., num. 16 in fine; Peyrinus in privil. Minim. tom. 1 Const. 5; Gregor. XV, § 9, num. 23 et alii. Vide quæ ex Cozza attulimus in Not. ad num. 40.

(57. Immo cautissime procedere debent Confessarii circa imponendam Pœnitentibus obligationem denunciandi antequam eos absolvant, ut recte monent Lezana in Summa qq. Regul. cap. 19, num. 34. Peyrin. l. c. a. n. 26, et alii passim, ipsos Confessarios serio monentes, ut antequam Pœnitentes obligent ad denunciandos Confessarios, diligentissime attendant qualitates et conditiones, cum Pœnitentium, tum Confessariorum, et mature examinent naturam et sensum verborum, et significatum signorum, nutuum, tractuum, et hujusmodi prætensæ sollicitationis, et ubi ex ipsis non appareat certa sollicitatio, seu de se cognoscere nequeant, an vera in his intercesserit sollicitatio denuncianda, remittant ad alios Confessarios in his materiis instructiores, et expertiores; cum non semel a non statis instructis Confessariis immerito fuerint obligati Pœnitentes ad denunciandos innocentes Confessarios cum maximo detrimento suæ famæ, et gravissima sua injusta afflictione, et pœna. Eo vel maxime quod, ut docent Bordonus l. c. n. 582, et alii, in dubio sollicitationis non sit onus denunciandi. Vide supra n. 35.

(58. In casu vero, quo reperiatur, atque certo percipiatur intervenisse veram sollicitationem, nec possit Pœnitens induci ad personaliter denunciandum, ut sæpe accidit in verecundis nobilibus mulieribus, et ordinarie in Monialibus ratione etiam clausuræ, servanda est expediens praxis juxta Decretum Sacræ Congregationis supremæ, et universalis Inquisitionis allat. supra. n. 10. Quod

(1) Nunc aliter statuendum « Omittentes intra id respective tempus scilicet : *præscriptum in Edictis Universalis Romanæ Inquisitionis vel cæterorum tam particularium Inquisitorum, quam Episcoporum*, denunciationem, inquit Giraldi in Appendic. citat. pag. 627. seq., in Urbe et ejus districtu, incurrunt excommunicationem, quæ reservata est S. I. Extra Urbem vero, ejusque districtum nonnisi ab Episcopo, vel peculiare Inquisitore, si tamen eam sibi, et peccatum reservaverint; alias post denunciationem factam, absolvi poterunt a quolibet Confessario, quemadmodum testatur, sibi responsum fuisse a P. Commissario Universalis Inquisitionis Romanæ Nicolaus Terzago, Episcopus Narniensis, in Instructione ad Confessarios suæ Diœcesis, § *De peccatis contra Fidem*. Omittens vero denunciare Confessarium de sollicitatione intra dictum mensem, etiamsi postea denunciasset, olim non poterat absolvi, nisi a dicta Inquisit. Rom.; hodie tamen ex decretis ejusdem ann. 1753. et 1758. absolvi potest a quolibet Confessario. » (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

si neque ad id possit talis verecunda Pœnitens flecti, voluit Pontifex Urbanus VIII, de cujus mandato editum fuit dictum Decretum, quod ad S. Sedem recurratur pro opportuno remedio; et interim non absolvatur talis Pœnitens, utpote indisposita; Sic ex Carena § 10, refert Viva ad propos. 7. Alexandri VII, num. 7, ubi subjungit, quod in casu non absimili adivit ipse per Epistolam Innocentium XI, qui benigne dignatus fuit facultatem ei tribuere absolvendi pro ea vice Pœnitentem citra onus denunciandi, quod fatebatur subire non posse panici cujusdam timoris prætextu. Confer testimonium Cozzæ productum in *Not.* ad num. 40. (1).

(59. Non est autem sufficiens modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis, si Pœnitens sollicitatus confiteatur cum Confessario sollicitante sub prætextu, quod hic possit i sum absolvere absque onere denunciandi. *Communis ac certa*, per expresse damnatam propositionem 7. in ordine ab Alexandro VII, die 7 Septemb. 1665, ibi: « Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi. »

(60. Quamvis enim Confessarius desinat Pœnitentem monere de obligatione ipsum denunciandi, ad quod non teneri constat ex dictis *supra num.* 37, adhuc tamen non cessat in Pœnitente obligatio, ipsum, seu alium Confessarium sollicitantem denunciandi, si aliunde sciat se ad id lege Pontificia obligari. Sicuti non cessat onus restitutionis in Pœnitente ex quo Confessarius desinat ipsum monere de tali obligatione, si aliunde eam sciat, nec invincibiliter ipsam ignoret, ut rectè docet Viva ad dictam propositionem 7. Alexandri VII, n. 3, et alii passim.

(61. Confessarii autem, qui culpabiliter, et malitiose non monent Pœnitentes ab aliis sollicitatos de obligatione eos denunciandi, seu docent ad id non teneri, denunciandi sunt Episcopis, vel Inquisitoribus qui possunt, et debent illos punire pro modo culpæ; Diana, p. 7, tract. 7, resol. 7. Rosignol, l. c. sect. 4, n. 7, et alii passim per clara verba cit. Const. Gregorianæ, ibi: « Quod si hoc Officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, ut supra, iidem Locorum Ordininarii, et Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant. »

(62. Confessarii autem ipsi vere sollicitantes gravissimis pœnis pro qualitate delicti puniri mandantur, ut expresse patet in dicta Gregoriana Constitutione § 4, ibi: « Et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, et circumstantiis, suspensionis ab exercitio Ordinis, privationis Beneficiorum, et Officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, et passivæ, si Regulares fuerint, exilii, damnationis ad Triremes, et carceris etiam in perpetuum absque ulla spe gratiæ, aliasque pœnas decernent: eos quoque, si pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ Sæculari puniendos tradant. »

(63. Contra Confessarios sollicitantes æque procedere possunt Episcopi, et Inquisitores,

(1) Constitutionem Benedicti XIV *Sacrament. Pœnitentiæ* integram refert, et notis opportunis illustrat P. Philippus a Carboneano in Appendice *De Sollicitatione* ad Tractatum P. Gabrielis Antoine *De Pœnitentia*. Regulas quoque ex Const. eadem, et Constit. *Universi Dominici Gregis* XV. ab Auctore nostro num. 2. descripta eductas proponit ad cognoscendum qui denunciandi sint, quas ob causas, quando, et qua ratione denunciare oporteat. Has regulas P. Giraldi transtulit in Appendicem ad sect. 809. part. 1. ex Libro V. Decretalium tit. VII. *De hæreticis*, Exposit. Juris Pontificii pag. 636. seqq. et nonnullis *animadversionibus* declaravit. Alia præterea in Appendicem eamdem congessit, quæ magno usui Theologis, et Confessariis esse possunt; nimirum Dubia nonnulla post emanatam Gregorii XV. Constitutionem exorta, circa onus denunciandi Confessarium sollicitantem, et Supremæ Universalis Inquisitionis Congregationi proposita, expensaque ab ejus Qualificatoribus, quorum ipsa resolutiones approbavit, et servari mandavit die 11. Februar. 1661, relata a Card. Albitio part. 1. cap. 25. *de Inconstantia in Fide* num. 66, tum varias Instructiones circa denunciationes faciendas et respective recipiendas in materia sollicitationis, prout referuntur in Appendice Synodi Diœcesanæ Civitatis Castellanæ celebratæ a Sancto Lanucci anno 1756. Sunt autem: Prima Istruzione della Sagra Congregatione del S. Officio per la denuncia de' Penitenti sollecitati nella Confessione, senza manifestare il proprio consenso de' 27. Settembre 1624. Seconda Istruzione nella materia delle denunzie di sollicitazione de' Confessori per la custodia del Sigillo Sacramentale de' 23. Marzo 1726. Terza Istruzione quando, e come si possano delegare li Sacerdoti Confessori, per ricevere le denunzie nelle materie spettanti al Santo Offizio, senza Notaro de' 7. Luglio 1725. Quarta. Copia di un Capitolo di lettera scritta dalla S. C. del S. Offizio 14. Luglio 1753, qua monendus dicitur Vicarius Generalis, ipsi tantum jus esse deputandi alios pro recipiendis denunciationibus et spontaneis ubi de sollicitatione agitur, ubi vero agitur de aliis in peculiaribus casibus ad S. Congregationem esse confugiendum, a qua continuo et facultas conceditur. Quinta Metodo di ricevere le denunzie de' Sacerdoti Confessori, specialmente però delegati in materia di sollicitazione, senza Notaro. Easdem Instructiones legere est in Barbosa de Officio et Potestate Parochi, cum Animadversionibus, et Additamentis ejusdem P. Giraldi Romæ 1774. *pag.* 193. *seqq.* Ex aliis Observationibus autem P. Philippi a Carboneano unam alteramque hic referendam ducimus. Prima est: « Constitutiones... contra sollicitantes in confessione editæ *in singulas nationes universim vires suas extendunt, ac Latinos æque, ac Græcos sua amplitudine comprehendunt*; const. *Etsi pastoralis*. Altera: Qui in partibus schismaticorum, hæreticorum, et Mahumetanorum degunt, licet subjecti sint constitutionibus contra sollicitantes; tamen in iis locorum circumstantiis, in quibus nulla spes adsit punitionis denunciati, atque mulieres sine periculo, et infamia denunciare nequeant, denunciatos vero facile pœnam declinare posse credatur, recurrendo, vel ad Episcopos schismaticos, vel ad Laicos judices infideles, ex decreto Sacræ Congreg. Sancti Officii die 21. Febr. 1630, attentis supradictis causis absolvendi sunt, et liberandi ab hujusmodi onere denunciandi; moneri tamen debent, *ut cessantibus supranarratis periculis, et impedimentis, teneantur denunciare.* » (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

sive unitim, sive separatim; Sic expresse Gregorius XV, in dicta Constitutione incipiente: *Universi Dominici gregis*, § 4, ibi: « Omnes hæreticæ pravitatis Inquisitores, et Locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, et locorum universi Orbis Christiani in suis quemque Diœcesibus, et territoriis, per has nostras Literas, etiam privative quo ad alios omnes specialiter, ac perpetuo Judices delegamus, ut supra his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus prout in causis Fidei, » etc.

(64. Ad probandum enorme delictum sollicitationis admittuntur etiam testes singulares, concurrentibus tamen præsumptionibus, indiciis, et aliis adminiculis simul comprobantibus. Sic expresse Gregorius XV, in cit. Const., § 5, ibi: « Dantes etiam facultatem Venerab. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, et Ecclesiæ Dei tam perniciosum ob probationum defectum impunitum remaneat, cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, et aliis adminiculis delictum probatum esse arbitrio suo judicandi, et Curiæ Sæculari, uti præfertur, Reum tradendum esse pronunciandi. »

(65. Una tamen fœmina, quantumvis honesta, non facit sufficientem probationem ad capturam, et torturam, etiamsi concurrant alia indicia, nam tunc est consulenda Sacra Congregatio. Sic expresse rescripsit eadem Sacra supremæ et universalis Inquisitionis S. Congregatio Vicario Generali Salernitano die 17 Jul. 1627, ut refert Pignatell., tom. 1, consul. 104, post num. 14, circa medium, his verbis: « Al Molto Reverando Signore il Signor Vicario Generale di Salerno. Acchiocchè più fondatamente si proceda contro i sollicitanti in confessione, questa suprema Congregazione ordina, che per il detto di una sola Donna non venga a costituire il preteso Reo senza prima di darne qui avviso con relazione della qualità della Donna, del Denunciante e del Denunciato, e allora si scriverà a V. S. se debba, o no procedere a costituirlo, e carcerarlo. Sarà anche V. S. contenta di significare questo medesimo ordine a' Vescovi suoi Comprovinciali, acciocchè ancora da essi sia eseguito, e il Signor Iddio le conceda ogni bene. Rom. 17 Lugl. 1627. Il Card. Millino. » Sic apud Pignatell., loc. cit., ubi insuper tradit instructionem pro Muliere verecunda personaliter denunciare recusante, et multa refert, et docet ad rem per totam dictam consultationem 104, merito legendam.

(66. Circa sollicitationem attendenda est nunc novissima dispositio Benedicti XIV, felicis record. incip., *Sacramentum Pœnitentiæ*, in qua confirmat, ampliat, et extendit supra allatam Constitutionem Gregorii XV, et reservat Papæ pro tempore absolutionem eorum, qui falso sacerdotes de sollicitatione accusant aut procurant, ut ab aliis falso accusentur.

(67. Sollicitantes ad turpia occasione Confessionis Sacramentalis, ultra alias pœnas perpetuam etiam inhabilitatem ad celebrationem Missæ incurrunt; ex decreto Sac. universalis Inquisitionis de mandato Benedicti XIV, edito die 5 Augusti 1745, ut in ejus Bullario, tom. 1, in Append., n. 8, pag. 46. Alia vide supra artic. 4, a n. 12, ubi plura ad rem.

(68. Sollicitatus nulla lege prohibetur, quominus ante denunciationem sollicitantis, illum occulte admoneat, ut sibi provideat, sponte se offerendo Tribunali. Tenetur tamen etsi admonitus compareat, et sit ex correptione emendatus, illum denunciare, ut ex propositionibus ab Alexandro VII damnatis eruitur. De Synod. Diœc. lib. 6, cap. 11, § 9, et 10 nov. edit.

(69. Præceptum denunciandi Confessarios sollicitantes ad turpia, et pœnæ aliæ huic sollicitationi indictæ, non extenduntur ad alia crimina a re venerea diversa, ibid. § 14.

CONFESSIO.

SUMMARIUM.

1. Confessiones Sacramentales factæ Sacerdoti actu non approbato sunt nullæ. — 2. Id valet etiam pro Confessione venialium et mortalium, quæ alias clavibus subjecta sunt. — 3. Comprehendit eos etiam qui privilegium Bullæ Cruciatæ obtinuerunt. — 4. De illis qui Confessionem Sacramentalem audiunt, cum ad Presbyteratum non fuerint promoti. — 5. De Confessionibus Cappuccinorum. — 6. Confessiones simultaneæ virorum et uxorum improbantur apud Græcos. — 7. 8. Quales circumstantiæ sint aperiendæ in Confessione. — 9. Per Confessionem factam cuilibet Sacerdoti ab Episcopo approbato satisfit Canoni *Omnis utriusque sexus*. — 10. Confessionis annuæ præceptum obligat, etiam non commissa gravi culpa. — 11. Parochus si prudenter credere non possit parochiano suo asserenti Confessionem peregisse, abstinere debet ab administranda eidem communione, etiam Paschali. — 12. Possunt Episcopi limitatam facultatem audiendi Confessiones dare Regularibus. — 13. In necessitate sufficit scientia minus quam mediocris pro approbatione. — 14. De Confessione facta laico in necessitate. — 15. Pœnitens interrogatus a Confessario de peccato non confesso potest jurare eum non commisisse, nisi Confessarius juste interroget ad noscendum statum pœnitentis. — 16. Sacerdos conferens Sacramenta non tenetur præmittere Confessionem, sed sufficit contritio, quia non habetur lex eam præmittendi. — 17. Præceptum Tridentini: Quod si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebravit, quam primum confiteatur; intelligendum est, ut intra triduum confiteatur, nisi crastino die eadem necessitas urgeret.

(1. Confessiones Sacramentales factæ Sacerdoti actu non approbato ab Ordinario loci, et absolutiones impertitæ ab hujusmodi, nullæ declarantur a Benedicto XIV. Constitut. incip. *Apostolica Indulta*, § 2. Nemo enim unquam quodcumque privilegium obtinens audire potest Confessiones sæcularium absque approbatione Ordinarii; (2. idque valet etiam pro Confessionibus venialium et mortalium, quæ alias clavibus subjecta sunt.

Digitized by Google

(3. Id etiam comprehendit eos, qui privilegium Bullæ Cruciatæ obtinuerunt, ut ex Bulla Benedicti XIII, firmatur Institut. *Eccles.* 86. § 8.

(4. Confessionem Sacramentalem audientes, qui reperti fuerint ad Presbyteratum non promoti, Curiæ sæculari traduntur, etiam pro prima vice, prævia degradatione, si alium Ordinem habuerint: dummodo absolutionis formam protulerint, quam si non protulerint, mitiori pœna damnari possunt; idem Constitut. incip. *Sacerdos*, § 8.

(5. Confessiones Capuccinorum Confessariis extraneis permittuntur, deficiente Confessario sui Ordinis; etiam quoad casus reservatos, præstita obligatione se præsentandi; idem Constitut. incip. *Quod communi*. Vide verb. *Capuccini*, *n.* 5.

(6. Confessiones simultaneæ virorum et uxorum apud Græcos improbantur; idem Const. incip. *Etsi*, § 5.

(7. In Confessione Sacramentali aperiendæ sunt circumstantiæ mutantes speciem peccati; Concil. Trident. sess. 14, can. 7, ubi anathemate perstringit asserentes contrarium.

(8. Et probabilius aperiendæ sunt etiam circumstantiæ aggravantes; idem de Synodo Diœces. lib. 6, c. 5, n. 1, ex pluribus ibi adductis.

(9. Per Confessionem factam cuilibet Sacerdoti sæculari, vel regulari ab Episcopo approbato satisfieri Canoni *Omnis utriusque sexus* ex Constitutionibus Clementis VIII, an. 1592, et Innocentii X, an. 1645, incip. *Exponi Nobis* constat, de Synodo Diœc. l. 7, c. 44, § 4.

(10. Confessionis annuæ præceptum obligat, etiam non commissa gravi culpa, ut quis se peccatorem saltem semel quotannis recognoscat, ut ex S. Thoma in 4 Sent. dist. 17, q. 5, A. C. quæstiunc. 3, Instit. Eccles. 18, § 4.

(11. Parochus quamvis plerumque credere debeat parochiano suo asserenti confessionem peregisse, si tamen prudenter credere non possit asserenti, abstinere debet ab administranda eidem communione etiam Paschali, ut ex Roncaglia; Instit. Eccles. 45, § 15.

(12. Possunt Episcopi limitatam facultatem audiendi Confessiones dare Regularibus, etiamsi post examen idoneos illos repererint; Instit. Eccles. 86, § 9.

(13. In locis, ubi rarissimi sunt Sacerdotes, qui audiant Confessiones, sufficit ad eos approbandos scientia minus quam mediocris, ut ex Card. de Lugo, Instit. Eccles. 86, § 12.

(14. Quoad Confessionem factam laico in necessitate, dum non adest copia Sacerdotis de qua sermo fuit olim apud veteres Theologos, et etiam apud S. Thomam, recte docet eximius Pontifex, neminem ex veteribus illis agnovisse, laicum esse verum ministrum hujus Sacramenti; sed eam Confessionem testimonium esse animi demissi et humiliati, ex quo magis flectitur Deus ad elargiendam uberiorem gratiam, qua quis ad contritionem et justificationem excitetur. Nihilo tamen secius hanc nunquam fieri præstat, cum multis incommodis sit obnoxia: De Synodo Diœc. lib. 7, c. 15 per tot. ubi recte ex Decreto Clementis VIII illicitam esse et invalidam Confessionem factam Sacerdoti absenti notatur.

Alia ad rem, vide verb. *Pœnitent. Sacramentum.*

ADDITIONES CASINENSES.

(15. Pœnitens interrogatus a Confessario de peccato non confesso potest jurare non commisisse, subintelligens illud: *quod confessum non sit*. Card. diss. 19, n. 118; Salm. n. 118, in fine et alii cum S. Alph. Lig. l. 3, tract. 2, n. 157, qui addit, hoc intelligendum esse, nisi Confessarius juste interroget ad noscendum statum pœnitentis ex prop. 58 dam. ab Innocent. XI.

(16. Juxta communem sententiam Sacerdos conferens Sacramenta non tenetur præmittere confessionem, excepto sacramento Eucharistiæ in cujus confectione ex Trident. præmittenda est; sed sufficit, quod eliciatur contritio. Sylvestr. verb. *Confessio* 1, § 2; Layman. 5, tit. 1, c. 5, n. 10; Nav. Sum. cap. 2, num. 6; Croix l. 6, p. 1, n. 92; Lig. l. 6, c. 2, n. 34. Quia ex Rituali romano de Sacr. in genere sufficit pœnitere per contritionem, et Confessio est de convenientia, non de necessitate, tum quia in aliis sacramentis non habetur præceptum neque naturale, neque divinum, neque ecclesiasticum de præmittenda confessione; ut habetur in suscipienda eucharistia. Lig. l. c.

(17. Cum Tridentinum præcepit. « Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebravit, quam primum confiteatur. » Sess. 13, cap. 7, quæsitum quomodo illud *quam primum* intelligendum sit. Lig. lib. 6, n. 266, dixit sufficere, si Sacerdos intra triduum confiteatur, cum Lugo d. 14, n. 163. Dian., Tarvia, Candido et aliis multis; quia cum hoc præceptum sit tantum ecclesiasticum, non censetur Ecclesia velle ac illud obligare cum tanto rigore. Communiter tamen dicunt Lugo n. 162 et 163, Viva, Milante, Dian. etc., quod aliquando per accidens ex tali præcepto sacerdos ille teneretur confiteri eadem die, et forte eadem hora, puta si tunc confessarium haberet, quo postea per plures dies carebit, vel si cras eadem necessitas urgeret celebrandi nec posset confiteri. Lig. ibidem.

CONFIRMATIO.

SUMMARIUM.

ARTICULUS 1. — *Confirmatio quoad ejus esse, institutionem, materiam, et formam.*

1. Quid sit Confirmatio. — 2. Est de Fide, quod Confirmatio sit unum ex septem novæ Legis Sacramentis a Christo institutum. — 3. Confirmatio est Sacramentum a Baptismo distinctum. — 4. Confirmationis Sacramentum fuit institutum a Christo in nocte Cœnæ Domini. — 5. Materia remota Sacramenti Confirmationis est Chrisma confectum ex oleo olivarum, et balsamo simul consecratum ab Epi-

Digitized by Google

scopo. — 6. Mixtura balsami numquam omittenda est. — 7. Mixturam balsami in Sacramento Confirmationis esse de necessitate præcepti, omnes fatentur. — 8. An sit autem etiam de necessitate Sacramenti, seu essentialiter requisita ad validitatem Sacramenti, duplex est Auctorum sententia : una affirmativa, et altera negativa ; at prima Affirmativa tamquam tutior est tenenda, *usque ad n.* 10. — 11. Materia proxima Confirmationis est unctio cum Chrismate facta in modum Crucis in fronte confirmandi, *usque ad num.* 12. — 13. Adducitur instantia, et solvitur, *usque ad n.* 17. — 18. Forma consueta Sacramenti Confirmationis in Ecclesia latina est ista ; *Signo te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* — 19. Omnia verba hujus formæ sunt necessaria necessitate præcepti in Ecclesia Latina. — 20. *ad n.* 25. Immo verba supra dicta, vel iis æquivalentia sunt etiam necessaria necessitate Sacramenti.

ARTICULUS II. — *Quoad ea, quæ concernunt Ministrum, et subjectum Confirmationis.*

1. Minister ordinarius Sacramenti Confirmationis est solus Episcopus. — 2. Omnis Episcopus, etiam excommunicatus, hæreticus, vel degradatus valide potest conferre Sacramentum Confirmationis. — 3. Episcopus etiam valide confirmat, quamvis non sit confirmatus. — 4. Minister extraordinarius Confirmationis etiam potest esse simplex Sacerdos ex speciali commissione, et delegatione Summi Pontificis. — 5. Et de facto talem facultatem concesserunt varii Summi Pontifices variis Religiosis. — 6. Talis autem facultas non solet concedi, nisi ex urgentissimis causis. — 7. Episcopus non potest in alterius Diœcesi confirmare suos subditos, vel Pontificales actus exercere absque licentia Episcopi Diœcesani sub pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium. — 8. Nec in Diœcesi vere nullius. — 9. Immo neque potest Archiepiscopus in Diœcesi Suffraganei. — 10. Quinimmo, nec in propria Diœcesi potest Episcopus licite ministrare Confirmationis Sacramentum personis alterius Diœcesis absque consensu Episcopi Confirmandorum. — 11. Nec desunt Auctores, qui dicant, quod Episcopus aliter faciens suspensionem incurrat. — 12. Barbosa tamen cum variis aliis verius existimat talem Episcopum a suspensione, et culpa excusari. — 13. Episcopi vero attentiores talem usum confirmandi non subditos sine facultate suorum Ordinariorum non admittunt. — 14. Et in tali casu, si Episcopus expresse declararet, ut fecit Episcopus Fesulanus, nolle, neque intendere confirmare alienos Diœcesanos, qui suorum Ordinariorum licentiam non habebant, tunc ipsi essent invalide confirmati. — 15. Ad viciniorem Episcopum spectat conferre Chrisma, consecrare Aras, vel Altaria portatila, Sede vacante, et Vicarius Capitularis procurare debet, ut illi subministretur victus conveniens, et equorum expensæ. — 16. Vicinior Episcopus dicitur ille, cujus Cathedralis est proximior Cathedrali vacanti, licet forte alius esset vicinior loco habitationis impetrantis. — 17. Sic etiam in locis exemptis, et in Abbatiis, quæ vere Nullius sunt, Chrisma ministrare pertinet ad Episcopum viciniorem, seu in cujus Diœcesi sita est Abbatia. — 18. Episcopus in Parochialibus Monachorum exemptorum potest administrare Sacramentum Confirmationis invitis ipsis Regularibus, et contra eos hujusmodi administrationem impedientes Censuris procedere. — 19. Abbas, si tentet conferre Sacramentum Confirmationis, nihil agit, non obstantibus privilegiis obtentis ante Conc. Trid. — 20. Abbas qui vere est Nullius, et habet Territorium separatum faciens propriam, et distinctam Diœcesim, convocare potest quemcumque maluerit Catholicum Antistitem ad Sacramentum Confirmationis ministrandum. — 21. Non potest Episcopus, nec Archiepiscopus, nec Patriarcha in locis alienæ Diœcesis, ubi aliquas habet Ecclesias sibi immediate subjectas, licentiam concedere extraneo Episcopo administrandi Sacramentum Confirmationis, et Ordinis, nec Pontificalia munia exercendi absque licentia illius Episcopi, in cujus Diœcesi locus est constitutus. — 22. Si Episcopus sit Commendatarius Abbatiæ Nullius, non potest ibi illius subditis Ordines conferre, vel Synodum aut Concursum facere, sed bene Confirmationis Sacramentum administrare, Altaria, et Cappellas consecrare, aliaque Pontificalia exercere. — 23. Episcopus alienus Sacramentum Confirmationis administrans debet ab Episcopo Diœcesano provideri. — 24. Quando Ordinarius vadit per Diœcesim extra visitationis occasionem, licet ad consecrandam, vel reconciliandam Ecclesiam, vel Sacramentum Confirmationis administrandum, neminem cogere potest ad subministrandas expensas, neque pro equis neque pro victualibus. — 25. Episcopus enim proprius non potest pro Sacramento Confirmationis administrando procurationem recipere. — 26. Immo Episcopi quantum ad hoc neque juvantur consuetudine, quæ corruptela est, *usque ad n.* 28. — 29. Unde Episcopus, nedum nihil potest exigere pro administratione Sacramenti Confirmationis, sed et si aliquid exegerit, tenetur restituere. — 30. Quod procedit, nedum quoad Episcopos Confirmantes, sed etiam quoad Vicarios, Cancellarios, aliosque familiares. — 31. Subjectum capax Confirmationis valide recipiendæ est omnis homo Baptizatus, et nondum confirmatus. — 32. Confirmandus debet esse baptizatus. — 33. Confirmandus nondum debet esse confirmatus. — 34. Non tamen permittens se bis confirmari; nec bis confirmans eumdem, fit irregularis. — 35. Infantes, quamvis valide possunt confirmari ante usum rationis, non tamen licite. — 36. Sacramentum Confirmationis potest licite conferri amentibus, et furiosis, etiamsi fuerint perpetuo tales. — 37. Muti possunt licite confirmari, etiamsi fuerint a nativitate tales. — 38. Possunt etiam confirmari licite infirmi morti proximi. — 39. In adultis, ut valide confirmentur, requiritur intentio saltem habitualis Confirmationem recipiendi; in infantibus vero, et perpetuo amentibus nulla requiritur intentio. — 40. In adultis ad licite recipiendam Confirmationem requiritur status gratiæ. — 41. Non requiritur tamen, ut recipiant Confirmationem jejuni. — 42. Confirmationis administratio delegari potest simplici Sacerdoti. — 43. Sed adhiberi debet Chrisma ab Episcopo benedictum. — 44 ad 46. De Confirmationis Sacramento ab Episcopis Italo-Græcis administrato. — 47. Quid dicendum, si Episcopus Latinus ordinet aliquem Græcum ab Episcopo Græco baptizatum, de quo non constet fuisse Chrismate consignatum. — 48 ad 53. Ubi Sacramentum Confirmationis conferri possit ante usum rationis. — 54. Conferri non debet pueris parum instructis in doctrina Christiana. — 55. Tale Sacramentum ministrare potest Episcopus in Ecclesiis Regularium. — 56. Sacramentum Confirmationis conferri potest a P. Guardiano Sepulcri Ord. Min. Obs. — 57. Et a Græcis Sacerdotibus. — 58. Ac ab Abbatibus Cryptæ Ferratæ. — 59 ad 62. Quando infantes valide possint confirmari ante usum rationis. — 63. *Abbates Sacr. Casinensis Cœnobii et SS. Trinitatis Cavensis Sacramentum Confirmationis conferre possunt; et quonam pacto.

ARTICULUS III. — *Quoad ea quæ concernunt Confirmationis necessitatem, effectum, Patrinum, et Cæremonias.*

1. Licet Sacramentum Confirmationis non sit necessarium ad salutem, neque necessitate medii, neque necessitate præcepti, est tamen necessarium, ut non contemnatur. — 2. Unde in praxi serio admonendi sunt fideles, ne Confirmationem suscipere negligant, præsertim oblata commoditate. — 3. Tenentur tamen hoc Sacramentum prius recipere

Digitized by Google

omnes, qui volunt ad primam Tonsuram et ad Ordines admitti. — 4. Suscipientes autem primam Tonsuram, et Ordines ante Confirmationem non peccant graviter, si citra contemptum id faciant. — 5. Immo neque Episcopus ordinans nondum confirmatum peccat graviter, si citra contemptum id faciat. Observa tamen Decretum Sacræ Congreg. Concil. — 6. Effectus Confirmationis est triplex. Primus est augmentum gratiæ habitualis, et jus ad gratias actuales roborativas ad fidem fortiter profitendam. — 7. Secundus effectus est Character, quo confirmatus signatur ut miles intra militiam Christi ad Fidem cum robore propugnandam. — 8. Tertius effectus est Cognatio Spiritualis. — 9. Patrinus requiritur in Confirmatione, ut confirmandum teneat. — 10. Et quidem sub culpa gravi. — 11. Patrinus in Confirmatione non debet esse nisi unus solus, vel una sola.—12. Affertur, et solvitur instantia, *usque ad n.* 13.—14 Patrinus in Confirmatione debet esse distinctus a Patrino Baptismi extra casum necessitatis.—15. Unus Patrinus non potest tenere ultra duos eadem die Confirmationis. — 16. Ubi tamen facile non possent haberi plures, qui inservirent pro diversorum Patrinis, tunc posset unus etiam eadem die esse Patrinus plurium. — 17. Patrinus confirmandi debet esse confirmatus. — 18. Hinc non confirmatus, si fieret in Confirmatione Patrinus extra necessitatem, graviter peccaret. — 19. Immo non confirmatus invalide obiret munus Patrini, adeoque probabiliter non contraheret cognationem spiritualem. — 20. Patrinus debet secundum usum Ecclesiæ, et ritum Pontificalis Romani esse ejusdem sexus, cujus est confirmandus. — 21. Cæremoniæ omnes, quæ antecedunt, comitantur, et sequuntur Confirmationem, distincte referuntur a Bellarmino, etc. — 22. Confirmatio debet administrari ab Episcopo cum pluviali, Mitra, Stola et Baculo Pastorali. — 23. Quamvis Sacramentum Confirmationis debeat administrari in Ecclesia, quantum commode fieri potest, tamen simpliciter loquendo, potest Episcopus illud conferre in quovis loco decenti. — 24. Monialibus tamen ministratur ad fenestrellam Communionis, unde propterea non datur licentia egressus, vel ingressus. — 25. Episcopus potest confirmationem conferre in die feriali etiam post meridiem, quamvis non jejunus, et ipse, et suscipiens. — 26. Episcopus potest conferre Confirmationem etiam tempore interdicti, et in loco interdicto. — 27. Episcopus debet propria manu ungere Chrismate consecrato confirmandum in fronte. — 28. Confirmationis Sacramentum immediate manu Episcopi est conferendum. — 29. Inungitur confirmandus in fronte ad indicandum hujus Sacramenti effectum, qui est gratia collata ad audacter profitendam Christi Fidem. — 30. Frons Confirmati aliquo panno albo circumcingitur, ne recens unctio defluat, aut deleatur; in hoc tamen est servanda cujusque loci consuetudo. — 31. Percutitur alapa ab Episcopo maxilla Confirmati, ad hoc ut Confirmatus intelligat se roborari hoc Sacramento ad fortiter, et invicte tolerandas injurias, et imminentia subeunda pericula propter Fidem Christi, et recordetur hujus Sacramenti suscepti. — 32. Omissio alapæ non est peccatum mortale, si citra contemptum omittatur. — 33 *ad n.* 35. Paura alia de Confirmatione ex Supplemento. — 36. Pro complemento afferuntur instructiones editæ 22 Maii 1622.

ARTICULUS I.

Confirmatio quoad ejus esse institutionem, materiam et formam.

(1. Confirmatio est Sacramentum, quo homo viator baptizatus inungitur in fronte ab Episcopo cum Chrismate, et præscripta verborum forma ad fidei robur consequendum. (2. ***Est in re communis.*** Est de fide, quod Confirmatio sit unum ex septem Sacramentis a Christo Domino institutum. Sic definitum est in Concilio Florentino in decreto de unione Armenorum § *secundum*, ibi: « Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo (quod nitorem significat conscientiæ) et balsamo (quod odorem significat bonæ famæ) per Episcopum benedicto. » Et in Concilio Tridentino sess. 7 de Sacramentis in genere can. 1, ibi: « Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino Nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem; videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere, et proprie Sacramentum, anathema sit, » et Canon. 1 de Confirmatione, ibi: « Si quis dixerit Confirmationem Baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum, et proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam Catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi Fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit. » Et hæc veritas deducitur ex Sacra Scriptura Actor. 8. ibi: « Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum, » ibi Eugenius IV in cit. Cone. Florent. per manus impositionem, Chrismatis unctionem et per accipere Spiritum Sanctum intelligit donum gratiæ sanctificantis. (3. Ex quo loco etiam evidenter colligitur, Confirmationem esse Sacramentum a Baptismo distinctum; dicit enim ibi Sacer textus de Apostolis loquens: « Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. » (4. Confirmationis Sacramentum fuit institutum a Christo in nocte Cœnæ Domini, unde promanavit consuetudo Sacrum Chrisma conficiendi in die Cœnæ Domini, quæ quidem in Ecclesia semper observata fuit, et adhuc observatur (1): Est communior, et probabilior Doctorum sententia, et hanc sententiam expresse tradidit Fabianus Papa, Epistola 2, c. 1 ad Orientales ibi: « In illa die Dominus Jesus, postquam cœnavit cum discipulis suis, et lavit eorum pedes, sicut a Sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt,

(1) Sacrum Chrisma eo die conficitur, non quod in nocte cœnæ institutum a Christo fuerit hoc Sacramentum, sed quod, inquit S. Thomas in 3 part. quæst. 72, art. 12, ad 3. sicut ex Concilio Martini Papæ (nempe Martini Episc. Bracarensis cap. 2.) « habetur, omni tempore licebat Chrisma conficere, sed quia solemnis Baptismus, ad quem requiritur usus Chrismatis, in vigilia Paschæ celebratur, congrue ordinatum est, ut per biduum ante ab Episcopo Chrisma benedicatur (eo enim in solemni baptismalis aquæ benedictione Ecclesiastici ministri uti debent), ut possit per Diœcesim destinari. » (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

Chrisma conficere docuit ; » ubi per Chrisma, Sacramentum Confirmationis intelligitur, quod totum postea confirmavit etiam Catechismus Rom. de Sacram. Confirmation. (1) At Benedictus XIV, Instit. Eccles. 6, § 5, supervacaneum ducit perscrutari, quonam tempore Sacramentum hoc Salvator instituerit ; non enim constat, num illud instituerit cum imposuit manus capiti puerorum ; Math. 19, num instituerit tantum, non ministraverit ; num in ultima Cœna, cum dixit Apostolis : *Accipite Spiritum Sanctum ;* num tandem ipsa Pentecostes die (2).

(5. Materia remota Sacramenti Confirmationis est Chrisma confectum ex oleo olivarum, et balsamo simul consecratum ab Episcopo. *Est communis*, et habetur expresse ex Concilio Florentino in decreto de unione Armenorum, § *secundum*, ut patet ex præcisis verbis adductis supra sub num. 2, et ex Concilio Tridentino sess. 7, cap. 2 de Confirmat. ibi : « Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui Sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit. » (6. Mixtura balsami nunquam omittenda est, cum Chrisma non sit simplex oleum, sed oleum cum balsamo mixtum ; unic. de Sacra Unctione, et c. 1 de Sacrament. non iterandis. (7. Mixtura Balsami in Sacramento Confirmationis esse de necessitate præcepti, omnes fatentes ; controversia solum est inter Doctores : an sit etiam talis mixtura necessaria necessitate Sacramenti, seu essentialiter requisita ad validitatem Sacramenti. (8. Plurimi tenent, mixturam balsami necessario requiri ad validitatem Sacramenti, taliter quod Sacramentum ministratum cum solo oleo consecrato absque mixtura balsami sit invalidum, et nullum : Et horum sententia colligitur ex cap. unico, § *Per frontis*, de Sacra Unction. ex Conc. Florent. in cit. decr. de unione Armenorum § *secundum*, ubi ait : « Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ ; et balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto : » quibus verbis palam confitetur Concilium, quod sicut tam oleum, quam balsamum propriam habet mysticam significationem, ita etiam utrumque æqualiter ingrediatur ad constitutionem Chrismatis, quod est materia requisita essentialiter ad valorem hujus Sacramenti, et ex verbis Fabiani Papæ d. Epist. 2 ibi : « Ex divina institutione provenire, ut oleum cum balsamo conficiatur ; » et ex verbis formæ quæ talis est ; *Signo te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, etc. ;* nam hæc verba essent falsa, si solum oleum sufficeret ad validitatem, cum istud non sit Chrisma. Et ita hanc sententiam tuetur Fagn. in cit. cap. unico, de Sacra Unctione n. 53 ; Bellarmin. lib. 2 de Confirmat. cap. 8 et 9 ; Pirhing lib. 1, tit. 16 de Sacramentis non iterandis num. 3 ; Reiffeinstuel. ibid. num. 21 ; Filliucius de Sacrament. Confirmat. cap. 1, qu. 5 ; Basilius Pontius eod. tract., par. 2, c. 2 ; Pax Jordan. tom. 1, lib. 3, tit. 2, num. 34 ; Villalobos in Summa tom. 1, tract. 6, diff. 2, n. 2, aliique passim, communius et tutius. (9. Alii vero tenent, mixturam balsami requiri tantum de necessitate præcepti Ecclesiæ, non autem de necessitate Sacramenti ad validitatem ipsius. Et horum opinio colligitur ex cap. *Pastoralis* 1 de Sacramentis non iterandis ; et tenent Gonzalez in c. *Presbyter* 3, eod. tit. ; Cajetanus in 3 part. qu. 72, art. 1 ; Navarr. Manual. c. 22, num. 8 ; Sotus in 4, dist. 3, quæst. unic., art. 2 ; Valent. contr. tom. 4, disp. 5, qu. 1, part. 2. (10. Unde in hujus materiæ ambiguitate juvat adducere mentem Sacræ Congregationis Concilii, in qua cum fuisset propositum, Bertam suscepisse filiam Caji in Sacramento Confirmationis ab Episcopo per errorem ministrato cum oleo infirmorum, et exinde dubitaretur, an ortum esset impedimentum cognationis spiritualis inter prædictos Matrimonium contrahere cupientes : Sacra Congregatio respondit *ad mentem ;* quæ fuit, ut dispensaretur ad cautelam : die 4 April. 1693, in dubio cognationis spiritualis, ex quo, ut refert et tenet Eminentissimus Petra tom. 3, comment. in Constit. 24. Innocent. IV, num. 42, videtur dictam Sacram Congregationem magis inclinasse priori sententiæ, ut tutiori ; et sic sentio, et ego esse tenendum. Sic etiam Rosignolus de Sacramentis in genere part. 3, qu. 2, art. 1, a n. 12 et 17, citans S. Thomam, S. Bonaventuram, et Conc. Coloniense, et recte respondens ad Canonem *Pastoralis* 1 de Sacramentis non iterandis, ut respondet Reiffenstuel, et Pirhing locis citatis. Vide ipsos, ubi multa adducunt ad rem (3).

(11. Materia proxima Sacramenti Confirmationis est unctio cum Chrismate facta in modum Crucis in fronte confirmandi. *Est communis*, et patet ex Concilio Florentino loc. cit. ritualibus, et praxi Ecclesiæ, et colligitur ex Sacra Scriptura 2 Corinth. 1, ibi : « Qui confirmat nos vobiscum in Christo ; et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus Sancti in cordibus nostris : » loc. cit. (12. Et quod hæc unctio cum Chrismate debeat fieri in fronte confirmandi, habetur ex usu perpetuo universalis Ecclesiæ, et ex Concilio Florentino loc. cit. ubi habentur præcisa verba : «Ideo fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmatus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat,

(1) Hæc tamen opinio, cum apocryphæ Fabiani epistolæ potissimum innitatur, paucos jam habet sectatores. (*Edit. Barbiell.*)

(2) Si quam vellem sententiam amplecti, ei potius subscriberem, quam etiam non multos ante annos proposuit, defenditque Cl. Trombellius de Confirm. Tom. 1, disp. 5, num. 10. Confirmationis institutionem in illud XL dierum quibus Christus a morte redivivus se discipulis aspectabilem præbuit, ac multa cum illis, ut ait S. Lucas Act. 1, de regno Dei contulit, tempus rejicienti. (*Edit. Barbiell.*)

(3) Confer tamen Turnelium de Sacram. Conf. quæst. 1, art. 3, sub finem, et Trombellium, cap. 1, diff. 5, part. 3, cap. 2, quæst. 2. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

et præcipue Crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, gentibus autem stultitia, secundum Apostolum, propter quod Crucis signo signatur. » (13. Nec valet objicere, quod Apostoli *Actorum* 8 et 19, confirmantes imponebant manus super baptizatos ; adeoque impositio manus Episcopalis, et non unctio cum Chrismate est materia proxima Confirmationis. (14. Non valet, inquam, quia nulla manus impositio distincta ab ea, quæ reperitur in ipsa Chrismatis unctione, est essentialis Sacramenti Confirmationis materia ; Eugenius enim IV in Concilio Florentino loc. cit. expresse ait : « De solis Apostolis legitur (quorum vices tenent Episcopi) quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant : » loco autem illius manus impositionis, datur in Ecclesia Confirmatio. (15. Tum quia nec in Pontificali Romano, nec apud Græcos fit mentio impositionis manus. (16. Quod autem Apostoli in principio nascentis Ecclesiæ per impositionem manus contulerint Spiritum Sanctum, hoc factum est ex singulari Dei dispositione, et speciali Christi privilegio pro eo solum tempore, quo super baptizatos descendebat Spiritus Sanctus in signis sensibilibus : tunc enim Apostoli non utebantur Chrismatis unctione, quia non erat necessaria materia Sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculose apparebant, quæ supplebant vicem materiæ, seu Chrismatis unctionis. (17. Quia tamen etiam tempore Apostolorum ille visibilis descensus, seu in signis sensibilibus miraculosa apparitio Spiritus Sancti cessavit, ideo etiam postea Apostoli per unctionem Chrismatis confirmabant (1). Sic Divus Thomas 3 part. quæst. 72, art. 4, in respons. ad primum, Scotus in 4, d. 7, quæst. 1 ; Mastrius, Faber Amicus, Rosignolus, aliique passim (2).

(18. Forma consueta Sacramenti Confirmationis in Ecclesia Latina est ista : *Signo te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti :* Sic traditur in præcisis terminis a Concilio Florentino in decreto de unione Armenorum. (19. Omnia verba hujus formæ sunt necessaria necessitate præcepti in Ecclesia Latina. Est communis cum Sancto Thoma 3 part. quæst. 72, art. 4. Mastrio in 4, disp. 2, quæst. 8. Suarez, Coninch. etc. (20. Immo omnia supradicta verba, vel iis æquivalentia sunt etiam necessaria necessitate Sacramenti, seu sunt de essentia, et valore formæ Sacramenti Confirmationis. Est communior, et tutior sententia, teste Mastrio in 4, disp. 2, quæst. 8, num. 236. (21. Et quod invocatio expressa Sanctissimæ Trinitatis (pro qua est major difficultas) sit essentialis in dicta forma, tenet Divus Thomas d. 3 p. quæst. 72, art. 4. Barbosa de Offic. et potest. Episcop. part. 2, allegat. 30, num. 22. Suarez disp. 33, sect. 5, vers. *Secundo dubitari potest ;* Coninch. 3 part. q. 72, art. 4, num. 66. Petrus de Ledesma de Sacrament. Confirmat. cap. 3. Bartholomæus ab Angelo dialog. 3, § 17. Filliucius tract. 3, cap. 1, quæst. 11, num. 22, et alii magis communiter. (22. Et ratio desumitur a pari de Baptismo, quia cum homo per Baptismum primo renascitur ad Fidem, necessaria est expressa invocatio Sanctissimæ Trinitatis, quæ est fundamentum ejusdem Fidei : ergo quia per Confirmationem homo roboratur, et quoad eamdem Fidem stabiliendam in corde, et quoad eam libere profitendam in ore, erit necessaria eadem expressa invocatio Sanctissimæ Trinitatis. (23. Nec valet dicere, quod fides, et expressa professio Mysterii Sanctissimæ Trinitatis sit jam fixa in Baptismo per susceptionem Baptismi, et conse-

(1) Præter citatos Turnelium, et Trombellium ad Morini Exercitationem de Sacramento Confirmationis, et Card. Orsi dissertationem de Chrismate confirmatorio, utramque Tom. 10. Thesauri Theologici Zachariani Venetiis recusam. In hac autem Orsii dissertatione *cap.* 1, invenies etiam profligatam hæreticam Samuelis Basnagii sententiam de ungendi Ritu, quem Ecclesiam ab Hæreticis Valentinianis mutuasse Novator ille contendit. (*Edit. Barbiell.*)

(2) Dupliciter hic peccat Cl. noster Auctor 1, quod ab essentiali materia Confirmationis excludit Manuum impositionem ; integram, et adæquatam materiam Sacramenti in sola Chrismatis unctione constituens. Quod profecto ex adverso pugnat cum Sacrarum Literarum auctoritate, Patrum sententiis, et communi Theologorum consensu. Etenim licet a Sambovii, Syrmondi, aliorumque sententia recedere velimus constituentium totam et adæquatam materiam Confirmationis in sola Manuum impositione ; negari profecto non poterit utramque saltem materiam esse essentialem, atque utramque simul constituere materiam adæquatam Confirmationis. Hoc sane mihi probabilius ; quod etiam propugnant Juenin, Natalis Alexand. Carolus Witasse, Laurentius Berti, aliique laudatissimi Theologi. Quandoquidem antiquissimi Canones ab ipsa prope Apostolica ætate æque utriusque meminere h. e. tum Impositionis Manuum, tum Chrismatis unctionis adhibitæ in Confirmationis Sacramento ; quemadmodum cernere est apud laud. Theologos. Neque officit, quod in Actis Apostolorum solius Manuum Impositionis mentio occurrat ; siquidem S. Lucas compendio usus Historici more illa tantummodo retulit, quæ magis intuentium oculos afficerent, quæque visibilia etiam Spiritus S. munera comitarentur. Id quidem evincit B. Augustinus lib. de fide, et Bon. Operib. cap. 9, ex iis quæ idem S. Lucas de Baptismo collato a Philippo Diacono Eunucho Reginæ Candacis refert. *Act.* VIII. Idem etiam colligere licet, ex iis quæ habentur apud eumdem Lucam, cum refertur baptisma collatum iis, qui Apostolorum prædicatione commoti ad Christi fidem amplectendam convertebantur ; quos baptizatos refert in nomine Christi, h. e. baptismo a Christo instituto, ab eoque vim, et efficaciam habente ; nihil de *forma* referens, in qua conferebatur baptisma, et quandoque neque etiam de *materia*. Peccat II, quod adserat Apostolos Sacramentum Confirmationis contulisse non utendo visibili materia propria hujusce Sacramenti. Etenim licet quandoque hujus Sacramenti effectus fuerit collatus sine materia sensibili ; uti ad solam Apostolorum prædicationem, quod contigisse novimus in facto Cornelii Centurionis ; Actor. X, et diserte hoc doceat Angelicus ; non negat tamen idem Angelicus, Apostolos in hoc Sacramento conferendo usos fuisse et Manuum Impositione, et Chrismatis unctione. Lege qu. 72, part. 3, art. 2, ad 1. (*Edit. Neap.*)

Digitized by Google

quenter non esse necesse, quod ipsa expressa invocatio, seu professio repetatur in Confirmatione, sicuti de facto non est necesse, quod repetatur in aliis Sacramentis. (24. Non valet, inquam, quia cum Confirmatio sit instituta ad roborandam fidem, quæ in Baptismo suscepta est, et ad eam etiam extrinsece profitendam, necesse est ut etiam expresse ejus principale Mysterium magis in ipso Baptizato Confirmando firmetur, quod non requiritur in aliis Sacramentis cum non sint instituta, nec dentur ad ejusdem Fidei firmitatem, et professionem. (25. Tum quia Concilium Florentinum in decreto de unione Armenorum pro forma essentiali Sacramenti Confirmationis cum cæteris verbis ejusdem formæ ponit expressam invocationem Sanctissimæ Trinitatis, ut patet ex præcisis suis terminis *sub num.* 18 *relatis* (1).

ARTICULUS II.

Quoad ea, quæ concernunt ministrum, et subjectum confirmationis.

(1. Minister Ordinarius Sacramenti Confirmationis est solus Episcopus. Est de fide definitum in Concilio Tridentino sess. 7, can. 3, de Confirmatione, ibi : « Si quis dixerit Sanctæ Confirmationis Ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit; » et jam antea statuerat Concilium Florentinum in Decreto Eugenii de unione Armenorum. (2. Omnis Episcopus etiam excommunicatus, hæreticus, vel degradatus valide potest conferre Sacramentum Confirmationis; quia per hæresim, vel excommunicationem, vel degradationem non amittit Characterem Episcopalem, in quo datur potestas confirmandi: Est communis cum Barbosa de Offic. et potest. Episcop. part. 1, allegat. 30, num. 2, et colligitur ex Trident. sess. 7, can. 12, de Sacramentis in genere, ubi de quolibet Sacramentorum Ministro in peccato existente sic definit : « Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut non conferre Sacramentum, anathema sit. » (3. Episcopus etiam valide confirmat, quamvis non sit confirmatus; potestas enim confirmandi non venit a Charactere Confirmationis, sed a Charactere Ordinis Episcopalis; unde cum Episcopus licet non confirmatus habeat Characterem Ordinis Episcopalis, in quo fundatur potestas confirmandi, valide confert Confirmationem; Barbosa loc. cit. num. 3. Bonacina de Sacram. disp. 3, quæst. unic. punct. 2, num. 10. Suarez, Henriq. et alii passim. (4. Minister extraordinarius Confirmationis potest esse etiam simplex Sacerdos ex speciali commissione, et delegatione Summi Pontificis (2): cap. *Pervenit* 1, dist. 95, ubi refertur S. Gregorium Papam hanc facultatem concessisse Presbyteris Sardiniæ propter defectum Episcoporum, ibi : « Ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus. » Et hoc expresse indicat Eugenius IV, in Concilio Florentino loc. cit. ibi : « Legitur tamen, aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili, et urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto, hoc Sacramentum Confirmationis administrasse. » (5. Et talem facultatem concesserunt etiam alii Summi Pontifices variis Religiosis, ut Innocentius IV. Patribus Prædicatoribus, Joannes XXII, et Leo X. Fratribus Minoribus pro Indis, teste Rodriquez in suo Bullario Regul. in Bulla Leonis X. Gregorius XIII. Patribus Societatis Jesu, ut testatur Suarez; Innocentius XIII. Patri Guardiano Sancti Sepulchri Ordinis Minor. de Observantia, Constit. incip. *Cum ad infrascriptum.* Et ipsi Guardiano eamdem facultatem concessit etiam Benedictus XIV. Constit. incip. *Cum ad infrascriptam*, et Constitut. incip. *Demandatam* § 14, et alii aliis in terris infidelium remotissimis a Sede Apostolica, ubi Episcoporum Catholicorum copia non adest. (6. Talis autem facultas non solet concedi, nisi ex urgentissimis causis, ut etiam indicavit Concilium Florentinum loco cit. ibi : « Ex rationabili, et urgente admodum causa; » et patet ex pluribus similibus petitionibus rejectis a Sacra Congr. Conc. et signanter in Tarraconensi 25 Januarii 1659, in una Insularum Philippinarum 28 Januarii 1668. Vide infra num. 56, etc. (3).

(1) Legendi Turnelius, Witasse, Trombellius disp. 6, quibus adde Lucæ Holstenii dissertationem de forma Sacramenti Confirmationis apud Græcos iterum editam in eod. T. 10 Thesauri Theologici p. 470, seqq.

(2) Potuisse olim Episcopos Presbyteris facultatem confirmationis conferendæ impertiri non desunt qui sentiant. De qua quæstione legantur Benedictus XIV. de Syn. Diœces. lib. 7, cap. 8, et Trombellius de Conf. Tom. 2, disp. 10, cap. 6. « Verum ut de hac difficili, et valde implexa controversia sit in confesso est, inquit idem Benedictus XIV, irritam nunc fore Confirmationem a simplici Presbytero Latino, ex sola Episcopi delegatione, collatam; quia Sedes Apostolica id juris sibi unice servavit; quam quidem reservationem non tantum a consuetudine in tota Ecclesia Latina jamdiu recepta tacite inductam arbitramur, sicuti opinantur Juenin de Conf. diss. 3, qu. 5, c. 2, art. 1, et Tournely de Sacram. Confirm. qu. 3, art. 2, sed jam ante IX sæculi finem expresse factam colligimus ex *ep.* 70. Nicolai I. ad Hincmarum, in qua legitur, Græcorum Imperatorem, eosque, qui illis parebant, calumniari Sanctam Romanam Ecclesiam, immo omnem Ecclesiam, quæ Latina utitur lingua, « quia Presbyteros sortiri conjuges prohibemus, et quoniam eosdem Presbyteros Chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus. » (*Edit. Barbiell.*)

(3) Cave autem putes, Romanos Pontifices cuique Laico aut etiam Clerico, qui nondum Presbyter sit, facultatem confirmandi tribuere posse, quemadmodum nonnulli senserunt, quos Trombellius refellit disp. 10, quæst. 3, cap. 8. Presbyteri vero, quibus ea delegatur potestas, servare aliqua debent a Sacra Congregatione de propaganda fide illis 4 Maii 1774, præscripta in Instructione Romæ edita, et a laudato Trombellio l. c. p. 143. seqq. iterum exhibita, pro simplici Sacerdote Sacramentum Confirmationis ex Sedis Apostolicæ delegatione administrante. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

(7. Episcopus non potest in alterius Diœcesi confirmare suos Subditos, vel Pontificales actus exercere, absque licentia Episcopi, in cujus Diœcesi reperitur, sub pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium. Ita Conc. Trid. sess. 6, de reform. cap. 5, et Sacra Congr. ejusdem Conc. in Mediolanensi 15 April. 1575. (8. Nec in Diœcesi vere Nullius; Sac. Congreg. Conc. in Dirachien. 21 Augusti 1627, et in Isernien. 1 Mart. 1687. In ministrando enim Confirmationis Sacramento ultra potestatem Ordinis requiritur etiam potestas jurisdictionis, quam non habet Episcopus in Diœcesi alterius, seu vere Nullius. (9. Immo neque potest Archiepiscopus in Diœcesi Suffraganei; Gloss. in Clem. cap. *Archiepiscopo* 2, de privileg. et excessibus privilegiat. Barbosa lib. 1. Juris Ecclesiast. cap. 7, num. 132. et de Offic. et potest. Episc. part. 1, tit. 4, num. 49. Card. Petra loco cit. num. 54, referens ex Pignatelli sic fuisse in terminis resolutum. Archiepiscopus enim nequit exercere Pontificalia in Ecclesiis Suffraganeorum absque licentia Episcopi Ordinarii; Sac. Congr. Episc. et Regular. 18 April. 1599. (10. Quinimmo nec in propria Diœcesi potest Episcopus licite ministrare Confirmationis Sacramentum personis alterius Diœcesis absque consensu Episcopi Confirmandorum, ut expresse resolvit Sacr. Congr. Concil. 28 Novembris 1602, lib. 10, decr. pag. 49, ubi proposito dubio: « An liceret Episcopo personis sibi non subjectis Sacramentum Confirmationis conferre absque consensu proprii Episcopi Confirmandorum? » fuit resolutum omnium consensu: *Non licere;* Et sic docent S. Antoninus in Summa part. 3, tit. 15, § 5. Sylvester verb. *Confirmatio*, quæst. 5. Tabien. eod. verb. *Confirmatio* § 6. Armilla eodem verb. *Confirmatio* num. 5. Tolet. instruct. Sacerd. lib. 2, cap. 24, num. 5. Bellarm. de Sacram. lib. 2, cap. 12, in fine; Suarez part. 3, quæst. 72, art. 12. Bartol. ab Angel. Dialog. 3, § 62, quos Auctores nominatim sequuta fuit Sacra Congregatio in adducta resolutione, ut refert Card. Petra loc. cit. n. 48. (11. Nec desunt Auctores, qui dicant, quod Episcopus aliter faciens suspensionem incurrat, ut Vivald. tit. de Confirmat. cap. 4, num. 3. Petrus de Ledesma in Summa part. 1, de Sacram. Confirmat. cap. 9, vers. *septima conclusio;* Bartol. ab Angelo dict. Dialog. 3, § 62, quos refert, et sequitur Bonacina de Sacramentis disput. 3, qu. unic. punct. 2, num. 1. (12. Barbosa tamen cum Diana, Layman, et aliis ab ipso citatis dict. allegat. 30, num. 14, part. 2, de Offic. et potest. Episcop. verius existimat, Episcopum confirmando in sua Diœcesi subditos alterius, a suspensione, et culpa excusari, cum præsumendum sit hoc ratum, et gratum fore proprio Episcopo, præcipue quando est absens, vel non ministrat hoc Sacramentum, vel confirmat aliquem afferentem dimissorias sui Episcopi, ut ordinetur, quia qui concedit finem, concedit necessaria ad talem finem. (13. Episcopi vero attentiores talem usum confirmandi non subditos sine facultate suorum Ordinariorum non admittunt; Pax Jordan. tom. 1, lib. 3, tit. 2, num. 49. Et Cardin. Archiep. Neapol. in Edicto pro Confirmationis Sacramento id solet prohibere, ut observat Crispin. in Visit. Pastoral. part. 2, § 17, pag. 513. (14. Et in tali casu, quod Episcopus se expresse declaret, ut Episcopus Fesulanus, Chrisma ministraturus se prius expresse declaravit, nolle, neque intendere confirmare Diœcesanos Florentinos, aliosque, qui legitimam suorum Ordinariorum licentiam non habuissent, tunc ipsi essent invalide confirmati. Cum enim nonnulli Florentini hujus declarationis inscii ad Confirmationem accessissent, fuit dubitatum, « An præfati Diœcesani fuerint valide confirmati. » Sub die 8 Augusti 1682, fuit responsum a Sacra Congr. Conc. *Negative.*

(15. Ad viciniorem Episcopum spectat conferre Chrisma, consecrare Aras, vel Altaria portatilia, Sede vacante; et Vicarius Capitularis procurare debet, ut illi subministretur victus conveniens, et equorum expensæ; Sacr. Congreg. Episcop. in Carentina 10 Januarii 1605. (16. Vicinior Episcopus dicitur ille, cujus Cathedralis est proximior Cathedrali vacanti; licet forte alius esset vicinior loco habitationis impetrantis; Sacra Congreg. Conc., in Fundana 14 Novemb. 1637. (17. Sic etiam in locis exemptis, et in Abbatiis, quæ vere Nullius non sunt, Chrisma ministrare pertinet ad Episcopum viciniorem, seu in cujus Diœcesi sita est Abbatia. Ita resolutum refert Pignatell. tom. 10, consultat. 154, num. 11. (18. Unde potest Episcopus in Parochialibus Monachorum exemptorum Sacramentum Confirmationis administrare, invitis ipsis Regularibus, et contra eos hujusmodi administrationem impedientes Censuris procedere; Sac. Congreg. Concil. in Brixien. 9 Junii 1655, argum., cap. *Responso* 43. de sentent. excommun. et argum., cap. *Quoniam* 19, de sentent. excomm. in 6. (19. Et si Abbas. conferre tentet Sacramentum Confirmationis, nihil agit, non obstantibus privilegiis obtentis ante Concilium Tridentinum; Sacra Congreg. Concil., 23 Julii 1635. (20. Abbas, qui vere est Nullius, et habet Territorium separatum faciens propriam, et distinctam Diœcesim, convocare potest quemcumque maluerit Catholicum Antistitem ad Sacramentum Confirmationis ministrandum: ut sæpius resolutum fuisse a Sacra Congreg. Concil. refert Fagn. lib. 1 Decr. in cap. *Cum venisset* 1, de Sacr. Unction. § *Per frontis* num. 8. Rota decis. 723, num. 6, coram Cerro, et resolvit eadem Sacra Congregatio Concil. in Dirachien. 21 Augusti 1627, lib. 3. Decr. pag. 316, ibi: « Si Abbatia hujusmodi Nullius Diœcesis existat, esse in facultate Commendatarii convocare, quem maluerit Catholicum Antistitem ad Sacramentum Chrismatis ministrandum: » Similiter in Isernien. 1 Martii 1687, fuit rescriptum, manutenendum esse Abbatem Sancti Vincentii in Vulturno in possessione vocandi Episcopum sibi bene visum ad effectum administrandi Sacramentum Confirmationis in ejus Abbatia, salvo tamen jure Episcopi vicinioris. (21. Non potest Episco-

Digitized by Google

pus, nec Archiepiscopus, nec Patriarcha in locis alienæ Diœcesis, ubi aliquas habet Ecclesias sibi immediate subditas, licentiam concedere extraneo Episcopo administrandi Sacramentum Confirmationis, et Ordinis, nec Pontificalia munia exercendi absque licentia illius Episcopi, in cujus Diœcesi locus est constitutus : Sacra Congreg. Conc., in Aquileiensi 14 Junii 1569. (22. Si Episcopus sit Commendatarius Abbatiæ Nullius, non potest ibi illius subditis Ordines conferre, vel Synodum, aut concursum facere, sed bene Confirmationis Sacramentum administrare, Altaria, et Capellas consecrare, aliaque Pontificalia exercere; Sacr. Congr. Episc. et Regul., in Celsonen., 27 Septembris 1602.

(23. Episcopus alienus Sacramentum Confirmationis administrans debet ab Episcopo Diœcesano provideri ; Sacra Congreg. Episcop., 15 Maii 1582. (24. Quando Ordinarius vadit per Diœcesim extra Visitationis occasionem, licet ad consecrandam, vel reconciliandam Ecclesiam, vel Sacramentum Confirmationis administrandum, neminem cogere potest ad subministrandas expensas, neque pro equis, neque pro victualibus ; Sac. Congr. Episcop., in Florentina 25 Januarii 1627. (25. Episcopus enim proprius non potest pro Sacramento Confirmationis administrando procurationem recipere ; Sac. Congreg. Episcop., in Ariana 16 Junii 1636, juxta c. *Ea quæ* 16, et cap. *Ad nostram* 21, de Simon. et sic etiam decrevit Sac. Congreg. Conc., in Bojanen. ubi cum inter varia dubia fuerit sub num. 6, quæsitum : « An Episcopo accedenti ad conferendum Sacramentum Confirmationis , teneantur Universitates præstare victualia, nisi concurrat consuetudo legitime præscripta. » (26. Immo Monacell. tom. 1, tit. 5, form. 2, num. 22, mordicus tenet, quod Episcopi quantum ad hoc neque juvantur consuetudine, quæ corruptela est ; Nec obstat Decretum mox citatum in d. Bojanensi per illa verba : « Nisi concurrat consuetudo legitime præscripta, » nec aliud Decretum ejusdem Sac. Congr. Conc., in Minerbien., 14 April 1654, lib. 19. Decret. pag. 452, ubi supposita consuetudine, censuit « Episcopo esse solvendos ab Universitate Montis Leonis Ducatos duodecim pro victualibus occasione administrationis Sacramenti Confirmationis, » quia hodie, ut recte dicit Eminentissimus Petra loc. cit., num. 76, nec circa hoc suffragatur consuetudo, cum sit expresse sublata per Taxam Innocentianam in principio, ibi : « In modo che deve dirsi reproba, ed illecita ogni contraria consuetudine. » (27. Quæ taxa fuit edita de mandato expresso Innocentii XI, qui die prima Octobris 1678. eam approbavit, et ejus observantiam , et publicationem injunxit Sacr. Congregat. Concil. et die 8 Octobris ejusdem anni 1678. Sacra Congreg. Eminentiss. S. R. E. Cardinal. Conc. Trident. Interpretum inhærendo mandatis Sanctitatis Suæ præmissam Taxam, seu declarationes Typis dandas esse, et per literas ad quoscumque locorum Ordinarios transmittendas, ut eas in Cancellaria in loco omnibus patenti retineri faciant, easdem adamussim observent, ac faciant observari. F. Card. Columna Præfectus, etc. (28. Et hæc Taxa Innocentiana justissime reprobat, et illicitat omnem contrariam consuetudinem, ut clare patet ex c. *Non satis* 8, c. Cum in Ecclesiæ corpore 9, c. Ea quæ 16, et c. In tantum 36, de Simonia, in quibus omnibus reprobatur tamquam Simoniaca consuetudo aliquid exigendi pro Confirmationis, aliorumque Sacramentorum administratione. (29. Unde Episcopus, nedum nihil potest exigere pro administratione Sacramenti Confirmationis, sed et si aliquid exegit, tenetur restituere; ut expresse declaravit Sacra Congregatio Concilii in Amalphitana ad secundum dubium propositum contra ejusdem Archiepiscopum, ibi : « An occasione ministrationis dicti Sacramenti Confirmationis in Visitatione potuerit, et possit in futurum Procurationem ab universitatibus Laicis exigere, et an exacta restituere teneatur? » Sac. Cong. sub die 18 Jul. 1699, lib. 49. Decret. fol. 252, respondit : *Negative* quoad primam partem, et *Affirmative* quoad secundam a die habiti recursus ; quæ resolutio confirmata fuit sub die 6 Februarii 1700. (30. Quod procedit nedum quoad Episcopos Confirmantes, sed etiam quoad Vicarios, Cancellarios, aliosque familiares, ut præscribitur, in d. Taxa Innocentiana § 6. (31. Subjectum capax Confirmationis valide recipiendæ est omnis homo baptizatus, et nondum confirmatus; cap. *Omnes fideles* 1, distinct. 5, de Consecration. (32. Quod confirmandus debeat esse baptizatus clare patet, quia Baptismus est janua cæterorum Sacramentorum quorum proinde incapax est qui non est baptizatus. cap. *Si quis Presbyter* 1 et c. *Veniens* 3, de Presbytero non baptizato. (33. Quod confirmandus nondum debeat esse confirmatus, est clarum, quia Sacramentum Confirmationis non tantum illicite, sed etiam invalide iteratur; Conc. Trid., sess. 7, de Sacramentis in genere can. 9, ibi : « Si quis dixerit in tribus Sacramentis Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine non imprimi Characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit. » (34. Non tamen permittens se bis confirmari, nec bis confirmans eumdem fit irregularis, quia talis irregularitas nusquam invenitur expressa in toto jure ; et irregularitas non contrahitur, nisi in casibus a jure expressis : c. *Is qui, de sent. excommunic.* in 6. Et sic tenent Scotus in 4, dist. 7, quæst. 5. Suarez de Censuris disp. 42, sect. 4, num. 6. Barb., de Offic. et potest. Episcop. dic., part. 2, allegat. 30, num. 30, aliique multi ab ipso ibi citati ; Rosignol., de Confirmat. quæst. 7, art. 6., n. 3, cum aliis ab ipso ibi citatis. (35. Infantes, quamvis valide possint confirmari ante usum rationis, non tamen licite, ut colligitur ex c. *Ut jejuni* 5, distict. 5, de Consec., ubi dicitur, ut Jejuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis ; ex Catechismo Romano edito jussu Sancti Pii V, qui requirit in confirmando saltem septennium, quod idem statuere videtur

Digitized by Google

Concil. Coloniens. pag. 7, cap. 9, ex Pontificali Romano, quod præcipit ut confirmandus sciat Doctrinam Christianam, et impingatur ei alapa ad recordationem; quæ videntur in suscipiente exigere usum rationis; ex Concil. Mediolanens. I, quod prohibet confirmari pueros ante usum rationis; et ex communi praxi ubique recepta, quod ante usum rationis pueris non conferatur Sacramentum Confirmationis, quæ omnia certe simul collecta inferunt obligationem sic observandi. Vide infra n. 59. (36. Sacramentum Confirmationis potest licite conferri amentibus et furiosis, etiamsi fuerint perpetuo tales; Suarez tom. 3, in tertiam partem D. Thomæ disput. 35, sect. 2 vers. *dicendum nihilominus est;* Layman Theolog. Moral., l. 5, tract. 3, c. 5, num. 3. Coninch. de Sacramentis quæst. 72, art. 8, num. 83. Villalobos in summa tit. 1, tract. 6, difficultat. 6, num. 2. Barb. loc. cit. num. 21, et alii passim. (37. Muti possunt licite confirmari, etiamsi fuerint a nativitate tales; quamvis enim ipsi ore non possunt, vita tamen et opere valent Fidem profiteri. Est communis. (38. Possunt licite confirmari etiam infirmi morti proximi; sic Sanctus Thomas, tertia parte quæst. 72, in respons. ad quartum; S. Bonaventura in 4, dist. 7, art. 3, quæst. 1, et alii communiter. (39. In adultis, ut valide confirmentur, requiritur intentio saltem habitualis Confirmationem recipiendi; in infantibus vero, et perpetuo amentibus nulla requiritur intentio, quia hanc in eis supplet Christus, et Ecclesia, sicut in Baptismo. Communis. (40. In adultis, ad licite recipiendam Confirmationem requiritur status gratiæ, c. *Ut jejuni* 5, de consecrat. Est enim Confirmatio Sacramentum vivorum, quod non habet producere primam gratiam, quam supponit, sed solummodo secundam, id est augmentum ejusdem. (41. Non requiritur tamen ut Confirmationem recipiant jejuni, ut docet praxis Ecclesiæ communiter recepta, teste Jordano tom. 2, lib. 3, tit. 3, n. 13, ut proinde Doctrina d., c. *Ut jejuni* 5, dist. 5, de consecrat. fuerit, vel solum consilii, vel abrogata ut sentit S. Thomas d. tertia part. quæst. 72, art. 12, ad 2, cum aliis passim (1).

ADDITIONES AUCTORIS.

(42. Confirmationis administratio delegari potest simplici Sacerdoti per indultum Apostolicum, ubi concurrat necessitas fidelium, et difficultas habendi Episcopum; Benedict. XIV, tom. 1, Constitut. 129, incip. *Eo quamvis tempore* § 8. (43. Semper tamen adhiberi debet Chrisma ab Episcopo rite benedictum; Idem ibidem.

(44. Confirmationis Sacramentum a Præsbyteris Italo-Græcis conferri nequit; Idem Constitut. 57, incip. *Et si Pastoralis* § 3. (45. Proindeque ab Episcopis conferendum est absolute iis, qui ab hujusmodi Presbyteris Chrismate consignati fuerint. Idem ibid. (46. Sub conditione autem, si verosimiliter dubitari potest, quod ab Episcopis Græcis fuerint baptizati; Idem ibid. (47. Et idem dicendum, si Episcopus Latinus ordinet aliquem Græcum ab Episcopo Græco baptizatum, de quo non constet fuisse Chrismate consignatum; Idem ibid.

(48. Confirmationis Sacramentum in Ecclesia Occidentali conferri nequit ante usum rationis; Idem Constit. 129, incip. *Eo quamvis tempore* § 6. (49. Ne quidem a Græcis commorantibus in Italia, et Insulis adjacentibus; Idem Constitut. 57, incip. *Et si Pastoralis*, § 2, et cit. Constit. *Eo quamvis tempore* § 4. (50. Aliud obtinet apud Græcos in Oriente degentes ex tolerantia Sedis Apostolicæ; Idem ibid. (51. Item apud Coptos; Idem ibid. (52. Ubi etiam idem simplex Sacerdos ministrare solet infantibus Baptismum, et Confirmationem; Idem ibid. (53. Ecclesiæ Latinæ morem improbare non licet; Idem ibid. in cit. Constitut. *Eo quamvis tempore*, § 6 et 7.

(54. Confirmationis Sacramentum conferri non debet pueris parum instructis in Doctrina Christiana; Idem Constitut. 42, incip. *Et si minime* § 9. (55. Confirmationis Sacramentum ministrare potest Episcopus in Ecclesiis Regularium, tam Parochialibus, quam non Parochialibus, in sacra visitatione, et extra illam; Idem Constitut. incip. *Firmandis* § 6.

(56. Confirmationis Sacramentum cum oleo, et Chrismate etiam veteri, si novum haberi non possit, sed tamen a catholico Antistite benedictis, conferri a P. Guardiano S. Sepulchri Ord. Min. Obs., si defuerit Episcopus latini ritus, in sua diœcesi residens, conceditur ab eodem Pontifice in suo Brevi incip. *Cum ad infrascriptum*, quod extat tom. 1 Bullar. num. 10, ex quo constat, privilegium esse personale concessum Guardiano petenti. Ab eodem tamen P. Guardiano Terræ Sanctæ, pro tempore existente, Confirmationis Sacramentum *sub conditione* conferri potest Græcis-melchitis a simplici Sacerdote confirmatis, absente Episcopo Græco Catholico; Idem Constitut. 87, incip. *Demandatam* § 14. Item, ejusdem Sacramenti conferendi facultas conceditur a Sacr. Congregatione, confirmante eod. Pontifice Constit. incip. *Anno vertente*, Bull. tom. 2, num. 30, Præfecto Missionum Ægypti, donec aliquis Catholicus Episcopus in Ægypto habeatur.

(57. Confirmationis Sacramentum a Græcis Sacerdotibus collatum in locis Græcorum, in quibus mos iste non est expresse improbatus a Sede Apostolica, valere censendum est, ex consensu tacito Rom. Pontificis; de Synodo diœces. lib. 7, cap. 9, et cit. Constit. incip. *Anno vertente;* in qua tamen monetur,

(1) Laudabilis tamen est ea consuetudo, et quantum fieri potest, observanda, ut si Confirmatio mane administretur et a jejunis detur, et a jejunis suscipiatur. Ita Catechismus Romanus, et indicta Instructio a Sacra Congregatione de Propaganda fide Missionariis proposita. (*Edit. Barbieri.*)

Digitized by Google

Chrisma illud benedicendum esse ab Episcopo.

(58. Confirmationis Sacramentum conferri potest ab Abbatibus Cryptæ Ferratæ Episcopali charactere præditis, semel singulis annis, in illius Monasterii Ecclesia per seipsos; Idem tom. 2, Constit. 23, incip. *Inter multa.*

(59. Quamvis ex dictis n. 35, infantes valide possint confirmari ante usum rationis, non tamen licite; et ex hic supra traditis, Sacramentum Confirmationis in Ecclesia Occidentali conferri nequeat pueris ante usum rationis, ut statuit laud. Pontifex, tom. 1, Constit. 129, incip. *Eo quamvis tempore* § 6. Tamen idem Pontifex de Synodo Diœcesana lib. 7, cap. 10, num. 1, docet, quod licet Catechismus Romanus non expedire dicat, ut Sacramentum Confirmationis pueris ante septennium conferatur, non tamen prohibet, ne ullo nunquam in eventu iisdem conferri queat, quod scite perpendentes Suarez, Layman, Diana, Cotonius, Juenin, Sylvester, Maurus, Roncaglia, et Cardinalis Gottus, ab ipso citati, aliique plurimi affirmant, sancte, ac licite, etiam juxta præsentem Disciplinam, Sacro Chrismate inungi pueros ante septennium, cum aut prævidetur futura diutina absentia Episcopi, aut iidem versantur in discrimine vitæ, aut alia urget necessitas, seu justa causa. Ac sub num. 6, subjungit : Et profecto, quod Confirmatio non sit deneganda pueris ante septennium, si tali morbo laborent, ut decessuri prævideantur, aperte deducitur ex D. Thoma 3 part. quæst. 73, num. 8, ad 4, ubi docet etiam pueris morituris hoc Sacramentum dandum esse : « Ut confirmati decedentes, majorem gloriam consequantur, sicut et hic majorem obtinent gratiam (1). »

ADDITIONES CASINENSES

(63. Inter innumera Privilegia Abbati Sacri Casinensis Archicœnobii a Summis Pontificibus concessa, non parvi est habendum quod Sacramentum Confirmationis suis subditis conferre possit. Id primum præstiterunt Sixtus Papa V, Constitutione, *Benignitas Apostolicæ sedis*, et Urbanus VIII, Constitut. *Exponi Nobis nuper fecit*, quas Constitutiones confirmavit Benedictus XIII, cujus Breve vid. Addit. Casin. num. 118, verb. *Abbas.* Eodem privilegio fruitur Abbas Cœnobii Sanctissimæ Trinitatis Cavensis ex Constitutione Urbani II, *Cum universis*, Pauli III, Const. *Benignitas Sedis Apostolicæ consueta*, et Gregorii XIV, Const. *Æquum reputamus.* Satis tamen præscribitur, ut nonnisi Chrismate a Catholico Episcopo consecrato confirment

(1) Olim Baptismo Sacramentum Confirmationis mox adjungebatur; immo parvulis cum utroque Sacramento porrigere etiam Eucharistiam mos fuit. Multis id exemplis, et Conciliorum decretis ostendit Witasse, aut quisquis is fuerit, qui Theologicis illius Docteris Sorbonici tractatibus tractatum addidit de Sacramento Confirmationis; cum primis vero P. Joannes Haiden in Dissertatione, quæ extat Tom. 10 Thesauri Theologici Zachariani, p. 217, de instituto

ARTICULUS III.

Quoad ea quæ concernunt confirmationis necessitatem, effectum, patrinum et cæremonias.

(1. Licet nullum extet expressum generale præceptum, sive Divinum, sive Ecclesiasticum de recipiendo Sacramento Confirmationis, ac proinde per se, ac simpliciter loquendo non sit necessarium ad salutem saltem necessitate medii, adhuc tamen necessarium est, ut non contemnatur. Ita Scotus in 4, dist. 7, q. 2. Divus Bonaventura dist. 7, art. 3, q. 2, et communis Doctorum. Vide infra num. 5. (2. Unde in praxi serio admonendi sunt Fideles, ne Confirmationem suscipere negligant, præsertim oblata opportuniori commoditate illam recipiendi; tum ne se privent maximo fructu, virtute hujus Sacramenti consequendo, tum ne illud contemnere videantur. Judicaretur enim contemptus, si omnimode opportunitate oblata, non susciperetur, inquit Scotus loco cit. solvens instantiam adductam ex c. *Omnes fideles* 1, dist. 5, de consecrat. (3. Adest tamen speciale præceptum Ecclesiasticum, ut teneantur prius hoc Sacramentum recipere omnes, qui volunt ad primam Tonsuram, et ad Ordines admitti; Conc. Trident. sess. 23, c. 4, de reform. ibi : « Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint. » Suscipientes autem primam Tonsuram, et Ordines ante Confirmationem, non peccant graviter, si citra contemptum id faciant; Concilium enim non præcipit Ordinandis, sed Episcopo Ordinanti, ne videlicet tales nondum confirmatos prima Tonsura initiet; sic Barb. ad Concil. Trident. d. sess. 23, c. 4, n. 2, cum Suarez, Navarro, Azorio, et plurimis aliis ibi citatis. Immo Layman leg. 5, tract. 3, c. 5, num. 4, cum quibusdam aliis etiam respectu Episcopi Ordinantis non agnoscit grave præceptum, sed admonitionem ejus, quod congrue fieri debeat; quamvis si secus fiat, peccetur venialiter. (4. Adde tamen, quod promotus ad Ordines Minores ante Confirmationem non potest ad altiores ascendere, nec Beneficia accipere ante dispensationem Apostolicam; quamvis primam Tonsuram sic suscepisset, et postea Confirmatus ad superiores ascendisset; Sac. Cong. Con[illegible] 27 Septemb. 1621, apud Monacell. tom. 4, supplement. ad 2 tom. num. 401. (5. Necessitatem, quam vocant absolutam, hujus Sacramenti recipiendi nemo utique esse affirmaverit; sed vel in re vel in voto plane necessarium est necessitate præcepti, et quidem divini, tempore persecutionis (2). Neque Parochi, neque parentes, nec qui sunt loco parentum, sunt eximendi a lethali

Ecclesiæ Infantibus mox cum Baptismo conferendi Sacramenta Confirmationis, et Eucharistiæ. Quem quidem morem, quod ad Confirmationem spectat, multo serius, quam Pamelius existimavit in suis adnotationibus ad S. Cypriani librum de Lapsis, abrogatum fuisse, immo alicubi ad sæculi fere XIII, exitum in ipso occidente perseverasse idem Haiden ostendit p. 235, seqq. (*Edit. Barbiell.*

(2) Quæ hic ab Auctore ex Benedicto XIV, prolata

Digitized by Google

culpa, si non instent, ut subjecti sibi parochiani, et quos habent subjectos, Confirmationem ab Episcopo parato recipiant. Institut. Eccles. 6, § 9 et 10.

(6. Effectus Confirmationis est triplex. Primus est augmentum gratiæ habitualis, et jus ad gratias actuales roborativas ad fidem fortiter profitendam, ut habetur ex Conc. Florent., in decreto unionis, ibi : « Effectus autem hujus Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut Christianus audacter Christi confiteatur nomen : » Et ex hac firmitate, et robore Fidei profitendæ nomen ipsum Confirmationis suam trahit originem, ut dicit Catechismus Romanus, cap. de Confirmation. § 16, ibi : « Ab eo nomen rei impositum est, quod hujus Sacramenti virtute Deus in nobis id confirmat, quod Baptismo operari cœpit, nosque ad Christianæ soliditatis perfectionem adducit. » Et quamquam gratia prodigiorum, quam olim infundebant (1), modo cessavit, id non amplius exigente Ecclesia, gratiæ tamen sanctificantis donum modo pariter datur, S. Augustino teste, de Baptism. lib. 3, cap. 16. Quæ tamen gratia Sacramentum recipientibus, amoto peccati obice, confertur, ut sit potius gratiæ præcedentis augmentum. Producit etiam robur et firmitatem quamdam spiritualium virium, quibus diabolo resistamus, Instit. Eccles. 6, § 7. (7. Secundus effectus est Character, quo Confirmatus signatur ut miles intra militiam Christi ad Fidem cum robore propugnandam, juxta illud S. Melchiadis ex Catechismo Romano : « in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam. » Et quod Confirmatio imprimat Characterem, habetur definitum in Concilio Florentino in d. Decreto unionis, ibi : « Inter hæc Sacramenta, tria sunt, Baptismus, Confirmatio, et Ordo, quæ Characterem, id est spirituale quoddam signum a cæteris distinctum, imprimunt in anima indelebile, » unde in eadem persona non reiterantur, et in Concil. Trid., sess. 7, can. 7, ibi : « Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine non imprimi Characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit. » (8. Tertius effectus est cognatio spiritualis ; cap. *Si quis filiastrum* 12, caus. 30, qu. 1, cap. *Quamvis* 3, de cognation. spiritual. in 6. Concilio Tridentino, sess. 24, cap. 2, de reform. Matrim.

(9. Patrinus requiritur in Confirmatione, ut Confirmandum teneat ; cap. in Catechismo 100, cap. *Non plures* 101, et cap. in Baptismate, vel in Chrismate 102, dist. 4, de consecrat. (10. Et quidem sub culpa, ut ex communi docet Navar. in Manual., cap. 22. Bussembau et La Croix, lib. 16, part. 1, num. 294, et alii passim. (11. Patrinus in Confirmatione non debet esse nisi unus solus, vel una sola ; cap. *non plures* 101, dist. 4, de consec., cap. *Quamvis*, de cognation. spiritual. in 6. (12. Nec valet dici, quod sicut in Baptismo ex Trident., sess. 24, cap. 2, de reform., Matrim., possunt esse duo Patrini, scilicet unus et una simul, sic etiam duo possint esse in Confirmatione. (13. Non valet, inquam, quia Trid., loc. cit., statuit tantum de Baptismo, quod possint esse duo Patrini, scilicet unus et una, adeoque non videtur extendendum ad Confirmationem ; cum enim sit correctorium juris antiqui in cit. cap. *Non plures*, et cit. cap. *Quamvis*, debet restringi, nec ampliari potest ultra terminos, in quibus loquitur ; Gobat., tract. 2, num. 785. Clericat. cap. 116, num. 30. Felix Potestas, tom. 1, part. 4, num. 3031. Palaus, Hermex, et alii passim, quibus accedit praxis (2). (14. Patrinus in Confirmatione debet esse distinctus a Patrino Baptismi extra casum necessitatis, dic. cap. in Catechismo 100, dist. 4, de consecrat. Barb., dict. alleg. 30, num. 51, cum pluribus aliis ibi citatis. (15. Unus Patrinus non potest tenere ultra duos eadem die Confirmationis, ut habetur ex Pontificali : (16. ubi tamen facile non possent haberi plures, qui inservirent pro diversorum Patrinis, tunc posset unus etiam eadem die esse Patrinus plurium ; Gobat, loc. cit., n. 786. Marc. Anton. Genuens., in Man. Pastorum cap. 4, numer. 6. Barb., loc. cit., num 52. La Croix, lib. 6, part. 1, num. 396. (17. Patrinus confirmandi debet esse Confirmatus ; cit. c. in Baptismate, vel in Chrismate 3, dist. 4, de consecr. et in Pontificali. (18. Hinc non Confirmatus, si fieret in Confirmatione Patrinus extra necessitatem, graviter peccaret : Est fere communis apud Busemb. et La Croix, loc. cit. num. 334. (19. Immo non Confirmatus invalide obiret munus Patrini, adeoque probabiliter non contraheret cognationem spiritualem, ut colligitur ex dict. cap. in Baptismate, vel in Chrismate, ubi absolute dicitur non Confirmatum non posse suscipere alium in Confirmatione, ibi : « In Baptismate, vel in Chrismate, non potest alium suscipere filiolum ipse, qui non est baptizatus, vel confirmatus. » Sic Barb. loco citat. num. 34, cum pluribus aliis ibi citatis (3).

sunt ad mentem suam clarius, ac solidius, quam num. 1, factum fuerat, pluribus confirmant Turnelius quæst. 2, art. 2, ac Trombellius T. 2, disp. 11, quos consule. (*Edit. Barbiell.*)

(1) De miraculis, et supernis visionibus, quæ primis duobus Ecclesiæ sæculis communis atque ordinarii Confirmationis effectus fuerunt, rariores tertio sæculo, nec tamen penitus abrogati, eruditissime in historia Sacramentorum Chardonius disseruit, hujusque ea de re dissertationem latine reddidit, atque adnotationibus illustravit, qui Turnelium an. 1765, ex Pezzanæ typographia pluribus additionibus locupletatum emisit. Vide Venetæ illius editionis Tomum 4, pag. 339, seqq. (*Edit. Barbiell.*)

(2) Confer de Patrinis in confirmatione adhibendis Trombellium, tom. 2, de Conf. pag. 212, seq. (*Edit. Barbiell.*)

(3) Quamvis in contrariam Sententiam non infirmæ notæ Auctores abeant, inter quos Theologus Censor alterius editionis, contendantque spiritualem cognationem contrahi ab homine non confirmato Patrini munus in Confirmatione gerenti ; attamen hac

Digitized by Google

(20. Patrinus debet secundum usum Ecclesiæ et Ritum Pontificalis Romani esse ejusdem sexus, cujus est confirmandus. Est communis ex dispositione Pontificalis Romani. Reliqua de Patrino Confirmationis sunt proportionaliter resolvenda juxta dicta de Patrino Baptismi. Vide ibi.

(21. Cæremoniæ omnes, quæ antecedunt, comitantur, et sequuntur Confirmationem, distincte referuntur a Bellarmino de Confirmat., cap. 13, a Castropalao, et variis aliis, unde hic aliqua tantum de istis breviter explanantur. (22. Confirmatio igitur debet administrari ab Episcopo cum Pluviali, Mitra, Stola et Baculo Pastorali : Sac. Congreg. Concil. in Brixien. 19 Februarii 1585 (1). (23. Quamvis Episcopus Sacramentum Confirmationis deberet conferre in Ecclesia, quantum commode fieri potest, ut observat Herincx, dist. 5, de Sacrament. Confirmat. qu. 8, num. 64, et ita stricte teneri asserit Nugnus, in 3 par. D. Thomæ quæst. 72, art. 12, circa finem, vers *secundum ritus*. Tamen simpliciter loquendo potest Episcopus illud conferre in quovis loco decenti; Barbosa, loc. cit. num. 13, cum pluribus aliis. (24. Monialibus tamen ministratur ad lenestellam Communionis, unde propterea non datur licentia egressus, vel ingressus; Sac. Congr. Episcop. in Cæsenaten. 6 Junii 1601. (25. Episcopus potest Confirmationem conferre in die feriali, etiam post meridiem, quamvis non jejunus et ipse, et suscipiens, cum hoc nulla lege præscriptum reperiatur, nam solum consulitur in c. *Ut jejunii* 5, dist. 5, de consecr. ut observat Barbosa loco cit. num. 12. Sylvester verb. *Confirmatio* q. unic. Bonacin. de Sacramentis disp. 3, q. unic. punct. 2, num. 14, et fuit dictum supra art. 2, n. 40. (26. Episcopus potest conferre Confirmationem etiam tempore Interdicti, et in loco interdicto; cap. *Responso* 43, de sent. Excommun. et cap. *Quoniam* 19, de sent. excommun. in 6. Barbosa de offic. et potestat. Episcop. part. 2, allegat. 31, num. 23, cum pluribus ibi citat. (27. Episcopus debet propria manu ungere Chrismate consecrato confirmandum in fronte : sic præcipit Pontificale Romanum. (28. Unde Confirmationis Sacramentum immediate manu Episcopi esse conferendum, ita ut sit nullum, si conferatur medio alio instrumento, resolvunt Diana p. 3, tract. 4, resol. 20. Layman. in Theol. Moral. lib. 5, Tract. 3, cap. 2, num. 5. Filiucius tom. 1, tract. 3, c. 1, n. 17, apud Barbosam loc. cit. n. 26. (29. Inungitur confirmandus in fronte, ad indicandum hujus Sacramenti effectum, qui est gratia collata ad audacter profitendam Christi fidem; cum enim frons sit sedes verecundiæ, par est, ut confirmandus in fronte inungatur, ut sine rubore, et verecundia Christi nomen confiteatur. Ita communis (2). (30. Frons Confirmati aliquo panno circumcingitur ne recens unctio defluat, aut deleatur. In hoc tamen est servanda cujusque loci consuetudo, ut monet Suarez, Henriquez, Coninch apud Layman loc. cit. n. 7, nam alicubi mos est, ut mox post collatum Confirmationis Sacramentum, frons Confirmati abluatur ab aliquo ex assignatis Sacerdotibus spongia, vel alio linteo; alibi expectatur, donec sit exsiccatum Chrisma, et alibi circumfertur vitta, seu pannus linteus aliquibus diebus (3). (31. Percutitur alapa ab Episcopo maxilla Confirmati dicendo *Pax tecum*, ad hoc ut Confirmatus intelligat se roborari hoc Sacramento ad fortiter, et invicte tolerandas injurias, et imminentia pericula subeunda propter Fidem Christi, et recordetur hujus Sacramenti suscepti, et militiæ ad quam exercendam conscribitur. Ita communis cum Durand. in Rational. divin. lib. 6, c. 84, n. 6. Barbosa loc. cit. num. 26. Bonacina loc. c. q. unic. punct. 4, n. 9, (4). (32. Ubi autem resolvit, omissionem alapæ non videri peccatum mortale, et idem tenet Barbosa loc. cit. num. 27, et Zambran de casibus occurrentibus cap. 2, dub. ultim. n. 1.

(33. Animi dispositiones ad digne recipiendum hoc Sacramentum sunt status gratiæ, quæ in adultis lethali crimine infectis comparatur plerumque per Sacramentum Pœnitentiæ; Benedict. XIV, Instit Eccl. 6, § 11.

(34. Tempore pestis, eo morbo affectis non tenetur Episcopus hoc Sacramentum ministrare, cum Sacramentum hoc non sit absolutæ necessitatis; De Synodo Diœces. lib. 13, c. 19, § 6.

(35. In confirmatione tempore pestis non potest fieri inunctio frontis mediante pennicillo, nec sane valeret sic collata, cum ex consensu fere omnium Theologorum ad valorem requiratur aliqua manus impositio, quæ certo non fieret, quum alio medio, quam pollice, vel manu, confirmandi frons oleo liniretur; Ibidem § 7, nova editio.

in re a Ferraris sententia nullatenus est recedendum, cum robur obtineat a Resolut. Sac. Congregationis Conc. in *Licien*, die 13 Julii 1654, lib. Decret. 19, pag. 358, eaque refertur in Synodo Tusculana Cardinalis Ducis Eboracensis, pag. 840. (*Edit. Venet.*)

(1) Cæremonias istas etiam posteriores Theologi Juenius, Turnelius, Drouvenius, aliique passim illustrarunt; consulendi tamen præ cæteris Vicecomes deant. Conf. ritib. Martenius de Sacr. ritib., et Chardonius in Sacramentorum Historia. (*Edit. Barbiell.*)

(2) Vide Trombellium t. 1, disp. 5, part. 265, et t. 2, disp. 12, p. 202. Cæterum Græci, aliique Orientales fere omnes confirmandis partes inungunt, ut ex Josephi Aloysii Assemani Cod. Litergico, Impress. Romæ apud Barbiellini an. 1761, ex scriptis eorumdem ordinibus idem Trombellius ostendit cit. t. 1, p. 270, seqq. (*Edit. Barbiell.*)

(3) Bendellum Conc. Benevent. Provinc. an. 1571, tit. 5, cap. 3. Blandellum Trecensis Synodus an. 1400, appellat hanc victam, de qua Catalanus in Pontific. Roman. et Trombellius t. 2, p. 209. (*Edit. Barbiell.*)

(4) Aliqua de alapa profert non obvia laudatus Trombellius t. 2, p. 204, seq. ubi et Kennitti irrisionibus hunc ritum vindicat. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

(36. Pro complemento afferuntur instructiones sequentes editæ Romæ 22 Maii 1722.

INSTRUZIONI, ED AVVERTIMENTI,

PER QUELLI CHE VOGLIONO RICEVERE IL SANTO SACRAMENTO DELLA CRESIMA.

Fabricio, per la misericordia di Dio Vescovo d'Albano della S. R. C. Card. Paulucci, della Santità di Nostro Signore Vicario Generale, etc.

I. Il Santo Sacramento della Cresima, di cui è solo Ministro il Vescovo, stato instituito da Cristo Signor Nostro, affinchè gli uomini rigenerati alla grazia, ed arrollati alla Cristiana Milizia per mezzo del Santo Sacramento del Battesimo, restino confermati nella Fede, e fortificati in essa per la virtù di questo Santo Sacramento, il quale come a valorosi Soldati non solo gliela fa costantemente confessare, ma anche da forza di poter combattere e di resistere alle battaglie de' comuni nemici, perciò vien detto Sacramento della Confermazione, e benchè non sia assolutamente necessario per la salute eterna, non si deve pero da nessun fedele tralasciare, attesi li molti soprannaturali effetti, che produce, e li doni, che lo Spirito Sancto conferisce a quelle Anime che lo ricevono, quando però non vi sia l'ostacolo del peccato; per lo che la Santa Madre Chiesa, che desidera ardentemente, che tutti i suoi figli con vera intenzione, e divozione vengano a riceverlo, particolarmente gl'invita, secondo l'antico Ecclesiastico costume, in questo sacro tempo della Pentecoste, in cui si solennizza la venuta del Divino Spirito. Affinchè poi ciascuno sappia quello, che deve fare per disporsi degnamente, e secondo li sacri approvati Riti, abbiamo pubblicata d'ordine di Nostro Signore la seguente Istruzione cavata dai Sacri Canoni, dai Santi Padri, e dal Pontificale Romano, la quale vogliamo che inviolabilmente si osservi.

II. Primo. Quelli che sono stati una volta Cresimati, si guardino molto bene di farsi cresimare di nuovo, perchè questo Santo Sacramento non si può reiterare. E chi dubitasse d'essere stato confermato, o no, non ardisca d'accostarsi a riceverlo, se prima non l'avrà significato a Noi, acciocchè considerata la qualità del dubbio, si faccia quella risoluzione, che sarà conveniente in cosa tanto importante.

III. Chi piglierà questo santo Sacramento deve aver un Compare, o una Commare, acciochè abbia di lui cura spirituale, per lo che conviene, che sia maggiore di età del Cresimando, nè minore di quattordici anni, con questo però, che i maschi non siano tenuti a Cresima dalle femmine nè queste da i maschi : di più nessuno tenga a Cresima se non uno o due senza expressa nostra licenza.

IV. Chi non è stato Confermato non può essere Patrino, o Compare in questo Santo Sacramento, nè il Padre, o la Madre possono tenere i loro Figliuoli, nè il Marito la Moglie, nè la Moglie il Marito : Come anche li Patrini non possono essere Monaci, o Religiosi, nè quelli, che sono stati Compari, o Commari dei medesimi confermati nel Sacramento del Battesimo, secondo l'antichissima consuetudine di questa Santa Romana Chiesa; e senza nostra espressa licenza nessun Ordinato in *Sacris* possa esser Patrino, o Compare nella Cresima.

V. Nissuno scomunicato, interdetto, scandaloso, o pubblico Peccatore, ovvero che non si è Confessato, e Communicato nella passata Pasqua di Risurrezione, come anche chi non sa li rudimenti della Santa Fede, cioè il *Pater noster*, *Ave Maria*, *Credo*, e li dieci Comandamenti, si presenti a ricevere questo Santo Sacramento, o fare l'Officio di Compare o Commare sotto pena ad arbitrio nostro.

VI. Per ricevere degnamente questo Santo Sacramento, devono li Cresimandi essere in grazia di Dio, e però li Fedeli adulti prima procureranno di riconciliarsi con S. D. M. ed è più che bene fare una buona Confessione Sacramentale; altrimenti se s'accostano in peccato mortale, non solo non riceveranno la grazia di questo Santo Sacramento, ma commetteranno un gravissimo Sacrilegio.

VII. Si avverte, che nel Sacramento della Cresima, li Compari, e le Commari contraggono Parentela spirituale con quelli, che tengono, o presentano, e con il Padre e la Madre dei medesimi, siccome nel Santo Battesimo, la quale impedisce di contrarre Matrimonio fra di loro, ed essendo fatto non vale. E tal Parentela spirituale si contrae anche tra il Confermato, e il Confermante.

VIII. Benchè li Fanciulli possono essere Cresimati; contuttociò nissuno minore di sett' anni, senza nostra espressa licenza, s'accosti a Cresimarsi, e questo acciocchè abbia qualche capacità d'intendere l'efficacia di questo Santo Sacramento, e possa riceverlo con più divozione; della quale capacità o disposizione, e che sia ben instruito, come sopra, ne i rudimenti della Sancta Fede, dovrà ciascuno Cresimando portar attestato del proprio Parroco (da darsegli gratis) senza di cui non sarà ammesso.

IX. Se alcuno avesse qualche nome profano, ridicolo, o indecente ad un Cristiano, procuri nell'atto della Confermazione farselo mutare dal Vescovo Cresimante nel nome di qualche Santo, o Santa respettivamente; per imitarne le virtù, ed ottenerne il Patrocinio.

X. Nessuno si accosti colla fronte imbrattata, e colli capelli scomposti, come anche li Cresimandi, e li Compari si presentino senz'Armi, e tanto questi, quanto le Cresimande, e le Commari vengano vestite modestamente.

XI. Per togliere le confusioni, gli uomini si presenteranno dalla parte dritta del circolo; e le donne dalla parte sinistra, nè ardisca chicchesia entrare nel detto circolo.

XII. Tutti quelli, che saranno presentati all'amministrazione di questo Santo Sacramento, particolarmente quando si recitano le Preci, et s'invoca la grazia dello Spirito Santo, stiano in ginocchioni, con divozione e silenzio, attendendo con quella composi-

Digitized by Google

zione di corpo, ed applicazione di mente, che potranno maggiore, alla considerazione di si gran beneficio lasciatoci dal Signore.

XIII. I Cresimati non si partano dalla Chiesa, se non dopo ricevuta la benedizione da Monsignor Vescovo, che li confermerà, e procurino fare scrivere il nome, e cognome loro, del Padre, e del Compare, come anche la propria Parrocchia.

XIV. La Cresima si principierà nella Sacrosanta Basilica di S. Giov. Laterano Domenica prossima di Pentecoste dopo il Vespero, si farà ogni Domenica, ed in tutte le Feste comandate sino alla Domenica dopo la Festa delli Gloriosi Apostoli SS. Pietro e Paolo; ed ogni volta che si amministrerà, ordiniamo, che prima d'incominciare la funzione si leggano sul Pulpito ad alta voce li suddetti avvertimenti.

XV. Per ultimo incarichiamo anche da parte di S. B. alli RR. Curati di notificare al popolo nelle Feste della Pentecoste, ed altre, tanto nella Messa Parrochiale, che nella Dottrina Cristiana la presente Istruzione, e dichiarare le virtù, e li salutevoli effetti di questo Sacramento secondo la Dottrina del Catechismo Romano, e la disposizione, e divozione, con che si deve ricevere; così anche incarichiamo alli RR. PP. Predicatori annuali, acciocchè gli Adulti sappiano, che non si deve trascurare, nè molto differire, ed affinchè possano li medesimi degnamente disporsi a riceverlo più presto, che potranno, particolarmente quelli, che son chiamati da Dio alla Milizia Ecclesiastica, o ad abbracciare lo stato Religioso.

XVI. Per quelli poi, che saranno negligenti, la Sacra Congregazione della Visita con Decreto emanato sotto li 10 Decembre 1661, ordina alli RR. Parrochi, che nel fare lo stato dell'Anime, debbano informarsi, se quelli che sono sotto la loro Cura, sono stati Confermati, notando li negligenti in un libro particolare, e con ammonirli paternamente, acciochè quantoprima procurino ricevere detto Santo Sacramento, e con avvertirli anche, che se per disprezzo sdegnano di riceverlo, non sono immuni da colpa mortale. Avvertano in oltre li Padri e le Madri di Famiglia, acciocchè non sieno trascurati in far confermare li loro Figli, altrimente dovranno rendere stretto conto della loro negligenza al tribunale di Dio.

Dato in Roma dalla nostra solita Residenza questo dì 22 Maggio 1722.

F. Card. Vicario.

N. A. Canonico Cuggiò Segretario.

NOTA ROMANI THEOLOGI

Ad num. 19.

Ex quo jure Canonico statutum sit non posse hominem non confirmatum Patrinum in Confirmatione agere, certum est id non licere; at si revera Patrinum agat, quis inferat vere Patrinum non esse, ac Patrini obligationes non contrahere? Id sane nullibi in jure decernitur. Ergo vere Patrinus esset, licet id illicite ageret, atque vere spiritualem cognationem contraheret. In eo enim vere illa causa occurreret, ob quam cognatio spiritualis contrahitur, atque impedimentum inde consurgens, ut patet consideranti motiva, quibus Ecclesia ad hujusmodi decernendum impedimentum mota est. Quamobrem certum omnino est, etiam a non confirmato Patrino impedimentum contrahi, et improbabilis omnino est Auctoris opinio, quæ perniciosa esse posset, dum occasionem præberet contrahendi matrimonium inter Personas quæ ob hujusmodi impedimentum contrahere prohiberentur.

RESPONSIO AUCTORIS.

Asserit hic R. Theologus, quod certum omnino est, a non confirmato Patrino impedimentum contrahi, et quod ipse non confirmatus vere Patrinus esset, atque veram spiritualem cognationem contraheret; et quod improbabilis omnino sit Auctoris opinio. Sed revera ejus potius improbabilis est opinio, quinimmo et falsa, ut clare patet ex solidissime et fundatissime adductis ab Eruditissimo Clericato de Confirmatione dec. 59, in cujus argumento sic expresse tradit: « propositis pluribus generibus personarum, quæ non possunt esse Patrini in Confirmatione, ostenditur ab his Patrinatus officium suscipientibus, si quis non sit baptizatus, vel non confirmatus, nullam contrahi spiritualem cognationem; » et sequentes, quas juvat referre, adducit convincentes rationes: Primo, quia prohibitio in Patrino Confirmationis provenit ex eodem fonte, et ex eodem textu, a quo prohibitus est etiam homo non baptizatus, nempe ex cap. in Baptismate, vel in Chrismate 102, dist. 4, de Consecrat. (jam a me allato cit. num. 19) et ideo conveniens est affirmare voluisse textum illum irritare actum in utroque, et sic quemadmodum non baptizatus non contrahit cognationem, ita neque non confirmatus illam contrahat. Secundo, quia mens Ecclesiæ, et intentio Concilii Tridentini est restringere impedimentum cognationis spiritualis ob favorem libertatis contrahentium Matrimonium, ut colligitur ex sess. 24 cap. 2. de Reform. idcirco censetur conformius menti Ecclesiæ, quod Patrinus non confirmatus nullam contrahat cognationem. Tertio, quia Pontificale Romanum in Rubric. de Confirmandis, ait: « Nullus, qui non sit confirmatus, potest esse in confirmatione Patrinus. » Ubi ly *non potest* (quo utitur etiam Canon in Baptismate, vel in Chrismate a me supra citatus) habet vim irritandi actum, quia ultra Doctores hanc opinionem tenentes, quos citat, et sequitur Sanchez de Matrimonio, cap. 7, disp. 60, num. 20, eamdem opinionem amplectuntur novissime tum Canonistæ, tum Theologi amplissimi nominis, videlicet Coninch, Nugnus, Bissus, Bonald. Basilius Pontius, Diana coordinatus, Francis. de Lugo, Tamburin. Cotonius, Trullench. Ligorius, Novarius, Barbosa, Jordanus, Nicolius, Bonacina, Layman, Justus locis ibi ab ipsis citatis,

Digitized by Google

Leander disp. 5, quæst 5, cum multis aliis ibi citatis, Matthæucci in Cautela Confess. lib. 9, cap. 3, de Confirmatione, num. 8, Marcantius in Horto pastorum, de confirmatione lib. 6, in fine; et Eminentiss. Card. de Lauræa de impediment. Matrimonii, disp. 28, num. 102 et seq. ubi reddit hanc rationem : « Sicut ideo in Baptismo suscipiens non baptizatus non contrahit, quia non potest dare vitam spiritualem, quam non habet, ita quum non confirmatus non habeat robur hujus Sacramenti, non potest alium roborare. » Idcirco quum tantæ prudentiæ, et experientiæ in Romana Curia Auctorem habeamus (præter cæteros allegatos) docentem, a Patrino non confirmato suscipiente in Confirmatione nullam contrahi cognationem spiritualem, absque hæsitatione resolvendum, et dicendum venit, Titium, de quo in proposito casu, posse ducere in uxorem matrem viduam pueri, quem tenuit in Confirmatione. Hæc ille. Quid clarius? Casus autem propositus est iste : « Titius non confirmatus tenuit ad Confirmationem puerum, cujus deinde matrem viduam vult in uxorem ducere. » Quæritur, *an possit?* Et absolute, et indubitanter resolvit, ut supra, *affirmative*, et quidem merito, quia in cit. cap. in Baptismate, vel in Chrismate, æque excluditur a suscipiendo in Confirmatione, qui non est confirmatus, ac a suscipiendo in Baptismate, qui non est baptizatus, sine ulla distinctione, et ubi Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus : L. *Non distinguemus*, § 22, ff. de recept. arbitris; L. *Præses* 3, de officio præsidis. L. *De pretio* 8. ff. de publiciana in rem actione, cap. *Quia* circa 22, de privilegiis. Ubi enim eadem est ratio, eadem est legis dispositio. L. *Ideo* 26, ff. de legibus. L. *Illud* 32, ff. ad legem Aquiliam, cap. *Inter corporalia* 2, de translat. Episc. Cum ratio legis sit anima legis; L. *Cum ratio* 7, ff. *de bonis damnator*. Insuper ultra recensitos plurimi alii meam sustinent conclusionem, et signanter Rosignolus, part. 3, de Confirm. quæst. 5, art. 13, num. 4, et seq. Leurenius eod. lib. 4, tit. 11, quæst 209, num. 1. Pignatell. tom. 1, consult. 10, per tot. sic concludens : Et ita declaravit Sac. Congregatio Concilii in una Licien. die 13 Julii 1654. nimirum : « Non confirmatum non contrahere cognationem spiritualem; » Reiffenstuel lib. 4, decretal. tit. 11, num. 27, testans de communi, et afferens dictam Declarationem Sacræ Congregat. Concilii : Roncaglia de Matrim. tract. 21, cap. 3, eamdem citans declarationem Sacr. Congregat. quam Sacr. Congregat. Concilii Declarationem adducit novissime etiam celeberrimus Ubaldus Giraldi Instit. Canonic. p. 2, l. 4, tit. 11, q. 3, n. 7, edition. Roman. 1756. apud Barbiellini; quamvis ipse, ut Revisor fortasse immemor dictæ a se allatæ Declarationis Sanctæ Cong. Concilii, saltim implicite probaverit, seu toleraverit etiam contra seipsum, et suum etiam Maschat injustam Theologi censuram meæ conclusionis tot rationibus, juribus, classicis Doctoribus, ut supra, suffultæ. Unde nescio, quomodo Theologus potuerit, ac voluerit tamquam ex Tripode pronunciare meam opinionem tanto munimine tectam, omnino improbabilem, et suam sic incertam, et a Sac. Congreg. Concil. repulsam, omnino certam. Nisi dicerem, quod sicut supra in verb. *Cappellanus* num. 6, voluit suæ censuræ subjicere ipsissima verba S. Rom. Rotæ, ita hic noluerit admittere meam conclusionem, licet tot solidissimis fundamentis munitam, et etiam ipsa expressissima nunc allata Sac. Congreg. Concilii declaratione

CONFIRMATIO ELECTIONIS.

SUMMARIUM.

1. Confirmatio electionis, et nominationis approbatio quoad Episcopos primis Ecclesiæ sæculis fuit penes Episcopos Ordinatores, idest Metropolitanum cum suffraganeis. — 2. 3. Quod jus postea ad Metropolitanum integrum devolutum est, et per tredecim sæcula inconcussum permansit. — 4. Sed postea ademptum et ad Sedem Apostolicam devolutum. — 5. Et Romano Pontifici hactenus reservatum mansit. — 6. Merito Sacris Canonibus cautum fuit ne Episcopi Ordinatores præcipitanter prosilirent ad confirmationem. — 7. Electi adversarius aut coelectus est audiendus, et edictum proponendum ut oppositores constituto termino veniant. — 8. His non observatis, confirmatio est nulla. — 9. Examen faciendum circa electionis processum et personam electi. — 10. De requisitis in persona electi. — 11. De moribus electi inquirendum, in quo loco diu conversatus est. — 12. Pristinis temporibus Episcopus electus a Metropolitanis et Comprovincialibus examinatus uno actu et tempore consecrabatur et comprimelatur, neque ante ordinationem dicebatur Episcopus nisi cum addito *Electus*. — 13. Ex stylo Decretalium etiam *Electus* ante consecrationem dicitur. — 14. Romano Pontifici confirmationis jure reservato, processus inquisitionis ad ipsum transmitti debet. — 15. Et hoc si Ecclesiæ non sint ad nominationem vel præsentationem Imperatoris aut Regis alicujus, in quo casu ad Cardinalem illius Regni vel Provinciæ protectorem processum transmittendum. — 16. ad 18. De promovendis quomodo relatio facienda. — 19. Electi a capitulis Generalibus, aut nominati a Regibus non possunt se administrationi Ecclesiæ immiscere ante confirmationem expeditam. — 20. De Concilii Lugdunensis constitutione. — 21. Nec tantum in electione sed etiam in præsentatione et nominatione obtinet hæc Juris decisio. — 22. Nullo jure Electi aut nominati se administratione Ecclesiæ viduatæ ingerere possunt ante confirmationem, nisi sint ultra Italiam constituti. — 23. Electus aut Nominatus, obtenta confirmatione tamquam verus pastor et Episcopus reputatur. — 24. Quæ munera exercere possit. — 25. Provisus aut confirmatus Episcopus non potest possessionem adipisci, nisi Litteris in forma expeditis. — 26. Easque exibere debet Capitulo. — 27. Ac insuper Principi in suo Consilio exibitæ et placetatæ esse debent. — 28. 29. Quid expectare tenentur provisi de Ecclesiis Cathedralibus, quæ Juri Regaliæ subjectæ sunt. — 30. Quid sit Confirmatio. — 31. Confirmatio est duplex, una in forma communi, alia in forma speciali. — 32. Quid sit Confirmatio in forma communi? Nullum jus novum tribuit, sed supponit tantum jam validum. — 33. Quid

Digitized by Google

sit Confirmatio in forma speciali. — 34. Novum jus tribuit, actumque invalidum, reddit validum. — 35. Electus infra tres menses post consensum electioni præstitum, confirmationem petere tenetur. — 36. In electionibus, quorum Confirmatio ad Sedis Apostolicæ examen immediate pertinet, Electus infra unum mensem ad ipsam Sedem iter arripere tenetur, saltem per procuratorem. — 37. Confirmanti incumbit, ut personam qualitates moresque electi et validitatem electionis diligenter exploret. — 38. Litteræ Confirmationis expediuntur in forma bullæ gratiosæ.

(1. Confirmatio electionis, vel nominationis approbatio quoad Episcopos primis Ecclesiæ sæculis omnimode erat penes Episcopos Ordinatores, id est Metropolitanum cum Suffraganeis, juxta Canonem IV. Nicænum, quo decernitur: « Episcopum oportet maxime quidem ab omnibus, qui sunt in Provincia, constitui; si tamen sit hoc difficile, vel propter urgentem necessitatem, vel viæ longitudinem, tres omnino eundem in locum congregatos, absentibus quoque suffragium ferentibus, scriptisque assentientibus, tunc electionem facere, eorum autem quæ fiunt confirmationem in unaquaque Provincia a Metropolitano fieri. »

(2. Quoniam tamen inter Episcopos Ordinatores, primus et præses esset Metropolitanus; neque semper omnibus Comprovincialibus Episcopis commodum esset ad singulas Episcoporum ordinationes convenire, sensim ex quodam ut minus tacito Ecclesiæ consensu ad Metropolitanum integrum pene devolutum est jus electiones discutiendi, easque vel ut Canonicas probandi, vel ut minus Canonicas reprobandi.

(3. Hæc disciplina Metropolitano confirmationem suorum Suffraganeorum attribuens per trecedim facile sæcula inconcussa permansit; eamque et jus commune Decretalium Gregorii IX apertissime supponit et confirmat; unde uno consensu tradunt Canonistæ, Episcopum de jure communi confirmandum esse a suo Metropolitano.

(4. Sicuti vero per Reservationes Pontificias, ad Sedem Apostolicam Sæculo XIV, provisiones sive nominationes fuere devolutæ, atque eo titulo electiones Canonicæ quodammodo abolitæ; ita jus confirmandi Episcopis Metropolitanis ademptum, et Sedi Apostolicæ reservatum fuisse, compertum est; indignum quippe credebatur, ut a Romano Pontifice ad Episcopatum designatus, a Metropolitano confirmationem petere et accipere juberetur.

(5. Et licet Pontificiæ Reservationes, quoad Episcopatus et Prælaturas, sive per Concordata, sive per indulta et privilegia Regibus concessa fuerint in multis restrictæ; tamen confirmationes Romano Pontifici hactenus reservatæ manserunt; nec quidquam juris Metropolitanis restitutum est.

(6. Quum is qui confirmat electum vel nominatum, eundem instituat, ac propriæ Ecclesiæ Pastorem provideat et constituat, merito Sacris Canonibus cautum fuit, ne Metropolitani aliique Prælati, quibus ejus confirmandi seu probandi electiones aut nominationes ad Ministeria Ecclesiastica, præsertim Episcopatus competit, præcipitanter sine prævio, maturo, ac diligenti examine et informatione ad confirmationem prosiliant.

(7. Si electus coelectum aut specialem suæ electionis adversarium habeat, is ante confirmationem nominatim vocandus erit; alias ubi concors fuit electio, aut nullus nominatim se electioni opponit, generale ac peremptorium edictum proponendum est in Ecclesia, in qua electio facta est; ut si qui sint, qui se volunt opponere, constituto termino veniant. Cap. fin. *de Elect.* in 6.

(8. Confirmationes, hisce non observatis, factæ ex eodem capite declarantur viribus omnino carere, irritæ et nullæ.

(9. Examen, seu informationem esse faciendam non tantum circa electionis processum, sed etiam personam electi, declarat Lateranense Concilium sub Innocentio III. celebratum.

(10. Quod tria præcipue inquirenda sint in persona electi, videlicet, ætas legitima, morum honestas, et literatura sufficiens, scribit idem Innocentius Archiepiscopo et Capitulo Capuano in cap. 19, tit. de *Elect. in integra.*

(11. Quia vero vita cujusque exactius nosci potest in loco, in quo quis diu conversatus fuit, ibidem inquirendum est de moribus electi. Cap. 3, tit. *de Elect.*

(12. Pristina disciplina, quæ facile per decem sæcula inconcussa permansit, Confirmationem Episcoporum ab eorum consecratione vix sejunxit; sed Episcopus electus a Metropolitano et Comprovincialibus examinatus, uno eodemque quasi actu et tempore consecrabatur et confirmabatur; sive potius ordinando confirmabant; neque ante ordinationem Prælatus aut Episcopus dicebatur, nisi ad summum cum addito *Electus.*

(13. Quin ex stylo Decretalium, uti observat cum aliis Fagnanus ad *Cap. Eam te, tit. de Rescriptis*, ante consecrationem non dicitur Episcopus simpliciter, sed Electus; et merito, ait, quia electio et consecratio unum faciunt Episcopum.

(14. Ex quo omnium Episcoporum confirmatio ad Romanum Pontificem spectare cœpit, processus inquisitionis de persona promovenda ex Decreto Concilii Tridentini ad illum ipsum transmitti debet, ut ipse, plena totius negotii, et personæ notitia habita, pro gregis Dominici commodo, de illa, si idonea per examen factum reperta fuerit, Ecclesiis possit utilius providere

(15. Quod hic dicitur de transmissione processus sive inquisitionis ad Romanum Pontificem, intelligi debet juxta stylum hodiernum, si Ecclesiæ non sint ad nominationem vel præsentationem Imperatoris, vel Regis alicujus, quia si sit de hujusmodi nomina-

Digitized by Google

tione vel præsentatione, Prælatus qui processum confecit, eum transmittat Cardinalem illius Regni, vel Provinciæ Protectorem, in qua est Ecclesia providenda Pastore.

(16. Totus inquisitionis processus a Cardinale Relatore cum tribus aliis accurate examinari debet; et inde in duobus successivis Consistoriis relatio facienda, quod promovendus præditus sit qualitatibus a jure et a Synodo Tridentina requisitis.

(17. Cardinalis proponens, ex stylo hodierno, si de Ecclesia spectante ad nominationem Regis agatur, est Cardinalis Protector illius Regni. Tres alii Cardinales sunt primus Card. Episcopus, primus Cardinalis Presbyter, et primus Cardinalis Diaconus.

(18. In primo Consistorio fit nuda propositio, vocaturque *Præconizatio;* in secundo fit totalis relatio, atque ex suffragiis Cardinalium nominatum Pontifex sub certa forma Episcopum pronuntiat.

(19. Quemadmodum olim Electus a Clero et populo, aut a Rege nominatus, nullatenus Pastor aut Episcopus censebatur Ecclesiæ vacantis, priusquam a Metropolitano et Episcopis Provincialibus confirmatus, et in Ecclesiæ Pastorem, et Episcopum ordinatus esset: ita nec de jure communi et hodierno, electi a Capitulis Cathedralibus, aut Nominati a Regibus, se administrationi Ecclesiæ sive in temporalibus sive spiritualibus quocumque prætextu immiscere possunt ante confirmationem expeditam; Cap. 17, tit. de *Elect.* quia, ut ait ibidem Pontifex, « nemo debet sibi honorem assumere, sed qui voc tur a Deo tamquam Aaron. » Hebr. cap. 5, v. 4.

(20. Quum vero nonnulli hanc Concilii sanctionem illudere volentes, sub titulo Œconomi aut Procuratoris se administrationi Ecclesiarum ante confirmationem ingererent, Concilium Lugdunense sub Gregorio X, iis fraudibus obviare volens, generali Constitutione sancivit: « Ut nullus de cætero administrationem dignitatis, ad quam electus est, priusquam celebrata de ipso electio confirmetur, sub Œconomatus vel procurationis nomine aut alio de novo quæsito colore, in spiritualibus vel temporalibus per se vel per alium, pro parte, vel in totum, gerere vel recipere, aut illis se immiscere præsumat, omnes illos qui secus fecerint, jure, si quod eis per electionem quæsitum fuerit, decernens eo ipso privatos. » Cap. 5, *de Elect in* 6.

(21. Nec tantum in electione obtinet hæc Juris decisio, sed et in præsentatione sive nominatione, uti post alios Canonistas tradit Fermosinus ad Cap. 15, tit. de *Elect.*, quæst. 2, n. 11. « Nam si persona præsentati, ait, se ingerat ante Confirmationem, revera dicitur *intrusus*, et subjectus pœnis dicti Capitis *Avaritiæ.* »

(22. Nullo ergo titulo, Electi aut nominati se administrationi Ecclesiæ viduatæ ingerere possunt ante confirmationem; eamque juxta stylum hodiernum in Curia Romana expediendam, nisi tamen « valde remoti sint, videlicet ultra Italiam constituti: hi si electi fuerunt in concordia (inquit Concilium Lateranense sub Innocentio III) dispensative propter necessitatem Ecclesiarum, et utilitates in spiritualibus et temporalibus administrent; sic tamen ut de rebus Ecclesiasticis nihil penitus alienent. »

(23. Electum aut Nominatum, obtenta Confirmatione, tamquam verum pastorem, et Episcopum Ecclesiæ vacantis reputari, ex hactenus dictis compertum est.

(24. Hinc Episcopum confirmatum posse plenarie jurisdictionem suam exercere, eaque omnia, quæ ad curam pastoralem et Episcopalem pertinent agere, exceptis his dumtaxat, quæ Ordinis seu Characteris sunt Episcopalis, concludunt Canonistæ, probat communis praxis, et decrevit Cœlestinus III, Cap. *Transmissum*, tit. de Elect. potestate.

(25. Episcopus a Sede Apostolica provisus, sive confirmatus, non potest possessionem adipisci, uti bene notat Zypæus ad titulum *De Causa Possess.* nisi literis in forma expeditis.

(26. Quin nec sufficit Literas in Curia Romana in forma esse expeditas, sed insuper desideratur ut provisus eas exhibeat et præsentet ipsi Capitulo; neque sufficit per testes earum expeditionem probare.

(27. Insuper est una omnium doctrina quod Episcopus etiam confirmatus, vigore literarum Curiæ Romanæ non possit hujusmodi possessionem accipere, nisi prius ipsæ literæ Regi vel Principi in suo Consilio exhibitæ et placetatæ fuerint.

(28. Provisi de Ecclesiis Cathedralibus, quæ Juri Regaliæ subjectæ sunt, ut post obtentam confirmationem Pontificiam plenam temporalium sui Episcopatus administrationem, et Beneficiorum collationem obtineant, debent manus Regiæ levationem obtinuisse, sive ut loquuntur, *Regalia debet esse clausa.*

(29. Quod ut fiat, requiritur primo, ut provisi juramentum fidelitatis Regi præstiterint, quod nimirum « Regi erunt legales, et fideles in suo Episcopali statu, et Populum earum Civitatum, et Episcopatuum, in quantum poterunt, in obedientia et recognitione supremæ potestatis erga Regem, et suam successionis sanguinis posteritatem tenebunt. » Ita refert Philippus Probus in Supplemento ad tractatum *Juris Regaliæ.* Quod utinam hodie ubique locorum Episcopi, aliique Ecclesiastici Prælati, etiam ubi juramentum ex debito non præstatur, inviolabiliter observarent, ita ut de ipsis quærendi nulla occasio Principibus esset; nec unquam ex eorum malo exemplo scandalum paterentur illi ipsi, quibus præsunt, ut maximopere doceant quæ Cæsaris sunt, Cæsari, et quæ Dei, Deo esse tribuenda.

ADDITIONES CASINENSES.

(30. Confirmatio est juris quocumque modo quæsiti per legitimum Superiorem facta corroboratio. Reiffenstuel. l. 2, tit. 30. Hastrens in Summa tit. 30, n. 1. Barbosa ad Rubric. t. 30, n. 5.

(31. Confirmatio est duplex, una in forma communi, alia in forma speciali, seu ex certa scientia. Barbos. l. c. n. 6, Sannig. t. 30, n. 2.

Digitized by Google

(32. Confirmatio *in forma communi*, quæ et *simplex* atque *ordinaria* appellatur, ea est qua Superior, non præcedente alia cognitione causæ, actum ab inferioribus gestum confirmat in eo statu in quo prius fuerat; Reiffenstuel. l. 2, t. 30, n. 4. Et hæc Confirmatio nullum jus novum, neque valorem tribuit illi cui accedit : sed supponit actum jam validum, eumque approbat quatenus de jure validius existit. Glossa *c.* 1 Sannig. *n.* 4.

(33. Confirmatio *in forma speciali* atque ex *scientia* dicitur ea quæ fit cum perfecta notitia totius negotii, et omnium ejus circumstantiarum. Reiffenstuel *l.* 2, *t.* 30, *n.* 7.

(34. Hæc novum jus tribuit actui; eumque, si forsan antea invalidus fuisset, firmum reddit atque validum. Glossa *c.* 1. Pirhing. t. 30, num. 3 et 4. Barbosa ad t. 30, n. 8. Reiffenst. l. c.

(35. Quilibet Electus infra tres menses post consensum electioni de se celebratæ præstitum, confirmationem ipsius electionis petere tenetur; quod si justo impedimento cessante infra hujusmodi trimestre omiserit, electio eadem eo ipso viribus vacuatur. Laymàn c. *Quam sit* num. 3. Reiffenst. l. 1, t. 6.

(36. In electionibus, quarum Confirmatio ad Sedis Apostolicæ examen immediate pertinet, statuitur, quod Electi infra unum mensem post consensum, vel post obtentum de ipsorum electione notitia, ad Sedem ipsam iter arripere, et ad petendam suarum electionum confirmationem cum omnibus actis, juribus et munimentis suis, quam cito commode poterunt, comparere personaliter teneantur, vel saltem per procuratorem sufficienter instructum. In Clem. Ne Romani § fin. Reiffenstuel l. c. tit 3, S. P. in Constit. *Cupientes* c. 16 in 6.

(37. Confirmanti incumbit, ut personam, qualitates, moresque Electi, et processum seu validitatem electionis prius diligenter exploret. In c. *Nihil est* 44, t. 30. Reiffenst. l. c.

(38. Literæ Confirmationis expediuntur in forma bullæ gratiosæ Extrav. 1, t. 6, int. com. In iis, si electio minus canonica deprehensa est, inseritur clausula : « Cassata electione providemus ex integro eidem ecclesiæ de eadem persona exemplo » c. 3, *de sortilegiis*, ob defectus autem dubios, adhibetur clausula *supplentes* c. 39, t. 6. Zallinger l. c. t. 6, 317.

CONFRATERNITAS.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Quoad ea, quæ concernunt Confraternitatum erectionem, et aggregationem.*

1. Ut valide, et legitime erigantur, et aggregentur Confraternitates, debet omnimode observari Constitutio Clementis VIII, incipiens, *Quæcumque.* — 2. Adducitur hic talis Constitutio. — 3. Adducuntur summarie, quæ Clemens VIII in ipsa Constitutione statuit omnimode observanda. Primo enim statuit quod in uno loco unica tantum Confraternitas ejusdem Instituti, et generis possit in Ecclesiis, tam Sæcularium, quam Regularium institui, et aggregari. — 4. Secundo. Quod id fiat de consensu Ordinarii, et cum literis testimonialibus ejusdem. — 5. Tertio. Quod instituentes etc. — 6. Quarto. Quod statuta etc. — 7. Quinto. Quod in aggregandis etc. — 8. Sexto. Quod gratiæ etc. — 9. Septimo. Quod Confraternitas etc. — 10. Octavo. Quod dictæ eleemosynæ etc. — 11. Nono. Quod Confessarii etc. — 12. Decimo. Quod si sint etc — 13. Undecimo. Quod Confratres non possint absolvi a casibus infrascriptis, scilicet, primo, contentis in quibusdam Bullis, secundo, Violationis etc. — 14. Quod literæ erectionis, et aggregationis gratis dentur. — 15. Quod prius erectæ novas erectionis literas petant. — 16. Assignatur forma utenda in erigendis, seu instituendis, confirmandisque Confraternitatibus, ac communicandis Indulgentiis, et gratiis, *usque ad n.* 17. — 18. Adducitur formula pro aggregationibus, *usque ad n.* 19. — 20. Adducitur Constitutio Pauli V. pro Indulgentiis, et gratiis ipsis concessis, *usque ad n.* 21. — 22. Confraternitates Cordigerorum possunt ubique in propriis Ecclesiis erigere Patres Conventuales privative quoad omnes, ubi existunt. — 23. In locis, in quibus non sunt Patres Conventuales, tales Confrat. possunt erigere Minores de Observantia. — 24. Solummodo Prælati Ordinis Minorum, inter quos connumerantur Guardiani, et Præsidentes, possunt recipere volentes aggregari hujusmodi Confrater. Cordigerorum privative quoad omnes alios. — 25. Confraternitates Sanctissimi Rosarii erigere possunt, et instituere solum Ordinis Prædicatorum Magistri, vel Vicarii Generales, et per eos deputati Patres ejusdem Ordinis etiam in sæcularibus Ecclesiis, *usque ad n.* 26. — 27. Sic Confraternitates Corrigiatorum S. Augest. Scapularis S. Mariæ de Carmelo, et aliæ aliis Regularibus concessæ eriguntur, et instituuntur a suis respective Superioribus, seu deputatis Religiosis. — 28. Cum hoc tamen, quod omnes ab omnibus erigantur et instituantur juxta præscriptum a Clemente VIII. in dicta Constitutione incipient. *Quæcumque.* — 29. Talis Constitutio Clementis VIII. prohibens ne in uno loco erigantur plures Confraternitates ejusdem Instituti, et generis, non comprehendit Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti. — 30. Nec etiam comprehendit Confraternitatem Doctrinæ Christianæ. — 31. Nec etiam comprehendit Confraternitates jam erectas ante promulgationem talis Constitutionis. — 32. Adducitur Decretum Sacræ Congregationis Indulgentiarum de mandato Pauli V. editum ad dirimendas varias controversias, *usque ad n.* 33. — 34. Licet sit supprimenda alia Confraternitas ultimo erecta in loco, ubi alia ejusdem Instituti, et generis jam aderat, non tamen sunt suppressi, et inhibiti etiam actus ex devotione exercendi respectu ejusdem Sancti, sub cujus nomine fuit suppressa societas, *usque ad n.* 36. — 37. Regulares, qui ex Indulto Apostolico facultatem habent instituendi Confraternitates, seu Societates in eorum Ecclesiis, non possunt illas erigere, seu instituere cum usu Sacrorum absque Ordinarii loci licentia. — 38. Confraternitates Laicorum erigi, et institui non possunt in Ecclesiis Monialium. — 39. Confraternitates ab Ecclesiis, in quibus reperinntur erectæ, et institutæ, possunt libere discedere, et expelli, etiamsi essent erectæ in Ecclesiis Regularium. — 40. Confraternitatum aggregatio propriorum Ordinum potest fieri a Regularibus in quibuscumque Ecclesiis, sive propriis, sive extraneis. — 41. Confraternitates aggregatæ Archiconfraternitatibus Urbis non gaudent privilegiis Archiconfraternitatum aggregantium, sed solummodo illarum Indulgentiis, et gratiis spiritualibus. — 42. Unde non obstante, quod Confraternitati aggregatæ fuerint per Archiconfraternitatem aggregantem communicata nominatim, et expresse ejus privilegia et statuta, nihilominus debent ab ipsa Confraternitate aggregata omnimode observari conventiones, pacta et statuta in limine erectionis de auctoritate Ordinarii apposita,

Digitized by Google

usque ad n. 43. — 44. Per aggregationem autem nihil detrahitur jurisdictioni Ordinarii. — 45. Confraternitates Sanctissimi Sacramenti ubique erectæ, vel erigendæ absque nova concessione, communicatione, vel aggregatione, participes sunt quorumcumque privilegiorum, concessionum, Indulgentiarum, et gratiarum Archiconfraternitati de Minerva concessarum, et concedendarum. — 46. Facta erectione, et aggregatione Archiconfraternitati Doctrinæ Christianæ Urbis, cæteræ hujusmodi Confraternitates ejusdem Diœcesis non indigent separata aggregatione, ut gaudeant indulgentiis. — 47. Affertur Decretum pro taxa expensarum requisitarum pro aggregationibus obtinendis. — 48. Constitutio Benedicti XIII. *Ex quo Sede Apostolica*, quoad erectionem Archiconfraternitatis sub titulo B. Mariæ Virginis Immaculatæ, suum non est sortita effectum. — 49. 50. Privilegia societatis S. Mariæ Virginis de succursu contra infideles. — 51. Confraternitates vel sunt Ecclesiasticæ vel Laicales. — 52. Ad erectionem Confraternitatum Ecclesiasticarum necessaria est auctoritas Superioris Ecclesiastici. — 53. Superior Ecclesiasticus in hac materia non est semper Episcopus. — 54. Confraternitates in Ecclesiis Regularium non aliter erigi possunt a Superiore eorumdem quam si de illis sint, quarum erectio ex Apostolico privilegio ad ipsos spectat. — 55. Confraternitates in eorum Ecclesiis erigendæ sunt auctoritate Ordinarii. — 56. Confraternitatibus licet sese transferre de una in alteram Ecclesiam, ita et Regularibus permissum est ipsas Confraternitates dimittere. — 57. Hæc translatio fieri nequit sine consensu majoris partis Confratrum. — 58. *ad* 60. An idipsum obtineat, si agatur de Confraternitatibus illis, quarum erectio ad Superiores Regularium spectat? — 61. 62. In casu permissæ translationis Confraternitatis de una ad aliam Ecclesiam, intelligitur quoque translatio bonorum ad easdem Confraternitates spectantium. — 63. Nova Confraternitas in eodem loco non prohibetur erigi si titulum habeat ab antiqua diversum. — 64. Maxime si institutum habeat diversum. — 65. Etiamsi concurrat natura tituli. — 66. Ex duabus Contraternitatibus ejusdem tituli prius erecta remanere debet. — 67. 68. Confraternitates aggregatæ Archiconfraternitatibus Urbis, an gaudeant ipsarum privilegiis? *Remissive.* — 69. Antiquissimus est usus Confraternitatum; Ethnicorum duo confraternitatum genera: alterum ad religiosum Deorum, alterum ad profanum artium cultum institutum; unde nomen sumpserint? — 70. Sumpserunt etiam ab Imperatoribus. — 71. Plerumque sub prætextu divini cultus prava in eorum concionibus moliebantur consilia. — 72. Inde nonnullorum templorum demolitio. — 73. Vivente Marciano, Religionis tantum causa coire licitum fuit. — 74. Ob hanc causam Judæis post captam Hierosolimam Romæ viventibus permissum fuit synagogam constituere. — 75. Sed Julius Cæsar illis synagogam interdixit; sed postea permisit. — 76. Sub aliis Imperatoribus renovatæ fuerunt hujusmodi prohibitiones, sed tandem Theodosio Imperatore voti compotes fuerunt. — 77. Diversa primis illis temporibus Christianorum conditio fuit; *heteriæ* quid? — 78. Collegia Christianorum primis sæculis a nostris confraternitatibus diversa. — 79. Duo distinguenda sunt Collegiorum genera: alia Ecclesiastica, alia Laicalia erant; Ecclesiastica diutius communem vivendi formam observarunt. — 80. Laicalia prima ad pietatis officia coibant; — 81. Deinde simul convenire cœperunt etiam ad usus profanos. — 82. Quando hæc Collegia orta sint, et Confraternitatum nomen sumpserint, arduum est invenire. — 83. Origo Confraternitatum constituenda est anno 800. — 84. In Italia assiduis Barbarorum incursionibus perturbata, pene nulla Confraternitatum reperitur mentio. — 85. Sed nondum omnino hæ Confraternitates nostris similes erant. — 86. Incunte sæculo XIII. Flagellantes publicas inire supplicationes cœperunt, saccumque induere et vexillum erigere, ut una ab altera distingueretur societas. — 87. Antiquior inter has posteriores apparet Confraternitas dicta *del Confalone.* — 88. De Confraternitatibus Artificum *Remissive.* — 89. Undenam vocentur Fratres?

ARTICULUS II. — *Quoad varia, quæ concernunt Confraternitates, eorum Cappellanos, et Parochos.*

1. Ad dirimendas controversias, quæ sæpe oriri solent inter Confraternitates, eorumque Cappellanos, et Parochos non est desumenda regula, et norma ab Archiconfraternitatibus Urbis. — 2. Sed sunt observanda decreta a Sacris Congregationibus pluries edita, et signanter a Sac. Congregatione Concilii. — 3. Et a Sac. Congregat. Episcoporum et Regularium. — 4. Et a Sacra Congregatione Rituum. — 5. Alia ad rem. *Remissive.* — 6. Confraternitates aliqua quidem exercere queunt sine licentia Parochi, immo hoc contradicente; sed numquam absque Ordinarii placito. — 7. Afferuntur plura Decreta S. Congr. Concil. — 8. 10. Afferuntur Decreta S. Cong. Conc. quoad discordias inter Parochos et Rectores distinctarum Ecclesiarum existentium intra limites Parochiæ sine ulla Confraternitate. — 11. Resolutio S. Cong. Rituum anno 1704. edita valet dissidiis Parochos inter et Confraternitates finem imponere. — 12. S. Congreg. statuit discrimen Confraternitates Sæcularium erectas in Ecclesiis Parochialibus etc inter, et Confraternitates constitutas in Ecclesiis publicis etc. — 13. Et fere omnia tribuit Parochis in Confraternitatibus primi generis. — 14. Post hanc resolutionem nonnulli scriptores putant, plura in Confraternitatibus et ab eorum Cappellanis hanc fieri posse. — 15. Et allegant Decreta Sac. Congregationum. — 16. Affertur Baptistelli Fulginatens. Episcopi sententia. — 17. Quos confutat Bened. XIV. — 18. Alia ad rem. *Remissive.*

ARTICULUS III. — *Confraternitates, quoad illa, quæ respectu ipsarum Episcopus potest facere, vel non.*

1. Confraternitates Laicorum cum usu saccorum non solum in propriis Oratoriis, sed etiam in Regularium Ecclesiis, in quibus reperiuntur erectæ, possunt visitari ab Episcopo in his quæ respiciunt administrationem, et adimplementum onerum. — 2. Quoad hoc attendenda est Epistola Sac. Congreg. Episcoporum, et Regularium. — 3. Ubi vides non posse Episcopum visitare Ecclesias, vel Altaria etiam pro servitio dictarum Confraternitatum a Regularibus assignata, nisi quoad onera. — 4. Immo neque visitare potest Episcopus Altaria, et Cappellas in Regularium Ecclesiis per Sæcularium Confraternitates constructa. — 5. Confraternitates Laicorum visitari possunt ab Episcopo etiamsi essent erectæ in Ecclesiis, seu Oratoriis fundatis, et extructis in solo, et territorio Religionis Hierosolymitanæ. — 6. Quinimmo Episcopi visitare possunt Confraternitates, quæ non a primæva sua fundatione sunt sub immediata Regum protectione, sed solum ex post sub sui immediata protectione sunt a Rege accepta, *usque ad n.* 8. — 9. Administratores Confraternitatum, sicut et aliorum piorum locorum, possunt compelli ab Episcopo ad reddendam rationem administrationis, et ad asportandum libros administrationis, etiam ad Palatium Episcopale, si sint in loco residentiæ, seu alterius stationis, et permanentiæ Episcopi. — 10. Etiamsi tales administratores rationem administrationis aliis reddere solerent. — 11. Immo redditio rationis administrationis danda est Ordinariis etiam a Confraternitatibus, aliisque locis piis, quæ sunt sub immediata Regum protectione, *usque ad n.* 13. — 14. Episcopus manutenendus est in quasi possessione cogendi Confraternitates Laicorum, quæ utuntur sacco, per Edicta pœnalia, exactionem pœnarum, aliaque juris, et facti remedia ad conveniendum solitis Processio-

Digitized by Google

nibus non obstante aggregatione. — 15. Et in casu, quod adsit consuetudo. — 16. Episcopus potest per se ipsum, vel per suum Delegatum intervenire, et assistere Congregationibus Confraternitatum, et electionibus Officialium, modo non faciat novitates. — 17. Immo potest Episcopus per se ipsum, vel per suum Delegatum intervenire, et assistere Congregationibus Confratrum, etiamsi fiant in Ecclesiis et Oratoriis Regularium, absque eo quod possit excludi. — 18. Pro contributione Seminarii Episcopus potest taxare Confraternitatum bona, quatenus sint Ecclesiastica. — 19. Supposita taxa pro Seminario cum solutione continuata ultra triginta annos, tenetur Confraternitas ad illius solutionem in futurum. — 20. Confraternitates tenentur contribuere pro victualibus Visitatoris, seu Episcopi Visitantis. — 21. Et non obstante consuetudine contraria non contribuendi. — 22. Servari debet Decretum Episcopi, ne in Oratoriis Confraternitatum celebretur in Festis ante Parochialem, modo Parochus celebret hora competenti. — 23. Non potest Episcopus se ingerere in administrationem bonorum Confraternitatum Laicorum, dum illa non dilapidant, *usque ad n.* 24. — 25. Episcopus non potest prohibere Confraternitatibus Laicorum, ne faciant expensas extraordinarias excedentes summam Scutorum viginti sine sua licentia. — 26. Episcopus non debet compellere ad unionem Confraternitates. — 27. Hinc similis unio facta, declaratur nulla. — 28. Nulla Confraternitas impediri debet, ne accedat ad funera, modo sine jurium Parochialium præjudicio. — 29. Episcopus impedire non potest, ne Confratres societatis Mortis incedant cum capite caputio cooperto. — 30. Episcopus non potest prohibere, vel restringere Confraternitatibus præsertim aggregatis solita exercitia, puta Societatis Mortis sepelire defunctos post horam 23. — 31. Vel facere consuetam disciplinam secreto, et sine lumine. — 32. Secus de exercitiis insolitis, si possit esse occasio scandali, vel disturbandi antiqua. — 33. Confraternitates possunt congregari ubi, et quoties magis eis placuerit, etiam absque Episcopi licentia, *usque ad n.* 35.—36. Cappellani Confraternitatum non debent ab Episcopo sine causa amoveri, reluctantibus Confratribus. — 37. Confratres non possunt quæstuare etiam per propriam Ecclesiam sine licentia Ordinarii. — 38. Affertur Resolutio Sacræ Congr. Conc. interpretis quoad potestatem Episcopo competentem visitandi Confraternitates erectas in Ecclesiis Regularium exemptorum. — 39. Cui resolutioni ipsa S. Congr. se conformavit. — 40. Confraternitates in Lateranensi solo excitatæ Episcopo minime subsunt. — 41. Quod Privilegium tunc valet, cum Confraternitates in eo fundo eriguntur, qui prius ad Basilicam Lateranensem pertinebat. — 42. Aliter vero, si post erectionem eidem Basilicæ subjiciuntur. — 43. Potest tamen Episcopus eas visitare tamquam delegatus. — 44. De Parochi potestate in Confraternitates. — 45. 55. Affertur resolutio Sac. Congr. Conc. interpretis.

ARTICULUS IV. — *Confraternitates, quoad immunitatem a potestate, et jurisdictione Laicali.*

1. Confraternitates auctoritate Apostolica, vel Ordinaria erectæ subsunt jurisdictioni Episcopi, ac etiam ipsi Confratres, ubi agitur de interesse spiritualitatis et Confraternitatis. — 2. Cognitio causæ contra Confratres Confraternitatis N. spectat ad Archiepiscopum. — 3. Sicut et causa contra Confraternitatem habentem requisita spectat ad Judicem Ecclesiasticum. — 4. Causæ jam cognitæ a Judice Ecclesiastico circa bona debita Confraternitatibus, spectant ad Judicem Ecclesiasticum, nec potest Judex Laicus res reassumere, seu inhibere. — 5. Confraternitates Ecclesiasticæ gaudent exemptione a gabella pro pane, qui ab eisdem datur custodibus animalium ipsarum Confraternitatum pro eorum victu. — 6. Domus Confraternitatis contigua Ecclesiæ Confratrum gaudet immunitate, etiam quoad confugientes. — 7. Locata vero Laicis non gaudet. — 8. Administratores et Procuratores Confraternitatum, Ecclesiarum, et Capellarum auctoritate Episcopali fundatarum, quarum proventus in opera pia insumuntur, etiamsi sæculares, quoad ea, quæ pertinent ad dictam administrationem, convenire debent ante Forum Ecclesiasticum. — 9. Judices sæculares, qui Confraternitates, seu Confratres per præcepta compellunt ad se subjiciendum suis judiciis pro rebus ipsarum Confraternitatum, et pro actibus, quos faciunt in locis Sacris, et alios, ut Processionum, et similium, tamquam usurpatores jurisdictionis Ecclesiasticæ declarandi sunt et tractandi. — 10. Hinc Injungendum videtur Gubernatori, ut revocet præceptum factum Officialibus Confraternitatis, et omnia alia acta ab ipso facta in præjudicium Jurisdictionis Episcopalis. — 11. Ad hanc rem facit Epistola scripta Archiepiscopo Mediolanensi a Sacr. Congregat. Immunit. — 12. Alia Epistola Episcopo Nolano missa. — 13. Quando Confraternitates dicendæ sint Ecclesiasticæ et quando Laicales, *Remissive.*

ARTICULUS V. — *Confraternitates, et Confratres quoad sepulturas.*

1. Confraternitatibus potest ab Episcopo concedi privilegium sepulcri. — 2. Confratres decedentes non electa sibi explicite sepultura in sepulcro sui Oratorii, debent sepeliri in Ecclesia Parochiali, si alias non habeant proprium sepulcrum majorum. — 3. Electio sepulturæ facta a Confratribus collective, et collegialiter sustinetur, et valet solum pro illis, qui individualiter consenserunt, *ad n.* 7. — 8. Hinc Confratres Confraternitatis etiam erectæ in Cathedrali decedentes non electa sepultura, sepeliendi sunt in Parochiali, et non in sepulcro a Societate in Cathedrali constructo, etiamsi adesset statutum approbatum ab Ordinario, quod in sepulcro Confraternitatis essent tumulandi. — 9. Officium super Defunctis in Ecclesia, vel oratorio Confraternitatis *ad n.* 11. — 12. Ex Decreto tamen Sacræ Congregationis Episcopor. et Regular. Parochus intervenire potest in funeribus, quæ fiunt in Ecclesiis Confraternitatum, licet defuncti non sint de sua Parochia. — 13. Hinc conciliantur Decreta. — 14. Conceditur ex gratia Confraternitati, ut sepelire possit in sua Ecclesia omnes suos Confratres, ante infirmitatem, de qua decesserunt, in ea Confraternitate descriptos, de consensu hæredum, et sine præjudicio emolumentorum, quæ spectarent ad Capitulum, vel Parochiam. — 15. Hæres Defuncti invitare potest numerum Sacerdotum et Confraternitatum sibi bene visum. — 16. Nec cogi potest ad vocandum Capitulum vel alios sed solum Parochum cui debetur duplum Eleemosynæ. — 17. An liceat in Ecclesia Confraternitatum habere sepulcrum, et possint cadavera tumulari absque licentia Parochi? — 18. An in sepulcro Confraternitatis in propria Ecclesia sepeliendi sint Confratres, qui sine sepulturæ electione decedunt? — 19. An ad Parochum spectat facere Officium funebre supra cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis, etc. Confraternitatum. — 20. An liceat Confraternitati Salutis sepelire in propria Ecclesia cadavera Confratrum, qui ibidem elegerint sepulturam; et an ejusdem Capellanus absente Parocho valeat functiones super iisdem cadaveribus explere? — 21. Confratres sepeliri possunt in sepultura Ecclesiæ suæ Confraternitatis. — 22. 23. Utrum hoc in casu Officium funebre super Cadaveribus facere spectet ad Capellanum Confraternitatis, an ad Parochum?

ARTICULUS VI. — *Quoad varia alia Confraternitates concernentia.*

1. Confraternitates Ecclesiasticæ nequeunt alienare bona sua sine beneplacito Apostolico. — 2. Immo requiritur beneplacitum Apostolicum in cessione bonorum Confraternitatis, etiam in favorem alterius

Digitized by Google

Ecclesiæ. — 3. Sic etiam requiritur beneplacitum Apostolicum pro Confraternitatibus, et Oratoriis Laicorum erectis in Ecclesiis Regularium auctoritate Ecclesiastica. — 4. Confraternitates mere Laicales, sicuti et Collegia mere Laicalia, licet ibi opera pia exerceantur, et perinde dicantur loca pia, possunt alienare res suas absque solemnitatibus. — 5. Secus vero, si sint loca auctoritate Ecclesiastica erecta, quamvis administrentur a Laicis. — 6. Hinc Confraternitates, Societates, Conservatoria, Seminaria, Collegia, et hujusmodi, si sint erecta auctoritate Ordinarii, et sic sint Ecclesiastica, subjiciuntur Extravaganti incip. *Ambitiosæ*. — 7. Secus si non sint talia. — 8. Seminaria erecta in vim Concilii Tridentini sunt loca Ecclesiastica, et eorum bona nequeunt alienari sine solemnitatibus, et beneplacito Apostolico. — 9. Collegia vero Puerorum, et Alumnorum erecta absque auctoritate Ordinarii, etsi dicantur loca pia, non tamen sunt Ecclesiastica, nec indigent Apostolico beneplacito pro alienationibus. — 10. Sic Collegia Artificum, et Universitatis Professionum, cum non sint loca Ecclesiastica, non subjacent Extravaganti *Ambitiosæ*. — 11. Mons vero Misericordiæ Civitatis Neapolis petiit beneplacitum pro alienatione domus. — 12. Confraternitates Laicorum approbatæ, et earum Cappellani possunt facere solitas Processiones, quando non fiunt in Parochiali, et in primaria Ecclesia. — 13. Confraternitatum Processiones non debent extendi per vias, sed circa muros Regularium, qui eas regunt, extra vero ambitum Ecclesiæ non licet neque Regularibus, neque Confraternitatibus facere Processiones, nisi de licentia Parochi, exceptis tamen illis qui gaudent in hoc speciali privilegio. — 14. In Processionibus peragendis extra ambitum Ecclesiarum, in expositione Eucharistiæ, Benedictione solemni super populum, aliisque similibus, quoties interveniat licentia Ordinarii, Parochus non potest se opponere ne a Cappellanis et Officialibus Confraternitatum fiant. — 15. Confraternitates Laicorum in Processionibus procedere, et præcedere debent inter se juxta Bullam Gregor. XIII. incip. *Exposci*. — 16. Unde Confraternitas, quæ prius saccum induit, præcedere debebit aliis, quæ postea induerunt. — 17. Excipitur tamen Confraternitas, seu Societas Sanctissimi Sacramenti, cui debetur præcedentia supra omnes alias Confraternitates in illis Processionibus, in quibus defertur Sanctissimum Sacramentum. — 18. In aliis vero Processionibus Confraternitas Sanctissimi Sacramenti debet procedere, et præcedere, juxta suam antianitatem, sicut cæteræ aliæ. — 19. Jus præcedentiæ non attenditur in regressu a Processionibus. — 20. Confratres ad conveniendum solitis Processionibus compellere potest Episcopus sub pœnis ejus arbitrio imponendis, stante possessione illos vocandi per Edicta. — 21. Confraternitates Episcopo assentiente possunt statuta condere — 22. Statuta autem confirmare nemo potest, invito vel inconsulto Episcopo, sed ad ipsum privative quoad alios spectat. — 23. Confraternitas legitime, ut moris est, intimata, et coadunata, poterit determinare, et resolutionem capere, etiamsi non interveniant duæ ex tribus partibus, aut major pars Confratrum. — 24. Confraternitates erigere possunt, et ampliare suas Ecclesias, vel Oratoria sine præjudicio Jurium Parochialium non tamen mutare titulum. — 25. Confraternitates possunt elecmosynas quærere secundum suum institutum. — 26. Confraternitates non possunt accedere ad funeralia mortuorum, nisi specialiter, et expresse vocentur. — 27. Confraternitates, sæcularium funera associantium, de intorticiis, seu Cereis, quartam funeralem Parochis non debent. — 28. Habitus mutatio non debet de facili Confraternitatibus indulgeri. — 29. Si duæ Confraternitates ejusdem loci deferunt eundem saccum, distingui debent addito aliquo coloris signo. — 30. Confraternitates quædam, quæ extra Urbem sunt, et dependent a Capitulo Sancti Joannis Laterani, vel Sancti Petri, vel S. Sebastiani, subduntur Ordinariis, ac Rectoribus Ecclesiarum. — 31. Inter Confraternitates Laicorum illa præcedit, quæ est in possessione præcedendi, aut quæ prius saccis induta est. — 32. Confraternitas SS. Sacramenti, si sacco induatur præcedit cæteras in Processionibus, in quibus defertur SS. Eucharistia — 33. Affertur Decretum S. Congreg. Indulgent. in Constant. — 34. Confraternitati, excluso Parocho, jus est Officium funebre faciendi super Cadavera Confratrum qui non sunt de Parochia, ubi sita est Ecclesia Confraternitatis. — 35. Si vero subjecti sunt Parochiæ, in qua Ecclesia Confraternitatis posita est, spectat ad Parochum. — 36. Potest tamen hoc jus spectare ad ipsorum Confraternitatem ex peculiaribus Conventionibus a S. Sede confirmatis. — 37. An in funebri hoc Officio Confraternitas propriam Crucem elevare queat, ejusque Capellano permitti possit delatio Pluvialis et Stolæ? — 38. De mutatione statutorum Confraternitatum frequentes sunt quæstiones. — 39. Ordinarius ea mutare potest. — 40. An ipsi hæc ipsa facultas competat, quoad statuta condita in vim contractus. — 41. An valeat mutare statuta a S. Sede confirmata. — 42. Alia ad rem, *Remissive*.

ARTICULUS I.

Quoad ea, quæ concernunt confraternitatum erectionem, et aggregationem, et originem.

(1. Ut Confraternitates legitime, et valide erigantur, et aggregentur, debet omnimode observari Constitutio 115. Clementis VIII. incip. *Quæcumque*, quæ ut ab omnibus commode sciri possit, datur hic per extensum ut jacet.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

(2. Quæcumque a Sede Apostolica ad promovendam Christi fidelium salutem aliquando concessa sunt, etsi maturo consilio, magnaque prudentia, et cautione sancita, et decreta sint, tamen cum Romanus Pontifex de animarum salute sollicitus, progressu temporis animadvertit sensim aliquot abusus in eisdem statutis, et decretis observandis provenire, debet pro sui pastoralis officii munere illis opportuna ratione occurrere, et quantum cum Domino potest, adhibito salutari remedio providere.

§ 1. Cum itaque a pluribus Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, et forsitan etiam a Nobis nonnullis Regularibus Ordinibus, Religionibus, et Institutis, ac etiam Christi fidelium sæcularium Archiconfraternitatibus, et Congregationibus diversarum Nationum, Nominum, et Institutorum, tam in Alma Urbe nostra, quam in aliis Civitatibus, et locis Christiani Orbis institutis, facultas erigendi, et instituendi, in eorum, et aliis Ecclesiis, et Collegiis, nec non etiam sibi aggregandi Confraternitates, et Congregationes in eadem Urbe, et in aliis locis existentes, eisque privilegia, Indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta sibi concessa respective communicandi attributa fuerint, ac nulla certa forma, vel ratio præscripta sit, quæ in hujusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, et communicationibus faciendis servari debeat; propterea, sive negligentia Superiorum

Digitized by Google

Ordinum, Religionum, et Institutorum, vel Officialium Archiconfraternitatum, et Congreg. erigentium, instituentium, aggregantium, et communicantium, quæ Confraternitatibus, et Congregationibus erigendis, instituendis, et aggregandis, et quibus communicationes privilegiorum, Indulgentiarum, aliarumque gratiarum prædictarum fiunt, non servant formam in hujusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, et communicationibus servari debitam, neque præscribunt modum quo privilegia, Indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta prædicta consequi debeant, seu ipsarum Confraternitatum, et Congregationum incuria, quæ non inquirunt ea quæ præstare oportet, ut nulla consequantur, nonnullæ pravæ consuetudines irrepserunt multaque incommoda inde provenerunt.

§ 2. Quibus Nos, pro commisso nobis Apostolicæ sollicitudinis Officio, paternaque erga omnes Christi fideles Charitate prospicere volentes, hac nostra Constitutione perpetuo valitura decernimus atque statuimus, ut in posterum, tam hujus Almæ Urbis nostræ, quam aliarum Civitatum, et locorum totius Christiani Orbis Regularium Ordinum, et Religionum, et Institutorum, quibus in eorum, et quibuscumque aliis Ecclesiis, et Collegiis, Confraternitates Sæcularium erigendi, et instituendi facultas concessa est, nec non etiam Archiconfraternitatum, et Congregationum, cujusvis Nationis, Nominis, et Instituti illæ sint, et in quibuscumque Ecclesiis, Domibus, et Oratoriis, tam Sæcularium, quam, ut præfertur, quorumcumque, etiam Mendicantium Ordinum, Religionum, Institutorum Regularium, quavis, tam ordinaria, quam Apostolica auctoritate erectæ, ac institutæ existant, seu alio quovis modo introductæ reperiantur, quibus alias Confraternitates, et Congregationes instituendi, erigendi, ac sibi aggregandi, aliisque privilegia, Indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta prædicta elargiendi, et communicandi potestas a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, vel a Nobis, et Apostolica Sede attributa fuit, Magistri, Priores, Præpositi, Rectores, Gubernatores, Præceptores, Primicerii, Prælati, Custodes, Guardiani, Præfecti, Administratores, et alii Officiales, seu Superiores, quovis modo nuncupati, Regularium siquidem Ordinum, Religionum, et Institutorum, unam tantum Confraternitatem, et Congregationem, de consensu tamen Ordinarii loci, et cum literis ejus testimonialibus, quibus Confraternitatis, et Congregationis erigendæ, et instituendæ pietas, et Christianæ Charitatis officia, quæ exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum, et quibuscumque aliis Ecclesiis, et Collegiis erigere, et instituere.

§ 3. Cæterarum vero Archiconfraternitatum, et Congregationum, in singulis Civitatibus, Oppidis, vel locis, unam etiam Confraternitatem, et Congreg. dumtaxat, quæ Apostolica, vel ordinaria auctoritate prius erecta, ac nulli alteri Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati, et Congregationi ejusdem, vel alterius Nationis, Nominis, et Instituti aggregata sit, prævio similiter loci Ordinarii consensu, et cum ejus Literis testimonialibus, quibus ejusdem Confraternitatis, et Congregationis aggregandæ, institutum, pietas, et Christianæ charitatis officia, quæ exercere consuevit, apud eos commendentur, sibi adjungere, et aggregare possint.

§ 4. Huic vero Confraternitati, et Congregationi erigendæ, instituendæ, seu aggregandæ, ea tantum Privilegia, Indulgentias, Facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta, quæ ipsi Ordini, Religioni, Instituto erigenti, instituenti, ac communicanti, seu Archiconfraternitati, et Congregationi aggreganti, nominatim, et in specie, non autem quæ per extensionem, vel communicationem sibi, quovis modo, concessa sunt, et illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expresse, et in specie communicare valeant.

§ 5. Statuta autem pro regimine Ordinum, Religionum, et Institutorum erigentium, et instituentium, ac communicantium, seu Archiconfraternitatum, et Congregat. aggregantium edita, Confraternitatibus, et Congreg. erigendis, instituendis, et aggregandis, et quibus Communicationes privilegiorum, et aliorum prædictorum fiunt, impartiri non possint, nisi ea prius ab Episcopo Diœcesano examinata, et pro ratione loci approbata fuerint, quæ nihilominus ejusdem Episcopi decretis, ac moderationi, et correctioni in omnibus semper subjecta remaneant.

§ 6. Insuper volumus, et ordinamus, ut prædicti Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, nec non Archiconfraternitates, et Congregationes aggregantes certam erigendi, instituendi, aggregandi, et communicandi formulam a Nobis novissime approbatam diligenter observent, secundum quam privilegia, Indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus, instituentibus, et Communicantibus, seu Archiconfraternitatibus, et Congregationibus aggregantibus, nominatim, et expresse, non autem per communicationem, neque ad instar, ut supra, concessa, ipsis Confraternitatibus, et Congregationibus erigendis, instituendis, et aggregandis, et quibus communicationes fiunt, communicare possint.

§ 7. Quibus Confraternitates, et Congregationes ejusdem dumtaxat Nationis, et Nominis, Ordinis, Religionis, et Instituti, Archiconfraternitatis, et Congreg. cui aggregantur, tam hactenus aggregatæ, quam in posterum aggregandæ utantur, potiantur, et gaudeant, ita ut dictarum Confraternitatum, et Congreg. erectarum, institutarum, et aggregatarum, ac quibus communicationes factæ sunt, Ministri, et Officiales, et alii supradicti privilegia, Indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta hujusmodi, prævia tamen recognitione Ordinarii loci, qui adhibitis duobus de ejusdem Ecclesiæ Capitulo, illa juxta Sacri Conc. Trid. Decre-

Digitized by Google

tum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant.

§ 8. Quibus etiam Ministris, Officialibus, et aliis prædictis, eleemosynas, et alia oblata Christianæ Charitatis subsidia, juxta modum, et formam per Ordinarium loci præscribendam, remotis tamen mensis, pelvibus, et capsis, quæ in Ecclesiis, et Oratoriis dictarum Confraternitatum, et Congreg. publice ad hoc exponi consueverunt, excipiendi potestas detur: Atque hoc ipsum Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, seu Archiconfraternitates et Congregat. aggregantes tam Almæ Urbis nostræ quam aliarum Civitatum, et locorum quorumcumque juxta modum a Vicario Urbis, et ab Ordinariis locorum respective præscribendum, observare teneantur. Eleemosynas sic collectas in reparationem, et ornatum Ecclesiarum, tam Ordinum, Religionum, Institutorum erigentium, instituentium, et communicantium, ac Archiconfraternitatum, et Congregat. aggregantium, quam Confraternitatum, et Congr. erigendarum, et instituendarum, et quibus communicationes fient, aut in alios earum pios usus, arbitrio ejusdem Vicarii nostri in Urbe, necnon Ordinariorum locorum respective fideliter exponere, atque erogare procurent: ut omnes intelligant cœlestes Ecclesiæ thesauros, non quæstu, aut alicujus lucri causa, sed pietatis, et charitatis excitandæ gratia ex Apostolicæ Sedis benignitate Christi fidelibus aperiri.

§ 9. Præterea volumus ut Confessarii, qui vigore privilegiorum ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus, instituentibus, et communicantibus, seu Archiconfraternitatibus, et Congregat. aggregantibus concessorum, ac Confraternitatibus, et Congregationibus aggregandis communicandorum, pro tempore eligi possunt, et poterunt sæculares, scilicet in Alma Urbe a prædicto nostro Vicario, extra Urbem vero a locorum Ordinariis; Regulares autem non solum a prædicto Vicario nostro, et a locorum Ordinariis respective, sed etiam a suis Superioribus approbati sint, utque Confratres confitentes a criminibus, casibus, et Censuris, juxta dictorum privilegiorum (quatenus tamen sint in usu, et Sacr. Conc. Trid. Decretis, ac Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, et nostris Constitutionibus non adversentur, nec revocata, aut sibi aliquibus revocationibus comprehensa sint) formam et tenorem dumtaxat absolvere valeant. Decernimus insuper, ut iidem Confessarii prædictos Confratres cujuscumque gradus, conditionis, præeminentiæ, etiam si speciali nota dignæ fuerint, a casibus contentis in Literis, quæ die Cœnæ Domini legi consueverunt, nec non violationis immunitatis, et libertatis Ecclesiasticæ, et clausuræ Monasteriorum Monialium, si videlicet sine necessaria, et urgenti causa, ac sine Superiorum licentia, vel etiam si causa, et licentia concessa abutentes, prædicta Monasteria ingressi fuerint, necnon violentæ manus injectionis in Clericum, et singularis certaminis, seu duelli, ac ab aliis etiam casibus, tam a Nobis quam a prædicto nostro in Urbe Vicario, et locorum Ordinariis respective reservatis, et pro tempore reservandis, et etiam a quavis excommunicatione ab homine lata, absolvere, et super irregularitatibus, tam ex aliquo defectu provenientibus, quam occasione delicti contractis cum aliquo dispensare prætextu dictorum privilegiorum, nullo modo possint.

§ 10. Demum statuimus, et pariter ordinamus, ut Confraternitates, et Congreg. ubivis locorum, quavis auctoritate, ut præfertur, erectæ, et institutæ, et quibus communicationes prædictæ factæ sunt, ac cuicumque ex dictis Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus, et Congregationibus ubilibet existentibus hactenus aggregatæ, ab eisdem respective Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus, et Congregationibus, novas erectionum, institutionum, communicationum, et aggregationum Literas, juxta formam a Nobis novissime approbatam, infra annum, si in Europa sint, et si extra Europam fuerint, infra biennium a die publicationis præsentium in Romana Curia faciendæ computandos impetrare teneantur, alioquin dicto tempore elapso, erectiones, institutiones, et quæcumque communicationes privilegiorum, facultatum, Indulgentiarum, aliarumque spiritualium gratiarum, et indultorum, et aggregationes illarum vigore ipsis concessæ, nullius sint roboris, et momenti, ac revocatæ, et abolitæ censeantur eo ipso.

§ 11. Erectionum autem, institutionum, communicationum, et aggregationum, tam hactenus factarum, quam deinceps faciendarum Literæ ab ipsis Ordinibus, Religionibus, institutis, seu Archiconfraternitatibus, et Congregationibus gratis omnino ac nulla prorsus mercede, etiam a sponte dantibus accepta, expediri, et concedi debeant.

§ 12. Quod si Ministri aliqui, Superiores vel Officiales quocumque nomine nuncupati Ordinum, Religionum, institutorum, seu Archiconfraternitatum, Congregationum, et Confraternitatum hujusmodi, quavis auctoritate, vel privilegio, et officio fungantur, et præfulgeant, contra præmissa in aliquo venire, vel facere præsumpserint, erectiones, institutiones, et communicationes privilegiorum, Indulgentiarum, facultatum, spiritualiumque gratiarum, et indultorum, aliorumque præmissorum concessiones, necnon aggregationes per ipsos faciendæ, seu renovandæ, nullius sint roboris, et momenti, et quilibet eorumdem Ministrorum, Superiorum, Officialium, et aliorum præfatorum privationis officiorum, quæ obtinet, ac inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda pœnam, quæ ab alio quam a Nobis vel a Romano Pontifice pro tempore existente, remitti non possit, incurrat eo ipso.

§ 13. Decernentes præsentes Literas perpetuo validas, et efficaces existere, fore, ac ab omnibus, et singulis, ad quos spectat,

Digitized by Google

inviolabiliter observari debere, sicque nostræ mentis, et intentionis existere, et ita, et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane quidquid super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 14. Ponuntur clausulæ derogatoriæ.

§ 15. Ponitur forma publicandi hanc Constitutionem, et tempus quo ligare incipit.

§ 16. Ponitur notificatio facienda per Ordinarios.

§ 17. Fides transumptis adhibenda : quæ eum non faciant ad rem nostram, brevitatis causa omitto.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 7 Decembris anno millesimo sexcentesimo quarto, Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

In qua Constitutione, ut vides, Pontifex plura statuit omnimode observanda. Primo, statuit quod unica tantum Confraternitas ejusdem instituti et generis possit in Ecclesiis tam sæcularium, quam Regularium institui et aggregari. Secundo, quod id fiat de consensu Ordinarii, et cum Literis testimonialibus ejusdem. Tertio, quod instituentes, vel aggregantes Confraternitatem, eidem expresse, et in specie communicent privilegia, et Indulgentias etc. Ordini instituenti, vel aggreganti nominatim concessa; non vero ea quibus per Privilegium communicationis gaudet. Quarto, quod statuta Confraternitatum examinentur, et approbentur ab Ordinario loci, et corrigi possint. Quinto, quod in aggregandis et instituendis Confraternitatibus servetur formula ab eodem Pontifice approbata. Sexto, quod gratiæ, et Indulgentiæ Confraternitati communicatæ, prævia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur. Septimo, quod Confraternitas eleemosynas, et alia charitatis subsidia excipiat juxta formam per Ordinarium præscribendam. Octavo, quod dictæ eleemosynæ pro arbitrio Ordinarii in utilitatem Ecclesiæ, aliosque pios usus erogentur. Nono, quod Confessarii Confraternitatum sint ab Ordinario approbati. Decimo, quod, si sint Regulares, a propriis etiam Prælatis approbentur; et absolvant Confratres juxta privilegia eisdem concessa, dummodo sint in usu, nec Concilio Tridentino, cæterisque Pontificum Constitutionibus adversentur. Undecimo, quod Confratres non possint absolvi a casibus infrascriptis. 1. contentis in Literis Bullæ Cœnæ. 2. Violationis Immunitatis Ecclesiasticæ. 3. Violationis clausuræ Monasteriorum Monialium, si ingressus fuerit sine urgenti causa, et absque Superioris licentia, vel cum istius abusu. 4. Injectionis manus violentæ in Clericum. 5. Singularis certaminis, seu Duelli. 6. Et ab aliis Sedi Apostolicæ, et Ordinario loci respective reservatis, et pro tempore reservandis. 7. Necnon a quavis excommunicatione ab homine lata. 8. Neque super Irregularitatibus valeant dispensari. Duodecimo, quod Literæ erectionis, et aggregationis gratis dentur. Vide verb. *Indulgentia art. 4. n. 30.* Tertiodecimo, quod prius erectæ novas erectionis Literas petant juxta formam ab eo approbatam; alioquin erectiones et institutiones aboleantur et annullentur.

Formula qua uti possunt et debent Superiores Generales Regularium in erigendis, seu instituendis, confirmandisque Confraternitatibus, ac communicandis Indulgentiis et gratiis, quas fere omnes Religiones a Sancta Sede, et signanter a Paulo V. pro hujusmodi Confraternitatibus obtinuerunt, est tenoris ut sequitur:

N. N. Ordinis N. Generalis.

Religio nostra cum inter alia privilegia, quibus a Sede Apostolica decorata est, facultatem habeat sæcularium Confraternitates sub invocatione N. erigendi, eisque spirituales gratias, privilegia, et indulgentias communicandi, in hujusmodi Confraternitatibus instituendis, si ad Christi fidelium salutem promovendam expedire animadvertit, liberalem se præbere consuevit. Nos igitur, qui Generalem totius Ordinis nostri curam gerimus, sperantes fore ut ex hac spiritualium gratiarum participatione Christi fideles ad devotionem et pietatem magis excitentur, auctoritate Nobis a Summis Pontificibus concessa, Confraternitatem N. in Ecclesia N. loci N. Diœcesis N. de consensu loci Ordinarii, qui ejusdem Confraternitatis institutum, pietatem, ac Religionem, Literis patentibus Nobis nuper exhibitis commendavit, dummodo talis alia similis in ipso, vel alio ad tria milliaria propinquo loco hactenus erecta non fuerit, per præsentes nostras Literas erigimus et instituimus, illisque, et pro tempore existentibus utriusque sexus Confratribus elargimur et communicamus indulgentias, privilegia, et speciales gratias sigillatim inferius descriptas, nostræ Confraternitati nominatim expresse concessas per Breve Sanctiss. D. N. Pauli Papæ V. tenoris sequentis: Paulus etc. (*et inseratur tenor*). Quibus omnibus Indulgentiis, et spiritualibus gratiis descriptis, Confraternitatem ipsam nunc erectam, ejusque Confratres potiri et gaudere posse decernimus, juxta felicis recordationis Clementis Papæ VIII. Constitutionem sequentem : Clemens etc. (*inseratur tenor*). In quorum testimonium has literas fieri, et per nostrum Secretarium subscribi, et publicari mandavimus, Sigilloque Officii nostri muniri. Datum etc.

18. Formula autem pro aggregationibus debet esse tenoris, ut sequitur.

Dilectis Nobis in Christo Confratribus Societatis N. in Ecclesia N. Auctoritate N. canonice erectæ, Salutem in Domino Sempiternam.

Nos, qui juxta Officii nostri debitum, Fidelium salutem, pietatisque, ac Religionis progressum procurare debemus, libenter

Digitized by Google

nostræ Archiconfraternitati alias ejusdem instituti Confraternitates adjungimus et aggregamus, illisque sic aggregatis Indulgentias, facultates, ac alias spirituales gratias, et indulta, juxta facultatem Nobis a Summis Pontificibus concessam, impertimur. Qua de re cum D. N. ejusdem Confraternitatis Procurator aggregationem hujusmodi, et Indulgentiarum communicationem enixe postulaverit, Nos Protector, Prior et Custodes prædicti totam ipsam Archiconfraternitatem repræsentantes fel. rec. Clementis Papæ VIII. Constitutioni super hujusmodi aggregationum, et Cœlestis Ecclesiæ Thesauri communicationum moderatione nuper editæ inhærentes, his nostris Literis solo Dei amore, ac pietatis Religionisque Christianæ augendæ zelo ducti, Confraternitatem prædictam canonice, ut superius, erectam, attentis Episcopi, seu Ordinarii loci consensu, ac Literis testimonialibus, quibus ejus institutum, pietas, ac religio commendatur, nostræ Archiconfraternitati (dummodo per Nos similis gratia prius alteri in dicto loco N. concessa, et tempore hujusmodi concessionis aliæ Archiconfraternitati aggregata non fuerit) juxta facultatem Apostolicam nobis concessam, adjungimus, et aggregamus, atque illi, ejusque Confratribus Indulgentias, et spirituales gratias infra sigillatim descriptas, nostræ Archiconfraternitati Literis Pontificiis nominatim, expresse, et præcise concessas, largimur, et communicamus. (*Deinde inseritur tenor Literarum Apostolicarum Pauli V. in quibus nominatim Indulgentiæ Congregationi et Societati aggreganti concessæ sunt; postmodum iidem Officiales sic loquuntur:*) Quibus omnibus Indulgentiis, et gratiis Spiritualibus supra sigillatim descriptis, prædicta Confraternitas, ejusque Confratres uti, potiri, et gaudere possint, juxta Constitutionem fel. rec. Clem. Papæ VIII. tenoris sequentis (*et inseritur totus tenor Constitutionis, et postea officiales dicunt*): Volentes, et decernentes præsentibus Literis nostris eamdem Fidem adhiberi quæ præinsertis Literis originalibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. In quorum omnium, et singulorum Fidem, et testimonium has Literas nostras exinde fieri, et per nostræ Archiconfraternitatis Secretarium subscribi, et publicari mandavimus, et sigillorum ipsius Protectoris, et Archiconfraternitatis jussimus, et fecimus appensione muniri: « Datum Romæ in loco solito nostræ Congregationis anno, etc., indictione... Die... Pontificatus, etc. Præsentibus, etc. »

(19. Hanc formam refert Cherubin. in Compend. Bullar. Schol. ad dict. Constitut. 113. Clement. VIII. incip. *Quæcumque*, ubi testatur esse communem omnibus Congregationibus, quæ, si non servetur actus corruit, et non valet aggregatio, ut docet Leo Thesaur. for. Eccles. part. 4, cap. 2, n. 103. et 104. et tenent alii passim, quia d. Constitutio Clementis VIII. adducta sub num. 2. non tantum ab aliquibus, sed ab omnibus, qui facultatem habent aggregandi, observanda est, ut præcipit expresse Paulus V. in Constitutione 63. incip. *Quæ salubriter*, ibi: « Propterea Nos volentes, ut Constitutio prædicta (id est Clementis VIII.) tam ab eisdem Lateranensis Ecclesiæ Capitulo, et Canonicis, quam ab aliis quibuscumque jus, et facultatem communicandi hujusmodi Indulgentias habentibus, ut par est, sine discrimine in posterum observetur, Constitutiones, et Literas prædictas dicti Clementis Prædecessoris cum suis clausulis, et decretis ad Basilicæ Lateranensis, et aliarum Basilicarum, et Ecclesiarum quarumcumque, Capitula, Canonicos, et quasvis alias personas similes facultates habentes, illisque utentes, ad effectum videlicet, ut ipsa Capitula, et Canonici, ac personæ, nullas in posterum indulgentias communicare possint, nisi prædictæ Constitutionis forma servata, et eas solummodo, quæ a nobis illis præscribitur, Auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus, etc., sub pœnis in eisdem Literis contentis, inviolabiliter observari præcipimus, et mandamus. »

(20. Ut autem ab omnibus distincte percipiatur quænam sint Indulgentiæ, et gratiæ similibus Archiconfraternitatibus, et Confraternitatibus concessæ, datur hic Constitutio Pauli V. incip. *Nuper Archiconfraternitati*, edita pro Confraternitatibus erectis, et erigendis a nostra Religione Minorum de Observantia, quæ quantum ad Indulgentias, et gratias concessas fere coincidit cum aliis editis pro Confraternitatibus aliarum Religionum, et est tenoris sequentis.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

(21. Nuper Archiconfraternitati Chordigerorum in Ecclesia Domus Fratrum Sancti Francisci Assisien. Ordinis Minorum Conventualium canonice erectæ, et illius Confratribus certas Indulgentias, et gratias spirituales concessimus per nostras in forma brevis literas hujus tenoris, videlicet: Cum certas unicuique Confraternitati Indulgentias, et gratias spirituales, quibus in posterum fruantur, duxerimus præscribendas; Idcirco omnes, et singulas Indulgentias, et peccatorum remissiones ac pœnitentiarum relaxationes Archiconfraternitati Chordigerorum in Ecclesia Domus Fratrum S. Francisci Assisien. Ordinis Minorum Conventualium canonice erectæ, et illius Fratribus, hactenus per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros concessas revocantes, et annullantes, ac nullius roboris, et momenti post hac data præsentium fore declarantes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi.

1. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui in memoriam ejusdem Sancti Francisci Chordam benedictam ab ejusdem Ordinis Superioribus suscipientes prædictam Archiconfraternitatem de cætero ingredientur, die prima eorum ingressus, si vere pœnitentes et confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam·

Digitized by Google

2. Ac tam ipsis pro tempore describendis quam jam descriptis in dicta Archiconfraternitate Confratribus, et Consororibus, etiam vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra Communione refectis, qui prædictæ Archiconfraternitatis Ecclesiam, seu Oratorium, in festo principali ejusdem Archiconfraternitatis, a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem Festi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Principum Christianorum concordia, hæresum extirpatione, et S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam.

3. In Mortis quoque articulo eisdem Confratribus, et Consororibus, qui pœnitentes, et confessi ac sacra communione refecti, vel quatenus facere nequiverint, saltem vere pœnitentes, nomen Jesu ore si potuerint, sin autem corde devote invocaverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

4. Nec non ipsis Confratribus et Consororibus qui prædictæ Archiconfraternitatis Processioni singulis mensibus fieri solitæ interfuerint, tres annos, et totidem quadragenas, et si fuerint confessi, ac sacra communione refecti, ibique pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam.

5. Qui vero Officio Beatæ Mariæ Virginis ab ejusdem Archiconfraternitatis Confratribus pro tempore celebrando, et recitando, aut cujusvis alteri Officio pariter interfuerint, centum dies.

6. Insuper eisdem, qui Sanctissimum Sacramentum, quando ad Infirmos defertur, comitati fuerint, quinque annos, et totidem quadragenas.

7. Qui vero pœnitentes, et confessi, ac sacra communione refecti, aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis Minorum Conventualium, Sancti Francisci, S. Antonii de Padua, S. Bonaventuræ, S. Ludovici Episcopi, S. Bernardini, S. Claræ, ac S. Didaci Festivitatibus singulis annis visitaverint et oraverint, ut præfertur, quo die Festivitatem hujusmodi illi egerint, septem annos, et totidem quadragenas.

8. Quoties vero corpora Defunctorum, tam Confratrum quam aliorum ad sepulturam comitati fuerint; aut alicui pauperi personæ in ejus necessitatibus subvenerint; aut pacem inter inimicos composuerint, toties pro quolibet prædictorum operum, centum de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

9. Insuper eisdem Confratribus, et Consororibus, ut supradictas Indulgentias, et gratias spirituales consequi, et illas animabus Defunctorum, per modum Suffragii, applicare possint, per præsentes concedimus, et indulgemus.

Ac propterea dilecto Filio moderno, et pro tempore existenti prædicti Ordinis Minorum Conventualium Ministro Generali, ut Confraternitates Laicorum utriusque sexus, sub dicta invocatione Chordigerorum S. Francisci, in qualibet Ecclesia Domorum Fratrum Ordin. sui minorum Conventualium S. Francisci erigere, et instituere, servata tamen forma præscripta in *Constit.* fel. rec. Sixti Papæ V. sub dat. XIII. Kalend. Decembris, Pontificatus sui anno primo, et Clementis VIII. Prædecessorum nostrorum super hoc editis; possit, et valeat, facultatem impertimur.

Quæ quidem confraternitates si, et postquam erectæ, et institutæ fuerint, eidem Archiconfraternitati Sancti Francisci Assisien. juxta prædictam Sixti V. Constitutionem, sint et esse intelligantur aggregatæ. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 11 Martii 1607. Pontificatus nostri anno 2.

Cum autem ex concessione fel. rec. Sixti Papæ V. Prædecessoris nostri, dilectis Filiis Ministro Gener. et Commissario Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia in Ecclesiis eorum Ordinis, in locis videlicet in quibus Ecclesiæ, vel Conventus Fratrum Conventualium non existerent, hujusmodi Confraternitatem Chordigerorum erigendi, et instituendi facultas impertita fuerit, Nos eisdem Ministro Generali, et Commissario Generali specialem gratiam facere, et Christifidelium spirituali consolationi prospicere volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, eisdem ministro Generali, et Commissario Generali, et eorum cuilibet, ut in Ecclesiis eorum Ordinis tantum, ac in locis, in quibus non existent Conventus, vel Ecclesiæ Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, Confraternitates Chordigerorum S. Francisci utriusque sexus erigere, et instituere, illisque sic erectis, et institutis, Indulgentias et gratias spirituales supradictas communicare libere, et licite possint, et valeant, servata tamen forma in prædictis Constitutionibus Sixti et Clementis tradita ut in præinserto Brevi pro iisdem Conventualibus expedito auctoritate Apostolica, tenore præsentium facultatem, et auctoritatem perpetuo duraturam concedimus et impertimur. Non obstantibus Nostra de non concedendis Indulgentiis, ad instar, ac aliis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac utriusque Ordinis hujusmodi, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, et approbatis, cæterisque quibuscumque. « Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die 25 Septembris 1607. Pontificatus nostri anno Tertio. »

(22. Confraternitatem Chordigerorum possunt ibique in propriis Ecclesiis erigere Patres Conventuales privative quoad omnes, ubi ipsi existunt ex Constit. Sixti V, incip. *Ex Supernæ Dispositionis*, in qua ipse Pontifex eorumdem Archiconfraternitatem in

Digitized by Google

Ecclesia S. P. Francisci Assisien. primo instituit, et ipsi ex tunc omnes alias Chordigerorum Confraternitates in posterum erigendas aggregavit. (23. In locis vero in quibus non sunt Patres Conventuales, tales Confraternitates possunt erigere Minores de Observantia in suis Ecclesiis, ex concessione ipsius Sixti V. Const. incip. *Divinæ Charitatis* et Pauli V. d. Const. incip. *Nuper Archiconfraternitati*, et Clementis X. Constitut. incip. *Dudum felicis*. (24. Ex supradictis Pontificiis Constitutionibus clare deducitur, quod solummodo Prælati Ordinis Minorum, inter quos connumerantur Guardiani, et Præsidentes, possunt recipere volentes aggregari hujusmodi Confraternitati Chordigerorum privative quoad alios omnes, quia idem Sixtus V. in d. Constit, incip. *Ex Supernæ Dispositionis*, vult Chordam, quam Confratres gerunt, debere prius esse a Superioribus Ordinis benedictam, immo, et cinctam, et susceptam, ut idem Sixtus statuit in d. alia Const. incip. *Divinæ Charitatis*, et Paulus V. in d. Constit. incip. *Nuper Archiconfraternitati* § 1, concedit Indulgentiam plenariam omnibus utriusque Sexus Christi fidelibus, qui in memoriam ejusdem S. Francisci Chordam benedictam ab ejusdem ordinis Superioribus suscipientes prædictam Archiconfraternitatem de cætero ingredientur, ubi vides quod Chorda benedicta ab ejusdem Ordinis Superioribus debet suscipi; quod et confirmavit, et innovavit Clemens X, in dicta Constitut. incip. *Dudum felicis*.

(25. Confraternitates Sanctissimi Rosarii erigere possunt, et instituere solum Sacri Ordinis Prædicatorum Magistri, vel Vicarii Generales, et per eos deputati Patres ejusdem Ordinis etiam in Sæcularibus Ecclesiis, ut constat ex variorum Pontificum Constitutionibus, et signanter ex Constitutione Sixti V, incip. *Dum ineffabilia*, ubi ipse Pontifex confirmat, et innovat Indulgentias, et privilegia a Prædecessoribus suis Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii concessa. (26. Et Innocentius XI. in Const. incip. *Exponi Nobis*, confirmavit, et validavit omnes, et singulas Confraternitates sub titulo sanctissimi Rosarii in quibusvis locis positas, et existentes, licet de eorum canonica ab initio erectione, et institutione non appareat; et eas in tam valido statu esse, et fore decrevit, ac si illæ canonice erectæ, et institutæ fuissent: servata tamen cæteroquin Constitutionum, et Decretorum Sanctæ Sedis forma, et dispositione circa talium Confraternitatum erectionem, et institutionem. Hinc attendendum est sequens novissimum Decretum S. Congregationis Indulgent., etc., in Constantien. Cum experientia compertum sit nonnullas SSmi Rosarii Confraternitates auctoritate dumtaxat ordinaria, irrequisito Magistro Generali Fratrum Ordinis Prædicatorum erigi, ac pro illis Apostolicum Breve, cum Indulgentiis, cuicumque Confraternitati canonice erectæ, sive erigendæ generaliter concedi consuetis expediri; nonnulli extra Urbem, ac præcipue quidam Ecclesiastici viri, et Sanguinis nobilitate, et morum probitate insignes ex Diœcesi Constantien. recte dubitarunt, num hujusmodi Confraternitates canonicæ reputari valeant, ac revera subsistant? Quare eorum nomine duo subinserta dubia a Sacra Congregatione Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præposita decidenda fuerunt exhibita: Primo: An si inscio Patre Generali Ordinis Prædicatorum, per Ordinarium erigatur Confraternitas SS. Rosarii, Confratres reipsa fruantur Indulgentiis in Brevi Apostolico per eosdem obtento expressis? Et quatenus affirmative: Secundo: An fruantur etiam aliis Indulgentiis in dicto Brevi Apostolico obtento non expressis, quas tamen aliis Confratribus Sanctiss. Rosarii a diversis Summis Pontificibus concessas esse constat, ut in Dominicis menstruis, aut aliis diebus? Hisce autem dubiis Sacra eadem Congregatio die 19 Augusti 1747, rationum momentis serio, matureque perpensis, respondendum esse censuit; ad utrumque Negative. De quibus omnibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacræ Congregationis Secretarium die 26 prædicti Mensis SS. D. N. Benedicto Papæ XIV relatione, Sanctitas Sua ipsummet votum, benigne approbando, confirmavit. Ne tamen hujusmodi Confraternitatum inconsulto eodem Magistro Generali erectarum fervor tepescat, sed magis, magisque illarum Confratrum, et Consororum devotio potius augeatur, omnes, et singulas uniuscujusque Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectiones in præfata Constantiensi Diœcesi, inscio Magistro Ordinis Prædicatorum pro tempore existente Generali hactenus factas, Motu proprio, ac de plenitudine suæ Apostolicæ potestatis sanavit, ac validas esse declaravit. Immo prædictæ Diœcesis Constantien. populum specialibus favoribus prosequi volens, etiam moderno ejusdem Ordinis Prædicatorum Magistro Generali humillime supplicante iisdem Confraternitatibus sic erectis præter Indulgentias in respectivo earum obtento Brevi expressas, etiam omnes, et singulas alias Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii ad formam Constitutionis S. Pii V. die 25 Junii 1569, incipientis: *Inter desiderabilia*, canonice erectis ab Apostolica Sede quomodocumque concessas, clementer indulsit. (26. In posterum tamen, ut quodcumque dubium, et quævis abusus, aut molestiæ, vel perturbationis occasio prorsus removeatur, idem Sanctissimus Dominus Noster de Apostolicæ pariter plenitudine potestatis voluit, et expresse mandavit, quod non aliter Confraternitates, seu Societates Sanctissimi Rosarii erigantur, nisi requisitis prius, et obtentis, juxta formam a S. Pio V, in præallegato Brevi præscriptam, a Magistro laudati Ordinis Prædicatorum pro tempore existente Generali literis facultativis, ut alias a Sacra Rituum Congregatione die 9 Aprilis 1661, resolutum fuit, et ab Auditore Generali Sacræ Apostolicæ Cameræ in consimili causa anno 1663, per sententiam definitum. Sæpe dictus vero Magister Generalis pro hujusmodi Confraternitatum erectione consuetas literas Sacerdotibus sui Ordinis, vel ubi horum Conventus non existant, aliis Eccle-

Digitized by Google

siasticis personis, sive Regularibus, sive Sæcularibus etiam Episcopo benevisis expediet, ipsæque literæ, non nisi de consensu Ordinarii, servatisque reliquis omnibus in hujusmodi erectionibus ex Apostolicis Constitutionibus servandis, ac servari solitis, executioni mandentur.

Datum Romæ die 1 Septemb. 1747.

Fr. J. Cardinalis Portocarrero.

(27. Sic Confraternitates Corrigiatorum S. Augustini, Scapularis S. Mariæ de Carmelo, et Aliæ aliis Regularibus concessæ eriguntur, et instituuntur a suis respective Superioribus, seu deputatis Religiosis, ut patet in suis respective privilegiis, a Sede Apostolica obtentis. (28. Cum hoc tamen quod omnes ab omnibus erigantur, et instituantur juxta præscriptum a Clemente VIII, in d. Constitut. incip. *Quæcumque;* et adducta supra sub num. 2.

(29. Est autem hic advertendum primo, quod licet in d. Constitutione Clementis VIII prohibeatur ne in uno loco erigantur plures Confraternitates ejusdem instituti et generis, non intelligitur tamen hæc prohibitio de Confraternitate SS. Sacramenti, quæ immo ex declaratione Sac. Cong. Indulgent. sub die 7 Febr. 1607, cum approbatione Pauli V, desideratur, ut erigatur in qualibet Ecclesia Parochiali, non obstante quod ibi reperiatur jam erecta quælibet alia Confraternitas, ut patebit infra ex propriis verbis transmissis ad Archiepiscopum Bononiensem cum mandato certiorandi Episcopos suæ Provinciæ, et sic etiam declaravit Sacra Congr. Episcop. in Vercellensi 3 Februar. 1610. (30. Nec etiam prohibitio Clementis VIII intelligenda est de Confraternitate Doctrinæ Christianæ, quæ etiam debet erigi in qualibet Parochia, ut decrevit Sac. Congr. Episcopor. in d. Vercellensi, 3 Februar. 1610, et plurimum commendavit Innocentius XI, suis Literis Circularibus omnibus Episcopis datis 22 Junii 1686. (31. Nec intelligitur prohibitio de Confraternitatibus jam erectis ante publicationem d. Bullæ, quia ipsæ possunt confirmari plures, etiamsi essent ejusdem Nominis et instituti; Sacra Congr. Indulgent. 27 Septembris 1607. (32. Est etiam advertendum secundo, quod licet in formula pro erigendis, et confirmandis Confraternitatibus, eisque communicandis Indulgentiis, et gratiis a Clemente VIII præscripta, et supra sub num. 17 adducta, et a variis Sanctæ Sedis Brevibus et Decretis requiratur distantia trium Milliariorum inter unam et aliam, tamen Sacra Congregatio Indulgentiarum de mandato Pauli V, ut tolleret varias controversias ortas inter Ordinarios locorum, et Confraternitates, ac Regulares, resolvit, et decrevit, prout Cardinalis Arigonius resolutionem et Decretum Archiepiscopo Bononiensi, cum onere certiorandi Episcopos suæ Provinciæ pro sedandis controversiis in illa exortis, transmisit; ut sequitur:

Molto Illustre e Reverendiss. Monsig.

(33. Avendo risoluto questi miei Illustrissimi Signori della Congregazione dell'Indulgenze, con autorità ed Ordine particolare avuto *vivæ vocis oraculo* dalla Santità di N. Signore, di levare alcune difficoltà che si trovano nell' eseguire la Costituzione di Clemente VIII, di felice mem. fatta già sopra le aggregazioni delle Confraternite, e dichiarare ancora alcune cose concernenti le istituzioni antiche fatte dai Superiori delle Religioni, fanno sapere a V. S. che si contentano, che i Superiori Regolari, a' quali è stata concessa nuova facoltà da sua Beatitudine d'istituire Confraternità secolari (secondo la forma della suddetta Costituzione) possano confermare senza consenso del l'Ordinario de'luoghi quelle Confraternità, le quali si trovano canonicamente erette da'medesimi Superiori Regolari, avanti che si pubblicasse l'istessa Costituzione nelle Chiese proprie loro Collegiate, dove stiano almeno dodici Religiosi di famiglia ordinaria, non ostante che nella patente della Confermazione si dica espressamente farsi ciò di consenso dell'Ordinario medesimo. Dichiarando però, che nel fare nuova istituzione nelle Chiese tanto Regolari, quanto Secolari di qualunque sorta, e nel confermare eziandio l'antiche erette in Chiese Secolari, e Regolari ancora, nelle quali non stiano dodici Religiosi, si debba necessariamente avere il testimonio e consenso dell'Ordinario, ed osservare tutto il restante che si prescrive nell'istessa Costituzione.

Permettono similmente che i medesimi Regolari, a'quali è stata concessa la suddetta nuova facoltà d' istituire, possano confermare le Confraternità antiche, e istituirne di nuove, ancorchè non sia tutta quella distanza di luoghi, ove sono o saranno tali Confraternite, che viene prescritta da'Brevi Apostolici, mentre però oltre tutti gli altri requisiti concorra anche a questo il consenso particolare dell'Ordinario del luogo, il quale si dovrà esibire in iscritto, prima che si dispensi sopra tal distanza, e non altrimenti.

Permettono ancora che ritrovandosi diverse Confraternità di secolari antiche, erette canonicamente, come sopra, in Chiese Regolari Collegiate di dodici Religiosi almeno, si possano confermare, servata però in tutto il resto la forma data dalla medesima Costituzione; e parimente che essendo in una Città o Terra più d' una Confraternità antica dell'istesso nome ed istituto, eretta canonicamente da Superiori Regolari, si possano confermare secondo la suddetta forma; ma nell'istituire nuove Confraternità vogliono le Signorie loro Illustrissime, che una sola se ne possa fare in qualunque Città, Terra o Luogo, eccettuando però la Compagnia del Santissimo Sacramento, la quale concedono, anzi desiderano che sia eretta in ogni Chiesa Parocchiale, non ostante che ci si trovi eretta prima qualsivoglia Confraternità.

E perchè molti dubitano, se per la Costituzione di sua Beatitudine sopra l'Indulgenze concesse ultimamente alle persone Religiose con rivocazione dell' antiche, vengano rivocate anche l'Indulgenze concesse alle Chiese

Digitized by Google

Regolari, ed a quei che le visitano, ancorchè la Costituzione comprenda chiaramente solo le persone Regolari, senza estendersi alle Chiese loro; tuttavia la Congregazione per levare ogni dubio, dichiara che l'Indulgenze concesse a quelli che visitano le Chiese de' Regolari, stiano nella loro forza, e vigore, finchè la Santità sua farà altra deliberazione, e però si possono lasciare pubblicare, quando non osti altra cosa.

Tutto questo è parso alla Congregazione di scrivere a V. S. acciochè nell' occorrenze di cotestà Chiesa sappia ciò, che passa in questo particolare, e lo faccia sapere ancora a'Vescovi della sua Provincia, ed io prego a V. S. dal Signore ogni vero bene.

Di Roma, 27 Settembre 1677.

Di V. S. Per servirla

M. Card. Arigone.

Dominicus Maria Peregrin. Secret.

Illustriss. ac Reverendiss. Archiepisc. Bononien. de mandato.

(34. Et insuper advertendum tertio, quod licet ad tenorem d. Constitutionis Clementis VIII. fuerit semper resolutum, quod plures Confraternitates ejusdem nominis et instituti non possint erigi, et institui in eodem loco, et solum sustinendam primo erectam, aliasque ultimo erectas post publicationem dictæ Constitutionis esse supprimendas, ut signanter in Foroliviensi his verbis: « Referente Eminentissimo Cæsarino controversiam diu agitatam, inter Regulares Sancti Francisci de Observantia et Regulares S. Francisci Conventuales circa titulum Confraternitatis Sanctissimæ Conceptionis, Sacra Rituum Congregatio respondit, Confraternitatem erectam in Ecclesia Fratrum Conventualium sub eadem invocatione, quæjam prius erat assumpta a Fratribus de Observantia, esse supprimendam — die ultima Martii 1640; » in Cassanensi his verbis : « Eminentissimo Cæsarino referente controversiam Confraternitatis Sanctissimi Rosarii loci Morani cum alia Confraternitate sub eadem invocatione, Sac. Rituum Congregatio mandavit dari Decretum factum in his terminis pro Civitate Foroliviensi, et Novariensi die 17. Julii 1640. » Et sæpe alibi consimiliter, ut constat per decreta relata a Pignatello tom. 6. Consultat. 18.. (35. Tamen ex suppressione Confraternitatis ultimo erectæ, non potest Confraternitas anterior in eodem loco erecta prætendere quod sint suppressi, et inhibiti actus ex devotione excercendi in alia Ecclesia ejusdem loci, et respectu ejusdem Sancti, sub cujus nomine fuit suppressa Societas, non obstante quacumque ea de re inducta transactione, seu alia quavis adstipulata amicabili compositione, ut in Alexandrina pro simili casu inter Minores de Observantia, et Minores Conventuales fuit pronuntiatum in Prætorio A. C. præcisis sequentibus verbis.

(36. « Christi Nomine invocato. Pro Tribunali sedentes, et solum Deum præ oculis habentes per hanc nostram definitivam sententiam, quam de jure Peritorum Consilio in his scriptis ferimus in causa, et causis, quæ primo, et in prima coram Nobis, seu alia veriori versæ fuerunt et vertuntur, instantiis, inter RR. Fratres Minores de Observantia Conventus S. Bernardini Civitatis Alexandriæ Actores ex una, et RR. Fratres Minores Conventuales Conventus S. Francisci ejusdem Civitatis, Reos conventos ex altera Partibus, de, et super rescissione Instrumenti Transactionis inter eos celebrata sub anno 1668, in dicta Civitate inter dictos Conventus, et RR. Fratres, rebusque aliis, de quibus in actis, ad quæ, etc., super interdictione, seu prohibitione quorumcumque actuum prætextu Societatis, ac etiam devotionis faciendorum in Novena S. Antonii de Padua per dictos RR. Fratres Minores de Observantia in ipsorum Ecclesia S. Bernardini, et in Ecclesia SS. Annunciationis dd. RR. Fratrum Minor. de Observantia in Quarterio Burgolii existent, dicimus, definimus, decernimus et definitive sententiamus dictum Instrumentum Transactionis servandum esse in ea parte tantum in qua continetur suppressio Societatis, et exercitium quorumcumque actuum ejusdem Societatis prætextu faciendorum per dictos RR. Fratres Minores de Observantia; In reliquis vero rescindendum esse, annullandum et cassandum, prout Nos per hanc nostram definitivam sententiam annullamus, rescindimus et cassamus, et pro annullato, rescisso, et cassato haberi volumus, et mandamus, victosque victoribus in expensis condemnamus, quarum taxationem Nobis, vel cui de jure in Posterum reservamus. Et ita dicimus, pronunciamus, definimus, decernimus, et definitive sententiamus, non solum isto, sed et alio omni meliori modo, etc.

« Aldrovandus Locumtenens.

« Lata die 19, Februarii 1701, per acta D. Francisci Francischini Notarii A. C. Defendente Roccho Matteuccio totius Cismontanæ Familiæ Min. de Observ. causarum Patrono. »

(37. Regulares, qui ex Indulto Apostolico facultatem habent instituendi Confraternitates, seu Societates in eorum Ecclesiis, non possunt illas erigere seu instituere cum usu Saccorum absque Ordinarii loci licentia; Sacra Congreg. Episc. et Regular. in Chil. 6, Decembr. 1616. (38. Confraternitates Laicorum erigi, et institui non possunt in Ecclesiis Monialium; Sac. Congreg. Episc. et Regul. in Baren. 6. April. 1595, in Tirasonen. 6. Novemb. 1595, 15. Mart. 1599, et 5. Maii 1645. (39. Confraternitates ab Ecclesiis, in quibus reperiuntur erectæ, et institutæ, possunt libere discedere, et expelli, etiamsi essent erectæ, et institutæ in Ecclesiis Regularium; Sacra Cong. Concil. in Pisana 23 Augusti 1692. Sacra Congreg. Episc. et Regul. in Venefrana 28. Novemb. ejusdem anni 1692. Rota coram Coccino dec. 472. (40. Confraternitatum aggregatio propriorum Ordinum potest fieri a Regularibus in quibuscumque Ecclesiis sive propriis, sive extraneis, ex dict. Constitut. Clementis VIII. incip. *Quæcumque*, et Constitut. Pauli V. in-

Digitized by Google

cip. *Quæ salubriter*, ubi confirmat illam Clementis VIII. (41. Confraternitates aggregatæ Archiconfraternitatibus Urbis non gaudent privilegiis Archiconfraternitatum aggregantium, sed solummodo illarum Indulgentiis, et gratiis spiritualibus; Sac. Congreg. Episc. et Regul. in una Brugnaten. 23. Novembr. 1691, referente Cardin. Millino.

(42. Unde non obstante quod Confraternitati aggregatæ fuerint per Archiconfraternitatem aggregantem communicata nominatim, et expresse ejus privilegia, et statuta, nihilominus debent ab ipsa Confraternitate aggregata omnimode observari conventiones, pacta, et statuta in limine erectionis Confraternitatis de auctoritate Ordinarii apposita; quia statuta Archiconfraternitatum aggregantium non possunt impertiri Confraternitatibus aggregatis, nisi ea prius ab Episcopo Diœcesano examinata, et pro ratione loci approbata fuerint, ut expresse statuit Clemens VIII. in dict. Constit. incip. *Quæcumque* § 5, ibi. «Statuta autem pro regimine Ordinum, Religionum, et Institutorum erigentium, et instituentium, ac communicantium seu Archiconfraternitatum, et Congregationum aggregantium edita Confraternitatibus, et Congregationibus erigendis, instituendis, et aggregandis, et quibus communicationes privilegiorum, et aliorum prædictorum fiunt, impartiri non possint, nisi ea prius ab Episcopo Diœcesano examinata, et pro ratione loci approbatæ fuerint, quæ nihilominus ejusdem Episcopi decretis, ac moderationi, et correctioni in omnibus semper subjecta remaneant.» (43. Et sic tenuit in puncto bis causa examinata, et doctis in Jure Advocatis scribentibus Sacra Congregat. Episc. et Regul. in Cæsenaten. 17. August. et 5. Octobris 1691. (44. Per aggregationem nihil detrahitur jurisdictioni Ordinarii, prout pluries declaravit Sacra Congreg. Concil. et signanter in Potentina Aggregationis in qua propositis dubiis: Primo. «An ad effectum, ut Confraternitates laicales aggregatæ uti possint Regulis, et statutis, ac Constitutionibus, quas observandas recipiunt ab Archiconfraternitatibus aggregantibus, necessaria sit præcedens aggregatio Ordinarii loci? Secundo. An ad effectum, ut Confraternitates aggregatæ uti, et gaudere possint Indulgentiis Archiconfraternitatum aggregantium, necessaria sit approbatio Episcopi cum interventu duorum de Capitulo? Tertio. An Confraternitatibus aggregatis Archiconfraternitati Mortis de Urbe jus competat sepeliendi Cadavera occisorum tam in Civitate quam extra, et tam Civium quam exterorum, quando Parochi parati sunt sepelire dicta cadavera? Quarto. An dictæ Confraternitates aggregatæ subsint Ordinario, ita ut eorum Administratores rationem Ordinario teneantur reddere? Die 29, Maii 1683.» Sacr. Congr. Conc. respondit ad 1, 2, et 4 *affirmative*, ad 3 *negative*, lib. 33, dec. fol. 148.

(45. Confraternitates Sanctissimi Sacramenti ubique terrarum erectæ, vel erigendæ absque nova concessione, communicatione, vel aggregatione participes sunt quorumcumque privilegiorum, concessionum, indulgentiarum, et gratiarum Archiconfraternitati de Minerva concessarum, et concedendarum statim ac earumdem erectio, Apostolica, vel auctoritate Ordinaria facta fuerit; Sac. Congreg. Indulgentiarum 15 Februari 1608. (46. Facta erectione, et aggregatione Archiconfraternitati Doctrinæ Christianæ Urbis, cæteræ hujusmodi Confraternitates ejusdem Diœcesis, separata non indigent aggregatione ad hoc, ut gaudeant indulgentiis, ut decrevit Sacra Congreg. Indulgentiarum sequenti Decreto.

« Cum Venerabilis Archiconfraternitas Doctrinæ Christianæ posita in Ecclesia S. Martini de Urbe Sac. Congregat. indulgentiarum humiliter exposuerit, sæpius a nonnullis dubitatum fuisse, an attenta Bulla san. mem. Pauli V, edita quæ incip. *Ex credito*, satis sit, ut una Confraternitas ejusdem Instituti in aliqua Civitate aggregetur, ad hoc, ut cunctæ aliæ similes Confraternitates ab Ordinario loci erectæ, seu erigendæ aggregatæ pariter censeantur, vel potius insuper requiratur, ut singulæ Confraternitates, quæ in tota Diœcesi eriguntur, ab Archiconfraternitate seorsim aggregationem suscipiant: Cumque pariter supplices preces porrexerint, ut Eminentiss. PP. ea de re suum Oraculum proferre dignarentur, eadem Sacr. Congregatio, etiamsi verba prædictæ Bullæ satis clara viderentur; tamen ne ullus in posterum dubii locus superesset, die 23 Martii 1711, declaravit sufficere, ut aliqua Confraternitas Doctrinæ Christianæ in una Civitate Archiconfraternitati aggregata sit, ad hoc, ut cunctæ aliæ ab Ordinario loci in tota Diœcesi erectæ, seu erigendæ aggregatæ censeantur, et omnium spiritualium gratiarum, et indulgentiarum, quibus dicta Archiconfraternitas fruitur, participes sint. Dat. 36 Martii 1711.

« *I. M. Card. Gabriellus Præf.*

« *Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.*»

(47. Ut de facili autem Confratres quarumcumque Confraternitatum, quæ aggregari cupiunt Archiconfraternitatibus Urbis tam sæcularium quam Regularium sciat expensas requisitas pro aggregatione obtinenda, et ne indebite graventur, datur subnexum decretum.

« Congregatio Illustrissimorum et Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium a Santiss. D. N. Paulo divina providentia Papa V. Indulgentiarum moderationi præfecta, cum acceperit nonnullos Archiconfraternitatum Almæ Urbis Ministros in Literis patentibus Aggregationum expediendis mercedem a Confraternitatibus aggregandis, eorumve procuratoribus prætendere, et extorquere, contra fel. record. Clementis VIII, hoc de genere editæ Constitutionis dispositionem, qua expresse cautum fuit, ut Literæ hujusmodi ab Ordinibus, Religionibus, Institutis, seu Archiconfraternitatibus, et Congregationibus gratis omnino, ac nulla prorsus mercede etiam a sponte dantibus accepta expediri, et concedi debeant; si

Digitized by Google

vero illorum Ministri, Superiores, vel Officiales quocumque nomine nuncupati, quavis auctoritate, privilegio et officio fungantur, et præfulgeant, contravenire præsumpserint, erectiones, institutiones, indulgentiarum, etc., communicationes, nec non aggregationes per ipsos faciendæ, seu revocandæ, nullius sint roboris, ac momenti, et quilibet eorumdem Ministrorum, et Superiorum et Officialium, et aliorum prædictorum privationis Officiorum, quæ obtinet, ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda pœnam, quæ ab alio quam a Romano Pontifice remitti non possit, incurrat eo ipso : Ne abusum hujusmodi ulterius serpere, ipsasque Archiconfraternitates sumptibus propterea faciendis minimum gravari patiatur, speciali Sanctitatis suæ ordine vocis oraculo habito, præcipit, ac mandat omnibus et singulis earumdem Archiconfraternitatum, tam Sæcularium, quam cujusvis Ordinis, etiam Mendicantium, Regularium Præfectis, Administratoribus, Ministris, Officialibus et Superioribus cujusvis conditionis, gradus, et status, ne pro earumdem Literarum expeditione, seu potius expensis desuper faciendis (computatis pergamena, scriptura, vel impressionis stipendio, Sigillorum capsulis, chordulis, Cera, Secretarii, Notariique labore, vel mercede, aliisque omnibus) ultra scutum unum aureum pro singula aggregatione, institutione, vel confirmatione exigere, vel quovis prætextu etiam meræ eleemosynæ, vel (ut aiunt), recognitionis, etiam ante Constitutionis prædictæ promulgationem, aut alia qualibet ratione, vel colore debitæ, vel prætensæ, neque a sponte dantibus ullo pacto recipere audeant sub iisdem in dicta Constitutione contentis pœnis, quas S. D. N. jussu præsenti decreto renovat, atque adeo etiam privationis facultatis Confraternitates aggregandi, seu instituendi respective eo ipso incurrendis, gravioribusque Sanctitatis Suæ et Sedis Apostolicæ arbitrio imponendis pœnis.

« Dat. Romæ, 6 Martii 1608.

« *R. Cardinalis Bellarminus.*

« Ant. Episcopus Anagnin. Secretarius. »

ADDITIONES AUCTORIS.

(48. Advertendum est, quod Constitutio Benedicti XIII. incip. *Ex quo Sede Apostolica*, edita 1 Aprilis 1727, quoad erectionem Archiconfraternitatis sub titulo B. Mariæ Virginis Immaculatæ, suum non est sortita effectum, ex quo una cum aliis moderata et redacta fuerit ad terminos Juris communis, Concilii Tridentini, et Constitutionum Apostolicarum, a Clemente XII. Constit. incip. *Romanus Pontifex*, quæ adducitur tom. 6 hujus Biblioth. sub. verb. *Privilegium art.* 4.

(49. Confratres Societ. S. Mariæ Virg. de succursu contra infideles Januæ erectæ, omnibus quadragesimæ diebus, etiam majoris hebdomadæ, servatis tamen jejunii legibus, ovis, et lacticiniis vesci permittuntur; Benedictus XIV. Constit. incip. *Pias Christi fidelium*, § 2. Iidem gaudent privilegio eligendi Confessarium ab Ordinario loci approbatum, qui eos absolvat a peccatis etiam eidem Sedi Apostolicæ reservatis, bis in eorum vita, et in eorumdem mortis articulo; ibid. § 3. (50. Hoc tamen privilegio uti possunt tantum bis in tota eorum vita, non obstantibus iteratis adscriptionibus Confraternitati; nec vi ejusdem absolvi possunt a peccatis Ordinario reservatis.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(51. Confraternitates vel sunt Ecclesiasticæ, vel Laicales. (52. Ad erectionem Confraternitatum Ecclesiasticarum necessaria omnino est auctoritas Superioris Ecclesiastici vel vera, vel saltem præsumpta; Rota in Pistoriens. Beneficii 13 Januarii 1738, cor. bon. mem. de Vais. (53. Superior vero Ecclesiasticus in subjecta materia non est semper Episcopus, nam et esse potest Superior Regularium, si agatur de Confraternitatibus erigendis in Ecclesiis ipsorum Regularium.

(54. Nota vero non aliter Confraternitates in Ecclesiis Regularium erigi posse a Superiore eorumdem quam si de illis sint, quarum erectio ex Apostolico privilegio ad ipsos spectat. (55. Cæterum aliæ Confraternitates in Ecclesiis Regularium erigendæ sunt auctoritate Ordinarii; Rota in Cassanen. Translationis Confraternitatis 8 Maii 1744, § 6, coram Reverendiss. P. D. Bussio Decano.

(56. Sicuti Confraternitatibus licet sese transferre de una in alteram Ecclesiam, ita et Regularibus permissum est ipsas Confraternitates dimittere, idque ad æqualitatem servandam; idem supremum Tribunal in dicta Cassanen. Translationis Confraternitatis 8 Maii 1744, § 7, cor. Rev. P. D. Bussio Decano. (57. Hæc vero translatio fieri nequit sine consensu majoris partis Confratrum collegialiter præstito; Rota in Taurinen. Confraternitatis 4 Februarii 1744, § 9, cor. Illustriss. Molin.

(58. At non levis quæstio est, an id ipsum obtineat, si agatur de Confraternitatibus illis, quarum erectio ad Superiores Regularium vigore Privilegii Apostolici spectat. (59. Ratio dubitandi inde oritur, quod Confraternitates hujus generis sunt membra Ecclesiarum, in quibus sunt erectæ; Bassi de sodalit. quæst. 1, n. 5. (60. Reque ipsa hac de ratione sacrum Auditorium negativam sententiam videtur amplexum esse in dict. Cassanen. Translationis Confraternitatis 8 Maii 1744, § 8, coram Reverendiss. P. D. Bussio Decano.

(61. In casu vero permissæ translationis Confraternitatis de una ad aliam Ecclesiam, intelligitur quoque permissa translatio Bonorum ad easdem Confraternitates spectantium, idque etiamsi administratio dictorum bonorum concessa in aliquo actu fuerit Regularibus Ecclesiæ, (62. a qua fit discessus, quia dicta administratio concessa censeri debet usque adeo, donec dictæ Confraternitates inibi permanerent; Rota in dict. Cassanen. Translationis Confraternitatis 8 Maii

Digitized by Google

1744, § 9, coram Reverendiss. P. D. Bussio Decano.

(63. Nova Confraternitas in eodem loco non prohibetur erigi, si titulum habeat ab antiqua Confraternitate diversum. (64. Maxime vero si institutum itidem habeat diversum; Rota in Leopolien. Confraternitatis 18 Junii 1745, § 7, et plur. sequent. cor. bon. mem. de Vais, (65. ubi quod procedat, etiamsi concurrat mixtura tituli.

(66. Ex duabus Confraternitatibus ejusdem tituli, et instituti, si una prius obtinuerit licentiam, et altera etsi postea habuerit licentiam, prius tamen sit erecta, hæc, et non illa remanere debet 3. (67. Rota in dict. Leopolien. Confraternitatis 18 Junii 1645, § 12, coram bon. mem. de Vais.

(68. De Confraternitatibus aggregatis Archiconfraternitatibus Urbis, an gaudeant ipsarum privilegiis, plene Rota in Savonen. Aggregationis 16 Aprilis 1714, co. clar. mem. Scott. et in Hispalen. Antianitatis 9 Jan. 1735, coram Eminentissimo Crescentio.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(69. Sive Ethnicorum, sive Christianorum tempora, sive religiosos, sive profanos mores respiciamus antiquissimus Confraternitatum usus apparet. Ethici duo Confraternitatum genera cognoverunt, alterum ad religiosum Deorum, alterum ad profanum artium cultum fuit institutum, quibus vel Collegii, vel sodalitatis, vel ab ipsis falsis Divinitatibus, quarum profitebantur cultum, nomen tribuebant. Hinc Dendrophororum et Fredianorum Collegia de quibus Serv. ad Virgil. Georg. l. 1, vers. 20. Gothofred. in Cod. Theod. l. 20, de pagan. et l. 1 de Centonar. et Dendroph. et in marmore apud Raines Inscrip. class. 14, 171. adhuc Collegii Ysidis, et Collegii Serapis adservatur memoria. (70. Posterioribus vero temporibus ubi aliquis Romanorum Imperatorum ad Divinum efferebatur cultum, Collegia ipsorum cultui specialiter addicta, nomen ab iisdem sumebant, ut Augustales, Hadrianales, et alii.

(71. Sed cum sub prætextu divini cultus plerumque prava in eorum concionibus molirentur consilia vel in perniciem Reipublicæ, vel in detrimentum potentiorum, hinc adversas tulerunt vices. (72. Nonnullorum quippe jusserunt Consules Demolitionem templorum, quæ per Auspices deinde restituta, sed iterum dejecta, Augusto tandem imperante, fuerunt restituta. Dion. Alicarnas. histor. lib. 40, 42 et 47. (73. Vivente Marciano, omnibus interdictis collegiis, Religionis tantum causa coire licitum fuit l. 1, ff. de coll. et corp. (74. Ob hanc causam Judæis post captam a Pompeo Hierosolimam captivis Romæ viventibus, sed inde manumissis, permissum fuit collegium, et Synagogam constituere. (75. At non multo post cum Julius Cæsar summum Reipublicæ Imperium usurpasset, prohibitis omnibus collegiis, Synagogam Judæis quoque interdixit, quod postea interdictum revocavit. (76. Sub aliis Imperatoribus renovatæ fuerunt hujusmodi prohibitiones, sed in hoc tanta fuit Judæorum sollicitudo, ut tandem Theodosio, Arcadio, et Honorio imperatoribus voti compotes fuerunt *l.* 9, 12, 20, *et* 21. Cod. Theod. de Judæis.

(77. Non eadem fuit primis illis temporibus Christianorum conditio. Quamvis enim ad Sacra tantum peragenda, et ad *agapas*, convivia nempe sobria, instituenda convenirent, nihilominus imperante Trajano ab ipsis abstinere fuerunt jussi in vim Edicti, quo *heterias* esse vetuerat, Plin. lib. 10, epist. 93 *et* 97. Textus in l. 4, ff. de colleg. et corpor. heterias vocat eos, qui ejusdem Collegii erant. Heinec. vero exercit. 9, § 18., hoc nomen explicat epulas religionis causa institutas.

(78. Si de omnibus plurium personarum Congregationibus hic sermo habendus esset, jam tuto affirmare possemus Confraternitates inter Christianos ab ipsis usque Christi temporibus fuisse introductas. Apostoli quippe simul conveniebant tum ad Deum colendum, tum ad agapas parandas, idemque consueverunt qui Christi et Apostolorum, deinde exemplum secuti fuerunt; sed hæc Collegia longe a nostris Confraternitatibus diversa sunt, cum ad instar Monachorum communem, tunc vitam sub Præposito agerent. (79. Quare duo distinguenda sunt Collegiorum genera, alia erant Ecclesiastica, alia vero Laicalia; Ecclesiastica eamdem diutius communem vivendi formam observarunt, sed tractu temporis in Regularia, uti Monachi, et alii qui vocantur *Frati*, atque in Sæcularia, uti Canonici Beneficiati, aliique similes, de quibus alibi suo loco, distincta sunt. (80. Laicalia vero, quæ primo ad solum Divinum cultum, et pietatis officia coibant, deinde simul convenire coperunt etiam ad usus profanos, ad expendendam nempe Artificum peritiam, qua cognita ad artium liberalium exercitium novos admittunt artifices. (81. De his posterioribus nunc sermo habendus est.

(82. Ista Collegia quandonam orta sint, et quando Confraternitatum sumpserint nomen, arduum est invenire. In Cod. Theod. de Episc. l. 42 et 43, usque ab anno 418, *Parabulanorum* fit mentio, quorum collegium solis Clericis ad ægra curanda corpora destinatis constabat. A Justiniano etiam Novell. 43. *Lecticarii* fidelium corporibus humandis instituti memorantur, sed iis destituti sumus documentis quæ Collegia illa nostris Confraternitatibus similia demonstrent, ideo a recentioribus temporibus eorum petenda est origo.

(83. Si fides habenda esset Sirmond. et Pagi, qui arbitrantur Concilium Namnetense inter Collect. a Labb. tom. 9, habitum fuisse anno 658, vel 660, in eodem Confraternitatum initium statui posset. Alii vero tenent dictum Concilium habitum fuisse anno 800, quo tempore, cum alia occurrant exempla Fratantiarum, Fratria

Digitized by Google

rum, Sodalitatum, Congregationum, Societatum, Scholarum, Confratriarum, vel Confraternitatum, quæ collegit Anton. Murat. Rer. Ital. tom. 1, part. 2, in dicto potius anno Confraternitatum origo constituenda est, ut censet idem Murat. *Dissert. sopra l'antichità Italiane* t. 3, Dissert. 75. Anno ultimo XI, sæculi Congregationem Ecclesiæ S. Restitutæ extitisse Neapolim refert Mazochi Dissert. Historic. de Cathedral. Eccles. Neapol. vicibus. part. 2, cap. 3, pag. 143. In Concilio Romano anno 1189, describitur Societas, seu Frateria, vel Fratria Clericis simul et Laicis constans. Massiliæ aliam fuisse anno 1212, erectam Confraternitatem, probant Marten. et Durand. in Thesaur. nov. anecdot. (84. Cum vero Italia fere tota a sæculo IX, ad sæculum XIII, assiduis Barbarorum incursionibus reperiretur perturbata, et ab intestinis dissensionibus civicisque bellis lacereta, pleraque pietatis officia exulabant, nilque mirum, quod eo usque nulla aut pene nulla hujusmodi Confraternitatum reperiatur facta mentio. Hic exceptam, præter Neapolim, Venetiarum urbem tantum volumus, nullo domestico tumultu perturbatam, ubi sub invocatione S. Stephani protomartyris anno 1109, celeberrimam Confraternitatem, tunc Scholam appellatam, in Monasterio S. Georgii fuisse erectam testatur Andreas Dandalus in Chronichis per Murat. Collect. tom. 12, rer. Ital.

(85. Sed non adhuc omnino hæ Confraternitates nostris similes erant, quæ nondum uti in præsens signo aliquo distinguebantur, non Sacco induebantur, non denique sacrum vexillum erigebant. (86. Ineunte tandem sæculo XIII, cum Italicæ Civitates interquiescere inciperent opera præsertim Fra. Joannis a Vicentia, aliorumque, qui Populos Sacris Concionibus ad pacem, et concordiam vocabant, Tirabosc. *Istor. della Letterat. Ital.* tom. 4, lib. 2, § 3, plur. seqq. Hinc animi ad pœnitentiam commoti publicas inire supplicationes inceperunt, se ad sanguinis usque effusionem verberare, discordes ad concordiam redire, usurarii male ablata restituere. Isti pœnitentium cœtus cum ab una in aliam Urbem peregrinarentur adeo ad pœnitentiam excitarunt gentes, ut maximo erga Deum amore, maximaque erga proximum charitate succensi omnes Italiæ urbes impleverint sacris hisce supplicationibus; utque una ab altera Societate distingueretur Saccum induere, et vexillum erigere cœperunt, illisque primis Confraternitatibus datum fuit nomen *di Flagellanti* vel *Battuti*.

(87. Inter has posteriores antiquior certe apparet Confraternitas dicta *del Confalone* anno 1263, vel ut alii volunt anno 1260. Romæ erecta, quæ multis privilegiis, et indulgentiis a Summis Pontificibus ditata fuit, præsertim a Clemente IV. Hujus Confraternitatis exemplo adeo creverunt in universa Italia Confraternitates, ut nulla Civitas nullum, opidum, nullus pagus, et quasi dicam nulla Parochia nunc inveniatur, quæ suam non habeat Confraternitatem. Sed hactenus dicta sufficiant, reliqua inspecturus Lector apud Murat. tom. 12, rer. Ital. in Cronic. Monz. a Morig. script. lib. 3, cap. 46, *et apud eumdem sopra le Antichità Italiane dissert.* 75.

(88. Confraternitatem vero, quæ finem sibi proponunt, super novis Artificibus admittendis invigilandi, plura videri possunt exempla Romæ, sed cum hæc parum, vel nihil ab antiquis R manorum sodalitiis differant, nempe Mercatorum, aurigatorum, fabrorum ferrariorum, Argentariorum et similium, ideo de his potius vident Einec Exercit. 9, præsertim § 11 *et* 12, qui fuse de ipsis agit.

(89. Sed undenam vocantur Fratres? Primo quia ut in l. 63, ff. pro Soc. et quin til. declam. 120, ubi plures ineunt societatem, quoddam Fraternitatis jus acquirunt. Deinde ob fraternum amorem, quo alter alterum prosequebatur juxta Christi præceptum. Hinc Apostoli vocabantur Fratres, et Ecclesiasticorum cœtus, omnesque fideles hoc præcipue gloriabantur nomine. Mazochi Dissert. Historic. de Cathedralis Ecclesiæ Neapol. vicibus, part. 2, cap. 3, in not. n. 39, pag. 142.

ARTICULUS II.

Quoad varia, quæ concernunt confraternitates, eorum Capellanos, et Parochos.

(1. Ad dirimendas controversias, quæ sæpe oriri solent inter Confraternitates, eorumque Capellanos, et Parochos, non est desumenda regula, et norma ab Archiconfraternitatibus Urbis, quia ex quo in Archiconfraternitatibus Urbis præsidentiam soleant habere Cardinales, aliique magni Prælati propter eorum præeminentiam, et Archiconfraternitatum præstantiam, potuerunt ipsis concedi aliqua privilegia particularia, quæ nequent trahi in exemplum a Confraternitatibus aggregatis, quibus ad evitanda varia inconvenientia, quæ inde oriebantur, Clemens VIII, in dict. Constitut. incip. *Quæcumque*, expresse voluit talia particularia privilegia communicari, et pro ratione loci statuta condi, et reformari mandavit: ut patet ex præcisis suis verbis adductis supra art. 1, num. 42, et Sac. Congreg. Episcop. expresse declaravit Confraternitates aggregatas Archiconfraternitatibus Urbis non gaudere earum privilegiis, sed solummodo earum Indulgentiis, et gratiis spiritualibus, ut patet ex Decreto relato supra art. 1, n. 41, et sequent. (2. Unde pro dirimendis controversiis sunt observanda Decreta Sacrarum Congregationum, quæ pluries sanxerunt Benedictiones solemnes Olivarum, Cinerum, et Candelarum Benedictiones Fontis Baptismalis, Benedictionem super populum cum Sacramento Eucharistiæ, Missam Solemnem feriæ V. in

Digitized by Google

Cœna Domini, et Missarum Solemnium celebrationem, et alia hujusmodi pertinere ad Parochos, et fieri non posse in Oratoriis publicis Confraternitatum; et signanter Sacra Congregatio Concil. in Mantuana Jurium Parochialium 3 Julii 1676, ad 6 et 7, dubium in Nullius Nonantulana Jurium Parochialium 17. Februar. 1685. ad secundum, et in Bonien. Jurium Parochialium 17 Novembris 1691, ad tertium, et in Regien. 5 Augusti 1719, ubi pro Canonicis Collegiatæ Novellariæ cum Confratribus Sanctissimi Rosarii fuerunt proposita, et resoluta sequentia dubia sub titulo *Regien.*

1. An annuente, et permittente Archipresbytero, et Parocho possit Archiconfraternitas. SS. Rosarii adimplere onera Missarum, et Anniversariorum sibi injuncta mediantibus Præsbyteris exteris sibi benevisis; sive potius teneatur uti Ministerio Canonicorum Collegiatæ, et quatenus affermative quoad secundam partem.

2. An prædicti Canonici tempore celebrationis Missarum Cantatarum celebrandarum in eodem Altari non recedendo ab eodem Choro, possint ibidem Missis Cantatis assistere.

3. An, et in qua summa præstanda sit elecmosyna pro dictis Missis tam lectis quam cantatis.

4. An Confraternitas possit de licentia, et consensu d. Parochi exponere infra annum in Capella SS. Rosarii publicæ venerationi S S. Eucharistiæ Sacramentum, sive potius requiratur licentia Ordinarii.

5. An Confratres, annuente et permittente d. Archipresbytero. facere possint Processiones intra et extra Ecclesiam sine interventu Canonicorum.

6. An, et a quo sit determinanda via Processionum, quæ fiunt extra Ecclesiam, et per Parochiam?

7. An permittente D. Archipresbyt. possit d. Archiconfraternitas erigere in dd. Processionibus propriam Crucem.

8. An de licentia ejusdem Archipresbyteri possit d. Confraternitas pulsari facere Organa, et Campanas d. Ecclesiæ; sive potius circa præmissa requiratur quoque consensus Canonicorum.

9. An permittente archipresbyte o, et Parocho possint Confratres impedire Canonicis celebrationem Missarum in eodem Altari SS. Rosarii, et quatenus negative.

10. An Canonici teneantur concurrere ad manutentionem Altaris et Capellæ?

11. An prædictus Archipresbyter, et Canonici teneantur applicare Missam Conventualem pro Benefactoribus in casu, etc.

Resolutiones dubiorum hujus causæ sub titulo *Regien.* propositæ in Congr. Conc. die 5 aug. 1719, sunt sequentes.

Ad primum. Negative quoad primam partem; Affirmative quoad secundam.

Ad 2. Affirmative, dummodo non assistant in Sacristia.

Ad 3. Præstandam esse elecmosynam tam pro Missis lectis, quam pro cantatis juxta morem loci.

Ad 4. Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Ad 5. Ad primam dubii partem, et ad secundam negative, dummodo non agatur de Processionibus, quæ fiunt ex Instituto Confraternitatis, et in quibus sufficit quod Canonici sint vocati.

Ad 6. Esse determinandam a Præfecto Chori interveniente Capitulo.

Ad 7. Negative.

Ad 8. Negative ad primam dubii partem, Affirmative ad secundam.

Ad 9. Negative.

Ad 10. Negative.

Ad 11. Demum affirmative, cum addito in omnibus dictis dubiis: quod causa amplius non proponeretur.

Et in Cremon. pro Confraternitate mortis, et Orationis Oppidi Casalis Majoris Cremonensis Diœcesis cum Archipresbytero S. Leonardi ejusdem Oppidi, ubi fuerunt proposita, et resoluta sequentia dubia.

1. An præposito S. Leonardi invitato, et renuente, aut impedito intervenire Processioni occasione Festi Nativitatis B. Mariæ Virginis, adhuc Confratres Mortis Oppidi Casalis Majoris illam facere possint absque licentia d. Parochi in casu, etc.

2. An dd. Confratres facere possint eamdem Processionem cum interventu Capellani, aut alterius Sacerdotis per ipsos, non autem per præpositum nominandi.

3. An præposito S. Leonardi, et simul Confratri dictæ Confraternitatis competerent duo suffragia, vel unum dumtaxat in Congregationibus ejusdem Confraternitatis.

Super quibus dubiis propositis in Congregatione habita die 5 Junii 1723, quoad primum emanavit resolutio; *Affirmative* intra ambitum Oratorii, extra vero *negative*, nisi accedat licentia Episcopi. Ad secundum *affirmative*. Ad tertium *negative* quoad primam, et *affirmative* quoad secundam partem; et die 13 Aprilis 1726, propositis in Congr. Concilii sequentibus quatuor dubiis:

1. An sit standum, vel præcedendum a decisis, sub die 5 Junii 1723, quoad secundum dubium?

2. An Confraternitas Orationis, et Mortis Oppidi Casalis Majoris aggreg. Confraternitati Urbis possit sine licentia Episcopi in suo Oratorio exponere Eucharistiam infra annum et præcipue XL Horarum in Octava Defunctorum, aliasque functiones peragere, juxta assertum institutum in casu, etc., *et quatenus negative.*

3. An sufficiat semel dictam licentiam petere tam pro expositione infra annum, quam XL Horarum, aliisque functionibus, jux a d. ass. institutum, seu potius illa requiratur, toties, quoties.

4. An petita, et non obtenta dicta licentia habeatur pro concessa in casu, etc.

Ad primum: responsum fuit in decisis.

Ad secundum: negative quoad primam partem et quoad secundam explicentur functiones.

Digitized by Google

Ad tertium servetur solitum.

Ad quartum; negative et amplius in omnibus.

Et Alexandrina pro Confraternitate sanctæ Mariæ Misericordiæ, et S. Rochi cum Parocho S. Martini fuerunt proposita, et resoluta duo sequentia dubia:

1. An Confraternitas S. Mariæ Misericordiæ, et S. Rochi Civitatis Alexandrinæ possit sine licentia, et interventu Parochi exponere in suo Oratorio Lignum S. Crucis?

2. An eadem Confraternitas possit pariter sine licentia, et interventu Parochi exponere in suo Oratorio SS. Eucharistiam in casu, etc.

Sacra Congreg. Conc. in Alexandrina, 21 Februar. 1728, respondit: *Ad utrumque affirmative, accedente licentia Episcopi. Et amplius.*

Confraternitas potest facere suas Congregationes absque licentia, et interessentia Parochi; Sac. Cong. Conc. in Novarien. 24 Septembris 1718, ad nonum dubium. Et Capellanus Confraternitatis potest in suo Oratorio, benedicere candelas pro Confratribus et sororibus, in festo Purificationis B. M. V. in respons. ad 13 dubium.

Parochus debet a Confraternitate invitari, ut præsideat in Congregationibus faciendis tam in imbussolationibus, et extractione Priorum, ac Officialium, quam in redditione rationum; Sac. Congr. Conc. in Bononien. 15 Mart. 1728, ad 2 dub. Non debet tamen invitari, ut præsideat Congregationibus faciendis pro distributione dotium nec non pro his, quæ concernunt temporalia, et rerum œconomiam; Ibid ad 5 dub.

(3. Decretis Sacræ Congregationis Concilii consonant resolutiones Sacræ Congregationis Episcop. et Regular. in una Rhegien. inter Monasterium, et Monachos S. Petri Congregationis Cassinensium, et Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti dictæ Civitatis in qua propositis dubiis:

1. An Confraternitas sit exempta a Jurisdictione Ordinarii?

2. An eidem Confraternitati competat facultas retinendi Campanas obstrepentes in culmine Oratorii?

3. Processiones faciendi per Parochiam cum Stola, et Cruce occasione associationis Cadaverum, et similium?

4. Continuo asservandi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, etiam cum illius publica expositione?

5. Administrandi publice Sacramentum Confessionis.

6. Benedicendi Candelas, Cineres, Olivas?

7. Functiones peragendi in Majori Hebdomada, signanter in die Cœnæ Domini?

8. Ibique sepeliendi Cadavera absque alio interventu Parochi, istique omnino denegando Jura Parochialia?

(4. Die 5 Junii 1699, Sac. Cong. referente Eminentissimo Cardinali Tanario, censuit et decrevit non constare de exemptione, et in reliquis, *inhærendo* (sunt verba Decreti) *Decretis alias desuper editis, censuit respondendum negative.*

(5. Decretis Sacrarum Congregationum Concilii, et Episcoporum et Regularium consonant nova Decreta Sacræ Congregationis Rituum, in qua propositis sequentibus dubiis:

1. An Confraternitates Laicorum legitime erectæ in Ecclesiis Parochialibus, habeant dependentiam a Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis non Parochialibus?

2. An dictæ Confraternitates erectæ in Capellis, vel Oratoriis tum publicis, tum privatis adnexis Parochialibus Ecclesiis, ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam a Parocho quo ad dictas functiones?

3. An Confraternitates erectæ in aliis Ecclesiis publicis, habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, intra cujus Parochiæ limites sitæ sunt Ecclesiæ?

4. An Confraternitates erectæ in Oratoriis tam publicis, quam privatis sejunctis ab Ecclesiis Parochialibus quoad dictas functiones Ecclesiasticas, habeant dictam dependentiam a Parocho?

5. An Benedictiones, et Distributiones Candelarum, Cinerum, et Palmarum, sint de juribus mere Parochialibus?

6. An Benedictiones Mulierum post partum, Fontis Baptismalis, Ignis, Seminis, Ovorum, et similium, sint de juribus mere Parochialibus?

7. An functiones omnes Hebdomadæ Sanctæ sint de juribus mere Parochialibus?

8. An celebratio Missæ solemnis feria quinta in Cœna Domini, sit de dictis juribus Parochialibus?

9. An prima pulsatio Campanarum in Sabbato Sancto sit de juribus Parochialibus?

10. An celebratio Missarum Solemnium per annum, sive pro vivis, sive pro defunctis, sit de dictis juribus Parochialibus?

11. An Expositio quadraginta horarum, et benedictio, quæ fit super populum, sit de dictis juribus Parochialibus?

12. An expositio, quæ fit cum Reliquiis, vel sacris imaginibus, et benedictio, quæ cum eis fit super populum, sit de dictis juribus Parochialibus?

13. An functiones in præcedentibus octo dubiis, videlicet a dubio quinto ad duodecimum expressæ, peragi possint in Oratoriis privatis, contradicente Parocho?

14. An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres statis horis recitari possint horæ Canonicæ cum cantu, vel sine, absque licentia Parochi?

15. An in dictis Oratoriis privatis licita celebratio Missæ privatæ, assentiente Ordinario loci, et contradicente Parocho?

16. An Capellani Confraternitatum possint populo denunciare Festivitates, et vigilias occurrentes in Hebdomada, absque licentia Parochi?

17. An Parochus, invitis Confratribus, docere possit Doctrinam Christianam in prædictis Ecclesiis, Oratoriis publicis, vel privatis a Parochiali divisis, et separatis.

18. An in sæpe dictis Ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicæ

Digitized by Google

Conciones etiam per totum cursum Quadragesimæ, vel Adventus cum licentia Ordinarii, et absque licentia Parochi?

19. An in eisdem Ecclesiis possit celebrari Missa sive lecta, sive cantata ante Missam Parochialem, sive lectam, sive cantatam?

20. An ad Parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in sæpe dictis Ecclesiis, et Oratoriis publicis Confraternitatum?

21. An intra ambitum earumdem Ecclesiarum fieri possint Processiones juxta cujusque Confraternitatis institutum, absque interventu, vel licentia Parochi?

22. An eædem Processiones fieri possint extra ambitum dictarum Ecclesiarum absque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium transeundum est?

23. An in dictis Processionibus Capellani Confraternitatum possint deferre Stolam?

24. An Episcopo accedente ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quæ non sint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant, porrigendum sit Aspersorium a Parocho, in cujus territorio sunt sitæ dictæ Ecclesiæ?

25. An earumdem Ecclesiarum, et Confraternitatum Rectores, et Capellanos possit Parochus, cessante alio speciali, ac legitimo titulo, et solo jure Parochialitatis, compellere invitos ad assistendum functionibus Ecclesiæ Parochialis.

26. An in sæpe dictis Ecclesiis Confraternitatum, neque Parochialibus, neque Regularibus retineri possit Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum sine speciali Indulto Sedis Apostolicæ?

27. Præsupposita facultate retinendi, an possit infra annum publice exponi, sine licentia Ordinarii?

28. An possit Parochus se ingerere in Administratione oblationum, vel eleemosynarum in sæpe dictis Ecclesiis recollectarum, vel capsulæ pro illis recipiendis expositæ clavem retineri?

29. An in Ecclesia Parochiali Confratres, vel eorum Capellani, immiscere se valeant, invito Parocho, in ejusdem Ecclesiæ functionibus, sive Parochialibus, sive non Parochialibus?

30. An Confraternitates sive sint erectæ in Ecclesia Parochiali, sive extra illam, possint pro libito, et juxta uniuscujusque peculiaria statuta, congregationes suas facere, absque interventu, vel licentia Parochi?

31. An possint propria bona administrare, atque de illis disponere absque ulla dependentia a Parocho?

32. Quando Parochus eisdem Congregationibus intersit de mandato Ordinarii et tamquam ejus Delegatus, an possit suffragium decisivum ferre : et quatenus affirmative?

33. An etiam suffragium duplex?

Die 10 Decembris 1703, prout infra respondit.

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative.

Ad 3. Negative.

Ad 4. Negative.

Ad 5. Negative.

Ad 6. Negative : sed benedictiones Mulierum, et Fontis Baptismalis fieri debere a Parochis.

Ad 7. Negative prout jacet.

Ad 8. Negative prout jacet, sed spectare ad Parochum.

Ad 9. Negative prout jacet, sed spectare ad Ecclesiam dignioremad formam Const. Leon X, num. 22, § 14.

Ad. 10. Negative prout jacet, sed licere Confratribus dumtaxat in Festivitatibus solemnioribus ejusdem Ecclesiæ, vel Oratorii, ut in Brundusina sub die 1 Junii 1601.

Ad 11. Negative.

Ad 12. Negative, et quoad benedictiones cum Reliquiis, et Imaginibus serventur Decreta.

Ad 13. Satis provisum in superioribus.

Ad 14. Affirmative, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.

Ad 15. Affirmative.

Ad 16. Affirmative.

Ad 17. Negative.

Ad 18. Affirmative.

Ad 19. Negative, nisi aliter Episcopus disponat.

Ad 20. Affirmative, quando tumulandus est subditus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia, vel Oratorium.

Ad 21. Affirmative.

Ad 22. Negative, nisi adsit licentia Episcopi.

Ad 23. Negative extra propriam Ecclesiam.

Ad 24. Negative.

Ad 25. Negative.

Ad 26. Negative.

Ad 27. Negative.

Ad 28. Negative.

Ad 29. Negative.

Ad 30. Affirmative, dummodo non impediant functiones, et divina Officia.

Ad 31. Affirmative.

Ad 32. Negative.

Ad 33. Negative.

ADDITIONES AUCTORIS.

(6. Ad rem adhuc attendendæ sunt Resolutiones Sacr. Congregationis Concilii desuper editæ, in Lancianen. *Confraternitatis;* in Novarien. *Aggregationis;* in Cremonen. in Maceraten. in Alexandrina; in Bononien. in Firmana *Jurium Parochialium;* in Juvenacen. *Administrationis;* in Hortana *Jurium Parochialium;* in Senogalien. *Juris sepeliendi,* in Viterbien. in Fanen. *Procurationis;* in Apten. et ad uberiorem notitiam videri possunt quæ scite et erudite more suo tradit Bened. XIV. Institut. Eccles. 105, a num. 93, ad plures sequentes; cujus fragmenta quidem habes inter additiones ad hunc tit. *Confraternitas* singulis articulis appositas, sed institutio illa 105, omnino in fonte consulenda est in præsenti materia.

(7. Ad complementum tamen advertenda sunt, quæ tradit eruditissimus P. Gaudentius

Digitized by Google

de Janua in suo eximio Opere Romæ impresso anno 1748, de Visitatione, cap. 3, dubit. 9, sect. 2, num. 22, part. 321, ibi. Cæterum regula generalis est pro Confraternitatibus, licet aggregatis, ac etiam speciali quolibet privilegio munitis : quod aliqua quidem exercere queunt sine licentia Parochi, immo hoc contradicente, sed numquam absque Ordinarii placito, atque consensu; ut quantum ad aggregatas clare legitur in Lunen. Sarzanen. 19 August. 1690, decr. lib. 40, in Novarien. pariter Aggregationis 24 Septemb. 1718, decr. lib. 68, in responsis utrobique ad plura dubia, in quibus auctoritas Ordinarii ejusque jurisdictio semper præservatur; et quantum ab alias, specialibus utcumque privilegiis munitas, colligitur ex Mileten. 18 Septembris 1690, ubi Confraternitas Sanctissimi Sacramenti exempta in sui erectione, medio privilegio Apostolico ante Concilium concesso, a jurisdictione Ordinarii, cum facultate retinendi Tabernacula, et asservandi Sanctissimum Sacramentum, declaratum fuit : quod potuerit continuare in celebratione Solemnitatis Corporis Christi cum expositione ejusdem Venerabilis a Dominica Palmarum usque ad Feriam tertiam Majoris hebdomadæ nec non in qualibet sexta feria mensis Martii, Arbitrio tamen Episcopi tantum; decr. lib. 40. Prout ibidem neque sustinetur exemptio a jurisdictione, et Visitatione Episcopi ejusdem, licet in privilegio expressa. Quod confirmatum fuit in Sutrina Jurisdictionis 7 Decemb. 1715, videlicet : quod jure Ordinario possit Episcopus visitare Ecclesiam, et Hospitale a Confraternitate laicali gubernatum; atque exigere quolibet anno rationem administrationis dictæ Ecclesiæ, et Hospitalis : « Non obstante asserto Brevi, concedente Officialibus ejusque Hospitalis administrationem independentem; » decr. lib. 65.

(8. Distincta, his non obstantibus, in dies privilegia hujusmodi aggregatæ Confraternitates non cessant prætendere, quæ per Ordinarios iisdem denegantur; propterea non abs re erit quædam alia referre contra hujusmodi prætensiones S. C. C. Decreta. Et primo generaliter sancitur : quod Capellani Confraternitatem aggregatarum Archiconfraternitatibus Urbis, non possunt in Ecclesiis Confraternitatum ministrare Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ Fidelibus ad eas confluentibus, sine speciali licentia Episcopor. in Lunen. Sarzanen. 29 Augusti 1690, ad tertium decr. lib. 40. Neque possunt in die Purificationis B. V. Feria 4, Cinerum, et Dominica Palmarum peragere benedictiones solemnes Candelarum, Cinerum, et Palmarum in eadem Ecclesia; immo neque privatim in Sacrario; ut in eadem Lunen. Sarzanen. ad quartum. Putarem tamen, quod hæ benedictiones prohibeantur speciatim, quantum ad affluentem populum, ut in responsione præcedente; nec dubito, quin pro Confratribus solis ad Functiones, et Officia concurrentibus possunt expleri, annuente præsertim, et approbante Episcopo : ex Bulla Clementis VIII. In solemnioribus item Festivitatibus non possunt Capellani præfati canere Missas, et Vesperas, absque licentia Parochi; ut in Lunen. eadem in respons. ad quintum, neque in Processionibus extra Oratorium deferre Stolam; possunt tamen in Processionibus intra idem; ut in Cremonen, 23 Januar. 1706, ad nonum decr. lib. 56, Novarien. 24 Septemb. 1718, ad 6, decr. lib. 68. Quod etiam intelligendum venit, nisi licentia Episcopi accedat, cujus jurisdictioni ipsi, et Parochi subduntur ex dictis. Idem concluditur, quantum ad expositionem Reliquiarum; ex declaratione S. C. C. in Alexandrina 21 Febr. 1728, in qua rescriptum fuit : Quod Confraternitas aggregata Archiconfraternitati Urbis valeat sine licentia, et interventu Parochi, accedente tamen licentia Episcopi, exponere in suo Oratorio Lignum Sanctæ Crucis, lib. decr. 78, et in Thesaur. resol. tom. 4. Confraternitates deinde in specie aggregatæ Basilicæ Lateran. vigore dictæ aggregationis non possunt prætendere erectionem in propriis Oratoriis, vel Ecclesiis, Scalæ Sanctæ sic nuncupatæ, cum indulgentiis Scalæ Sanctæ de Urbe; In Neapolitana Indulgentiarum 9 Jun. 1717, ad primum decr. lib. 67. Idcirco possunt ab Ordinario compelli ad removendum lapidem, positum super Scalam cum inscriptione; pro Visitantibus quotidie Indulgentiæ, sicut in Basilica Lateranensi; ibidem in Neapolitana ad tertium. Similiter Confraternitas Mortis aggregata Archiconfraternitati Mortis Urbis non potest sine licentia Episcopi exponere in proprio Oratorio Sanctissimam Eucharistiam infra annum, et præcipue in functione quadraginta horarum, et per Octavam defunctorum. Ita in Cremonen. 13 Apr. 1726, ad secundum decr. lib. 76. An autem sufficiat semel dictam licentiam petere : tum pro expositione intra annum, tum quadraginta horarum; Responsum fuit in dicta Cremonen. Ad tertium servetur solitum; Cum expressione tamen, quod licentia petita, et non obtenta, nequaquam habeatur pro concessa : ibi eadem hæc Confraternitas Mortis aggregata non potest sepelire Cadavera occisorum in Ecclesia Parochiali, quoties paratus est ea sepelire ipsemet Parochus; in Novarien. Aggregationis 24 Septemb. 1718, ad 10, decr. lib. 68, et 13 Jun. 1720, lib. decr. 70. Quamvis, Parocho recusante, non solum privilegium habeat ea sepeliendi, sed Ecclesiæ fores aperiendi per vim; in dicta Novarien. 1718, de 11. Hæc ille expressis verbis.

(9. Quoad discordias inter Parochos, et Rectores, seu Capellanos distinctarum Ecclesiarum, seu Oratoriorum existentium intra limites Parochiæ, sine ulla Confraternitate, seu Societate, attendenda sunt Decreta Sac. Congreg. Concil. in Forolivien. Jurium Parochialium, 18 Novemb. 1684, nempe, « quod non liceat Parocho quæstuare in Ecclesia sita intra limites Parochiæ, quæ sit Patronalis, vel quæ habeat proprium Rectorem in Respon. ad primum; » Item « quod non liceat retinere claves capsulæ eleemosynarum existentis in eadem Ecclesia in Respons. ad secundum; » Item « quod possit Rector

Digitized by Google

ejusdem Ecclesiæ ibidem Missam celebrare ante Missam celebratam a Parocho ; nisi aliter Episcopus statuat in Respons., ad 5, ibid., lib. Decr. 34. » Et in Melevitana Jurium Parochialium, 22 Jun. et 20 Sept. 1715, videlicet, « Non ad Parochum, sed ad Rectorem Ecclesiæ sitæ intra limites Parochiæ, spectare deputationem, seu electionem Diaconi, et Subdiaconi assistentis celebrationi Missæ solemnis in dicta Ecclesia, etc., occasione alicujus Festivitatis, et si ejusmodi Ecclesia careat Rectore, deputatio pertineret ad Patronum, et si non adsit Patronus, ad Custodes, seu Syndicos deputatos ab Episcopo, lib. 75, decretor. » attentis item decis. Rotæ in Civitatis Plebis, 3 Jul. 1705, coram Molines, et 6 Jun., coram Ansaldo.

(10. Item attendenda sunt decreta in Thelesina Anniversarii, et Missæ solemnis, in qua ad dubia ; 1. « An celebratio Missæ solemnis pro defunctis cum Anniversario in Ecclesia S. Nicolai sita infra limites Parochialis, et Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Martini Civitatis Cereti, spectet ad Archipresbyterum, et Canonicos dictæ Collegiatæ privative quoad omnes, sive potius ad Capellanum dictæ Ecclesiæ cum facultate assumendi in dicta Missa, et Anniversario Presbyteros sibi benevisos ? 2. An celebratio Missæ solemnis cum primis, et secundis Vesperis in die Festo S. Nicolai spectet ad dictum Archipresbyterum ; vel potius ad Capellanum dictæ Ecclesiæ independenter, et sine licentia Parochi, et cum facultate assumendi Presbyteros, quos voluerit in casu ? » Sacr. Congr. Concil., die 9 Febr. 1732, respondit : « Ad utrumque negative quoad primam partem, et affirmative quoad secundam, amplius, » apud Thesaurum Resolut. tom. 5 in Thelesina.

(11. Item attendenda sunt decreta a Sac. Congr. Concilii in Asculana Jurium, et Functionum Parochialium, sub die 29 Aug. 1733, jam relata in tom. 9, sub num. 165. Vide ibi, et averte, quod ubi in ipsa ad V dubium, « An idem Rector teneatur permittere, ut Parochus doceat in dicto Oratorio Doctrinam Christianam, vel possit hoc impedire. » Sac. Congregatio respondit : *Arbitrio Ordinarii ;* attamen Sac. Congregatio Rituum in celeberrimis Decretis Urbis et orbis, sub die 10 Decemb. 1703, a Sanctissimo approbatis, quoad hoc jam resolverat contra Parochum. Vide ipsa Decreta in hoc ipso art. n. 4, supra relata, in responsione ad decimum septimum. Item observanda sunt Decreta in *Nullius, seu* Nonantulana Jurium Parochialium, sub die 28 Junii 1744, jam adducta in tom. 9, in Appendice sub num. 265.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(12. Si qua est Resolutio alicujus Sac. Congregationis, quæ finem imponere valeat dissidiis Parochos inter et Confraternitates, ea certe est anno 1704. edita a Sac. Congreg. Rituum, et a Summo Pontifice, ut refert Bened. XIV, Ins it. Eccles. 105, n. 92, approbata quam refert Auctor n. 4.

(13. Statuit dicta Sac. Cong. discrimen Confraternitates Sæcularium erectas in Ecclesiis Parochialibus, aut Sacellis, vel Oratoriis publicis, vel privatis, quæ a Parochia dependent, ipsique adjiciuntur, inter, et Confraternitates constitutas in publicis Ecclesiis, aut Oratoriis publicis, quæ intra ipsius limites posita sunt ; (14. et fere omnia tribuit Parochis in Confraternitates primi generis, non item in Confraternitates secundi generis.

(15. Post hanc resolutionem S. Congregationis Rituum nonnulli Scriptores putant, plura in Confraternitatibus, et ab eorum Capellanis fieri haud posse, licet Sac. Congreg. statuerit illa ad jus Parochiale minime pertinere ; nam, inquiunt, multa inter jura Parochialia non recensentur, sed inter munia solis Parochis in sua ditione convenientia.

(16. Ut autem hanc opinionem comprobent, allegant Decreta Sac. Congregationum, quibus sancitur hoc, vel illud spectare ad Parochum, non autem Sodalitiis, eorumque Capellanis tribuenda. (17. Inter alios vero Baptistellus Fulginatensis Episcopus in Appendice ad suam Synodum pag. 257, « Benedictiones (ait) Cinerum, Candelarum, Ramorum Olivæ, Ovorum, delationes Sanctissimi Sacramenti, Missæ, ac Vesperæ solemnes, aliæque Ecclesiasticæ functiones, quæ etsi stricte de juribus Parochialibus non sunt, aliquam tamen cum eis connexionem et affinitatem habent, juxta communem infrascriptorum Doctorum sententiam, non ad Confraternitates, earumque Capellanos, sed ad Parochos spectant, excepto casu quo Parochus ipse requisitus hujusmodi functiones se gratis exhibere nolle, alias non posse declaravit. »

(18. Confutat vero hos Bened. XIV, dict. Instit. Ecclesiast. 105, a num. 100, ad num. 111, una monens præter jura Parochialia functiones quoque alias dari, quæ cum iisdem juribus ita implicitæ, et connexæ sunt, ut soli Parocho liceat ipsas in sua ditione exercere. Vide omnino eumdem, tum Rot. cor. Coccin. decis. 2089, coram Molin. decis. 990, et cor. Lancett. dec. 988.

ARTICULUS III.

Confraternitates, quoad illa, quæ respectu ipsarum Episcopus potest facere, vel non.

(1. Confraternitates Laicorum cum usu Saccorum non solum in propriis Oratoriis, sed etiam in Regularium Ecclesiis, in quibus reperiuntur erectæ, possunt visitari ab Episcopo in his quæ respiciunt administrationem, et adimplementum onerum, vel relationem habent ad Confratres ; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in una S. Angeli 2 August. 1581, in Bisaccin., 12 Junii 1582 ; in Caven. 22 Februar. 1595 ; in Thelesina, 20 August. 1596 ; in Derthonen., 22 Mart. 1604 ; in Aquens., 3 Decembr. 1610 ; in Vercellen., 17 Jul. 1625 ; in Leopolien., 31 Januar. 1642 ; Sac. Congreg. Concil. in Nucerina Paganorum, 23 Jun. 1629, et in Urbanien., 23 Septemb. 1690, item S. Congr. Episcop. et Regul. in Fanen. 10 Aprilis 1693, et in Hieracen. 14 Novembris 1698, directa Episcopo illius Civitatis Epistola prout sequitur : (2.

Digitized by Google

« Questi Eminentissimi miei Signori m'hanno comandato di significarle, che da questa S. C. de'Vescovi e Regolari, è stato più volte risoluto, che gli Ordinarî possono visitare le Confraternite dei Laici, erette nelle Chiese de'Regolari, ed altre persone esenti, non solo in quanto agli beni ed entrate loro, con rivedere i conti, ma anche le Capelle stesse in quanto a quello, che risguarda l'amministrazione, ed altri obblighi personali, che spettano alla Compagnia, e Confrati ascritti a quella, cioè in riconoscere se l'entrate ed elemosine, che si danno per adornare, e mantenimento della Cappella, e per accrescere ivi il culto Divino, e divozione del Popolo, siano spese fedelmente, e con effetto s'impieghino ad utilità, ed in beneficio della stessa Cappella, e non in altri usi; non toccando però il restante, che spetta alla cura, e totale amministrazione de'Frati, e Regolari, che son Padroni di tutto il Corpo della Chiesa, dove sono dette Cappelle e Confraternite, come gli Altari, Immagini, ed altre cose materiali allisse, ed utensili Sacri applicati a quelle, sopra de'quali nè i Vescovi, nè altri Ordinarî hanno da ingerirsi, nè usar alcuna giurisdizione e sopraintendenza; a segno tale, che non l'è permesso usar alcun atto giurisdizionale nelle suddette Chiese de'Regolari, fuora di quanto s'è detto di sopra. Onde V. S. dovrà governarsi in questa conformità, che tale è sempre stato il senso della Sacra Congregazione. » (3. Ubi vides non posse Episcopum visitare Ecclesias vel Altaria etiam pro servitio dictarum Confraternitatum a Regularibus assignata, nisi quoad onera : prout jam declaraverat Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Bisaccen., 12 Jun. 1582. (4. Immo neque visitare potest Episcopus Altaria, et Capellas in Regularium Ecclesiis per Sæcularium Confraternitates constructa, ut declaravit eadem S. C. Episc. et Regul. in Papien., 22 Aug. 1615, et in Tarracon., 22 Januar. 1616, apud Barb. Apostolicar. dec. collectan. 728, n. 15.

(5. Confraternitates Laicorum visitari possunt ab Episcopis, etiamsi essent erectæ in Ecclesiis, seu Oratoriis fundatis, et extructis in solo, et territorio Religionis Hierosolymitanæ, prout partibus contradicentibus decisum fuit a Sacr. Congregat. Concil. in Novarien. Orat. 17 Novembris 1686 in qua fuit declaratum, et firmatum, quod Ordinarius potest visitare Oratorium, et Confraternitatem, et cogere Officiales ad reddendam rationem, absque interventu alicujus personæ e religione Hierosolymitana deputandæ, et prohibere Confessariis, ne Confessiones Confratrum, et aliorum audiant in Oratorio absque Episcopi facultate. (6. Quinimo Episcopi visitare possunt etiam Confraternitates, atque non a primæva sua fundatione sunt sub immediata Regum protectione, sed solum ex post sub sui immediata protectione sunt a Rege acceptæ; ad hoc enim ut Confraternitates, aliaque Pia Loca existentia sub immediata protectione Regum sint immunia a Visitatione Ordinariorum, debent esse talia a primæva sua fundatione, cum hæc protectio non concedatur, nisi a Sede Apostolica, et in ipso actu fundationis dumtaxat; si enim Confraternitates, et alia pia loca accipiantur ex post a Rege sub immediata sui protectione, non eximuntur a jurisdictione Ordinarii, ut patet in responsionibus datis ad sequentia dubia in simili de Hospitali : In una Messanen. fuit dubitatum. Primo : « An Hospitale alias non exemptum, si accipiatur a Rege sub immediata sui protectione eximatur a iurisdictione Ordinarii, ita ut ab eo visitari non possit, juxta Sacr. Concil., Trident. dispositionem sess. 22, cap. 8 de reform. » Secundo : « An Hospitale, in quo rex habet juspatronatus, si alias exemptum non fuerit, visitari possunt ab Ordinario. » Tertio : « An per immemorabilem consuetudinem non visitandi aliquod Hospitale excludatur Ordinarius a jure illud in posterum visitandi? » Die 11 Decembris 1621, Sacr. Congreg. Concil. Ad primum respondit, « Hospitale alias non exemptum non ideo esse immune ab Ordinarii jurisdictione, etiamsi acceptum fuerit a Rege sub immediata ejus protectione, ac propterea hoc non obstare, quominus ab Archiepiscopo visitari valeat. » Ad secundum : « Hospitale, in quo rex habet juspatronatus, si alias exemptum non fuerit, utique posse ab Ordinario visitari. » Ad tertium : « Ejusmodi consuetudinem etiam immemorabilem esse sublatam decreto cap. 8, sess. 22, de reform. ac proinde per eam nunquam excludi Ordinarium a jure Hospitalia visitandi. » (8. Et ratio est, quia Concilium cap. 8, sess. 22, de reform. in quo excipiuntur Pia Loca, quæ sub protectione Regum existunt, nequaquam jurisdictioni Ordinarii in aliquo derogavit, aut detraxit respectu talium locorum, ut respondit Sac. Congr. Concil., in Neapolitana 12 Decemb. 1601, nec tribuit aliquam novam exemptionem prædictis locis, sed tantum præservat, si quam prius habebant, ut sæpius declaravit Sacr Congr. ejusdem Concil. et signanter re diligenter examinata, die 12 Decemb. 1602, in eadem Neapolitana.

(9. Administratores Confraternitatum, sicut et aliorum Piorum Locorum possunt compelli ab Episcopis ad reddendam rationem administrationis, et ad asportandum libros administrationis etiam ad Palatium Episcopale, si sint in loco residentiæ, seu alterius stationis, et permanentiæ Episcopi; Sacr. Congreg. Concil. in. Narnien. 8. Augusti 1693. Montisfalisci 27. Augusti 1695. in Hispalan. Visitationis 18. Augusti 1696. in Novarien. 17. Novemb. 1696. in Calaguritana Visitationis 18. Junii 1701. et Ortonen. 2. Maji 1704. Vide verb. Administrator n. 20. (10. Etiamsi tales administratores rationem administrationis aliis reddere solerent, adhuc vigore dispositionis Concilii principaliter erit adhibendus Episcopus; Sacr. Congreg. Concil. in Conversanen. 2. Martii. 1697. et in Mileviana 20. Martii 1700. (11. Immo redditio rationis administrationis danda est Ordinariis etiam a Confraternitatibus, aliisque Locis Piis, quæ sunt sub immediata Regum protectione : Et ratio est, quia exceptio locorum,

Digitized by Google

quæ sunt sub immediata Regum protectione non legitur nisi in cap. 8. sess. 22. de reformat. in quo capite, ut legenti patet, agitur tantum de jure visitandi; non autem in c. 9. ejusdem sess. 22. ubi agitur de rationibus Ordinario reddendis; Caput enim VIII. restringit se ad dispositionem juris communis dicens: In casibus a jure communi concessis; sed caput IX. loquitur indistincte, et generaliter etiam in casibus a jure jam non concessis, ut pluries declaravit Sacra Congregatio ejusdem Concilii, et expresse in Gravinens. 9. Augusti 1569. (12. Et ideo ut refert Pignatell. tom. 1. consult. 45. num. 46. et 47. Sacr. Congregatio Concilio sæpius respondit in Neapolitana ut sequitur: Sacra Congregatio, etc., « censuit. cap. 8. sess. 22. de reform. Concilio Tridentio intelligi, et habere locum in casibus a jure communi permissis. Licere tamen Ordinario ab eis rationem administrationis exigere ex Decreto cap. 9. ejusdem sessionis, nulla habita ratione juris communis. » (13. Ex quo patet, dicit citatus Doctor; Concilium ampliorem facultatem tribuisse Episcopis in rationibus exigendis quam in Visitatione Piorum Locorum; ideo non mirum, si quoad Visitationem excipit loca sub Regum protectione existentia; secus vero quoad reddendas rationes, ut etiam notat, et tenet Barbosa Apostolicarum Decisionum collectan. 13. verb. *Administrator n.* 2. ubi citat Decretum supradictum Sacræ Congregationis Conc. in Neapolitana 11. Augusti 1618. Sellius in select. Canon. cap. 23. n. 5.

(14. Episcopus manutenendus est in quasi possessione cogendi Confraternitates Laicorum, quæ utuntur sacco, per Edicta pœnalia, exactionem pœnarum, aliaque juris, et facti remedia, ad conveniendum solitis Processionibus, non obstante aggregatione, nisi haberent privilegium speciale exemptionis; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Viterbien. 9. Decembris 1586. in Turritana 16. Octobris 1600. in Nolana 2. Maji 1601. in Papien. 15. Februarii 1622. in Camerinen. 16. Julii 1624. in Florentina Violationis, interdicti ad relationem Eminentiss. Card. de Abdua, 2. Februar. 1692. (15. Et in casu quod adsit consuetudo, sic decrevit etiam Sac. Congreg. Conc., in Nucerina Paganorum 15 Aprilis 1690, et in Novarien. Processionum, 16 Aprilis 1692. (16. Ordinarius, seu Episcopus potest per seipsum, vel per suum Delegatum intervenire, et assistere Congregationibus Confraternitatum, et electionibus Officialium, modo non faciat novitates; Sac. Congr. Episc. et Regul., in Ragusina 1, Aprilis 1596, et in Consentina 14 Julii 1600. (17. Immo potest Episcopus per se ipsum, vel per suum delegatum intervenire, et assistere Congregationibus Confratrum, etiamsi fiant in Ecclesiis, et Oratoriis Regularium, in quibus reperiuntur Societates erectæ, absque eo quod possit excludi; ut respondit Sac. Congr. Episc. et Regul. in Cæsenaten. 24 Novembris 1690, votum tamen dare non debet, ut respondit Sac. Congr. Conc. in Senogallien. 4 Junii 1707. (18. Episcopus pro contributione Seminarii potest taxare Confraternitatum bona, quatenus sint Ecclesiastica; Sacr. Congregat. Concil., in Signina 18 Novembris 1628. (19. Supposita taxa pro Seminario cum solutione continuata ultra triginta annos tenentur Confraternitates ad illius solutionem in futurum, quia ex solutione tot annorum præsumitur, vel quod bona sint Ecclesiastica; vel quod aliquod Beneficium sit eis unitum, et ideo potest Episcopus illas compellere remediis censurarum Ecclesiasticarum, sequestrationis fructuum, et similium; Sac. Congreg. Concil., in Tudertina ad cap. 18, sess. 23, de reform., 5 Novembr. 1644. (20. Confraternitates tenentur contribuere pro victualibus Visitatoris, seu Episcopi visitantis; Sac. Congr. Conc., in Dertonen. ad cap. 3, sess. 24, de reformat., 4 Maii 1652, in Bojanen. 14 Decemb. 1654. (21. Et non obstante consuetudine contraria non contribuendi; Sac. Cong. Conc., in Signina 1670, 2 Aug. (22. Servari debet Decretum Episcopi, ne in Oratoriis Confraternitatum celebretur in Festis ante Parochialem, modo Parochus celebret hora competenti; Sac. Congr. Episc., in Cortonen. 9 Januar. 1587, in Senogallien. 29 Januarii 1613. Vide decreta relata art. 2, num. 4.

(23. Non potest Episcopus se ingerere in administratione bonorum Confraternitatum Laicorum, dum illa non dilapidant; Sacr. Congr. Episc. et Regular., in Castellaneten. 14 Novembris 1603. (24. Licet enim Episcopus possit, immo debeat, ad tollendos abusus, et præjudicia Locorum Piorum, Edictis præcavere, ut bona fideliter administrentur: non tamen in administratione se ingerere valet, sed illam Confratribus relinquere, reservato sibi jure competente ex Concilii Tridentini dispositione, c. 8 et 9, sess. 22, nempe confirmandi OEconomos, et Administratores electos, et ab eis exigendi computa administrationis; nec non etiam juramentum de fideliter administrando, prout auditis partibus declaravit Sacra Congregatio Concilii, in Aliphana 8 Maii 1706, et antea, in Ferentina 15 Martii 1704. (25. Episcopus non potest prohibere Confraternitatibus Laicorum erectis auctoritate Ordinaria, ne faciant expensas extraordinarias excedentes summam scutorum viginti sine sua licentia, quemadmodum declaravit Sacra Congr. Concil., in Urbinaten. 10 Martii 1663, ad cap. 9, sess. 22, de reform. (26. Episcopus non debet compellere ad unionem Confraternitates; Sac. Congr. Episc. et Regul., in Narnien, 13 Novembris 1612. (27. Unde Confraternitatum Sanctissimi Nominis Dei, et Sanctissimi Sacramenti terræ Capitonis Narnien. Diœcesis unio facta sine aliqua causa, et absque auctoritate in Visitatione a Vicario Generali Episcopi Narnien. declaratur nulla; Sacra Congr. Rit., in Narnien. Capitonis 24 Januarii 1615. (28. Nulla Confraternitas impediri debet, ne accedat ad funera, modo sine Jurium Parochialium præjudicio; Sac. Congr. Episc. et Regul., in Camerinen. 26 Augusti 1616. (29. Episcopus impedire non potest ne Confratres Societatis

Digitized by Google

Mortis incedant cum capite capitio cooperto; Sacr. Congr. Episcop. et Regul., in Cajetana 24 Julii 1606. (30. Episcopus non potest prohibere, vel restringere Confraternitatibus præsertim aggregatis, solita exercitia, puta Societati Morti sepelire Defunctos post horam 23. Sac. Congr. Episcop. et Regul., in Ferrarien. 12 Januarii 1592. (31. vel facere consuetam disciplinam secreto, et sine lumine, Sac. Cong. Episcopor. et Regular., in Camerinen. 1 Septemb. 1578. (32. Secus de exercitiis insolitis, si possunt esse occasio scandali, vel disturbandi antiqua; Sac. Cong. Episcop. et Regular. 17 April. 1602.

(33. Confraternitates possunt congregari ubi, et quoties magis eis placuerit, etiam absque Episcopi licentia; Sac. Cong. Episc. et Regul., in una Nullius Putiniani 21 Augusti 1584, quæ rescripsit Vicario dicti loci, quod non potuerat prohibere, ne Societas Sacramenti non se congregaret, neque ullam resolutionem caperet absque sua licentia; eo enim ipso quod Confraternitas reperitur legitime erecta, habet jus tanquam legitimum Collegium se congregandi, quoties sibi placuerit, absque licentia Superioris; Rota coram Coccin. decis. 2174, n. 11 et 12. Frances de Eccles. Cathedral. cap. 25, n. 330. Barbosa decis. Apost. collect. 27, n. 12. Ricciul. Ecclesiast. lucubrat., lib. 4, cap. 3, in princip. et cap. 5, n. 5. Monacell. tom. 1, tit. 6, formul. 11, n. 18, 19 et 20, ubi mordicus sustinet hanc opinionem contra Pignatell. tom. 9, consult. 128, contrariam sententiam tenentem. (34. Unde concludit, quod Episcopus non potest generaliter prohibere, quod Confraternitates non possint congregari sine licentia, et præsentia Delegati Episcopi sub pœna nullitatis agendorum, quia est contra juris dispositionem, cui Episcopus non potest derogare. Sicque dicit ipse: cum talis prohibitio de jure sustineri non valeat universim pro omnibus Congregationibus, poterit Episcopus ea uti in aliqua re gravi, quæ involvat præjudicium irreparabile, vel damnum notabile, per modum tamen hortationis, et numquam sub pœna nullitatis, quam infliger actibus Collegii legitime congregati non potest. (35. Et hæc fuit sententia Eminentissimi Petrucci, qui votum suum aperire jussus a Sacr. Congr. Concil., in una Pisaur. sub diebus 28 Decemb. 1697 et 14 Jun. 1698, ita Decretum Episcopi super gubernio Confraternitatum cum hac prohibitione latum, moderandum esse censuit; et Sacra Congregatio censuram voti approbavit. Vide Decreta relata art. 1, num. 4, in responsione ad trigesimum. (36. Capellani Confraternitatum non debent ab Episcopo sine causa amoveri, reluctantibus Confratribus, ut censuit Sacr. Congreg. Episcop. et Regul. in Forosempronien. 3 Octobris 1692.

(37. Confratres non possunt quæstuare etiam per propriam Ecclesiam, nisi de licentia Ordinarii, ut ex decreto Sacr. Congregationis; Missas vero ex quæstubus illis collectas, celebrandas esse in eadem Ecclesia, non vero in Parochiali censuit Sacra Congreg. Concilii; Instit. Eccles. 105, § 131.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(38. Quoad potestatem Episcopo competentem visitandi Confraternitates erectas in Ecclesiis Regularium exemptorum, celebris est Resolutio Sac. Congregationis Concilii interpretis in Nucerina Paganorum 23 Junii 1719. Sacra etc. « Inhærendo declarationibus jam factis censuit, Confraternitates Laicorum in Ecclesiis Regularium exemptorum institutas subesse jurisdictioni et visitationi Episcopi, illasque ab eo visitari posse, necnon illarum Capellas in iisdem Ecclesiis Regularium existentes, in his tamen quæ Confraternitatum administrationem respiciunt. Et si Confraternitatibus incumbit onus manutenendi Altare, et illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea, quæ respiciunt ipsam manutentionem, cultum et ornamenta Altaris, seu Capellæ, onera Missarum atque divinorum officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea omnia, quæ ad obligationem eorumdem Confratrum relationem habent. »

(39. Hæc autem resolutio licet in casu particulari edita sit, tamen, ut monet Bened. XIV. Institut. Eccles. 105. num. 88. tanquam Lex generalis probata deinde fuit, eisque ipsa S. Congreg. se conformavit, quum ejusdem generis causæ propositæ fuerunt, ut in Cosentina Visitationis, et censurarum 16. Septemb. 1722. in Spoletina 3 Septembris 1730. et in Ravennaten. 7. Aprilis 1731.

(40. Confraternitates vero in Lateranensi solo excitatæ Episcopis minime subsunt ob vetustissimum privilegium Bonifacii IX. quod licet a Pio V. abrogatum fuerit, tamen a Sixto V. in pristinum fuit restitutum.

(41. Notandum vero, quod tunc valet hoc Privilegium, quum Ecclesiæ, Sacella, sive Confraternitates in eo fundo eriguntur, qui prius ad Basilicam Lateranensem jure dominii pertinebat. (42. Aliter vero se res habet, si postquam hæ sacræ ædes fundatæ fuerint, eidem Basilicæ subjiciantur, annuumque tributum ob hanc causam solvatur; Rota coram Emerix Jun. dec. 228. n. 5. et seq. et dec. 260. fer. per tot. et coram Lancett. dec. 1385. n. 5. et plur. seq.

(43. Nec omittendum, quod Sixtus V Episcopo in Ecclesias, aut Oratoria posita in solo Lateranensi, tribuit idem jus, quod in ipsum Episcopum a Tridentina Synodo confertur. Ideoque delegata jurisdictio Episcopo competit. Poterit itaque Episcopus tamquam delegatus visitare sacras ædes hujusmodi, et Confraternitates. Consule Benedict. XIV. Instit. Eccles. 105. n. 90.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(44. De juris fictione Episcopi in Confraternitates dictum sufficienter est. Dicendum nunc est de Parochi potestate, tum de aliis materiam Confraternitatis respicientibus. Meo judicio juvat hic exscribere resolutionem Sac. Cong. Concilii interpretis in Ferrarien. Confraternitatis 14 Septemb. 1782. in qua certe multa sunt ad rem hanc pertinentia.

(45. Primum Dubium est: An Confraternitas Sanctissimi Sacramenti Terræ Bondeni

Digitized by Google

habere debeat dependentiam a Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis, ita ut Parochus præter jus parochiale, et superioritatem in casu, etc. Responsum fuit : Competere Parocho jus præeminentiæ in functionibus Ecclesiasticis Confraternitatis ad formam Resolutionis S. C. Rituum anni 1703. ad primum, et secundum Dubium. In aliis autem actibus ejusdem Confraternitatis posse Parochum habere jus præeminentiæ quatenus eidem præsit ex delegatione Archiepiscopi.

(46. Secundum Dubium : An competat Confraternitati jus privative quæstuandi in Parochiali Ecclesia, et Parochia pro manutentione olei, lampadis ceræ et supellectilium pro functionibus Sanctissimi Sacramenti Parochialis Ecclesiæ in casu, etc. Responsum fuit : Negative et amplius, et quæstuas faciendas esse ad formam Decreti anni 1779 Eminentissimi Archiepiscopi.

(47. Tertium Dubium est ; et quatenus negative : An Confraternitas ultra servitium personale teneatur adimplere supradicta onera ex propriis Oratorii redditibus, seu potius Parochus ex retractu quæstuorum Sanctissimi Sacramenti, et ex propriis Parochiæ redditibus in casu, etc. Fuit responsum expensas necessarias pro cultu Sanctissimi Sacramenti faciendas esse primum ex quæstuis sive a Parocho, sive a Confraternitate in hanc causam faciendis, deinde ex redditibus bonorum intuitu Sanctissimi Sacramenti a Confraternitate acquisitorum, et in subsidium tandem ex redditibus Parochi et amplius.

(48. Quartum Dubium est : An Confraternitas subministrare teneatur propria paramenta, sacrasque vestes, et supellectilia pro Ecclesia Parochiali in sacris functionibus quæ non pertinent ad Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti in casu, etc. Et quatenus negative.

(49. Quintum Dubium est : An teneatur Confraternitas ad manutentionem ceræ, et supellectilium pro Missa festiva Parochiali, pro canendis Missis, Vesperis in festivis anni diebus, aliisque sacris functionibus peragendis in Ecclesia Parochiali seu potius Parochus ex Parochiæ redditibus in casu, etc. Ad quartum, et ad quintum responsum fuit : Servetur Decreta Eminentissimi Archiepiscopi Magalotti anni 1628. et Eminentissimi del Verme annorum 1708 et 1712. pro festivitatibus vero, et functionibus non spectantibus ad cultum Sanctissimi Sacramenti provideat Eminentissimus Archiepiscopus prout ipsi opportunum videbitur.

(50. Sextum Dubium est : An statuta publicata anno 1780. sint exequenda in casu, etc. Fuit autem responsum dilata, et videatur particularitas.

(51. Septimum Dubium est : An constet de legitima expulsione Confratrum seu potius sint reintegrandi in pristinum statum in casu, etc. Responsum fuit : Affirmative ad primam partem, ad secundam arbitrio Eminentissimi Archiepiscopi, et amplius.

(52. Octavum Dubium est : An constet de damnis ita ut sit locus emendationi, et respective restitutioni emolumentorum perceptorum in occasione carcerationis Herculis Ferrarii in casu, etc. Fuitque responsum ; Negative in omnibus, et amplius.

(53. Nonum Dubium est : An, et quomodo libri, et scripturæ Confraternitatis sint custodiendæ in Archivio ejusdem Confraternitatis in casu, etc. Fuit responsum : Servandos esse libros, et scripturas in Archivio Confraternitatis ad nutum Archiepiscopi, et amplius.

(54. Decimum Dubium est : An, quomodo, et quo tempore sint celebrandæ Missæ, audiendæ Confessiones, et pulsandæ campanæ in Oratorio Confraternitatis in casu, etc. Fuit responsum : Arbitrio Eminentissimi Archiepiscopi, et amplius.

(55. Undecimum Dubium est : An ad litis expensas teneatur Confraternitas, seu potius Carolus Buinth aliique subscripti, in mandato procuræ in casu etc. Fuit responsum : Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, et amplius.

ARTICULUS IV.

Confraternitates, quoad immunitatem a potestate et jurisdictione laicali.

(1. Confraternitates auctoritate Apostolica, vel Ordinaria erectæ subsunt jurisdictioni Episcopi, ac etiam ipsi Confratres, ubi agitur de interesse spiritualitatis, et Confraternitatis ; Sac. Congregat. Immunitatis in Papien. 10 Septembris 1629. lib. 2. Decr. Paul. pag. 6. (2. Cognitio causæ contra Confratres Confraternitatis N. spectat ad Archiepiscopum ; Ead. Sac. Congr. Immunit. in Mediolanen. 17. Novemb. 1654. l. 5. Decr. Paul. pag. 57. (3. Sicut et causa contra Confraternitatem habentem requisita spectat ad Judicem Ecclesiasticum ; Eadem Sac. Congreg. in Gravinen. 21. Sept. 1663. lib. 2. Decret. Paul. pag. 131. (4. Causæ jam cognitæ a Judice Ecclesiastico circa bona debita Confraternitatibus spectant ad Judicem Ecclesiasticum, nec potest Judex Laicus reassumere, seu inhibere ; Ead. Sac. Congreg. in Oriana 28. Septembris 1694. lib. 1. Decret. Valleman. pag. 149. (5. Confraternitates Ecclesiasticæ gaudent exemptione a gabella pro pane, qui ab eisdem datur Custodibus animalium ipsarum Confraternitatum pro eorum victu ; Eadem Sacra Congr. in Potentina 24. Jan. 1611. lib. 4. Decr. Paul. pag. 135. (6. Domus Confraternitatis contigua Ecclesiæ Confratrum gaudet immunitate, etiam quoad confugientes ; Eadem Sac. Cong. in una Civitatis Castelli 23. Jul. 1652. lib. 4. Decret. Paul. pag. 189. in Forolivien. 19. Decemb. 1690. lib. Decr. Mart. pag. 698. (7. Locata vero Laicis non gaudet ; Eadem Sac. Congreg. in Realina 14. Decembris 1628. (8. Administratores et Procuratores Confraternitatum, Ecclesiarum, et Capellarum auctoritate Episcopali fundatarum, quarum proventus in Opera Pia insumuntur, etiamsi sæculares, quoad ea, quæ pertinent ad dictam administrationem, conveniri debent ante forum Ecclesiasticum ; Ead. Sac. Congreg.

Digitized by Google

in Carinolen. 15. Aug. 1668. l. 1. Decret. Altovit. pag. 252. (9. Judices sæculares, qui Confraternitates, seu Confratres per præcepta compellunt ad se subjiciendum suis judiciis pro rebus ipsarum Confraternitatum, et pro actibus, quo faciunt in locis sacris, et alios, ut processionum et similium, tamquam usurpatores jurisdictionis Ecclesiasticæ declarandi sunt incurrisse Excommunicationem Bullæ Cœnæ, ex Riccio in praxi var. resolut. c. 413. Pignatell. tom. 2. consult. 47. num. 7. (10. Unde datur facultas absolvendi Gubernatorem, dummodo prius revocet præceptum factum Officialibus Confraternitatis, et omnia alia acta ipso facta in præjudicium Jurisdictionis Episcopalis; Sac. Congr. Immunit. in Alatrina 13. Decembr. 1692. lib. 1. Decr. Valleman. pag. 10.

(11. Et ad hanc rem facit Epistola scripta Archiepiscopo Mediolani a Sacra Congregatione Immunitatis in hæc verba a Pignatello loco citat. num. 8. relata : « Questa Sacra Congregazione dell' Immunità Ecclesiastica per rimediare agli abusi, che si vanno introducendo in Milano da quegli Assistenti Regii, che deputa il Senato a tutte le Congregazioni, e Capitoli di Confraternità, Ospedali, e Luoghi Pii, dove congregandosi persone laiche, questi trapassano i limiti della propria autorità, ed instituto, non solo ingerendosi nell' amministrazione dell' entrate, distribuzione di elemosine, adempimento di Legati, elezioni d' Officiali, e governo spirituale de'medesimi, ma col voler ancora aver voto negli stessi Capitoli in grave pregiudizio dell' Immunità Ecclesiastica, dopo matura riflessione, ha risoluto che V. Eminenza proibisca a' detti Assistenti Regii l'uso del votare nelle Congregazioni, e Capitoli, che si fanno negli Ospedali, Confraternità, e Luoghi Pii, e che in oltre s' incarichi alla pastoral sua vigilanza di cosi far eseguire, ed insieme di non permettere che tali persone Laiche s'ingeriscano all' amministrazione, e governo de'suddetti Luoghi Pii, al qual effetto si vaglia V. E. delle sue facoltà Ordinarie, il cui esercizio ben si promette la medesima Sacra Congregazione di aver sempre mai ad osservare con zelo unito alla solita prudenza dell' E. V. alla quale bacio umilmente le mani, ai 20 di Settembre 1567. (12. *Item alia Episcop. Nolano missa ad hunc tenorem :* Questa Sacra Congregazione avendo sentito da quanto le ha fatto rappresentare V. S. col suo memoriale, il pregiudizio, che vien inferito alla libertà, e giurisdizione Ecclesiastica dal Reggente della giurisdizione Laica per aver egli ordinato, che i Fratelli di alcune Confraternità di cotesta Diocesi per venire all' elezione de' loro Uffiziali non si radunino più come prima per uso inveterato, ma si radunino nelle piazze, senza che v' intervengano gli Ecclesiastici, è venuta in parere, che V. S. in ciò debba procedere, *servatis, servandis*, come di ragione; e per quanto le occorrera l' assistenza di Monsignor Nuncio, basterà che V. S. glie ne accenni il bisogno, avendo gia egli avuto l' ordine di prestargliela secondo che da lei ne verrà richiesto; a' 22. di Nov. 1667. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(13. De materia hujus articuli confer Amostazzo de Causis Piis, et Bassi de sodalit. qu. 8, per tot. ubi una docet, quando Confraternitates dicendæ sint Ecclesiasticæ, quando Laicales.

ARTICULUS V

Confraternitates, et confratres quoad sepulturas.

(1. Confraternitatibus potest ab Episcopo concedi privilegium sepulchri; sic communiter Doctores teste praxi. (2. Confratres tamen decedentes non electa sibi explicite sepultura in sepulchro sui Oratorii, seu Confraternitatis, debent sepeliri in Ecclesia Parochiali, si alias non habeant proprium sepulchrum majorum; Sac. Congreg. Conc. in Neapolitana 13 Februarii 1660. In respons. ad septimum. (3. Electio sepulturæ facta a Confratribus collective, et collegialiter, sustinetur, et valet solum pro illis qui individualiter consenserunt, ut patet ex sequentibus declarationibus super electione sepulturæ facta, ut sequitur : (4. « Confratres et consorores consueverunt collective, et collegialiter per publicum instrumentum eligere sepulturæ suæ locum in Ecclesiis, et signanter Regularium, in quibus eædem sodalitates erectæ reperiuntur, absque tamen voto, juramento, aut promissione de non revocando electionem; et nuper Confratres Artifices Congreg. Assumptæ erectæ in Ecclesia Presbyterorum Oratorii S. Philippi Nerii per libellum a Sanctissimo D. N. remissum supplicarunt hujusmodi electionis sepulturæ modum validum declarari.

(5. « Super his confecto processu per Eminentissimum Archiepiscopum, dataque relatione, quæ in folio per manus Eminentiss. PP. transmittitur, hodie informante tantum Capitulo Ecclesiæ Archiepiscopalis Neapolis quæritur; An hujusmodi electio sepulturæ collective, et collegialiter facta sustineatur in casu, de quo agitur. »

(6. Die 16 Maji 1682, Sac. Congreg. Concil. etc. respondit sustineri electionem sepulturæ collective factam per Confratres, individualiter consentientes. Et die 9 Decemb. ejusdem anni 1682 reproposita hujusmodi causa, utraque parte ore, et scriptis informante, stetit in decisis, addita clausula... *revocabiliter tamen.*

F. Card. Columna Præfectus

A. Altovitus S. C. C. Secretarius.

(7. Ubi vides per illa verba, *individualiter consentientes*, aperte denotari, quod Confratres, quamvis collective et collegialiter sepulturam eligant, adhuc non comprehenduntur illi, qui nominatim, et individualiter non consenserunt, cum Confratres præsentes, et individualiter pro se ipsis consentientes non possint pro aliis absentibus, et successoribus sepulturam eligere, ut declaravit etiam Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Camerinen. 18 Augusti 1690. (8. Hinc Confratres Confrater-

Digitized by Google

nitatis etiam erectæ in Cathedrali decedentes non electa sepultura, sepeliendi sunt in Parochiali, et non in sepulchro a Societate in Cathedrali constructo, etiamsi adesset statutum approbatum ab Ordinario, quod in sepulchro Confraternitatis essent tumulandi, ut communiter tradunt Genuens. in praxi cap. 74, num. 6. Samuel de sepultur. disp. 5, controv. 10, conclus. 1 et sequent. Sperell. decis. 87, num. 10 et alii, quos cumulat, et sequitur Panimoll. decis. 5, annot. 3, nu. 53. et Monacell. tom. 4, supplem. ad 2, t. n. 350.

(9. Officium super defunctis in Ecclesia, vel Oratorio Confraternitatis non exemptæ fit a Parocho, non a Capellano Confraternitatis; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Laudens. 20 Augusti 1601. (10. Et Sac. Congreg. Concilii in Regiensi in respons. ad octavum dubium, in quo quærebatur : « An Confraternitati competat facultas ibi sepeliendi cadavera absque ullo interventu Parochi, istique omnino denegando Jura Parochialia? » Cui dubio die 5 Jun. 1699 Sac. Congreg. censuit respondendum *negative*. Vide supra art. 2, sub num. 3. (11. Et sic etiam Sacra Congreg. Rituum in decretis generalibus relatis supra art. 2, num. 4, in responsione ad vigesimum dubium, in quo quærebatur : « An ad Parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in sæpe dictis Ecclesiis, et Oratoriis publicis Confraternitatum? » Cui dubio die 10 Decembris 1703 Sac. Congr. respondit *affirmative*, quando tumulandus est subditus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia, vel Oratorium; (12. Sacra tamen Congr. Episcop. et Regular. in d. Laudensi 20 Aug. 1601 decrevit quod Parochus intervenire potest in funeribus, quæ fiunt in Ecclesiis Confraternitatum, licet defuncti non sint de sua Parochia. (13. Unde videntur concilianda hæc decreta hoc modo, scilicet quod decretum Sacræ Congregat. Rituum loquatur de Confraternitatibus exemptis, ut sunt Confraternitates Urbis, cum Romæ Confraternitates soleant esse exemptæ a Parochia; et decretum Sacræ Congregation. Episcopor. loquatur de Confraternitatibus non exemptis a Parochia. (14. Conceditur ex gratia Confraternitati, ut sepelire possit in sua Ecclesia omnes suos Confratres ante infirmitatem, de qua decesserunt, in ea Confraternitate descriptos, de consensu hæredum, et sine præjudicio emolumentorum, quæ spectarent ad Capitulum, vel Parochum; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Anconitana 19 Decemb. 1608, et docet praxis plurimis in locis recepta, quod Confratres sepeliuntur pacifice in suis respective Oratoriis, salvis tamen Juribus Parochialibus.

Hic addenda sunt ad rem decreta sequentia, et notabilia advertenda.

(15. Hæres Defuncti invitare potest numerum Sacerdotum, seu Sæcularium, seu Regularium, immo et Confraternitatum sibi bene visum; Sac. Congr. Episcop. et Reg. 5 Maji 1617.

(16. Hæredes defuncti invitare possunt numerum Sacerdotum Sæcularium, aut Regularium, immo et Confraternitatum, sibi bene visum, nec cogi possunt ad vocandum Capitulum, vel alios, sed solum Parochum, cui debetur duplum Eleemosynæ illius, quæ datur aliis Sacerdotibus simplicibus; Sac. Congr. Episc. et Regul. 17 Martii 1579, 11 Octobr. 1580, 24 Januar. 1581, 11 Januar. 1647 et 11 Decembr. 1649.

(17. An liceat in Ecclesia Confraternitatum habere Sepulchra, et respective possint cadavera tumulari absque licentia Parochi, et in præjudicium jurium Parochialium? Sacra Congregat. Concil. respondit : Licere habere sepulchra accedente licentia Episcopi, et posse in eis cadavera tumulari, si eligatur sepultura, absque licentia Parochi, sed salvis juribus Parochialibus, die 10 Maji 1727.

(18. An in sepulchro Confraternitatis in propria Ecclesia sito, sepeliendi sint Confratres, qui sine sepulturæ electione decedunt? Resp. *Negative* Sac. Congr. Conc. 13 Febr. 1666.

(19. An ad Parochum spectat facere Officium funebre super cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis, et Oratoriis publicis Confraternitatum? Res. *Affirmative*, quando tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia, vel Oratorium; S. R. C. 1 Decembr. 1603, approbante Clem. XI, die 12 Januar. 1704.

(20. An liceat Confraternitati Salutis sepelire in propria Ecclesia cadavera Confratrum et Consororum, qui ibidem elegerint sepulturam; et an ejusdem Capellanus absente Parocho valeat Officium, aliasque functiones super iisdem cadaveribus explere; Sacra Congr. Conc. respondit : *Affirmative* quoad primam partem, quoad secundam *Negative*, nisi Parochus vocatus renuat, vel alium Sacerdotem non substituat; die 28 Julii 1724.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(21. Ex statuto a S. Sede confirmato possunt Confratres sepeliri in sepultura Ecclesiæ suæ Confraternitatis; Murg. disquisit. Canon. 1, tom. 1, tract 8, disquis. 2, sec. 2, dub. 25. Samuel de Sepultur. tract. 1, disp. 5, controv. 10, conclus. 1. Amost. de Causis piis lib. 9, c. 8, n. 90. Bass. de sodalitat. quæst. 2, num. 5.

(22. Quæstionis vero est, utrum hoc in casu officium funebre super Cadaveribus facere spectet ad Capellanum Confraternitatis, an ad Parochum? (23. Porro ubi Confratres ex propria electione sepeliendi sunt in sepultura Ecclesiæ suæ Confraternitatis, dubium nullum esse potest, quin Parochi sit, et non Capellani Confraternitatis, officium funebre facere super Cadaveribus, quum actus ab electionis sepulturæ hoc Parocho præjudicium inferre nequeat; Marchett. de sepult. tit. 38, § 2, num. 64. Bass. de sodalit. quæst. 2, num. 5.

(24. At ubi Confratres sepeliri debent in Ecclesia suæ Confraternitatis ex mox dicto statuto a S. Sede confirmato, videndum quid dispositum de hoc sit in ipso statuto. (25. Nota vero, quod si statutum obscurum, vel ambiguum sit, ita interpretandum est, ut Parocho intactum maneat jus faciendi officium fune-

Digitized by Google

bre super Cadaveribus in ipsa Ecclesia Confraternitatis.

(26. Alia ad rem, vide verb. *Sepultur.* a n. 11 ad 14.

ARTICULUS VI.

Quoad varia alia Confraternitates concernentia.

(1. Confraternitates Ecclesiasticæ nequeunt alienare bona sine beneplacito Apostolico; Gratian. disceptat. 517, num. 7. et Marc. Anton. var. resol. l. 1, resol. 14, num. 7. Panimoll. decis. 12, annotat. 5, n. 40. Card. de Luca lib. 7, de alien. disc. 1, num. 11, et sequent. Rota decis. 502, num. 2, et sequen. coram Bichio, et in Urbanien. Archipresbyteratus 17 Maji 1697, num. 6 et sequent. coram Ansald. decis. 9, impres. Romæ; Sac. Congr. Rit. in una Civitatis Castellanæ 2 Augusti 1641, et in Viterbien. 27 Julii 1647. (2. Immo requiritur beneplacitum Apostolicum in cessione bonorum Confraternitatis, etiam in favorem alterius Ecclesiæ, ut expresse declaravit Sacra Congregatio Concilii in Terracin. Capellaniarum 20 Augusti 1701. (3. Et sic etiam requiritur beneplacitum Apostolicum pro Confraternitatibus, et Oratariis laicorum erectis in Ecclesiis Regularium auctoritate Ecclesiastica; Sacra enim Congregatio Concilii in dubio alienationis rerum Ecclesiæ die 7 Augusti 1683. « An Superioribus Regularibus, qui hujusmodi Oratoriis præsunt, liceat absque Solemnitatibus, et Apostolicæ Sedis beneplacito dicta mobilia, et supellectilia distrahere sine incursu pœnarum, quæ per Sacros Canones sunt præscriptæ adversus alienantes res Ecclesiæ? » Respondit, *Negative.* (4. Confraternitates autem mere Laicales, sicuti, et Collegia mere Laicalia, licet ibi Opera Pia, exerceantur, et proinde dicantur Loca Pia, possunt alienare res suas absque solemnitatibus; (5. Secus vero si sint loca auctoritate Ecclesiastica erecta, quamvis administrentur a Laicis, tamen bona subduntur prohibitioni Extravagantis *Ambitiosæ*, et de rebus Eccles. non alienand. Barbosa de offic. et potest. Episcop. par. 3, alleg 85, n. 31, et 32. Card. de Luca de alienat. prohib. disc. 1, num. 12, et disc. 60, num. 3, de Jurisdict. Rota decis. 58, num. 4, et sequent. apud Tondut. de pension. 313, num. 9, part. 10, decis. 248, num. 18, et sequent. part. 11, recent. Coccin. in Hortana Rectoriarum die 26. Jun. 1630, quæ 1900, et in Romana Census 1. Aprilis 1630. coram Bichio, quæ est decis. 502, et bene in Romana Laud. 4. Jul. 1694. § *emanavit* coram Cardin. Caprara inter quæ dec. 140. tom. 1. inter ejus impress. typis Lucen. anno 1725. ibi: « Inanis autem visa fuit oppositio, quia Collegium dicitur Locus Pius, utpote destinatum ad alendos Juvenes studiis incumbentes; nihilominus hæc sola qualitas satis non est, ut dicatur subjectum dispositioni Extravagant. *Ambitiosæ*, de rebus Eccles. non alienand. sed ulterius requiritur, quod sit locus Ecclesiasticus, videlicet erectus auctoritate Ordinarii, vel aliis signis Ecclesiasticis. » (6. Hinc Confraternitates, et Societates, Conservatoria, Seminaria, Collegia, et hujusmodi, si sint erecta auctoritate Ordinarii, et sic sint Ecclesiastica, subjiciuntur d. Extrav. incip. (7. *Ambitiosæ;* Secus si non sint talia. (8. Unde Seminaria erecta in vim Concilii Tridentini, sunt loca Ecclesiastica, et eorum bona nequeunt alienari sine solemnitatibus, et beneplacito Apostolico; Sacra enim Congregatio Concilii *in una Salutiarum* 20. Septembris 1642. ad secundum; An bona stabilia, Seminario in hæreditate relicta, postquam fuerint incorporata, possint alienari inconsulto Romano Pontifice pro solutione æris alieni, ab ipsa hæreditate debiti, absque incursu pœnarum; Censuit Non posse alienari. (9. Collegia vero Puerorum, et Alumnorum erecta absque auctoritate Ordinarii, etsi dicantur Loca Pia, non tamen sunt Ecclesiastica, et sic non subjiciuntur dict. Constitutioni *Ambitiosæ*, ut de Collegio Ghislerio Urbis, non esse Ecclesiasticum, et sic non subjacere dispositioni dictæ Extravagantis censuit Rota in dict. Romana Laud. 4. Julii 1692, coram Cardin. Caprara. (10. Sic Collegia Artificum, et Universitates Professorum, cum non sint loca Ecclesiastica, non subjacent Extravaganti, *Ambitiosæ*, Rota dec. 832, et 872, coram Merlino, licet habeant Capellam pro eorum usu tantum; Et sic in Urbe sunt subjecta Senatori; Card. de Luca disc. 8, de alienat. prohib. num. 6. Mons vero Misericordiæ Civitatis Neapolis petiit beneplacitum Apostolicum pro alienatione Domus; (11. Sac. Congr. Concilii, in Neapolitana Beneplaciti 31 Julii, et 18 Decembris 1706.

(12. Confraternitates Laicorum approbatæ, et eorum Capellani possunt facere solitas Processiones, quando non fiunt in Parochiali, et in primaria Ecclesia; Sac. Congr. Rit. in Melit. Galatri 9. Febr. 1608. (13. Confraternitatum Processiones non debent extendi per vias, sed circa muros Regularium, qui eas regunt; extra vero ambitum Ecclesiæ non licet neque Regularibus neque Confraternitatibus facere processiones, nisi de licentia, consensu, aut cum Cruce Parochi, exceptis tamen illis Ecclesiis, quæ habent in hoc speciale privilegium; Sac. Cong. Rit. in Hispalen. 26 Febr. 1628, et in Limana 15. Decemb. 1632. (14 In Processionibus peragendis extra ambitum Ecclesiarum, in expositione Eucharistiæ, benedictione solemni super populum, aliisque similibus quoties interveniat licentia Ordinarii, Parochus non potest se opponere, ne a Capellanis, et Officialibus Confraternitatum fiant, quia animarum Cura, et populi directio principaliter incumbit Episcopo, qui est Parochus Parochorum; Sacra Congregat. Concil. in Savonen. 12. Februar. 1689. (15. Confraternitates Laicorum in Processionibus procedere, et præcedere debent inter se juxta Bullam Gregorii XIII. incip. *Exposcit;* Sic S. Congr. Rit. in Nepesina 10. Maji 1608, et in Thelesina 19. Martii 1611. (16. Unde Confraternitas, quæ prius saccum induit, præcedere debet aliis, quæ postea induerunt; Sac. Congr. Rit. in Sorana 7. Augusti 1528, et in S. Severinæ Præcedentiæ 24. Septem. 1712. (17. Excipi-

Digitized by Google

tur tamen Confraternitas Sanctissimi Sacramenti, cui debetur præcedentia supra omnes alias Confraternitates in illis Processionibus, in quibus defertur Sanctissimum Sacramentum, pro ut declaravit Sacra Congreg. Rit. in Vercellen. 18. Jun. 1695, in Cremon. 3. Augusti 1697. (18. In aliis vero Processionibus Confraternitas Sanctissimi Sacramenti debet procedere, et præcedere juxta suam antianitatem sicuti cæteræ aliæ; Sac. Congr. Rit. in Lauden. 18. Julii 1628, et Nullius 30. Septembris ejusdem anni 1628. (19. Jus præcedentiæ non attenditur in regressu a Processionibus; Eadem Sac. Congr. Rit. in Vercel'ensi 18. Jun. 1695. (20. Confratres ad conveniendum solitis Processionibus compellere potest Episcopus sub pœnis ejus arbitrio imponendis stante possessione illos vocandi per Edicta; Sac. Cong. Con. 21. Januar. 1622. et 8. Maji 1627. vid. sup. Art. 3, num. 14 et 15.

(21 Confraternitates Episcopo assentiente possunt statuta condere; Sacra Congr. Conc. in Ulissiponen. 2. Junii 1690, et hoc illis expresse conceditur in cit. Constit. Clement. VIII. incip. *Quæcumque*. (22. Statuta autem confirmare nemo potest invito, vel inconsulto Episcopo, sed ad ipsum privative, quod ad alios spectat; Sac. Congregatio Rit. in Elboren. 7. Octobr. 1617. (23. Confraternitas legitime, ut moris est, intimata, et coadunata poterit determinare, et resolutionem capere, etiamsi non interveniant duæ ex tribus partibus, aut major pars Confratrum; nam major pars Universitatis, Collegii, seu Capituli constituitur per præsentes, non habita ratione absentium; Rota coram Burat. dec. 573, n. 22, et coram Cels. decis. 85, n. 9. impressa apud Tondut. qu. Benefic. tom. 2, part. 3, cap. 157, num. 56, dummodo tamen non adsit statutum, quod aliud determinet. (24. Confraternitates erigere possunt, et ampliare suas Ecclesias, vel Oratoria sine præjudicio Jurium Parochialium, non tamen mutare titulum; Sacra Congr. Episcop. et Regul. in Bononien. 13. Maii 1603. in Sorana 9. Septembr. 1635. (25. Confraternitates possunt eleemosynas quærere secundum suum institutum; Sacra Congregat. Episcop. et Regul. in Viterbien. 25. Maii 1601. (26. Confraternitates non possunt accedere ad funeralia mortuorum, nisi specialiter et expresse vocentur; Sac. Congr. Rit. in Bonon. 9. Decemb. 1617. (27. Confraternitates sæcularium funera associantium, de intorticiis, seu cereis, quartam funeralem Parochis non debent; Sac. Congregat. Episc. et Reg. in Firmana 5. Martii 1616. (28. Habitus mutatio non debet Confraternitatibus de facili indulgeri; Sac. Congr. Episcop. et Regul. in Anconitana 20. Febr. 1601. (29. Si Confraternitates ejusdem loci deferunt eumdem Saccum distingui debent addito aliquo coloris signo; Sacra Congregatio Episc. et Reg. in Novarien. 13. Maji 1586. (30. Confraternitates quædam, quæ extra Urbem sunt, et dependent a Capitulo Sancti Joannis Laterani, vel S. Petri vel S. Sebastiani, subduntur Ordinariis, ac Rectoribus Ecclesiarum; Pius IV. Constit 57. incip. *Regimini*.

(31. Inter Confraternitates laicorum illa præcedit, quæ est in possessione præcedendi : et cum nihil ea de re constet, præcedere illa debet, quæ prius saccis induta est, ut ex Constitut. 84 Gregorii XIII constat; et Bened. XIV. Instit. Eccles. 105, n. 34.

(32. Sed in Processionibus, in quibus defertur SS. Eucharistia, Confraternitas SS. Sacramenti si sacco induatur, præcedit cæteras, ut decisum in Rota Romana; ibid. n. 85.

CONSTANTIENSE

Decretum

(33. « Cum experientia compertum sit, nonnullas SS. Rosarii Confraternitates auctoritate dumtaxat ordinarii, irrequisito Magistro Generali Fratrum Ordinis Prædicatorum erigi, ac pro illis Apostolicum Breve cum Indulgentiis, cuicumque Confraternitati canonice erectæ, sive erigendæ, generaliter concedi consuetis expediri; nonnulli extra Urbem, ac præcipue quidam Ecclesiastici viri, et sanguinis nobilitate, et morum probitate insignes ex Diœcesi Constantien. recte dubitarunt, num hujusmodi Confraternitates canonicæ reputari valeant, ac revera subsistant? Quare eorum nomine duo subinserta dubia a Sacra Congregatione Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præposita decidenda fuerunt exhibita; Primo : An si inscio Patre Generali Ordinis Prædicatorum, per Ordinarium erigatur Confraternitas SS. Rosarii, Confratres reipsa fruantur Indulgentiis in Brevi Apostolico per eosdem obtento expressis? Et quatenus Affirmative. Secundo : An fruantur etiam aliis Indulgentiis in dicto Brevi Apostolico obtento non expressis, quas tamen aliis Confratribus Sanctiss. Rosarii, a diversis Summis Pontificibus concessas esse constat, ut in Dominicis mensibus, aut aliis, diebus? Hisce autem dubiis Sacra eadem Congregatio die 19. Augusti 1747. rationum momentis serio, matureque perpensis, respondendum esse censuit; ad utrumque Negative. De quibus omnibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacræ Congregationis Secretarium die 26 prædicti Mensis SS. D. N. Benedicto PP. XIV relatione, Sanctitas Sua ipsummet votum, benigne approbando, confirmavit. Ne tamen hujusmodi Confraternitatum inconsulto eodem Magistro Generali erectarum fervor tepescat, sed magis, magisque illarum Confratrum, et Sororum devotio potius augeatur, omnes, et singulas uniuscujusque Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectiones in præfata Constantiensi Diœcesi, inscio Magistro Ordinis Prædicatorum pro tempore existente Generali hactenus factas, Motu proprio, ac de plenitudine suæ Apostolicæ potestatis sanavit, ac validas esse declaravit; Immo prædictæ Diœcesis Constantien. Populum specialibus favoribus prosequi volens, etiam moderno ejusdem Ordinis Prædicatorum Magistro Generali humillime supplicante iisdem Confraternitatibus sic erectis, præter Indulgentias in respectivo earum obtento Brevi expressas, etiam omnes, et singulas alias

Digitized by Google

Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii ad formam Constitutionis S. Pii V die 25 Junii 1569. *Inter desiderabilia*, canonice erectis ab Apostolica Sede quomodocumque concessas, clementer indulsit. In posterum tamen, ut quodcumque dubium, et quævis abusus, aut molestiæ, vel perturbationis occasio prorsus removeatur, idem Sanctissimus Dominus Noster de Apostolicæ pariter plenitudine potestatis voluit, et expresse mandavit, quod non aliter Confraternitates, seu Societates Sanctissimi Rosarii erigantur, nisi requisitis prius, et obtenti, juxta formam a Sancto Pio V in præallegato Brevi præscriptam, a Magistro laudati Ordinis Prædicatorum pro tempore existente Generali literis facultativis, ut alias a Sacra Rituum Congregatione die 9 Aprilis resolutum fuit, et ab Auditore Generali Sacræ Apostolicæ Cameræ in consimili causa anno 1663, per sententiam definitum. Sæpedictus vero Magister Generalis pro hujusmodi Confraternitatum erectione consuetas literas Sacerdotibus sui Ordinis, vel ubi horum Conventus non existat, aliis Ecclesiasticis personis, sive Regularibus, sive Sæcularibus, etiam Episcopo benevisis expediet, ipsæque literæ, nonnisi de consensu Ordinarii, servatisque reliquis omnibus in hujusmodi erectionibus ex Apostolicis Constitutionibus servandis, ac servari solitis, executioni mandentur.

« Fr. F. Cardinalis Portocarrero.

« Loco ✠ Sigilli.

« *A. M. Erba Protonotarius Apost. Secret.* »

« Ita ex Regestis Decretorum ejusdem Sacræ Congregationis, etc. In quorum fidem, etc. Datum Romæ die 1 Sept. 1737.

« *A. M. Erba Protonotarius Apost. Secret.*

« *A. M. Succi Substitutus.* »

Advertendum est, quod Constitutio Benedicti XIII. incip. *Ex quo Sedes Apostolica* a me superius adducta suum non est sortita effectum, ex quo una cum aliis moderata, et reducta fuerit ad terminos juris communis, Concilii Tridentini, et Constitutionum Apostolicarum a Clemente VII. Const. incip. *Romanus Pontifex* a me ad literam data sub verb. *Privilegium* art. 4, in fine.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

De Officio funebri super Cadaveribus Confratrum in Ecclesia Confraternitatis, libet aliqua hic addere.

(34. Si disseratur de Cadaveribus Confratrum, qui haud sunt de Parochia, ubi sita est Ecclesia Confraternitatis, dubium esse haud potest, quin ipsi Confraternitati excluso Parocho jus sit officium funebre faciendi. Officium enim funebre inter jura parochialia tunc recenseri potest, quum defunctus in Parochia tumulandus eidem Parochiæ sit subjectus; Marant. Respons. 22 fer. per tot. et signanter n. 34, part. 4; Murg. disquisit. Canon. tom. 1, tract. 7, disquis. 6, dub. 1, n. 13; idque ex ratione illa, quod jus funeris est accessorium quid ad Sacramentum administrationem. Parochus autem jus tantummodo habet Sacramenta Parochianis suis administrandi, et consequenter respectu ipsorum, et non aliorum jus funeris habere debet; Maranta loco mox citato, n. 18 et seq.

(35. At si agatur de Cadaveribus Confratrum, qui subjecti sunt Parochiæ, in qua Ecclesia Confraternitatis posita est, quidquid olim senserit Rota coram Coccin. decis. 289. per tot. hodie post decreta generalia anni 1703. Sac. Cong. Rituum, incontroversa res est, quod spectat ad Parochum facere super iis officium funebre; Dubio enim 23. « An ad Parochum spectet facere officium funebre super Cadaveribus in sæpedictis Ecclesiis, et Oratoriis publicis Confraternitatum? » respondit mox dicta Sac. Congreg. « *Affirmative* quando tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia vel Oratorium. »

(36. Potest tamen jus hoc faciendi funebre officium super hisce Cadaveribus spectare ad ipsorum Confraternitatem ex peculiaribus Conventionibus a S. Sede confirmatis, ut in terminis Ecclesiæ Confraternitatis positæ in ipsa Ecclesia Parochiali dixit Rota in Neapolitana quarto Dubio 23 Junii 1760. § 3, coram R. P. D. Frangipane.

(37. Dubium vero haud leve hinc oritur, an in funebri hoc officio Confraternitas propriam crucem elevare queat, ejusque Capellano permitti possit delatio Pluvialis et Stolæ. In Affirmativam autem sententiam ivit idem Sacrum Tribunal in d. Neapolitana super quarto Dubio 23 Jun. 1760. § 7, coram R. P. D. Frangipane. Et merito. Etenim Officium funebre ex Ecclesiæ ritu sine hisce fieri nequit. Concesso igitur jure faciendi officium Funebre, concessa et ipsa dici debent.

ALIÆ ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(38. De mutatione statutorum Confraternitatum frequentes in Foro quæstiones sunt. (39. Regula vero est, quod possit Ordinarius ea mutare; Monacell. in formul. Jur. Eccles. part. 21, adnot. ad form. 1, n. 49. Bass. de sodalit. q. 4, n. 1.

(40. Dubitatur autem, an hæc ipsa facultas Ordinario competat, quoad statuta condita in vim contractus? Negat Rota cor. Duran. dec. 291, n. 37, ubi simul explicat quando statuta condita dicantur in vim contractus.

(41. Dubitatur etiam, an Ordinarius valeat mutare statuta a S. Sede confirmata? Negat. Bass. de sodalit, dict. quæst. 4, n. 1, ubi quod ita quoque sensit Sac. Congregatio Episcopor. et Regularium negotiis præposita in Astoricen. 17 Febr. 1603, tum Rota cor. Duran. dict. decis. 291, n. 41.

(42. De statutis, ne quis admittatur

Digitized by Google

nisi aliquid solvat, ne Confrater possit Confratrem in jus vocare, ne adscribatur quis in altera Confraternitate, et aliis id genus peculiaribus statutis quid sentiendum sit, vide Bass. de sodalit. dict. 4, n. 2, ad fin.

CONFUSIO PRO ACQUIRENDO RERUM DOMINIO

Vide verb. DOMINIUM, *art.* 3, *a num.* 105, 110.

CONGREGATIONES ECCLESIASTICÆ ROMANÆ.

ARTICULUS NOVUS CASINENSIS.

SUMMARIUM.

1. Semper ab omnibus Ecclesiis particularibus ad Roman. Pontificem de rebus gravioribus in illis occurrentibus relatum est. — 2. Origo Roman. Congregationum. — 3. Earum præstantia. — 4. Et auctoritas. — 5. De Congregatione Concistoriali, seu Concistorii Consultrice. — 6. Bulla Institutionis. — 7. Ejus munera. — 8. Congregatio Inquisitionis. *Remissive.* — 9. Congregatio Indicis librorum prohibitorum. — 10. Afferuntur nonnulla exempla damnationis librorum. — 11. Index librorum prohibitorum. — 12. Bulla Institutionis. — 13. Ex quibus constat hæc Congregatio. — 14. Ejusque munera. — 15. Bulla Benedicti XIV. — 16. De aliis. *Remissive.* — 17. De Congregatione SS. Rituum. — 18. Bulla Institutionis. — 19. Quomodo dividatur hæc Congregatio. — 20. De Congregatione extraordinaria. *Remissive.* — 21. Ordinariæ Congregationis munera. — 22. De aliis *Remissive.* — 23. De Congregationis Immunitatis institutione. — 24. Ex quibus constat. — 25. Hujus Congregationis officia. — 26. De origine Congregationis Rev. Fabricæ. — 27. Rev. Fabricæ munia. — 28. Benedicti XIV statuta quoad hanc Congregationem. — 29. Ipsius Congregationis resolutiones. — 30. Et edicta. — 31. Interpretatio Constitutionis Gregorii XVI. — 32. Objectiones contra hujus Congregationis privilegia. — 33. Origo Congregationis Concilii. — 34. Testimonia antiquitatis ad vindicandum Pontifici jus inquirendi in Canonum observantia afferuntur. — 35. Erectio hujus Congregationis. — 36. An Pontifex deputando Cardinales contra Concilii Tridentini mentem egit. — 37. Cong. Conc. Officia. — 38. Et Officiales. — 39. Congregatio Prælatorum Congregationi Cardinalium Concilii interpretum adjecta. — 40. Bulla Institutionis. — 41. Congregatio Episcoporum et Regularium. — 42 Ex quibus constat hæc Congregatio. — 43. Hujus Congregationis munia. — 44. Congregatio de Disciplina. — 45. Constitutio Innoc. XII. — 46. Constitutio Pii VI. — 47. Congregatio Propagandæ Fidei. — 48. Ejusque Collegium. — 49. Ex quibus componitur. — 50. Munia ejusdem Congregationis. — 51. Congregatio Indulgentiarum. — 52. Bulla Clementis IX. — 53. Jurisdictio hujus Congregationis. — 54. Alia de Congregationibus. *Remissive.*

(1. Cum Christus Dominus Beato Petro ejusque in Pontificatu successoribus curam commisisset *Fratres in fide confirmandi*, semper ex ipsis Ecclesiæ incunabulis ab omnibus Ecclesiis particularibus ad Rom. Antistitem relatum est de rebus gravioribus in illis occurentibus. Cujus rei in primis indubitatam reddunt fidem epistola Corinthiorum Ecclesiæ ad Clementem Rom. Episcopum sæculo primo exeunte, ipsiusque Clementis literæ auctoritatis plenissimæ illis redditæ, uti testantur S. Irenæus 1, 3. advers. Hæres. c. 3; S. Epiphanius hæres. 27, et D. Hieronymus l. de viris illustribus, c. 15. Sæculo vero II. S. Polycarpus Romam venit, ut ageret cum Aniceto de Paschatis celebratione, et Martyres Lugdunenses Irenæum ejusdem Ecclesiæ Presbyterum ad Eleutherium miserunt ob quasdam Ecclesiæ quæstiones. Hieronymus de Scriptor. Eccles. cap. 35., et Beda Hist. Anglor. lib. 1, c. 4. Sæculo III. S. Cyprianus in quæstione de lapsis scripsit ad Fabianum et Cornelium, uti videre licet in ejusdem epistolis. Et S. Hieronymus testatur, Orientalium et Occidentalium Episcoporum consultationes affluere in Pontificatu S. Damasi his verbis : « Cum in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ Urbis Episcopum, et Orientis, atque Occidentis consultationibus responderem. Epist. XI. » Et ut cætera prætermittam, præclarissimum est testimonium Innocentii I. in sua epistola ad Concilium Milevitanum, cum ipsius Synodi Patres laudet, quod custodiendo : « Patrum instituta, quæ illi non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret; ut tota hujus auctoritate, juxta quæ fuerit pronuntiatio, firmaretur; indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, quid præcipere et quid vitare deberent; » inter Oper. S. August. tom. 11, pag. 620, 639. edit. Maur. Par. an. 1679. S. Avitus Archiepiscopus Viennensis epist. 32, edit. Sirmond. hæc habet : « scitis Synodalium legum esse, ut in rebus quæ ad Ecclesiæ statum pertinent, si quid dubitationis fuerit exortum, ad Romanæ Ecclesiæ summum Sacerdotium, quasi ad caput nostrum membra sequentia recurramus. » Episcopi Africani demum in Epistola synodica ad Pontificem Theodorum sæculo VII ita loquuntur : « Antiquis Regulis sancitum est, ut quidquid, quamvis in remotis, vel in longinquis positis agetur Provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum. » Et idipsum clarissime patet ex innumeris Pontificum Rom. decretalibus, seu epistolis, quibus variis consultationibus Orbis universi rescribebatur. (2. Et postremis hisce sæculis tanto excrevit Consultationum Quæstionumque multitudo, ut necesse fuit varias instituere Cardinalium Congregationes, cui propositis dubiis, respondendi munus committeretur. (3. Aliquid tamen generatim præmittere oportet de

Digitized by Google

talium Congregationum auctoritate, præstantiam antequam de illis speciatim dicere aggrediamur. Et quia nonnulli inconsiderate spernunt Sac. Congregationum decisiones, quasi nullius sint momenti, non ab re erit præstantissimi viri achatolici sententiam in medium adducere, ex qua clare appareat quanta reverentia et observantia Rom. Congregationum decreta suscipienda sint. Clarissimus ergo Leibnitius in epistola quosdam ad P. de Basses Soc. Jes. hæc habet : « Gratum erit, si subinde me doceas, quæ in vestro Ordine, aut alias in re litteraria, præsertim sacra, philosophicaque gerantur; et utile esset discere quæ Romæ decernantur in Congregationibus, velut Rituum, Inquisitionis, Indicis, etc., nam talia a me minime spernuntur. » Leib. Opera omnia edit. de Turnes Tom. 2, part. 1, p. 276.

(4. Omnis tamen vis et auctoritas quam Sac. Congreg. decreta sibi vindicant pendet a plenitudine potestatis Pontificis in condendo novas leges et eas interpretando; de qua satis supra diximus. Propterea illius nomine ejusdemque auctoritati innixæ Sacr. Congregationes, omnibus fidelium, quantumvis remotissimis, consilia præbent, dubia resolvunt, lites contentionesque componunt, gratias ac privilegia impertiuntur, eorumque consultationibus respondent. Et hæc est differentia inter illorum cæterorumque doctorum responsa, quod privati doctores legem non constituant, dum Sacr. Congregationum decreta omnino dirimunt quæstionem; et cum potestate legislativa innitantur, eorum interpretationes faciunt jus commune t. 12, de LL. et t. 35, 36, 37, ff. de LL. Ut vero talia decreta vim legis habeant quatuor conditiones requiruntur. 1. Ut constet sufficienter quod sint declarationes Sacr. Congregationis, propterea munitæ sigillo authentico Congregationis, et signatæ ab ejusdem Secretario et a Cardinali Præfecto esse debent. Nam Sacr. Congreg. Conc. de commissione Urbani VIII, an. 1631, mandavit et præcepit « hujusmodi Declarationibus, tam impressis et imprimendis, quam manuscriptis, nullam fidem esse in judicio vel extra a quoquam adhibendam, sed tantum illis quæ in authentica forma, solito Sigillo, et subscriptione Emin. Cardinalis Præfecti et Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint. In quorum fidem, » etc. *Datum Romæ die* 2 *Augusti* 1631. Ita refert Barbosa lib. 1. Juris Eccles. univ. cap. 4, n. 83. 2. Ut referatur in ipsa declaratione, fuisse pronunciata consulto Pontifice; nam sic statuit Sixtus V. Constit. 74, tom. 2, Bullar. magni. 3. Ut Cardinales solum declarent, et interpretentur, non vero disponant aut dispensent, aut restringant, aut amplient ultra vim verborum et regulas juris. Torreblanc in prat. jur. Eccl. lib. 14, c. 3, n. 19. Merolla in disput. Theolog. tom. 2, disp. 4, cap. 4, dub. 12, num. 173. Hæc speciatim pertinent ad Congregationem S. Concilii Tridentini interpretis de qua vide etiam Fagnan. in cap. *Quoniam* de constit. in prima parte 1. lib. Decret. Card. de Luca in adnot. ad Concil. Trid. disp. 1, n. 17. Schenkl Instit. juris eccles. ex edit. Scheilii an. 1830, cap. 7. De aliis Congregationibus vide Schmalzgrueber dissert. Proem. § 9, n. 373, seq. Si vero declarationes Congregationis sunt extensivæ, scilicet si egrediuntur a simplici interpretatione, et ultra id quod legum verba proprie denotant, aliquid concedant, prohibeant, dispensent, etc., non habent vim legis, nisi fiant ex speciali mandato Papæ; quomodo sunt decreta Congreg. S. Concilii Tridentini jussu Urbani VIII de alienatione rerum temporalium ad monasteria, etc., pertinentium 7 Sept. 1624, edita. Ergo decreta SS. Congregationum cum necessarias habeant conditiones constituunt *rem judicatam;* et habentur pro apostolicis Constitutionibus, cum approbantur a Romano Pontifice; editaque in particularibus casibus, constituunt legem pro rebus similibus. Demum novissima derogant prioribus, cum contradictoria reperiuntur, et nullam posterius vim habent, cum deficiat fundamentum quo innitebantur. De Congregationum auctoritate Sede Vacante vide Auctor. verb. *Cardinal.* art. 5, num. 43 pag. 235, *nos. Edit.*

CONGREGATIO CONCISTORIALIS.

(5. Variæ sunt Congregationes, et aliæ quidem ordinariæ, aliæ extraordinariæ, quæ scilicet ad Pontificis beneplacitum convocantur, et finita causa, qua convocatæ fuerant, cessant pariter. Nos, omissis cæteris extraordinariis Congregationibus, loquemur in primis de Concistoriali, sed Concistorii Consultrice. Hæc enim ordinaria et extraordinaria nuncupari potest : ordinaria, quia semper constituta ex aliquo determinato numero personarum ; extraordinaria vero, quia congregatur ad beneplacitum Pontificis. Nam cum sæpe, ut loquitur Cardinalis de Luca, in plerisque actibus qui in Concistorio coram Pontifice agitantur, interessati oppositores adesse soleant, adeo ut disputationem contentiosam habere oporteat, cumque talis forma ad servandam Concistorii majestatem ab illo excludatur, statuta fuit particularis Congregatio, quæ pararet negotia in Concistorio tractanda.

(6. Hæc Congregatio ordinata fuit a Sixto V, in sua Constitutione CXVII.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

« Immensa æterni Dei omnium opifex sapientia a fine usque ad finem fortiter attingens, sic cuncta inter se admirabili concordiæ nexu copulavit suaviterque disposuit, ut vicissim ad suorum se munerum functiones exercendas mutuis auxiliis sublevarent. Ipsa in Cœlesti Hierusalem varios beatorum spirituum ordines distinxit, quorum superiores de divinæ providentiæ rebus inferiores illuminarent. Ipsa militantis Ecclesiæ, quæ triumphantis illius imago est, corpus

Digitized by Google

variis membris discrevit, quæ capiti suo glutino charitatis compacta et connexa, mutuo se adjuvarent, ex quo totius corporis salus, et conservatio existeret.

« Quare jure optimo Romanus Pontifex, quem Christus Dominus corporis sui, quod est Ecclesia, visibile caput constituit, omniumque Ecclesiarum sollicitudinem gerere voluit, multos sibi tam immensi oneris adjutores advocat, atque adsciscit, cum venerabiles Episcopos fratres suos, quos toto terrarum orbe ad singulos greges pascendos mittit, tum amplissimum ordinem S. R. E. Cardinalium, qui tamquam nobilissima membra capiti proprius cohærentia, eidem Summo Pontifici, sicut Christo Domino Apostoli, semper assistunt, quique primi laborum, et consiliorum socii sunt, et participes, ut partita inter eos, aliosque Romanæ Curiæ Magistratus, ingenti curarum, negociorumque mole, ipse tantæ potestatis clavum tenens, divina gratia adjutrice, non succumbat.....

« Illa præterea cura ad Pastoralis nostri Officii sollicitudinem, et Ecclesiæ universalis gubernationem maxime pertinet, ut ad fidelium populorum utilitatem, Ecclesiis jam erectis, aut in posterum justis de causis erigendis, de Episcopis, et Pastoribus idoneis, et fidelibus ac fructuosis, in vinea magni Patrisfamilias operariis salubriter in Domino provideamur.

« Quare aliam constituimus Cardinalium Congregationem, qui in primis cognoscant de legitimis causis erectionum novarum Ecclesiarum quarumcumque, Patriarchalium, Metropolitanarum, et Cathedralium; ac de cujusque earum Dote, Capitulo, Clero, Populo, et aliis, quæ ad ejusmodi erectiones, juxta præscriptum Sacri Concilii Tridentini, et Sanctorum Patrum decreta, necessaria erunt. Examinent præterea omnes difficultates de his incidentes, controversias quoque inter eas, quæ jam erectæ sunt, nec non dictarum Ecclesiarum, Diœcesum, vel Monasteriorum uniones, dismembrationes, cessiones, permutationes, translationes, pensionum super illarum redditibus assignationes, Monasteriorum pluralitatem, dignitatum incompatibilitatem, præsentationes, et nominationes, electionum, sive postulationum confirmationes, seu admissiones, suffragaeorum coadjutorumque deputationes, cum futura successione, sive absque eadem successione, curamque adhibebunt solertem circa ætatem, et qualitatem promovendorum, eaque discussa, et examinata ad Nos, Successoresque nostros referant, ut pro nostro, eorumve arbitrio, in Concistorio secreto juxta formam in hunc usque diem servatam proponantur. »

(7. Constat talis Congregatio ex competenti numero Cardinalium et peritorum Prælatorum, cum Segretario qui solet esse non Prælatus, sed peritus aliquis togatus. Examinantur in ea materiæ in Concistorio tractandæ, et audiuntur partium oppositiones, si forte locum habeant, in forma mere contentiosa, proportionata tamen stylo Congregationum Cardinalium; et ita, quando agitur de unionibus vel divisionibus Ecclesiarum seu etiam dismembrationibus vel novis erectionibus, probari debet, an verificentur justæ causæ, vel requisita necessaria; sic etiam examinantur causæ et requisita, quibus admitti possunt renunciationes Episcoporum; Cardin. de Luca lib. 15, part. 2. Relat. Rom. Cur. Disc. § 25, pag. 238. Et ut ipse concludit « in summa ista Congregatio Concistorialis est ipsius Concistorii pars » seu membrum, aut ejusdem Concistorii Consultor, vel Assessor, adeo ut nonnisi de « ejus voto negotia concistorialia, quæ controversia pati valeant explicentur ibid. § 26. »

CONGREGATIO INQUISITIONIS.

(8. De Congregatione Inquisitionis, vide verb. *Inquisitionis, S. Officium*, et *Inquisitores*.

CONGREGATIO INDICIS.

(9. Cum Ecclesiæ proprium sit curare, ut cunctis sana religio, moresque integri sint, utque omnis mali atque erroris auferatur occasio, non vetat tantum societatem et consuetudinem hæreticorum, eorumque omnium, qui male de religione sentiunt, et non solum providet ut sint in illa Magistratus, qui in fidei corruptores inquirant, pœnisque coerceant, sed etiam omni studio contendit, Christi Domini gregis oves a noxis pascuis prohibere. Nam cum ea, quæ legimus magis hæreant impressa animo et difficilius e memoria elabantur, semper Ecclesiæ curæ fuit, e filiorum suorum manibus eripere illos libros, qui fidem labefactare, moresque depravare aliquo modo possent. Qua in re non Christianorum tantum utilitati, sed etiam incolumitati prospicit et decori Divinissimæ illius Religionis, quam perditi homines omni via obtrectare student. (10. Et talis quidem apud Hebræos et Ethnicos ipsos mos invaluerat e manibus hominum tollendi libros omnes, qui mores depravare possent, uti videri potest in Origen. Prolog. in Cant. opp. tom. 3, pag. 26, edit. Paris. 1740, Cicer. de Natur. Deor. 1. t. num. 23, opp. tom. 2, p. 525, edit. Oliveti Genevæ 1743. Livium lib. 25, c. 1, t. 3, p. 939, 1, 39, c. 16, lib. 40, cap. 29, t. 5, pag. 330 et 490, et Drakenborchii Lugd. Batav. 1743. Valerium Maximum lib. 2, cap. 1, tom. 1, pag. 23, edit. Torernii Leidæ 1726. Senecam Controv. proem. lib. 5, t. 3, opp. 348, ed. Amst. 1682. Quod vero sic semper tenuerit Ecclesia, dubitare omnino non potes, si paulo attendas iis quæ supersunt antiquitatis documentis, etc. Ac, ut nihil dicamus de D. Paulo, quem omnes norunt Ephesi combussisse libros omnes eorum, qui fuerant curiosa sectati; Act. Apostol. 19, in canone 52, 59, 60. Apostolorum apud Cotelerium PP. Apostol. tom. 1, pag. 430, edit. Amestelodam. 1724, legimus vetitum divulgari *falso inscriptos impiorum libros*. S. Cyprianus prohibuit libros schismaticorum, ut ex ejus Epist. 45, p. 231, edit. Amstelod. 1700, pag. 128. Patres Nicæni Arii Thaliam proscripserunt; Socrates Histor. lib. 1, cap. 21. p. 40, edit. Valesii Cantabrig.

Digitized by Google

1720. Nicephor. lib. 8, cap. 18, p. 569, t. 1, edit. Paris. 1630, et Constantinus Imperator ab omnibus tale decretum observari mandavit; Socrat. loc. cit. Et Origenis libri sæpe damnati fuere; Soz. Hist. l. 8, c. 14. Socr. lib. 6, c. 9. p. 324, edit. cit. Hyeronim. l. 2, Contr. Rufin. n. 22, t. 2, col. 515, edit. Valarsii Veronæ. Potestas vero improbandi damnandique libros, qui religioni bonoque universali adversantur, proprie pertinet ad Ecclesiam, sive sparsam per orbem, sive in Concilio congregatam, et potissimum ad ejus caput Rom. Pontificem; cui præcipue Dominus noster gregis pascendi curam commisit. Unde III sæculo ad Pontianum Pontificem missi fuerunt Origenis libri, ut ab illo damnarentur. Const. in Pontian. § unic. num. 1, col. 116. et in Fabian. § 1, n. 1, col. 117. Episcopi Africani ad Innocentium I, literas dederunt, ut Pelagii errores damnaret. « Anathemet ergo, *inquiunt*, Pelagius scripta sua. Aut se sua esse negat, aut scriptis suis ab inimicis suis dicit immissa, quæ sua esse negat, anathemet ea tamen, et damnet paterna exhortatione, et auctoritate Sanctimoniæ tuæ.... Si enim cognoverint (*Pelagii Socii*) eumdem librum, quem illius vel putant esse, vel norunt, Episcoporum catholicorum auctoritate, et maxime Sanctitatis Tuæ, apud eum esse majoris ponderis non dubitamus, etc. » Constant. Epist. Rom. Pontific. col. 88. Et Innocentius illis respondit, Pelagii librum, quem legerat, a quovis calcandum, atque damnandum, ut ipse Constant. loc. cit. col. 905. Leo M. Priscillianistarum libros igni tradi mandavit. Ep. 15, t. 2, opp. p. 694. ed. Baller. Ven. Plura hæreticorum volumina Gelasii I, et Symmachi opera incendio conflagrarunt, Anast. Bibliot. in Gelas. t. 1, p. 167, n. 2, edit. Rom. 1724, et Symmach. n. 1, p. 175. Similiter etiam egit S. Gregorius M. lib. 6, Epist. 66, opp. tom. 2, col. 842, edit. Paris. 1705, ubi peropportune lectoribus consideranda veniunt verba adjecta a Monachis Cong. S. Mauri; « agnoscendam esse scilicet in Romanis Pontificibus libros aliquos prohibendi potestatem, et consuetudinem, cui parere etiam tenebantur Orientalis Ecclesiæ alumni Constantinopolitano Patriarchæ, aut alteri alioquin subditi. » Unde Turonensis Concilii Patres an. 567, cap. 20, apud Labeum t. 6, conc. col. 541, inquiunt. « Et quorum auctorum valere possit prædicatio, nisi quos Sedes Apostolica aut semper intromisit, aut apocryphos fecit? et Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit auctoritas. » In responsionibus Nicolai I ad Consult. Bulgar. n. 103, apud Labeum Concil. tom. 9, col. 1566, habemus, illum vetasse retineri, et jussisse comburi Saracenorum libros, quos Bulgari invenerant. Vide etiam Concilium Romanum ann. 868, apud Labeum t. 10, col. 447, ubi habes id quod egit Hadrianus II, contra Photii libros; atque hoc quidem factum in VIII Concilio Œcumenico probatum est in Action. 7, apud Labeum tom. 10, col. 847. Joannes Diaconus scribens ad Joannem VIII Pontificem sæculo IX, inquit: « Romano Pontifici, Deus omnipotens probandorum, seu expellendorum scriptorum omnium specialem dedit procul dubio potestatem, de S. Greg. Magni vita t. 4 Oper. S. Gregor. ed. Paris. col. 20. » Leo IX damnavit in Romana, deinceps in Vercellensi Synodo Scoti librum; apud Labeum tom. 11, col. 1431, ed. Venet. cit. Item damnavit libros Petri Abælardi Innocentius II. Epist. ad Archiep. Remens. et Senon. et ad Bernardum Abbatem; apud Labeum tom. 12, col. 1415 et 1420, et alium librum Joannis Scoti Honorius III. Mabillon. Præf. ad Sæcul. 4, Benedictin. § 8, num. 135, p. 66, edit. Paris. 1680. Et sic similiter enumerari possent damnationes Innocentii IV, in libros Talmudicos Hebræorum. Raynald. ad an. 1244, num. 42 et 21, pag. 312, ed. Lucæ Gregorii IX, in libros Aristotelis, ejus Constit. apud Raynald. ad ann. 1231, num. 48, p. 50, edit. Lucæ; Joannis XXII. contra scripta Marsilii Patavini, et Joan. Janduni apud eumdem Raynaldum ad an. 1327. n. 28, seq. tom. 24, Annal. p. 847, ed. Lucæ. De libris Raymundi Lulli, et Joannis Wiclefii vide Raynald. ad ann. 1374, n. 12 et 26, p. 352, et ad an. 1372, num. 35, p. 229, ib. et ad ann. 1409, n. 8, tom. 27, p. 303. Natal. Alex. Hist. Eccles. sæc. 13 et 14, c. 3, art. 20, tom. 8, p. 90, ed. Venet. 1776. Demum vide Const. *Exurge Domine* 44, p. 487, tom. 3, Bullar. Roman. qua Leo X damnat opiniones et scripta Lutheri. Vide Valsecchi *Fond. della Relig.* tom. 3, p. 3. cap. 4. Franc. Anton. Zaccaria *Storia Polemica della proibizione de' Libri lib.* 1.

Plus quam par erat hic immorati sumus; etenim, cum Indicis Congregatio, de qua sumus loquuturi, omnem suam auctoritatem accipiat a Romano Pontifice, probata his argumentis Ecclesiæ, ejusque Capitis in prohibitione librorum potestate, clare profecto perspicitur qualis sit ejusdem Indicis Congregationis præstantia, et quanti roboris sint ejus definitiones.

(11. Nam quamvis tanta sint in antiquitate vestigia prohibitionis librorum, nondum tamen in mentes hominum venerat prohibitorum librorum Indicem conficere usque ad sæculum XVI; tunc enim, cum subito et inopinato incursu pravorum librorum colluvies excrevisset, Romani Pontifices huic malo occurrere volentes, primum cogitare cœperunt de Indice condendo; quod Paulus IV operi mandavit anno 1557 et 1558. Pius vero IV, ejus successor, totum negotium ad Concilium Tridentinum detulit. « Sed cum hisce calamitosis temporibus, ut inquit Clemens VIII, in Constit. *Sacrosanctum*, antiquus humani generis hostis a sua malitia numquam recedens ad eamdem Catholicam doctrinam labefactandam pestiferas hæreses, ac detestabiles errores, aut novos conflasset, aut veteres ex infernis excitasset, Sacra Tridentina Synodus pestilentem noxiorum librorum copiam, quæ plus nimis excreverat, coercere, aut auferre cupiens, primum quidem doctissimos aliquos viros delegit,

Digitized by Google

qui de tota re cognoscerent, et deliberarent; deinde vero, cum illi in eo negotio parum progressi essent, justis causis eadem Synodus permota ad ipsam Sedem rem totam deferendum statuit. Itaque fel. rec. Pius Papa IV, Prædecessor noster, qui tum ad Ecclesiæ gubernacula sedebat, Prælatis quibusdam doctrina, et prudentia præstantibus adhibitis Indicem librorum prohibitorum et Regulas quasdem per suas litteras in forma Brevis promulgavit, et hujusmodi noxiorum librorum detrimentis depellendis opportune providit. » Hanc constitutionem Clemens præposuit Indici Pii IV, a Sixto V, aucto et Apostolica auctoritate recognito. Sed jam ante Pius V novam creaverat Congregationem, cui prohibitionis librorum et Indicis confectionis curam commiserat, uti patet ex verbis P. Libelli, qui erat a secretis istius Congregationis tempore Alexandri VII, qui in monit. ad lect. in Indic. Clem. X, ann. 1670 : « Hanc, inquit, postea deputationem (*scilicet Concilii*) in Indicis Congregationem Pius V erexit, Segretario eidem adsignato Antonio Possio ad quod munus deinceps Summi Pontifices viros ex ordine Prædicatorum adsumpserunt. » Vide Ruele. *Saggio dell' Istoria, dell' Indice Romano dei libri proibiti pag.* 124. Anton. Zaccar. Host. polem. delle proibizioni dei libri lib. 1, epoc. 6, pag. 153. *edition. Roman.* 1777. Sixtus V vero in supradicta Bulla illius auctoritatem ampliavit addendo opportunas facultates his verbis. (12. « Quia vero hæresis morbus animæ perniciosissimus, ut cancer serpit, et filii tenebrarum arcem Catholicæ veritatis omni machinationis genere oppugnant, libris præsertim heresis veneno infectis promulgandis, aliisque noxia doctrina aspergendis, corrumpendisque, postulat a Nobis Pastoralis officii sollicitudo, ut vulpes dolosas, et lupos rapaces ab ovili Christi omni vigilantia arceamus. Quare ut Cardinales, qui ad libros prohibendos, expurgandosve delecti sunt, in ea cura diligenter, ac majori cum fructu versentur, has illis facultates tribuimus, ut librorum ejusmodi catalogos, et indices, aut olim, aut proxime confectos, eorumque regulas editas recognoscant, atque examinent, certorum auctorum libros prohibitos, aut quovis modo in prioribus indicibus suspensos diligenter excutiant, et prout expedire judicaverint, permittant libros, qui post indicem Tridentini Conc. jussu editum prodierunt. Catholicæ doctrinæ, christianorumque morum disciplinæ repugnantes expendant, et recognoscant, ac ubi Nobis retulerint, nostra auctoritate rejiciant, hominum vero injuria, et dolo depravatos emendent, eos libros, qui paucis erroribus rejectis alioquin utiles studiosis esse possent, expurgandi. atque corrigendi modum ineant, indicesque expurgatorios conficiant, novos præterea libros approbandi, et imprimendi rationem præscribant. Universitatum Parisien. Bononien. Salamantin. Lovanien. aliarumque probatarum studia, ad librorum expurgationem, et correctionem excitent, earumque diligentem operam, et industriam requirant. Permittimus quoque eidem Congregationi, ut Theologis, Canonistis, aliisque peritis viris, piis atque idoneis, etiam aliunde accersitis, ad hoc omne negocium Reipublicæ Christianæ tam in his temporibus necessarium adhibitis, eam ob rem tantum, nec vero aliis, libros vetitos tenendi, legendique etiam absque nostra licentia impertiantur facultatem. »

(13. Constat Congregatio Indicis lib. prohib. ex competenti numero Cardinalium, pro beneplacito Pontificio, et habet Segretarium ex ordine Prædicatorum et magnum quoque numerum Theologiæ aliarumque literarum professorum, qui Consultorum nomen obtinent, in quibus præcellit Apostolici Palatii Magister, primarius et fixus ejusdem Congregationis Consultor. (14. Consultores debent revidere et examinare diligenter libros, de quibus suspicio habetur juxta Secretarii distributionem, et postea de illis referre in plena Congregatione, quæ pro numero et urgentia negotiorum in aliquibus anni temporibus haberi solet. Plura, si cupis de prohibitione librorum vide Instruct. pro iis qui libris tum prohibendis, tum expurgandis, tum etiam imprimendis operam sunt daturi, Clementis VIII auctoritate regulis Indic. adjectam. v. *Index Lib. prohibit.* pag. 18, edit. Rom. 1841. (15. At nos, ut omnino appareat methodus, quam S. Congregatio adhibet, referemus hic Constitutionem Benedicti XIV, de methodo servanda in examine et proscriptione librorum.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Sollicita, ac provida Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum vigilantia in eam semper curam incubuit, ut Christi fideles ab eorum librorum lectione averteret, ex quibus incauti, ac simplices detrimenti quidpiam capere possent, imbuique opinionibus, ac doctrinis, quæ vel morum integritati, vel Catholicæ religionis dogmatibus adversantur. Nam, ut vetustissimum mittamus sancti Gelasii I Decretum, quæque jam pridem a Gregorio IX, aliisque Pontificibus hac de re statuta fuerunt ; ignorare neminem arbitramur, quæ fuerint a prædecessoribus nostris Pio IV, Sancto Pio V, et Clemente VIII, diligentissime præstita, ut saluberrimum opus a sacrosanctæ Tridentinæ Synodi Patribus susceptum, mature discussum, ac pene ad exitum perductum, de vetitæ lectionis librorum Indice conficiendo, atque vulgando non absolverent solum, atque perficerent, sed sapientissimis etiam decretis, ac regulis communirent. Quod quidem negocium Apostolica Sedes continenter urget, ac promovet ; ad id deputatis duabus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationibus, quibus onus inquirendi in pravos, noxiosque libros impositum est ; cognoscendique, quibus emendatio, et quibus proscriptio debeatur. Id muneris Congregationi quidem Romanæ universalis Inquisitionis a Paulo IV commis-

Digitized by Google

sum perhibent, idque adhuc ab ea exercere pergit, ubi de libris ad certa rerum genera pertinentibus judicandum occurrit. Certum est autem, sanctum Pium V, primum fuisse Congregationis Indicis institutorem, quam subsequentes deinde Pontifices Gregorius XIII, Sixtus V, et Clemens VIII confirmarunt, variisque privilegiis et facultatibus auxerunt: ejusque proprium, ac fere unicum officium est, in examen libros vocare de quorum proscriptione. emendatione vel permissione capienda est deliberatio.

§ 1. Qua maturitate, consilio, ac prudentia in Congregatione universalis Inquisitionis de proscribendis, vel dimittendis libris deliberetur, cum neminem latere putamus, tum nos ipsi plane perspectum, ab diuturna experientia compertum habemus; nam in minoribus constituti, de libris nonnullis in ea censuram tulimus, et consultoris ejusdem Congregationis munere diu perfuncti sumus; postremo inter sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales cooptati, Inquisitoris generalis locum in ea obtinuimus; ac demum ad Apostolicam Sedem, meritis licet imparibus, evecti, non modo Censorum animadversiones in libros nonnullos aliquando legere, ac ponderare, sed etiam in Congregationibus, quæ singulis feriis quintis coram nobis habentur, Cardinalium sententias, atque suffragia, antequam de iisdem libris quid decernatur, audire, excipere consuevimus. Haud minoris diligentiæ testimonium ferre possumus, adeoque debemus, pro altera Congregatione Indicis, cui generaliter incumbit, ut supra diximus, de quorumvis librorum proscriptione decernere. Dum enim in minoribus versaremur, cum primi tum secundi Censoris, seu Relatoris officium in ea Congregatione non semel obivimus: ex quo autem supremum Pontificatum gerimus, nullius libri proscriptionem ratam habuimus, nisi audito Congregationis Secretario, qui libri materiem, Revisorum censuras, Cardinalium judicia, et suffragia accurate nobis exponeret.

§ 2. Sed quoniam compertum est nobis, atque exploratum, multas librorum proscriptiones, præsertim quorum auctores Catholici sunt, publicis aliquando, injustisque querelis in reprehensionem adduci, tanquam si temere, ac perfunctorie in Tribunalibus nostris ea res ageretur; operæ pretium duximus, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, certas, firmasque regulas proponere, juxta quas deinceps librorum examen, judiciumque peragatur; tametsi plane affirmari possit, idipsum jampridem, vel eadem prorsus ratione, vel alia æquipollenti, constanter actum fuisse.

§ 3. Porro Romanæ universalis Inquisitionis Congregatio ex pluribus constat sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus a summo Pontifice delectis, quorum alii sacræ Theologiæ, alii Canonici Juris doctrina, alii Ecclesiasticarum rerum peritia, munerumque Romanæ Curiæ exercitatione, prudentiæ demum, ac probitatis laude, conspicui habentur. His adjungitur unus ex Romanæ Curiæ Præsulibus, quem Assessorem vocant; unus etiam ex Ordine Prædicatorum sacræ Theologiæ Magister, quem Commissarium appellant; certus præterea Consultorum numerus, qui ex utroque Clero sæculari, ac regulari assumuntur; alii demum præstantes doctrina viri, qui a Congregatione jussi, de libri censuram instaurant, iisque Qualificatorum nomen tributum est. De variis in præfata Congregatione, iisque gravissimis rebus agitur, in primis autem de causis fidei, ac de personis violatæ religionis reis. At cum librum aliquem ad eam, tanquam proscriptione dignum, deferri contigerit; nisi ad Indicis Congregationem, ut fieri plerumque solet, judicandum remittat, sed pro rerum, temporumque ratione sibi de illo cognoscendum esse arbitretur; nos, inhærentes decreto lato ab eadem Congregatione feria quarta kalendis Julii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, atque a nobis confirmato feria quinta insequente, hac ratione, et methodo judicium institui mandamus.

§ 4. Primo nimirum uni ex Qualificatoribus, aut Consultoribus a Congregatione designando, liber tradatur, quem is attento animo legat, ac diligenter expendat; tum censuram suam scripto consignet, locis indicatis, et paginis in quibus notati errores continentur. Mox liber cum animadversionibus Revisoris ad singulos Consultores mittatur, qui in Congregatione pro more habenda singulis feriis secundis in ædibus sancti Officii, de libro, et censura sententiam dicant: ipsa deinde censura, cum libro, et Consultorum suffragiis, ad Cardinales transmittantur, ut hi in Congregatione, quæ feria quarta haberi solet in Fratrum Prædicatorum Cœnobio sanctæ Mariæ supra Minervam nuncupato, de tota re definitive pronunciet. Post ab Assessore sancti Officii acta omnia ad Pontificem referantur, cujus arbitrio judicium omne absolvetur.

§ 5. Cum autem sit veteri institutione receptum, ut Auctoris Catholici Liber non unius tantum Relatoris perspecta censura, illico proscribatur; ad normam præfati Decreti mensis Julii Anni Millesimi septingentesimi quinquagesimi, volumus eam consuetudinem omnino servari; ita ut si primus Censor Librum proscribendum esse judicet, quamvis Consultores in eamdem sententiam conveniant, nihilominus alteri Revisori ab eadem Congregatione electo Liber et Censura tradantur; suppresso primi Censoris nomine, quo alter judicium suum liberius exponat. Si autem secundus Revisor primo assentiatur; tunc utriusque animadversiones ad Cardinales mittantur, ut iis expensis de Libro decernant; at si secundus a primo dissentiat, ac Librum dimittendum existimet, tertius eligatur Censor, cui, supresso priorum nomine, utraque censura communicetur. Hujus autem Relatio, si a priore Consultorum Sententia non abludat, Cardinalibus immediate communicetur, ut ipsi, quod opportunum fuerit, decernant. Sin minus, iterum Consultores, perspecta tertia Censura suffragia ferant; idque una cum omnibus præfatis relationibus, Cardinalibus exhibeatur, qui, re

Digitized by Google

ita mature perpensa, de controversia denique pronunciare debebunt. Quotiescumque autem Pontifex, vel ob rei, de qua in Libro agitur, gravitatem, vel quia id Auctoris merito, aliisque circumstantiis tribuendum censeat, Libri judicium coram se ipso in Congregatione Feriæ quintæ habendum decrevit; quod sæpe a Nobis factum fuit, et quoties ita expedire judicabimus, in posterum quoque fiet; tunc satis fuerit exhibere Pontifici et Cardinalibus Libri censuras, et Consultorum suffragia, omisso examine Congregationis Feriæ quartæ, ejusque relatione, quam per Assessorem Pontifici faciendam diximus: nam Cardinalium suffragiis coram ipso Pontifice ferendis, atque hujus definitiva sententia, vel alio opportuno consilio in eadem Congregatione capiendo, res absolvetur.

§ 6. Altera quoque Indicis Congregatio plures complectitur Cardinales ipsi a Pontifice adscriptos, iisdemque dotibus præditos, quibus S. Officii Cardinales pollere solent; quum etiam eorum aliquos in utraque Congregatione locum habere contingat. Ex iis unus ejusdem Congregationis Præfectus existit; Assistens vero perpetuus est Magister Sacri Palatii; Secretarius autem, a prima Congregationis institutione usque in præsentem diem, ex Ordine Fratrum Prædicatorum a Summo Pontifice pro tempore eligi consuevit. Sunt præterea ex utroque Clero Sæculari et Regulari ejusdem Congregationis Consultores, et Relatores selecti; et quidem, ubi aliquis Librorum relationes coram Congregatione semel, bis, tertio, laudabiliter peregerit, tum ipsa Congregatio Pontificem rogare solet, ut ejus auctoritate in Consultorum numerum referatur.

§ 7. Sub ipsa Pontificatus nostri primordia, ea Nos subiit cogitatio, ut certam aliquam et immutabilem methodum pro examine judicioque Librorum in hac Indicis Congregatione servandam statueremus. Qua de re non modo consilium exquisivimus dilecti Filii Nostri Angeli Mariæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Quirini nuncupati ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarii, et dictæ Congregationis Præfecti, qui pari prudentia et doctrina suum Nobis sensum scripto declaravit; verum etiam antiquiores aliquot ejusdem Congregationis Consultores coram dilecto Filio Josepho Augustino Orsi Ordinis Prædicatorum, tunc ipsius Congregationis Secretario, nunc autem Palatii Apostolici Magistro, convenire jussimus, suamque sententiam aperire, quæ pariter scripto concepta, Nobis jam tunc exhibita fuit. Cumque hæc omnia diligenter apud Nos asservata fuerint, nunc demum veterem deliberationem Nostram resumentes, quemadmodum ea, quæ ad Librorum examen, atque judicium in primodicta Congregatione Sancti Officii peragendum, pertinent, auctoritate Nostra constabilivimus; ita etiam ea, quæ ad Congregationem Indicis, et ejusdem generis negocia apud eam tractanda facere possunt, opportunis Decretis constituere volentes, prælaudati Cardinalis Præfecti consiliis, dictorumque Consultorum votis inhærendo, hæc deinceps servanda decernimus.

§ 8. Cum Congregatio Indicis ad Librorum censuram unice, ut dictum est, instituta, non ita crebro convocari soleat, ut altera Sancti Officii Congregatio, quæ ob causarum et negociorum multitudinem, singulis hebdomadis ter haberi consuevit; illius propterea Secretario peculiare munus et officium recipiendi Librorum denunciationes, ut fieri jam ante consuevit, committimus et demandamus. Is autem a Libri Relatore percunctabitur diligenter, quas ob causas illum prohiberi postulet; tum Librum ipsum haud perfunctorie pervolvet, ut de propositæ accusationis subsistentia cognoscat; duobus etiam in eam rem adhibitis Consultoribus, ab ipso, prævia Summi Pontificis, aut Cardinalis Præfecti, vel ejus, qui Præfecti vices supplet, approbatione eligendis: Quorum collato consilio, si Liber censura et nota dignus videatur, unus aliquis Relator ad ferendum de eo judicium idoneus, illius nempe facultatis, de qua in Libro agitur, peritus, eadem, quam nuper innuimus, ratione eligendus erit, qui scripto referat animadversiones suas, adnotatis paginis, quibus singula ab ipso reprehensa continentur. Sed antequam ejus censura ad Cardinalium Congregationem feratur, haberi volumus privatam Consultorum Congregationem, quam olim *Parvam* dixerunt, Nos autem *Præparatoriam* vocabimus, ut Relatoris animadversionibus ad Librum collatis, de earum pondere judicium fiat. Hujusmodi Congregatio semel omnino singulis mensibus, aut etiam sæpius, si oportuerit, ab ipso Congregationis Secretario convocanda erit, vel in suis cubiculis, vel opportuniore, ut ipsi videbitur, loco, intra prædicti Cœnobii Ædes, ubi is commoratur. Eique semper intererit Magister Sacri Palatii pro tempore existens, una cum sex aliis e numero Consultorum, singulis vicibus, pro qualitate argumenti et materiæ, de qua disputandum erit, ut supra de primis duobus Consultoribus, et de Relatore constitutum est, a Secretario eligendi; præter Secretarium ipsum, cujus partes erunt in tabulas referre Consultorum sententias, quas deinde ad Congregationem Cardinalium mittet, cum Relatoris censura. In generali demum Congregatione omnia illa servari debebunt, quæ superius statuta sunt pro Congregatione Sancti Officii circa Librorum examen. Ac quemadmodum ad Assessorem Sancti Officii pertinet, de actis in Congregatione Summum Pontificem certum reddere; ita ad Secretarium Congregationis Indicis spectabit, quoties hæc Librum aliquem proscribendum, aut emendandum censuerit, ejusdem Pontificis assensum, prævia diligenti actorum omnium relatione, exquirere.

§ 9. Quoniam vero in Congregatione Indicis de sola Librorum prohibitione agitur, nonnulla hoc loco adjungenda judicavimus, eidem Congregationi potissimum usui futura, quæ tamen ab altera etiam Congregatione Sancti Officii, dum in hujus quoque generis causis se immiscet, ubi similes rerum cir-

Digitized by Google

cumstantiæ se offerant, æque observanda erunt. Quotiescumque agatur de Libro Auctoris Catholici, qui sit integræ famæ, et clari nominis, vel ob alios editos Libros, vel forte ob eum ipsum, qui in examen adducitur, et hunc quidem proscribi oporteat; præ oculis habeatur usu jamdiu recepta consuetudo prohibendi Librum, adjecta clausula: *Donec corrigatur*, seu *donec expurgetur*, si locum habere possit, nec grave quidpiam obstet, quo minus in casu, de quo agitur, adhiberi valeat. Hac autem conditione proscriptioni adjecta, non statim edatur Decretum, sed suspensa illius publicatione, res antea cum Auctore, vel quovis altero pro eo agente, et rogante, communicetur, atque ei quid delendum, mutandum, corrigendumve, fuerit, indicetur. Quod si nemo Auctoris nomine compareat, vel ipse, aut alter pro eo agens, injunctam correctionem Libri detrectet, congruo definito tempore Decretum edatur. Si vero idem Auctor, ejusve Procurator, Congregationis jussa fecerit, hoc est novam instituerit Libri editionem cum opportunis castigationibus, ac mutationibus; tunc supprimatur proscriptionis Decretum; nisi forte prioris editionis exemplaria magno numero distracta fuerint; tunc enim ita Decretum publicandum erit, ut omnes intelligant, primæ editionis exemplaria dumtaxat interdicta fore, secundæ vero jam emendatæ permissa.

§ 10. Conquestos scimus aliquando nonnullos, quod Librorum judicia et proscriptiones, inauditis Auctoribus, fiant, nullo ipsis loco ad defensionem concesso. Huic autem querelæ responsum fuisse novimus, nihil opus esse Auctores in judicium vocare, ubi non quidem de eorum personis notandis, aut condemnandis agitur, sed de consulendo Fidelium indemnitati, atque avertendo ab ipsis periculo, quod nocua Librorum lectione, facile incurritur; si qua vero ignominiæ labe Auctoris nomen ex eo aspergi contingat, id non directe, sed oblique ex Libri damnatione consequi. Qua sane ratione minime improbandas censemus hujusmodi Librorum prohibitiones, inauditis Auctoribus, factas; quum præsertim credendum sit, quidquid pro se ipso, aut pro doctrinæ suæ defensione potuisset Auctor afferre, id minime a Censoribus, atque Judicibus ignoratum, neglectumve fuisse. Nihilo tamen minus, quod sæpe alias, summa æquitatis et prudentiæ ratione, ab eadem Congregatione factum fuisse constat, hoc etiam in posterum ab ea servari magnopere optamus, ut quando res sit de Auctore Catholico, aliqua nominis et meritorum fama illustri, ejusque opus, demptis demendis, in publicum prodesse posse dignoscatur, vel Auctorem ipsum suam causam tueri volentem audiat, vel unum ex Consultoribus designet, qui *ex Officio* Operis patrocinium, defensionemque suscipiat.

§ 11. Quemadmodum vero, ubi de Congregatione Sancti Officii agebamus, eidem Nos semper interfuturos recepimus, quotiescumque de Libro, cujus materia gravioris momenti sit, judicium agatur; quod erit Nobis facillimum, quum eadem Congregatio qualibet Feria quinta coram Nobis habeatur; sic et Indicis Congregationi præsentiam Nostram impendere parati sumus, quoties rei gravitas id promereri videbitur. Neque enim id opus esse dicendum est, quum vel Hæretici hominis Liber denunciatur, in quo Auctor errores Catholico dogmati adversantes consulto tradit aut tuetur; vel Opus aliquod in examen adducitur, quo rectæ morum regulæ labefactantur, ac vitiis, et corruptelis fomenta præbentur. In his enim casibus ne illas quidem, quas supra scripsimus, accuratiores cautelas adhibere necesse erit; sed hæretico dogmate, vel pravo moris incitamento semel comperto, proscriptionis Decretum illico sanciendum erit, juxta primam, secundam, et septimam Indicis Regulas, Sacrosancti Tridentini Concilii jussu editas, atque vulgatas.

§ 12. Cum in prælaudata Congregatione Sancti Officii severissimis legibus cautum sit, ne de rebus ejusdem Congregationis quisquam cum alio extra illam loquatur; nos hanc eamdem silentii legem a Relatoribus, Consultoribus, et Cardinalibus Congregationis Indicis religiose custodiendam præcipimus. Illius tamen Secretario potestatem facimus, ut animadversiones in libros censuræ subjectos, eorum auctoribus, vel aliis illorum nomine agentibus, et postulantibus, sub eadem Decreti lege communicare queat; suppressis semper denunciatoris, censorisque nominibus.

§ 13. Examinandis, corrigendisque libris peropportuna sunt, quæ decem Regulis Indicis a Patribus Tridentinæ Synodi confectis, atque editis continentur. In Instructione autem felicis recordationis Clementis Papæ VIII eisdem Regulis adjecta, Tit. *de correctione librorum* § V, Episcopis et Inquisitoribus cura committitur, ut ad librorum edendorum examen « spectatæ pietatis et doctrinæ viros adhibeant, de quorum fide, et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiæ daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos, et fidelis populi utilitatem. » His porro virtutibus, animique dotibus, si non majori, at pari certe de causa, præstare oportet hujus nostræ Congregationis Revisores, et Consultores. Cumque eos omnes, qui nunc hujusmodi munera obtinent, tales esse non ignoremus; optandum, sperandumque est, non absimiles deinceps futuros, qui ad id eligentur; homines nimirum vitæ integros, probatæ doctrinæ, maturo judicio, incorrupto affectu, ab omni partium studio, personarumque acceptione alienos; qui æquitatem, libertatemque judicandi, cum prudentia, et veritatis zelo conjungant. Cum autem eorum numerus nunc certus, et constitutus non sit; ab ejusdem Congregationis Cardinalibus consilium expectabimus, atque capiemus, num eum pro futuris temporibus definire oporteat, vel expediat: hoc tamen jam nunc decernentes, quatenus eorum numerus definiatur, ut tam Relatores, quam Consultores, ex utroque Clero, secu-

Digitized by Google

lari nempe, et regulari, assumantur, alii quidem Theologi, alii utriusque juris periti, alii sacra, et profana eruditione præstantes, ut ex eorum cœtu, pro varietate librorum, qui ad Congregationem deferuntur, idonei viri non desint ad ferendum de unoquoque judicium.

§ 14. Ipsos autem Relatores, Consultoresque, tam nunc existentes, quam in posterum quandocumque futuros, monemus, ac vehementer hortamur, ut in examine, judicioque librorum, sequentes Regulas diligenter inspiciant, accurateque custodiant.

§ 15. I. Meminerint, non id sibi muneris onerisque impositum, ut libri ad examinandum sibi traditi proscriptionem modis omnibus curent, atque urgeant; sed ut diligenti studio, ac sedato animo ipsum expendentes, fideles observationes suas, verasque rationes Congregationi suppeditent, ex quibus rectum judicium de illo ferre, ejusque proscriptionem, emendationem, aut dimissionem pro merito decernere valeat.

§ 16. II. Tametsi hactenus cautum sit, cavendumque deinceps non dubitemus, ut ad referendum et consulendum in prædicta Congregatione, ii solum admittantur, qui scientiam rerum, quas libri delati respective continent, diuturno studio acquisitam possideant; decet enim de artibus solos artifices judicare; nihilominus si forte eveniat, ut alicui per errorem materia aliqua discutienda committatur, ab illius peculiaribus studiis aliena, idque a Censore, aut Consultore electo, ex ipsa libri lectione deprehendatur; noveritis, se neque apud Deum, neque apud homines culpa vacaturum, nisi quamprimum id Congregationi, aut Secretario aperiat, seque ad ferendam de hujusmodi libro censuram minus aptum professus, alium magis idoneum ad id muneris subrogari curet: quo tantum abest, ut existimationis suæ dispendium apud Pontificem, et Cardinales passurus sit, ut magnam potius probitatis, et candoris opinionem, et laudem sibi sit conciliaturus.

§ 17. III. De variis opinionibus, atque sententiis in unoquoque libro contentis, animo a præjudiciis omnibus vacuo, judicandum sibi esse sciant. Itaque nationis, familiæ, scholæ, instituti affectum excutiant; studia partium seponant; Ecclesiæ sanctæ dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quæ Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, et Orthodoxorum Patrum, atque Doctorum consensu continetur, unice præ oculis habeant; hoc de cætero cogitantes, non paucas esse opiniones, quæ uni scholæ, instituto, aut nationi certo certiores videntur, et nihilominus, sine ullo fideli, aut religionis detrimento, ab aliis Catholicis viris rejiciuntur, atque impugnantur, oppositæque defenduntur, sciente, ac permittente Apostolica Sede, quæ unamquamque opinionem hujusmodi in suo probabilitatis gradu relinquit.

§ 18. IV. Hoc quoque diligenter animadvertendum monemus, haud rectum judicium de vero Auctoris sensu fieri posse, nisi omni ex parte illius liber legatur; quæque diversis in locis posita, et collocata sunt, inter se comparentur; universum præterea Auctoris consilium, et institutum attente dispiciatur; neque vero ex una, vel altera propositione a suo contextu divulsa, vel seorsim ab aliis, quæ in eodem libro continentur, considerata, et expensa, de eo pronunciandum esse: sæpe enim accidit, ut quod ab Auctore in aliquo operis loco perfunctorie, aut subobscure traditum est, ita alio in loco distincte, copiose, ac dilucide explicetur, ut offusæ priori sententiæ tenebræ, quibus involuta pravi sensus speciem exhibebat, penitus dispellantur, omnisque labis expers propositio dignoscatur.

§ 19. V. Quod si ambigua quædam exciderint auctori, qui alioquin Catholicus sit, et integra religionis, doctrinæque fama, æquitas ipsa postulare videtur, ut ejus dicta benigne, quantum licuerit, explicata, in bonam partem accipiantur.

§ 20. Has porro, similesque regulas, quæ apud optimos Scriptores de his agentes facile occurrent, semper animo propositas habeant Censores et Consultores; quo valeant, in hoc gravissimo judicii genere, conscientiæ suæ, auctorum famæ, Ecclesiæ bono, et Fidelium utilitati consulere . . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

§ 25. Quæ hactenus a nobis proposita, ac constituta sunt, Prædecessorum nostrorum decretis plane consona, Congregationum quoque nostrarum legibus, et consuetudinibus comprobata, in librorum examine, ac judicio instituendo, Apostolica auctoritate deinceps servari decernimus: mandantes universis, et singulis, qui in præfatis Congregationibus locum obtinent, seu illis quomodolibet operam suam præstant, ut adversus præmissa sic a nobis statuta nihil edicere, innovare, decernere, aut intentare præsumant, absque nostra vel successorum nostrorum pro tempore existentium Romanorum Pontificum expressa facultate.

§ 26. Non obstantibus contrariis quibusvis, etiam Apostolicis Constitutionibus, et ordinationibus, necnon earumdem Congregationum, etiam Apostolica auctoritate, seu quavis firmitate alia roboratis decretis, usibus, stylis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

§ 27. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrorum decretorum, mandatorum, statutorum, voluntatum, ac derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio, sep-

Digitized by Google

timo Idus Julii Pontificatus nostri anno tertio decimo.

D. Card. Passioneus.
J. Datarius.

VISA
De Curia J. C. Boschi.
L. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.
Registrata in Secretaria Brevium.

(16. De aliis quæstionibus circa prohibitionem librorum vide Auctorem verb. *Libri prohibiti.*

CONGREGATIO RITUUM.

(17. Quamvis unitas, uti Nota veræ Ecclesiæ, potissimum sita sit in uniformi professione Fidei, et in eorumdem Sacramentorum administratione; ac quamvis disciplina non sit per se Ecclesiæ unitatis fundamentum; sunt tamen quædam præcipua disciplinæ capita, in quibus concordia indicta fuit ut essent tamquam ejusdem unitatis argumenta; unde ipsa unitas notis adhuc uberioribus accedentibus, demonstraretur, magisque palam cognosceretur. Inter ea præsertim Sacros Ritus annumerare non dubitamus, cum enim Religio in recta doctrina fidei et morum, ac in interiori et exteriori Divinitatis cultu posita sit, oportebat profecto Ecclesiam et præcipue ejus caput Romanum Pontificem, cui vi sui Primatus unitatis servandæ curam pertinet, Sacrarum Cœremoniarum ac rituum, qui externum cultum respiciunt, concordiæ providere. Quapropter Pontifices a primis Ecclesiæ temporibus omni studio contenderunt rituum unitatem servare; et parum abfuit quin Victor in Pascatis quæstione Asianos Episcopos *concordiam cum Ecclesia servare nolentes* Ecclesiæ communione privaret. Quam Victoris sententiam Concilium Antiochenum anno 341, can. 1, ac Nicænum Epist. Constantin. apud Euseb. de vita Constantin. 1, 3, c. 16, 17, 18, et Theodoret. H. E. lib. 1, c. 10, ratam esse voluerunt. Innocentius I in Epist. I ad Decentium Eugubinum hæc habet : « Si instituta Ecclesiastica, ut sunt ab Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus, et consecrationibus haberetur; sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc existimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis, vel Ecclesiis, aut teneri, aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putant sibi, aut Ecclesias non convenire, aut ab Apostolis, vel ab Apostolicis viris contrarietatem inductam. Quis enim nesciat, aut non advertat, id quod a Principe Apostolorum Petro Rom. Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? præsertim cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Africam, atque Siciliam, insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerunt Sacerdotes aut legant, si in iis provinciis invenitur alius Apostolorum, aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos sequi hoc, quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non est dubium, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. Sæpe dilectionem tuam ad Urbem venisse, ac nobiscum in Ecclesia convenisse, et quem morem, vel in consecrandis mysteriis, vel in cæteris agendis arcanis teneat cognovisse non est dubium; quod sufficere ad informationem Ecclesiæ tuæ, vel reformationem, si prædecessores tui minus aliquid, aut aliter tenuerunt, satis certum haberem, nisi de aliquibus, consulendos nos esse duxisses. Quibus idcirco respondemus, non quod te aliqua ignorare credamus, sed ut majori auctoritate vel eos instituas, vel, si qui a Romanæ Ecclesiæ institutionibus errarent, ut commoneas, aut indicare non differas, qui sint, qui aut novitates inducant, aut alterius Ecclesiæ quam Romanæ, existimant, consuetudinem esse servandam. » Alia plura de hac disputatione vide Bellar. de bon. oper. lib. 1, v. 2. Bonam de Div. Psalmod. c. 4 et seq. Hugon. Menard. ad Sacram. S. Greg. M. p. 273. Martenium. de ant. Eccl. rit. l. 4, c. 1. Emman. de Azvedo Exercitat. Liturgio. Romæ 1750. Petrum Lazeri Diatrib. Romæ edita 1777.

(18. Tridentini denique Patres hanc veterem disciplinam inspectam habentes Summo Pontifici Ecclesiasticarum cœremoniarum sacrorumque Rituum Reformationem commendarunt; Sess. 25, in fin. et Sixtus V, Concilii voto satisfacere cupiens, novam Cardinalium Congregationem instituit, cui sacrorum Rituum provinciam commisit. Hæc sunt ejus verba : « Jam vero cum sacri ritus et cœremoniæ, quibus Ecclesia a Spiritu Sancto edocta ex Apostolica traditione, et disciplina utitur in Sacramentorum administratione, divinis officiis, omnique Dei, et Sanctorum veneratione magnam Christiani populi eruditionem, veræque Fidei protestationem contineant, rerum sacrarum Majestatem commendent, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant, et devotionis eam igne inflamment : cupientes filiorum Ecclesiæ pietatem, et divinum cultum sacris ritibus, et cœremoniis conservandis instaurandisque magis augere. Quinque itidem Cardinales delegimus quibus hæc præcipue cura incumbere debeat, ut veteres ritus sacri ubivis locorum, in omnibus Urbis, Orbisque Ecclesiis, etiam in Cappella nostra Pontificia, in Missis, divinis Officiis, Sacramentorum administratione, cæterisque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis personis diligenter observentur, cœremoniæ si exoleverint, restituantur, si depravatæ fuerint, reformentur, libros de sacris ritibus, et cœremoniis, in primis Pontificale, Rituale, Cœremoniale, prout opus fuerit, reforment, et emendent, Officia divina de Sanctis Patronis examinent, et Nobis prius consultis, concedant. Diligentem quoque curam adhibeant

Digitized by Google

circa Sanctorum canonizationem, festorumque dierum celebritatem, ut omnia rite, et recte, et ex Patrum traditione fiant, et ut Reges, et Principes, eorumque Oratores, aliæque personæ, etiam Ecclesiasticæ, ad Urbem, Curiamque Romanam venientes, pro Sedis Apostolicæ dignitate, ac benignitate honorifice more majorum excipiantur cogitationem suscipiant, seduloque provideant. Controversias de præcedentia in processionibus, aut alibi, cæterasque in hujusmodi sacris ritibus, et cœremoniis incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent, et componant. » Const. 117, pag. 395, tom. 4, part 4, Bullar. Mainard.

(19. Duplex quodammodo videtur ista Congregatio, una ordinaria pro Ritibus Ecclesiasticis, aut pro finiendis controversiis præeminentiarum; alia extraordinaria pro beatificatione ac canonizatione Sanctorum atque cultum quorumdam servorum Dei. Sed Cardinalibus, ex quibus constat prima etiam in secunda convenientibus, solum differt numerus Prælatorum. In prima congregantur tantum Consultores, inter quos Magister Sacri Palatii et Sacrista Papæ, quibus perpetuo hoc munus ex officio committitur, unusque demum ex Pontificiis Magistris cœremoniarum. In altera vero, præter supradictos, conveniunt quoque Promotor fidei, cui adnexum solet esse officium Advocati fiscalis tres antiquiores Rotæ Auditores, unus ex Protonotariis Apostolicis ex numero participantium; et alii Theologi, quos Consultores vel respective Qualificatores dicunt; demum probatissimi ac periti medici, aliique professores, ut disceptare possint an illæ operationes quæ miraculis referuntur, supernaturales revera sint. (20. Sed ad beatificationem et canonizationem Sanctorum quod attinet, apud Auctorem reperies in articulo *de Cultu sanctorum*. (21. Ordinaria igitur SS. RR. Congregationi officium in eo præcipue constituitur, quod veteres ritus sacri ubivis locorum in Missis, divinis Officiis, Sacramentorum administratione, cæterisque divinis officiis ab omnibus observentur, ut loquitur Bulla Institutionis. Nam antiquitus cuique Episcopo curas liturgiæ in sua Ecclesia erat commissa, unde liturgia S. Basilii, S. Jo. Chrysostomi, S. Ambrosii, etc., reperitur. Postea vero Pius V voluit ut idem Ordo Romanus servaretur ab omnibus, exceptis Religiosis, quibus uti suis privilegiis concessit. Occurrunt etiam in hac Congregatione negotia contentiosa inter partes; et tam in his, quam in gratiosis seu pacificis Congregatio summarie ac extrajudicialiter procedi, prævis extrajudicialibus informationibus ab Ordinario loci vel superiori Regulari, respective. Omnesque expeditiones et provisiones gratis conceduntur. (22. Vide de aliis Card. de Luca lib. 15, par. 2, Rel. Curiæ Disc. 18, p. 275 edit. Venet. 726.

CONGREGATIO IMMUNITATIS.

(23. De jure asyli et immunitatis Ecclesiasticæ dicere omittentes, de quo loquitur auctor in proprio loco, disceptabimus tantum de Congregaqone ad illud illæsum servandum instituta. Hoc factum est circa initium Pontificatus Urbani VIII. cujus tamen institutionis Bulla deperdita videtur. (24. Cardinalibus hujus Congregationis adjuncti fuere nonnulli Prælati, in quibus annumerantur unus ex Rotæ Auditoribus, unus ex Clericis Cameræ, Advocatus fiscalis, et alii ex dictis Rotæ et Cameræ Tribunalibus assumi soliti ad beneplacitum Pontificis. (25. Ista Congregatio solum agit de materiis concernentibus Ecclesiasticam jurisdictionem; curat ne illius exercitium a Magistratibus sæcularibus usurpetur; atque cognoscit causas de triplici immunitate locali, personali, reali. Agit etiam extrajudicialiter, uti de aliis diximus; nihil exigit pro expeditionibus, cæterisque actibus; et scribit per epistolas familiares Ordinariis locorum, vel Nuntiis Apostolicis, aliisque Ecclesiasticis Prælatis propter informationes super recursibus et executione suorum decretorum ac resolutionum. Vide Card. de Luca loc. cit. disc. 18.

CONGREGATIO FABRICÆ.

(26. Julius II. cum animum intendisset ad Vaticanam Basilicam pene collabentem restaurandam, plurimas indulgentias, aliaque bona Ecclesiastica iis qui eleemosynis dictæ Basilicæ reædificationi occurrerent, concessit; propterea quot commissarios citra et ultra montes, quorum munus esset pias fidelium oblationes colligere, deputavit. Const. 28. *Liquet omnibus* t. 3, Bullar. Mainard. pag. 313.

Et Leo X. administratoribus dictæ Rev. Fabricæ amplas indulsit facultates adimplendi pia Legata, et ex eis aliquam partem ipsius restaurationi applicandi. At Clemens VII. aliquas ex dictis concessionibus abrogans, Collegium 60 virorum pro meliori administratione Basilicæ Fabricæ instituit; Const. 3, Clemens VII. *Admonet nos*, pag. 31, tom. 4, part. 1. Bullar. eisque super causis ad Fabricæ rem privilegiaque pertinentibus judiciali jurisdictione concessa, ut legatorum piorum executioni providerent injunxit. Pius IV facultatem concessit cogendi Notarios ad traditionem exemplarii instrumentorum, post annum obitus testatoris. Const. 76. Bullar. tom. 4, p. 2, pag. 151. Pius V. quatuor editis Constitutionibus, priorum Pontificum Concessionibus alias majores addidit. Const. 108. pag. 55. Bullar. Const. 130, pag. 88. Const. 131, pag. 89. Const. 132, pag. 90, tom. 4, pag. 3. Sixtus V, cum Cardinali Basilicæ Vaticanæ Archipresbytero jurisdictiones aliquas concessisset, suprematiam in laudatæ Fabricæ Collegio, aliasque indulsit facultates. Sed Clemens VIII. demum erexit dictæ Fabricæ Congregationem, quæ constat ex competenti numero Cardinalium, pro Papæ beneplacito, adjunctis Cameræ Auditore, Thesaurario Generali, Pontificiæ

Digitized by Google

domus Præfecto, uno ex Rotæ Auditoribus, uno ex Clericis Cameræ, aliisque nonnullis Prælatis. His adde aliquos *Officiales* ex Prælatorum vel togatorum numero assumi solitos, nempe Judicem Ordinarium, OEconomum generalem, Secretarium Congregationis, denique Defensorem et Procuratorem fiscalem. (27. Referam ex Cardinale de Luca loc. citat. disc. 20. Officia et munia Rev. Fabricæ Congregationis : Circa plura itaque hujus Congregationis, ejusque officialium munus versatur. Primo nempe circa dictum exequutoris, et curatoris dispositionum, quæ ad pias causas factæ sint, ut suum sortiantur effectum, fructus decursos sibi applicando, ut istud Fabricæ opus, loco illorum operum vel suffragiorum, quæ fieri debebant, ex ecclesiastici thesauri plena potestate Apostolica succedat. Secundo, ut exigat, sibique applicet pias dispositiones incertas, sive ad incerta pia opera factas. Tertio, ut pariter exigat, sibique applicet illa legata, quæ facta sint pro certo opere individuo, pro quo bona relicta non sufficiant, ne alias cum indebito hæredis lucro, apud eum bona remaneant. Et quarto, quod ubi Ecclesiæ, seu loca, aut personæ, quarum favore dispositio facta sit, ex instituto capaces existant (ut ex. gr.) sunt Capuccini, et Minores observantes, ac etiam Jesuitæ quarti voti, eorumque Domus professæ, et similes, tunc Fabrica totam dispositionem sibi ipsi applicet, sive cum quibusdam compositionibus partem accipiat, et partem remittat. » Vide ipsum Cardin. de Luca sub tit. de Testamentis et Codicillis lib. 9, part 1, disc. 23, et de Fideicommissis, Primogenituris et Majoritatibus lib. 10, disc. 108, de Legatis lib. 11, p. 1, disc. 27, et de Regularibus et Monialibus lib. 14, p. 1, disc. 63.

Cum vero Vaticanæ Basilicæ, totius Orbis præstantissimæ, ædificatio jam perfecta esset, tantæ molis conservationi Rom. Pontif. consulere semper curæ fuit; quapropter omni studio tam Congregationis, quam Rev. Fabricæ privilegia nonnulla conservare contenderunt. (28. Et Benedictus XIV. Congregationem *in Generalem* et *Particularem*, uti facilius cuique negotio vacare posset, divisit; Const. 53. *Quanta Curarum* tom. 3. Bullar. hujus Pontif. Illa ex omnibus Eminentissimis Patribus et Præsulibus supra memoratis constat, contentiosamque Jurisdictionem super causis Rev. Fabricæ pertinentibus exercet; Nicolai de Vatic. Basil. D. Petri lib. 4, cap. 1, § in ista vero Eminentissimus Præfectus, tres alii Eminentissimi Patres, OEconomus, Secretarius, Judex Ordinarius tantum conveniunt, reique œconomicæ consulendæ causa.

(29. Recensemus hic ex integro resolutiones quasdam, et edicta hujus Rev. Fabricæ Congregationis; ut quanta sint ejus privilegia, et jura videre possis.

RESOLUTIO 1128.

Declarationes privilegiorum Rev. Fabricæ D. Petri factæ ab illmis deputatis an. 1579.

Hieronymus Matthæus Curiæ, etc. Deputati Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe totum collegium repræsentantes, etc. Dilecto filio Melchiori Reviliono Commissario et Secret. Rev. Fabricæ in Regno Neapolitano, ac aliis dictæ Fabricæ Commissariis præsentibus et futuris salutem.

« § 1. Accepimus vos in prosecutione causarum Fabricæ, ac Legatorum piorum exactione, multas reperiisse difficultates, multaque vobis circa nonnullas facultates nostras objici dubia, quæ non modicam et causarum expeditioni, et jurisdictioni afferunt perturbationem. Nos igitur, ut par est; in præmissis opportune providere volentes, ex facultate et auctoritate declarandi, interpretandi, ac decidendi facultate, ad tollendas omnes ambiguitates et exceptiones, quæ circa privilegia Fabricæ, et facultates nostras oriri possunt, et fieri contingunt per præsentes, ut infra declarabimus.

« § 2. Et quoniam alias fuit præcipue dubitatum, utrum bulla fel. rec. S. Pii V. quæ incipit : *Exigit*, sub datum Rom. an. Inc. 1569. 11. Kal. Jan. Pontificatus sui an. quarto, esset intelligenda indistincte de omnibus legatis piis, vel potius de tribus speciebus tantum, nempe de legato facto pro celebratione missarum, pro celebratione divinorum officiorum, et pro erogatione eleemosynarum, ex generalitate verborum bullæ resolvendum duximus indistincte, intelligi debere, ac per eam comprehendi quodcumque legatum piumlocis piis in quibusvis dispositionibus piis expressis, ac nominatis tam cum onere celebrationis missarum ac recitationis divinorum officiorum, quam absque alio onere, et ex quacumque alia causa pia factum. De legatis igitur seu fideicommissis piis, locis certis, ac in testamento, seu quacumque alia dispositione pia et donatione inter vivos expressis, et ex quavis causa factis tam cum onere, quam absque onere quomodolibet de quibuscumque ecclesiis, hospitalibus, piis locis, nullo penitus excepto, nisi specialiter a Summo Pontifice, ac a Sede Apostolica, et tunc juxta formam suorum privilegiorum exempta existant factis, Commissarii Fabricæ post annum a morte testatoris, si aliud tempus a testatore ipso limitatum non reperiatur, usque ad triennium completum quintam partem juxta dispositionem literarum in forma Brevis fel. rec. Leonis X. sub datum Romæ die 16. Dec. 1514. anno ejus Pontificatus secundo, et post triennium medietatem in vim bullæ S. Pii V. supra proxime relatæ, si et postquam alias quatuor quintas partes, seu medietatem alteram locis piis, quibus legatum fuit,

Digitized by Google

solvi aut assignari fecerint, pro Fabrica exigant ac recuperent.

« § 3. Hoc autem non intelligitur nisi de legatis pro una vice tantum factis; quod si legatum pium perpetuum erit, et occasione legati pio loco facti, certum quid faciendum, vel solvendum sit, sic standum, duximus : ut si quod annuatim absque onere solvendum erat, insolutum, ac inexactum reperiatur, quinta pars seu medietas, ut supra, de legatis certis pro una vice tantum factis dictum est, si vero cum quovis onere annua solutio fieri debeat, nempe pro celebratione missarum, divinorum officiorum, maritagio puellarum incertarum, distributione pauperum in genere, et alia hujusmodi, totum quod decursum est, et non solutum, vel non distributum pro Fabrica exigatur; et de cætero testatoris voluntas observetur non diminuta in aliquo sorte principali ipsius legati, et hoc ut legatorum perpetuorum vitetur extinctio.

« § 4. Legata incerta pauperibus in genere seu pro maritandis puellis, ut supra, facta, etiamsi perpetua sint, utpote si certum prædium, vel certa summa in bonis stabilibus, seu alias investienda relinquatur, ita ut omnes inde provenientes fructus in eleemosynas pauperum, ut præfertur, incertorum, seu pro maritandis puellis erogentur, nec alicui certæ personæ, vel loco jus aliquod ex dispositione testatoris in proprietate acquiratur in totum vigore Bullæ fel. rec. Pauli III. sub datum Romæ anno Incar. 1536. 6. Idus Augusti anno sui Pontificatus primo, aliorumque ejus prædecessorum pro Fabrica exigantur.

« § 5. Legata vero incerta intelligimus quando non sunt expressa propria nomina personarum vel locorum, et si ad arbitrium executorum, vel aliorum sint relicta. Nam sic intellexisse Summos Pontifices indicant literarum apostolicarum verba illa, propriis nominibus personarum non expressis.

« § 6. Legata pia etiam incerta, ac vigore facultatum Fabricæ applicata censemus legata pia facta personæ seu loco pio incerto, vel incapaci, ac omnia ea quæ a locis vel personis, quibus legatum est, postquam legitime apparuerit ea repudiata, vel propter onus injunctum vel alia quavis ex causa, vel citati fuerint ad declarandum an legatum sibi factum acceptare velint, expresse repudiata sunt, aut per eorum contumaciam per Judicis decretum dictis locis aut personis intimatum, Fabricæ applicata, nam ex hujus dispositione legata pia certis locis aut personis facta (quæ ex speciali privi egio caduca numquam fiunt) si non acceptentur, ex post acto incerta redduntur.

« § 7. Si legatum incertum pro maritandis puellis sit, mediante nominatione eorumdem nubilium tantum, et non aliter certificatur, ac applicatum puellæ dotandæ, ante litem motam per Commissarium Fabricæ legitime cautum, et non solutum sit, nullo modo pro Fabrica exigatur, quia quantum ad hæredes legatum habuit effectum suum; etiam quod nuptiæ quarum causa legatum fieri contingit, differentur, non debet præjudicio esse puellæ dotandæ. Si vero nominatio facta non sit, sive puella nominata moriatur, legatum pro Fabrica exigatur.

« § 8. In omnibus legatis piis illud observetur, ut ante annum, seu alium terminum a testatore limitatum, minusque ante conditionis implementum non exigantur, omisso in hoc Fabricæ privilegio, quod etiam ante annum, et ante tempus a testatore limitatum, et ante conditionis implementum exigi potest.

« § 9. Legata etiam incerta, maxime pro exoneratione conscientiæ relicta, ita sunt Fabricæ applicata, ut etiam exacta ab Ordinariis sibique applicata sindicari possint. Idcirco ipsis Ordinariis omnino inhibetur, ne de cætero in ipsis legatis se intromittant, sed eadem pro Fabrica in totum exigantur.

« § 10. Volumus autem ad evitandam confusionem, præmissorum omnium declarationem sibi vindicare in causis de cætero finiendis, ac in sententiis in futurum tantum proferendis; determinatis autem, ac decisis huc usque, etiam in prima instantia, firmis, et ratis manentibus. In quorum omnium, et singulorum fidem has per nos, et Secretarium nostrum infrascriptum subscriptas fieri, sigillique nostri jussimus appensione muniri. Datum, etc. »

RESOLUTIO 1233.

Aliæ declarationes Privilegiorum Rev. Fabricæ S. Petri factæ ab illmis deputatis an. 1589.

« § 1. Horatius Burghesius utriusque juris, etc., et deputati.... ad quorum notitiam pervenit quampluries hæsitari, et dubitari a Ministris, Judicibus, et Commissariis Rev. Fab. quænam legata relicta incapacibus, et legatariis et hæredibus nolentibus legata et hæreditates acceptare, spectent et pertineant ad Rev. Fab. D. Petri. Propterea vigore Privilegiorum dictæ Rev. Fab. ac Collegio concessorum, in quibus dispositum reperitur, occurrentium interpretationem dubiorum dictorum privilegiorum ad nos, et pro tempore Collegii Præfectos spectare et pertinere, harum seriis quibuscumque significamus et declaramus.

« § 2. Omnia legata, hæreditates, donationes, et alias quascumque dispositiones ad et in favorem Fratrum Cappuccinorum, ac Minorum majoris observantiæ, et quorumcumque aliorum Regularium, sive Clericorum Sæcularium, quibus ab instituto Regulæ habere et possidere bona etiam in communi prohibitum est; Omnia legata, hæreditates, et donationes, nedum in vim institutionis, sed etiam substitutionis et Fideicommissi eisdem facta, et factas ad Rev. Fab. spectare, et pertinere, ac spectavisse et pertinuisse, sicque privilegia, et facultates ultra eorum literalem sensum, consuetudine interpretativa ita declarata, ac pronunciata fuisse,

Digitized by Google

prout etiam nos ex tunc declaramus et pronunciamus.

« § 3. Quod idem facimus occasione et causa quorumcumque legatorum, et hæreditatum, piorum tamen quibusvis personis ac locis relictorum, et in casum recusationis, et non aditionis Legatorum, et hæreditatum respective, quæ ex causa recusationis, et denegatæ aditionis sunt incerta, et ex privilegio piæ causæ omnino in alium usum sunt convertenda. Propterea illa tam vigore privilegiorum dictæ Rev. Fab. concessorum, quam etiam vi consuetudinis interpretativæ, ea et eas occurrentibus casibus Rev. Fab. applicamus, et incorporamus.

« § 4. Et quoniam sæpe contingit quam plura Legata a piis Testatoribus fieri ad effectum celebrationis missarum, recitationis divinorum officiorum, et erogationis eleemosynarum, quæ cum mora et negligentia, ac avaritia hæredum vel legatarii executa non fuerunt; Propterea Pius V. Sa. Me. elapso triennio a die obitus testatoris, eorumdem legatorum dimidium Rev. Fab. reliquum pio loco, cui legatum factum est, applicavit et incorporavit, ut in ejus Motu-proprio sub dat., etc. Illincque observatum fuit quod data morositate hæredis, et legatarii non petentis; adhuc non elapso triennio, quinta pars una cum omnibus annatis, ac fructibus ac expensis decursis, quæ ex quavis causa executionis legati pii fieri debuissent, ratione privilegiorum antiquorum dictæ Fab. concessorum, elapso autem triennio vigore dicti Motus-proprii nedum quinta, sed medietas hæreditatis et legati una cum dictis annatis, fructibus et expensis ratione præteriti temporis, et legati non executi decursis applicata et incorporata fuit. Propterea ne de prædictis ullo unquam tempore dubitari contingat, » etc.

ALIÆ DECLARATIONES PRIVILEGIORUM REV. FAB.

Factæ ab illmis deputatis ejusdem an. 1598.

Nos Marcellus Lantes, etc., et Deputati, etc... infrascripta declaranda ac interpretanda duximus, nempe.

« § 1. Quoniam juxta privilegia eidem Rev. Fab. de legatis hæreditatibus, et piis dispositionibus certis... quæ... adimpleta non fuerunt usque ad triennium, computandum a die mortis, quinta tantum pars ad Fab. spectat; lapso triennio... medietas debetur : declaramus hujusmodi medietatem pariter a die mortis dictorum testatorum et disponentium ipsi Fab. debitam esse, servandamque fore bullam fel. rec. Pii V, sub datum XI kal. Jan. 1569, quam generaliter de omnibus piis relictis intelligendum esse declaramus, et interpretamur, et prædicta etiam locum habere in similibus, quæ intra statutum a testatore et disponente tempus satisfacta non sunt, ut eo elapso, triennium intelligatur a die mortis testatoris.

« § 2. Annua vero pia legata, et disposita Locis, Ecclesiis, et Ecclesiasticis personis, certis et nominatis, cum onere celebrationis Missarum, divinorum officiorum, erogationis eleemosynarum, aut similium in perpetuum, aut ad certum tempus, seu statutis quibusdam diebus in anno, et hebdomada, pro quorum adimplemento bona, seu etiam redditus perpetui, aut ad tempus relinquuntur, et hæredum seu aliorum, quoad id quomodolibet obligati erunt aut tenebuntur, avaritia pro præterito adimpleta cum effectu non sunt, tunc reditus et relicta hujusmodi eo usque decursa et realiter non soluta Fabricæ debeantur. In futurum vero decurrenda ipsis legatariis cum onere injuncto applicentur, ut hactenus observatum est.

« § 3. Quando vero bona seu annui redditus, et introitus a Monasteriis, Capitulis, Capellanis, seu legatariis percepti et exacti sunt et percipiuntur, et exiguntur pro dicta celebratione Miss. et divin. officiorum in perpetuum aut ad tempus, ut super, et Missæ hujusmodi, ac divina officia in totum, vel in parte ab ipsis celebrata non fuerunt, vel celebrari desierunt, aut etiam minime celebrentur propter ipsorum legatariorum negligentiam, seu impotentiam, nempe quod major sit numerus missarum, ac divinorum officiorum, sic per negligentiam seu impotentiam omissorum, ad Fabricam ipsam devoluta esse declaramus, dantes facultatem Ministris a nobis deputatis, seu ab eis ad hoc specialiter substitutis, ut cum legatariis, aut aliis obligatis, ad quos spectat, si eis melius expedire videbitur, pro præterito tantum desuper componere valeant.

« § 4. Si autem ipsi legatarii, quibus a principio redditus et bona hujusmodi relicta sunt, ex instituto, et observantia regulæ, talium relictorum incapaces sunt, aut a principio quidem capaces existebant, sed propter regulæ mutationem incapaces effecti sunt, inhærendo dictæ Fab. privilegiis et declarationibus alias factis, præsertim sub die 18 Martii 1589, declaramus hujusmodi, quæ a principio personis incapacibus facta sunt, sive ex postfacto incapaces sunt redditi, non ad hæredes gravatos, seu alios obligatos spectare, seu uti caduca ab iis vindicari posse, sed ad Fab. ipsam nedum in vim institutionis, sed etiam substitutionis et fideicommissi, tamquam incerta effecta, spectavisse et spectare, et sub privilegiis ipsius Fabricæ comprehendi; prout etiam quæ forte ex quacumque causa a legatariis ipsis incapacibus recusata et non acceptata fuerunt, ac recusantur et non acceptantur.

« § 5. Similiter annua pia Legata pro pauperibus puellis nuptui tradendis, quæ amore seu alias ratione animæ non effectu sanguinis, aut remunerationis servitiorum facta erunt, si per aliquot annos ab hæredibus, aut aliis gravatis neglecta fuerint, nec effectualiter persoluta, seu deposita, et si forte per dictos hæredes, aut aggravatos hujusmodi puellar. electio facta foret pro annis et temporibus decursis ad Fab. ipsam pertinere declaramus. Decurrenda vero in futurum pro pauperibus hujusmodi puellis maritandis, etiam antea electis, ut præfertur, integra concedantur nisi in totum incerta essent, ita ut ad Fab. juxta privilegia omnino

Digitized by Google

spectarent, prout et eidem Fab. competunt omnia alia pia legata incerta, et maxime pro ablatis relicta, ita ut etiam ab Ordinariis locorum, si forte ad eos pervenerint, vindicari valeant juxta privilegia prædicta.

« § 6. Insuper quia, ut accepimus, sæpius pia hujusmodi Legata, et piæ dispositiones pro constructione Monasteriorum, Hospitalium, Capellarum, aut pro substentatione ecclesiasticarum personarum Sæcularium, seu Regularium tam virorum, quam mulierum similium, nec intra vel post triennium hæredes adimplere curant, ex quibus si quinta aut medietas detrahatur, opera ipsa aut in totum negliguntur, aut sine debita perfectione inchoata remanent; nec defunctorum voluntas, ut par est, observetur, quam ut huic incommodo, quantum fieri potest occurramus, ac hæredibus ac aliis obligatis omnis fraudis occasio auferatur, dum hujusmodi legatorum solutionem, et executionem procrastinare solent, ut interim dictorum relictorum piorum fructus percipiant, ad quorum restitutionem non teneri prætendunt, et per capital. solutionem satisfecisse Testatori voluntati contendunt, idcirco declaramus dictos hæredes, seu alios gravatos teneri, et obligatos existere ad fructus hujusmodi legatorum persolvendos a die mortis, quos realiter ex re legata, seu alias relicta perceperint, aut percipere potuerint, si res hujusmodi sua natura aut alias fructifera sit, ita tamen ut in posterum Fabricæ non quinta, aut medietas relicti, sed fructus ipsi talis relicti persolvantur, legatum vero ipsum integrum pro perfectione dicti pii relicti consignetur et reservetur.

« § 7. Præterea quia sæpe contingit pia hujusmodi legata et dispositiones pro constructione Monasteriorum, Hospitalium, seu Ecclesiarum, ac similium relictorum debitæ executioni demandari non posse propter aliquod facti vel juris impedimentum, quia nempe pecunia relicta ad constructionem Monasteriorum non sufficit, aut in loco a testatore designato ædificari non potest, seu etiam licentia ab Episcopo, seu alio superiori obtineri nequit, cum æquum non sit, ut pium opus hujusmodi propterea deseratur, sed potius in aliud de jure commutandum veniat; Declaramus ut gravatis certus competens terminus præfigatur arbitrio judicum pro impedimentis hujusmodi realiter, et cum effectu removendis, aut pro obtinenda a Sede Apostolica commutatione talis relicti pii, et dispositionis; quod si terminus elapsus, et impedimenta remota non fuerint, aut commutatio obtenta non sit, tunc legatum ipsum a Fabrica integraliter exigatur, perinde ac si ad Fabricæ utilitatem devolutio facta fuisset. »

ORDINI E PROVVISIONI

Da osservarsi dalli commissari della rev. Fabbrica di S. Pietro di Roma nello stato ecclesiastico.

(30. Sebbene la Sagra Congregazione della Reverenda Fabbrica di S. Pietro, istituita dai Sommi Pontefici per il precipuo oggetto d' invigilare per mezzo de' suoi Commissari, che siano prontamente, e fedelmente adempite le ultime volontà de' pii Testatori, e qualunque Contratto, o Disposizione in favore di Causa pia, abbia in diversi tempi per conseguire un tal fine, e particolarmente fin sotto il dì 31. Agosto 1650., fatte pubblicare diverse regole fondamentali, desunte dalla chiara disposizione delle Costituzioni Apostoliche, sulla di cui traccia dovessero caminare i medesimi Commissarî per la retta definizione delle Cause, e per mantenere il pio Tribunale in quell' aspetto di pietà, che in modo speciale ha sempre professato, anche a vantaggio delle Famiglie gravate del peso, dell' Opere pie; nulladimeno riconoscendo la stessa Sagra Congregazione, che quanto più sono efficaci i mezzi, che vengono prescritti, tanto più facilmente si va ad ottenere il fine, al quale sono diretti; ha deliberato di pubblicare ora gl' infrascritti nuovi Ordini, appieno persuasa, che l' esatta loro osservanza potrà conferire moltissimo a precludere l' adito agli Eredi, e Legatarî di far abuso delle rendite destinate per i suffragi ai Fedeli Defonti, e per l' esecuzione di qualsivoglia Disposizione in favore di Causa pia, ed insieme per mantenere vigilanti i Commissarî nell' adempimento del loro Offizio.

I. Non dovrà esser permesso ad alcun Commissario di fissare il suo domicilio fuori delle Città, e Luoghi assegnatigli nella Patente per l' esercizio di sua giurisdizione; ma sarà tenuto, ed obbligato di risedere dentro i confini della sua Commissaria, onde gli riesca più facile di visitare le dette Città, e Diocesi, per riconoscere se restino adempiti i Legati, e Disposizioni pie; e succedendo che per una qualche causa si trovi costretto di trasferire altrove il suo domicilio, ritornerà immediatamente la Patente alla S. Congregazione, acciocchè si possa provedere la carica d'altro Soggetto.

II. Ogni Commissario dovrà esercitare il suo Offizio per se stesso, ni più gli si concederà licenza in avvenire, che possa deputare altra persona in sua vece, anche a suo rischio e pericolo; essendo mente espressa della S. Congregazione di voler perpetuamente aboliti i Pro-Commissarî, riconosciuti piuttosto dannosi, che utili al Tribunale. Che se per motivo d' abituale indisposizione di salute, o di provetta età si trovasse il Commissario impedito di poter personalmente più esercitare il suo Offizio, si proverà allora al bisogno, e potrà anche in tali casi il medesimo supplicare la S. Congregazione, affinchè gli si deputi un Coadjutore; e accordandosi la grazia, dovrà il Coadjuto esser contento di percepire la sola metà degli emolumenti della carica, scomputate però tutte le spese, e l' altra metà dovrà liberamente appartenere al Coadjutore, che assumesse l' esercizio dell' Offizio.

III. Alli Commissarî, cui manca la podestà legislativa, non sarà permesso far affigere, e pubblicare senza l' espresso preventivo oracolo della S. Congregazione alcun Editto

Digitized by Google

penale; ma dovendo visitare i Luoghi soggetti alla sua giurisdizione per riconoscere l' adempimento di tutte le Disposizioni, e Legati pii, saranno contenti di far affiggere, e pubblicare una Notificazione stampata della sua Visita, per rendere prevenuti, ed intimati tutti i singoli Parochi, Notari, Archivisti, e altri Conservatori di Scritture a dover dare le necessarie notizie delle Disposizioni, e Legati pii, come altresì i Rettori, ed Amministratori di Chiese, e Luoghi pii tanto Secolari, che Ecclesiastici, e Regolari a dover esibire le Vacchette e Libri degli obblighi di Messe, ed altri pii Legati nella forma già prescritta nell' ultimo Editto generale promulgato ai 12. Agosto del corrente anno 1788. ed in seguito pubblicate in tutte le Città, e Luoghi dello stato Ecclesiastico per ordine della stessa Sagra Congregazione, ed anche per oracolo espresso della Santità di Nostro Signore Papa Pio VI, felicemente regnante. Ed affinchè in avvenire abbiano tutti i Commissarî una certa regola, e siano fra loro uniformi nel metodo da osservarsi nella pubblicazione ed affissione di tal Notificazione, sarà cura di Monsignor Economo, e Segretario della Sagra Congregazione di fargliene giungere un esemplare, dal quale non dovranno essi in verun modo discostarsi.

IV. Si commette bensì e s'inculca ai Commissarî d' efficacemente operare, affinchè il menzionato Editto dei 12 Agosto 1788, venga in tutte le sue parti inviolabilmente, e perpetuamente osservato, dovendo servire come di fondamento a preparare i Giudizî necessarî ad introdursi contro gli Eredi, Luoghi pii, o altre persone obbligate all'adempimento delle Disposizioni, e Legati pii. Quindi dovrà ogni Commissario seguendo le provide intenzioni della Sagra Congregazione, autorizzate con espresso oracolo Pontificio, procedere irremisibilmente all' esecuzione delle prescritte pene contro i trasgressori; e ritrovando per parte di qualsivoglia altro Tribunale, o di qualunque Persona ostacoli, ed impedimenti all'esercizio del proprio Officio, o che si commettino frodi per eludere la disposizione del riferito Editto, ne renderà immediatamente intesa la stessa Sagra Congregazione, e suo Eminentissimo Signor Cardinal Prefetto; affinchè per le vie più sollecite ed efficaci si possa a quanto occorra provedere.

V. Allorchè il Commissario avrà ricevuto dai Notari ed Archivisti, o avrà in qualsivoglia guisa acquistato le notizie di Disposizioni, e Legati pii inadempiti; dovrà esser sollecito di far citare nel suo Tribunale per mezzo del Procuratore Fiscale della Rev. Fabrica, addetto allo stesso suo Tribunale il Debitore della Disposizione, o Legato pio a giustificare il seguito adempimento, ovvero il Detentore de' beni Ecclesiastici nullamente alienati ad esibire il riportato Beneplacito Apostolico per la convalidazione della seguìta alienazione; e non adempiendo il Reo convenuto dentro il termine, che di ragione gli sarà prefisso alla sua obbligazione, procederà senza ritardo alla spedizione della Causa, applicando in benefizio della Rev. Fabrica quelle quote, che le saranno dovute nei rispettivi casi a norma dei suoi Privilegî.

VI. Siccome poi l' esperienza ha fatto conoscere, che spesse volte il Reo convenuto in prima istanza avanti il Commissario, affine di dilazionare il Giudizio, e trattenere la spedizione del Mandato, è solito ricorrere al sotterfugio d' allegare la declinatoria del Foro, o domandare la pretesa circoscrizione degli atti con citazioni fatte eseguire avanti il Tribunale della Signatura di Giustizia di Roma; così per troncare simili abusi, e cavillazioni, introdotte dalla malizia de' Debitori in grave danno non meno delle loro coscienze, che delle Anime de' Defonti a motivo de' ritardati suffragi, notifica la S. Congregazione, che le Citazioni eseguite, come sopra, potranno essere impunemente disprezzate, ancorchè si trovassero segnate di propria mano di Monsignor Uditore della Segnatura; essendo stato già dichiarato con Breve speciale della fel. mem. di Giulio PP. III. pubblicato sotto il dì 20. Luglio 1552, che quel Tribunale non può inibire, nè esercitare verun atto di giurisdizione sopra il Tribunale della R. Fabrica di S. Pietro, e nelle Cause concernenti il particolare interesse della medesima.

VII. Così ancora potranno impunemente disprezzarsi le dette Citazioni, ancorchè fatte eseguite avanti i Giudici deputati dalla stessa S. Congregazione, seppure non fossero state segnate di propria mano dell' Eminentissimo Signor Cardinal Prefetto-met della Sagra Congregazione della Rev. Fabrica di S. Pietro, o di lui particolar Uditore: Dichiarando bensì che dovranno esser attese tutte quelle Citazioni, ancorchè non segnate, e sottoscritte come sopra, colle quali si domandasse la purgazione degli attentati, ovvero si facesse istanza per la remissione della Causa al Tribunale di Monsignor Giudice della Rev. Fabrica, a motivo del privilegio competente al Reo convenuto di poter vedere la Causa in prima istanza in Curia in vigore della *Leg. Unic. Cod. quando Imperat. inter Pupil., et Vid.*

VIII. Nella decisione delle Cause, nelle quali potrà cader dubbio, o questione sull' intelligenza, e interpetrazione, d' un qualche Privilegio della Rev. Fabrica, non dovranno i Commissarî scostarsi dalle dichiarazioni più volte fatte, e pubblicate dalla Sagra Congregazione, delle quali è facile di aver notizia dal Compendio dei Privilegî di detta Rev. Fabrica compilato dal *Vespignani*: Ed incontrando il Commissario una qualche grave difficoltà nella Causa, per cui si trovi dubbioso a deciderla, potrà interpellarne la Sagra Congregazione, la quale per mezzo del suo Monsignor Economo, e Segretario lo renderà instrutto di ciò, che sarà riconosciuto più coerente alla giustizia, ed alla pratica del Tribunale.

IX. Se il Reo convenuto, dopo aver patito il Decreto definitivo, o Sentenza di condanna, rielamerà nel Tribunale di Monsignor Giu-

Digitized by Google

dice della Rev. Fabrica per esser sentito, e rivedere la Causa in grado d' Appellazione, sarà tenuto il Commissario di renderne intesa la Sagra Congregazione per mezzo di Monsignor Economo, e Segretario; e se sarà riconosciuto, che la Causa vertente o sopra il negozio principale, o anche sopra un qualche incidente, meriti di essere sostenuta, se ne assumerà la difesa a proprie spese della Rev. Fabrica, ed il Commissario, che ne resterà sgravato, rilascerà da qui innanzi ne' suoi conti annuali per le suddette Cause fatte difendere dalla Rev. Fabrica a suo proprio conto, due delle cinque parti dell' emolumento tassato a favore del medesimo Commissario nella somma di Scudi venti per cento, allorchè sarà per percepire detto emolumento; e ciò per dare alla stessa Rev. Fabrica un qualche compenso di quelle spese, che assume sopra di se, ancorchè non obligata, nella difesa in Curia di quelle Cause, che sono state introdotte in prima instanza nel Tribunale dei medesimi Commissarî. Nel caso poi, che si riconoscesse mal fondata per parte della Rev. Fabrica la pretensione dedotta in giudizio, non solamente si ricuserà di accettare la difesa della Causa, ma inoltre dovrà esser prohibito al Commissario di proseguirla, anche a sue proprie spese.

X. Che se il Debitore dopo il sofferto Decreto, o Sentenza definitiva di condanna, o ancor prima, riconoscendo, e confessando il suo debito, domanderà al Commissario un competente termine per ricorrere, ed ottenere la graziosa Composizione dalla Sagra Congregazione della Rev. Fabrica, gli si dovrà accordare colla prefissione d' un Mese a spedire la detta Composizione, spirato il qual termine, se il Debitore non avrà riportata altra proroga dalla stessa Congregazione sarà tenuto il Commissario di procedere ulteriormente in Causa; e non esibendo il Debitore negli atti alcun Documento o per giustificare la detta proroga, o d' aver impetrata la Composizione coll' effettivo Deposito fatto a favore della Rev. Fabrica, rimarrà sottoposto all' esecuzione del Mandato, ed alla successiva subasta, e delibera de' Beni esecutati: avvertendo, che il termine accordato al Debitore per ricorrere alla Sagra Congregazione della Rev. Fabrica, come sopra, dovrà sempre risultare dagli atti del processo della Causa, ne si dovrà mai concedere in voce, e sulla buona fede, e parola del Debitore. Ed affinchè non debba il Commissario trascurare l' esatta osservanza di questa ordinazione, diretta al provido fine, d' evitare le frodi, e le collusioni, sarà tenuto di spedire a Monsignor Economo, e Segretario in fine d' ogni tre Mesi una Nota sottoscritta di tutti i suriferiti Decreti di prefissione di termine, e sotto la propria sottoscrizione vi farà apporre ancor quella del suo Cancelliere.

XI. In quelle Cause poi, nelle quali il Commissario avrà giudicato di doversi rigettare l' azione intentata per parte della Rev. Fabrica, assolvendo il Reo dalla domandata applicazione o di qualche capitale, o de' frutti, siccome può talvolta verificarsi, che il Reo sia stato ingiustamente assoluto; così dovrà il Commissario, per non lasciar esposta la Rev. Fabrica, e l'Opera pia ad un qualche indoveroso aggravio, rimettere a Monsignor Economo, e Segretario l'intero Processo, affine di richiamare all'esame, se con giusta ragione sia stata rigettata l' azione promossa contro l' Erede, o altro Possessore, che pretendevasi obligato all' adempimento dell' Opera pia: E poichè le Cause di questo tal genere per fatto del Commissario sarebbero rimaste estinte, e affatto terminate dopo il suo Giudicato; perciò qualora mai succedesse, che rivedendosi, in grado d'Appellazione la sentenza del Commissario, fosse per essere rivocata; non dovrà egli conseguire alcuna participazione d' emolumento su quella somma, che la Rev. Fabrica fosse per introitare col benefizio della difesa fatta a proprie spese.

XII. S' avverte ogni Commissario, che se una qualche Causa introdotta in Giudizio civile venisse a cambiar d' aspetto, ed a rendersi criminale (lo che può esser facile ad accadere, succedendo alcune volte, che dopo essere stata introdotta la Causa civile per l' esecuzione di una qualche Disposizione o Legato pio, si venga in chiaro dell' alterazioni, supplantazioni, falsità di Scritture, espilazioni d'Eredità o altri atti criminosi commessi dall' erede o Legatario per eludere l' adempimento della pia volontà del Testatore;) dovrà allora il Commissario astenersi di più oltre proseguire il Giudizio Civile, rendendo prima inteso l' Emo Signor Cardinal Prefetto delle delinquenze rilevate dalle Scritture esistenti in Processo, ed aspettare gl'ordini, che gli saranno dati o per procedere criminalmente contro il Delinquente, ovvero per proseguire la Causa civile senza far uso dell' azione criminale. Ed altrettanto dovrà praticare in tutti, e singoli casi, ne' quali potrà aver luogo l'azione criminale, in conformità dell'ultimo soprenunciato Editto promulgato sotto il di 12. Agosto 1788, essendo expressa mente della Sagra Congregazione, che a niun Commissario debba esser permesso di procedere ad atti irretrattabili in materie criminali, e specialmente a comminazione o fulminazione di Censure, contro i pretesi delinquenti, senza aver prima ricevuto il di Lei oracolo, o dell' Emo Signor Cardinal Prefetto.

XIII. Ciaschedun Commissario nella sua Banca, inerendo a quanto è stato prescritto nel § 16. dell' Istruzioni pubblicate sotto il di 31. Agosto 1650. e confermate sotto il di 8. Marzo 1735, esiggerà per se, e per gl' Offiziali del suo Tribunale la minor Tassa, che sia in uso nella Corte spirituale, o temporale del Luogo; ne esiggerà da alcuno l' emolumento chiamato Caposoldo. Ed a quest'effetto si ordina, che il Commissario debba in ogni luogo, dove eserciterà il suo Offizio, tener affissa la minor Tassa, che ivi sarà in uso nella Corte spirituale, o temporale.

XIV. Ed affinchè l'ultime volontà de' Defonti, e tutte le Disposizioni in favore di Causa pia non debbano restar trascurate per

Digitized by Google

oscitanza, e negligenza de'medesimi Commissarî, o per umani riguardi verso una qualche Famiglia, Persona, o Luogo pio gravato di tali obblighi, si ordina, che ogni Commissario nel fine d'ogni trimestre debba trasmettere a Monsignor Economo, e Segretario congiuntamente all'altra Nota sopra espressa nel § X, una Nota distinta di tutte le p e Disposizioni, le quali dai Parochi, Notari, Attuarî, Archivisti, o in qualsivoglia guisa saranno state dedotte a di lui notizia, ed un' altra Nota delle cause introdotte in vigore di tali notizie; ed oltre a ciò sia tenuto, ed obbligato formare un libro da doversi ritenere, e custodire dal suo Cancelliere, ed ivi registrare distintamente tanto le notizie ricevute, come sopra, quanto le Cause introdotte, e definite; dichiarando, che nel fine di ciascuno anno gli si negherà la conferma della Patente, qualora non venga esibita la fede giurata del suddetto Cancelliere di ritenere appresso di se il detto Libro, ed essere state in esso registrate le suriferite Notizie ricevute da' suddetti Notari, e Archivisti, o in altra guisa come sopra acquistate, e le rispettive Cause introdotte, e tuttavia pendenti, ovvero definite nel Tribunale d' esso Commissario. Ed il Cancelliere o suo Erede sarà tenuto a consegnare il detto Libro ad ogni richiesta dalla Sagra Congregazione; e nel caso che per di lui colpa, o negligenza non fosse diligentemente custodito, o andasse a smarrirsi, sarà obbligato all' emenda di tutti, e singoli danni, che ne potessero alla Rev. Fabbrica, o a qualunque altra Persona interessata derivare.

XV. In fine di ciaschedun' anno sarà tenuto ogni Commissario render fidele, ed esatto conto di tutto quello che gli sarà pervenuto nelle mani per ragione del suo Offizio; ed a questo effetto dovrà ritenere un Libro contrasegnato da Monsignor Economo e Segretario, che annualmente gli si farà giungere, ed ivi descrivere tutte le esazioni, che dal medesimo si faranno per conto della Rev. Fabbrica nell'atto del pagamento coll' espressione della vera somma, che si riceve, della causa, per la quale si riceve, e da chi si riceve; e ciò dovrà praticarsi non solo per quelle somme, che direttamente si pagano a detto Commissario, ma ancora per quelle, che con di lui ordine si fossero fatte pagare dal Debitore in mani del Depositario: E per procedere con ogni chiarezza, e sicurezza, e togliere qualunque sospizione, si procurerà, che il Debitore medesimo, o chi paga il denaro, sottoscriva la partita del pagamento descritta dal Commissario in detto Libro, e non sapendo scrivere quella Persona, che paga il denaro, la farà approvare dal Curato, ovvero dal Cancelliere del Luogo, dove si farà il pagamento, o da altra terza Persona degna di fede alla presenza però dell'istesso pagatore del denaro, e successivamente sarà tenuto nel fine di ciaschedun'anno, in cui dovrà render conto, trasmettere il suddetto Libro in mano di Monsignor Economo e Segretario; e quando durante l'anno del suo Offizio non avrà fatto alcuna esazione, dovrà parimente mandare il detto Libro, ed insieme dechiarare con suo giuramento di non avere esatto somma alcuna per ragione del suo Offizio, e per conto della Rev. Fabbrica.

XVI. Inoltre dovranno i Commissarî aver cura che i Processi, Istromenti, ed altre Scritture di qualsivoglia specie appartenenti alla Rev. Fabbrica, siano diligentemente custodite dai lori Cancellieri, e legate in Protocolli separati colle respettive Rubricelle, e coll' intestazione dentro e fuori della Sagra Congregazione della Rev. Fabbrica di S. Pietro; procureranno di porre in pratica i necessarî spedienti, affine di riparare al disordine, implorando perciò, quando faccia bisogno, anche l'autorità della Sagra Congregazione; e morendo, o essendo rimosso taluno di detti Cancellieri, dovrà restar a peso dei Commissarî di ricercare l'Erede, ed obbligarlo alla consegna a favore del Cancelliere, che sarà surrogato nell' impiego, al quale dovranno consegnarsi tutti gli Atti, e Scritture colla previa descrizione, e con riportare un obbligo di conservarle fedelmente, e darne conto ad ogni richiesta; del qual obbligo e descrizione riterrà l'originale presso di se, e trasmetterà puntualmente copia legalizata a Monsignor Economo per esser conservata nella Segretaria della Sagra Congregazione. Dovranno similmente i Commissarî far conservare, e diligentemente custodire in filze separate coll' intestazione di fuori della Rev. Fabbrica dai loro Concellieri tutte le Note originalmente sottoscritte, che gli saranno date dai Notari, e Archivisti in esecuzione di quanto è stato prescritto, e comandato nell' ultimo sopranunciato Editto della Sagra Congregazione; altrimenti in tutti gl'espressi casi, venendone danno alla Rev. Fabbrica, sarà tenuto all' emenda, e si procederà contro di lui, o suoi eredi sommariamente, e rimossa qualunque appellazione.

XVII. Nel termine d' un Mese dal giorno della pubblicazione, e respettiva trasmissione de'presenti Ordini dovranno esser tenuti tutti, e singoli Commissarî trasmettere a Monsignor Economo una nota distinta degl' effetti e capitali di già applicati ed invenduti, sottoscritta, coll' espressione dell' annua rendita di detti effetti e capitali, del tempo preciso, in cui se n' è preso possesso, e del Notaro, che ha rogato l'Istrumento di detto possesso; et l' istesso dovrà praticare per tutti gl' effetti e capitali, che si applicaranno in avvenire nel termine d'un mese dal giorno dell'applicazione; e nel caso di applicazione di qualche Eredità debbano immediatamente far inventario legale tanto de' mobili, che de'stabili, e dentro l'istesso Mese dal di dell'applicazione trasmetterlo nelle mani di Monsignor Economo, e Segretario.

XVIII. Potranno i Commissarî visitare le Città, e Diocesi soggette alla loro giurisdizione, anche in templo, in cui da respettivi Vescovi si trova aperta la loro Visita Pastorale, conforme più volte è stato dichiarato dalla Sagra Congregazione con solenni Decreti da essa specialmente promulgati, e confermati sotto il di 7. Decembre 1637. e 21

Digitized by Google

Maggio 1681. e solamente dovranno usare la convenienza di non trovarsi simultaneamente a visitare nella stessa Città, o Luogo, dove attualmente ritrovasi il Vescovo : E prima d' intraprendere il Commissario la sua Visita in qualche Città o Luogo, ne dovrà render intesa la Sagra Congregazione per mezzo di Monsignor Segretario, avvisando altresì in tempo della Visita il luogo dove si troverà, affinchè, occorrendo di doversi a lui spedire un qualche ordine in servigio del Tribunale, possa riceverlo, ed eseguirlo senza ritardo.

XIX. Sebbene nel § 23. dei surriferiti Ordini, e Istruzioni pubblicate nell' Anno 1650. sia stato espresso, che si debbano per la quinta parte applicare a favore della Reverenda Fabbrica i Legati pii certi lasciati per una sol volta senza peso di Messe, Anniversarî, Divini Offizî, ed altre simili Opere di pietà, qualora si ritrovassero inadempiti, e trascurati per un' anno dal giorno della morte del Testatore, e la metà de' sudetti Legati allor quando fosse passato il triennio; nulladimeno per togliere qualunque dubbiezza o equivoco, che potesse nascere ai Commissarî nel giudicare, si dichiara che l' applicazione della quinta parte, e della respettiva metà del Capitale destinato per l' adempimento del Legato pio certo lasciato per una sol volta, dovrà aver luogo anche nel caso, in cui il Legato pio fosse stato lasciato con il peso di dover eseguire le descritte Opere pie; essendo stata questa la mente di S. Pio V. nella sua Bolla 97. che incomincia — *Exigit* — a norma delle dichiarazioni su di essa Bolla pubblicate dalla Sagra Congregazione negl' anni 1579, 1589, e 1598, e trascritte dal *Vespignani* nel surriferito Compendio de' Privilegî della Rev. Fabbrica.

XX. Finalmente acciocchè possa essere a notizia di chiunque, quanto è stato finora dichiarato, e stabilito; espressamente s' ordina a tutti i Commissarî, che debbano tenere i presenti Ordini, e Provvisioni affisse publicamente nel Luogo, dove esercitano il loro Offizio.

Dato in Roma dal Collegio degl' Emi, e Rmi Signori Cardinali della Sagra Congregazione della Rev. Fabrica di S. Pietro questo di 18. Settembre 1788.

ERRICO — Cardinal Prefetto.

GIOVANNI BUFALINI — Economo Gen., e Segr.

EDITTO GENERALE

DELLA SAGRA CONGREGAZIONE DELLA REVERENDA FABBRICA DI S. PIETRO DI ROMA.

1. Informata la Sagra Congregazione della Reverenda Fabbrica di S. Pietro, che non ostante le ottime providenze a seconda de' tempi saggiamente stabilite per conseguire il fine della pronta, e fedele esecuzione dell' ultime volontà de' pii Testatori, e di qualunque Contratto, o Disposizione in favore di Causa pia; nulladimeno insorgono nuovi abusi, tendenti a ritardare alle anime dei Fedeli defonti i prescritti suffragî, e l' esecuzione di tutte l' altre pie Disposizioni; ed informata specialmente che fra gli altri da qualche tempo introdotti in diverse Città, e Diocesi vi sia quello, che i Notari sotto varî, e mendicati pretesti indoverosamente ricusano di manifestare le notizie dei Testamenti, Codicilli, Contratti, e Donazioni *etiam inter vivos*, ed altre Scritture rogate a favore di Causa pia, impedendo con ciò ricercare, e conoscere se siano state pienamente adempite le pie volontà, e Disposizioni; quantunque i suddetti Notari siano per dovere tenuti a rivelare, e manifestare il contenuto sostanziale di tali Scritture ai Commissarî della Rev. Fabbrica di S. Pietro, dentro il termine d' un Mese dal giorno della scritta pia Disposizione, o morte del Testatore, ancorchè non fossero stati interpellati dai medesimi Commissarî, con Autorità Apostolica delegati a poter liberamente, e indipendentemente da chiunque altro, fuorchè dalla stessa S. Congregazione, inquirere agire e procedere per gli effetti suddetti, come si prescrive nella Costituzione della felice mem : di Clemente VII. pubblicata nel di 12 di Decembre 1523, e nell' altra successiva di Paolo III. di san. mem. emanata ai 3 di Febraio 1542, posteriormente confermate da diversi loro Successori : Quindi è che volendo la Sagra Congregazione sollecitamente provedere a tali abusi, e disordini ha risoluto di venire alla rinnovazione, e più specifica dichiarazione dell' Editto, con special approvazione della san. mem. di Benedetto XIV. promulgato ai 7 Gennaro 1753.

2. In esecuzione pertanto della risoluzione presa dalla Congregazione Generale tenuta nel di 12. dello scorso Mese di Febbrajo, ed approvata specialmente dalla Santità di Nostro Signore Papa PIO VI. felicemente Regnante, rinnovando il surriferito Editto, e confermandolo nelle parti però al presente Editto non contrarie, si ordina a tutti, e singoli Notari, compresi pure i Notari di Roma, ancorchè sottoposti a qualunque Giurisdizione, e addetti al servizio di qualsivoglia Tribunale Ecclesiastico, e Laico, sebbene privilegiato, e privilegiatissimo, i quali avranno rogati Contratti, Donazioni *etiam inter vivos*, Testamenti, et Codicilli col peso ingiunto agli Eredi, o Donatarî, e ad altra qualunque Persona di adempire in perpetuo, o per un certo determinato tempo, o per una sol volta qualsivoglia genere, e specie di Legato o Disposizione pia; quantunque li avessero ricevuti dai Parochi per pubblicarli, o inserirli fra i loro Rogiti, debbano, e siano obbligati dentro il termine di trenta giorni dopo seguita la scritta pia Disposizione, o morte del Testatore, dare, ancorchè non interpellati dai Ministri, e Commissarî della Rev. Fabbrica, e loro respettivi Offiziali, privativamente soggetti alla Sagra Congregazione, e da Essa a tale effetto deputati, una Nota chiara e distinta di tutte, o singole pie Disposizioni, ultime volontà, Legati, Donazioni, e Contratti, con individuare il nome, e cognome del pio Disponente, il giorno, e l' anno della Scrittura da loro rogata, o ricevuta dai Parochi, e la sostanza della Disposizione, ed in fine il nome, e cognome delle

Digitized by Google

Persone, o Luoghi pii gravati del adempimento; con dichiarare mediante il loro giuramento, e sottoscrizione, che la detta Nota concorda colle Scritture originali, e con riportare a proprio favore la Ricevuta nell'atto della consegna.

3. Mancando poi i detti Notari dentro il prescritto Mese di dare la riferita Nota, (la quale relativamente alle sole Scritture rogate in Roma, o ricevute dai Notari per mezzo dei Parochi si dovrà consegnare dentro il suddetto termine di un Mese al Notaro della Sagra Congregazione) potranno essere giudizialmente convenuti dai Ministri, Commissarl, ed Offiziali della Rev. Fabbrica a dare la medesima Nota nella maniera di sopra enunciata, sotto pena delle gravatorie di tre scudi al giorno da applicarsi ad arbitrio della Sagra Congregazione, a cui dovranno soggiacere fin tanto che non avranno esibita la detta Nota, e che non avranno dichiarato con giuramento, e sottoscrizione di non aver rogato, o ricevuto per mezzo dei Parochi Scrittura alcuna concernente il favore di Causa pia.

4. Si dichiara però, che se il Tribunale della Rev. Fabbrica verificasse la negata esistenza delle Scritture rogate, o che la Nota già data non fosse sincera, ed esatta, come si è espresso di sopra; incorrerà il Notaro irremisibilmente nella pena di Scudi 50. da applicarsi per la terza parte a favore dell'Accusatore, che si terrà segreto, ed il rimanente ad arbitrio della Sagra Congregazione, e nelle altre pene prescritte contro i Rei di spergiuro.

5. E siccome per ovviare alle frodi, falsità, ed inganni, che in qualunque modo potessero non solo pregiudicare i dritti della Rev. Fabbrica; ma molto più illaqueare le coscienze dei Fedeli coll' inadempimento dei Suffragl, ed altre pie Disposizioni, d' onde poi ne deriva anche talvolta l' esterminio totale delle Famiglie; la santa memoria di Benedetto XIV. con suo special Breve in data degli 8 Febbrajo 1753. inerendo all' altro di Leone X. suo Predecessore spedito nel di 6 Febbraro 1514. fulminò la Scommunica *latæ sententiæ* contro tutti, e singoli tanto Laici, che Ecclesiastici di qualunque dignità, grado, e religioso Istituto, che ardissero occultare Scritture, Testamenti, Codicilli, Donazioni *etiam inter vivos*, e Contratti di qualuuque sorta, come altresì far quietanze, saldi, e liberazioni da qualunque obbligo, falsificando, o alterando qualsivoglia Scrittura concernente l'esecuzione di pia volontà; così la detta Sag. Congregazione per sempre più provedere alla quiete delle coscienze, al bene delle Famiglie, e rimediare insieme agli abusi introdotti, ha risoluto di richiamare detto Breve alla memoria di chiunque avesse ardito in passato, o ardisse in avvenire commettere simili delinquenze contro una tale Pontificia ordinazione; affinchè sia a tutti noto, che i Rei delle medesime sono *ipso facto* incorsi in detta Ecclesiastica Censura, dalla quale niuno potrà essere assoluto, se non se dal Sommo Pontefice Romano, eccettuato il periodo di morte; dandosi inoltre ai Ministri, e Commissarl suddetti la facoltà di procedere contro i sospetti, anche per via d' inquisizione, e sommariamente con il detto di un sol testimonio, ed in qualunque altra maniera più proficua sino alla sentenza *exclusive;* con dichiarare però che a tenore del Breve Benedettino resterà ad arbitrio della Sag. Congregazione punire i delinquenti con gastigo corrispondente.

6. Inoltre si ordina e comanda, che i detti Notari (eccettuati però quelli di Roma) debbano, e siano tenuti, senza che ne restino anche in altra maniera interpellati dai Ministri, Commissarl, ed Offiziali della Rev. Fabbrica, di fare ricerca nei loro Protocolli delle Scritture ed istromenti rogati, o custoditi da dieci anni a questa parte, ed osservare quelle, che contengono Disposizioni, e Legati pii, estrarre dai medesimi la Nota da darsi ai respettivi Ministri, Commissarl, ed Offiziali nella maniera e forma di sopra enunciata; prendendosi loro per tale effetto il termine di quattro mesi da incominciare a decorrere dal giorno della pubblicazione in ciaschedun Luogo del presente Editto: E se dentro il termine di quattro mesi non avranno data la suddetta Nota, ovvero una dichiarazione giurata di non avere, dopo fatta una tale perquisizione di Scritture, rinvenuto nei Protocolli alcuna pia Disposizione da recarsi a notizia del Tribunale, ed Offiziali della Rev. Fabbrica, incorreranno immediatamente, e senza alcun altra interpellazione nella pena di scudi 50. come si è detto di sopra, ed in altre anche maggiori ad arbitrio della Sagra Congregazione.

7. Dichiara bensì la stessa Sag. Congregazione, che il tempo limitato di soli dieci anni non dovra servire ai Notari di scuza, o pretesto per esimersi dall' obbligo di dare al Tribunale della Rev. Fabbrica le notizie anche di tempo più antico, le quali potessero avere senza la preventiva diligente ricerca delle Scritture da essi rogate, e custodite; ed avendole, saranno i medesimi tenuti di darle insieme coll' altre; mentre per mera condiscendenza della Sag. Congregazione non si è comandato, che dovessero estrarre dai loro Protocolli una Nota di tutte le pie Disposizioni rogate, o custodite da trent' anni a questa parte, come si potrebbe richiedere in vigore de' Privilegl alla medesima competenti.

8. E sotto questa ordinazione, cioè di dover manifestare le Disposizioni, e Legati pii, che fossero a loro notizia, intende la S. Congregazione, ed espressamente comanda, che debbano restar compresi, come sopra anche i Notari di Roma; per essere pur essi tenuti ed obbligati a dar esecuzione ai provedimenti, ed ordini dati dai Sommi Pontefici affine di fare prontamente eseguire tutte le pie Disposizioni, come anche per indennizzare l'interesse della Rev. Fabbrica di S. Pietro.

9. Nelle Note poi che si daranno senza il precedente rincontro delle Scritture, ed Istromenti, come si è ordinato di sopra-

Digitized by Google

sarà sufficiente, che siano specificate e dichiarate con giuramento quelle parti della pia Disposizione, le quali sono a memoria dei medesimi Notari, o di altre persone di sopra espresse, ed in quella guisa, che crederanno in coscienza di poterle significare; a differenza delle altre Note da darsi col precedente rincontro di un decennio, le quali dovranno essere trascritte colla più giusta, ed esatta precisione, e nell' istesa maniera, in cui è stato di sopra ordinato rapporto ai Testamenti, Codicilli, Donazioni, Contratti, ed altre Scritture da rogarsi in avvenire a favore di Causa pia; altrimenti saranno tali Note considerate come illegali, e di niun valore, e si dovrà anche in questo caso procedere contro i Notari all' esecuzione della comminata pena dei suddetti Scudi 50.

10. E se mai ai Notari non fosse permesso rincontrare Testamenti, e Codicilli, per essere ancora chiusi, e sigillati; nulladimeno espressamente si ordina, che passato l'anno dal giorno della morte del Testatore, Codicillante, e Donante, debbano tutti i Notari, compresi anche quelli di Roma, e siano tenuti, venendo ricercati dai Ministri, e Commissarî della Rev. Fabbrica, aprire i Testamenti, e Codicilli tuttavia chiusi, e sigillati per osservare se in essi vi si contenga una qualche pia Disposizione, con obbligarli, a dare, allorchè si voglia, ai Ministri, e Commissarî suddetti anche la Copia publica da pagarsi colla mercede di Scudi 2, 50, per cento, tassa prescritta dalla san. mem. di Leone X, qualora la Rev. Fabbrica in vigore di tal Testamento o Codicillo avrà riscossa, e percepita la somma non impiegata nell' adempimento dei Legati, o altre pie Disposizioni; e tutto ciò a tenore del Privilegio concesso al Tribunale della Rev. Fabbrica nella Costituzione *Etsi per diversos* della fel. mem. di Pio IV, pubblicata nel dì 18 Decembre 1562, ed in caso di renuenza incorreranno *ipso facto* nelle Censure contenute nella surriferita Costituzione, ed inoltre resteranno soggetti alla pena di Scudi 25, da applicarsi ad arbitrio della Sagra Congregazione.

11. Similmente si comanda a tutti gli Archivisti, ed altri Conservatori di Scritture, ed a qualunque persona di qualsivoglia grado, e condizione a dare, e consegnare, anche non ricercati, ai Ministri, e Commissarî della Reverenda Fabrica senza emolumento di sorta alcuna, Nota degl' Istromenti, Testamenti, Codicilli, Donazioni, Contratti, ed altre Scritture contenenti favore di Causa pia da essi, e da loro respettivi antecessori conservate, e custodite, che sono a notizia dei medesimi : così ancora espressamente si ordina, che tutti i Rettori, ed Amministratori di Chiese, e Luoghi pii tanto Secolari, che Ecclesiastici, e Regolari debbano, allorchè saranno interpellati, esibire ai Ministri e Commissarî suddetti, le Vacchette, e Libri degli obblighi di Messe, ed altri Legati pii, alla di cui sodisfazione fossero tenuti; dandosi; facoltà agli stessi Ministri, e

Commissarî di riconoscere negli Archivi a loro piacimento i Testamenti, Codicilli, Donazioni, Contratti, Istromenti per rincontrare la Nota già ricevuta, e formare anche altra più precisa secondo il bisogno, e di visitare parimenti nelle Sagrestie, e luoghi pii liberamente le Vacchette e Libri degli obblighi come sopra; ed in caso di renitenza di procedere contro i Refrattari alla rilassazione delle gravatorie di Scudi 3, al giorno, da eseguirsi fin tanto che non abbiano effettivamente adempito quanto di sopra è stato comandato.

12. Quando poi la Rev. Fabbrica avesse bisogno oltre le indicazioni suddette per fondamento della sua intenzione di produrre la particola, o il tenore di qualche Testamento, Codicillo, o altro qualsivoglia Istromento, la Sagra Congregazione vuole e comanda, che li Notari, Archivisti, ed altre persone di sopra espresse siano tenute sotto la medesima pena dare, e consegnare a richiesta dei suddetti Commissarî la fede pubblica di tale particole, ritirando però contestualmente dalli Commissarî suddetti un obbligo in iscritto, in cui si prometta al Notaro, o altra persona il due e mezzo per cento, da pagarsi, come anche si è ordinato ne § 10, sopra tutto ciò, che si ricupererà in virtù della suddetta fede, seguita che ne sia l'effettiva infabbricazione.

13. Ed acciocchè i Notari, ed Archivisti non restino defraudati della sudetta quota, si prescrive e si ordina ai respettivi Ministri, e Commissarî, che ad ogni loro semplice richiesta siano essi tenuti ad esibire il registro degli atti delle Cause introdotte mediante le particole estratte dalli loro Protocolli; affinchè possino i medesimi riconoscere a quanto ascenda l' applicazione, o sia introito che farà la Rev. Fabbrica di S. Pietro, qualora si terminino le dette Cause coll' esecuzione, subasta, e delibera de' beni obbligati all' adempimento delle pie Disposizioni. Se poi le surriferite Cause introdotte come sopra, si finiranno per via di composizione; in simil caso vuole ed ordina la Sagra Congregazione, che i Debitori, i quali implorano una tal grazia, siano obbligati di esprimere nell' istanza che faranno, ed altresì i respettivi Commissarî nelle informazioni, l' interesse degli anzidetti Notari, ed Archivisti per provedere nel Rescritto alla loro soddisfazione, coll' obbligo in caso di contravenzione ai Commissarî di pagare ad essi l' intero importo della suddetta quota relativamente ad ogni Composizione.

14. Prevedendo inoltre la Sagra Congregazione, che da qualche Notaro dentro il termine prescritto non siano eseguiti gli ordini dati di sopra per il rincontro da farsi nelli detti dieci anni per la somministrazione delle notizie ad essi ricercate, ordina a tutti gli Archivisti di supplire alla mancanza dei Notari con formare col previo rincontro le suddette Note dentro lo spazio di due Mesi dal giorno, in cui saranno legalmente a tal effetto interpellati dai Ministri, e Commis-

Digitized by Google

sarî della Rev. Fabbrica; promettendo loro per la fatica, e diligenza, che dovranno usare il premio di Scudi due, e 50, per ogni centinajo sopra tutto ciò, che si ricupererà in virtù di dette Note da pagarsi però seguita che ne sia l' effettiva esigenza, oltre il pagamento della mercede di Scudi due, e 50, per ogni cento per le copie, che potranno bisognare.

15. Che se la Sagra Congregazione non potesse avere le suddette notizie, perchè i Notari fossero morti, o privati del loro Offizio; in tali casi ancora vuole e comanda ai surriferiti Archivisti di dare le succennate notizie nel termine di quattro Mesi da incominciare a decorrere dal giorno della pubblicazione in ciaschedun Luogo del presente Editto con il rincontro di dieci anni addietro, come di sopra è stato ordinato ai Notari; promettendo similmente loro il sopra enunciato premio del due e mezzo per cento, da pagarsi come sopra, allorchè abbiano adempiuto un tal obbligo; altrimenti incorreranno nella pena di Scudi 50, mancando d' uniformarsi, e di eseguire interamente un tal comando.

16. Essendo stata finalmente tra l' altre providenze dai Sommi Pontefici inculcata alla Sag. Congregazione della Rev. Fabbrica di S. Pietro anche la vigilanza di rendere indenni le Chiese, Confraternite, Ospedali, Monasteri, ed altri Luoghi pii dai pregiudizî, e danni, che per negligenza, e colpa degli Amministratori frequentemente si cagionano con Contratti Lesivi stipolati a titolo d' Enfiteusi, di permuta, d'. affitto a lungo tempo, o in altra forma pregiudizievole senza ottenere il Beneplacito Apostolico, necessario per la loro validità; quindi è che la prelodata Sagra Congregazione servendosi della privativa facoltà, e giurisdizione concedutale di conoscere, e giudicare delle nullità dei suddetti Contratti, ed altresì d' applicare a benefizio della Rev. Fabbrica di S. Pietro i frutti malamente percetti, vuole ed intende, che tutti i Notari, ed anche gli Archivisti nei casi però sopra espressi, e qualunque altra persona, che avesse notizia di simili Contratti mancanti del Beneplacito Apostolico, interpellati, o non interpellati, siano sempre tenuti di dare nel termine di quattro Mesi ai Ministri, e Commissarî della Rev. Fabbrica, o loro rispettivi Offiziali, senza alcun emolumento rispetto ai Notari, le notizie dei sopranominati Contratti, da essi, e loro antecessori rogati, e custoditi sotto pena di Scudi 3, il giorno, ed anche di altre ad arbitrio della Sagra Congregazione in caso di contravenzione; colla facoltà eziando ai detti Commissarî, o loro Cancellieri di poter riconoscere, e visitare i Protocolli de' Rogiti e Scritture per verificare la sussistenza di tali notizie.

Volendo, e decretando, che il presente Editto pubblicato, ed affisso nei luoghi soliti, e consueti di Roma, e nelle Porte maggiori delle Chiese principali di ciascheduna Città, Terre, e Castella, e nelle respettive Cancellarie Vescovili, e Cancellarie Generali delle Provincie, obblighi tutte, e singole Persone di qualunque stato, grado, e condizione, come se a ciascuno fosse stato personalmente intimato.

Dato in Roma dal Collegio degli Eminentissimi, e Reverendissimi Signori Cardinali della Sagra Congregazione della Rev. Fabbrica di S. Pietro questo di 12 Agosto 1788.

Die 16 Augusti 1788. Facta de præmissis Serenissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua supradictum Edictum benigne approbavit, et in omnibus, et per omnia exequi, et observari mandavit.

Errico — Cardinal Prefetto.

Giovanni Bufalini — Economo Gener., e Segr.

(31. Sed cum Motus-proprius fel. rec. Gregorii PP. XVI. 10. Novembris, 1834. art. 383. dubitandi locum dedisset, Sanctitas Sua per Emum a Secretis Status consulta, die 14. Novembris 1835. declaravit.

§ 1. *Il disposto del suddetto* § 383, *non è applicabile alla S. Congregazione della Rev. Fabbrica di S. Pietro, allorchè procede come tribunale di appello; ed in tutti i casi, nei quali esercita la potestà giudiziaria.* § 2. *Procedendo come Tribunale di appello la S. Congregazione della Rev. Fabbrica si uniforma ai metodi vigenti nel Tribunale della S. Rota, anche in ordine alle Decisioni ed alle nuove Udienze: procedendo in via di segnatura, si uniforma ai metodi prescritti dal citato Motu-proprio, pel Tribunale Supremo di questo nome; Raccol. delle Leg. e dis. di pub. ammin. dello Stat. Pont.* ann. 1835. vol. 2. p. 379. Quomodo vero Rev. Fabricæ Tribunal tam S. Rotæ, quam signaturæ normas usui suo accommodet, explicat Cajet. Mor. *Dizionar. di erudiz. storico eccl.* vol. 16. pag. 204. ibi: « Con dispaccio poi del Card. Secretario, ec. (ut supra retulimus), vennero stabilite le massime, ec. coi metodi sequenti.

« I Commissarî della Rev. Fab. nelle provinciæ, ed il prelato giudice della stessa Fabrica in Roma decidono qualunque causa, e per qualunque somma in primo grado di giurisdizione. Dai decreti, e dalle sentenze dei commissarî fino a qualunque somma compete l'appello al prelato giudice della Fabbrica in Roma. Dalle sentenze del prelato giudice in Roma emanate in primo grado, appartiene l'appello alla piena Congregazione. Dalle sentenze emanate da detto prelato in figura di tribunale di appello, quando sieno difformi, spetta l'appello in terzo ed ultimo grado alla stessa piena Congregazione, nella quale si osservino i metodi del tribunale della S. Rota, tanto circa la formola dei dubbî, quanto per la pubblicazione delle decisioni in istampa, per le domande di nuova udienza, e per la spedizione della sentenza. La piena Congregazione della Rev. Fabbrica ha il diritto ancora di procedere e giudicare in via di segnatura, e si uniforma ai metodi prescritti dal citato Motu-proprio de 10 Nov. 1834. pel tribunale Supremo della segnatura di giustizia, per l'annullamento, ossia circoscrizione degli atti giudiziali, e sentenze

Digitized by Google

nelle questioni di competenza tra giudice e tribunali, sull' unione ed erogazione delle cause, sulla recusa di giudice per legittimi sospetti, e sulle domande di nuovo appello pienamente devolutivo in grado di giurisdizione in intiero.

« Il prelato Segretario ed Economo fa le funzioni di Uditore di Segnatura, e l' uditore particolare del Card. Prefetto, della Congregazione esercita le funzioni di uditore della prefettura. Nelle questioni di valore superiori agli scudi duecento, o di valore indeterminato, non possono i medesimi interloquire, ma debbono rimettere le istanze alla piena Congregazione, come si pratica nel tribunale di segnatura di giustizia. Negli affari che non sorpassano la somma di scudi duecento, o non trattano di valuta indeterminata, dai decreti del prelato segretario ed economo si ricorre all' uditore della prefettura.

« Se sono difformi i decreti, compete il ricorso alla piena Congregazione, sebbene si tratti di somma non eccedente gli scudi duecento. Accordata dalla Congregazione in figura di segnatura la restituzione in intiero, la causa viene portata all' esame, e giudizio della piena Congregazione, sebbene vi abbia interloquito, o in grado di appello in secondo o terzo grado, o come tribunale di segnatura.

« Gli atti preparatorî per la proposizione delle cause di qualunque specie in piena Congregazione, e per l'estensione, delle decisioni, come pure l'esecuzione delle risoluzioni e rescritti, che sempre ed in qualunque causa è il ponente, il quale fa la relazione in piena Congregazione, e ne publica le rizoluzioni e le decisioni.

« La Rev. Fabbrica di S. Pietro ha anche la giurisdizione criminale per qualunque siasi delitto, che si commettesse nella Basilica, e nelle sue pertinenze di qualsivoglia persona, anche ecclesiastica. Per la direzione delle cause criminali, evvi un giureconsulto col titolo di Luogotenente, o Uditore criminale, e per la formazione dei processi può valersi de' ministri anche laici. Nel trattare gli affari, e le cause criminali procede in tutto conformemente ai metodi, e alle pratiche delle curie ecclesiastiche. Nei delitti minori Monsignor Economo e Segretario giudica singolarmente. Nei delitti maggiori giudica una Congregazione presieduta dal Cardinal Prefetto. Dalla sentenza di questa Congregazione si appella alla piena Congregazione della Rev. Fabbrica. Tale giurisdizione non solo non fu derogata con il Motu-proprio di Pio VII. e coi regolamenti legislativi del Papa che regna, ma fu bensì da ambedue i Pontefici conservata. »

(32. Nonnullis contra hujus Congregationis jura, quasi aliqua in eis exorbitantia inveniantur, cum piis legatis, piisque dispositionibus, pro suo arbitrio uti possit, ac ex eis aliquam sibi partem adjudicare, assurgere mos est. At animadvertere oportet, quod piorum legatorum observantia non a jure naturali vel divino, cui dispensari vel derogari non possit, pendeat; sed mere a jure positivo, in quo

Princeps omnimodam potestatem dispensandi non solum, sed etiam commutandi ultimas voluntates et dispositiones exercet, uti, fieri a Principibus sæcularibus, omnibus compertum est. Unde cum Pontifex supremus Princeps sit in Christiana Republica, multo magis talem potestatem in dispositionibus piis, vel Ecclesiasticis obtinebit. Vide Card. de Luca de Testam. et Codicillis lib. 10, p. 1, disc. 72. de Fideicommissis, Primogenituris et Majoritatibus lib. 10, disc. 14. Et etiam Episcopi et alii Ordinarii hanc facultatem habent in casu incertitudinis, vel insufficientiæ, vel incapacitatis, seu aliquo alio, quo minus opus impositum adimpleri possit. Card. de Luca de Test. et Cod. lib. 10, p. 1, disc. 23. Cum præsertim piarum dispositionum finis, pietas sit, vel cultus erga Deum pro animæ propriæ vel alienæ suffragio, et unius vel alterius operis species ad ejus tantum modum vel accidentia, non vero ad pii operis finem seu substantiam pertinet idem loc. cit. disc. 58.

CONGREGATIO CONCILII.

(33. Tridentini Patres, veteri disciplinæ insistentes, qua sancitum est Summo Pontifici onus divinitus impositum esse, ut ubique locorum atque Ecclesiarum Sacrorum Canonum observantiam promoveat, aut succendat, Sessione 25 de Recep. et observ. Decret. Concil. Decretorum Concilii observantiæ curam Pontifici commiserunt.

(34. Eamque revera fuisse veterem Ecclesiæ disciplinam, innumeris comprobari posset documentis; quæ, ne nimii simus prætermittentes, unum memorabimus. Cœlestinus I. qui : « In speculis, inquit, a Deo constituti sumus, ut vigilantiæ nostræ diligentiam comprobantes, et quæ coercenda sunt, resecemus; et quæ observanda sunt, sanciamus. Epist. IV. n. 1. in coll. Petri Const. Col. 1066. » et : « Quisquis conatus fuerit tentare prohibita, sentiat censuram Apostolicæ Sedis. Epist. 5. n. 3. » et Gregorius M. scripsit ad Joan. Constantinopolitanum : « In qua causa si videro Canones non servari, dabit omnipotens Deus quid contra contemptores ejus faciam. » Et ad Joannem Syracusanum : « Si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis Sedi Apostolicæ Episcopus subjectus non sit. » *Vid. lib.* 9. *Epist.* 59. *l.* 3. *Epist.* 53. *l.* 4. *Epist.* 32.

(35. Ut autem Concilii Tridentini expectationi plenius responderet, Pius IV. Congregationem instituit Cardinalium, illorum præsertim qui Concilio interfuerant, pro executione et observantia decretorum Concilii, nulla interpretationis facta mentione. Pii IV. Const. *Alias nonnullas* 95. tom. 4. part. 2. Bullar. Mainard. pag. 178. Sed Sixtus V. in sæpe citata Constitutione 94. eamdem Congregationem confirmavit, ampliavitque, adjuncta facultate interpretandi Concilium quoad ea quæ concernunt reformationem, non autem fidei dogmata; in quibus sibi suisque successoribus interpretationem reservavit. (36. « Deo autem, inquit, Patri misericordiarum gratias agentes, qui in Œcu-

Digitized by Google

menico Concilio Tridentino Spiritus Sancti lumine diffuso, catholicam veritatem omnibus patefecit, hæreses nostrorum temporum confutavit, mores, et disciplinam restituit, ejusdemque Concilii decreta, ab omnibus observari volentes, cum ad singularem Romani Pontificis auctoritatem tantummodo spectet Generalia Concilia indicere, confirmare, interpretari, et ut ubique locorum serventur, curare, ac præcipere.

« Eorum quidem decretorum, quæ ad Fidei dogmata pertinent, interpretationem Nobis ipsis reservamus, Cardinalibus vero præfectis interpretationi, et executioni Concilii Tridentini, si quando in his, quæ de morum reformatione, disciplina, ac moderatione, et Ecclesiasticis judiciis aliisque hujusmodi statuta sunt, dubietas aut difficultas emerserint, interpretandi facultatem, Nobis tamen consultis, impartimur. Et quoniam eodem Concilio Tridentino decretum est, Synodos Provinciales tertio quoque Anno, Diœcesanas singulis annis celebrari debere, id in executionis usum ab iis, quorum interest, induci eadem Congregatio providebit. Provincialium vero, ubivis terrarum illæ celebrentur, decreta ad se mitti præcipiet, eaque singula expendet, et recognoscet. Patriarcharum præterea, Primatum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, (quibus Beatorum Apostolorum limina certo constituto tempore visitare alia nostra sanctione jussum est) postulata audiat, et quæ Congregatio ipsa per se poterit, ex charitatis, et justitiæ norma expediat, majora ad Nos referat, qui fratribus nostris Episcopis quantum, cum Domino licet, gratificari cupimus. Item ab iisdem Præsulibus Ecclesiarum exposcat, quæ in Ecclesiis eorum curæ, ac fidei commissis, Clerici, Populique morum disciplina sit, quæ Concilii Tridentini decretorum, cum in omnibus, tum præsertim in residentiæ munere executio, quæ item piæ consuetudines, et qui omnium denique in via Domini sint progressus, ipsisque det literas ex formula præscripta in testimonium obitæ per eos visitationis liminum, Sanctorum eorumdem Apostolorum. Habeat itidem Congregatio auctoritatem promovendi reformationem Cleri, et Populi, nedum in Urbe, et Statu Ecclesiastico temporali, sed etiam in universo Christiano Orbe, in iis, quæ pertinent ad divinum cultum propagandum, devotionem excitandam, et mores Christiani populi ad præscriptum ejusdem Concilii componendos, atque ad rationes difficillimis his, perturbatisque temporibus necessarias conformandos, quo uberius divinæ misericordiæ vim in nobis sentiamus, justamque iram, atque animadversionem effugiamus. »

(37. Et quamvis, ut notat Van-Espen. l. E. U. part. 1. tit. 22. c. 5. § 2. Eybel. Introd. in Jur. Eccles. Cath. tom. 1. l. 3. c. 4. in Nota C. n. 8. Tridentinorum Patrum mens fuit, quod in tali negotio Pontifex uteretur Episcoporum opera, vocatis ex illis provinciis, unde difficultas oritur, iis, quos rei agendæ opportunos judicaverit; aut etiam, si opus fuerit, Generalibus indictis Synodis; ipsi tamen addiderunt : *commodiore quacumque ratione ei visum fuerit*, Provinciarum necessitatibus providere posse. Quapropter, cum duo priora remedia adhibere, in tanta ubique locorum difficultatum orientum multitudine Romani Pontifices non valerent, *alia commodiore ratione* usi sunt, instituendo Concilii Congregationem, ut omnia providerent, quæ Tridentini Concilii decretorum interpretationem et executionem respiciunt.

(38. Huic Congregationi præsertim cura commissa est de Provincialium et Episcopalium Synodorum celebratione, de eorum canonum examine et approbatione quando ultro exhibeantur, deque appellatione ab improvidis Synodorum particularium statutis; demum ea omnia agit, quæ ex Tridentinarum legum custodia pendent. Quare ad eam etiam pertinet, excipere et discutere, postulata, quæ in relationibus status Ecclesiarum, ab Episcopis proponuntur, cum maxime limina adeant Apostolica; Card. de Luca de Relat. Cur. lib. 15, part. 2, disc. 15, § 5 et seq. Constat hæc Congregatio ex solis Cardinalibus, præter Secretarium, qui Prælatus esse solet. Pius vero VI, ad certum numerum redegit Officiales hujus Congregationis sua Constitut. 70, *Sacrosanctam Tridentinam* vol. 4, Bullar. pag. 171.

CONGREGATIO PRÆLATORUM CONGREGATIONI CONCILII ADJECTA.

(39. Cum Romanus Pontifex, ut omnes conveniunt, Canonum observantiæ curam habeat, nemo ei jus denegare potest, omnium Ecclesiarum statum a singulis Episcopis exquirendi, ut certior fieri possit, utrum et quomodo Canonum statuta serventur; et si qua fuerint neglecta, quibus remediis valeant ad pristinam revocari integritatem. Nil aliud certe sibi volunt RR. Pontifices cum ab Episcopis suarum Ecclesiarum statum sibi postulant renunciari, quam cognoscere, num revera Sacri Canones ubique serventur, quibusve argumentis opus sit, ut prostrata Ecclesiastica disciplina sese erigat atque exurgat. Porro hæ renunciationes status Ecclesiarum, quæ modo ab Episcopis statis temporibus Summo Pontifici fieri solent, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis ortum suum repetunt; hujusque rei antiquissimum atque illustre monumentum habemus in Epist. Patrum Concilii Millevitani ad Inn. I, qui ita Pontifici loquuntur : « Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in Sede Apostolica collocavit, talemque nostris temporibus præstitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam Venerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus, quam ea tu possis vel fastidiose, vel negligenter accipere : magnis periculis infirmorum membrorum Christi Pastoralem diligentiam quæsumus adhibere digneris. » Et S. Pontifex respondit : « Diligenter et congrue consulitis Apostolico honori : honori, inquam, illius, quem præter illa, quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxiis rebus, quæ sit tenenda sententia, antiquæ scilicet Regulæ formam sequuti,

Digitized by Google

quam toto semper ab Orbe mecum nostis esse servatam, » vide has epistolas in edit. Maur. Oper. S. August. Tom. 2, pag. 629 et 639, Paris. 1679. Citare hic etiam possem S. Gregorium Epist. 22, l. 7, tom. 2 Oper. col. 866, et sequ. Concil. Romanum anno 743, a S. Zaccaria Papa can. 3, Tom. 3 Collect. Arduini 1927. Sed brevitatis gratia hæc et alia prætereo. Cum ergo ea semper fuisset antiquissima consuetudo Romanæ Ecclesiæ, Benedictus XIV, considerans Congregationem Tridentini Concilii ad omnia sufficere non posse, aliam Congregationem Prælatorum Romanæ Curiæ instituit, sequenti Constitutione, quam pœne totam referemus; ex ea enim apparent varia hujus novæ Congregationis munia.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

(40. Decet Romanum Pontificem, pro divinitus credita sibi Dominici gregis cura, non solum quæ Catholicæ Ecclesiæ utilia, ac salubria sunt, et Sacris Canonibus, et Apostolicis Constitutionibus consona, constituere : sed Evangelici Patrisfamilias exemplo, pro cujusque ingenii, et facultatum viribus talenta distribuendo, celeri etiam eorum, quæ decreta sunt, executioni prospicere.

Alias quidem fel. rec. Sixtus PP. V. Prædecessor Noster per suas Apostolicas literas, quarum initium est : *Romanus Pontifex*, decrevit, ut omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi juramento promitterent, se certis statutis temporibus BB. Apostolorum Petri et Pauli Limina personaliter ac per se ipsos visitaturos; legitimo autem impedimento detentos, per certum Nuntium id adimpleturos, rationemque reddituros Romanis Pontificibus pro tempore existentibus de toto eorum Pastorali officio, deque rebus omnibus ad ipsarum, quibus præessent, Ecclesiarum statum quovis modo pertinentibus; et idem Sixtus Prædecessor deinde per consimiles literas, quæ incipiunt : *Immensa :* Congregationi S. R. E. Cardinalium super interpretatione, et executione Concilii Tridentini, demandavit, ut Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum eorumdem postulata audirent, et quæ per se possent ex caritatis et justitiæ norma expedirent; majora ad se suosque Successores referrent. Nos vero necessariis ac legitimis de causis animum nostrum moventibus, per literas nostras nuper emanatas, præfati Sixti Prædecessoris literas de Sacris visitandis BB. Apostolorum Liminibus, et omnia in eis contenta confirmavimus, atque innovavimus; Præcipientes præterea, et mandantes omnibus Abbatibus, Prioribus, Præpositis, aliisque quacumque dignitate etiam Cardinalatus honore insignitis, tam Regularibus, quam Sæcularibus, qui Monasteriis, seu Ecclesiis, quæ *Nullius* nuncupantur, cum jurisdictione spirituali, et Territorio separato, quocumque jure et titulo præficiuntur, ut antequam suorum Monasteriorum et respective Ecclesiarum possessionem adipiscantur, in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis ordine Prioris, si præsentes Romæ fuerint, si autem absentes, in manibus Nuncii, vel Legati Sedis Apostolicæ, seu alicujus Catholici Antistitis eorum arbitrio eligendi, se juramento obstringant, Sacras BB. Apostolorum Petri et Pauli memorias personaliter ac per se ipsos, vel, legitime impeditos, per certum eorum Nuncium visitaturos; et insuper certis præscriptis temporibus rationem reddituros de commissa sibi Monasteriorum seu Ecclesiarum procuratione, aliisque omnibus, quæ ad ipsarum Ecclesiarum et Monasteriorum statum, Ecclesiasticam Cleri et Populi disciplinam, et Animarum salutem, et ad Divinum cultum, et gloriam pertinent, prout in singulis ejusdem Sixti Prædecessoris, ac Nostris respective literis prædictis, quarum integros tenores hic pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, plenius continetur.

Cum autem, sicut Nobis, dum adhuc in minoribus versaremur, innotuit, Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Decretorum ejusdem Concilii Tridentini interpretes tantis negotiorum curis, causarum multitudine, et gravissimarum occupationum mole distineantur, ut serius quam optarent, non sine aliquo Ecclesiarum detrimento, et nonnullorum querela, postulata, quæ occasione visitationis Sacrorum Liminum fieri solent, audire, et responsa præbere cogantur literis Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, qui legitimis impedimentis detenti, quo minus se in hanc Urbem conferre possint, absentes, vel Romæ præsentes, debitæ suarum Ecclesiarum relationis officium in scriptis, ut moris est, adimplent: Nos hujusmodi incommodo congruum remedium adhibere, eidemque Congregationi S. R. E. Cardinalium Decretorum prædictorum interpretum opportunum levamen afferre satagentes, nec non Venerabilium Fratrum Patriarcharum, Primatum Archiepiscoporum, et Episcoporum, quos in visceribus caritatis gerimus, votis ac desideriis, quantum in Domino possumus, satisfacere, et sollicitæ literarum et responsorum hujusmodi expeditioni providere cupientes, inhærentes etiam exemplis SS. Nostrorum Prædecessorum, e quibus B. Damasum Prædecessorem nostrum in chartis Ecclesiasticis juvisse, et Orientis Occidentisque consultationibus respondisse de se B. Hieronymus affirmat, ex certa scientia, et Apostolicæ potestatis Nostræ plenitudine tenore præsentium perpetuo erigimus, instituimus, et decernimus Particularem Congregationem nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum a Nobis, et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris pro tempore deputandorum, quorum munus, et officium illud dumtaxat esse volumus, ut eorumdem Venerabilium Fratrum Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, necnon dilectorum filiorum Abbatum, Priorum, Præpositorum, aliorumque tam Sæcularium, quam Regularium separatum Territorium habentium, et

Digitized by Google

jurisdictionem quasi Episcopalem in locis sibi subjectis exercentium, postulata, quæ in scriptis exhibita fuerint, et literas eidem Congregationi Cardinalium Decretorum prædictorum interpretum, vel Nobis directas, et a Nobis ad præfatam Congregationem remissas, diligenter inspicere, omniaque in eis contenta in eorum Conventibus, et Particularibus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habenda erit, accurate exponere, ut communi consilio omnibus consideratis, et perpensis, quæ majoris momenti videbuntur, ad ipsos S. R. E. Cardinales interpretes prædictos, et deinde per ejusdem Congregationis Secretarium ad Nos, quoties coram Nobis prædicta Particularis Congregatio habita non fuerit, et Romanum Pontificem pro tempore existentem, referantur; ut, votis eorumdem Cardinalium, et Prælatorum auditis, de rebus gravioribus ex omnibus Provinciis, et Terrarum Orbis partibus ad Sedem Apostolicam a primis Ecclesiæ temporibus referri solitis, prout in Domino videbitur expedire, statuere, et Episcoporum, aliorumque Præsulum postulatis, et desideriis obsequi, quantum ex alto conceditur, valeamus.

Et quoniam in optatis Nobis est, ut ad hujusmodi munus obeundum viri eligantur idonei, ideo Nos venerabilem fratrem Josephum de Saporitis Archiepiscopum Anazarbensem, et dilectos filios Magistros in utraque nostra Signatura Referendarios Antonium Mariam Erbam, Bartholomæum Olivatium, Josephum Mariam Castellum, Nicolaum Antonellum, in prædictæ Particularis Congregationis a Nobis, ut præfertur, erectæ, et institutæ Prælatos earumdem tenore præsentium deputamus, nominamus, et constituimus; eosdem autem Prælatos a Nobis, ut supra, deputatos, et a Romano Pontifice pro tempore deputandos, præfatæ Congregationi S. R. E. Cardinalium ejusdem Tridentinæ Synodi Decretorum interpretum Apostolica auctoritate prædicta ita adjungimus, et subjective aggregamus, ut eidem Congregationi tamquam membra capiti in præmissis obsequantur, et in commisso sibi munere suffragentur. Propterea-que Nos eorumdem Prælatorum Particulari Congregationi Præfectum dilectum filium Nostrum Antonium Xaverium Tituli S. Stephani in Monte Cœlio ejusdem S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Gentilibus nuncupatum, modernum Congregationis prædictæ Cardinalium Decretorum Concilii interpretum pariter Præfectum, Secretarium vero Venerabilem Fratrem Carolum Albertum Guidobonum Cavalchini Archiepiscopum Philippensem etiam modernum ejusdem Congregationis Secretarium, eorumque in Præfecturæ, et Secretarii respective munere Successores itidem perpetuo constituimus, et deputamus. Insuper quia opportunum, et congruum arbitramur, ut is qui eidem Congregationi S. R. E. Cardinalium Decretorum Concilii interpretum in latinis literis Episcopis rescribendis operam præbet, de rerum tractationibus in particularibus prædictorum

Prælatorum Conventibus, seu Congregationibus habendis plene sit instructus, ad hoc, ut per eum prædictæ Congregationis Cardinalis Præfectus eisdem Fratribus Episcopis, aliisque Præsulibus supradictis, eorumque potissimum postulatis diligentius, ac commodius possit satisfacere, volumus, et eadem Apostolica auctoritate statuimus, ut dilectus quoque filius Magister Æneas Silvius Picolomineus, qui nunc est, et qui fuerit deinceps, eidem Congregationi latinarum Epistolarum hujusmodi a Secretis, in eorumdem Prælatorum Conventibus, seu Congregationibus locum habere, et personaliter interesse, non tamen in eis votum ferre, possit, et valeat.

Non obstantibus quacumque contraria consuetudine, quam ad præmissorum effectum, quatenus opus sit, abrogamus, et abolemus, et abrogatam, et abolitam esse volumus, necnon quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem hæc omnibus innotescere possint, volumus, et mandamus, ut præsentium exempla etiam impressa, et manu Cardinalis Præfecti supradicti subscripta, ejusque Sigillo munita eamdem ubique locorum fidem faciant, quam præsentes facerent, si in medium exhibitæ essent, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, Constitutionis, Ordinationis, Decreti, Statuti, Erectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et BB. Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo nono, Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

P. Card. Prod. D. Card. Passioneus.

VISA DE CURIA

N. Antonellus

I. B. Eugenius.

Loco + Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

CONGREG. EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

(41. Inter alias Congregationes, Sixtus V instituit etiam Congregationem Episcoporum et Regularium, cujus scilicet munus esset judicare de differentiis quæ oriri possunt inter Episcopos et Regulares. « Nec sane, inquit, minus de Regularium Ordinibus solliciti sumus, qui Ecclesiæ Dei magnum adjumentum atque ornamentum omni tempore præstiterunt, immo vero summopere cupientes, eorum salutaria studia, progressusque ad pietatem promovere, qui e fluctibus sæculi in portum regularis vitæ confugerunt, ob eam causam, ut remotis impedimentis, et inanibus contentionibus amputatis, sub suavi Religionis jugo, et suorum institutorum observantia quiete vivant, gratumque Altissimo famulatum exhibeant.

Digitized by Google

« Quinque alios Cardinales delegimus, quibus facultatem concedimus, ut Regularium, Claustralium, Mendicantium, non Mendicantium, Hospitalariorum, et Militarium possidentium, et non possidentium, cujusvis demum Ordinis sint, controversiis, dubitationibus, consultationibusque propositis respondeant. Causas vero, quæ inter ipsos religiosos oriri contigerit, juxta quamcumque Religionum instituta, eorumque dispositionem, superiores illorum definiant atque terminent. Dum autem inter Episcopos, et Regulares dubitationes inciderint, quæ sub decretorum Concilii Tridentini dispositione, aut interpretatione comprehendantur, eas ad eamdem Congregationem Concilii remittant. Audiant itidem, ac decidant prædicti Cardinales causas, et controversias inter prædictos Ordines vertentes, sive in universum, sive ratione particularium locorum, dummodo formam judiciariam non requirant. Concedimus etiam ut dictis Regularibus, non laxiorem nec ad parem, sed ad arctiorem religionem transeundi, iis quos fervore spiritus incensos ad perfectioris vitæ statum transire velle constiterit, non obstantibus quibuscumque Prædecessorum nostrorum decretis, licentiam dare possint. Apostatarum quoque, ejectorum, et præterea extra Monasteria degentium, aut vagantium causam iidem Cardinales audiant, et cognoscant, eosque coercendi potestatem habeant. Curent præterea visitationis Apostolicæ jussa, et Constitutiones editas a Romanis Pontificibus circa ipos Regulares exequendas, et in usum introducendas. Provideant insuper Regulares laudatæ vitæ, zelo Dei, et salutis animarum, et prudentia spiritus præditos, institutorumque Regularium Ordinis, et laudabilium consuetudinum peritissimos, qui, cum necessitas exegerit, Provincias sui Ordinis, et non alterius, receptis a Nobis literis ad Omnipotentis Dei laudem, et locorum utilitatem salubriter visitare valeant. Sub nomine autem Regularium, etiam Moniales, cujusvis sint regulæ, et observantiæ comprehendi volumus. Omne denique studium Cardinales ipsi impendant, ut ab inferioribus erga superiores debita humilitas, et obedientia, ac vicissim a superioribus erga illos paterna benevolentia in multa charitate, et disciplina, in spiritu lenitatis adhibeatur, neve dominentur inter fratres, sed Superiores ipsi Patres se esse meminerint. Postremo eosdem Cardinales quasi Religiosorum omnium tutissimum perfugium esse volumus, ut eorum auctoritate, et auxilio recreati, studium religiosæ vitæ, et regularis perfectionis sine impedimento strenue percurrant. »

(42. Constat hæc Congregatio ex solis Cardinalibus et ex uno Prælato, qui est a secretis, et qui decreta subscribere debet una cum Congregationis Præfecto, qui etiam suo sigillo signare ea debet; quibus prætermissis formalitatibus, authentica decreta haberi non possunt. (43. Juxta mentem Sixti V., ut observat Cardinalis de Luca, hæc Congregatio more Principis, absque strepitu et figura judicii, et absque processu vel tela judiciaria, summarie, sola facti veritate inspecta, et quandoque, imo frequentius, etiam per solas extrajudiciales ac secretas informationes, controversias terminat, prudentiales regulas adhibendo potius, quam rigores legales. In negotiis regularium pro informatione rescribi solet Procuratori Religionis, aut ipso Generali; qua obtenta, si una Partium illam impugnet, aliæ adhibentur diligentiæ. Alia ad hanc Congregationem pertinentia vide Card. de Luca lib. 15. par. 2. rel. cur. disc. 16. qui late disserit de variis ejus negotiis, et de more quem sequitur in decisionibus et executionibus suorum decretorum.

CONGREGATIO DE DISCIPLINA.

(44. Sed cum Congregatio Epis. et Regularium omnibus negotiis sufficere non posset, aliam adjunxit Innocentius XII, quam de Regulari Disciplina nuncupavit. Hujus Congregationis institutionem, facultates, variasque vicissitudines reperies in duobus sequentibus constitutionibus.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

(45. Debitum Pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ per universum Orbem diffusæ regimini divina dispositione præsidemus, Nos urget, atque impellit, ut paternam Christi fidelium, qui e fluctibus sæculi in portum vitæ Religiosæ confugerunt, curam gerentes, ad ea, per quæ Regularis illorum observantia, atque Disciplina opportunis rationibus sarta tecta custodiri, et sicubi collapsa est, adjuvante Domino, reparari valeat favorabiliter intendamus, concessæque Nobis a Domino potestatis partes studiosa charitate desuper interponamus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Religionis incrementum, ac spiritualem Populi Christiani ædificationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Cum itaque Nos alias sanctam et salutare Ecclesiæque Dei maxime fructuosam Regulari Disciplinæ instaurandæ opus aggressi, Congregationem nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super eadem Disciplina Regulari, specialiter deputaverimus; ipsaque Congregatio sic deputata plura hactenus, et quidem valde utilia, atque opportuna hac in re Decreta ediderit; verum sicut non sine gravi animi Nostri molestia accepimus, tametsi Decretorum hujusmodi observantia in plerisque Religiosorum Virorum Monasteriis, seu Conventibus prospere, et feliciter introducta fuerit, atque exinde inibi uberior indies electi sanctorum operum frumenti messis, benedicente Domino, exurgat, non eosdem tamen alibi cœleste idem semen afferat fructus; neque enim cessavit, nec adhuc cessat humani generis hostis in agro Domini superseminare zizania, quæ Patrisfamilias sementem suffocant: hinc est quod Nos pro-

Digitized by Google

phetici illius moniti memores — *Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam* — ut constans, enixaque voluntas Nostra incœptum opus hujusmodi peculiari studio, summaque animi contentione prosequendi magis ac magis omnibus innotescat, omnisque transgressoribus vano, falsoque silentii Nostri prætextu sese excusandi occasio penitus præcidatur : Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostrorum, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prædictam Congregationem Cardinalium, et Prælatorum super Disciplina Regulari a Nobis, ut præfertur, deputatorum, ac in futurum tam a Nobis quam a Successoribus Nostris Romanis Pontificibus deputandorum tenore præsentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis, et irrefragabilis Apostolici muniminis vim robur, et præsidium adjungimus; et nihilominus eamdem Congregationem Cardinalium, et Prælatorum super Disciplina Regulari denuo quatenus opus sit, etiam perpetuo erigimus et instituimus. Ipsius autem Congregationis a Nobis sic confirmatæ, seu de novo erectæ, facultates sint, et esse debeant : intra fines Italiæ, et insularum adjacentium designandi, ac deputandi pro Novitiatibus, et Professoriis, Conventibus, Monasteria, Collegia, ac Domos quorumcumque Monachorum, et Regularium Virorum cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti tam Mendicantium quam non Mendicantium, etiam necessario exprimendi; necnon Novitiatus, et Professoria hujusmodi mutandi, transferendi, suspendendi, et supprimendi, prout utilitas, et necessitas postulaverit, ac exegerit; dandi licentias Superioribus Regularibus, ad quos pertinet, recipiendi in Novitiatibus sic deputatis Novitios ad habitum, et Professionem : Decreta tum felic. recor. Clementis Papæ VIII, prædecessoris Nostri super Reformationem Regularium, ac præsertim ea quæ Institutionem et educationem Novitiorum concernunt, tum ab ipsa Congregatione super Disciplina Regulari die 18. Julii 1695. jussu Nostro edita exequendi; quascumque inde emergentes controversias decidendi; potissimum vero exactæ Vitæ communis observantiam promovendi; atque ad hunc effectum dumtaxat novas quorumcumque Conventuum, Monasteriorum, Collegiorum et Domorum hujusmodi fundationes diligenter examinandi, ne ulla scilicet in posterum Religiosorum Virorum loca fundari, erigi, aut quovis modo institui contingat, nisi in quibus eadem Vita communis, juxta ultimo dictorum Decretorum præscriptum, perpetuo, et exacte servari valeat; omnia demum, et singula faciendi, ordinandi, decernendi, statuendi, et exequendi, quæ ad eamdem disciplinam Regularem efficaciter stabiliendam, sive restituendam quomodolibet pertinere possunt, et in præmissis omnibus etiam pœnis, et censuris Ecclesiasticis procedendi. Cæterum, quia sicuti nonnullorum Romanorum Pontificum prædecessorum etiam Nostrorum vestigiis inhærentes, Regularibus Italiæ, Insularumque adjacentium, utpote Nobis prioribus, ac veluti ante oculos hujus Sanctæ Sedis constitutis, quosque proinde cæteris Religiosæ Vitæ exemplo prælucere maxime decet, præcipuam quamdam Apostolici muneris Nostri sollicitudinem impendendam esse duximus, ita reliquos omnes Religiosos Viros toto Orbe diffusos, Nostræque speciali curæ subjectos minime negligendos putamus, tam enim iis, qui longe quam illis, qui prope sunt, debitores Nos esse cognoscimus, earumdem tenore præsentium præcipimus, et mandamus, et præcipuum, ac peculiare dictæ Congregationis munus, et cura sit Nobis ac pro tempore existenti Romano Pontifici ea jugiter suggerere, et proponere, quæ pro eorumdem Regularium ubicumque existentium cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis, aut instituti sint, fovenda, seu reparanda Disciplina, felicibusque illorum in via Mandatorum Domini progressibus, et laudabilibus studiis juvandis necessaria et opportuna fore in Domino judicaverit. Quoniam vero de præsenti etiam alia Congregatio nonnullorum Venerabilium itidem Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum pariter Filiorum Curiæ prædictæ Prælatorum super statu Regularium nuncupata dudum a rec. mem. Innocentio X instituta, ac Clementi IX, Romanis Pontificibus prædecessoribus pariter nostris respective confirmata reperitur, eique plures ex prædictis facultatibus dictæ Congregationi super Disciplina Regulari per Nos, sicut præmittitur, concessis, attributæ fuerunt, ne aucto ejusmodi Congregationum numero rectum agendi ordinem confundi, atque inde Regulares Viros nimis distrahi adeoque ipsos ex iis, quæ pro salubri, prosperaque illorum directione provide, ac sapienter instituta fuerunt, perniciem potius, et incommodum, quod absit, experiri contingat, dictam Congregationem super statu Regularium motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus harum serie similiter perpetuo extinguimus, supprimimus, et abolemus; omnes vero, et singulas facultates ipsi Congregationi super statu Regularium quomodocumque, et quandocumque concessas, iis dumtaxat exceptis, quas memoratæ Congregationi super Disciplina Regulari, sicut præmittitur, impertiti fuimus, in Congregationem Venerabilium etiam Fratrum nostrorum dictæ S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium præpositam perpetuo itidem transferimus, et transportamus.

Decernentes easdem præsentes Literas, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, Ordinis, præeminentiæ, et Dignitatis existant, etiam Cardinalatus honore fulgentes, et alias specifica, et individua mentione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint, aut ex alia quacumque, etiam quam-

Digitized by Google

tumvis juridica, pia, et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quamtumvis magno, ac formali, et substantiali, individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, modificari, retractari, in controversiam revocari, seu ad terminos Juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvari posse, sed ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, et efficaces, existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus, et per omnia plenissime, et perpetuo suffragari, et ab eis respective inviolabiliter, et inconcusse observari : Sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R E. prædictæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, et alios quoslibet quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et tuncturos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpetrandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, ac Nostra, et Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, et Institutorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, et Institutis, illorumque Superioribus, et personis, ac aliis quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis, in genere, vel in specie, vel alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro plene et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem ubique fides in Judicio, et extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die 4. Augusti 1698. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

PIUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam.

(46. Singulari providentia Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum factum est, ut nihil jam ad perfectam regularis disciplinæ observantiam deesse videatur, si ea sedulo custodiantur, atque serventur, quæ de admissione, rectaque institutione novitiorum, de professionibus rite emittendis, de religiosa vita communi, deque interiori monasteriorum, et conventuum regimine optime, sapienterque ab iisdem prædecessoribus Nostris constituta sunt, præsertim vero a fel. rec. Clemente VIII. in suis generalibus decretis de reformatione regularium. Quoniam vero congregatio venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium universis negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium præposita non satis commode potuisset tantis rebus præesse, opportunum idcirco visum fuit præcipuam curam reformationis, et disciplinæ regularium alteri congregationi peculiari demandare. . . . . .

Quæ duæ sapientissimæ congregationes tanto semper studio incubuerunt optimo regimini rerum, personarumque ordinum regularium, ut nihil certe desiderandum reliquerint. Verum quia facultates tributæ Congregationi disciplinæ regularis, vel non satis certis limitibus constitutæ fuerunt, vel deinceps per consuetudinem quodammodo ampliatæ sunt, hinc non infrequenter evenit, ut eisdem de rebus modo ad unam, modo ad aliam ex dictis Congregationibus delatæ fuerint supplicationes, aut controversiæ; ita ut regulares ipsi quandoque nesciant, utra ex Congregationibus sit adeunda. Quod cum non leve afferat incommodum memoratis Congregationibus, rectique ordinis perturbationem facile nimis inducat, necessarium idcirco duximus facultates Congregationis super disciplina regulari deputatæ intra certos limites coercere, quibus constitutis, facile quisque intelliget, reliqua omnia regularium negotia ad Congregationem alteram Episcoporum, et Regularium omnino pertinere.

Primo igitur vestigiis memorati prædecessoris Nostri Innocentii PP. XII. inhærentes Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ po-

Digitized by Google

testatis plenitudine prædictæ Congregationi venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, ac delectorum filiorum Romanæ curiæ prælatorum super disciplina regulari specialiter deputatæ confirmamus facultates intra fines Italiæ, et insularum adjacentium designandi, ac deputandi pro novitiatibus, et professoriis conventus, monasteria, collegia, ac domos quorumcumque monachorum, et regularium virorum cujusque ordinis, Congregationis, societatis, instituti, tam mendicantium, quam non mendicantium etiam necessario exprimendi, nec non novitiatus, et professoria hujusmodi mutandi, transferendi, suspendendi, et supprimendi, prout utilitas, et necessitas postulare videbitur.

Firmas quoque eidem Congregationi manere volumus facultates dandi licentias superioribus regularibus, ad quos pertinet, recipiendi in novitiatibus sic deputatis novitios ad habitum, et professionem sub regulis, et formulis jam præscriptis, seu præscribendis, eaque omnia exequendi, quæ de novitiatibus, et professionibus statuta fuere, tum in decretis generalibus Clementis PP. VIII super reformatione regularium, tum in aliis peculiaribus decretis ab eadem Congregatione paulo post suam primævam deputationem editis sub die 18 Julii 1695 jussu ejusdem prædecessoris Nostri Innocentii PP. XII.

Quod autem pertinet ad reliqua omnia quæ in memoratis decretis generalibus super reformatione regularium statuta sunt, ea tantummodo ad eamdem Congregationem pertinere declaramus, quæ respiciunt cujuscumque conventus, monasterii, collegii, ac domus monachorum, et regularium virorum interiorem disciplinam, præsertim circa observantiam perfectæ vitæ communis, et regularum cujusque ordinis, idque tum in conventibus, monasteriis, collegiis, ac domibus supradictis nunc existentibus, tum etiam vero in aliis noviter erigendis.

Atque in præmissis omnibus liceat quoque eidem Congregationi decidere quascumque inde emergentes controversias, necnon procedere etiam pœnis, et censuris ecclesiasticis.

Præterea cum felicis recordationis Clemens PP. XIV, prædecessor Noster, sub die 11 Junii 1769, venerabili fratri Gregorio Lascaris Patriarchæ Hierosolymitano tunc ejusdem Congregationis secretario specialiter communicaverit facultates, ut posset prædicta Congregatio in aliquibus casibus particularibus dispensare ab observantia regularum, et constitutionum cujusque ordinis utcumque confirmatarum auctoritate apostolica etiam cum clausula — *sublata* — et decreto irritanti, easdem quoque facultates intra infrascriptos limites confirmamus, ita ut liceat eidem congregationi concedere hujusmodi dispensationes, quotiescumque de voto superiorum regularium expedire videbitur; ipsas autem regulas, et constitutiones generaliter, ac perpetuo abrogare, aut quomodocumque reformare nunquam liceat, nisi accedente Nostra, et successorum Nostrorum apostolica auctoritate

Hujusmodi tamen dispensationes, seu habilitationes, et sanationes ab eadem Congregatione justis de causis concedi solitas coercendas pariter esse volumus intra limites prædictarum facultatum, ita ut pertinere tantummodo debeant, vel ad novitiorum admissionem, institutionem, et professionem, vel ad officia regularium qui educationi, et institutioni novitiorum immediate præsunt, vel ad simplicem translationem novitiorum, et regularium professorum de uno ad alium conventum, sive etiam de una ad aliam provinciam ejusdem ordinis vel demum ad regulas, cujusque ordinis respicientes tamen interiorem regularem disciplinam intra conventus, monasteria, collegia, ac domos apprime servandam.

Has, et non alias facultates proprias esse volumus Congregationi venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, et dilectorum filiorum Romanæ curiæ Prælatorum super disciplina regulari deputatæ intra fines Italiæ, et insularum adjacentium quoad monasteria, conventus, collegia, et domos regularium, quorum tamen nomine minime comprehendi volumus monasteria monialium, collegia, conservatoria, et societates mulierum super quibus nulla unquam data fuit huic Congregationi potestas. Cæterum eidem Congregationi firmum manere præcipimus alterum etiam singulare munus a memorato prædecessore Nostro Innocentio PP. XII eidem demandatum, proponendi nimirum pro tempore existenti Romano Pontifici ea omnia, quæ ad fovendam reparandamque disciplinam regularium virorum etiam ultra fines Italiæ ubicumque existentium, cujuscumque ordinis, Congregationis, societatis, aut instituti sint, necessaria et opportuna fore in Domino judicaverit.

Cæteras autem facultates quascumque præter superius expressas; si quas antea dicta Congregatio habuerat, aut exercuerat, sive circa electiones superiorum regularium in capitulis generalibus et provincialibus faciendas, sive circa personas regularium quacumque de causa extra claustra degentium, sive circa œconomicum regimen cujusque conventus, monasterii, collegii, ac domus regularis, sive circa numerum regularium in quovis conventu, monasterio, collegio, ac domo pro modo annuorum reddituum constituendum, sive circa fundationes, uniones, dismembrationes ac suppressiones conventuum, monasteriorum, collegiorum, ac domorum regularium, in quibus neque novitiatus, neque professoria exercentur, sive demum alia quæcumque negotia quorumcumque regularium, eas omnes transferimus, ac pertinere declaramus ad alteram Congregationem ven. itidem Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium, præpositam.

Quamobrem utrique Congregationi, præsertim vero earum pro tempore præfectis, et secretariis, vehementer commendamus, ut suis quæque utatur facultatibus in tanto hoc, tamque laborioso regularium regimine, utque

Digitized by Google

petitiones, aut supplicationes omnes alterutri contra superius præscriptam rerum, et munerum partitionem forsan porrectas, et oblatas, seu quandocumque porrigendas, et offerendas unaquæque ad alteram pertinet, fideliter dirigat et remittat, neque unquam altera alterius munera assumat.

CONGREGATIO PROPAGANDÆ FIDEI.

(47. Præceptum quod Apostolis suis Christus Dominus jamjam discessurus reliquerat: « Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ; » Summi Romani Pontifices numquam opere complere destiterunt. Ideoque vel Episcopi, vel alii operarii ab eis semper in universam Domini vineam missi sunt, quorum verba in fines orbis terræ exirent. Cum igitur sæculo XIV, hactenus ignotæ regiones essent adinventæ, ad eas statim missionarios mittere constituerunt, qui ad Christianam fidem barbaras illas gentes perducere conarentur. Et quomodo Paulus III Congregationem erexerat pro conservatione integritatis fidei: ita Gregorius XV aliam instituit, cujus curæ esset ipsam in novum orbem dilatare, unde *Propagandæ Fidei* dicta fuit.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inscrutabili divinæ providentiæ arcano, ad Christi Ecclesiæ regenda gubernacula, nullis nostris meritis, a Spiritu Sancto vocati, præcipuas nostri pastoralis muneris partes esse intelligimus, sedulo invigilandi, et quantum nobis ex alto conceditur, intentis studiis adnitendi, ut oves miserabiliter errantes, ad Christi ovile adducantur, ac Dominum gregis agnoscant, et pastorem. Quo scilicet, divina aspirante gratia, desinant per infelicia pascua infidelitatis, et hæreseum vagari, et aqua mortifera pestilentiæ potari, sed in loco pascuæ veræ Fidei, ac salutaris doctrinæ collocentur, et adducantur ad vitæ fontes aquarum. Et vero, quis non intelligit, omnem nostram sollicitudinem desiderare, omnemque conatum a nobis exigere, opus adductionis animarum ad Ecclesiam Christi? quippe quod tanti fecerit Deus mundi salutem ut ipsum Unigenitum suum daret, unigenitum illum, qui cum esset splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis suæ, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, ut sua nimia charitate servos, et malos servos, Dominus redimeret pretio Sanguinis sui. Inæstimabilis hujus charitatis imitatores esse profecto omnes debent, qui christiano nomine fideliter gloriantur, et membra Christi effecti sunt, ut ejus verbi factores sint, non auditores tantum: nam et per sanctum Apostolum suum monet: *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis.* Quod si hæc ad unumquemque Christianorum scripta sunt, quanto magis ad eos, qui in sortem et militiam Christi vocati, positi sunt Episcopi regere Ecclesiam suam? quibus sæpe per prophetas suos gravibus verbis comminatur, si pascentes semetipsos, gregem non pascunt, et quod crassum est occidentes, infirmum non consolidant, ægrotum non sanant, confractum non alligant, abjectum non reducunt, perditum non quærunt. Quæ profecto voces, ut omnes Ecclesiarum Rectores valde sollicitos habere debent, licet in partem sollicitudinis sint vocati, ita multo vehementius nos urgent, qui in plenitudinem electi, non solum universo gregi, sed etiam Pastoribus præpositi sumus. Quocirca quod Apostolis omnibus a Domino mandabatur, ut prædicarent Evangelium omni creaturæ, principaliter Petro incumbebat, qui omnibus præstabat prærogativa Principatus, et cui soli injunctum fuerat a Domino, ut pasceret oves suas. Quapropter, et uni Petro vas illud, quasi linteum, ostenditur quatuor initiis de cœlo submitti in terram, in quo erant omnia quadrupedia, et serpentia terræ, et volatilia cœli, quodque illa vox sequuta est, *Surge, Petre, occide et manduca*, ut præfiguraretur Petri et successorum ejus munus ex quatuor Mundi partibus homines varia impietate insipientes congregandi, quo eos quasi occidendo, hoc est, veteri vita exuendo, et exutos manducando, id est in sua membra, qui visibile erat caput Ecclesiæ convertendo, etiam membra Christi redderet, invisibilis Ecclesiæ capitis; atque ita adipiscerentur participationem generationis Christi; eamque adepti, quæ Christi sunt saperent, quæ Christi sunt operarentur, ac demum per gratiam Spiritus Sancti ejus in æterna pascua transferrentur, potandi torrente inexhausto voluptatis Dei. Quantum vero his calamitosis temporibus excreverit errantium, et dispersarum ovium numerus, qui Ecclesiam Sanctam ejus catholicam, Christi ovile, vel nunquam cognoverunt, vel cognitam Satanæ dolis deseruerunt, sine lacrymis commemorari non potest. Si enim mentis nostræ aciem convertimus ad innumerabilem populorum multitudinem, jam tot sæculis Agarenorum impurissima dementia captam, insanique erroris, ac mendacii tenebris obcæcatam, miseratione commoventur viscera nostra, cernentes, tam multis, ac variis cœlestibus donis olim celebres nationes, per ignorantiæ et pestilentis persuasionis stuporem, humanitatem in bestiarum naturam fere mutasse, atque ad æterna incendia, Diabolo et Angelis ejus parata, ali, ac propagari. Et licet inter eas aliquæ sint gentes in justitia detentæ, quæ Christi nomen invocant; tamen ita antiquarum hæresum veneno sunt infectæ, ut sinceram veritatem paucissimæ agnoscant, ac fere omnes in multis nedum in uno peccantes, factæ sint omnium reæ. Ubi vero, peccatis nostris facientibus, inimicus homo super bonum semen in Septentrionalibus partibus seminavit hæresum zizania, ita dira contagia grassata sunt, ut animas innumerabiles jamdiu perdiderit, ac Provincias, et Regna Christo per

Digitized by Google

summam injuriam erepta, suæ tyrannidi mancipaverit.

Quamobrem, etsi a fel. rec. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, pastorali vigilantia, ope, studio, et industria elaboratum fuerit, ne tam multæ messi deessent operarii, et negociatio hæc sancta non negligeretur; nihilominus nos, ut majori cum vigilantia, cura et fervore opus prosequi possimus, et in posterum successores nostri possint, nonnullorum Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium peculiari sollicitudini negotium committendum duximus, prout tenore præsentium committimus, et demandamus.

Volentes, ut in unum congregati, adhibitis etiam aliquot Rom. Curiæ Prælatis, et religiosis viris, ac Secretario, prout Nos hac prima vice eos adhiberi voluimus, et nominavimus, in commune consulant, tantæque rei nobiscum invigilent, ac tam sancto, et Divinæ Majestati maxime grato operi, quanto melius fieri poterit, incumbant: quod, ut commodius præstari possit, semel coram Nobis, ac bis saltem in domo antiquioris eorum, quolibet mense congregentur, omniaque, et singula negotia, ad Fidem in universo Mundo propagandam pertinentia cognoscant, et tractent, et graviora, quæ in prædicta domo congregati tractaverint, ad Nos referant: alia vero per seipsos decidant, et expediant pro eorum prudentia.

Missionibus omnibus, ad prædicandum, et docendum Evangelium, et Catholicam doctrinam, superintendant, ministros necessarios constituant, et mutent. Nos enim eis, tam præmissa, quam omnia, et singula alia desuper necessaria, et opportuna, etiam si talia fuerint, quæ specialem, specificam, et expressam requirant mentionem, faciendi, gerendi, tractandi, agendi et exequendi, plenam liberam, et amplam facultatem, auctoritatem, et potestatem, apostolica auctoritate, earundem tenore præsentium concedimus, et impertimur.

Ut vero res tanti momenti, in quam magnos sumptus fieri necesse est, per temporalium cum spiritualibus felicem commutationem, nullo retardata impedimento, facilius, et celerius procedat, ultra ea, quæ ex arca nostra privata suppeditari jam mandavimus, et piorum fidelium liberalitate collata sunt, et in posterum non defutura subsidia in Domino confidimus, cum nostrum, et hujus Sanctæ Sedis proprium sit negotium, certos huic operi redditus ex Camera nostra Apostolica in perpetuum attribuemus, eorumque administrationem iisdem Cardinalibus committemus, prout in aliis nostris expediendis literis plenius continebitur.

Cardinales autem, quos sancto huic negotio præficimus, sunt qui sequuntur: Antonius Ostiensis Saulius, Odoardus Sabinen. Farnesius, Octavius Prænestinus, Episcopi, Bandinus, Franciscus S. Praxedis de Surdis, Maphæus S. Honuphrii Barberinus, Joannes Garsias SS. Quatuor Coronatorum Millinus, Gaspar S. Crucis in Hierusalem Borgia, Robertus S. Alexii Ubaldinus, Scipio S. Susannæ, Petrus S. Salvatoris in Lauro Valerius, Italius Fridericus S. Laurentii in pane et perna de Zolleren, Ludovicus S. Mariæ Transpontinæ Ludovisius, et Franciscus S. Matthæi, Titulorum Presbyteri Cardinales, Sacratus. Nuncupati Prælati vero, dilecti filii, Jo. Baptista Vives, in utraque Signatura nostra Referendarius, et Jo. Baptista Aguccchius Secretarius noster, ac Sedis Apostolicæ Notarius, et Dominicus a Jesu Maria Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Professor, et Vicarius Generalis, Secretarius vero a Nobis pariter deputatus dilectus filius Franciscus Ingolus Presbyter Ravennas U. J. D.

(48. Demum sub Urbano VIII, erectum fuit etiam Collegium quod eodem nomine nuncuparunt, et in quo conveniunt illarum partium adolescentes, ut in Christianam Religionem educati, illam postea unusquisque in regionem suam reversus propagaret. In ipso, etiam habitationem et cibum recipiunt missionarii, qui aliquot negotium tractaturi cum Summo Pontifice, vel cum ipsa Congregatione, Romam adveniunt. Hujus Collegii curam Urbanus ipse Congregationi de Propaganda fide sua demandavit Constitutione. Const. 675. Romanus Pontifex pag. 284. tom. 6. p. 2 Bullar. Mainard.

(49. Constat Congregatio ex incerto numero Cardinalium, ex secretario, ex Assessore S. Officii, ex uno Protonotario Apostolico, et ex nonnullis aliis Prælatis.

(50. Ejus munus est Missionarios in partes, ubi eorum præsentia magis opportuna videtur, transmittere, sumptus necessarios præbere ex ipsius operis redditibus, ac Pontifici proponere Episcopos et Archiepiscopos seu Vicarios Apostolicos, prout regiones illæ magis indigere videantur. Hæc ipsa Congregatio tandem extrajudicialiter componit differentias omnes, quæ oriri possunt inter missionarios ipsos, vel inter missionarios et Parochos aut alios Clericos nationales. Cognoscit etiam causas forenses sive sint civiles, vel criminales aut mixtæ, quando respiciunt ejusdem Congregationis vel Collegii Ministros, aut pertinent ad bona temporalia ejusdem Operis.

CONGREGATIO INDULGENTIARUM.

(51. Romani Pontifices alia nova Congregatione conati sunt providere abusibus qui oriri possunt circa concessiones Indulgentiarum et Sanctorum venerationem. Congregatio hæc Indulgentiarum ac Reliquiarum nuncupata a Clemente IX. instituta fuit constitutione CXIV., in qua hæc habentur: (52. « Nos eumdem inæstimabilem thesaurum fideli dispensatione erogare, et omnia quæ sacras reliquias hujusmodi contingunt, recte, atque ordine disponere cupientes, nonnullos ex memoratis Cardinalibus, ac aliquos Curiæ prædictæ Prælatos, aliosque viros religione, pietate, doctrina, et rerum usu eximie præditos selegimus, quorum consilio, opera, et industria tam gravem muneris nostri partem ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ honorem, ac spiritualem Christi fidelium ædificationem facilius implere valeremus. Hi vero

Digitized by Google

subinde, prout rerum, et negotiorum momenta postulabant, insimul convenientes, commissam sibi a Nobis Provinciam recte, et fructuose, atque ex animi nostri sententia hactenus administrarunt. Quapropter sperantes in Domino non minus utiliter in futurum quoque desudaturam esse eorum industriam, ac salubris consilii, quod auctore Deo suscepimus fructum, eodem adjuvante, atque incrementum dante, perennare desiderantes; Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine Congregationem ejusdem S. R. E. Cardinalium, ac Prælatorum, et aliorum virorum prædictorum a Nobis, ut præfertur, electorum, et deputatorum, ac in futurum tam a Nobis, quam a Successoribus nostris Romanis Pontificibus eligendorum, et deputandorum, cum facultate omnem difficultatem, ac dubietatem in Sanctorum reliquiis, aut indulgentiis emergentem, quæ ad fidei dogma non pertineat (Nobis tamen, et Rom. Pontifice pro tempore existente circa graviora, difficilioraque consultis) expediendi. Ac, si qui abusus in eis irrepserint, illos, judicii forma plane postposita, corrigendi, et emendandi; causas vero judicialem formam requirentes ad proprios Judices remittendi: Falsas, apocryphas, indiscretasque Indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi, et examinandi, ac ubi nobis, seu Romano Pontifici pro tempore existenti retulerit, nostra, seu illius auctoritate rejiciendi: Reliquias de novo inventas, quas rec. mem. Innocentius III Prædecessor noster in Generali Concilio Lateranensi publica veneratione coli, nisi prius auctoritate Romani Pontificis approbatas, prohibuit recognoscendi quoque et examinandi; ac in concedendis Indulgentiis, Sanctorumque reliquiis donandis moderationem adhiberi, omniaque pie, sancte, et incorrupte fieri curandi tenore præsentium perpetuo erigimus, et instituimus. »

(53. Componitur Congr. Indulg. ex pluribus Cardinalibus, Prælatis, Consultoribus, et ex ejusdem Congregationis Secretariis. Pertinet ad illam providere ne divulgentur falsæ, apocryphæ, vel inopportunæ Indulgentiæ, examinare ac interpetrari jam vulgatas; et, si oportet, consulto Pontifice, illas rejicere et abolere. Ipsa Congregatio etiam concedit per decretum Eminentissimi Congregationis Præfecti, aut per Secretarium, Altaria privilegiata ad septem annos vel in perpetuum, et Indulgentias plenarias seu partiales in festivitatibus Sanctorum Protectorum, vel B. Mariæ Virginis.

(54. Sunt etiam aliæ multæ Congregationes, uti diximus, quas hic brevitatis gratia prætermimus, videndæ si placet apud Card. de Luca lib. 15. Par. 2. Relat. Rom. Curiæ.

CONGREGATIONES CLERI.

ARTICULUS EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

SUMMARIUM.

1. Congregationum istarum utilitas. — 2. Decreta de ipsis habendis in Synodo lata; et mandatum Episcopis impositum de iisdem in Relatione status Ecclesiarum referendi. — 3. Variæ Sacrarum Congregationum de illis, qui cœtibus istis interesse tenentur, resolutiones ad num. 9. — 10. Quæ pœna constituenda in illos, qui ad hos cœtus non conveniunt. — 11. Methodus in istis servanda ex Concilio Provinciali Romano 1725, et ex Instructionibus S. Caroli Borromæi ad num. 13. — 14. Institutiones Ecclesiasticæ Benedicti XIV, in quibus de hisce Congregationibus agit. — 15. Saluberrimum ejusdem Benedicti XIV Decretum de Resolutionibus ad quæstiones propositas typis a Metropolitanæ Bononiensis Pœnitentiario edendis.

(1. Quantum ad moralis Theologiæ, reique Liturgicæ studium in Ecclesiasticis hominibus fovendum conferant cœtus, in quibus de conscientiæ casibus, sacrisque cœremoniis disceptatur, modo rite instituantur, facile quisque videt. Nam singuli, qui ad illos conveniunt, propositas quæstiones expendant, et Scriptores, qui de ipsis agunt, consulant, oportet. Ex quo fit ut eliminata a Clero morum doctrinæ, et Sacrorum Rituum ignorantia, nihil in Sacramentorum administratione, Divini Officii recitatione, et cæteris Ecclesiasticis functionibus fiat, quod minus deceat, et Christiano populo damnum, offensionemve afferre ullo modo possit.

(2. Quamobrem nulla proximis sæculis habita Synodus aut Provincialis, aut Diœcesana fuit, quæ legem de cœtibus istis, cum in Urbibus, tum per Diœcesim habendis non tulerit, aut latam semel non confirmaverit. Quinetiam Episcopis omnibus præscriptum fuit, ut in Relationibus de Ecclesiarum ipsis commissarum statu de legis hujus observatione referrent. Nam in Instructione Sacræ Congregationis Concilii pro Episcopis, Primatibus, et Patriarchis super modo conficiendi relationes statuum Ecclesiarum, quas, occasione visitationis Sacrorum Liminum, eidem Sacræ Congregationi exhibere tenentur, § 3, num. 14. legitur: « An habeantur Conferentiæ Theologiæ Moralis, seu Casuum Conscientiæ, et etiam Sacrorum Rituum, et quot vicibus habeantur, et qui illis intersint, et quinam profectus ex illis habeatur. »

(3. Sequitur, ut, quinam cœtibus istis interesse teneantur, ostendamus. Auctor noster verbo *Canonicatus, Canonicus* Artic. 9, num. 35, et seq. inquit: « Ad interessendum..... lectioni, seu conferentiæ Casuum Conscientiæ possunt solum compelli Canonici, aliique Presbyteri, qui sunt Confessarii; cæteri vero Canonici, et Presbyteri, qui non sunt Confessarii, possunt solum hortari... Regulares vero, nisi sint Parochi, nullatenus cogi possunt, ad interessendum lectioni, seu conferentiæ Casuum Conscientiæ. » Et sane, ut animadversum fuit in Fol. confecto occasione controversiæ Larinen. Decretorum Synodalium Tom. 5, Thesauri Resolut. Sac. Congregationis Concilii pag. 361.

Digitized by Google

« Sac. Congregatio pluries censuit, non eodem modo, atque indiscriminatim quoscumque Ecclesiasticos esse cogendos, ut collationibus pro discussione Casuum ad Conscientiæ Forum spectantium intersint; sed eos, qui animarum curæ præpositi sunt, itemque omnes Presbyteros, qui Confessiones excipiunt, compelli ad id posse; cæteros vero esse quidem monendos et adhortandos, non tamen cogendos; » quemadmodum patet ex Decretis quæ in eodem Fol. et a Ferraris loc. cit. referuntur. De Regularibus quoque respondit : « Ordinarios Locorum posse quidem hortari, non autem compellere Religiosos, non Parochos, ad accedendum ad conferentiam casuum conscientiæ. » Vide Verb. *Regulares*, art. 2, n. 124.

(4. Verum in prædicta Larinensi Decretorum die 30 Augusti anno 1732, ad primum et secundum dubium, quæ erant hujusmodi.

I. « An juxta Decretum Synodi celebratæ ab Episcopo Larinen. an. 1728, indiscriminatim omnes Ecclesiastici teneantur interesse Congregationi de quæstionibus ad forum conscientiæ spectantibus. » Et quatenus affirmative.

II. « An contra eos, qui non intersint, sustineantur pœnæ in eodem Decreto Synodali inflictæ, id est quod Sacerdotes debeant abstinere die sequenti a celebratione Missæ, et quod Clerici non Sacerdotes debeant solvere unum Carolenum qualibet vice, applicandum Seminario. »

Respondit : « Ad primum affirmative præterquam quoad Clericos non constitutos in sacris, qui non sunt cogendi. Ad secundum, sublata pœna suspensionis, pœnam quoad habentes curam animarum et Confessarios esse statuendam in duobus Carolenis, quantum ad reliquos, in uno, » ut videre est Tom. eod. Resol. Concil. pag. 386 seqq.

(5. Pariter in Salernitana Edictorum die 27 Septembris anno eodem ad dubium primum : « Ad dignitates, et Canonici Ecclesiæ Cathedralis cogi valeant sub pœna quinque Carolenorum pro qualibet vice, ut intersint Congregationibus de casibus conscientiam habendis, » responsum fuit *Affirmative*. Tom. eod. pag. 395 seq. cum qui Secretis eidem Sac. Congregationi erat, hæc in Folio adnotanda quoad illud dubium proposuisset (Tom. eod. pag. 392). « Quod primum hæc S. Congregatio in Larinen. Decretorum Synodalium proposita die 30 Augusti proxime præteriti, perpensis variis Resolutionibus antehac editis, in ea fuit sententia, ut omnes Ecclesiastici (exceptis tamen Clericis, qui minoribus tantum Ordinibus essent initiati) compelli ab Episcopo possint, ut ad collationes de Quæstionibus Moralibus habendas conveniant. Pœna autem pecuniaria contumacibus infligenda, fuit enim pluries approbata, vel major vel minor pro diversitate locorum. Etenim in Ariminen. Conferentiæ Casuum Conscientiæ 18 Junii 1699 æqua visa fuit mulcta Juliorum trium, ut in lib. 44 Decret. pag. 251. Et in Acerrarum 25 Augusti 1727 pœna fuit constituta in uno Ducato, ut in lib. 77 Decret. pag. 518. Et novissime in memorata Larinen. quoad habentes curam animarum, et Confessarios, mulcta decreta fuit in duobus carolenis, quo vero ad reliquos in uno. »

(6. Ad Regulares vero quod attinet in Epistola Encyclica, quam S. Congregatio Disciplinæ præposita die 8 Novembris anno 1752 dedit, quæque affertur ab Auctore verbo Regulares Art. 2, num. 123, § 3, cautum est, ut Regulares pro excipiendis Sæcularium Confessionibus approbati, etiamsi Parochi non sint, compelli possint, ut intersint Conferentiæ Casuum ab Episcopo præscriptæ, si in Cœnobiis, in quibus commorantur, Lectio de morum doctrina, et Collatio de Casibus Conscientiæ non habeatur ad normam Constitutionum cujuscumque Ordinis, et Decretorum Clementis VIII pro reformatione Regularium quæ dantur verbo *Regulares*, Art. 1, num. 85, in quibus § 2, dicitur : « Lectio Sacræ Scripturæ, vel Casuum Conscientiæ bis in hebdomada, præscriptis diebus, in singulis Monasteriis et Conventibus habeatur, ad quam Fratres omnes conveniant, eaque absoluta, mutua collatione, circa explicatam doctrinam sese utiliter exerceant. »

(7. In his autem extremis Resolutionibus edendis Eminentissimi Patres Sacrar. Congregationum Concilii, et Disciplinæ, præ oculis habuerunt Constitutionem Innocentii XIII super Ecclesiastica Disciplina in Regnis Hispaniarum a Benedicto XIII confirmatam Const. *In supremo militantis Ecclesiæ solio* et Decretum Concilii Provincialis Romani Præside eodem Benedicto XIII habiti tit. 15, cap. 9. Nam in memorata Constitut. § 7, legitur : « Sed et cum personæ Ecclesiasticæ nunquam satis in obsequiis supremo Numini exhibendis, iisque præstandis, quæ eorum statui consentanea sunt, exerceri valeant; plurimum in Domino commendamus pium morem in plerisque Hispaniarum Diœcesibus vigentem, ut Clerici tam in minoribus, quam in majoribus Ordinibus constituti, atque etiam Presbyteri, tametsi Beneficia, vel Officia Ecclesiastica non habentes, superpelliceo induti in Ecclesiis, quibus adscripti fuerint, Missæ Conventuali cum cantu celebratæ, necnon primis, et secundis Vesperis Officii, diebus Dominicis, aliisque Festis assistant. Quinimo enixe hortamur, ut Episcopi aliarum Diœcesium, in quibus mos ille institutus hactenus non fuerit, id in posterum servari curent in omnibus, ac insuper satagant, ut omnes Ecclesiastici prædicti etiam collationibus habendis coram Parochis suis, vel aliis ab Episcopo deputatis, super casibus, conscientiæ forum concernentibus, et super ritibus, ac cæremoniis sacris intersint. »

(8. Concilium vero Provinciale Romanum *loc. cit.* « Sane, *inquit*, prout, quibusdam referentibus, et experientia ipsa, non sine gravi nostri cordis dolore, didicimus, plures sunt Ecclesiarum, etiam non ignobilium, sacrorumque Altarium Ministri, qui, parum illius attendentes majestatem, et dignitatem, ad cujus intimum sunt famulatum addicti, in Choro, in Altari, et reliquis officiis ecclesiasticis, ita minus apte se habent, ut in plurimorum scandalum, et exemplum perniciosum

Digitized by Google

id cedere dignoscatur. Rubricæ namque ut plurimum ignorantur, et sacræ cæremoniæ usu ipso vilescunt. Quocirca operæ pretium ducant Episcopi, omnemque curam ac diligentiam adhibere non desinant, quousque Congregationes, tum in Civitatibus, tum in Diœcesibus, per omnes de Clero, sacris initiatos, Canonicos, Parochos, et Confessarios, (Regulares etiam, dummodo morales in eorum Conventibus lectiones non habeantur, alias ab audiendis confessionibus suspendendos) semel in unaquaque hebdomada, certoque designando die, et sub certa pœna pecuniaria contra contumaces, habeantur, in quibus alternatim, et Rituum, et Conscientiæ casus proponantur, discutiantur, et practice exerceantur, methodo servata Synodali, quæ legetur in Appendice. »

(9. Igitur ad Conventus de casibus conscientiæ, et sacris ritibus compelli ab Ordinariis Locorum possunt. I. Parochi omnes cum Sæculares tum Regulares. II. Omnes Confessarii Sæculares, et Confessarii Regulares ad Sæcularium Confessiones excipiendas approbati, *dummodo morales in eorum Conventibus lectiones non habeantur*, cujus quidem rei Ordinarius juratum Superioris testimonium exigere poterit, ut exigendum dicitur in Synodo Viterb. an. 1762, tit. 1, cap. 3, num. 5. III. Omnes Canonici et Presbyteri. IV. Omnes in Sacris Ordinibus constituti.

(10. Jam quæ pœna ab Ordinariis locorum constitui possit in illos, qui, cum hujus generis Conventibus interesse debeant, interesse tamen negligunt, ex Resolutionibus, et Decretis *num.* 4, et proximis allatis constat. Nempe Parochi, Canonici, Confessarii, cæterique e Clero Sæculari pœna pecuniaria puniri queunt, censuris non item quemadmodum ex Resolutione Sac. Congregationis Concilii in Larinen. Decretorum allata num. 4, evincitur. Quo quidem exemplo utitur Benedictus XIV de Synodo Diœcesana lib. 10, cap. 2, num. 4, ut ostendat ex sententia Sac. Congr. Concilii censuram latæ sententiæ tamquam extremum remedium esse tantum adhibendam, cum malum gravissimum est, neque aliter præcidi, aliisque pœnis cohiberi potest. Sic autem habet : « Hanc pariter fuisse, esseque constantem sententiam Sacræ Congregationis, ex eo colligitur, quod paucis ante annis accidit Episcopo Larinensi. Habita ab eo fuerat Diœcesana Synodus anno 1728 adversus cujus nimium severas Constitutiones Clerici Larinenses appellarunt : sed s. m. Benedictus XIII appellatione rejecta, eas ad unguem servari jussit. Benedicto e vivis erepto, ab ejus Successore Clemente XII facultas facta est Larinensibus Clericis sua jura deducendi ad Sacram Congregationem Concilii : quæ cum in prima ex Synodalibus Constitutionibus, a Clero impugnatis, sanctum deprehenderit, ut omnes indiscriminatim Ecclesiastici tenerentur interesse Congregationi, de quæstionibus, ad forum conscientiæ spectantibus, haberi consuetæ, atque in earum altera injunctum viderit Sacerdotibus, ut quotiescumque prædictæ Congregationi non interessent, insequenti die abstinerent a celebratione Missæ, die 30 Augusti 1732 rescripsit primam Constitutionem non sustineri quoad Clericos nondum sacris initiatos ; ex altera vero deleri jussit præfatam pœnam suspensionis : etsi enim hæc levissima esset, et unica tantum die Sacerdotes arceret a Sacro Altaris ministerio, levior tamen Sacræ Congregationi visa est culpa, propter quam infligebatur : quod videri potest in Thesaur. Resolut. t. 5, pag. 387. Pœna pro Regularibus est suspensio ab audiendis Confessionibus ex Concilio Romano. »

(11. Extremum est, ut Methodum Synodalem in cœtibus istis servandam, quæ legitur in Appendice ad Concilium mox laudatum num. 17, tum Decreta Sancti Caroli Borromæi ex Instructionibus Congregationum Diœcesanarum tit. 16 et seqq. Actorum Ecclesiæ Mediolanensis part. 4, referamus.

(12. Metodo da tenersi dal Clero nelle Congregazioni de' Sagri Riti, e Casi di Coscienza. Cit. Tit. 15, cap. 9.

Chi si ricorda, che Iddio per Osea (1) disse ai Sacerdoti del vecchio Testamento (2): *quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi :* rifletterà bene, quanta scienza si richiegga nel Sacerdozio Evangelico; non dovendosi negare alla verità quello che richiedevasi all' ombra, ed agli enigmi. E maggiore scienza certamente richiedesi in quei, che non hanno già da offerire su de' Sacri Altari vittime di animali immondi, ma lo Immaculato Agnello di Dio; e devono ministrare i Sagramenti, che dal di lui aperto costato diramaronsi a Benefizio dell' Universo. Per non essere adunque i Sacerdoti, ed ogni altro Ministro dell' Altare, come ignoranti, rigettati dagli esercizi de' nostri sagrosanti Misteri; frequenteranno le Congregazioni de' Casi, e de' Riti, tanto inculcate precisamente nel presente Concilio Romano, le quali faransi nella maniera, che qui si soggiunge, e si propone doversi osservare.

1. Una volta adunque per ciascheduna settimana ne' luoghi, da stabilirsi da' Vescovi, ed in Roma dall' Eminentissimo Signor Cardinal Vicario farassi a vicenda, or l'una, or l'altra Congreg. de' Casi, e de' Riti. Vi sarà Prefetto, che presederà; e sarà il costituito da' Vescovi medesimi, i quali parimente costituiranno un Segretario, coll' uffizio come appresso.

2. Il giorno, ed ora prefissi, significheransi dal Prefetto di ciaschedun luogo. Mezz' ora innanzi il Segretario di essa Congregazione farà sonare alla distesa, per un mezzo quarto di ora, la Campana della Chiesa, ove farassi la Congregazione.

3. Congregati che saranno tutti nel luogo determinato, quei, che debbono convenire, si darà principio alla conferenza dal Prefetto con l'Inno : *Veni Creator Spiritus*, dopo il

(1) Ad Tit. celebrat. Missar.

(2) Osea 4. v. 6.

Digitized by Google

quale egli stesso soggiungerà l'Orazione dello Spirito Santo, della Beata Vergine, e quell' altra *Actiones nostras etc.* nel qual tempo staranno tutti inginocchiati.

4. Finita la Orazione, si porrà ciascuno a sedere con ordine, la metà per parte, ed in mezzo in faccia al Clero, sederà il Prefetto, il quale terrà avanti di se un tavolino, con quei libri, che stimerà egli necessarî, come anche l'orologio da polvere per misurare il tempo, che dovrà durare la Congregazione, e sarà almeno di un' ora.

5. Da un lato del medesimo tavolino sederà il Segretario, che dovrà tenere presso di se il ruolo di tutti quegli Ecclesiastici, che saran tenuti a convenire con carta, penna, calamajo, ed un libro grosso, che dovranno somministrarsi da' Procuratori de' Capitoli, Collegi, e Clerî obbligati; ed in tal libro dovran registrarsi i Casi, che si discuteranno colle loro decisioni, in ciascheduna conferenza, come si dirà appresso, parlandosi dell' uffizio del Segretario.

6. Posti che saranno tutti a sedere, il Prefetto per un quarto di ora leggerà, e spiegherà un capo di qualche Concilio Provinciale, o Diocesano, appartenente alla propria Diocesi, acciocchè in questa maniera venga ricordata ed inculcata a ciascheduna la legge, che deve osservare, e far da altri osservare.

7. Terminata questa lezione, e spiegazione, si passerà alla discussione di un sol Caso, o rituale, o morale, come si è detto di sopra num. 1, intorno al quale discorreranno almeno due; e questi si caveranno a sorte da una bussola, ove saranno in tante cartelline i nomi degli obbligati alla Congregazione, acciocchè tutti vengano preparati. Intorno a ciò si spenderà un altro quarto di ora, o più, secondo parerà spediente; avvertendo, che tale discussione segua con sodezza di dottrina, con brevità, e senza strepito di parole.

8. In fine della discussione il Prefetto, o qualche altro (secondo altra più buona regola, giusta il numero de' Soggetti, che vi saranno, il quale però si caverà a sorte da un' altra bussola, e dovrà avvisarsi quindici giorni innanzi) brevemente determinerà la conchiusione del caso proposto, con quelle sode dottrine, che egli stimerà più vere e più fondate. Ed acciocchè possan tutti prepararsi s' ingiunga a ciascheduno, che abbia presso di se qualche libro di Autore più Classico che tratti praticamente di Teologia, e Casi morali; e per le materie de' Sagri Riti, abbiansi almeno i Commentarî del Sarnelli, fatti stampare e ristampare di ordine di Nostro Signore, il Gavanto, il Bauldri, e da Parochi anche il Corsetti.

9. Nel terzo quarto di ora si metteranno in pratica i Sacri Riti; principiando dalla Messa privata, Messa solenne, Funzioni Parochiali, e ministrazioni de' Sagramenti, avvertendosi, che ciò si faccia un poco per volta, e con attenzione, da chi deputerà il Prefetto; dal quale si destinerà ancora un

Maestro di Ceremonie, per le correnti animadversioni, e dovute ammende.

10. L'ultimo quarto si spenderà nell' orazione mentale; proponendosi da uno, che per le prime volte pur destinerà il Prefetto i Punti da meditarsi secondo il metodo dato da S. Francesco di Sales; e per maggior comodo e facilità potranno prendersi dal celebre Tommaso da Kempis; in appresso però, quando giudicherà il Prefetto, si caverà anche dall' altra bussoletta chi dovrà dare la meditazione, affinchè ognuno s' impratichisca in sì necessario, ed utile esercizio di orare.

11. Finalmente si terminerà la meditazione con qualche breve orazione vocale, come *Agimus, etc. Confirma hoc Deus, etc.* e colle Litanie della Beata Vergine, e sua orazione in fine.

12. Fatti questi esercizî, s'intimerà la Congregazione futura, leggendosi a tal' effetto dal Secretario il foglio, che gli darà il Prefetto, dove sarà prescritto il giorno, e l'ora della medesima, e notato il Caso da discutersi, con quella parte della Funzione, che dovrà mettersi in pratica, e chi dovrà dare la meditazione; il qual foglio poi dovrà affiggersi in luogo patente nella Sagrestia, acciocchè da tutti sia veduto, e possa ciascheduno opportunamente prevedere collo studio la resoluzione del dubbio, che si discuterà, e prepararsi alla pratica della proposta funzione.

13. L'uffizio poi del Secretario sarà, finita che sia la conferenza, di registrarla compendiosamente nel libro accennato; notando primieramente il giorno, l'ora, ed il luogo, nel quale fu tenuta, co' nomi di tutti gli Ecclesiastici, che vi saranno radunati; o per far breve, con notarvi i soliti assenti, acciocchè siano corretti. Indi registrerà il caso esaminato, i nomi di quei, che usciti a sorte, han discorso sovra il medesimo; indi vi trascriverà la decisione, che riceverà da chi l'avrà fatta: dipoi noterà quella parte della funzione pratica; ed in fine si sottoscriverà col suo nome, e cognome.

14. Finito tutto ciò dovrà lo stesso Secretario in una notola, sottoscritta da lui, notare i nomi de' mancanti senza legitimo impedimento, la quale deve sempre approvarsi dal Prefetto, e consegnarla al Vicario del Luogo, ad effetto di procedere alla pena stabilita; e sarà obligazione precisa dei Vicarî medesimi di vedere, ed insieme invigilare che il Segretario non manchi al suo uffizio, ad effetto di avvisare i Vescovi medesimi, per darvi i rimedî opportuni.

15. E perchè nel Segretario somma fede si ricerca, mentre al libro conservato da lui dovrà aversi piena credenza per le attestazioni, che di ordine, o del Vescovo, o della sua Curia, si estrarranno intorno alla frequenza degli Ecclesiastici in questo esercizio, egli dovrà giurare sovra il S. Vangelo in manc de' Vicarî de' luoghi, di amministrare fedelmente il suo uffizio; nè si tralascerà nel libro stesso delle Conferenze di registrare l'Atto del dato giuramento.

Digitized by Google

16. Questo Libro, nel principio del quale si trascriverà questo Metodo, dovrà visitarsi ogni anno almeno da' Vescovi, o da' loro Vicarî Generali, i quali non si graveranno d'intervenire di quando in quando a somiglianti Congregazioni, per osservarne la pratica, ed il profitto, e sovratutto (perchè più sogliono essere i negligenti, che gli osservanti delle leggi) a fine di muovere gli svogliati anche col loro pratico esempio.

F. A. Arcivescovo di Avellino e di Frigento, Segretario del Concilio.

(13. Decreta Sancti Caroli Borromæi ex citata Instructione.

TIT. XVI.

De tempore loco rationeque quæstionum explicandarum.

« Cibo sumpto, postquam de more gratiæ Deo actæ sunt, omnes superpelliceis induti, qui officii auctoritate aut dignitate præditi sunt, suo, quem in choro adhibent, habitu vestiti, in Ecclesiam, quæ si longius distat, in sacellum, sique nullum est, in parochi ædes convenient : ubi (id quod ex decreti provincialis auctoritate in omni clericali conventu servandum est) statam illam orationem, a qua uniuscujusque Congregationis initium sit, Vicarius devote dicet; neque Conventum dimittet, nisi perorata ab eodem altera ejusdem generis precatione.

« Deinde iis exclusis, quos adesse non licet, et Ecclesiæ, locive ubi Conventus habetur, foribus clausis, suo quique loco non tumultuarie raptimque, sed graviter ordineque consideant.

« Atque ordo quidem hic erit, ut mox infra :

« Vicarius, aut si hic abest, ille qui pro Vicario est (quia Episcopi vicem gerit) primariam ubique sedem locumve obtinebit.

« Proximum locum is, qui præcipuam in capite plebis dignitatem habet.

« Huic definitor prope assidebit.

« Capitulum deinde Canonicorum plebis, si collegiatim aderit.

« Postea si alius Præpositus, aut Archipresbyter cum capitulo aderit, ejus capitulum subsequatur.

« Deinceps alius in dignitate constitutus, qui sine capitulo aderit.

« Iis proximi erunt Parochi titulares, et Vicarii perpetui : inter quos idem considendi ordo erit, qui antiquitatis in parochia quam in ea regione regunt, possessione.

« Parochis titularibus proximi erunt qui titulum non habent, eadem ratione; tum coadjutores.

« Post hos Canonici, qui non collegiatim, sed extra ordinem conveniunt.

« Deinde Cappellani titulares, si modo Sacerdotes sint, et inter hos primo loco sedebunt, qui beneficii ratione chori officiis devincti sunt, deinceps reliqui eodem ordine omnes, quo ad benefecium pervenerunt.

« Post hos erunt Sacerdotes, qui clericatum, aliudve ejusmodi beneficium obtinent.

« Sequentur Cappellani qui titulo carent, eo ordine, quo in Sacerdotii, Diaconatus, Subdiaconatusque gradu constituti sunt.

« Rademque ratio servabitur inter Clericos inferiorum ordinum, quorum ultimus locus erit.

« Externi autem (si quando iis ad Congregationem aditus dabitur) primum locum teneant inter eos, qui ejusdem ordinis dignitatisque sunt, Rector Ecclesiæ ubi conventus habetur reliquis omnibus Sacerdotibus locum cedet, eosque honore præveniet, ut Apostolus monet

« Si quis in conventu loco suo non consederit, aut extra ordinem sententiam dixerit, pro culpæ modo plectatur Vicarii arbitratu.

« Absint ab omni conventu joci, cachinni, scurriliter dicta, rixæ, contentiones, pertinacesve altercationes.

« Si fortasse rixæ, contumeliæ, dissidia, convitiave, aut injuriæ aliquando oborirentur, eos inter quos extiterint, Vicarius adhibitis duobus tribusve aliis de conventu, si opus erit quamprimum reconciliare studeat.

« Nec vero corrigere mulctareque eos prætermittat Vicarius; et præterea illorum nomina idem aut punctator ad Episcopum deferat; qui pro culpæ gravitate alia pœna arbitratu suo afficiat.

« Huic officio si Vicarius aut punctator defuerit, pœnam ipse luat, qui id agere neglexerit.

TIT. XVII.

Quæstionum explicandarum modus.

« Conventu coacto, silentioque indicto, singulas quæstiones Cancellarius de scripto pronunciet. Tum Vicarius de singulis quæstionibus sententiam omnes roget.

« Qua in re ab iis initium faciet, qui ultimo loco sedebunt, sicque ordine ad eos perget, qui sibi proximi assident.

« Is vero sententiam ne dicat, sed de aliorum sententiis judicium breviter ferat, vel eas interpretetur, vel dicendi animum addat, vel hæsitantem excitet.

« Ac deinde se gerat tamquam præfectum, atque adeo judicem uniuscujusque ingenii, solertiæ, studii, doctrinæ, ac diligentiæ.

Omnium sententiis auditis, Definitor, Vicarii jussu, rem explicet, decidet, ac definiat.

« Ad propositam quæstionem unusquisque explicate distincteque respondeat : opinionemque suam argumentis non tam e schola, quam ex usu rerum sumptis confirmet : doctorum unde eam acceperit, locus non de scripto, sed memoriter, et ad verbum latine recitet, nisi ob causam Vicario aliter videatur.

TIT. XVIII.

Quæstionum explicandarum materia.

« Ea sit quæstionum materia, quam hominum mores, et rerum quæ in ea regione ubi conventus habetur, geruntur, actiones negotiationesve subministrabunt.

« In iis denique rebus quæstiones versentur, quæ ad casus conscientiæ, non ad ingenii exercitationem pertinent; usque adeo,

Digitized by Google

ut qui in diœcesano conventu sunt, rerum potius tractationem et usum, quam verborum argutias consectentur.

TIT. XIX.

Cujus sit quæstiones proponere.

« Quæstiones proponere ejus sit, apud quem conventus celebrabitur.

« Is vero ubi conventum apud se proxime futurum esse sciverit, præter ea, quæ pro Ecclesiæ suæ utilitate, et animarum, quarum curam gerit, salutaribus commodis consulenda censuerit, quæstiones etiam ordinarias quas ipse propositurus est, a Definitore habere studebit, easque Parochis, et aliis Sacerdotibus in conventu proximo superiori tradet.

« Definitor autem quæstiones ab eo accipiat, quem huic muneri Episcopus in civitate præfecerit, aut ab eo saltem recognosci, probarique curet, ut Episcopus maluerit.

TIT. XX.

De studio ad Quæstiones explicandas adhibendo.

« Ut omnis quæstionum explicatio utilis et salutaris sit, studium propterea non mediocre poni debebit in gravissimorum auctorum commentariis.

« Libros porro huic studio necessarios sibi quisque comparare studeat, eosque potissimum, quos ingenii sui industriæ accomodatos esse Definitor de Vicarii consilio judicarit.

« Cum autem præ rei familiaris tenuitate librorum copia apparari non potest, cumve talis multitudo ob ingenii imbecillitatem inutilis est : tunc utilissimum erit, unum e recentioribus scriptoribus seligere, qui aliorum sententias breviter dilucideque comprehendat, ac recenseat.

« Qui toto hoc in genere (quod parochis valde necessarium est) progressionem non exiguam facere volet, positis quæstionibus jejune exiliterque respondere non contentus, universam illarum materiam intelligentia percipiat; capita rerum, unde cætera proficiscuntur, memoria comprehendat; axiomata, e quibus quæstionum omnium definitiones pendent, teneat; multum doctorum auctoritati, plurimumque rationibus tribuat.

« Cum iis autem qui gravissimarum disciplinarum scientiam tenent, suorum studiorum rationem conferre, valde admodum utile est.

« Quare unusquisque curet, ut aliquem habeat Theologiæ, aut juris canonici peritum, quo magistro duceque utatur, ad rerum dubiarum, et magnarum difficultatum explicationes.

« Ubi quæstionum exemplum habuerit confestim in earum studium incumbet diligenter.

« Opinionem vero, quam probabilitate ductus sequi statuet, ubi eam intelligentia comprehenderit, accurate describat, incerta quædam capita conclusionesque distinguat, earum rationes subjiciat; distinctionesque item, rerum dubiarum interpretationes, exceptiones, et auctores adjungat.

» Hanc opinionis sententiæque suæ descriptionem, veluti quoddam studii sui testimonium et argumentum secum ad conventum afferat.

« Qui hanc studiorum suorum rationem neglexerit, is quarta auri nummi parte mulctetur.

« Si vero negligentiæ contumaciam adjunxerit, eum Vicarius Definitorve ad Episcopum deferat, cujus auctoritate ex desidia excitetur, et contumacia coerceatur.

TIT. XXI.

De Definitore.

« Definitor in omni conventu is erit, qui in ea plebana regione præbendam theologalem obtinet, nisi aliud fortasse statuendum Episcopus censuerit.

« Ejus munus erit, ubi omnium sententias audierit, summatim colligere quæ fuse dicta sunt; prætermissa commemorare, falsa a veris, dubia a certis singularia a communibus secernere; dissidentes inter se doctorum opiniones conciliare; et quæ verior doctrina sit, exponere; ac rem denique omnem enucleate explicare.

« Ut vero muneris sui partes præclare obeat; magnum in eo studium ponat, ut gravissimos quosque scriptores evolvat, optimas sententias seligat, quas bene notas planeque perspectas habeat, ut alios facile docere possit.

« Ad studium opus est etiam consilium adjungat; quamobrem in magnis difficultatibus consulat præstantes Theologiæ, aut Juris canonici scientia viros Episcopo probatos, in primisque Ecclesiæ Cathedralis Pœnitentiarium : iisque familiaris esse studeat, quorum consilio in rebus ambiguis utatur.

« Ut vero et studium et consilium ad Officium suum adhibere possit, quæstiones de quibus in conventu disserendum est, ad se quamprimum mitti curet : nec vero eas evulgari patiatur : nisi a se primum recognitas, tum ab eo probatas, quem huic curæ Episcopus præfecerit.

« Dum autem sententiæ dicuntur, id caveat Vicarius, ne novæ quæstiones, et a re, de qua agitur, alienæ interferantur, aliave res geratur, quam quæ instituta est.

« Amputet inania, aliena, atque inutilia, quæstiones vero in verbis positas longe abesse jubeat. Quæstionum explicationem, quam Cancellarius in acta referat, ei accurate dictet : exemplum ejus ad Cancellarium Episcopalem quam primum Vicarius mittat.

TIT. XXII.

De Actis conventus conscribendis.

« Vicarius diœcesanus, si notarium hominem Ecclesiasticum, eumque idoneum et probatum, quem ei Episcopus constituerit, et dederit, habet; hunc ipsum ad ea adhi-

Digitized by Google

beat, quæcumque in conventu agenda, scribendæ sunt.

« Idemque congregationis diœcesanæ Cancellarius censeatur, qui omnia, quæ ad illius acta conscribenda pertinent, gratis omnino præstet.

« Si vero talem quemquam non habuerit, alium ex ipso conventu deliget, qui et ad dictandum, et ad scribendum, ejusdem Episcopi judicio magis idoneus erit.

« Ejus munus sit, omnia conventuum suæ regionis acta diligenter conscribere, et in librum referre, quem eo potissimum nomine confecerit.

« Quæ vero sigillatim ab eo notari oportet, hæc sunt

« Locus ubi conventus habitus est.

« Annus, Mensis, Dies conventus.

« Qui præsentes adfuerint.

« Absentiæ excusationes; quæ acceptæ, quæ item rejectæ.

« Qui Missam solemnem celebrarit, quique ministraverint.

« Qui sigillatim reliqui Sacerdotes, qui Missæ sacrum fecerint.

« Qui ad Populum Clerumve concionem habuerit. Ecclesiæ, Ecclesiasticorumque hominum visitatio. Qui præterea testificationes confessionum non attulerint.

« Quæ item quæstiones propositæ, earumque singularium explicatio.

« Indictio futuræ congregationis.

« Quid etiam Episcopi jussu promulgatum sit.

« Mulctæ quoque et pœnæ quibus irrogatæ sunt, ordine describantur.

« Omnis autem mulcta apud regionis thesaurarium deponatur, aut in aliqua certa arca eo nomine constituta recte asservetur.

« Mulctarum vero libri exemplum in singulos annos ad Episcopum afferratur : cujus arbitratu, vel in supellectilem sacram quæ conventus foranei usui sit, vel in sublevationem inopiæ Sacerdotis, Clericive pauperis, vel in aliud opus pium illæ erogentur. »

(14. Qui plura de his velit, legat **Benedicti XIV Institutiones Ecclesiasticas tres**, nimirum **XXXII. CII. et CIII. in quarum prima de istorum cœtuum convocandorum causa, atque utilitate, et de ratione, qua fieri a Clero Bononiensi debeant, agit. In altera, quæ est Epistola Encyclica Archipresbyteris, et Parochis Diœcesanis missa, declarat teneri singulos Archipresbyteros indicere cœtum, in quo morales quæstiones examinandæ, proponantur; omnes Parochos, et Confessarios ad eosdem cœtus convenire debere : ac transmittenda esse ad P. Pœnitentiarium responsa propositis quæstionibus reddita. In tertia normam quamdam præscribit pro his cœtibus in Metropolitana sua servandam, tractat de illis, qui iisdem cœtibus interesse tenentur; ac tres istas quæstiones expendit; « Utrum omnes, qui Canonici dignitate insigniti sunt, convenire debeant. An Canonicus Pœnitentiarius intervenire adstringatur. Utrum Confessarii Regulares ad excipiendas Laicorum Confessiones approbati hosce Ecclesiasticos Conventus adire teneantur. »**

(15. Ex multis autem, quæ ab eo sapienter decreta sunt, illud mihi sapientissime constitutum videtur, ac dignissimum, ut Ordinariis omnibus Locorum imitandum proponatur, quod Institut. CII. num. 1. a se Pœnitentiario qui cœtibus istis in Metropolitana Bononiensi præerat, quæstionesque in illis, et per Diœcesim universam expendendas proponebat, præscriptum fuisse commemorat : ut ipse post accuratum examen typis evulgaret, quid reipsa propositis quæstionibus respondendum esset, ne incertum semper esset an responsa illis quæstionibus reddita, veritati consentanea forent, utque illi, qui falsam sententiam protulerant, errorem agnoscerent, qui vero sapienter judicaverant, quadam voluptate recrearentur.

CONGRUA.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Congrua quibus debeatur et in primis quoad ea, quæ concernunt Congruam Episcoporum, eorumque Coadjutorum.*

1. Congrua debetur omnibus Ecclesiarum Rectoribus curam animarum exercentibus, eorumque Vicariis, et Coadjutoribus. — 2. Congrua pro Episcopis taxata est in scutis mille, et pro Parochis in scutis 100. — 3. Congrua taxata in mille scutis pro Episcopis, debet intelligi de moneta illarum partium, in quibus situs est Episcopatus. — 4. In Regno tamen Neapolitano fuit taxata Episcopo in scutis 700. — 5. Verum certa regula in hac materia præscribi nequit, sed totum remittitur prudenti Judicis arbitrio in Congrua taxanda. — 6. In quo arbitrio habenda est ratio de dignitate, et qualitate personæ. — 7. De Officialibus et Familia. — 8. De oneribus Seminarii, manutentionis Ecclesiæ, Palatii, itineris ad Sacra Liminaria, eleemosynarum, sustentationis litium circa immunitatem Ecclesiæ, et de similibus. — 9. Et demum de consuetudine regionis. — 10. Episcopo petenti sibi condecentia alimenta denegari non potest Congrua. — 11. Etiamsi debeat aliunde, adhuc debet consequi Congruam ex fructibus Ecclesiæ. — 12. Etiamsi Episcopus acceptaverit Episcopatum nimis tenuem, aut nimis gravatum pensione. — 13. Etiamsi Episcopus consenserit, et se obligaverit ad pensionem. — 14. Et talis Congrua debetur ipsi Episcopo ex fructibus suæ Ecclesiæ. — 15. Et regulariter illam præstare debet, qui Beneficii fructus recipit. — 16. Et sic Reservatarius Beneficii tenetur Episcopo Congruam præstare actione reali, et personali, *usque ad n.* 19. — 20. Reservatarius dando schedulam solutionis Congruæ Episcopo, censetur cum Episcopo contraxisse, et se ad solvendam illam annuatim obligasse. — 21. Sic etiam Episcopis gravatis pensionibus assignari solent pro Congrua mille Ducati annui, de quibus securi jam redditi per schedulam mensariam, vel alio modo, coguntur relinquere pensionariis administrationem bonorum mensæ, seu alterius Beneficii. — 22. Episcopus in Congrua non tenetur computare reditus sui patrimonii si reservationi pensionis non consensit, minusque de suo solvere se obligavit. — 23. Secus vero, si Episcopus obligavit, et hypothecavit sua bona patrimonialia pro pensione. — 24. Primo loco, et ante omnia alia onera Episcopatus, est solvenda Congrua Episcopo. — 25. Maxime, si in impositione

Digitized by Google

onerum fuit addita clausula, *demptis pro Episcopo scutis mille*. — 26. Ita ut consentientes huic decreto reservationis ad favorem Episcopi teneantur illud observare. — 27. Et sic Congrua est, deducenda ante pensionem, ubi ea est solvenda, *usque ad n.* 28. — 29. Episcopi loco Congruæ, si indigeant, solent exigere Charitativum subsidium; Episcopi tamen, qui habent Congruam pinguem, non exigunt Charitativum subsidium. — 30. Episcopus adjutus debet præstare Congruam Episcopo Coadjutori, seu Suffraganeo. — 31. Et sic de facto Episcopo Amiciensi Coadjutori Archiepiscopi Alborensi in Sardinia fuerunt assignata mille scuta annua monetæ Romanæ, *usque ad n.* 32. — 33. Si Coadjutor, vel Suffraganeus Episcopi est pauper, non potest Congruam sibi in Literis Apostolicis assignatam remittere, — 34. Præterea debet Episcopus adjutus dare suo Coadjutori commoditatem habitationis in Palatio Episcopali, et omnia necessaria pro exercitio Pontificalium, et aliis Episcopalibus functionibus. — 35. 36. Utrum pensionario, an Episcopo incumbat onus probandi; quod Episcopo remaneant scuta mille pro Congrua.

Articulus II. — *Quod ea quæ concernunt Congruam Parochorum eorumque Vicariorum.*

1. Congrua debetur Parochis et Curatis. — 2. Hæc Congrua Parochis et Curatis debita, generaliter loquendo, taxatur in scutis centum. — 3. Et ubi aliter non fuerit a Papa expressum, intelligitur de moneta loci Beneficii. — 4. Congrua non debet ordinarie taxari major dictis scutis centum; nec minor scutis 50 annuis. — 5. In hac tamen materia non potest assignari certa regula, sed taxatio remittitur arbitrio Judicis. — 6. Quandoque enim fuit taxata ad scutis centum auri, et quandoque etiam plus. — 7. Generaliter loquendo taxanda est Congrua, quæ sit sufficiens ad commodam et honestam substentationem personæ, habita ratione de loco, fructuum quantitate, et onerum, qualitate personæ, et similibus. — 8. In Congrua taxanda debet haberi etiam ratio de numero excessivo animarum, ad quarum curam sit necesse Coadjutores etiam habere. — 9. Sic etiam de Constitutionibus Synodalibus Provinciarum. — 10. Et potissimum de consuetudine regionis. — 11. Licet in taxatione Congruæ pro Parochis, seu Curatis possint ab Episcopo considerari, et comprehendi emolumenta incerta, hoc tamen debet intelligi de incertis, quæ habent aliquam certitudinem, ut sunt decimæ frumenti, vini, olei, aliique fructus, et emolumenta incerta solum ratione summæ, et quantitatis. — 12. Non autem debet intelligi de emolumentis omnino incertis, ut sunt reditus, seu fructus consistentes in funeribus, oblationibus nuptialibus, eleemosynis Altaris, et similibus. — 13. Nisi de consuetudine loci aliter introductum doceatur. — 14. Congrua debetur loco alimentorum; unde repugnat ipsam Congruam dependere ab incerto eventu, *usque ad n.* 15. — 16. Nec in Congruam sunt imputanda, quæ debentur Parocho ratione laboris et servitii. — 17. Nec quæ extra Ecclesiam, vel extra Curam ipsam animarum percipiuntur. — 18. Neque sunt imputandi in Congruam Parochi fructus sui Patrimonii, si reservationi pensionis non consensit. — 19. Secus vero si in reservatione pensionis sua bona obligationi, et hypothecæ supposuit. — 20. Congrua debetur Parocho, etiamsi Beneficium tenue acceptaverit non sufficiens, *ad n.* 23. — 24. Congrua taliter sufficiens debetur Parocho, ut ea commode sustentari possit. — 25. Et Congrua ab Episcopo assignata præsumitur sufficiens, nisi probetur diminuta. — 26. Præsertim, si illa fuerit sufficiens pro aliis Rectoribus antecessoribus. — 27. Unde Congrua semel assignata non debet amplius assignari, vel augeri; sicuti non potest amplius diminui, *usque ad n.* 28. — 29. Congrua semel constituta non potest regulariter immutari, nisi ex causa. — 30. Hinc Parochus petens augmentum Congruæ debet probare assignatam non esse sufficientem, et paupertatem esse superventam. — 31. In tali casu Parochus non potest, nisi ad supplementum agere, et Episcopus debet prius arbitrari circa reditus Ecclesiæ, si sufficiant, et postea in subsidium cogere populum, vel alio modo providere. — 32. Si Congrua fuerit sufficiens tempore reservationis pensionis, quoties ex post diminuatur, augenda est de fructibus ejusdem pensionis. — 33. Parochi pro consequendo Congruæ credito præferendi sunt, deductis prius expensis culturæ, pensionariis. — 34. Vicariis perpetuis debet assignari Congrua portio de redditibus, fructibus, emolumentis, et proventibus Ecclesiæ incorporatæ Monasterio, Collegio etc. — 35. Talis Congrua est taxanda arbitrio Episcopi habito respectu ad qualitatem personæ, loci, et ad abundantiam, seu paupertatem fructuum, et reditum Ecclesiæ: dummodo non sit minor quinquaginta, nec major centum aureis pro quolibet anno. — 36. Pro Congrua assignari possunt solum illa emolumenta incerta, quæ habent quamdam certitudinem, ut sunt decimæ vini, frumenti, etc. Non autem emolumenta omnino incerta, ut sunt funeralia, etc., ut fuit dictum supra n. 11. et seq. — 37. Et sic censuit etiam Sac. Cong. Conc. — 38. Congruam certam debet habere Curatus, seu Vicarius, substitutus, quamvis amovibilis. — 39. Congrua semel sufficienter assignata Curato, seu Vicario, nisi superveniat notabilis mutatio, et interest nova rationabilis causa, non est locus assignationi novæ Congruæ, seu augmento. — 40. Nec potest minui, quamvis Curatus electus et deputatus diminutioni consentiat, et pro minori quantitate spondeat deservire, *ad n.* 41. — 42. Congrua Curato, seu Vicario non taxata, vel insufficiens assignata, si petatur, debetur in quantitate prout juris est, a die petitionis, seu motæ litis. — 43. Alia ad rem. *Remissive.* — 44. 45. An Parochus, qui vel interitum vel diminutionem passus est redditum Parochialium, agere vel pro Congrua, vel pro ejus supplemento valeat. — 46. 47. Utrum plures possessores decimarum, vel aliorum bonorum Parochiæ teneantur in solidum, vel singuli pro rata. — 48 ad 50. An Ecclesiastici possint in solido conveniri, salvo tamen ei, qui convenitur, jure agendi contra cæteros. — 51. An in libertate eorum qui decimas, vel alia bona Parochiæ possident, sit, ea dimittere, ut se liberent ab onere congruæ *Remissive.* — 52. Quoad Parœciarum Congruam in Regno Neapolitano *Remissive.* — 53. Regium Decretum 22 Octobris 1822. — 54. Aliud Decretum 27 Junii 1823. — 55. Referuntur generalia et communia statuta.

ARTICULUS I.

Congrua quibus debetur? et in primis quoad ea quæ concernunt congruam episcoporum eorumque coadjutorum.

1. Congrua debetur omnibus Ecclesiarum Rectoribus Curam animarum exercentibus, eorum Vicariis, et Coadjutoribus; cap. de Monachis 12, Cap. *Cum secundum Apostolum* 16, cap. *Extirpandæ* 30, de Præbend. c. de Rectoribus 3, de Clerico ægrotante; Conc. Trid. sess. 7, cap. 5, sess. 21, c. 4, et sess. 24. cap. 13, de reformat. ubi pro Episcopis taxata est Congrua in scutis mille, et pro Parochis in scutis centum ibi: (2. « Ad hæc in posterum omnes hæ Cathedrales Ecclesiæ, quarum redditus summam Ducatorum mille, et Parochiales, quæ summam Ducatorum centum secundum verum annuum valorem

Digitized by Google

non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur. »

(3. Pro Episcopis igitur generaliter loquendo fuit a Trident. cit. sess. 24, cap. 13. Congrua taxata in scutis mille de moneta illarum partium, in quibus situs est Episcopatus, Rota p. 2, recent. decis. 352, n. 5, decis. 449, n. 6, cum sequent. et decis. 762, n. 1, cum sequent., et p. 18, t. 1, decis. 389, n. 18, cum seq. (4. In regno tamen Neapolitano fuit taxata Episcopo in scutis 700. Rota part. 18, tom. 1, dec. 352, n. 2. (5. Verum certa regula in hac materia præscribi nequit, sed totum remittitur prudenti Judicis arbitrio in Congrua taxanda; Rota par. 18, tom. 1, decis. 351, n. 3, cum sequent. et decis. 389, n. 21. (6. In quo arbitrio habenda est ratio de dignitate, et qualitate personæ; Rota part. 18, tom. 1, dec. 351, n. 3, cum sequent. (7. De Officialibus, et Familia; Rota part. 18, tom. 1, decis. 23, num. 10, cum sequent. (8. De oneribus Seminarii, manutentionis Ecclesiæ, Palatii, itineris ad Sacra Limina eleemosynarum, sustentationis litium circa immunitatem Ecclesiæ, et de similibus; Rota part. 18, t. 1, dec. 23, n. 11, cum seq. et dec. 389, num. 19, cum seq. (9. Et demum de consuetudine regionis; Rota p. 18, tom. 1, dec. 351, n. 4.

(10. Episcopo petenti sibi condecentia alimenta denegari non potest Congrua, quæ loco alimentorum succedit, ex qua ipse ali, ejus Familia nutriri, et Episcopatus Majestas præservari debet; c. de Monachis 12. c. *Cum secundum Apostolum* 16. c. *Extirpandæ* 30. de Præbend. et cap. 1. eod. tit. in 6. Rota part. 18. tom. 1. dec. 23. num. 1. et dec. 389. n. 1. et seq. (11. Etiamsi habeat aliunde, adhuc debet consequi Congruam ex fructibus Ecclesiæ, quia Congrua datur in remunerationem ponderis diei, et æstus, quod suffert Episcopus, aut Rector in regimine animarum : unde non cogitur proprio stipendio militare, ex prima ad Corinth. cap. 9. cum dignus sit operarius mercede sua; cap. *Quicumque* 66 et cap. *Ecclesiasticis* 67. caus. 12. quæst. 2. Rota part. 18. tom. 1. decis. 23. num. 5. cum sequent. et decis. 351. n. 7. cum sequent. (12. Etiamsi Episcopus acceptaverit Episcopatum nimis tenuem, aut nimis gravatum pensione; quia non inde repelli debet a consecutione Congruæ, quæ est privilegium Ordinis elargitum a jure ne Episcopi, aut Rectores in opprobrium dignitatis mendicent, aut curam commissi sibi gregis deserant, ut declarando, dixit Rota par. 1. dec. 420. n. 4. et par. 2. recentior. dec. 459. n. 5. et part. 18. t. 1. dec. 23. n. 13. (13. Etiamsi Episcopus consenserit, et se obligaverit ad pensionem. Non enim talis præstitus consensus, sive tacite sive expresse est sufficiens ad impediendam hanc Congruæ assignationem, ex quo non potest oriri ipsi Episcopo aliquod præjudicium ab hujusmodi acceptatione, et consensu, quia non habet privilegium ad sui favorem tantum concessum, sed illud toti Ordini, et dignitati Clericali fuit impertitum, et ideo ne propter mendicitatem, et egestatem a suis Diœcesanis contemnatur, quorum veneratio ipsi pura, et incorrupta præservari debet, et ne impediatur animarum curæ vigilare, nec tacitus, nec expressus consensus ad hunc effectum in aliqua consideratione haberi debet; Rota part. 1. recent. dec. 420. n. 5. part. 18. tom. 1. dec. 23. n. 14. dec. 351. n. 10. cum seq. et dec. 389. n. 25. Vide etiam Josephum Mariam Maraviglia Leg. 194. Prudentiæ Episcop. ubi mordicus hanc opinionem defendit.

(14. Et talis Congrua debetur ipsi Episcopo ex fructibus suæ Ecclesiæ; Rota part. 18. tom. 1. dec. 351. n. 1. (15. Et regulariter illam præstare debet, qui Beneficii fructus recipit; cap. De Monachis, c. *Avaritiæ*, cap. *Extirpandæ*, et cap. *In Lateranensi* de Præbend. c. sicut de supplend. neglig. Prælator. Rota part. 3. recent. decis. 745, num. 1. (16. Et sic Reservatarius Beneficii tenetur Episcopo Congruam præstare actione reali, et personali; Rota d. dec. 745. n. 2. (17. Reali, quia fructus pro Congrua semper hypotecati remanent in quemcumque transeant; Rota in una Pampilonen. Jurispatronatus de Gonzaga 30. Januar. 1609. coram Reverendiss. Bononien. et dict. decis. 745. n. 2. (18. Personali vero, cum etiam conditione ex lege de fructibus perceptis Congrua debeatur; cujus conditionis vigore personalis actio contra quemcumque possessorem competit; §. *Sic itaque, discretis autem*, vers. *appellamus*, de institut. action. (19. Et præsertim contra possidentem fructus, qui alimentorum loco, qualis est Congrua, succedunt; l. Lucius ff. de alim. et cib. leg. Rota d. dec. 745. n. 2. et 3. (20. Reservatarius enim dando schedulam solutionis Congruæ Episcopo, censetur cum Episcopo contraxisse, et se ad solvendam illam annuatim obligasse; dict. leg. Lucius, ff. de alim. et cib. leg. Rota in una Toletana, Pensionis 5. Decemb. 1703. recent. dec. 745. n. 4. (21. Sic etiam Episcopis gravatis pensionibus assignari solent pro Congrua mille ducati annui, de quibus securi jam redditi per schedulam mensariam, vel alio modo, coguntur relinquere pensionariis administrationem bonorum mensæ, seu alterius Beneficii; Sac. Congr. [redacted] et Regul. in Alerien. 25, Januar. 1658. & 29. Mart. et 24. Maii ejusdem anni, apud Pignatell. tom. 4. consult. 727. n. 5.

(22. Episcopus in Congrua non tenetur imputare redditus sui patrimonii, si reservationi pensionis non consensit, minusque de suo solvere se obligavit. Licet enim Episcopus pingue patrimonium possideat, non tamen per hoc Congruæ Beneficio venit spoliandus, quæ nunquam denegatur, cum illa soleat assignari in recompensationem laborum, quibus subjacent illi, qui indefessis vigiliis curæ animarum præsunt, qui enim servit Altari, de Altari vivere debet; cap. Cum secundum Apostolum 16. de Præbend. et cap. Clerici omnes 10. caus. 1. quæst. 2. Rota. par. 18. tom. 1. dec. 23. num. 4. et dec. 389. num. 3. cum sequent. (23. Secus vero si Episcopus obligavit, et hypothecavit sua bona patrimonialia pro pensione; Rota

Digitized by Google

in una S. Severini Congruæ 22. Jun. 1665. § *Onera* coram D. Ottalora Præside Granaten. et d. part. 18. tom. 1. dec. 389. num. 2. (24. Primo loco, et ante omnia alia onera Episcopatus est solvenda Congrua Episcopo; Rota par. 1. recent. dec. 763. num. 1. cum seq. et part. 18. tom. 1. dec. 351. num. 6. (25. Maxime si in impositione onerum fuit addita clausula, *demptis pro Episcopo scutis mille;* d. dec. 763. num. 1. in fine. (26. Ita ut consentientes huic decreto reservationis ad favorem Episcopi, teneantur illud observare; d. dec. 763. num. 2. (27. Et sic Congrua est deducenda ante pensionem, ubi ea est solvenda; Rota par. 2. recent. dec. 352. n. 5. (28. Cum Episcopi, deductis prius impensis culturæ pro credito Congruæ, uti potiores præferendi sint Pensionariis, qui uti Creditores fructuum ex illis solum satisfieri debent; Rota in d. S. Severini Congruæ 22. Jun. 1665. coram Ottalora, § *Neque revelat*, in fine, et par. 2. recent. dec. 763. num. 1. et par. 18. tom. 1. dec. 389. (29. Episcopi loco Congruæ, si indigeant, solent exigere Charitativum subsidium. Episcopi tamen, qui habeant Congruam pinguem, quæ excedat taxam a Concilio præscriptam, non exigunt Charitativum subsidium; S. Congreg. Concil. in Gerunden. 17. Febr. 1663. et Sac. Cong. Episc. in Policastren. 19. Aprilis 1697.

(30. Episcopus adjutus debet præstare Congruam Episcopo Coadjutori, seu suffraganeo; Coadjutor enim debet recipere congruam portionem de proventibus Ecclesiæ, seu Beneficii, cujus Prælato datus est; arg. cap. de Rectorib. 3. de Cleric. ægrot. ibi: « De facultatibus Ecclesiæ ad sustentationem suam Congruam, recipiat portionem; « cap. *Pastoralis unic.* de Clerico ægrotant. in 6. § *Præsenti*, ibi: « Præsenti quoque adjicimus sanctioni, ut Coadjutores hujusmodi de proventibus Prælatorum, in quorum assumentur auxilium, sumptus recipiant moderatos. » (31. Et de facto Episcopo Amiciensi Coadjutori Archiepiscopi Alborensis in Sardinia fuerunt assignata mille scuta annua monetæ Romanæ absque incertis, quæ cedere deberent Archiepiscopo; Sac. Congreg. Episcop. et Regular. in Orestana 18. Novembris 1639. Et di[illegible] Junii 1568. (32. Apud Sanctum Petrum in Consistorio Sanctitas Sua decrevit omnes pensiones assignatas Suffraganeis super fructibus Ecclesiarum, quibus præficiuntur, transire ad Successores, dummodo illis Ecclesiis, quarum sunt suffraganei, deserviant, vel saltem per ipsos non stet, quin inserviant, alias censeantur extinctæ; Suffraganei vero deinceps dari non possint Archiepiscopis, et Episcopis, etiam quibus solent concedi, nisi pro eorum sustentatione assignetur super fructibus Ecclesiarum, quibus suffragari debent, tercenti, vel saltem ducenti aurei de Camera. (33. Si Coadjutor, vel suffraganeus Episcopi est pauper, non potest Congruam sibi in Literis Apostolicis assignatam remittere; S. C. Conc. 26. Jun. 1621. (34. Præterea debet Episcopus adjutus dare suo Coadjutori commoditatem habitationis in Palatio Episcopali, et omnia necessaria pro exercitio Pontificalium, et aliis Episcopalibus functionibus; Sacr. Congregat. Episcop. in Nicoteren. 27. Junii 1619.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(35. Utri, Pensionario ne an Episcopo incumbat onus probandi, quod Episcopo remaneant scuta mille pro Congrua, non incongrue hic quæritur. (36. Invaluit distinctio, quod si pensionarius agit in judicio possessorio, Episcopo onus incumbit probandi, quod ipsi non remaneant scuta mille pro Congrua, quum possessio relevet ab onere probandi, nec qui est in possessione tenetur exprimere causam suæ possessionis. (37. Quod si Episcopus agit contra Pensionarium in petitorio judicio, dicens se non teneri ad pensionem, eo quia reservatio nullitate laborat, onus probandi, quod mille pro Congrua remaneant Episcopo, incumbit Pensionario, quia cum agatur de jure percipiendi pensionem, causa exprimi debet ab eo, qui ipsam sibi deberi asserit: Confer Barbosam de Offic. et Potest. Episc. alleg. 120. n. 14. Rotam in magistrali dec. 169. per tot. cor. Montic.

ARTICULUS II.

Quod ea, quæ concernunt congruam parochorum, eorumque vicariorum.

(1. Congrua debetur Parochis, seu Curatis nedum de jure communi, cap. de Monachis 12. cap. *Cum secundum Apostolum* 16. cap. *Extirpandæ* 30. de præbend. c. 1. eod. in 6. cum concordant. sed etiam ex Concil. Trident. sess. 21. cap. 4. de reformat. et Constit. S. Pii V. incip. *Ad exequendum;* Rota part. 3. recent. decis. 392. num. 2. part. 16. decis. 316. num. 4. (2. Et hæc Congrua Parochialis, et Curatis debita, generaliter loquendo, taxatur in scutis centum non solum ab ipso Concilio Trident. sess. 24. cap. 13. de reform. sed etiam a S. Pio V. in dicta Constitut. incip. *Ad exequendum;* Rota part. 18. tom. 1. recent. decis. 374. num. 2. et part. 19. tom. 2. dec. 112. num. 4. (3. Et ubi aliter non fuerit a Papa expressum, intelligitur de moneta loci Beneficii; Rota part. 17. dec. 245. num. 29, et 30. (4. Congrua non debet ordinarie taxari major dictis scutis centum, nec minor scutis 50. annuis; S. Pius V. in dict. Constitut. incip. *Ad exequendum*; Rota par. 6. dec. 230. num. 2. et par. 8. dec. 246. n. 10. (5. In hac tamen materia non potest assignari certa regula, sed hujus taxatio remittitur arbitrio Judicis; Rota par. 13. recent. dec. 392. num. 12. part. 18. tom. 1. dec. 389. num. 21. part. 19. tom. 1. dec. 1. num. 5. dec. 112. num. 6. dec. 206. num. 13. (6. Quandoque enim fuit taxata in scutis centum auri, et quandoque etiam plus; Rota part. 19. tom. 1. dec. 1. num. 8. et dec. 112. num. 7. (7. Unde generaliter loquendo taxanda est Congrua, quæ sit sufficiens ad commodam et honestam sustentationem personæ, habita ratione de loco, fructuum quantitate, et onerum, qualitate personæ, et similibus; Rota part. 4. tom. 1. dec. 595.

Digitized by Google

num. 1. part. 6. dec. 220. num. 11. part. 8. dec. 246. num. 11. part. 14. dec. 439. num. 7. part. 19. tom. 1. dec. 1. num. 4. dec. 206. num. 13. decis. 281. num. 1. (8. In Congrua taxanda debet haberi etiam ratio de numero excessivo animarum, ad quarum curam sit necesse Coadjutores etiam habere; Rota part. 1. recent. decis. 420. num. 9. et 10. part. 19. tom. 1. decis. 1. num. 4. (9. Sic etiam de Constitutionibus Synodalibus Provinciarum; Rota part. 14. dec. 439. num. 8. (10. Et potissimum de consuetudine regionis, cui plurimum est deferendum; Rota part. 4. tom. 1. dec. 595. n. 6. part. 18. tom. 1. d. 351. num. 4.

(11. Licet in taxatione, et assignatione Congruæ pro Parochis, et Curatis possint ab Episcopo considerari, et comprehendi emolumenta incerta, ut habetur in d. Constitutione S. Pii V. incip. *Ad exequendum*. Hoc tamen debet intelligi de incertis, quæ habent aliquam certitudinem, ut sunt decimæ frumenti, vini, olei, aliique fructus, et emolumenta incerta solum ratione summæ, et quantitatis; ipsa enim omnia comprehenduntur in Congrua taxanda; Rota part. 6. rec. dec. 230. num. 3. part. 13. dec. 392. n. 8. part. 19. tom. 1. num. 11. (12. Non autem debet intelligi de emolumentis omnino incertis, ut sunt redditus, seu fructus consistentes in funeralibus, oblationibus nuptialibus, eleemosynis Altaris, et similibus, qui redditus cum sint de omnino incertis, non sunt imputandi in Congruam; Rota part. 1. dec. 420. num. 2. part. 6. dec. 230. n. 4. part. 11. decis. 347. n. 8. part. 19. tom. 1. dec. 1. num. 9. cum seq. (13. Nisi de consuetudine loci aliter introductum doceatur; Rota part. 19. tom. 1. dec. 1. num. 10. (14. Congrua enim debetur loco alimentorum; Rota part. 6. dec. 230. num. 5. part. 18. tom. 1. dec. 351. num. 5. dec. 389. num. 1. dec. 400. num. 8. (15. Unde repugnat ipsam Congruam dependere ab incerto eventu, cum venter non patiatur dilationem; Rota part. 1. dec. 420. num. 2. part. 6. dec. 230. n. 7. part. 17. dec. 41. n. 41. part. 18. t. 1. dec. 130. n. 9. et t. 2. ejusdem partis dec. 411. num. 7. (16. Nec in Congruam sunt imputanda, quæ debetur Parocho ratione laboris, et servitii; Rota part. 13. dec. 347. n. 8. (17. Nec quæ extra Ecclesiam vel extra Curam ipsam animarum percipiuntur, quia ista non sunt fructus Beneficii; sed merces, et præmium laboris tantum inservienti debita; Rota part. 13. dec. 347. n. 9. (18. Neque sunt imputandi in Congruam Parochi fructus sui Patrimonii, si reservationi pensionis non consensit, cum nemo cogatur propriis stipendiis militare, ex prima ad Corinth. cap. 9. et dignus sit operarius mercede sua; cap. *Quicumque* 66. de præbend. Rota part. 18. tom. 1. dec. 23. num. 4. et dec. 389. n. 3. (19. Secus vero si in reservatione pensionis sua bona obligationi, et hypothecæ supposuit, quæ operatur ut sint imputandi in Congruam singuli redditus patrimoniales; Rota part. 18. tom. 1. dec. 389. n. 2. cum seq.

(20. Congrua debetur Parocho, etiamsi Beneficium tenue acceptaverit non sufficiens pro sustentatione necessaria; Rota, par. 1, dec. 420, num. 4, et par. 6 dec. 230. num. 6. (21. Quidquid dicant alii in hoc casu, Parochum non esse audiendum, cum sibi imputare debeat, si acceptavit Beneficium nimis tenue; Rota, part. 2. recent. dec. 7, n. 3. et dec. 239, n. 1. (22. Quia non militat talis ratio, ubi certe apparet insufficiens, cum agatur de præjudicio Ordinis Clericalis, et Ecclesiæ; Rota par. 3 dec. 437, n. 3. par. 6, dec. 230, n. 7, et seq. par. 13. decis. 347, n. 11, par. 19, tom. 1. dec. 1, n. 14. (23. Non enim potest oriri ipsi Parocho aliquod præjudicium ab hujusmodi acceptatione, quia non habet privilegium ad sui favorem tantum concessum, sed illud toti Ordini, et dignitati Clericali fuit impertitum, ne Rectores animarum in opprobrium dignitatis mendicent, aut curam commissi sibi gregis deserant, ut declarando dixit Rota, par. 1, dec. 420, n. 4, et par. 2, recent. dec. 449, n. 5, et par. 18, tom. 1, dec. 23, num. 13. (24. Congrua enim taliter sufficiens debetur Parocho, ut ea commode sustentari possit; Rota, part. 13, dec. 347, n. 2 et 6. (25. Et Congrua ab Episcopo assignata præsumitur sufficiens, nisi probetur diminuta; Rota part. 9, tom. 1, dec. 222, n. 15, et part. 13, dec. 347, n. 4. (26. Præsertim si illa fuerit sufficiens pro aliis Rectoribus antecessoribus, qui per longissimum tempus ea contenti fuerunt; Rota par. 13, dec. 48, n. 11, cum. seq., et part. 18, tom. 1. dec. 218, num. 10. (27. Unde Congrua semel assignata, non debet amplius assignari, vel augeri; Rota part. 2. dec. 329, n. 1, et part. 13, dec. 48, n. 2. (28. Sicuti non potest amplius diminui; Rota part. 18, tom. 1, decis. 81, n. 50. (29. Cum semel constituta Congrua non possit regulariter immutari nisi ex causa; Rota part. 18, tom. 1. dec. 218, num. 6 et 7. (30. Hinc Parochus petens Congruæ augmentum debet probare assignatam non esse sufficientem, et consequenter debet probare paupertatem superventam; Rota part. 4, tom. 1. dec. 595, n. 1. part. 18, tom, 1. dec. 218, num. 11 et 24. (31. In tali casu Parochus non potest nisi ad supplementum agere, et Episcopus debet prius arbitrari circa reditus Ecclesiæ, si sufficiant, et postea in subsidium cogere populum, vel alio modo providere; Rota part. 4, tom. 1. dec. 595, n. 1, cum seq. Sac. Congr. Episcop. et Regul. in Interamnen. 27 Martii 1601, et 18 Junii 1602, et 18 Martii 1603. (32. Si Congrua fuerit sufficiens tempore reservationis pensionis, quoties ea post diminuatur, augenda est de fructibus ipsius pensionis; Rota par. 17. decis. 120, n. 26. (33. Parochi enim pro consequendo Congruæ credito, præferendi sunt, deductis prius impensis culturæ, Pensionariis; Rota part. 18, tom. 1. decis. 389. num. 17.

(34. Vicariis perpetuis debet assignari Congrua portio de redditibus, fructibus, emolumentis, et proventibus Ecclesiæ incorporatæ Monasterio, Collegio, Capitulo, Universitati, et hujusmodi; cap. de Monachis, 12. cap. *Extirpandæ*, 30. de præbend. et cap. 1, eod.

Digitized by Google

in 6. Concil. Trident., sess. 7, cap. 5 et cap. 7. de reformat. S. Pius V. in Constitut. incip. *Ad exequendum*. (35. Talis Congrua est taxanda et assignanda arbitrio Episcopi habito respectu ad qualitatem personæ, et loci, et temporis et ad abundantiam, seu paupertatem fructuum, et reddituum Ecclesiæ, dummodo non sit minor quinquaginta, nec major centum aureis pro quolibet anno, ex cit. Constitut. S. Pii V. incip. *Ad exequendum* ubi, § 2. Episcopis expresse præcipit in assignatione portionis Vicariis perpetuis ita se continere, et arbitrari, ut non major centum, nec minor quinquaginta scutorum aureorum summa, computatis omnibus, etiam incertis emolumentis, et aliis obventionibus communiter percipi solitis, eis omnino assignetur; et sic etiam Sacra Congregatio Concil. in Asten. 28 Octobr. 1585, et Rota part. 6, recent. dec. 230, num. 2. (36. Ubi sub num. 3, et sequ. subjungit quod pro emolumentis incertis sunt intelligenda solum ea, quæ habent quamdam certitudinem, ut sunt decimæ frumenti, vini, olei, aliique fructus, emolumenta, et obventiones, quæ penes Vicarium sunt solum incertæ respectu summæ, et quantitatis, quam ex illis percipere possit; Non autem sunt intelligenda emolumenta omnino incerta, ut sunt eleemosynæ Altaris, funeralium, et similium, quia ista non computantur in Congruam, quia venter non debet pendere ab incerto, cum venter non patiatur dilationem. Vide supra a n. 11, usque ad n. 17. (37. Et sic etiam censuit Sacra Congregat. Concil. in Isernien. 20 April. 1697, ubi proposito dubio : « An in Congrua Canonici Curati imputari debeant distributiones quotidianæ, quæ dantur ratione servitii personalis, et interessentiæ Choro, nec non cætera emolumenta Parochialia expressa in sententia Episcopi? » Sacra Congregatio respondit, *Affirmative quoad distributiones; et quoad expressa in sententia Episcopi, Negative*. In sententia autem Episcopi expressum sic erat: « Computatis tamen in eadem Congrua fructibus Præbendæ, omnibus etiam incertis et aliis obventionibus percipi solitis. »

(38. Congruam certam debet habere Curatus, seu Vicarius substitutus ad formam dict. Constit. S. Pii V, incip. *Ad exequendum*, quamvis sit amovibilis, ut declaravit Sacra Congregat. Visitationis Apostolicæ in Fanen. 25 Novem. 1693. (39. Congrua semel sufficienter assignata Curato, seu Vicario, nisi superveniat notabilis mutatio, et intersit nova rationabilis causa, non est locus assignationi novæ Congruæ, seu augmento, Rota par. 18, tom. 1. dec. 218, num. 6 et 7. et Sacra Congregatio Episcop. et Regular. in una Cusentina Congruæ 31. Jul. 1693. (40. Nec potest minui quamvis Curatus electus, et deputatus diminutioni consentiat, et pro minori quantitate spondeat deservire, quia hujusmodi pactio sapit Simoniam; Sacra enim Congregatio super statu Regularium sub die 8 Octobris 1670. expresse declaravit, quod superioribus Regularibus minime fas sit cum ipsis Vicariis jam deputatis seu deinceps deputandis publicas, aut secretas pactiones, seu conventiones inire super diminutione, aut alteratione, seu variatione dictæ Congruæ, easque pactiones, seu Conventiones, tamquam de simoniaca labe, atque avaritia suspectas Sac. Congreg. omnino rejicit, atque interdicit, eosque, qui contrafecerint, pœnis adversus Simoniacos editis teneri decrevit, quibuscumque non obstantibus; sic refert Pignatell. tom. 3. consult. 31, n. 1, in fine. (41. Et hujusmodi pactio fuit iterum damnata a Sacra Congreg. Concil. in una Burgi S. Sepulchri, Congruæ, 5 septemb. 1699, in qua contra Monachos Camaldulenses fuit additum. (42. « Et Monachi se justificent super asserta Simonia coram Sacra Congregat. » Congrua autem Curato, seu Vicario non taxata, vel insufficiens assignata, si petatur, debetur in quantitate, prout juris est a die petitionis, seu motæ litis, ut respondit Sacra Congregatio Episc. in Civitatis Plebis, 17 Septembris 1695. et Sacra Congr. Conc. in Isernien. 20 Apr. 1697. in responsione ad tertium.

(43. Alia vide verb. *Vicarius Parochialis* a num. 10. ad 14.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(44. De eo sæpe disputari solet, an Parochus, qui vel interitum vel diminutionem passus est reddituum Parochialium, agere vel pro Congrua, vel pro ejus supplemento valeat adversus illos, qui decimas, vel alia bona Parochiæ possident? Affirmant, ex text. in cap. de Monachis, de Præbend. Wames. consil. canon. 172. n. 13. Gratian. discept. forens. cap. 366. n. 2. et seq. Loter. de re Benefic. lib. 2, quæst. 12, num. 27 et seq. Rota in Leodien. Congruæ 27 Januarii 1716, § 2. cor. bon. mem. Cerr. et in Toletana Decimarum de Capilla super Congrua 9 Decemb. 1720, § *Quo vero*, coram bon. mem. Foscar. et in Thelesina Congruæ, 18 Junii 1731. § *Et in his*, cor. Eminentiss. Rezzonico.

(45. Idque adeo verum est, ut nec centenaria; nec immemorabilis a Decimatoribus allegari valeat contra Parochum, qui ex immutato rerum statu deficientem sibi Congruam assignari petit ex decimis, vel aliis Parochiæ bonis, ut prosequitur Rot. in d. Toletana Decimarum de Capilla super Congrua, 9 Dec. 1740. § *Quoad Immemorabilem;* cor. bon. mem. Foscaro.

(46. Alia autem hic oritur quæstio, utrum plures possessores decimarum vel aliorum Parochiæ teneantur in solidum, an singuli pro rata Laicos haud posse conveniri, si sint Ecclesiastici qui pariter possideant decimas, vel alia Parochiæ bona, videtur firmare Rot. in Moguntina Reparationis Chori, 29 Aprilis 1784, § 8. et seq. cor. bon. mem. de Vais, et 4 Julii 1749, § 8, cor. Illustriss. Clemente. (47. In quibus decisionibus licet agatur de onere reparationis Ecclesiæ; idem tamen obtinere debet quoad onus Congruæ.

(48. Ecclesiasticos vero posse in solidum conveniri, salvo tamen ei, qui convenitur, jure agendi contra cæteros, tenet Porray de Congrua portione lib. 1, c. 16, num. 19. (49. Nec ab hac negative opinione alienum videtur Tribunal Rotæ in d. Moguntina Repa-

Digitized by Google

rationis Chori; at Wames. consil. canon. 453, n. 1 et 3. Louvrex, dissert. canon. 15, n. 50. Barbosa, de Paroch., part. 1, cap. 13, n. 2. Christin. dec. Belgic. dec. 14, num. 6. eadem Rota in recent. dec. 184. num 17 et 19, par. 17, in ea sunt sententia ut nonnisi pro rata teneantur.

(50. Monet vero Louvrex dict. dissert. canon. 15, n. 51, quod si quis sit decimator simul et Parochus primitivus, curam scilicet habitualem obtineat, is prius teneatur ad Congruam, vel ad supplementum ipsius Congruæ. « Tunc enim (ait) præsumendum est, portionem decimarum, quam Parochus habitualis possidet, illam esse, quæ olim ante Ecclesiæ unionem ad Rectorem spectabat, et quæ proinde prius excutienda est, quam contra alios decimatores agi possit. » Convenit etiam Vanespen de Congrua Portione, c. 4, n. 9.

(51. An in libertate eorum, qui decimas vel bona alia Parochiæ possident, sit ea dimittere, ut si liberent ab onere Congruæ: Et num id ipsum obtineat in Parocho primitivo? Confer Louvrex dict. dissert. canon. 15. n. 55, et plur. seq. ubi, quod in subsidium tenentur Parochiani ad Congruam, vel ad ejus supplementum.

ADDITIONES CASINENSES.

(52. Quoad Parœciarum Congruam in Regno Neapol. provisum fuit in Artic. VII. Concordati initi inter Pium VII, et Ferdinandum IV. Regem. Vide Artic. Casinen. *Concordatum.*

(53. Regio decreto die 22 Octob. 1822, fuit sancitum ut intra sex mensium spatium Parœciarum Patroni sive laici sive ecclesiastici, sive particulares sive communitates, juxta VII Articulum Concordati, Parœcias dotarent.

(54. Cum autem decreto regio firmatum esset die 27 Junii 1823, vacantibus Beneficiis Curatis, quorum Congrua a Communitatibus solvebatur, ab iisdem solvi debere respectivis Administrationibus Diœcesanis, sancitum fuit, juxta Rescriptum 7 Martii 1822, quod Communitates Vicariis Curatis vacantium Parœciarum erogarent annuatim sexaginta ducatos, si earum animæ duorum millium numerum non attingerent; octoginta si quinque millium; centum, si excederent.

Ut autem facilius dignoscantur ea quæ circa Presbyterorum Congruas in Ecclesiis Receptitiis firmata sunt in regno Neapolitano, huic adnectimus generalia et communia Statuta.

STATUTI

PER LA CHIESA RECETTIZIA N. N.

Del Comune di.... in Diocesi di.... Provincia di.... sarà numerata di Partecipanti a norma del Piano formato dall' Ordinario, ed approvato da S. M. sotto il di...

(55. 2. Il Clero amministrerà in massa comune, e non già divisamente le rendite, di qualunque natura esse sieno, per mezzo di un Partecipante eletto dal Clero istesso, che eserciterà tutte le funzioni di Procuratore, e ne assumerà il titolo.

3. La rendita giusta il piano approvato sarà divisa in.... porzioni, cioè in una di ducati... che prenderà il Parroco come sua Congrua, secondo l' ultimo Concordato... (se il Parroco l' avrà altronde, si tacerà questa parte dell' Articolo; e se l' avrà d'altronde ma non sufficiente, si accennerà il solo supplemento).... in porzioni maggiori di annui ducati.... che si daranno dall' Ordinario a quei che si saranno distinti nel servizio della Chiesa, e cura dell' anime, ed in porzioni minori di annui ducati.... che si conferiranno dall' Ordinario ai naturali del paese, ed in loro mancanza, o per numero, o per idoneità ad altri della Diocesi aliena, qualora il servizio della Chiesa, e la cura delle anime lo richiedesse, colla norma prescritta nel breve Pontificio *Impensa* da S. M. sanzionato. Le suddette... porzioni saranno pagate a tempo proprio dal Procuratore *pro tempore* dall' esazione di rendita.

4. Ogni Partecipante sarà considerato come incardinato alla Chiesa, ed incaricato di coadiuvare il Parroco nella cura delle anime, e sarà cura dell' Ordinario di disporre un metodo, da cui si otterrà questo gran fine.

Le porzioni saranno considerate come importanti l'obbligo di residenza, che richiede l' attual servizio; per cui ottenendosi da un Partecipante qualche benefizio incompatibile, vacherà all' istante la sua porzione; ed allontanandosi senza giusta causa dalla Chiesa, e senza il permesso del Vescovo, per altri tre mesi, giusta l'articolo XV, delle Istruzioni da S. M. approvate, sarà punito in una maniera conforme al Concilio di Trento.

5. Se mai in qualche anno venisse a mancare porzione della rendita, sicchè tolti i pesi intrinseci non fosse sufficiente a pagare le somme stabilite; in questo caso, salva la Congrua, o il supplemento al Parroco, il Procuratore detrarrà ugualmente da tutte le porzioni quella somma, che nel suo ammontare forma il mancante di quell' anno.

Se poi vi sarà accidentale accrescimento di rendita, anche per causa di porzioni vuote, alla fine dell' anno, secondo il Real rescritto dei 19 Novembre 1823, il Procuratore ne darà piena cognizione all' Ordinario, il quale ordinerà un eguale partizione tra tutt' i Partecipanti, o pure, richiedendolo il bisogno, disporrà che o tutti, o parte degli avanzi si applichino a beneficio della Chiesa, o riparazioni di fabbriche, o migliorie dei fondi, o sacri arredi, o altro secondo il di di lei bisogno.

Il Parroco sarà escluso da tale ripartizione, secondo le istruzioni approvate da S. M.; ma qualora l' avanzo fosse tale, che facesse montare le porzioni ad una somma quasi uguale alla congrua del Parroco, in questo caso, giusta il citato Real rescritto, il Parroco entrerà in parte uguale ai Partecipanti in detta distribuzione.

Se poi la Chiesa acquisiterà rendita maggiore e permanente, sarà cura dell' Ordinario di formarne coll' approvazione di S. M. altri titoli per la sacra ordinazione.

Digitized by Google

6. I proventi, che si esigono dai così detti dritti Parrocchiali per l'emissioni di fedi di battesimo, morte, matrimoni ec., e per la formazione degli atti precedenti il Sacramento del Matrimonio, come fedi di pubblicazioni, esami di testimonii, verifiche di dispense per la parte che riguarda i Parrochi, ed altro ec. a norma del Real Rescritto de' 22. Ottobre 1823. apparterranno al solo Parroco. Gli altri poi a norma delle Istruzioni approvate, per metà al Parroco, e per metà ai partecipanti.

7. La carica di procuratore si eserciterà senza emolumento alcuno a norma delle Istruzioni approvate, e anderà per turno, incominciando il giro dall' ultimo entrato nel numero dei partecipanti, e risalirà fino al primo, anno per anno. Se poi tra l'anno entrerà nuovo partecipante, all'entrante susseguente anno questi eserciterà la carica di procuratore, dopo del quale sarà ripigliato il filo interroto.

(Se poi si vuol eleggere il procuratore per via di voti anno per anno, si tacerà la sudetta parte dell' articolo; e s'indicherà solamente il giorno dell' elezione, e la quantità dei voti, che la rendono legittima.)

Da quest' articolo saranno esclusi quei partecipanti, che avranno compito l'anno settuagesimo di loro età, o pure sieno accagionati da un male cronico, che li rende inabili ad agire, e finalmente l'Arciprete *pro tempore* per la cura delle anime che sostiene.

8. Al procuratore sarà permesso di erogare tutte le somme, che bisognano, senz' altra autorizzazione per soddisfare ai pesi pubblici maturati, o alle porzioni dei partecipanti.

Per le spese poi di chiesa, coltivo de' fondi e di qualunque natura esse sieno, come anche per l'introduzione delle liti, debba esserne autorizzato dal Clero per mezzo di regolare conclusione, per cui sarà lecito al procuratore di convocare il Clero sempre che gli sembrerà necessario, avvisandone i partecipanti non più tardi della giornata antecedente. I manchevoli senza giusto motivo, per ogni mancaza saranno multati in grana venti.

9. Ogni introito sarà percepito dal solo procuratore, chiunque dei partecipanti introiterà somma qualunque appartenente alla somma comune col suo ricevo non sarà liberato il debitore.

10. Al solo Parroco, oltre il procuratore, sarà lecito convocare il Clero per affari al Clero medesimo appartenenti. Ogni partecipante, che vorrà proporre affari, dovrà dipendere o dal Parroco, o dal procuratore, meno che la convocazione non sia ordinata dal Vescovo.

11. Oltre al procuratore vi sarà un partecipante col titolo di Cancelliere, eletto dal Clero nel di 31 dicembre di ogni anno, con potersi confermare con quella durata che si stima. Costui avrà la cura di custodire tutte le carte appartenenti al Clero, e tutti gli atti formati in qualunque giudizio in un Archivio, che sarà sempre ben custodito nella Sagrestia, e non mai nelle private abitazioni. Registrerà con esattezza tutte le Capitolari decisioni, e specialmente le autorizzazioni al Procuratore circa le spese da erogarsi per confrontarle nella reddizione dei conti. Questa carica sarà esercitata senza emolumento alcuno, nè giammai anderà unità con quella dei Procuratori.

12. Nel di 2 gennajo di ogni anno sarà dal procuratore presentato il conto di sua gestione nelle forme regolari, e mancando sarà multato dal giorno 15 fino ai 31 detto di carlini sei il giorno. Elasso il mese se ne darà parte all' ordinario, perchè prenda dei mezzi più rigorosi. Ciò non impedirà l'esercizio della carica al nuovo procuratore, che incomincerà sempre nel di 1. dell' anno.

Presentato il conto, saranno nel di vegnente eletti uno o due partecipanti dal Clero, e fatta la domanda all' Ordinario, questi deputerà a sua scelta un altro partecipante o dell' istesso Clero, o di altro. Questi dopo aver tenuto l' esame del conto convocheranno il Clero, e paleseranno le loro riflessioni, e quindi daranno fuori il loro giudizio condannando o liberando la gestione fatta con darne autentica carta al procuratore, ed al cancelliere per riporla nell' archivio. Qualora i deputati all' esame del conto tardassero ad adempire a questo dovere l' Ordinario prenderà quei mezzi, che crederà opportuni ad obbligarli.

13. Tutte le spese erogate, all' infuori dei pubblici pesi, e delle porzioni ai partecipanti, senza autorizzazione del Clero, anderanno a carico del Procuratore. Le partite non esatte, per le quali il procuratore non mostrerà di aver adempito a tutt'i mezzi, che la legge gli somministra, o non presenterà conclusioni del Clero, anderanno parimente a suo carico. Le spese poi per i coltivi dei fondi o rustici o urbani, abbenchè non sieno autorizzate dal Clero, ma lo sieno state dall' Ordinario, i pesi che sono intrinseci alla rendita, come censi passivi ecc. saranno abbonati al procuratore.

Qualora vi saranno delle quistioni nell' esame del conto tra i Deputati, ed il procuratore che non voranno conciliare, il giudizio definitivo sarà dell' ordinario.

14. Le somme, che si esigeranno, o dalle multe designate, o ordinate dal Vescovo, o dalla puntatura, che sarà subito fissata dall' Ordinario secondo le disposizioni del Concilio di Trento, verranno alla fine dell'anno ugualmente ripartite dal procuratore fra tutti i partecipanti, niuno escluso.

15. Il peso delle messe, che gravita sulla massa comune, sarà divisa ugualmente fra tutti, niun escluso. Il Parroco porterà il peso delle messe *pro populo*. Il partecipante, che non sarà ancora ordinato sacerdote, sarà in libertà o di lasciare in mano del procuratore l'elemosina delle messe, che dovrebbe celebrare, e la di loro celebrazione sarà a carico del procuratore, o pure farle celebrare esso, e presentare in ogni mese, fino a che non ascenda al sacerdozio, la fede della cele-

Digitized by Google

brazione in mano del Cancelliere visitata dal Parroco.

16. Tutte le messe con canto, per le quali i fedeli offeriranno l'elemosina, saranno solennizzate da tutto il Clero, nè alcun partecipante, che privatamente, ne ha ricevuta l'offerta, potrà farla celebrare a suo nome, anche dal Clero istesso, ma deve passarne la limosina in mano del procuratore, che avrà la cura di farle celebrare dall'intero Clero.

17. Nella partecipazione non saranno ammessi secundo il Real rescritto dei 18 Febbrajo 1824 se non quei chierici, che sono prossimi a poter conseguire l'ordine del Suddiaconato; che se dopo ottenuta la partecipazione non ascende al suddiaconato nelle spazio di sei mesi, elasso questo tempo, vacherà di fatto la porzione, e si aprirà l'esame per altri concorrenti.

CONJUGES, CONJUGIUM.

SUMMARIUM.

1. Conjuges qui dicantur. — 2. Matrimonium vocatur Conjugium a Conjungendo sub uno mutuo jugo. — 3. Post contractum, et nondum consummatum Matrimonium, habet uterque conjux bimestre ad deliberandum, an in Conjugio manere, vel ad Religionem transire velit. — 4. Intra dictum bimestre uterque conjux licite petit, et licite etiam negat debitum Conjugale. — 5. Si intra dictum bimestre vir ab uxore invita copulam vi obtineat, potest uxor adhuc ingredi Religionem, saltem in casu quo ipsa viro vim inferre nitenti excipiendo manifestaverit se velle ingredi Religionem; aut circa hoc nondum plene deliberasse. — 6. Si ultra bimestre maneant Conjuges sine consummatione Matrimonii, potest uterque, etiam altero invito, semper Religionem ingredi. — 7. Imo si ultra bimestre maneant Conjuges sine consummatione matrimonii, possunt libere ad Religionem transire, etiamsi illicite negassent sibi debitum. — 8. Post dictum bimestre tenetur Conjux debitum reddere alteri et ad id compelli potest etiam sub pœna Excommunicationis, si Religionem non ingrediatur, quam Excommunicationem re ipsa incurret, si intra tempus sibi a Judice præfixum non pareat. — 9. Et si etiam post illud tempus elapsum Conjux ingrediatur Religionem, revocari non debet, valetque Professio, et post ingressum absolvendus est ab Excommunicatione. — 10. Per solemnem enim Religionis Professionem dissolvitur in quocumque tempore quoad vinculum Matrimonium ratum et nondum consummatum. — 11. Unde si unus Conjugum Religionem solemniter profiteatur, potest alter libere ad secunda vota transire. — 12. Post consummatum autem Matrimonium nullus Conjux potest sine consensu alterius Religionem ingredi, et professionem emittere. — 13. Et si absque consensu alterius dictam Professionem in Religione emittat, potest ab altero revocari, et declaratur Professio nulla, adeo ut nec mortuo altero Conjuge ad Religionem redire teneatur. — 14. Mortuo tamen altero Conjuge, non potest licite propter simplex votum Castitatis alium ducere, nec potest petere debitum a vivente, quamvis ei illud reddere teneatur; si vero aliud Matrimonium contraheret, esset validum, quamvis illicitum. — 15. Potest autem unus Conjux cum consensu alterius post consummatum matrimonium ad Religionem transire, si requisitæ adimpleantur conditiones. — 16. Prima ex conditionibus ad id requisitis est consensus alterius conjugis. — 17. Secunda est, ut Conjux in sæculo remanere volens sit senex. — 18. Quanta autem senectus ad id requiratur, arbitrari debet Episcopus cum judicio Medicorum, attentis omnibus circumstantiis dicti Conjugis, an ratione ætatis sit jam factus inhabilis ad generandum, et absit in ipso periculum, et suspicio incontinentiæ. — 19. Tertia est, ut Conjux in sæculo remanere volens, non sit suspectus de periculo incontinentiæ ratione morum. — 20. Quarta est, ut Conjux in sæculo remanere volens, perpetuum votum continentiæ emittat. — 21. Professio emissa a Conjuge cum consensu alterius Conjugis est valida, quamvis non adhibitæ et observatæ sint aliæ tres ultimæ assignatæ conditiones. — 22. Si Conjux in sæculo remanens perpetuam Castitatem vóverit, Conjux de ejus licentia Professus nequit amplius revocari, sive Conjux in sæculo remanens sit juvenis, sive senex, sive de incontinentia suspectus, vel suspecta, sive non. — 23. An si unus Conjugum de licentia alterius Professionem in Religione emittat, et alter in sæculo remanens perpetuam Castitatem non voveat, Professus ad uxorem iterum revocari possit, et debeat. — 24. Conjux remanens in tali casu in sæculo, si sit juvenis, et de incontinentia suspectus, compelli potest ab Episcopo, ut et ipse Religionem ingrediatur; et si fuerit conscius Juris, quod dans in tali casu licentiam, et ipse profiteri debeat, compellendus est etiam ad Professionem. — 25. Quamvis de Jure communi non requiratur licentia Episcopi, ut talis ingressus, et Professio fiat valide, requiritur tamen, ut fiat licite. — 26. Quando unus Conjugum adulterium committit, potest, eo invito, Conjux innocens Religionem ingredi. — 27. Et si adulterium sit publicum, et notorium, potest Conjux innocens ingredi Religionem propria auctoritate, non expectata sententia Judicis. — 28. Si vero adulterium sit occultum, debet expectare sententiam divortii a Judice. — 29. Conjux innocens, si post alterius adulterium, ei voluntarie cohabitat petendo, et reddendo debitum, non potest, eo invito, Religionem ingredi. — 30. Sic etiam Conjux innocens, si ex post et ipse adulterium committat, non potest, invito primo adultero, Religionem ingredi. — 31. Quando Conjux innocens Religionem non ingreditur, sed in sæculo manens, divortium facit a Conjuge adultero etiam quoad cohabitationem, non potest Conjux adulter sine licentia Conjugis innocentis ingredi Religionem. — 32. Potest tamen Conjux adulter Religionem ingredi, et in ea profiteri, etiam inscio, et invito Conjuge innocente, si hic prius est Religionem ingressus, et in ea professus. — 33. Quotiescumque vir ob adulterium uxoris, ea in vita, potest Religionem ingredi, potest etiam Ordines Sacros in sæculo quoque manens recipere. — 34. Affertur, et solvitur instantia. — 35. Propter adulterium spirituale potest alter Conjux Fidelis, etiam alio invito, Religionem ingredi, vel Sacros Ordines suscipere, etiam postquam ad veram Fidem rediit iterum Conjux adulterans; dummodo separatio ob tale adulterium spirituale auctoritate Ecclesiæ, et non propria sit facta. — 36. Propter adulterium spirituale potest Conjux innocens etiam propria auctoritate licite facere divortium quoad torum, et cohabitationem; at tunc si reus hæresis se converterit, tenetur iterum ad eum redire. — 37. Si vero Conjux innocens divortium fecit auctoritate Ecclesiæ, non compellitur ad Conjugem conversum redire, sed potest Religionem ingredi, si velit. — 38. Si tamen Religionem ingredi noluerit, etiam hic redire compellitur. — 39. Non enim solvitur Matrimonium quoad vinculum, si unus Conjugum transeat ad Infidelitatem, seu labatur in hæresim. — 40. Imo nedum non dirimuntur Matrimonia propter hæresim, sed et valide contrahuntur cum hæreticis, si ritu Catholico contrahantur. — 41. Quinimmo secundum multos Matrimonia cum Hæreticis, nedum sunt valida, sed etiam licita in locis,

Digitized by Google

ubi Hæretici, et Catholici permixtim vivunt, cum quibusdam tamen conditionibus. — 42. Talia tamen Matrimonia ordinarie sunt illicita sub peccato mortali, nisi Papa dispenset, aut rationabilibus causis excusentur. — 43. Iniquissimum est pactum illud, quod in aliquibus locis dicitur adjici Matrimonio Catholici cum hæretica, nempe ut masculi educentur in Fide Catholica Patris, et fœminæ in secta Hæretica Matris, vel contra. — 44. Nec valet immemorabilis consuetudo in contrarium. — 45. Si ambo Conjuges infideles convertantur ad Fidem Catholicam, possunt, et debent in Matrimonio prius contracto permanere, quamvis cum impedimento Ecclesiastico contraxerint. — 46. Si vir Infidelis plures habuit uxores, debet, cæteris dimissis, solam primam retinere, si hæc etiam convertatur, vel saltem sine periculo perversionis cum converso habitare velit. — 47. Hinc si prima nolit se convertere, nec sine periculo perversionis cum converso habitare velit, non teneretur vir conversus aliquam ex aliis conversis retinere, sed posset pro libito alteri nubere. — 48. Quid si vir Infidelis secundum ritum suum primam legitimam repudiaverit, et cum secunda contraxerit, *ad n.* 49. — 50. Si ex duobus Conjugibus Infidelibus unus tantum convertatur, et alter rogatus nolit converti, nec cohabitare sine injuria Creatoris, tunc Matrimonium, etiamsi fuerit consummatum, dissolvitur quoad vinculum. — 51. Tale autem Matrimonium non statim ipso facto dissolvitur, sed tunc primum quando conversus ad alias nuptias actu transierit; Unde si Conjux Infidelis, antequam Conjux conversus cum alio Fideli contrahat, ad Fidem quoque convertatur, huic adhærere debebit. — 52. Non potest autem Conjux conversus solvere Matrimonium, quando infidelis vult cohabitare sine injuria Creatoris, licet nolit ipse converti. — 53. Si Conjuges infideles habeant prolem, et unus eorum convertatur ad Fidem, eidem sive pater, sive mater sit, restitui debet tota proles doli adhuc incapax. — 54. Si autem proles sit jam doli, et rationis capax, ejus libertati relinquitur, an conversum ad Fidem, vel potius infidelem parentem sequi velit. — 55. In dubio autem an proles sit rationis, et doli capax, proles parenti converso est restituenda. — 56. Conjugatus in Ecclesia latina non potest ad Sacros Ordines promoveri, nisi ab uxore continentiam profitente expressam licentiam obtinuerit. — 57. Et hoc etiamsi Matrimonium nondum fuerit consummatum. — 58. Potest autem Conjugatus etiam post Matrimonium consummatum ad Sacros Ordines promoveri, etiam sine licentia uxoris, imo ipsa invita, et reclamante, si habeat legitimam divortii causam. — 59. Conjugatus, non solum ad Sacros, sed nec etiam ad primam Tonsuram, et Minores Ordines promoveri potest sine uxoris licentia, et aliis requisitis numero sequenti assignandos. — 60. Ut Conjugatus igitur ad Ordines promoveri possit, præter licentiam uxoris, requiritur etiam, ut ipsa uxor in sæculo manens perpetuam voveat Castitatem, si sit senex, et sine suspicione incontinentiæ; si autem sit juvenis, vel suspecta de incontinentia, etiam Religionem ingredi debet juxta dicta *super n.* 24. — 61. Conjugatus non potest ordinari Episcopus, nisi de expressa licentia uxoris et nisi uxor ipsa prius Religionem profiteatur. — 62. Ut autem Conjugatus possit promoveri ad Cardinalatum, requiritur ingressus uxoris in Religionem solum in illo casu, in quo requiritur talis

ingressus pro uxore conjugati promovendi ad Ordines. — 63. Ut tamen Conjugatus possit promoveri ad Papatum, requiritur, quod ejus uxor prius Religion. profiteatur. — 64. Conjugatus absque licentia uxoris ad Presbyteratum, Episcopatum, Cardinalatum et Papatum promotus potest ab ipsa ad consortium Conjugale revocari, et tunc teneretur ei debitum reddere. — 65. Non posset tamen debitum petere. — 66. Nec talis Conjugatus posset, mortua dicta sua uxore, ad alias nuptias transire, et si de facto aliud Matrimonium contraheret, illud esset nullum. — 67. Adducitur, et solvitur instantia. — 68. An si Conjugatus cum uxoris spontanea licentia ad Ordines Sacros sit promotus, et ipsa uxor in sæculo manens perpetuam castitatem non voveat, possit ab ipsa revocari ad consortium Conjugale. — 69. Si Conjugatus cum licentia spontanea uxoris Sacros Ordines suscepit, tunc uxor non potest, eo mortuo, valide aliud Matrimonium inire. — 70. Si autem vir Ordinem Sacrum susceperit, uxore contradicente, vel ignorante, potest ipsa, eo mortuo, aliud Matrimonium valide contrahere. — 71. Conjugatus sine spontanea uxoris licentia ad Ordinem Sacrum transiens sit irregularis, et nequit in suscepto Ordine ministrare, nec ad superiores Ordines provehi, nec ad aliquod Beneficium, aut Officium Ecclesiasticum promoveri, nisi Religionem Canonice fuerit ingressus. — 72. Et si Matrimonium nondum fuerit Consummatum, talis Conjugatus est instanter monendus ad Religionem ingrediendam; quod si noluerit, si sponsa ejus institerit, est per Ecclesiasticam Censuram ad consummandum Matrimonium compellendus. — 73. Si unus Conjux pro certo cognoscat invaliditatem Matrimonii, quamvis in facie Ecclesiæ id probare nequeat, nec petere, nec reddere potest debitum, non obstante, quod per sententiam, aut etiam per Excommunicationem ad id compellatur, etc. — 74. Quando Conjuges debitum conjugale possint, et debeant reddere, vel non. *Remissive.* — 75. Quoad ea, quæ concernunt debitum conjugale super impedimento petendi debitum conjugale. *Remissive.* — 76. Quando, et quomodo possint, vel non Conjuges facere divortium. *Remissive.* — 77. Conjuges opus Conjugii exercentes ob solam voluptatem non vacant culpa veniali. — 78. Conjux in actu conjugali cum sua, se morose delectans in alia, velut præsente, peccat mortaliter, et addit novam speciem adulterii in Confessione explicandam. — 79. Delectatio morosa de actu Conjugii inter Conjuges præsentes, dummodo absit periculum pollutionis, non est peccatum mortale. — 80. Imo Conjux neque mortaliter peccat, si de maritali copula altero Conjuge absente cogitans, in re cogitata morose delectetur. — 81. Omnes tactus, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi, et hujusmodi, quæ fiunt inter Conjuges sine ordine ad copulam, si fiant cum periculo pollutionis in uno, vel altero, vel pertineant ad Sodomiam quamdam inchoatam, sunt peccata mortalia, alias non sunt nisi venialia. — 82. Conjuges an, et quas donationes possint sibi invicem facere. *Remissive.* — 83. Quoad ea, quæ concernunt bona Conjugum. *Remissive.* — 84. Quibus prius subvenire debeant Conjuges in extrema, gravi, et communi necessitate. *Remissive.* — 85. Ad quem Conjugem spectet proprietas, et dominium dotis, et quid de ipsa in variis casibus. *Remissive.* — 86. Alia ad rem. *Remissive.*

(1. Conjuges dicuntur mas, et fœmina in legitimo Matrimonio conjuncti *Communis.* (2. Matrimonium vocatur conjugium a conjugendo sub uno mutuo jugo, quia virum et mulierem sub uno eodemque quasi mutuo jugo ad servandam fidem, et onera Matrimonii sustinenda constituit; Catechismus Romanus de Matrim. c. 1.

(3. Post contractum et nondum consummatum Matrimonium habet uterque Conjux bimestre ad deliberandum, an in Conjugio manere, vel ad Religionem transire velit: *Communis*, textu expresso in cap. *Ex publico* 1, de conversione Conjugatorum. (4. Intra dictum bimestre uterque Conjux licite petit, et licite etiam negat

Digitized by Google

debitum Conjugale. *Communis*, arg. cit. cap. *Ex publico*; uterque enim potest libere, et licite uti Jure sibi a lege in d. cap. *Ex publico concesso*.

(5. Si intra dictum bimestre a Jure concessum Vir ab Uxore invita copulam vi obtineat, potest Uxor adhuc ingredi Religionem, saltem in casu, quo ipsa Viro vim inferre nitenti excipiendo manifestaverit se velle ingredi Religionem, aut circa hoc nondum plene deliberasse, Glossa in cap. ultim. verb. *Invitus* dist. 55, in c. *Verum* 2, n. 9, de convers. Conjugator. Joannes Andreas in c. *Quæ contra Jus* 64, n. 6. Regul. Juris in 6. Fagn. in cit. c. *Ex publico* 7, n. 27, de conversione Conjugator. Sanchez, lib. 2, de Matrimon. disp. 22, n. 6. La Croix. lib. 1, p. 3, n. 421. cum aliis ibi citatis; Pirhing lib. 3 decret. tit. 31, n. 56. Reiffenstuel ib. num. 6, cum communiori, et probabiliori aliorum contra Zoesium, Armillam, Sylvestrum, et nonnullos alios; et ratio nostra est, quia sine culpa nemo debet suo Jure privari, cap. *Discretionem* 6, ad fin. de eo, qui cognovit: Rem enim, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit; cap. *Cognoscentes* 2, de Constitutionibus: Neque debet quis alterius odio prægravari; cap. *Non debet* 22, de Regul. Juris in 6, et l. *Non debet* 74, ff. de Reg. Jur. cum peccata suos debeant tenere auctores; l. *Sancimus* 22. Cod. de pœnis, cap. *Quæsivit* 7. De his, quæ fiunt a majori parte Capituli, adeoque tale indultum Mulieri a Jure beneficium non est ipsi dissentienti auferendum cap. *Indultum* 17, de Reg. Jur. in. 6. Tum qui talis Maritus injuriam infert Uxori, et inique agit; cit. cap. *Ex publico* 7, de conversione Conjugatorum; Nemo autem ex sua malitia debet commodum reportare, nec ex suo delicto meliorem suam conditionem quis facere potest; l. *Non fraudantur* 134. ff. de Regul. Jur. cap. *Intellexi-mus* 7, de Judiciis cum similibus.

(6. Si ultra bimestre maneant Conjuges sine consummatione Matrimonii, potest uterque, etiam altero invito, Religionem ingredi: Post Matrimonium enim ratum, et nondum consummatum semper, etiam post viginti, et plures annos, licitum est cuivis Conjugium, etiam altero invito, Religionem intrare. Communis textu expresso in cit. cap. *Verum* 2, de Conversione Conjugatorum, ibi: « Verum post consensum legitimum de præsenti licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere Monasterium (sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt), dummodo carnalis commixtio non intervenerit, » addita ibidem ratione: « Quia cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, et alter in sæculo remanere. » Et concordat cit. cap. *Ex publico* 7 eodem, ubi, ut observat Pirhing loc. cit. num. 54. Mulier illa, cui potestas transeundi ad Religionem datur, jam diu ante Matrimonium contraxerat.

(7. Imo si ultra bimestre maneant Conjuges sine consummatione Matrimonii, possunt libere ad Religionem transire, etiamsi illicite negassent sibi debitum. Sic expresse La Croix lib. 6, par. 3, num. 419. cum Sanchez, Layman, Gobat ibi citatis, et concordat Glossa in cit. cap. *Ex publico* verb. *Infra duorum*; Pirhing. loc. cit. num. 54. et alii.

(8. Post dictum bimestre tenetur Conjux debitum reddere alteri, et ad id compelli potest etiam sub pœna Excommunicationis, si Religionem non ingrediatur, quam Excommunicationem re ipsa incurret, si intra tempus præfixum sibi a Judice non pareat, Communis per text. in cit. c. *Ex publico* et Glossa ibidem verb. *Infra duorum*.

(9. Et si etiam post illud tempus elapsum Conjux ingrediatur religionem, revocari non debet, valetque Professio, et post ingressum absolvendus est ab Excommunicatione; Glossa in cit. cap. *Ex publico*, verb. *infra duorum*; Sanchez lib. 2, de Matrimonio disput. 24, n. 28. Pirhing. loc. cit. num. 54, et alii. (10. Per solemnem enim Religionis professionem dissolvitur in quocumque tempore quo ad vinculum Matrimonium ratum et nondum consummatum; cap. *Verum* 2, cap. *Ex publico* 7, c. *Ex par.* 14, de conversione Conjugatorum, et expresse Conc. Trid. sess. 24, de Sacram. Matrim. Canon. 6, ibi: « Si quis dixerit Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius Conjugum non dirimi, anathema sit. »

(11. Unde si unus Conjugum Religionem ingrediatur, et in ipsa Professionem solemnem emittat, potest alter post dictam emissam Professionem libere ad secunda vota transire, seu cum alio Matrimonium contrahere. Communis, textu expresso in cit. cap. *Verum* 2, de Conversione Conjugatorum, ibi: « Et alteri remanenti in sæculo (si commonitus continentiam servare noluerit) licitum est ad secunda vota transire. »

(12. Post consummatum autem Matrimonium nullus Conjux potest sine consensu alterius Religionem ingredi, et Professionem emittere. Communis claris testibus in c. *Quidam* 3. cap. *Cum sit* 4, c. *Uxoratus* 8, cap. *Placet* 12, cap. *Ad Apostolicam* 13, de Conversione Conjugatorum cum similibus.

(13. Et si absque consensu alterius Conjugis dictam Professionem in Religione emittat, jubetur Vir ad Uxorem, et e contra Uxor ad Virum redire, et declaratur Professio nulla adeo ut, nec mortuo altero Conjuge, ad Religionem redire teneatur. Communis, textu expresso in cap. *Quidam* 3, et cap. *Placet* 12, de conversione Conjugatorum.

(14. Mortuo tamen altero Conjuge non potest licite propter simplex votum Castitatis alium ducere, nec potest petere debitum a vivente; quamvis ei illud reddere teneatur. Communis, textu expresso in cit. c. *Quidam* et cit. cap. *Placet*, si vero aliud Matrimonium contraheret, esset validum, quamvis illicitum. Vide *infra* n. 67.

(15. Potest autem unus Conjux cum con-

Digitized by Google

sensu alterius post consummatum Matrimonium ad Religionem transire, si requisitæ adimpleantur conditiones. Communis, claris testibus in cap. *Sunt qui dicant* 19, cap. *Agathosa* 21, caus. 27, quæst. 2, cap. *Cum sis* 4, de conversione Conjugatorum, ibi, « Prohibemus, ne Virum vel Mulierem (nisi uterque ad Religionem migraverit) transire permittas. Verum si ita Uxor senex est, et sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo, dissimulare poteris, ut ea in sæculo remanente, et Castitatem promittente, ad Religionem transeat Vir ejusdem. » Concordat cap. *Uxoratus* 8, et cap. *Ad Apostolicam* 13, eod. ibi : « Cum autem Vir, et Uxor una caro sint per copulam conjugalem effecti, nec una pars converti possit ad Dominum, et altera in sæculo remanere, profecto non est alter Conjugum recipiendus ad observantiam Regularem, nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat; sed et vitam debet mutare, nisi forte sit ejus ætatis, ut sine suspicione incontinentiæ valeat in sæculo remanere. »

(16. Conditiones copulative requisitæ ad hoc ut unus Conjux, altero remanente in sæculo, possit Religionem ingredi, et ibi Professionem emittere, sunt quatuor. Prima est, ut interveniat consensus alterius Conjugis; c. *Quidam* 3, cap. *Cum sis.* 4, c. *Uxoratus* 8, c. *Placet* 12, c. *Ad Apostolicam* 13, de conversione Conjugatorum.

(17. Secunda est, ut Conjux in sæculo remanere volens sit senex, cit. c. *Cum sit* 4, de conversione Conjugatorum, ibi : « Si ita senex est » etc. et cit. c. *Ad Apostolicam* 13, eod. ibi : « Nisi forte sit ejus » etc. etc. *Significavit* 28. eod ibi : « Si est ista, et est talis ætatis etc. » Si enim sit juvenis, quantumvis ob optimos suos mores absit suspicio, et periculum incontinentiæ, debet necessario Religionem intrare, ut alter Conjux licite, et valide ingredi, et profiteri valeat; Abbas in cap. *Conjugatus* 5, num. 4, de Conversione Conjugatorum ; Fagnan. in cit. cap. *Cum sis* 4, num. 10. Reiffenstuel lib. 3. Decretal. tit. 32, num. 14, et alii.

(18. Quanta autem senectus requiratur ad hoc, ut, uno Conjuge Religionem intrante, possit alter in sæculo remanere ? arbitrari debet Episcopus cum judicio Medicorum, attentis omnibus circumstantiis sexus, temperamenti, seu roboris, et hujusmodi dicti Conjugis ; an ratione ætatis sit jam factus inhabilis ad generandum ? cum ubi ratione ætatis potentia generandi cessat, etiam calor naturalis incontinentiæ incentivus deficere, et consequenter periculum, ac suspicionem incontinentiæ abesse præsumatur, arg. cap. *Cum sis* 4, de conversione Conjugator., ibi : « Si ita Uxor senex est, et sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo ; » sic Fagnan. in cit. c. *Cum sis* n. 22. Sanchez loc. cit. num. 16. Reiffenstuel loc. cit. n. 18, et alii.

(19. Tertia est, ut Conjux in sæculo remanere volens non sit suspectus de periculo incontinentiæ ratione morum ; cap. *Uxoratus* 8, de conversione Conjugatorum, ibi : « Quæ integræ opinionis existat, ita quod nulla suspicio habeatur eam ad secunda vota velle migrare, vel quod minus continenter debeat vivere. » Si autem non obstante, quod sit senex, et sterilis, constet eum incontinentiæ adhuc esse deditum, vel de incontinentiæ esse suspectum, tunc altero in Religionem intrante, debet et ipse intrare, nec potest in sæculo remanere ; textu expresso in cit. cap. *Uxoratus;* ibi : « Si autem talis fuerit quod suspicione non careat, Voto continentiæ celebrato, a Sæcularium hominum se conversatione removeat, et in loco Religioso, ubi Deo serviat, perpetuo commoretur; » Fagnan. loc. cit. num. 9. Pirhing loc. cit. num. 6. Reiffenstuel. loc. cit. n. 19, et alii.

(20. Quarta est, ut Conjux in sæculo remanere volens, perpetuum Votum Continentiæ emittat; cap. *Cum sis*, 4, de conversione Conjugatorum, ibi: « Ut ea in sæculo remanente, et Castitatem promittente : » cap. *Ad Apostolicam* 13, eod. ibi ; *nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat* cum aliis similibus.

(21. Professio emissa a Conjuge cum consensu alterius Conjugis, est valida, quamvis non adhibitæ, et observatæ sint aliæ tres ultimæ assignatæ conditiones. Nullibi enim in Jure irrita declaratur talis Professio; immo in Jure habetur potius, quod sit valida, ut patet in c. *Ex part.* 9, de conversione Conjugatorum, ubi cum vir de licentia Uxoris sine dictis tribus aliis conditionibus Religionem professus, et revocante Uxore, iterum egressus, mortua eadem, aliam duxisset, Matrimonium fuit declaratum nullum, et Vir compulsus Religionem priorem intrare, quod aperte declarat ejus Professionem validam fuisse. Sic Glossa in cit. cap. *Ex parte* verb. de Jure, Abbas ibid. n. 2, 3 et 5. Reiffenstuel loc. cit. num. 22, et alii arg. cap. *Agathosa* 21, caus. 27, qu. 2, cit. cap. *Ex parte* 9, de conversion. Conjugator.

(22. Si Conjux in sæculo remanens, perpetuam Castitatem voverit, Conjux de ejus licentia professus nequit amplius revocari, sive Conjux in sæculo remanens sit juvenis, sive senex, sive de incontinentia suspectus, vel suspecta, sive non. Communis, arg. cap. *Præterea* 1, de conversione Conjugatorum, ubi ut patet ex verbis mox adducendis *numero sequenti*, ad hoc ut Professio conjugis de licentia alterius emissa irrevocabiliter valeat, divisive solum requiritur, ut alter Conjux, vel ad Religionem transierit, vel perpetuam Castitatem voverit, non distinguens in hoc casu inter juvenem, et senem, inter suspectum de incontinentia, et non suspectum, adeoque etc. cum ibi Lex non distinguit, neque nos distinguere debeamus ; c. *Quia circa* 22. de privil. et l. de pretio 8, *ff.* de Publiciana in rem actione.

(23. An autem, unus Conjugum de licentia alterius Professionem in Religione emittat, et alter in sæculo remanens perpetuam Castitatem non voveat, Professus ad Uxorem iterum revocari possit, et debeat ? Variant Do-

Digitized by Google

ctores. Reiffenstuel enim loc. cit. num. 23. tenet sententiam affirmativam per textum in cap. *Præterea*, 8. de conversione Conjugatorum, ibi: « Dicimus, quod nisi Uxor ad Religionem transierit, aut perpetuo Castitatem servare promiserit, Vir potest, et debet de Monasterio revocari, » dicitque sic hic tenere Doctores communiter. Alii vero cum distinctione procedunt sic: Vel Conjux remanens in sæculo sine emisso voto perpetuæ Castitatis dando licentiam alteri conjugi ingrediendi Religionem fuit conscius Juris disponentis non posse unum Conjugem profiteri, nisi alter ad id licentiam concedens voveat perpetuam Castitatem, si sit senex, et non suspectus de incontinentia, et ingrediatur Religionem, si sit juvenis, et de incontinentia suspectus: Vel fuit talis Juris ignarus; si fuit talis Juris ignarus, tùnc dicunt, posse Conjugem professum revocari juxta cit. c. *Præterea;* Si autem fuit talis Juris conscius, tunc dicunt, non posse Conjugem Professum revocari, quia Conjux conscius talis Juris dando licentiam alteri Conjugi Professionem emittendi, censetur se obligasse ad id, quod jus requirit, videlicet, quod et ipse Religionem ingredi velit, si sit juvenis, et suspectus de incontinentia: vel perpetuam Castitatem vovere, et observare in sæculo, si sit senex, et de incontinentia non suspectus; nam qui vult aliquid, censetur velle omne id, per quod pervenitur ad aliud; cap. *Præterea* 5. cap. *Prudentiam* 21. et c. *Suspicionis* 39. de Officio Delegati, l. *Cui Jurisdictio* 2. ff. de Jurisdictione, l. *Ad rem nobilem* et *Ad Legatum*, ff. de Procurator. Atqui ingressus unius Conjugis in Religionem non potest irrevocabiliter fieri, nisi alter Conjux, vel ingrediatur etiam ipse in Religionem, vel saltem in sæculo manens vovent perpetuam Castitatem, juxta d. cap. *Præterea* 1. de conversione conjugator. ergo dando conscius talis Juris licentiam, censetur ad alterum se obligasse, adeoque Conjugem Professum revocare non potest; Abbas cit. cap. *Præterea* n. 4, et cap. *Ex parte* 9, n. 4, de conversione Conjug. et multi alii apud Fagnan. in cit. c. *Præterea* 1, n. 8. de conversione Conjugator. Sanchez lib. 7, de Matrim. disp. 33, num. 14. Pirhing loc. cit. n. 14, et alii sic intelligentes, et explicantes dist. cap. *Præterea:* Quamvis ipse Pirhing ib. vers. Id autem in fine dicat non esse improbabilem priorem affirmativam sententiam.

(24. Conjux remanens in tali casu in sæculo, si sit juvenis et de incontinentia suspectus, compelli potest ab Episcopo, ut et ipse Religionem ingrediatur, saltem ad evitandas evagationes, et pericula incontinentiæ. Sic Doctores passim argum. c. *Significavit* 18. de conversione Conjugatorum. Et quidem si fuit conscius Juris, quod dans in tali casu licentiam, et ipse profiteri debeat; arg. c. *uxorem* 10, caus. 33, q. 5. compellendus est, non solum ad Religionem ingrediendam, sed etiam ad ipsam profitendam; arg. cit. cap. *Uxorem*, et cit. cap. *Significavit*. In tali enim casu censetur ad id tacite se voluisse obligare. Si autem fuit talis Juris ignarus, compelli solum potest, ut Religionem, seu Monasterium ingrediatur ad evitandas evagationes, et pericula incontinentiæ, quia nec tacite nec expresse se voluisse ad Professionem obligare censetur. Sic Abbas in cit. cap. *Præterea* n. 8, et ibi Fagn. n. 4, ad finem, Sanchez loc. cit. n. 27. Pirhing loc. cit. n. 14. vers. *Porro*, Reiffenstuel loco cit. n. 23, et alii.

(25. Quamvis de Jure communi non requiratur licentia Episcopi, ad hoc ut unus Conjux de consensu alterius Religionem ingrediatur, ibique valide profiteatur, ut notant Glossa in cap. *Si vir.* 23. caus. 27, q. 2. Abbas in cit. cap. *Præterea*, Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 32, num. 3. Reiffenstuel loc. cit. n. 11. et ipso teste alii communiter; arg. cit. c. *Præterea* 1, de conversione Conjugatorum, ubi Professio conjugis, ignorante Episcopo, facta censetur valida; Tamen saltem, ut licite fiat talis Conjugis Professio, licentia Episcopi est necessaria; c. *Si Vir.* 23, caus. 27, q. 2, ubi ex Synodo Eugenii Papæ sic expresse habetur: « Si Vir, et Uxor divertere pro sola Religiosa inter se consenserint vita, nullatenus, sine Episcopi conscientia fiat; » Glossa in cit. cap. *Præterea* verb. *Revocari* Layman lib. 5, tract. 10, part. 3, c. 7, n. 3. Reiffenstuel l. c. n. 21, et alii. Per talem enim ingressum, et Professionem fit separatio Conjugum quoad torum, quæ sine licentia Episcopi fieri universaliter prohibetur; cap. *Multorum* 10. caus. 36, qu. 7. Tum quia ex dictis supra n. 18. ad Episcopum spectat judicare, an aliquis Conjux sit ita senex, ut sine suspicione incontinentiæ, altero Religionem intrante, et profitente, possit voto perpetuæ Castitatis emisso remanere in sæculo; cap. *Cum sit* 4. de conversione Conjugatorum.

(26. Quando unus Conjugum adulterium committit, potest, eo invito, Conjux innocens Religionem ingredi. Vide verb. *Divortium*, n. 44.

(27. Et si adulterium sit publicum et notorium, potest Conjux innocens ingredi Religionem propria auctoritate, non expectata sententia Judicis. Vide ibid. n. 45.

(28. Si vero adulterium sit occultum, debet expectare sententiam divortii a Judice. Vide ibid. n. 46.

(29. Conjux innocens, si post alterius adulterium ei voluntarie cohabitat petendo, et reddendo debitum Conjugale, non potest, eo invito, Religionem ingredi. Vide ib. n. 47.

(30. Sic etiam Conjux innocens, si ex post et ipse adulterium committat, non potest, invito primo adultero, Religionem ingredi. Vide ib. n. 48.

(31. Quando Conjux innocens Religionem non ingreditur, sed in sæculo manens divortium facit a Conjuge adultero etiam quoad cohabitationem, non potest Conjux adulter sine licentia Conjugis innocentis ingredi Religionem. Vide ib. n. 49.

(32. Potest tamen Conjux adulter Religionem ingredi, et in ea profiteri, etiam inscio, et invito Conjuge innocente, si hic prius est

Digitized by Google

Religionem ingressus, et in ea professus. Vide ibid. n. 50.

(33. Quotiescumque Vir ob adulterium Uxoris, ea invita, potest Religionem ingredi, potest etiam Ordines Sacros in sæculo quoque manens recipere. Vide ibid. n. 51.

(34. Affertur, et solvitur instantia. Vide ibidem num. 52.

(35. Propter adulterium spirituale potest alter Conjux fidelis, etiam alio invito, Religionem ingredi, vel Sacros Ordines suscipere, etiam postquam ad veram Fidem rediit iterum Conjux adulterans. Dummodo separatio ob tale adulterium spirituale auctoritate Ecclesiæ, et non propria, facta. Vide ibid. n. 53.

(36. Propter adulterium spirituale, seu lapsum in Hæresim, seu Gentilismum alterius Conjugum, potest Conjux innocens etiam propria auctoritate licite facere divortium quoad torum, et cohabitationem. Cum hac tamen advertentia, quod, si Conjux innocens propria auctoritate, et sine Judicio Ecclesiæ divortium fecit a Conjuge in hæresim lapso, et ipse reus hæresis sese ab errore revocaverit, tunc tenetur eum iterum recipere, seu ad eum iterum redire. Vide ibid. num. 21, 22, 23 et 24.

(37. Si vero Conjux innocens judicio Ecclesiæ divortium fecit, non compellitur Conjugem conversum recipere, seu ad eum iterum redire, sed potest Religionem intrare, si vult. Vide ib. n. 23.

(38. Si tamen Religionem ingredi noluerit, etiam hic redire compellitur. Vide ib. n. 24.

(39. Non enim solvitur Matrimonium quoad vinculum, si unus Conjugum transeat ad Infidelitatem seu labatur in hæresim. Vide verb. *Impedimentum Matrimonii* art. 1, n. 95.

(40. Immo nedum non dirimuntur Matrimonia propter Hæresim, sed et valide contrahuntur cum Hæreticis, si ritu Catholico contrahantur. Vide ibid. n. 96.

(41. Quinimmo secundum multos Matrimonia cum Hæreticis, nedum sunt valida, sed etiam licita in locis, ubi Hæretici, et Catholici permixti vivunt, cum quibusdam tamen conditionibus. Vide tamen verb. *Hæreticus* a n. 21 ad 26.

(42. Talia tamen Matrimonia ordinaria sunt illicita sub peccato mortali nisi Papa dispenset, aut rationabilibus causis excusentur. Vide verb. *Hæreticus* a n. 21 ad 26 (1).

(43. Impiissimum, et graviter peccaminosum est, tam contra Jus Ecclesiasticum, quam Divinum, illud pactum, quod in aliquibus locis dicitur adjici Matrimonio Catholici cum Hæretica, nempe ut masculi educentur in Fide Catholica Patris, et Fœminæ in secta Hæretica Matris, vel e contra. Vide ibid. n. 25.

(44. Nec valet immemorabilis consuetudo in contrarium. Vide ib. n. 26.

(45. Si ambo Conjuges Infideles convertantur ad Fidem Catholicam, possunt, et debent in Matrimonio prius contractu permanere quamvis cum impedimento Ecclesiastico, seu secundum Canones dirimente contraxerint *Communis*, textu expresso in c. *Gaudemus* 8, de divortiis, juncto ejus Summario, ubi sic expresse habetur : « Pagani juncti in gradu prohibito Lege Canonica tantum, conversi ad Fidem non separantur; » et insuper in cit. c. *Gaudemus* assignatur hæc ratio : « Quia Infideles Constitutionibus Canonicis non arctantur (quid ad nos secundum Apostolum eumdem de his, qui foris sunt, judicare?) in favorem præsertim Christianæ Religionis, et Fidei, cujus perceptione per Uxores se deseri timentes Viri possent facile revocari; Fideles hujusmodi matrimonialiter copulari libere possunt, et licite remanere conjuncti, cum per Sacramentum Baptismi non solvantur Conjugia, sed crimina dimittantur. »

(46. Si Vir Infidelis plures habuit Uxores, debet, cæteris dimissis, solam primam retinere, si hæc etiam convertatur, vel saltem pacifice, ut sine periculo perversionis cum converso habitare velit. *Communis* per text. in citat. cap. *Gaudemus*. 8. de divortiis, juncto ejus Summario sic expresse dicente : « Si Paganus prius plures Uxores habeat, post Fidem susceptam adhærebit primæ; » Et ratio est clara, quia cum Polygamia Jure Divino sit prohibita, cum sola prima verum, ac validum contraxit Matrimonium.

47. Hinc si prima nolit se convertere, nec absque periculo perversionis, et injuria Creatoris cum converso habitare velit, non teneretur Vir conversus aliquam aliam ex Uxoribus seu potius Concubinis habitis, retinere, etiamsi omnes se converterent, sed posset pro libito alteri nubere, quia cum nulla ipsi, prima excepta, verum, ac validum contraxit Matrimonium; Barbosa cum aliis in cit. c. *Gaudemus* n. 21, et seq. Reiffenstuel lib. 3. Decret. tit. 33, n. 3, et alii passim.

(48. Si Vir Infidelis secundum ritum suum primam legitimam repudiavit Uxorem, et cum secunda contraxit, etiam post susceptum Baptismum dimittet secundam, et adhærebit primæ repudiatæ, etiamsi repudiata cum alio contraxisset; Nec, ipsa vivente, poterit aliam ducere, nisi ipsa prima non conversa renuat habitare cum ipso, vel si consentiat habitare, nolit tamen sine contumelia Creatoris, et periculo perversionis Conjugis conversi. *Communis*, text. expresso in cit. c. *Gaudemus* § *Qui autem*, ibi : « Qui autem secundum ritum suum legitimam repudiavit Uxorem, cum tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, numquam, ea vivente, licite poterit aliam etiam ad Fidem Christi conversus habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, quo casu restitutionem petenti, quamvis de injusta spoliatione constaret, restitutio negaretur, quia secundum Apostolum, Frater, aut Soror non est hujusmodi subjectus servituti etc. » et concordat ejus Summarium sic præcise can-

(1) De Divortio, deque Hæreticorum, atque Infidelium Conjugiis, plura hic addenda atque explicanda esse Romani Censores monuerunt; nos vero omnia propriis in locis exponemus.

Digitized by Google

tans : « Et si, repudiata Uxore, cum secunda contraxerit, etiam post Baptismum dimittet secundam, et adhærebit primæ repudiatæ, etiamsi repudiata cum alio contraxisset. »

(49. Secus autem esset dicendum, si ipsa repudiata, non solum cum alio contraxisset, sed alias fornicata fuisset. *Communis*, textu expresso in cit. c. *Gaudemus* in fine, ibi : « Non tamen dimissor poterit objicere fornicationem dimissæ, pro eo quod nupsit alteri post repudium, alias fuerit fornicata, » et concordat ejus Summarium, ubi expresse dicitur : « Secus si fornicata fuisset. »

(50. Si ex duobus Conjugibus Infidelibus unus tantum convertatur ad Fidem, at alter monitus, et rogatus nolit converti, nec cohabitare sine injuria Creatoris, et periculo perversionis Conversi, tunc Matrimonium, etiamsi fuerit consummatum, dissolvitur quoad vinculum, ita ut Conjux Fidelis possit aliud Matrimonium, etiamsi contrahere cum Fideli ante omnem sententiam ; Vide verb. *Impedimenta Matrimonii*, art. 1, n. 93.

(51. Tale autem Matrimonium non statim ipso facto dissolvitur, cum unus Infidelium Conjugum convertitur ad Fidem, sed tunc primum, quando conversus ad alias nuptias actu transierit. Unde si alter Conjux adhuc Infidelis, antequam Conjux conversus cum alio Fideli contrahat, ad Fidem quoque convertatur, huic adhærere debebit, cit. c. *Gaudemus* 8 de divortiis, § *qui autem*, ibi : « Quod si conversum ad Fidem, et illa conversa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat Uxorem, eam recipere compelletur, » et ibi Gloss. verb. *Compelletur ;* Engel. lib. 3 Decretal. tit. 33, n. 2 ; Reiffenstuel. ib. n. 4 et alii.

(52. Non potest autem Conjux conversus ad Fidem solvere Matrimonium, quando Infidelis vult cohabitare sine injuria Creatoris, et sine periculo perversionis conversi, licet nolit ipse converti ; Vide dict. verb. *Impedimenta Matrimonii*, art. 1, n. 94.

(53. Si Conjuges Infideles habeant prolem, et unus eorum convertatur ad Fidem, eidem sive Pater, sive Mater sit, restitui debet tota proles doli adhuc incapax. *Communis, ac certa*, textu expresso in c. *Judæi*, 10, caus. 28, quæst. 1, c. *Ex litteris*, 2, de conversione infidelium, juncto ejus Summario sic dicente : « Si alter Infidelium Conjugum venit ad Fidem, altero remanente in Infidelitatis errore, communis proles assignatur converso. »

(54. Si autem proles sit jam doli, et rationis capax, ejus libertati relinquitur, an conversum ad Fidem vel potius Infidelem parentem sequi velit. *Communis*, per text. in cap. ad finem 33, caus. 23, qu. 5, ubi expresse dicitur : « quoad Fidem nullus cogendus est invitus, » quod etiam statutum fuit in Concilio Toletano IV, c. 56, relato in c. *Judæis* 5, dist. 45, ibi : « De Judæis autem præcepit Sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferri ; » ubi insuper hæc ratio subjungitur : « Cui enim vult, Deus miseretur, et quem vult, indurat ; non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit Justitiæ ; Sicut enim homo propria arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic vocante se gratia Dei propria mentis conversione quisque credendo salvatur, ergo non vi, sed libera arbitrii sui voluntate et facultate, ut convertantur suadendi sunt, non potius compellendi. »

(55. In dubio tamen an proles sit rationis, et doli capax ; Judicandum est pro favore Religionis, et consequenter proles parenti converso est restituenda ; argum. cit., c. *Ex litteris*, 2, de convers. Infidelium ; et leg. *Sunt Personæ*, 43, ff. de Religios. et sumptib. funer. ubi dicitur : summam esse rationem quæ pro Religione facit ; Sanchez. lib. 7. de Matrim. disp. 73, n. 16 ; Reiffenstuel. loco citat., n. 7 et alii passim.

(56. Conjugatus in Ecclesia latina non potest ad Sacros Ordines promoveri, nisi ab Uxore continentiam profitente expressam licentiam obtinuerit. *Communis*, textu expresso in c. *Conjugatus* 5, de conversione Conjugator. ibi : « Nullus Conjugatorum est ad Sacros Ordines promovendus, nisi ab Uxore continentiam profitente fuerit absolutus, » et concordat c. *Sane* 6, eodem c. *Seriatim* 14, dist. 23 et c. *Episcopus* 6, dist. 77.

(57. Et hoc, etiamsi Matrimonium nondum fuerit consummatum. *Communis*, textu expresso in Extravagant. Antiquæ Joan. XXII de voto, ibi : « Auctoritate Apostolica districtius inhibetur, ne quispiam durante Matrimonio nondum etiam consummato, aliquem de Sacris Ordinibus præsumat suscipere, nisi prout Sacris Ordinibus noverit convenire. »

(58. Potest tamen Conjugatus etiam post Matrimonium consummatum ad Sacros Ordines promoveri etiam sine licentia Uxoris, immo ipsa invita, et reclamante, si habeat legitimam divortii causam ob notorium v. g. aut legitime probatum ipsius Uxoris adulterium. Ob talem enim causam Jure Divino Matthæi cap. 19, et quidem in perpetuum ; c. *significasti* 4, de divortiis, potest Vir in posterum continens dimittere Uxorem suam quoad cohabitationem, et sic ipsa etiam invita, et reclamante ad Sacros Ordines promoveri ; et ratio est, quia Uxor adultera totum suum Jus amisit ad Virum. Unde sicuti ex dictis supra n. 26, et sub verb. *Divortium* n. 44, cum communi Doctorum, quando unus Conjugum adulterium committit, potest eo invito, et reclamante, alter Conjux innocens Religionem ingredi, ita etiam Vir innocens potest, Uxore adultera invita, et reclamante, Ordines Sacros recipere, cum non sit major ratio, cur in tali casu Uxore invita, et reclamante, possit Vir Religionem ingredi, et non in sæculo manens Ordines Sacros recipere ; Sic Glossa in cap. *Constitutus* 15 de conversione Conjugator. verb. *ad gradum Sacerdotii*, et ibi Abbas n. 41 ; Navarr. lib. 4, de Sponsalib. consil. 23, n. 6 ; Silvester verb. *Divortium*, quæst. 17, num. 20 ; Pirhing. lib. 3, Decretal. tit. 32, n. 34 ; Sanchez lib. 10 de Matrimonio disp. 22, n. 16, citans plurimos alios ; Reiffenstuel lib. 3, Decretal. tit. 32, n. 33, testans de communiori et probabiliori contra Innocentium, et

Digitized by Google

Joann. Andream, Hostiens. et alios, eodem lib. 3 Decretal. tit. 3. n. 32, ubi testatur de communi ; arg. cit., cap. *Constitutus* 15, de conversione Conjugatorum. Vide d. verb. *Divortium* num. 51 et 52. Vide etiam notam Romani Theologi (1).

(59. Conjugatus non solum ad Sacros, sed nec etiam ad primam Tonsuram, et Minores Ordines promoveri potest sine Uxoris licentia, et aliis requisitis numero sequenti assignandis ; Gloss. in cap. *Conjugatus* 5 de conversione Conjugatorum verb. *Ad Sacros* et ibi : Joann. Andreas n. 3 et alia Glossa in c. ult. de temporib. Ordinat. in 6, verb. *Definitum ;* Abbas in c. *Sane* 2 de Clericis Conjugatis n. 3 ; Barbosa in Extravagant. Antiquæ Joan. XXII de voto num. 4 ; Reiffenstuel. l. 3, Decret. t. 3, n. 53. Pirhing. ibid. n. 2 et l. 3 Decretal. tit. 32, n. 57 ; Sanchez. lib. 7, de Matrimon. disp. 38, n. 9 et alii passim per text. in cap. ult. de temporibus Ordinat. in 6, ubi expresse statuitur, quod « nullus Episcopus, vel quivis alius Clericalem præsumat conferre Tonsuram Conjugato, nisi voluerit Religionem intrare, aut ad Sacros Ordines promoveri, prout est Sacris Canonibus definitum : » Ecclesia enim non permittit, nec potest Episcopus dispensare in hoc, ut Conjugatus fiat Clericus ad permanendum in sola Tonsura et solis Minoribus ; per cit. c. Ult. de Temporibus Ordinat. in 6, et Concil. Trid. sess. 23 de reform. cap. 4, ubi statuitur « Clericalem Tonsuram non esse conferendam illis de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis Judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent hoc vitæ Clericalis genus elegisse ; » Talis autem probabilis conjectura nequit haberi de Clericis uxoratis, nisi voluerint Religionem intrare aut ad Sacros Ordines promoveri.

(60. Ut Conjugatus igitur ad Ordines promoveri possit, præter licentiam Uxoris, requiritur etiam ut ipsa Uxor in sæculo manens perpetuam castitatem voveat, si sit senex, et sine suspicione, ac periculo incontinentiæ ; si autem sit juvenis, vel suspecta de incontinentia, etiam Religionem ingredi debet, juxta dicta supra n. 24. Et ratio est, quia si Uxor Professi in Religione, cum est senex, et sine suspicione, ac periculo incontinentiæ, sufficit quod in sæculo manens perpetuam Castitatem voveat, et cum est juvenis, vel suspecta de incontinentia, requiritur insuper, ut Religionem, seu Monasterium ingrediatur, c. *Cum sis* 4, cap. *Uxoratus* 7, cap. *Ad Apostolicum* 13, de conversione Conjugator., multo magis id dicendum est de Uxore Clerici sæcularis Promoti ad Ordines, quia facilius potest talis Clericus Uxorem invisere, ideoque majus subest periculum incontinentiæ, quam ex parte Professi in Religione ; Sic Glossa fere communiter recepta in cap. *Conjugatus* verb. *Ab uxore* de conversione Conjugator. ; Abbas num. 4 ; La Croix lib. 6, part. 2, num. 2220, testans de communiori, et probabiliori ; Sanchez lib. 7 de Matrimon. disp. 39, num. 6 ; Pirhing. loco cit. num. 59 et alii per text. in cap. *Episcopus* 6, dist. 77, ubi sic habetur : « Sane si Conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam Uxorum voluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, Religione promissa posteaquam pariter conversi fuerint, ordinentur. » Vide supra num. 24, et discurre ut ibi.

(61. Conjugatus non potest ordinari Episcopus, nisi de expressa licentia Uxoris, et nisi ipsa Uxor prius Religionem profiteatur, nec sufficit, quod illa perpetuam Castitatem in sæculo voveat, quamvis sit senex, et sine suspicione incontinentiæ *Communis*, textu expresso in cap. *Sane* 6 de conversione Conjugator., juncto ejus Summario sic expresse dicente : « Uxoratus in Episcopum promoveri non potest, nisi Uxor Religionem profiteatur ; » Cum enim ibi Pontifex generaliter loquatur de Uxore Episcopi, non distinguens de sene, aut juvene, de suspecta aut non suspecta incontinentiæ, etiam nos indistincte de quacumque Uxore Episcopi intelligere debemus, cum verba generalia generaliter sint intelligenda, et ubi Lex non distinguit, neque nos distinguere debeamus ; cap. *Quia circa* 22 de Privileg. et l. *De pretio* 8, ff. de Publiciana in rem actione.

(62. Ut autem Conjugatus possit promoveri ad Cardinalatum, requiritur ingressus Uxoris Religionem solum in illo casu, in quo requiritur ingressus pro Uxore conjugati promovendi ad Ordines ; Sanchez lib. 7, de Matrim. disp. 41, n. 4 ; Pirhing. l. c. n. 63 in fine, et alii. Et ratio est, quia non habetur in hoc casu ratio, quæ aliud statuendum cogat, nec reperitur Jus speciale aliquid specialiter decernens de Uxore promovendi ad Cardinalatum, sicuti de Uxore promovendi ad Episcopatum reperitur in cit. *Sane* 6 de conversione Conjugatorum.

(63. Ut tamen Conjugatus possit promoveri ad Papatum requiritur, quod ejus Uxor, sicuti dictum est supra n. 61, de Uxore Episcopi, prius Religionem profiteatur ; arg. cit. c. Sane 6, de conversione Conjugatorum.

(64. Conjugatus absque licentia Uxoris ad Presbyteratum, Episcopatum, Cardinalatum, et Papatum promotus, potest ab ipsa ad consortium conjugale revocari, et tunc teneretur ei debitum reddere. Et ratio est, quia Conjugatus per talem promotionem non potuit præjudicare Juri, quod habuit Uxor in Corpus ipsius, juxta Apostolum I ad Corinth. c. 7, n. 4, ibi : « Similiter autem et Vir sui corporis potestatem non habet, sed Mulier, » etiamsi bona fide promotus fuisset,

(1) Non ita liber est Conjux innocens ad in Religionem ingrediendum, ut re nondum judicata separari, et Religionem ingredi possit ; præcedere etenim debet Ecclesiastici Judicis sententia. Publica namque separatio requirit publicam Judicis Ecclesiastici auctoritatem, ex cap. 3 et 6, de divort. alioquin scandalum, et perturbatio oriretur, uti Antoine tom. 2, tract. de matrim. quæst. 9, animadvertit, cui concinit etiam Cabassutius in Theor. et Prax. Juris. Canon. cap. 28, ubi habet, non posse Conjugem Religionem ingredi, nisi adulterium juridice probetur. (*Nota Rom. Theologi.*)

Digitized by Google

putans Uxorem jam fuisse mortuam. Vide verb. *Papa* art. 1, n. 50.

(65. Non posset tamen talis Conjugatus debitum petere quia obligaretur voto Castitatis annexo Ordini Sacro suscepto, quod votum servare teneretur, in quantum Lex Matrimonii permitteret, scilicet Debitum Conjugale non exigendo, quamvis illud reddere posset, et teneretur. *Communissima.*

(66. Nec talis Conjugatus posset, mortua dicta sua Uxore, ad alias nuptias transire, et si de facto aliud Matrimonium contraheret, illud esset nullum : Votum enim annexum Sacro Ordini est solemne, adeoque impedit Matrimonium in posterum contrahendum, ac dirimit contractum ; cap. Unic. de voto in 6. Reiffenstuel lib. 3, Decretal. tit. 3, num. 39 et 40. Pirhing. lib. 3, Decretal. tit. 32, n. 61, verb. *Notandum secundo ;* Abbas in cap. *Placet* 12, de conversione Conjugatorum n. 7. Sanchez loc. cit. disp. 38, n. 24, et alii passim.

(67. Nec valet objicere, quod sicuti Conjugatus, qui sine licentia Uxoris est professus Religionem, et ab ipsa revocatus, post mortem illius ad alias nuptias transire potest, saltem valide, etsi non licite propter simplex votum Castitatis, juxta cap. *Quidam* 3, et cap. *Placet.* 12, de convers. Conjug. ita etiam Conjugatus qui sine licentia Uxoris est promotus ad Sacros Ordines, et ab ipsa revocatus, post mortem illius ad alias nuptias saltem valide, etsi non licite transire poterit. Non valet, inquam, cum adsit magna disparitas, et ratio disparitatis, seu diversitatis est, quia in tantum Conjugatus sine licentia Uxoris professus, et ab ipsa revocatus post mortem illius ad alias nuptias saltem valide transire potest, quia talis Professio fuit irrita, et invalida, adeo ut nec mortua uxore teneatur ad Religionem redire, per text. in c. *Quidam* 3, et c. *Placet* 12, de convers. Conjugator. juxta dict. supra n. 13, et ideo per illam Professionem irritam, et nullam non potest dirimi Matrimonium subsequens, sicque si talis Conjugatus mortua Uxore aliud Matrimonium contrahat, erit validum, quamvis illicitum, ex quo licet defectu consensus, et licentiæ Uxoris suum votum non fuerit solemne, fuit tamen simplex Castitatis ; At vero Ordo Sacer etiam sine licentia Uxoris est valide collatus, et receptus, et in ejus collatione et susceptione ex Ecclesiæ constitutione intervenit, non solum votum simplex sed et solemne Castitatis, aptum ad impediendum Matrimonium in posterum contrahendum, et ad dirimendum jam contractum ; text. express. in cap. Unic. de Voto in 6, adeoque talis Conjugatus in Sacris Ordinatus non posset, sicuti posset Professus, mortua Uxore, ad alias nuptias valide transire, et si de facto aliud Matrimonium contraheret, illud esset nullum ; Sic Abbas in cit. cap. *Placet* 12, n. 7, de Convers. Conjug. Sanchez lib. 7, de Matrim. disput. 38, n. 24, Pirhing. lib. 3 Decretal. tit. 32. n. 81, vers. *Notandum secundo*, et alii.

(68. An autem si Conjugatus cum Uxoris spontanea licentia ad Ordines Sacros sit promotus, et ipsa Uxor in sæculo manens perpetuam Castitatem non voveat, possit ab ipsa revocari ad consortium Conjugale : Discurrendum est juxta d. distinctionem supra num. 23, uti præter Doctores ibi citat. tenent etiam Glossa in cap. *Seriatim* 14, verb. *Post mortem* dist. 32. Henric. Boich. in cap. *Uxoratus* 5, num. 12, de convers. Conjug. Angel. verb. *Matrimonium* 4, num. 9, apud Fagnan. in cit. cap. *Uxoratus* n. 9, quamvis ipse ibi num. 8, dicat, quod consentiunt omnes, tam Theologi quam Canonistæ, quod tali casu absolute non possit Uxor revocare Virum, cum eo ipso, quod licentiam dederit Viro suscipiendi Sacros Ordines censeatur etiam vovisse Castitatem et privatam esse usu Conjugii, et consequenter etiam Jure revocandi Virum.

(69. Si Conjugatus cum licentia spontanea Uxoris Sacros Ordines susceperit, tunc Uxor non potest eo mortuo, valide aliud Matrimonium inire ; cap. *Quia sunt* 10. dist. 28, et ibi Glossa final. Azorius part. 1, lib. 13, cap. 14, q. 11. Sanchez loc. cit. disp. 40, n. 3, Pirhing. loc. cit. n. 61, vers. *Notand.* 14. Et ratio est, quia ex Ecclesiæ Constitutione ob reverentiam Ordinis Sacri suscepti a Viro cum spontanea licentia Uxoris voventis Castitatem, ipsa quoque reddita est inhabilis ad aliud subsequens Matrimonium ineundum.

(70. Si autem Vir Ordinem Sacrum susceperit Uxore contradicente, vel ignorante, potest ipsa, eo mortuo, aliud Matrimonium valide contrahere, quia delictum Viri non debet præjudicare Uxori, cum peccata suos debeant tenere auctores ; cap. *Quæsivit* 2, de his, quæ fiunt a majori parte Capituli ; l. *Sancimus* 2, Cod de pœnis. Nec debet aliquis alterius odio prægravari ; cap. *Non debet* 22, de Regul. Juris in 6, l. *Non debet* 74, ff. de Regul. Jur. Et rem, quæ culpa caret, in damnum, vocari non debeat ; capit. Cognoscentes 2, de Constitutionibus. Sic Sanchez loc. cit. n. 4. Pirhing. loc. cit. n. 61, vers. *Notandum* 3, et alii passim.

(71. Conjugatus sine spontanea Uxoris licentia ad Ordinem Sacrum transiens fit irregularis, et nequit, durante Matrimonio, immo nec Matrimonio per obitum, aut Professionem Religiosam Uxoris soluto, in suscepto Ordine ministrare, nec ad superiores Ordines provehi, nec ad aliquod Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum promoveri, nisi aliquam de Religionibus approbatis canonice fuerit ingressus, quo casu poterit Episcopus super præmissis cum eo dispensare. Communis, text. express. in Extrav. Antiquæ Joan. XXII, de voto et voti redemptione.

(72. Et si Matrimonium nondum fuerit consummatum, talis Conjugatus sine spontanea licentia Uxoris ad Ordines Sacros promotus est instanter monendus, et inducendus ab Episcopo ad Religionem ingrediendam ; Et si Religionem noluerit ingredi, si sponsa ejus institerit, est per Ecclesiasticam Censuram ad consummandum Matrimonium compellandus. *Communis*, textu espresso in cit. Extravag. *Antiquæ* in fine, ibi : « Ad

Digitized by Google

ingressum hujusmodi sic ordinatum (si matrimonium consummatum non fuerit) per Diœcesanum instanter moneri præcipimus, et induci; Quod si forsan renuerit adimplere, ipsum (si sponsa ejus institerit,) per Censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus contractum Matrimonium consummare. »

(73. Si unus Conjux pro certo cognoscat invaliditatem Matrimonii, eo quod indubitanter sciat subesse impedimentum dirimens, quamvis hoc in facie Ecclesiæ probare nequeat, non solum non potest petere, sed nec reddere debitum, non obstante, quod per sententiam Judicialem Ecclesiæ, vel etiam per Excommunicationem ad id compellatur, aut ab altero Conjuge absque gravi scandalo, aut etiam absque manifesto vitæ periculo, discedere nequeat; Vide verb. *Debitum Conjugale*, Art. 1, n. 51 et 52.

(74. Quando Conjuges debitum Conjugale possint, et debeant reddere, vel non? Vide d. verb. *Debitum Conjugale*, Art. 1, per tot.

(75. Quoad ea, quæ concernunt dispensationem super impedimento petendi debitum Conjugale, vide d. verb. *Debitum Conjugale*, Art. 2, per tot.

(76. Quando, et quomodo possint, vel non Conjuges facere divortium. Vid. verb. *Divortium per tot.*

(77. Conjuges opus Conjugii exercentes ob solam voluptatem, non vacant culpa veniali *Communis*. Contraria enim opinio est expresse damnata ab Innocent. XI, Die 2 Martii 1679, proposit. 9, ibi : « Opus Conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali. »

(78. Conjux in actu conjugali cum sua, se morose delectans in alia, velut præsente, peccat mortaliter, et addit speciem adulterii in Confessione explicandam. Vide verb. *Adulter*, Art. 1, n. 6, et verb. *Delectatio morosa* n. 26.

(79. Delectatio morosa de actu conjugii inter conjuges præsentes, dummodo absit periculum pollutionis, non est peccatum mortale. Vid. d. verb. *Delect. morosa* n. 24.

(80. Immo Conjux neque mortaliter peccat, si de maritali copula, altero conjuge absente, cogitans, in re cogitata morose delectetur. Vide ibid. n. 25.

(81. Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi, et hujusmodi, quæ fiunt inter Conjuges sine ordine ad copulam, si fiant cum periculo pollutionis in uno, vel altero, vel pertineant ad Sodomiam quamdam inchoatam, sunt peccata mortalia; alias non sunt nisi venialia. Vid. verb. *Luxuria* n. 88, verb. *Tactus* num. 12, 13 et 14.

(82. Conjuges an, et quas donationes possint sibi invicem facere? Vide verb. *Donatio*, Art. 2, a n. 13, ad n. 29.

(83. Quoad ea, quæ concernunt bona Conjugum. Vide verb. *Bona*, Artic. 4, a n. 1, ad 37.

(84. Quibus prius subvenire debeant Conjuges, in extrema, gravi, et communi necessitate? Vid. verb. *Necessitas* a n. 25, ad 37.

(85. Ad quem Conjugem spectet proprietas, et dominium dotis, et quid de ipsa in variis casibus? Vid. verb. *Dos*, Art. 1, et Art. 3, per tot.

(86. Alia ad rem Vid. verb. *Adulterium* verb. *Bona*, art. 4, verb. *Debitum Conjugale*, verb. *Delect. morosa*, verb. *Divortium*, verb. *Donatio*, verb. *Luxuria*, verb. *Maritus*, verb. *Impedimenta Matrimonii*, verb. *Matrimonium*, verb. *Necessitas*, verb. *Sepultura*, verb. *Tactus*, verb. *Uxor*.

Additiones ex aliena manu respicientes ingressum Religionis post Matrimonium contractum et consummatum reperies in verb. *Matrimonium* art. 5.

CONSANGUINITAS.

Vide verb. Impedimenta Dirimentia Matrimonium, *verb.* Cognatio.

CONSCIENTIA.

SUMMARIUM.

1. Conscientia quid sit. — 2. Assignatur differentia inter Conscientiam, et Synderesim, *usque ad n.* 3. — 4. Conscientia ab aliquibus dicitur quasi concludens scientia; a divo Bernardo dicitur quasi *Cordis Scientia;* A Divo Thoma quasi *cum alio scientia;* Et ab aliis quasi *cum seipso scientia*, *usque ad n.* 6. — 7. Conscientia partim respicit opera nostra præterita, vel ea accusando tamquam malefacta, vel ea commendando tamquam bene facta. — 8. Et partim respicit opera instantia, seu futura dictando, quæ agenda sint tamquam bona, et quæ omittenda tamquam mala, et turpia. — 9. Conscientia est intrinseca, et proxima regula, juxta quam homo tenetur dirigere suas actiones. — 10. Lex autem est regula extrinseca, et remota, prout est radix, unde oritur bonitas, vel malitia objecti. — 11. Potest contingere ut actus sit bonus et objectum in se malum, et e contra. — 12. Actus intellectus practici, quo indicat aliquid esse bonum, vel malum, aut indifferens in genere moris, et ut tale illud proponit voluntati vocatur proprie *Conscientia.* — 13. Conscientia dividitur in Rectam, Erroneam, Dubiam, Probabilem, et Scrupulosam. — 14. Conscientia recta, seu certa, quæ sit. — 15. Conscientia erronea, seu falsa, quæ sit? *usque ad n.* 16. — 17. Conscientia erronea dividitur in invincibilem, et vincibilem, et quæ utraque sit. — 18. Conscientia erronea sive sit vincibilis, sive invincibilis obligat negative ad actum dictatum. — 19. Conscientia erronea invincibilis obligat ad actum dictatum non solum negative, sed et positive. — 20. Conscientia erronea vincibilis non solum obligat positive, ut eam sequamur, sed neque licite ipsam sequi possumus; obligat tamen, ut eam deponamus; ita ut sive juxta eam, sive contra eam agamus, semper peccemus. — 21. Qui peccat ex Conscientia erronea, peccat peccato ejusdem speciei, et qualitatis, quam intellectus judicat. — 22. Conscientia dubia quæ sit. — 23. Assignatur differentia inter conscientiam dubiam et probabilem. — 24. Conscientia dubia varie dividitur juxta variam divisionem dubii. 25. Dubium primo dividitur in speculativum, et practicum; et quid sit utrumque, *ad n.* 26. — 27. Secundo dividitur in dubium positivum, et negativum et quid sit utrumque. *ad n.* 28. — 29. Tertio dividitur in dubium juris, et dubium facti, et quid sit utrumque. *ad n.* 30. — 31. Qui

Digitized by Google

operatur cum Conscientia speculative dubia, juris, vel facti non peccat, si practice judicet opus illud esse hic, et nunc sibi licitum, *ad n.* 32. — 33. Qui operatur cum Conscientia practice dubia peccat pro qualitate dubii, et in ea specie peccati, de qua dubitat. — 34. Practice dubius debet suam actionem suspendere, donec re mature, sed humano more examinata, dubium prudenter deponat, formando judicium determinatum de honestate actionis hic, et nunc exercendæ. — 35. Si re mature examinata adhuc maneat dubius prò utraque parte, et reperiatur in talibus circumstantiis, ut debeat necessario operari, tunc si nequeat dubium deponere, debet eligere id, in quo non est periculum peccandi, aut id, quod est minus malum. — 36. Si autem utrumque malum appareat ipsi æquale, et repertus in necessitate operandi nequeat discernere, quodnam de duobus malis sit majus, vel minus malum, tunc potest eligere quod vult. — 37. Hoc totum demonstratur exemplo. — 38. Pro regulis generalibus ad rationabiliter deponendum dubium, quod propria materiæ motiva non suppetunt, exponuntur duo usualiora axiomata ex Jure communi deprompta, scilicet; *In dubiis tutior pars est eligenda. In dubiis melior est conditio possidentis.* — 39. Primum axioma sine dubio universaliter, et semper verum est quantum ad consilium, et perfectionem. — 40. Tenemur ex præcepto partem tutiorem eligere in dubiis sive juris, sive facti quoad valorem Sacramentorum. — 41. Similiter tenemur ex præcepto partem tutiorem eligere, quando aliter immineret proximo periculum gravis damni. — 42. Sic etiam esset obligatio sequendi tutiorem partem, si quis ad hoc se obligasset voto, vel ad id adstrictus esset per legem, aut per legitimum Superioris mandatum. — 43. In aliis materiis, non tenemur eligere partem tutiorem, nisi lex aliqua præcipiat, ut pars tutior eligatur. — 44. Et de facto in plurimis aliis materiis tum Pontifices, tum Sancti Patres docuerunt et tenuerunt aliquam minus tuta tamquam licita, relicta parte tutiori, *usque ad n.* 47. — 48. Secundum axioma, scilicet in dubiis melior est etc. fundatur, et in regulis juris, et in Jure naturæ, *usque ad n.* 49. — 50. Verus hujus axiomatis sensus est; quod quando neutra pars sufficienter probatur, possessoris causa debeat sustineri. — 51. Hoc axioma locum habet universaliter in materia justitiæ, quando videlicet dubium est an res aliqua sit, hujus, vel illius Domini, et unus de facto bona fide possidet talem rem. — 52. Item tale axioma nedum locum habet quoad possessionem in materia justitiæ, sed etiam quoad possessionem in materiis aliarum virtutum. — 53. Hinc colligitur primo, valere tale axioma indubitanter in materia obedientiæ. — 54. Colligitur secundo, valere tale axioma in materia Religionis. — 55. Colligitur tertio, valere tale axioma in materia Fidelitatis. — 56. Colligitur quarto, quod ex regula talis axiomatis, qui vere dubitat, an lex, vel præceptum adsit, manet in possessione suæ libertatis contra legem, vel præceptum. — 57. E contra vero, qui est certus de lege lata, promulgata, et recepta, et dubitat solum de ejus cessatione, vel abrogatione, lex manet in possessione suæ obligationis contra hominem dubitantem. — 58. Colligitur quinto, ex tali axiomate, quod in dubio facti fundantis legem dubitans de facto manet in possessione suæ libertatis. — 59. E contra vero in dubio facti supponentis legem, lex manet in possessione obligationis, contra dubitantem. — 60. Colligitur sexto ex tali axiomate quod in dubio circa tempus inchoandæ obligationis, dubitans manet in possessione suæ libertatis. — 61. E contra vero in dubio circa tempus finiendi obligationem, lex manet in possessione obligationis contra dubitantem. — 62. Colligitur septimo ex tali axiomate, quod qui est certus de debito, et dubitat an solverit, tenetur solvere. — 63. Nisi etiam creditor ipse dubitet. — 64. Quoad hoc tamen placet limitatio, quod scilicet non teneatur in tali casu ad integram solutionem, sed solum ad partem ejus pro qualitate dubii.—65. Colligitur octavo ex tali axiomate, quod dubius de legis justitia, obedire tenetur.—66. Colligitur nono ex tali axiomate, quod qui certus est se vovisse Ecclesiæ sex mensuras, v. g. vini, vel tritici, et dubius est, de qua mensuras intellexerit, tunc ipse vovens, sive suus hæres tenetur solvere ad mensuram minorem. — 67. De primo ad ultimum quoad dubia, et obscura habetur regula expressa de mente S. Leonis. — 68. Conscientia probabilis quæ sit. — 69. Assignatur differentia Conscientiæ probabilis a Conscientia recta. — 70. Assignatur ejus differentia etiam a Conscientia dubia. — 71. Conscientia probabilis dividitur in probabilem probabilitate intrinseca, et probabilem probabilitate extrinseca, et quæ utraque sit. — 72. Item Conscientia probabilis, alia est vere probabilis, et alia tenuiter solum probabilis, et quæ utraque sit. — 73. Hinc resolvitur prima, quod potest homo in rebus moralibus, et actionibus humanis licite sese conformare Conscientiæ, seu opinioni vere probabili. — 74. Opinio vere probabilis, quæ sit. — 75. Unus Auctor potest facere opinionem vere probabilem, si plures Classicos Doctores pro ea fideliter citet. Immo potest dari casus, ut opinio unius Doctoris sit vere probabilis, etiamsi quamplures Doctores contrarium sentiant, si Auctor ille ita solidas afferat rationes, quæ faciliter aliorum rationes infringant. — 76. Unus tamen Auctor qui non habeat, nec afferat rationes intrinsecas ita firmas, ut aliorum rationes ab ipsis infringantur, non potest facere opinionem vere probabilem. — 77. Talis enim opinio esset solum leviter, et tenuiter probabilis. — 78. Resolvitur secundo, quod potest homo licite sequi opinionem vere quidem, sed minus probabilem, minusque tutam, relicta probabiliori et tutiori, quando tamen agitur de sola honestate actionis, an licita sit, vel non. *ad num.* 82. — 83. Resolvitur tertio, quod non potest homo licite sequi opinionem minus probabilem, minus tutam, relicta probabiliori, et tutiori, quando agitur de materia facti, et exinde sequitur certum periculum inferendi damnum proximo. — 84. Unde Sacerdos in administratione Sacramentorum adhibens materiam, vel formam dubiam minusque probabilem, et minus tutam, cum possit adhibere certam, aut tutiorem, graviter peccat. — 85. Sic Judex sententians ad favorem partis minus probabile jus habentis peccat graviter. — 86. Judex enim suis sententiis tenetur sequi opinionem probabiliorem. — 87. Immo neque quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex adjudicare causam cui maluerit, et si munera accipiat, ut ad unius partis potius favorem pronunciet sententiam, peccat mortaliter, et ad restitutionem tenetur. — 88. In tali casu quando re mature discussa, non apparet, quænam pars potiori, et probabiliori sit suffulta ratione, debet Judex, vel compositionem inter partes suadere, vel rem controversam inter litigantes ex æquo dividere in re, vel in pretio. — 89. Excipiendum tamen est, *Nisi forte alter litigantium esset in possessione bonæ fidei.* — 90. Sic etiam excipiendum est. *Nisi alter litigantium sit reus.* — 91. Sic etiam excipiendum pariter est, *Nisi agatur de causis piis, et privilegiatis.* — 92. Similiter Medici, et Chirurgi, nedum tenentur sub mortali sequi sententias certas et securas, relictis incertis, et dubiis, sed etiam (certa curatione infirmorum non occurrente) tenentur sequi opiniones probabiliores, relictis minus probabilibus. — 93. Per accidens tamen poterunt Medici, et Chirurgi, adhibere remedia minus tuta, si infirmi, vel læsi non possint, aut nolint solvere pretiosa remedia. — 94. Sic etiam si quidam infirmus, vel læsus extremo laboret, vel verosimilimum sit esse moriturum, nisi aliquo remedio juvetur, et nihil aliud occurrat, poterunt Medici, et Chirurgi cum consensu infirmi, vel ejus parentum

Digitized by Google

adhibere quodcumque remedium, quamvis minus securum, vel dubium. — 95. Non licet autem Medicis, et Chirurgis experiri in desperatis, an medicamenta sint utilia, vel noxia. — 96 Sic etiam Consiliarii in dandis consiliis ubi adest periculum, ne proximo fiat damnum, aut injuria, tenentur sequi sententias certas, vel probabiliores. — 97. In dandis autem Consiliis, ubi non adest periculum inferendi damnum proximo, non possunt Consiliarii sequi sententias minus probabiles, dummodo sint vere probabiles. — 98. Immo in similibus casibus possunt Consiliarii significare consulentibus talem opinionem a quibusdam Doctoribus tamquam probabilem defendi, quam proinde ipsis consulentibus sequi liceat, quamvis ipsi Consiliarii eamdem speculative falsam esse judicent, et proinde in praxi ipsi sequi non audeant. — 99. Sic Advocati possunt suscipere defendendam causam minus probabilem, sed vere probabilem, licet causa adversaria judicetur ab ipsis probabilior. — 100. Resolvitur quarto, licitum esse sequi opinionem alienam vere probabilem et vere tutam, etiam contra propriam opinionem probabiliorem, et tutiorem visam. Immo etiam quandoque eam sequi debere, *usque ad num.* 101. — 102. Afferuntur objectiones, et solvuntur, *ad n.* 107. — 108. Secunda pars conclusionis, quod nempe etiam quandoque tenemur sequi opinionem alienam minus probabilem, et minus tutam, etiam contra propriam opinionem probabiliorem, et tutiorem nobis visam, ostenditur, *usque ad num.* 110. — 111. Sic Confessarius tenetur contra propriam opinionem etiam probabiliorem, et tutiorem sibi visam absolvere pœnitentem, et qui tenet oppositam minus probabilem, et minus tutam, dummodo sit vere probabilis, et tuta. — 112. Immo Diana cum aliis addit teneri Confessarium sic pœnitentem absolvere, licet putet opinionem pœnitentis esse falsam, dummodo reputet probabilem. — 113. Quinimmo superaddit Diana cum aliis peccare mortaliter, si nolit absolvere, quando de mortali Confessio sit, quamvis non sit proprius ejus Confessarius. — 114. Unde merito dicit Layman, quod reprehendenda est ea Confessariorum consuetudo, qui veriti Confitentem contra propriam sententiam absolvere, eumdem ad alium Confessarium diversæ opinionis ablegant. — 115. Conscientia scrupulosa quæ sit. *usque ad n.* 116. — 117. Scrupulosi alii sunt circa præsentia, et alii circa præterita, et utrique qui sint. *ad n.* 119. — 120. Signa Conscientiæ scrupulosæ quæ sint. — 121. Causæ Conscientiæ scrupulosæ quæ sint. — 122. Remedia Conscientiæ scrupulosæ quæ sint. — 123. Privilegia Conscientiæ scrupulosæ quæ sint. — 124. Licitum est operari contra Conscientiam scrupulosam manente scrupulo, dummodo judicetur esse scrupulum, et ut talis contemnatur. — 125. Qui operatur, nondum deposita, sed adhuc perseverante conscientia scrupulosa, si non jud cat, et teneat esse scrupulum, peccat, sive contra, sive juxta eam operetur. — 126. Si vero quis sit ita perplexus, ut utrumque oppositum judicet esse peccatum, et ita sit scrupulis datus, ut nullo suffragante remedio, vel consilio possit judicare esse scrupulosum, sed adhuc manet dubius, an id sit scrupulus, necne, ac proinde se resolvere nesciat, tunc Conscientia scrupulosa evadit Conscientia dubia, et sic tamquam de ista est discurrendum. — 127. Rectius definitur Conscientia. — 128. 139. Variæ Conscientiæ divisiones, earumque definitiones. — 140. Monitum ad præcavendam Probabilismi doctrinam. — 141. 147. Summ. Pontificum contra Probabilismum decreta. — 151. SS. Congregationum sententiæ. — 151. 157. Episcoporum in variis Synodis Decreta. — 158. Quid ex ipsis consequatur. — 159. 163. Theologicis argumentis Probabilismus convellitur. — 164. 165. Notatur Auctor. — 166. Regulæ ad formandam Conscientiam, ubi dubia respicientia praxim suboriantur. — 167. Quoad alia *Remissive*.

(1. Conscientia « est dictamen practicum intellectus judicantis aliquid in particulari, sed hic et nunc agendum ut bonum honestum, vel fugiendum ut malum inhonestum esse, vel fuisse. » (2. Est in re *communis*. Conscientia, seu Prudentia differt a Synderesi, seu Ethica, quia Synderesis, seu Ethica judicat de principiis moralibus universalibus ; Conscientia vero, seu Prudentia judicat de conclusionibus particularibus ex illis deductis. (3. Sit pro exemplo sequens, vel consimilis Syllogismus. « Detenti die festo talibus impedimentis non tenentur audire Sacrum, sed ego hodierno currenti festo detineor talibus impedimentis, ergo non teneor audire Sacrum. » In hoc vel simili Syllogismo majorem universalem format Synderesis, seu Ethica ; minorem autem particularem, et conclusionem efformat Conscientia seu Prudentia. (4. Hinc Conscientia secundum Etymon dicitur ab aliquibus quasi *concludens scientia*, eo quod ex principiis communibus concludat in particulari, quid agendum, vel non agendum. (5. A Divo Bernardo l. de Conscientia, cap. 8, dicitur Conscientia *quasi cordis scientia*. (6. A Divo Thoma in 2. 2, d. 5, q. 2, art. 4, in corp. dicitur Conscientia, *quasi cum alio scientia*, quia scientiam practicam universalem applicat, vel conjungit cum actione in particulari, vel dicitur Conscientia quasi *cum seipso scientia*, eo quod quis per eam sibi ipsi conscius sit recte vel male factorum. « Et inde (sunt verba S. Doctoris loco cit.) et inde dicitur conscientia, quasi cum alio scientia, quia scientia universalis ad actum particularem applicatur : vel etiam quia per eum aliquis sibi conscius est eorum, quæ fecit, vel facere intendit. » (7. Unde Conscientia partim respicit opera nostra præterita, ea vel accusando tamquam male facta, et dicitur *Remorsus Conscientiæ*, seu *Vermis Conscientiæ*, etiam in damnatis perseverans juxta illud Isaiæ 66. « Vermis eorum non morietur ; » et juxta illud Sapientiæ 4, « venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates eorum, » vel ea commendando tamquam bene facta, juxta illud Apostoli 2. ad Corint. c. 1. « Gloria nostra hæc est, testimonium Conscientiæ nostræ. » (8. Partim autem Conscientiæ respicit opera instantia, seu futura dictando, quæ agenda sint tamquam bona, seu honesta, et quæ omittenda tamquam turpia, et inhonesta, et dicitur alio nomine dictamen rectæ rationis juxta illud S. Joannis Chrysostomi homil. 54, in Genes. « Nullus prætendat, quod virtutem negligat, vel quod non habeat aliquem viæ Ducem, et Demonstratorem : sufficientem habemus magistrum, Conscientiam, et fieri non potest, ut quis illo adjumento privetur. »

(9. Hinc colligitur quod Conscientia est intrinseca, et proxima regula, juxta quam homo tenetur dirigere suas actiones, cum ab ipsa proxime derivetur in actum moralitas, scilicet bonitas, vel malitia. (10. Lex autem est regula extrinseca, et remota, prout

Digitized by Google

radix, unde oritur bonitas, vel malitia objecti. Quia vero lex non transfundit in actus nostros bonitatem, et malitiam, nisi ut sunt in nostra Conscientia, et ab ea proponuntur nostræ voluntati : ideo Conscientia est regula proxima, cui si actus nostri conformentur, sunt boni, si difformentur sunt mali. (11. Potest interdum contingere, ut actus sit bonus, et objectum in se malum, et e contra : ut si quis ex invincibili ignorantia judicaret licitum esse perjurium ad salvandam vitam proximi, pejerando non peccaret, quamvis ejus objectum sit in se malum, quia actus non specificatur ab objecto, ut est in se, sed ut a Conscientiæ dictamine voluntati proponitur. (12. Unde Conscientia, quæ est regula proxima humanarum actionum, sumitur hic pro judicio practico intellectus proponente aliquid voluntati hominis ut bonum, vel malum moraliter, ac proinde prosequendum, vel fugiendum : ipse enim actus intellectus practici, quo judicat aliquod esse bonum, vel malum, aut indifferens in genere moris, et ut tale illud proponit voluntati, vocatur proprie *Conscientia* ; (13. Quæ dividitur in quinque membra, scilicet in Conscientiam Rectam, Erroneam seu falsam, Dubiam, Probabilem seu opinativam, et Scrupulosam.

(14. Conscientia recta, seu certa « est, quæ ex principiis veris, et certe cognitis, et certe applicatis judicat in particulari absque formidine de opposito, id quod faciendum est, esse bonum, vel malum, præceptum, vel prohibitum, sicut revera est. » (15. Est in re *communis*. Conscientia erronea, seu falsa « est, quæ ex principiis falsis, creditis tamen pro veris, dictat aliquid esse faciendum, vel non faciendum, quod revera tale non est, absque fundamento probabili. » (16. Est in re *communis*. Dicitur autem notanter, *absque fundamento probabili*, ad differentiam conscientiæ probabilis, quæ quandoque etiam dictat aliquid esse honestum, vel licitum, quod a parte rei est inhonestum, ac illicitum ; et tamen, quia id colligit ex motivis probabilibus, non dicitur Conscientia erronea sed probabilis. (17. Conscientia erronea dividitur in invincibilem, et vincibilem; Conscientia erronea *invincibilis* est, cujus error, adhibita diligentia morali, vinci, seu vitari non potuit, ideoque talis erroneus actus, nec voluntarius est, nec ad culpam est imputabilis. Conscientia erronea *vincibilis* est, cujus error moraliter loquendo vitari potuit, et debuit, ac proinde talis erroneus actus est indirecte voluntarius, et culpabilis.

(18. Conscientia erronea sive sit vincibilis sive invincibilis obligat negative ad actum dictatum, ne videlicet contra eam operemur, quia operari contra ejusmodi Conscientiam erroneam nondum depositam, semper est peccatum, ut habetur expresse 14, ad Romanos ibi : « Omne quod non est ex fide, (id est ex dictamine Conscientiæ) peccatum est. » Et ut inquit Innoc. III, c. Litt. 13, de restitut. spoliat. « Quidquid fit contra Conscientiam ædificat ad gehennam. » (19. Sic *communissima* Doctorum. Conscientia erronea invincibilis obligat ad actum dictatum, non solum negative, ne scilicet contra eam operemur, sed obligat etiam positive, ut ipsam sequamur, ut proinde quis peccet, nisi dictamen illius in operando sequatur, non obstante quod objectum sit revera malum. Est etiam *communis* ; et ad hoc faciunt etiam textus mox citati. Et ratio est, quia ex quo Conscientia est invincibiliter erronea taliter ut ejus error nulla morali diligentia vinci ac deponi possit, ita ipsa se habet in prudenti ac inculpabili judicio operantis, ac si esset simpliciter et absolute recta, adeoque tenetur sic judicans eam sequi non minus ac Conscientiam rectam. Licet enim Conscientia erronea invincibilis non sit recta simpliciter, est tamen recta secundum quid, nempe in ordine ad nos. (20. Conscientia erronea vincibilis non solum non obligat positive ut eam sequamur, sed neque licite ipsam sequi possumus, obligat tamen ut eam deponamus, ita ut sive juxta eam, sive contra eam agamus, semper peccemus, nam si facimus id quod revera a lege præceptum est, agimus contra Conscientiam nostram oppositum dictantem; si vero sequimur dictamen nostræ Conscientiæ, peccamus contra legem : a qua non absolvimur per errorem nostræ Conscientiæ, utpote mere vincibilem et culpabilem. Sic communiter Doctores. (21. Qui peccat ex Conscientia erronea, peccat peccato ejusdem speciei, et qualitatis, quam intellectus judicat, quia actus non specificatur ab objecto ut est in se, sed prout hic et nunc a Conscientiæ dictamine voluntati proponitur. Hinc qui habet rem cum libera, putans eam conjugatam, adulterium committit ; sicuti e contra, qui habet rem cum conjugata putans eam liberam, fornicationem committit. Est communis.

(22. Conscientia dubia « est suspensio intellectus circa utramque partem contradictionis ; » id est, est ea, quæ neutri parti determinatum præstat assensum, sed anceps manet inter utramque, v. g. an hoc sit peccatum, vel non. (23. Est in re communis. Conscientia dubia differt a Conscientia probabili, quia dubitans ad neutram partem se determinat, sed anceps et suspensus manet inter utramque. Opinans vero determinate uni parti assentitur. (24. Conscientia dubia varie dividitur juxta variam divisionem dubii; unde bene percepta divisione dubii, percepta erit divisio Conscientiæ dubiæ. (25. Dubium igitur in primis dividitur in dubium speculativum, et dubium practicum. Dubium speculativum est, quando dubitatur de aliquo, non quærendo directe de praxi, seu actione humana, num ea licita sit, necne ? sed de quodam alio, an ita se habeat necne ? v. g. cum dubito an hodie sit præceptum jejunandi ? an rem quam possideo, sit vere mea? sistendo in mera dubitatione de malitia, aut bonitate objecti, seu actus in genere. (26. Dubium practicum est quando dubitatur de operatione quærendo directe de ipsa praxi, seu actione humana, num ea in talibus circumstantiis sit licita, necne ? ut cum dubi-

Digitized by Google

to de malitia, aut bonitate actionis hic et nunc exercendæ, v. g. an hodie tenear jejunare? an hic et nunc tenear rem restituere? (27. Secundo. Dubium dividitur in dubium positivum, et in dubium negativum. Dubium positivum est quando quis pro utraque parte contradictionis habet rationes probabiles, unde stante æqualitate probabilitatis ipsarum in suo judicio manet in æquilibrio, et suspensus ad neutram partem se determinans. (28. Dubium negativum est quando quis pro neutra parte habet rationes probabiles, unde defectu ipsarum remanet in suo judicio suspensus neque affirmando, neque negando quod talis actio sit licita vel illicita. Tertio. (29. Dubium dividitur in dubium juris, et in dubium facti. Dubium juris est dubium de aliquo jure, lege, præcepto, statuto, etc., præsupposito ad honestatem actionis exercendæ; v. g. cum dubito an adsit tale jus, an sit lata talis lex, an impositum tale præceptum, exempli gratia jejunandi, audiendi Sacrum, et hujusmodi. (30. Dubium facti est cum dubitatur de aliquo facto, ejusque conditione aliqua spectante ad honestatem actionis exercendæ, v. g. cum dubito an recitaverim Officium neene? an confessus sim tale commissum peccatum, et hujusmodi.

(31. Qui operatur cum Conscientia speculative dubia juris vel facti non peccat si practice judicet opus illud hic et nunc sibi licitum. *Est communis.* Et ratio est, quia regula proxima nostrarum actionum non est Conscientia speculativa, quæ in sola objecti veritate cognoscenda consistit, sed practica quæ omnium circumstantiarum qualitatem, et conditionem perpendit; unde cum objectum, quod secundum se, et speculative consideratum apparet dubium, accedentibus certis circumstantiis possit reddi practice certum, quod liceat, stat clarum, quod operari cum Conscientia solum speculative dubia non sit peccatum. (32. Et veritas hujus conclusionis clarificatur exemplis. Si quis v. g. dubitet speculative an res a se possessa, sit sua necne? non obstante tali dubio speculativo, potest practice judicare sibi de facto licitum esse rem possessam retinere, eo quod in dubio melior sit conditio possidentis ex trita regula juris, sicque licite, et absque peccato rem possessam retinebit. Sic etiam Clericus in Sacris constitutus, vel Religiosus professus, qui considerata qualitate suæ infirmitatis speculative dubitat an sibi liceat a recitandis horis abstinere, accedente Medici, vel Confessarii consilio, practice est certus, id sibi licere, adeoque deposito practice illo suo dubio, non peccat omittendo recitationem Horarum. (33. Qui operatur cum Conscientia practice dubia, peccat pro qualitate dubii, et in ea specie peccati de qua dubitat, ita ut si dubitet, an peccet mortaliter, agendo, mortaliter peccet, si venialiter, peccet venialiter; et si dubitet an in specie adulterii delinquat, agendo, seu rem habendo, malitiam adulterii contrahat; et sic de aliis. *Est communis.* Et ratio est, quia omnis sciens, et volens exponens se periculo peccati, peccat, et quidem eodem genere peccati, cujus periculo se exponit, ut docet communissima Doctorum cum Divo Thoma *quodlibet.* 8, art. 13. Scoto in 3, d. 25, quæst, unic. et alibi. Ex illo Ecclesiastici 3. « Qui amat periculum, peribit in illo. » Atqui operans cum Conscientia practice dubia de honestate actionis hic et nunc exercendæ, is sciens et volens exponit se periculo peccati, eligit enim voluntarie actionem indiscriminatim sive licitam, sive illicitam: ergo eo ipso peccat, quia ex Apostolo 14, ad Romanos, « Quod non est ex fide, peccatum est, » id est quod non fit ex certa credulitate, seu determinato judicio intellectus dictante licitum esse quod hic et nunc agitur, peccatum est.

(34. Ex his resolves, quod practice dubius debet suam actionem suspendere donec re mature, sed humano more examinata (id est facta debita morali diligentia, a Doctoribus consilium petendo), dubium prudenter deponat, formando judicium determinatum de honestate actionis hic, et nunc exercendæ. (35. Si vero re mature examinata, et facta debita morali diligentia, adhuc maneat dubius pro utraque parte, et reperiatur in talibus circumstantiis, ut debeat necessario operari, tunc si nequeat dubium deponere, debet eligere partem tutiorem, id est id in quo non est periculum peccandi, aut id quod est minus malum, nam ex c. *Duo in mala* 1, cap. *Nervi* 2, dist. 13, et c. *Non solum* 7, caus. 22, q. 4, ex duobus malis minus est eligendum, quia tunc non eligit illud ut malum, sed ut bonum, quia hic et nunc in tali casu nihil facere potest quod melius sit. (36. Si autem utrumque malum appareat ipsi æquale, et repertus in necessitate operandi nequeat discernere quodnam de duobus malis sit majus, vel minus malum, tunc potest eligere quod vult, quia tunc Conscientia dubia evadit invincibiliter erronea, et ideo in tali casu non peccat, ut expresse habet D. Augustinus lib. 3, de libero arbitr. cap. 19, ibi: « Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras. » (37. Hoc totum liquet in sequenti vel simili exemplo. Petrus v. g. in die festo assistens infirmo periclitanti, dubitat, aut ex Conscientia erronea putat esse æquale peccatum deserere infirmum, et omittere Sacrum; nec valet dubium, vel errorem deponere ex quo non habeat Doctorem promptum, quem consulat: tunc potest sine peccato quam partem mavult eligere, quia in tali casu ignorantia est invincibilis, operatio imminet, et non potest exequi simul utrumque præceptum, Charitatis scilicet et Religionis.

(38. Hinc pro regulis generalibus ad rationabiliter deponendum dubium, quando propria materiæ motiva non suppetunt, valde confert expendere duo usualiora axiomata, ex jure communi deprompta; scilicet: « In dubiis tutior pars est eligenda: In dubiis melior est conditio possidentis. » Primum axioma, scilicet: In dubiis tutior pars est eligenda, desumitur præcipue ex cap. *Juvenis* 3, de Sponsalibus, ubi expresse di-

Digitized by Google

citur : « In his, quæ dubia sunt, quod certius æstimamus, tenere debemus ex c. *Ad audientiam* 12, de homicidio, ubi sic præcise habetur : « Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, «ex cap. *Significasti* 18, eod. tit. ubi de Sacerdote dubio homicida sic expresse dicitur : « A sacerdotali officio abstinere debet, cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare,» ex cap. *Petitio tua* 24, eodem titul. ubi in dubio de homicidio commisso a Sacerdote in conflictu contra inimicos Fidei Catholicæ, sic præcise habetur : « Cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare. » (39. Hoc axioma sine dubio universaliter, et semper verum est quantum ad consilium, et perfectionem ; semper enim consultius et perfectius est in quovis dubio eligere partem tutiorem ; ac certe non semper necessarium, de præcepto, vel obligatione. (1) (40. Unde tenemur solum ex præcepto partem tutiorem eligere in dubiis sive juris, sive facti quoad valorem Sacramentorum, quia si sint opiniones oppositæ circa aliquid concernens valorem, quærenda est tutior, quia minus tuta, licet fortasse sit probabilior, et quis bona fide secundum illam operetur, facere tamen non potest, ut vel tale aliquid non sit de valore Sacramenti, vel Sacramentum sit validum si illud omittatur. Si enim v. g. dubium sit an infans fuerit Baptizatus, an sub legitima forma, materia, et intentione, debet iterum tamquam tutius sub conditione baptizari. (41. Similiter tenemur ex præcepto partem tutiorem eligere, quando aliter immineret proximo periculum gravis damni. Sic Medici, Advocati, aliique similes ad obtinendam proximo sanitatem, vel causæ victoriam, et hujusmodi tenentur adhibere media tutiora, licet occurrerent etiam alia probabiliora, vel plausibiliora ; mens enim illorum, qui ipsorum operam conducunt, est ut talem finem, quantum poterunt tutissime consequantur, ad quem finem sic obtinendum nihil faciet opinio probabilior, aut plausibilior, nisi sit tutior simul. Et idem est dicendum in aliis similibus materiis, maxime in quibus non licet sequi opinionem probabilem relicta tutiori. (42. Similiter etiam esset obligatio sequendi tutiorem partem, si quis ad hoc se obligasset voto, vel ad id adstrictus esset per legem, aut per legitimum Superioris mandatum.

(43. In aliis autem materiis non tenemur eligere partem tutiorem, nisi lex aliqua præcipiat, ut pars tutior eligatur ; quod maxime est verum, si ex parte tutiori grave aliquod incommodum sequeretur. Et ratio est, quia in aliis materiis non adest periculum quod adest in adductis antecedentibus materiis, et casibus, quale est periculum invaliditatis Sacramenti, aut damni gravissimi tum spiritualis, tum corporalis et temporalis proximi. (44. Et de facto in pluribus aliis materiis tum Pontifices, tum Sancti Patres, docuerunt, et tenuerunt aliqua minus tute tanquam licita, relicta parte tutiori. Cœlestinus III, in cap. *Laudabilem* 5, de frigidis, et malef. dicit impotentes posse ad triennium experiri usum copulæ, ubi tamen in dubio de valore contracti matrimonii tutius est abstinere. (45. Plurimi Pontifices dispensarunt in voto solemni castitatis contra opinionem tutiorem S. Thomæ, qui 2. 2, quæst: 88, art. 1, negat id licere ; sic enim dispensavit Alexander III (2) cum Nicolao Justiniano Veneto Monacho Professo, ut, ne ejus illustris familia extingueretur, uxorem duceret, quod fecit, et novem filiis susceptis ad Monasterium rediit, miraculis postea clarus ; Innocentius II dispensavit cum Ramiro Monacho professo ob mortem Regis Aragoniæ sui Patris, et sic uxorem duxit, et Regnum ; Cœlestinus III dispensavit cum Constantia filia Regis Siciliæ Monialis professa in Monasterio S. Salvatoris Panormi, ut nuberet Henrico Sexto Imperatori ; sic de ipsis, et aliis refert Delbene par. 2, de Inquisit. d. 236, sect. 65, *pet.* 12. (46. Quinimmo Juditha fuit Monialis Ratisbonensis, dein trium Regum Conjux, scilicet Bretislai Bohem. Mesiconi Polon. et Petri Hungar ; sic refert P. Justus Redn. tom. 2, tit. 8, sect. 4, n. 77, fol. 208. (47. S. Augustinus relatus in cap. *Quid culpa-*

(1) In hoc Articulo Auctor noster Probabilistarum placitis plus justo adhæret. Hinc n. 39, decernit Regulam illam juris, *In dubiis tutior pars est eligenda* pertinere tantum ad consilium et perfectionem, quibusdam tantummodo casibus exceptis. Etenim oppositum nempe ad præceptum et quidem naturale laud. Regulam pertinere luculentissime deducitur ex iisdem Sacris Canonibus, ubi eadem inculcatur. Lege cap. Ad Audientiam 12, et cap. *Significasti* 18, de Homicid. Hinc in cap. Illud Dominus 5, de Cleric. Excom. etc. gravi pœna depositionis dignus reputatur quidam Episcopus qui in dubio, an esset excommunicatus sacris esset operatus : Neque porro quidquam officit, quod objicit Cl. noster Auctor ex cap. Laudabilem, 2, de Frigidis etc. quasi liceret auctoritate prædicti capitis minus tuta, et dubia in praxi sectari ; ibi enim cum ageretur de dubio incidente in validitatem Matrimonii, ne consortes committerentur certo periculo violandi jus matrimoniale, eligitur minus malum, et permittitur sive toleratur ut potius violetur castitas, quam justitia, quæ gravius, ac strictius obligat. Atque ex eodem principio repetenda est decisio Innoc. III, in cap. Inquisitioni 44, de sent. ut Excommunic. Nec etiam quidquam officit auctoritas B. Augustini in cap. Quid culpatur, 4, Caus. 23. Qu. 1, ubi edocetur posse militem licite pugnare in dubio justi belli. Non enim id permittitur, quasi liceat in praxi operari cum conscientia dubia ; sed quia non est expoliandus Princeps jure certo propter dubietates subditorum. Immo ex cap. laud. Inquisitioni apertissime comprobatur, contra ac sentiunt Probabilistæ ; *in dubiis* nim. *tutiorem partem esse eligendam.* Conjux enim qui pro una parte probabiliter putabat matrimonium esse validum, et pro alia habebat conscientiam impedimenti dirimentis ex credulitate probabili, debitum exigere non potest, cum hoc procul dubio sit tutius ne contra judicium conscientiæ committat offensam. Vide Fagnanum Canonici juris consultissimum in cap. Ne innitaris 5, de Constit. n. 241, et Concinam lib. 2, de Matrim. dissert. 4, de Obligat. Conjug. c. 6, § 2. (*Nota Edit. Neap.*)

(2) De hoc et proximis exemplis vide Raymundum Capisuccum S. R. E. Cardinalem Controversia XI, quæ *devoto Solemni Quæst. unic.* § 3, *pag.* 420, *n.* 79. Ad verba *Nicæna Synodus.* (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

tur 4, caus. 23, quæst. 1, docet posse subditum licite militare in dubio Belli injusti, et fere omnes SS. PP. docent non esse obligationem statim confitendi peccatum mortale, per haustum non frangi jejunium, et alia hujusmodi, et tamen ista, similia non sunt tutiora.

(48. Secundum axioma, scilicet *in dubiis melior est conditio possidentis*, desumitur præcipue ex Regula 56 Juris in 6, ubi sic præcise habetur : « In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis. » Et ex ff. de reg. Juris Regul. 128, ubi sic præcise dicitur : « In pari causa possessor potior haberi debet. » (49. Immo ut recte tenet Cardenas in 1 Crisi d. 65, n. 1241, hoc axioma fundatur in jure naturæ, sic enim, etiam præscindendo a legibus humanis, foret contra jus naturæ possessorem spoliare sua re propter superveniens dubium. (50. Et verus sensus hujus axiomatis est, quod quando neutra pars sufficienter probatur, possessionis causa debeat sustineri ; Lugo de justitia d. 17, n. 94. (51. Hoc axioma locum habet universaliter in Materia justitiæ quando videlicet dubium est, an res aliqua sit hujus, vel illius Domini, et unus de facto bona fide possidet talem rem, tunc melior, seu potior est conditio possidentis, ut nec ipse eam restituere teneatur, nec ei etiam in judicio auferri possit, ut sentiunt communiter Doctores. Et ratio est, quia sic declarant regulæ juris adductæ supra n. 48, tum quia possidens est veluti reus : alter autem qui est petitor, est actor ; habetur autem Regul. 154, ff. regul. Juris ; « Cum par delictum est duorum, semper oneratur petitor, et melior habetur possessoris causa. » Item Regul. 11, Juris in 6, sic præcise habetur : « Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori ; adeoque, etc. (52. Item tale axioma nedum habet locum quoad possessionem in materia justitiæ, sed quoad possessionem in materiis aliarum virtutum, voti, legis, etc., maxime si materiæ illæ in primo sui esse pendeant a libertate nostra. *Est jam communior et fere recepta sententia*, quamvis multi tenuerint valere tale axioma solum in materia justitiæ. Et ratio nostræ conclusionis est, quia ideo præcipue etiam per adversarios valet in materia justitiæ, quia possessor habet aliquam præeminentiam, sive plus juris, ut non privetur re, nisi probetur non esse suam, sed idem est in aliis materiis, quia possessor in quacumque materia per possessionem acquisivit Jus retinendi id, quod habet : ergo potest in hoc tute stare, donec probetur eum non posse licite in tali possessione perseverare.

(53. Hinc colliges primo, valere tale axioma indubitanter in materia obedientiæ ; Subditus enim in dubio, an id, quod imperatur a superiore, sit peccatum, tenetur obedire, cum Superior sit in possessione potestatis ad imperandum : sic habetur clare in cap. *Quid culpatur* 4, caus. 23, q. 1, ubi S. Augustinus dicit, quod jubente Rege etiam sacrilego possit subditus recte, et licite militare, quamvis dubitet bellum esse injustum ; et tenent communiter Doctores. (54. Colliges secundo, valere tale axioma in materia Religionis, quia dubius v. g. de voto emisso, non teneretur ad votum, quia libertas, quæ secundum Reg. 122, ff. de Regul. Juris, omnibus rebus est favorabilior, in possessione est. (55. Colliges tertio, valere axioma in materia fidelitatis, quia Conjux dubius v. g. an matrimonium sit validum, tenetur reddere debitum, quia alter conjux bona fide petens debitum, est in possessione, ut desumitur ex c. *Inquisitioni* 44, de sent. excomm. ubi Innoc. III de conjuge credente matrimonium esse invalidum, sic præcise ait : « Cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili et discreta, quamvis non evidenti, reddere potest, sed petere non potest debitum. (56. Colliges quarto, quod ex regula talis axiomatis, qui vere dubitat an lex, vel præceptum adsit, manet in possessione suæ libertatis contra legem, vel præceptum, quia per obligationem dubiam nemo spoliari potest jure, quod certo possidet ; unde dubius, an pro tali die inductum præceptum festandi, non tenetur jejunare, nec festare, quia certa est libertas, et dubia obligatio. (57. E contra vero, qui est certus de lege lata, promulgata, et recepta, et dubitat solum de ejus cessatione, vel abrogatione, lex manet in possessione suæ obligationis contra hominem dubitantem, quia certa est obligatio, et dubia liberatio. Unde certus de lege lata, et recepta v. g. de non ludendo aleis, et hujusmodi, et dubius an talis lex denuo abrogata sit vel per non usum cessarit, etc., is tenetur ad observantiam legis, quia pro ipsa stat possessio contra dubitantem, cum legis obligatio sit certa, et legis liberatio per abrogationem, vel cessationem sit dubia.

(58. Colliges quinto ex tali axiomate, quod in dubio facti fundantis legem, dubitans de facto manet in possessione suæ libertatis, quia certa est libertas, et dubia obligatio ; unde qui vere dubitat, an in tali infirmitate, vel periculo fecerit tale votum, non tenetur ad votum, quia nulla est possessio pro voto, sed tota possessio stat pro libertate voluntatis, nam illud factum, vel aliud quid simile v. g. juramentum, et hujusmodi, fundat legem, quod factum, quia in dubio non præsumitur, non potest fundare obligationem contra certam libertatem hominis ; et specialiter obligatio voti, juramenti, promissionis, adstruenda non est, nisi liquido cognoscatur ; arg. L. *Quidquid* de verb. obligat. (59. E contra vero, in dubio facti supponentis legem, lex manet in possessione obligationis contra dubitantem ; quia certa est obligatio, et dubia liberatio, seu adimpletio legis. Unde qui dubitat, an horas persolverit, tenetur persolvere ; qui dubitat, an votum suum, vel juramentum impleverit, tenetur adhuc implere, quia cum ista sint aliquid facti, in dubio non præsumuntur, et tota possessio, et præsumptio stat pro legis obligatione. (60. Colliges sexto ex tali axiomate, quod in dubio circa tempus inchoandæ obligationis, dubitans manet in possessione suæ libertatis, quia certa est libertas, dubia obligatio ; unde juvenis, qui invincibiliter dubitat, an expleverit annum

Digitized by Google

vigesimum primum, a quo incipit obligari jejunio, non tenetur jejunio, quia est certa possessio suæ libertatis usque ad expletionem illius anni, expletio autem est incerta. (61. E contra vero, in dubio circa tempus finiendi obligationem, lex manet in possessione obligationis contra dubitantem; quia obligatio est certa, et dubia liberatio; unde senex dubitans invincibiliter, an expleverit annum sexagesimum, manet adstrictus lege jejunii, cujus obligatio est certa, dubia autem liberatio. Sic dubitans an expleverit annum vigesimum quartum requisitum pro Sacerdotio, debet abstinere, donec de tali ætate constet, quia possessio certa stat pro lege Canonica certo prohibente ante expletum vigesimum quartum annum ordinari ad Sacerdotium sine dispensatione Apostolica, expletio autem incerta, et dubia facta non præsumitur.

(62. Colliges septimo ex tali axiomate, quod qui certus est de debito, et dubitat an solverit, tenetur solvere; quia certa est obligatio, et dubia liberatio. (63. Unde possessio stat pro creditore contra debitorem; nisi etiam creditor ipse dubitet, quia tunc Tan. in 1, 2, d. 2, quæst. 6, d. 4, censet non teneri. (64. Quoad hoc tamen placet limitatio Laymani in Theol. Moral. lib. 1, tr. 1, cap. 6, num. 42, quod scilicet non teneatur in tali casu ad integram solutionem sed solum ad partem ejus pro qualitate dubii. (65. Colliges octavo ex tali axiomate, quod dubius de legis justitia, obedire tenetur, quia superior est in possessione juris præcipiendi, quo spoliari non potest per purum dubium subditi. (66. Colliges nono ex dicto axiomate, quod qui certus est se vovisse Ecclesiæ v. g. sex mensuras tritici, vel vini, et dubius est de qua mensura intellexerit, ex quo in communi usu suæ patriæ duplex mensura existat major, et minor, tunc sive ipse vovens, sive suus hæres tenetur solvere solum ad mensuram minorem, ut expresse habetur in cap. *Ex parte* 18, de censibus, ibi : « Cum ergo non constet ad quam mensuram antecessores eorum prædicta vota persolverint, credimus distinguendum; utrum habitatores regionis ipsius, qui ea continue persolverunt, ad unam et eamdem mensuram hujusmodi vota persolverint? an ad varias, et diversas. In primo enim casu, ad eamdem et illi solvere sunt cogendi. In secundo volentes solvere ad minorem, non sunt cogendi, ut ad majorem persolvant, quoniam cum hujusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius sunt a viris Ecclesiasticis exigenda, ne tamquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare. » Idem dicendum est in simili de scutis, vel Ducatis majoribus, et minoribus, ex voto, vel legato debitis, ut decernitur leg. Nummis, ff. de Legato. Et ratio est, quia de minoribus solum mensuris, vel nummis est certitudo, de majoribus autem est dubium, ad quæ pro illis tantum, non pro his stat possessio, et præsumptio, juxta enim Regulam 31. Juris in 6. *In obscuris minimum est sequendum.* (67. Et de primo ad ultimum quoad dubia, et obscura habetur regula expressa de mente S. Leonis Papæ in cap. Sicut quædam 2, dist. 14, præcisis his verbis : « In his, quæ vel dubia fuerint, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum inveniatur adversum. »

(68. Conscientia probabilis, seu opinativa est « judicium practicum intellectus ex gravi ratione, vel auctoritate adhærentis uni parti contradictionis determinate, sed cum formidine de opposito; » est in re communis. (69. Conscientia probabilis differt a conscientia recta, seu certa, ex quo hæc relinquat intellectum certum de una parte contradictionis, non autem conscientia probabilis, quæ ipsum relinquit cum formidine de opposito. (70. Differt etiam a Conscientia dubia, ex quo illa neutri parti determinate adhæret, sed manet anceps, ac suspensa inter utramque contradictionis partem; Conscientia vero probabilis determinate adhæret, et assentit uni parti ex fundamento probabili, licet cum formidine de opposito. Per hanc autem formidinem de opposito, licet tollatur firmitas assensus, non tollitur tamen ejus determinatio : adhuc enim intellectus determinate assentit, et adhæret uni parti, et quidem ex gravi fundamento, licet non adeo firmiter, ut sit in conscientia. (71. Conscientia probabilis dividitur in probabilem probabilitate intrinseca, et in probabilem probabilitate extrinseca. Conscientia probabilis probabilitate intrinseca est illa, cujus probabilitas habetur ex ratione, id est ex principiis intrinsecis talis propositionis, qualia sunt causæ, vel effectus ipsius, aut definitio, vel circumstantiæ, aut quid simile. Conscientia probabilis, probabilitate extrinseca est illa, quæ habetur ab auctoritate, id est a gravitate, et prudentia Doctorum eam tenentium. (72. Item Conscientia probabilis alia est vere probabilis, quæ scilicet gravi nititur fundamento, et alia est tenuiter solum probabilis, in quantum levi solum nititur fundamento, unde ista improprie dicitur probabilis, et non vere; quia cum sit levi solum suffulta fundamento, non est sufficiens ad formandum judicium prudens, quod secundum eam liceat hic, et nunc operari; et talis est opinio, quam unus, vel alter docet, et non habet rationem intrinsecam, vel si habet, non est firma, sed levis, leve enim censeri debet fundamentum, et auctoritas unius, vel alterius, quando communis aliorum consensus est in contrarium.

(73. Hinc resolves primo : Potest homo in rebus moralibus, et actionibus humanis licite sese conformare conscientiæ, seu opinioni vere probabili. *Est communis* (1). Et ratio est, quia operans juxta regulam rectæ

(1) Id est inter Probabilistas. Non enim, Auctorem eruditissimum ignorasse arbitror, innumeros pene scriptores doctrina, pietate, ac dignitate perspicuos adversus Probabilismum dimicasse : ipsos Pontifices Maximos, se probabilismum aversari, non semel ostendisse : Ecclesiæ Prælatos cum in Synodis, tum

Digitized by Google

rationis, ut facit operans ex Conscientia vere probabili, operatur licite, cum enim in moralibus nequeat semper haberi omnimoda certitudo per rei evidentiam, debet sufficere certitudo practica ex probabilibus desumpta, aliter vix unquam posset aliquid recte, et licite operari propter incertitudinem rerum practicarum, et sic vix unquam haberemus quietam conscientiam. Unde jure merito Alexander VIII, die 7, Decem. 1690, sequentem damnavit propositionem tertiam in ordine : « Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam. » (74. Opinio autem vere probabilis censetur illa quæ gravi suffulta fundamento est consona Sacræ Scripturæ, sensui Ecclesiæ, et Conciliorum, traditioni Sanctorum Patrum, et Doctrinæ Theologorum in Ecclesia communiter auctoritatem sortita. Unde S. Thomas in opuscul. 29, de fallac. cap. 2, sic præcise habet : « Probabilia autem dicuntur, quæ videntur omnibus, vel pluribus sapientibus, aut omnibus, vel præcipuis, et maxime notis; » et fere consimilibus verbis jam definierat Aristoteles 1, top. cap. 2, ibi : « Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, et his vel omnibus, vel pluribus, vel spectatissimis. » (75. Unus tamen Auctor potest facere opinionem vere probabilem, si plures Classicos Doctores pro ea fideliter citet. Immo potest dari casus, ut opinio unius Doctoris sit vere probabilis, etiamsi quamplures Doctores contrarium teneant, si Auctor ille non sit novitatis amicus, et ita solidas afferat rationes, quæ faciliter aliorum rationes infringant; ratio enim est anima legis. Et de facto in cap. *Nicæna, Synodus* (1) 12, *dist*, 31, expresse habetur, quod sententia Paphnutii fuit præposita sententiæ plurimorum in eodem Concilio prætendentium statuere, ne Clerici in Sacris constituti dormirent cum suis uxoribus ante eorum consecrationem legitime ductis, ibi : « Synodusque laudavit Sententiam ejus, et nihil ex hac parte sancivit, sed hoc in uniuscujusque voluntate, non necessitate permisit. Et l. pen. C. de veteri jure enucleando, » *sic præcise habetur :* « Sed neque ex multitudine Auctorum, quod melius, et æquius est, judicatote, cum possit unius forsan sententia multos, et majores aliqua in parte superare. » (76. Unus autem Auctor, qui non habeat nec afferat rationes intrinsecas ita firmas, ut aliorum rationes ab ipsis infringantur, non potest facere opinionem vere probabilem. Unde merito Alexander VII. die 24, Septemb. 1665, damnavit sequentem propositionem 27, in ordine : « Si liber sit alicujus junioris, et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem. » (77. Talis enim opinio esset solum leviter, et tenuiter probabilis, et ad summum dubiæ probabilitatis, unde non liceret ei prudenter adhærere; Innocentius enim XI, die 2, Martii 1679, damnavit sequentem propositionem 3, in ordine : « Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. »

(78. Resolves secundo. Potest homo licite sequi opinionem vere quidem, sed minus probabilem, minusque tutam, relicta probabiliori, et tutiori, quando tamen agitur de sola honestate actionis, an licita sit, vel non ? *Est jam fere communis* (2) eamque docent innumeri Doctores tam recentes, quam anti : qui, quos omnes adducere nimis esset oblongum, et operosum. (79. Veritas hujus conclusionis ostenditur in primis auctoritate Sacrorum Canonum, et Pontificum; nam c. *Ego solis* 5. dist. 9. de mente S. Augustini epist. 8. ad S. Hieronymum expresse dicitur, rationes probabiles sufficere ad regulandum judicium prudens; cap. *Sicut quædam* 2. dist. 14. de mente S. Leonis Papæ sic præcise dicitur : « In his, quæ vel dubia fuerint, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum inveniatur adversum; » ex quo textu hanc Sententiam probat S. Antonin. apud Esp. in app. num. 159. Plures Summos Pontifices processisse secundum opinionem sibi visam minus probabilem ostendit Cardenas in 1. Crisi d. 15. cap. 2. num. 7. (80. Et dispensasse in voto solemni Castitatis contra opinionem tutiorem S. Thomæ, qui 2. 2. q. 88. Art. 1. negat id licere, refert Del Bene part. 2. de Inquisit. d. 2. 236. sect. 65. p. 12. Vid. supra num. 44. cum sequentibus. Et Adrianum VI. propter unius Cajetani auctoritatem contra propriam opinionem dispensasse in Matrimonio rato, refert Domin. Sot. in 4. dist. 27. quæst. 1. Art. 4.

(81. Probatur etiam ratione. Qui operatur secundum opinionem vere probabilem, ille prudenter operatur, sed qui prudenter operatur licite agit, et non peccat, ergo etc. minor patet; probatur major : qui operatur secundum rationem firmam et gravem, ille

in Pastoralibus Instructionibus, nullum non movisse lapidem, ut Probabilismum a suis respective Diœcesibus eliminarent : Regularium denique Ordines suis in Comitiis, editis Decretis, Probabilismum repudiasse, adeo ut nullus fere hodie alicujus nominis Theologus reperiatur, qui Probabilismum ut noxam morum regulam rejiciendum haud arbitretur. Qua de re consul. opus vere aureum P. Joan. Vinc. Patuzzi Ord. Prædic. cui titulus *Trattato della Regola prossima delle azioni umane nella scelta opinione ec.* Venet. editum anno 1758. (*Nota ex Edit. Rom.* 1667.)

(1) Caput *Nicæna Synodus* ut recte animadvertit Berardus in Opere, cui titulus *Gratiani Canones*, etc. Part. tertia cap. 23, tom. 4, pag. 457, ex lib. 2, cap. 14. Historiæ Tripartitæ Cassiodori in distinctionem XXXI. Gratianus transtulit. Cassiodorus autem narrationem illam de Paphnutio ex historia Socratis lib. 1, cap. 2, et Sozomenis lib. 1, Cap. 25, juxta Valesii editionem accepit : quæ narratio a doctissimis viris ad aniles fabulas gravissimis rationum momentis emandatur. Vide Cl. Franciscum Antonium Zaccariam. *Histor. Polem. Cœlibat.* lib. 1, cap. 5, pag. 90, seq. (*Edit. Barbiell.*)

(2) Postilla Edit. Rom. Ibest inter Probabilistas. Vide notam *num.* 75, *appositam.*

Digitized by Google

prudenter operatur, quia agit conformiter rationi rectæ; sed qui operatur secundum opinionem vere probabilem, ille operatur secundum rationem firmam, et gravem, ergo, etc., adeoque cum liceat prudenter operari, licitum est sequi opinionem minus probabilem, et minus tutam, (dummodo sit vere probabilis, et tuta, ut supponit conclusio) relicta probabiliori, et tutiori, quando agitur de sola honestate actionis : (82. Tum quia qui operatur secundum opinionem vere probabilem, habet conscientiam practice certam quod licite operatur : ultra enim actum opinativum directum explicite, aut virtualiter habet actum reflexum, quo certe judicat se licite operari, dum hic, et nunc operatur secundum opinionem vere probabilem, et tutam : Opinio enim minus probabilis, et minus tuta est, et manet vere probabilis, et vere tuta, non obstante quoad alia opinio opposita sit, vel appareat, probabilior, ac tutior, quia major illa probabilitas, et securitas oppositæ sententiæ non destruit probabilitatem, et securitatem quamvis minorem alterius opinionis, quin maneat vere probabilis, et vere tuta; sicuti major bonitas unius actus Virginitas v. g. non destruit minorem bonitatem alterius actus Conjugalis, quin sit, et maneat vere bonus, et tuto amplectendus; quia opinio certe probabilis non amittit suam probabilitatem per aliam probabiliorem, sed solum per aliam certam, quoniam probabilitas tali certitudini, aut falsitati opponitur, et major probabilitas non excludit falsitatem, immo ex communi Aristotelis axiomate : ***Multa falsa sunt probabiliora veris.***

(83. Resolves tertio. Non potest homo licite sequi opinionem minus probabilem, et minus tutam relicta probabiliori, et tutiori, quando agitur de materia facti, et exinde sequitur certum periculum inferendi damnum proximo. ***Est communis.*** Et ratio est quia nemo potest extra casum necessitatis tuto, ac licite sese exponere gravi periculo inferendi damnum notabile proximo; sed qui in materia facti sequitur opinionem minus probabilem, et minus tutam relicta probabiliori, ac tutiori, exponit se periculo inferendi grave damnum proximo, et quidem extra casum necessitatis, cum juxta hypothesim tali periculo facile possit occurrere, sequendo opinionem probabiliorem, et tutiorem : ergo in materia facti cum periculo inferendi grave damnum proximo non licet sequi opinionem minus probabilem, et minus tutam, relicta probabiliori, et tutiori. Major patet ex præcepto Charitatis de diligendo proximo sicut se ipsum. Minor probatur inductione. (84. Si enim Sacerdos in administratione Sacramentorum adhibens materiam, vel formam dubiam, minusque probabilem et minus tutam, cum possit adhibere certam, aut tutiorem, exponeret sine ulla prorsus necessitate non solum periculo invaliditatis ipsum Sacramentum, sed etiam recipientem periculo non habendi fructum Sacramenti, cum dispendio æternæ salutis, si forte sua sententia minus probabilis a parte rei esset falsa, unde talis Sacerdos graviter peccaret, cum jure merito Innocent XI. die 2. Martii 1679. damnaverit sequentem propositionem 1. in ordine : « Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni. » Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis. (85. Similiter Judex sententians ad favorem partis minus probabile jus habentis, exponeret se periculo inferendi grave damnum parti probabilius jus habenti, et sic peccaret, cum idem Innocentius XI. die qua super damnaverit sequentem propositionem 2. in ordine : « Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. »

(86. Hinc Judex in suis sententiis tenetur sequi opinionem probabiliorem, quia censetur institutus a Republica, ut unicuique juxta merita causæ omni meliori modo quo potest, jus suum tribuat ne sit acceptator personarum. Unde cum pars suffulta opinione probabiliori in jure majora habeat merita, et majus jus in causa, stat quod Judex juxta ea majora merita, et ipsum majus jus decidere debeat, ut expresse deducitur ex mox citata propositione damnata ab Innoc. XI. (87. Immo neque quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex adjudicare causam cui maluerit; et si munera accipiat, ut ad unius partis potius favorem sententiam pronunciet, peccat mortaliter, et ad restitutionem tenetur; ut clare deducitur ex sequenti propositione 26. inter damnatas ab Alexandro VII. die 24. Sept. 1665. « Quando litigantes habeant pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prælio. » (88. In tali enim casu, quando re mature examinata, et accurate discussa, non apparet quænam pars potiori, et probabiliori sit suffulta ratione, et pro utraque parte remanent æque probabiles opiniones, debet Judex, vel compositionem inter partes suadere, vel rem controversam inter litigantes ex æquo dividere in re, vel in pretio, ut docet communior cum Sanchez lib. 1. in Dec. c. 9. n. 47. Layman lib. 1. tract. 1. c. 5. n. 16. Spor. t. 1. tract. 1. c. 1. sect. 3. n. 61. Bardi, Tamburinus et alii passim. (89. Excipiendum tamen est semper, nisi forte alter litigantium esset in possessione bonæ fidei, quia possessio pro possidente facit rationes præponderare taliter quod non amplius maneant rationes utrinque æque probabiles, sed melior evadat conditio possidentis, juxta commune axioma, ***melior est conditio possidentis*** adductum, et explicatum supr. sub n. 48. cum seq. (90. Excipiendum est etiam, nisi alter litigantium sit reus, quia ipsi etiam contra actorem favet possessio juxta reg. 154. ff. de Regul. Juris, ibi : « Cum par delictum est quorum, semper oneratur petitor, et melior habetur possessoris causa; » et Reg 11. Juris in 6. ibi : « Cum sunt partium jura obscura, reo

Digitized by Google

favendum est potius quam actori. » Vid. supra n. 51. (91. Excipiendum est denique nisi agatur de causis piis, et privilegiatis, quales sunt causæ fidei, Religionem, et salutem animæ concernentes, causæ pro Matrimonio, Dote, libertate, Pupillo, pro quibus judicandum est, cæteris paribus, etiam contra reos, quia jus positivum ita disponit; l. *Sunt personæ*, ff. de Religios. et sumpt. fun. et c. Duobus Judicibus 26. de sententia, et re judicat.

(92. Similiter Medicus et Chirurgus nedum tenentur sub mortali sequi sententias certas et securas, relictis incertis, et dubiis; sed etiam certa curatione infirmorum non occurrente, tenentur sequi opiniones probabiliores, relictis minus probabilibus. *Sic certa, et communis Doctorum.* Et ratio est, quia ultra obligationem generalem Charitatis, qua omnes tenentur meliori, et efficaciori modo, quo possunt, auxilium ferre proximo graviter indigenti; adest in Medicis et Chirurgis ad hoc etiam specialis obligatio justitiæ respectu infirmorum; infirmi enim vel læsi censentur pactum saltem implicitum, et virtuale iniisse cum Medicis, vel Chirurgis, de adhibendis remediis securius, et probabilius salutem intentam operantibus, adeoque Medici et Chirurgi peccant contra pactum, et sic contra justitiam, si relictis remediis probabilioribus, et securioribus, adhibeant remedia minus secura, et minus probabilia, vel periculosa, cum sic periculose agatur de salute corporali infirmorum. (93. Per accidens tamen poterunt Medici et Chirurgi adhibere remedia minus tuta et minus probabilia, si infirmi, vel læsi non possint aut nolint solvere pretiosa remedia. (94. Sic etiam si quidam infirmus, vel læsus extreme laboret, ut certum, vel verisimillimum sit esse moriturum, nisi aliquo remedio adjuvetur, et nihil aliud occurrat, poterunt Medici, vel Chirurgi adhibere quodcumque remedium, quamvis minus securum, vel dubium, dummodo certe non constet esse mortiferum, et probabilitas juvandi superet periculum nocendi, et habeatur consensus ipsius infirmi, vel suorum consanguineorum, quia in tali casu, cum ex una parte vita infirmi jam sit desperata, et ex altera parte adsit aliqua spes, vel probabilitas remedii, prudenter, et sine ulla offensa agunt Medici vel Chirurgi adhibendo remedia minus tuta, dubia et periculosa. *Sic communis.* (95. Non licet autem Medicis et Chirurgis experiri in desperatis, an medicamenta sint utilia, vel noxia, quia sic subitur manifestum periculum mortis accelerandæ. *Ita etiam communis.*

(96. Sic etiam Consiliarii in dandis consiliis, ubi adest periculum, ne proximo fiat damnum, aut injuria, tenentur sequi sententias certas, vel probabiliores. Ita ex communiori Vasquez opuscul. de restitut. cap. 6. § 3. Bardi discept. 4. cap. 22. Sporer tom. 1. cap. 1. n. 62. et alii. Et ratio est; quia Consiliarii in consiliis publicis, v. g. de necessitatibus Principis, dum consultatur de tributo aliquo imponendo, an adsint justæ causæ, nec ne? habent se tamquam Judices inter Principem, et subditos uti partes litigantes, ut consultivum judicium ferant, a quo pendet resolutio Principis pro imponendo vel non, tale tributum, adeoque sicut Judices inter partes litigantes ita et Consiliarii inter Principem, et subditos tenentur sequi sententiam certam, seu probabiliorem, in favorem scilicet illius, pro qua stat opinio probabilior, et ut recte dicunt Navarr. Adrian. Sporer, et alii, mortaliter peccant contra justitiam, si ex affectu vel respectu humano semper exquirant sententias faventes placito, et commodis Principis, vel sui principalis, et juxta sententiam minus probabilem consultent in favorem ipsius cum periculo inferendi grave damnum proximo. (97. In dandis autem consiliis, ubi non adest periculum inferendi damnum proximo, possunt Consiliarii sequi sententias minus probabiles, dummodo sint vere probabiles. (98. Immo in similibus casibus possunt Consiliarii significare consulentibus talem opinionem a quibusdam Doctoribus tamquam probabilem defendi, quam proinde ipsis consulentibus sequi liceat, quamvis ipsi Consiliarii eadem speculative falsam esse judicent, et proinde praxi ipsi sequi non audeant. Et ratio est, quia ipsi consulentes habent jus sequendi opinionem probabilem, et hoc jus suum illi indicare non prohibentur Consiliarii; Layman lib. 1. tract. 1. cap. 5. n. 9. Bonac. tract. 2. d. 2. q. 4. p. 9. n. 8. Busemb. lib. 1. c. 2. dub. 2. et alii. (99. Sic Advocati in patrocinandis causis non tenentur sequi opinionem probabiliorem, sed possunt licite sequi opinionem vere probabilem, id est non possunt suscipere defendendam causam minus probabilem, sed vere probabilem, licet causa adversaria judicetur ab ipsis probabilior. Ita fere communiter Doctores vid. verb. *Advocat.* per tot. et præcipue art. 2. in fine.

(100. Resolves quarto, licitum esse sequi opinionem alienam vere probabilem, et vere tutam, etiam contra propriam opinionem probabiliorem, et tutiorem visam; immo etiam quandoque eam sequi debere. Sic tenent Azor, Vasquez, Layman, Less., Valent., Salas., Bonac., Sot., Bann., Serrar., Bardi., Tanner., Sanchez, Terill., in Reg. q. 22, q. 35, a n. 12, q. 46, n. 6. Sporer, tom. 1, tract. 1, c. 1, n. 44. aliique plurimi, et gravissimi Auctores cum Illsung. tom. 1, d. 1, art. 6, § 5, et Mendo in Stat. d. 13, q. 15. (101. Et ratio primæ partis est, quia in moralibus actionibus necesse non est sequi quod melius, et tutius, sed sufficit sequi bonum ac tutum; sed id quod docet opinio vere probabilis, licet aliena, et contra propriam opinionem probabiliorem, et tutiorem visam, est vere bonum, ac tutum; ergo licitum est eam sequi, et secundum illam operari; per hoc enim quod quis suam opinionem judicet esse probabiliorem, ac tutiorem ex principiis intrinsecis, et rationibus, quæ ipsi apparent insolubiles, adhuc stat quod oppositam sententiam aliorum Auctorum extrinsece saltem censeat vere probabilem practice, et tuto sequendam in praxi, quasque

Digitized by Google

rationes ab aliis esse solubiles, vel solutas, licet ipsi solutio non occurrat; aliter censeretur quod nimis superbus præsumeret solus ipse sapere, contra Sanctissimum monitum S. Gregorii Nazianz. orat. 27. « Nemo sapientior sit quam conveniat, nec lege exactior, nec luce splendidior, nec norma rectior, nec præcepto divino sublimior. »

(102. Objicies primo. Qui sequitur alienam opinionem minus probabilem, relicta propria opinione sibi probabiliori, et tutiori, agit contra propriam Conscientiam, agit enim contra judicium proprium, quod oppositum magis veritati accedat, consequenter peccat, quia ex Apost. ad Rom. 14. « Quod non est ex fide (idest ex dictamine propriæ Conscientiæ) peccatum est, » et c. *Literas* 13, de restitut. spoliator. « Quidquid fit contra Conscientiam, ædificat ad gehennam. » (103. Respondetur negando antecedens, quia quamvis ipse agat contra suam opinionem directam, non tamen agit contra suam Conscientiam, sed juxta suam Conscientiam practice certam; qui enim operatur juxta opinionem vere probabilem, habet Conscientiam practice certam, quod licite operatur; ultra enim actum opinativum directum, explicite, aut virtualiter habet actum reflexum, quo certo judicat se licite operari, dum hic, et nunc operatur secundum opinionem vere probabilem, licet alienam. (104. Nec valet dicere, quod ex S. Thoma 2, 2, q. 17, art. 2. « Homo in iis quæ ad propriam personam pertinent, debet formare Conscientiam a propria scientia, » adeoque non potest sequi opinionem pure alienam, maxime suam probabiliorem, et tutiorem, sibi visam. (105. Non valet, inquam, quia respondetur negando consequentiam, ipse enim format sibi Conscientiam a propria scientia, eo quia sciens opinionem alienam esse probabilem, inde sibi format dictamen ultimum reflexum de licito usu illius opinionis, quia qui sic operatur non judicat propriam opinionem sibi visam probabiliorem esse veram, alioquin judicaret oppositam, juxta quam operatur, esse falsam, cum una sit veritas, sed solum judicat eam magis apparere veram, sæpe autem quæ magis apparent vera, reipsa sunt falsa; et regulariter opinio, quæ uni, aut eidem, nunc apparet probabilior, alteri aut eidem postea apparet minus probabilis.

(106. Objicies secundo. Nemo potest licite agere, quod probabilius putat esse illicitum, sed sequens alienam opinionem minus probabilem, et tutam contra propriam probabiliorem, et tutiorem sibi visam, probabilius putat esse licitum id, quod agit; ergo, etc. (107. Respondetur distinguendo majorem. Nemo potest agere, quod probabilius putat esse illicitum practice, concedo majorem; quod probabilius putat esse illicitum speculative tantum, nego majorem, et sic distincta minori, negatur consequentia. Licet enim talis juxta suam sententiam probabiliorem, et tutiorem sibi visam, speculative judicet oppositum esse illicitum; quia tamen etiam oppositam sententiam censet vere esse probabilem, inde practice certo se resolvit licitum esse sic operari hic et nunc, et nullo modo esse illicitum; quia regula proxima operandi non est probabilitas, sed recta ratio, videlicet ultimum judicium practicum, seu Conscientia practica, et non Conscientia speculativa; et eo ipso quod voluntas se determinat ad agendum juxta ultimum judicium practicum, quod nempe actio sit vere probabiliter hic et nunc licita, practice, et exercite operatur licite, et sic non peccat.

(108. Secunda pars resolutionis seu conclusionis, nempe quod etiam quandoque teneamur sequi opinionem alienam minus probabilem, et minus tutam, etiam contra propriam opinionem probabiliorem, et tutiorem nobis visam, sic ostenditur. Omnes tenentur satisfacere suæ obligationi, quando id sine peccato præstare possunt; sed quandoque accidit, quod aliqui obligentur satisfacere suo officio non obstante aliena opinione minus probabili, et minus tuta apud ipsos, ergo cum talem opinionem alienam minus probabilem, et minus tutam sine peccato sequi possint etiam contra suam propriam probabiliorem sibi visam, ut usque modo ostensum est, ipsam quandoque etiam sequi tenentur. Major est clara, et certa; et minor probatur maxime de subdito respectu Superioris, et de Confessario respectu pœnitentis. (109. Subditus enim tenetur omnino obedire Superiori præcipienti aliquid probabiliter licitum, licet ipsi subdito probabilius videatur illud esse illicitum, quia in materia obedientiæ, quando subditus potest licite obedire, tunc tenetur; sed subditus in hoc casu licite potest obedire, ergo tenetur; Cum enim certum sit Superiorem posse præcipere secundum opinionem sibi visam probabilem, et sit in possessione suæ potestatis obligandi subditum : Subditus autem non certo, sed solum probabilius putet oppositum, v. g. materiam præceptam esse illicitam, aut potestatem Superioris se ad hanc materiam non extendere, et certum per probabile impediri nequeat, subditus non potest formare judicium practice probabile, nedum certum, licere sibi non obedire, sed non obstante sua contraria opinione debet formare judicium practicum, seu Conscientiam, quod hic, et nunc, et possit, et debeat obedire Superiori. (110. Colligitur ex cap. *Quid culpatur* 4, caus. 23, quæst. 1, ubi S. Augustinus dicit : Subditum posse militare ita jubente Rege etiam sacrilego *si certum non sit bellum esse iniquum*, quamvis autem, probabilius esset esse iniquum, tamen hoc nondum esset certum, adeoque posset militare. *Et est communis* Sanctorum Patrum, et Theologorum sententia, talem subditum teneri obedire Superiori in omnibus rebus, in quibus nullum manifestum est peccatum. Sic S. Bernardus de præcept. et dispensat. cap. 12. S. Bonaventura in specul. disciplin. cap. 4. S. Bernardin. Senens. in Decalog. de Obedient. S. Ignatius Loyola 3. part. Constitut. cap. 1, § 23, et part. 6, cap. 1, in Declarat. lit. B. Dionysius Carthusian. in 2. dist. 39, quæst. 3, et sic de cæteris.

Digitized by Google

(111. Sic Confessarius in judicio Sacramentali tenetur contra propriam opinionem etiam probabiliorem, et tutiorem sibi visam absolvere pœnitentem, qui tenet oppositam minus probabilem, et minus tutam, dummodo sit vere probabilis, et vere tuta, et de reliquo pœnitens sit rite dispositus. *Est communis*, et certa sententia Navarri in Manuali cap. 26, n. 4. Layman lib. 1, tract. 1, cap. 5, num. 10. Claud. La Croix lib. 1, num. 445, cum plurimis ibi citatis. (112. Immo Diana part. 2, tract. 3, resolut. 11, addit teneri Confessarium sic pœnitentem absolvere, licet putet opinionem pœnitentis esse falsam, dummodo reputet probabilem, et Dianam sequuntur quamplurimi alii, et quidem si sermo sit de proprio Confessario sive Parocho ipsius Pœnitentis; Busembau lib. 1, c. 2, dicit, quod secundum communem sententiam debet Confessarius sub mortali talem pœnitentem absolvere, licet ipse judicet doctrinam esse falsam, ideoque frustra remittet talem pœnitentem ad alium Confessarium, qui sit ejusdem sententiæ. (113. Quinimo addit Diana part. 2, tract. 13, resolut. 11, ex Sanchez et Sancio peccare mortaliter, si nolit absolvere, quando de mortali confessio sit, quamvis non sit proprius ejus Confessarius. Et ratio est, quia Confessarius audita confessione non potest absolutionem negare pœnitenti recte disposito, nullumque peccati obicem ponenti, sed pœnitens sequens opinionem vere probabilem, et tutam, est ex hoc capite recte dispositus, et nullum ponit peccati obicem cum prudenter operatur: ergo non potest sine gravi injuria ei absolutio denegari; aliter tunc injuste cogeretur bis confiteri eadem peccata, contra suum jus, quod post enarrata peccata per se loquendo, habet ad absolutionem; immo Confessarius injuriam faceret etiam Auctori Sacramentorum, quia Sacramentum Pœnitentiæ sine justa causa relinqueret imperfectum (114. Unde merito dicit Layman lib. 1, tract. 1, cap. 5, n. 10, quod reprehendenda est ea Confessariorum consuetudo, qui veriti confitentem contra propriam sententiam absolvere, ad alium Confessarium ablegant, qui oppositam probabilem opinionem tenet. Si enim ille alter absolvere possit, cur non et tu possis? Aut cur tua speculativa persuasio pœnitenti obesse debeat. Vide Animadversionem Theologi Romani ad verb. *Confessarius*, art. 4.

(115. Conscientia scrupulosa « est inanis apprehensio, et hinc ortus timor, et anxietas alicubi esse, vel fuisse peccatum, ubi revera non est, nec fuit. Est in re communis? » (116. Et dicitur signanter *inanis apprehensio*, ut advertatur, quod scrupulosus ex solis frivolis, aut levibus motivis titubat, fluctuat, anxie formidat, aliquid esse vel fuisse peccatum, quod revera non est, nec fuit. (117. Dicitur *esse vel fuisse*, ut advertatur, quod aliqui sunt scrupulosi circa præsentia, et alii circa præterita. (118. Scrupulosi circa præsentia sunt illi, qui cum deliberate non consentiant in peccata, tamen ubique timent, ne hoc, quod facere volunt, sit peccatum, et ideo ubique hærent, et se ipsos vanis apprehensionibus peccatorum excruciant, et torquent, si aliquid egerint. (119. Scrupulosi circa præterita sunt illi, qui cum moralem diligentiam adhibuerint in examinandis, et detestandis, et confitendis præteritis, nihilominus ex solis frivolis, et levibus motivis, et sine prudenti fundamento, seu ratione continuo timent, an hoc vel illud etiam fecerint, an recte doluerint, an satis confessi sint, et hujusmodi.

(120. Signa Conscientiæ scrupulosæ sunt præcipue sequentia 1. Frequens judiciorum mutatio ex levibus, et frivolis solis motivis, unde oritur in agendo inconstantia, v. g. in Horis Canonicis aliquando septies, aliquando decies mutant scrupulosi judicium, num hunc, vel illum versiculum dixerunt, et hujusmodi. 2. Pertinacia proprii judicii, qua scrupulosi, nec periti Doctoris, nec prudentis, et experti Confessarii consiliis acquiescunt, sed adhuc manent anxii et inquieti, huc illucque discurrentes, ad hos vel illos consulendos, nullius tandem judicio acquiescentes, nisi suo. 3. Multiplicitas reflexionum extravagantium, et impertinentium circa innumeras rei circumstantias. 4. Continuus timor, quod in omnibus suis actionibus, vel omissionibus adsit peccatum, et Confessariorum, immo et sæpe contra etiam proprium judicium remanere inquietos, et anxios. 5. Experientia quod sæpius similia sine rationabili motivo, et fundamento inaniter apprehenderint. 6. Judicium proprii, et frequentati Confessarii, quod tales sui pœnitentes sint scrupulosi.

(121. Causæ conscientiæ scrupulosæ, seu scrupulorum, sunt præsertim sequentes. 1. Consortium, seu frequens conversatio cum scrupolosis. 2. Ignorantia, qui enim ignorantes sunt, levibus sæpe, et frivolis motivis anxiantur, et circumferuntur. 3. Pusillanimitas, et dejectio animi, ob quam quis nescit timores contemnere. 4. Complexio frigida, et melancholica. 5. Immoderatus, et indiscretus fervor. 6. Imbecillitas capitis, quam homines apprehensivi solent habere. 7. Occulta superbia, ob quam aliquis non vult se submittere judicio, et directioni alterius. 8. Nimius timor servilis, hic enim animam tremulam, et trepidantem facit. 9. Suggestio Dæmonis ut bonum spirituale hominis impediat. 10. Voluntas Dei, quæ interdum ad punienda peccata nostra, præsertim superbiæ, singulari sua providentia superbiam nostram a scrupulis depasci permittit; vel interdum scrupulos in animum nostrum immittit ad nos instruendos, ut sciamus compati, et dirigere simili malo afflictos; vel interdum ad excutiendam nostram tepiditatem in Dei servitio; vel denique ad meriti nostri exercitium, et augmentum.

(122. Remedia conscientiæ scrupulosæ, seu contra scrupulos sunt speciatim sequentia. 1. Seligere Confessarium, aut Consiliarium in rebus moralibus satis probatum, atque expertum, et ejus consilio, et judicio, proprio judicio postposito, firmiter, et ultimate acquiescere sine ulteriori indagine, etiamsi scrupulosus sit vir doctus. 2. Scrupulos con

Digitized by Google

temnere, contra illos agere, nec cogitatione fovere, et ad hoc valde expedit, ut scrupulosus memoria retineat, vel etiam in charta notet scrupulos præteritos, in quibus agnovit, vel a Confessario audivit se inaniter fuisse anxium, sic enim poterit ex horum similitudine novos dijudicare, et contemnere. 3. Assuefacere se ad sequendas sententias mitiores, et etiam minus (1) tutas, et minus probabiles, dummodo sint vere tutæ, et minus probabiles, ne scrupulosi continuo anxientur in indagandis sententiis probabilioribus, et tutioribus. 4. Non judicare quidquam essse peccatum mortale, nisi certo pro tali cognoscatur. 5. Bonorum vitam, et consuetudinem tamquam regulam intueri. 6. Fugere otium, et vagas cogitationes, quia sæpe sæpius sunt scrupulorum origo. 7. Destruere Causas scrupulorum, v. g. solitus frequentare scrupulosos, ipsos devitet; Ignorans, instructionem petat; Pusillanimis, animum concipiat; Melancholicus, evacuet medicamentis atram bilem; Pertinax, frangat suum judicium; Superbus, suæ prætensæ prudentiæ non fidat, et humilitati, et sui abnegationi studeat; Tepidus, spiritus fervori, et virtutum exercitio, meritique augmento incumbat; Timidus meditetur bonitatem Dei, juxta illud Sapient. 1. « Sentite de Domino in bonitate, » reflectendo non esse tam rigidum Deum, ut hominibus bonæ voluntatis peccata adscribat, pœnamque decernat; et sic de cæteris proportionaliter. 8. Nosse scrupulosorum privilegia. Nempe quod non teneantur in agendo ad examen, et diligentiam tantam, quantam alii, sed ad valde mediocrem; et quod non teneantur confiteri dubia, sed solum quæ certo jurare possunt, quod commiserint, aut consenserint, et non sint confessi; unde ex præteritis Confessionibus nil tenentur repetere, nisi certe sciant esse mortale, aut non esse confessum; non sunt autem certi quandiu dubitant; quæ privilegia sunt valde notanda a scrupulosis, et scrupulosorum Confessariis. (123. Unde Confessarii non debent permittere, quod scrupulosi confiteantur, et repetant in suis Confessionibus scrupulos, vel dubia, sed solummodo peccata, quæ certo sciunt esse mortalia, et se rite confessos non esse; et debent cum ipsis resolute procedere, et ne scrupulis scrupuli inducantur, debent abstinere a multis discursibus et probationibus, cum sæpe in illis non desit materia novorum scrupulorum; sed urgendi sunt scrupulosi, ut simpliciter credant, et plene obediant Confessario, quia juxta illud Proverbior. 21. num. 28. « Vir obediens loquetur victorias. »

(124. Licitum est operari contra conscientiam scrupulosam manente scrupulo, dummodo judicetur esse scrupulum, et ut talis contemnatur. *Est communis;* et colligitur ex cap. *Inquisitioni* 44. de sent. excommun. ubi quæsito, an Conjux scrupulum habens de validitate Matrimonii teneatur abstinere ab ejus usu, respondet Pontifex his præcisis verbis: « Conscientia levis, et temerariæ credulitatis explosa, potest non solum reddere, sed etiam exigere debitum conjugale. » Et ratio est, quia conscientia scrupulosa nititur solum levibus atque frivolis rationibus, ac proinde ejus judicium est imperfectum, atque imprudens: ergo prudenter, licite, ac laudabiliter cum ipsa manente scrupulo potest operari. Unde qui ex assignatis signis supra num. 120. et maxime ex Confessarii judicio scit se esse scrupulosum, prudenter contra scrupulum agit; immo debet illum firmiter contemnere, et resolute, ac intrepide contra eum operari; Scrupulus enim non excludit judicium practicum probabile, aut certum, ratione cujus ultimi judicii practici supra scrupulum reflexi scrupulosus judicat licite, et prudenter suam conscientiam scrupulosam cognitam, esse firmiter contemnendam, et contra eam operandum, cum tale judicium reflexum sit dictamen prudens contra imprudens.

(125. Qui operatur, nondum deposita, sed adhuc perseverante Conscientia scrupulosa, si non judicet, et teneat esse scrupulum, peccat sive contra, sive juxta eam operetur, quia tunc conscientia scrupulosa transit in Conscientiam erroneam vincibilem, ac proinde eodem modo est de ea discurrendum, ut de Conscientia erronea vincibili fuit conclusum supra n. 20 et 21. (126. Si vero quis sit ita perplexus, ut utrumque oppositorum judicet esse peccatum, et ita sit scrupulis datus, ut nullo suffragante remedio, vel consilio possit judicare esse scrupulum, sed adhuc maneat dubius, an id scrupulum sit, nec ne, ac proinde se resolvere nesciat, tunc Conscientia scrupulosa evadit Conscientia dubia, ac proinde discurrendum de ea, uti de Conscientia dubia fuit resolutum supra num. 34, 35, 36 et 37.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(127. Definit Auctor, tum dividit Conscientiam cum Scolasticis. Rectius Conscientia definitur: « Judicium quod quilibet gerit de propriis actionibus comparatis cum ideis, quas tenet de certa norma, quæ lex dicitur, ita ut intra semetipsum colligat illas cum his aut convenire aut non convenire. »

(128. Est autem Conscientia vel *antecedens*, vel *consequens*. Illa de nondum edita vel futura actione, hæc de præterita et jam perpetrata actione judicat.

(129. Rursus Conscientia vel est *decisiva*, vel *dubia*. (130. *Decisiva* quando decisive et confidenter quis pronuntiat hoc vel illud cum Lege congruere, vel eidem adversari. (131. Estque Conscientia *decisiva* vel *demonstrativa* vel *probabilis*. (132. *Demonstrativa* est, quæ nititur rationibus demonstrativis, quantum quidem rerum moralium indoles patitur, adeoque semper *recta*, aut conformis legi est. (133. *Probabilis*, quæ verisimilibus tantum rationibus nititur, (134. et sic aut

(1) Caveant qui Scrupulis exagitantur, ne hoc remedio utantur; quod certam ipsis perniciem afferret. Ne autem in opinionum delecta *anxien ur*, Confessarium pium, prudentemque consulant, eique omnino pareant, ut Auctor primo loco indicavit. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

recta est, aut *erronea*, prout opinio illa in se ipsa cum Lege aut convenire, aut non convenire deprehenditur.

(135. *Dubia* est vel *irresoluta*, vel *scrupulosa*.

(136. *Irresoluta* est, quando utra amplectenda sit nescimus ob rationes utrinque sese offerentes si non profecto æqui valoris, tamen ad minimum tales, ut neutrobique quidquam ita validum deprehendamus, cui certum, firmumque judicium valeamus superstruere. (137. De qua hæc est regula: « Quamdiu in ancipiti hæret judicium, actio erit suspendenda. » Dissentit vero Gott. Cer. Titius observ. 19. ad Puffendorf. lib. 1, cap. 1, § 6, de Offic. Homin. et civ. (138. Sed ejus argumentum inde facile dissolvitur, quod is, cui dum aliquid agit perinde est, sive permissum id, sive prohibitum a Deo, sit, aperte Deum insultat, ejusque legem reputat pro nihilo. (139. *Scrupulosa* Conscientia levissimis, aut inanibus quibusdam difficultatibus animo subortis gignitur, ut interea ab altera parte nulla prægnans appareat dubitandi ratio.

ADDITIONES ROMANI THEOLOGI.

(140. Ut doctissimis Censoribus morem gerere, superiori de Conscientia articulo hanc animadversionem præmittendam duxi, qua Lectores moneo, atque hortor ad probabilismi doctrinam præcavendam, atque ad laxas illas opiniones considerandas, quas ex suo probabilismo hausit Auctor noster atque in omnibus illis locis exposuit quibus ego ab iisdem Censoribus monitus, notas, explicationes, atque etiam confutationes adjeci. Primum vero Romanorum Pontificum hac de re sententiam exponam; deinde Episcoporum in variis Synodis Decreta; Præterea Theologica argumenta, quibus probabilismus omnino convellitur: Ac demum consectaria illa, quibus notatæ a Censoribus propositiones in hoc articulo confutantur.

(141. Nemo ex Probabilistis est, qui non statuat ac fateatur, Romanos Pontifices in explicanda, atque inculcanda Christiano populo morum doctrina, errare non posse. Iis enim pascendi Dominici Gregis munus, ac divinæ revelationis depositum concreditum est, atque divinæ illæ factæ sunt promissiones, quæ certos nos faciunt, numquam adversus Ecclesiam portas Inferi, hoc est errore circa fidem et mores, prævalere posse. (142. Mittimus Decreta Romanorum Pontificum, quæ ante primam probabilismi Epocam in favorem sanioris doctrinæ prodiere: Ac tria tantum edita adversus Probabilismum Decreta referam. (143. Primum erit Alexandri VII, die 24 Septembris anno 1665 editum, quod sic se habet. « Sanctissimus D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, et animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire: et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad Conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate Sanctorumque Patrum doctrina: et quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret, idem Sanctissimus D. N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, et deinde Eminentiss. et Reverendiss. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus serio commisit. Qui tantum negotium strenue aggressi, eique sedulo incumbentes, et mature discussis usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus, etc. » (144. Vides ergo Romanum Pontificem probabilisticum opinandi modum alienum appellare ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum Doctrina, dum scribit « modus opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina, et quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset christianæ vitæ corruptela. »

(145. Alterum Decretum est Innoc. XI, qui an. 1679 plurimas propositiones damnavit, et Alexandri VII Prædecessoris sui Decretum pro segregandis doctrinarum pascuis ab innoxiis probavit iterum atque inculcavit: et die 26 Junii 1680, hoc aliud ad improbandum probabilismum edidit: « Facta relatione per P. Lauriam contentorum in literis P. Tyrsi Gonzalez Soc. Jesu SS. D. N. directis, Eminentissimi (1) dixerunt, scribendum per Secretarium Status Nuncio Apostolico Hispanianum, ut significet dicto P. Tyrso, quod Sanctitas Sua, benigne acceptis, et non sine laude perlectis ejus literis, mandavit ut ipse liberet, et intrepide prædicet, doceat, et calamo defendat opinionem magis probabilem nec non viriliter impugnet sententiam asserentium licitum esse sequi opinionem minus probabilem in concursu probabilioris sic cognitæ, et judicatæ, eumque P. Tyrsum certum faciat, quod quidquid in favorem opinionis magis probabilis egerit, et scripserit, gratum erit Sanctitati Suæ. »

« Injungendum (2) pariter Generali Societa-

(1) Paulo aliter in exemplo decreti hujus in Manuscripto P. Thyrsi Gonzalez, quæ in Bibliotheca Domus Professæ Soc. Jesu Romæ olim exstabant. (*Edit. Barbiell.*)

(2) In exemplo citato apud Tyrsum Gonzalez: « Injungatur P. Generali Soc. Jesu de ordine Sanctitatis suæ ut non modo permittat Patribus Societatis scribere pro opinione magis probabili, et impugnare sententiam asserentium, quod in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliori sic cognita, et judicata, licitum sit sequi minus probabilem; verum etiam notum faciat omnibus Universitatibus Societatis mentem Sanctitatis suæ esse, ut quilibet prout sibi libuerit, libere scribat etc. » Hoc

Digitized by Google

tis Jesu de ordine Sanctitatis Suæ, ne uno modo permittat Patribus scribere pro opinione minus probabili, et impugnare sententiam asserentium licitum non esse sequi opinionem minus probabilem in concursu magis probabilis sic cognitæ, et judicatæ: verum etiam relate ad omnes Universitates Societatis Jesu mentem Sanctitatis Suæ, ut quilibet pro suo libito libere scribat pro opinione magis probabili, et impugnet contrariam prædictam, eisque jubeat, ut mandato Sanctitatis Suæ omnino se submittant. »

« Intimato dicto ordine Sanctitatis Suæ P. Generali Societatis Jesu per R. P. D. Assessorem, respondit, se in omnibus quando citius pariturum: licet nec per ipsum, nec per suos Prædecessores fuerit unquam interdictum scribere pro opinine magis probabili, eamque docere. » (146. Mittimus hic alia Romanorum Pontificum Decreta, quibus alii Ordines Regulares monentur, in scholis tradere atque tueri probabiliorem tantum, tutioremque moralem doctrinam, atque solum Benedicti XIV recensere sufficiat verba, quæ habet in Encyclica Epistola ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos super præparatione ad Jubilæum, data in Arce Castri Gandulphi, die 26 Junii 1749, Pontificatus sui anno nono: De Confessariis enim hæc habet: (147. « Secundum pro Confessariis monitum hoc est, ut si contingat, sicut frequentius quidem contingere solet, Confessarium in suo ministerio aliquid a pœnitente audire, quod examine opus habeat, caveat ne divinando definiat; sed antequam responsum præbeat, tempore congruo, et consilio rem expendat. Optanda in quolibet Confessario esset scientia eminens; sed mediocris, et sufficiens omnino necessaria est. Nec ultra sperare licet, cum morum Theologia tot tantasque complectatur quæstiones, quæ a Canonum, et Apostolicarum Constitutionum notitia pendent; adeo ut fieri vix possit ut homo præsentia habeat, valeatque ut dicitur, stans pede in uno, ad quodlibet respondere, quemadmodum præstare solent eminenti scientia prædíti: opus isti minime habent ad librorum lectionem confugere, quod facere consuescunt ii, qui sufficienti dumtaxat scientia pollent, ut animadvertit Prædecessor noster Innocentius IV, in comment. num. 2, tit. de electione et electi potestate, ubi ita scribit: » Scientiam autem reputamus eminentem, quæ subtiles quæstiones discutere, et definire novit, in promptu responsiones habet: ille habet mediocrem, qui scit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia nescit respondere, et qui in libris veritatem eorum, quæ scire tenentur, scit quærere, etsi in promptu omnia non habet. « Cum igitur Confessarius in dubiis quæstionibus, aut in iis, quarum notitia certa evolvere libros coactus sit, non sine defectu id præstet. Nihil quippe novi pronunciabimus, si dixerimus, in tanta scriptorum multitudine reperiri illos, qui opinantur, scribuntque juxta modum ab evangelica simplicitate, et Patrum doctrina prorsus alienum. » Cum plures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas; et animarum perniciem inferentes, partim antiquas interim suscitari, partim noviter prodire, et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad Conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina; et quem si pro recta regula fideles in praxi sequentur ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Verba sunt Prædecessoris nostri Alexandri VII in decreto suo, die 7 Septembr. 1665. « Verum prætermissis implicatissimis quæstionibus, quæ excitari de scriptorum auctoritate, eorumque doctrinis possent, sat nobis erit Confessarium monere, ne in dubiis controversiis propriæ adhærescat opinioni; sed antequam deliberet, evolvat non unum, sed plures libros: inter istos consulat præstantiores: postea illam amplectatur sententiam, cui magis suffragari rationem, et auctoritatem favere cognoverit. » Ita docuimus in nostra Epistola Encyclica de usuris, quæ est 143, in tom. I nostri Bullarii § 8. Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant; sed priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur; deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. « Idipsum nunc in memoriam revocamus. Nostra quippe sententia coerceri intra fœnoris confinia non debet, sed ad ea omnia extendi quæ ad forum Sacramentale, et conscientiarum regimen attinent. »

(148. His summorum Pontificum decretis accedunt etiam Sac. Urbis Congregationes, quæ veluti Pontificis organa reputantur; in quibus probabilismus improbatur. Cujus quidem rei duos afferre testes sufficiat. Primus sit Cardinalis Gabriel Paleotus, Romanæ Curiæ negotiorum peritissimus; Is pamque lib. de Sacri Consistorii consultationibus anno 1594, edito part. 4, quæst. 13, hæc scribit: « Cum non de rebus, sed de hominibus, nimirum de actionibus, seu de factis ipsorum hominum agitur; ita in his versari

porro exemplum Decreti P. Olivæ intimati genuinum esse pugnant Gagna, Balla, et alii qui Probabilismi defensionem adversus P. Danielem Concinam susceperunt; Negat Joannes Vincentius Patutius Epistolarum sub Eusebii Eranistis nomine editar. tom. 2, epist. 16. Meum non est controversiam istam fusius persequi. *Votum* dumtaxat P. Lauria, qui deinde S. R. E. Cardinalis fuit, quod ex P. Gonzalez MSS. olim exscripsi proferam. Est autem hujusmodi: « Existimo expedire, ut injungatur Patri Generali Jesuitarum, quod det licentiam Lectoribus, ut de probabilitate tractantes impugnare possint sententiam quæ asserit quod in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliori sic cognita et judicata licitum sit sequi minus probabilem. Secundo existimo posse etiam a Qualificatoribus non præoccupatis qualificari hanc doctrinam, An sit licitum id facere; jam enim initium huic Operi dedimus...in tertia propositione ex 65, damnatis docente: Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. » (*Edit. Barbicll.*)

Digitized by Google

debemus, ut, si revera dubitationem nabent, et animus in his dijudicandis in contrarias partes distrahitur, semper in tutiorem partem, si ex alterius electione periculum peccati imminet, juxta Sanctorum Patrum sententiam judicemus... Non loquimur, de judicandis actionibus alienis, sed de judicio, quod quisque de rebus suis facere debet in foro interiori, quas ubi dubium est de peccato, in tutiorem partem interpretari debemus, ut a pœnæ spiritualis periculo longius arceamur. Sapientis enim est cum Beato Job dicere *Verebar omnia opera mea.* » Hanc decidendorum casuum regulam non Consistorii Collegium, sed cæteræ itidem Congregationes sequuntur.

(149. Secundus erit Cardinalis Petra, major Pœnitentiarius a plurimis annis, qui in tractatu De Sacra Pœnitentiaria, anno 1712, edito cap. 9, num. 6, hæc profert verba : « In opinionem vero electione Sacra Pœnitentiaria eas amplectitur, ac sequitur, quæ saluti animarum obesse non possunt ; et propterea non se credit cuicumque Doctorum judicio, nisi veritate fulciatur ; quod si inter oppositas sententias versetur, ut vere ambiguum, et dubium maneat, quod solide statui debeat, tutiorem partem præeligit, a qua omnino distet quælibet ruinæ spiritualis suspicio, ut animadvertit Syro in citato libello de majoribus Pœnitentiariis quæst. 7, prælim. et P. Thesaurus Sacræ Pœnitentiariæ MS. tit. 43, num. 5. » (150. Hanc praxim communem esse in aliis Romanæ Curiæ Congregationibus idem Cardinalis Petra asserit loco laudato, cap. 9, num. 7, his verbis : « Hujusmodi vero stylum procedendi, quem sequitur Sacræ Pœnitentiariæ Officium, complectuntur quoque quælibet tribunalia majora Urbis, atque consuetudini inhærent Summorum Pontificum, qui semper in certiorem partem confugere solent, quotiescumque intercedit aliquod salutis periculum : » et post plura in medium allata Congregationum exempla, ut hujusce facti testes, hæc alia addit verba : « Summorum Pontificum semper fuit, et est veluti quoddam axioma : In dubiis via tutior est eligenda ; et quod certius existimamus, tenere debemus. » (151. His similia tradidit Cardinalis Lambertinus Tom. 2, Notific. 6 num. 17, tom. 4, notif. 20, et Tom. 5, notif. 18.

(152. Vides ergo, Romanam Ecclesiam, quæ Mater et Magistra est omnium Ecclesiarum, probabilismum rejicere, atque rejiciendum omnino esse docere, atque præcipere. Aliarum quoque Ecclesiarum eadem sententia est; nam vix unam reperire est Ecclesiam, quæ post ortum probabilismum in suis Synodis, in quibus tradita a majoribus doctrina exponitur ac declaratur, veluti perniciosam hujusmodi doctrinam non improbaverit. Celebriorum tantum Ecclesiarum decreta referam, vel indicabo. (153. Primo quidem S. Carolus Borromæus tom. 1. Act. Eccles. Mediolanensis p. 4, tit. 21 hæc de Definitore Controversiarum præcipit : « Ejus munus erit, ubi omnium sententias audierit, summatim colligere quæ fuse dicta sunt, prætermissa commemorare, falsa a veris, dubia a certis, singularia a communibus secernere, et quæ verior doctrina sit exponere, ac rem denique omnem explicare. Ut vero muneris sui partes præclare obeat, magnum in eo studium ponet, ut gravissimos quosque Scriptores evolvat, optimas sententias seligat, quas bene notas, planeque perspectas habeat. » (154. In dubiis quod tutius et probabilius videatur tenendum Confessariis esse, asseruere quoque Gabriel Paleotus in Synodo Sabinæ celebrata anno 1573, ut videre est in collectione Synodorum a Cardinali Albano facta anno 1737. pag. 92. Aloysius Molinus Episcopus Tarvisinus in decretis Synodalibus editis anno 1601. part. 3, cap. 28, de Congregat. num. 9. Marcus Maurocenus ejusdem Tarvisinæ Urbis Episcopus in Synodo celebrata anno 1642. cap. 35. Marcus Cornelius Episcopus Patavinus in Synodo septima habita anno 1624. part. 3, cap. 1. Augustinus Priolus Bergomensis Episcopus in Constitutionibus Synodalibus anno 1628 editis, part. 3, tit. 4. aliique diversarum Ecclesiarum Episcopi, apud P. Danielem Concina in Historia Probabilismi videndi (1).

(155. Hæc sane sufficerent ad penitus evertendam omnem de probabilismo doctrinam, verum præterire haudquaquam possum tutissimas illas de probabilium usu regulas, a totius Franciæ Nationali Concilio (2) anno 1700 celebrato, stabilitas, quæ ita se habent : « Absit vero ut probemus eorum errorem, qui negant, licere sequi vel inter probabiles probabilissimam. Sed ad rectum usum probabilium has regulas a jure præscriptas cognoscimus. Primum est, ut in dubiis de salutis negotio, ubi æqualia utrinque animo se offerunt rationum momenta, sequamur id quod tutius, sive quod in eo casu unice tutum : nec id consilii, sed præcepti loco habeamus, dicente Scriptura : *Qui amat periculum, in illo peribit.* Hæc est prima regula. Altera, ut circa probabiles de doctrina Christiana sententias, sequamur id quod Viennense Concilium OEcumenicum circa infusas tam parvulis, quam adultis in baptismate virtutes decrevit his verbis : » Nos hanc opinionem tamquam probabiliorem, et dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam et concordem, duximus eligendam. « Quod Concilii judicium, eo magis ad dirigendos mores pertinere constat, quo magis ex ipsis fidelium sanctitas ac salus pendet. »

(1) Sicut et apud Petrum Ballerinum *in Prælectione 2, præmissa tom. 1. Summæ Theologicæ S. Antonini edit. Veron. an.* 1740, cujus prælectionis titulus est : « Ecclesiæ sententia de principiis in decisione casuum Conscientiæ adhibendis, Antonini, et antiquorum principiis consona, recentioribus autem Probabilistarum contraria : quæ ex Romanorum Pontificum, Sacrarum Romanæ Ecclesiæ Congregationum, et Episcoporum posterioris Antonino, qui documentis eruitur, Cap. 2, num. 24, Seqq. » et Joannem Vincentium Patuzium in opere inscripto *Regola prossima delle azioni umane.* (*Edit. Barbiell.*)

(2) Nationale Concilium vocat Cleri Gallicani Comitia. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

« Ex hac igitur regula sit consequens. Primum ut in rebus theologicis, ad fidei et morum dogmata spectantibus Theologos quidem etiam modernos audiamus, si tamen consonas SS. Patribus tradant sententias. Deinde si ab eisdem recedant, harum opinionum inhibeatur cursus, nedum earum aliqua habeatur aut ulla eis tribuatur auctoritas. Denique, ut nemini liceat eligere eam sententiam, quam non magis veritati consentaneam duxerit. Quod ergo in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi ut probabiliorem eligendam judicemus, hoc novum inauditum, hoc certis, ac notis Auctoribus postremo demum sæculo proditum, et ab eisdem pro morum regula positum, repugnat huic essato (Vincentii Lirinensis commonit. 1, cap. 3.) celebrato (quod ubique, quod semper, quod omnibus) nec habere potest Christianæ regulæ securitatem. Hoc initium malorum esse, atque omnium antedictarum corruptelarum caput. Hoc in censuris Apologiæ Casuistarum ab Antecessoribus nostris viris fortibus, ac religiosis censorie notatum. Hoc sæpe reprehensum, hodieque reprehendi, nullo incusante, immo bonis probantibus, diffiteri nemo potest. Estote prudentes, sicut serpentes, qui protecto, quod præcipuum est, capite, sibi consulunt. Nec quisquam in dubio salutis ad actum prosiliat, nisi ipso dubio, non ad nutum voluntatis, aut ex cupiditatis instinctu, sed ex recta ratione disposito, dicente Scriptura : *Rationabile obsequium vestrum;* et iterum : *Sapiens timet, et declinat a malo : stultus transilit et confidit.* Postremo audiatur apostolicum illud : *Omne quod non est ex fide,* idest ex conscientia, *peccatum est.* Denique, *Testimonium reddente conscientia ipsorum,* non aliorum utique, sed ipsorum, et sua.

« In hoc celebri Concilio laudatur auctoritas Concilii OEcumenici, Synodorum, et Episcoporum præcedentium, atque Universitatis Parisiensis. Hæc omnia Patres Concilii in epistola encyclica ad universum Galliarum Clerum significant. Quare cum ad extrema (*inquiunt*) ventum est tempora, in quibus decor pristinus, imminuta fide, frigescente charitate, labente disciplina morum corruptelis, ac denique, ut sit, fallacium opinionum illuvie deteri videbatur; id egerunt omnes pii, atque ipsa præsertim Ecclesia Gallicana, ut moralis Theologiæ dignitatem vindicarent... et quidem doctissimæ, ac celeberrimæ Theologiæ facultates, maxime vero Parisiensis cum Lovaniensi conjuncta, etiam interrogantibus Episcopis, pro officio suo gliscientem novandi libidinem represserunt. Compresbyteri quoque nostri parochialium Ecclesiarum Rectores cæterique Doctores in amplissimis Civitatibus constituti, ad nostra usque tempora non cessarunt exaltare vocem suam in plateis Sion, atque Episcopos in altiore specula collatos assiduis efflagitationibus incitarunt... Nec tacere possumus, Religiosissimi Patres, memorabilem sententiam, qua maximus, ac doctissimus Cœtus an. 1655, et sequentibus Parisiis congregatus, gravissimo suo judicio damnavit » perversam, ac falsi nominis scientiam, qua instructi homines non jam accommodarent mores suos ad Evangelicæ doctrinæ normam, sed et ipsam potius regulam, ac sancta mandata ad cupiditates suas inflecterent, novaque et inani Philosophia Christianam disciplinam in academicas quæstiones, ac dubias fluctuantesque sententias verterent : « Hæc illi : Qua sententia versatilem illam ac noxiam opinionum flexibilitatem, hoc est, ipsum mali caput conterebant... Hanc paternam velut hæreditatem, Cleri Gallicani Cœtus an. 1682. Parisiis congregatus exceperat : sed Conventu interrupto, ne salutaris consilii memoria intercideret, sapientissimi Patres pravarum propositionum indiculum, antequam discederent, edi, ac per Ecclesias mitti voluerunt... Hujus ergo rei gratia nos in Spiritu Sancto, et in Christi nomine adunati, ejusque ope freti, non tam opus novum aggredimur, quam sancta decreta colligimus (1). »

(156. Jam habes Romanorum Pontificum,

(1) P. Thyrsus Gonzalez in Opere MSS. cui titulus : « De ortu, et origine moderni Probabilismi, ejusque progressu ex fallaciis, equivocationibus, falsisque suppositionibus, absque solido ullo principio, cui nitatur, et de ejus decremento atque imminente interitu, ex Decretis Romanorum Pontificum, et Episcoporum conspiratione, atque quamplurium Theologorum recentium valida impugnatione Tractatus Historico Theologicus, Authore P. Thyrso Gonzalez Præposito Gener. Societ. Jesu, » olim Bibliothecæ Domus Romanæ Professæ Soc. Jes. p. 305, seq. refert. Laciniam hanc epistolæ ad se perscriptæ « a Religioso gravi suæ Societatis, qui Parisiis commorabatur, et conscius erat omnium, quæ, » in Comitiis illis an. 1700 « agitabantur ad reprimendum abusum opinionum probabilium : » — « Unum est, quod angit ex nostris aliquos, nempe, quod perstricta videatur Sententia benigna de opinione minus probabili. Verum, ut mihi videtur, optandum esset, ut ante triginta annos fuisset confixa hujusmodi sententia; ne, quam tamdiu pertulimus, laxitatis labes Societati inureretur. Quin etiam illud mihi gratum accidit, et Paternitati vestræ perhonorificum, quod in hoc Episcoporum cœtu omne de probabilitate sectanda judicium exactum fuit ad Regulas prudentiæ, et rationum momenta, quæ erudite adeo discutit Vestra Paternitas in suo libro *de Recto usu Opinionis Probabilis.* Etenim Illustrissimus Episcopus Meldensis (*Jac. Benignus Bossuetus*) editorum librorum fama toto Orbe notissimus, qui deputatis ad examen Moralis præerat, in eo cœtu, folia duo vel tria edidit, quæ mitto ad Vestram Paternitatem, et simul petiit, ut Illustrissimus Cœtus hanc omnem Vestræ Paternitatis Sententiam in suam et Cleri Gallicani Sententiam adoptaret, quod et obtinuit. Quamquam non est ille Episcopus valde bene affectus erga Societatem, vehementer tamen gavisus sum, cum agnovi efficaciam dictarum rationum plurimum valere etiam apud viros Societatis (*sic*) minus affectos. Insuper nomine Cleri Gallicani missæ sunt litteræ ad omnes Episcopos, quibus monentur, et rogantur, ne in posterum adhæreant Sententiæ benignæ de minori probabilitate. » Jam vero folia, quæ hujus Epistolæ Auctor a Bossueto edita commemorat, sunt *Dissertatiuncula quatuor adversus Probabilitatem.* Bossueti Opuscula Posthumorum Edit. Amstelod. 1753, tom. 3, quarum prima est *de Dubio in negotio salutis,* altera *de opinione minus probabili ac simul minus tuta;* tertia *de Conscientia,* quarta *de prudentia.* (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

ac celebriorum Episcoporum, et variorum etiam Conciliorum adversus probabilismum decreta. Itaque ii, quibus depositum divinæ revelationis concreditum est, et qui pascere Christi gregem tenentur per explicationem, ac prædicationem doctrinæ a Deo hominibus traditæ, ut recta salutis via demonstretur, uno fatentur ore, noxiam, ac periculi plenam esse probabilismi doctrinam. (157. Cum hæc expenderet Cardinalis Aguirre, qui probabilista antea fuerat, ita in præf. ad Concil. Hispan. scripsit : « Hic fuit semper spiritus Ecclesiæ, tam in Pontificibus Romanis, Cardinalibus, et Episcopis, quotquot Canones Conciliorum ediderunt, quam in his, qui pietatis et doctrinæ laude illos usque modo imitati sunt. Hæc videtur fuisse praxis assidua SS. Pontificum, ac Theologorum doctrina, ac pietate insignium a tempore nascentis Ecclesiæ usque ad finem fere sæculi præcedentis, quo cœpit reputari securus usus opinionis benigne probabilis in concursu opinionis austerioris, æque probabilis, aut probabilioris per restrictiones antiquis ignotas. »

(158. Quæ cum ita sint, nemo non videt, solam hanc regulam in formandis moribus, ut optimam, atque ab omni periculo alienam tenendam esse, quam fidelibus sequendam proponunt Summi Pontifices, atque Episcopi bene multi tum in suis instructionibus ad proprias Diœceses, tum in Sanctionibus, quas in Conciliis variis ediderunt. Nam nisi ex hisce fontibus vera agendorum regula desumatur, ac vera morum doctrina, quam quisque tuto amplecti possit, undenam desumi illa possit nullus profecto intelliget. An quis ita desipere potest, ut ineptas aliquas, et millies jam attritas ratiunculas, quibus Probabilismus innititur, præferendas esse censeat infallibilibus documentis virorum Ecclesiasticorum, quibus Christianæ doctrinæ depositum concreditum est? Hæc autem doctrina, sicut ex adductis supra monimentis constat, sic habet, ut minime liceat homini in concursu opinionum, quarum una probabilis, probabilior altera sit, probabilem amplecti, relicta probabiliori. Debet perinde illa opinio eligi, atque actio secundum illam eligi quæ probabilior ac tutior existimatur.

(159. Ne autem quis putet, sola nos ad id asserendum auctoritate aliorum, absque ratione ulla moveri, abs re non erit, aliquas, easque clarissimas, producere rationes, quibus ostenditur illicitus omnino usus opinionum probabilium in concursu probabiliorum. (160. Ac principio quidem nunquam potest homo opinionem sequi probabilem relicta probabiliori, quin imprudenter agat, ac sese exponat peccandi periculo, atque adeo peccat juxta illud, *Qui amat periculum, in illo peribit* : Nam ut homo in operando immunis sit a culpa, debet habere, ut fatentur omnes, certitudinem saltem moralem de honestate actionis, quam efficit; atqui si opinionem sequatur probabilem, probabiliori relicta, certitudine illa omnino caret; graviora siquidem motiva trahant in suam partem intellectum, atque ita superant motiva minus gravia, ut in concursum cum gravioribus nullam efficere valeant verisimilitudinem, certitudinemque moralem. Igitur opinio probabilis in conspectu probabilioris redditur incerta, atque periculosa; (161. Ex quo etiam sequitur, contra prudentiam agere hominem, quæ secunda ratio est, quam contra probabilismum adducimus. Quis enim dicat prudentis esse certis incerta præponere in rebus ad salutem spectantibus? Quis neget hoc generale prudentiæ præceptum, ut in obscuris ac dubiis majorem verisimilitudinem, magisque a peccandi periculo removentem sequamur? At si hoc verum sit, sicut verissimum est, contra præceptum, ac regulas prudentiæ operatur ille, qui in judicando ducitur motivis minus gravibus, relictis gravioribus; præfert enim minorem verisimilitudinem majori, nec quantum in se est conatur a peccandi periculo recedere, ut debet, omni qua potest diligentia.

(162. Si brevitas, quam nobis in hisce additionibus præscripsimus, pateretur fusiori nos uti calamo, alia bene multa adducere non gravaremur, quibus palam fieret quam exitialis ac pestilens sit usus opinionum simpliciter probabilium, dum præferuntur magis probabilibus; tum etiam facile esset convellere Probabilismi principia illa, quæ tantopere ab illius Defensoribus jactantur; inter quæ et illud est : *in dubiis melior est conditio possidentis*. Verum hæc omnia qui perspecta et cognita habere cupit, historiam legat Probabilismi Patris Danielis Concinæ, ejusque Tractationem de usu opinionum probabilium T. secundo Apparatus ad Christianam Theologiam. Patuzzi opus inscriptum *Regola prossima*, etc. Ballerinii Prælectionem secundam Tom. 1. Summæ Theologicæ S. Antonini præfixam, et aliud ejusdem Opus, cui titulus : « Moralium actionum regulæ in opinalibus, seu Quæstio de opinione probabili ad unicum et certum inter Probabilistas, et Probabilioristas principium revocata et soluta : ubi recentiorum Probabilistarum libri ad examen vocantur, eorumque æquivocationes ac sophismata palam proferuntur. Additur duplex Apparendix. I. Novum Systema probabilisticum expositum et confutatum. II. Demonstrationum Pithanophilianarum vitia detecta, et demonstrata. Venetiis 1756. » Hæc porro, quæ præmissa a nobis sunt, falsitatis evidenter convincunt doctrinam, quam tradidit noster Auctor variis in locis, ac præsertim pag. 644, 645, et 650, 651, 652. Quæ namque ibidem docet, pura et puta esse videntur Probabilismi consectaria, ac reipsa sunt; quare, everso fundamento, illa quoque excidant et corruant necesse est. (163. Juvat tamen breviter, quæ in prædictis locis habet singillatim expendere. Pagina 382, numero 32, docet, posse hominem rem possessam practice retinere, et judicare esse suam, ac proinde eam licite retinere, licet speculative dubitet, an res possessa sit sua. Falsum id est prorsus; nam principium illud, quo id Auctor probat, nempe *in dubiis melior, etc.*, non ad quæstionem de licito et illicito pertinet, sed ad quæstiones forenses in materiam justitiæ,

Digitized by Google

ut passim tradunt Theologi. Deinde superveniente dubio de re possessa etiam sub bona fide, tenetur possessor investigare legitimum possessionis titulum; quod si nullus occurrat, quo constet rem esse alienam, jure, ac licite eam possidere potest, quia suffragatur possessori legitima præscriptio, quam non tollit dubium superveniens, nec possessorem cogit ad possessionem deponendam, sed obligat tamen ad investigandum justum, ac legitimum possessionis titulum.

(164. At vero pariter longe distant, quæ Auctor habet de Consiliariis, pag. 631, num. 98, quos dicit posse aliquem consulere juxta opinionem aliquorum probabilem; quam tamen in praxi ipsi non sequantur, ac falsam judicent. Debent enim Consiliarii non fallere, sed quæ vera sibi videntur exponere; at si persuaderent aliis opinionem sequendam minus probabilem et tutam, dum ipsi alia ducuntur probabiliori ac tutiori, profecto et contra propriæ conscientiæ dictamen consulerent, et contra propriam mentem irent, ac incertam indigitarent viam, dum ipsi certiorem, tutioremque agnoscerent. Num id liceat, prudens judicet lector. Mirum vero non est hæc ab Auctore tradi, qui ubique fere ex semel præjacto principio, Probabilismo nimirum suas opiniones probat et confirmat.

(165. Ad ea vero, quæ habent pagina 388, 389, non est quod modo quidquam dicamus; videantur quæ ad hanc rem pertinentia diximus in verbo *Confessarius*.

(166. Quoniam autem de Conscientia hic brevissime agere instituimus, reliquum nunc est, ut modum, illumque omni ex parte tutum præscribamus, quo possit unusquisque suam formare conscientiam, ubi præsertim dubia praxim respicientia suboriantur. Nil vero utilius ad hunc effectum censemus regulis, quas ex Leonardo Vanroy exscriptas hic subjicimus.

REGULÆ.

Prima. « Si sit dumtaxat probabile, quod actio aliqua licita sit qui eam ponit, periculo se exponit illicite agendi. »

Secunda. « Si aliquid præter probabilitatem concurrat, quo plane certus evado, quod actio hic et nunc mihi liceat, agendo non sequor sententiam practice probabilem, sed practice certam. »

Tertia. « Certus fieri nequeo de formali actionis honestate, sive quod mihi liceat agere ex ipsa probabilitate sive ex eo quod sit probabile actionem esse licitam, neque ejusmodi certitudinem afferre possunt hæc principia. » Quidquid est practice probabile, est practice tutum. Qui sententiam vere probabilem, vel probabiliorem sequitur, prudenter agit, etc. « Quia admodum incerta, et vix, aut ne vix quidem probabilia sunt. »

Quarta. « Quando est duntaxat probabile, quod actio licita sit, per principium reflexum certi evadimus quod agere non liceat, nempe per regulam juris naturæ vetantem, ne quis sese periculo peccandi, et legem æternam violandi exponat. »

Quinta. « Quando actionis legi æternæ repugnantis malitia, vel per tenuissimæ probabilitatis rimam considerationi adfulget, agens invincibilem malitiæ ignorantiam prætexere non potest. »

Sexta. « Quando probabile est actionem secundum se rectæ rationi et legi æternæ esse difformem, eam ponere non licet, nisi omissio istius, actionis etiam verosimiliter rectæ rationi repugnet. »

Septima. « In tali angustia, nempe, quando et actio, et actionis omissio verosimiliter legi æternæ adversantur, pensandum est a qua parte plus sit periculi : omnibusque rite ponderatis illud eligendum est, quod minus malum prudenter judicatur. »

Octava. « Quantacumque probabilitas in materia juris naturæ periculum peccati abstergere nequit, quia licet maxime foret probabile v. gr. quod mentiri ad innocentem a morte liberandum, juri non repugnet, lex æterna mendacium etiam tunc vetet; regula ista legis æternæ non delebitur ob nostram probabilitatem. Unde qui in tali casu mentiretur, exponeret se periculo ponendi actionem regulæ legis æternæ difformem, adeoque a peccato eximi nullo pacto posset. »

Nona. « Verum in materia legis positivæ ex magna valde probabilitate certitudinem moralem accedente, aliisque circumstantiis epikeya aliquando formari potest, sic ut prudenter judicemus, non esse mentem legislatoris in simili casu nos obligare. »

(167. Alia vide infra verb. *Opinio probabilis*.

CONSECRARE, CONSECRATIO.

SUMMARIUM.

1. Consecratio Episcopalis suscipienda intra trimestre. — 2. Episcopos consecrandi jus S. Pontifici devolutum. — 3. De Episcopalis consecrationis delegatione. — 4. Consecratio nequit fieri sine speciali mandato Pontificis. — 5. Consecrationis Ecclesiarum munus soli Episcopo reservatum. — 6. Episcopus consecrans Ecclesiam potest missam Sacerdoti celebrandam committere. — 7. Consecratio Ecclesiarum potest vel ab uno vel a pluribus Episcopis peragi. — 8. Jure consecratio Ecclesiæ peragitur, quam merito ambigitur nunquam fuisse consecratam. — 9. Ecclesia a primo lapide reædificata, vel parietibus tantum renovata debet consecrari. — 10. An liceat officium recitare Consecrationis jam deperditæ. — 11. Ecclesia a fundamentis reædificata iterum consecranda. — 12. Consecratio Altaris a consecratione Ecclesiæ distinguitur. — 13. Alia ad rem *Remissive*.

(1. Consecratio Episcopalis suscipienda est intra trimestre a die confirmatæ electionis; Concil. Trid. sess. 23, cap. 2, de reform. Bened. XIV, Constit. incip. *In postremo*, § 2. Consecratio Episcopalis die Dominico, vel natalitio Apostolorum est suscipienda, nisi Papa dispensaverit; Idem ibid., § 20.

(2. Consecratio Episcoporum juxta vete-

Digitized by Google

stiorem disciplinam a Metropolitano peragebatur, eoque tantummodo injuste eam denegante, Romanus Pontifex Consecrationis munus impendebat; Idem ibid., § 15. Ad præsens jus consecrandi Episcopos per se, vel per alium, ad Romanum Pontificem est devolutum; Idem ibid., § 15, 16 et 17.

(3. Consecrationis Episcopalis delegatio nunc juxta veterem restitutam formulam, juxta mandatum *de consecrando* ad eum dirigitur Episcopum, quem sibi consecrandus elegit. Circa vero Episcoporum consecrationes, quæ in Urbe peraguntur, statutum est, Consecrandum, cui facultas fit eligendi Consecratorem; seligere debere, aut unum ex Cardinalibus Episcopali charactere insignitum, aut aliquem ex quatuor Patriarchis plerumque in Urbe residentibus, scilicet vel Constantinopolitanum, vel Alexandrinum, vel Antiochenum, aut Hierosolymitanum; eo tantum excepto casu, quo nemo ex præfatis, quod perdifficile est, oblatum sibi consecrationis peragendæ munus acceptum haberet; in hac quippe casus hypothesi, facta est Episcopo consecrando facultas adeundi alium quemcumque Archiepiscopum, Episcopumve, qui ei consecrationem impenderet; Idem ibid., § 16, ubi in fine sic subjungit: Neque in his edendis sanctionibus excidit Nobis Metropolitarum memoria, cum constituerimus, ne, si in Urbe præsentes sint Metropolita, ejusque Suffraganeus, consecratio Suffraganei cuiquam, præterquam suo Metropolitæ, delegetur.

(4. Presbyter, sive a Pontifice Maximo, sive a quocumque alio Episcopo ordinatus, consecrari nequit Episcopus sine speciali mandato Romani Pontificis; Idem *ib.* § 17. Consecratio Episcoporum ex Indulto Apostolico peragi potest ab uno Episcopo, una, eam duobus Abbatibus, vel aliis duobus in Ecclesiastica Dignitate constitutis, Bened. IV. Const. incip. *Ex tuis precibus* § 21.

(5. Consecrationis Ecclesiarum munus est Episcopali dignitati reservatum; Bened. XIV. cit. Const. *Ex tuis precibus*. Diœcesano Episcopo ita competit consecratio Ecclesiarum suæ Diœcesis, ut extraneo cuicumque Episcopo absque Diœcesani delegatione licere non possit; Idem *ib.* § 2. Simplici Presbytero nequidem ex delegatione Episcopi competere potest facultas consecrandi Ecclesias; Idem ib. § 2. et sequent. Ex Pontificia tamen delegatione hujusmodi consecrationis munus simplici presbytero competere potest; Idem ib. § 1. et 12. Vide ad id jam tradita in tom. 3. verb. *Ecclesia* art. 4.

(6. Consecrans Ecclesiam Episcopus potest ex justa causa Missam Sacerdoti celebrandam committere; Bened. XIV. Const. incip. *Peracto a Nobis* § 1. Consecrationem Ecclesiæ ab uno Episcopo incœptam potest alter perficere, modo nimis longum temporis spatium non intercurrat: Idem ib. § 16. ubi solvit objectum.

(7. Consecratio Ecclesiæ, vel ab uno Episcopo, vel a pluribus simul, tanquam Comministris peragi potest; Idem ibid. § 4. et seq. ubi id comprobat Scriptorum auctoritate, et exemplis. Ipsum quoque munus benedicendi, ungendique Cruces, Episcopi consecrantes inter se partiri possunt; idem ib. §. 10. et sequent. usque ad 16. ubi probat pluribus exemplis, et argumentis, ac solvit Rescriptum Sac. Congreg. Rit. in Causa Ulyssiponensi.

(8. Consecratio jure peragitur ejus Ecclesiæ, quam merito ambigimus nunquam fuisse consecratam; Bened. XIV. Const. incip. Jam inde § 1. 4. et 5. ubi adducit perspicuam ad id definitionem Benedicti XIII. in Concilio Romano tit. 25. c. 3.

(9. Ecclesia a primo lapide reædificata, vel etiam parietibus tantum renovata, debet nova consecratione dicari; Idem ib. § 10. Si Ecclesiæ parietes non uno tempore, sed per partes, diversisque temporibus, fuerint reædificati, vel si Ecclesia igne comburatur, vel corruat, aut destruatur, an, et in quibus ex his casibus, sit reconsecranda Ecclesia? Vide ipsum ib. a § 7. ad. 14. et jam tradita, et conclusa a nobis, verb. *Ecclesia* art. 4.

(10. Consecrationis jam deperditæ Officium an adhuc liceat recitare? variant Doctores adducti; Bened. XIV. ib. § 22: merito propendet pro affirmativa continuationis; fultus potissimum exemplo duarum Basilicarum Lateranensis et Vaticanæ, in quibus ad veterum Consecrationum recordationem diu fuit retenta Officii recitatio, etsi novis positis constructionibus, veteres amplius non superextarent Consecrationes, uti plane, ait ipse Bononiæ hactenus factitatum.

(11. Si parietes Ecclesiæ sint destructæ, et a fundamentis iterum reædificentur, Ecclesia jam consecrata iterum consecranda est, ut ex titul. de Consecrat. Eccl. vel alt. firmant Canonistæ; d. Instit. Eccl. 67. § 2. Officium vero recitari debet de priori Consecratione, non de secunda; ib. § 6.

(12. Consecratio Altaris plane distincta est a consecratione Ecclesiæ, ut ex Pontificali Romano adnotatur ib. § 8.

(13. Alia ad rem, Vide verb. *Altare*, verb. *Ecclesia*, verb. *Episcopus*, et verb. *Eucharistia*.

CONSERVATORES.

SUMMARIUM.

ARTICULUS 1. — *Quoad ea quæ concernunt Conservatorum qualitatem, electionem et durationem.*

1. Conservatores qui sint. — 2. Conservatores sibi eligere possunt Regulares omnes, nedum qui ad hoc expressa et peculiaria privilegia a Sede Apostolica obtinuerint, sed et cæteri virtute communicationis privilegiorum. — 3. Conservatoriæ Regularibus concessæ non sunt sublatæ per Decr. Concil. Trident. etiam quod causæ graves sint, et plenariam cognitionem requirant. — 4. Conservatores debent eligi ad præscriptum capit. *Statutum* 21, *de rescriptis*, cap. *Statuimus* 1, et cap. *Hæc Constitutione* 25, *de offic. Delegati in* 6, et præcipue ad præscriptum Constit. Gregorii XV, incip. *Sanctissimus*. — 5. Affertur talis Constitutio Gregorii XV. — 6. Eligendi in Conservatores debent esse in dignitate Ecclesiastica consti-

Digitized by Google

luti. — 7. Unde Conservatores non possunt esse, nisi Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, et Cardinales, vel Abbates, seu Dignitates, vel Personatus in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis obtinentes. — 8. Aut Canonici Ecclesiarum Cathedralium existentes. — 9. Canonici autem Ecclesiæ Collegiatæ, quamvis sint eximii Doctores, nequeunt esse Conservatores. — 10. Vicarius Generalis Episcopi potest eligi in Conservatorem Regularium. — 11. Sic etiam Vicarius Capitularis Sede vacante. — 12. Regulares quavis dignitate Regulari fulgentes non posse eligi in Conservatores, respondit Sac. Congr. Episcop. et Regul. — 13. At Sacr. Congr. Concilii censuit Abbatem Ordinis Olivetani posse eligi in Conservatorem, si Episcopus in Synodo eum deputavit Judicem Synodalem. — 14. Conservatores debent esse Judices Synodales. — 15. Dato autem, quod non adsint Judices Synodales, possunt a Regularibus eligi non Judices, donec sit celebrata Synodus, et in ea Judices sint designati. — 16. Afferur ad hoc Pontificis declaratio. — 17. Conservatores debent eligi a Regularibus in unaquaque Diœcesi, in qua Monasteria, Conventus, seu Domus Regulares habent. — 18. Regulares, licet ex d. Constitutione Gregorii XV, fuerint adstricti ad sibi eligendos Conservatores infra duos menses in Italia, et extra Italiam infra sex menses a die publicationis in Urbe ipsius Constitutionis; tamen ii Regulares, qui tempore sibi in d. Constitutione præfixo, Conservatores eligere non curaverunt, dicto elapso tempore, quandocumque eis libuerit, Conservatores juxta formam d. Constitutionis eligere possunt, *ad num.* 19. — 20. Electionis Conservatoris documentum est relinquendum penes acta Curiæ Episcopalis, alias Regulares sunt conveniendi coram Ordinario loci. — 21. Conservatores sunt eligendi ad præscriptum d. Constit. Gregorii XV, non obstantibus quibusvis privilegiis. — 22. Regulares eligentes Conservatores non servata forma Gregorii XV, incurrunt ipso jure privationem vocis activæ et passivæ; Nec possunt rehabilitari, nisi a Romano Pontifice, et eorum Conventus, et personæ carent Conservatore ad annum, et interim illorum causæ definiri debent solum ab Ordinariis locorum. — 23. Conservatores Regularium possunt eligi vel a Superioribus Generalibus, vel Provincialibus, vel Localibus, juxta Religionum consuetudinem. — 24. In iis tamen Religionibus, in quibus juxta suam consuetudinem, Constitutiones, vel privilegia solent Conservatores eligi per Superiores locales, debet intervenire etiam consensus Capituli. — 25. In Ordine Minorum de Observantia facultas eligendi Conservatores videtur restricta ad Provinciales, privative quoad Guardianos, seu Superiores locales. — 26. Et ubi adest similis Constitutio, et probata consuetudo, quod eligantur per solos Provinciales, valida est electio etiam sine consensu Capituli. — 27. Conservatores Regularium semel legitime electi, ac deputati, nisi ex legitima causa a Sede Apostolica, aut locorum Ordinariis, prout eisdem Regularibus, et aliis prædictis libuerit, approbanda, durante quinquennio a die deputationis, amoveri aut mutari nullatenus possunt. — 28. Causæ autem possunt esse inimicitia suborta, impotentia, negligentia, et omnes illæ, ob quas recusari potest Judex. — 29. Regulares quinquennio elapso possunt alium Conservatorem libere eligere; Et si ad aliam electionem procedere minime curent, aut nolint; electus etiam elapso quinquennio, adhuc in officio perseverat usque quo alius eligatur; nec est necesse ipsum confirmare, vel reeligere. — 30. Conservatoris rite electi officium, et jurisdictio non expirat, ex eo quod postea desinat esse Judex Synodalis. — 31. 34. An eligi in Conservatores possint Episcopi et Archiepiscopi, etc., si existant in Diœcesi Judices Synodales. — 35. Conservator datur etiam sine negligentia judicis laici, etiam personis miserabilibus. — 36. A cœtu Cardinalium non potest dari conservator, Papa vivente, nisi ille omnino impeditus sit. — 37. Neque a Legato etiam de Latere. — 38. Etiam principes sæculares possunt Ecclesiis vel Clericis conservatores dare, et ita contra Laicos tueri, non tamen contra clericos vel Ecclesias. — 39. Regulares in una diœcesi non possunt eligere in Conservatorem alterius diœcesis Episcopum.

ARTICULUS II. — *Quoad ea quæ concernunt Conservatorum officium, et jurisdictionem.*

1. Conservatorum officium est defendere eos, quibus sunt concessi, a manifestis injuriis, molestiis, et violentiis, et in propriarum rerum, et jurium possessionem conservare. — 2. Hinc Conservatores defendere possunt, et debent Regulares, nedum in causis in quibus ipsi Regulares rei existunt, sed etiam in causis in quibus Regulares Actores extiterint, si isti agendo petant, ut defendantur a manifestis injuriis, quæ de facto illis inferuntur, dum a suis possessionibus dejiciuntur, et propriis bonis frui impediuntur. — 3. Conservatores Regularium non nisi de manifestis injuriis atque violentiis cognoscere possunt. — 4. Injuria quid sit. — 5. Violentia quid sit. — 6. Injuria, et violentia, quando dicatur manifesta. — 7. Conservatores Regularium non possunt cognoscere de iis, quæ Judicialem requirunt indaginem. — 8. Indago Judicialis quid sit. — 9. Conservatores, si de aliis, quam de manifestis injuriis, et violentiis cognoscere præsumpserint, seu ad alia, quæ Judicialem indaginem exigunt, suam extenderint potestatem, eo ipso pœnam Suspensionis ab officio per annum incurrunt, et pars, quæ hoc fieri procuravit, incurrit sententiam excommunicationis. — 10. Possunt tamen Regularium Conservatores in cognitione violentiarum et injuriarum manifestarum adhibere indaginem illam judicialem, quæ in notoriis adhiberi solet. — 11. Quando reus fatetur injuriam, seu violentiam, et qualitatem ipsius fuisse notoriam, tunc Conservator potest statim procedere absque ulla examinatione de notorietate. — 12. Conservatores Regulares suæ curæ commissos defendere possunt, nedum ab injuriis, et violentiis illatis, sed etiam a probabiliter inferendis. — 13. Conservatores Regularium possunt ipsos defendere a violentiis, seu injuriis inferendis, non solum aliis modis, sed etiam proferendo generalem excommunicationis sententiam in eos, qui illas fecerint, vel commiserint. — 14. Nec obstat prohibitio expressa in cap. *Romana* 5, *de sentent. excomm.* in 6. — 15. Conservatores Regularium possunt per Censuras Ecclesiasticas, aliaque juris remedia procedere contra Episcopos, aliosque Judices ipsorum officium impedientes. — 16. Licet autem Conservatores Regularium facultatem habeant procedendi per Censuras Ecclesiasticas etiam contra Episcopos; tamen quia in his coactionibus et pœnis Pontificali dignitati plurimum deferendum est, æquum est, ut Conservatores non de facili, et præcipitanter contra Episcopos sententiam excommunicationis proferant; sed debent modestiam, et reverentiam adhibere, et servare Ordinem præscriptum in c. *Quia Pontificali* de offic. delegati in 6. — 17. Adducitur specialis resolutio Sac. Cong. Conc. — 18. In dubiis de jurisdictione inter Episcopos, et Conservatores suspendendus est processus, et non potest ultra procedi in causa, sed eligendi Arbitri qui controversiam decidant. — 19. Quando controversia est super competentia Jurisdictionis, et sub hoc prætextu Episcopus Conservatorem impedit, non potest Conservator procedere contra Episcopum per Censuras. — 20. In necessitate, quando partes non conveniunt in Arbitrorum electione, vel alias nequit per Arbitros concorditer controversia terminari, eligendus est tertius Arbiter. — 21. Sic etiam, si Conservator Regularium recusetur, ut suspectus, tunc ipse Conservator recusatus potest partes compellere ad eligendos Arbitros. — 22. Conservatores Regularium non tenentur uti Notario Curiæ Episco-

Digitized by Google

pelis, sed possunt assumere quemcumque Notarium sibi bene visum. — 23. Conservatores Regularium possunt vices suas aliis committere, et in totum alium subdelegare, et substituere, *usque ad n.* 24. — 25. Subconservatores, seu Subdelegati, et substituti a Conservatoribus debent habere omnes qualitates ad Conservatores requisitas. — 26. Conservatores, qui aliis vices suas subdelegarunt, possunt ab ipsis subdelegatis causam ad se avocare, dummodo tamen jurisdictio revocetur a subdelegatis, antequam ipsi subdelegati jurisdictione eadem uti cœperint. — 27. Officium subdelegati, seu Subconservatoris expirat per mortem naturalem Conservatoris. — 28. Et hæc ratio locum habet etiam in morte civili, vel quia ipsius officium terminet per lapsum temporis præfixi, vel quia Conservator privatus sit tali officio. — 29. Per Excommunicationem autem, vel suspensionem Conservatoris, vel etiam ipsius Delegati, vel Subconservatoris non expirat in Subdelegato, seu Subconservatoris Jurisdictio, sed solum suspenditur, donec Conservator, vel ipse Subconservator absolvatur. — 30. Notorius debitor Regularium coram eorumdem Conservatore conveniri potest, *usque ad n.* 31. — 32. Tunc autem esset debitum notorium, si debitor fateretur debitum, et negaret se solvere velle, vel si debitum per Instrumentum, ac testes omni exceptione majores constaret, etiamsi a debitore negaretur. — 33. Quando Regulares sunt debitores Laicis, vel Clericis sæcularibus, non possunt conveniri coram Ordinario, sed conveniendi sunt coram suo Superiore, *usque ad n.* 34. — 35. Et sic Regulares pro contractibus, vel debitis, si intra Monasteria maneant, conveniendi sunt coram suis Superioribus, vel Conservatoribus, non autem coram Ordinariis. — 36. Conservatores Regularium cognoscere possunt de injuriis factis servis, familiaribus, Syndicis, et Procuratoribus ipsorum in quantum talibus reduplicative. — 37. Hujusmodi privilegia respectu injuriarum, quæ fiunt servis familiaribus, Syndicis, et Procuratoribus in quantum talibus reduplicative, non sunt abrogata. — 38. Regulares quicumque in casu, quo Episcopus præcipiat decreta aliqua Concilii Tridentini ab ipsis observari, non possunt eligere Conservatores sub prætextu, quod hujusmodi præcepta infringant sua privilegia. — 39. Nec Regulares possunt Conservatores Judices assignare, quando Ordinarius procedit, juris ordine servato, adversus ipsos Regulares in casibus in quibus per Concilium vel Constitutiones Apostolicas ipsi subjiciuntur. — 40. Conservatores, quando sunt Presbyteri Sæculares, tam in Civilibus, quam in Criminalibus, seu mixtis, subjiciuntur loci Ordinario. — 41. Alia de Conservatoribus. *Remissive.*

ARTICULUS I.

Quoad ea, quæ concernunt conservatorum qualitatem, erectionem, et durationem.

(1. Conservatores communiter definiri solent, quod sint particulares Judices a Summo Pontifice delegati ad aliquos defendendos contra manifestas injurias, et molestias, et violentias absque indagine judiciali, ut deducitur clare ex cap. *Statuimus* 1. de Offic. Judic. delegati in, ubi sic præcise habetur: « Statuimus, ut Conservatores, quos plerumque concedimus, a manifestis injuriis, et violentiis defendere possint, quos eis committimus defendendos; Nec ad alia, quæ judicialem indaginem exigant, suam possint extendere potestatem; » Et consimiliter colligitur ex cap. *Hac Constitutione* 15. eod. in 6.

(2. Conservatores sibi eligere possunt Regulares omnes, nedum qui ad hoc expressa, et peculiaria privilegia a Sede Apostolica obtinuerunt, sed et cæteri alii virtute communicationis privilegiorum cum ipsis, ut expresse declaravit S. Congregatio Concilii 12. Septemb. 1620. (3. Conservatoriæ Regularibus concessæ non sunt sublatæ per Decretum Concilii Tridentini sess. 24. de reform. cap. 23. etiam quod causæ graves sint, et plenariam cognitionem requirant; Sacra Congreg. Conc. in Mediolanen. teste Rota part. 2. recent. dec. 616. in Oscen. Jurisdictionis 12. Decembris 1614. et sic etiam fuisse decisum sub die 18. Januar. 1594. refert Aldan. in Compendio canon. resolut. lib. 4. tit. 8. n. 10. (4. Conservatores debent eligi ad præscriptum cap. *Statutum.* 11. de rescriptis.; cap. *statuimus* 1. et cap. *Hac Constit.* 15. de offic. delegati in 6. et præcipue ad præscriptum Constit. Greg. XV. incip. *Sanctissimus*, quæ cum sit specialis norma, et regula pro Conservatoribus, hic subnectitur ad promptiorem omnium commoditatem.

(5. § 1. SSmus in Christo Pater et D. N. D. Gregorius divina providentia Papa XV. ex certis rationabilibus causis animum suum moventibus, et de voto Ven. Fratrum suorum S. R. Eccles. Cardinalium Concil. Trident. Interpretum, partim fel. recordat. Clement. Papæ VIII. Prædecessoris suis vestigiis inhærendo renovavit, ac nullas, et invalidas decrevit omnes, et quascumque Judicum Conservatorum erectiones, nominationes, seu deputationes tam in viam literarum Conservatoriarum juxta formam in quinterno Cancellariæ descriptam, quam in vim quorumcumque privilegiorum perpetuo, vel ad tempus non elapsum Apostolica auctoritate concessorum, seu alias quocumque jure, vel titulo hactenus factas, quo quibuscumque Conventibus, Capitulis, Militiis etiam S. Joannis Hierosolymitani, Congregationibus, Collegiis, Ordinibus, Monasteriis, Hospitalibus, aut aliis quibusvis piis tam sæcularibus, quam cujusvis Ordinis tam Mendicantium, seu Instituti, vel Societatis Regularibus, locis quantumvis exemptis, etiam de necessitate exprimendis, seu illorum personis, cujusvis qualitatis, seu conditionis existant.

§ 2. In futurum vero Sanctitas sua hac generali, et perpetuo valitura Constitutione statuit, et decrevit, ut Judices Conservatores hujusmodi sive principales, sive subrogati, eligi, nominari, aut deputari non possint, nisi non solum habeant qualitates requisitas, et descriptas in Constitutione simil. Recordat. Bonifacii papæ VIII. etiam Prædecessoris sui, quæ incipit: *Statutum*; ita ut vel dignitate Ecclesiastica præditi, vel personatum obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant; sed etiam in Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis juxta decretum Concilii prædicti judices electi, seu designati sunt.

§ 3. Quæcumque deinceps literæ conservatoriæ per Sedem Apostolicam conce-

Digitized by Google

dendæ supra scriptis tantum dirigantur, et si quæ literæ aliter expedientur, illæ, ac deputationes hujusmodi omniaque exinde sequenda nullius sint roboris, vel momenti.

§ 4. Et nihilominus, qui secus, quam juxta formam superius præscriptam, Conservatores hujusmodi cum effectu eligere, nominare, seu deputare, aut electis, nominatis, seu deputatis uti ausi fuerint, Regulares quidem voce activa, et passiva sint ipso jure privati, adeo ut habilitationem a nemine præterquam a Romano Pontifice consequi valeant, reliqui vero aliis pœnis arbitrio Sanctitatis suæ coerceantur, et prædictorum omnium Conventus, Monasteria, ac loca hujusmodi eorumque personæ, ac bona careant Conservatore ad annum, ita ut illorum causæ interea coram locorum Ordinariis duntaxat cognosci ac definiri debeant.

§ 5. Cæterum ut latius pateat Conservatorum hujusmodi deligendorum facultas, Sanctitas sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, ut in Synodis Provincialibus, aut Diœcesanis quamplures personas, ex habentibus qualitates in prædicta Constitutione hujusmodi Bonifacii Prædecessoris contentas, et alioquin ad id aptas designari procurent, et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum Consilio Capituli alium in ejus locum, usque ad futuram provincialem, aut Diœcesanam Synodum.

§ 6. Insuper Sanctitas sua inhærendo hac in parte Decreto similis record. Gregor. Papæ XIII. etiam Prædecessoris sui statuit et ordinavit, ut Regulares, ac personæ hujusmodi in Italia infra duos, extra Italiam vero intra sex menses a die publicationis in Urbe præsentis Constitutionis inchoandos, debeant sibi eligere, seu assumere Conservatores juxta formam superius propositam.

§ 7. Ejusque electionis seu assumptionis documentum infra tempus hujusmodi pœnes Acta Curiæ Ordinariorum exhibere et demittere teneantur; alioquin eo termino elapso, quamdiu Conservatores secundum formam præsentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinariis conveniantur.

§ 8. Quodque Conservatores hujusmodi semel legitime deputati, nisi ex legitima causa a Sede Apostolica, aut locorum Ordinariis, prout iisdem Regularibus, et aliis suprædictis libuerit approbanda durante quinquennio a die deputationis, amoveri aut deputari nullatenus possint, aut valeant.

§ 9. Ad hæc statuit Sanctitas sua, ut coram ipsis Conservatoribus Regulares, ac personæ suprascriptæ conveniri quidem, aut trahi debeant, sed alios convenire, aut trahere non possint, ita ut memorati Conservatores in causis, in quibus Regulares. et alii Actores fuerint, nullam prorsus jurisdictionem habeant, sed in his tantum, in quibus rei extiterint, neque extra Civitates, seu Diœceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere præsumant.

§ 10. Si qua vero inter Judices Conservatores hujusmodi, et locorum Ordinarios Controversia super competentia jurisdictionis orta fuerit, nequaquam in Causa procedatur, donec per Arbitros in forma juris electos super jurisdictionis competentia fuerit judicatum.

§ 11. Quod si Conservatores sive in hac parte sive alias quomodolibet suos limites excesserint per annum ab Officio Conservatoris hujusmodi suspensi sint, et pars, quæ hoc fieri procuraverit, sententiam excommunicationis incurrat, juxta formam alterius Constit. ejusdem Bonifacii Prædecessoris, quæ incipit: *Hac Constit.* quam Sanctitas sua in omnibus, quæ præsenti Const. non adversantur, innovavit, ac innovat.

§ 12. Per hoc tamen non intendit Sanctitas sua prohibere, quo minus Regulares, et alii supradicti in casibus a jure permissis petant judicem non suspectum a Principibus, seu Magistratibus sæcularibus; Dum tamen hæc tria copulative concurrant, videlicet, ut Regulares, et alii prædicti sint Actores, non autem rei; utque agant contra Laicum, non autem contra Ecclesiasticum, vel alias a Jurisdictione sæculari exemptum, atque ut causa, in qua Judex deputatur, fuerit profana, non autem Ecclesiastica, et in ea, juxta Sacrorum Canonum dispositionem, Laicus ut præfertur eligendus, Judex competens existat.

§ 13. Observantiam præmissorum præcipit cum decreto irritanti.

§ 14. Contrariis quibuscumque derogat. (Et sequitur publicatio.)

Datum Romæ 20 Sept. 1621. Pontificatus anno primo; Bullar. tom. 4, pag. 80.

Sequitur dubium super d. Constitutione exortum cum sua declaratione.

In Constitutione de Conservatoribus edita a San. Mem. Greg. XV. ex sententia Sac. Congregationis Concil. inter cætera statutum est, ut coram Conservatoribus Regulares conveniri quidem, aut trahi debeant, sed alios convenire, aut trahere non possint, ita ut memorati Conservatores in casibus, in quibus Regulares, et alii Actores fuerint, nullam prorsus Jurisdictionem habeant, sed in his tantum, in quibus Rei extiterint.

« Dubitatur nunc; An per hæc verba sublata sit facultas, quam habent Conservatores defendendi Regulares, et alios a manifestis injuriis, et violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum a suis possessionibus dejiciuntur, et propriis bonis uti, ac frui impediuntur.

« Sacra Congregatio Card. Concilii Trident. Interpretum censuit ejusmodi verbis minime sublatam fuisse facultatem, quam habent Conservatores defendendi Regulares a manifestis injuriis ac violentiis; dummodo observent formam præscriptam in Constitutionibus Innocentii IV. et Bonifacii VIII. relatis in cap. 1. et final. de offic. deleg. in sexto. »

Card. de Torres.

Prosper Fagnanus Sac. Congr. Secret.

Digitized by Google

(6. Eligendi in Conservatores debent esse dignitate Ecclesiastica constituti, textu expresso in cap. *Hoc Constitutione* 15. de offic. Delegati, et in dicta Constitutione Gregorii XV. § 2. (7. Unde Conservatores esse non possunt nisi Episcopi, aut eorum Superiores (id est Archiepiscopi, Patriarchæ, et Cardinales,) vel Abbates, seu dignitates, vel Personatus in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis obtinentes; ibid. (8. Aut Canonici Ecclesiarum Cathedralium existentes, ex cit. Const. Greg. XV, 2. ibi: « Vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant, » et cap. *Statutum* 11. de rescriptis. (9. Canonici autem Ecclesiæ Collegiatæ, quamvis sint eximii Doctores, nequeunt esse Conservatores, quia Conservatores ex citata Gregoriana debent esse Judices Synodales, et Canonici Ecclesiæ Collegiatæ non possunt eligi in judices Synodales, ut declaravit Sacra Congregatio Concil. in Alexandrina, ut refert Barbosa decis. Apostolicar. collectan. 90. n. 7. et d. Gregoriana expresse requirit quod sint Canonici Ecclesiarum Cathedralium. (10. Vicarius Generalis Episcopi potest eligi in Conservatorem Regularium; Sacra Congreg. Conc. 23. Octobr. 1623. (11. Sic etiam posse eligi Vicarium Capitularem Sede vacante tenent Ricc. variar. resol. tom. 2. resol. 349. num. 3. Monacell. tom. 1. in appendice ad formularium adnotat. ad Constit. Gregorii XV. incipient. *Sanctissimus* num. 17. et alii. (12. Regulares quavis dignitate Regulari fulgentes non posse eligi in Conservatores, respondit Sac. Congr. Episcopor. et Regul. Archiepiscopo Turritano 7. Septembr. 1617. ut refert Barbosa de Offic. et potest. Episcopi p. 3. alleg. 106. num. 15. (13. At Sacra Congreg. Concil. sub die 2. Martii 1619. censuit. « Abbatem Ordinis Olivetani posse eligi in Conservatorem si Episcopus in Synodo eum deputavit Judicem Synodalem, » ut refert Barbosa cit. et tenent Nidus de Conservatoribus cap. 3. particola 3. num. 18. cum Moneta, et Passerin. ibi cit. Barbosa Apostolicar. decis. collectan. 216. n. 15. Monacell. loc. cit. num. 17. et alii.

(14. Conservatores debent esse Judices Synodales Gregorius XV, in d. Constitut. incip. *Sanctissimus* § 2, ibi. « Sed etiam in Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis, juxta decretum Concilii prædicti, Judices electi seu designati sint. » (15. Dato autem quod non adsint Judices Synodales, possunt a Regularibus eligi non Judices, donec sit celebrata Synodus, et in ea Judices sint designati, et pluries declaravit Sac. Congreg. Concil. et signanter 7 Jun. 1623, 17 Aug. 1626, 23 Aug. 1627, et Sac. Congregat. Episcop. et Regul. die 4 Dec. 1671, decrevit dandam esse infrascriptam declarationem alias editam, et signanter ad instantiam Patrum Societatis Jesu, quam ad literam refert Fagnan. lib. 2 decr. in cap. *Si Clericus* 5, de Foro compet. num. 56, tenoris, ut sequitur.

(16. « Gregorius Papa XV, fel. rec. in sua Const. de Conservatoribus statuit et decrevit, ut in futurum a Regularibus eligi non possint in Conservatores nisi Judices in Conciliis Provincialibus, seu Diœcesanis designati, sub pœnis, et censuris in dicta Constitutione contentis.

« Quibus stantibus Patres Soc. Jesu, qui in Indiis, et aliis locis degunt, in quibus Archiepiscopi, seu Episcopi Synodum congregare non curant, vel si congregant, Judices Synodales non eligunt, supplicant humiliter DD. VV. Illustrissimis, ut dignentur declarare, si in tali casu possint uti privilegiis a Sancta sede Apostolica ante dictam Constitutionem concessis.

« Die 17 Aug. 1626. Sac. Cong. Illustris. Cardin. Conc. Trid. Interpretum censuit Episcopos quamprimum Diœcesanam Synodum omnino celebrare teneri, et interim in Civitatibus, et Diœcesibus, in quibus nulli Judices extant in Concil. Provinciali, aut Diœcesano designati, licere Regularibus, servata in reliquis forma Const. fel. rec. Greg. XV, hac de re editæ, Conservatores nominare habentes qualitates a jure requisitas. Quorum tamen Conservatorum facultas eo ipso expiret cum primum hujusmodi Synodus celebrata, in eaque Judices designati extiterint. »

(17. Conservatores debent eligi a Regularibus in unaquaque Diœcesi, in qua Monasteria, Conventus, seu domos Regulares habent, sic enim censuit Sacr. Congr. Concil. in Rossanensi 15 April. 1628, et in Lang'anensi 29 Januar. 1633, præcisis verbis, nempe « Regulares debent eligere Conservatores in singulis Diœcesibus, in quibus Monasteria, Conventus, seu Domus Regulares habent. » (18. Regulares licet ex d. Constit. Gregor. XV, sub § 6, fuerint adstricti ad sibi eligendos Conservatores infra duos menses in Italia, et extra Italiam infra sex menses a die publicationis in Urbe ipsius Constitutionis. (19. Tamen si Regulares, qui tempore sibi in dicta Constitutione Gregorii XV, præfixo Conservatores eligere non curaverunt, dicto tempore elapso, quandocumque his libuerit, Conservatores juxta formam dictæ Constit. eligere possunt, ut declaravit Sac. Congreg. Conc. 18 Septembris 1627, prout ex Sellio refert, et tenet Barbosa supra Concil. sess. 14, cap. 5, n. 9. (20. Electionis Conservatoris documentum est relinquendum penes Acta Curiæ Episcopalis, alias Regulares sunt conveniendi coram Ordinario loci: Sic dicta Gregoriana § 7. Et ad hoc tenentur ante exercitium suæ Jurisdictionis sub pœna nullitatis actuum, ut declaravit Sacra particularis Congregatio deputata ab Innocent. X, 16 April. 1648, in responsione ad tertium decimum propositum dubium conceptum, ut sequitur: « Tertio decimo, an Conservatores nominati, et electi a Regularibus præscriptis ante exercitium suæ Jurisdictionis teneantur electionis authenticum documentum exhibere coram Ordinario sub pœna nullitatis actuum? Respondit.... Ubique teneri, » et confirmavit ipse Innocent. X, 14 Maii 1648. Constitut. incip. *Cum sicut accepimus* (21. Conserva-

Digitized by Google

tores sunt eligendi ad præscriptum d. Constitutionis Gregorii XV, non obstantibus quibusvis privilegiis, utpote reductis ad terminos ipsius Constitutionis. Sic expresse d. specialis Congregatio deputata ab Innocentio X, in responsione ad quintum, et confirmavit ipse Innoc. X, in d. Const. incip. *Cum sicut accepimus*. (22. Regulares eligentes Conservatores non servata forma Gregorii XV, incurrunt ipso jure privationem vocis activæ, et passivæ, nec possunt rehabilitari nisi a Summo Pontifice, et eorum Conventus, et Monasteria, eorumque personæ carent Conservatore ad annum, et interim illorum causa, cognosci, et definiri possunt, et debent solum ab Ordinariis locorum; Sic expresse d. Gregoriana § 4.

(23. Conservatores Regularium possunt eligi, vel a Superioribus Generalibus, vel Provincialibus, vel localibus juxta Religionum consuetudinem; dicta enim Constitutio Gregoriana incip. *Sanctissimus* non specificat personas Regulares, quæ possunt, et debent Conservatores eligere, sed dicit indefinite *Regulares*, unde videtur relinquere electionem juxta probatas Religionum consuetudines, et speciales suas Constitutiones. (24. In iis tamen Religionibus, in quibus juxta suam consuetudinem, Constitutiones, et privilegia, solent Conservatores eligi per Superiores locales, debet intervenire etiam consensus Capituli, ut tenent Bordon. tom. 2. Conc. Regul. resolut. 95, num. 10. Passerin. in cap. *Hac Constitutione* q. unic. de Offic. delegat. in 6. num. 287. Petrus Martyr Urgeant. in Summar. Ordin. Prædicat. pag. 4, c. 4. Nidus de Conservatoribus c. 1, particulas num. 2, et alii, et colligitur ex Constitutione S. Pii V, incip. *Ad hoc nos Deus*, in qua de Conservatoribus in Ordine Prædicatorum eligendis sic dicit : « Per eosdem Fratres, seu Moniales, ac dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum Superiores, et Domorum Priores, et eorum singulos pro tempore eligendos in eorum, et dictorum eorumdem privilegiorum indultorum, concessionum, et gratiarum et singulorum aliorum præmissorum Conservatores, et Judices unicos, » etc. Quibus verbis modum eligendi Conservatores exprimit, ipsosque per superiores locales, una cum Fratribus, et respective Sororibus capitulariter congregatis eligendos esse demonstrat, ut observant Petrus Martyr Urgean. et Nidus loc. cit. (25. In Ordine autem Minorum de Observantia facultas eligendi Conservatores videtur restricta ad Provinciales, privative quoad Guardianos, seu Superiores locales ex Constitutionibus Generalibus Ordinis c. 12, § 21, disponentibus ut sequitur : « Provinciales itaque infra spatium sex mensium pro unoquoque loco Conservatores nominasse, et elegisse teneantur, ac debeant juxta Apostolicas Constitutiones, idque sane statuimus, et decernimus sub pœna privationis Officii negligentibus subeunda, » ex quibus verbis, et præcipue ex illis, pro unoquoque loco, deducitur privative quoad Guardianos, vel Superiores locales. (26. Et ubi adest similis Constitutio, et probata Consuetudo, quod eligantur per solos Provinciales, valida est electio etiam sine consensu Capituli, ut tradunt Confectius in collect. privileg. tit. 4. Urgeanus, et Nidus l. c. sub num. 7, et alii.

(27. Conservatores Regularium semel legitime electi, ac deputati, nisi ex legitima causa a Sede Apostolica, aut locorum Ordinariis prout eisdem Regularibus, et aliis prædictis libuerit approbanda, durante quinquennio a die deputationis, amoveri aut mutari nullatenus possunt; sic expresse d. Gregoriana incip. *Sanctissimus* § 8. (28. Causæ autem possunt esse inimicitia suborta, impotentia, negligentia, et omnes illæ, ob quas recusari potest Judex. (29. Regulares quinquennio elapso possunt alium Conservatorem libere sibi eligere, nam Pontificiæ Const. amotionem electi intra quinquennium dumtaxat prohibent; At si ad aliam electionem procedere minime curent, aut nolint, electus, etiam elapso quinquennio, adhuc in officio perseverat, usquequo alius eligatur; nec est necesse ipsum confirmare, vel reeligere, siquidem datus est ex vi privilegii perpetui. Nec quod Conservatoris officium post quinquennium spiret, nulla lege sancitum fuit; Concil. enim Trid. sess. 14, c. 5, de ref. dum Conservatoris officio quinquennium præscribit, de Regularium Conservatoribus non loquitur, ut observat Moneta de Conservatoribus cap. 10. num. 323. Flav. Cherubin. Roderic. et alii cum Nido de Conservatoribus cap 1, particula 9, num. 3, et ita etiam sensuit Sacra Congregatio ejusdem Concil. teste Joann. Franc. Leone in suo Thesauro for. Eccles. part. 3, cap. 39, num. 58. Imo Concilium Tridentinum loc. cit. expresse excipit Conservatorias Regularium præcisis his verbis : « Universitates autem generales, ac Collegia Doctorum, seu Scholarum, et Regularia loca, nec non hospitalia, actu hospitalitatem servantia, ac Universitatum, Collegiorum, locorum, et hospitalium hujusmodi personæ in præsenti Canone minime comprehensæ, [illegible] exemptæ omnino sint, et esse intelligantur. » (30. Conservatoris rite electi officium, et jurisdictio non expirat ex eo, quod postea desinat esse Judex Synodalis, sic decrevisse Sacram Congregationem Episcop. et Reg. refert Nicolius luc. Can. part. 2, tit. 29, sub. num. 11, v. *Censuit*.

(31. Ad rem hic adducitur novissima Constitutio Clement. XIII, merito consulenda et observanda.

Clemens Episcopus, etc., *ad perpetuam*, etc. Cum omnium quidem Ecclesiarum, tum earum præsertim, quæ in remotissimis regionibus sunt constitutæ, decet Apostolicam Sedem curam gerere. Fideles enim illic degentes, vel Ecclesiæ corpori recens inserti, vel undique Paganorum ritibus et superstitionibus circumdati, nisi novarum plantarum instar foveantur, irrigentur, diligenterque custodiantur, periculum est, ne paulatim arescant, in eisque fructum, quem optat, cœlestis Paterfamilias non adinveniat. Hinc Romani Pontifices Prædecessores nostri, quorum exemplum Nos quoque secuti su-

Digitized by Google

mus, in easdem Religiones Sæculares et Regulares Clericos bene multos, qui in agro Dominico operarentur mittendos curarunt. Sed infensissimus humani generis inimicus, qui inter frumentum zizaniam superseminare solet, discordiarum semina inter eorum aliquos spargere adeo consuevit, ut non raro sui muneris obliti, ac Apostolicæ legationis immemores, pro eo quod gentibus ac populis sedentibus in tenebris, et regione umbræ mortis fidei lucem ingerere, et ad veritatis agnitionem perducere curent, ipsi inter se levissimis de rebus maximas contentiones ineant: quod interdum eo usque protenditur, ut eodem temporis ac loci vestigio, quo Evangelium salutis afferunt, et pacem Christianam annunciant, quam Christus discipulis suis velut unicam hæreditatem testamento reliquit, eas ipsi turbas excitant, ut qui eis adhærent, pro partium studio etiam ad arma concurrant, ac manus inter se non sine bonorum omnium gemitu conferant. Id vero eo acerbius ferimus, quo eorum dissidia Catholicæ fidei propagationi summo esse impedimento propemodum videamus, atque in messe multa veros operarios adhuc paucos doleamus.

Dissidiorum causa ejusmodi est, quod dum e Regularibus nonnulli in vindicandis privilegiis toti occupantur, interim opus ministerii sui, in consummationem Sanctorum, et in ædificationem Corporis Christi, negligentes, interdum quod ore docent, ac verbis adstruunt, factis negare, ac manu destruere videantur.

Nuper siquidem non sine intimo cordis nostri dolore, accepimus, in Regno Tunkini in Indiis Orientalibus Regulares nonnullos, qui eodem ad Christi religionem propagandam missi sunt, sub obtentu conservandorum privilegiorum, quæ Regularibus eisdem ab Apostolica Sede concessa fuerunt, Conservatores judices, ut vocant, præter ordinem, et contra Apostolicarum Constitutionum spiritum ac mentes tales sibi delegisse, quos nec ipsa instituti sui ratio pateretur, quique eo temeritatis pervenerunt, ut in Apostolicos nostros Vicarios ibidem degentes, quorum auctoritatem, ut religiosos viros decet, revereri debuissent, maximo cum Christiani nominis apud Ethnicos ipsos dedecore, gravique cum perturbatione illarum Ecclesiarum, excommunicationis, et suspensionis, et interdicti sententiam ferre non dubitaverint.

De quibus omnibus cum a Vicario Apostolico ad Nos essent delatæ querelæ, requiem non habuit caro nostra, sed videntes tumultum in Domo Dei, in qua ne contentiones quidem Apostolus patitur, pro Summi Pastoratus officio duximus tanto malo validioribus remediis quantocius occurrendum. Ut vero cautius in re tanti momenti procederemus, Congregationem particularem nonnullorum S. R. E. Cardinalium, qui negotiis Propagandæ Fidei præpositi sunt, ad rem totam examinandam instituimus. Qui quidem examen diligenter aggressi, primo Dubium illud, an potuerit eligi in Conservatorem Superior Regularis temporarius, pro rei gravitate minime censuere statim ac protinus definiendum, sed reservato examine ac decisione ejusmodi dubii, inter cætera pro re nata declararunt, inhærendo Constitutionibus Apostolicis, et Decretis alias editis.

1. Quod denegata Regularibus, vel dilata facultas excipiendi Confessiones, sufficiens causa non fuerit eligendi sibi Conservatorem.

2. Quod proinde qui illum ea de causa elegerint Conservatorem, in excommunicationem inciderint ad formam c. fin. de offic. et potest. Judic. Deleg. in 6. speciatim confirmati in Constit. Greg. XV, quæ incip. *Sanctissimus*.

3. Quod electus hujusmodi Conservator sub pœna suspensionis a divinis, ipso facto incurrenda, a Conservatoris nomine, et officio omnino abstinere se debeat, nullis, ac nullius valoris declaratis omnibus huc usque ab eo actis, et deinceps forsan agendis.

4. Demum quod graviter moneantur Regulares omnes, ut in posterum remotis partium studiis, et proprii Ordinis commodis, ad animarum salutem unice invigilent, ne tandem Sedes Apostolica tot Episcoporum querelis fatigata, privilegia olim Regularibus concessa pro incremento Missionum, quæque nunc ad earumdem perniciem tendere cernuntur, revocare cogatur; atque ad hunc effectum, ne quis esse possit ignorantiæ locus, hujusmodi Decretorum exemplar Superioribus Generalibus respective intimetur, ut eorumdem observantiam et exsecutionem sollicite curent.

Quæ quidem omnia cum essent a Nobis auctoritate Apostolica confirmata, hoc tamen temporis intervallo in regionibus adeo dissitis discordiarum, et scandalorum incendium nec restingui, nec temperari potuit, immo multo etiam magis auctum, ac dilatatum est, adeo, ut graves querimoniæ ad Nos usque pervenerint, negata etiam fuisse in summo vitæ discrimine Sacramenta nonnullis eorum, qui Judicis Conservatoris judicio, et censuris non obtemperassent. Quibus ex causis haud diutius differendum Dubii huc usque suspensi decisionem rata dicta Congregatio, deductis hinc inde juribus, et re mature perpensa, ac præ oculis habitis Constitutionibus Apostolicis, tum et fere communi juris Canonici peritorum consensu, ac præsertim resolutione Congr. Episcoporum, ac Regularium negotiis præpositæ, quæ ab Episcopo Turritano consulta: « An Regulares unius Conventus, Monasterii, vel Domus aliquem Priorem, Guardianum, vel quemvis alium quavis Regulari dignitate fulgentem in suum Conservatorem eligere, vel deputare possint? » die 8. Octobris anni 1617, rescripsit: *Non posse*: his, aliisque similibus Decretis inhærens die 8. Martii currentis anni, tandem in hunc modum propositum Dubium resolvit; « Consulendum Sanctissimo, ut dignetur declarare superiores Regulares temporarios nullibi, et in nullo casu posse eligi in Conservatores: in partibus autem infidelium ex-

Digitized by Google

pedire, ut Conservatores omnino non eligantur.»

Hoc nobis relatum exhibitumque Decretum jam satis agnovimus quoad utramque partem Apostolicis Constitutionibus consentaneum, et congruum. Jamdudum enim prædecessores nostri Bonifacius VIII. in Constitutione quæ incipit: *Statutum;* Gregorius XV. in Constitutione quæ incipit: *Sanctissimus in Christo Pater;* et Innocentius X. in literis in forma Brevis, quæ incipiunt: *Alias a Nobis;* animadvertentes Regulares, aliosque, quibus ab Apostolica Sede generale, sive speciale privilegium concessum est, ut possint sibi Judices Conservatores eligere, sub ejusmodi privilegii prætextu Episcoporum, aliorumque Judicum ordinariam sive delegatam jurisdictionem perturbare, et electos Judices Conservatores suæ potestatis limites frequenter excedere, optimo sane consilio, dum privilegia ipsa sarta tecta esse voluerunt, certum tamen modum Judicum Conservatorum electioni, certosque fines eorumdem potestati imposuerunt, pœnis etiam adversus transgressores constitutis.

Horum igitur Summorum Pontificum Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, de consilio Congregationis particularis supra memoratæ nonnullorum S. R. E. Card., qui negotiis Propagandæ Fidei, præpositi sunt, videlicet Ven. F. Nostri Josephi S. R. E. Card. Spinelli Episcopi Ostiensis, et Sacri Collegii Decani, ac dilect. fil. nostrorum S. R. E. Cardinalium Stoppani, Gaili, Antonelli, et Columnæ de Sciarra; Motu proprio, ex certa scientia, et matura Nostra deliberatione, Nos in primis Constitutiones easdem Bonifacii VIII, et Gregorii XV, necnon Apostolicas Literas in forma Brevis Innocentii X. quarum tenorem hic pro inserto haberi volumus, cum singulis declarationibus in eisdem contentis innovamus, et confirmamus; ac easdem Constitutiones et Apostolicas Literas plenum robur, et firmitatem habere volumus, et mandamus.

Præterea, quoniam in iisdem Constitutionibus cautum est, ut ii dumtaxat in Judices Conservatores eligi possint, qui Dignitatem aut Personatum in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia obtinent, Nos eisdem Constitutionibus inhærentes statuimus et declaramus: non licere quibuscumque in locis Regularibus cujuscumque Ordinis, Monasterii, vel Congregationis, Mendicantibus, vel non Mendicantibus, etiam Societatis Jesu, aliisque quantumvis expresse, et speciatim nominare eos oporteat, cæterisque, quibus ab Apostolica Sede concessum est, ut Judices Conservatores sibi deligere possint, vigore cujuscumque privilegii, cui, quatenus opus sit, expresse derogamus, Præpositos Rectores, Provinciales, Definitores, Custodes, Priores, Præfectos, Vicarios, Visitatores aliosque quoscumque Superiores Regulares non perpetuos, sed temporarios proprii, vel alterius Ordinis in Judices Conservatores eligere, quos hac in parte, et ad hunc effectum in dignitate Ecclesiastica constitutos non esse, eorumdemque electionem, etiamsi fiat, servata in reliquis forma Constitutionis Gregorii XV. ipso jure irritam prorsus fore declaramus.

Tandem inhærentes alias decretis in Congregatione Generali de Propaganda Fide coram san. mem. Urbano VIII. habita die 3. Februarii anni 1640. et prospectis etiam periculis, et scandalis, quæ ex electione Judicum Conservatorum in partibus Infidelium, plerumque in animarum perniciem, et publicæ tranquillitatis, atque Ecclesiasticæ Pacis perturbationem emergunt, juxta Decretum præfatæ Congregationis auctoritate Apostolica denunciamus, Regulares, Mendicantes, et non Mendicantes, Monachos, et Clericos Regulares cujuscumque Congregationis, et Ordinis, etiam Societatis Jesu, aliosque quamvis expresse et speciatim nominare eos oporteat, privilegio sibi concesso eligendi Judices Conservatores, quousque in partibus infidelium degunt, ac Sacras Missiones exercent, nullo modo expedire, *ut utantur;* sed omnes et singulos in offensionibus, et causis, quæ ipsorum Ordines, ac privilegia tangunt, ut ad nos, et ad Apostolicam Sedem recurrant ut ab hac Ecclesia Ecclesiarum omnium Matre, et Magistra, cui nihil antiquius est, quam cuique sua jura servare, rectum judicium, ac remedium præstolentur.

Decernentes præsentes Nostras Literas, et in eis contenta quæcumque, licet Superiores quorumcumque Ordinum etiam Generales, vel Priores, itidem Generales seu Missionum, aut Missionarii ipsi, vel ab eis deputati, aut alii quicumque in præmissis ac circa præmissa interesse habentes, vel habere prætendentes ad hæc vocati, citati, vel auditi, sive causæ propter quas eædem præsentes emanarint, sufficienter adductæ, justificatæ, et verificatæ non fuerint, semper, et perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari: sicque, et non alias per quoscumque Judices Ordinarios; vel Delegatos, quavisque auctoritate fungentes, ac etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Nuntios, ac Vicarios Apostolicos, seu Visitatores quibusvis facultatibus munitos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Sixti V. favore Ordinum Mendicantium, et Pii V. ac Gregor. XIII. incip. *In supereminenti* favore Clericorum Regularium Societatis Jesu extra Europam existentium, ac quibusvis aliis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinum, et institutorum quorumcumque etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et consuetudinibus: Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis, etiam Mare Magnum, vel alias quomodolibet nuncupatis eisdem Ordinibus, et institutis, eorumque Superioribus, et Prælatis, ac Personis etiam

Digitized by Google

Missionariis in limine quoque, et actu primæ illorum expeditionis, ac subinde, et successive, etiam per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Sedem Apostolicam prædictam, et per Nos pariter quomodolibet concessis, confirmatis, et iteratis vicibus approbatis, et innovatis: Quibus, et aliis omnibus, quæ præsentibus quomodolibet obstare possent, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specifica, et expressa, ac individua, nec non de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorumque tenores pro plene, et sufficienter præsentibus expressis, et totaliter insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse, amplissime, et plenissime, nec non opportune, et valide derogamus, et derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem præsentes Nostræ Literæ ad omnium notitiam deducantur, neque aliquis earum ignorantiam prætendere, aut contra eas se excusare valeat; volumus, et mandamus earum exemplar Superioribus Generalibus Ordinum, Congregationum, et Institutorum prædictorum, seu illorum Procuratoribus Generalibus in Urbe existentibus, e quibus Missionarii quicumque exstiterint, a dicta Congregatione de Propaganda Fide tradi deberi. Quodque post traditionem hujusmodi omnes, et illos, quos concernunt, et concernent ut futurum, perinde, arctent, et afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent.

Volumus etiam, quod, etc.

Nulli ergo omnino, etc.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Septingentesimo Sexagesimo secundo, Nono Kalendas Maii, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(32. Quod ait Auctor *num.* 7, eligi in Conservatores posse Episcopos, Archiepiscopos, etc., id hodie pacificum haud est, si existant ea in Diœcesi Judices Synodales, idque quia Gregorius XV. (33. Constitutione sua incipien. *Sanctissimus*, demandavit, ut nonnisi Judices Synodales in Conservatores eligi queant; Vide S. M. Benedictum XIV, de Synod. Diœces. lib. 4, cap. 6, n. 4. (34. Deficientibus vero Judicibus Synodalibus non videtur dubitandum, quin eligi in Conservatores possint Episcopi, Archiepiscopi, etc., dummodo eligatur Episcopus in sua Diœcesi; Idem Summus Pontifex, ubi supra.

ADDITIONES CASINENSES.

(35. Conservator datur a solo Papa, etiam contra Laicos, etiam sine negligentia judicis laici; et non tantum Regularibus dari potest, sed etiam miserabilibus personis, Monet de conserv. *v.* 4, *n.* 15.

(36. A cœtu Cardinalium non potest dari conservator Papa vivente, nisi ille esset captus ab hostibus, vel alias inutilis factus. Ibidem.

(37. Nec dari potest a Legato etiam de Latere. Ibid., *num.* 6.

(38. Etiam principes sæculares possunt Ecclesiis vel Clericis conservatores dare, et ita contra Laicos et potentes tueri: *Monet. n.* 37, non tamen contra Clericos vel Ecclesias; quia Laici sunt incapaces jurisdictionis in illas. Idem., n. 42. *Bassil. c.*

(39. Certum esse videtur, a Regularibus in una Diœcesi existentibus in Conservatorem eligi non posse alterius diœcesis Episcoporum; ejusmodi enim electiones sæpius improbatas fuisse a sacra Congreg. Conc. testatur Monacellus, tom. 4, pag. 22, n. 222. Cumque denuo alieni Episcopi electio a Regularibus attentata fuerit eadem sacra Congregatio die 3 Aug. 1715. In *Nullius Altamuræ* iterum dixit, illam non sustinere. Thesaur. Resolut., t. 9, pag. 222. Bened. XIV, de Synod. Diœc. l. 4, c. 64.

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ concernunt Conservatorum officium, et Jurisdictionem.

(1. Conservatorum officium est defendere eos, quibus sunt concessi, a manifestis injuriis, molestiis, et violentiis, et in propriam rerum et jurium possessionem conservare, cap. *Statuimus* 1, de offic. delegat. in 6, et cap. *Hac constitutione* 15. eod. in 6. Unde Conservatores potissimum dantur Regularibus ad tuendum eorum personas, bona, et jura, sub quibus eorumdem continentur privilegia, exemptiones, et immunitates, ut notat Glossa fin. in d. c. *Statuimus;* Pignatell. tom. 10, consult. 96, n. 8, et alii passim. (2. Hinc Conservatores defendere possunt, et debent Regulares nedum in causis, in quibus ipsi Regulares rei existunt, ut videbatur innuere d. Constitutio Gregoriana incip. *Sanctissimus* sub. § 9. sed etiam in causis, in quibus Regulares actores exstiterint, si isti agendo petant, ut defendantur a manifestis injuriis, quæ de facto illis inferuntur, dum a suis possessionibus dejiciuntur, et propriis bonis frui, aut uti impediuntur, ut declaravit Sac. Cong. Conc. ad quam post dictam Gregorianam fuit habitus recursus, et propositum fuit ei sequens dubium: « An per allegata verba (id est d. Gregorianæ sub § 9.) sublata sit facultas, quam habent Conservatores defendendi Regulares, et alios a manifestis injuriis, et violentiis quæ illis de facto inferuntur, dum a suis possessionibus dejiciuntur, et propriis bonis frui, aut uti impediuntur.» Ad quod Sacr. Congregat. respondit ut sequitur: « Sac. Congr. Cardinalium Conc. Trident. Interpretum censuit ejusmodi verbis minime sublatam fuisse facultatem, quam habent Conservatores defendendi Regulares a manifestis injuriis, ac violentiis, dummodo observent formam præscriptam a Constit. Innocent IV et Bonif. VIII, relatis in c. 1. et fin. de offic. Delegat. in 6.»

Cosmus Cardinalis de Torres. loco ✠ Sigilli.

Digitized by Google

Prosper Fagnanus Sacr. Congregat. Secretarius.

Romæ, in Typographia R. Cameræ Apostolicæ 1624.

(3. Conservatores Regularium non nisi de manifestis injuriis, atque violentiis cognoscere possunt; c. *Statuimus* 1. de offic. Delegat. in 6, et cap. *Hac Constit.* 11, eod. in 6. (4. Injuria autem generaliter dicitur omne id quod non jure fit, *Inst. de injur. in princ.* et Canonistæ communiter *in cap. Statuimus;* quamobrem omne illud dicitur injuria, quo jus alterius offenditur, nec fieri potest nisi injuste. (5. Violentia vero est, cum quis vim alteri infert; Violentia enim superaddit injuriæ vim, sive impetum, ut notant communiter Doctores in c. *Si quis suadente* 17, q. 4. (6. Et tunc injuria, et violentia dicitur manifesta, quando ita notoria, et patens est, ut nulla probabili tergiversatione celari possit. (7. Conservatores Regularium non possunt cognoscere de iis, quæ Judicialem indaginem requirunt, textu expresso in d. c. *Statuimus* 1, de offic. Deleg. in 6, ibi: « Nec ad alia, quæ Judicialem indaginem exigunt, suam possint extendere potestatem. » (8. Indago autem judicialis est inquisitio, seu examinatio, quæ, Juris ordine servato, habetur in casibus dubiis ad veritatem inveniendam, necnon justum, rectumque proferendum judicium; Glossa in d. c. *Statuimus*, verb. *indaginem*, et ibid. Canonistæ communiter : quoniam indagare, ex quo indaginis nomen deducitur, est diligenter inquirere, ac scrutinari, ut recte notat Moneta de Conservator., c. 7, n. 76, et alii passim. (9. Unde Conservatores si de aliis, quam de manifestis injuriis, et violentiis cognoscere præsumpserint, seu ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, suam extenderint potestatem, eo ipso pœnam suspensionis ab officio per annum incurrunt, et pars, quæ hoc fieri procuraverit, incurrit sententiam excommunicationis, textu expresso in d. c. *Hac Const.* 15, de offic. Deleg. in 6, ibi : « Decernimus, ut si de aliis, quam de manifestis injuriis, et violentiis scienter se intromiserint, seu ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, suam extenderint potestatem; eo ipso per unum annum ab officio sint suspensi; pars vero, quæ hoc fieri procurabit, sententiam excommunicationis incurrat, a qua non possit absolvi, nisi ei, quem sic fatigavit indebite, primo satisfaciat integraliter de expensis. » Et sic etiam expresse habetur in d. Constitut. Gregoriana incip. *Sanctissimus*, § 11.

(10. Possunt tamen Regularium Conservatores in cognitione violentiarum et injuriarum manifestarum adhibere indaginem illam judicialem, quæ in notoriis adhiberi solet; Sic Canonistæ communiter in d. c. *Statuimus* 1, de offic. delegat. in 6. Causæ enim in notoriis, manifestisque injuriis, ac violentiis absque indagine aliqua sæpe expediri nequeunt; quando autem jurisdictio aliqua committitur, omnia illa, sine quibus explicari nequit, demandata censentur; l. 2. ff. de jurisd. omn. Judic. cap. *Præterea* 5. et c. *Suspicioni* 39, de offic. et potest. Jud. Delegat. Quomodo enim Judex Conservator delinquentes in notoriis, manifestisque injuriis, punire posset, nisi eos citare, citatos, ac contumaces in expensis condemnare posset? In casu igitur, quo injuria notoria negetur, et ex negatione res sub dubio remaneat, nec clare de notorietate appareat, tunc poterit Conservator ante omnia summarie examinare, an violentia, seu injuria, de qua agitur, notoria fuerit, et probationes recipere ad videndum, an suæ sit jurisdictionis, et si jam notoriam repererit, procedat, alias desistat, quia non habet jurisdictionem defendendi injurias, et violentias simpliciter, sed solum qualificatas notorietate; Glossa et Canonistæ communiter in dict. c. *Statuimus*, Moneta, de Conservatorib., c. 7, a n. 82. Barbosa, de offic. et potest. Episcop. part. 3, allegat. 106, num. 20. aliique passim. (11. Quando reus fatetur injuriam, seu violentiam, et qualitatem ipsius fuisse notoriam, tunc Conservator potest statim procedere, absque ulla examinatione de notorietate, quia sive in rei veritate injuria fuerit notoria, sive non, semper processus validus erit, nam sufficit partis confessio, ut per illam injuria dicatur notoria, et de notorietate appareat, licet aliter illa non probetur juxta reg. text. in c. *Vestra* 7, ubi Glossa verb. Non diffitetur; et c. *Quæsitum*, 10, de cohabitat. Cler. et cap. *Cum olim* 24. de verbor. significat. cum multis, de quibus Mascard. de probationib. concl. 1107, n. 2. Farinac, in praxi Criminal., tom. 1. qu. num. 31, 32. Barbosa, loc. cit. n. 21. Moneta, l. c. n. 150. Passerin. et alii passim.

(12. Conservatores Regulares suæ curæ commissos defendere possunt nedum ab injuriis, et violentiis illatis, sed etiam a probabiliter inferendis Glossa in d. c. *Statuimus* verb. *Descendere*, et ibi Monachus, n. 5. Franch. n. 7. Domin. n. 13. Joan. Andr. et alii Canonistæ; Silvester, verb. *Conservator*, n. 3. Lezana, n. 23. Azorius, tom. 2. lib. 5. c. 31. qu. 9. Miranda, tom. 2, manual. q. 47, art. 7. conclus. 4. Barbosa, l. cit. n. 34. Molina, tom. 6, quæst. 29, num. 2. et alii passim. (13. Immo Conservatores Regularium possunt ipsos defendere a violentiis, seu injuriis inferendis non solum aliis modis, sed etiam proferendo generalem excommunicationis sententiam in eos, qui illas fecerint, vel commiserint, dicendo v. g. Excommunico omnes, qui talem Conventum, vel Domum Regularem violenter cum armis intraverint, vel aliquod notabile damnum, et notoriam injuriam, seu violentiam ipsis Regularibus locis, et personis attulerint; Glossa in d. c. *Statuimus*, verb. *Defendere*, et ibi Franc. n. 6, et omnes supra citati, et colligitur ex reg. text. in c. *A nobis* 21, de sentent. excomm. ibi : « Quisquis furtum fecerit »; et c. *Dilecto* 6. eod. tit. in 6. cum traditis a Covarruv. cap. *Alma Mater*, q. 1, § 10, num. 1. Guttier. Canon. lib. 1. cap. 6, num. 20. Suar. tom. 5, de censur. disput. 3, sect. 4, a num. 4. Nid. de Conservatoribus, c. 3, particula 1, num. 27, et sequent. Barb. loc. cit. n. 34, et alii, qui solide probant posse Judices Ecclesia-

Digitized by Google

sticos, ubi aliquod grave crimen probabilibus conjecturis committi timetur, ad illud impediendum, caute generalem pronunciare excommunicationem in eos, qui illud commiserint. (14. Nec obstat prohibitio expressa in c. *Romana* 5. de sent. excomm. in 6, § *caveant*, ratione cujus videtur talem generalem excommunicationem hodie ferri non posse. Non obstat, inquam, quia prohibitio, seu potius admonitio illius textus locum non habet, ubi juxta intervenit causa, sicuti aperte, et expresse declarat idem textus in versic. *Nisi*, etc., ibi, *aut alia rationabilis causa subsit*; quæ justa causa revera manifeste intervenit, ubi violentia inferenda timetur, cui Conservator intendit accurrere, ut bene agnoscunt Monachus in d. cap. *Statuimus*, num. 5. Guttier. Canon. lib. 1, c. 4, n. 20. Suarez, d. sec. a n. 4. Sayr de censuris, l. 1, c. 9, a n. 28. Barbosa, loc. cit. n. 35.

(15. Conservatores Regularium possunt per censuras Ecclesiasticas, aliaque juris remedia procedere contra Episcopos, aliosque judices ipsorum officium impedientes; Moneta de Conservatoribus cap. 8. n. 245. Barb. loc. cit. num. 37. Nidus de Conservat. cap. 8. partic. 4. Passerinus et alii. Et deducitur clare ex cap. *Quia Pontificali* 2. de offic. delegat. in 6. ibi : « Ut cum a Judicibus, vel Conservatoribus a Sede Apostolica deputatis contra eos ad coactiones aliquas, sive pœnas fuerit procedendum, gradus, et modestia in hujusmodi processu servetur; » quibus verbis manifeste supponitur, Conservatores agere, et procedere posse contra etiam Episcopos; et ex Clementina unica de excessibus Prælatorum, ubi inter alios excessus, etiam iste enumeratur, ibi : « Processus juste factos, seu sententias juste latas a Delegatis Sedis Apostolicæ, vel a Conservatoribus pro exemptis, publicari, seu executioni mandari, a suis subditis non permittunt; » ubi Gloss. expresse dicit : « Per hoc possunt a Delegatis, vel Conservatoribus puniri, cum illorum jurisdictionem impediant; de offic. delegat. cap. 1 » (16. Licet autem Conservatores Regularium ex adductis juribus facultatem habeant procedendi per Censuras Ecclesiasticas etiam contra Episcopos, et nonnulli Regulares specialibus super hoc Sedis Apostolicæ privilegiis sint moniti, ut Religiosi Societatis Jesu ex Constit. Gregorio XIII. incip. *Æquum reputamus* § 3. tamen quia in his coactionibus, et pœnis Pontificali Dignitati plurimum deferendum est; cap. *Sane* 11. c. *Pastoralis* 27. de offic. et potest. Judic. Delegati; cap. Quia Pontificali 2. eod. in 6. et c. *Quia periculosum* 4. de sententia excommunicationis in 6. æquum est ut Conservatores non de facili et præcipitanter contra Episcopos sententiam excommunicationis proferant, sed si contingat Conservatores procedere contra ipsos, ac contra eos ferre Censuram, debent modestiam, et reverentiam debitam adhibere, et servare ordinem præscriptum in dicto cap. *Quia Pontificali*, quod scilicet *Primo*, a Conservatoribus interdicatur Episcopis ingressus in Ecclesiam, vel Sacerdotale officium. *Secundo*, ut suspendantur ab officio. *Tertio*, contra eos Ecclesiastica censura aggravetur, nisi forte aliud fieri suaserit nimiæ contumaciæ protervitas, ut patet ex præcisis verbis d. c. *Quia Pontificali* ibi : « Quia Pontificali dignitate præditis ob reverentiam sacri officii quod exercetur, plurimum deferre convenit, et eos plus aliis honorari decet; Ut cum a Judicibus, vel Conservatoribus a Sede Apostolica contra eos ad coactiones aliquas, seu pœnas fuerit procedendum, gradus, et modestia in hujusmodi processu servetur; Ita quod (eis condigna quadam reverentia supportatis) ingressus primo ipsis Ecclesiæ, vel Sacerdotale interdicatur ministerium, ac deinde ab officio suspendantur; subsequenter aggravetur censura Ecclesiastica contra eos; » quæ ultima verba exponens Glossa inquit, « quia scilicet, injurias, et contumeliosa verba Episcopus in Judicem profert. » (17. Hinc juvat adducere resolutionem Sacræ Cong. Conc. in Januen. 30. Februar. 1723. in qua propositis tribus sequentibus dubiis.

« 1. An Conservator Ven. Collegii PP. Societatis Jesu Civitatis Januæ, tam in casibus, quam extra casus manifestæ violentiæ, vel injuriæ possit procedere, sive PP. Societatis sint Actores, sive Rei?

« 2. An pendente aliqua Lite coram Ordinario Metropolitano semel introducta cum PP. Societatis Jesu post eorum consensum in Jurisdictionem, liceat eisdem convolare ad Judicem Conservatorem?

« 3. An supradicta causa Litis jam introductæ, ut supra inhibitio Conservatoris, si quæ fiat Ordinario, et parti, illiusque successiva decr. annullativa Actorum ab Ordinario post d. inhibitionem factorum, sit attendenda?

« Ad 1. responsum fuit, Affirmative, in casibus tantum manifestæ violentiæ, et injuriæ, et quando PP. sunt Rei.

« Ad 2. vero et 3. Negative. »

(18. In dubiis de jurisdictione inter Episcopos et Conservatores suspendendus est processus, et non potest ultra procedi in causa, sed eligendi sunt Arbitri, qui controversiam decidant, text. expresso in Concilio Trident. sess. 14. cap. 5. de reform. et expresse etiam in d. Gregoriana incip. *Sanctissimus* § 10. ibi : « si qua vero intra Judices Conservatores hujusmodi, et locorum Ordinarios controversia super competentia jurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma juris electos super jurisdictionis competentia fuerit judicatum. » Et sic Barbosa de offic. et potestat. Episcop. pag. 3. alleg. 106. num. 27. et alii communiter. (19. Quando controversia est super competentia jurisdictionis, et sub hoc prætextu Episcopus conservatorem impedit, non potest Conservator procedere contra Episcopum per Censuras, quia ex Trid. et d. Gregoriana mox citata non potest tunc ultra procedi in causa, donec per Arbitros in forma juris electos sit controversia decisa; Pasqual. ad Laur. de Franch. num. 833. Barbastren in

Digitized by Google

Pastor. p. p. claus. 10. Nidus de Conservator. cap. 8. partic. 6. num. 2. cum Passerino num. 130. et alii communiter. (20. In necessitate autem, quando partes non conveniunt in Arbitrorum electione, vel alias nequit per Arbitros concorditer controversia competentia jurisdictionis terminari; eligendus est tertius Arbiter, cum quo in certum breve tempus super jurisdictione controversiam terminare procurent; cap. *Suspicionis* 39. de offic. et potest. Judic. delegat. c. *cum Speciali* 41. de appellat. in 6. Et sic. Cevall. tom. 4. q. 897. n. 777. Passerin. num. 244. Nid. loc. cit. n. 6. et alii passim. (21. Sic etiam si Conservator Regularium recusetur ut suspectus, prout recusari posse, etiam in notoriis probat textus in c. Quod suspecti 15. caus. 3. q. 5. ibi: « Et si manifesta sibi officiant crimina; » ubi Glossa, inquit, arg. *Quod in notorio crimine, etiam Judex recusatur;* et cap. *Judex* 5, de offic. delegat. in 6. et tradit. Barb. l. c. num. 32. cum pluribus aliis; tunc ipse Conservator recusatus poterit partes compellere ad eligendos Arbitros; coram quibus causa recusationis probetur, et decidatur, assignabitque eisdem arbitris terminum competentem, intra quem causam recusationis determinent, compelletque ipsos Arbitros, ut advocent sibi tertium, si ipsi discordes fuerint, ut probatur in d. c. *Suspicionis;* c. *Cum speciali*, et c. *Legitima* sub num. 20. cit.

(22. Conservatores Regularium non tenentur uti Notario Curiæ Episcopalis, sed possunt assumere quemcumque Notarium sibi benevisum; Nidus loc. cit. cap. 10 particul. 1. num. 10. cum Passerin. n. 52. et Cesped. dub. 318. num. 12. ex Peyrino, quod est commune omnibus Delegatis, et sic etiam Card. de Luca de jurisd. disc. 4. num. 14. ubi post num. 2. refert decretum Sac. Congreg. Concilii emanatum in una Faventina 17. Decembr. 1667. (23. Conservatores Regularium possunt vices suas aliis committere, et in totum alium subdelegare, et substituere, Moneta de Conservatorib. cap. 7. n. 58. Nidus. l. c. cap. 2. partic. 4. num. 2. et sequent. et cap. 11. particul. 1. num. 1. Miranda tom. 2. q. 47. art. 3. Tamburin. tom. 3. disp. 17. q. 1. num. 6. Lezana part. 2. cap. 10. n. 26. Confect. in summar. privileg. mendicant. tit. 4. cap. 7. Candid. Brugnol. tom. 4, c. 19. num. 13. Rodericus q. 65. art. 18. Sorbus in compend. verb. *Conservator*. Fagnan. in cap. *Si Clericus de for. competent.* num. 42. Bordon. resolut. 95. num. 9. Passerin. num. 78. Peyrin. n. 5. et alii contra Donatum, Antonell. et alios. (24. Et hæc nostra conclusio habetur ex dict. Constitutione Gregorii XV. incip. *Sanctissimus* § 2. ubi expresse dicitur, « Conservatores hujusmodi sive principales, sive subrogati, » etc. et § 11. ubi innovat Constitutionem Bonifacii VIII. incip. *Hac Constitutione* ibi: « Juxta formam alterius Constitutionis ejusdem Bonifacii Prædecessoris quæ incipit: Hac Constitutione, quam Sanctitas sua in omnibus, quæ præsenti Constitutioni non adversantur, innovavit, et innovat; » In dicta autem Constitutione Bonifacii VIII. cap. *Hac Constitut.* 15. de offic. deleg. in 6. habetur quod Conservatores subdelegare possint, si hoc sit eis ex beneficio literarum Apostolicarum concessum, ut patet ex verbis ipsis, quæ adversarii pro se adducunt ibi: « Vices quoque suas (citationibus, sententiarum denunciationibus dumtaxat exceptis, quas per alios valeant exercere) nulli alii committere possint, nisi hoc eis competierit ex beneplacito literarum, » ubi nota hæc ultima verba; Atqui Regularium Conservatores privilegium istud subdelegandi habent a variis Summis Pontificibus, et signanter a S. Pio V. Constitutione incip. *Ad hoc nos Deus*, ibi: « Discretioni vestræ per præsentes mandamus quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium, etiamsi sint extra loca, in quibus, estis deputati Conservatores et Judices, » et a Gregorio XV. d. Constit. incip. Sanctissimus per illa jam adducta verba: *Conservatores hujusmodi, sive principales, sive subrogati;* ergo stat clarum posse Conservatores Regularium etiam in totum subdelegare, vel alium substituere; non enim in d. Constitutione Bonifacii VIII. relata in cap. *Hac Constitutione* 15. de offic. delegati in 6. cui tam fidunt adversarii, prohibetur absolute omnibus Conservatoribus subdelegatio, sed illis dumtaxat, qui subdelegandi privilegium non habent ex literis Apostolicis, inter quos non comprehenduntur Regularium Conservatores, qui tale privilegium habent ex variis Pontificiis concessionibus, ut supra fuit ostensum.

(25 Subconservatores, seu subdelegati, et substituti a Conservatoribus debent habere omnes qualitates ad Conservatores requisitas: c. *Hac Constitutione* 15. de offic. delegat. in 6. ibi: « Sed tunc, nisi intra Civitates, seu Diœceses, in quibus fuerint deputati, et personis tantum, quæ superius sunt expressæ. » Et idem statuitur in d. Gregoriana incip. *Sanctissimus* § 2, ibi: « Statuit, et decrevit, ut Judices Conservatores hujusmodi, sive Principales, sive subrogati, eligi, nominari, aut deputari non possint, nisi non solum habeant qualitates requisitas, » etc. Et sic tenent Fermosin. in c. *Si Clericus*, de foro comp. quæst. 12, n. 460. Fagnan., ib. n. 42. Moneta de Conservatorib. c. 7, n. 65. Tamburin. tom. 3, disp. 17, qu. 1, n. 6. Nidus, loc. cit. c. 11, partic. 1, n. 2. Lezana, n. 26. Peyrin. ad d. Constitut. Gregorii XV, n. 5. Passerin. n. 79. Candid. Brugn., loc. cit., et alii. Et ratio est, quia subdelegatus debet esse ejusdem qualitatis, ac conditionis, cujus est delegatus, ac talis, cui possit delegari; cap. *Statutum* 11, § *in nullo*, de rescript. in 6. Glossa, in cap. *Hac Constitutione* 15, de offic. delegati in 6, § *vices quoque*. Unde Conservatores non possunt vices suas committere in casibus, in quibus subdelegare possunt, nisi personis illis, quæ in Conservatores eligi possent, et de quibus abunde fuit dictum articul. 1, a num. 6 usque ad num. 16. (26. Conservatores, qui aliis vices suas subdelegarunt,

Digitized by Google

possunt ab ipsis subdelegatis causam ad se avocare; dummodo tamen jurisdictio revocetur a subdelegatis, ante quam ipsi subdelegati jurisdictione eadem uti cœperint; c. *Quamvis* 6, de offic. delegati in 6. Et dicuntur hac uti cœpisse per solam citationem; Glossa, in dict. cap. *Quamvis* 6, de offic. delegat. in 6. Nidus, l. cit., cap. 11, particul. 1, num. 6. Moneta, loc. cit., cap. 10, n. 56, et alii. (27. Officium subdelegati, seu Subconservatoris expirat per mortem naturalem Conservatoris, l. *Et quia*, § *ideoque*, de jurisdict. omn. Judic. ubi generaliter dicitur, quod si is, qui mandavit jurisdictionem, decesserit, antequam res ab eo, cui mandata est jurisdictio, geri cœperit, mandatum solvitur, et ratio est, quia jurisdictio non transit efficaciter in delegatum, aut subdelegatum, sed manet penes delegantem, vel subdelegantem; cap. *Quamvis* 6, de offic. delegat., in 6. Glossa, ib. verb. *efficaciter*. Nid., loc. cit., num. 11, et alii passim. (28. Et hæc ratio locum habet etiam in morte civili, vel quia officium ipsius terminet per lapsum temporis præfixi, vel quia Conservator privatus sit tali officio, quia jurisdictio Subdelegati, seu Subconservatoris est accessoria, ideoque corruit corruente principali; arg. cit., c. *Quamvis*, et Glossa, ib. Moneta, loc. cit., cap. 10. n. 26. Nid., loc. cit., num. 11 et 12, et alii. (29. Per excommunicationem autem, vel suspensionem Conservatoris, vel etiam ipsius subdelegati, vel subconservatoris, non expirat in Subdelegato, seu Subconservatore jurisdictio: sed solum suspenditur, donec Conservator, vel Subconservator absolvatur; Moneta, loc. cit., n. 384. Nid., loc. cit., n, 13, et alii.

(30. Notorius debitor Regularium coram eorum Conservatore conveniri potest; Moneta de Conservatorib., c. 7, n. 268. Portel., in dub. Regul. verb. *Conservator*; Roderic., t. 1, q. 65, art. 12. Diana, in opere Coord., p. 19, tract. 2, resol. 270. Peyrin., ad Constitut. 5, Greg. XV, § 6, n. 50. Nid., de Conservator. c. 4, particul. 3, n. 1. Lezana, loc. cit., num. 63. Passerin., n. 133, et alii passim. (31. Et ratio est, quia debitor notorius solvere nolens Regularibus injuriam manifestam facit, injuria enim est omne damnum culpa illatum; l. prim. ff. de injur. et Conservatores Regularium sunt præcipue eis concessi ad ipsos defendendos a manifestis injuriis; cap. *Statuimus* 1, et cap. *Hac Constitutione* 15, de offic. delegat, in 6, et gaudent facultate defendendi Regulares a manifestis injuriis, et violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum a suis possessionibus dejiciuntur, propriisque bonis frui, vel uti impediuntur, ex Decreto Sacræ Congreg. Concil. relato supra sub n. 2, adeoque possunt procedere contra notorios debitores Regularium. (32. Tunc autem esset debitum notorium, si debitor fateretur debitum, et negaret se solvere velle, vel si debitum per instrumentum, ac testes omni exceptione majores constaret, etiamsi a debitore negaretur; in præsenti enim injuria, nedum sumitur pro contumelia, vel convitio, sed pro omni eo, quod sit contra jus, et est in damnum Monasterii; Instit. de injur. in princip. et Canonistæ communiter in d. c. *Statuimus*; quia omne illud dicitur injuria, quo jus alterius offenditur, nec fieri potest nisi injuste; Joan. de la Crux, de stat. Rel. l. 2, c. 10, dub. 5, concl. 2. Diana, et Nid. l. c., et alii. (33. Quando Regulares sunt debitores Laicis, vel Clericis sæcularibus, non possunt conveniri coram Ordinario, sed conveniendi sunt coram suo Superiore, vel Conservatore; Guttier, lib. 3, pract., c. 10. Fermosin., in c. *Si Clericus*, q. 12, n. 40, de foro compet. Bordon., resolut. 95, num. 20. Cevall., de commun. contra communes quæst. 897, n. 813. Passerin., num. 133. Nid., c. 4, partic. 4, n. 3, et alii. (34. Dispositio enim Constitutionis Innocentii V, incip. *Volentes*, editæ in Generali Concilio Lugdunensi, et Conc. Trident. sess. 7, cap. 14, quæ fundamentum præbere videtur opinantibus in contrarium, non comprehendit Regulares, ideoque juxta eorum privilegia coram suis Superioribus, vel Conservatoribus sunt conveniendi, ut testatur resolutum a Sacra Cong. Concilii. Aldrete in alleg. pro omnimoda Regul. exemptione, p. 1, c. 7, num. 2, et Barbosa, super Trident. sess. 7, cap. 14, n. 2, et de offic. et potest. Episcop., p. 3, alleg. 105. n. 23, his verbis: « Sac. Card. Congreg. Concil. Trident. interpretum declaravit, neque constitutione in Generali Lugdunensi edita, quæ incipit *Volentes*, neque Decreto ejusdem Concilii sess. 7. de reform., c. 14, comprehendi Regulares, ideoque juxta eorum privilegia coram suis Superioribus, vel Conservatoribus esse conveniendos. » (35. Et sic Regulares pro contractibus, vel debitis, si intra Monasteria maneant, conveniendi sunt coram suis Superioribus, vel Conservatoribus, non autem coram Ordinariis, aut alibi. Ita fuisse decisum a Sacra Congregatione Concilii refert Narbona, leg. 59, gloss. 1, num. 230, tit. 4, l. 2. Recopilat. et Barbosa, super Trident. sess. 7. cap. 14, num. 2. Ordinariis enim conceditur jurisdictio conveniendi coram se Regulares solum quando ipsi Regulares Judicem Conservatorem non habent; ut in pœnam post Gregor. XIII, statuit Gregorius XV. Constitutione incip. *Sanctissimus* § 7, contra ipsos Regulares, qui Conservatorem non elegerunt, ut coram Ordinariis conveniri debeant; et censuit Sacra particularis Congregatio deputata ab Innocentio X. 16 Aprilis 1648, ad sextum dubium, conceptum his verbis: Sexto: An Regulares prædicti gravati ære alieno, vel ad ratiocinia, vel testamentorum exsecutores possint conveniri coram Ordinario, si Conservatores non nominaverint intra tempus habile ab Ordinario præscriptum? « Respondit: Regulares in Causis præfatis coram Ordinario loci esse conveniendos, si ad præscriptum Constitut. San. mem. Greg. Conservatores non elegerint, ipsumque electionis documentum intra præfinitum tempus in actis Curiæ ipsius Ordinarii non exhibuerint. » et confirmavit ipse Innocentius X. 14 Maii 1648. Constitut. incip. *Cum sicut accepimus*.

Digitized by Google

(36. Conservatores Regularium cognoscere possunt de injuriis factis servis, familiaribus, Syndicis, et Procuratoribus ipsorum, in quantum talibus reduplicative; ut colligitur ex variis Constitutionibus Pontificiis pro concessione Conservatorum Regularium editis, et signanter ex Constitut. S. Pii V, incip. *Ad hoc nos Deus*, in qua concessit Conservatoribus a Dominicanis electis, ut possint procedere « adversus inferentes eis, aut eorum Procuratoribus, agentibus servitoribus, et familiaribus in præmissis, et eorumdem aliquo molestias, injurias, gravamina, » etc., quæ concessio si intelligatur de injuriis, ac violentis manifestis, non videtur sublata per d. Gregorianam incip. *Sanctissimus*; non enim adduci potest Clausula aliqua d. Gregorianæ derogatoria Piani privilegii, ut eam legenti patet; Item ex constitutione Clementis VII, incip. *Dum consideramus*, pro Minoribus de Observantia edita, ubi sic præcise statuit : « Ut in quibusvis causis, et rebus ipsos Syndicum et Procuratores concernentibus, civilibus, criminalibus, et mixtis, nonnisi coram Judicibus Conservatoribus Domorum illarum, quarum ipse Syndicus, et Procurator fuerit, de justitia respondere teneatur. » Quæ constitutio Clement VII, quantum ad Syndicos, et Procuratores, una cum variis S. C. C. decretis fuit confirmata ab Innoc. XI, 19 Junii 1686, Constitut. incip. *Alias pro parte*. Et sic tenent Passerin., in cap. *Hac Constitutione* 15, de offic. delegat. in 6, num 177. Roderic. tom. 1, q. 65, art. 17 et tom. 3, q. 39, art. 4. Portell., in verb. *Syndicus*, num. 5. Casarub., in compend. privileg. verb. *Procuratores Fratrum*, n. 13. Lezana, p. 2, cap. 10, a n. 65. Anton. a Spiritu Sancto in direct. Regul. tom. 1, disp. 1, sect. 4, n. 219. Villalobos, part. 2. tract. 35. diff. 6, n. 9. Nidus, loc. cit., cap. 5, partic. 4, n. 1 et 10, et alii passim. (37. Et hujusmodi privilegia respectu injuriarum, quæ fiunt servis, familiaribus, Syndicis et Procuratoribus, in quantum talibus reduplicative, certum est non esse abrogata, quia non continent nisi id, quod est de jure communi decernente, quod injuria facta servo, familiari, aut cuique in principalem redundet; qua de causa Conservator Ecclesiæ cognoscere potest, cum injuria servis Ecclesiarum illata, Ecclesiis ipsis irrogetur; c. *Ecclesiarum Servos* 69, caus. 12. quæst. 2, cap. *Nullus Judicum* 2, de foro compet. quod est generaliter verum, quotiescumque causa injuriæ servi Dominum respicit; Nidus, l. c. num. 11. Passerin., l. c. n. 173, et apud ipsum Farinac. p. 3, prax. q. 105, inspect. 6, et alii.

(38. Regulares quicumque in casu, quo Episcopus præcipiat decreta aliqua Concilii Tridentini ab ipsis observari, non possunt eligere Conservatores sub prætextu, quod hujusmodi præcepta infringant sua privilegia. Sic expresse censuit Sacra particularis Congregatio deputata ad primum dubium conceptum his verbis : Primo, an in casu quo Episcopus præcipiat Decreta aliqua Concilii Tridentini a Regularibus observari, et exsecutioni demandari, Regulares quicumque, etiam Societatis Jesu, sub prætextu, quod hujusmodi præcepta infringant sua privilegia, possint eligere Conservatores? « Congregatio respondit, si Episcopus præcipiat, Regularibus etiam Soc. Jesu, ut Decreta aliqua Conc. Tridentini observent, ac exsequantur, illis casibus, in quibus per ipsum Concilium, vel Constitutiones Apostolicas, Regulares exemplis subjiciuntur jurisdictioni Episcopi, minime licere ipsis Regularibus ob eam causam Conservatores eligere. » Nec Regularibus possunt Conservatores Judices assignare, quando Ordinarius procedit juris ordine servato adversus Regulares in casibus, in quibus per Concilium, vel Constitutiones Apostolicas ipsi subjiciuntur, ut in terminis censuit dicta deputata particularis Congregatio in responsione ad secundum dubium conceptum ut sequitur : Secundo, (39. An quando Ordinarius procedit juris ordine servato adversus Regulares prædictos in casibus in quibus per Concilium, vel Constitutiones Apostolicas ipsi subjiciuntur, possint Conservatores Judices assignare? Respondit, *ut ad proximum, non posse*. Quod utrumcumque decretum fuit confirmatum cum variis aliis ab Innoc. X, 14 Maii ejusdem anni 1648. Constit. incip. *Cum sicut accepimus*. (40. Conservatores, quando sunt Presbyteri sæculares tam in civilibus, quam criminalibus, seu mixtis subjiciuntur loci Ordinario, ut absolute respondit Sacra Congregat. Concil., in Faventina, 17 Decemb. 1667, ad quartum, apud Cardinal. d. Luca, de jurisdictione disc. 4, num. 2.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(41. De Conservatoribus anno 1743. integrum tractatum edidit. P. Petrus Maria Forti Societatis Jesu. « At non multum (inquit S. M. Benedictus XIV. de Synod. Diœcesan. lib. 4, c. 6, n. 4.) huic Auctori fidendum est, quoniam multis in locis, sed præsertim artic. 21 Judicum Conservatorum jurisdictionem ultra limites protendit a Sacris Urbis Congregationibus eisdem præscriptos. »

CONSTITUTIO *Unigenitus*.

SUMMARIUM.

1. Constitutioni *Unigenitus* publice refragantibus veluti publicis peccatoribus Viaticum denegatur. — 2. Quinam publici refractarii tenendi. — 3. 4. In re dubia quam regulam sequi debeant Sacramentorum Ministri. — 5. Quibus causis edita Constitutio hæc fuerit, quantaque maturitate excussæ propositiones in ea damnatæ. — 6. Calumnia de sententiis SS. Augustini, et Thomæ in Constitutione *Unigenitus* damnatis a Clemente XI, et aliis Pontificibus, explosa. — 7. Decretum Concilii Provincialis Romani anno 1725, celebrati de observantia istius Constitutionis. — 8. Præcipuæ Constitutiones a Clemente XI, et Successoribus occasione Constitutionis *Unigenitus* editæ.

(1. Constitutio *Unigenitus* tantam sibi vindicat auctoritatem, et obsequium, ut eidem publice refragantibus, veluti notoriis, ac publicis peccatoribus denegandum sit

Digitized by Google

Sanctissimum Viaticum, (1) Bened. XIV. Constitut. incip. *Ex omnibus* § 3. (2. Publici autem, atque notorii sunt refractarii, in casu, de quo agitur, quicumque per sententiam a Judice competente prolatam, rei declarati sunt, eo nomine, quod debitam prædictæ Constitutioni *Unigenitus* venerationem, obsequium, et obedientiam contumaciter denegaverint : Quicumque etiam hujusmodi contumaciæ reos se in judicio confessi sunt; ac præterea illi, qui quamvis nec a Judice condemnati, neque reatum suum in judicio confessi fuerint, nihilominus, vel eo tempore, quo sacrum ipsum Viaticum suscepturi sunt, propriam inobedientiam, et contumaciam adversus Constitutionem *Unigenitus* sponte profitentur; vel in anteactæ vitæ recursu aliquid evidenter commisisse noscuntur, manifeste oppositum venerationi, obsequio et obedientiæ, eidem Constitutioni debitæ, in eoque facto moraliter perseverare, quod ita vulgo cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum, non adhuc cessaverit. Sunt verba præcisa dictæ Constitutionis sub § 4.

(3. In re autem dubia, quam regulam sequi debeant Sacramentorum Ministri, tradit Pontifex ibid. § 8 et 9. his verbis. Hoc itaque primum advertere debent, an scilicet ei, qui extremum Viaticum postulat, quum antea ad sacram mensam accederet, Paschali præsertim tempore, a loci illius Parocho, ubi degebat, Eucharistica Communio administrata fuerit, si enim hæc illi in vita non fuerit denegata, argumento id erit, aut hominem illum ab omni labe immunem, aut saltem non vere notorium peccatorem reputatum fuisse; indeque sequitur, Sacrum Viaticum eidem in exitu vitæ publice postulanti denegari non posse; nisi forte, postquam olim ad Eucharisticam mensam admissus fuit, et ante id tempus, quo postrema Sacramenta requirit, aliquid commisisse noscatur, quo publici, et notorii peccatoris notam, juxta præmissa, contraxerit.

(4. Ubi autem ex hac facti specie certum ipsis non suppetat fundamentum, cui insistere valeant, aliunde vero validæ adversus ægrotum præsumptiones, et indicia gravia, et urgentia militent, ob quæ obortum sibi scrupulum rationabiliter deponere nequeant; in his rerum circumstantiis, oportet eos, remotis arbitris, ægrotum alloqui, eique cum omni lenitate, et mansuetudine, non tamquam disputantes, eumque convincere volentes, ostendere, quæ et qualia sint indicia, quæ suspectum reddunt ipsius vitæ tenorem; rogantes eum, et obsecrantes, ut resipiscat, in eo saltem temporis articulo, a quo æterna ipsius salutis sors pendet; eidem præterea demonstrantes, quod quamvis ipsi parati sint Sanctissimum Corporis Christi Viaticum ei ministrare, non ideo tamen tutus ipse erit ante tribunal Christi, sed potius novi, et horrendi criminis reum se conficiat, ex quo judicium sibi manducavit, et bibit : Cæterum se non alia de causa Sacramentorum Corporis Christi eidem ministraturos, nisi, ut Ecclesiæ jubenti obtemperent, quæ præter eam, quam habet, curam, ut scandala publica antevertat, pro sua etiam pietate, ægroti ipsius infamiam præcavere studet, licet peccatorem in conspectu Domini reputet, non tamen in proprio Tribunali publicum, atque notorium peccatorem agnoscit. Hæc ille § 8 et 9. citatæ Constitutionis merito integraliter perlegendæ, et observandæ.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA

(5. Quæ causæ Clementem XI. ad istam Constitutionem, quam legere poteris verb. *Propositiones damnatæ* num. 34. edendam impulerint, quantaque maturitate propositiones in ea damnatæ excussæ fuerint, narrat accuratissimus Petrus Polidorius de vita et rebus gestis Clementis XI. lib. 4, num. 36. scribens : « Præterito cadente sæculo Lutetiæ Parisiorum opus gallico sermone scriptum, variisque diffusum voluminibus vulgatum fuerat, morum doctrinam e sacris novi Testamenti libris variis animadversionibus, et scholiis exponens : quod alibi nativo descripto titulo meminimus, nullum id præsignabat Auctoris nomen, audiebat tamen, eratque (ut in superiori libro obiter notatum) Paschasii Quesnellii qui in Parisiensi natus Diœcesi Presbyterorum cœtui Oratorii Domini Jesu constituto a Petro Bercello, postea Cardinale, nomen dedit, Ingenium intemperans opinandi confidentia fovens, vel primis literariis in vulgus emissis fœtibus, triste futuri præsagium expressit. Damnatæ ab Ecclesia Jansenianæ doctrinæ addictus, eam vafre, ac quo potuit modo lectoribus obtrusit, dilatavit etiam provexitque. Hinc gravis illa, qua in Galliis, et Belgio apud Orthodoxos premebatur invidia, miserum in modum designato nuper opere gallico in remotis quoque Christiani Orbis regionibus aucta. Magna profecto admiratio Clementem subiit, et admirationi non impar successit dolor, tot tantosque errores uno nec admodum grandi libro coacervatos esse, atque fallaci prorsus arte non ad Ecclesiæ solum, sed et ad civilis reipublicæ perniciem accommodari : inspirato, scilicet sensim Christianis populis sub speciosa virtutis larva tam sacræ, quam profanæ potestatis odio, atque contemptu. Quod ipse gravi ad Ludovicum Gallorum Regem data epistola, totidem fere verbis est questus perpetuis dignum tenebris opus præstigias doctrinis improbis passim permiscens jam tum damnaverat Pontifex. Quoniam vero non deerant in Galliis, qui velut nullo fœdatum errore commendabant aliis,

(1) Hæc Constitutio, cujus initium *Unigenitus Dei Filius* a Clemente XI fuit edita mense Septembris 1713. In ea Paschalis Quesnellii Presbyteri Oratorii centum et una propositiones damnantur; quas in suo Novo Testamento Gallico idiomate verso et moralibus animadversionibus adnotato, disseminaverat. Propositiones damnatæ ad quinque vel sex errorum capita reducuntur jam contra Bajum et Jansenium Pontificum auctoritate damnata. (*Edit. Casin.*)

Digitized by Google

legendumque importune obtrudebant, latens virus sparsuri facilius, novissime latinum reddiderunt. Tam pravis multiplicatis falsæ doctrinæ præsidiis ingens Christiano populo inferri detrimentum viri Orthodoxæ fidei studiosi dolebant, præsertim vero Galliarum Episcopi, et Rex Ludovicus frequentibus Clementem sollicitatus literis, ut gliscenti malo validiori remedio occurreret, ne contemptum in deteriora prolaberetur. Pontifex in rem Catholicam futurum censens fallacis operis venena detegere, ac velut exerto indicata digito palam facere, quo facilius vitarentur; singillatim errores proscribere, ac præcipua Constitutione damnare statuit. Salutare propositum sæpe expetitum a Gallis Episcopis, pro rei magnitudine, et gravitate maturandum ratus, operi utilissimo impertit animum. Spectata morum integritate, eruditione, doctrina, divinarum rerum peritia, et ab omni partium studio alieni delecti censores; frequentes habiti consessus, diutissime singuli referentes, ac disserentes auditi. Aliis insuper alii adjecti, quorum exacta, constanti, ac etiam benigniore delati voluminis censura, tantum religiosissimæ veritati tributum, quantum ipsemet auctor in pari, sed aliena causa, vix tribuisset, si integerrimi judicii delectus esset assessor. Propositionum, quibus dica fuerat scripta, certior ante sententiam non est factus Paschasius, ut optabat, poscebatque, ne constans mos Ecclesiæ mutaretur, quæ ubi de vulgatis damnandis voluminibus, atque doctrinis agitur, in judicii partes auctores ipsos vocare minime consuevit; vocasset autem ubi noxa fuisset irroganda personæ. Post diligentissimam ergo integro biennio continuatam assertorum excussionem: tribus etiam atque viginti præcipuis hoc anno institutis Cardinalium ac doctissimorum Theologorum consessibus, quibus ipsemet Pontifex Maximus præfuit, in iisque libris perniciem cura longe exactissima investigavit, censoria in eumdem judicia audivit, expenditque: sexto idus Septembris centum, atque unam sententias ex notatis libris excerptas damnavit; proscriptorum voluminum lectionem iterum vetuit: editamque sanctionem, cujus exordium *Unigenitus Dei Filius* pro suprema, quam obibat in Ecclesia potestate, in orbe Catholico servari jussit. »

(6. Cum autem Quesnellianæ sanctionis patroni, ut errores suos obtegerent, atque imperitos circumvenirent, et ad partes suas adducerent, in hac Constitutione tutissima SS. Augustini, ac Thomæ Aquinatis Dogmata proscribi, per summam calumniam vulgarent; ac Theologi nonnulli, ut invidiam crearent sententiis, quas Theologicæ Academiæ ducibus laudatis SS. Doctoribus tuebantur, eadem abuterentur, Clemens XI. Constitutione *Pastoralis officii*. quæ est CCLIX. inter ejus Constitutiones Bullarii Romani, Edit. Rom. anno 1736. curatæ edita die 28. Augusti anno 1718. refractariorum temeritatem, ac Theologorum illorum licentiam compressit. Qua de re Polidorius lib. cit. num. 37. « E tot confixi Quesnelli pronuntiatis, nonnulla, quæ ad divinam gratiam pertinent, notissimo Jansenii sensu proscripsit, qui Dei gratiam *necessitatem*, ut Theologi in scholis vocant, invexit. Integra, ac prorsus illæsa permanente doctrina de Divina Gratia *se ipsa efficaci*, et ad Beatorum gloriam *prædestinatione gratuita*, quam a damnatis nuper erroribus immani tutam discrimine, potissimum schola Thomistica, aliæque celeberrimæ in orbe Catholico Academiæ, frequentesque Theologi, ducibus Sanctis Augustino, et Angelico doctore, propugnant. Quorum doctrinæ erroris notam hujusmodi ab se inustam constitutione Quesnellianæ studentes causæ per summam injuriam calumniatos esse Clemens celeberrimis literis ordientibus *Pastoralis Officii*, quas ad universos Christi fideles Kalendis Septembris duodevigesimo hujus sæculi anno scripsit, merito questus est; falsamque criminationem depulit. Neque defuerunt qui, tametsi Quesnellianis, ut Catholicos decebat homines, essent adversi, et Clementinæ Sanctioni obsequerentur, licentia nihilominus pari illustres utriusque sanctissimi doctoris Scholas criminabantur: sua alia de causa interesse rati, id calumniæ genus vulgo alere. At horum hoc item pontificium diploma tempestive compressit audaciam. » Vide testimonium ex eadem Constit. relatum in Appendice 1. ad Verb. *Gratia ut est donum Dei* n. 28. Confer Benedicti XIII. Clementis XII. et Benedicti XIV. testimonia in eamdem producta n. eodem et seq.

(7. In Concilio Provinciali Romana, Præside Benedicto XIII, in Sacrosancta Basilica Lateranensi celebrato anno 1725, tit. 1, cap. 2. Constitutionis istius observantia Episcopis commendata fuit his verbis: « Cum ad fidei Catholicæ professionem integre, inviolateque retinendam, et custodiendam necessarium summopere sit, ut succrescentes per hæc recentia tempora circa eamdem fidem errores, a Sede Apostolica damnatos, fideles omnes vigilanti studio præcaveant, et abominentur; idcirco ab omnibus Episcopis, et animarum Pastoribus tota, ut hactenus, sollicitudine curandum est, ut Constitutio a San. mem. Clemente XI. edita, quæ incip. *Unigenitus* quamque, nostræ uti ejusdem fidei Regulam, agnoscimus, ab omnibus cujuscumque conditionis, et gradus omnimodo ac debita obedientia, et executione observetur. Si quem itaque cognoverint (sive Diœcesanus, sive Provincialis sit, sive exterus) in suis Diœcesibus permanentem, de Constitutione prædicta non bene sentire, aut male loqui, in eum pro sua Pastorali potestate, et jurisdictione procedere, et animadvertere non negligant; et ubi remedii efficacioris opus esse senserint, ad Sedem Apostolicam pervicaces tales, et Ecclesiæ rebelles, deferant, Invigilent etiam, libros contra ipsam Constitutionem editos, aut falsas doctrinas, in illa damnatas, propugnantes, diligenter perquirere, eosque sibi tradi mandent, Nobis inde, et Apostolicæ Sedi denunciandos. »

Hoc decretum affert Eminentissimus De

Digitized by Google

Tenem Ebredunensis primum, deinde Lugdunensis Archiepiscopus in *Instruction Pastorale, dans laquelle il est prouvé que la Constitution* Unigenitus *est un Jugement Dogmatique et irréformable de l'Eglise, et une règle de croyance* anno 1731, publicata pag. 8, cujus insignem locum hic describere juvat. Sic autem habet : « Un grand nombre d'Evêques d'Italie ont donné chacun en particulier des déclarations authentiques. Mais rien de plus éclatant que le Décret du fameux Concile Romain, où tous ces Evêques réunis ont reconnu la Bulle *Unigenitus* comme une règle de leur croyance; *quamque nostræ uti ejusdem fidei regulam agnoscimus.* Un Auteur anonyme a osé dubiter que cette clause avait été insérée dans les Actes du Concile par fraude, et sans aucune autorité. Il avance ce fait et ne le prouve point. A qui persuadera-t-on que le Pape, sous les yeux duquel les Actes du Concile ont paru, que les Cardinaux et tous les Evêques du Concile, eussent gardé le silence, et ne se fussent pas élevés contre une entreprise si audacieuse, et si digne de châtiment? En faut-il davantage pour faire tomber dans le mépris qu'elle mérite, la vaine allégation d'un homme qui d'ailleurs manifesta lui-même son imposture par le soin qu'il prend de cacher son nom, dans des circonstances où il n'y eut certainement aucun danger de se faire connaitre, supposé que le Pape, les Cardinaux et les Evêques du Concile n'eussent pas approuvé la clause dont il est question? Mais Dieu a permis que nous ayons en main de quoi fermer *la bouche à ceux qui ne parlent qu'iniquité.* C'est une Lettre à nous adressée, écrite de la propre main du saint Pontife qui a présidé à ce Concile, dans laquelle il s'explique sur les bruits qui avaient couru par rapport à ce Décret du Concile Romain : *venant ensuite,* dit-il, *à la Seconde Partie de notre lettre qui concerne les bruits qui ont couru sur le Décret de notre dernier Concile Romain, vous et les autres personnes prudentes, ne devez pas ajouter foi à ceux qui faussement écrivent d'ici ce qu'ils ont cru ou voulu que l'on crût du chapitre 2, du titre premier, l'Imprimé est entièrement conforme à la vérité, et le Décret tel qu'on l'y voit, a été souscrit par nous et par tous les Pères. C'est pourquoi nous avons lieu d'être étonné qu'à Paris, où vous êtes, on mette en dispute un Décret aussi authentique et aussi canonique.* » Ac verba quidem Epistolæ a Benedicto XIII, propria manu ad Archiepiscopum Ebredunensem Italice perscriptæ hæc sunt, ut in not. pag. cit. referuntur. « Passando alla seconda Parte della medesima Lettera di V. S. circa al susurro del Decreto del nostro Sinodo ultimo Romano, ella ed i prudenti non debbono prestar fede a coloro che di qua falsamente scrivono ciò che hanno o creduto, o voluto che si creda del cap. 2, del tit. primo; la verità è quella che sta ivi impressa, e sottoscritta da noi e da tutti i Padri. Onde ci maravigliamo, che da costà si metta in controversia una sì palesa e canonica Sanzione.

Quo sensu autem verissime Constitutio *Unigenitus* Regula Fidei et dicatur et sit, declarat Sebastianus Pompilius Bonaventura Episcopus Montis Flasconis, et Corneti in Epistola Pastorali, cujus titulus est : *Istruzioni Pastorali di Monsignor Sebastiano Pompilio Bonaventura Vescovo di Montefiascone e Corneto Edit. Romanæ* anno 1732, pag. 17, et seq. ubi scribit : « Oggimai Iddio si è apertamente spiegato per bocca de'suoi Vicarî, i quali in una loro ultima insigne Costituzione hanno parlato con forme degne dell'augusto loro Ministero, ed han parlato di maniera, che non men chiaro, e ben' inteso è il senso delle loro voci, che infallibile, ed incontrastabile è la forza de'loro divini Oracoli. Se ciò ch'è Legge, e Regola, da ciò, ch'è Decreto Provisionale in questo si scovra, e distingue, che questo mutabile, e dato a tempo, spira e finisce; ove quella certa, fissa, ed immutabile durar deve inviolabile, e sacrosanta; convien esser di gusto molto schivo, e temerariamente delicato, se spiace, che diasi nome di Regola di Fede ad una Costituzione, cui non manca questo carattere. E vero, che non tutt'i Punti ivi definiti appartengono a Fede; ma è altresì vero, che quanto ivi è definito, è definito coll'infallibile direzione dello Spirito Santo, e tutto mira a condannar cose, che nella nostra Religione è errore di tenere, o di praticare. E benchè in quel gruppo di cose non tutt'i Punti appartengono a Fede; si appartiene nondimeno a Fede il credere, ch'è vero, è santo, è legittimo quanto ivi, o in dottrina di fede, o in materia di costume; o in uso di disciplina si definisce, e si comanda. Ad una Costituzione dunque esaminata con tanto studio, ricercata con tante istanze, altro non si puote aggiungere, se non che un'intera sommessione, una perfetta, e semplice ubbidienza. Il giudizio è finito : ed ove il giudizio è finito, non è buono, nè dicevole tornare da capo agli esami : particolarmente ove si cerca di spiegazioni, non per iscoprire la verità, ma per iscansare il giudizio. »

Nec vero prætermittenda sunt, quæ pag. 18. et seqq. subdit, cum digna sint, ut nostra quoque ætate attenta legantur, qua tot nefaria Opuscula ad Constitutionem istam, si fieri posset, labefactandam a perditis quibusdam hominibus disseminari videmus. Sic igitur pergit : « Colla lingua conviene, che si accordi il cuore, perchè col cuore si crede a giustizia. Vanamente dunque si lusingano coloro, i quali credono, che la Chiesa voglia starsene ad un silenzio piuttosto forzoso, che ossequioso, ove non si appaga neppure delle sole parole. Il bello, e il buono di nostra Religione signorile, diletta Figlia dell'Altissimo tutto è al di dentro : e le Leggi del Vangelo prima d'ogni altro pongono in strettezza la mente, e vogliono, che il cuore, e la Religione umili, e docili si sottopongano di buon grado alla Fede. Per conoscere di qual sorte esser debba l' ubbidienza, e'l vassallagio, basta di considerare di qual sorta sia il comando, e la Signoria. Quelli medesimi, che sono men favorevoli a' diritti di Roma, e

Digitized by Google

nel Sovrano nostro Sacerdozio sono indifferenti di quanto dice Regno, e Grandezza, non sanno negarle nè una Primanzia di Capo, nè un Regno di Spirito, che comandi nell' interiore, e sopra le Anime abbia giurisdizione, ed impero. Per quanto restringer si sforzino l' alta potestà delle Chiavi a Pietro consegnate, negar non sanno, portar ella almeno una pienezza di spirituale potere in legare, e sciorre le Coscienze, tanto che legate elle, o sciolte sieno in Cielo, secondo che sciolte, o legate sono qui in Terra. Or se il potere, e la forza corrisponde al carattere, ed alla qualità dell'Impero; non v' ha certamente Impero, cui convenga ubbidire non tanto per timore, quanto di coscienza, giacchè sulle coscienze egli ha forza ed autorità. E obligazione dunque di coscienza il credere alle Apostoliche definizioni; e se nella Congregazione di quegli Uomini, che compongono la Chiesa, il Sommo Pontefice tiene luogo di Capo, il quale tutte le membra regge, e sostiene, chi non sa, che niuno delle suddite membra repugna al suo Capo? Tutte come dal capo ricevano vita, e moto, così pronte, spedite, e di buon grado gli prestano ubbidienza. Con veraci, fedeli, intimi sentimenti dell' animo conviene arrendersi alle definizioni de Sommi Pontifici: e la Chiesa, la quale niente più ama, che la schiettezza, e la semplicità, nulla più odia in materia di Religione, che l'Ipocrisia, e la finzione; non fiderassi giammai di certe serpi, che se, dove il rigore le assale del Verno, celano il veleno, non è però, che lo perdono. Grazie al Signore, Noi siamo lontani da questo impaccio, e con un Padre di Calcedonia dir possiamo, che di certe cose Noi, ed i nostri Popoli nulla sappiamo, o di saperne nè molto nè poco ci cale. Basta a Noi per caminar sicuri, et senza periculo di sviarci, seguir la scorta di chi ci è stato dato dal Cielo per duce, et Guida di nostra condotta: et quando stiamo più vicini alla Pietra, su cui posa la Chiesa, tanto più stare ad essa con prontezza di animo, e con fermezza di spirito stretti, ed uniti: Non avendo poi Noi altre Scuole per la scienza di Religione, che quelle, le quali sono aperte nel Seminario, abbiamo la consolazione di esser ben sicuri, che in tutte le parti di questa scienza, cioè e nei Misterî della Fede, nella Dottrina de' costumi, e nella Disciplina della Chiesa si tengono le sentenze le più communi, e sicure, e le pratiche più usate, e più ricevute, fuggendo quelle novità, e singolarità d'opinioni, che furono sempre pericolose in queste materie. Buonamente sentiamo di Voi, e sicuri ne viviamo, e senza sospetto; ma non pertanto lice a Noi in questa parte mancare di cura, e di pensiero. Vuole il Sagro Concilio, che per ragione di nostro ufficio siamo vigilanti, ed abbiamo occhio che a veruno di dubbia fede venga fatto il nascondersi nelle nostre Diocesi, e che voi parimente siate colmi di santo zelo di Religione. Laonde se mai vi accorgeste, e scopriste, che alcuno siasi Estero, siasi Diocesano, osasse con prosontuoso ed empio ardimento d'impugnare le definizioni di cosi santa Costituzione, e con sciolta, e sagrilega lingua si facesse lecito di sparlarne; sappiate che vi corre stretta obligazione di palesarli a Noi. Come parimente consegnarci, o denunziarci que' Libri, che in vostre mani, o a vostra notizia capitassero, ne' quali in queste, o in altre materie si contenessero nocevoli, o pericolose dottrine, acciò con ogni più pronto, e sollecito studio possiamo riparare al male, e riferirlo ancora alla Sede Apostolica, ove lo portasse il bisogno di più forte, e potente rimedio. »

(8. Præcipuas a Clemente XI. Benedicto XIII. et Benedicto XIV. Constitutiones occasione Constitutionis *Unigenitus* editas recenset, eorumque epitomen dat Aloysius Guerra, in Opere, quod inscribitur « Pontificiarum Constitutionum in Bullariis Magno, et Romano contentarum et aliunde desumptarum Epitome tit. XX. de hæresibus, libris, propositionibus damnatis Tom. 1. pag. 148. seqq. » Ex his illa Benedicti XIV. quæ incipit. ***Ex omnibus Christiani Orbis*** legitur infra Verb. ***Viaticum*** num. 13.

CONSUETUDO.

SUMMARIUM.

1. Consuetudo dicitur a verbo *Consuesco*, sive *Consuefacio*. — 2. Consuetudo est duplex, una facti, et altera Juris, et quæ sit utraque; *usque ad num.* 3. — 4. Consuetudo Juris est quasi altera Lex parem obligandi obtinens potestatem. — 5. Consuetudo generatim capta dividitur tripliciter, scilicet in consuetudinem præter Legem, secundum Legem, et contra Legem. — 6. Consuetudo *præter Legem* quæ sit. — 7. Ad hoc, ut hæc consuetudo obliget, requiritur, quod sit introducta a toto populo, aut majori, et saniori ejus parte cum animo saltem interpretative se obligandi. — 8. Hinc consuetudines, quæ ex devotione populi proficiscuntur, non obligant, nec vim Legis habent. — 9. Insuper ad hoc, ut consuetudo *præter Legem* obliget, requiritur præscriptio, ad quam exposcitur, et sufficit decennium, sive sit consuetudo civilis, sive Canonica, etiamsi Princeps sit absens. — 10. Consuetudo *secundum Legem* quæ sit. — 11. Consuetudo *contra Legem* quæ sit. — 12. Hæc consuetudo non potest introduci, nec dari contra Jus Divinum, et naturale, *ad n.* 13. — 14. Potest tamen tolli, et penitus abrogari Lex humana positiva, sive Civilis, sive Canonica per contrariam consuetudinem, dummodo ea sit rationabilis, ac legitime præscripta. — 15. Ut consuetudo contraria Legem humanam positivam tollat, et abroget, requiruntur potissimum duæ conditiones, videlicet, quod talis consuetudo sit rationabilis, et sit legitime præscripta. — 16. Quæ consuetudo dicatur rationabilis. — 17. Adducitur, et solvitur instantia, *usque ad n.* 18. — 19. Consuetudo, quando dicatur legitime præscripta. — 20. Tempus requisitum, et sufficiens, ut consuetudo censeatur legitime præscripta pro abolenda, et abroganda Lege civili est decennium; Pro abolenda tamen, et abroganda Lege Canonica est spatium quadraginta annorum, *ad n.* 22. — 23. Probabile tamen est, quod etiam pro abolenda, et abroganda Lege Canonica sufficiat decennium, sicuti pro abroganda Lege civili, *usque ad num.* 25. — 26. Pro abolenda, et abroganda Lege, sive Civili, sive Canonica per contrariam consuetudinem via conventiæ introductam probabilius est non requiri rigo-

Digitized by Google

rosum, et determinatum tempus præscriptionis. — 27. Consuetudo *contra Legem* duplici modo potest introduci, scilicet per viam *conniventiæ*, et per viam *præscriptionis*, *ad n.* 28. — 29. Ad abrogandam Legem per consuetudinem via *conniventiæ* introductam non requiritur bona fides. — 30. Ad abrogandam tamen Legem per consuetudinem via *præscriptionis* introductam non requiritur bona fides. — 31. Licet primi Legem transgredientes non possint ob suam malam fidem præscriptionem, ipsamque consuetudinem inchoare; posteri tamen eorum exempla bona fide sequentes possunt præscriptionem, ipsamque consuetudinem inchoare. — 32. Consuetudo a Lege reprobata, et damnata tamquam irrationabilis, et bonis moribus repugnans non potest, licet sit immemorabilis, abrogare Legem. — 33. Consuetudo a Lege, seu Constitutione reprobata tamquam irrationabilis, et iniqua, intelligitur nedum de consuetudine præsente, seu existente, sed etiam de futura. — 34. Si vero non superveniat causa tollens irrationabilitatem, et iniquitatem, quæ ab initio inesse videbatur consuetudini, tunc potest induci valida consuetudo adversus eam Legem non obstante tali reprobatione. — 35. Per Legem universalem, seu Clausulam generalem abrogativam consuetudinis v. g. *non obstante quacumque consuetudine*, aut hujusmodi, non abrogatur consuetudo immemorabilis, nisi de ea fiat specialis mentio. — 36. Consuetudo, in quo principaliter differat a præscriptione. — 37, ad 47. An ad inducendam Consuetudinem in statu monarchico opus sit scientia et patientia Principis. — 48. Consuetudo quæ est contraria bonis moribus. — 49, ad 63. De varia vi et auctoritate Consuetudinis. — 64. Casus qui occurrere possunt circa Consuetudinem. — 65 ad 72. Qualia concurrere debeant ut Consuetudo vim legis obtineat. — 73. Cur contra Canones valeat Consuetudo non autem Lex Inferioris. — 74. Consuetudo Canonica et Civilis. — 75. Consuetudo generalissima, generalis, specialis, specialissima. — 76. Consuetudo judicialis et extrajudicialis quæ? — 77. Consuetudo per quam rumpitur nervum Disciplinæ Ecclesiasticæ non valet. — 78. Consuetudo per quam impeditur correctio morum non valet. — 79. Consuetudo adversus libertatem et immunitatem Ecclesiasticam non valet.

(1. Consuetudo, quæ ex etymone nominis dicitur a verbo *consuesco*, sive *consuefacio*, id est simul, ac sæpius facio, quia videlicet, non inducitur nisi a majori parte Communitatis simul, ac sæpius actum frequentantis, est dulpex, una *facti*, et altera *Juris*. (2. Consuetudo *facti*, quæ est via ad consuetudinem Juris, est ipsemet communiter repetitus usus, seu frequentatio actuum alicujus populi, seu communitatis sine obligatione, et ista secundum Isidorum lib. 5. etymol. art. 3. relatum in cap. *Consuetudo* 5. dist. 1. *Vocata est consuetudo, quia in communi usu est.* (3. Consuetudo *Juris* nihil aliud est, quam Jus moribus constitutum, id est Jus quod ex hujusmodi communiter repetito usu, et frequentatione actuum alicujus populi, seu communitatis oritur, unde definitur ab eodem Isidoro relato in d. c. *Consuetudo* 5. dist. 1. quod sit « Jus quoddam moribus institutum, quod pro Lege suscipitur cum deficit lex. » (4. Et hæc consuetudo Juris cum tendat ad novi Juris introductionem, est quasi altera Lex parem obligandi obtinens potestatem, uti habetur in l. *De quibus* 32. ff. de Legibus, ibi ; « De quibus causis scriptis Legibus non utimur, id custodire oportet, quod moribus, et consuetudine introductum est... Quid enim interest suffragiis populus suam voluntatem declaret, an rebus et factis?.... Inveterata consuetudo pro Lege non immerito custoditur ; et hoc est Jus, quod dicitur moribus constitutum. » Et in l. sequent. « Diuturna consuetudo pro Jure, et Lege in his, quæ non ex scripto descendunt, observari solet. » Et in l. 35. ff. eodem : « Sed ea, quæ longa consuetudine approbata sunt, et per annos plurimos observata, veluti tacita civium conventio, non minus quam ea quæ scripta sunt Jura, servantur. »

(5. Consuetudo generatim capta dividitur tripliciter, scilicet in consuetudinem præter Legem, secundum Legem, et contra Legem. (6. Consuetudo, *præter Legem* (quæ et *Juris Constitutiva* dicitur), est illa, quæ reperitur in casibus illis, qui a Jure communi non sunt decisi, et huic solum convenit definitio tradita ab Isidoro supra num. 3. cum hæc sola habeat pro suo esse constituere Jus novum, ubi Lex deficit, seu nulla Lex posita fuit ; et talis consuetudo quamvis non scripta obligat æque in conscientia ac in foro externo, sicuti obligat Lex scripta ; l. *De quibus* 32. ff. 2. de Legibus, ubi cum Jurisconsultus dixisset inveteratam consuetudinem pro Lege non immerito custodiri, hanc rationem reddit : « Nam cum ipsæ Leges nos teneant, quia judicio populi receptæ sunt, etiam ea, quæ sine ullo scripto populus probavit, omnes tenebunt. » Et § *Ex non scripto*, Institut. de Jur. nat. gent. et civil. sic habetur : « Ex non scripto, Jus venit, quod usus approbavit ; nam diuturni mores consensu utentium comprobati Jus efficiunt ; » Quia enim ut ait S. Thomas 1. 2. q. 97. art. 3. « per exteriores actus multiplicatos interior voluntatis motus, et rationis conceptus efficacissime declaratur, hinc quando aliquid multoties fit videtur ex deliberato rationis judicio provenire, et sic consuetudo re ipsa fit Lex communitatis approbantis actus repetitos populi, et inde imponentis obligationem ad actus ejusmodi postea ponendos. » Et ad hoc faciunt omnia alia Jura adducta supra num. 4. (7. Ad hoc autem ut hæc consuetudo obliget, requiritur quod sit introducta a toto populo, aut majori, et saniori ejus parte cum animo saltem interpretativo se obligandi, seu introducendi consuetudinem obligatoriam, videlicet, faciendi novam Legem, seu Jus non scriptum ; Glossa in cap. *Cum tanto* 11. de consuetudine, verb. *Legitime sit præscripta* et ibi Abbas num. 17. Pirhing num. 28. Suarez lib. 7. de Legibus c. 14. num. 5. et 6. et alii. Et ratio est quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum ; l. *Non omnis* 19. de rebus cred. cap. *Cum olim* 38. de præbend. (8. Hinc Consuetudines, quæ ex devotione populi proficiscuntur, non obligant, nec vim Legis habent, ut ex communi Doctorum sunt consuetudines salutandi Deiparam dato signo certis horis, audiendi missam diebus non

Digitized by Google

festivis, accipiendi initio Quadragesimæ cinerem benedictam, aquam benedictam in ingressu Ecclesiæ, et similes usus frequentati, et continuati a majore parte populi Christiani ex libera devotione, quibus non inducitur consuetudo obligatoria. (9. Insuper ad hoc ut consuetudo præter Legem obliget, requiritur præscriptio, ad quam exposcitur, sufficit decennium, sive sit consuetudo Civilis, sive Canonica, vel Ecclesiastica, etiamsi Princeps sit absens ; Glossa l. c. et alii communiter, ex cap. *Consuetudo* 7. dist. 12. et lib. 1. C. *Quæ sit longa Consuetudo*, l. *sed ea*, ff. de Legibus, l. *super longi*, C. de præscript. longi temp. et § 1. *Instit. de usucap.*

(10. Consuetudo *secundum legem*, quæ non est juris, sed facti tantum, est illa quæ legem jam præexistentem supponit, eamque vel deducit in usum, vel si ambigua est, interpretatur. Unde hæc consuetudo jus novum non constituit, sed aut Jus præexistens confirmat, et adjuvat deducendo illud ad exsecutionem, et observantiam ; c. *In istis* 3. dist. 4. ibi. « Leges firmantur, cum moribus utentium approbantur.... Ita moribus utentium ipsæ leges confirmantur, » et cap. *Sopitæ* 14. de consibus ibi : « Inde utique videmus intentionem tuam Jure communi, et prædecessorum tuorum consuetudine adjuvari, » Aut Jus dubium interpretatur, juxta l. *Si de interpretatione* 37. ff. de Legibus, ibi : *Si de interpretatione Legis quæratur, in primis inspiciendum est, quo Jure Civitas retro in ejusmodi casibus usa fuit. Optima enim Legum interpres consuetudo*, et cap. *Cum dilectus* 8. de consuetudine, ibi : « Contra consuetudinem approbatam, quæ optima est legum interpres. » (11. Consuetudo contra legem est illa, qua lex scripta vel usu nunquam recepta fuit, vel jam recepta usu contrario denuo tollitur, et de hac præcipue sermo est in proposito. (12. Hæc consuetudo non potest introduci, nec dari potest contra Jus divinum, et naturale, seu contra legem divinam, et naturalem, textu expresso in cap. *Cum tanto* 11. de consuetudine, ibi : « Nemo sanæ mentis intelligit naturali Juri, cujus transgressio periculum salutis inducit, quacumque consuetudine (quæ dicenda est verius in hac parte corruptela) posse aliquatenus derogari. » (13. Et de hoc salutis periculo, quod induceretur per consuetudinem contra Legem divinam, et naturalem, rationem reddit Gregorius IX. in cit. cap. dicens : « Cum tanto sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam. » Hinc prava consuetudo fornicandi, blasphemandi, vel perjurandi numquam potest tollere Legem Divinam de non fornicando, de non blasphemando, de non perjurando. Communissima, et certissima. (14. Potest tamen tolli, et penitus abrogari Lex humana positiva sive Civilis, sive Canonica per contrariam consuetudinem, dummodo ea sit rationabilis, ac legitime præscripta, textu expresso in Cap. *Cum tanto*, ibi : « Licet etiam longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas; non tamen est usque adeo valitura, ut vel Juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, et legitime præscripta. Est communis. » Vide infra num. 38.

(15. Hinc colligitur duas potissimum conditiones esse necessarias, ut contraria consuetudo Legem humanam positivam tollat, et abroget, videlicet, ut talis consuetudo sit rationabilis, et sit legitime præscripta ; cap. *Cum tanto*, in fine, ibi : « Nisi fuerit rationabilis, et legitime præscripta. » (16. Ea autem consuetudo generatim loquendo censetur rationabilis, quæ nec Juri naturali, aut Divino adversatur, neque jure Canonico reprobatur, neque peccandi licentiam, aut occasionem præbet, neque alia ratione communi utilitati perniciosa est ; quæ vero in aliquo deficit, censetur irrationabilis, et consequenter numquam potest induci per actus legi contrarios, Sic Layman lib. 1, tract. 4, cap. 24, num. 24. Roch. in cap. ultim. de consuetud. num. 26. Suarez lib. 7, de legibus cap. 6, num. 10. Azor. part. 1, lib. 5, cap. 17, q. 5. Reifenstuel lib. 1, decr. tit. 4, num. 34, et alii plures.

(17. Nec valet dicere, quod omnis Lex debet esse rationabilis, et justa, et Reipublicæ utilis ; cap. *Erit autem Lex* 2, dist. 4, et lege 9. Cod. de Legibus, et consequenter consuetudo ei directe contraria necessario erit irrationabilis, injusta, ac Reipublicæ perniciosa, quia si unum ex contrariis est rationabile, etc. necesse est alterum esse irrationabile, etc. (18. Non valet, inquam, quia utraque, Lex scilicet, et consuetudo ei directe contraria potest esse rationabilis, et utilis secundum diversas rationes, et in ordine ad diversos fines, ac respectus : nam quamvis consuetudo contra Legem introducta *ex* fine, seu consideratione, ob quam Lex fuit condita, minus sit utilis, et rationabilis, tamen alio fine, seu consideratione potest esse etiam utilis, et rationabilis, quia licet consuetudo contraria Legi sit contra rationem particularem talis Legis, non est tamen contra omnem aliam rationem, sicut etiam duæ oppositæ, et contrariæ sententiæ non raro sunt simul probabiles, atque duæ contrariæ Leges (prout accidit in mutatione. et abrogatione Legum) solent esse rationabiles, ob diversas rationes, considerationes, et respectus, ut cap. *Non debet* 8, de Consanguinitate et affinitate, ubi sic expresse habetur ; « Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit, quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo. Cum ergo prohibitiones de conjugio in secundo et tertio affinitatis genere minime contrahendo, » etc.

(19. Consuetudo tunc dicitur legitime præscripta cum tempore a Legibus definito est continuata. Consuetudo enim legitime præscripta idem est ac usus longævus, seu longa consuetudo, prout appellatur in cap. *Cum consuetudinis* 9, et cap. *Cum tanto* 11, de consuetud. et in eod. tit. *Quæ sit longa*

Digitized by Google

consuetudo. (20. Tempus autem requisitum et sufficiens, ut consuetudo censeatur legitime præscripta ita ut Legem tollat, et abroget, pro abolenda, et abroganda Lege Civili, est decennium. *Communis*. Et ratio est, quia consuetudo, ut Legem civilem tollat, et abroget, debet esse longa ; lib. 1. Cod. Quæ longa sit consuetudo, ibi : « Et ne quid contra longam consuetudinem fiat, ad sollicitudinem suam revocabit præses ; sed per longam consuetudinem » intelligitur illa, quæ decennio duravit, nam decennium in Jure vocatur longum tempus ; leg. *Super longi*. Cod. de præscript. longi tempor. ibi: « Super longi temporis præscriptione, quæ ex decem annis introducitur. » (21. Pro abolenda tamen, et abroganda Lege Canonica, seu Ecclesiastica requiritur spatium quadraginta annorum, id est consuetudo spatio quadraginta annorum continuata; Rota part. 1, Recentior. decis. 497, num. 4, part. 5, tom. 1, dec. 373, num. 10, et part. 13, dec. 233, num. 22. Glossa in cap. Cum tanto 11, verb, Consuetudo, verb. *Legitime*, et ibi Abbas num. 11. Imola in c. *Treguas* 1, de Tregua et Pace num. 13, et ibid. Fagnan. num. 40, et 67. Layman. lib. 1, tract, 4, cap. 24, de Legibus num. 6, cum multis ibi citatis Diana cum pluribus aliis a se citatis part. 5, tract. 5, resolut. 2, § *sed quid ego*, asserens se hanc sententiam tenere auctoritate Sacræ Rotæ Romanæ, quæ semper eam canonizavit, ut patet ex decisionibus mox citatis. (22. Et ratio est, quia Lex Canonica, seu Ecclesiastica, est Jus quoddam, sive res immobilis Ecclesiæ, ac subinde etiam Leges Ecclesiasticæ comprehenduntur sub illa Lege Canonica, quæ generatim statuit contra res immobiles, et Jura Ecclesiæ non præscribi nisi spatio quadraginta annorum ; cap. *De quarta* 4, cap. *Ad aures* 6, c. *Audistis* 15, de præscript. cap. *Cum Ecclesia* 3, de causa possessionis.

(23. Probabile tamen est, quod etiam pro abolenda et abroganda Lege Canonica, seu Ecclesiastica sufficiat decennium, sicuti pro abolenda Lege Civili ; Lessius lib. 2, de Justit. et Jure cap. 6, n. 46. Lugo disp. 7, de Just. et Jure sect. 6, n. 94. Azorius part. 1, lib. 5, cap. 18, quæst. 6. Castropalao part. 1, tract. 3, disput. 3, punct. 2, § 2, num 6. Sanig. dist. 4, de legibus q. 1, num. 5. Christophorus Haunoldus t. 1, de Justit. et Jure tract. 1, c. 3, controvers. 2, num. 130. Pirhing lib. 1, dec. titul. 4, de consuetud. num. 39. Reiffenstuel ibid. num. 105, qui nedum hanc sententiam censent probabilem sed etiam probabiliorem. (24. Et ratio est, quia non est inducenda discrepantia inter Jus Civile, et Canonicum, ubi non habetur expressa dispositio Juris in contrarium ; cap. *Intelleximus* 1, de noci operis nunciatione ; sed pro abolenda, et abroganda Lege Civili per consuetud nem contrariam sufficit decennium, ut dictum est n. 19, et in Jure Canonico quoad hoc non reperitur expressa dispositio in contrarium, ergo etc. (25. Nec obstat, dicunt citati Doctores, quod in cit. cap. De quarta 4. can. *Ad aures* 6, cap. *Audistis* 15, de præscript. cap. *cum Ecclesia* 3, de causa possessionis, in aliis consimilibus ad præscribendum contra bona, et Jura Ecclesiastica requiratur spatium quadraginta annorum ? Respondetur enim, quod ibi est sermo de præscriptione contra bona immobilia Ecclesiarum, atque earum Jura, utpote quæ sunt instar bonorum immobilium, prout desumitur ex ipsomet textu ; non autem de præscriptione contra Leges Ecclesiasticas, sive Canonicas. Alioquin enim cum contra Romanam Ecclesiam non currat nisi centenaria præscriptio, cap. *Ad audientiam* 13, cap. *Cum nobis* 14, de præscript. leges Pontificiæ nonnisi centenaria præscriptione, seu consuetudine in contrarium abrogari possent quod est contra communem Doctorum.

(26. Pro abolenda, et abroganda Lege sive Civili, sive Canonica per contrariam consuetudinem via conniventiæ introductam, probabilius est non requiri rigorosum, et determinatum tempus præscriptionis, sed sufficere quod tanto tempore consuetudo sit continuata, quantum viris prudentibus sufficit ad rationabiliter judicandum Principem in eam consensisse; ita Lessius lib. 2, de Justit. et Jur. cap. 6, num, 45. Verricelli tract. 3, quæst. 2, num. 32, et tract. 8, quæst. 52, num. 9. Pirhing lib. 1, decret. tit. 4, de consuetud. num. 34. Reiffenstuel ibid, num. 93, et alii. Et ratio est, quia dum Princeps scit suam Legem non servari, et tacet, et tolerat, jam censetur connivendo consentire, et ne Respublica perturbetur, conditæ a se Legis obligationem tollere, eamque revocare. In tali enim casu Lex proprie non tollitur ab inferioribus, sive per contrariam horum consuetudinem ac via præscriptionis, sed potius ab ipsomet Principe, seu per tacitam ejus revocationem, ac via conniventiæ. (27. Hic advertendum venit, quod consuetudo contra Legem duplici modo potest introduci. Primo modo per viam *conniventiæ*, id est ex consensu saltem tacito Principis, seu Legislatoris, eo scilicet sciente, et tolerante, cum faciliter posset resistere introductioni consuetudinis contrariæ, eamque prohibendo subditos cogere ad observantiam Legis, in tali enim casu Princeps sciens, ac tolerans censetur connivere tali consuetudini contra suam Legem vigenti. (28. Secundo modo per viam *præscriptionis*, id est, longævo usu contrario populi, ignorante, et nesciente Principe.

(29. Ad abrogandam Legem per consuetudinem via *conniventiæ* introductam, non requiritur bona fides, quia tunc abrogatio Legis non procedit ab ipsis actibus contrariis, qui quidem facti cum scientia Legis contrariæ, in principio, in fieri consuetudinis fuerunt mali ; sed a consensu saltem tacito Legislatoris, qui sciens, et potens faciliter contradicere, si vellet, tolerat, et non contradicit, et sic Lex censetur per tacitam Principis, seu Legislatoris revocationem abrogari, unde mirum non est si bona fides non requiratur ; Sic Layman lib. 1. Theolog. moral. tract. 4, c. 24, num. 8 et 11. Pirhing loc. cit., n. 44, et alii passim. (30. Ad abro-

Digitized by Google

gandam tamen legem per consuetudinem via præscriptionis introductam, requiritur necessario bona fides, seu probabilis ignorantia præscribentium, sine qua nulla incipere, vel currere potest præscriptio ; cap. *Quoniam* 20, de præscriptionib. ibi : « Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica quam civilis etc. » Possessor 2, de regul. Juris in 6, ibi ; « Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit ; » ac proinde neque consuetudo præscriptiva inchoari potest, aut procedere sine bona fide, cum ipsa debeat esse justa, et rationabilis, ac legitime sive canonice præscripta ; cap. *Cum tanto* 11, de consuetud. in 6. Glosa in in cap. *Non est* 3, de consuetud. in 6, *verb. Canonice ;* Suarez. lib. 4, defensionis Fidei Catholic. cap. 32, num. 20. Lessius lib. 2, cap. 6, num. 46. Layman. loco cit. num. 11. Azorius p. 1, lib. 5, cap. 17, quæst. 6. Pirhing. loc. cit. n. 44. Sylvester verb. *consuetudo* q. 7, et alii plures. (31. Hic tamen est advertendum, quod licet primi Legem Reipublicæ utilem cognoscentes, eamque illicite transgredientes, non possint suam malam fidem præscriptionem, ipsamque consuetudinem re ipsa inchoare. Posteri tamen, qui eorum exempla secuti bona fide Legem non observant, eo quod existimare, et in dubio præsumere possunt, antecessores habuisse justam causam non servandi Legem, possunt præscriptionem, ipsamque consuetudinem inchoare, vel quasi bona fide ab antecessoribus inchoata fuisset, eamdem continuare, et perficere prout optime explicat Layman loc. cit. num. 11, ex Scoto qui l. 1, de Justit., qu. 7, art. 2, ad 12, habet præcisa verba : « Ut Lex positiva antiquetur, consuetudo etiam illa, quæ illicitum habet ortum, potest, licet non apud eosdem homines, tamen apud posteros vim obtinere. » Et sic etiam docet Abbas in cap. *Treguas* 1, de tregua, et pace n. 4. Felin. ibid num. 1. Silvester verb. *Consuetudo*, quæst. 7. Azorius loc. cit. Pirhing. loc. cit., num. 44, et hanc esse communem sententiam testatur Rochus in cap. ult. de consuetud., sect. 4.

(32. Consuetudo a lege reprobata, et damnata tamquam irrationabilis, et bonis moribus repugnans non potest, licet sit immemorabilis, abrogare Legem ; sic colligitur ex cap. *Ad audientiam* 3, cap. *Cum inter* 5, et cap. *Ex parte* 10, de consuetudine et cap. *Consuetudinem* 1, eod. in 6. Et ratio est, quia quando Leges aliquam consuetudinem tamquam simpliciter, et absolute irrationabilem damnant, hoc ipso reddunt illam ineficacem ad inducendam præscriptionem contra Legem. Ita communis Doctorum ; atque etiam desumitur ex c. *Cum venerabilis* 7, et cap. *Cum tanto* 11, de consuetud., ubi dicitur, quod talis « non tam consuetudo, quam corruptela merito sit censenda ; » adeoque quantumvis immemorabilis, non potest abrogare Legem, et sic non est servanda. (33. Consuetudo a Lege, seu Constitutione reprobata tamquam irrationabilis, et iniqua, intelligitur nodum de consuetudine præsente, seu existente, sed etiam de futura ; c. *Ad audientiam nostram* 3, c. *Cum inter* 5, de consuetud., ubi talis ex post facto introducta consuetudo non valere declaratur ; Lex enim de sui natura in futurum, atque etiam ad futuros casus ordinatur ; cap ultim. de consuetud. et l. *Leges*, C. de Legibus ; ergo ubi Lex reprobat consuetudinem tamquam irrationabilem, et iniquam, etiam futuram reprobare intelligitur, si etiam ipsa irrationabilis, et iniqua adhuc existat. (34. Si vero nova superveniat causa tollens irrationabilitatem, et iniquitatem, quæ ab initio inesse videbatur consuetudini, quando Legislator eam ut irrationabilem, et iniquam reprobavit, tunc potest induci valida consuetudo adversus eam legem, non obstante tali reprobatione ; Glossa in cap. *Licet* 1, de consuetudinib. in 6, verb. *Expresse*, juncta Glossa marginali, ibi : « Nisi consuetudo juvaretur nova ratione ; » Abbas in c. *Cum tanto* 11, consuetud. id probans ex c. *Non debet* 8, de consanguinit. et affinit. ubi dicitur non debere reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum (sive rationum) leges mutentur ; vide verba textus sub num. 17, et l. *Si hominum*, ff. *Mandati*, ubi generalis Procurator potest ex justa causa de novo superveniente, vel antea ignorata, mutare ea, quæ a Domino specialiter sunt provisa ; et hoc est certissimum, quia ratio Legis est anima Legis, ergo superveniente nova ratione, sive causa, quæ tollit irrationabilitatem, et iniquitatem reprobatæ consuetudinis, censetur etiam tolli ipsamet Lex hanc reprobans arg. cap. *Intelligentia* 6, de verb. significat. cum similibus ; quoties enim circumstantiæ Legis sunt mutatæ, prudenter judicatur Legislatorem consentire in consuetudinem eam abrogantem.

(35. Per Legem universalem seu clausulam generalem abrogativam consuetudinis v. g. *non obstante quacumque consuetudine*, aut hujusmodi, non abrogatur consuetudo immemorabilis, nisi de ea fiat specialis mentio ; Covarruvias lib. 5, variar. resolut. c. 13, n. 5. Baldus l. unic. Cod. de annonis ; Barbosa claus. 87, num 4 et 8, allegans plurimos alios ; Mascard de probationib. conclus. 424, num. 4. Castropalao part. 1, tract. 3, disp. 3, punct. 5, § 1, num. 10, asserens hanc esse communem sententiam. Et ratio est, quia consuetudo immemorabilis habet majorem vim, et auctoritatem, quam aliæ consuetudines, ut patet ex l. *Hoc jure*, § *ductus aquæ ff.* de aqua quotidian. adeoque necesse est ut ea specialiter et expresse abrogetur, alioquin valebit. Exemplum hujus habetur in c. *Si Episcopus* 2, de pœnitent. et remission. in 6, ubi dicitur nulla posse consuetudine induci, quod aliquis præter sui superioris licentiam possit sibi eligere Confessarium, et tamen ante Concilium Tridentinum simplices Presbyteri sibi invicem confitebantur, suffragante videlicet ipsis consuetudine immemorabili, quam postmodum expresse revocavit d. Tridentinum sess. 23, cap. 15, de reformat. ibi : « Privilegiis, et consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus ; » et quod consuetudo immemorabilis non com-

Digitized by Google

prehendatur sub generali revocatione consuetudinum, sed ad ejus abrogationem requiratur specialis mentio per ly, *etiam immemorabilis*, aut hujusmodi, expresse declaravit Sacra Congregatio teste Fagnan. in cap. *Ad hæc* n. 34, de relig. domib.

(36. Consuetudo principaliter differt a Præscriptione, quia Præscriptio datur inter privatos, et a privatis inducitur : Consuetudo vero non inducitur nisi a Communitate, cum ipsa sit Lex, et Jus non scriptum ; l. *De quibus* 32, ff. de Legib. et § *sine scripto* 9, Instit. de Jure naturali. Unde paucis loquendo: Ex consuetudine acquiritur publico; ex præscriptione acquiritur privato (1).

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(37. An ad inducendam Consuetudinem in statu monarchico opus sit scientia et patientia Principis, mire inter se variant Auctores. Negant alii, Hann. ad Wesembec. lib. 1, tit. 3, n. 10. Christin. decis. Belgic. vol. 2, dec. 55, n. 6. (38. Alii affirmant, Treutler. select. disp. vol. 1, disp. 1, thes. 9, lit. D. Strykius in us. modern. Pandect. lib. 1, tit. 3, n. 65. (39. Contrarias hasce opiniones ita alii conciliant, ut procedat opinio negativa, si agatur de consuetudine præter legem, procedat, vero opinio affirmativa, si de consuetudine Contra legem agatur ; Tulden. in Cod. tit. *Quæ sit long. consuetud.* n. 1. Boehemer. in introduct. in jus digest. lib. 1, tit. 19, n. 19. (40. Aliis aliæ placent conciliationes, de quibus consule Hann. ad Treutler. select. disp. vol. 2, disp. 1, qu. 54. (41. Mihi negativa opinio arridet, et quidem sive res sit de Consuetudine præter legem, sive de Consuetudine contra legem, idque quia tum in jure civili ; leg. 33, et plur. sequent. ff. de Leg. leg. 1 et 3, cap. *Quæ sit long. consuetud.* tum in jure canonic. c. final. de Consuetud. generaliter probata est quævis Consuetudo. (42. Non est ergo cur ad ipsam inducendam necessaria esse possit scientia et patientia Principis, si ea probata jam est a Principe. (43. Et quod prætereundum haud est, in dict. cap. final. de Consuetud. probata est Consuetudo contraria juri positivo, modo tamen sit rationabilis, et legitime præscripta.

(44. Cæterum si Lex aliqua nominatim prohibeat Consuetudinem sibi contrariam, tunc opus esse videtur scientia et patientia Principis (45. ad consuetudinem inducendam ; (46. quum, pro Consuetudine hac non militet mox adducta ratio, quod Princeps probavit Consuetudinem. (47. Quod si consuetudo expressis verbis prohibita a Lege, sit immemorabilis, præsumitur scientia et patientia Principis.

(1) Consuetudo contraria Decretis Sac. Concilii Tri entini non est attendenda, quia in Bulla Pii IV, quæ legitur in fine ejusdem Concilii, habetur Decretum irritans ea omnia quæ obstant eidem Sacro Concilio, ex quo fluit ut irritatio ista cadat supra omnia obstantia singulis capitulis ejusdem ; *Instit. Eccl.* 60, § 7.

Consuetudo rationabilis et legitime præscripta abrogat omnem legem humanam etiam canonicam, ex textu *in cap. final. de Consuet.* Nefas tamen est Episcopo juxta consuetudinem diœcesis suæ contra Canones legem condere ; quod enim valeat consuetudo, est ex quadam tolerantia Superioris legislatoris. Nimiæ autem esset arrogantiæ si Episcopus legem conderet contra legem Superioris ; *De Synodo Diœc.* lib. 7, cap. 71, § 7. Qui plura, et distinctiora cupit hac super re, adeat Editionem Quartam Romanam *Theol. Moralis* Rev. P. Antoine *Tract. de Legibus cap.* 9 (*Edit. Rom.*).

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(48. Consuetudinem, quæ est contraria bonis moribus, aut Juri naturali, non tam pro consuetudine, quam pro abusu et corruptela reputandam esse, compertum est.

(49. Non omnium Consuetudinum eadem est vis et auctoritas.

(50. Et quidem quædam sunt Consuetudines quæ auctoritate, etiam Sacræ Scripturæ cedere non debent, utpote quæ ex Traditione Apostolica ad nos transmissæ habentur.

(51. Sunt consuetudines, quas universalis per orbem diffusa Ecclesia servat, et quæ ab Apostolis ad nos dimanatæ creduntur.

(52. Aliæ vero quæ nec contra Scripturam Sacram, nec contra bonos mores esse noscuntur; ac variæ et diversæ pro varietate locorum et populorum reperiuntur; de quibus agit Sanctus Augustinus Epistola ad Casulanum.

(53. Quænam consuetudines, etsi inveteratæ, cum vix, aut omnino numquam inveniri possint causæ quas in eis instituendis homines secuti sunt, sine ulla dubitatione resecandæ et exstirpandæ sunt.

(54. Non locus consuetudinem, sed consuetudo locum commendat, uti docet Gratianus *Can.* 10, sive quod ea sit accipienda consuetudo, sine differentia locorum, quæ plus omnipotenti Deo possit placere.

(55. Consuetudines pias et laudabiles observari jussit S. Carolus in suo Concil. Mediolan. I.

(56. Consuetudo, quæ omnino rationi et veritati conformis est, ex Divo Augustino, retinenda esse videtur; ait enim ipse Sanctus Doctor *Can.* 7 : « Cum consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri. »

(57. Mutationem antiquarum Consuetudinum et inveteratorum morum solere esse causam turbationis, multaque secum incommoda trahere in Rempublicam Christianam fusius ostendit Franciscus Salgado, in Tract. De Supplicat. ad Sanctiss. part. 1, cap. 6.

(58. A Consuetudine suæ Ecclesiæ quoad ritus non facile recedendum est, eo quod hujusmodi licentiam paulatim latius serpens, confusionem, aliaque incommoda in ipsos sacros ritus et Sacramentorum administrationem inducere posset.

(59. In officiis et honoribus exhibendis non modo videndum est quidquid lege sancitum, sed quid consuetudine valeat ; adeo ut in juribus honorificis exhibendis plurimi semper facienda sit recepta consuetudo; ita Franciscus de Roye Lib. 2, c. 3, De Juribus Honorificis.

(60. Consuetudo Canones in totum abrogare non potest, eo quod ipsi quandoque

Digitized by Google

non tantum juri mere positivo, sed etiam naturali inniti videntur.

(61. Canones autem quæ versantur circa ea quæ sunt juris Naturæ, neutiquam abrogari consuetudine possunt, vel ulla humana relaxatione immutari.

(62. Consuetudinem abrogare potest tam jus commune, quam statutarium.

(63. Præsertim si jus quod alicui tribuitur, non est prohibens, sed concedens.

(64. Circa consuetudinem, quatuor casus figurari valent, in quibus ipsa adesse potest. Primus est quando jus est conforme consuetudini, disponendo id quod consuetudo recipit : et tunc ista non est consuetudo, sed observantia legis. Secundus, quando jus est simpliciter contrarium consuetudini disponendo id contra quod introducta fuit consuetudo; et tunc ista dicitur consuetudo contra simplicem dispositionem juris, quæ sola quadragenaria induci potest. Tertius est, ut quando Jus est medium contrarium consuetudini, sed illi resistit derogando, et prohibendo contrarium usum, et tunc requiritur quadragenaria cum titulo vel immemorabilis. Quartus casus est, quando jus nec assistit, nec resistit consuetudini, sive per contrarietatem, sive per resistentiam prohibitivam, et tunc dicitur consuetudo interpretativa, quæ datur in re dubia, et potest per decennium introduci.

(65. Consuetudo ut vim et auctoritatem legis habeat tria concurrere debent, videlicet usus longævus, Principis Consensus, et rationabilis causa; ita Doctores omnes in L. *de quibus*, de consuetudine agentes.

(66. Quot anni desiderentur ad inducendam consuetudinem vim legis habentem, non constat apud Doctores. Glossa et Bartolus docent decem vel viginti annis induci perfectissimam consuetudinem; Hottomanus vero et Mela existimant tantum tempus desiderari, quantum superstitum hominum nec ætas, nec memoria comprehendere possit.

(67. Quidquid sit, receptior opinio est illorum, qui discrimen constituunt inter consuetudinem quæ est præter, jus et eam quæ est contra jus; ita ut sit præter jus scriptum, desiderentur tantum decem anni; si vero contra jus, desiderentur quadraginta.

(68. Sed sive per decem sive per quadraginta annos inducatur consuetudo, debent per illud tempus actus populi intervenire; quia non verbis, sed factis consuetudo introducitur; (69. qui quidem actus debent esse voluntarii et non coacti, uti pluribus relatis defendit Avendanus de Metu lib. 2, c. 36. (70. Hi actus debent etiam esse uniformes, cum ex difformibus consensus colligi non possit.

(71. Ut Consuetudo vim legis obtineat, desideratur Principis consensus sive approbatio, et hæc vel tacita vel expressa.

(72. Consensus Principis debet esse rationabilis, ita ut justa ratione nitatur, sive rationi non repugnet quæ lege statui potuit; eadem enim est materia legis, justitiæ et consuetudinis; nam consuetudo est tacita quædam lex; leg. 3. *Quæ sit longa consuetudo*. Irrationabilis enim consuetudo corrupte la est, quæ nec immemorabili tempore præscribi potest.

ADDITIONES CASINENSES.

(73. Illud profecto videtur obstare validitati Consuetudinis contra Canones, quod sicut Inferiores Papa non possint condere leges contra Sac. Canones c. *Cum inferior* 16, de Majorit. et obed. sic non valeant etiam contra eos consuetudinem inducere. Sed animadvertendum est aliquam disparitatem esse inter legem et consuetudinem. Nam vetitum est contra Canones leges condere propter periculum animarum, uti observat Abbas cap. ult. num. 9, de Consuetud. Et propterea omnino deest legislatoris consensus. At pro consuetudine rationabili eadem ratio non militat, nam cum lex ordinatur ad bonum commune, ubi longa experientia constet contra mentem legislatoris Canonem deservire potius ad laqueum Consòrientiarum, quam adillarum utilitatem conferre, tunc Legislatorem subditorum infirmitati deferre, et saltem tacite et legaliter legem abrogare optime censetur. Unde si bene advertimus, in tali casu inferior non derogat legibus Superioris, sed ipse Legislator eam tollit, consentiendo tali consuetudini, et Jure communi statuendo quod per contrariam consuetudinem rationabilem legitimeque præscriptam possit tolli jus positivum humanum, Abbas c. 1, num. 4. de Trègua et pace.

(74. Quia Consuetudo est jus non scriptum et obtinet vim, rationemque legis, propterea sicut lex dividitur, ratione suæ materiæ, in Ecclesiasticam et Civilem, sic Consuetudo alia est Ecclesiastica, alia Civilis. Consuetudo Ecclesiastica sive Canonica est illa quæ ad res Spirituales vel Ecclesiasticas pertinet, Civilis vero, quæ circa materias temporales, vel ad gubernationem Reipublicæ pertinentes versatur. Sed consistere nequit Consuetudo mixta, ut si Clerici et Laici in eadem re convenirent; nam talis Consuetudo aut est de materia spirituali, servaturque tam a Clericis, quam a Laicis, quatenus sunt Christiani, et vocatur Consuetudo Canonica. Aut Consuetudo est de re mere temporali et tunc dicitur Civilis, quia custoditur a Clericis, non quatenus sunt Clerici, sed in quantum sunt Cives, et Reipublicæ membra; Suarez lib. 9 de legibus cap. 5, n. 1; Pirrhing de cons. n. 7.

Consuetudo *generalissima* est illa quæ in toto Orbe Christiano servatur, non in aliqua Civitate vel Provincia solummodo. Tales sunt consuetudines Ecclesiasticæ, quas memorat can. Ecclesiasticor., dist. 11. Consuetudo generalis vero dicitur ea quæ tantum in una Christiani Orbis Provincia servatur, ut in c. *Cum Eccles.* de Electione. et c. *Ex tuarum de authoritat. et usu Pallii.* Specialis tamen consuetudo appellatur, quam tenet duntaxat aliqua civitas, pagus, aut villa, de qua fit mentio in c. *Venientes* 19 de Jurejurando ibi : « Secundum vestræ Civitatis consuetudinem. » Et l. *An in totum* 6, de Ædific. privat. et l, *Ven.* § *Si constat*, ff. Commu-

Digitized by Google

nio prædior. Hæc tamen Consuetudo prævalet Generali, et si sint incompatibiles, illi derogat, juxta Reg. 34. Juris in 6 *Generi per speciem derogatur*. Et si coexistere possint, generalis per specialem explicatur, Gard. Tuschus Lit. G. Concl. 36, n. 41; Barbosa Axiomat. 107, n. 3 et 12. Demum appellatur *specialissima* illa Consuetudo, quæ servatur a minima parte populi, ut l. *Si Servus plurium*. § fin. ff. de Legat. I et l. *qui semisses*. ff. de Usuris. Hæc tamen jus non facit, sed tantum præsumptionem inducit, cui stare debemus, nisi contrarium probetur per Leg. cit. juncto c. *Ex studiis* et c. *Mandata de Præsumption*.

(75. Consuetudo dividitur amplius in judicialem et extrajudicialem, Zasius tit. de Legib. ff. n. ult. Judicialis ea dicitur, quæ pluribus sententiis conformibus super eodem causarum genere obtinuit in judicio; et saltem tunc requiritur quod bis judicatum fuerit pariformiter in judicio contradictorio intra decennium, Glossa in l. *De quibus* § *Inveterata*. At si aliquando juxta illam, aliquando contra judicium prolatum fuerit, nulla Consuetudo inde oritur, Glossa l. *Cum de consuetudine*, etc. *Contradictio* ff. eod. Contra Consuetudo extrajudicialis est illa quæ longo usu populi extra judicium inducitur.

(76. Consuetudo per quam rumpitur Nervus Disciplinæ Ecclesiæ, scilicet boni mores vel ordines Ecclesiasticæ Hierarchiæ violantur, nullam vim obtinet, proque irrita habetur, c. *Cum inter* 5, Consuetud. « Nos igitur cognito, inquit, quod ex tali consuetudine (non servandi Interdictum generale) si qua foret, disrumperetur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, ipsam duximus irritandam. » Ex quo sic concludit Glossa fin. « Et sic patet, quod ubicumque fit aliquid contra Ecclesiasticam disciplinam, sive nervum Ecclesiæ, non habet locum præscriptio. »

(77. Similiter non valet Consuetudo quæ impedit correctionem morum, uti clare habetur in c. *Irrefragabil*. de Offic. Ordinar. ibi: « Ut autem correctionis et reformationis officium (Prælati Ecclesiarum) libere valeant exercere, decernimus ut executionem ipsorum nulla consuetudo, vel appellatio valeat impedire. » Et cap. *Cum ex officii* 16, de Præscript. « Quemadmodum nec contra visitationem ipsam potest aliquo modo præscribi, » etc. Quamvis vero non præscribatur per Consuetudinem obedientia et visitatio, ac consequenter morum correctio *extinctive*, ita ut, scilicet, nulli debeatur obedientia, et nulli pertineat morum correctio et emendatio, tamen consuetudo præscribere solet *translative*, scilicet defert alio, quam legitimo superiori jurisdictionem, et sic jus Episcopi defertur Abbati vel Summo Pontifici ex c. cit. *Cum ex Officii* de Præscript. in quo additur. « Etsi alius contra eum præscribere posset utramque. » Barbos. part. 3, de offic. et potest. Episcop. allegat. 129, n. 9.

(78. Consuetudo si sit sola et non fulciatur a privilegio Apostolico, aut saltem ab ejus fama, cum est immemorialis, præscribere nullo modo potest contra Ecclesiasticam libertatem, Immunitatemque; nam in utroque jure talis Consuetudo reprobatur velut irrationabilis, ut pro Jure Canonico in cap. 1, et c. *Cum inter* 5 de Consuet. et in c. *Ad nostram* 3 eod. Demum c. *Cum terra* 14 de Elect. ubi sit: « Quia igitur hoc redundat in gravamen et perniciem Ecclesiasticæ Libertatis, præscriptam consuetudinis pravitatem sancimus penitus abolendam. » Et pro Jure Civili Auth. Cassa C. de Sacrosanct. Eccles. istis verbis. « Cassa et irrita esse denunciari per totam Italiam præcipit omnia statuta et Consuetudines contra libertatem Ecclesiæ, ejusque personas inductis adversus Canonicas et Imperiales Sanctiones, et ea de Capitularibus penitus aboleri mandat nova Constitutio; et de cætero similia attenta ipso jure nulla esse decernit. » Vide Gloss. cap. ult. vers. *Rationabilis*, et ibi Abbas n. 5 hujus tit. Alex. Sperell. Decis. 37, for. Eccles., n. 41 et 42 allegans Rotam Decis. 10 de Consuet. in antiq. et in Oscens. Canonicatus 1, Decem. 1596. coram penna Barbos. in Collectan. ad c. *Ecclesia S. Mariæ* n. 18 et seq. de Constit. At si adest privilegium Pontificis tunc, ut diximus, vim habet Consuetudo.

(79. Alia reperies apud Canonistas Tit. de Consuetudine.

CONTRACTUS IN GENERE.

SUMMARIUM.

1. Contractus proprie dictus quid sit. — 2. Adducitur, et solvitur instantia. — 3. Contractus ut sic dividitur primo in contractum *explicitum*, seu *formalem*, et in contractum *implicitum*, seu *interpretativum*: et quis sit uterque; *ad n.* 5. — 6. Secundo, contractus ut sic dividitur in contractum *gratuitum lucrativum*, et in contractum *onerosum*; et quis sit uterque; *ad n.* 8. — 9. Tertio, contractus ut sic dividitur in contractus *nominatos* et in contractus *innominatos*; et qui sint uterque, *ad n.* 12. — 13. Assignatur discrimen inter ipsos, *usque ad n.* 14. — 15. Quarto, Contractus ut sic dividitur in Contractus *bonæ fidei*, et in Contractus *stricti juris*, et qui sunt utrique, *usque ad n.* 16. — 17. Contractus *bonæ fidei* quare dicantur tales. — 18. Actiones *bonæ fidei* numerantur septemdecim. — 19. Contractus possunt perfici, aut compleri quatuor modis, scilicet, re, verbis, scriptis, et consensu. — 20. Ad validitatem contractus multæ requiruntur conditiones. Prima est mutuus utriusque contrahentis consensus. — 21. Secunda ut contractus fiat a personis potentibus, et non prohibitis de jure contrahere. — 22. Unde invalidi sunt Contractus celebrati ab Infantibus usu rationis carentibus, et amentibus, furiosis, ebriis, et phreneticis. — 23. Filiusfamilias adhuc impubes de quibuscumque bonis suis etiam cum consensu, et auctoritate Patris sui ex nullo contractu obligatur civiliter. — 24. Pupillus adhuc impubes auctoritate Tutoris contrahens obligatur civiliter. — 25. Filiusfamilias pubes non potest valide contrahere sine consensu Patris de bonis adventitiis et profectitiis. — 26. Potest tamen talis filius etiam sine consensu Patris contrahere de suis bonis castrensibus, et quasi castrensibus. — 27. Pupillus, et Minorennis valide contrahit in suum commodum obligando alterum, non tamen in suum incommodum obligando se al-

Digitized by Google

teri sine auctoritate Tutoris, seu Curatoris. — 28. Pupillus pubertati proximus, aut pubes, et multo magis Minorennis contrahens cum consensu, et auctoritate Tutoris obligatur, et naturaliter, et civiliter. — 29. Excipienda est tamen alienatio bonorum immobilium, et mobilium pretiosorum, quæ servando servari possunt. — 30. Pupillus, et Minorennis, seu minor 25 annis Curatorem habens non obligatur civiliter ex ullo contractu sine Tutoris aut Curatoris auctoritate inito. — 31. Excipiendi tamen sunt varii casus, in quibus pupillus, vel minor ex simili contractu etiam civiliter obligatur. — 32. Quamvis pupillus pubes, vel pubertati proximus, et minorennis sine Tutoris auctoritate contrahens non obligetur civiliter, obligatur tamen naturaliter, sive in foro conscientiæ. — 33. Adducuntur instantiæ, et solvuntur, *ad n.* 34. — 35. Excipiendi tamen sunt varii casus, in quibus pupillus, vel minorennis neque obligatur naturaliter, sive in foro conscientiæ. — 36. Uxor sine consensu Mariti non potest valide contrahere de bonis dotalibus, quousque talia bona dotalia quoad usumfructum, et administrationem sunt sub potestate mariti. — 37. Item invalide contrahit servus, sive cum Dominis, sive cum aliis contraxerit, ac proinde, neque illis, neque adversus illos conceditur de jure civili actio civilis. — 38. Limitanda est tamen hæc assertio in casu quo Servus Domino pecuniam promitteret pro libertate, qua adepta, teneretur pecuniam promissam erogare, et pro exsecutione concederetur actio civilis.—39. Sic etiam Religiosi solemniter professi nequeunt valide contrahere sine consensu Superioris. Superiores autem, et ab eis deputati administratores bonorum communium possunt equidem contrahere, sed in multis casibus nonnisi dependenter a consensu Capituli, et secundum speciales leges propriæ Religionis. — 40. Tertia ex conditionibus requisitis ad validitatem contractus est, ut res, quæ sub contractu cadit, non sit aliquo jure prohibita cadere sub contractu, sed revera commercium pati queat. — 41. Quarta conditio est, ut contractus celebretur cum cognitione, et libere, id est nullus in conventione intercedat error, neque vis, nec metus, nec dolus. — 42. Unde quando in altero contrahentium contigit error circa substantiam rei, contractus Jure naturæ est irritus. — 43. Si autem error, vel ignorantia sit solum circa qualitatem rei, non impedit consensum ad valorem contractus requisitum. — 44. Metus ab intrinseco proveniens non invalidat contractum. — 45. Similiter metus ab extrinseco proveniens, juste tamen ab alia causa libera incussus, contractum non invalidat. — 46. Si metus sit gravis ab extrinseco proveniens, seu ab altero contrahente injuste, et in ordine ad extorquendum consensum incussus, omnes contractus ex hujusmodi gravi metu injuste incusso celebrati vel sunt ipso jure invalidi, vel saltem per sententiam Judicis rescindendi. — 47. Enumerantur, et specificantur contractus, qui ratione talis gravis metus injuste incussi, sunt ipso jure invalidi, et qui sunt tantum irritandi, *ad n.* 49. — 50. Hactenus dicta intelligenda solum sunt de metu gravi, seu cadente in constantem virum, non autem de metu levi. — 51. Contractus vulgo dicti *trium* contractuum an sit licitus, vel illicitus, seu usurarius. *Remissive.* — 52. Contractus collaticius. — 53. Contractus venditionis cum pacto francandi. — 54. Alia Remissive. — 55 ad 77. An aliqua intercedat differentia inter pactum et contractum. — 78. Confundere non debes tractatum de contrahendo cum pactis et contractibus. — 79 ad 83. An locum sibi vindicet etiamnum distinctis Juris Romani inter contractus stricti juris et contractus bonæ fidei.

(1. Contractus proprie dictus « est pactum, ex quo ultro citroque oritur obligatio, » seu est duorum, vel plurium consensus ultro citroque obligationem pariens, qualis est v. g. Emptio, Venditio, Locatio, et hujusmodi, ubi venditor est obligatus ad dandam mercem; emptor vero ad refundendum pretium. Est in re communis, et habetur ex l. *Labeo*, ff. de verbor. significat. (2. Nec contra hanc Contractus definitionem obstat, quod inter Patrem et Filium, Subditum et Superiorem, Maritum et Uxorem, et hujusmodi detur mutua, sive ultro citroque obligatio, non tamen Contractus, adeoque data Contractus definitio non sit bona. Non obstat, inquam, quia respondetur statim distinguendo antecedens. Inter Patrem et Filium, Subditum et Superiorem, etc., datur mutua obligatio, orta ex aliis virtutibus distinctis a justitia commutativa, v. g. ex Pietate, Obedientia, Fidelitate, hujusmodi, conceditur antecedens; orta ex Justitia et commutativa, negatur antecedens, et consequentia. Contractus enim est ultro citroque obligatio, quæ oritur ex motivo commutativæ post mutuum contrahentium consensum.

(3. Contractuum divisio est multiplex : reticitis enim hic diversis Contractibus in specie, ut sunt Contractus, Venditionis, Emptionis, Locationis, Conductionis, Commodati, Societatis, et hujusmodi, de quibus suis respectivis locis; Contractus ut sic, dividitur Primo in Contractum *explicitum*, seu *formalem*, et in contractus *implicitum*, seu *interpretativum*. (4. Contractus *explicitus*, seu *formalis* est, qui fit expresso partium consensu, et dicitur explicitus, seu formalis, quia ejus obligatio oritur ex formali, et expressa utriusque contrahentis conventione, juxta quam procedit Regula 85. Juris in 6. « Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. » (5. Contractus *implicitus*, seu *interpretativus* est, qui fit implicite solum, et absque ulla expressa conventione inter partes, sed interpretativa tantum, ex legis videlicet dispositione. Sic v. g. fit in Tutela, id est quando quis in se suscipit officium Tutoris, seu quodvis aliud officium; qui enim Tutelam, seu quodvis aliud simile officium in se suscipit, eo ipso implicite, seu ex ipsa Juris interpretatione, absque alia expressa conventione se se obligat erga alterum, et alter obligatur erga ipsum, juxta leges, et conditiones circa tale officium receptas. (6. Secundo dividitur Contractus ut sic in Contractum *gratuitum lucrativum*, et in Contractum *onerosum*. Contractus *gratuitus lucrativus* est ille, quo ex una tantum parte oritur obligatio, ut nil petatur ex altera parte, ut donatio, legatum, Precarium, commodatum, etc. (7. Contractus *onerosus* est ille, quo ex utraque parte inducitur obligatio, ita ut obligationi unius correspondeat obligatio alterius, ut Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, etc., in his enim utrique parti contrahentium aliquod onus imponitur quidpiam dandi, vel præstandi. (8. Alii vero illum appellant Contractum *onerosum*, ex quo oritur obligatio aliquid rependendi loco ejus quod datur, ut patet in emptione, et venditione, ubi emptor est obligatus ad rependendum pretium pro

Digitized by Google

re sibi vendita, et venditor est obligatus ad tradendam rem pro pretio ab emptore recepto; Contractum vero *gratuitum* illum appellant, in quo nihil rependitur loco ejus quod datur, ut in donatione, Legato, etc., ubi Donatarius, et Legatarius, etc., nihil tenentur rependere Donanti, et Leganti, etc.

(9. Tertio, Contractus ut sic dividitur in Contractus *nominatos*, et in Contractus *innominatos;* Contractus *nominati* sunt illi, qui non sistunt in nomine generali Contractus, vel pactionis, sed transeunt in proprium, seu specificum nomen sibi in Jure attributum, ut sunt Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Depositum, Commodatum, Sponsalia, Matrimonium, et hujusmodi. (10. Contractus *innominati* sunt illi, qui proprio, et specifico nomine carent, et sistunt in nomine generali Contractus, seu pactionis. (11. Et horum quatuor sunt species, prout habetur in leg. *Naturalis*, ff. de Præscriptis verbis, scilicet *Do, ut des; Do, ut facias; Facio, ut facias, Facio, ut des.* (12. Ubi observa, quod si v. g. ego do tibi vinum, ut tu mihi des triticum, talis Contractus, non est emptio, nec venditio, quia non datur pretium pro merce, nec est ullus contractus specifice nominatus, sed sistit in solo generico nomine Permutationis, quia nomen permutationis ex se est commune omnibus contractibus respectivis, seu parientibus mutuam obligationem, ut cum aliis explicat Lugo tom. 2 de contractibus in genere, disp. 22, sect. 2, num. 8. Sporer., tom. 2, tract. 6, cap. 2, num. 9 et alii; sic etiam fit cum quis dat Paulo v. g. panem ut sibi laboret, pingat, scribat, vel aliud quid faciat, aut cum quis colit alteri vineam, ut alter pascat suos boves, et hujusmodi; est enim ibi, et in similibus conventio quædam, sed non contractus aliquis nominatus. (13. Discrimen autem est inter utrosque contractus, quod in contractibus nominatis non licet pœnitere, id est a contractu resilire, altera parte, non consentiente, ut patet ex l. *Sicut* 5. C. de action. et oblig. At vero in contractibus innominatis, quantum est de jure civili, licet pœnitere, seu a Contractu recedere, etiam si pars pœnitens, seu recedens ex sua parte Contractum impleverit, si ex altera parte nondum impletus sit; dummodo tamen altera pars servetur indemnis, si fortasse aliquod damnum occasione talis revocati Contractus incurrat. v. g. quia fecit jam quasdam expensas pro impletione talis Contractus, et postea is fuit per pœnitentiam alterius partis revocatus, exempli gratia, Petrus dedit Paulo pecuniam, ut pergat Romam, Petrus potest pecuniam repetere, quandiu Paulus nondum ivit, dummodo Petrus servet indemnem Paulum, si pro tali faciendo itinere jam quasdam fecit expensas; l. *si pecuniam* 5, ff. de condictione causa data. (14. Notanter autem dicitur *quantum est de jure civili*, quia spectato jure Canonico in Contractibus innominatis pœnitere non licet, si altera pars parata sit fidem servare, et Contractum adimplere, neque sit in mora hunc adimplendi; in foro enim conscientiæ, cum una pars non recedat, debet utraque stare contractui, nisi circumstantiæ sint notabiliter mutatæ, ut ex communi recte notat Tambur., lib. 8, tract. 3, c. 6, § 2, et docet Felinus in c. *Antigonus*, de pactis, num. 13. Molina, tom. 2, de justit. et jure, disp. 258, num. 7, citans pro hac sententia Baldum in rubric. C. de rerum permutat. Et sic tenent alii passim. Et ratio est quia, ut supponimus, vere se in conscientia obligavit, atque altera pars cum onere se obligandi acceptavit, unde in conscientia non licet uni parti pœnitere, seu recedere altera parte dissentiente.

(15. Quarto, Contractus, ut sic dividitur in Contractum *bonæ fidei*, et in Contractum *stricti juris*. Contractus *bonæ fidei* sunt illi, in quibus Judex multa potest arbitrari, quæ secundum bonam contrahentium fidem censentur inesse, etiam si verbis non fuerint expressa, ut sunt Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Depositum, Societas, et cæteri Contractus, qui enumerantur in § *Actionum autem*, Institut. de Actionib. (16. Contractus *stricti juris* sunt illi, in quibus Judex alligatur ad verba contrahentium, quia in ipsis stricta interpretatio fieri debet secundum id, quod verbis expressis conventum fuit, ut sunt *mutuum, census, emphyteusis, stipulatio, donatio gratuita*, etc., l. 90, ff. de verb. obligat. (17. Hic est advertendum ex Glossa communiter recepta in cap. *Cum venerabilis* 6, de exceptionibus, verb. *Bonæ fidei*, quod Contractus *bonæ fidei* non ideo sic dicuntur, quasi in eis tantum servari debeat bona fides, quia hæc etiam in omnibus aliis Contractibus stricti juris requiritur, non enim licet neque eos mala fide celebrare; sed ideo primi dicuntur Contractus bonæ fidei, ex quo cum frequenter soleant fieri inter cives, non solent in iis Contractibus apponi multæ conditiones, quæ alias in aliis Contractibus ponuntur, sed se remittunt ad consuetudines Patriæ in dictis communibus Contractibus intelligi solitas, secundum quas rectus Judex judicare debet, quamvis in similibus Contractibus non sint expressæ tales conditiones, cum secundum bonam contrahentium fidem censeantur inesse; Contractus vero *stricti juris* ideo sic dicuntur, quia in ipsis contrahentes solent omnes particulares conditiones apponere, secundum quas, et præscripta verba Contractus, et non aliter, debet Judex restricto judicare in iis. (18. Numerus actionum *bonæ fidei*, quæ sunt septemdecim, patet in sequentibus versibus a Glossa loco citato adductis.

Empti, Conducti, mandati, depositique,
Pignora, Ciscundæ (id est familiæ erciscundæ) *communi* (id est communi dividendo) *pro socioque.*
Dotis, et Hæredis, Tutelæ, Commoda, Gestor.
Præscriptis verbis si mutat, sive licetur.
Ista bonæ fidei sunt; stricti cætera juris.

Et eadem Glossa ibi advertit, quod in primo versu per ly *Empti* subintelligitur etiam ly *Venditi*, et per ly *Conducti* subintelligitur ly *Locati*, quia nunquam unum

Digitized by Google

est sine altero, id est nunquam est emptio sine venditione, et conductio sine locatione. Item in quarto versu verba illa *Præscriptis verbis si mutat, sive licetur*, duas tantum actiones denotant; nam actio *Præscriptis verbis* est stricti juris, demptis his duobus casibus, videlicet quando ea de æstimato proponitur, vel quando ea ex permutatione competit; Glossa § *Actionum*, verb. *Expermutatione*, institut. de Actionib.

(19. Contractus possunt perfici aut compleri quatuor modis, scilicet Re, Verbis, Literis seu scriptura, vel saltem consensu. Est *communis* et expresse habetur in § fin. Institut. de obligat. ibi : « Aut enim re contrahitur, aut verbis, aut literis, aut consensu. » (20. Ad validitatem Contractus multæ requiruntur conditiones. Prima est mutuus utriusque contrahentis consensus ; l. 1, § *Conventiones*, ff. de pactis, ubi sic habetur: « Dixit Pedius nullum esse pactum, nullam obligationem, quæ non habeat in se consentionem, nam et stipulatio, quæ verbis fit, si non habeat consensum, nulla est. » Idem in terminis habetur leg. 3, ff. de oblig. et action. et patet clare ex ipsamet definitione Contractus desumpta ex leg. *Labeo*, ff. de verb. significat. quod nempe Contractus sit ultro citroque obligatio, vid. supr. n. 1. (21. Secunda ut Contractus fiat a personis potentibus, et non prohibitis de jure contrahere ; leg. 5, Cod. de oblig. (22. Unde invalidi sunt Contractus celebrati ab infantibus usu rationis carentibus, ab amentibus, furiosis, ebriis, et phreneticis; §8, Institut. de inutili stipul. et leg. obligationes 11, § 12, ff. de oblig. et action. (23. Filius familias adhuc impubes de quibuscumque bonis suis etiam cum consensu, et auctoritate Patris sui ex nullo Contractu obligatur civiliter, Institut. de inutil. stipulat., § *Sed quod diximus*. (24. Pupillus tamen impubes auctoritate tutoris contrahens obligatur civiliter ; ibid., § *Pupillus* 9. Et ratio disparitatis est, quia pupillo datur actio contra tutorem, si male suaserit, aut male auctoritatem præstiterit, qualem actionem non habet filius contra Patrem ob naturalem reverentiam, ac virtutem pietatis; leg. *Cum oportet*, § *Sub hac tamen ver.* (25. Filius familias pubes non potest valide contrahere sine consensu Patris de bonis adventitiis, et profectitiis, leg. ultim , § 5, C. de bonis, quæ liberis. (26. Potest tamen talis filius etiam sine consensu Patris contrahere de suis bonis castrensibus, et quasi castrensibus, quorum is absolutum habet dominium, Institut. de inutil. stipulat., § Item inutil. 6, et leg. 39, ff. de action. et obligat. (27. Pupillus et Minorennis valide contrahit in suum commodum obligando alterum, non tamen in suum incommodum, seu obligando se alteri sine auctoritate Tutoris, vel Curatoris; Instit. de auctor. Tutor. et inutil. stipulat., § *Pupillus;* item. leg. *Julianus* 13, ff. de action. empt. leg. *Contra Juris* 28, de pactis, et est communis.

(28. Pupillus pubertati proximus (id est post completum annum undecimum cum dimidio, si masculus sit; vel nondum cum dimidio, si sit fœmina, ex § *Pupillus*, Institut. de inutil. stipulat. juncta Glossa verb. *Infantiæ proximus*) aut pubes, et multo magis minorennis contrahens cum consensu, et auctoritate Tutoris obligatur, et naturaliter, et civiliter; leg. *impuberes*, ff. de auctorit. et consensu Tutorum. (29. Excipienda est tamen alienatio bonorum immobilium, et mobilium pretiosorum, quæ servando servari possunt; ista enim pupillis, et minoribus etiam accedente Tutorum, vel Curatorum auctoritate interdicta est, nisi Judicis decretum accedat; l. *Lex* , C. de administrat. tutorum, l. ult. C. *quando decreto opus non est*, et l. *non solum*. § *minor*, C. de prædiis Minorum , l. *Clarum* , C. de auctorit. præstanda. (30. Pupillus et Minorennis, seu minor 25 annis Curatorem habens non obligatur civiliter ex ullo contractu sine Tutoris, aut Curatoris auctoritate inito. Ita habetur in § *admonendi*, Instit. *Quibus alienare licet*, et toto tit. ff. et Institut. de auctorit. Tutor. et l. 3, C. de in integrum restitut. (31. Excipiendi tamen sunt varii casus, in quibus pupillus, vel minor ex simili Contractu etiam civiliter obligatur ; Primo scilicet, quando res tradita pupillo dolo ejus periit, datur contra eum actio civilis, qua solvere compellitur; leg. 1, § *an in pupillum*, ff. depositi leg. 3, § *pupillus*, juncta Glossa ff. de negot. gestis. Secundo, quando pupillus seu Minorennis contractum juramento firmavit, civili etiam actione obligatur; Authen. *Sacramento puberum*, C. si adversus venditionem. Tertio, quando pupillus seu Minorennis ex tali Contractu est factus ditior; leg. *pupillus* § *pupillus*, ff. de auctorit. Tutor. C. de usucapione pro emptore. Nam « Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. » Regul. 48 juris in 7. Exempli gratia, si pupillus, vel Minorennis mercem sibi traditam a venditore, ante solutum pretium bona fide absumpsit, vel amisit, potest compelli in foro civili ad reddendum id in quo inde factus est ditior.

(32. Quamvis pupillus pubes, vel pubertati proximus, et Minorennis sine Tutoris auctoritate contrahens non obligetur civiliter ut dictum est supr. num. 27, obligatur tamen naturaliter, sive in foro conscientiæ, Est communior cum Molina tom. 1, tract. 2, disput. disp. 224, n. 31. Sanchez. lib. 6, de Matrimon. disp. 38, n. 21. Less. lib. 2, cap. 19, n. 61. Rebell. part. 2, lib. 1, de contract. quæst. 8, sect. 2. Gomez 2, resolut. cap. 14. Card. De Lugo disp. 22, sect. 19, num. 288. Layman. lib. 3 , tract. 4 , cap. 9 , num. 7. Sporer tom. 2 , tract. 6 , cap. 1 , num. 138. Onnate de contractib. d. 4, num. 40. La Croix lib. 3, part. 2, num. 671. cum plurimis aliis ibi citat. contra Alciat. Covarruv. et varios alios apud Sanchez num. 20. Et ratio est quia obligatio naturalis oritur ex consensu; leg. *Stichum* § *naturalis*, ff. de solut. sed pupillus pubes , vel pubertati proximus , et a fortiori Minorennis sufficientem consensum habent, ut colligitur ex § *pupillus*, Institut. de inutil. stipulat. ergo naturaliter, sive in foro conscientiæ obligantur ex contractu.

Digitized by Google

Neque leges civiles tales contractus irritant pro foro conscientiæ, et naturaliter; immo potius multis in locis dicunt pupillum sine tutoris auctoritate contrahentem obligari naturaliter, uti expresse habetur leg. *Si pupillus*, ff. ad l. *falcidiam*, leg. *Si ejus*, ff. ad Trebellianum, leg. 1, ff. de Novationibus, et alibi sæpe, ut leg. *Mercellus* 25, ff. de Fidejussoribus, ubi expresse dicitur pupillum sine auctoritate tutoris contrahentem obligari : non obligatur autem civiliter, ergo naturaliter. (33. Nec obstat quod leg. *pupillus*, ff. de actionibus, et obligat. et l. *Quod pupillus*, ff. de condict. indebitis, negetur pupillum naturaliter obligari; nam respondetur quod illa jura, et alia similia loquuntur de pupillo impubere proximo infantiæ, qui cum infirmum intellectum habeat, et parum a furioso distet, ut dicitur; leg. *pupillus* 56, ff. de action. et obligat. ideo jura civilia ejus contractui resistunt, et omnem obligationem tollunt; Sic Layman loc. cit. num. 8. Sporer. loc. cit. num. 138, et alii passim. (34. Nec etiam obstat, quod leg. 59, ff. de obligat. dicatur pupillum mutuam pecuniam accipiendo nequidem jure naturali obligari; nam sensus est jure naturali non obligari stare contractui, cum ipse rescindere possit; Sic La Croix loc. c. n. 671.

(35. Excipiendi tamen varii casus, in quibus pupillus, vel Minorennis neque obligatur naturaliter, sive in foro conscientiæ. Primo, scilicet si pupillus, cum ipso tutore contrahat v. g. si Tutori vendat Domum, prædium, et hujusmodi, non obligatur nequidem naturaliter, quia leges hujusmodi contractui resistunt; leg. 1, et leg. *pupillus*, ff. de auctoritate Tutor. leg. *Non licet*, ff. de contrahend. empt. Dato autem quod pupillus habeat plures tutores, si auctoritate unius contrahat cum altero, tunc pupillus est obligatus; leg. *pupillus*, ff. de auctoritate tutor. Layman loco cit. n. 8. Sanchez loco cit. num. 25, et alii passim. Secundo, si pupillus alienet bona immobilia vel mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt saltem per triennium, Contractus, non obligat nequidem naturaliter; quia in his contractibus majoris momenti jus positivum irritat consensum, non solum pupilli, sed etiam tutoris, si consentiat sine decreto Judicis; leg. 12, Cod. de administr. tutor. et communis Doctorum, et leg. 7, 11, 15, Cod. de prædiis. Tertio, si Judex ex speciali causa interdixerit omnem administrationem pupillo circa res suas, tunc non erit pupillus obligatus nequidem naturaliter per Contractum, quia consensus illius esset jure irritus; Sanchez loc. cit. n. 27. La Croix loc. cit. n. 746, et alii.

(36. Uxor sine consensu Mariti non potest valide contrahere de bonis dotalibus, quousque talia bona Dotalia, quo ad usumfructum, et administrationem sunt sub potestate Mariti. (37. Item invalide contrahit servus, sive cum Dominis, sive cum aliis contraxerit, ac proinde neque illis, neque adversus illos

conceditur de jure civili actio civilis; leg. *In personam*, 1. *quod attinet*, ff. de regul. Juris, leg. *Servi*, ff. de actionibus, et obligat. (38. Quantum autem ad Servum limitanda est assertio in casu, quo Servus Domino pecuniam promitteret pro libertate, qua adepta teneretur pecuniam promissam erogare, et pro exsecutione concederetur actio civilis; leg. *promissæ*, Cod. an. Servus proprio facto. (39. Sic pariter Religiosi solemniter professi, ex quo ob votum paupertatis nullius rei Dominium habent, consequenter nequeunt legitime disponere de bonis Monasterii, neque valide contrahere sine consensu superioris; Superiores autem, et ab eis deputati Administratores bonorum communium, possunt quidem contrahere, sed in multis casibus non nisi dependenter a consensu Capituli seu Religiosæ communitatis, et solummodo ad usus determinatos, et quo ad hoc observandæ sunt speciales pro unaquaque Religione Constitutiones, et legitimæ praxes. Ita communis Doctorum.

(40. Tertia ex conditionibus requisitis ad validitatem Contractus est, ut res quæ sub Contractu cadit, non sit aliquo jure prohibita cadere sub conventione, sed revera commercium pati queat. Unde defectu hujus conditionis, si res esset v. g. Sacra, aut publica, conventio, seu contractus erit inutilis; § 2, Instit. de inutil. stipul., ibi : « Idem juris est (*hæc stipulatio erit inutilis*) si rem Sacram, aut Religiosam, quam humani juris esse credebat, vel publicam..... vel cujus commercium non habuerit; » Sic invalidus est contractus, quo sine beneplacito Apostolico alienantur, vel permutantur, vel hypothecæ subjiciuntur bona Ecclesiastica immobilia, vel mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt; Extravagant. Pauli II incip. *Ambitiosæ*. (41. Quarta conditio est, ut contractus celebretur cum cognitione, et libere, id est nullus in conventione intercedat error, neque vis, nec metus, nec dolus; Regul. 116, § 2, de regul. juris ibi : « Non videntur qui errant consentire; » Nihil consensui tam contrarium est, quam vis atque metus.

(42. Unde quando in altero contrahentium contingit error circa substantiam rei, contractus jure naturæ est irritus, quia tunc deest consensus substantialis, cum nullus sit errantis consensus, ut expresse dicitur leg. *Non idcirco*, Cod. de juris et facti ignorantia; leg. 15 ff. de jurisd. leg. 11 et 41. *ff.* de contrah. empt. Sic v. g. dum venditur, et emitur aurichalcum pro auro, vitrum pro gemma, est nullus contractus, nam emens intendit emere aurum, vel gemmam, non vero aurichalcum, vel vitrum; sine consensu autem contractus est nullus; l. 1, § *conventiones*, ff. de pactis; l. 3, ff. de obligat. et action. (43. Si autem error vel ignorantia sit solum circa qualitatem rei, non impedit consensum ad valorem contractus requisitum; Aliter 10, et l. *Alioquin*. 31. de contrah. empt. (1). (44. Me-

(1) Non est generatim verum, errorem, et ignorantiam circa rei quantitatem non impedire consen-

Digitized by Google

tus ab intrinseco, idest, vel proveniens ab intrinseca complexione hominis, vel incussus a causa naturali, ut est metus mortis imminentis ob morbum, naufragium, serpentes, feras, etc., non invalidat contractum, quia homo tunc non impellitur ab alio, sed ipse se in eum contractum libere inducit; uti habetur l. *Si mulier* 21, ff. quod metus causa, et colligitur ex cap. *Sicut nobis* 17, de Regularibus, ubi votum Religionis emissum a constituto in lethali infirmitate censetur validum. (45. Similiter metus ab extrinseco proveniens, juste tamen ab alia causa libera incussus, contractum non invalidat; leg. 3 et 21, ff. *Quod metus causa*, et colligitur ex cap. *Ex literis* 2, de sponsalibus, ubi deciditur eum valide contrahere Matrimonium, qui post inita sponsalia metu excommunicationis cogitur ad Matrimonium; et ex capit. de Regularibus 25, de Simonia, ubi de aliquo, qui deliquerat dicitur debere cogi ad strictiorem ordinem. Et ratio est, quia metus relinquit simpliciter voluntarium; quod enim metus injuste incussus irritet contractum, non est ratione involuntarii, sed ratione injustitiæ, metus autem juste incussus non infert cuipiam injuriam. *Est communis.*

(46. Si metus sit gravis ab extrinseco proveniens, seu ab altero contrahente injuste, et in ordine ad extorquendum consensum incussus, omnes contractus ex hujusmodi gravi metu ad extorquendum consensum injuste incusso celebrati, vel sunt ipso Jure invalidi, vel saltem per sententiam Judicis rescindendi. Ita communis Doctorum, nam licet plurimi, ut Henriquez, Bonacina, Reginaldus, Lessius, aliique supra innumeri, præsertim Canonistæ cum Sanchez de Matrimon. lib. 4, d. 4, num. 4. Illsung. tom. 2, d. 2, n. 349. La Croix loc. cit. n. 636, velint, ut certius est, metum ab altero contrahente injuste, et in ordine ad extorquendum consensum incussum spectato jure naturæ non invalidare contractum, contra Molinam, Rebell. Valent. Onnat. et varios alios, qui dicunt omnes hujusmodi contractus esse jure naturæ irritos; tamen omnes conveniunt, quod tales contractus vel sunt ipso jure positivo irriti, vel saltem irritandi. Et hoc desumitur ex cap. *Abbas* 2, de his, quæ vi metusve causa fiunt, ubi hæc regula generalis traditur, ibi: « Quæ metu, et vi fiunt, de jure debent in irritum revocari; » ex cap. *Ad audientiam* 4, eodem tit. ubi consimiliter habetur, ibi: « Quæ vi, metusve causa fiunt carere debent robore firmitatis. » (47. Unde nostra assertio sub disjunctione loquens declaratur per inductionem. In primis enim contractus aliqui, scilicet Matrimonium, et Professio religiosa, promissio, vel solutio dotis veluti accessoriæ ad Matrimonium, promissio, vel traditio ex rebus Ecclesiæ, sunt ipso jure positivo irriti, si fiant ex metu gravi injuste incusso. Idem tenent multi de sponsalibus, renunciatione Beneficii Ecclesiastici, jurisdictione extorta, absolutione a censuris, votis simplicibus, et aliis de quibus videri possunt Sanchez de Matrimon. lib. 4, d. 8. Less. loco cit. n. 37. Lugo loco cit. n. 120. Onnat. loc. cit. n. 230. Illsung. loco cit. n. 350. et signanter Glossa magna in cap. *Abbas* 2, de his quæ vi metusve causa fiunt, ubi varia jura adducit. (48. Reliqui vero contractus per talem injustum metum extorti non sunt ipso jure positivo irriti, et invalidi, sed tantum irritandi. Est *fere communis* cum Glossa mox citata in d. cap. *Abbas* in fine, ubi ad denotandos contractus causa gravis, seu coactionis, seu metus ipso jure irritos, et alios solum irritandos, adducit sequentes versus.

Tutor, Judicium, Dos, Sacrum, Copula, Votum,
Hæc sex vi facta de jure scias fore nulla,
Cætera jus patitur, sed postea restituentur.

(49. Et ratio est, quia jura de cæteris aliis contractibus loquuntur ut validis, et qui irritatione, seu rescissione indigeant. Sic habetur in l. 1, ff. quod metus causa, l. *dolo vel metu*, Cod. de inutil. stipulat. l. *Si mulier* 21, § *Si metu coactus* 2, ff. de eo quod metus causa et l. *si metus causa* 84, ff. de acquirend. hæred. ubi dicitur adeuntem hæreditatem ex metu hæredem fieri, sed restituendum esse; et leg. final. Cod. de his, quæ vi, *dicitur*: « Venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari, » et cap. *Abbas* 2, de his, quæ vi metusve causa fiunt, *præcise habetur*, « quæ metu, et vi fiunt, de jure debent in irritum revocari. » Et causa harum legum fuit, partim ne lites, et jurgia multiplicarentur, si unicuique absque sententia Judicis liceret res suas repetere, partim quia injectio metus injusti est delictum, delicta autem non præsumuntur; hinc jus statuit, non dari actionem, nec rescindi contractum, antequam delictum probetur; sic recte suo more La Croix loco cit. num. 638. (50. Hic tamen est advertendum, quod hactenus dicta intelligenda solum sunt de metu gravi, seu cadente in constantem virum, non autem de metu levi, prout habetur cap. *Cum delictis* 6, de his, quæ vi, metusve causa fiunt.

(51. Contractus trium contractuum, qui a multis defenditur, ab aliis improbatur, a Pontifice Benedicto XIV, præcise non improbatur, sed facultatem permittit Episcopis, ut in suis Synodis dehortentur subditos suos ab eo exercendo; de Synodo dioeces.

sum ad valorem requisitum. Nam si qualitas talis sit, ut contrahens expresse vel implicite contrahere noluerit, nisi res tali fuerit qualitate affecta, certe deest consensus ad valorem contractus necessarius. Tunc enim qualitas una cum rei substantia ingreditur objectum substantiale contractus, et voluntas contrahendi deest, si qualitas illa desideretur. Hinc si emens pannum, anglicum v. g. velle sibi comparare contendat, vel certæ alterius qualitatis, loco vero istius, diversæ qualitatis pannum tradatur, his in hujusmodi contractum non consentiret, quia ob defectum optatæ qualitatis, pannum traditum, illud non esset, quod emptor emere velit. (*Nota Rem. Theologi.*)

Digitized by Google

lib. 7, toto cap. 50, in postrema Edit. lib. 10, cap. 7. Vide etiam in nostro tom. 7, verb. *Societas*, ubi fuse de eo. (1).

(52. Contractus *collaticius* is est quo bos terram arans traditur bubulco, qui solvit Domino bovis certam portionem frumenti lege hac adjecta, ut si bos naturaliter moriatur, damnum sit domino et bubulco commune. Si vero pereat culpa bubulci, is totum damnum subeat. Hic contractus approbatus est a Theologis, nonnullis adjectis conditionibus, quæ probatæ fuerunt a Sac. Congregatione Concilii die 6 Decemb. 1730. De Synodo Diœces. lib. 7, cap. 51, § 2.

(53. Contractus venditionis cum pacto francandi, est cum Titius vendit Sempronio prædium suum cum pacto redimendi rem venditam, prædium tamen retinet tamquam conductor, et pro conductione mercedem solvit, donec idem Titius sibi illud prædium redimat. In hoc contractu pœnitens emptor a Confessario interrogandus est, num reipsa animum sincerum habuerit emendi; similiter et venditor interrogandus est, num ab emente pecuniam mutuam petierit, eumque renuentem induxerit ad usuram obtegendam pallio pacti francandi. In utroque enim illo casu subintelligitur usura, adeoque illicitum judicandum est; secus vero non; De Synodo Diœces. lib. 7, cap. 51, § 2.

(54. Alia ad rem, vide verb. *Societas* n. 3, ad 10.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(55. Nulla jure naturali inspecto intercedit differentia Pacta inter et Contractus quoad effectum obligationis, utpote quæ in utrisque ex eodem principio sequitur, scilicet quod is qui pacto, seu Contractu jus aliquod alio concedit, et in eum transfert, ex regula justitiæ generalis, id debeat tribuere, in quem jus consensu illo translatum est. (56. Recte Modestinus in lege 52, § 4, de oblig. et Action. : « Consentientes (inquit) in aliquam rem consensu obligari necessario ex voluntate nostra videmur. »

(57. At Leges Romanæ pacta, quæ sine ulla causa vel præcedenti, vel præsenti, vel futura ineuntur, distinxerunt a pactis, quæ continent Synallagma; id est ubi qui ideo se obligat, vel quia aliquid datum, vel factum est ab altero, vel quia vicissim aliquid præstare debet. (58. Priora pacta *nuda* vocabant, atque ex ipsis civilem obligationem non dabant; (59. Neque enim Civibus temere sua jactare permitti debere credebant, quia non tam animo deliberato, quam præcipitato consilio promisisse censebantur. (60. Posteriora vero pacta Contractus nominabant, civilemque ex iis actionem dabant; « Fidem (ait Sextus Cæcilius apud A. Gellium lib. 2, noct. Attic. cap. 1) Majores nostri in negotiorum contractibus sanxerunt; » Confer Noodt de pact. cap. 9, et seq. utrobique per tot.

(61. Inter posteriora hæc pacta, quædam frequentiorem usum habebant, et quotidie occurrebant. (62. Quo factum est ut Romanæ Leges illis dederint proprium nomen, quod totam negotii naturam exprimeret, eaque Contractus nominatos vocaverint, et actionem inde natam nominarint. (63. Et quum horum Contractuum quidam dationem requirerent, quidam consisterent nudo consensu, quidam verbis, quidam literis contraherentur, nati inde sunt Contractus reales, consensuales, verbales, et literales. (64. Cæteros Contractus, quibus peculiare nomen haud dedere, innominatos appellarunt; quia quum certum illis nomen impositum non sit, manet ratio naturalis contrahendi illa negotia, per verborum scilicet ambages, circumscribendo id, quod partes inter se actum esse volunt. (65. Unde Actori dabatur actio *præscriptis verbis* ad exigendum id, quod ob causam promissionis Synallasum est.

(66. Ex hypothesi itaque Legum Romanarum Contractus sunt pacta, quæ ob causam fiunt, adeoque ubi Synallagma, seu commutatio juris subest. (67. Quare differunt a pactis, quæ talem causam minime habent, adeoque ubi Synallagma non subest

(68. Patet ex dictis cur Leges Romanæ nullam ex pactis, quibus causa non suberat, actionem dederint. Sed tractu temporis æquitas fidei datæ prævaluit, et obligatio pactis plenissime restituta est.

(69. Primo ipsæ Leges Romanæ plures exceperunt species pactorum, ex quibus civilem obligationem id est actionem dederunt, quæque *legitima*, seu *vestita* dixerunt. Huc pertinent *pactum de donando leg.* 35, § 5. C. de donat. Promissio dotis leg. 6, C. de Jur. dot. et alia, de quibus vide Noodt de pact. cap. 13, et seq.

(70. Secundo : ex pactis Contractibus bonæ fidei incontinenti adjectis obligationem itidem civilem dederunt; l. 7. § 5. et 6. ff. de pact. Consule Noodt de pact. cap. 11.

(71. Tertio : Prætor actionem dedit, si quis pecuniam, quam ipse vel alius Titio debet, se soluturum nudo pacto promittit; tot. tit. ff. de constit. pecun.

(72. Idem prætor demum ex omni pacto exemptionem dedit, id est omnes effectus debiti naturalis ei tribuit præter actionem, (73. ubi ad naturalem æquitatem provocat,

(1) Ego vero, ne cui Benedicti XIV. sententia obscurius indicata, quam oporteret, fraudi sit, describam ejusdem cap. cit. n. 6, verba, quæ jam hujusmodi : « Hæc sunt præcipua rationum momenta, quæ in utramque partem adducuntur; neque Apostolica Sedes priori opinioni, *quæ trinum contractum ab omni usuræ labe absolvit*, etsi minus congruere videatur Sixtinæ Constitutioni, ullam hactenus censuram inussit, a qua proinde eidem infligenda debet Episcopus abstinere; ad usum vero quod attinet, tuto poterit contractum trinum, quem etiam ejusdem patroni periculosum fatentur, pro viribus impedire, atque ab eo ineundo suos subditos dehortari, quod a plerisque Episcopis in suis Diœcesanis Synodis sapientissime factum referunt citati Gener. tom. 1, tract. 4, cap. 14. Natalis Alexander epistol. 94, in Append. ad t. 2, suæ Theol. moral. » (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

et nihil tam fidei humanæ congruum esse inquit, quam pacta conventa servare; leg. 1. in princip. de pact.

(74. Jus Canonicum restituit jus naturæ, et ex omni pacto actionem dedit. Idque probatur ex c. 1. de pact. verb. *Conventus sentiat disciplinam Ecclesiast.*, etc. Ergo conventus mediante actione compelli ad implendum pactum potest; ex cap. 3. eod. ubi distincte dicitur, promissum esse servandum ex cap. 1. et final. eod. tit. in verb. *Perpetuo inviolabiliter observari.* Vide et alias juris Canonici loca allegata a Stryk. in usu mod. Pand. lib. 2. tit. 14. § 2.

(75. Moribus confirmatum est jus Canonicum, ita ut hodie omnia pacta nuda producant obligationem civilem; Groenweg. in leg. 10. per tot. Cod. de pact. Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 2. tit. 14. § 3. At confer præ cæter. Henric. Coccei in dissert. de Jur. Pœnitent. 4. § 10.

(76. Quæ quum ita se habeant, duo inde inferre licet. Primum est, quod hodie nec in Contractibus innominatis locus sit pœnitentiæ, *Gravis* ita ad rem disserit Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 2. tit. 14. § 5. « Controversia resultat, an supposita simplici illa pactorum validitate pœnitentiæ adhuc locus sit in Contractibus innominatis? Quippe Romano jure expeditum est, in illis contractibus non tantum ab initio pœnitentiæ locum esse, sed et illi repetitionem permissam, qui ex sua parte Contractum adimplevit, etc. Hodie vero in Contractibus innominatis pœnitentiæ locum non esse ea propter defendit Molin., etc., quia omnia, quæ de pacto nudo ac vestito, de Contractibus nominatis, et innominatis subtiliter potius quam utiliter ab Ethnicis hominibus inventa atque introducta sunt, non congruunt validitati pactorum, quam de jure naturali, et canonico habent. Molinæ sententiam rejicit D. Han. ad Wesembec., etc. Leges Romanas ab iniquitate vindicans, et exemplo perniciosum esse asserens ista, quæ longa deliberatione habita diu in Republica constituta velle abrogare. Verum ut ut facile admittam non posse iniquitati incusari Jus Romanum ut in Contractibus innominatis pœnitentiam admittat, quippe omnino ab arbitrio Legislatoris civilis est modum inducendæ obligationis determinare aut limitare, etc. Non tamen video qua ratione hodie defendi possit illorum sententia, qui quamvis ex pacto actionem concedant, pactum tamen permutationis alteriusve Contractus innominati obligationem validam producere negant, sed adhuc pœnitentiæ locum esse asserunt, etc. Si enim stipulati Contractui innominato addita excludit pœnitentiam, quidni et pactum quod vim stipulationis habet? »

(77. Alterum est, quod hodie omnes contractus dici posse consensuales, *Hodie* ita quoque prosequitur Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 2. tit. 14. § 7. « Omnes Contractus veros (si literarum obligationem exceperis, in qua singularitas notoria) in effectu esse consensuales, sive nominati sint, sive innominati. In eo enim consensualium contractuum vis consistit, quod ex solo consensu inducatur obligatio circa ullius rei interventum, etc. Atqui vero consensus contrahentium in quocumque alio contractu pariter adsit necessum est. Supposito consensu supponitur pactum. Ex pacto vero valida resultat obligatio. Id tamen adhuc hodie verum est. Consensu non perfici contractum realem, sed rei interventum adhuc necessarium esse. Quis enim pacta de commodando, vel deponendo, commodatum, vel depositum hodie diceret? Sed et id tamen verum est, pactum de commodando obligationem efficacem pariter producere, quam si consensualis contractus pariter fuerit initus. Unde nec commodati, nec depositi actio daretur hodie, sed tantum conditio ex pacto de commodando, etc. Ubique tamen suppone interesse alterius necessarium verti in implemento pacti, alioquin cessante interesse pœnitentiæ, locus est in omni alio contractu, quum exceptio *tua non interest* omnem agentem repellat. »

(78. Cave autem ne confundas tractatus de contrahendo cum pactis, et contractibus. Separandi enim sunt tractatus ab ipsis pactis, et contractibus. Hoc omnino certum, ex nudis tractatibus ad conclusionem non deductis nec hodie oriri obligationem. Quamdiu enim negotium adhuc tractatur, deest consensus ille duorum in idem placitum. Diversum vero est a tractatu pactum de contrahendo. Quocirca omnino obligatur qui mihi promittit se domum venditurum esse vel rem mihi esse commodaturum. Adest enim jam tum idem placitum; vide Stryk. de cautel. Contract. sect. 1. c. 6. § 1.

(79. Reliquum est, ut dispiciamus, an illa quæ de Jure Romano obtinebat distinctio inter contractus bonæ fidei, et contractus stricti juris, locum sibi vindicet etiamnum.

(80. Contractus illi dicebantur bonæ fidei, ex quibus, vel utrimque principaliter obligatio ac propterea etiam utrinque directa actio nascebatur, vel ex uno latere principaliter, ex altero per consequentiam quamdam, ac velut ex post facto, adeoque duplex quidem actio competebat, sed directa una, altera contraria; contra vero contractus, qui ex uno tantum latere obligationem pariebant, stricti juris erant.

(81. In contractibus autem bonæ fidei quum difficilius esset ob multiplicem circumstantiarum varietatem ita, vel pactionibus omnia definire, vel cautionibus circumscribere, ut non a prudentissimis quædam omitterentur, justum visum fuit, id quod deesset expressæ partium conventioni per Judicem ex bono et æquo suppleri, atque ita per eum æstimari quantum Alterum Alteri ex bono, et æquo etiam extra ac præter id, quod in conventionem deductum erat, præstare oporteret. (82. E diverso quum in contractibus stricti juris non tantæ, tamque multiplicatæ occurrerent rerum varietates, visum fuit his definiendis prudentem contrahentis circumscriptionem posse sufficere, ac suæ culpæ, et negligentiæ debere unumquemque accepto ferre, si minus ei

Digitized by Google

per conventionem prospectum sit, ac propterea Judicem in Judicando adstrictum esse oportere iis quæ placuerant, nec debere eorum, quæ nominatim cauta non essent, habere rationem; Adisis Arnol. Vinnium in Commentar. ad Institut. lib. 4. tit. de Action. §. 28. n. 2.

(83. Ut autem ad propositam quæstionem veniamus differentiam inter utriusque generis contractus adhuc superesse, et nisi ea retineatur, totam jurisprudentiam subverti debere, tenet Faber de error. Pragmat. decad. 9. error. 1. Contra Gudelin. de jur. noviss. lib. 3. cap. 13. Strykius in usu modern. Pandect. lib. 44. tit. 7. § 8. et post alios Bohemer. in Introduction. jus digestor. lib. 44. tit. 7. n. 19. sentiunt, nullum hodie esse usum dictæ differentiæ

CONTRACTUS DONATIONIS.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Donatio quoad ejus naturam, divisionem, et effectum.*

1. Donatio unde sit dicta. — 2. Donationis definitio affertur. — 3. Donatio dividitur primo in Donationem verbalem, et in Donationem realem. Donatio verbalis quæ sit. — 4. Donatio realis quæ sit. — 5. Donatio dividitur secundo in Donationem mere gratuitam, seu liberalem, et in Donationem remuneratoriam: Donatio mere gratuita, seu liberalis, quæ sit. — 6. Donatio remuneratoria quæ sit. — 7. Donatio dividitur tertio in Donationem puram, seu absolutam, et in Donationem non puram, seu conditionatam. Donatio pura, seu absoluta quæ sit. — 8. Donatio non pura, seu conditionata, quæ sit. — 9. Donatio dividitur quarto in donationem inter vivos, et in donationem mortis causa. Utraque hæc Donatio habetur in Jure definita. — 10. Donatio inter vivos clarius definitur, et quæ sit. — 11. Donatio mortis causa clarius definita quæ sit. — 12. Donatio mortis causa potest fieri tribus modis, qui referuntur. — 13. Donatio mortis causa fieri potest non tantum in evidenti, et præsenti, sed et in futuro mortis periculo; et in quavis infirmitate: immo etiam tempore perfectæ sanitatis. — 14. Donatio mortis causa expirat, seu tacite revocatur quatuor modis. — 15. Primo expirat ipso jure cum cessat infirmitas, seu mortis periculum, occasione, et intuitu cujus Donatio facta est. — 16. Secundo expirat, cum Donatarius moritur ante Donatorem. — 17. Tertio expirat, cum Donatorem pœnitet Donationis factæ. — 18. Quarto expirat, cum Donator pœna capitis afficitur. — 19. Donatio mortis causa differt a Donatione inter vivos potissimum in tribus, quæ assignantur, *usque ad n.* 21. — 22. Ad valorem Donationis, sive inter vivos, sive mortis causa requiritur voluntas, et animus donandi ex parte Donantis, et acceptatio ex parte Donatarii. — 23. Voluntas, et animus donandi in Donatione sufficit quod manifestetur aliquo modo, sive oretenus, sive in scriptis, sive præsenti, sive absenti fiat. — 24. Sic etiam acceptatio sufficit quod fiat Donatario, sive scriptis, sive verbis, sive solis signis. — 25. Immo si quis donat præsenti, isque tacet, consentire, et acceptare censetur. — 26. Donatio facta Ecclesiæ, vel alteri piæ causæ statim obligat, quamvis a Rectore, vel Administratore Ecclesiæ vel causæ piæ absente nondum sit acceptata. — 27 Donatio excedens qningentos solidos insinuari debet apud Judicem. — 28. Et si talis Donatio non insinuatur apud Judicem est invalida. — 29. Talis omissa insinuatio non invalidat totam Donationem sed tantum quoad excessum supra quingentos solidos. — 30. Solidus quid sit. — 31. Plures Donationes excedentes quingentos solidos valent absque insinuatione. Primo valet absente insinuatione Donatio facta ad reparationem ædium dirutarum, seu incendio consumptarum. — 32. Secundo valet absque insinuatione Donatio facta Ecclesiæ, Monasterio, vel alteri pio loco, seu ad quamlibet piam causam. — 33. Tertio valet insinuatione Donatio remuneratoria beneficiorum. — 34. Si tamen Donatio excedat merita Donatarii, insinuanda est quoad illum excessum. — 35. Generaliter loquendo omnis Donatio quæ fit ob aliquam causam, non indiget insinuatione. — 36. Quarto valet absque insinuatione Donatio rerum mobilium quingentos solidos excedens, quam belli Dux facit militibus. — 37. Quinto valet absque insinuatione Donatio, quam Princeps supremus facit privato, aut privatus facit Principi supremo. — 38. Donatio facta supra quingentos solidos potest a Donatario tuta conscientia retineri etiam quoad illum excessum, donec a Donante, vel ejus hærede repetatur, vel per Judicis sententiam rescindatur Donatio quoad illum excessum. — 39. Donatio licet solum verbalis obligat Donatorem ad tradendam rem Donatam, si a Donatario fuit acceptata. — 40. Immo in casu quod Donator nolit tradere rem Donatam, conceditur Donatario actio contra ipsum ad tradendam rem verbaliter Donatam. — 41. Donator si actione conveniatur ad tradendam rem Donatam, debet prius debita aliis creditoribus, et potest necessaria propriæ sustentationi deducere. — 42. Si Donator sit in mora tradendi rem Donatam, non tenetur fructus ex re donata interea perceptos Donatario restituere. — 43. Neque tenetur ob dilatam traditionem usuras solvere. — 44. Donatio in quibus potius causa mortis quam inter vivos dicenda sit. *Remissive.*

ARTICULUS II. — *Donatio quoad personas, quæ donare possunt, vel non, et quoad quantitatem.*

1. Donare potest omnis ratione utens, Lege non prohibitus; habens plenum Dominium, seu liberam administrationem rei suæ. — 2. Donare autem non potest pupillus et minor, furiosus amens, prodigus, etc. — 3. Tutores, ac Curatores non possunt donare de bonis quæ administrant. — 4. Possunt tamen Tutores, ac Curatores ad proportionem conditionis, et facultatem sui Principalis facere eleemosynas, et proportionatas donationes remuneratorias pro meritis, et servitiis suo principali collatis. — 5. Uxor potest libere donare, atque eleemosynas facere de bonis suis paraphernalibus, et de iis bonis quæ extra bona communia dotalia aliunde acquirit, et de aliis remissive. — 6. Filius familias donare potest etiam invito Patre de suis bonis castrensibus, vel quasi castrensibus et de aliis remissive. — 7. Pupillus, et minorennis si pubes sit, etiam invito Tutore seu Curatore, potest facere donationes, eleemosynas, vel alios sumptus moderatos pro sua conditione, et facultate, ut faciunt alii paris conditionis. — 8. Si autem talis pupillus, vel minorennis profuse et excessive donet, vel expendat, peccat: illi tamen, quibus talis donatio facta est, non tenentur ad restitutionem, donec donatum ab ipsis repetatur. — 9. Pater si donet aliquid filio non emancipato, ejus donatio est invalida, et pro arbitrio patris potest revocari. — 10. Talis autem donatio evadit statim valida post mortem patris. Et sic etiam post emancipationem filii res prius donata statim transit ad filium donatarium, si usque ad emancipationem pater non revocavit donationem. — 11. Dantur aliqui casus, in quibus donatio Patris facta filio nondum emancipato statim valet, et enumerantur. — 12. Mater valide donat filiis tam emancipatis, quam nondum emancipatis. — 13. Conjux nequit alteri conjugi mere liberaliter aliquid donare; et si talis mere liberalis donatio fiat inter virum et uxorem durante matrimonio est invalida, et ad arbitrium donantis revocari potest, si ex illa donans fit paupe-

Digitized by Google

rior, et donatarius ditior. — 14. Valida tamen est donatio inter conjuges in pluribus casibus. Et primo valida est inter eos donatio remuneratoria ob præstita obsequia, et beneficia, seu servitia alias ordinarie indebita. — 15. Secundo, valida est donatio facta ab uno conjuge alteri conjugi, si ex donatione donans non est factus pauperior. — 16. Tertio, valida est donatio, si ex ea non sit factus locupletior conjux donatarius, etiamsi conjux donans pauperior fiat donando. — 17. Quarto, valida est donatio facta causa exsilii, vel alterius pœnæ, bonorum confiscationem secum trahentis. — 18. Quinto, valida est donatio mutua inter conjuges, saltem quando una alteram notabiliter non excedit. — 19. Sexto valida est donatio mortis causa facta inter virum et uxorem. — 20. Septimo, valida est donatio, qua vir remittit uxori usuras dotis conventione debitas. — 21. Octavo, valida est donatio facta ad reficiendas ædes dotales. — 22. Nono, valida est donatio si uxor marito donet causa honoris, vel dignitatis adipiscendæ. — 23. Decimo, valida est donatio si vir uxori dotem promissam remittat, vel si uxorem dotet causa remunerationis. — 24. Undecimo, valida est donatio inter Conjuges Principes supremos. — 25. Duodecimo, valida est inter virum et uxorem donatio exigui pretii. — 26. Tertiodecimo, omnis donatio invalida facta ab uno conjuge alteri conjugi inter vivos fit statim valida post mortem donantis, si eam in vivis tacite, vel expresse non revocavit. — 27. Tunc autem censetur tacite revocata donatio, si donans rem prius conjugi donatam postea alteri donet, leget, vendat, pignori, aut hypothecæ subjiciat. — 28. Sic etiam talis donatio censetur tacite revocata per divortium. — 29. In dubio an donatio fuerit a donatore revocata, præsumendum est non esse revocatam. — 30. Milites donare non possunt Focariis, seu concubinis suis. — 31. Princeps supremus, ut Rex, et hujusmodi non potest profuse donare in grave, et notabile præjudicium status, et regni, atque ideo successores poterunt ejusmodi donationes revocare. — 32. Potest tamen Rex, et alius Princeps Supremus donare juxta conditionem sui status, sicuti potest, et debet remunerare merita subditorum, præsertim si in commune bonum cedant. — 33. Clerici Beneficiati de bonis suis patrimonialibus, et quasi patrimonialibus facere possunt honestas donationes, non tantum remuneratorias, sed etiam liberales, et profanas; moderatas tamen secundum qualitatem sui status, et conditionis. De bonis autem Ecclesiasticis superfluis non. — 34. Episcopi, Ecclesiarum Prælati, sive Sæculares, sive Regulares non possunt facere ex mera liberalitate donationes magnas de reditibus, et bonis Ecclesiæ, vel Monasterii, et si tales donationes fiant, revocari possunt, et debent per Successorem. — 35. Possunt tamen dicti Prælati facere valide, et licite donationes modicas etiam liberales, ubi est loci consuetudo. — 36. Immo possunt dicti Prælati facere moderatas donationes ex rebus mobilibus Ecclesiæ, seu Monasterii non pretiosis, etiam ubi non est loci consuetudo. — 37. Quænam autem dicantur modicæ, et quæ immodicæ donationes, relinquitur Judicis, aut viri prudentis arbitrio judicandum. — 38. Episcopi, et Ecclesiarum Prælati possunt facere donationes remuneratorias etiam magnas in compensationem meritorum, et beneficiorum, in Ecclesiam, vel Prælatum, seu etiam in membra ipsius a donatariis collatorum. — 39. Immo ob remunerationem magnorum beneficiorum, quæ Ecclesiæ vel Prælato ejus intuitu præstita fuerunt, etiam res aliqua immobilis Ecclesiæ donari potest alicui præmisso tractatu, et aliis juris solemnitatibus. — 40. Episcopi, seu Ecclesiarum Prælati, etiam Regulares non solum habent potestatem donandi ad remuneranda beneficia, vel obsequia jam præstita, sed etiam possunt facere donationes magnas, ut donatarium moveant ad facienda Beneficia in futurum. — 41. Prælati Ecclesiastici etiam Regulares, etiam sine consensu Capituli, et requisitis juris solemnitatibus possunt ex causa pietatis, et misericordiæ, sive titulo eleemosynæ facere de reditibus, et bonis Ecclesiæ, seu Monasterii donationes proportionatas ad facultates quas habet Ecclesia, seu Monasterium. — 42. Prælati, seu Superiores Regularium non possunt de bonis Monasterii seu Ecclesiæ facere donationes ad usus profanos, v. g. ad locupletandos suos consanguineos, et qui acceperint, tenentur ad restitutionem. — 43. Regulares illi, qui non sunt Prælati, administrationem tamen habent sibi commissam bonorum Monasterii, ut sunt Œconomi, possunt facere donationes, et eleemosynas dispensare secundum facultatem sibi a Superiore concessam, et juxta Ordinis statuta, et consuetudinem. — 44. Regulares illi, qui extra Monasterium degunt cum Superioris licentia, ut sunt aliqui Regulares Beneficiati, possunt, ac tenentur de reditibus Beneficii, quorum libera est eis permissa administratio, disponere inter vivos, donationes honestas, et eleemosynas facere, ut alii Beneficiati Sæculares. — 45. Regulares, qui in Monasterio sub obedientia Superiorum vivunt, et nullam bonorum administrationem habent, nullas omnino donationes, etsi alias justas, facere possunt, absque expressa, vel tacita Superioris licentia. — 46. Quoad quantitatem donandi sunt prohibita duo genera donationum, scilicet, donatio omnium bonorum et donatio liberalis excedens 500 solidos absque insinuatione facta. — 47. Donatio omnium bonorum præsentium et futurorum, mobilium et immobilium prohibetur, et irritatur expresse, quia talis donatio aufert facultatem testandi. — 48. Cessante autem hac ratione donatio valet in utroque jure, et foro. Hinc valida est donatio omnium bonorum præsentium. — 49. Sic etiam valida est donatio omnium bonorum præsentium et futurorum, excepto usufructu. — 50. Item valida est donatio omnium bonorum præsentium, et futurorum mortis causa facta. — 51. His additur, quod valida est donatio omnium bonorum præsentium, et futurorum, quamvis adimatur donatori testandi facultas, quando inter vivos fit talis donatio Ecclesiæ; vel ad aliquam piam causam. — 52. Et quando talis donatio cuicumque facta juramento confirmatur. — 53. Donatio liberalis excedens 500 solidos, est invalida quoad excessum, nisi fiat cum insinuatione. — 54. Si quis sine insinuatione donet pluribus summam excedentem 500 solidos, donatio illa quoad excessum est invalida, si simul, et quasi uno animi impetu fiat. Si tamen diversis temporibus, animique motibus fiat, est valida. — 55. Si quis debitum aliquod liquidum summam 500 solidorum excedens remittat, invalida est remissivo. — 56. ad 62. Aliæ personæ de quibus quæri potest an possint necne donare.

ARTICULUS III. — *Donatio quoad ejus revocationem.*

1. Donatio inter vivos semel legitime facta, et acceptata, regulariter loquendo non potest amplius revocari per Donatorem. — 2. Et sic firma remanet talis inter vivos facta donatio, ut neque per rescriptum Principis revocari valeat. — 3. Ab hac regula excipiuntur tres causæ principales, ob quas donatio revocari potest, scilicet ob ingratitudinem Donatarii, ob prolem postea susceptam, et si donatio sit inofficiosa liberis. — 4. Adducitur prima causa principalis, scilicet ingratitudo donatarii, ratione cujus in quinque casibus donatio potest revocari. — 5. Primus casus est, si donatarius manus impias, ac violentas in donatorem injecerit. — 6. Secundus casus est, si donatarius in donatorem injurias atroces effundat. — 7. Tertius casus est, si donatarius grave damnum inferat donatori in rebus, seu bonis suis externis. — 8. Quartus casus est, si donatarius grave periculum vitæ donatori inferre præsumpserit per se, vel per alium. — 9. Quintus casus est, si donatarius conditiones in donatione impositas, et a se acceptatas

Digitized by Google

nolit adimplere. — 10. Præter hos quinque casus in jure expressos volunt varii Doctores dari alios consimiles, in quibus, ob majorem, vel æqualem ingratitudinem possit revocari donatio. — 11. Contraria tamen sententia est juri conformior, adeoque in praxi tenenda. — 12. Donator probare debet in judicio ingratitudinem, si ob illam revocare vult donationem. — 13. Potestas revocandi donationem ob ingratitudinem competit soli donatori, et non transit ad ejus hæredes, et solum contra donatarium, et non contra ejus hæredes. — 14. Dummodo tamen ante mortem donatoris non fuerit lis contestata. — 15. Quinimmo hæredibus donatoris competit actio contra donatarium, et ejus hæredes, etiamsi donator absque lite contestata decesserit, vel quia ingratitudinem ignoraverit, vel quia ad agendum tempus non habuit, vel impeditus fuit. — 16. Assignantur quædam donationes, quæ ob ingratitudinem donatarii revocari non possunt. Et primo revocari non potest donatio remuneratoria. — 17. Secundo, donatio facta Ecclesiæ, Monasterio, vel aliis piis locis revocari non potest ob ingratitudinem Prælati, seu Administratoris, vel Capituli, vel utriusque simul. — 18. Tertio, donatio facta ratione dotis non potest post contractum matrimonium revocari ob ingratitudinem feminæ dotatæ, vel ipsius mariti. — 19. Quarto, revocare non potest donator donum a tertio, cui donatarius jam vendidit, donavit, vel in dotem dedit. — 20. Adducitur secunda causa principalis, scilicet proles postea suscepta, ob quam donatio potest revocari. — 21. Et hoc idem est dicendum etiamsi unica tantum postea nascatur proles. — 22. Limitatur tamen Conclusio in donatione facta Ecclesiæ, vel ad aliam piam causam. — 23. In tali causa donationis factæ Ecclesiæ, licet non ex obligatione justitiæ, ex æquitate tamen naturali, et quadam honestate, deberet totum donatum restitui donatori, si ex post sint ei nati filii. — 24. Limitatur etiam Conclusio in donatione remuneratoria, vel facta ob aliam causam in commodum ipsius donatoris. — 25. Adducitur tertia causa principalis, propter quam revocari potest donatio, scilicet, si sit inofficiosa liberis. — 26. Assignatur quid sit donatio inofficiosa. — 27. Jus revocandi inofficiosam donationem non competit solis filiis, et descendentibus, sed etiam parentibus ascendentibus. — 28. Donatio mortis causa proprie talis, etiamsi sit acceptata a donatario, potest revocari ad libitum donantis. — 29. Et id etiam currit quamvis intercesserit promissio, et pactum de non revocando. — 30. Adducitur, et solvitur objectio. — 31. Quandonam donatio mortis causa ipso jure expiret, seu tacite censeatur revocata; *Remissive*. — 32. ad 43. Quæ attendenda, ut feratur rectum judicium de revocatione donationis ob superveniențiam filiorum. — 44. ad 48. An præcedens donatio irrita sit ipso jure, an vero opera hominum indigeat. — 49. ad 56. An jus irritam nullamque declarandi donationem transeat ad filios a donante natos. — 57. 58. Donatio per superveniențiam liberorum ipso jure revocata, per obitum eorumdem ante donantis mortem non reconvalescit. — 59. 60. Quæ sit differentia inter querelam inofficiosæ donationis, et querelam inofficiosi testamenti. — 61. ad 63. An prima querela transeat ad Nepotes.

ARTICULUS IV. — *Donatio particularis quoad æs alienum.*

1. 2. Quamvis successor singularis ad æs alienum donantis non tenetur, quid tamen dicendum, si pro ære alieno res particulariter donata sit specialiter obligata. — 3. ad 9. Opinio nova contra communem Doctorum sententiam affertur. — 10. ad 20. Et probatur. — 21. ad 24. Solvuntur objecta. — 25. Aliqua quæ conferre possunt ad intelligentiam legis *æris alieni*. — 26. Quanti sit momenti in tali re voluntas donantium.

ARTICULUS I.

Donatio quoad ejus naturam, divisionem, et effectum.

(1. Donatio ex etymologia nominis teste Jurisconsulto in l. *Senatus* 35. § 1. ff. de mortis causa donationibus, dicitur a dono, quasi *doni datio*. (2. Donatio bene describitur a Soto in 4. dist. 15. quæst. 2. § *Secundo potest*, dicendo: « Donatio est datio mere liberalis; » seu ut alii loquuntur Donatio est *translatio Dominii alicujus rei per actum mere liberalem in alium facta*. Et ut communiter definiri solet apud Hostien. in summ. de donatione et ab Abbate ad rubr. de donat. « Donatio est rei licitæ (id est donari non prohibitæ) nullo jure cogente, ex mera liberalitate facta collatio, seu datio, » et sic colligitur ex l. *Donare* 29. de donation. et l. *Donari* 82, ff. de Reg. Jur.

(3. Donatio dividitur primo in donationem verbalem, et in donationem realem. Donatio verbalis, quæ donatio imperfecta dicitur, est illa, qua quis per verba de præsenti jam actu donat rem alteri, sed actu eam rem ipsi non tradit, utpote forsan absenti, vel donanti ad tempus adhuc necessaria; ut cum dico v. gr. dono tibi hunc librum, illum equum; sed quia vel equus est absens, et liber adhuc pro aliquo tempore est mihi necessarius, non traditur actu, et per hoc remanet donatio imperfecta, ex quo non conveniat ei dicta definitio desumpta ex Jure l. *donare* 29. de donationibus; et leg *donarii* 28. ff. de regulis juris, non enim est *datio* seu *collatio*, ut loquitur ipsa definitio. (4. Donatio realis, quæ donatio perfecta dicitur, est illa, qua donans rem alteri, et actu donat, et simul in effectu tradit, ut cum dico: dono tibi hunc librum, et actu ipsum tibi trado, et per hoc redditur donatio perfecta, quia rei donatæ dominium, seu jus in re perfectum naturaliter, civiliter et simul legitima possessio traditur actu Donatario a Donatore, uti exigit desumpta ex citatis juribus definitio.

(5. Secundo, dividitur in donationem mere gratuitam, seu liberalem, et in donationem remuneratoriam. Donatio mere gratuita, seu liberalis est illa, quæ fit seclusa omni prorsus obligatione tam justitiæ, quam gratitudinis ex parte donantis; et absque ullo merito donatarii, et tota quanta fundatur in liberalitate donantis. (6. Donatio remuneratoria est illa, quæ fit ex aliqua obligatione non quidem justitiæ, sed gratitudinis ex parte dantis ob præcedentia merita donatarii, id est ad remunerandum aliquod beneficium a donatario acceptum, et hæc impropria est donatio. Unde a vera, et propria donatione excluditur illa quam quis facit Magistro suo, cum sit potius remuneratio obsequii, et officii, quam liberalis datio, l. *Aquilinus* 27. ff. de donationibus. (7. Tertio, dividitur in donationem puram, seu absolutam, et in donationem non puram seu conditionatam. Donatio pura, seu absoluta est illa, qua aliquid simpliciter absque ulla

Digitized by Google

limitatione vel conditione donatur. (8. Donatio non pura, seu conditionata est illa, qua aliquid simpliciter donatur sub certa aliqua conditione, ut dono tibi hunc equum, si hoc, vel illud facias; et hæc etiam non dicitur proprie donatio, quia donatio propria debet esse facta propter solam, et meram liberalitatem donantis; l. 1. ff. de donationibus.

(9. Quarto, dividitur in donationem inter vivos, et donationem mortis causa. Utraque hæc donatio sic definitur in jure l. 1. *Senatus*, § 2. ff. de mortis causa donationibus; Donatio inter vivos est, « cum is, qui donat, mavult habere illum, cui donat, quam se, » Donatio mortis causa est, « cum habere quis se mavult, quam eum cui donat; magisque eum cui donat, quam hæredem suum : » Optimæ quidem definitiones; sed quia obscuræ, sic quia clarius dantur. (10. Donatio igitur *inter vivos* est, quæ sine mentione, cognitione, aut suspicione mortis fit, vel fieri potest; § *Aliæ autem* 2. Institut. de donationibus. Toties enim censetur donatio *inter vivos*, quoties absolute quis donat actu aliquid alteri absque ulla mentione, vel suspicione mortis suæ, aut sine omni simili addito sive tunc sit sanus, sive ægrotus, ac moribundus etiam in ipso testamento, vel codicillo, dummodo animus sit jam statim transferendi dominium in donatarium acceptantem per se, vel per alium legitime suas vices gerentem, quia etiam infirmus, vel in periculo mortis constitutus vere donare potest *inter vivos*; si enim aliunde non expressit *inter vivos* donavit, ut ex Molina et aliis recte observat Tambur. lib. 9. tract. 10. de donat. c. 2. § 1. num. 9. arg. l. *Seja* 42. § 1. ad fin. ff. de donat. (11. Donatio mortis causa est illa, quæ intuitu mortis, et cum expressa mentione ejusdem fit, ut colligitur ex § 1. Institut. de donat. ubi sic dicitur : « Mortis causa donatio est quæ propter mortis fit suspicionem. » Dicitur autem notanter *cum expressa mentione mortis*, quia quando nulla fit mentio mortis, præsumitur *donatio inter vivos*, etiamsi interne intuitu mortis, donare intenderit, ipsamque donationem in summo mortis periculo fecerit donator, ut tenet communis Doctorum, arg. cit. l. *Seja* 42. § 1. ff. de donationibus. Hinc pro exemplo infertur, quod si Petrus v. g. in mortis articulo constitutus, dicat absolute sine ullo addito : Dono Paulo centum hos aureos, illum equum, et hujusmodi, *ista est donatio inter vivos*, quia nulla fit mentio mortis. Si vero Petrus dicat : Quia video me brevi moriturum, vel quia omnes moriemur, vel quia et ego aliquando mori debeo, dono Paulo centum aureos, meum equum, et hujusmodi, ista est *donatio mortis causa*, quia ob expressam mortis mentionem clare patet donantem intuitu et consideratione mortis donasse.

(12. Donatio mortis causa potest fieri tribus modis, qui referuntur l. 2. ff. de mortis causa donationibus, ibi : « Tres esse species mortis causa donationum, Julianus ait. Una cum quis nullo præsentis periculi metu conterritus, sed sola cogitatione mortalitatis donat. Aliam esse speciem mortis causa donationum, ait, cum quis imminente periculo commotus ita donat, ut statim fiat accipientis. Tertium esse genus donationis, si quis periculo motus non sic donet, ut statim fiat accipientis, sed tunc demum cum mors fuerit secuta. » (13. Ubi vides, quod donatio mortis causa fieri potest non tantum in evidenti, et præsenti, sed et in futuro mortis periculo, et in quavis infirmitate; immo etiam tempore perfectæ sanitatis, dummodo intuitu mortis fiat, et mentio mortis expressa habeatur; ut tenet communis Doctorum per mox cit. l. 2. ff. de mortis causa donat. et per l. *Senatus* 35. § 4, ff. eod., ubi sic habetur : « Mortis causa donatio fit multis modis. Alias extra suspicionem ullius periculi a sano, et in bona valetudine posito : cui ex humana sorte mortis cogitatio est; alias ex metu mortis, aut ex præsenti vitæ periculo, aut futuro; siquidem terra, marique, tam in pace, quam in bello, tam domi, quam militiæ, multis generibus periculum mortis metui potest. »

(14. Donatio mortis causa expirat, seu tacite revocatur quatuor modis, ut desumitur ex § 1. Institut. de donationibus. (15. Primo expirat ipso jure, cum cessat infirmitas, seu mortis periculum, occasione et intuitu cujus donatio facta est, cit. § 1. Instit. de donat. ibi : « Sin autem supervixisset is, qui donavit, reciperet. » (16. Secundo expirat ipso jure, cum donatarius moritur ante donatorem, cit. § 1. Institut. de donat. ibi : « Aut prior decesserit, cui donavit » concordat l. *Si vir uxori*, § *Uxor viro*, ff. de donat. inter vir. et uxor. (17. Tertio cessat ipso jure, cum Donatorem pœnitet donationis factæ, cit. § 1. Instit. de donat. ibi : « Vel si eum donationis pœnituisset. » (18. Quarto cessat ipso jure, cum donator pœna capitis afficitur, l. *Si aliquis* 7. ff. de donat. ibi : « Si aliquis mortis causa donaverit, et pœna fuerit capitis affectus, removetur donatio ut imperfecta; quamvis cæteræ donationes sine suspicione pœnæ factæ valeant. »

(19. Donatio mortis causa differt a donatione inter vivos potissimum in tribus. Primo, quod donatio inter vivos semel rite facta ex se, et rebus immutatis est irrevocabilis, statimque transfert dominium irrevocabiliter, l. final. Cod. de revocat. donat. Non sic autem donatio mortis causa, quæ ante donantis mortem firma non est quia semper vel donantis pœnitudine, vel propter donatarii prævenientem mortem, vel aliquo alio ex mox dictis modis exstingui potest, ut habetur l. ff. de donat. ibi : « Non videtur perfecta donatio mortis causa facta, antequam mors » Donatarii « insequatur, » et d. § 1 de donatione per adductos textus numero antecedenti. (20. Secundo, quod donatio mortis causa evanescat moriente ante donatorem donatario, nec transmittatur in hoc casu ad hæredes, cit. § 1 de donationib. Secus in donatione inter vivos. (21. Tertio, quod ad donationem inter vivos quingentos solidos excedentem requiratur insinuatio apud Ju-

Digitized by Google

dicem, arg. §. *Aliæ autem* 2. Institut. de donation. Non sic autem ad donationem mortis causa, l. fin. C. de donat. mortis causa.

(22. Ad valorem Donationis sive inter vivos, sive mortis causa, requiritur voluntas, et animus donandi ex parte donantis, et acceptatio ex parte donatarii, l. *In omnibus* 55. ff. de obligat. et act. l. *Absente* 10. ff. de donat. (23. Voluntas, et animus donandi in donatore sufficit quod manifestetur aliquo modo, sive oretenus, sive in scriptis, sive præsenti, sive absenti fiat, arg. l. *Nec ambigi* 6. ac. l. *Si aliquid* 13. Cod. de donat. (24. Sic etiam acceptatio sufficit quod fiat a Donatario sive scriptis, sive verbis, sive solis signis. (25. Immo si quis donat præsenti, isque tacet, consentire, et acceptare videtur, ut docet Julius Clarus lib. 4. §. *Donat.* qu. 14. num. 5. Pirhing l. 3. decretal. tit. 24. n. 2. Engel ibid num. 2. Reiffenstuel ibid. num. 11. et communis aliorum, arg. Reg, 43. juris in 6. ibi : « Qui tacet, consentire videtur. » (26. Donatio facta Ecclesiæ, vel alteri piæ causæ, statim obligat, quamvis a Rectore, vel Administratore Ecclesiæ, vel causæ piæ absente nondum sit acceptata ; Barbosa l. 2.

juris Eccles. cap. 13. num. 29. Tiraquell. de privileg. piæ causæ, privileg. 115. Engel l. c. num. 21. Reiffenstuel l. c. num. 12. Abbas, Molina, et alii passim ; et ratio est, quia quod donatur, vel promittitur Ecclesiæ, aut alteri piæ causæ, censetur donatum, aut promissum ipsi Deo ; argum. c. *Nulli liceat* 3. caus. 12. quæst. 2. Deus autem ubique præsens et acceptans est (1).

(27. Donatio excedens quingentos solidos insinuari debet apud Judicem ; id est debet donator declarare, et manifestare Judici se id donare, et ab ipso petere, ut instrumentum conficiatur, et in Acta redigatur, § *Aliæ autem* 2. Instit. de donat. Quamvis enim olim donatio excedens ducentos, et postea trecentos solidos insinuationem requisierit l. *Sancimus* 34. et l. penult. in fin. ff. de donat. tamen hodie, si quingentos solidos non excedat, non jubetur insinuari apud Judicem, textu claro *in d.* § *Aliæ autem.* (28. Et si donatio excedens quingentos solidos non insinuetur apud Judicem, invalida est ; cit. § *Aliæ autem* 2. Institut. de donat. et arg. l. *Sancimus* 34, et l. penul. in fin. ff. de donat. (29. Talis autem omissa insi-

(1) Naviter, atque egregie Cl. Auctor noster in hoc Articulo, ac sequentibus, Juris præsertim Civilis sanctionibus productis, illustrat hujusmodi doctrinæ caput, quod donationes complectitur. Ad pleniorem tamen cumulum non levis momenti controversiam hic discutiendam suscipere operæ pretium duximus.

Controvertitur itaque inter Theologos : num scilicet facta alicujus rei donatione absenti, eidem significanda per epistolam, aut per nuntium destinatum ; si interim dum ejus rei nuntius deferatur ad absentem donatarium, donator e vivis excedat ante omnem acceptationem ; num isto vita functo poterit a donatario res donata acceptari, ac retineri?

Qua quidem in re parti affirmativæ adhæsit Sanchez lib. 1, de Matrimon. disp. 6, n. 5, eumque secutus Lessius lib. 2, cap. 18, dub. 6, n. 45, arbitrantes donationem in allata hypothesi posse a donatario, non obstante morte donatoris ante acceptationem, et acceptari, ac retineri ; quippe quæ valida ac perfecta est ex una parte saltem revocabiliter. Leg. Nec ambigi 6, C. de donation.

At vero recensitæ sententiæ refragatur Cl. Paul. Layman lib. 3, de Just. tractat. 4, cap. 1, de Pactis, etc., oppositamque præfert opinionem, atque enixius tuetur, appellans istam communiorem, et veram : Hujusmodi scilicet donationes non esse validas mortuo donatore ante acceptationem, quæ quidem sententia, ut ipse arbitratur, apertissimis Cæsarei Juris sanctionibus innititur, atque manifesto probatur. Uti videre est in leg. Si cum filius 2, § Sed si quis, et leg. Absenti 10. ff. eod.

Probabilior tamen, ut verum fateamur, nobis videtur sententia Sanchez, quam loc. laud. pluribus probat, atque confirmat ; nec ipsa, ut arbitratur Layman, convellitur, atque evertitur ex allatis legibus ; quandoquidem ibi non perfecta donatio, sed donandi mandatum describitur ; quemadmodum, et in leg. Ejus, qui 41, ff. de Reb. cred. Et leg. Si quidem 8, C. de Obligat. Quod quidem sat luculenter eruitur ex laud. leg. Si cum etc., ubi hæc habentur : « Sed si quis donaturus mihi pecuniam, dederit alicui, ut ad me perferret, et ante mortuus erit, quam ad me perferat, non fieri pecuniam Dominii mei constat? » Hinc ipse Covarruvias, quem pro contraria sententia adducit laud. Layman, diserte docet ibi agi de mandato donandi ; quod profecto morte mandantis cessare atque exstingui nemo omnium ignorat juxta *leg.* Mandatum C. Mandati ; Et § Præterea Institut. eod. quodque dissertissimis verbis docet atque inculcat laud. Sanchez.

At in casu per nos proposito sat per se patet non agi de mandato donandi, sed de donatione perfecta, cujus tantum significandæ causa donatario nuntius fuerat destinatus, aut epistola transmissa. Hanc, inquam, validam esse, proindeque recte a donatario acceptari, ac retineri posse, donatore etiam ante acceptationem defuncto, perquam recte, uti videtur, docet, atque tuetur laud. Sanchez.

Quod autem opponat Layman ad validitatem contractus, proindeque ad transferendum jus, seu dominium, exigi, ut utriusq. contrahentis consensus conjungatur ; quod quidem in adducta per nos hypothesi fieri non potest ; siquidem, cum donatarius donationem per nuntium significatam acceptat, donator jam fato concesserat, atque e vivis fuerat ereptus ; per mortem autem exstinguitur consensus donantis, argumento ducto ex Cap. Si gratiose 5, de Rescript. in 6. Id quidem parum, aut fortasse nihil obesse videtur ; quando quidem voluntas ac consensus donantis, cum non fuerit revocatus, censetur perdurare ac perseverare in ipso nuncio, atque epistola, per quos erant significanda, uti recte docet laud. Sanchez, ut proinde conjungi possit cum consensu donatarii.

Demum quod idem Layman docet, donationes omnes inter absentes non fieri per nuntios tamquam executores donationis factæ ; sed tamquam per procuratores, ac mandatarios donationis faciendæ juxta domini voluntatem, id quidem minime probatur. Etenim utrovis modo fieri posse nihil impedit. Quando vero donatio facta censenda sit per nuntium velut merum executorem donationis factæ, aut per mandatarium, apposite, atque opportune explicat laud. Sanchez n. 7. Cæterum ipse Layman minime diffitetur hujusmodi donationes inter absentes factas, etiam mortuo donatore ante acceptationem, a donatario posse acceptari, ac retineri. Qua de re lege si vis laud. Theologum loco citato. Hic porro quædam alia discutienda circa pollicitationes forent, sive promissiones nondum acceptatas. Verum illa in opportuniorem locum rejecta nanciscetur eruditus lector, cum agendum erit de promissionibus. (*Edit. Neap.*)

Digitized by Google

nuatio non invalidat totam donationem, sed tantum quoad excessum supra quingentos solidos, quia in iis, quæ dividi possunt, « Utile non debet per inutile vitiari, » ut habet præcise Regul. 37, juris in 6, et l. *Si sponsus* § 2, de donat. inter vir. et uxor. (30. Solidus autem in Jure pro aureo accipitur, ut constat ex l. fin. junct. Glossa verb. *Aureos*, ff. de in jus vocando, et notat Glossa 1, in cap. *Placuit* 1. caus. 10, quæst. 3, et antiquitus septuaginta duo solidi unam libram auri constituebant, ut patet ex l. *Quotiescumque* 5, Cod. de susceptoribus l. 10, et ibidem notant Glossa, Bartol. Ancharanus et alii. Unde quingenti solidi circiter 700, aureos italicos, seu scuta, vel secundum alios 800, conficiebant; Julius Clarus l. 4, § *Donatio* q. 14, n. 1, Layman lib. 3, de justitia tract. 4, cap. 12, n. 15, Rebell. part. 1, l. 28, qu. 6, num. 5, Everard. tit. 1, consil. 19, n. 32. Pirhing l. 3, decretal. tit. 24, num 5, Reiffenstuel ib. num. 15. Hodie vero secundum generalem, et passim receptam consuetudinem per solidum intelligitur aureus Hungaricus, seu apud nos Ducatus, qui veteri illi solido, seu aureo suffectus est, ita ut quæ de solido in Jure Civili statuta sunt, ad nostratem aureum, seu Ducatum referenda sint; Mysinger. in § *Aliæ autem* 2. Instit. de Donationibus, Schmid. ibid. 24. Pirhing. loc. cit. n. 5. Reiffenstuel. loc. cit. n. 15, et alii.

(31. Dantur tamen plures donationes, quæ licet excedant quingentos solidos, valent absque insinuatione. Primo, valet absque insinuatione donatio facta alicui pro reparatione ædium suarum, quæ ruina, vel incendio consumptæ sunt; l. penult. § *eamdemque*, Cod. de donat. vel pro redemptione captivorum; cit. l. penult. in princip. (32. Secundo, valet absque insinuatione in utroque foro, conscientiæ scilicet, et externo, Donatio facta in quacumque quantitate Ecclesiæ, Monasterio, vel alteri pio loco, vel ad quamlibet causam piam; Julius clarus lib. 4, § *Donatio* quæst. 77, num. 1. Pirhing loco cit. num. 6. Reiffenstuel loc. cit. num. 16, cum communiori Canonistarum, et Theolog. arg. cap. 19, Matth. ibi : « Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus. » Nec obstat, quod in l. *Illud* 19, Cod. de SS. Ecclesiis, et in l. *Sancimus* 24. § *Alias vero*, Cod. de Donationibus, irritemur donationes factæ ad pias causas ultra quingentos solidos; nam ultra quam quod dictæ leges civiles videntur sublatæ, et correctæ ab ipsomet Jure Civili; cit. l. 34, de Donat. ibi : « Exceptis donationibus, quæ in causas piissimas procedunt; » et l. 36, Cod. eod. Causæ piæ non subjacent dispositioni Juris civilis; arg. cap. *Ecclesia S. Mariæ* 10, de constitutionib. ibi : « Nos attendentes, quod Laicis etiam Religiosis super Ecclesiis, et personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, a quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum, et favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum; » sed ipsæ causæ piæ debent judicari secundum Sacros Canones, textu expresso in c. *Relatum* 11, de testamentis, ibi : « Relatum est, quod cum vestrum examen super relictis Ecclesiæ deducitur, vos nisi septem, vel quinque idonei testes intervenerint, inde postponitis judicare, » et infra: « Mandamus quatenus, cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundum leges, sed secundum decretorum statuta tractetis, tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis, quoniam scriptum est : In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum. »

(33. Tertio, valet absque insinuatione donatio remuneratoria beneficiorum, vel obsequiorum, quia non est vera donatio, ut colligitur ex l. *Aquilinus* 27, juncta Glossa verb. *Non meram*, et l. penult. § *Si quis*, ff. de donationib. (34. Attendendum tamen est, ne donatio remuneratoria excedat nimis merita donatarii, quia quoad illum excessum esset insinuanda, cum quoad talem excessum non esset remuneratoria, sed mere liberalis, quæ debet insinuari l. *Sancimus* 34, l. penult. In fin. Cod, de donat. et cit. § *Aliæ autem* 2. Institut. eod. Et sic tenent Clarus loc. cit. quæst 3, n. 3 et 4. Pirhing. loc. cit. n. 6. Azorius part. 3, lib. 9, de donat. cap. 6, quæst. 4, et communis aliorum. (35. Et generaliter loquendo omnis donatio, quæ fit ob aliquam causam, v. g. ad militiam, ad studia, ad nuptias, et hujusmodi, non indiget insinuatione; l. *Hoc jure* 19. § *Labeo*, et § *sed et hæc* ff. de donat. et ratio est, quia talis donatio propter similes causas facta, non est propria, et perfecta donatio; nam propria, et perfecta donatio fit ob meram liberalitatem cit. l. 2, de donationib. et cum lex requirens insinuationem sit odiosa, quippe restringens liberam facultatem donandi, non est extendenda et ampliandæ ultra donationem propriam, et perfectam arg. Regul. 15, Juris in 6, ibi : « Odia restringi, et favores convenit ampliari. » Julius Clarus loc. cit. q. 19. Pirhing. l. c. n. 6. Reiffenstuel. loc. cit. n. 19, et alii passim.

(36. Quarto, valet absque insinuatione donatio rerum mobilium quingentos solidos excedens, quam belli dux facit militibus tam ex suis bonis, quam ex spoliis hostium; sive in ipsa belli occupatione, sive in quibuscumque aliis locis, et temporibus; l. *Si quis* 36. § 1, Cod. de donationib. (37. Quinto valet absque insinuatione donatio, quam Princeps supremus facit privato; l. *Sancimus* 34, de donationib. Aut privatus facit Principi Supremo; Authentic. immediat, sequent. Leg. 34, Cod. de donationib.

(38. Si sit facta aliqua donatio ultra taxatos a Lege quingentos solidos, potest donatarius tuta conscientia etiam excessum retinere; donec a donante, vel ejus hærede repetatur, vel per Judicis sententiam rescindatur donatio, quo ad illum excessum supra taxatos quingentos solidos; non enim reddunt donatarium inhabilem ad retinendum, sed tribuunt donatori potestatem pro arbitrio illam excedentem summam repetendi; unde do-

Digitized by Google

natarius tuta conscientia retinere potest excessum illum, donec repetatur, scienti enim et volenti non fit injuria; Molina tract. 2. disp. 378, num. ult. Lessius lib. 2, cap. 18, num. 89. Layman loc. cit. c. 12, num. 15. Pirhing. loco cit. num. 7. et alii.

(39. Donatio hunc parit effectum, quod licet sit solum donatio verbalis, quæ absque actuali traditione rei donatæ fit, obligat donatorem ad tradendam rem donatam, si Donatio a donatario fuit acceptata, textu expresso in § *Alias vero* 2. Instit. de donationib. ibi. « Donationes etc. etiamsi (*res donatæ*) non tradantur, habent plenissimum, et perfectum robur, et traditionis necessitas incumbit donatori.» (40. Immo in casu, quod donator nolit reddere rem donatam, conceditur donatario actio contra ipsum ad tradendam rem verbaliter donatam; l. *Si quis argentum* 35. Cod. de donat. (41. Donator tamen, si actione conveniatur ad tradendam rem donatam casu quo solvendo totum promissum, seu verbaliter donatum, nequeat alios creditores amplius solvere, vel se honeste sustentare amplius non possit, debet prius debita aliis creditoribus, et potest necessaria propriæ sustentationi deducere, textu expresso in l. *Qui ex donatione* 12, ff. de donationibus *ibi* : « Qui ex donatione se obligavit, in quantum facere potest, convenitur; sed enim id, quod creditoribus debetur, erit detrahendum; » concordat l. *Qui id.* 33. ff. eod. ibi. : « Actione non solidum sed quantum facere potest convenitur. » (42. Si autem donator sit in mora tradendi rem donatam, non tenetur fructus ex re donata interea præceptos donatario restituere, textu expresso in l. in ædibus 9, § 1, ff. de donat. ibi : « Ex rebus donatis fructus percepti in rationem donationis non computantur. » (43. Neque tenetur ob dilatam traditionem usuras solvere, ut expresse cavetur l. *Eum qui* 22. ff. eodem, ibi : « Eum qui donationis causa pecuniam, vel quid aliud promisit, de mora solutionis pecuniæ usuras non debere, summæ æquitatis est : » Aliter donatori sua liberalitas nimis esset damnosa. Tum quia res domino suo fructificant; ante traditionem autem, donatarius nondum est dominus rei donatæ, cum dominia rerum transferantur, non nudis pactis, sed traditionibus; l. *Traditionibus* 20. Cod. de Donationibus.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(44. Donatio ex quibus potius causa mortis quam inter vivos dicenda sit, tum an solemnitates a Statuto inductæ quoad donationes requirantur in donatione causa mortis ad ejus validitatem, plenissime discutit Rota in Nullius Civitellæ Immissionis 17. Junii 1748. Cor. R. P. D. Elephantut.

ARTICULUS II.

Donatio quoad personas, quæ donare possun, vel non, et in qua quantitate.

(1. Donare potest omnis ratione utens, lege non prohibitus, habens plenum dominium, seu liberam administrationem rei suæ; quisquis enim rei suæ moderator, atque arbiter existit, ut dicitur in l. *In re mandata*, eod. *Mandati.* (2. Donare autem non potest pupillus, minor, furiosus, amens, prodigus etc. quia per vulgaria Juris, et per communem Doctorum, omnes, qui administratione bonorum suorum sunt privati, uti sunt supradicti, etiam alienare et donare sine auctoritate Tutoris, vel Curatoris prohibentur. (3. Tutores, et Curatores non possunt donare aliquid de bonis, quæ administrant, textu expresso in l. *Contra juris* 38, § fin. de pactis, ibi : « Juliano placet, etiamsi maximam quis administrationem peculii habeat concessam, donandi jus eum non habere; » et concordat l. *Lucius* 46, § fin. ff. de administrat. tutor. (4. Possunt tamen Tutores, et Curatores ad proportionem conditionis, et facultatum sui Principalis facere proportionatas donationes remuneratorias pro meritis, et servitiis suo Principali collatis; sicuti possunt facere illas donationes, et eleemosynas, quæ pro more, et consuetudine fieri solent ab aliis paris conditionis sui Principalis; l. *Cum plures* 12, § 3. ff. de administ. tutor. ac l. 13. ff. eod. et est communis Doctorum sententia.

(5. Uxor potest libere donare, atque eleemosynas facere de bonis suis paraphernalibus et de iis bonis, quæ extra bona communia dotalia aliunde acquirit, ut ex donatione, legato etc. ex opera, vel arte ad familiæ gubernationem non necessaria, nec nociva. Sic communis; reliqua vid. verb. *Bona* art. 4. ubi late de donationibus, et eleemosynis, quas uxor facere potest vel non. (6. Filiusfamilias donare potest etiam invito patre de suis bonis castrensibus, vel quasi castrensibus; ipsa enim pertinent ad liberum ipsius dominium, et administrationem; l. *Si filiusfamilias*, ff. de donat. § 6. ibi : « Cæterum qui habent castrense peculium, vel quasi castrense, in ea conditione sunt, ut donare, et mortis causa, et non mortis causa possint, cum testamenti factionem habeant, » et l. 2. *Castrensi*, ff. de peculio castrensi, *et est communis;* reliqua vid. verb. *Bona* art. 4. (7. Pupillus et Minorennis, si pubes sit, etiam invito Tutore, vel Curatore, potest facere donationes, eleemosynas, vel alios sumptus moderatos pro sua conditione, et facultate, prout aliis paris conditionis passim permitti solet; id enim exigit decentia status sui. *Est communis* cum Molina tom. 2, disp. 277. (8. Si autem talis pupillus, et minorennis profuse, et excessive donet, vel expendat, peccat, quia agit contra præscriptum ejus, cui tenetur obedire : Illi tamen, quibus talis donatio facta est, non tenentur ad restitutionem, donec donatum a Tutore, vel Curatore repetatur vel ipse donator petat restitutionem in integrum. Molina tom. 2, dis. 224, 261 et 277, Lessius lib. 2, cap. 18, dub. 11, n. 81. Sporer loc. cit. n. 29, et alii passim (1).

(1) Hic Auctor noster agens de Pupillis, ac Minoribus donationibus profusis aliquid momenti alienantibus nullo tutoris, aut curatoris accedente consensu; cum doceat res hujusmodi hac ratione a Pu-

Digitized by Google

(9. Pater si donet aliquid filio nondum emancipato, ejus donatio est invalida, et pro arbitrio patris potest revocari; leg. *Cum de bonis* 11. *Cum de donationib.* et leg. 2. Cod. de ineffic. donat. Et ratio est, quia ut dicunt communiter Doctores, omne quod filius a patre acquirit, ad bona filii profectitia spectat, quorum bonorum quia pater est Dominus, non tam filio, quam sibi donare censetur; filius enim quandiu est sub potestate patris, reputatur veluti una persona civilis cum patre. (10. Talis autem donatio evadit statim valida post mortem patris, quia tunc filius desinit esse sub potestate patris; Et sic etiam post emancipationem filii, res prius donata statim transit ad filium donatarium, si usque ad emancipationem pater non revocavit donationem, l. *Donationes* 31, § 2, ff. de donat. et l. *Sive emancipatis* 77, Cod. eod.

(11. Dantur tamen aliqui casus, in quibus donatio patris facta filio nondum emancipato statim valet. Primo, cum pater donat aliquid filio ratione studiorum, vel opificii addiscendi; l. 15. Cod. de neg. gest. Secundo, cum pater donat aliquid filio remunerationis gratia; l. *Cum pater* 77. § 25. ff. de Legat. Tertio, cum pater donat aliquid filio in dotem, vel ad matrimonium; Quarto, cum pater donat bona mobilia filio ex causa militiæ, ad gradum vel honorem adipiscendum, quia ita donatum efficitur bonum castrense, vel quasi castrense, in quo filius liberam habet dispositionem; ex leg. 2. *Castrense*, ff. de peculio castrensi. Quinto, cum pater condonat filio usumfructum, quem habet in ejus bonis adventitiis. Sexto, in omnibus pene casibus, in quibus inter conjuges valet statim, valet etiam donatio patris facta filio; Navarr. c. 17. n. 147. Silvester verb. *Donatio* 2. quæst. 7. Lessius loc. cit. num. 91. et alii.

(12. Mater valide donat filiis tam emancipatis, quam nondum emancipatis, quia in matre cessat ratio prohibens donationem in filium, cum mater non habeat filios in sua potestate; § *Fœminæ* 10, Institut. de adopt. Tum quia matri non est prohibitum donare filiis, arg. l. *Sed si ego* 4. § 1. ff. ad S. C. Vellejan. quia ut ibidem adducitur ratio, mater non tam faciliter donat, vel certe ordinario defectu administrationis multum donare non potest.

(13. Conjux nequit alteri conjugi mere liberaliter aliquid donare; et si talis mere liberalis donatio fiat inter virum, et uxorem durante Matrimonio, est invalida, et ad arbitrium donantis revocari potest, si ex illa donans fit pauperior, et donatarius ditior, textu expresso in cap. *Donatio* 8. de donationibus inter virum, et uxorem, ibi: « Donatio, quæ constante Matrimonio inter conjuges dicitur esse facta, ex qua alter locupletior, et alter pauperior efficitur, firmitatem non habet, nisi donantis obitu confirmetur: quæ tamen penitus evanescit, si revocatur ab eo tacite, vel expresse, vel qui donatum accepit, prius debitum naturæ absolvat; » et l. 1. ff. de donat. inter virum, et uxorem, ibi: « Moribus apud nos receptum est, ne inter virum, et uxorem donationes valerent; » et additur ratio præcisis his verbis: « Hoc autem receptum est, ne mutuo amore invicem spoliarentur, donationibus non temperantes sed profusa erga se facilitate, » et l. 3. princip. ff. Cod. ibi: « Majores nostri inter virum, et uxorem donationes prohibuerunt, amorem honestum solis animis æstimantes, famæ etiam conjunctorum con-

pillis donatas posse et accipi, ac retineri; donec vel a tutoribus repetantur, vel ab ipsis donatoribus expleta minori ætate beneficio restitutionis in integrum revindicentur: sequitur, uti patet, sententiam illorum Theologorum, ac Juris Consultorum, qui docent, ac tuentur in hujusmodi contractibus initis a Pupillo, vel Minore non accedente Tutoris consensu, licet nulla ab ipsis civilis obligatio contrahatur lege sic decernente, Institut. tit. Quibus alienare licet, § Admonendi leg. Pupillus 5. § 1. leg. Obligari 9. ff. De Auctorit. et Consens. Tutorum etc. Et leg. Si Curatorem 3. Cod. De in integrum Restitut. Minor. etc. attamen naturaliter obligatos manere. Pro hac etiam sententia acriter præ cæteris præterea decertat Doctissimus Sanchez Lib. 6. De Donation. inter conjuges Disp. 38. n. 19. et seqq. Lessius Lib. 2. cap. 17. De Contractibus etc. Dubit. 8. num. 61. Paulus Layman Lib. 3. Tract. 4. Cap. 9. n. 7 et seqq. At isthæc sententia licet non leve probabilitatis pondus præ se ferat, et magnos, nec paucos nacta sit patronos, validissimis tamen oppugnatur argumentis et Theologorum auctoritatibus, uti ex eodem Sanchez colligere facile quivis poterit.

Probabilior itaque nobis videtur sententia opposita juxta quam edocemur ex nullo contractu Pupilli, vel Minoris ullam obligationem nasci, ne naturalem quidem, quare qui cum iisdem contractus iniverint, iisque rem acceperint, ante omnem sententiam rem acceptam restituere coguntur. Insuper isthæc posterior sententia videtur juri conformior; Jure enim per hujusmodi dationes a Pupillis vel Minoribus factas sine consensu illorum, quos jure interesse oportet, auctoritatemq. ac consensum ipsis præstare impeditur ipso dominii translatio. Institut. lib. 2. tit. Quibus alienare, etc. § Admonendi. His verbis: « Si pupillus mutuam pecuniam sine tutoris auctoritate alicui dederit, non contrahit obligationem, quia pecuniam non facit accipientis. » Et paulo post: « Pupilli vel pupillæ solvere sine tutoris auctoritate non possunt, quia id quod solvunt, non fit accipientis, cum scilicet nullius rei alienatio eis sine tutoris auctoritate concessa sit. » Consentit etiam *lex.* Quod si forte 13. de solutionib. etc. § ultim.

Hanc porro posteriorem sententiam longe præferendam alteri oppositæ, atque unice sectandam arbitrarer, cum agitur de contractibus gratuitis, sive beneficiis. Quod enim in contractibus onerosis Pupilli, aut Minores curatoribus non destituti quandoque naturali obligatione maneant adstricti, inde fit, quia in hisce, ut plurimum ditiores fieri solent; atque hac ratione intelligenda sunt Civilia jura, quæ quandoque in hisce Pupillis, aut Minoribus naturalem agnoscunt obligationem, quemadmodum Cl. Cujacius interpretatus est, atque intelligendam jubet leg. Si Pupillus 127. ff. de verb. obligat. Et Gothofredus leg. Novatio 1. ff. de Novation. At in contractibus gratuitis, quibus quis donando propriis bonis se spoliat, patrimonium suum exhaurit, aut diminuit, nemo ditior fiet; quapropter nulla naturalis obligatio in istis agnoscenda, nullumque aut accipiendi, aut retinendi rem acceptam ius occurrere potest. (*Edit. Neap.*)

Digitized by Google

sulentes, ne concordia pretio conciliari videretur. »

(14. Valida tamen est donatio inter conjuges pluribus casibus. Primo valida est inter eos donatio remuneratoria ob præstita obsequia, et beneficia, seù servitia alias ordinarie indebita, et quæ ab aliis ejusdem conditionis conjugibus in similibus circumstantiis communiter præstari non solent; Sic ex communi docent Abbas in cit. cap. *Donatio* 8. de donat. inter vir. et uxor. num. 7. Menoch. de arbitr. judic. casu 132. num. 4 Sanchez lib. 6. disp. 6. num. 11. Molina, Layman, et alii; et ratio est, quia donatio remuneratoria non est propria et vera donatio, ut desumitur ex leg. *Aquilinus* 27. juncta Glossa verb. *Non meram*, et leg. penult. § *Si quis*, ff. de donationib.

(15. Secundo, valida est donatio facta ab uno conjuge alteri conjugi, si ex donatione donans non est factus pauperior, id est si ejus substantiæ, et divitiæ non sint diminutæ; Ut si maritus hæreditatem, vel legatum repudiet, ut uxori substitutæ, vel ab intestato succedenti obveniat; ut habetur in l. *Si sponsus* § *Si maritus*, ff. de donation. inter vir. et uxor. Ad hoc enim ut donatio inter conjuges sit invalida requiritur expresse, ut donans ex tali donatione reddatur pauperior, donatarius reddatur locupletior, ut patet ex cit. c. *Donatio*. ibi: « Donatio, quæ constante matrimonio inter conjuges dicitur esse facta, ex qua alter locupletior, et alter pauperior efficitur, firmitatem non habet; » et leg. *Sed etsi*, ff. eod. ibi: « Nam jus constitutum ad eas donationes pertinet, ex quibus et locupletior mulier, et pauperior maritus in suis rebus fit. »

(16. Tertio, valida est Donatio, si ex ea non sit factus locupletior conjux donatarius, etiam si conjux donans pauperior fiat donando, textu expresso in leg. *Si sponsus*, 5. § 16. ff. de Donation. inter vir. et uxor. ibi: « Ubicumque igitur non diminuit de facultatibus suis qui donavit, valet; vel etiamsi diminuit, locupletior tamen non fit, qui accepit, donatio valet. » Ut si maritus uxori locum sepulturæ donet; non enim locupletior fit uxor in ea re, quam Religioni dicavit; cit. loc. *Si Sponsus*, § *Concessa*.

(17. Quarto, valida est donatio facta causa exilii, vel alterius pœnæ bonorum confiscationem secum trahentis, textu expresso in l. 43, ff. de donationib. inter vir. et uxorem, ibi: « Inter virum et uxorem exilii causa donatio fieri potest. »

(18. Quinto, valida est donatio mutua inter conjuges, saltem quando una alteram notabiliter non excedit; l. *Quod autem* 7, § 2, ff. de donat. inter vir. et uxor. ibi: « Si vir et uxor qui invicem sibi donaverint, etc. recte placuit, compensationem fieri donationis: » in causa enim mutuæ donationis nullus conjugum locupletior fit, aut pauperior, quod est potissimum motivum prohibitionis donationum inter conjuges, juxta cit. l 1, ff. de Donat. inter vir. et uxor. et l. *Sed et si*, ff. eod. et cap. *Donatio* 8. de donat. inter vir. et uxor.

(19. Sexto, valida est donatio mortis causa facta inter virum, et uxorem; textu expresso in l. *Si eum* 9, § fin. de donat. inter vir. et uxor. ibi: « Inter virum, et uxorem mortis causa donationes receptæ sunt. »

(20. Septimo, valida est donatio, qua vir remittit uxori usuras dotis conventione debitas; l. *Vir usuras* 54. ff. de donation. inter virum, et uxorem.

(21. Octavo, valida est Donatio, facta ad reficiendas ædes dotales; leg. *Quod si vir*. 14. ff. de donat. inter vir. et uxorem.

(22. Nono, valida est donatio, si uxor marito donet causa honoris; vel dignitatis adipiscendæ, v. g. ad ipsum nobilitandum, doctorandum, in dignitate, vel qualificato officio constituendum; l. 40. et seq. ff. de donat. inter virum, et uxorem.

(23. Decimo, valida est Donatio, si vir uxori dotem promissam remittat, juxta leg. *Si constante*, Cod. de donat. ante nuptias; vel si uxorem dotet causa remunerationis, v. g. quia nobilis ignobili, juvencula seni nupsit, alioquin vero non est concessum, ut vir uxori post nuptias, vel in tempus nuptiarum dotem mere liberaliter constituat; leg. *Si quis uxori*, ff. de donation. quia hæc dotis constitutio species donationis est; leg. ult. § *Si a socero*, ff. *Quæ in fraudem creditorum*.

(24. Undecimo, valida est donatio inter conjuges Principes supremos, quia imperiales contractus legis vim obtinent; l. penult. Cod. de donat. inter virum, et uxorem.

(25. Duodecimo, valida est inter virum et uxorem donatio exigui pretii; Barbosa in cap. *Donatio* 8. de donationib. inter vir. et uxor. num. 17, arg. l. *Ex annuo* 15. l. *Sed si vir*, ff. de donat. inter vir. et uxor. a sensu contrario, et sic habet consuetudo optima legum interpres; l. 34. ff. de Legibus.

(26. Tertiodecimo, omnis Donatio invalida facta ab uno conjuge alteri conjugi inter vivos, fit statim valida post mortem donantis, si eam in vivis tacite, vel expresse non revocavit, textu expresso in cit. cap. *Donatio* 8. de donat. inter vir. et uxor. ibi: « Firmitatem non habet, nisi donatoris obitu firmetur, quæ tamen penitus evanescit, si revocatur ab eo tacite, vel expresse; » et concordat l. *Cum hic* 32, § 2, et l. *Stipulata* 33, ff. de Donat. inter vir. et uxor. Mortuo enim donante cessat finis legis prohibentis tales conjugum donationes, periculum scilicet mutuæ paupertatis ex mutuo affectu, etc.

(27. Tunc autem censetur tacite revocata Donatio, si donans rem prius conjugi donatam postea alteri donet, leget, vendat, pignori, aut hypothecæ subjiciat, textu expresso in l. *Si Maritus* 12. Cod. de donat. inter vir. et uxor. ibi. « Cum sit manifestum, etiam donatione, vel venditione, vel alio quolibet modo rebus alienatis, revocatam esse a viro in mulierem factam donationem, » et l. *Cum hic status* 32, § 5 et § 15, ff. eod. ibi: « Si maritus ea, quæ donaverat, pignori dedit, utique eum pœnituisse dicemus. » (28. Sic etiam talis donatio censetur tacite revocata

Digitized by Google

per divortium; l. *Cum hic status* 32, § 19 et 21. ff. de donat. inter vir. et uxor. (29. In dubio autem, an Donatio fuerit a donatore revocata, præsumendum est non esse revocatam, textu expresso in l. *Cum hic status* 32, § 4, ff. de Donat. inter vir. et uxor. ibi : « Si appareat defunctum evidenter revocasse voluntatem; quod si in obscuro sit proclivior debet esse Judex ad comprobandam donationem. »

(30. Milites donare non possunt Focariis, seu concubinis suis; leg. 2. Cod. de donat. inter vir. et uxor. ubi assignatur hæc ratio, quia licet donatio meretrici ab aliis etiam ob rem turpem facta valeat, textu claro l. *Affectionis* 5 et leg. *Donationes in Concubina* 31. ff. de donat. « Milites tamen meos (ait Imperator) a focariis suis hac ratione, fictisque adulationibus spoliari nolo. »

(31. Princeps supremus, ut Rex et hujusmodi, non potest profuse donare in grave, et notabile præjudicium status, et regni; atque ideo successores poterunt ejusmodi donationes revocare, ut colligitur ex cap. *Intellecto* 33, de jurejurando, ubi sic expresso habetur : « Intellecto jamdudum, quod charissimis in Christo fidelis noster Hungariæ Rex illustris alienationes quasdam fecerit in præjudicium Regni sui, et contra Regis honorem; Nos eidem Regi dirigimus scripta nostra, ut alienationes prædictas non obstante juramento, si quod fecit de non revocandis eisdem, studeat revocare. Quia cum teneatur, et in sua coronatione juraverit jura Regni sui, et honorem Coronæ illibata servare, illicitum profecto fuit, si præstitit de non revocandis alienationibus hujusmodi juramentum, et propterea penitus non servandum. » Et ratio est, quia bona Coronæ sunt suo modo vinculata, et Regi concessa ad defensionem, et administrationem Reipublicæ, et ad onera sui muneris sustinenda, non vero ut in Reipublicæ detrimentum profundantur; sic cum aliis probat Molina t. 1, tract. 2, disp. 25. Lugo t. 2, disp. 24, sect. 10, n. 148. (32. Potest tamen Rex, et alius Princeps supremus donare juxta conditionem sui status; sicuti potest, et debet remunerare merita subditorum, præsertim si in commune bonum cedant; hoc enim spectat ad providam Regni gubernationem, et decentem Regis dignitatem, cum non possit Regia dignitas, et Regni gubernatio sine liberalitatis, et remunerationis exercitio decenter sustineri; colligitur ex cap. *Abbate* 3, de sententia, et rejudicata in 6. Lugo l. c. Molina l. c. et alii.

(33. Clerici Beneficiati de bonis suis patrimonialibus, et quasi patrimonialibus, et parcimonialibus facere possunt honestas donationes, non tantum remuneratorias, sed etiam liberales, et profanas, moderatas tamen secundum qualitatem sui status, et conditionis. De bonis autem Ecclesiasticis superfluis non possunt facere donationes profanas liberales, sed tenentur sub mortali ipsa bona Ecclesiastica superflua erogare in pauperes, vel ad causas pias applicare. Est communis. Vide verb. *Beneficiatus* art. 1. a num. 35, usque ad num. 62, ubi late de hac re.

(34. Episcopi, vel Ecclesiarum Prælati; sive sæculares, sive Regulares non possunt facere ex mera liberalitate donationes magnas, sive in magna quantitate, de redditibus, et bonis Ecclesiæ, seu Monasterii. Et si tales donationes faciant revocari possunt, ac debent per successorem, textu expresso in cap. *Fraternitatem* 2, de donationib. ibi; « Fraternitatem tuam credimus non latere. « quod cum Episcopus, et quilibet Prælatus « Ecclesiasticarum rerum sit procurator, et « non Dominus, conditionem Ecclesiæ me- « liorem potest, facere vero deteriorem non « debet; Accepimus autem, quod prædeces- « sor tuus graves donationes de rebus Epi- « scopatus fecit in detrimentum Ecclesiæ, « suis Canonicis inconsultis. Unde quoniam « donationes hujusmodi de jure non tenent, « indulgemus tibi, ut liceat donationes hujus- « modi, tam a Clericis, quam a Laicis le- « time revocare. » (35. Possunt tamen dicti Prælati facere valide, ac licite donationes modicas, seu in parva quantitate, etiam mere liberales, ubi est loci consuetudo, textu expresso in cap. *Cæterum* 3, de donationib. ibi : « Datæ rei quantitas, et illius terræ consuetudo (quæ tamen sacris Canonibus non obviet) est diligentius attendenda, et secundum hoc est donum ratum; vel irritum judicandum », et sic tenent Abbas in d. cap. 3, num. 3. Barbosa ibid. num. 2. Engel lib. 3, decret. tit. 24, num. 12. Pirhing ibid. num. 13. Reiffenstuel ibid. num. 34, et alii communiter. (36. Quinimmo possunt dicti Prælati facere moderatas donationes ex rebus mobilibus Ecclesiæ, seu Monasterii non prætiosis, etiam ubi non est loci consuetudo; arg. cap. *Fraternitatem* 2, de donationibus, ubi solum prohibentur donationes graves, seu magnæ; ergo a sensu contrario, si non graves, et magnæ, videntur concessæ, ut notat Glossa ibid. verb. *Graves*; et docent Imola in cap. *Cæterum* 3, de donationib. in fine; Redoan. in tractat. de rebus Eccles. non alienand. quæst. 52, num. 61. Pirhing loco cit. num. 14. Reiffenstuel loc. cit. n. 35. Et ratio est, quia per hujusmodi modicas donationes Ecclesia, seu Monasterium nihil lædi censetur, et aliunde evitatur avaritiæ suspicio, et conservatur bona existimatio, et benevolentia hominum, indeque procuratur etiam Ecclesiæ, seu Monasterii utilitas, et notat Layman in dis. Canon. de rebus Eccles. non alienand. § 8, de donationib. Thesi 114. (37. Quænam autem dicantur modicæ, et parvæ donationes, adeoque permissæ, cum in Jure definitum non sit, id Judicis, aut viri prudentis arbitrio judicandum relinquitur, consideratis Ecclesiæ, seu Monasterii facultatibus, donantis, et donatarii qualitatibus, aliisque circumstantiis, prout declarasse Sacr. Congregationem Concilii testatur Fagnan. in cap. *Nulli* n. 26, de rebus Eccles. non alienand. et tenet communis Doctorum.

(38. Episcopi, et Ecclesiarum Prælati possunt facere donationes remuneratorias etiam

Digitized by Google

magnas in compensationem meritorum, et beneficiorum in Ecclesiam, vel Prælatum, seu etiam in membra ipsius a donatariis collatorum, quia datio remuneratoria non est proprie donatio, ut colligitur ex l. *Aquilius* 27, juncta Gloss. 27, verb. *Non meram;* et lib. penult. § *Si quis,* ff. de donationib. Non enim est mere liberalis, ut requiritur ad meram, et propriam donationem; ex l. 1, princip. ff. eod. sed fit ex obligatione gratitudinis, prout constat ex l. *Sed etsi* 25, § *Consuluit,* ff. de petit. hæred. ubi dicitur. Antidora, seu remunerationes esse veluti genus quoddam permutationis, modo illæ sint commensuratæ meritis, seu obsequiis, et beneficiis præstitis; Abbas in cap. 3, num. 3, de donat. et in cap. 5, num. 6, eod. Barbosa in d. cap. 5, num. 2, ff. eod. Menoch. consil. 191, num. 32. Molina tract. 2, disput. 276, num. 2, disput. 292, num. 2 et seq. Layman. lib. 3, tract. 4, cap. 12, num. 9. Engel lib. 3, decr. tit. 24, num. 22. Pirhing ibid. num. 10. Reiffenstuel ibid. num. 40. (39. Immo ob remunerationem magnorum beneficiorum, quæ Ecclesiæ, vel Prælato ejus intuitu præstita fuerunt, etiam res aliqua immobilis Ecclesiæ donari potest alicui, præmisso tractatu, et aliis Juris dispositionibus et solemnitatibus; cap. *Quicumque* 66, et ibi Gloss. caus. 12, quæst. 2, et cap. *Per tuas* 5, de donat. ubi remunerationis causa approbatur ut valida, et licita infeudatio de quatuor modiis terræ facta ab Episcopo Florentino quibusdam nobilibus Florentinis, qui tempore schismatis ipsum domi suæ sustentarunt, quamvis alias infeudatio, sicut donatio sit prohibita: Extravagant. *Ambitiosæ,* de rebus Eccles. non alienand. et cap. 2, de Feudis, et docet Abbas in d. cap. *Per tuas* num. 6. Layman loc. cit. Thes. 112. Pirhing loc. cit. num. 11.

(40. Episcopi, seu Ecclesiarum Prælati, etiam Regulares non solum habent potestatem donandi ad remuneranda beneficia, vel obsequia jam præstita, sed etiam possunt facere donationes magnas, ut donatarium moveant ad facienda beneficia in futurum, v. g. ut donatarium, cujus opera, mediatione, et beneficentia Ecclesia, seu Monasterium indiget excitent ad benefaciendum, vel succurrendum, vel etiam ut damnum, ac detrimentum ab eo injuste inferendum avertant. Et ratio est evidens, quia ita donando procurant utilitatem Ecclesiæ; ob Ecclesiæ autem utilitatem bona ejusdem etiam considerabilis quantitatis alienare licet; arg. cap. *Sine exceptione* 12, qu. 2, et sic tenent Suarez tom. 4, de Relig. lib. 2, cap. 26, n. 14. Pirhing loc. cit. num. 10. Reiffenstuel loc. cit. num. 44, et alii passim. (41. Prælati Ecclesiastici etiam Regulares, etiam sine consensu Capituli, et requisitis juris solemnitatibus, possunt ex causa pietatis, et misericordiæ, sive titulo eleemosynæ facere de redditibus, et bonis Ecclesiæ, seu Monasterii donationes proportionatas ad bona, et facultates, quas habet Ecclesia, seu Monasterium: quia hæ donationes non fiunt ex mera liberalitate, sed ex quadam juris obligatione, et necessitate; arg. cap. 1, de donat. et l. *Filiusfamilias* § 1, ff. eod. et docet Suarez loco cit. n. 12 et 13. Layman loc. cit. Thes. 111. Pirhing loc. cit. num. 9. Reiffenstuel loc. cit. n. 45, et alii communiter.

(42. Prælati, seu superiores Regularium non possunt de bonis Monasterii, vel Ecclesiæ facere donationes ad usus profanos v. g. ad locupletandos suos consanguineos, et qui acceperint tenentur ad restitutionem. Et ratio est, quia Superiores non sunt Domini bonorum Monasterii, sed solum administratores, adeoque non possunt ea conferre quibus voluerint, sed debent ea impendere juxta præscriptum Sacrorum Canonum, qui non permittunt ea bona impendi nisi ad pias causas. Sic Abulensis in cap. 6. Matth. quæst. 37. Navarr. in Commentar. 2, de Regular. n. 12. Molina tom. 2, disput. 266. Layman lib. 3, de justitiæ tract. 4, cap. 12, num. 9. Sanchez lib. 7 moral. cap. 19, qu. 2. Lessius lib. 2, cap. 18, dub. 11, num. 83. Reiffenstuel loco cit. num. 37 et sequ. et communis aliorum. (43. Regulares illi, qui non sunt Prælati, administrationem tamen bonorum Monasterii sibi commissam habent, uti sunt Syndici, Procuratores, et OEconomi, possunt donationes facere, eleemosynas dispensare secundum facultatem sibi a Superiore concessam, et juxta Ordinis statuta, et consuetudinem; S. Thomas 22, qu. 32, art. 8. Molina tract. 2, disput. 276, n. 5. Layman loco cit. n. 9. Pirhing loc. cit. num. 16. Reiffenstuel loco cit. num. 48. Rodriq. t. 2. quæst. Regul. qu. 57, art. 2, et alii passim. (44. Regulares illi, qui extra Monasterium degunt cum Superioris licentia, ut sunt aliqui Regulares Beneficiati, possunt, ac tenentur de redditibus Beneficii, quorum libera est ei permissa administratio, disponere inter vivos donationes honestas, et eleemosynas facere, uti alii Beneficiati sæculares; Molina tract. 2, disp. 276, num. 5. Layman lib. 3, tract. 4, cap. 12, num. 9. Pirhing loco cit. num. 16. Reiffenstuel loc. cit. n. 47, et alii passim. (45. Regulares, qui in Monasterio, sub obedientia Superiorum vivunt, et nullam bonorum administrationem habent, nullas omnino donationes, etsi alias justas, facere possunt, absque expressa, vel tacita Superioris licentia, juxta c. *Cum ad Monasterium* 6. de statu Monachorum, et c. *Non dicatis* 11. caus. 12, quæst. 1, alias, cum ipsi nec Dominium, nec ullam bonorum administrationem habeant, sed solum et purum usum, peccant contra votum paupertatis toties, quoties absque tacita, vel expressa Superioris licentia aliquid etiam pauperibus donant; D. Thomas 22, quæst. 32, art. 8, ad 1. Molina l. c. n. ult. Layman l. c. n. 9. Sanchez lib. 7 moral. c. 19, n. 92. Pirhing l. c. n. 16. Reiffenstuel l. c. n. 49. Less. loco cit. num. 85, et alii communiter, et expresse statuitur in Constitutione Clementis VIII, de largitione munerum incipiente *Religiosæ Congregationes,* et in Constitutione Urbani VIII, incipiente *Nuper a Congregatione,* quæ ne in oblivionem, et in desuetudinem abeant, sub pœna privatio-

Digitized by Google

nis officii, vocisque activæ, et passivæ ipso jure incurrenda, a Superioribus localibus sunt quotannis mense Januario in publica Religiosorum Congregatione; vel saltem in publica mensa perlegendæ. Non obstante quod plures Doctores apud Hyacintum Donatum tract. 15, de largitione munerum velint præfatas Bullas usu non esse receptas.

(46. Quoad quantitatem donandi, jure positivo civili specialiter prohibita sunt duo genera donationum, scilicet donatio omnium bonorum, et donatio liberalis excedens 500 solidos absque insinuatione facta. (47. Donatio omnium bonorum præsentium, et futurorum, mobilium, et immobilium prohibetur; et irritatur expresse in l. *Stipulatio hoc modo* 61. ff. de verbor. obligat. quia talis donatio aufert facultatem testandi, quod jure civili indecens, ac Reipublicæ noxium censetur; (48. Cessante autem hac ratione, donatio valebit in utroque jure, et foro. Hinc valida est donatio omnium bonorum præsentium, quia non adimit sibi donator potestatem testandi de futuris; Julius Clarus q. 19, num. 2. Covarr. lib. 3, variar. c. 12, n. 4. Lessius loco cit. n. 94. Sporer loc. cit. n. 56. et alii passim. (49. Sic etiam valida est donatio omnium bonorum præsentium et futurorum, excepto usufructu, quia eo ipso, quod excipiuntur fructus percipiendi, poterit donator testari de iis, quos ante mortem perceperit; Lugo tom. 2, disp. 23, sect. 10, num. 166. Molina disp. 280, num. 8. et alii. (50. Item valida est donatio omnium bonorum præsentium et futurorum, mortis causa facta, quia hæc non adimit testandi facultatem, cum sit revocabilis; ex § 1. *Instit. de donationib.* et l. 32, ff. eod. Molina tom. 2, disp. 280. Lugo loc. cit. num. 166, et alii.

(51. His adde quod in duobus casibus est valida donatio omnium bonorum præsentium, et futurorum, quamvis adimatur donatori testandi facultas. Primus casus est, quando inter vivos fit talis donatio Ecclesiæ, vel ad aliquam piam causam, quia jus Civile non potest restringere Officia pietatis, et Consilia Evangelica arg. *Ecclesia S. Mariæ* 10, de Constitut. Talis autem donatio est officium pietatis, et Consilium Christi Matth. 19, ibi « Vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus. » Et sic communis Doctorum sententia cum Molina loc. cit. Covarr. Rubr. de testamentis part. 2, num. 13. Sporer loco cit. num. 56. Lessio loco cit. num. 95. (52. Secundus casus est quando talis donatio cuicumque facta juramento confirmatur, quia adimere sibi facultatem testandi per donationem omnium bonorum, servatis sibi solum alimentis necessariis per se malum non est, sed potest esse opus bonum ex bono fine; alioquin, nec consuleretur a Christo, nec acceptaretur ab Ecclesia talis donatio, si esset per se mala, et perniciosa; Unde cum absque ullo peccato possit quis omnia sua donare, si jaramento promittat se non revocaturum, valet donatio, ut aperte colligitur ex cap. *Quamvis pactum*, de pactis in 6. Sic Molina,

Lugo, Sporer, locis citatis contra aliquos Jurisperitos.

(53. Donatio liberalis excedens 500 solidos est invalida quoad excessum, nisi fiat cum insinuatione; § *Aliæ autem* 2. Instit. de donationib. et arg. l. *Sancimus* 34 et l. penultim. in fine ff. de donat. Quod ideo statutum est ne excessivis donationibus cives cum detrimento Reipublicæ ad egestatem redigantur, et ut fraudibus in donatione magnæ quantitatis obvietur. (54. Hinc si quis sine insinuatione donet pluribus summam excedentem 500 solidos, donatio illa quoad excessum est invalida si simul et quasi uno animi impetu fiat; si tamen diversis temporibus animique motibus fiat, est valida; desumitur ex l. *Sancimus* 34. C. de donationib. § 4. Ita Lessius loc. cit. n. 97 et alii. (55. Si quis debitum aliquod liquidum summam 500 Solidorum excedens remittat, invalida est remissio quia remissio est instar donationis; Jul. Clarus qu. 16 n. 1. Lessius loc. cit. n. 98 et alii. In quibus autem casibus valeat donatio excedens 500 solidos; Vide art. anteced. a num. 31 usque ad 38.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

56. Sunt præter adductas ab Auctore et aliæ personæ, de quibus quæri potest an possint nec ne donare. De Clientibus quæstio est, an fervente lite possint donare Advocatis, Procuratoribus, aliisve similibus litis administris. Negant Charondas lib. 7. Respons. 166, aliique apud Wesel ad Novell. Constit. Ultraject. art. 15, n. 11, idque quia talis donatio extorta præsumenda est magis metu litis talis perperam administrandæ, quam liberalitatis gratia. (57. At Voet. in comment. ad Pandect. lib. 2, tit. 14, n. 18. « Quum in dubio (inquit) quisque bonus credatur, neque metus in liberalitatibus, ultimisque elogiis, aut contractibus, præsumatur, verum probandus sit, tamquam delictum etc., neque ad eo patronorum penuria laborent nunc Tribunalia, ut a patrono causam desertum iri jure Cliens metuat, possitque facile sinistri quid suspicatus, eo derelicto, alteri minus suspecto committere suæ litis tutelam, non aliter horum opinio probanda videtur, quam si provido Judici ac circumspecto sufficientia ex variis circumstantiis obvia fuerint indicia circumventionis, et extortæ liberalitatis signa. Quis enim iverit inficias, ipso litis tempore infinitas intercedere posse donationes, legative a Cliente in Patronum conferendi causas, nullum habentes cum lite continentiam, aut communionem? (58. Neque obstant verba generaliora in dict. leg. 6, Cod. de Postulando, quasi omnis conventio interdicta esset, quum potius convenienter aliis legibus supra adductis accipienda sint de istis conventionibus, quæ malo more de quota litis; aut palmario pendente lite aut probrosa litis redemptione vetitæ erant celebrari. » Et inter alios conveniunt Henry in collect. Arrest. tom. 2, lib. 4, quæst. 55. Wesel ubi supra n. 13 et 14.

(59. Quod de Clientibus respectu Advocatorum, Procuratorum et aliorum similium litis administratorum dictum est, id obtinet

Digitized by Google

etiam de ægrotis respectu Chirurgorum, et Medicorum, nam et ægroti donare possunt Chirurgis, et Medicis durante morbo; « Quæ sententia (ita recte ait idem Voet. loco mox citato num. 16.) moribus hodiernis tanto magis conveniens, quo honestioris plane loci nunc nostrates sunt Medici, quam olim Romani, sæpe servi, sæpe vilissimi, rapinarum, direptionum, concussionum, scelerumque similium infamia laborantes, et ob id non ab omni timoris inferendi suspicione immunes. »

(60. Confer etiam Zoef. in Pandect. lib. 2, tit. 14, num. 20. Fachin. controvers. lib. 2, cap. 25.

(61. De pœnitentibus quoque disputari solet, an donare possint Confessariis. Negant Ricard. de donat. part. 1, num. 516. Rousseaud de la Combe in sua Jurisprud. Canon. verb. *Donatio*, modo non agatur de donatione parvi momenti, vel remuneratoria. (62. Quinimo idem locum habere, etiamsi donatio fiat Conventui, vel Monasterio, vel alteri Communitati, cujus est Confessarius, tenent Auctores ibid.

ARTICULUS III.

Donatio quoad ejus revocationem.

(1. Donatio inter vivos semel legitime facta, et acceptata, regulariter loquendo non potest amplius revocari per Donatorem, textu expresso in leg. ult. Cod. de revocand. donat. ibi : « Generaliter sancimus, omnes donationes lege confectas, firmas, illibatasque manere; » (2. Et sic firma remanet talis legitime inter vivos facta donatio, ut nec rescriptum Principis revocari valeat, textu expresso in leg. *Si donationem* 5. Cod. eod. ibi : « Si rite fecisti, hanc auctoritate rescripti nostri rescindi non oportet. » (3. Ab hac tamen regula excipiuntur tres causæ principales, ob quas Donatio revocari potest, scilicet, ob ingratitudinem Donatarii, ob profem postea susceptam; et si Donatio sit inofficiosa liberis.

(4. Prima causa, quod scilicet donatio revocari possit ob ingratitudinem Donatarii, habetur expresse ex cap. *Propter* 10, de donationibus, ibi : « Propter ejus ingratitudinem, in quem liberalitas est collata, donatoris persona de rigore juris eam poterit revocare, » et leg. 1. *Cod. de revocand. donat.* ibi : « Si ingratus sit, omnis donatio, mutata patronorum voluntate, revocanda est; » et concordat leg. ult. Cod. eod. ubi quinque enumerantur casus, in quibus a Donatario censetur committi ingratitudo sufficiens pro facienda revocatione Donationis. (5. Primus casus est, si Donatarius manus impias, ac violentas in donatorem injecerit; cit. leg. ult. et cit. *cap. Propter.* ibi : « Si forte in ipsum impias manus injecerit. » Dicitur autem quis manus impias, ac violentas injicere, sive manibus, sive pedibus, sive per lapidem, sive per fustem, vel rem aliam, et sive per se, sive per alium id fiat, juxta leg. Non solum 11, in princip. ff. de injuriis; dummodo percussio sit graviter injuriosa, et non sive culpa mortali; quia si quis pro patriæ, vel propria, vel proximi justa defensione Donatori manus injiceret, ingratus dici non posset, nec esset locus revocationi Donationis, quia ubi non est culpa, nec pœna inferri debet. Sic etiam talis ingratitudinis reus non esset Donatarius, si ex ignorantia, vel casu id faceret; tunc enim deesset animus injuriandi, seu offendendi Donantem, sine quo animo non infertur injuria; leg. 3, § 1, ff. de injur.

(6. Secundus casus est, si Donatarius in Donatorem injurias atroces effundat; cit. leg. ult. et cit. cap. *Propter*, ibi : « Si injurias atroces inferre præsumpserit. » Quænam autem sit injuria atrox, relinquitur judicanda arbitrio Judicis ex facto, loco, qualitate personæ tam injuriantis, quam injuriatæ, aliisque circumstantiis; § *Atrox*, Instit. de injur. Atrox injuria potest fieri vel verbis, v. g. verbis graviter contumeliosis, ac injuriosis eum afficiendo, vel facto (absque tamen manuum injectione, quia tunc ad primum casum talis injuria pertineret) v. g. si Donatorem captivum teneat, ut notat Abbas in cit. cap. *Propter* 10, de donationib. arg. cap. Nuper 39, de sentent. excommum. Molina disput. 281, num. 1. Vel si adulterium cum uxore Donatoris, aut stuprum cum ejus filia committeret, ut notat Pirhing lib. 3. Decretal. tit. 24, n. 34. Reiffenstuel ibid. n. 53.

(7. Tertius casus est, si Donatarius grave damnum inferat Donatori in rebus, seu bonis suis externis; cit. l. ult. et cit. cap. *Propter*, ibi : « Si donatori grave rerum suarum damnum inferre præsumpserit. » Quale autem sit grave damnum, Judicis arbitrio, judicandum relinquitur, spectatis facultatibus Donatoris, aliisque circumstantiis. Non sufficit tamen ad revocandam donationem, quod Donatarius attentarit inferre grave damnum, sed requiritur, ut re ipsa tale damnum sit illatum, quia lex concedens revocationem est pœnalis; cujus verba sumi debent cum effectu; argum. cap. *Hæc autem verba*, dist. 1. de pœnitent. ibi : « Quid enim obfuit conatus, cum injuria nullum habuerit effectum? » Molina loc. cit. n. 2. Pirhing loc. cit. n. 34. Reiffenstuel loc. cit. n. 55.

(8. Quartus casus est, si Donatarius grave periculum vitæ Donatori inferre præsumpserit; etiamsi mors secuta non fuerit; quia Jura in hoc puncto ob solam attentationem, seu positionem periculi, etiam effectu non subsecuto, facultatem revocationis concedunt expresse ut colligitur ex cit. l. ult. et ibi Glos. verb. *Periculum*, Abb. in cit. cap. *Propter*, num. 2. Molina l. c. Reiffenstuel l. c. num. 56.

(9. Quintus casus est, si Donatarius conditiones in donatione impositas, et a se acceptatas nolit adimplere, si v. g. pensionem annuam, cui se obligavit, nolit solvere; cit. leg. ult. de revocand. donat. ibi : « Si nempe quasdam conditiones, sive in scriptis donationi impositas, sive sine scriptis habitas, quas donationis acceptator spopondit, minime implere voluerit? » Hic casus tamen

Digitized by Google

non ponitur in cit. cap. *Propter* 10. de donationib. quia, ut ibi recte advertit Abbas, non tam ob ingratitudinem, quam ob non impletam conditionem revocatio conceditur; Pirhing loco cit. n. 34. Reiffenstuel loc. cit. n. 57.

(10. Præter hos quinque casus in jure expressos volunt varii Doctores dari alios consimiles, in quibus ob majorem vel æqualem ingratitudinem possit revocari donatio; uti est, si donatarius qui donationem magnam a donatore accepit non eum alat inopia pressum, cum necare censeatur is, qui alimenta denegat; leg. 4. ff. de liberis agnoscendis. (11. Contraria tamen sententia est juri conformior adeoque in praxi tenenda, textu expresso in cit. leg. ult. de revoc. donat. ibi: « Ex his tantummodo (quinque enumeratis) causis, si fuerint in judicium dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ etiam donationes in eos factas everti concedimus; » et sic clare stat, quod ad alios casus contra expressum Juris textum non sit extendenda facultas revocandi donationem : Eo vel maxime, quod lex pœnalis, qualis est ista, non debet, nec potest extendi ad casus in Jure non expressos, etiam ob paritatem, vel majoritatem rationis, ut tenet communis; arg. leg. 40. ff de pœnis, et regul. 15. Juris in 6. ibi : « Odia restringi, et favores convenit ampliari, » et regul. 49. eod. ibi : « In pœnis benignior est interpretatio. »

(12. Donator probare debet in Judicio ingratitudinem Donatarii, si ob illam revocare vult factam donationem; Non enim donatio revocatur ipso Jure ex prætensa ingratitudine Donatarii, sed solum post probatam in Judicio talem ingratitudinem, et latam super ipsa sententiam Judicis; textu expresso in cit. leg. ult. ibi : « Si fuerint in judicio dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ; » Molina loco. cit. n. 5. Pirhing loc. cit. n. 36. Reiffenstuel loco cit. num. 61. (13. Potestas revocandi donationem ob ingratitudinem competit soli donatori, et non transit ad ejus hæredes et solum contra donatarium, et non contra ejus hæredes. Est communis quoad utramque partem, et prima pars habetur expresse ex cit. cap. *Propter* 10. de donat. ibi : « Quod tamen ad donatoris, qui hoc tacuit, non extenditur successores, » et cit. leg. ult. ubi etiam secunda pars probari videtur sequentibus verbis : « Hoc tamen usque ad primas personas tantummodo stare censemus, nullam licentiam concedendo donatoris successoribus, etc., etenim si ipse qui hoc passus est, tacuerit, silentium ejus manet semper, et non a posteritate ejus suscitari concedatur, vel adversus eum, qui ingratus dicitur, vel adversus ejus successores, » concordat, et utramque partem probat leg. *His solis* 7. § *Actionem*, ff. eod. ibi : « Nec in hæredem detur nec tribuatur hæredi. » Et ratio est, quia jus seu facultas revocandi donationem competit donatori ob injuriam acceptam a donatario, actio autem injuriam inferentis nec hæredi Donatoris, nec in hæredem donatarii datur, sed morte tum ejus, cui injuria facta est, tum injuriam inferentis extinguitur; leg. Injuriarum 13. in princip. ff. de injuriis, ibi : « Injuriarum actio neque hæredi, neque in hæredem datur; » et leg. Sancimus 22. Cod. de pœnis, dicitur quod Peccata tenent suos Auctores; adeoque nec donator, mortuo donatario, potest revocare donationem, nec hæres, sive successor donatoris potest rem donatam repetere ab hærede donatarii defuncti ab ipso commissam ut colligitur ex cit. leg. ultim. in fin. Cod. de revocand. donat.

(14. Intellige tamen dummodo ante mortem donatoris non fuerit lis contestata; quia si lis ab ipso ante suam mortem cœperit contestari; hæc actio transit, ad ejus hæredes, quia in cit. leg. Injuriarum 13. in princip. ff. de injuriis, expresse dicitur, « semel autem lite contestata hanc actionem etiam ad successores pertinere; » et in tali casu eadem actio datur etiam contra hæredes donatarii; leg. Unic. Cod. ex delicto defuncti; ibi : « Post litis contestationem... successores in solidum, alioquin in quantum ad eos pervenit, conveniri absolutissimi juris est, » addita ibi ratione, ne alieno scelere ditentur. (15. Quinimmo hæredibus donatoris competit actio contra donatarium, et ejus hæredes, etiamsi donator absque lite contestata decesserit, vel quia ingratitudinem ignoravit, vel ad agendum tempus non habuerit, vel impeditus fuit, arg. a contrario sensu desumpto ex cit. leg. ult. de revocandis donationib. ubi dicitur, si donator *tacuerit*, et cit. cap. *Propter* 10. de donation. ubi dicitur, si donator *tacuit*, non competere actionem hæredibus; Qui autem ignoravit, vel tempus non habuit ad agendum, seu revocandum, vel impeditus fuit, non censetur tacuisse; Cap. *Exposuit* 4. de dilationib. et cap. *Cum veteri* 52. de election. adeoque jus revocandi dationem transmittit ad ejus hæredes, et ipsis datur contra donatarium, et ejus hæredes; Abbas in cit. cap. *Propter* n. 7. Joann. Andr. ibid. Silvester verb. *Donatio* 1. quæst. 14. Engel lib. 3. decretal. titul. 24. num. 20. Pirhing ibid num. 38. Reiffenstuel ibid. num. 64. et alii passim.

(16. Dantur quædam donationes, quæ ob ingratitudinem donatarii revocari non possunt; et primo revocari non potest donatio remuneratoria; arg. leg. penul. § *Si quis*, juncta Glossa verb. Irrevocabilis; et leg. *Aquilius* 27. ff. de donationib. et tradit Glossa in cit. leg. final verb. *Inveniatur*, Cod. de revocand. donat. Abbas in cit. cap. *Propter* 10. de donat. n. 11. Barbosa ibid. num. 47. et communis aliorum, et ratio est, quia talis donatio non est proprie donatio, sed potius commutatio, seu compensatio meritorum, donatio enim proprie dicta debet esse mere liberalis; leg. in princip. ff. de donationib. (17. Secundo donatio facta Ecclesiæ, Monasterio, vel aliis piis locis revocari non potest ob ingratitudinem, Prælati, seu Administratoris, vel Capituli, vel utriusque simul; arg. Regul. 76. Juris in 6. ibi : « Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare; » et ratio est, quia donatio facta Ecclesiæ censetur facta Deo; unde ipse est donatarius, qui nunquam potest esse ingratus, cum

Digitized by Google

sit omnium bonorum largitor; Jul. Clarus § *Donatio* quæst. 21. num. 5. Barbosa in cit. cap. *Propter* num. 13. et alii passim. (18. Tertio donatio facta ratione dotis non potest post contractum Matrimonium revocari ob ingratitudinem fœminæ dotatæ, vel ipsius mariti; leg. *Si dotem* 24. Cod. de jure dotium, et leg. final. de dotis promission. ibi: « Liberalitas talis maneat vera, et irrevocabilis. » (19. Quarto revocare non potest donator donum a tertio, cui donatarius jam vendidit, donavit, vel in dotem dedit, etc. arg. leg. *His solis* 7. Cod de revocand. donat. Et hoc ne ei ad quem res legitimo titulo pervenit, præjudicetur per factum alienum; nisi forsan alienatio rei donatæ facta sit in fraudem donatarii sciente eo in quem alienatio facta est: cum fraus, et dolus nemini patrocinetur, juxta ea quæ traduntur ff. quæ in fraudem Creditorum. Engel lib. 3. decretal. tit. 24. n. 20. Pirhing ibid. n. 36. Reiffenstuel ib. n. 68. et alii passim.

(20. Secunda causa principalis, quod scilicet donatio revocari possit ob prolem postea susceptam habetur expresse ex leg. *Si unquam* 8, Cod. de revocand. donation. ibi: « Si unquam libertis patronus filios non habens bona sua omnia, vel partem aliquam donatione largitus, et postea susceperit liberos totum, quidquid largitus fuerit, revertatur in ejusdem donatoris arbitrio, ac ditione remansurum. » Quæ lex licet loquatur de sola donatione a Patrono libertis facta, communiter tamen a Doctoribus extenditur ad donationes a quocumque donante quibuslibet aliis personis extraneis, hoc est, quæ non sunt de numero liberorum, seu descendentium donatarii. Et ratio est, quia pia, et justa est præsumptio juris, donatorem prole carentem donationem magnam fecisse cum virtuali, vel tacita hac conditione, nisi mihi liberi nascantur, nemo enim censetur alienos, seu extraneos posteris suis, seu liberis præferre velle; Clarus § *Donatio* quæst. 22. num. 1. Molina tract. 2. disp. 282. num. 1. Engel loco cit. num. 17. Pirhing loc. cit. num. 40. Reiffenstuel loco cit. num. 69. et alii communiter arg. leg. *Cum avus* 102. ff. de condit. et demonstrat. leg. *Cum acutissimi* 30. Cod de Fideicommissis. (21. Et hoc idem venit dicendum etiamsi unica tantum postea nascatur proles, quia licet in cit. leg. *Si unquam* in numero plurali dicatur de liberis postea susceptis, appellatione tamen liberorum, etiam unicus comprehenditur filius; leg. *Non est* 108. ff. de V. S. quia eadem est ratio in uno solo, quæ in multis; licet enim quis unicam prolem habuisset, vel de ea cogitasset, non censetur donaturus fuisse, illique extraneum fuisse prælaturum; Pirhing loc. cit. n. 41. Reiffenst. loco cit. num. 69. et alii passim.

(22. Limitatur tamen conclusio in donatione facta Ecclesiæ, vel ad aliam piam causam; nam tunc licet postea liberi nascantur, talis donatio non potest de jure revocari in totum, sed solum usque ad legitimam filiis jure naturæ debitam. Sic communis Doctorum. Et ratio patet a simili, quia donatio facta filio, si alii filii postea nascantur, non revocatur in totum, sed solum quoad eorum legitimam; leg. *In totius* 5. et leg. *Si mater* 7. Cod. de inofficios. donationibus. Atqui Ecclesia, seu alia causa pia instar filii habetur, et utriusque causa est æque favorabilis, ut notant communiter Doctores; arg. Authent. *Si qua mulier*, Cod de SS. Ecclesiis; ergo, etc. (23. In tali tamen casu, licet non ex obligatione justitiæ, ex æquitate tamen naturali, et quadam honestate spectaret ad populi ædificationem, ut natis postea filiis totum donatum restitueretur donatori, ut notant communiter Doctores, et præsertim S. Augustinus relatus in cap. *Quicumque* 43. caus. 17. quæst. 4. ibi: « Quam laudabile factum S. Aurelii Carthaginensis Episcopi! Quidam enim, cum filios non haberet, nec speraret, res suas omnes, retento sibi usufructu, donavit Ecclesiæ: nati sunt ei filii, nec opinanti reddit Episcopus ea quæ donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere (præter legitimam) sed jure fori non jure poli, » scilicet non ex justitia, sed vel ex charitate, vel naturali æquitate, vel majori honestate. (24. Limitatur etiam conclusio in donatione remuneratoria, vel ob aliam causam facta in commodum ipsius donatarii; talis enim donatio revocari non potest, etiamsi post Donatori nascantur filii, ut tenent communiter Doctores, quia non est proprie dicta donatio ex mera liberalitate procedens, ut ad ipsam requiritur in leg. 1. in. princip. ff. de Donation. sed et totius mercedis protestatio, seu meritorum compensatio, vel commutatio; adeoque irrevocabilis dicitur in leg. penult. § *Si quis* ff. de donationib.

(25. Tertia causa principalis, quod scilicet donatio revocari possit, si sit inofficiosa liberis, habetur expresse in leg. 1, 5, 7 et 8. Cod. de inofficios. donat. (26. Donatio enim inofficiosa, quæ, ut habetur tot. tit. Cod. de inofficios. donat. est illa quæ fit contra officium pietatis paternæ in filios, ut si pater, vel mater, uni vel pluribus filiis, aut etiam extraneis in tanta quantitate donavit, ut reliquis filiis legitima non remaneat, dat facultatem, seu jus reliquis filiis revocandi donationem usque ad eorum legitimam; leg. *Si totas* 5. leg. *Si mater* 7. et leg. 8. Cod. de inofficios. donat. Sive dein in unum, aut plures filios, sive in extraneos facta sit inofficiosa donatio; leg. 1. Cod. eod. ibi: « Sive in quosdam liberos, sive in extraneos exhausit. » (27. Jus revocandi inofficiosam donationem non competit solis liberis descendentibus, sed etiam parentibus, et ascendentibus; si nempe liberi eorum tam excessivas donationes faciant, ut non remaneat eis debita de jure legitima, casu quo præfati donatores absque liberis, seu nepotibus moriantur; leg. *Si Filius* 4. Cod. de inofficios. donat. Et ratio est, quia querela inofficiosæ donationis instituta est ad similitudinem querelæ inofficiosi testamenti; leg. ult. Cod. de inofficios. donat. Sed querela inofficiosi testamenti non minus ascendentibus, quam descendentibus, competit; leg. *Nam etsi* 15. ff. de inofficios. testament. ergo, etc. Et sic communis Doctorum.

Digitized by Google

(28. Donatio mortis causa proprie talis, etiamsi sit acceptata a Donatario, potest revocari ad libitum Donantis ; Jul. Clarus, § *Donatio* quæst. 4, in fine ; Menochius, lib. 3, præsumpt. 35, n. 21. Mascard. de probationib. conclus. 561, n. 6. Reiffenstuel, lib. 3. Decretal. tit. 26, art. 21, num. 698. et ipso teste communis aliorum per text. in § *Mortis causa donatio* 1. Institut. de donation. et in leg. *Ubi ita* 27. ac in l. *Non videtur* 32. ff. eod.

(29. Et id etiam verum est, quamvis intercesserit pactum, vel promissio de non revocanda tali dominatione mortis causa facta. Sic citati Doctores, et alii per allegata jura. Et ratio est, quia de natura donationis mortis causa est, quod sit revocabilis usque ad mortem ; cum Donator pœnitere possit et ad ipsum, si pœniteat, donatum revertatur, ut expresse statuitur in cit. § *Mortis causa donatio* 1. Institut. de donationib. et concordant aliæ citatæ leges, per quas clare innuitur, quod donatio facta cum pacto et promissione de ipsa non revocanda, non sit proprie donatio causa mortis, sed potius donatio inter vivos ; « et ideo perinde haberi debet, atque alia quævis inter vivos donatio », textu expresso in cit. leg. *Ubi ita* 27. ff. de mortis causa donat. et nos loquimur, ut patet in conclusione de donatione mortis causa proprie tali.

(30. Nec valet objicere leg. *Si alienam* 13, § 1, et leg. *Senatus* 35, § 4, ad finem ff. de mortis causa donation. ubi dicitur, quod « sic quoque potest donari mortis causa, ut nullo casu sit ejus repetitio, id est nec si convaluerit quidem Donator. » Non valet, inquam, quia respondetur cum citatis Doctoribus, quod si ita donatur, jam hoc ipso non fit donatio mortis causa proprie talis, sed solum ita vocetur quia mors est causa impulsiva donandi, textu expresso in cit. leg. *Ubi ita*, ibi : « Ubi ita donatur mortis causa, ut nullo casu revocetur, causa donandi magis est, quam mortis causa donatio ; » et concordant aliæ allegatæ leges, et consimiles.

(31. Quandonam donatio mortis causa ipso jure expiret, seu tacite revocata censeatur ? Vide supra, art. 1, a n. 14, ad 18.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(32. Ut rectum feratur judicium de revocatione dominationis ob supervenientiam filiorum, videndum quanam mente quis donaverit, et quanta in donatione contulerit bona, et cui demum donatum sit.

(33. Si donans expresse renunciaverit beneficio Legis *Si unquam*, cap. De Revoc. donat. quidquid sentiant nonnulli, in foro prævaluit opinio, quod non sit locus revocationi donationis ob supervenientiam filiorum, (34. modo tamen renunciatio non inter Clausulas generales sine manifesta filiorum mentione adjecta sit, (35. sed ita sit adjecta, ut de filiorum supervenientia perspicue et necessario cogitasse donans censeatur, Rota in Verulana Donationis, 29 Junii 1747. cor. Illustris. Clement. ubi quando renunciatio adjecta dici debeat inter Clausulas generales sine manifesta mentione filiorum, in Milevitana Canonicatuum, 12 Maji 1749, cor. eod.

(36. Eas donationes infirmat Imperatoris Constitutio, quæ complectuntur vel omnia bona, vel partem aliquam facultatum. (37. Communi propterea Doctorum sententiam constitutum est, ut ex ea lege in retractationem tantum veniat donatio universalis, vel quæ ei est proxima, (38. ingens et immodica, quum scilicet partem dimidiam aut tertiam excedit ; Voet. in Comment. in Pandect. lib. 39, tit. 1. (39. Rot. in recent. decis. 326, n. 28, part. 11, et cor. Cris. 1, n. 3, aut etiam aliquando minorem, si liberorum adnatorum numerus et conditio præter qualitatem patrimonii ita suadeant ; Fabr. in Cod. lib. 8, tit. 38, defin. 9. Rot. in Milevitana Canonicatuum, 12 Maji 1749, § 8. coram Illustrissimo Clem. impress. Romæ, 1781, apud Barbiellini.

(40. An et quando donatio jurispatronatus obnoxia sit revocationi ob supervenientiam filiorum, vide apud Rot. in Aurien. Parochialis de Fea super pertinentia patronali, 10 Decemb. 1727, et 26 April. 1728. cor. clar. mem. Corio, et in Brictinorien. Donationis, 7 Junii 1736, et 17 Junii 1737. cor fel. Regnante Summo Pontifice Clemente XIII. impress. per Barbiellini.

(41. Plurimam demum postulat animadversionem conditio donatarii. (42. Nam si uni ex filiis donatum, non inde ex aliorum supervenientia revocatur donatio, nisi appareat inofficiosa, et tunc quidem nec in universum, sed pro ea tantum parte, quæ contra paternæ pietatis officium exhaurit legitimam aliis filiis ex jure naturæ debitam, qua quidem subducta, maneat in reliquo donatio ; Vinn. select. jur. quæst. l. 2, cap. 35. Rot. in dict. Milevitana Canonicatuum, 12 Maji 1749, § 9. cor. Illustriss. Clement.

(43. Quod dicitur de donatione facta filio, id dici nequit de donatione facta Ecclesiæ ; nam quidquid cum aliis asserat Auctor *num.* 22. in eam communiter itum est sententiam, revocari donationem factam Ecclesiæ ob supervenientiam filiorum ; Clar. § *Donatio* quæst. 23, num. 2. Zoef. in Pandect. lib. 39, tit. 5, num. 127. Voet. in Comment. ad pandect. lib. 39, tit. 5, num 33. Tulden. ad tit. Cod. de Revoc. donat. num. 4. optime Anton. Matthei select. disput. 9, ad leg. *Si unquam*, Cod. de Revocanda donat. thes. in fine.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(44. Oritur quæstio circa revocationem donationis ob supervenientiam liberorum, an præcedens donatio irrita sit ipso jure, an vero opera hominis indigeat, adeo ut in suo robore maneat, si a Donante explicite non revocetur. (45. Affirmant alii, alii negant, omnesque super verbo legis *revertantur* instituunt quæstionem. (46. Illi, qui tenent, ad revocandam donationem opus esse hominis opera, firmant verbum illud esse futuri temporis non præceptivum, quod requiritur, ut secluso hominis ministerio donatio ipso jure nulla remaneat. (47. Alii vero tuentur verbum allatum imperativi temporis esse, ideoque absque facto hominis donationem irritam ipso jure remanere. (48. Controversiam hinc inde perpendit et secundam sequitur opinionem. Perez. in Cod. tit. de

Digitized by Google

revocand. donat. 56, lib. 8, n. 29. Clar. in § *Donatio* quæst. 23, num. 8. Rot. in recent. part. 3, decis. 591, num. 3.

(49. Ex his alia excitari potest quæstio, an jus irritam nullamque declarandi donationem transeat ad filios a Donante natos. (50. Si donatio ex magis communi opinione nulla ipso jure remanet absque facto hominis ob supervenientiam liberorum, sequi necessario videtur, quod hoc jus etiam in filios transeat, quibus vix natis, immo conceptis jus quæsitum jam erat, et ex benigna legis interpretatione, quæ præsumit. (51. Donantem diligere magis filios quam extraneos, ideoque per neglectam a Donante revocationem non censetur sublatum jus filiis donantis super donatis bonis quæsitum, non tamen ut simpliciter filiis, quo casu modicum haberent pro modo legitimæ, sed jure hæreditario. (52. Ita sentit Gotofred. in not. ad leg. *Si unquam* 8. Cod. de revocand. donat. lit. A. Cujac. oper. post seu in Cod. Justinian. tit. de revocand. Donat., tom. 5, pag. juxta edit. Neapol. 1406, lit. B. « Ergo et liberis, quos postea suscepit dabitur donationem revocare, si ei hæredes extiterint jure hæreditario non proprio, quia jure proprio immodicam donationem a Parente factam non revocant in solidum, sed pro modo tantum legitimæ portionis. » Idem sentit Zoes., in Cod., tit. eod., quæst. 16, et concludit idem Perez, loco cit., num. 30.

(53. Alii vero contrariam amplectentes sententiam duos distinguunt casus, quando Donator habuit revocandæ donationis spatium, quando vero non. (54. Secundo casu concedunt filio jus revocandæ donationis, primo autem casu si Donator potuit revocare, et non revocavit, donatio in suo robore manet etiam in præjudicium filiorum; qui nil aliud a bonis Paternis consequi præter legitimam poterunt. Alex. et cæteri collecti per Tyraquel. ad leg. *Si inquam*, verb. *susceperit liberos* num. 21, et 22. Clar. in d. § *Donatio* quæst. 23, num. 10. Bruneman, ad eamd. leg. Cod. eodem, num. 5. Card. de Luc., de Donat. disc. 20, num. 4.

(55. Rectius tamen distinguit *S. Rota Roman. in recent., part.* 3. *dec.* 591. quod neglecta a Donante Donationis revocatio eo demum casu filiis natis obesse possit, quo Donans in possessione bonorum donatorum non reperiatur, quia tunc acquiescens Donatarium in possessione manere, videtur renunciare beneficio revocationis, quod ei tantum a legibus expresse conceditur. Cujac. ubi supr. litt. C. Donell. ad dict. leg. num. 9, et Zoes. ubi supra. Secus autem est dum Donans Donatarium numquam in bonorum donatorum immisit possessionem. (56. Hoc quippe casu cum per supervenientiam liberorum irrita remanserit ipso jure donatio, nec Donans a se possessionem abdicaverit, ut donatio effectum sortiretur nova interdicta debeant declaratio favore Donatarii. Rot. de Salvian. interdict. coram Falconer. decis. 9, num. 9

(57. Quæritur tamen, an hujusmodi donatio per supervenientiam liberorum ipso jure revocata per obitum eorumdem ante Donantis mortem reconvalescat, et constanter negant. Cujac. Donell. Zoes. locis supra citatis. (58. Hoc enim revocandi privilegium legitur Patri Donanti concessum non ob filios, vel eorum favore, sed quia tacite lex præsumit; sub ea conditione donatum fuisse, quatenus filii non nascerentur.

(59. Quo l filiis querela inofficiosæ donationis competat, ut in testamentis, in dubium nequit revocari. (60. At effectus inofficiosæ donationis querelæ, ab effectu querelæ inofficiosi testamenti longe diversus est. Secundo casu in totum irritatur testamentum, primo vero casu querela inofficiosæ donationis rescindit tantum quod deest portioni legitime liberorum. Cujac. loc. cit. lit. *A.* et Bruneman. loco citat. num. 6.

(61. Sed dubitari potest an hæc quærela transeat ad Nepotes, et transire firmat text. in leg. 34 et 36. Cod. de inoffic. testam (62. Excipiendi tamen casus, de quibus in dicta lege, quod nempe Pater fuerit exhæredatus 2, quod repudiaverit, vel renunciaverit querelæ 3, quod acquieverit quinquennio non a die obitus donantis, sed a die aditæ hæreditatis, ut in allegat. leg. 36. Nec rem mutat, quod dictæ leges de inofficiosis testamentis, non de inofficiosis donationibus procedant. (63. Ad hunc enim effectum pari passu procedunt donationes et testamenta. Leg. 19, Cod. de inoffic. donat, ibique Glos. verb. *temporibus* et *Paulus de Castr.*

ARTICULUS IV.

EX EDITIONE BARBELLIANA.

Donatio particularis quoad æs alienum.

Additionum limites excederem, si omnia, quæ super hoc juris articulo desunt, et a Doctoribus traduntur, hic adjungere vellem, ideo unam tantum eligam quæstionem, quæ, meo quidem judicio, singularis est, et a fere omnibus maxima cum admiratione conspicitur omissa. (1. Omnes una voce tenent successorem singularem, qualis est Donatarius particularis, ad æs alienum Donantis non teneri, sed hoc unus esse successoris universalis, ut omnibus notum est. (2. Quid tamen dicendum, si pro ære aliene res particulariter donata alicui sit specialiter obligata? Hæc ea est singularis quæstio, quam expendendam proponimus.

(3. Aliud sane, et longe diversum est quod Donantis patrimonium sit favore Creditorum generaliter obligatum, aliud vere, quod certum, et determinatum corpus ejusdem patrimonii sit alicui particulariter obligatum Primo casu a communi Doctorum opinione non dissentio, iisdem tamen in secundo casu assentiri non possum. (4. Hujus meæ opinionis fundamentum ex celebri l. æris alieni 15. Cod. de donat. desumo. « Æris alieni, quod ex hæreditaria causa venit non ejus, qui donationis titulo possidet, sed totius juris successoris onus est. Si itaque nemini obligata prædia per donationem consecuta es, supervacuam geris sollicitudinem, ne vel

Digitized by Google

hæredes donatricis, vel ejus hæredes te possint convenire. » (5. Hic quidem regula in contrarium firmatur, sed non alia ratione, nisi quia « nemini obligata prædia per donationem consecuta erat. » (6. Donataria, non idem certe Dioclet. et Maxim. responsuri, si alicui specialiter fuissent obligata eadem prædia. Vegell. Digestor, lib. 35, cap. 1, in fin. Carpzov. part. 3, const. 1, desin. 38. Bruneman. in Cod. tit. 54, lib. 8, leg. 15, num. 2, et ita definivit Rota in Recent. part. 5, dec. 143, per tot. (7. Ubi agebatur de censibus super fundo particulariter donato impositis. De Marin. resolut. quotidian. lib. 1, cap. 12, num. 3, de hac eadem quæstione agens allegatæ Decis. (8. Illius resolutionem permittit, eamque non antea in judicio definitam testatur. Cenc. de Cens. qu. 79. (9. Contrariam tueri opinionem videtur, sed post relata utriusque sententia argumenta integram controversiam ad consultationem Advocati Pauli Ranucci contra allat. Decisionem in eadem causa scribentis omnino remittit, quamvis eadem consultatio tantæ non fuerit efficaciæ, ut S. Tribunal a primæva recesserit opinione.

(10. Profecto ubi onus rem ipsam afficit debet ad quemcumque etiam singularem successorem cum sua causa transire. (11. Nec rem mutat, quod æris alieni onus non sit perpetuum, quia difficultas in perpetuitate oneris non consistit, sed in eo, quod fundo inhæret, ideoque cum post celebratam donationem in Donatarium transeat non minus dominium quam possessio rei donatæ, leg. *Quisquis* 28 et leg. *Si quis* 35. Cod. de donat. inde fit, ut in Donatarium transire debeat etiam onus. (12. Res enim censetur donata in eodem statu, in quo erat penes donantem. (13. Neque ex donatione Donatario datur actio pro traditione rei liberæ. Rot. 13. in Nuper. tom. 1, decis. 160, num. 10. (14. Sed pro traditione rei simpliciter. (15. Hinc si quis donet rem quam jure pignoris retinet, non integram rem, vel ejus æstimationem donare videtur, sed tantum quidquid superet salvo jure pignoris. Rot. in recent. part. 6, decis. 118, num. 21 et 22.

(16. Re quidem vera, si ob onus particulare res donata evinceretur, donans non teneretur favore Donatarii de evictione leg. ad res donatas ff. de edilitio Ediot. (17. Sed tantummodo quatenus res omnino aliena scienter donata fuerit actionem de dolo contra Donantem haberet pro damnis, et expensis quatenus tamen damna tulerit, et egerit expensas non vero pro evictæ rei æstimatione consequenda. l. *Aristo* § fin. ff. de donat. ibique Donell. tom. 9, pag. juxt. edit. Lucen. 1454, num. 2. Zoes in Pandect. lib. 21, tit. 1, num. 13. (18. Sed si de evictione non tenetur, neque teneri debet ad reluendum pignus. (19. Ubi enim militat eadem ratio, idem esse debet juris effectus. Nihil plane differt inter evictionem ob vitium rei, et evictionem ob æs alienum, cum in utroque casu causa evictionis rem ipsam intrinsecus afficiat. (20. Quod si donans non tenetur de evictione, et per consequens ad reluendum pignus, nec ad id teneri debet Donatarius particularis, qui Donantis personam repræsentat.

(21. Opponi posset donationem particularem similem esse legatis, ideoque sicuti in Legatariis non transit onus æris alieni, ita neque in Donatarium particularem. (22. Primo aliæ sunt donationes inter vivos, aliæ vero donationes causa mortis. Secundæ in nonnullis æquiparantur legatis, in nonnullis non Zoes. in pandect. lib. 39, tit. 6, num. 3. Primæ vero in omnibus differunt. (23. Hinc in legatis competit evictio, quod in donationibus inter vivos denegatur.

(24. Sed quamvis res esset de legatis, nihilominus dummodo aliquod jus super re legata habeat, ad hoc ut sine effectu non remaneat dispositio, tenet legatum pro eo tantum jure, quod legans habet, per text. in leg. *Julianus* ff. de legat. 3. leg. *Si domus* 71, ff. de legat. 1. § 5, et 6, ibique glos. in verb. *habemus* leg *Si tibi* 86, in princip. junct. § fin. ff. eod. M. Pautier Pandect. Justinian. in nov. ord. digest. tom. 2, tit. 1, de legat. num. 125. Bruneman, in pandect. lib. 30, tit. 1, ad leg. 71, num. 10, et seq. Hilliger. in Donell. enucleat. lib. 8, c. 11, sub. lit. *N*.

(25. Ad dictæ legis æris alieni sensum perfectæ concipiendum animadvertere demum præstat ad illa ejusdem verba : « ne vel hæredes Donatricis, vel ejus creditores te possint convenire. » Hinc, nisi fallor, corruit objectum, quod in vim specialis hypothecæ Donatarius particularis conveniri quidem actione reali possit, sed actionem ipsi personalem contra universalem successorem competere, pro relevatione. Non enim frustra mentio fit in dicta lege de creditoribus, et hæredibus Donatricis. Ex his mihi videtur posse tuto colligi, quod actione reali possit conveniri a Creditoribus non minus quam ab hæredibus; ab illis si directe contra ipsum agant pro consequendo credito, ab istis si factum sit, ut revera solverint æs alienum super fundo particulariter donato impositum pro reintegratione, vel repetitione indebite soluti, secus distincta inutiliter viderentur nomina Creditorum, et hærendum, cum præmissa regula generali satis dictum fuisset : « ne donatricis creditores te possint convenire. »

(26. Plurimum tamen confert voluntas donantium, adeo ut si appareat rem liberam fuisse donatam, ejus voluntas exsequenda est.

CONTRACTUS EMPHYTEUSIS.

SUMMARIUM.

ARTICULUS 1. — *Emphyteusis quoad ejus naturam, divisionem, et successionem in ipsam.*

1. Emphyteusis unde dicatur. — 2. Qui rem in Emphyteusim concedit, vocatur Dominus directus, seu Proprietarius, et qui rem in Emphyteusim accipit, vocatur *Emphyteuta*, seu *Emphyteuticarius*. — 3. Datur Emphyteusis definitio. — 4. Assignatur Emphyteusis differentia a Locatione. — 5. Item ejus

Digitized by Google

differentia a Venditione. — 6. Item ejus differentia a Mutuo, Donatione aliisque contractibus, per quos non solum usus, etc. — 7. Item ejus differentia a Feudo. — 8. Emphyteusis dividitur primo in Ecclesiasticam, et Laicalem, et qualis sit utraque. — 9. Assignatur differentia Emphyteusis Ecclesiasticæ a Laicali. — 10. Quid sit incidere in commissum. — 11. Emphyteusis dividitur secundo in perpetuam, et Temporalem, et qualis sit utraque. — 12. Emphyteusis dividitur tertio in Hæreditariam simpliciter, et Hæreditariam mixte, seu qualificate, et in non Hæreditariam, seu ex pacto et providentia, et qualis sit quælibet. — 13. Scriptura seu Instrumentum scriptum est de substantia Emphyteusis. — 14. Emphyteusis dicitur Ecclesiastica, vel Laicalis in ordine ad res quæ conceduntur, non autem in ordine ad personas quibus conceduntur. Et Emphyteusis vel debet esse perpetua, vel saltem ad decennium. — 15. Emphyteusis Laicalis quando est concessa sine expressione temporis, et personarum, et præsumitur perpetua, et transit ad omnes hæredes etiam extraneos. — 16. Sic etiam præsumitur perpetua, et transit ad omnes hæredes etiam extraneos Emphyteusis Laicalis, quando est concessa cum clausula : *Pro te, et hæredibus tuis.* — 17. Emphyteusis Ecclesiastica quando est concessa absque expressione temporis et personarum, non censetur perpetua, nec transit, sicut Laicalis, ad omnes hæredes etiam Extraneos, sed ad solos descendentes usque ad tertiam generationem. — 18. Emphyteusis Ecclesiastica quando est concessa cum clausula *Pro te, et tuis hæredibus*, transit ad solos hæredes descendentes, non vero ad extraneos. — 19. Plurimi contraria sentiunt. — 20. Emphyteusis Ecclesiastica debitis Juris solemnitatibus concessa, æque ac Laicalis transit ad omnes hæredes etiam extraneos, si sit expressa aliqua ex sequentibus, vel similibus clausulis ; v. g. *Pro te et tuis hæredibus, etiam extraneis, vel pro te, et tuis hæredibus omnibus, vel quibuscumque, vel quibus dederis*, et hujusmodi. — 21. Emphyteusis Ecclesiastica potest etiam concedi in perpetuum, si adsit legitima causa etc., et Beneplacitum Apostolicum. — 22. Bona Ecclesiastica in Emphyteusim dari solita, si iterum redeant ad Ecclesiam, potest Prælatus Ecclesiæ ea de novo concedere in Emphyteusim absque Juris solemnitatibus. — 23. Dummodo tamen solitum non alteretur. — 24. Assignatur quando dicatur alterari, vel non. — 25. Ad hoc ut autem bona Ecclesiæ dicantur solita in Emphyteusim concedi, vel requiritur una concessio solemnis, et a principio valida, vel requiruntur duæ concessiones sine solemnitatibus, sed effectum sortitæ per spatium 40 annorum. — 26. Si tamen bona Ecclesiæ solita dari in Emphyteusim sint denuo incorporata Ecclesiæ, non possunt dari in Emphyteusim sine solemnitatibus. — 27. In Emphyteusi Ecclesiastica non succedunt filii naturales, seu illegitimi. — 28. Etiamsi fuerint legitimati ex rescripto Principis naturalis. — 29. Succedunt tamen legitimati per subsequens matrimonium. — 30. In Emphyteusi autem sæculari filii naturales, et illegitimi succedunt eo modo quo succedunt in aliis bonis defuncti. — 31. Si hæredes Monasterium ingreditur, in Emphyteusi hæreditaria succedit Monasterium, dummodo tamen, ut saltem post mortem Professi, intra annum teneatur vendere, vel alio modo alienare talem Emphyteusim. — 32. Immo Monasterium succedit etiam in Emphyteusi ex pacto, et providentia competente suo Religioso Professo, ita ut quandiu Religiosus vivit, possit uti et frui fructibus, et commoditatibus talis Emphyteusis. — 33. Emphyteusis cum specialibus clausulis concessa transit ad solos vocatos per tales clausulas. — 34. Hinc in Emphyteusi concessa ad tertiam generationem masculinam excludentur omnes fœminæ descendentes ex fœmina. — 35. Emphyteusis concessa pro masculis tantum excludit fœminas, ita ut deficientibus masculis consequatur Emphyteusis devoluta ad Dominum directum ob lineam finitam. — 36. Item Emphyteusis concessa pro te, Filiis, et nepotibus non comprehendit fœminas. — 37. Item Emphyteusis concessa pro te, et Filiis non comprehendit fœminas. — 38. Est tamen probabilis etiam contraria sententia. — 39. Certum vero ea, quod quando Emphyteusis fuit concessa a fœmina, vel ab ea, stipulata, tunc nomine filiorum, et nepotum, filiæ et nepotes comprehenduntur. — 40. Sic etiam si Emphyteusis stipulata sit per masculum, et fœminam pro te, et filiis, tunc veniunt filii, et filiæ. — 41. In concessione Emphyteusis facta pro te et hæredibus comprehenduntur etiam fœminæ. — 42. Item comprehenduntur in concessione facta pro hæredibus et successoribus. — 46. Et a fortiori, comprehenduntur in concessione facta pro hæredibus quibuscumque. — 44. Item Emphyteusis Ecclesiastica concessa benemerito Ecclesiæ pro se, et omnibus filiis comprehendit etiam omnes fœminas. — 45. Sic pariter Emphyteusis concessa pro filiis natis, et nascituris comprehendit etiam fœminas. — 46. Clausula *Quibuscumque* posita in Emphyteusi Ecclesiastica comprehendit omnes extraneos tum masculos, quam fœminas. — 47. In concessione facta pro illis, qui sunt de generatione masculina, veniunt etiam fœminæ ; secus si sit facta usque ad tertiam generationem masculinam. — 48. Ubi fœminæ succedunt in Emphyteusim, admittuntur etiam nepotes ex eis. — 49. Emphyteusis de sui natura transitoria ad fœminas sicuti transit in masculos, ita etiam transit ad descendentes fœminas, ex fœminarum. — 50. Ita ut in Emphyteusi stipulata pro te, tuisque filiis, et descendentibus legitimis, et naturalibus veniant etiam nepotes ex filia. — 51. Immo in concessione facta pro te, filiis, et descendentibus per virilem sexum venit Neptis ex filio masculo. — 52. Sic appellatione descendentium per virilem sexum veniunt fœminæ, dummodo descendant ex masculo. — 53. Et appellatione filiorum continentur etiam fœminæ in Emphyteusi utili Ecclesiæ. — 54. In Emphyteusi concessa simpliciter ad tertiam generationem primus acquirens uti generatus ab aliquo numerandus est in prima generatione, ejus filius in secunda, nepos autem in tertia. — 55. Unde talis Emphyteusis concessa simpliciter ad tertiam generationem incipit a primo acquirente, et terminat in nepotibus. — 56. Præsertim si sit Emphyteusis Ecclesiastica, quæ conceditur solum pro tribus personis extensive ad solos nepotes comprehensa prima persona receptoris. — 57. Quandoque tamen Emphyteusis etiam Ecclesiastica ad tertiam generationem concessa comprehendit pronepotes, ut v. g. quando fuit concessa ad tertiam *ejus*, vel *ipsius* generationem ; quo casu generatio incipit in ejus filiis, et terminat in pronepotibus. — 58. Vel quando in concessione adest pronomen *eorum*, quod tanquam discretivum operatur exclusionem personæ cui adjicitur, et sic generatio incipit a filiis, et terminat in pronepotibus. — 59. Vel quando est concessa pro filiis, et ad eorum tertiam generationem. — 60. Vel quando concessa fuit ad tertiam generationem completam, vel finitam : nisi præcesserit expressa determinatio, seu designatio personarum. — 61. In Emphyteusi Ecclesiastica dato casu, quo instrumentum diversimode cantaret ac Beneplacitum Apostolicum, deberet potius attendi tenor Beneplaciti Apostolici quam tenor instrumenti. — 62. ad 64. Afferuntur ac declarantur decisiones Rotæ in quibus agitur de persona primi Acquirentis, nimirum quando enumeranda sit in Emphyteusi concessa ad tres generationes.

ARTICULUS II. — *Emphyteusis, quoad ea quæ concernunt Emphyteutam.*

1. Emphyteuta esse potest omnis, qui liberam contrahendi habet potestatem, sive sit masculus, sive fœmina, nisi specialiter a Jure sit ei interdictum.

Digitized by Google

— 2. Emphyteutæ esse non possunt Pupilli et Minores, nisi accedat auctoritas, et consensus Tutorum, aut Curatorum. — 3. Item Emphyteutæ non possunt esse Clerici solius lucri causa. — 4. Emphyteuta potest libere uti, et frui re Emphyteutica, et ei competit actio realis contra quemcumque perturbatorem, aut possessorem. — 5. Emphyteuta habet Jus percipiendi fructus ex incremento rei Emphyteuticæ per alluvionem facto, sive incrementum fuerit latens, sive etiam patens. — 6. Utrumque tamen incrementum quoad proprietatem accedit Domino directo, cui finita Emphyteusi competit etiam quoad Dominium utile. — 7. Emphyteuta finita Emphyteusi potest repetere melioramenta facta sine præcedente expresso pacto in utilitatem rei Emphyteuticæ, sive annuente, sive reluctante Proprietario. — 8. Affertur, et solvitur instantia. — 9. Melioramenta sunt æstimanda secundum valorem, quem habent, quando res Emphyteutica restituenda est. — 10. Non potest Emphyteuta repetere melioramenta, si in contractu Emphyteutico sit conventum quod nulla faciat, aut si faciat, imputet sibi. — 11. Sic non potest Emphyteuta repetere melioramenta, quæ in re Emphyteutica fecit vi contractus. — 12. Potest Emphyteuta vendere tam ipsam rem Emphyteuticam, quam melioramenta in ea facta, si requisitas a Jure adhibeat conditiones. — 13. Conditiones a Jure requisitæ pro tali venditione sunt potissimum duæ, et assignantur. — 14. Assignatur quibus fieri talis venditio sit prohibitum. — 15. Potest Emphyteuta rem Emphyteuticam quoad dominium utile cum melioramentis factis alteri etiam extraneæ personæ donare, vel legare sine consensu Domini, eoque non requisito. — 16. Item potest Emphyteuta sine consensu Domini directi dare rem Emphyteuticam in dotem, si detur non æstimata. — 17. Ut sine consensu Domini directi res Emphyteutica detur, legetur, aut in dotem detur, requirantur potissimum tres conditiones, et assignantur. — 18. Si reperiatur Emphyteusis donata, vel legata personis, seu locis incapacibus ipsam retinendi, debet ab ipsis intra annum vendi capacibus illam retinendi sine præjudicio Domini directi. — 19. Potest Emphyteuta sine consensu Domini directi rem Emphyteuticam oppignorare, seu hypothecare. — 20. Item sine consensu Domini potest rem Emphyteuticam locare ad breve tempus, immo etiam ad longum tempus, dummodo locatio non fiat ipsius rei Emphyteuticæ simpliciter, sed solum commoditatis ex ea percipiendæ nomine ipsius Emphyteutæ dum vivit. — 21. Non potest tamen sine consensu Domini ipsam rem Emphyteuticam alteri in Emphyteusim concedere. Alias potest ipsa privari. — 22. Potest insuper Emphyteuta sine consensu Domini rem Emphyteuticam cum alio permutare. — 23. Tenetur tamen Emphyteuta ante talem permutationem prius admonere Dominum directum utrum ipse permutare velit cum æquali emolumento, quod ipsi offertur ab aliis. — 24. Emphyteuta tenetur servare pacta conventa in contractu Emphyteutico. — 25. Unde tenetur rem Emphyteuticam meliorem reddere, si sub hac conditione et pacto eam accepit. — 26. Si vero sine tali pacto meliorandi rem Emphyteuticam accepit, tunc tenetur solum conservare eam in illa bonitate, in qua accepit, et si usu quotidiano, vel sua, vel suorum culpa evadat deterior, tenetur propriis expensis restaurare, et ad pristinam bonitatem reducere. — 27. Si nullo præcedente pacto de periculo res Emphyteutica absque culpa Emphyteutæ pereat, tota Domino perit, et ad nihil tenetur Emphyteuta, si vero pereat solum quoad aliquam parvam partem, tunc perit Emphyteutæ. — 28. Si res Emphyteutica culpa Emphyteutæ pereat, tunc ipsi perit, et de toto damno tenetur. — 29. Emphyteuta si pensionem comparatione fructuum valde modicam solvat et solum in recognitionem Dominii, tenetur ipsam modicam pensionem solvere, licet ob sterilitatem, vel hostium incursionem, aut alium casum fortuitum paucos, aut etiam nullos colligat fructus. — 30. Si autem Emphyteuta solvat pensionem magnam non solum in recognitionem dominii, sed etiam in compensationem, et juxta proportionem fructuum quos capit, vel capere potest, tunc si propter aliquam ex dictis causis nullos aut paucos fructus colligat, æquitas postulat ut fiat ei aliqua proportionaliter remissio. — 31. Emphyteutæ bonorum Ecclesiasticorum gaudent exemptione ab oneribus communicativis. — 32. Meri Laici possunt conveniri in foro Ecclesiastico pro bonis Emphyteuticis, et redditiis Ecclesiæ pro eo quod pertinet ad directum dominium. 35. Causa assertæ servitutis contra Emphyteutam mensæ Episcopalis spectat ad Curiam Ecclesiasticam. — 34. Non gaudent Emphyteutæ bonorum Ecclesiasticorum immunitate ab onere personali unius corbæ frumenti. — 35. Emphyteuta Ecclesiæ non potest declinare forum Ecclesiasticum respectu solutionis Canonis, vel quando agitur de Dominio Ecclesiæ. — 36. Bona Ecclesiarum, et locorum piorum in Emphyteusim laicis concessa, sive Canones, qui pro dictis bonis solvuntur, sint tenues, sive correspondentes fructibus, sunt exempta ab omnibus oneribus, et impositionibus laicalibus. — 37. Vineæ, et Terræ Emphyteuticæ Ecclesiæ non comprehenduntur sub edictis et aliis similibus publicatis a laicis, sed sunt prorsus exemptæ. — 38. Bona Emphyteutica Ecclesiarum et Ecclesiasticorum non possunt a Laicis collectari. — 39. 40. Quando Emphyteuta possit repetere melioramenta. — 41. ad 44. Quando locum sit diminutioni annui Canonis ex damno in substantia rei.

ARTICULUS III. — *Emphyteusis quoad ea quæ concernunt Dominum directum, seu proprietarium.*

1. Dominus directus esse, seu in Emphyteusim dare potest omnis ille, cui præter Dominium competit libera rerum suarum administratio. — 2. Sive sit persona privata. — 3. Sive sit integra Civitas, aut alia Communitas Dominium in communi habens. — 4. Sive sit Prælatus, aut Communitas Ecclesiastica, dummodo requisitæ a Jure adhibeantur solemnitates. — 5. Hinc defectu liberæ administrationis nequeunt in Emphyteusim concedere Pupilli, et Minores sub Tutoribus, et Curatoribus constituti. — 6. Neque ipsi Tutores, et Curatores sine Decreto, et auctoritate Judicis. — 7. Dominus directus potest omnia sibi bene visa facere in re Emphyteutica, dummodo non impediat dominium utile. — 8. Dominus directus potest privare Emphyteutam re Emphyteutica, si per integrum triennium de Emphyteusi laicali, vel per biennium de Emphyteusi Ecclesiastica non solvit debitam pensionem. — 9. Et hoc procedit etiamsi Emphyteuta pro solutione pensionis, seu Canonis non fuerit interpellatus. — 10. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus ob non solutum Canonem Emphyteuta non cadit in commissum, et privari non potest a Domino directo, et enumeratur. — 11. In Emphyteusi Laicali quamvis de rigore Juris nulla Emphyteutæ competat facultas purgandi moram, nihilominus ex æquitate etiam in ista purgatio moræ admittenda videtur. — 12. Quantum tempus ad purgandam moram concedatur. — 13. Dominus directus potest privare Emphyteutam re Emphyteutica, si absque sua consensu, et absque debitis Juris conditionibus vendat Emphyteusim: et tota, si totam vendat, et parte sola, si solam partem. — 14. Item potest Dominus directus privare Emphyteutam, si sua culpa lata, vel levi res Emphyteutica fuit notabiliter deteriorata; immo potest eum cogere, ut in quo rem læsit, resarciat. — 15. Quoties Emphyteuta expellendus est ab Emphyteusi, non debet a possessione repelli, nisi intervenia et auctoritate Judicis. — 16. Dominus directus quoties Emphyteusis transit de uno ad alium, potest a novo Emphyteuta propter investituram, quam ei impertitur, Laudemium, seu Honorarium exigere. — 17. Laudemium sic dictum,

Digitized by Google

ex quo Dominus directus suo consensu veluti laudet talem translationem factam, de Jure communi est quinquagesima pars pretii, quo bonum Emphyteuticum æstimatur. — 18. De consuetudine tamen alicubi trigesima, alicubi vigesima, et alicubi etiam decima pars pro Laudemio dari solet: unde servanda et in hoc loci consuetudo. — 19. Tale Laudemium non est mensurandum secundum valorem, quem res habebat, quando primo tradita est in Emphyteusim, sed secundum eum, quem res habet pro illo tempore quo in alium transfertur. — 20. Laudemium non est solvendum, quando defuncto Emphyteuta, Emphyteusis transit ad hæredem necessarium, veluti de Patre in Filium. — 21. Neque quando plures habentes rem Emphyteuticam in communi, eam inter se dividunt proportionaliter in singulis. — 22. Neque quando ante traditionem, venditio Emphyteusis iterum rescinditur. — 23. Neque quando res Emphyteutica transfertur ex necessitate — 24. ad 26. An assumpta ab Emphyteuta obligatione aliquid in re Emphyteutica faciendi intra præfinitum tempus sub pœna devolutionis, eoque non facto, locum sibi vindicet devolutio, Emphyteuta non interpellato. — 27. ad 30. Quas patitur exceptiones Regula, quod Dominus directus in venditione rei Emphyteuticæ valeat vel soluto prætio habere prælationem et petere Laudemium.

ARTICULUS I.

Emphyteusis quoad ejus naturam, divisionem et successionem in ipsam.

(1. Emphyteusis provenit a verbo Græco *Emponema*, quod latine idem significat ac *Melioratio*, juxta Speculatorem et Accursium, § *Adeo*, verb. *Emphyteusis*, instit. de locatione, Sylvestrum, verb. *Emphyteusis*, et alios, vel juxta Molinam tract. 2. de justitia d sp. 444. Pirhing lib. 3. decret. tit. 18. n. 31. Alciatum, et alios idem significat ac *Implantatio* seu *insitio*, eo quod ab initio nonnisi sterilia, seu inculta bona in Emphyteusim concedebantur ad hunc finem, ut Emphyteutarum diligentia, et labore per implantationem, insitionem, et culturam de infructiferis fructifera redderentur, et undequaque meliorarentur, arg. lib. 2. et 3. C. de jure Emphyteutico. (2. Nunc autem etiam bona fertilia, et quæ non indigent melioratione nemine reluctante in Emphyteusim traduntur, ut docet quotidiana praxis, et experientia (1). Qui rem in Emphyteusim concedit vocatur *Dominus Directus*, seu *Proprietarius*, et qui rem in Emphyteusim accipit, vocatur *Emphyteuta*, seu *Emphyteuticarius*, leg. 1. et 3. Cod. de jur. Emphyteutico.

(3. Emphyteusis est contractus nominatus, quo res immobilis cum translatione Dominii utilis, retento directo, seu proprietate sub onere certæ annuæ pensionis Proprietario solvendæ, alteri fruenda, et colenda conceditur, vel in perpetuum, vel ad determinatum tempus, non minus decennio, v. g. ad vitam ejus, cui conceditur, vel ad unam, vel plures generationes. Est in re communis. Emphyteusis differt a contractu locationis primo, quia per Emphyteusim transfertur in Emphyteutam utile Dominium rei, Leg. 1. et 2. ff. *si ager vectigalis, vel emphyteuticus;* per locationem vero non transfertur in conductorem nequidem utile dominium rei, sed usus tantum, seu commoditas fructuum: L. *non solet* 39. ff. locati, et l. *Qui rem*, Cod. eodem tit. (4. Secundo, quia Emphyteusis solum in rebus immobilibus, (5. quæ cultura meliores offici possint, constitui potest; locatio autem etiam in rebus mobilibus, ut de se patet, et quia locatio conceditur infra decennium, non sic Emphyteusis, et quia in locatione exigitur major pensio, quam in emphyteusi. (6. Item Emphyteusis differt etiam a venditione, quia per venditionem transfertur in emptorem nedum dominium utile, sed etiam dominium directum, seu proprietas rei venditæ; et non tantum immobilis, sed mobilis res vendi potest; l. (7. *Si emptione* 24. § 1. ff. de contract. empti, et per Emphyteusim transfertur solum dominium utile et non directum, et solum res immobilis, non autem mobilis, in ipsam concedi potest. l. 1. et 2. ff. (8. *Si ager vectigalis, vel Emphyteuticus.* (8. Item differt Emphyteusis a mutuo, donatione aliisque contractibus, per quos non solum usus, sed etiam proprietas transfertur, nullumque jus in re tradita remanet penes tradentem. Item differt Emphyteusis a Feudo quia in emphyteusi annua realis pensio solvitur; in Feudo autem personale tantum servitium, ac fidelitas exhibetur, et præstatur Domino a Vassallo, si Feudum sit verum nihil habens de Emphyteusi permixtum.

(9. Emphyteusis primo dividitur in Ecclesiasticam, et Laicalem. Emphyteusis Ecclesiastica est illa per quam bona, quorum proprietas ad Ecclesiam, Monasterium, aliumque pium locum pertinet, fruenda, et colenda conceduntur; l. *Joan.* 14. C de SS. Ecclesiis, et cap. *Potuit* 4. de locato, et conducto. Emphyteusis laicalis est illa per quam bona, quorum proprietas ad Laicum, vel Laicalem potestatem pertinet, fruenda, et colenda traduntur; l. 1. C. de jure Emphyteutico, et Authent. *Perpetua*, C. de SS. Ecclesiis. Emphyteusis Ecclesiastica potissimum differt a Laicali, quia in Emphyteusi Ecclesiastica requiruntur certæ Juris solemnitates, scilicet assensus Pontificius, et necessitas, seu evidens Ecclesiæ utilitas juxta dispositionem Extravagantis *Ambitiosæ* Pauli II, et juxta dicta verb. *Alienatio*. Quæ tamen Juris solemnitates non requiruntur in Emphyteusi Laicali; et licet in rebus solitis Emphyteuticari non sit necesarius assensus Pontificius, est tamen necessaria evidens Ecclesiæ necessitas seu utilitas; et etiam differt Emphyteusis Ecclesiastica a laicali, quia in Ecclesiastica incidit in pœnam, commissi si duobus continuis annis pensio non solvatur; (10. cap. *Potuit* 4. de locato et conducto, Authent. de non alienand. § *Scire*, et Authent. de alien. et Emphit. § *Si vero quis aut locator*. (11. In Emphyteusi

(1) Emphyteusis provenit a verbo græco *Emphyteuo*, id est *implanto*, *insero*, et bene se habet, quod ex Alvato, aliisque auctor. *Empomena* vero idem est ac *fatigatio*, *labor*, et metaphorice *melioramentum*, quia steriles terræ emphyteusi, id est, cura, labore, sudoribus fructuariæ, meliores reddebantur. (*Edit. Barbielli.*)

Digitized by Google

vero Laicali, Emphyteuta non incidit in commissum, nisi desinat tribus sequentibus annis pensionem solvere; l. 2. Cod. de jure Emphyteutico. Incidere autem in commissum nihil aliud est, quam Emphyteutam amittere jus Emphyteuticum, et melioramenta in re Emphyteutica facta.

Secundo, Emphyteusis dividitur in perpetuam et temporalem. Emphyteusis perpetua est illa, per quam res fruenda, vel colenda non ad certum tantummodo tempus, nec pro certis dumtaxat personis, sed in perpetuum ita conceditur, ut jus Emphyteuticum sic concessum perpetuo transeat ad hæredes; Emphyteusis temporalis est illa per quam res fruenda, et colenda ad certum solummodo tempus, vel ad unius, alteriusve vitam, aut etiam ad certam generationem, vel familiam conceditur. (12. Tertio Emphyteusis dividitur in hæreditariam simpliciter, in hæreditariam mixte, seu qualificate, et in non hæreditariam, seu ex pacto et providentia. Emphyteusis hæreditaria simpliciter est illa, quæ est concessa alicui cum facultate transferendi ad quoscumque hæredes etiam extraneos, et ad hanc succedere possunt omnes hæredes sive viri, sive fœminæ in perpetuum. Rota p. 3. dec. 286. num. 2. part. 6. decis. 211. n. 1. p. 11, dec. 361. num. 1. et sæpe alibi. Emphyteusis hæreditaria mixte, seu qualificate, est illa, concessa alicui pro se, et suis hæredibus non quibuscumque, et quomodocumque, sed solum qualificate hæredibus in quo casu ad succedendum requiritur utraque qualitas, et quod sit descendens et hæres, adeo ut non possit succedere descendens nisi sit hæres; nec hæres nisi sit descendens. Rot. part. 4. tom. 2. decis. 483. n. 20. et decis. 504. num. 1. et sæpe alibi. Emphyteusis non hæreditaria, seu ex pacto et providentia est illa, quæ est concessa alicui pro suis filiis, descendentibus, nulla facta mentione de hæredibus; et pro succedendo ad hanc Emphyteusim non requiritur quod filius, vel descendens sit hæres, cum possit etiam, repudiata hæreditate paterna, succedere in tali Emphyteusi, quippe quam non jure hæreditatis, sed ex pacto, et providentia, seu prima ejus institutione accipiat. Rota part. 11. dec. 230. n. 4 et 5. part. 12. dec. 40. n. 27. et decis. 135. n. 4. 5. et sæpe alibi.

(13. Scriptura seu instrumentum scriptum est de substantia contractus Emphyteutici, ut colligitur ex l. 1. C. de jure Emphyteutico; ibi: « Pactionibus scriptura interveniente habitis, » et tenet expresse Glossa ibidem verb. *Alienationis*. Rota part. 1. recent. decis. 400. num. 10. Julius Clarus § *Emphyteusis*, qu. 4. Molin. disput. 447. num. 4. Mascard. conclus. 602. num. 2. Fachin, cap. 84. Gomez. c. 3. num. 6. Azorius part. 3. lib. 10. c. 5. part. 3. Laiman. lib. 3. tract. 4. c. 23. n. 6. Card. et Luca disc. 37. de Emphyt. sub. n. 4. Pirhing. lib. 3. Decretal. tit. 18. n. 33. Reiffenstuel. ibid. n. 133. et alii passim. Et quod ad Emphyteusim Ecclesiasticam requiratur scriptura, expresse statutum est in Novella 7. in fine præfationis, et Novella 20. cap. 5. et cap. 6. § 2. (1). (14. Emphyteusis dicitur Ecclesiastica, vel Laicalis in ordine ad res quæ conceduntur, non autem in ordine ad personas quibus conceduntur; *communis ac certa*. Emphyteusis vel debet esse perpetua, vel saltem ad decennium; *est communis*.

(15. Emphyteusis Laicalis quando est concessa sine ulla expressione temporis et personarum præsumitur perpetua, et transit ad omnes hæredes, etiam extraneos; *est communis*, teste Julio Claro § *Emphyteusis* qu. 28. num. 1. et ratio est, quia cum ex primæva Emphyteusis institutione dari in perpetuum consueverit, § *Adeo*, Institut. de location. lib. 1. ff. *Si ager vectigalis, vel Emphyteuticus*, et alibi; eidem institutioni conformari debet Emphyteusis præsumptione Juris, quando in ipsius contractu nihil aliud fuit expressum, adeoque censeri debet perpetua; L. ult. C. de legatis. (16. Sic etiam præsumitur, et transit ad omnes hæredes etiam extraneos Emphyteusis laicalis, quando est concessa cum clausula *Pro te, et hæredibus tuis. Est etiam communis*, teste ipso Julio Claro loc. cit. n. 6. et Molina disp. 496. n. 3. Et ratio est, quia nomen hæredis simpliciter prolatum est generale comprehendens non tantum necessarios, sed etiam extraneos hæredes, In princip. Instit. hæredit. qualit. et different. (17. Emphyteusis Ecclesiastica, quando est concessa absque expressione temporis et personarum non censetur perpetua; nec transit sicut laicalis ad omnes hæredes etiam extraneos, sed ad solos descendentes

(1) Cum Emphyteusis sit contractus consensualis, magis eorum arridet opinio, qui tenent non ad substantiam illius, sed ad ipsius tantum probationem requiri scripturam. Zoes. in Pandect. lib. 19, tit. 2, num. 55. Corvin. in Cod. lib. 4, tit. 66, pag. 263, § *ad constitutionem*. Bruneman ibid. comment. ad l. 1, num. 3 et 4. Verba siquidem l. 1, Cod. de jure Emphyteutico, ab auctore relata, et verba leg. seq. in princip. « si quidem aliquæ pactiones in Emphyteuticis Instrumentis fuerint conscriptæ, » intelligenda potius videntur de pactis contractui adjectis, quam de ejusdem substantia. Quapropter cum scripturam requirat tantum Zeno ubi pacta memorat, et pacta non sint de essentia Emphyteusis, sequitur quod nullis interventis pactis nulla requiratur scriptura, et ita etiam sentire videtur Vin. partit. jur. lib. 1, cap. 71. § *Emphyteusis* circa fin. et ad § 3, instit. de locat. n. 8, doctissime Voet in Pandect. lib. 6, tit. 3, n. 3, in fin. Harprecht commentar. ad instit. lib. 3, tit. 25. Allegationes ab Auctore allatæ, vel de Emphyteusi Ecclesiastica loquuntur, vel propositionem absolute non firmant, vel contrarium omnino tradunt, ut Card. de Luc. loc. cit. quibus addendus est omni juris prudentia excultus Ger. Noodt ad Pandect. lib. 19, tit. 2, pag. 430, Coll. 1. « Magis tamen puto ea verba non obstare quominus Emphyteusis etiam sine scriptura contrahatur; primo quia procul dubio est contractus bonæ fidei, in quo scripturæ solemnitas nusquam est recepta. Accedit quod nihil nocet amissio instrumenti Emphyteutici: igitur nec nocebit ejus omissio, eo minus quia si ibi amissum dicatur non opus est amissionem probari, sed sufficit probari consensum de contracta Emphyteusi, » aliaque plura addit ib. viden. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

usque ad tertiam generationem. Covarruv. variar. resolut. lib. 2. cap. 17. num. 6. et cap. 18. num. 1. Jason. in l. 2. Cod. de Jure Emphyteutic. num. 160. Jul. Clarus § *Emphyteusis* quæst. 28. num. 1. arg. Novell. 7. cap. 3. ubi limitatio aperte habetur. Et ratio est, quia in dubio præsumptio stat pro conformitate Juris communis; § *Emphyteusis*, authent. de non alienand. ut notat Rota part. 17. recent. decis. 225. n. 29. et quod Ecclesia concedens Emphyteusim voluerit servare consuetudinem solitam practicari in similibus. Ecclesiasticis Emphyteuticis concessionibus; Consuetudo autem est, quod regulariter Emphyteusis ecclesiastica concedatur solummodo usque ad tertiam generationem. Rota part. 4. t. 1. dec. 94. n. 7. part. 5. tom. 1. dec. 314. n. 9. et seq. part. 11. dec. 335. n. 8. part. 14. decis. 195. n. 2. et dec. 463. num. 4. et part. 16. dec. 218. n. 1. et sæpe alibi. (18. Emphyteusis Ecclesiastica quando est concessa cum clausula *Pro te, et tuis hæredibus*, transit ad solos hæredes descendentes, non vero ad extraneos. Sic Imola in leg. *Ex facta* num. 14. ff. de hæredis Instit. Alexander consil. 23. num. 4. l. 1. Alvar. Valasc. de jur. Emphyteutic. quæst. 39. num. 9. et plurimi a Julio Claro copiose relati cit. quæst. 24. num. 6. cum communi aliorum: et ratio est, quia regulariter loquendo nomine hæredis non venit extraneus in materia, quæ de sui natura non est transitoria ad extraneos, qualis est Emphyteusis Ecclesiastica, ex l. *Etiam in princip* ff. soluto Matrimonio, ubi dicitur quod Emphyteusis Ecclesiæ non transit nisi ad filios, et nepotes, unde jure merito habetur, quod Ecclesia proprietaria possit ipsam revocare, si transeat ad alios, quam ad ipsos. Authent. de alien. et Emphyt. § 1. coll. 9. Et hoc rationabili fundamento, quia Ecclesiæ bona, quantum fieri potest, debent esse a quocumque onere, et servitute immunia, ut facilius consolidari possit dominium utile cum directo, et ipsa Ecclesia possit consequi beneficium frequentioris Laudemii. (19. Plurimi tamen magnæ notæ Doctores contrarium sentiunt volentes, quod Emphyteusis Ecclesiastica concessa cum dicta clausula *Pro te, et tuis hæredibus* transeat, sicut Laicalis etiam ad hæredes extraneos, et sit proprie dicta Emphyteusis perpetua; sic pluribus citatis et variis fundamentis adductis Reiffenstuel lib. 3. Decretal. tit. 18. n. 238.

(20. Certum est autem apud omnes, quod Emphyteusis Ecclesiastica debitis Juris solemnitatibus concessa, æque ac Laicalis transeat ad omnes hæredes etiam extraneos, si sit expressa aliqua ex sequentibus, vel similibus clausulis, v. g. *Pro te, et tuis hæredibus etiam extraneis;* vel *Pro te, et tuis hæredibus omnibus;* vel *quibuscumque, vel quibus dederis*, et hujusmodi, quia ut communiter notant Doctores cum Julio Claro loc. cit, n. 5, et Covarruv. loc. cit. c. 17, n. 5, similes clausulæ ex proprietate verborum comprehendunt omnes hæredes, nullo excepto. (21. Et hoc etiam in perpetuum, quia Emphyteusis Ecclesiastica potest etiam concedi in perpetuum, si adsit legitima causa, et adhibeantur debitæ Juris solemnitates, præsertim Beneplacitum Apostolicum; Julius Clarus, § *Emphyteusis* quæst. 6, num. 4. Abbas in cap. *In præsentia*, de probation. num. 29. Covarruv. lib. 2 variar. resolut. cap. 17, num. 5, et alii passim, et Rota part. 5, tom. 1, decis. 314, num. 11 et 12, part. 17, decis. 46, n. 1, et sæpe alibi; argum. cap. *Sine exceptione* 52, caus. 12, quæst. 2, cap. *Dudum* 1, de rebus Eccles. non alienand. in 6. Clement. 1, de rebus Eccles. non alienand. et Extravagant. *Ambitiosæ* eod. tit. Ubi quævis alienatio, etiam perfecta venditio, qua Dominium utile, ac directum simul alienatur, nedum Emphyteusis perpetua facta ex legitima causa, ac cum debitis Juris solemnitatibus tanquam valida, et licita approbatur.

(22. Bona Ecclesiastica in Emphyteusim dari solita, si iterum redeant ad Ecclesiam, v. g. quia tempus est elapsum vel quia deficiunt successores legitimi, potest Prælatus Ecclesiæ ea de novo concedere in Emphyteusim absque Juris solemnitatibus, dummodo eadem, vel similis utilitatis causa adhuc existat, textu expresso in Extravagant. *Ambitiosæ*, de rebus Eccles. non alienand. in qua a generali prohibitione alienandi res Ecclesiasticas, expresse excipiuntur bona ab antiquo concedi solita in Emphyteusim præcisis his verbis: « Præterquam de rebus, et bonis in Emphyteusim ab antiquo concedi solitis. » Et sic communis Doctorum cum Rota recent. part. 7, decis. 39, num. 6 et 7, part. 15, decis. 367, num. 17, part. 19, tom. 2, decis. 590, num. 7 et 9, et sæpe alibi. (23. Dummodo tamen solitum non alteretur; Rota part. 5, tom. 1, decis. 367, num. 22, part. 8, decis. 39, num. 49, part. 10, dec. 165, n. 11, et sæpe alibi. (24. Dicitur autem solitum alterari, quando Emphyteusis temporanea efficitur perpetua; Rota part. 19, tom. 2, decis. 675, n. 3, vel quando superadduntur diversæ personæ, et generationes in prioribus concessionibus non vocatæ: Rota part. 8, decis. 39, n. 54, part. 10, decis. 165, num. 13, part. 13, decis. 119, num. 4. Etiamsi addita fuerit unica tantum persona; Rota part. 12, decis. 36, num. 36, et a fortiori si superaddantur fœminæ, earumque descendentes; Rota part. 19, tom. 1, dec. 89, n. 8 et 9. Vel quando fit notabilis diminutio Canonis; Rota part. 13 dec. 191, num. 5. Unde ad hoc ut non dicatur alterari solitum, debet Emphyteusis concedi cum iisdem pactis positis in antiqua investitura. Rota part. 7, decis. 201, num. 18. Non dicitur tamen alterari solitum per additionem novi pacti Ecclesiæ concedenti utilis Rota part. 11 dec. 277, n. 12, dummodo substantiam contractus non tangat; Rota ibid. n. 12.

(25. Ad hoc autem ut bona Ecclesiæ dicantur solita in Emphyteusim concedi, vel requiritur unica concessio expressa solemnis, et a principio valida, Rota part. 5, tom. 1, decis. 176, num. 42, et decis. 367, num. 18, part. 7, decis. 36, num. 6, et part. 9 dec. 114, num. 14 et 15, it aut ulterius non requi-

Digitized by Google

ratur cursus temporis ; Rota part. 5, decis. 367, n. 18. Vel requiruntur duæ concessiones, seu investituræ sine solemnitatibus, sed effectum sortitæ per spatium 40, annorum ; Rota part. 5, tom. 1, decis. 367, num. 19, part. 7, decis. 36, n. 7, part. 9, tom 1, decis. 114, n. 15, part. 19, tom. 2, decis. 590, num. 8. Ex lapsu enim tanti temporis solemnitas præsumitur ; Rota part. 5, tom. 1, decis. 367, num. 19, et part. 19, tom. 2, decis. 590, num. 12. Et bona semel facta alienabilia, remanent perpetuo alienabilia ; Rota part. 16, decis. 155, n. 17, ideoque possunt iterum in Emphyteusim concedi sine solemnitatibus ; Rota part. 5, tom. 1, decis. 367, num. 22. Non requiritur tamen, quod illæ duæ concessiones sint uniformes ; Rota in Pisana bonorum 20 Februar. 1584, coram Cantuccio, sufficit quod una sit valida. (26. Si tamen bona Ecclesiæ solita dari in Emphyteusim, sint denuo incorporata Ecclesiæ, non possunt dari in Emphyteusim sine solemnitatibus ; Rota in Mediolanensi bonorum 25 Januarii coram Orano 1593, et communis Doctorum.

(27. In Emphyteusi Ecclesiastica non succedunt filii naturales, seu illegitimi ; Rota part. 1, decis. 435, num. 10, part. 9, tom. 1, decis. 317, num. 15, et sic statuit S. Pius V. Constitution. 117. (28. Etiamsi fuerint legitimati ex rescripto Principis sæcularis, ut statuit S. Pius V, in dict. Constitut. 117, et commun. tenuit Rota part. 5, tom. 1, decis. 100, num. 1, decis. 357, num. 23, et dec. 359, num. 22. (29. Succedunt tamen legitimati per subsequens Matrimonium, quia ab istis ob favorem Matrimonii utroque Jure tam Canonico quam Civili, omnis tollitur inhabilitas et Pœna, ita ut per omnia legitime natis æquiparentur, adeoque etiam in Emphyteusi Ecclesiastica, et sæculari succedunt ; argum. Authent. *Quibus modis natur. Effic. sui* § *Si quis igitur*, et cap. *Tanta* 6. *Qui filii sint legitimi*, ibi : « Tanta est vis Matrimonii, ut qui antea sunt geniti post contractum Matrimonium legitimi habeantur. » Et sic *communis Doctorum*. (30. In Emphyteusi autem sæculari filii naturales, et illegitimi succedunt eo modo, quo succedunt in aliis bonis Defuncti. Nulla enim in Jure reperitur prohibitio, quæ magis arceat illegitimos a successione in Emphyteusi, quam in aliis bonis ; Molina loc. cit. disput. 475. Julius Clarus l. c. quæst. 40, num. 1, et communis aliorum.

(31. Si hæres Monasterium ingrediatur, in Emphyteusi hæreditaria succedit Monasterium, dummodo tamen ut saltem post mortem Professi intra annum teneatur vendere, vel alio modo alienare talem Emphyteusim, quia Ecclesia non potest invito domino retinere Emphyteusim ; Rota part. 9, tom. 2, decis. 474, num. 15, ne dominus directus privetur perpetuo spe consolidationis, ex quo Ecclesia sit immortalis ; cap. *Si gratiose* 5, de rescriptis in 6, ut recte observat Fagnanus lib. 3, decretal. in cap. *Potuit Emphyteuta* 4, de locato et conducto num. 30, sequent. ubi dicit posse fieri pactum, et inhibitionem, ne bona Emphyteutica alienentur in Ecclesiam, et tale pactum non esse contra immunitatem Ecclesiasticam, et fuit resolutum in Congregatione particulari de mandato Sanctissimi habita die 26 Maii 1630. Imo dicit ipse sub num. 31, hæc prohibitio est ex natura contractus Emphyteutici, qui etiam in casibus, in quibus licita est alienatio irrequisito domino, ut in donatione, non permittit illam fieri in personam potentiorem ; Bald. in Authent. *Quas actiones* n. 13, vers. *Primo modo* Cod. de SS. Eccles. Gregor. XV, post alios decis. 519, num. 5. Et persona potentior, seu privilegiata dicitur Ecclesia, ut cum Glossa, et aliis concludit Fagnanus ibid. sub num. 32 et 33. Quod autem Monasterium succedat in tali Emphyteusi hæreditaria, nullum est dubium, quia cum Monasterium bonorum capax succedat in aliis bonis sui Religiosi, non est ratio cur non succedat in Emphyteusi hæreditaria. (32. Imo Monasterium succedit etiam in Emphyteusi ex pacto, et providentia competente suo Religioso Professo, ita ut quandiu Religiosus vivit, possit libere uti, et frui fructibus, et commoditate talis Emphyteusis, quamvis eam alienare non possit, sicuti hæreditariam ; ex quo mortuo Religioso, talis Emphyteusis ex pacto et providentia cedere debeat secundum ordinem illis, qui investitura sunt vocati ; Layman lib. 3, tract. 4, cap. 23, num. 15. Molina tom. 2, disput. 482. Sanchez. lib. 7, moral. cap. 15, num. 59. Pirhing. lib. 8 decretal. tit. 18, num. 53. Reiffenstuel ibid. num. 251 et 259, et communis aliorum.

(33. Emphyteusis cum specialibus clausulis concessa transit ad solos vocatos per tales clausulas ; *Communis ac certa arg.* Regul. 81. Juris in 6, quia contractus ex conventione legem accipiunt. (34. Hinc in Emphyteusi concessa ad tertiam generationem masculinam excluduntur omnes fœminæ descendentes ex masculo, et omnes descendentes masculi ex fœmina ; Rota part. 12, decis. 34, num. 6. Tunc enim requiritur duplex qualitas, nempe quod sit masculus, et proveniat ex linea masculina primi instituti ; Rota ibid. num. 5. (35. Sic Emphyteusis concessa pro masculis tantum excludit fœminas, ita ut deficientibus masculis, censeatur Emphyteusis devoluta ad dominum directum ob lineam finitam ; Rota part. 4, tom. 3, decis. 737, num. 4 et 15. Imo non solum excluditur omnis fœmina a masculo, sed etiam masculus a fœmina descendens ; Rota part. 12, decis. 34, num. 6. (36. Item Emphyteusis concessa pro se, filiis et nepotibus, non comprehendit fœminas ; Rota part. 4, tom. 3, decis. 737, num. 3, part. 5, tom. 1, decis. 176, num. 4, et part. 15, decis. 381, num. 1. Et hæc est communis sententia Rotæ, quæ ab Emphyteusi Ecclesiastica ut supra concepta excludit fœminas ; Rota part. 14, decis. 476, n. 1. (37. Item Emphyteusis concessa pro te, et filiis non comprehendit fœminas ; Annotat. ad decis. 262, num. 137, part. 8, recentior. et est communior, et verior, opinio. Annotat. ad decis.

Digitized by Google

199, a num. 74, usque ad num. 101, part. 8, recentior. ubi pluribus adductis, et solide probata hac nostra assertione confutatur opinio contraria defensa a pluribus cum Saliceto in leg. 3, num. 29, quæst. 17, prope fin. Cod de Jure Emphyteutic. quem, ut ibi sub. num. 96, dicitur, multi Doctores more caprarum sequuntur; et signanter excludunt fœminæ, ubi agitur de Emphyteusi Ecclesiastica; Rota part. 5, tom. 2, dec. 501, n. 11.

(38. Revera tamen non caret sua probabilitate contraria sententia volens, quod Emphyteusis tam Ecclesiastica, quam laicalis transeat etiam ad fœminas filias, quando est concessa cum dicta Clausula, *Pro te, et filiis, tuis*, quia pronunciatio sermonis in sensu masculino ad utrumque sexum plerumque porrigitur; leg. *Pronunciatio* 195, in princip. ff. de verbor. significat. et in specie nomine filii veniunt etiam filiæ leg. *Si quis ita* 16, in princip. ff. de testament. tutel. ubi pro generali doctrina dicitur *Filiorum appellatione et Filiæ continentur*, et sic tenent Covarruv. var. resolut. lib. 2, cap. 18, num. 1. Alvar. Valasc. de Jure Emphit. quæst. 41, num. 3. Alciat. in leg. 1, ff. de verbor. significat. Jul. Clarus § *Emphyteusis* quæst. 32, num. 2. Molina disp. 574, num. 10. Barbosa de appellat. apell. 99, num. 56, et sequent. Reiffenstuel. lib. 3, decret. tit. 81, num. 245. Salicet. in leg. 3. Cod. de Jure Emphyteutic. quem sequuntur Bald. et alii, quos refert Tiraquell. de retract. lignag. § 1, gloss. 9, num. 208, in fin. Rota part. 4, tom. 2, recent. decis. 737, num. 4 et 5, et part. 17, decis. 221, num. 6.

(39. Certum vero est, quod quando Emphyteusis fuit concessa a fœmina, vel ab ea stipulata tunc nomine filiorum, et nepotum, filiæ et neptes comprehenduntur, quia existimandum non est, quod fœmina (quæ non minus diligit fœminam, quam masculum, imo plus filias fœminas, quam filios masculos, diligere censetur propter sexus similitudinem) sexum proprium, id est fœmininum odio habuerit; et ideo verba sunt intelligenda secundum qualitatem contrahentium; leg. *Plenum* § *equitis* ff. de usu, et habitat. ac eorumdem conditionem; c. *Si de Benefic.* de præbent. in 6. Abbas in cap. *Pastoralis* in fin. post Innocent. ibi de donat. qualitas quippe contrahentium multum conducit ad assequendam eorum voluntatem, sicque satis verisimiliter credendum erit, quod fœmina suum proprium sexum ita dilexerit sicut masculinum, et sic in terminis tenent Regulus leg. *Gal.* § *nunc de lege*, et ibi Soccin. num. 7, ff de lib. et posthum. Jason. in leg. *Si quis id quod* col. 4, vers. tertio decimo ff. de Jurisdict. omn. Judic. Tiraquell, ad leg. connubial. 1, gloss. 1, part. 5, sub num. 26, vers. *Hoc tamen fallit, si concessio fieret a fœmina*, Rolland. a Valle consil. 76, num. 6, vers. *quando Emphyteusis est concessa fœminis* et c. lib. 3, ubi affirmat id esse indubitatissimi juris, Menoch. in consil. 111, n. 51, vers. *Emphyteusis, et fœmina accepta pro se, et filiis transit etiam ad fœminas* etc. lib. 1. Sic etiam sensit Senatus Mantuanus affirmante Surdo decis. 9, num. 12, vers. « Hinc videmus, quod etiam ad fœminas transit Emphyteusis, quæ a fœmina originem habuit. » Et hanc opinionem explosa Contraria firmavit Rota Bononiensis apud Bertrand. decis. 12, sub num. 1, vers. « contrarium tamen fuit conclusum, quod quando fœmina conducit Emphyteusim pro se, et filiis comprehendantur fœminæ. » (40. Sic etiam si Emphyteusis stipulata sit per masculum et fœminam pro se, et filiis, tunc veniunt filii, et filiæ. Beroi. in consil. 120, num. 12 et 49, vol. 2, et alii, quia tunc uterque stipulans censetur dilexisse suum sexum per adducta num. antecedenti.

(41. In concessione Emphyteusis facta pro se, et hæredibus comprehenduntur etiam fœminæ; Rota part. 4, tom. 2, dec. 309, n. 1. (42. Item comprehenduntur in concessione facta pro hæredibus, et successoribus; Rota par. 13, dec. 363, num. 8. (43. Et a fortiori comprehenduntur in concessione facta pro hæredibus quibuscumque; Rota par. 4, tom. 2, dec. 309, num. 4. (44. Item Emphyteusis Ecclesiastica concessa benemerito Ecclesiæ pro se, et omnibus filiis, comprehendit etiam omnes fœminas; Rota par. 17, dec. 182, num. 3. (45. Sic pariter Emphyteusis concessa pro filiis natis, et nascituris, comprehendit etiam fœminas; Rota part. 17, dec. 123, num. 24. (46. Clausula *quibuscumque* posita in Emphyteusi Ecclesiastica comprehendit omnes extraneos tam masculos, quam fœminas; Rota par. 17, decis. 225, num. 12, et seq. (47. In concessione facta de illis qui sunt de generatione masculina, veniunt etiam fœminæ, secus si sit facta usque ad tertiam generationem masculinam; Annot. ad decis. 199, num. 166 et 167, part. 8. (48. Ubi fœminæ succedunt in Emphyteusim, admittuntur etiam nepotes ex eis, Rota par. 17, dec. 46, num. 3. Immo admittuntur etiam fœminæ descendentes in Emphyteusi Ecclesiastica concessa fœminæ pro se et filiis; Rota part. 4, tom. 3, dec. 737, num. 1, et 2. (49. Quia Emphyteusis de sui natura transitoria ad fœminas, sicut transit in masculos, ita etiam transit ad descendentes fœminas, et fœminarum; Rota par. 17, dec. 46, num. 2. (50. Ita ut in Emphyteusi stipulata pro te, tuisque filiis, et descendentibus legitimis, et naturalibus veniant etiam nepotes ex filia; Rota par. 5, tom. 1, dec. 371, n. 3. (51. Imo in concessione facta pro te, filiis, et descendentibus per virilem sexum venit Neptis ex filio masculo; Annotat. ad dec. 199, num, 194, et sequent. p. 8. (52. Sic appellatione descendentium per virilem sexum veniunt fœminæ, dummodo descendant a masculo Rota part. 4, tom. 2, dec. 426, num. 16. (53. Et appellatione filiorum continentur etiam fœminæ in Emphyteusi utili Ecclesiæ; Rota part. 17, dec. 182, num. 2.

(54. In Emphyteusi concessa simpliciter ad tertiam generationem primus acquirens uti generatus ab aliquo numerandus est in prima generatione, ejus vero filius in secunda, Nepos autem in tertia Rota part. 11, decis.

Digitized by Google

355, numer. 3. (55. Unde talis Emphyteusis concessa simpliciter ad tertiam generationem incipit a primo acquirente, et terminatur in Nepotibus; Rota part. 11, dec. 357, n. 47. (56. Præsertim si sit Emphyteusis Ecclesiastica; quæ conceditur solum pro tribus personis extensive ad solos nepotes, comprehensa prima persona receptoris; Rota part. 1, dec. 351, num. 1, par. 5, tom. 1, dec. 314, num. 10, par. 11, dec. 357, num. 40, par. 12, dec. 34, num. 12, part. 14, decis. 195, num. 19 et 20, part. 16, dec. 218, num. 1, et Annotat. ad dec. 199. a num. 103, usque ad num. 141, part. 8. (57. Quandoque tamen Emphyteusis etiam Ecclesiastica ad tertiam generationem concessa comprehendit Pronepotes, ut v. gr. quando fuit concessa ad tertiam ejus, seu ipsius generationem, quo casu generatio incipit in ejus filiis, et terminat in pronepotibus; Rota part. 3, dec. 211, num. 1, part. 4, tom. 1, dec. 94, num. 1, dec. 281, num. 1, et dec. 407, num. 2, et part. 14, dec. 463, num. 5. (58. Vel quando in concessione adest pronomen *eorum*, quod tamquam discretivum operantur exclusionem personæ, cui adjicitur, et sic generatio incipit a filiis, et terminat in Pronepotibus; Rota part. 17, dec. 221, num. 1. (59. Vel quando est concessa pro filiis, et ad eorum tertiam generationem, tunc enim primi acquirentes censentur filii, et Pater consideratur tamquam instrumentum, et minister filiorum, et dictio *eorum* est separativa primi acquirentis a tribus generationibus, pro quibus facta fuit stipulatio; Rota part. 12, dec. 34, num. 18, 19 et 20. (60. Vel quando concessa fuit ad tertiam generationem completam, vel finitam; Rota part. 1, dec. 305, num. 2, et part. 5, tom. 2, dec. 513, n. 1. nisi præcesserit expressa determinatio, seu designatio personarum; Rota par. 14, dec. 195, n. 9, 22 et seq. quia si præcesserit determinatio, seu designatio personarum, dicendo v. gr. pro ipso recipiente, filiis, et nepotibus ad tertiam generationem completam, vel finitam, tunc illa adjectio *completam* vel *finitam* deberet intelligi solum demonstrative, non autem argumentative; repeteret enim solum per compendium personas ante designatas, et determinatas; Rota par. 5, tom. 2, dec. 513, num. 18, 19 et 20. (61. In Emphyteusi Ecclesiastica dato casu, quod instrumentum diversimode cantaret, ac Beneplacitum Apostolicum, deberet potius attendi tenor Beneplaciti Apostolici, quam tenor instrumenti; Rota in Senensi Predii coram Seraphin. decis. 868, per tot. confirmata coram Gipsio 7. Maii 1590, et part. 12. recent. dec. 34, n. 48.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(62. Materia in Foro frequentissima est ea de qua agit, et quidem recte Auctor a num. 54. ad plur. sequent. nimirum, quando persona primi Acquirentis enumeranda sit in Emphyteusi concessa ad tres generationes. (63. At nihilominus illustranda magis est materia hæc actum de ipsa ex professo fuit a Rota in Ferrarien. seu Ravennaten. Emphyteusis 19. Junii 1750, et in confirmatoria 7. Decembris ejusdem anni 1750, cor. cler. mem. Caprar. Ex hisce *decisionibus* quæ veluti magistrales in subjecta materia sunt, sequentia excerpsimus.

I. Si Emphyteusis concessa sit Titio usque ad tertiam generationem, numeratur Persona primi Acquirentis.

II. In Emphyteusi concessa Titio, et ejus descendentibus usque ad tertiam generationem, neutiquam numeratur Persona primi Acquirentis.

III. Concessa Emphyteusi Titio pro se, Filiis, et Nepotibus usque ad ejus tertiam generationem inclusive completam et finitam, Persona primi Acquirentis enumeratur.

(64. Ratio a Rota in dicta prima decisione § 7. hæc redditur quod: «Specifica Personarum et Graduum enumeratio nempe primi Investiti Filiorum et Nepotum, dubio procul demonstrat quod Emphyteutica concessio egredi non debet Personas eorumdem Nepotum. Unde subsequentia verba nimirum: usque ad tertiam ejus generationem inclusive completam et finitam, de diametro pugnarent cum literali pacto durationi concessionis adjecto, si acciperentur in sensu exclusivo primi Acquirentis, ut inde enumeratio graduum protendatur ad pronepotes; id quod esset absurdum, pro quo vitando ea sumenda est interpretatio per quam posteriora verba non repugnent, sed accessorie famulentur clarissimo pacto a Contrahentibus stipulato etc. Et jure meritoque. Nam semel ac Emphyteutica concessio principaliter facta dignoscitur Alicui pro se Filiis, et Nepotibus sicuti certi sumus de expresso numero Personarum seu Graduum qui sub eadem concessione continentur; ita superius relata verba et clausulæ quæ sequuntur, sine ulla penitus repugnantia et contrarietate debent explicari, prout commode explicantur consentanee et famulative seu accessorie ad gradus specifice enumeratos, et sic non in sensu ampliativo, sed in sensu demonstrativo, et expositivo, ita quidem ut unam eamdemque concessionem, easdemque Personas et gradus per modum compendii demonstrative repetant.»

Vide et quæ habet idem Supremum Tribunal in secunda decisione § 5, et plur. sequent.

ARTICULUS II.

Emphyteusis, quoad ea, quæ concernunt emphyteutam.

(1. Emphyteuta esse potest, seu in Emphyteusim res alienas accipere potest omnis qui liberam contrahendi habet potestatem, sive sit masculus, sive fœmina, nisi specialiter a jure sit ei interdictum. Est *communis*; arg. cap. *Jam nunc* 8, caus. 28, q. 1 de procurator, ib. in 6. (2. Non possunt tamen esse Emphyteutæ, seu in Emphyteusim accipere Pupilli et Minores, nisi accedat auctoritas Judicis, et consensus Tutorum, aut Curatorum; leg. *Quamvis* 32, ff. de acquirend. et admittend. possess. (3. Item Emphyteutæ esse, seu in Emphyteusim accipere non possunt Clerici lucri causa; quia omnis negotiatio lucri causa Clericis est prohibita; cap.

Digitized by Google

Consequens 2, cap. *Episcopus* 3, cap. *Prælatum* 4, cap. *Negotiatorem* 9, cap. *Fornicari* 10, et cap. *Ejiciens* 11, dist. 83, cap. *Clerici* 1, et cap. *Si quis* 4, caus. 14, q. 4, cap. *Clerici* off. 15, de vit. et honest. Cleric. c. *Cum multa negotia* 1. *Ne Clerici, vel Monachi;* et cap. *Secundum* 6. eod. tit. ubi sic expresse dicitur: « Secundum instituta prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici causa lucri negotientur. » Notanter autem dicitur *causa lucri*, quia ob suam, vel suorum necessitatem, tam contractum Emphyteuticum, quam alium valide, ac licite inire possunt, sed de his Vid. verb. *Clericus*, art. 3, per tot.

(4. Emphyteuta potest libere uti, et frui re Emphyteutica et ei competit actio realis contra quemcumque perturbatorem aut possessorem; leg. 1, *ff. Si ager vectigalis*, ibi: « Quamvis non efficiantur Domini (*directi*), tamen placuit competere eis in rem actionem adversus quemcumque possessorem. » (5. Emphyteuta habet jus percipiendi fructus ex augmento, seu incremento rei Emphyteuticæ per alluvionem facto, arg. leg. *Item si fundi* 9. §. *Vicinus* 4. ff. de Usufructu, et quemadmodum. Et hoc sive incrementum fuerit latens, sive etiam patens, ut communius tenent Doctores cum Cardinali de Lugo tom. 1, disp. 6, sect. 11, n. 156, et duobus sequent. Molina disp. 56. Sporer tom. 2, tract. 6, n, 223 (1).

(6. Utrumque tamen incrementum sive latens, sive patens quoad proprietatem accedit proprietario, seu Domino directo, cui finita Emphyteusi competit etiam quoad Dominium utile. *Est communis.*

(7. Emphyteuta finita Emphyteusi potest repetere melioramenta facta sine præcedenti expresso pacto, in utilitatem rei Emphyteuticæ, sive annuente sive reluctante proprietario. Sic communis Doctorum, cum Julio Clar. § *Emphyteusis* q. 45. Molina disp. 463. num. 2. Alvar. Valasc. De jure Emphyteutic. quæst. 25. arg. leg. *Senatus*, § *Marcellus*, ff. de legat. 1. leg. *Eum ad quem*, Cod. de usufruct. ibi: « Si quid ultra quam impendi debeat erogatum potes docere, solemniter reposces. » (8. Nec obstat, quod Proprietarius, seu dominus directus post contractum inhibeat, et protestetur se nihil soluturum, si aliquod de novo ædificet aut alias meliorationes debitas faciat; quia post contractum jam factum sine ulla limitatione non est amplius in potestate alterius ex contrahentibus ea immutare, quæ consequuntur ad substantiam ejusdem contractus ex natura ipsius. Contractus autem Emphyteuticus requirit de sui natura ut res detur, et accipiatur ad meliorandum, et cum Emphyteuta rem Emphyteuticam recipiat in sui utilitatem, recipit semper ea conditione implicite, ut possit quocumque modo in similibus consecuto majus commodum sibi acquirere, ex quo si resultat etiam utilitas in re ipsa, et per consequens Proprietario, non est cur hic renuat compensare, quia « Jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem; » leg. *Nam hoc* 14. ff. de condict. indebit. et Regul. 206. ff. de Regul. juris et Regul. 49. Juris in 6. ibi: « Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. » Unde quamvis alias negotiorum gestor non possit prætendere a Dominio expensas, quas contra prohibitionem Domini fecit, leg. ultim. Cod. de negotiis gest. ubi statuitur: « Si contradixerit Dominus, sancimus secundum Juliani sententiam nullam esse (id est negotiorum gestori) adversus Dominum, vel directam vel utilem contrariam actionem. » Hoc tamen non procedit, quando Dominus id prohibere nequit, uti in Emphyteusi, ut recte advertunt Molina et Valasc. locis citatis et alii passim. (9. Melioramenta autem æstimanda sunt non secundum valorem, quem habebant, quando facta sunt, sed secundum valorem, quem habent, quando res Emphyteutica restituenda est. Est *communis*, cum Valasc. l. cit. n. 28. Molina l. cit. vers. *In posteriori autem eventu.*

(10. Non potest vero Emphyteuta repetere melioramenta facta contra inhibitionem Domini, si in ipso contractu Emphyteutico cautum sit, ne Emphyteuta sine Domini consensu aliqua nova ædificia, aut alia non debita melioramenta faciat, vel quod si faciat, Domino cedant sine ullo jure repetendi expensas l. 2. Cod. de Jure Emphyteutico, ubi expresse statuitur quod omnes pactiones instrumentis Emphyteuticis initæ, et conscripti debeant omnino observari ibi: « In Emphyteutico contractu sancimus, si quidem aliquæ pactiones in Emphyteuticis instrumenticis conscriptæ, easdem, et in omnibus aliis observari. » Et ratio est, quia ex Regul. 85 Juris in 6 habetur expresse, quod «Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. » (11. Sic non potest Emphyteuta repetere melioramenta quæ in re Emphyteutica fecit vi contractus, puta pro conservanda ipsa re Emphyteutica in ea bonitate, in qua accepit vel quia accepit in Emphyteusim rem sterilem, incultam aut dirutam, hac conditione et pacto, ut eam fructiferam redderet, coleret, ædificaret, et hujusmodi; omnia enim talia melioramenta pertinent ad dominum directum, seu Proprietarium statim ac finita est Emphyteusis; ut tenet communis Doctorum ex citat. leg. 2, cap. de Jure Emphyteutico, et citat. Regul. 85 Juris in 5 Voet. loc. cit. n. 11 (2).

(12. Potest Emphyteuta vendere tam ipsam rem Emphyteuticam, quam melioramenta in

(1) Idem dicendum de Insula ante fundum Emphyteuticum nata, et de thesauro in eodem fundo casu reperto. Voet in Pandect. lib. 6, tit. 3, n. 11. Vin. in § 39. Instit. de rer. divis n. 5. (*Edit. Barbiell.*)

(2) Circa modum vero repetendi impensas, et melioramenta distinguendum est: aut melioramenta fuerunt utilia, et in totum recuperantur ab Emphyteuta, dummodo eadem esset facturus Dominus directus. Si vero impensæ minus utiles fuerunt, tunc quod est vere impensum detrahitur tantum, non vero quod auctum est per eas in valore fundi meliorati. *Thesaur. dec.* 251. *Voet. in Pandect. lib.* 6, *tit.* 1, *n.* 36, *et loco cit.* (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

ea facta, si requisitas a Jure adhibeat conditiones, textu expresso in cap. *Potuit Emphyteuta* 4 de locato, et conducto, ibi : « Potuit Emphyteuta (Ecclesia primitus requisita, eique nunciato, quantum sibi ab illis offertur, si nolle se emere dixerit, vel a denunciationis tempore duorum mensium spatium fuit elapsum) meliorationes, et jus sibi competens aliis vendere, qui ab emptione hujusmodi minime prohibentur » et idem habetur leg. ultim. Cod. de Jure Emphyteutico. (13. Conditiones autem Jure requisitæ pro tali venditione sunt potissimum duæ. Prima est quod Emphyteuta prius significet Proprietario se velle vendere rem Emphyteuticam pro tali determinato pretio, ad hoc ut Proprietarius si velit ipse eam emere, cuilibet alteri emptori, ut par est præferatur, et Proprietarii deliberationem, si irresolutus pro tunc sit, per duos menses expectet, quibus elapsis, si ipse pro pretio sibi ab aliis oblato nolit eam emere, poterit aliis vendere; cit c. *Potuit Emphyteuta*, et cit. leg. ultim. Cod. de Jure Emphyteutico. Secunda conditio est, ut venditio fiat personis, quibus a Jure non sit interdicta ; cit. c. *Potuit Emphyteuta*, ibi : « Aliis vendere, qui ab emptione hujusmodi minime prohibentur; » et cit. l. ultim. ibi : « His personis, quæ non solent in Emphyteuticis contractibus vetari ad hujusmodi venire emptionem. » Prohibetur autem fieri talis venditio Ecclesiæ. Rota par. 9, tom. 2, dec. 474, n. 15 et seq., part. 14, dec. 57, n. 9. Item cuilibet loco pio. Rota par. 3, dec. 351, n. 9. Item Communitati, Universitati sive Ecclesiasticæ, sive Laicali, seu quibuscumque locis piis. Rota par. 11, dec. 321, num. 6, par. 14, dec. 377, num. 1, par. 17, dec. 26, num. 5 et 7, et par. 19 tom. 2, dec. 546. num. 4. (14. Item personæ potentiori. Rota par. 9, tom. 2 dec. 494, n. 8. Item Curialibus, et Militibus ; l. Curiales 30, l. Milites 31, et leg. ultim. Cod. de locat. et conduct. Et sic de supradictis omnibus tenent Jul. Clarus § Emphyteusis q. 22 ; Jason in l. 2, cap. de Jure Emphyteutic., num 90 ; Molina disp. 459, n. 4 et alii communiter. Et ratio est, quia per talem venditionem redderetur deterior conditio Domini directi, seu Proprietarii, qui supradictis omnibus ratione suorum privilegiorum, vel majoris potentiæ difficilius posset pensionem annuam repetere, et privaretur spe reversionis, et laudemii, vel saltem ex quo difficilius ad ipsum Emphyteusis reversura esset, rarius laudemium consequeretur. Annotat. ad dec. 16, num. 49 et sequentibus, part. 3 ; Rot. recentior. Adeoque alienatio in manum mortuam regulariter est prohibita. Rota part. 12, dec. 76, n. 22.

(15. Potest Emphyteuta rem Emphyteuticam quoad dominium utile cum factis meliorationis alteri, etiam extraneæ personæ donare, vel legare sine consensu Domini, eoque non requisito. Sic Gloss. communiter recepta in l. fin. verb. aliis vendere, Cod. de Jure Emphyteutico, Jul. Clarus, § *Emphyteutico*, Jul. Clarus § *Emphyteusis quæst.* 15, num. 1 ; Pirhing. lib. 3 decretal. tit. 18, num. 43 ; Abbas in cit. cap. *Potuit Emphyteuta*, de locat. et conduct. num. 9 et alii passim. (16. Item potest Emphyteuta sine consensu Domini directi dare rem Emphyteuticam in dotem, si detur non æstimata : Silvester verb. *Dos* quæst. 8 ; Azorius lib. 10, cap. 8, quæst. 4 ; Pirrhing loc. cit. num. 43 et alii. (17. Ut autem sine consensu Domini directi res Emphyteutica donetur, legetur, aut in dotem detur, requiruntur sequentes conditiones. Prima, ut non transferatur in talem personam, in quam res Emphyteutica de Jure communi, vel conventione particulari alienari prohibetur. Secunda, ut fiat absque ulla fraude. Tertia, ut novus Emphyteuta sine consensu Domini directi possessionem non capiat, quia Dominus directus habet Jus explorandi an talis novus Emphyteuta sit persona prohibita, vel capax, et ab eo non solum potest exigere promissionem de solvendo Canone annuo, sed etiam accipiendi ab ipso, si sit persona extranea. (18. Et si reperiatur Emphyteusis donata, vel legata personis, seu locis prohibitis, et incapacibus retinendi Emphyteusim in præjudicium Domini directi juxta dicta num. 14, tales personæ, seu loca tenentur intra annum vendere talem rem Emphyteuticam personis capacibus illam retinendi sine præjudicio Domini directi ; arg. cap. *Longinquitate* 63, caus. 12, quæst. 2, et leg. *Filias Familias* 114, § 5, ff. De legat. 1 ; Rot. part. 9, tom. 2, dec 474, num. 15 ; Rosignol, contract. 4 de Emphyteusi 7, sect. 3, num. 7 ; Reiffenstuel. lib. 3, decret. tit. 18, numer. 181 ; Speculator et alii passim. Vide artic. anteceden. num. 31.

(19. Potest Emphyteuta sine consensu Domini directi rem Emphyteuticam oppignorare, seu hypothecare ; Jason. in leg. ult. num. 78, Cod. de Jure Emphyteut. ; Jul. Clarus § *Emphyteusis* quæst. 18 ; Molina disp. 461, num. 9 et alii communiter. Et ratio est quia res oppignorata, seu hypothecata non transfertur in Dominium alienum, sed adhuc manet in Dominio Emphyteutæ, qui pensionem annuam adhuc Domino solvit ; pignus enim manet in bonis debitoris ; leg. *Pignus* 9 de Pignorat. act. (20. Item sine consensu Domini potest rem Emphyteuticam locare ad breve tempus. Est *communis*. Immo etiam ad longum tempus, dummodo locatio non fiat ipsius rei Emphyteuticæ simpliciter, sed solum commoditatis ex ea percipiendæ nomine ipsius Emphyteutæ, dum vivit ; sic Molina disp. 461, num. 4 ; Layman lib. 3, tract. 4, cap. 23, disp. 461, num. 4 ; Layman lib. 3, tract. 4, cap. 23, num. 20 ; Pirhing loc. cit., num. 44 ; Card. Petra tom. 2 in Constitution. 4 Innocentii III, sect. 2, num. 89 ; Rota recent. part. 13, decis. 173, num. 4, et part. 4, decis. 17, num. 11 et alii. (21. Non potest tamen sine consensu Domini ipsam rem Emphyteuticam alteri in Emphyteusim concedere. Est *communis*. Alias potest ipsa privari totaliter, vel partialiter prout alienaverit ; Vide articul. sequent. num. 13. (22. Potest insuper Emphyteuta sine consensu Domini rem Emphyteuticam cum alia permutare ; Silvester verb. *Emphyteusis* quæst.

Digitized by Google

17; Jason in leg. ult., num. 101, Cod. de Jure Emphyteutico; Layman loc. cit., num. 9; Pirhing. loc. cit., num. 43; Jul. Clar. § *Emphyteusis*, quæst. 17; Azorius loc. cit., quæst. 5; Abbas loc. cit., num. 9; Reiffenstuel loc. cit., num. 183 et alii. (23. Tenetur tamen Emphyteuta ante talem permutationem prius admonere Dominum directum, utrum ipse permutare velit cum æquali emolumento, quod ipsi offertur ab aliis, cæteris enim paribus, semper præferendus Dominus directus, seu Proprietarius; arg. cap. *Potuit Emphyteuta* 4 de locato, et conducto, et leg. ult. Cod. de Jure Emphyteutico, et sic docent Molina loco cit., num. 1; Azorius loc. cit., quæst. 5; Layman loc. cit., num. 9; Pirhing loc. cit. num. 43; Reiffenstuel loc. cit. num. 184 et alii. (24. Emphyteuta tenetur servare pacta conventa in contractu Emphyteutico, textu expresso in leg. 2, Cod. de Jure Emphyteutico ibi: « In Emphyteutico contractu sancimus si quidem aliquæ pactiones in Emphyteuticis Instrumentis sunt conscriptæ easdem et in omnibus aliis observari. » (25 Unde tenetur rem Emphyteuticam meliorem reddere, si sub hac conditione, et pacto eam accedit, quia ex Reg. 85. Juris in 6, « Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. » (26. Si vero sine tali pacto meliorandi rem Emphyteuticam accepit, tunc tenetur solum eam conservare in illa bonitate, in qua accepit, et si usu quotidiano, vel sua, vel servorum culpa evadat deterior, tenetur propriis expensis restaurare, et ad pristinam bonitatem reducere. Sic communis Doctorum teste Molina disp. 456. per textum in § 3. ad fin. Institut. de locat. et conduct. Authent. *Qui rem* Cod. de SS. Ecclesiis, leg. 1. Cod. de Jure Emphyteutico, et Novell. 7. § 2. (27. Si nullo præcedente pacto de periculo res Emphyteutica absque culpa Emphyteutæ pereat tota, v. g. incendio comburatur, ab hostibus totaliter vastetur, tunc Domino perit, et ad nihil tenetur Emphyteuta; si vero pereat solum quoad aliquam partem, tunc perit Emphyteutæ, textu expresso in §. *Adeo* 3. Institut. de locatione. ubi decernitur: « Si nihil de periculo fuerit pactum, tunc si totius rei interitus successit, ad dominum redundare periculum; sin autem particularis, ad Emphyteuticarium hujusmodi damnum venire: » concordat leg. 1. Cod. de Jure Emphyteutico, ibi: « Si ea, quæ fortuitis casibus venerunt, pactorum non fuerint conventione concepta, siquidem tanta emerserit clades, quæ prorsus etiam ipsius rei, quæ per Emphyteusim data est, facit interitum, hoc non Emphyteuticario, cui nihil rei permansit, sed rei Domino, qui quod facilitate ingruebat, etiam nullo intercedente contractu habiturus fuerat, imputetur; sin vero particulare contigerit damnum, ex quo non ipsa rei pœnitus lædatur substantia, hoc Emphyteuticarius suis partibus non dubitet adscribendum. » (28. Si res Emphyteutica culpa Emphyteutæ pereat v. gr. Domus corruat; quia Emphyteuta eam debito tempore non refecit, et a ruina, uti tenebatur, non custodivit, tunc ipsi perit, et de toto damno tenetur. In omni enim contractu, qui in gratiam utriusque celebratur, oritur obligatio ex culpa lata, et levi; arg. leg. *Si ut cert.* 4, § 2. ff. *Mandati*, ibi: « In contractibus... ubi utriusque utilitas vertitur, et dolus et culpa præstatur; » et ita Doctores communiter.

(29. Emphyteuta, si pensionem comparatione fructuum valde modicam solvat, et solum in recognitionem Dominii, tenetur ipsam modicam pensionem solvere, licet ob sterilitatem, vel hostium incursionem, aut alium casum fortuitum paucos, aut etiam nullos colligat fructus, quia modicam pensionem annorum præcedentium, et subsequentium fructibus facile, et abunde compensat. Unde non liberatur ab onere solvendi talem modicam pensionem, nisi fundus Emphyteuticus omnino pereat, aut in potestatem hostium deveniat, sine spe brevi tempore recuperandi; leg. 1. Cod. de Jure Emphyteutico; et § *Adeo* 3. Institut. de locatione, et conductione, et sic tenent Doctores communiter cum Julio Claro lib. 4. recept. §. Emphyteusis, qu. 8. ubi adducit duos sequentes versus.

Si periit tota, non debuit Emphyteuta.
Si perit ex parte, nulla se liberat arte.

(30. Si autem Emphyteuta solvat pensionem magnam non solum in recognitionem Dominii, sed etiam in compensationem, et juxta proportionem fructuum, quos capit, vel capere potest, tunc si propter aliquam ex dictis causis nullos, aut paucos fructus colligat, æquitas postulat, ut fiat ei aliqua proportionaliter remissio, quia hoc casu Emphyteuticus colonus parum differt a conductitio, cui ad ratam partis fructuum, qui pereunt, fit remissio; Sic tenent Julius Clarus loc. citat. § *Emphyteusis* quæst. 8. Gaill. lib. 2, pract. observat. 24, num 23. Gomez. 3, resolut. cap. 3, num. 18. Rebell. quæst. 8. Jason. in leg. 1, C. de Jure Emphyteutico num. 20. Navarrus in Manual. c. 17, num. 190. Alvar. Valasc. de Jure Emphyteutic. quæst. 27, a num. 7. Lessius lib. 2, cap. 24, num. 49. Layman lib. 3, tract. 4, c. 22, num. 7. Carpz. p. 2, cap. 38. Sporer tom. 2, tract 6, cap. 7, num. 54. La Croix lib. 3, part. 2, dub. 12, num. 1061. Lugo t. 2, disp. 29, num. 88. Silvester verb. *Emphyteusis* q. 1. Konig. lib. 3 decretal. tit. 18, num. 43. Pirhing ibid. n. 7. Reiffenstuel ibid. n. 156, et communior aliorum.

(31. Emphyteutæ bonorum Ecclesiasticorum gaudent exemptione ab oneribus Communitativis: Sac. Congr. Immunitatis in Oppiden. 29 Maii 1646. lib. 3, decret. Paluc. pag. 282, in Imolen. 27 Maii 1654, lib. 5, decret. Paul. pag. 41. (32. An meri laici possint conveniri in foro Ecclesiastico pro bonis Emphyteuticis, et reddititiis Ecclesiæ pro eo quod pertinet ad directum Dominium; « Sacra Congregatio censuit, Judicium spectare ad forum Ecclesiasticum. » In Carinolen. 15 Augusti 1668, lib. 1, decr. Altoviti pag. 252. (33. Causa assertæ servitutis contra Emphyteutam Mensæ Episcopa-

Digitized by Google

lis spectat ad Curiam Ecclesiasticam; Ead. Sac. Congreg. in Tiburtina 16 Januarii 1691, lib. decret. Martelli pag. 719. (34. Non gaudent Emphyteutæ bonorum Ecclesiasticorum immunitate ab onere personali unius corbæ frumenti; Ead. Sac. Congreg. in Faventina 14 Decemb. 1683, lib. decret. Martelli pag. 388. (35. Emphyteuta Ecclesiæ non potest declinare forum Ecclesiasticum respectu solutionis Canonis, vel quando agitur de Dominio Ecclesiæ; Ead. Sac. Congreg. in Casalen. 14 Februar. 1628, lib. 1 decr. Paul. pag. 84. (36. Bona Ecclesiarum, et Locorum piorum in Emphyteusim laicis concessa, sive Canones, qui pro dictis bonis solvuntur, sunt tenues, sive correspondentes fructibus, sunt exempta ab omnibus oneribus, et impositionibus laicalibus; Ead. S. Cong. in Oppiden. 23 Julii. 1652, lib. 4 decret. Paul. pag. 191, in Papien. 24 Augusti. 1694, lib. 1 decret. Valleman. pag. 141. (37. Vineæ, et Terræ Emphyteuticæ Ecclesiæ non comprehenduntur sub Edictis, et aliis similibus publicatis a Laicis, sed sunt prorsus exemptæ; Sac. Congr. in Montisfalisci 23 Augusti 1632. lib. 2 decret. Paul. pag. 361. (38. Bona Emphyteutica Ecclesiarum, et Ecclesiasticorum, non possunt a Laicis collectari; Ead. Sac. Congreg. in Capacen. 27 Augusti 1627. lib. 1 decr. Paul. pag. 62, in Balneoregien. 14 Febr. 1633. lib. 2 decret. Paul. pag. 149. in Senogallien. 18. Decemb. 1668. lib. 1 decret. Aliovit. pag. 303, et 3 Julii 1696. lib. 2 decret. Valleman. pag. 34.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(39. Quod ait Auctor num. 7, videlicet posse Emphyteutam repetere meliorament), finita Emphyteusi, id intelligo si finiatur Emphyteusis sine culpa ipsius Emphyteutæ. (40. Cæterum, si Emphyteusis finiatur ex Emphyteutæ culpa, puta quia alienavit sine consensu Domini directi, etc. nequit ipse Emphyteuta melioramenta repetere. Befold. delibat. Jur. ex lib. 6, Pandect. quæst. 11, Anton. Fab. in Codic. Lib. 4, tit. 43, definit. 24. Wurmeser. Practic. observat. titul. 34, observ. 2, Rot.. in Albanea Devolutionis 18 Junii 1734, cor. bon. mem. de Vais (1).

(41. Nec indistincte admitti potest; quod asserit Auctor. num. 30, nimirum locum esse diminutioni annui Canonis ex damno in substantia rei, si ipse magnus sit. (42. Videndum quomodo fuerit Canon reservatus. (43. Si enim reservatus sit Canon in recognitionem directi dominii, tametsi magnus sit, et fore fructibus respondeat, non esse locum ejus diminutioni ex damno in rei substantia respondit Rota in Romana domorum super reductioni pensionis 17 Januarii 1746. § 2, 3 et 13; cor. bon. mem. Lana.

ARTICULUS III.

Emphyteusis quoad ea, quæ concernunt dominium directum, seu proprietarium.

(1. Dominus directus esse, seu in Emphyteusim dare potest omnis ille cui præter dominium competit libera rerum suarum administratio. Sic communis Doctorum arg. leg. *In re mandata* Cod. *mandati*. Hoc ipso enim, quod quis liberam habet potestatem disponendi de rebus suis, potest de iis disponere per quemcunque contractum licitum qualis est Emphyteusis; (2. Sive sit persona privata; l. 1. et tit. de Jure Emphyteutico; (3. Sive sit integra Civitas, aut alia Communitas Dominium in communi habentes; l. 1. § 1. ff. *si ager vectigalis*. (4. Sive sit Prælatus, aut Communitas Ecclesiastica; dummodo requisita a Jure adhibeantur solemnitates; Cap. *Apostolicus* 13, caus. 12. quæst. 2. cap. *Nulli* 5. de rebus Eccles. non alienand. et Extravagant. *Ambitiosæ* eod tit. (5. Hinc quia libera administratione rerum suarum non gaudent, nequeunt in Emphyteusim concedere pupilli, et minores sub Tutoribus et Curatoribus constituti; arg. leg. *Non solum* 4. et leg. *Etiam* 13. Cod. de prædiis etc. *Minor, sine decreto*. (6. Neque ipsi Tutores, et Curatores bona Pupillorum, et Minorum in Emphyteusim concedere possunt sine decreto, et auctoritate Judicis, quia in Jure specialiter cavetur, ne hoc sine Decreto, et auctoritate Judicis attentent; cit. l. *Etiam* 13. et toto tit. C. de prædiis etc. *Minor. sine decreto*.

(7. Dominus directus potest omnia sibi bene visa facere in re Emphyteutica, dummodo non impediat Dominium utile. Rota part. (8. recentior. dec. 40. num. 6. Dominus directus potest privare Emphyteutam re Emphyteutica, si per integrum triennium de Emphyteusi Laicali, vel per biennium de Emphyteusi Ecclesiastica non solvit debitam pensionem, textu expresso de Emphyteusi Laicali in l. 2. Cod. de Jure Emphyteutico, et de Emphyteusi Ecclesiastica in cap. *Potuit Emphyteuta* 4. de locato, et conducto, ibi: « Cessando a solutione Canonis per biennium. » (9. Et hoc procedit etiamsi Emphyteuta pro solutione pensionis, seu Canonis non fuerit interpellatus, ut expresse

(1) Super hac re magis approbo opinionem *Auctoris supra num.* 7. Si Emphyteuta ob propriam culpam ejectus amitteret etiam melioramenta, et expensas utiles in rem Emphyteuticam factas, duplicem pœnam persoiveret, privationis nempe Emphyteutici fundi, et melioramentorum. Ulterius certum est melioramenta esse propria Emphyteutæ, et de iis posse libère disponere admonito tamen prius Domino directo, an velit præferri l. 3, Cod. de jure Emphyteutico ibi que Brunemau. quod nunquam concederetur Emphyteutæ nisi melioramenta essent propria ipsius, ideoque Dominus directus tum proprium, tum Emphyteutæ rem consequeretur, quod maximam redolet iniquitatem. Quapropter rectius dici potest ab Emphyteuta ob culpam ejecto melioramenta conventa amittere, non vero alia melioramenta non conventa, cum nemo locupletari debeat cum aliena jactura. Ita l. 2, Cod. de jur. Emphyt. explicant, et contrarias conciliant opiniones Brunemau. in Cod. lib. 4, tit. 66, leg. 2, num. 3. Zoes in Pandect. lib. 19, tit. 2, num. 114. Voet in Pandect. lib 6, tit 3, num. 52, ubi plures allegat. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

statutum est in dict. c. *Potuit*, ibi: « Non obstante, quod ei, ut Canonem solveret, non extitit nunciatum, cum in hoc casu dies statuta pro Domino interpellet (1). « (10. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus ob non solutum Canonem, seu pensionem Emphyteuta non cadit in commissum, et privari non potest a Domino directo. Primo igitur excipitur, quando nulla culpa intercessit Emphyteutæ; v. g. quando Canonem non solvit ex ignorantia, vel alia hujusmodi justa causa, ut si hæres succedens ignoret rem esse Emphyteuticam, vel etsi sciat esse Emphyteuticam, nesciat se teneri ad annuam pensionem, seu Canonem. Sic communis Doctorum, quia ubi culpa non est, neque pœna commissi locum habere debet. Secundo excipitur, quando ipse Dominus ex alia ratione tantumdem debet Emphyteutæ, quia saltem in materia odiosa, et ad evadendam pœnam compensatio hujusmodi locum habet. Sic communis Doctorum, teste Molina disp. 453. num. 10. arg. leg. *Si constat* 4. Cod. de compensat (2). Tertio excipitur, quando Dominus Canonem, seu pensionem loco et tempore debito ab Emphyteuta oblatum non acceptavit, quia in tali casu per Emphyteutam non stetit quominus pensionem, seu Canonem solveret; *Communis* Quarto excipitur, quando Dominus postquam Emphyteuta pœnam commissi incurrit ob neglectas pensiones, sequentis temporis pensiones acceptat; tunc enim præsumitur jus revocandæ Emphyteusis condonare; teste Julio Claro § *Feudum* qu. 49. n. 10. Quinto excipitur, quando Emphyteuta præsertim in Emphyteusi Ecclesiastica post tempus elapsum purgavit moram. Arg. cap. *Potuit Emphyteuta* 4. de locat. et conduct. ibi: « Nisi celeri satisfactione postmodum sibi consulere statuisset. »

(11. In Emphyteusi autem laicali, quamvis de rigore Juris nulla Emphyteutæ competat facultas purgandi moram, nihilominus ex æquitate, etiam in ista purgatio moræ admittenda videtur, Julius Clar. § *Emphyteusis* quæst. 8. num. 15. Bald. in leg. *Si pacto quo pœnam*, Cod. de Pactis, Sarmient. lib. 3. select. interpret. c. 5. Pirhing. lib. 3. Decretal. tit. 18. num. 37. Reiffenstuel. ibid. num. 202. et alii, quos citat Jason arg. leg. *Si servum* 91. § *sequitur* 3. ff. de verbor. obligat. ubi expresse statuitur, « quod si quis sit in mora solvendi moram ex æquitate purgare possit. Æquitas autem est præferenda rigori Juris, » (ubi dicitur) *ibidem, sicut* leg. *Placuit* 8. Cod. de Judiciis, ibi: « Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ, æquitatisque, quam stricti Juris rationem. » (12. Quantum autem tempus ad purgandam moram concedatur, cum in jure non habeatur statutum, et controvertant inter se Doctores, ut notat Glossa in cit. cap. *Potuit*, verb. *Cleri*, ubi dicit aliquos velle, quod sit tempus decem dierum, eo quod hoc tempus in Jure modicum dicatur; leg. *Promissor* 21. § 1. ff. De Pecun. constit. ibi: « Modicum tempus statuendum est non minus decem dierum, » et alios velle, quod sit tempus usque ad litis contestationem, pervaria Jura adducta, ibi: sub verb. *Cleri*, et alios velle, quod sit tempus ante sententiam per jura ibidem adducta. Hinc cum nullum ad hoc sit a Jure determinatum tempus, relinqui videtur determinandum arbitrio Judicis, eo quod ordinarie loquendo quando quæstio est de termino *celeriter*, *statim*, et hujusmodi, temporis definitio relinquatur Judicis arbitrio, ut notant Abbas in dict. cap. *Potuit* num. 12. Reiffenstuel loc. cit. num. 200. Jul. Clarus loc. cit. num. 15. ubi testatur hoc esse de communi aliorum.

(13. Dominus directus potest privare Emphyteutam re Emphyteutica, si absque suo consensu, et absque debitis Juris conditionibus assignatis artic. antecedent. sub num. 13. vendat Emphyteusim, textu claro in cit. leg. ultim. Cod. de Jure. Emphyteutico, et cit. cap. *Potuit* 4. de locato, et conducto. Cum hac tamen advertentia, quod si Emphyteuta vendat, seu alienet sine consensu Domini totam rem Emphyteuticam, potest tota privari; si alienet solam partem, tota ipsa parte privari potest. arg. c. *Si Vassallus unic. de Vassallo qui contra Constitutionem Lotharii* tit. 38 lib. Feudorum, ibi: « Si Vassallus contra Constitutionem Lotharii Regis Beneficium alienaverit, si totum, perdat totum; si partem, partem perdat, et ad Dominum revertatur. » Non enim debet quis puniri ultra quam deliquit; Jul. Clarus lib. 4. sentent. § *Emphyteusi* quæst. 13. n. 10. ubi ait hanc sententiam esse communiorem, et æquiorem. Pirhing. lib. 3. Decretal. tit. 18. num, 42. vers. *Notandum tertio*, Zœsius eod. titul. num. 98. Alexander in consil. 99. Visis processibus col.

(1) Quod adeo verum est, ut licet portio canonis exsolvatur, non pars Emphyteutici prædii in commissum cadit, sed integrum, sive unus tantum Emphyteuta sit, sive plures unius Emphyteutæ hæredes. Cum enim hæc obligatio individua sit solutione partis non exstinguitur in parte, sed adhuc integra in primævo robore manet, ut objectis responendo tenet Voet ad Pandect. lib. 6. tit. 3. n. 37. Nec obstat, quod si, irrequisito Domino, pars fundi alienetur, non totum sed pars tantum devolvitur. In hoc quippe casu certa est pars alienata, ideoque certum quod Domino devolvitur: At non ita in debitore canonum, qui eorumdem partem solvat, quia certum est debitum Canonis, at incertum corpus, quod sit devolutum, ideoque devolvitur totum. Zoes. ad Pandect. lib. 19. tit. 2, num. 78. Tiraquell. de retract. convent. § 4. Gloss. 6, n. 26. Perez. in Cod. tit. de jur. Emphyt. Mantic. de Tacit. et ambig. convent. lib. 22. tit. 27, num. 16, et seq. (*Edit Barbiell.*)

(2) Adverte tamen quod sola compensatio non tollit devolutionem. Cum enim Canonis præstatio et obligatio ultra solutionem respiciat recognitionem quoque dominii, ideo non satis est, ut causa compensanti vera sit, nisi insuper compensatio hujusmodi Domino directo offeratur, quæ oblatio locum obtinet recognitionis dominii, et solutionis quo casu, sicut in formali solutione, potest apocham dare, et tenetur aut apocham recipere, ut pluribus allegatis tradit Zoes loc. cit. num. 80 et 81. Voet in Pandect. lib. 6, tit. 3, num. 39. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

final. vol. 5. Annotat. ad decis. 56, num. 18. p. 9. tom. 2. Rotæ recentior, et alii contra Sylvestrum verb. *Emphyteusis* quæst. 5. Molinam disput. 459. et Rosignolum de Emphyteusi prænot. 7. sect. 3. num. 11. volentes non improbabiliter, quod Emphyteuta possit privari tota re Emphyteutica, etiamsi alienet solum partem sine consensu Domini. (14. Item Dominus directus potest privare Emphyteutam re Emphyteutica, si sua culpa lata, vel levi talis res fuit notabiliter deteriorata, imo potest eum cogere, ut id, in quo rem læsit, resarciat, textu expresso in authentic. Qui rem Cod. de SS. Ecclesiis, ibi : « Qui rem in Emphyteusim acceptam fecerit deteriorem... hac lege expelli potest, ut tamen id in quo rem læsit resarciat. » Sic communiter Doctores. (15. Quoties tamen expellendus est ab Emphyteusi, Emphyteuta non debet a possessione repelli, nisi interventu, et auctoritate Judicis; arg. leg. *Creditores;* C. de pignor. ibi : « Creditores, qui non reddita sibi pecunia conventionis legem ingressi possessionem exercent, vim quidem facere non videntur. Attamen auctoritate Præsidis possessionem adipisci debent. » Unde etiam Domini directi nonnisi eadem auctoritate possessionem alteri auferre, et sibi dare debent, quia nemo sibi ipsi Judex esse debet; leg. 1 Cod. *Ne quis in sua causa judicet.* Tum quia si quivis propria auctoritate Emphyteutam a possessione expelleret, passim scandala et rixæ orirentur, et ideo l. *Non* 166. ff. de Reg. Jur. fuit provide statutum, ut sequitur : « Non est singulis concedendum, quod per Magistratum publice possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi. »

(16. Dominus directus, quoties Emphyteusis transit de uno ad alium, potest a novo Emphyteuta propter investituram, quam ei impertitur, laudemium exigere; textu expresso in leg. 3. Cod. de Jure Emphyteutico (1). (17. Laudemium sic dictum, ex quo Dominus directus suo consensu, et auctoritate approbet, ac veluti laudet talem translationem factam, de Jure communi est quinquagesima pars pretii, quo bonum Emphyteuticum æstimatur; cit. leg. 3. Cod. de Jure Emphyteutico, ibi : « Quinquagesimam partem pretii, vel æstimationis loci, qui transfertur, accipere liceat Domino. » (18. De consuetudine tamen alicubi trigesima, alicubi vigesima, et alicubi etiam decima pars pro laudemio dari solet, unde servanda est in hoc loci consuetudo; arg. cap. *Cum tanto* 11. de consuetud. (19. Tale autem laudemium non est mensurandum secundum valorem, quem res habebat, quando primo tradita est in Emphyteusim, sed secundum eum, quem res habet pro illo tempore, quo in alium transfertur; cit. l. 3. Cod. de Jure Emphyteutico, ubi præscribitur ut mensuretur dicta quinquagesima pars juxta mensuram pretii, quo æstimatur res Emphyteutica, adeoque si crescit mensura pretii, crescit etiam quinquagesima, vel trigesima, vel vigesima pars ejusdem.

(20. In variis casibus transit Emphyteusis de uno ad alium, et non est solvendum laudemium : Primo quando, defuncto Emphyteuta, Emphyteusis jure hæreditariæ successionis transit ad hæredem necessarium, ut de Patre in filium; Authent. *de hæredibus;* Et communis Doctorum. Et ratio est, quia laudemium datur pro investitura, et immissione novi Emphyteutæ in possessionem; citat. leg. 3. Cod. de Jure Emphyteutico, quando autem Emphyteusis transit ad hæredem necessarium, non est opus nova investitura et immissione in possessionem, cum hæres auctoritate propria possit adire hæreditatem, adeoque, etc. (21. Secundo quando plures habentes rem Emphyteuticam in communi, eam inter se dividunt proportionaliter in singulis; talis enim divisio videtur necessaria leg. 22. Cod. *Mandati.* Et sic tenet communis Doctorum. (22. Tertio quando ante hæreditatem, venditio Emphyteusis iterum rescinditur; *Sic communis* cum Barbosa in c. *Potuit Emphyteuta* 4. de locat. et conduct. num. 38. Et ratio est, quia Laudemium, seu Honorarium datur propter novam investituram, et immissionem in possessionem, quæ nova investitura non datur, ut de se patet, cum ante traditionem rescinditur venditio. Emphyteuta enim remanet adhuc in pacifica possessione Emphyteusis ratione primæ investituræ (2). (23. Quarto quando res Emphyteutica transfertur ex necessitate dotandi filiam, cum aliunde non habeatur quo dotari possit; sic doctores communiter cum Barbosa loc. citat. et Bartolo in leg. *Et ideo* ff. de cond. furt. et ratio est quia laudemium dumtaxat debetur ex alienatione voluntaria, et non necessaria, qualis est illa dotandi

(1) Dubitari potest an in venditione cum pacto redimendi, secuta redemptione, iterata Laudemiorum præstatio Domino directo debeatur. Probabilior videretur non deberi, ut sentit Tiraquell. de retract. convent. § 4, glos. 6, num. 19 et 20. Molerus semest. lib. 4, cap. 3, num. 2 et 3, eo quod contractus remaneat quodammodo suspensus. Nihilominus contrariam tuetur opinionem Voet in Pandect. lib. 6, tit. 3, num. 31, multisque et quidem validis eam exornat rationibus adeo ut ab illa recedere non auderem, quousque validiora non occurrerent argumenta. Quod si post solutum Laudemium a tertio contra emptorem excitetur controversia, et per transactionem subata deinde remaneat, tunc certe iterata non admittitur laudemii solutio, sive quid emptori, sive quid tertio præstitum sit, ut a lite recederetur. Hoc quippe casu quamvis transactio sit species alienationis l. 4, Cod. de præd. et aliis reb. minor. nil aliud profecto actum dici potest, quam confirmatus præcedens contractus, ideoque nulla occurrit ratio, cur iterentur laudemia. Tiraquell. de retract. Gentilit. gloss. 14, num. 63. Voet loc. cit. num. 33. (*Edit. Barbiell.*)

(2) Si tamen divisione vel adjudicatione facta unus cohæredum deinceps suam partem, aut rem adjudicatam in alios iterum transferat cohæredes, procul dubio Laudemiorum nascitur obligatio, cum ita simplex tantum alienatio extra omnis divisionis considerationem contingat, nec referat an in cohæredem an in extraneum Emphyteutæ transeat jus, ut recte observat Argentræus *tract.* de Laudemiis c. 55. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

filiam, quam Pater necessario dotare debet, textu expresso in leg. ultima Cod. de Dotis promissione.

ADDITIONES EX ALIA MANU.

(24. De eo gravis est quæstio an assumpta ab Emphyteuta obligatione aliquid in re Emphyteutica faciendi intra præfinitum tempus sub pœna devolutionis, eoque non facto, locum sibi vindicet devolutio, Emphyteuta non interpellato?

(25. Affirmandum videretur ex notissima illa Regula quod in obligationibus in quibus appositus est dies, ipse interpellare dicatur pro Homine.

(26. Sed contrarium resolvit Rot. in Romana Devolutionis 8 Junii 1744. coram bon. memor. Lana Regulæ vero illi ita § 5. respondet: « Regula vero hæc quod sine ulla admonitione sit locus pœnæ conventionali procedere visum fuit tantummodo ad effectum inducendi obligationem, nempe ut quis, ubi pervenerit dies præfixus solutionis, teneatur ad interesse sive ad fructus conventos, non quidem per viam pœnæ sed solum ratione moræ, prout in casu non solutionis Canonum, ac etiam in casu, Alienationum antequam locum habeat caducitas, etc., necnon in omnibus aliis Contractibus, in quibus purgatio moræ non admittitur, etc.) nunquam vero locum sibi indicat in pœnalibus ad durum effectum Caducitatis, in quo casu dies non interpellat pro Homine, sed ut pœna incurratur necessaria est præcedens interpellatio. »

(27. Regula est quod Dominus directus in venditione rei Emphyteuticæ valeat vel soluto prætio habere prælationem vel petero Laudemium. (28. At Regula hæc duas patitur exceptiones. Prior est si Dominus directus jam petierit laudemium. (29. Hac enim petitione renunciasse censetur competenti sibi prælationi. Altera si agatur de Emphyteusi, in cujus instrumento fuit concessa libera facultas alienandi. Neque obstat si in eodem instrumento fuerit prohibita alienatio irrequisito Domino directo. (30. Dupliciter enim consensus a Domino directo præstari potest, et ante alienationem et post alienationem, atque in hac hypothesi secundus consensus necessarius est, qui prælationem haud tribuit. Ita decidit Rot. in Romana Prælationis 16 Junii 1738. coram bon. mem. Canilliac.

CONTRACTUS EMPTIONIS ET VENDITIONIS.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Emptio, et Venditio quoad suum esse, et a quibus, ac de quibus fieri possit et debeat, vel non?*

1. Emptio, et Venditio quid. — 2. Explicantur particulæ definitionis Emptionis, et Venditionis, *ad* n. 4. — 5. Nomine mercis venit quælibet res pretio æstimabiles, sive jus, sive officium, sive hujusmodi. — 6. Nomine pretii venit solus nummus, seu numerata pecunia. Et quid sit pretium. — 7. Nummus unde dictus. — 8. Pecunia unde dicta. — 9. Nummi appellatio strictior est quam pecunia. — 10. Ubi nummus, seu pecunia non intervenit, sed res una pro altera, merx pro merce datur, permutatio, vel alius contractus, non autem emptio, et venditio est. — 11. Pretium unde dictum. — 12. Pretium est duplex; Legitimum, seu Legale, et Naturale, seu Vulgare, et quale sit utrumque. — 13. Pretium naturale, seu vulgare dividitur in infimum, seu pium; in medium, seu moderatum; et in summum, seu rigorosum. Et quale sit quodlibet. — 14. Quodlibet trium horum pretiorum justum est ac licitum. — 15. In foro conscientiæ omnis venditio notabiliter excedens pretium summum, seu rigorosum, et omnis emptio non attingens pretium infimum, seu pium, est injusta, et illicita, et per restitutionem ad æqualitatem reducenda. — 16. Adducitur, et solvitur instantia. — 17. In foro externo utroque Jure tam civili, quam Canonico permittitur, et toleratur rem quovis pretio emere, et vendere, et dummodo ex parte alterius non fiat læsio, seu deceptio ultra dimidium, *ad* n. 18. — 19. Dimidium justi pretii quomodo computandum sit in Emptore decepto. — 20. Pretium legitimum, seu Legale juste taxatum obligat omnes in utroque foro, et ipsum malitiose transgredientes tam in emendo quam in vendendo peccant contra justitiam, et tenentur ad restitutionem. — 21. Pretium juste taxatum observare tenentur etiam peregrini, nisi specialiter eximantur. — 22. Si manifeste constet pretium indebite, irrationabiliter, et injuste taxatum esse, nemo in foro conscientiæ illud observare tenetur. — 23. Hinc si magistratus, vel ab eo deputati ex odio, vel passione, aut muneribus corrupti, vel errore seu ignorantia seducti, pretium rerum injuste determinent, tunc potest taxa tuta conscientia transgredi, et reduci ad æqualitatem cum valore mercis. — 24. Immo possunt in tali casu venditores, quando alio modo justum pretium obtinere nequeant, mercibus aliam rem, vel eamdem specie, minus tamen bonam immiscere, dummodo in modica solum quantitate sufficiente ad seipsos reddendos indemnes, et ita fiat, ut nullum exinde detrimentum emptoribus sequatur, et merx adhuc sit idonea ad usum et finem, pro quo emitur. — 25. Requiritur tamen semper, quod certo, et manifeste constet pretium esse injuste taxatum; nec sufficit solum dubium, an taxatio pretii sit justa, nec ne. — 26. Emptio, et venditio potest fieri ab omnibus, qui jure non prohibentur. — 27. Emere, et vendere solius lucri, et negotiationis gratia nequeunt Clerici. — 28. Item provinciarum, et locorum Gubernatores, Præsides, Rectores, Vicedomini, Præfecti, Judices, et eorum Officiales, ac Ministri in ipsis locis in quibus Jurisdictionem exercent, emere de jure non possunt nisi necessaria ad victum, et vestimentum, et usum quotidianum. Consuetudine tamen est introducta praxis contraria. — 29. Item administratores rerum alienarum de jure, nec per se, nec per alium emere possunt res illas, quas administrant, nisi id eis specialiter concedatur. — 30. Item Tutores, et Curatores prohibentur emere bona pupillorum, et Minorum quæ administrant. — 31. Possunt tamen Tutores, et Curatores talia bona emere, et vendere cum auctoritate Judicis, et interventu Propinquorum eorum pupillorum, et Minorum. — 32. Sic etiam emere possunt a pupillis illi Tutores, qui non habent administrationem eorum bonorum. — 33. Emere, et vendere non possunt pupilli, et minores, nisi accedat auctoritas Judicis, et consensus Tutorum, seu Curatorum. — 34. Omnis res humano commercio subjecta emi et vendi potest, nisi specialiter prohibeatur. — 35. Hinc emi et vendi possunt omnes res sive mobiles, sive immobiles. — 36. Item, emi, et vendi possunt Nomina, id est Jura, seu actiones, credita, debita, Chirographa etiam ignorante, et invito debitore. — 37. Dummodo tamen talia nomina, seu Jura, credita, et hujusmodi sint certa ac liquida, et liti nondum subjecta. — 38. Officia publica temporalia spectando leges positivas humanas vendi, et emi non possunt. — 39. Ubi tamen legitima intro

Digitized by Google

ducta est consuetudo, valide, ac licite talia officia publica temporalia vendi possunt, servatis quibusdam conditionibus. — 40. Assignantur conditiones observandæ, ut talis venditio licite fiat. — 41. Secundum graves Doctores non solum Principes supremi, sed etiam alii inferiores de licentia Principis expressa, vel tacita possunt valide ac licite talia officia temporalia vendere. Unde in hoc servanda est consuetudo legitima cujusque Regni et Provinciæ. — 42. Emptio et Venditio fieri nequit de rebus spiritualibus, aut spiritualibus annexis. — 43. Item emptio et venditio fieri nequit de rebus litigiosis. — 44. Homo liber vendi, et emi non potest, nisi major 25. annis consentiat. — 45. Vel nisi sit filius, qui a Patre in summa paupertate victus causa vendatur. — 46. Item nequit a Domino vendi servus, ut cum bestiis pugnet. — 47. Arma, equi, lignamina, funes, et alia hujusmodi nequeunt vendi, et deferri ad Saracenos, et alios Christiani nominis hostes, et id facientes, quicumque sint, incurrunt excommunicationem. — 48. Ordinarie loquendo nemo invitus cogi potest ad vendendam rem propriam, vel emendam alienam. — 49. In casu tamen publicæ necessitatis, aut inopiæ possunt subditi cogi ad vendendas merces, quibus ipsi non indigent. — 50. Et in tali casu publicæ necessitatis cogi possunt ad talem venditionem etiam Clerici, non quidem a Judice laico, sed a proprio suo Ecclesiastico. — 51. Item possunt subditi cogi ad talem venditionem ob bonum publicum vel favorem Religionis. — 52. Item si duo communem servum habeant, quorum alter velit eum manumittere, cogitur etiam alter partem suam vendere libertatis favore, si adsit qui redimere velit. — 53. Item quando Dominus nimis severe, et inhumane tractat servum suum, tunc cogi potest eum vendere. — 54. Dantur etiam aliqui casus, in quibus potest quis cogi ad emendum, maxime quando id exigit bonum commune Reipublicæ, et assignantur. — 55, ad 57. Nam dici queat Contractus Emptionis, si Contrahentes dum præstiterunt consensum reservaverint sibi aliqua pacta postea concordanda. — 58 ad 62. De Regula, quod in Foro non succurritur venditori læso, nisi læsio sit ultra dimidium justi pretii. — 63 ad 67. De altera Regula, quæ in Foro invaluit, nimirum : quod Emptio et Venditio cum enormissima læsione facta sit nulla.

ARTICULUS II. — *Quoad ea quæ concernunt Emptorem.*

1. Emens bona fide rem furtivam, seu alienam, tenetur eam restituere Domino statim ac rescit esse suam. — 2. Nec talis emens bona fide rem furtivam, restituendo eam Domino, potest ab ipso repetere expensam pro ea. — 3. Immo non tantum rem ipsam furtivam, sed et omnes ejusdem rei fructus adhuc exstantes, et quos collegit, et consumpsit a tempore cognitæ rei furtivæ, et eos ex quibus jam antea bona fide perceptis factus est ditior, tenetur emptor in utroque foro restituere Domino. — 4. Emens bona fide rem furtivam, si durante bona fide, eam consumpsit, vel vendidit, vel donavit, non tenetur ad restitutionem. — 5. Si vero emens plus pretii recepisset in venditione, quam in emptione rei furtivæ, teneretur id plus, in quo factus est ditior, restituere Domino comparenti. — 6. Emens bona fide rem furtivam probabilius non potest eam reddere furi, si prævideat non esse reddendam Domino, etiamsi aliter pretium suum recuperare non possit, sed debet eam restituere Domino. — 7. Revera tamen est etiam probabile, quod talis emptor possit rem furtivam reddere furi, ad pretium recuperandum, seque indemnem servandum. — 8. Emens rem pecunia furtiva, licet acquirat ejus rei Dominium, tamen obligatur ad resarciendum omne damnum, ac lucrum cessans illi, a quo pecuniam abstulit, tum etiam venditori casu, quo pecunia ab ipso evincatur. — 9. Venditor autem non acquirit Dominium talis pecuniæ furtivæ, sed eam debet comparenti Domino restituere, si adhuc in specie extet. Non tenetur vero restituere, si eam jam consumpsit, vel cum propriis nummis ita commiscuit, ut amplius discerni nequeat. — 10. Emens rem alienam, seu furtivam modico pretio, ut eam restituat proprio Domino, qui eamdem rem non erat alias reacquisiturus non nisi majoribus expensis, potest ab ipso Domino repetere pretium solutum, et Dominus tenetur in utroque foro ipsum refundere. — 11. Emens communi pretio agrum in quo scit esse thesaurum, vel similia alia pretiosa, licite emit, et nihil tenetur restituere venditori ignoranti. — 12. Sic emens communi pretio rem mobilem, in qua reperiatur aurum, vel aliud quidpiam pretiosum penitus ignotum etiam venditori, non tenetur ad ullam restitutionem ipsi venditori. — 13. Emens rem sua et communi æstimatione vilem si post emptionem cognoscat esse pretiosam, non tenetur aliquid restituere venditori. — 14. Secus autem esset si emptor ante emptionem cognovisset pretiositatem rei penitus incognitam a venditore simplici et ignaro, tunc enim teneretur ei restituere id quod minus solvisset de justo pretio. — 15. Nec talis emptor conscius majoris valoris rei, qui a venditore ignoratur, manet tutus in conscientia per hoc quod dicat venditori ignaro se velle rem illam sine scrupulo emere, et ideo videat, an velit eam pro tali pretio dare condonando ei, si quid amplius valeat, et venditor consentiat. — 16. Qui scientia privata scit brevi pretium augendum, potest licite emere pretio currenti. — 17. Item si quis scientia privata sciat pretium mercis, seu valorem monetæ esse brevi minuendum, vel mercem aliquam, seu monetam esse prohibendam, potest mercem licite vendere pretio currenti, et monetam expendere secundum valorem præsentem. — 18. Dicitur autem notanter *Scientia privata*, quia non excusantur Magistratus ipsi, qui ex industria legis promulgationem differunt, ut interim suas merces, vel pecunias majori valore seu pretio distrahant. Possunt tamen ipsi non aliter, ac alii bona fide distrahere sua, non obstante tali notitia, quando in eadem quantitate, seclusa illa notitia, distracturi fuissent. — 19. Chirographa et aliena credita, quantumvis certa, si sine molestia, difficultate, damno emergente, vel lucro cessante, exigi nequeunt, possunt valide, ac licite emi minori pretio juxta qualitatem difficultatis, periculi, damni, et hujusmodi. — 20. Doctores merito addunt tantam posse esse difficultatem, vel incertitudinem solutionis, ut hujusmodi chirographa, et credita aliena, possint interdum dimidio valore emi, et aliquoties etiam minori. — 21. Chirographa, et aliena credita possunt etiam licite emi minori pretio ab aliquo particulari, qui ob suam industriam, vel favorem Principis, aut Officialium, vel ipsiusmet debitoris, potest illa exigere sine difficultate, periculo, aut damno, sine quibus non posset illa exigere Creditor, vel alter. — 22. Immo etiam ipsimet Ministri, et Officiales, qui Principum, vel aliorum debitorum pecunias administrant, possunt licite Chirographa, et aliena credita erga suos principales minori pretio emere, sicut alii; dummodo ipsi non sint causa difficilis, aut periculosæ solutionis, et fecerint quantum in se erat, ut sine difficultate creditoribus satisfieret. — 23. Si autem ipsi ex dolo, vel negligentia, aut alia culpa sint causa, quod exactio Creditorum evadat difficilis, periculosa, aut onerosa, nullimode possunt illa credita minoris emere. — 24. Neque ex tali malitia possunt ipsi Ministri, seu Officiales suggerere amico, ut emat viliori pretio aliena credita erga Regem, seu Principem, et postea integra solvere emptori, diviso inter ipsos lucro illius emptionis. — 25. Chirographa, et aliena credita, in casu quo possunt ab alio tertio minoris emi, similiter possunt minoris emi, seu redimi vel exstingui ab ipsomet debitore, dummodo ipse non sit causa minoris æstimationis, et quod solutio præfixo futuro tempore non evadat ex sua malitia, aut negligentia difficilis, et periculosa,

Digitized by Google

sed aliunde oriatur talis difficultas, aut periculum. — 26. Secus tamen, si ipse debitor sit malitiosa, et culpabilis causa, cur solutio evadat difficilis, periculosa, vel onerosa. —.27. Chirographa, et aliena credita certa, et liquida, pro quibus suo tempore exstinguendis nulla penitus occurrit difficultas, vel periculum, neque ullum lucrum cessans, aut damnum emergens, nequeunt licite emi minori pretio. — 28. Non licet sine justo titulo ob solam anticipatam solutionem infra pretium infimum emere. — 29. Potest tamen emptor sic minoris emere mercem, si adsit justus titulus. — 30. Minori pretio quam valeat ob varias causas potest res emi : Primo quando emptor emit in gratiam venditoris, et ratione ipsius cessat emptori lucrum, vel damnum emergit. — 31. Secundo, ratione multitudinis mercium. — 32. Tertio, ratione multitudinis mercium simul emptarum. — 33. Quarto, ratione paucitatis emptorum. — 34. Quinto, ratione inopiæ, seu paucitatis pecuniæ. — 35. Sexto, ratione modi vendendi, ut cum venditor rem sponte, et ultrone offert, et enixe rogat ad emendum. — 36. Septimo quando res venduntur sub hasta, seu Foro scrutatorio sine ulla fraude. — 37. Deputatus ad aliquam rem emendam certo, et determinato pretio, si pretium solummodo determinatur, ne excedatur, non potest sibi retinere aliquid, si minoris emit. — 38. Potest tamen sibi retinere, si Dominus ita determinavit pretium, ut nihil aliud desideret quam ipsam rem emendam pro tali pretio, relicto emptori si quid minus expenderit in ipsa re emenda. — 39. Regulariter vero loquendo, quando aliter non constat de voluntate Domini, deputatus ad emendam rem determinato pretio, v. g. pro decem, si ei contingat emere pro octo, non potest licite sibi retinere illa duo. — 40. Deputatus autem ad emendum aliquam rem, si ultra intentum Domini specialem et extraordinariam diligentiam, industriam, et laborem adhibuit pro emendo minori pretio, tunc potest aliquam partem pretii incommodo, et industriæ suæ proportionatam sibi retinere. — 41. Sic etiam Sartor deputatus ad emendum pannum, serica, et hujusmodi pro vestimentis conficiendis, potest sibi retinere id, quo minus emit, si mercator, vel venditor in solam sui gratiam partem aliquam justi pretii remisit. — 42. Dummodo tamen duo concurrant, quæ assignantur.—43. Emens frumenta tempore messis, quo minus valent, ut servet vendenda ad tempus, quo magis valere solent, si non faciat animo inducendi charitatem, et postea vendat intra limites justi pretii, nullimode est culpandus. — 44. Si tamen unus, aut pauci coemunt omnia frumenta et hujusmodi, ut postea illa vendant ad suum libitum eo pretio quo voluerint, injustissime agunt, et monopolium committunt. — 45. Tales monopolæ nedum peccant graviter contra charitatem, sed probabilius etiam contra justitiam cum onere restitutionis. — 46 ad 62. De his, qui emere possunt, vel non. — 63 ad 66. An Emptor propria auctoritate possessionem rei emptæ apprehendere possit, si ei permissa sit in emptionis instrumento.

ARTICULUS III. — *Quoad ea, quæ concernunt Venditorem.*

1. Venditor ob solam dilatam solutionem sine justo titulo nequit rem plus justo pretio vendere. — 2. Potest tamen venditor plus justo pretio vendere ob dilatam solutionem, si interveniat aliquis justus titulus, ut lucrum cessans, etc. — 3. Ut liceat venditori supra summum pretium vendere pluris ad creditum ratione lucri cessantis, requiruntur variæ conditiones, quæ enumerantur. — 4. Ratione periculi perdendi pretium, vel ex toto, vel ex parte possunt venditores, seu mercatores pluris vendere ad creditum. — 5. Item possunt venditores, seu Mercatores pluris vendere ad creditum ratione difficultatum, molestiarum, et expensarum, quæ probabiliter timentur, seu solent accidere in exigendo postea pretio. — 6. Absque ullo titulo licitum est vendere plus ad creditum solum intra fines justi pretii. — 7. Supra summum justum pretium potest res pluris vendi generaliter loquendo ob varias causas. Primo, ratione damni emergentis. — 8. Secundo, ratione lucri cessantis. — 9. Tertio, ratione pecuniæ, seu raritatis mercium. — 10. Quarto, ratione multitudinis emptorum. — 11. Quinto, ratione specialis ad rem affectus venditoris causantis eidem honestam oblectationem. — 12. Sexto, ratione periculi faciendi expensas in exigendo postea pretio. — 13. Septimo, ratione periculi perdendi pretium, sive ex toto, sive ex parte. — 14. Venditor interrogatus ab emptore de certo vitio rei vendendæ tenetur illud ei manifestare. — 15. Si autem venditor non interrogetur de vitio rei, potest licite ipsam vendere cum vitio occulto, dummodo vendat minori pretio proportionato rei vitio, et sit res adhuc utilis emptori juxta proportionem pretii. — 16. Nec tenetur venditor indicare vitium rei manifeste patens. — 17. Teneretur tamen venditor indicare tale vitium manifeste patens, si adverteret emptorem esse tam rudem, et imperitum, ut nequidem vitium manifeste patens agnosceret. — 18. Venditor tenetur manifestare vitium, seu defectum rei in substantia. — 19. Venditor tenetur manifestare vitium circa qualitatem rei, quando causat damnum et reddit mercem inutilem ad finem mentis. — 20. Non tenetur tamen venditor manifestare vitium rei, ita si sit modicum, ut eo non obstante adhuc res sit æque utilis ad finem mentis. — 21. Venditor tenetur manifestare vitium etiam in quantitate. — 22. Venditor, qui ad allicien-dos frequentiores emptores vendit Merces pretio infimo, sed occulto non tradit integrum pondus, et mensuram, partem sibi reservando ad compensandum velut sibi debitum pretium, quo ab aliis mercatoribus venduntur, peccat graviter, et tenetur restituere tum emptoribus, tum aliis Mercatoribus. — 23. Possunt tamen Venditores occulte tantum diminuere de pondere, numero, et mensura mercium, quantum requiritur ad complendum justum pretium, in casu, quo vel pretium a Magistratu, seu deputatis sit injuste taxatum vel emptores inique conveniant, quod non nisi certo minus justo pretio vulgari merces emere velint. — 24. Venditores habentes mercem, v. g. triticum extraordinariæ bonitatis, et majoris, quam illud quod communi, vel taxato pretio venditur, possunt licite admiscere aliquid inferioris materiæ, quousque reddatur æquale tritico communi pretio ab aliis in foro vendi solito. — 25. Venditor vini valde præstantis, seu generosi potest ipsi admiscere vinum vilius, ut ad commune Fori vinum accedat, et ipsum vendere pretio communi. — 26. Sic etiam si Venditor vini nequit consequi justum ejus pretium, vel ex quo sit injuste taxatum, vel ex quo Emptores ob suam iniquitatem nolint justo pretio emere, potest ipsi infundere modicam aquam ad se reddendum indemnem, dummodo nullum damnum sequatur Emptoribus. — 27. Item si Emptores abhorreant a vino nimis meraceo, vel rigido emendo, ut nisi aqua aliquantulum temperetur, non appareat Emptoribus ejus præstantia, et justus valor, et ideo venditor cogatur minoris justo pretio vendere, vel omnino repellatur; tunc potest Venditor aliquantulum aquæ ipsi infundere ad reddendum ipsum tenuius, et suavius, et se reddendum indemnem, dummodo Emptoribus nullum omnino sequatur damnum, et venditor tantum minuat de pretio vini, quantum auget de aqua. — 28. Affertur, et solvitur instantia. — 29. Venditor sciens scientia privata pretium mercis brevi minuendum esse, potest licite vendere pretio currenti. — 30. Deputatus ad aliquam rem vendendam certo, et determinato pretio, si pretium solummodo determinatur, ne minoris vendatur, non potest sibi retinere aliquid, si majori pretio vendat. — 31. Potest tamen sibi retinere, si Dominus rei ita determinavit pretium, ut nihil aliud desideret, quam

Digitized by Google

tale pretium, relinquens deputato si quid pluris obtinuerit ab Emptore. — 32. Non possunt autem sibi aliquid retinere famuli, et famulæ, quibus a Dominis indeterminato pretio traditur res vendenda meliori modo, quo possunt in utilitatem ipsorum dominorum. — 33. Regulariter loquendo, quando aliter non constat de voluntate Domini, quilibet deputatus ad vendendam rem determinato pretio, v. gr. pro decem, si ei contingat vendere pro duodecim, non potest sibi licite retinere illa duo. — 34. Venditor non potest plus justo augere pretium mercis solum ex eo quod videat emptorem valde indigere illa, aut valde affici erga illam. — 35. Venditor pro re valde rara et peregrina probabilius non potest repetere ab Emptore quodcumque sibi arbitrarium, et excessivum pretium, sed solum illud, quod peritorum arbitrio spectatis omnibus circumstantiis industriæ, raritatis, pulchritudinis, periculi, laboris, etc., justum censetur. — 36. Contraria sententia est etiam probabilis, quod scilicet pro gemmis extraordinariis, picturis antiquis, avibus indicis, aliisque animalibus, et rebus valde raris, et peregrinis, valeat licite accipere quantum vult, et potest. — 37. Vendens in fraudem Creditorum, quibus re vendita, sit incapax solvendi, quod debet, peccat graviter, et tenetur quantum potest ad restitutionem. — 38. Et quamvis talis fraudulenta venditio, si sit facta ignoranti fraudem, remaneat valida, tamen si sit facta scienti fraudem, rescindi potest a creditoribus, etiam non restituto pretio ipsi emptori. — 39. Si autem Creditores intra annum, quo repetendi potestas est, non repetant rem in suum damnum a debitore fraudulenter venditam, tunc Emptor securus est in foro externo. — 40. In foro tamen interno Emptor sciens fraudem Venditoris non remanet securus. — 41. Non desunt autem magni nominis Doctores, qui tenent talem emptorem remanere totum etiam in conscientia. — 42. Venditor fingens literas de submersis navibus, quæ merces advehebant, vel spargens falsum rumorem de penuria, et charitate mercium in aliis proximis Regionibus, vel de obsidione Urbis, et de aliis similibus, quæ solent pretium mercium valde augere, si ob talem fraudem vendat charius, quam venderet suas merces, peccat graviter, et tenetur ad restitutionem. — 43. Unde generaliter omnis Venditor, qui fraude, aut mendacio inducit emptorem ad emendum majori pretio quam empturus esset, quamvis pretium, quod cedit, adhuc fuerit intra limites justi pretii, ratione suæ fraudis, seu consimiliter malitiosi mendacii graviter peccat, et tenetur ad restitutionem. — 44. Si tamen Venditor, aut Mercator solum dicat, aut etiam juret, mercem sibi pluris constare, se pluris vendidisse aliis, et hujusmodi, quamvis Emptor sic inducatur ad dandum majus pretium, quam non daret, non obligatur ad restitutionem, si sistat intra limites justi pretii, licet peccet sic mentiendo, et jurando. — 45. Vendens quid pro quo malitiose, v. g. aurichalchum pro vero auro, et hujusmodi, peccat graviter, et tenetur ad restitutionem. — 46. Pharmacopola vendens quid pro quo æque utile ad finem Emptoris, v. g. dans infirmo unum medicamentum pro alio, tunc si tale aliud medicamentum sit æque utile infirmo, et ejusdem virtutis, ac præscriptum a Medico, non peccat saltem graviter, nec tenetur ad restitutionem, si tale medicamentum non sit inferioris pretii ac aliud. — 47. Si tamen Pharmacopola prævideat, vel metuat tale aliud medicamentum graviter periculosum, et damnosum fore, vel esse posse infirmo, graviter peccabit dando unum pro alio, et tenebitur ad restitutionem omnium damnorum. — 48. Venditor habens frumentum venale, et sit illud revera servaturus usque ad tempus quo solet plus valere, potest licite nunc vendere majori pretio, quam actu valeat, si ab emptore rogetur, ut ipsi nunc vendat. — 49. Sic etiam licite vendit pretio solvendo quo valebit, v. g. ultima hebdomada Maii et prima, Junii, quando solet plus valere, dummodo revera esset illud servaturus vendendum usque ad illud tempus. — 50. Et dato quod pretium ultimæ hebdomadæ Maji diversum esse contingat a pretio primæ hebdomadæ Junii, tunc debet summi pretium medium. — 51. Debebit tamen ab hoc pretio deducere expensas, quas facturus erat venditor in servando triticum, et etiam alia damna, quæ passurus erat. — 52. Venditor non potest licite vendere triticum de mense Novembris, v. g. summo pretio, quo venit toto tempore intermedio usque ad Novembrem sequentis anni. — 53. Venditor graviter peccat, et tenetur ad restitutionem, si triticum aqua madefaciat, lanam, et hujusmodi in loco humido reponat, ut plus ponderet; pannos, et hujusmodi ad majorem mensuram, vel pondus, quam in se sint dolosis artibus trahat. — 54. Venditor potest licite vendere rem cum pacto retrovendendi, seu redimendi in futurum. — 55. Quantum vero diminui debeat de pretio propter tale onus revenditionis impositum emptori, relinquendum est judicio, et arbitrio prudentum. — 56. Cavendum tamen est, ne in similibus pactis retrovenditionis intercedat damnatus contractus *Mohatra*. — 57 ad 61. Quæ sit differentia quæ intercedit socium inter et fiscum circa venditionem rei communis. — 62. Num Christiani Mercatores merces ad infideles licite transferre possint. — 63. ad 72. Contractus nuncupati *Fitto-franco*.

Articulus iv. — *Quoad ea quæ concernunt commodum, periculum, et retractum rei venditæ.*

1. Commodum et fructus rei venditæ post traditionem pertinent ad Emptorem. — 2. Fructus rei venditæ adhuc pendens tempore contractus venditionis etiam ante traditionem pertinent ad Emptorem, sive sint maturi, sive immaturi. — 3. Immo nedum fructus pendentes, seu extantes tempore contractus, sed etiam fructus nati, et producti post celebratum, et absolutum contractum pertinent ad emptorem, etiamsi res nondum tradita sit, nec cautio fidejussoria, aut pignoratitia præstita, nisi aliter inter contrahentes conventum fuerit. — 4. Contraria tamen sententia defenditur communiter a Legistis, et etiam a variis Theologis. — 5. Si circa perceptionem fructuum provenientium ex re vendita fuerit facta aliqua specialis conventio inter emptorem et venditorem, erit omnino observanda. — 6. Hinc licitus est contractus, cum fundus fructuosus emitur eo pacto, ut post tot annos duntaxat Emptor pretium, de quo conventum est, solvere teneatur Venditori, et interim Venditor usuras summæ capitalis percipiat, donec ipsa soluta sit. — 7. Sic etiam licitus est contractus, quando Venditor per specialem conventionem tantum sibi reservat de fructibus rei venditæ, quantum ex dilatione solutionis prudenter sibi timet imminere damni emergentis, vel lucri cessantis. — 8. Postquam autem Venditor jam transtulit Dominium in emptorem, nullumque apparet periculum lucri cessantis, vel damni emergentis, non potest ob solam dilatam solutionem pretii sibi reservare fructus rei venditæ. — 9. Item licitus est contractus, quando Venditor ita convenit cum Emptore, ut Dominium et periculum rei venditæ ad ipsummet pertineat ante pretii solutionem, et perinde ad se pertineant fructus interim ex ipsa provenientes. — 10. Periculum rei venditæ post traditionem pertinet statim ad Emptorem. — 11. Immo periculum rei venditæ pertinet ad emptorem etiam ante traditionem, si vendatur res certa et determinata in individuo. — 12. Limitatur tamen hæc conclusio in pluribus casibus. Primo, quando emptor et venditor specialiter inter se conveniunt, ut periculum remaneat penes Venditorem, donec res empta tradita sit Emptori. — 13. Limitatur secundo, quando Venditor est in mora tradendi, et res interea casu fortuito perit, vel deterior sit. — 14. Si autem non solum Venditor in tradendo, sed etiam Emptor in rem sibi oblatam

Digitized by Google

recipiendo fuit in mora, tunc periculum spectat ad illum qui est in posteriori mora. — 15. Si vero res æque periisset, vel deterior facta fuisset apud Emptorem, si ei tradita fuisset, ad nihil tenetur Venditor ob talem moram.—16. Limitatur tertio, quando res vendita ante traditionem perit ex dolo, aut culpa lata, vel levi Venditionis. — 17. Limitatur quarto, quando res vendita ante traditionem ex delicto Venditoris addicitur Fisco. — 18. Limitatur quinto, quando venditio est facta conditionate, et ante impletam conditionem res totaliter perit. — 19. Si vero res sub conditione vendita totaliter non pereat, sed tantum deterior evadat, totum periculum, conditione impleta, spectabit ad Emptorem. — 20. Quando res in pondere, numero, aut mensura consistens, venditur ad mensuram, tunc antequam res ipsa tradatur mensurata, ponderata, aut numerata, omne periculum pertinet ad Venditorem. — 21. Sic etiam si vinum, mel, vel quid simile vendatur ad corpus quidem et non ad mensuram, attamen cum pacto, ut degustetur, antequam omnino rata, vel perfecta venditio sit, tunc ante degustationem factum periculum spectat ad venditorem. — 22. Si tamen certus terminus mensurationi, ponderationi, numerationi, aut degustationi præfixus fuit, aut Venditor coram testibus Emptorem moneat, ut intra certum tempus ad mensurandam numerandam, vel degustandam rem emptam accedat, post culpabilem ejus moram periculum ad Emptorem ipsum pertinebit. — 23. Quando res aliqua vendita est ad corpus totum sine ordine ad mensurandum, tunc periculum spectat ad Emptorem. — 24. Si autem vendatur totum corpus quidem, sed cum ordine ad mensurandum, tunc cum venditio sit ad mensuram, donec non sit mensuratum, periculum pertinet ad Venditorem. — 25. Item erit venditio ad mensuram, si ex toto grave vendatur 10. oves : ex toto cumulo tritici 10. modii : ex toto dolio 10. urnæ; et sic donec oves fuerint designatæ, modii tritici, et urnæ vini mensuratæ, periculum spectat ad venditorem. — 26. Retractus gentilitius quid sit. — 27. Sola bona immobilia retrahi possunt. — 28. Retrahere possunt omnes Venditoris consanguinei, non tantum Laici, sed etiam Clerici. — 29. Religiosus autem consanguineus, vel ejus loco Monasterium retrahere nequit. — 30. Jus retrahendi ante omnes competit Liberis, sive masculis, sive feminis. — 31. Dummodo tamen Liberi sint legitimi. — 32. Liberis non extantibus competit hoc jus consanguineis collateralibus cum prælatione semper ad proximiorem Venditoris. — 33. Si plures sint consanguinei ejusdem gradus, possunt omnes simul retrahere, et rem retractam possidere in communi, vel si dividi potest, dividere, aut sorti committere. — 34. Cum Fratre superstite nequeunt simul retrahere liberi Fratres Defuncti. — 35. Si consanguineus proximior retrahere nolit, competit tale jus consanguineo remotiori, ordine gradus semper servato. Et si unus ex æqualiter propinquis cedat Juri suo, admittendi sunt ad retrahendum reliqui in solidum. — 36. Legitime retrahere volens debet quatuor potissimum conditiones observare. Primo debet retrahere intra annum, et diem. —37. Secundo debet offerre integrum pretium ab Emptore extraneo solutum una cum omnibus sumptibus, et expensis ratione contractus necessario factis. — 38. Tertio debet refundere factas interea ab Emptore in rem expensas necessarias, et utiles quas ipse consanguineus, vel retrahens fecisset. — 39. Quarto debet suo nomine, et in suum, non vero in alterius commodum, retrahere. — 40. Hinc si proximior consanguineus Venditoris ad impediendos alios remotiores consanguineos a tali retractu, fraudulenter, et dolose retrahat pro alio extraneo, fingens retrahere pro se, et in suum commodum, peccat contra justitiam, et tenetur ad compensanda damna illis inde secuta. — 41. Sic etiam peccat contra justitiam, et tenetur ad compensanda damna inde secuta extraneus ille, qui emit agrum seu domum, v. g, pro 100. sed timens ne domus, seu ager retrahatur a consanguineis, ut hos deterreat cum consensu venditoris scribit in instrumento fraudulenter, et dolose, se emisso pro 290. — 42. Adducitur laudabilis consuetudo, et praxis ad evitandas similes fraudes et dolos. — 43 ad 51. An emptione et venditione perfecta, cum res vendita non sit tradita, si fortuito casu pereat, damno Emptoris pereat. — 52. ad 59. Retractus conventionalis, legalis et gentilitius.

ARTICULUS V. — *Quoad ea quæ concernunt Actiones ex empto et vendito, et Actionem ob læsionem ultra dimidium, et pactum legis Commissoriæ, et Addictionis in diem.*

1. Quid sit, et ad quæ detur Actio ex empto, seu empti. — 2. Hoc jus, seu Actio, oritur statim ac habetur perfecta venditio. — 3. Non potest cum affectu institui contra venditorem, nisi prius sit pretium ex integro solutum, aut saltem realiter ei oblatum. — 4. Quid sit, et ad quæ detur Actio ex vendito, seu venditi. — 5. Hoc jus, seu Actio, oritur statim ac habetur perfecta emptio. — 6. Non potest cum effectu institui contra emptorem, nisi prius a venditore res sit tradita ipsi emptori. — 7. Quid sit, et ad quæ detur Actio Redhibitoria. — 8. Unde vocetur Redhibitoria. — 9. Actio Redhibitoria competit non solum emptori, sed etiam ejus hæredibus. — 10. Potest intentari non solum contra venditorem, sed etiam contra omnes ejus hæredes. — 11. Quid sit, et ad quæ detur Actio Æstimatoria, seu quanto, vel quanti minoris. — 12. Unde vocetur Æstimatoria, seu quanto, vel quanto minoris. — 13. Actio Æstimatoria, seu quanto, vel quanti minoris competit non solum emptori, sed etiam ejus hæredibus. — 14. Potest intentari non solum contra venditorem, sed etiam contra omnes ejus hæredes. — 15. Si venditor ignorans vitium rei, ipsam sine ulla malitia, et fraude vendidit tamquam bonam, non tenetur de damnis inde secutis, sed sola Actione Æstimatoria conveniri potest ad restituendum pretium quanto minoris emptor emisset, si vitium rei scivisset. — 16. Si autem venditor rem notabili vitio laborantem scienter, et malitiose vendidit emptori, potest conveniri ab emptore Actione Redhibitoria, vel Æstimatoria non solum ad restituendum pretium, vel partem ejus, sed etiam ad compensanda omnia inde secuta damna. — 17. Pro instituenda Actione Redhibitoria conceduntur sex menses. — 18. Pro instituenda autem Actione Æstimatoria conceditur annus integer. — 19. Quando ob vitium rei conceditur Actio Redhibitoria, potest emptor intra sex menses loco ipsius assumere Æstimatoriam, ita tamen, ut una assumpta variare amplius non possit. — 20. Si tamen intra sex menses emptor nullam intentaverit Actionem, potest post illos sex menses adhuc intentare Actionem Æstimatoriam. — 21. Anno tamen elapso nullam amplius Actionem, nec Redhibitoriam, nec Æstimatoriam poterit emptor intentare: in foro enim externo tales Actiones eo tempore præscribuntur. — 22. In foro interno tamen nunquam eximitur venditor ab obligatione restituendi, vel compensandi damna per talem deceptionem illatam emptori. — 23. Actio ob læsionem non conceditur de Jure Civili; nisi læsio sit ultra dimidium. — 24. Sic etiam de Jure Canonico loquendo de foro externo. — 25. In foro autem interno etiam infra dimidium lædens tenetur ad restitutionem, etiamsi ex ignorantia, et bona fide læserit. — 26. Minoribus 25 annis conceditur Actio contra graviter lædentem, etiamsi læsio sit infra dimidium. — 27. Sic etiam conceditur Ecclesiis, ac Communitatibus. — 28. Sic etiam conceditur universaliter omnibus læsis infra dimidium, si læsio facta est ex dolo, vel fraude. — 29. Ob læsionem ultra dimidium competit Actio venditori contra emptorem. — 30. Item competit contra venditorem. — 31. Læsio

Digitized by Google

ultra dimidium eodem modo, et æqualiter computari debetur in venditore, et emptore. — 32. Emptor ultra dimidium lædens tenetur, vel defectum pretii supplere, vel rem iterum restituere. — 33. Sic etiam venditor ultra dimidium lædens tenetur, vel excessum pretii restituere emptori, vel rem venditam iterum recipere, restituto toto pretio accepto. — 34. Nec emptor, nec venditor satisfacit restituendo tantum quantum sufficit ne læsio sit amplius ultra dimidium, sed debet integre restituere totum id quod deest justo pretio. — 35. Quando læsio ultra dimidium facta est bona fide, et emptor iterum restituit rem emptam, potest fructus interea perceptos sibi retinere in utroque foro. — 36. Quando vero læsio ultra dimidium facta est mala fide, seu dolose, et fraudulenter, tunc emptor tenetur una cum re etiam omnes fructus perceptos restituere. — 37. Quando læsio est facta bona fide, et rescinditur contractus, venditor tenetur refundere emptori expensas quas interea in necessarias, et utiles rei meliorationes fecit. — 38. Actio contra lædentem ultra dimidium bona fide, institui potest usque ad triginta annos. — 39. Contra lædentem vero mala fide, potest institui Actio usque in perpetuum. — 40. Pactum legis Commissoriæ, seu Lex Commissoria quid sit, et ad quæ detur. — 41. Si emptor determinato per pactum tempore pretium non solvit, dicitur Lex commissa, et statim ipso jure res ad venditorem redit. — 42. Etiamsi emptor a venditore ad solvendum non moneatur, aut interpelletur.— 43. Immo non solum res ipsa iterum ad venditorem, sed etiam fructus interea ab emptore percepti, et reliqua commoda, vel accessiones rei eidem venditori restitui debent. — 44. Venditor tamen lege commissa, seu pretio per emptorem, statuto tempore non soluto, habet in sua libertate, vel pretium adhuc petere, vel rem venditam una cum fructibus repetere, dummodo statim se resolvat, et semel alterutro electo, non amplius variet. — 45. Emptor autem non habet hanc libertatem eligendi, sed debet præstare id quod venditor elegerit. — 46. Pactum addictionis in diem quid sit; et ad quæ detur. — 47. Quare dicatur *Addictio in diem*. — 48. Quis censeatur offerre meliorem conditionem. — 49. Si venditione cum pacto Addictionis in diem celebrata, intra tempus determinatum, alius emptor meliorem conditionem offerat, et eam venditor acceptet, statim ipso jure absque ulla alia Actione res vendita iterum redit ad venditorem. — 50. Et tunc debet emptor restituere venditori nedum ipsam rem, sed etiam omnes fructus interea ex illa perceptos, et accessiones, et commoda illius. — 51. Potest tamen emptor deducere expensas, quas interea in rem necessario fecit, et venditor tenetur eas ipsi compensare. — 52. Pactum Addictionis in diem ut suum sortiatur effectum, debet habere sequentes conditiones. Prima est, ut sincere absque dolo, et simulatione ab alio emptore melior conditio offeratur venditori. — 53. Secunda est, ut emptor primus nolit ipse oblatam meliorem conditionem præstare, vel adæquare. — 54. Tertia est, ut venditor oblatam a secundo emptore meliorem conditionem reipsa acceptet. — 55. Quarta est, ut intra diem, seu tempus Addictionis venditor non moriatur, vel si moriatur adsit intra illud tempus hæres idoneus, cui melior conditio possit offerri. — 56, 57. Actio empti competit emptori. — 58 ad 61. Actio venditi competit venditori. — 62. Uter prior Contractum implere debeat, emptor, an venditor.—63. Cui competat probare Contractus implementum. — 64 ad 73. Quando majoremni conceditur, vel non, Actio doli ob læsionem.

ARTICULUS I.

Emptio, et venditio quoad suum esse, et a quibus, ac de quibus fieri possit, et debeat, vel non?

(1. Emptio *est pactio pretii pro merce.* Venditio *est pactio mercis pro pretio*; l. 1. ff. de contrahenda emptione. Vel emptio *est contractio rei pro pretio :* Venditio vero *est distractio rei pro pretio :* l. 1. Cod. de rescindenda venditione. Sensus integer, et clarus definitionis est iste : « Emptio, et Venditio est contractus mutuo consensu initus, ultro citroque obligatorius de determinata merce pro determinato pretio, et e contra de determinato pretio pro determinata merce tradenda. Est in re communis; » Arg. cit. l. 1. ff. de contrahenda empt. et vendit. (2. Dicitur Primo contractus mutuo consensu initus, quia emptio, et venditio essentialiter perficitur mutuo consensu de tali pretio pro tali merce, dando, et accipiendo, non enim requiritur actualis traditio pretii pro merce, et e contra, sed solus sufficit mutuus contrahentium de hoc faciendo consensus, textu expresso Instit. de empt. et vendit. in princip. ibi : « Emptio, et venditio contrahitur simul atque de pretio convenerint, quamvis nondum pretium numeratum sit. » (3. Dicitur secundo ultro citroque obligatorius, quia uterque contrahentium ex tali contractu obligatur, emptor quidem ad tradendum pretium conventum, venditor autem ad tradendam mercem venditam; l. *Ex empto* 11. § 1. ff. de action. Empti ibi : « Cum nihil magis bonæ fidei congruat, quam id præstari, quod inter contrahentes actum est. » (4. Dicitur tertio de determinata merce pro determinato pretio, et e contra de determinato pretio, pro determinata merce tradenda, quia ad hoc ut valeat emptio et venditio, debet determinata merces pro determinato pretio vendi, et emi, aliter nullus erit contractus, l. *Quod sæpe* 35. § de contrahenda emptione. (5. Nomine autem mercis venit quælibet res pretio æstimabilis, sive sit mobilis, sive immobilis, sive sit actio, sive jus, sive officium, sive hujusmodi l. *Si in emptione* 24. § *Omnium* 1. ff. de contrahend. emption. (6. Nomine vero pretii venit solus nummus, seu numerata pecunia; § *Item* 2. Instituti de emption. et vendit. ibi: « Pretium innumerata pecunia consistere debet. » Pretium enim definitur, quod sit pecunia valori rei commensa.

(7. Nummum a Numa Rege, qui nummos primum apud Latinos imaginibus notavit, et titulo nominis sui præscripsit, vocatum tradit Isidor. lib. 16. Orig. cap. 17. ut refert Calvinus verb. *Nummus*, ubi infra subjungit: « Quid tamen si vocem latinam a verbo, et ipso latino derives, nempe a numero; nam nummi functio, non minus opinor, numero constat, quam pondere. » (8. Pecunia vero ex S. Augustino relato in Cap. *Tuam* 6. caus. 1. quæst. 3. dicta est a pecoribus, ibi : « Ideo autem pecunia vocata est, quia antiqui totum, quod habebant, in pecoribus habebant. »

(9. Unde nummi appellatio strictior est quam pecuniæ; leg. *Litigatores*, § *Quod ait Prætor*, de arbitris leg. 1. de contrahend. emption. Calvin. l. c. (10. Ubi nummus, seu pecunia non intervenit, sed res una pro altera; merx pro merce datur, permutatio, vel alius contractus, non autem emptio, et

Digitized by Google

venditio erit; arg. leg. *Origo* 1. ff. de contrahend. emption. ubi etiam emptionis et venditionis nummi, seu pecuniæ, et pretii origo narratur his verbis : « Origo emendi, vendendique a permutationibus cœpit. Olim enim non ita erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur; sed unusquisque secundum necessitatem temporum, ac rerum, utilibus inutilia permutabat, quando plerumque evenit; ut quod alteri superest, alteri desit, sed quia non semper, nec facile concurrebat, ut cum tu haberes, quod ego desiderarem, vicissim haberem, quod tu accipere velles : electa materia est (pecunia nempe, seu nummus) cujus publica, et perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret : Eaque materia, forma publica percusa usum, dominiumque non tam ex substantia præbet, quam ex quantitate; Nec ultra merx utrumque, sed alterum pretium vocatur. »

(11. Pretium id appellari Varro auctor est, quod æstimationis, emptionisque causa constituitur, dictum quasi *peritium*, quia statui debet ex opinione communi eorum, qui istarum rerum periti sunt, non prout cuique videtur. Gædd. ad Leg. *Hæc verb.* 192. num. 2. ff. de verb. signific. Revard. Leg. *Imaginar. venditio*, ff. de Regul. Juris. Calv. verb. *Pretium.* (12. Pretium generaliter loquendo est duplex, scilicet legitimum, seu legale, et naturale, seu vulgare; Legitimum, seu legale, sic dictum a lege, est illud, quod a lege publica, seu decreto Principis, vel Magistratus habentis ad id potestatem, omnibus prudenter, et attente consideratis, pro communi totius Reipublicæ bono taxatur. Pretium naturale, seu vulgare est, quod non a lege publica, seu decreto Principis, aut Magistratus, sed communi ac prudenti hominum æstimatione constituitur, considerata non solum ipsa rei natura, sed etiam ejusdem utilitate, vel necessitate, abundantia, vel penuria, ipsaque hominum affectione, arg. l. *Pretia rerum* 63 ff. ad l. *Falcid.* Quia tamen diversa est hominum opinio, et consequenter diversa rei æstimatio, hinc hoc pretium non consistit in indivisibili, seu in certa, ac determinata pecuniæ quantitate uti pretium legitimum, seu legale, sed patitur latitudinem pretii infimi, seu pii, pretii medii, seu moderati, et pretii summi, seu rigorosi; quod item est ac dicere quod pretium naturale, seu vulgare dividitur in infimum, seu pium, in medium seu moderatum, et in summum, seu rigorosum. Pretium infimum, seu pium est infra quod non potest juste res emi. (13. Pretium summum, seu rigorosum est supra quod non potest juste res vendi. Pretium medium est supra quod juste potest res vendi usque ad pretium summum, et infra quod potest res juste emi usque ad pretium infimum. Quantam autem latitudinem patiatur hoc pretium naturale, seu vulgare ob varia hominum judicia, nequit omnino certa et determinata mathematica regula statui. Hoc solum certum videtur, nempe res pretiosiores majorem pati latitudinem, et viliores minorem; Unde si pretium rei medium sit 10. summum erit 11. cum dimidio, et infimum 8. cum dimidio, et erit latitudo trium graduum; Si autem medium sit 100. summum erit 105. et infimum 95. et erit latitudo decem graduum; Et sic proportione servata regulanda sunt pretia; sed semper cum dependentia à Judicio prudentis, consideratis circumstantiis, seu prout in foro, et communibus negotiationibus sine fraude apparet.

(14. Quodvis trium horum pretiorum justum est ac licitum; Unde quandiu emptio, et venditio sit intra limites pretii summi, et infimi, est justa, et licita in utroque foro, quamvis eadem res specifica ab aliis infimo, ab aliis medio, et ab aliis summo pretio vendatur, et respective ematur. Scotus in 4, dist. 15, quæst. 2, art. 2, Navarr. in Manual. cap. 23, num. 7. Layman, lib. 3, trac 4, cap. 17, § 1, num. 4, et communis aliorum. (15. In foro conscientiæ omnis venditio notabiliter excedens pretium summum, seu rigorosum, et omnis emptio non attingens pretium infimum, seu pium, est injusta, et illicita; et per restitutionem ad æqualitatem reducenda. S. Augustinus lib. 3, de Trinitat. cap. 3. S. Thomas quæst. 77. art. 1; Scotus in 4, dist. 15, quæst. 1, S. Antonin. part. 2, tit. 1, c. 16, § 3, et communis aliorum, et colligitur ex Levit. cap. 25, num. 14. ibi « Quando vendes quippiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum; » et ex Apostolo 1. ad Thessalon. 4. ibi : « Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de iis omnibus. » Unde S. Augustinus loc. citat. ait, « Velle vili emere, et caro vendere, utrumque vitium est. » (16 Nec faciunt contra nostram conclusionem Legislatorum placita, quibus dicitur licitum esse contrahentibus in emptione et venditione se invicem circumvenire, seu decipere, et quod res tanti valet, quanti vendi potest, juxta vulgare Juristarum dictum; Quia statim respondetur hoc totum verum esse intra limites justi pretii, ita ut venditor rem summo pretio vendere, et emptor infimo pretio emere possit, ut recte respondent Lessius lib. 1, cap. 21, dub. 1, num 13, Reginald. lib. 23, num. 309. Covarruv. lib. 2, var. res. cap. 3, num. 2, Navarr. cap. *Qualitas* num. 45. de pœnit. Layman. loc. cit. num. 5. Reiffenstuel loc. cit. num. 122. et alii : Vel respondetur, quod hoc est permissum, seu toleratum solum in foro externo, in quo, ut mox dicetur, non puniuntur contrahentes se invicem circumvenientes, seu decipientes, nec datur actio contra illos, nisi sit læsio ultra dimidium; Non autem in foro conscientiæ, nam in conscientia nemini licet proximum suum ne in obulo quidem decipere. Sporer tom. 2. tract. 6., cap. 5, sect. 1, n. 27 : Molina tom. 2, disp. 349 : Castrop. de justit. commutat. disp. punct. 17. num. 4. Lugo. disp. 26. num. 82. Reiffenstuel loc. cit. num. 122. et alii.

(17. In foro externo utroque Jure, tam Civili, quam Canonico (ob vitandam litium multitudinem, cum quasi connaturale sit homini velle vili emere, et caro vendere)

Digitized by Google

permittitur, et toleratur rem quovis pretio emere, et vendere, dummodo ex parte alterius non fiat læsio, seu deceptio ultra dimidium; non enim conceditur actio contra deceptorem, nisi alter ultra dimidium justi pretii sit deceptus, taliter quod neque dimidiam justi pretii partem, receperit ut si merx, quæ justo suo pretio valebat 10 aureis, fuit empta minus quinque aureis, vendita plus quindecim aureis, tunc enim competet contrahenti decepto actio adversus deceptorem ut vel rescisso contractu mercem restituat, restituto ei pretio, vel stante contractu, justi pretii defectum suppleat; sic habetur leg. 2 : Cod. de rescindend. vendit., et cap. *Cum dilecti* 3. et cap. *Cum causa* 6., de emption. et vendit. (18. Quamvis autem per mox citata jura beneficium illud rescindendi contractum ob deceptionem ultra dimidium justi pretii, expresse soli venditori decepto reperiatur concessum; tamen per æquiparationem etiam emptori decepto concessum intelligendum est, si ultra dimidium justi pretii deceptus sit. Sic communis Doctorum; ut tenent, et testantur Sporer loc. cit. num. 28. et Layman loc. cit. n. 6. (19. Sic etiam quamvis non sit modica controversia quomodo dimidium justi pretii computandum sit in emptore decepto, ex quo Abbas in cit. cap. *Cum dilecti* 3. de empt. n. 2. Fachin. part. 1. lib. 2. contr. c. 16. Arius Pinellus part. 1. cit. l. 2. c. 3. et alii velint, quod emptor deceptus sit supra duplum, id est plus duplo solverit, quam solvere debuerat, v. g. supra aureos 20., si justum mercis pretium fuit 10. Tamen communis aliorum Doctorum sententia apud Molina tom. 2, disp. 349. Layman loc. cit. num. 7. Sporer loc. cit. n. 28, tenent eodem modo, sicut in decepto venditore, ita etiam in decepto emptore dimidium computandum esse cum ordine ad justitiam pretii, ut si merx pretio summo valebat 10, aureis, et emptor solvit supra quindecim, contractus rescindendus sit, vel excessus justi pretii sit restituendus emptori decepto.

(20. Pretium legitimum, seu Legale juste taxatum obligat omnes in utroque foro, et ipsum malitiose transgredientes, tam in emendo, quam vendendo peccant contra justitiam, et tenentur ad restitutionem. *Certa, et communis.* Et ratio est quia lex a Superiore legitimo juste lata obligat etiam in conscientia, juxta illud Apostoli ad Rom. cap. 13. num. 1., dicentis : « Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, » et mox infra n. 5. « Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, » ubi notanda est illa particula : Propter conscientiam, id est ut explicant Commentatores : « Subditi estote non solum metu pœnarum, non solum propter iram, sed etiam ne peccetis, sed etiam propter conscientiam. » Unde cap. *Quo jure* 1, dist. 8, dicitur : « Ipsa jura humana per Imperatores, et Reges sæculi Deus distribuit humano generi. » Atque ideo « Generale pactum est societatis humanæ obedire Regibus suis, » ut dicit S. Augustinus lib. 3. Confess. cap. 8, ac refertur in cap. *Quæ contra* 2., dist. 8. Et Lex juste lata in materia violatæ justitiæ per vulgaria Juris, et communem Doctorum exigit restitutionem. (21. Pretium juste taxatum observare tenentur etiam peregrini, nisi specialiter eximantur; *Communis, et certa.* Et ratio est, quia pretium mercibus statutum pertinet ad contractus *et ratione contractus forum regulariter quis sortitur*, c. *Licet* 20, de foro competenti.

(22. Si manifeste constet pretium indebite, irrationabiliter, ac injuste taxatum esse, nemo in foro conscientiæ illud observare tenetur. Layman loc. cit. num. 3. Molina loc. cit. disp. 364, num. 3. Lessius lib. 2, cap. 12, num 14, et alii communiter; et ratio est, quia talis lex injuste taxans pretium utpote injusta nullam in foro conscientiæ obligationem parit, cum ad hoc ut lex obliget in conscientia, debeat esse justa, honesta, et conveniens; textu expresso in cap. *Erit autem* Lex 2, dist. 4. (23. Hinc infertur, quod si Magistratus, vel ab eo deputati ex odio, vel passione aut muneribus corrupti, vel errore, seu ignorantia seducti, pretium rerum injuste determinent; ut si Pistoribus v. g. taxetur pondus panis non secundum proportionem valoris tritici; aut si lex jubeat, ut frumentum, superveniente sterilitate, eodem pretio vendatur, quo ante vendebatur, cum esset frumenti copia, et hujusmodi tunc potest taxa tuta conscientia transgredi, et reduci ad æqualitatem cum valore mercis. (24. Immo possunt in tali casu venditores, quando alio modo justum pretium obtinere nequeunt, mercibus aliam rem, vel eamdem specie, minus tamen bonam v. g. optimo tritico aliud mediocre, generoso vino aliud debile, vel etiam aquam, stanno plumbum immiscere, dummodo in modica solum quantitate sufficienti ad seipsos reddendos indemnes, et ita fiat, ut nullum exinde detrimentum emptoribus sequatur (1) et merx adhuc sit idonea ad usum, vel finem, pro quo emptori fit injuria, cum adhuc, uti supponitur, inter mercem, et pretium servetur justa æqualitas, ac justitia commutativa; Molina loc. cit. disp. 353, in fine, Layman loc. cit. § 2, num. 13, Lessius loc. cit. cap. 21, dub. 12. Lopez part. 2, instrict. cap. 42. Gabriel in 4, dist. 14, quæst. 10, art. 3, dub. 1. Silvest. verb. *Emp-*

(1) Advertat hic prudens Confessarius, ne huic adhærendo opinioni præbeatur venditoribus ansa vitiandi merces, eisque alias non bonas quandoque plus æquo immiscendi; nam præter fraudem, quæ in tali mixtione committitur in damnum emptoris, quæve nunquam est licita, opponitur etiam iis, quæ Deus præceperat Deut. 25, vid. P. Paul. Gabriel. ptAoine *Moral.* tom. 1, tract. de Contractibus, quæst. 14, cap. 5. Addo, ipsum quod Constantinus Roncaliam, qui dixit posse Confessarium permittere venditoribus, ut aliquid diminuant de quantitate, quando pretium taxatum est evidenter injustum; nihilominus in hoc valde cautos vult esse Confessarios ob rationes, quas affert in fine capitis 5, dict. 13, de contract. num. 2. (*Nota Rom. Theolog.*)

Digitized by Google

tio quæst. 19. Bonacina disp. 3, de restit. q. 2. punct. 4, num. 7, et punct. 6, num 17. Lugo Conrad. et alii passim. et c. num. 24. (25. Requiritur tamen semper, quod certo, et manifeste constet pretium esse injuste taxatum; quia si solum sit dubium, an taxatio pretii sit justa, nec ne; tunc non licet taxatum pretium transgredi, quia tunc præsumendum est legem taxativam esse justam, eique standum est etiam pro foro interno, eo quod universaliter in dubio præsumptio stet pro superiore; arg. cap. *Quid culpatur* 4, caus. 23, quæst. 1, et ibi Gloss. verb. *Sacrilego*, et sic tenet communis Doctorum teste Molina disp. 346, num. 5 (1).

(26. Emptio, et venditio potest fieri ab omnibus, qui jure non prohibentur. *Communis, ac certa* arg. Cap. *Jan. nunc.* 8, caus. 28, qu. 1, cap. 1 de Procuratoribus in 4, juxta illud vulgatum axioma Glossæ marginalis in cap. *Inter corporalia* 2, de translat. Episcop. verb. *Non invenitur*, ibi : « Concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur. » (27. Emere tamen, et vendere solius lucri, et negotiationis gratia nequeunt Clerici, quia omnis negotiatio solius lucri causa Clericis est prohibita ; cap. *Consequens.* 2, cap. *Episcopus* 3, cap. *Prælatum* 4, cap. *Canonum* 3, cap. *Si quis*, 4, et cap. *Quicumque* 9. caus. 14, quæst. 4, cap. *Clerici Officia* 15, de vit. et honest. Clericor. cap. *Cum multa negotia* 1. *Ne Clerici vel Monachi*, et cap. Secundum 6, eod. intul. et Concil. Trident. sess. 22, de reformat. cap. 1. Dicitur autem notanter *solius lucri, et negotiationis gratia*, quia ob suam, vel suorum necessitatem emere, et vendere valide, et licite possunt; sed de his vide verb. *Clericus* art. 3 per tot. (28. Item provinciarum, et locorum Gubernatores, Præsides, Rectores, Vicedomini, præfecti, Judices, et eorum officiales, ac ministri in ipsis locis, in quibus jurisdictionem exercent, emere non possunt nisi necessaria ad victum, et vestimentum, et usum quotidianum, ne videlicet horum potentia, et auctoritate plebei, et inferiores terrefacti, coacte potius, quam libere contractus ineant, non sine magno Reipublicæ detrimento l. Unic. Cod. de contract. Jud. juncta l. *Principalibus*, et l. *Præsidis*, ff. *Si certum petatur*; l. *Non licet*, l. *Qui in Officiis de contrahend. emption.* l. *Aufertur*, § *Quod a præside*, ff. de Jure Fisci. Hodie tamen tales leges videntur contraria consuetudine abrogatæ, cum fere ubique vigeat praxis, quod omnes supradicti non minus, ac alii libere emant, et vendant. (29. Item Administratores rerum alienarum de jure nec per se, nec per alium emere possunt res illas, quas administrant, nisi id eis specialiter concedatur ; l. *Non licet* 46. de contrah. empt. (30. Item Tutores, et Curatores prohibentur emere bona Pupillorum et Minorum, quæ administrant ; l. 34, § fin. ff. de contrah. emption. leg. *Pupillus* § fin. de auctor. Tutor. (31. Possunt tamen Tutores, et Curatores talia bona emere, et vendere cum auctoritate Judicis et interventu propinquorum eorum Pupillorum, et Minorum ; l. *Pupillus* 5, § 2 et sequent. ff. de auctorit. Tutor. (32. Sicuti etiam emere possunt a pupillis illi Tutores, qui non habent administrationem eorum bonorum, cum in ipsis non adsit occasio, et commoditas illos decipiendi, textu expresso in l. *Tutores* 6. ff. de auctorit. Tutor. ibi : « Tutores quibus administratio decreta non est, tam quam extraneos, recte a pupillo emere placet. » (33. Emere, et vendere non possunt Pupilli, et Minores, nisi accedat auctoritas Judicis, et consensus Tutorum, seu Curatorum ; leg. *Quamvis* 32, ff. de acquirend. et amittend. possession (2).

(34. Omnis res humano commercio subjecta emi, et vendi potest, nisi specialiter prohibeatur, textu expresso in. l. *Si emptione* 34, § 1 de contrah. emption. ibi : « Omnium rerum, quas quis habere, vel possidere ; vel prosequi potest, venditio recte fit. Quas vero naturæ vel gentium jus, vel mores Civitatis » (adde, vel jus Divinum, Civile, Canonicum, aut statutum locale, ut cum aliis recte Azorius lib. 7, cap. 5, num. 2), « commercio exuerunt, earum nulla venditio est. » (35. Hinc emi et vendi possunt omnes res sive mobiles, sive immobiles, cit. leg. *Si emptione*, et communis Doctorum. (36. Item emi, et vendi possunt Nomina, id est jura, seu actiones, credita, debita, Chyrographa, etiam ignorante, et invito, textu expresso in leg. *Nominis* 3, C. de hæreditate, vel actione vendita, ibi : « Nominis venditio etiam ignorante, et invito eo, adversus quem actiones mandantur, contrahi solet ; » et concordat lex *Nomina* 17, ff. de hæreditat. et action. vendit. ibi : « Ea enim res est, quæ emi, et vendi potest. » (37. Dummodo tamen talia Nomina, seu Jura, Credita et hujusmodi sint certa, ac liquida, et liti nondum subjecta, nam incerta, illiquida, aut litigiosa vendi et emi non possunt; l. *Lite pendente* 2, leg. *Quicumque* 3, leg. *Censemus* 4. Cod. de Litigiosis, et tot. tit. de rebus litigiosis.

(38. Officia publica temporalia, ut Præfecti, Cancellarii, Consiliarii, Judices, Scribæ,

(1) Ad validitatem vero hujus contractus requiritur, quod certum omnino sit pretium vel certum fieri possit licet ignoretur, l. 7, § 1, l. 37, ff. de contrahend. empt. Nihil enim refert pretium verbo designari dummodo sufficienter demonstretur, l. 6, ff. de reb. credit. cum in posteriore casu licet quantitas lateat, in veritate tamen certa est. Zoes in Pandect. lib. 18, tit. 1, num. 33. Ita et certum dicimus pretium in arbitrium tertii collatum, dummodo tertius certus sit, et nominatus. Si enim tertius incertus et innominatus esset, incertum pari ratione redderetur pretium, et nulla remaneret venditio eodem modo, quo irrita remanet si pretium collatum sit in arbitrium unius ex contrahentibus Zoes. ubi supra num. 34. Quod si tertius male arbitratus sit, tunc res arbitrio judicis relinquitur. l. 76, l. 77, l. 78, l. 79, ff. *pro socio*. Neque ex instrumento, quod nullum certum contineat pretium, recte ad illud consequendum agi potest. Zoes. loc. cit. num. 36. (*Edit. Barbiell.*)

(2) Insuper inter patrem et filium emptio contrahi non potest, quia nulla inter eos nisi naturalis contrahitur obligatio. Duaren. tom. 3. pag. 529. tit. de contrahend. empt. cap. 5. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

Tabelliones, et hujusmodi, spectando leges positivas humanas vendi, et emi non possunt; Ita clare patet ex Novella 8, cap. 7, leg. *Nemo*, Cod. *Quæ res vendi non possunt*, leg. 14. Cod. de re militari, et ratio est, quia hujusmodi venditio, et emptio solet esse Reipublicæ perniciosissima, cum sic ad officia applicentur non qui idonei, et digni, sed ditiores plus offerentes, quamvis aliunde inepti, et incapaces existant, quia una semel, quod officium per pecuniam sunt adepti, omnibus modis per fas, et nefas student pretium expensum recuperare, quotidie justitiam sui officii violantes: sic docent Joannes Medina, Adrianus, et alii apud Card. de Lugo, tom. 2, disput. 34, sect. 3, num. 24, verb. *Secunda sententia*. (39. Supradictis tamen legibus positivis non obstantibus, ubi legitima introducta est consuetudo, valide ac licite talia Officia publica temporalia vendi possunt, dummodo ut licite vendantur, serventur quædam conditiones mox assignandæ: Ita D. Thomas in Epistola ad Ducissam Brabantiæ opuscul. 21, a qua de hoc dubio interrogatus fuerat, Covar. in Manuali cap. 25, num. 7. La Croix lib. 3, par. 2, num. 991. Azorius par. 3, lib 8, cap. 7. Castropalao de justitia commut. disp. 5, punct. 18, num. 13. Thomas Sanchez l. 2, consil. cap. 1, dub. 37. Vasquez. opusc. de benefic. cap. 2, § 3, dubit. 14. Turrianus disput. 23, dub. 2. Diana tom. 2, tract. 5. Miscell. resolut. 108. Cajetanus, Silvester, Armilla, Rosella, Navarra, Paludan. Salonius, Aragonius, Sotus, Tanerus, Silvius, Rebellus, Filiuccius, et fere communis aliorum, et ratio est, quia contra leges positivas humanas valida, et licita est consuetudo legitime introducta: cap. *Cum tanto* 11, de consuetudine.

(40. Conditiones autem, quas, ut talis venditio licite fiat, assignant prædicti Doctores, sunt sequentes. Prima ut sit auctoritas in vendente. Secunda ut vendantur dignis. Tertia ut non vendantur pretio adeo excessivo, ut necesse sit emptorem officio abuti, ut pretium solutum sibi compenset. Quarta ut id fiat ob Reipublicæ necessitatem, cui aliter consuli bene non possit. Quintam addit Vasquez, ut hi Officiales suis temporibus examinentur, et visitentur, ut constet, an recte sua officia exerceant. Denique addunt aliqui, Officium Judicis nunquam posse licite vendi, ut cum Soto, et aliis fatetur idem Vasquez, et idem cum aliis, quos affert, sentire videtur Sanchez loc. cit. n. 6. (41. Non desunt tamen magni nominis Doctores, qui sustinent, non solum Principes supremos posse valide, et licite servatis supradictis conditionibus talia officia temporalia vendere, sed etiam valide et licite posse id facere alios inferiores de licentia Principis expressa, vel tacita, quæ tacita, facultas præsumitur in multis casibus, quos enumerat Sanchez dict. cap. 1, dub. 38, a n. 10. Unde circa hoc standum est legitimæ cujusque Regni, et Provinciæ introductæ consuetudini;

argum. cit. cap. *Cum tanto* XI. de consuetudine. Dummodo tamen per abusum vendendi talia officia personis minus idoneis, et pretio excessivo, non sit consuetudo inductiva culparum per quotidianas fraudes, et injustitias in nimium Reipublicæ detrimentum; talis enim consuetudo nullibi, et nemini, quantumvis Principi supremo liceret, cum verius dicenda esset corruptela; cit. cap. *Cum tanto*, ibi: « Quacumque consuetudine, quæ dicenda est verius in hac parte corruptela. »

(42. Emptio et venditio fieri nequit de rebus mere spiritualibus, aut spiritualibus annexis; quia talis venditio esset Simoniaca ex cap. *Altare* 14, et cap. *Si quis* 15, caus. 1, qu. 3. Item est de rebus sacris, seu Sacramentis qua talibus. Concordat Jus civile Leg. *Sed Celsus* 6, leg. *Hanc legem* 22, leg. *Litera* 51, de contrahen. empt. juncta l. *Sancimus*, C. de Sacrosanctis Ecclesiis, et clarius patet verb. *Simonia*. (43. Item emptio, et venditio fieri nequit de rebus litigiosis; clare patet ex toto titulo de rebus litigiosis, et l. *Pendente* 2, l. *Quicumque* 3, et l. *Censemus* 4. Cod. de litigiosis. (44. Homo liber vendi, et emi non potest; l. *Si emptione* § *Omnium rerum*. ff. de contrahend. emption. § Instit. de inutil. stipul. nisi tamen major 25, annis consentiat; § 4. Instit. de Jur. personar. (45. Vel nisi sit Filius, qui a Patre in summa paupertate victus causa vendatur; quia in tit. 2. Cod. de Patribus, *qui filios distraxerunt* conceditur Patri, « quod propter nimiam paupertatem, egestatemque victus causa filium, filiamque vendere possit. » Quod ipsum etiam de jure naturali licitum videtur, prout recte advertunt Covarr., lib. 3, variar. resolut. cap. 14, num. 4. Tiraquell., lib. 1, de Retract. § 26, num. 17, et alii passim. Et ratio est, quia proles post Deum maxime obligatæ existunt Patri, unde naturæ omnino conveniens reputatur, ut proles ad conservandam vitam Patris, libertate privari se sinat. (46. Item nequit a Domino vendi servus, ut cum bestiis pugnet; L. *Circumcidere*, ff. ad. l. Cornel. de Sicariis; l. *Domini* ff. de contrahend. emption. l. *Junia*, ff. de manumissionibus. (47. Arma, Equi, lignamina, funes, et alia hujusmodi nequeunt vendi, et deferri ad Saracenos, Turcas, et alios Christiani nominis hostes, et id facientes quicumque sint, incurrunt excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini, ut expresse habetur in ipsa § 7 (1).

(48. Ordinarie loquendo nemo invitus cogi potest ad vendendam rem propriam; vel emendam alienam; leg. *Invit.* 11. Cod. de contrahend. emption. leg. *Nec emere* 16. Cod. de jure deliberandi, et communis Doctorum. Excipiuntur tamen aliqui casus in quibus potest quis cogi a legitimo Superiore ad vendendam rem propriam justo pretio. (49. Primus casus est ob publicam necessitatem, vel inopiam v. g. frumenti, aliorumque victualium ad quotidianum usum, tunc

(1) Aliæ quæ ob publicum bonum nequeunt res vendi, licet in commercio sint, recensentur Zoes *in Pandect. lib. 18. tit. 1. num. 23.* (*Edit. Bar biell.*)

Digitized by Google

enim cogi possunt Cives a Magistratu ad vendendum justo pretio arg. l. 1, § *Cura carnis* ff. de Offic. Præf. Urbis l. *Civitatum*. 2. Cod. *Ut nemini liceat*, l. 14, et 18. Cod. de operibus publicis. (50. Et in tali casu publicæ necessitatis cogi possunt ad talem venditionem etiam Clerici, non quidem a Judice Laico, sed a proprio suo Ecclesiastico ; Sacr. Congreg. Immunitat. in Neapolitana 10. Novemb. 1694. In Casalensi 12. Feb. 1695. In Neocastren. 1. Decembr. 1696. (51. Secundus casus est ob bonum publicum, aut favorem Religionis, v. g. si fundus personæ privatæ necessarius sit pro constructione, vel ampliatione Civitatis, Arcis, Viæ publicæ, Principis, Palatii, Templi, Monasterii, Collegii, Hospitalis, et hujusmodi l. *Si locus* § *Cum via*. ff. quemadmodum servitus amittatur, l. *Si quis Sepulcrum* 12, de Religiosis, et sumptibus Funerum, et sic communis Doctorum. (52. Tertius casus est, si duo communem servum habeant, quorum alter velit eum manumittere, cogitur etiam alter partem suam vendere, libertatis favore si adsit, qui redimere velit; l. 2. Cod. de communi servo manumittendo. (53. Quartus casus est, quando Dominus nimis severe, ac inhumane tractat servum suum, tunc enim cogi potest eum vendere ; § 2. Instit. de his qui sunt sui, vel alieni Juris.

(54. Dantur etiam aliqui casus, in quibus potest quis cogi ad emendum, maxime quando id exigit bonum commune Reipublicæ : sic possunt cives cogi ad coemendum frumentum et alia vitæ necessaria ob evitandam communem inopiam. Item possunt sic cogi Cives, dum timetur obsidio Civitatis. Item possunt subditi cogi ad emenda instrumenta sicut et alias res, sine quibus nequeunt satisfacere Officio, Obedientiæ, vel obligationi sibi incumbenti. Ita Doctores communiter.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(55. Contractus emptionis perficitur ex mutuo consensu de tanto pretio pro tali merce, ut *ait Auctor n.* 2. Quid autem si Contrahentes dum hunc præstiterunt consensum reservaverint aliqua pacta postea concordanda ? Num perfectus nihilominus dici queat contractus. (56. Affirma, et quidem etiamsi ipsi Contrahentes discordaverint postea circa facta illa, quæ utpote respicientia accidentalia ipsius contractus, nequeunt obesse ipsius perfectioni resultanti ex præfato consensu. (57. Discordia vero illa Contrahentium arbitrio boni viri dirimenda est, ut respondit Rota in Colonien. venditionis 12 Junii 1750, § 7, cor. clar. mem. Caprar.

(58. In Foro, ut inquit, et Auctor num. 18, non succurritur venditori læso, nisi læsio sit ultra dimidium justi pretii, idque ex allegata ab ipso leg. 2, Cod. de Rescindend. vendit. Cæterum, si dicendum quod res est, nescitur quomodo ex hac leg. 2, Cod. de Rescindend. vendit. regula hæc excerpta sit et in Foro obtinuerit. Continetur enim in ea non Constitutio aliqua generalis, sed simplex Rescriptum Imperatorum Diocletiani, et Maximiani. (59. Hi sane conquerenti de venditione facta cum læsione ultra dimidium justi pretii, rescripserunt vel recipiendam ab ipso esse rem venditam, restituto pretio accepto, vel, justum pretium ei supplendum esse. (60. Sed ex Rescriptis efformari haud posse Regulam generalem vim habituram in aliis casibus tristissima res est, et post alios observavit Hilliger. in suo Donell. enucleat. lib. 1, cap. 5, in notat. lit. *D.*

(61. Idque eo vel maxime locum sibi vindicare debebat in specie de qua agitur, proterea quod Regula quæ ex dicta Leg. 2, Cod. de Rescindend. vendition. efformata est, adversatur juri naturæ, quod æqualitatem in contractibus onerosis demandat.

(62. Sed altas adeo radices in Foro præfato Regula egit, ut difficulter evelli possit. Optandum tamen esset, ut restringeretur intra terminos Emptionis, et Venditionis, de qua loquitur ipsa Lex 2, Cod. de Rescindend. vendition. ; nec protraheretur ad alios contractus onerosos, obstante jure naturæ, quod, ut modo dictum est, et hic est repetendum, æqualitatem demandat.

(63. Altera in Foro invaluit Regula, quod Emptio, et Venditio cum enormissima læsione facta sit nulla. (64. Sed si dolus dans causam contractui bonæ fidei, non item in illum incidens reddit contractum nullum leg. 7, ff. de dol. l. 16, § 1, juncto 1, ff. de minor. leg. 5, § 2, de Auctorit. Tutor. l. 3, § ultim. ff. *Pro socio* leg. 1, § 7, ff. *Quarum rerum actio non datur*. Voet. in Commentar. ad Pandect. lib. 4, titul. 3, num. 3, Bocer. ad leg. 23, ff. de Regul. Jur. cap. 2, n. 15, non est quod ex læsione enormissima contractus Emptionis, et Venditionis nullus esse possit, et quidem etiamsi læsio hæc enormissima dolum re ipsa contineat, (65. idque quia dolus hic non dat causam contractui, sed incidit in ipsum contractum. « Incidere vero (recte inquit Voet ubi supra) in contractum censetur, quum quis sponte quidem contrahit, sed in modo contrahendi, veluti in pretio, aut aliter decipitur. »

(66. Sed hoc parum est. Ex enormissima læsione in Foro nulli etiam declarantur Contractus stricti juris, ut transactio, (67. quando ad Legum præscriptum nec dolus dans causam contractui stricti juris, ipsum nullum reddit. leg. 36, ff. de verb. Obligation. l. penultim. Cod. de Inutil. stipulatione.

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ concernunt emptorem.

(1. Emens bona fide rem furtivam, seu alienam tenetur eam restituere Domino statim ac discit esse suam l. *Mater* 3, et l. *Adversus* 4, C. de rei vindicatione. Et ratio est, quia a fure, cujus non erat talis rei furtivæ dominium, non potuit transferri in emptorem ; juxta regulam 79, Juris in 6, ibi : « Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscitur. » Et sic communior Doctorum. (2. Nec talis emens bona fide rem furtivam restituendo eam Domino, potest ab ipso repetere expensum pro

Digitized by Google

es, Textu expresso in leg. *Mater* 3, Cod. de rei vindicatione ibi : « Rem tuam a possessore etiam non oblato pretio vindicare poteris » peccaret enim graviter, si nollet eam rem restituere nisi a Domino refunderetur pretium pro tali re bona fide solutum ; l. *Incivilem* 2, Cod. de furtis, ibi : « Incivilem rem (hoc est, ut explicat Glossa, juri, ac rationi contrariam) desideratis, ut agnitas res furtivas non prius reddatis quam pretium solutum fuerit a Domino. Curate igitur cautius negotiari, ne non tantum in damna hujusmodi, sed etiam in criminis suspicionem incidatis. » Et sic tenet communis Doctorum cum S. Raymundo, qui lib. 2, Summæ tit. 6, de furtis § 7, sic præcise habet : « Si quis emit rem furtivam ignoranter, et bona fide, et in foro publico, et publice, numquid potest saltem pretium, quod numeravit petere a Domino, cum deprehendit rem esse furtivam, vel numquid poterit retinere rem, donec pretium sic ei solutum : Respondeo, non. » (3. Immo non tantum rem ipsam furtivam, sed et omnes ejusdem rei fructus adhuc extantes, et quos collegit, et consumpsit a tempore cognitæ rei furtivæ, et eos ex quibus jam antea bona fide perceptis factus est ditior, tenetur emptor in utroque foro restituere Domino : Sic communiter Doctores, et habetur clare ex variis Legibus, et signanter ex l. *Certum est* 22, Cod. de rei vindicatione, ibi : « Certum est malæ fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re præstare, bonæ fidei vero extantes; » Leg. *Senatus consultum* 1, Cod. de petitione hæreditatis, ibi : « Fructus bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt nisi ex his locupletiores extiterint ; » et concordat l. *Si rem* 22, ff. de petition. hæredit. l. *Utrum* 23, ff. eod. tit.

(4. Emens bona fide rem furtivam, si durante bona fide eam consumpsit, vel vendidit, vel donavit, non tenetur ad restitutionem. *Communis* cum D. Thoma 2. 2, quæst. 100, art. 6, S. Raymundus in Summa lib 2, tit. 6, § 7, ibi sic habet : « Bonæ fidei emptor, si durante bona fide ipsius, periit, restituere non tenetur. Idem credo si alienavit durante similiter bona fide, » et habetur clare ex l. *Qui vas* 48, § final. ff. de furtis, ibi : « Quod enim ex re furtiva redigitur, furtivum non esse, nemini dubium est ; nummus ergo hic qui redactus est ex pretio rei furtivæ, non est furtivus. » Et Institut. lib. 4, tit. 17, de Officio Judicis, Sic expresse dicitur : « Si vero bonæ fidei possessor fuerit, non habetur ratio neque consumptorum, neque non perceptorum. » (5. Si vero emens plus pretii recepisset in venditione quam in emptione, rei furtivæ, teneretur id plus, in quo factus esset ditior, restituere Domino comparenti ; l. *Utrum* 23, ff. de petitione hæreditatis, et communis Doctorum. (6. Emens bona fide rem furtivam probabilius non potest eam reddere furi, si prævideat non esse reddendam Domino, etiamsi aliter pretium suum recuperare non possit, sed debet eam restituere Domino. Sic Molina disp. 722, Layman lib. 3, tract. 4, cap. 17, § 3, n. 24. Covarruv. in Regul. *Peccatum*, part. 3, num. 3. Castropalao de justitia commutat. disputat. 1, punct. 9, n. 7. La Croix lib. 3, part. 2, num. 100. Cajetan. Medina, Sotus, Armilla, Ledesma, Major cum communiori, et probabiliori aliorum, teste Reiffenstuel lib. 3, decretal. tit. 16, a num. 105, ubi solide defendit hanc opinionem, sicuti facit Molina loc. cit. Covarruv. loc. cit. La Croix loc. cit. solvendo rationes adversariorum, aliique apud ipsos videndi loc. cit. (7. Revera tamen est etiam probabile, quod talis emptor possit rem furtivam reddere furi ad pretium recuperandum, seque indemnem servandum ; Ita Navarr. in Manuali c. 17, n. 9. Silvester verb. *Restitutio* 3, quæst. 7. Sayrus, Angelus, Alensis, Beja, Petr. Navarr. Vasquez, Turrian, Dicastill. aliisque plurimis citatis Lessius lib. 2, c. 14, dub. 3. Lugo tom. 1, de justit. disp. 17, sect. 2. Diana part. 1, de contractibus resol. 69. Haunold. t. 3, num. 260. Illsung, tom. 4, dict. 3, num. 40. Sporer tom. 2, tract. 4 a n. 121, ubi solide defendit hanc opinionem solvendo rationes adversariorum ; Vide ibi (1).

(8. Emens rem pecunia furtiva, licet acquirat ejus rei dominium, per textum in leg. 1 et penult. Cod. *Si quis alteri*, et leg. *Si ex ea pecunia* 6, Cod. de rei vindicat. tamen non obstante rei emptæ Domino obligatur ad resarciendum omne damnum, ac lucrum cessans tum illi, a quo pecuniam abstulit, tum etiam Venditori, casu quo ab ipso pecunia evincatur ; D. Thomas 2. 2, quæst. 78, art. 3. Molina disp. 127, conclus. 2. Covarruv. variar. resolut. lib. 3, cap. 3, num. 6. Layman lib. 3, tract. 4, cap. 17, § 3, num. 22, et alii passim. (9. Venditor autem non acquirit dominium talis pecuniæ furtivæ, sed eam debet comparenti Domino restituere, si eam jam consumpsit, vel cum propriis nummis ita commiscuit, ut amplius discerni nequeat (2); textu expresso in leg. *Si alieni* 78, ff. de solutionibus, ibi : « Si alieni nummi

(1) Confer Cunillati de 7. Decalogi Præcepto Cap. 5. § 4. n. 5. ubi mediam quamdam viam a se excogitatam Sapientiorum judicio submittit. Fatetur tamen opinionis ab Auctore nostro Secundo Loco propositæ « majorem apparentiam præseferre : Cum semper verum sit, restituentem illam furi, non ponere eamdem in statu deteriori, quam prius habuerit, sed in eodem omnino, et sicuti nemo tenetur, rebus suis, præcipue in notabili summa, rem alterius in meliori statu ponere, aut conservare, ita neque cum notabili suo damno e manu furis eruere » *Num.* autem 1. agens de illo, qui rem furtivam bona fide dono accepit, ac alteri dono dedit, docet eum domino comparenti nil dare teneri, quippe qui in nullo factus sit ditior, teneri tamen indicare domino donatarium, ut ab eodem illam sibi vindicet. (Edit. *Barbiell.*)

(2) Sive pecunia illa consumpta fuerit, sive propriis nummis commixta, sive extet, sive non extet ad obligationem tenetur ; Dominus enim, a quo pecunia illa fuit ablata, dominium rei suæ nequaquam perdidit, eo quod ipsi ablata fuerit ; unde semper illi est restituenda, si extet, tametsi commixta, vel id in quo ex ea factus est ditior, si non extet apud se : Ratio enim exigit, ut si injuste alteri damnum intulit, æquale ipse subeat damnum,

Digitized by Google

inscio, vel invito Domino soluti fuerint, manent, ejus, cujus fuerint; Si mixti essent, ita ut discerni non possent, ejus fieri qui accepit. » Sic Glossa ibid. et cum multis Layman loc. cit. n. 23. (10. Emens rem alienam modico pretio ut eam restituat proprio Domino, qui eamdem rem non erat alias reacquisiturus non nisi majoribus expensis, potest ab ipso Domino repetere pretium solutum, et ipse Dominus tenetur in utroque foro ipsum refundere, quia talis emptor utiliter gessit negotium Domini, ob quod Dominus recompensare tenetur quidquid utiliter in rem ejus alter impenderit; lib. 2, ff. de negotiis gestis. *Et sic communis Doctorum ;* arg. cap. *Rapina* 5, caus. 13, quæst. 6, ibi : « Rapinam emere non licet, nisi ea intentione, ut cui ablata est reddatur. »

(11. Emens communi pretio agrum, in quo scit esse thesaurum, vel similia alia pretiosa, licite emit, et nihil tenetur restituere venditori ignoranti, quia thesaurus ille omnino ignotus, et soli emptori cognitus, revera in communi æstimatione non auget pretium agri, adeoque pretium commune, et vulgare est justum, et licitum ; et hoc ipsum innuit Christus recte factum esse Matthæi 13, ibi : « Simile est Regnum Cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa, quæ habet, et emit agrum illum » et colligitur ex l. *A Tutore*, ff. de rei vindic. sic tenet. D. Thomas 2, 2. quæst. 66, artic. 5. Sotus lib. 6, de justit. quæst. 3, art. 3. Navarr. in Manual. cap. 17, n. 175. Molina disp. 56. Lessius lib. 2, cap. 5, dub. 15, num. 62. Layman loc. cit. c. 5, num. 23. Lugo disp. 6, num. 128. Burgh. cent. 3, cas. 72. Sporer tom. 2, tract. 6, cap. 1, n. 175, et c. 5, num. 70. Bonacina de restitut. d. 1, quæst. 3, punct. 6, n. 7. La Croix lib. 3, part. 2, num. 942. Card. de Luca de emptione disc. 44, per totum, ubi affert decisionem Rotæ; Reiffenstuel loc. cit. num. 194 (12. et alii passim contra Vasquez, Turr. et alios paucos cum Diana part. 1, tract. 5. resolut. 17. Sic emens communi pretio rem mobilem v. gr. piscem in quo reperiatur gemma, vel capsam ferro, vel plumbo plenam, in qua reperiatur aurum, vel aliud quidpiam pretiosum penitus ignotum etiam venditori, non tenetur ad ullam restitutionem venditori, quia invenit in re sua; venditor enim non fuit Dominus illius auri, seu alterius rei pretiosæ, cum ignoravit omnino ibi talia esse, adeoque nullum habet jus ad aliquid repetendum ab emptore, qui tale aurum, seu gemmam, aliamque rem pretiosam acquirit sibi titulo inventionis in re sua, et non titulo puræ emptionis. Ita Sporer loc. cit. num. 179. aliique citati. (13. Emens rem sua et communi æstimatione vilem, si post emptionem cognoscat esse pretiosam, non tenetur aliquid restituere venditori; quia res tanti valet quanti æstimatur communiter, adeoque si rem emit pretio communiter justo æstimato, juste, et licite tali pretio emit. Hinc si quis emat aliquod vas, vel quid simile communiter putatum esse ex vili metallo, et postea reperiat esse ex auro, vel argento, nihil tenetur restituere venditori, quia revera tanti emit, quanti tunc valebat secundum communem æstimationem, a qua desumitur justum pretium naturale, et vulgare rerum. (14. *Communis.* (1) Secus autem esset, si emptor ante emptionem cognovisset pretiositatem rei penitus incognitam venditori simplici, et ignaro : tunc enim teneretur emptor manifestare ignaro venditori pretiositatem rei. Hinc si venditor ignarus vendat gemmam pretiosam putans esse falsam, vas argenteum putans esse stamneum, et hujusmodi, emptor conscius majoris perfectionis, et pretii rerum, peccat graviter, et tenetur ad restitutionem, si minoris emat. Venditor enim quamvis actu ignoret valorem rei, tamen nisi aliter exprimat, semper censetur intendere, et velle vendere rem secundum suam pretiositatem, vel valorem justum ei correspondentem. (15. Nec talis emptor conscius majoris valoris rei, qui a venditore ignoratur, manet tutus in conscientia per hoc, quod dicat venditori se velle rem illam sine scrupulo emere, et ideo videat, an velit eam pro tali pretio dare, condonando ei, si quid amplius valeat, et venditor consentiat. Et ratio est, quia venditor in eo casu non condonat libere, et spontanee, sed ex pacto, quia emptor alias non vult emere, unde non est condonatio gratuita, sed cessio onerosa, ut emptor rem emat; sicuti mutuatarius promittit usuras, ut obtineat mutuum aliter sibi non dandum. Tum quia hoc modo excusari posset omnis emptio infra justum pretium infimum, interrogando venditorem, an contentus esset tali pretio, condonando, si amplius res valeret. Immo eodem modo excusari posset usurarius interrogando mutuatarium, an vellet gratis promittere, vel condonare usuras, quæ ob mutuum non debentur, ut recte observat Lugo disp. 26, sect. 8, num. 137, et tenent Molina disp. 313, § *Cajetanus*, Palatius, Bannes, Salonius, Ledesma et alii, quos affert, et sequitur Salas dub. 36, n. 3. Sporer tom. 2, tract. 6, cap. 5, num. 69. contra Cajetanum verb. *Emptio* num. 2. Armillam, et alios apud Salas dict. dub. 36, n. 2.

(16. Qui scientia privata scit brevi pretium augendum, potest licite emere pretio currenti, D. Thomas 2. 2, qu. 77, artic. 8, ad 4. Convarruv. in Regul. *Peccatum* part.

etiamsi nullum, ex re aliena habuerit emolumentum; ut colligitur ex D. Thom. 2, 2, qu. 62, art. 6, et videatur etiam Antoine Tom. 1, de Just. et Jur. cap. 3, qu. 18, insuper videatur dict. Antoine cap. 5, qu. 7. (*Nota Rom. Theologi.*)

(1) Non bene juris principiis accomodata videtur auctoris hæc opinio. Qui emit piscem; ferrum, non habet animum emendi aurum, margaritas, sed piscem, nec venditor modico pretio ita aurum vendidisset. Cum igitur de re viliori evidenter actum sit, ad pretiosiorem non recte trahi potest. Cujac, ad tit. Cod. de sentent. quæ pro eo quod interest. profer. in fin. Zoes. in Pandect. lib. 28, tit. 1, n. 26. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

2, § 4, num. 6. Lessius lib. 2, cap. 25, dub. 5. Silvester verb. *Emptio* qu. 15, n. 16. Catropalao de Justitia commutativa disp. 5, punct 15, num. 3. Reiffenstuel loc. cit. num. 197. La Croix lib. 3, part. 2, num. 938. et alii passim ; et clare patet ex illo Genesis 41. ubi commendatur Joseph, qui pretio currenti emit copiosissimam quantitatem frumenti, ex quo sciverit certo futuram sterilitatem, et consequenter pretium multo augendum. (17. Item si quis scientia privata sciat pretium mercis, seu valorem monetæ esse brevi minuendum, vel mercem aliquam, seu monetam esse prohibendam, potest mercem licite vendere pretio currenti, et expendere monetam secundum valorem præsentem ; et ratio est, quia valor justus est valor publice currens secundum communem existimationem vel secundum taxationem legis, et non secundum privatam cognitionem, seu existimationem unius. Unde cum in tali casu adhuc duret valor communis antiquus, vel ex communi existimatione, vel ex taxatione legis, ex quo lex prior nondum sit revocata, licite sine ulla injustitia potest merces vendi, et moneta expendi suo pretio, et valore præsenti. (18. Dicitur tamen notanter *scientia privata*, quia communis Doctorum cum Cardinali de Lugo tom. 2, disp. 26, num. 140. tenet, non excusari Magistratus ipsos, qui ex industria, legis promulgationem differunt, ut interim suas merces, vel pecunias majori valore, seu pretio vendant, et respective expendant. Recte tamen addit Cardinalis de Lugo, posse illos de Magistratu non aliter, ac alios bona fide distrahere sua, non obstante tali notitia, quando in eadem quantitate, seclusa illa notitia, distracturi fuissent ; et sic tenent alii cum Illsung. tom 4, n. d. 2, n. 403.

(19. Chirographa, et aliena credita quantumvis certa, si sine molestia, difficultate, odiositate, damno emergente, vel lucro cessante exigi nequeunt, possunt valide, ac licite emi minori pretio juxta qualitatem difficultatis, periculi, damni, et hujusmodi. Sic communis Doctorum cum Molina disput. 361. Layman lib. 3, tract. 4, cap. 17. § 5, num. 32. Lessius lib. 2, cap. 21, dubit. 8, num. 65. Haunold. tract. 10, cap. 1, controv. 14, num. 100. Reiffenstuel loc. cit. num. 47. Card. de Lugo loc. cit. num. 93, arg. leg. *Minus* 204. ff. de Regul. Jur. Immo ut subjungit Sporer loc. cit. (20. Doctores merito addunt tantam posse esse difficultatem, vel incertitudinem solutionis, ut ejusmodi Chirographa et credita aliena possint interdum dimidio valore emi, et aliquoties etiam minoris, ut habet communis sententia, et praxis. Et ratio est clara, quia illud est justum pretium naturale rerum, quod communi æstimatione statuitur ; l. *Pretia rerum* 63, ff. ad leg. Falcid. communi autem æstimatione minoris ac in se sint, æstimantur illa aliena credita, et Chirographa, quæ sine difficultate, periculo, expensis, lucro cessante, et damno emergente exigi nequeunt. Et tanto minoris æstimantur, quanto majoribus subjacent periculis, difficultatibus, expensis, et hujusmodi, adeoque, etc. (21. Chirographa et aliena credita possunt etiam licite emi minori pretio ab aliquo particulari, qui ob suam industriam, vel favorem Principis, aut officialium, vel ipsiusmet debitoris, potest illa exigere sine difficultate, periculo, aut damno sine quibus non potest illa exigere creditor, aut alter, sic Molina cit. disp. 361. n. 10. Lessius loc. cit. dubit. 9, num. 75. Layman loc. cit. n. 35. Lugo loc. cit. n. 94. Bonacina disp. 3. de contractibus quæst. 3, punct. 10. Reiffenstuel loc. cit. n. 62. Sporer loc. cit. n. 48. et alii passim contra Malderum tract. 5, c. 7, dub. 4. Molfesium in summ. tom. 2, tract. 12, *c.* 5, *n.* 116. et nonnullos alios; Et ratio nostra est, quia valor rei non debet desumi ex privata industria, favore, aut utilitate alicujus particularis, sed ex communi æstimatione ; qua communiter æstimaretur, si proponeretur palam venalis ; cit. l. *Pretia rerum* 63, ff. ad leg. Falcid. cum ergo communi æstimatione chirographa, et credita illa minoris æstimentur ratione difficultatum, et incommodorum in illis exigendis, sic etiam minoris poterit illa emere talis particularis ; quamvis ob suam specialem industriam, vel favorem Principis, aut Officialium, seu etiam ipsiusmet debitoris possit ipse illa exigere sine difficultate, et incommodo ; hoc enim imputandum est suæ speciali fortunæ et industriæ.

(22. Imo etiam ipsimet Ministri, et Officiales, qui Principum, vel aliorum debitorum pecunias administrant, possunt licite chyrographa, et aliena credita erga suos Principales, minori pretio emere, sicut alii, dummodo ipsi non sint causa difficilis, aut periculosæ solutionis, et fecerint quantum in se erat, ut sine difficultate creditoribus satisfieret. Non enim in tali casu debent esse deterioris conditionis, ac sint alii, cum penes ipsos non stet ejusmodi difficultates tollere; Lessius cit. dubit. 9. Layman loc. cit. num. 39. Reiffenstuel l. cit. num. 64. Sporer l. cit. n. 48. et alii. (23. Si autem ipsi, ex dolo, vel ex negligentia, aut alia culpa sint causa, quod exactio creditorum evadat difficilis, periculosa, aut onerosa, nullimode possunt illa credita minoris emere, ne ex dolo, et malitia commodum reportent contra leg. *si Legatarius* Cod. de Legati, ibi: « Ut non accipiat fructus suæ calliditatis, » leg. *In fundo* ff. de rei vindicat. ibi : « Neque malitiis indulgendum est ; » leg. *Cum hi* ff. de transact. ibi : « Non debet via aperiri malitiis ; » cap. *Ex literis* 2, de dolo, et contumac. ibi : « Nos attendentes, malitiam, et dolum nulli patrocinari debere; » cap. *Sedes* 15, de rescriptis, ibi : « Quia fraus et dolus ei patrocinari non debent, » cap. *Tuæ* 12, de Clericis non residentibus, ibi: « Cum fraus et dolus nemini debeat patrocinium impartiri. » (24. Neque ex tali malitia possunt ipsi Ministri, et Officiales suggerere amico, ut emat minori pretio aliena credita erga Regem, vel Principem ;

Digitized by Google

et postea integra solvere emptori, diviso inter ipsos lucro illius emptionis; Molina disp. 313, § *Solent præterea*, et alii per mox citata jura. (25. Chyrographa, et aliena credita in casu quo possunt ab alio tertio minoris emi, similiter possunt minoris emi, seu redimi, vel extingui ab ipsomet debitore, dummodo ipse non sit causa minoris æstimationis : et quod solutio præfixo futuro tempore non evadat ex sua malitia, aut negligentia difficilis et periculosa, sed difficultas vel periculum aliunde originem trahat, v. g. quia ratione belli, aut corrosionis fluminum, aut hujusmodi alterius periculi timendum est, ne bona debitoris pereant, sicque ipse tempore solutionis præstandæ solvendo amplius non sit, Lugo l. cit. num. 101. Lessius lib. 2, cap. 21. n. 70. Burghes. cent. 1, cas. 10. Sporer l. cit. num. 50. Reiffenstuel l. cit. num. 66. La Croix l. cit. num. 988. Navarr., Facundez, Tamburin., aliique apud Sanchez lib. 1, cons. cap. 7, dub. 18. contra Molinam, et alios. (26. Secus tamen, si ipse debitor sit malitiosa, et culpabilis causa cur solutio evadat difficilis, et periculosa, vel onerosa. Communis Doctorum per jura citata sub num. 23. Unde cavendum est a similibus emptionibus, quæ pretio minori fiunt a debitoribus, vel a supradictis Ministris, et Officialibus, quia sunt valde periculosæ et suspectæ, ut recte advertunt Layman, Reiffenstuel, Sporer l. cit.

(27. Chyrographa, et aliena credita certa, et liquida, pro quibus suo tempore exigendis nulla penitus occurrit difficultas, molestia, vel periculum neque ullum lucrum cessans, aut damnum emergens, nequeunt licite emi minori pretio; Silvester verb. *Usura* 2. q. 14. Valentia tom. 3. disp. 5. q. 10. p. 2. Petrus Navarr. lib. 3 cap. 2. num. 162. Haunold. tract. 10. cap. 1. controv. 14. num. 104. Layman l. cit. num. 49. Sotus, Angelus Gabriel, Medina, Lopez, Reginald. Turrian. Rebell. aliique innumeri, quos citant, et sequuntur Lugo l. cit. num. 69. Molina loc. cit. disp. 361. Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 8. contra Abbat. Navarr. Cajetanum, Tolet. Bellarmin. Armillam, et alios, quos afferunt Lugo l. c. n. 95. Lessius loc. cit. dub. 8. et Layman l. c. n. 32. Et ratio nostra est, quia, ut fatentur etiam adversarii, ad hoc ut sit justa et licita emptio, et venditio, debet servari æqualitas inter pretium, et mercem, seu rem, quæ emitur, et venditur, arg. leg. *Si servum* 33. ff. Ad leg. Aquiliam, et leg. *Pretia rerum* 63. ff. ad leg. Falcid. atqui si creditum certum et liquidum, v. g. 100 aureorum, pro quo exigendo nulla penitus est difficultas, aut periculum, seu damnum, etc. emitur minori pretio v. g. 90 aureis non servatur æqualitas; ergo, etc. Major admittitur ab ipsismet adversariis, et minor clare ostenditur, quia creditum certum, et liquidum 100 aureorum pro quo exigendo nulla penitus est difficultas aut periculum seu damnum, etc., in se revera valet 100 aureis, unde ut servetur æqualitas inter pretium, et mercem non potest pro eo dari minus 100 aureorum, aliter minueretur ejus valor propter solam dilationem temporis, quod non est dicendum, ne videatur admitti pro licita usura ratione dilationis solvendi, seu numerandi pecuniam contra expresse damnatam ab Innocentio XI. propositionem in ordine 41. ibi : « Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et in eo titulo ab usura excusari. »

(28. Non licet sine justo titulo ob solam anticipatam solutionem infra pretium infirmum emere; arg. cap. *Consuluit* 10 de usuris. Non enim minus intervenit usura palliata in emendo viliori pretio ob anticipatam solutionem, quam in vendendo majori pretio ob dilatam solutionem; Sic Doctores communiter cum Divo Thoma 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 7. ubi sic expresse dicit : « Si quis emptor velit emere rem vilius, quam sit justum pretium eo quod pecuniam ante solvit, quam possit res tradi, est peccatum usuræ, quia etiam ista anticipatio solutionis pecuniæ habet mutui rationem, cujus quoddam pretium est quod diminuitur de justo pretio rei emptæ. Dicitur autem notanter sine justo titulo; » (29. quia potest emptor minoris emere mercem, si adsit justus titulus, utpote si adsit periculum nonnisi cum difficultate, et molestia, seu incommodo habendi mercem emptam statuto tempore, si emptori propter expectationem mercis emptæ lucrum cesset, aut damnum emergat, et hujusmodi.

(30. Minori pretio quam valeat potest res emi ob varias causas. Primo quando emptor emit in gratiam venditoris, et ratione ipsius cessat temptori lucrum, vel damnum emergit, arg. c. *Precariæ* 4. § 3. caus. 10. q. 2. leg. *Hoc jure* 19. § 1. ff. de donat. leg. 2. § fin. leg. 4. ff. Eo quod certo loco. (31. Secundo ratione multitudinis mercium; *Communis*. (32. Tertio ratione multitudinis mercium simul emptarum; *Communis*. (33. Quarto ratione paucitatis emptorum; *Communis*. (34. Quinto ratione inopiæ, vel paucitatis pecuniæ; *Communis*. (35. Sexto ratione modi vendendi, ut cum venditor rem sponte, et ultronee offert, et enixe rogat ad emendum; merces enim ultroneæ vilescunt pro tertia parte pretii, cum id arguat paucitatem emptorum, et modicam mercis necessitatem, vel utilitatem (1) Lugo disp. 26. sect. 4. num. 45. Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 4. num. 38. Cajetanus, et alii passim. Imo easdem ultroneas merces vilescere usque ad dimidium docent Rebell. Megala, Bartholomæus

(1) Caute procedat hic Confessarius, ne sententiæ Rebell. Megalæ, et Bartholomæi a S. Fausto plus æquo indulgeat; Advertat ulterius, quod etiamsi pateat effatum illud, quod nempe : *merces ultroneæ vilescunt*. Non licet tamen vilius emere res pauperum, quas ipsi necessitate compulsi venales proponunt, eo solum pretextu, quod offeruntur venales; imo ob necessitatem precise, qua proximus rem suam vendere cogitur, pretium imminuere injustum est, ut opportune docet Antoine Tractat. de Contr. cap. 5, quæst. 5, resp. 3, num. 1. (*Nota Romani Theolog.*)

Digitized by Google

a S. Fausto apud Dian. tract. 1. tract. 8. resolut. 53. et 78. (36. Septimo quando res venduntur sub hasta, seu foro scrutatorio sine ulla fraude; tunc enim possunt etiam emi infra dimidium ejus pretii quo emerentur in officina; Ita Molina, Bonacina, alii, quos citat Layman l. cit. n. 10. Diana part. 4. tract. 4, resolut. 12. La Croix lib. 3. par. 2. num. 935. Sporer l. cit. num. 23. Dicitur notanter *sine ulla fraude*, quia si interveniat dolus, vel fraus, ut si inter se conveniant emptores de certo pretio, ultra quod non ascendatur, justitia læditur, et defectus pretii restituendus est juxta fraudem, et damnum Domino causatum, quia ex dolo, et malitia nemo commodum reportare debet. Sic Doctores communiter per Jura allata sub. n. 23.

(37. Deputatus ad aliquam rem emendam certo et determinato pretio, si pretium solummodo determinatur, ne excedatur, non potest sibi retinere aliquid, si minoris emit; *Certa ac Communis*. (38. Potest tamen sibi retinere, si Dominus ita determinavit pretium, ut nihil aliud desideret, quam ipsam rem emendam pro tali pretio, relicto emptori, si quid minus expenderit in ipsa re emenda; *Iterum certa et communis*. (39. Regulariter vero loquendo quando aliter non constat de voluntate Domini, deputatus ad emendam rem determinato pretio v. g. pro decem, si ei contingat emere pro octo, non potest tuta conscientia sibi retinere illa duo, quia eo ipso quod annuit emere alteri, ejusque nomine, et commodo, tacite promisit per moralem diligentiam utiliter rem alterius gerere, et emere quanti minoris poterit, perinde ac si famulus ejus esset, vel mercede conductus, adeoque nihil sibi acquirere poterit; Castropalao de Justitia commutat. disp. 5. punct. 16. Navarr. in Manual. c. 23. n. 97. Molina disp. 363. Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 19. Silvester verb. *Emptio* q. 24. Reiffenstuel l. cit. num. 433. Sporer l. cit. n. 37. et alii passim. Unde de similibus deputatis, seu mandatariis ad emendum sit dicit Cicero in Oratione pro Sexto Roscio: « Ergo idcirco hæc culpa est, quod duas res sanctissimas violat; amicitiam, et fidem. Nam neque mandat quisquam, nisi amico; neque credit, nisi ei quem fidelem putat. Perditissimi est igitur hominis, simul amicitiam dissolvere, et fallere eum, qui læsus non esset, nisi credidisset. ».

(40. Deputatus autem ad emendam aliquam rem, si ultra intentum Domini specialem, et extraordinariam diligentiam, industriam, et laborem adhibuit pro emendo minori pretio, ut si rogatus emere in hoc locum citra suum speciale incommodum se transferat cum suo speciali incommodo, et dispendio ad alium loco distantem, et ibi rem commissam emat longe minori pretio, quam Dominus intenderat, vel sperabat, tunc poterit aliquam partem pretii incommodo, et industriæ suæ proportionatam sibi retinere; Sic communis Doctorum. Talis enim deputatus in emendo alteri tenetur solummodo ordinariam, et moralem diligentiam adhibere, dicta autem adhibita diligentia est extraordinaria, et qui utitur tali extraordinaria diligentia non intendit Domino, sed sibi negotiari. (41. Sic etiam potest deputatus ad emendam aliquam rem v. gr. Sartor deputatus ad emendum pannum serica, et hujusmodi pro vestimentis conficiendis, potest sibi retinere id quo minus emit, si Mercator, vel venditor in solam sui gratiam partem aliquam pretii justi remisit, quod evenit, quando Mercator dicit Sartori, quia tu frequentas continue meam officinam, emptores sæpe sæpius ad me adducis, et ad hoc ut majores deinceps adducas, de pretio justo a Domino solvendo v. gr. de decem argenteis remitto, et dono tibi unum pro singula ulna; tunc enim juste retinere potest, quia in tali casu Mercator vere de suo remittit, et donat. (42. Dummodo tamen, ut recte advertunt passim Doctores duo concurrant. Primo, ut Sartor prius adhibeat diligentiam moralem ad emendum pannum, serica, et hujusmodi ab hoc, vel alio Mercatore, quantum potest minori pretio, et vere instet, et urgeat sufficienter venditorem pro minuendo pretio et non dissimulet, et facile conveniat in pretio spe illius lucri, et præmii sibi a venditore tradendi; alioquin dolum contra dominum sine dubio committet, et restituere debebit. Secundo, ut mercator vere et sine fallacia pannum illum, serica, et hujusmodi, justo pretio, scilicet pro decem vendere consuescat et ita vendant et alii; adeoque argenteus ille unus Sartori remissus et donatus vere sit de justo pretio panni, et hujusmodi, nam alioquin mercator non de suo, sed de alieno dabit Sartori, cum damno Domini, et ambo simul furtum palliabunt cum onere restitutionis; Unde quia ista plena sunt scopulis, atque scrupulis, antequam fiant, sunt dissuadenda; postquam vero facta sunt, quomodo contingerint sunt diligenter, et serio examinanda.

(43. Emens frumenta tempore messis, quo minus valent, ut servet vendenda ad tempus, quo magis valere solent, si non faciat animo inducendi charitatem, et postea vendat intra limites justi pretii, nullimode est culpandus; sic communis cum S. Antonino 2. part. summæ Theologiæ tit. 2. cap. 23. § 16. ubi sic expressa habet: « De ementibus tempore messium blada, et tempore vindemiarum vinum, et alios fructus, ut postea carius vendant in futurum... Si... propter privatum commodum, tunc fit tripliciter... secundo fieri potest secundum justitiam commutativam, ut faciunt mercatores, et licite possunt pro opera sua recipere lucrum, ut sustententur, dummodo non intendant caristiam inducere. » Ipse enim utitur jure suo, nec alios impedit quo minus etiam emant, si velint, et differant venditionem ad tempus, quo magis blada, et hujusmodi valere solent; et ita fecit Joseph. Genes. 41. (44. Dicitur notanter, si non faciant animo inducendi charitatem, quia si unus, aut pauci coemunt omnia frumenta, et hujusmodi ut postea illa vendant ad suum libitum eo pretio, quo voluerint, injustissime agunt, et monopo-

Digitized by Google

lium committunt : leg. unic. C. de Monopoliis : Et tamquam perniciosi Reipublicæ legibus, et pœnis coerceri debent, cogendo ipsos in annonæ charitate frumenta, et hujusmodi minori, justo tamen pretio, divendere. leg. *Annonam*, ff. de extraordinariis Criminibus : Unde merito in cit. leg. unic. cod. Monopoliis inhibetur sub pœna proscriptionis omnium bonorum, et exilii perpetui ne mercatores inter se conveniant de non emendis, aut vendendis mercibus, nisi constituto ab ipsis pretio. (45. Tales enim monopolæ nedum peccant graviter contra charitatem, sed etiam contra justitiam cum onere restitutionis, quia quando sic conveniunt monopolæ, et coemunt omnia frumenta v. g. in Urbem invecta, sicque privant alios emendi facultate, ut ipsimet carius pro suo libito postea vendant, violentiam, adeoque injuriam faciunt Communitati, seu Reipublicæ : Sic Angelus, Silvester, Navarr. uterque, aliique cum Layman lib. 3. tract. 4. num. 17. n. 41. Sporer loc. cit. num. 103. La Croix loc. cit. num. 946. Henno tom. 2. tract. 2. disput. 7. quæst. 3. conclus. 4. et alii.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(46. De his, qui emere possunt vel non possunt neutiquam agit Auctor hoc in articulo, quamvis agere debuisset. (47. Regula tamen juris est quod emere possunt quilibet non prohibiti. Videndum igitur ecquinam emere prohibeantur.

(48. Tutor in auctione publica Pupilli rem emere potest leg. 5. Cod. de Contrahen. Emptio. (49. uti et a Contutore, si bona fide negotium geratur leg. 5. § 2. ff. de Auctoritat. (50. Tutor. non vero clam, nec per interpositam Personam, nec mala fide; (51. quibus tamen in casibus si Pupillus Major factus emptionem comprobaverit, ea valeret dict. leg. 5. § 2. 3. et 4. ff. de Auctoritat. Tutor.

(52. Quæ de Tutoribus cauta, ea quoque in Curatoribus, Procuratoribus, Exequutoribus Testamentariis, aliisque similibus, qui aliena gerunt negotia procedere debent leg. 34. § ultim. ff. de Contrahend. Emptione.

(53. OEconomis in universum vetita est Emptio rerum ad Ecclesiam pertinentium. Authen. quibuscumque Cod. de Sacrosant. Eccles. (54. At moribus idem in his, quod in Tutoribus servari monet Grœnewegen ad l. 5. in fine Cod. de Contrahend. Empt. De his vide post multos alligatos Bruneman. in Cod. lib. 4. tit. 38. leg. 5 ibique Barbos. Duaren. tom. 3. pag. 529. tit. de contrahen. empt. cap. 5.

(55. Milites emere prohibentur Prædia ea

in Provincia, in quam militant, exceptis Paternis a Fisco distractis. L. 9. ff. de Re militar.

(56. Magistratibus tum eorum Domesticis ac Ministris per se, vel interpositam Personam, sive palam sive clam in Provincia illa, cui præsint, interdictum est emere. (57. Idque quia emptio per ipsos facta non tam a libera Venditorum voluntate profecta, quam metu potentiæ et auctoritatis extorta crederetur, et magis ereptio, quam emptio esse; (58. in eos, qui contra fecerint constituta pœna quadrupli, tum amissionis rei emptæ, si emerint ex officio, (59. nimirum si emerint dum ipsi officio suo fungentes eam vendiderunt, aut vendi jusserunt, atque ita ipsi simul essent emptores, ac venditores leg. 46. ff. de Contrahend. Emption. (60. Excipe tamen et hic prædia Paterna, uti et res ad victum, et amictum pertinentes leg. 62. ff. de Contrahend. Emption. leg. Unic. Cod. de Contract. Judic.

(61. Nemo emere domum potest eum in finem, ut destruat, constituta dupli Fisco inferendi pœna, ita tamen, ut Venditor Emptori solventi Fisco duplum acceptum pretium reddere teneatur; Leg. 52. ff. de Contrahend. Emption. (62. Fit hinc ut inspecto effectu Emptor, et Venditor simplo singuli mulctentur.

(63. Hæc de his, qui emere possunt, vel non possunt. Nunc illud dispiciendum, an Emptor propria auctoritate possessionem rei emptæ apprehendere possit, si ei permissa ipsa sit in emptionis Instrumento?

(64. Negans opinio arridet et jure meritoque Doctissimo Leyser in Meditat. ad Pandect. spec. 207. § 3. et dub. sequent.

(65. Permissio enim apprehensionis possessionis in Instrumento facta, secundum leges, quibus contrahentes semper se conformasse censentur, de legitima apprehensionis possessione, quæ voluntate Venditoris, aut Judicis causa cognita consentientis, explicanda est. (66. Idque verum adeo est, ut si alia fuerit Contrahentium mens, atque sic privatam vim indulgere voluerint, irritum sit pactum, tamquam juri publico bonis moribus, et ordini contrarium. Confer Stryk de Cautel. Contract. sect. 2. c. 1. § 36. (1).

ARTICULUS III.

Quoad ea, quæ concernunt venditorem.

(1. Venditor ob solam dilatam solutionem, seu vendendo credito sine justo titulo, nequit rem vendere plus justo pretio, id est supra pretium summum : Sic communis

(1) Sed propter Clausulam *Constituti*, quæ hodie in omnibus instrumentis solet apponi inutilis prorsus est hujusmodi quæstio. Hæc enim clausula efficit, ut in Emptorem transeat utraque possessio, et dominium, omissa qualibet alia materiali traditione, ut pluribus allegatis tenet Rot. decis. 39, num. 3, decis. 40, num. 2, decis. 180, num. 14, cor. Crispo. decis. 98, num. 5, cor. Tanar. « Vigore clausulæ Constituti positæ in supra enunciata donatione, quæ dominium et possessionem transtulit in Constitutarium absque alia traditione. » cor. Herrera decis. 27, num. 1, et decis. 102, cor. eod. in Romana Redditionis rationis 1 Martii, 1709, § *Verum quia cor.* Priolo. in Forolivien Domus, super manutentione 24 Aprilis 1718, § *Ea quidem* cor. Althann. atque ideo eosdem parit effectus, quos vera, et realis traditio producit. Rot. decis. 74, n. 2, cor. Herrera, et in Romana Restitutionis Dotis. 20 Martii 1711, sub § *Profecto* in fin. cor. Scotto. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

Doctorum textu expresso in cap. *Consuluit* 10. de usuris, ubi ad interrogationem, « An negotiator pœna consimili (usuræ) debeat condemnari, qui merces suas longe majori pretio distrahit, si ad solutionem faciendam prolixioris dilatio prorogetur, quam si ei incontinenti pretium persolvatur ? » Respondet summus Pontifex Urbanus tertius : « Verum quia quid in his casibus tenendum sit, ex Evangelio manifeste cognoscitur, in quo dicitur : Date mutuum, nihil inde sperantes, hujusmodi homines pro intentione lucri quam habent, cum omnis usura, et superabundantia prohibeatur in lege, judicandi sunt male agere, et ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda in animarum judicio efficaciter inducendi. » Idem statuit Concilium Mediolanense primum 2. part. tit. 68. de usuris, ibi : « Ne quis rem aliquam ob dilatam solutionem carius vendat justo pretio; » et Concilium Burdigalense tit. de usuris, ibi : « Ne quis ob dilatam solutionis diem carius vendat, quam justi pretii ratio ferat. » (2. Dicitur autem notanter sine justo titulo, quia si in venditione crediti facta interveniat aliquis justus titulus, v. g. periculum, vel difficultas pretii postea recuperandi, lucrum cessans, aut damnum emergens, potest Venditor rem pluris vendere juxta proportionem incommodi, periculi, aut damni, vel hujusmodi : Sic Molina disput. 356. Castropalao de justitia commutativa disput. 5. punct. 12. n. 6. Less. loc. cit. num. 21. dub. 6. n. 54. Medina de restit. quæst. 38. cas. 3. et 4. Reiffenstuel loc. eod. num. 151. Sporer loc. cit. n. 31. Henno tom. 2. tract. 2. disp. 7. q. 4. concl. 1. Diana part. 1. tom. 8. resol. 57. La Croix l. 7. cit. a n. 943. Valentia, Sa, Moya cum communiori, et propabiliori eorum, quibus etiam favet S. Thomas 2. 2. q. cit. art. 4. ad 2. opusc. 73. cap. 10. arg. cap. In Civitate 6. 7. usuris.

(3. Ut autem liceat Venditori supra summum pretium vendere pluris ad creditum ratione lucri cessantis, notant passim Doctores requiri sequentes conditiones. 1. Ut Venditor, seu mercator fuisset revera venditurus mercem alteri numerata pecunia, nisi vendidisset huic credito; quia alias si non vendidisset numerata pecunia, non habuisset jam pecuniam, qua negotiando potuisset aliquid lucrari, et sic nullum ei lucrum cessasset ; Unde passim delinquunt mercatores, qui indifferenter, quibusvis vendunt carius credito; etiam cum pauci, vel nulli sunt, qui emissent numerata pecunia. 2. Ut propter hoc quod ad creditum vendat, non ideo habeat plures Emptores, alioquin, sic compensaretur damnum suum. 3. Ut revera illa pecunia statim soluta fuisset negotiaturus ante tempus, quo solvetur, aliter si mansura erat otiosa, jam non ideo cessat mercatori lucrum, quia ad creditum vendidit. 4. Ut de lucro exigendo minuatur, seu detrahatur, quod ratione expensarum, et periculorum arbitrio boni viri in ea negotiatione fuisset expensurus. 5. Ut Mercator de suo lucro cessante admoneat Emptorem, maxime cum credit, aut suspicatur quod nollet Emptor incommodum lucri cessantis subire; unde ipso non monito non potest ei res supra summum pretium vendi ratione solius lucri cessantis in venditore ex sola dilata solutione Emptoris : Quæ conditiones sunt attente considerandæ, et observandæ a Mercatoribus vendentibus res credito pluris ratione solius lucri cessantis.

(4. Ratione autem periculi perdendi pretium, vel ex toto, vel ex parte, posse Mercatores pluris vendere ad creditum, docent cum aliis Diana part. 1. t. 8. resol. 57. Less. lib. 2. cap. 25. n. 33, aliique viginti apud Moyam tom. 1. tom. 6. quæst. ultim. num. 6. (5. Item posse Mercatores pluris vendere ad creditum rationem difficultatum, molestiarum, et expensarum, quæ probabiliter timentur, seu solent accidere in exigendo postea pretio, docent cum communi S. Thomas opusc. 73. (1) num. 10. Sotus, Bannes, Prado, Moya l. cit. num. 7. aliique teste Claudio la Croix loc. cit. num. 945.

(6. Absque ullo titulo licitum est vendere pluris ad creditum solum intra fines justi pretii, id est usque ad summum pretium : et quamvis mercator easdem specifice merces soleat numerata pecunia vendere pretio medio, vel etiam infimo, potest ipsas ad creditum vendere pretio summo : Et ratio est, quia nunquam quis tenetur per se loquendo vendere infra summum pretium justum, cum venditio usque ad summum justum pretium etiam numerata pecunia sit justa in utroque foro ex dictis in articulo primo num. 14. ergo multo magis erit justa usque ad summum justum pretium venditio ad creditum, quæ solet habere multa pericula, et incommoda adjuncta; Sic communis Doctorum teste Azorio lib. 8. c. 8. § *In primis constat.*

(7. Supra summum autem justum pretium potest res plures vendi generaliter loquendo ob varias causas. Primo, ratione damni emergentis, si nempe Venditor ex eo quod rem suam Emptori vendat, damnum emergat, non secuturum, si eamdem servaret : *Communis*, arg. cap. *Precariæ* 4. § 3. caus. 10. quæst. 2. juncta leg. *Hoc jure* 19. § 1. ff. de donat. (8. Secundo ratione lucri cessantis ; *Communis* arg. cit. cap. *Precariæ*, et cap. *Naviganti* 19. de usuris, juncta leg. 21. § 3. ff. de action. empt. dummodo tamen concurrant conditiones assignatæ sub. num. 3. (9. Tertio ratione penuriæ, seu raritatis mercium : *Communis* arg. cap. *Legimus* 24. dist. 93. ibi : « Omne, quod rarum est, plus appetitur, ac pretiosius est. » (10. Quarto, ratione multitudinis Emptorum; existentibus enim, et concurrentibus multis Emptoribus, merces communiter pluris æstimatur, quæ communis æstimatio pretium justificat : *Communis* argum. leg. *Pretia rerum* 63. ff. ad leg. Falcidiam. (11. Quinto, ratione specialis ad rem affectus Venditoris,

(1) Hoc Opusculum S. Thomæ non est. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

causantis eidem honestam oblectationem (1) *Communis.* (12. Sexto, ratione periculi faciendi expensas in exigendo postea pretio; *Communis.* (13. Septimo, ratione periculi perdendi pretium sive ex toto, sive ex parte. *Communis.*

(14. Venditor interrogatus ab Emptore de certo vitio rei vendendæ, tenetur illud ei manifestare; aliter si fraudulenter negat, vel dolosa æquivocatione celat vitium, venditio est illicita, et iniqua, et tenetur de omni damno, argum. cap. *Sedes* 15. de rescriptis ibi: « Quia fraus, et dolus ei patrocinari non debent; » cap. *Ex tenore* 16. eodem tit. ibi: « Quia fraus et dolus alicui patrocinari non debent; » cap. *Tuæ* 12, de Clericis non resident. ibi: « Cum fraus, et dolus nemini debeat patrocinium impartiri: » cap. *Ex literis* 2. de dolo, et contum. ibi: « Nos attendentes, malitiam; et dolum nulli patrocinari debere; » leg. *Cum tit.* ff. de transact. ibi: « Non debet via aperiri malitiis, » leg. *Si Legatarius*, Cod de Legatis, ibi: « Ut non accipiat fructus suæ calliditatis, » leg. *Labeo* 13. ff. de actionibus empti, et venditi, ibi: « Si vero sciens reticuit, et emptorem decepit, omnia detrimenta, quæ ex ea emptione Emptor traxerit, præstaturum ei. » (15. Si autem Venditor non interrogetur de vitio rei, potest licite ipsam vendere cum vitio occulto, dummodo vendat minori pretio proportionato rei vitio, (2) et sit res adhuc utilis emptori juxta proportionem pretii: Sic D. Thomas *quod libet* 2. art. 10 in corpor. ibi: « Si ergo vitium rei venditæ non faciat rem minus valere, quam pretium impositum, quia forte Venditor minus pretium imponit propter vitium tunc non peccat tacens vitium, quia venditio non est injusta; et forte esset sibi damnosum, si vitium diceret, quia Emptor vellet habere rem etiam minori pretio, quam valeret, et sic Doctores passim. » (16. Nec tenetur Venditor indicare vitium rei manifeste patens, textu expresso in leg. *Ea*, q. 43. § 1. ff. de contrahend. emption. ibi: « Si quis hominem luminibus effossis emat, et de sanitate stipuletur... de cætera parte corporis potius stipulatus videtur, quam de eo, in quo seipse decipiebat, » et sic habet communis Doctorum cum S. Thoma 2. 2. quæst. 77, artic. 3. in corp. ubi sic expresse dicit: « Si vero vitium sit manifestum, puta si equus sit monoculus, vel cum usus rei, et si non competat Venditori, potest tamen conveniens esse aliis, et si ipse propter hujusmodi vitium subtrahat, quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei, quia forte propter hujusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio,

quam esset subtrahendum: unde potest licite Venditor indemnitati suæ consulere, vitium rei reticendo. » (17. Teneretur tamen Venditor tale vitium manifeste patens indicare, si adverteret Emptorem esse tam rudem, et imperitum, ut nequidem vitium manifeste patens agnosceret, quia respectu talis vitium censeretur occultum; Sic communis Doctorum cum Molina disput. 353. num. 17. Layman loc. cit. § 2. num 14. Petr. Navarr, de restit. c. 2. dub. 7 n. 54. Silvio in 2. 2. q. 77. art. 3. conclus. 4.

(18. Venditor tenetur manifestare vitium, seu defectum rei in substantia, v. g. indicare Emptori esse aurichalcum, quod credit esse verum aurum, esse vitrum, quod putat esse gemmam, et hujusmodi: aliter nedum venditio est illicita, sed etiam invalida: quia ubi est error, seu defectus in substantia, deest consensus, qui est de essentia venditionis, et emptionis, textu expresso in leg. *In venditionibus* ff. de contrahend. emptione, ibi: « In Venditionibus, et emptionibus consensum debere intercedere palam est; » et quod talis emptio, et venditio sit invalida, et nulla, habetur clare ex eadem cit. leg. *In venditionibus*, ibi: « Si igitur ego me fundum emere, ut putarem, Cornelianum, tu mihi te vendere Sempronianum putasti, quia in corpore dissensimus (seu erravimus) emptio nulla est. » Et sic Doctores omnes. (19. Venditor tenetur manifestare vitium etiam circa qualitatem rei, quando causat damnum, et reddit mercem inutilem ad finem mentis: Sic communis Doctorum: argum. leg. *Labeo* 1. § *Proinde* ff. de Ædilit. edicto, ibi: « Proinde si quid tale fuerit vitii; sive morbi, quod usum, ministeriumque impediat, id dabit redhibitioni locum. » (20. Non tenetur tamen Venditor manifestare vitium rei, si ita sit modicum, ut eo non obstante adhuc res sit æque, aut ferme æque utilis ad finem mentis; Sic Doctores communiter, argum. cit. leg. *Labeo* 1. § *Proinde* ff. de Ædilit. edicto, ibi: « Non utique quodlibet quam levissimun efficere, ut morbosus, vitiosusve habeatur; Proinde levis febricula, aut vetus quartana, quæ tamen jam sperni potest, vel vulnusculum modicum, nullum habet in se delictum, contemni enim hoc potuerunt. » (21. Venditor tenetur manifestare vitium occultum etiam in quantitate: id est si emptor putet mercem majorem in pondere, numero, et mensura, tenetur venditor ei manifestare, quod sit minor, aliter manifesta committeretur fraus, et injustitia cum onere restitutionis totius damni; *Est communissima.*

(22. Venditor, qui ad alliciendos frequen-

(1) Circumstantia illa de speciali venditoris affectu ad rem, assignatur etiam ut sufficiens ad carius vendendum a Reiffenstuel. Theol. Moral. pag. 201, num. 192, quia venditor in gratiam emptoris se spoliat re illa, quam valde diligit, ipsique est valde utilis, et pretiosa. Eamdem pariter approbat circumstantiam Antoine pag. 130, col. 1. (*Nota Rom. Theolog.*)

(2) Idipsum quoque docet Antoine Tract. de Contract. quæst. 15. Resp. 3. Cum ipso tamen est observandum, quod si venditor probabiliter judicat rem illam se esse venditurum tanto pretio, quanto si careret defectu, seu vitio tenetur ei aperire defectum, saltem post contractum, quia hoc ipso, quod rem suam venalem exponit cum occulto vitio, tenetur ex officii sui lege cavere ex parte sua, ne quis inde aliquod damnum patiatur, alias occasionem præberet inferendi proximo damnum. (*Nota Rom. Theologi.*)

Digitized by Google

tiores Emptores vendit merces pretio infimo, sed occulte non tradit integrum pondus, et mensuram, partem sibi reservando ad compensandum velut sibi debitum pretium, quo ab aliis Mercatoribus venduntur peccat graviter, et tenetur restituere tum Emptoribus, quia non stat contractui, et pacto inito cum illis tradendo integro pondere, et numero, et mensura : tum aliis Mercatoribus, qui jus habent, ut Emptores per talem fraudem a suis officinis non abstrahentur; Molina disput. 351. Sporer loc. cit. num. 75. Turrian. disput. 58, dub. 6. Lugo disput. 26, num. 135. La Croix lib. 5, part. 2. num. 954., et alii passim. (23. Possunt tamen Venditores occulte tantum diminuere de pondere, numero, et mensura mercium, quantum requiritur ad complendum justum pretium in casu, quo vel pretium a Magistratu, vel a Deputatis sit injuste taxatum, vel Emptores inique conveniant, quod nonnisi certo minus justo pretio vulgari merces emere velint : et ratio est, quia nulli fit injuria cum, uti supponitur, servetur æqualitas inter mercem, et pretium, et Mercatores possint justæ suæ consulere indemnitati sine damno alterius : Molina. disput. 2, 353. Layman tract. 4, cap. 17, num. 15. Lugo disput. 26., num. 125. Sporer loc. cit. num. 76. Reiffenstuel loc. citat. num. 182. lib. 8, cap. 7, § 11, num. 5. Sotus, Tolet. Valent. Rebell. apud Tamburin. lib. 8, cap. 7, § 11, n. 5, et alii passim. (24. Venditores habentes mercem v. g. triticum extraordinariæ bonitatis, et majoris, quam illud, quod communi, vel taxato pretio venditur, possunt licite admiscere aliquid inferioris materiæ quousque reddatur æquale tritico communi pretio ab aliis in Foro vendi solito. Res enim notabiliter, et manifeste melior alia, jure meretur majus pretium, quod cum venditores obtinere non possint, juste tali admixtione compensant; Salvo tamen semper quod exinde si apta ad usum, et finem, pro quo emitur; Molina disput. 353. Less. cap. 21, dub. 11. Diana part. 11, tract. 8, resol. 51. Layman lib. 3, cap. 17, num. 15. Lopez par. 2, instruct. cap. 42. Sporer loc. cit. num. 80., et alii passim.

(25. Venditor vini valde præstantis, seu generosi potest ipsi admiscere vinum vilius, ut ad commune Fori vinum accedat, et ipsum vendere pretio communi; *Omnes*. (26. Sic etiam si Venditor vini nequit consequi justum ejus pretium, vel ex quo sit injuste taxatum, vel ex quo emptores ob suam iniquitatem nolint justo pretio emere, potest ipsi infundere modicam aquam ad se reddendum indemnem, dummodo nullum damnum sequatur Emptoribus, uti sequeretur, si essent conservaturi illud vinum ad longum tempus, cum vinum aqua dilutum facilius acescat, et tamdiu non conservetur; Layman l. cit. n. 15. Sporer loc. cit. num. 81. et alii passim. (27. Item si emptores abhorreant a vino nimis meraco, vel rigido emendo, nisi ut aqua aliquantulum temperetur, non appareat Emptoribus ejus præstantia, et justus valor, et ideo venditor cogatur minoris justo pretio vendere, vel omnino repellatur; tunc potest Venditor aliquantulum aquæ ipsi infundere ad reddendum ipsum tenius, et suavius, et se reddendum indemnem, dummodo Emptoribus nullum omnino sequatur damnum, et dummodo Venditor tantum minuat de pretio vini, quantum auget de admixtione aquæ. Et ratio est, quia venditor non potest vendere majorem quantitatem vini, quam habeat, ut de se patet: majorem autem quantitatem, quam habeat, venderet, si quantum auget de aqua, non minuat de pretio vini, quia vendens decem v. g. urnas, quibus una urna aquæ admixta est, is nonnisi novem vini urnas vendit, unam vero aquæ: adeoque committit inæqualitatem inter datum, et acceptum. (28. Nec valet dicere, vinum valde meracum, et rigidum admixtione modicæ aquæ fieri suavius, et quandoque melius: Non valet, inquam, quia hæc ars reddendi suavius, seu melius vinum per admixtionem aquæ est notissima etiam Emptori, qui poterit ipse aquam vino admiscere, si temperari expediat: unde non est cogendus ad emendam aquam pro vino: Sic Rebellus de contractib. lib. 9. quæst. 19. Layman lib. 3. tract. 4, cap. 17. num. 15. Sporer loc. citat. n. 81. et alii passim cum S. Antonino 2. part. tit. 1. cap. 17. § 4. ubi sic concludit: « Debent tamen venditores in hujusmodi casibus minus vendere, quam si esset purum, alias venderent aquam pro vino. »

(29. Venditor sciens scientia privata pretium mercis brevi minuendum esse, potest licite vendere pretio currenti, nihil indicando Emptori, quia pretium currens adhuc est justum : *Communis*. Vid. articul. antecedent. a num. 16. ad 18. (30. Deputatus ad aliquam rem vendendam certo, et determinato pretio, si pretium solummodo determinatur, ne minoris vendatur, non potest sibi retinere aliquid, si majori pretio vendat : *Communis*. (31. Potest tamen sibi retinere, si Dominus rei ita determinavit pretium, ut nihil aliud desideret, quam tale pretium, relinquens deputato, si quid majoris obtinuerit ab emptore: *Communis*. (32. Non possunt autem sibi aliquid retinere famuli, et famulæ, quibus a Dominis indeterminato pretio traditur res vendenda meliori modo quo possunt in utilitatem ipsorum Dominorum : *Communis*. (33. Regulariter loquendo quando aliter non constat de voluntate Domini, quilibet deputatus ad vendendam rem determinato pretio v. gr. pro decem, si ei contingat vendere pro duodecim, non potest tuta conscientia retinere illa duo: Vid. artic. antecedent. a num. 39. ad 41. (34. Venditor non potest plus justo augere pretium mercis solum ex eo, quod videat emptorem valde indigere illa, aut valde affici erga illam, quia indigentia illa, vel affectus non est res vendentis, nec merci intrinseca, sed est res ementis, unde injustissimum est ob illam solam indigentiam, vel specialem ad talem rem affectum ementis, plus justo pretio exigere; Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 4. num. 31. Filiucc. tract. 35. n. 77. Sporer. loc. cit. n. 25. et alii passim.

Digitized by Google

(35. Venditor pro re valde rara, et peregrina, probabilius non potest rependere ab Emptore quodcumque sibi arbitrarium, et excessivum pretium, sed solum illud quod peritorum arbitrio, spectatis omnibus circumstantiis industriæ, raritatis, pretiositatis, pulchritudinis, periculi, laboris, etc., justum censetur, quia pretia debent commensurari valori rationabili rerum; leg. *Pretia rerum* 63, ff. ad Leg. Falcidiam; Sic Cajetan. Navarr. Molina. Rebell. Less. Salas, Castropal., distinct. 5, punct. 3. Henno, tom. 2, tract. 2, quæst. 6, Petes 7. Lugo, tom. 2, disputat. 26, numer. 47. Burghes, Cent. 2, cas. 58. La Croix, loc. citat., numer. 941 et alii. (36. Est tamen probabilis etiam contraria sententia, quod scilicet Venditor pro gemmis extraordinariis, picturis antiquis, avibus Indicis, aliisque animalibus, et rebus valde raris, et peregrinis valeat licite accipere quantum vult, et potest, quia talia valde rara, et peregrina, nec legitimum, nec vulgare pretium habent, quia cum non sint necessaria usibus humanis, non veniunt in commercium, aut texationem communem. Unde venditor potest pro ipsis repetere pretium sibi arbitrarium quantumvis excessivum; et de facto apud Japones, et alias incultas, et remotissimas nationes pro vilissima re peregrina sæpe accipitur maximum pretium; sicuti in dies videmus vendi maximo pretio res raras, et peregrinas etiam minoris momenti, quæ a remotissimis nationibus ad nos deferuntur; Sic Sotus, Medin. Ledesm. Solon. Valentia, Sa, Petr. Navar. Bauny, et alii cum Sporer, tom. 2, tract. 6, cap. 5, num 25. Cum enim in his nulla necessitas cogat emptorem, judicatur is donare excessum supra pretium vulgare.

(37. Vendens in fraudem creditorum, quibus re vendita fit incapax solvendi, quod debet, peccat graviter, et tenetur quantum potest ad restitutionem, quia fraus, et dolus nemini debent patrocinium impartiri per jura tum Civilia, tum Canonica adducta supra num. 14. (38. Et quamvis talis fraudulenta venditio, si sit facta ignoranti fraudem, remaneat valida; tamen si sit facta scienti fraudem, rescindi potest a creditoribus, etiam non restituto pretio ipsi emptori; leg. *Si debitor*, leg. *Si a debitore*, ff. quæ in fraudem creditorum facta sunt. (39. Si autem creditores intra annum, quo repetendi potestas est, non repetant rem in suum damnum a debitore fraudulenter venditam, tunc emptor remanet securus in foro externo, leg. 1 et 1. cit. *Prætor* 10, ff. eod. (40. In foro tamen interno, seu conscientiæ emptor sciens fraudem venditoris non remanet securus, quia cum sciat venditionem fieri fraudulenter cum injusto damno creditorum, videtur cooperari ad talem injustam venditionem consentiendo, et acceptando, unde ratione talis cooperationis ad fraudem non remanet tutus in conscientia, arg. cit. Jur. supra

num. 14. Ita S. Antonin., part. 2, tit. 1, cap. 12, § 18. Paludan. in 4, dist. 13, qu. 2, art. 5, ad finem, Cajetan., in opuscul. de usuris, qu. 4. Cordub., lib. 1, qq. q. 39, par. 3. Navarr., c. 17, num. 281. Laiman, loc. cit., num. 30. Sporer, loc. cit., num. 88 et alii. (41. Non desunt tamen magni nominis Doctores, qui dicunt talem emptorem remanere tutum etiam in conscientia; Sic Petrus Navarr., l. 3, cap. 4, n. 218. Molina, tom. 2, disp. 328. Lessius, lib. 2, cap. 20, dub. 10, num. 168. Quam sententiam probabilem affirmat Layman, et Sporer, locis citatis (1).

(42. Venditor fingens Literas de submersis navibus, quæ merces advehebant, vel spargens falsum rumorem de penuria, et caritate mercium in aliis proximus regionibus, vel de proxima obsidione Urbis, et de aliis similibus, quæ solent pretium mercium valde augere, si ob talem fraudem vendat carius, quam venderet suas merces, peccat graviter, et tenetur ad restitutionem; argum. cit. Jur. supra num. 14. Castropal., disp. 5, par. 35. La Croix, loc. cit., num. 995. Rebell. et alii passim. (43. Unde generaliter omnis venditor, qui fraude, aut mendacio inducit emptorem ad emendum majori pretio, quam empturus esset, quamvis pretium, quod tradit adhuc fuerit intra limites justi pretii ratione suæ fraudis, seu consimiliter malitiosi mendacii graviter peccat, et tenetur ad restitutionem; arg. toties cit. Jur. supra n. 14. Sic Castropalao, loc. cit. La Croix, loc. cit., et habetur expresse in l. *Julianus* 13, ff. de action. empti et venditi, ibi : « Si venditor dolo fuerit, ut rem pluris venderet, empti eum judicio teneri, ut præstet quanto pluris servum emisset. » Rebell. et alii. (44. Si tamen venditor, vel mercator solum dicat, aut etiam juret, mercem sibi pluris constare, se pluris vendidisse aliis, et hujusmodi, quamvis emptor sic inducatur ad dandum majus pretium, quam non obligatur ad restitutionem, si sistat intra limites justi pretii, quia licet peccet venditor, seu mercator sic mentiens, aut jurans, tamen quia omnibus notum est, talia solere communiter dici a venditoribus, et mercatoribus, quamvis vera non sint, debet sibi imputare emptor, qui ipsis credit; Sic Rebell., Castropalao, la Croix, loco cit., num. 956, et alii.

(45. Vendens quid pro quo malitiose, v. g. aurichalcum pro vero auro, et hujusmodi, peccat graviter, et tenetur ad restitutionem, *Communis*. (46. Vendens quid pro quo æque utile ad finem emptoris, ut sæpe solet accidere in Pharmacopola, qui ne cogatur fateri non habere certum petitum medicamentum, et sic minus frequentetur sua officina, dat unum medicamentum pro alio, tunc si tale aliud medicamentum sit æque utile infirmo, et ejusdem virtutis, ac pretii, et præscriptum a Medico, non peccat saltem graviter, nec tenetur ad illam restitutionem, si tale aliud datum medicamentum non sit

(1) Antequam sententiam, quam probabilem affirmant Layman, et Sporer, amplectatur Confessarius, conferat auctoritatem S. Antonini, et Cajetani cum auctoritate Molina, et Leaii, atque insuper illorum, ac istorum expendat rationes. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

inferioris pretii seu valoris, ac præscriptum : quia tunc emens probabiliter non est invitus, graviter cum damnum, et periculum, omne absit; sic Toletus, Valentia, Ledesma, Lopez, Henriquez, Sotus, Salonius, Bannes, Emmanuel, Vega, et alii, quos affert, et sequitur Salas, dub. 35. n. 1. Tamburr., lib. 8 decalog., c. 7, § 11, num. 8 et 9. (47. Si tamen Pharmacopola prævideat, vel metuat tale aliud medicamentum graviter periculosum, et damnosum fore, vel esse posse infirmo graviter peccabit dando unum pro alio, et tenebitur ad restitutionem omnium damnorum; sic communis Doctorum. Unde caveant Pharmacopolæ ab hujusmodi prava praxi dandi quid pro quo infirmis cum tot eorum gravissimis periculis, et damnis; serio reflectant, quod pro conscientia tenentur tradere infirmis medicamenta, ut sunt a Medicis præscripta, et aliter faciendo, non ut debent, infirmorum saluti consulunt, et utinam sæpissime non nocerent, cum tale aliud medicamentum sibi visum non absimile a præscripto sit sæpe sæpius, et possit esse reipsa, et virtute dissimile, cum nimio periculo, et damno infirmorum, qui, si id scirent, certe talia medicamenta non sumerent.

(48. Venditor habens frumentum venale (et sic dices de aliis mercibus) et sit illud revera servaturus usque ad tempus, quo solet plus valere, potest licite nunc vendere majori pretio, quam actu valeat; si ab Emptore rogetur, ut ipsi nunc vendat; desumitur ex cap. *in Civitate* 6, et cap. *Naviganti* 19, de usuris, et tenent communiter Doctores cum S. Antonino 2 p. Summ. Theolog., tit. 1, cap. 8, § 1, ubi sic expresse dicit, « Cum quis vendit merces quascumque, lanam, linum, pannos, victualia, et hujusmodi certo pretio majori, quam sit illud, quod tunc valent, cum vendentur, ex eo quod sit illud, quod non intendebat eas vendere, sed servare, usque ad tempus, quo probabiliter æstimabat tantum valituras, vel plus quantum nunc vendit, sed ad instantiam alterius vendit; istud est etiam pretium justificatum, et licitum, ut expresse dicitur in cap. *in Civitate*, de usuris. » (49. Sic etiam licite vendit pro pretio solvendo, quo valebit v. g. ultima hebdomada Maii, et prima Junii, quando solet plus valere, dummodo revera esset illud servaturus vendendum usque ad illud tempus, textu expresso in cap. *Naviganti* 19, de usuris, ibi : « Ratione hujus dubii etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem; si tamen eo tempore contractus non fuerat venditurus. » Et sic communis Doctorum. (50. Et dato quod pretium ultimæ hebdomadæ Maii contingat esse diversum a pretio primo hebdomadæ Junii, tunc debet sumi pretium medium, id est si pretium unius hebdomadæ erat 80, et alterius erat 70, pretium solvendum erit 75. (51. Debebit tamen ab hoc pretio deducere expensas, quas facturus erat venditor in servandum triticum, vel alias merces usque ad

tempus præfinitum venditionis; ut recte ex Angelo de Clavasio, Navarro, Petro Navarra, et Covarruvias notat Cabassutius juris Canon. theor. et praxi, lib. 6, cap. 9, num. 13, ibi : « Oportet, ut expensas deducat, quas facturus idem venditor fuerat ad servandum merces suas usque ad præfinitum diem; ut est pretium conductionis horreorum, apothecarum, cellariorum..... præterea æstimationem computet diminutionis, deteriorationis, et periculi harum mercium, in id tempus reservandarum; Cum enim venditor, aut creditor fiat ab his omnibus expensis, et damnis immunis, et quo res istas vendidit, aut mutuavit; si ista non computaret, plus exigeret, quam sibi ex justitia deberetur, et ultra suam indemnitatem in illa anticipata pretii, aut mutui taxatione. »

(52. Venditor non potest licite vendere triticum de mense Novembris summo pretio, quo veniet toto tempore intermedio usque ad Novembrem sequentis anni; Non enim servatur in hoc contractu æqualitas sortis, et periculi inter venditorem, et emptorem; et ideo merito fuit damnatus similis contractus ab Innocent. III, in cap. *In Civitate* 6, et ab Urbano III, in cap. *Consulit.* 10, de usuris, et in Concilio Parisiensi VI, c. 53, habito anno 829, in Mediolanensi I, habito anno 1565, et in Burdigalensi habito anno 1583. (53. Venditor graviter peccat, et tenetur ad restitutionem, si triticum aqua madefaciat, lanam, et hujusmodi in loco humido reponat, ut plus ponderet; pannos, et hujusmodi ad majorem mensuram, vel pondus, quam in se sint, dolosis artibus trahit; Sic communis Doctorum arg. c. Jur. sup. num. 14. Unde S. Antoninus 2 p. summ. Theolog., tit. 1, cap. 17, § 5. sic expresse habet : « Lanifices, qui faciunt pannos trahere ad tractariorum ultra debitum artis, unde postea madefactus, et tonsus ut moris est, retrahitur ad longe minorem mensuram, quam debet, fraudem faciunt, et S. Thomas 2, 2, quæst. 77, art. 2, in corp. sic ait : Si quis scienter utatur deficiendi mensura in vendendo, fraudem committit, et est illicita venditio; unde dicitur Deuteronomii 25. Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus, nec erit in domo tua modius major et minor.... Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, et aversatur omnem injustitiam. »

(54. Venditor potest licite vendere rem cum pacto retrovendendi, seu redimendi, in futurum, l. 2. Cod. de pact. inter Empt. et vendit., et communis Doctorum cum Molina, disp. 375. Less., lib. 2, cap. 21, dub. 14. Cardin. de Lugo, tom. 2, disp. 26, sect. 13, § 1, et patet ex Levitici 25, ubi præcepit Dominus, ut omnes Terræ Populi Israel sub conditione redemptionis venderentur, tum ex censibus, qui venduntur cum pacto implicito redemptionis; illo tamen casu res debet minoris vendi, eo quod imponatur onus emptori revendendi, quod est pretio æstimabile. (55. Quantum vero diminui debeat de pretio propter tale onus revenditionis impositum emptori, alicui dicunt esse

Digitized by Google

fere tertiam partem; alii aliter. At rectius docent alii cum Molina, disp. 375, n. 8, et Card. de Lugo, loc. cit., n. 189, non posse certam regulam generalem assignari; minus enim diminuendum erit, si facultas redimendi ad breve tempus; plus, si facultas sit ad longius tempus; et adhuc plus, si facultas redimendi sit perpetua; unde relinquendum est arbitrio prudentum, qui attentis rerum circumstantiis, et regionum consuetudinibus, quantum sit de pretio minuendum propter tale onus revenditionis pronuntiabunt. (56. Cavendum tamen, ne in similibus pactis revenditionis intercedat damnatus contractus dictus *Mohatra*, vel *Baratra*, Hispanice; Et *Stocco*, seu *Stoccola*, aut *Varocola* Italice. Contractus hic intercedit quando aliquis indigens pecunia præsenti, nec illam mutuo inveniens, emit credito a mercatore, seu venditore merces pretio summo, v. gr. 100 et 10, cum pacto revendendi ipsimet venditori pretio infimo, numerata pecunia, v. gr. 100, ut sic per talem numeratam pecuniam provideat suæ præsenti necessitati, cui non potest providere per tales merces, quibus non indiget ad suum usum. Hic Contractus, ut vides, est palliata usura, cum nihil aliud sit, quam mutare 100, cum obligatione restituendi postea 100 et 10, unde merito fuit damnata ab Innocentio XI, sequens propositio in ordine 40. « Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri » (1).

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(57. Notabilis est differentia quæ intercedit Socium inter et Fiscum circa venditionem rei communis. Socius tantum suam partem in re communi vendere valide potest. Quinimo si mala fide rem gesserit, et rem totam quasi in solidum Dominus vendiderit, eademque sibi cum alio communem esse reticuerit, quum species furti sit rem alienam absque Domini (58. consensu alienare, § 2, versicul., *unde in rebus mobilibus* Institut. de Usucap. aut actione furti conveniri potest L. 4, ff. de Reivindicat. L. 45, ff. *Pro Socio*, aut certe in stellionatus crimen incidit (59. L. 16, § 1, et L. 36, ff. de Pignorat. action. Confer., Reiters. de Alienat., part. 2, c. 2, section. 2, n. 3, et plur. seq.

(60. A tFisco ex privilegio rem sibi cum alio communem in solidum vendere permissum est; idque quia publice interest ut res fis-

(1) Sub pallio emptionis, venditionis alius non absimilis usuraria pravitate infectus in Romandiola præsertim introductus erat Contractus. Ubi quis aliqua pecuniæ quantitate indigebat, fictum inveniebat emptorem cujusdam prædii, illudque eidem simulate vendebat cum pacto redimendi coactivo, eodemque tempore fingebatur, novum emptorem idem prædium venditori locare pactis interim fructibus pro pecunia numerata sub prætextu emptionis et insimulatæ locationis; qui contractus ideo appellatur *Fitto franco*. Sed cum Venditor infra certum et determinatum tempus potuisset a ficto emptore adigi ad redimendum prædium, restituta pecunia accepta, quod maximam redolet iniquitatem, nec facile ab usuraria pravitate sejungi valet, hinc superioribus annis mature excussa fuit hæc controversia in S. Rotæ Tribunali, et definitum, quod, ubi occurrebat coactivum hujusmodi pactum, contractus sine ullo robore remaneat, ut in Forosempronien. seu Cæsenaten. Contractus 5. Junii 1780. cor. R. P. D. Origo. quæ multas præcedentes in eadem causa decisiones recenset.

Hæ tamen resolutiones cæteroquin sanctissimæ, et omnino in contractibus postea ineundis observandæ maximam producebant confusionem quoad contractus antea bona fide celebratos. Quapropter vigilantissimus Princeps Pius VI. P. M. subditorum felicitati et securitati quammaxime intentus specialem Congregationem Theologorum et Canonistarum deputavit, quibus propositam quæstionem examinandam proposuit. Isti, articulo diligenter expenso, sequentem denique emiserunt resolutionem, quæ licet ad Emiliæ Provincia sit directa, cum tamen particulares ejusdem mores non modo respiciat, sed intrinsecam contractus naturam efficiat, ideo opinor, in quacumque alia provincia eandem esse scrupulose attendendam.

« Provinciæ Emiliæ. Quum Sanctissimus D. N. PP. Pius VI. rescripto diei 31. Julii 1781. benigne deputaverit Congregationem Particularem compositam ex RR. PP. Carafa episcopo Mileti, et Sac. Congregationis Episcoporum Secretario; Campanelli tunc Fidei Promotore, nunc Auditore Sanctissimi, Josepho Benetti Aulæ Consistorialis, et Fisci Advocato, Bruno Thoma Magistri S. P. A. Socio, et Paulo Ant. Paoli Accademiæ Ecclesiasticæ Præside ad referendum eidem Sanctitati Suæ super dubio.

« An substineri debeant Contractus nuncupati: *Fitto franco*: celebrari soliti in Provincia Æmiliæ: in quibus vendit quis pro certo pretio sine æstimatione, et mensura Fundum suum cum facultate redimendi intra certum tempus, quo elapso cogi potest ab Emptore ad reluendum pro eodem pretio, et contextualiter idem Venditor conducit fundum venditum pro annua certa pensione — a flamma e fuoco — et cum obligatione solvendi onera quæcumque tam imposita, quam imponenda super Fundo.

« Eadem Congregatio habita die 12. Januarii 1783, in Ædibus præfati Episcopi Militensis censuit in casu, de quo agitur, et attentis circumstantiis consulendum esse Sanctissimo, ut quoad Contractus, quorum nullitas sive simulatio in Judicium deducta fuit, mandet Partes uti Jurè suo. Quo vero ad Contractus numquam in Judicium deductos, mandet, ut Lis amplius non agatur de illorum nullitate, seu simulatione, convertendos eosdem Contractus in tot Census impositos super eisdem Fundis, de quorum venditione et locatione actum fuit, redimibiles ex parte Debitorum, et irreptibiles ex parte Creditorum in omnibus, et per omnia ad formam Bullæ Pianæ, taxando generaliter annuos fructus dd. Censuum ad rationem scutor. quatuor pro quolibet Centenario, ita ut imputari debeat in sortem totum id, quod fuit exactum supra hanc Taxam a die 22. Maii 1771. quo fuit publicatum Edictum Eminentissimi Æmiliæ Legati, facta tamen declaratione, quod sub hac dispositione non censeantur comprehensi Contractus post Edictum celebrati, super quibus Partes uti poterunt Jure suo; idemque dispositum intelligatur quoad illos Contractus ante Edictum celebratos, quorum usuraria pravitas aliunde quam ab expositis circumstantiis, clarius constet.

« Facta per me relatione, Sanctitas sua Resolutionem in omnibus benigne approbavit, eamque in Acta Archivii referri, et per Eminentissimum Æmiliæ Legatum in tota Provincia publicari, et inviolabiliter observari mandavit. Hac die. 17. Januarii 1783. » (*Edit. Barbiell.*)

Joseph Episcopus Militensis.

Digitized by Google

cales facilius inveniant Emptorem. Debet tamen Fiscus pretium pro rata partis ad Socium pertinentis, ei refundere. (61. L. 2, de Commun. rer. alienat. Voet. in Commentar. ad Pandect. lib. 18, tit. 1, n. 14. Peregrin. de Jur. Fisc. lib. 6, titul. 4, n. 23.

Num Christiani Mercatores merces ad infideles licite transferre possint eas ipsis vendendi ergo? (62. Affirmant de tempore pacis, nequaquam vero tempore belli. Trentacinq. variar. resolut. Lib. 3, tit. de Verb. obligation. Resolut. 3, num. 1. Molin., de Justit. et Jur. tomo 2, tractat. 2, disputat. 343, num. 9.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

In foro frequens excitari potest quæstio circa (63. tempus ad quod rei acceptæ æstimatio referri debeat, in qua hæret unusquisque Judex vel Patronus vel Jurisconsultus, ubi id quæritur in condemnatione facienda super rei petitæ æstimatione. Cujac. tract. ad African. 8, in lib. 37, ff. mandati in fin. Puta; quis accepit frumentum mense Maii cum obligatione illud restituendi mense Novembris, vel præstandæ æstimationis. Advento tempore restitutionis, vel præstandæ æstimationis Debitor utrumque neglexit, quæritur utrum is optionem amiserit, et casu quo amissa sit, ad quod tempus rei acceptæ æstimatio referri debeat. Ad primum respondetur, amissam fuisse optionem per text. in l. 57, ff. de solutionibus ibique Bruneman. Quod ad secundum pertinet, inspicienda (64. primo sunt pacta contractui apposita, quæ omnino servanda sunt, quibus deficientibus inspiciendum erit tempus moræ, si qua litis contestationem præcesserit, et eo tempore res pluris fuerit, sive mora re ipsa contracta sit per lapsum diei in obligatione positi, sive per expressam interpellationem opportuno loco et tempore moræ res minoris fuerit, crescet in singula momenta æstimatio ab eo die, quo mora contracta est in diem usque condemnationis. Hanc mirifice quæstionem expendit Vin. select. jur. quæst. lib. 1, cap. 39, per tot. et Rot., in Allatrina Pecuniaria, 2 Junii 1760, cor. Herreros. (65. Statuit debitorem in majori pretio condemnandum esse, quamvis momento tempori tantum illud in commercio observatum fuerit ex eo, quod præsumatur creditor speciei ipso adamussim momento speciem creditam vendidisse, quo carius vendebatur.

ARTICULUS IV.

Quod ea quæ concernunt commodum, periculum, et retractum rei venditæ.

(1. Commodum, et fructus rei venditæ post traditionem pertinent ad Emptorem. Per traditionem enim emptor evadit Dominus rei emptæ; l. *Traditionibus* 20. C. de pactis, etiamsi pretium nondum sit solutum, modo cautio fidejussoria, aut pignoratitia ab Emptore præstita fuerit, aut Venditor fidem habeat emptori, rem eidem credito vendendo, § 41. *Institut. de rerum divis.* Res autem, Domino suo fructificat, sicuti ipsi cerit, l. *Lectos* 12, l. *Quod si neque* 14, ff. de periculo, et commodo rei venditæ. *Est communis, et certa.* (2. Fructus rei venditæ adhuc pendentes tempore contractus venditionis etiam ante traditionem pertinent ad Emptorem, sive sint maturi, sive immaturi; l. *Julianus* 13, § 10 et 18, de action. empt. l. *Fructus* 13, et lib. *Post perfectam* 16. Cod. de action. empti, l. fin. § *Fructus*, ff. *quæ in fraudem Creditoris*. Et ratio clara est, quia fructus pendentes censentur pars fundi, vel rei fructiferæ; l. *Fructus* 44, de rei vindicatione, adeoque uno indivisibili pretio simul cum fundo, seu re fructifera venduntur, nisi aliter sit in contractu conventum; quia in tali casu standum esset conventioni ex Regul. 85. Juris in 6, ibi: « Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur; » *Est communis, ac certa.*

(3. Immo nedum fructus pendentes, seu extantes tempore contractus Venditionis, sed etiam fructus nati, et producti post celebratum, et absolutum contractum, pertinent jure Emptionis ad Emptorem; etiamsi res nondum tradita sit; nec cautio fidejussoria, aut pignoratitia præstita, nisi aliter inter contrahentes conventum fuerit; sic Silvester, verb. *Usura* 2, q. 11. Petrus Navarr., lib. 4, cap. 2, num. 148. Palao, de justit. commut. disp. 5, punct. 26, num. 4. Lessius, lib. 2, cap. 21, dub. 13, num. 109. Rosella, verb. *Usura*, num. 47. Armilla, eodem verb. num. 15. Layman, lib. 3, tract. 4, cap. 17, n. 18. Lopez, de contractibus, c. 36, ad 1. Reiffenstuel, lib. 3. Decret. tit. 17, num. 232. Sporer, l. c. n. 94. S. Antoninus, Gabriel, et alii cum communiori Theologorum. Et ratio est, quia æquissimum est, ut ad eumdem spectet commodum fructus, et accessio rei, ad quem ejusdem rei damnum, et periculum spectat: textu expresso in § 3. Instit. de empt. et vendition. ibi: « Si post emptionem fundo aliquid per alluvionem accesserit, ad Emptoris commodum pertinet; nam et commodum ejus esse debet, cujus periculum est; et l. *Id quod* 7, ff. de pericul. et commod. rei venditæ ibi: « Si Totus ager post Emptionem flumine occupatus esset periculum esset Emptoris, sic igitur, et commodum ejus esse debet; et clarissime in l. *Secundum* 10, ff. de diversis regulis Juris antiqui, ibi: Secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda. » Atqui periculum totum, et damnum rei in specie venditæ, etiam ante traditionem, et pretium solutum ad Emptorem pertinet, adeo ut, si absque venditoris culpa pereat, vel deterior fiat, nihilominus integrum pretium Emptor solvere cogatur; textu expresso in § 3. Institut. de Empt. et Vendit., ibi: « Cum Emptio, Venditio contracta sit (quod effici diximus simul atque de pretio convenerit) periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet. Itaque si ædes totæ, vel aliqua ex parte incendio consumptæ fuerint.... Emptoris damnum est, cui necesse est, licet rem non fuerit nactus, pretium solvere: quidquid enim sine dolo et culpa venditoris accidit, in eo venditor

Digitized by Google

securus est. » Ergo commoda quoque et fructus rei venditæ etiam ante traditionem, et pretii solutionem ad eumdem emptorem pertinere debent.

(4. Contraria tamen sententia, quod scilicet ad venditorem, et non Emptorem pertineant fructus provenientes ex re vendita post celebratum, et absolutum contractum, casu, quo res nondum sit tradita, vel si tradita, pretium tamen nondum sit solutum, nec cautio præstita, nec fides de pretio habita, nec dilatio ad solvendum expresse concessa sit, defenditur communiter a Legistis, et etiam a variis Theologis, inter quos Navarr. Covarruv. Angelus, Binsfeldius, et alii cum Molina tomo 2, disp. 368. Et ratio non spernenda ipsorum est, quia inter contrahentes debet esse æqualitas, neque unus eorum tenetur implere contractum, nisi et alter vicissim impleat, juxta l. *Bona fides* 60, ff. de action. empt. atqui in nostro casu Emptor contractum nondum implevit solutione pretii, transferendo in venditorem Dominium usumfructum, et commodum pecunia, ergo neque venditor tenetur transferre in Emptorem Dominium, usumfructum, et commodum rei venditæ, sed eousque sibi retinere potest, donec Emptor sibi pretium solvat. Venditor enim manet Dominus rei venditæ, donec tradatur, et simul pretium solvatur, vel cautio prestetur : vel saltem fides ejusdem habeatur, § 41. Instit. de rer. divis. ibi: « Venditæ vero res, et traditæ, non aliter Emptori acquiruntur, quam si venditori pretium solverit, vel alio modo ei satisfecerit, vel ex promisso re, aut pignore dato... sed si is, qui vendidit, fidem Emptoris secutus fuerit, dicendum est statim rem Emptoris fieri. » Et pro hac sententia adducunt plures leges, *ut.* l. *Curabit* 5. Cod. de actionibus Empt. l. *Julianus* 13, § 8, ff. de actionib. Empt. l. *Qui pendentem* 25, ff. eod. quas omnes tamen clare solvit Reiffenstuel loc. cit. a. n. 236, aliis pluribus jam pro nostra sententia adductis, a n. 232 (1).

(5. Notanter autem in conclusione nostra posita sub num. 4, fuit dictum, *Nisi aliter inter contrahentes conventum fuerit*, quia si circa perceptione fructuum provenientium ex re vendita fuerit facta aliqua specialis conventio inter Emptorem et Venditorem, erit omnino observanda arg. leg. *Si in venditione* 10, ff. De pericul. et commod. rei Venditæ, leg. *Qui fundum* 40, § 18, ff. de contrah. Empt. L. *Julianus* 13, § 18, de actionibus Empt. et § *Cum autem*. Institut. de Emption. et Vendition. et ratio est clara, quia ex Reg. 85. Juris in 6. « Contractus ex conventione Legem accipere dignoscuntur.»

(6. Hinc licitus est contractus, cum fundus fructuosus, ut prædium, domus, hortus, aut aliud hujusmodi emitur eo pacto; ut post tot annos dumtaxat Emptor pretium, de quo conventum est, solvere teneatur venditori, et interim venditor usuras summæ capitalis percipiat, donec ipsa soluta sit; leg. *Julianus* 13, § *Ex venditio* ff. de action. Empti, et Venditi, ibi : « Ex vendito actio venditori competit ad ea consequenda, quæ ab Emptore præstari oportet : veniunt autem in hoc judicio infrascripta ; in primis pretium quanti res venit, item usuræ pretii post diem traditionis, nam cum re Emptor fruatur, æquissimum est eum usuras pretii pendere leg. 11. Cod. de usuris, ibi : Quod hujusmodi usuræ, et non quasi usuræ, sed quasi interesse putantur. Et sic communis Doctorum cum Glossa in cap. Conquestæ, Extravagant de usuris, ibi : Usuræ possunt etiam peti, secundum Canones, ut cum vendo tibi prædium, et

(1) A priore tamen sententia recedendum non est, si periculum rei venditæ spectat ad emptorem. Non video cur etiam ejusdem commodum ad ipsum transire non debeat. Venditio perficitur re certa, certo pretio, et mutuo consensu, quæ tria ubi concurrunt, illico perfecta remanet Venditio. Nec in jure cautum reperitur, venditionem suspensam remanere donec solvatur pretium, vel res tradatur. Pretii solutio, et rei traditio non perfectionem contractus, sed ejusdem tantum consummationem, et adimplotionem respicit. Heinec. exercit. 34, § 5, edit. Neapol. tom. 6, ideoque dum loquitur Jurisconsultus de perfecta venditione intelligendum est de interventu certæ rei, certi pretii, et mutui consensus. Porro si venditor non tradit rem, Emptori competit actio empti pro traditione consequenda, vel præstatione illius, quod interest, rem traditam non esse l. 11, ff. de action. empt. et vendit. Si vero Emptor conventum pretium non solvat, Venditori datur actio, ut pretium exsolvatur, et si intercesserit mora emptoris, usuræ quoque præstentur, l. 13, § 20, ff. de action. empt. et vendit, l. 5 et l. 13. Cod. eod. Sed traditione vel pretii solutione non secuta ob rationes supra adductas, nequeunt istæ actiones cum effectu intentari quia exceptione vel non soluti pretii, vel non traditæ rei rejici possunt: quo casu idem est actionem non habere, et actionem exceptione infirmare juxta responsum Pauli in l. 13, l. 112, l. 115, § 1, ff. de divers. reg. jur. Perfecta igitur remanet venditio etiam non secuta traditione, sed tantum pro eadem Emptori competit actio empti; et pro pretio Venditori datur actio venditi. Jam vero ubi venditio perfecta est, fructus acquiruntur emptori, ideo etiam non soluto pretio ad eumdem spectabunt, qui solum poterit pro fructibus compensativis conveniri : ita sentiunt Zoes. in Pandect. l. 19, t. 1, n. 16. Voet. ib. n. 9. Cujac. in leg. Jul. § *possessionem*. Edit. Neapoli. tom. 7, coll. 776, sub tit. E. Bruneman, in cand. leg. n. 50, et seq. et in leg. *Curabit*. Cod. de Act. Empt. et vend. Coruin. in Cod. lib. 4, tit. 54, p. 244, fin. Profecto in citata leg. 13. Cod. de action. empt. et vend. habetur « Fructus post perfectum jure contractum emptoris spectare personam convenit, ad quem et functionum gravamen pertinet. Venditor quoque pretium tantum ac si mora intercessisse probetur usuras officio judicis exigere potest. » In hac lege statuitur primo, ut fructus post rite perfectum contractum ad Emptorem pertinere; secundo jus conceditur venditori repetendi pretium, et si emptor post traditam rem differat illud solvere, idem ad usuras condemnatur. Sed si ob non solutum pretium, et non traditam rem fructus fuissent debiti Venditori, jam frustra eidem ab hac lege concessa fuisset facultas consequendi arbitrio judicis usuras. Sed super his consule præter allegatos supra, Covarruv. variar. resolut. lib. 1, cap. 15. Strav. ad Pandect. lib. 19, tit. 1, num. 100, et plur. seq. qui alias ad hujus opinionis confirmationem adducunt rationes. Vin. partit. jur. lib. 2, cap. 15. (*Edit. Barbieli.*)

Digitized by Google

trado, et percipis fructus, nec solvis mihi pretium ad terminum (1). »

(7. Sic etiam licitus est contractus, quando venditor per specialem conventionem tantum sibi reservat de fructibus rei venditæ, quantum ex dilatione solutionis prudenter sibi timet imminere damni emergentis, vel lucri cessantis ; utpote quia venditor pecunias illas negotiationi exposuisset, aut iis quomodo lucratus fuisset, si solutio statim facta fuisset ; *Communis, et certa :* teste Cardin. de Lugo tom. 2, disp. 25, n. 140. (8. Postquam autem venditor jam transtulit Dominium in Emptorem, nullumque apparet periculum lucri cessantis, vel damni emergentis, non potest ob solam dilatam solutionem pretii, sibi reservare fructus rei venditæ. Ob solam enim talem dilationem solutionis sibi fructus reservare vel aliquid recipere est usurarium, textu expresso in cap. *Consuluit.* 10, de usuris et Concil. Mediolanem. 1, part. 2, tit. 68, et Concil. Burdigalens. tit. de usuris (2). (9. Item licitus est contractus quando venditor ita convenit cum Emptore, ut Dominium et periculum rei venditæ ad ipsummet pertineat ante pretii solutionem, et perinde ad se pertineant fructus interim ex ipsa provenientes. Hoc enim casu venditio censetur celebrata non absolute, sed sub conditione, ut non antea rata sit, quam pretium constitutum solvatur ; nam tunc quia ad venditorem spectat periculum talis rei, ad ipsum quoque spectare debet commodum, et jus fructus ex ea provenientes recipiendi, donec pretium sit solutum, « nam et commodum ejus esse debet, cujus periculum est, » § 3. Institut. de Emption. et venditione.

(10. Periculum rei venditæ post traditionem pertinet statim ad Emptorem ; leg. *Lectos.* 12. leg. *Quod si neque* 14, ff, de periculo, et commod. rei venditæ. *Communis ac certa.* (11. Imo periculum rei venditæ pertinet ad Emptorem etiam ante traditionem, si vendatur res certa, et determinata in individuo, ut hæc Domus, hic ager, hic equus ; tunc enim non obstante interitu, vel deterioratione rei, debet Emptor solvere totum pretium, si nondum solvit ; et si jam solvit, nihil potest repetere ; § *Cum autem* 3. Institution. de Emption. et Vendition. ibi : « Cum Emptio, Venditio contracta sit (quod effici diximus simul atque de pretio convenerit) periculum rei venditæ statim ad Emptorem pertinet. Itaque si ædes totæ, vel aliqua ex parte incendio consumptæ fuerint..... Emptoris damnum, est, cui necesse est, licet rem non fuerit nactus, pretium solvere. Quidquid enim sine dolo et culpa venditoris accidit, in eo venditor securus est. Sic communis Doctorum. » (12. Limitatur tamen hæc conclusio in pluribus casibus. Primo quando Emptor, et Venditor specialiter inter se conveniunt, ut periculum remaneat penes Venditorem, donec res Empta tradita sit Emptori ; arg. leg. *Qui fundum* 40, § 18, ff. De contrah. Empt. l. *Julianus* 13, § 18, de action. Empt. leg. *Si in venditione* 10, ff. *De periculo et commodo rei venditæ*, et § *Cum autem* 3. Instit. de Emption. et vend. Et in hoc nullum est dubium, quia ut expresse habetur in Regula 85. Juris in 6. « Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. »

(13. Limitatur secundo, quando venditor est in mora tradendi ; et res interea casu fortuito perit, vel deterior fit, tunc enim periculum est solius venditoris. leg. *illud* 7. leg. *Quod si* 14, de peric. et commod. rei venditæ, ibi : « Si..... venditor moram adhibuerit, cum posset se exsolvere, æquum est..... moram venditori nocere ; » leg. *Quod te* 5, ff. De rebus creditis, ibi : « Quod te mihi dare oporteat, si id postea perierit, quam per te factum erit, quo minus hic mihi dares, eum fore id detrimentum constat » et concordat leg. *Si quis* 4, § final. leg. *illud* 17, ff. De peric. et commod. rei venditæ ; leg. *Si fundus* 33, ff. Locati conducti. Et ratio est quia, ex Regul. 25. Juris in 6. « Mora sua cuilibet est nociva. » (14. Si autem non solum venditor in tradendo, sed etiam emptor in rem sibi oblatam recipiendo, fuit in mora, tunc periculum spectat ad illum, qui est in posteriori mora, sive tradendi, sive recipiendi, textu expresso in leg. *illud* 17, ff. de pericul. et com. rei venditæ. ibi : « Si interpellavero venditorem, et non dederit id, quod emeram, deinde posteriore offerente illo, ego non acceperim ; sane hoc casu nocere mihi deberet : sed si per emptorem mora fuisset ; deinde cum omnia in integro essent, venditor moram adhibuerit, cum posset se exsolvere, æquum est posteriorem moram venditori nocere. » (15. Si vero res æque periisset, vel deterior facta fuisset apud emptorem, si ei tradita fuisset, ad nihil tenetur venditor ob talem moram ; arg. leg. *Si plures* 14, § *Si autem ff.* Depositi vel contra ; ubi statuitur, quod Depositarius ratione moræ ad nihil tenetur, si res deposita

(1) Vide Castrens. in leg. *usuras* 1. C. de usuris Roderic. de annuo reddit. lib. 3, quæst. 7, num. 93. Cagnol. in l. *Curabit.* num. 2, pag. 247 et 248, num. 36. Lupus de usur. in eand. leg. comment. 1, § 7, n. 160. Barbos. in eand. leg. num. 3, 4 et 7. Donell. comment. ad tit. ff. de usur. edit. Lucen. tom. 10, coll. 1383, num. 11. Quæ opinio non modo locum habet in contractu emptionis venditionis, sed in quolibet alio, in quo res fructifera tradatur ut in cessione, legitima, Dote, Societate et aliis, in quibus pecunia loco frugiferarum rerum succedit. Cardinal. de Luc. de Usur. discur. 28, num. 1. Bossius de Dote cap. 6, § 2, num. 36, Constant. vot. 31, num. 8. Rot. cor. Kaunitz. decis. 130, num 4 et 5, cor. Crisp. decis. 420, num. 2, cor. Ansald. decis. 545, num. 5, cor. Herrera decis. 210, num. 4, cor. Ratta decis. 299, num. 7, in Forolivien. *Fideicommissi super executione rei judicat quoad dation.* in solut. 30 Januarii 1736, § 9, cor. Paraciano in Romana Pecuniaria super Læsione et fructuum imputatione 12 Junii 1772, § 10, cor. Ratta et in Eugubina Bonorum super Assignamentis, et Fructibus 4 Mail 1781, cor. Soderino per tot. (*Edit. Barbiell.*)

(2) Id enim usurariam redoleret pravitatem, et multis allegatis docet Rot. in Engubina Cubiorum 21 Aprilis 1755, § 2, cor. Elephantutio. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

etiam periisset apud Dominum, casu, qua eidem restituta fuisset, et concordat leg. *Item* 15, § final. ff. De rei vendicat. ibi : « Si servus petitus, vel aliud animal demortuum sit sine dolo malo, et culpa possessoris, pretium, non esse præstandum, plerique aiunt, sed est verius, si forte distracturus erat petitor, si accepisset, moram passo debere præstari; nam si ei restituisset ; distraxisset, et pretium esset lucratus ; » ubi vides, quod ratio propter quam periculum est imputandum venditori, est quia si rem restituisset, seu tradidisset emptori, ipse emptor eam forsan distraxisset, et sic omne damnum evasisset, unde, a sensu contrario si rem non distraxisset, sed æque apud ipsum, ac apud venditorem periisset, ad nihil tenetur venditor ratione moræ, quia per ipsam in tali casu nullum damnum causavit emptori, Sic Glossa in § *Cum autem* 3. Instit. de emption. et vendit. Lugo tom. 2, disp. 26, n. 217. Molina disp. 366, n. 13, et alii communiter.

(16. Limitatur tertio, quando res vendita ante traditionem perit ex dolo, aut culpa lata, vel levi venditoris, leg. *Custodiam* 3. fl. De periculo, et commodo rei venditæ, ibi : « Custodiam autem venditor præstare debet, quam præstant hi, quibus res commodata est, ut diligentiam præstet exactiorem, quam in suis rebus adhiberet; » et concordat Leg. *Si vendita* 11. ff. de pericul. et commod. rei venditæ, ibi : « Si venditor eam diligentiam adhibuisset in insula custodienda, quam debent homines frugi, et diligentes præstare, si quid accidisset, nihil ad eum pertinebit. » Unde si eam diligentiam in custodienda re vendita, donec tradatur, non adhibuit, ut debuit, ipsi venditori periculum est imputandum ; *Communis*. (17. Limitatur quarto, quando res vendita ante traditionem ex delicto venditoris addicitur Fisco. Tunc enim periculum est imputandum venditori, et si jam receperit pretium, tenetur iterum restituere emptori ; textu expresso in leg. *si fundus* 33. ff. Locati, ibi : « Si vendideris mihi fundum, isque prius quam vacuus traderetur, publicatus fuerit, tenearis ex empto, ut pretium restituas. » *Communis* (1).

(18. Limitatur quinto quando venditio est facta conditionate; et ante impletam conditionem res totaliter perit; v. g. cum emitur equus sub conditione faciendi experimentum de ejus qualitatibus per decem dies, post quos solum, si placuerit emptori, censeatur emptus, tunc si antequam elabantur dicti decem dies experimenti, equus sine culpa emptoris, vel pereat, vel a grassatoribus auferatur, periculum imputatur venditori. l. *Necessario* 8. ff. De pericul. et commod. rei venditæ, ibi : « Si sub conditione res venierit, si quidem defecerit conditio, nulla est emptio. » l. *Apud* 20. § 1. ff. De præscriptis verbis, ibi : « Si mulas tibi dedero, ut experiaris, et si placuissent, emeres, si displicuissent,

ut in dies singulos aliquid præstares; deinde mulæ a grassatoribus fuerint ablatæ intra dies experimenti, quid esset præstandum? Utrum pretium, an merces tantum? Et ait Mela, interesse utrum emptio jam erat contracta, an futura? ut si facta, pretium petatur; si futura, merces petatur. » leg. *Is qui* 13, § 1. ff. Commodati. vel contra, ibi : « Si quem quæstum fecit is, qui experiendum quid acceperit ; veluti si jumenta fuerint, eaque locata sint, idipsum præstabit ei, qui experiendum dedit, neque enim ante eam rem quæstui cuiquam esse oportet, priusquam periculo ejus fit. » (19. Si vero res sub conditione vendita totaliter non pereat, sed tantum deterior evadat, totum periculum, conditione impleta, ad emptorem spectabit, ita ut propter deteriorationem neque pretium minuere possit, textu expresso in leg. *Necessario* 8. ff. de periculo, et commodo rei venditæ, ibi. « Si extet res (vendita sub conditione) licet deterior effecta, potest dici esse damnum emptoris. » Et ratio est, quia adimpleta conditione, contractus retrotrahitur ad tempus conventionis, et redditur venditio absoluta, et perfecta ; leg. *Hæc venditio* 7. ff. De contrahenda emption. et vendit. ibi : « Conditionales autem venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio. » Unde cum sic perfecta, et completa venditione evadat emptor Dominus equi, ipsi debet imputari ejus deterioratio ; Rebell. part. 2, de obligat. justit. lib. 9, q. 15, n. 4. Hannold. tract. 10, controv. 9, n. 48. Palao, de justicia commutat. punct. 24, n. 4. Molina, l. cit., n. 8. Reiffenstuel, l. cit., num. 220, et alii passim.

(20. Quando res in pondere, numero, aut mensura consistens venditur ad mensuram, tunc antequam res ipsa tradatur mensurata, ponderata, aut numerata, omne periculum pertinet ad venditorem, textu expresso in leg. *Quod sæpe* 35, § 5, ff. De contrah. empt. ibi : « Si omne vinum, vel frumentum, vel argentum quantumcumque esset, uno pretio venierit, idem juris est quod in cæteris rebus. Quod si vinum ita venierit, ut singulas amphoras, item oleum, ut in singulas metretas, item frumentum, ut in singulos modios, item argentum, ut in singulas libras certum pretium diceretur, quæritur quando videatur emptio perfici? Quod similiter quæritur, et de his quæ numero constant, si pro numero corporum pretium fuerit statutum. Sabinus et Cassius tunc perfici emptionem existimant, cum adnumerata, adpensa, admensave sint; quia venditio sub hac conditione videtur fieri, ut in singulas metretas, aut in singulos modios, quos quasve admensus eris, aut in singulas libras, quas adpenderis, aut in singula corpora, quæ adnumeraveris. Sic communis Doctorum. » (21. Sic etiam si vinum, mel, vel quid simile vendatur ad corpus quidem, non ad mensuram, attamen cum pacto, ut degustetur antequam omnino rata, vel perfecta venditio sit; tunc ante de-

(1) Adverte tamen quod si venditor custodiam rei venditæ ideoque diligentiam in asservando exactissimam ipse polliceatur, tunc de levissima etiam culpa tenetur. § *cum autem* 3. Instit. de emption. et vendit. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

gustationem factam periculum spectat ad venditorem leg. 1, in princip. et leg. *Si quis vino* 4, § 1, ff. de peric. et commod. rei venditæ; *Communis*. (22. Si tamen certus terminus mensurationi, ponderationi, numerationi, vel degustationi præfixus fuit, aut venditor coram testibus emptorem moneat, intra certum tempus ad mensurandam, ponderandam, numerandam, vel degustandam rem emptam accedat, post culpabilem ejus moram periculum ad emptorem ipsum pertinebit; leg. *Si quis vino* 4. ff. De pericul. et commodo rei venditæ; *Communis*.

(23. Quando res aliqua vendita est ad corpus totum, v. g. venditur totum dolium vini, totus cumulus frumenti, et hujusmodi, dicendo: Vendo tibi totum hunc cumulum tritici, totum hoc dolium vini sine ordine ad mensurandum; quidquid dein contineat, tunc periculum spectat ad emptorem, textu expresso in leg. *Cum convenit* 2. Cod. de periculo, et commodo rei venditæ, ibi: « Cum universum, quod in horreis erat positum, veniisse sine mensura, et claves emptoribus traditas alleges, post perfectam venditionem, quod vino mutato damnum accidit, ad emptorem pertinet. Hæc omnia locum habent non solum si vinum, sed etiam si oleum, vel frumentum vel his similia venierint, et ea, aut deteriora, aut penitus corrupta fuerint. *Communis*. » (24. Si autem vendatur totum corpus quidem, sed ad mensuram, dicendo v. g: Vendo tibi totum hoc dolium vini, totum hunc cumulum tritici, et pro quavis urna, vel mensura dabis unum argenteum, tunc cum venditio sit ad mensuram, donec vinum et triticum non sit mensuratum, periculum pertinet ad venditorem: cit. leg. *Quod sæpe* 35, § 5. de contrah. empt. *Communis*. (25. Item erit venditio ad mensuram, si ex toto grege vendantur 10. oves, et ex toto cumulo tritici 10. modii, et ex toto dolio vini 10. urnæ, et sic donec oves fuerint designatæ, modii tritici, et urnæ vini mensuratæ, periculum spectat ad venditorem; cit. l. *Quod sæpe* 35, § 5, ff. de contrah. emption. *Communis* (1).

(26. Retractus gentilitius est jus quod habet proximior consanguineus venditoris rescindendi, et ad se revocandi, seu retrahendi intra certum tempus venditionem rei immobilis, oblato eodem pretio, quo illa ab extraneo, vel remotiore consanguineo empta fuerat. Est *in re communis*. Hujus juris fit mentio Levitici 25, et in l. *Dudum* 14. C. de contrah. empt. et cap. *Constitutus* 8. de in integrum restit. Et ratio hujus introducti Juris est, ut possessiones paternæ, et avitæ facilius conserventur in proxima posteritate, et difficilius transeant ad extraneos, quod nimis lugubre esse dicitur in l. *Lex quæ tutores*, § *Et tolerabilius*, Cod. de administrat. tutor.

(27. Sola bona immobilia retrahi possunt; Sic communis doctorum arg. l. 62. ff. de contrah. empt. l. *Si in* 35. de Minor. Inter bona autem immobilia computantur etiam annui redditus, usufructus, decimæ, aliaque Jura, ac res incorporales super re immobili constitutæ; arg. Clement. *Exivi de Paradiso*, § *Cumque annui*, *de V. S.* (28. Retrotrahere, possunt omnes venditores consanguinei, non tantum Laici, sed etiam Clerici. Sic communis Doctorum, argum. c. *Constitutus* 8. de in integrum restitut. (29. Religiosus autem consanguineus, vel ejus loco Monasterium retrahere nequit, quia per hujus retractum eluderetur ratio finalis retractus gentilitii, quod nempe possessiones paternæ, et avitæ conserventur in proxima posteritate, et non transeant ad extraneos; Engel. lib. 3. Decret. tit. 17, n. 25. Tiraquell. de Retract. part. 1, § 1. gloss. 8, n. 19 et 20, et alii communiter. (30. Jus retrahendi ante omnes competit liberis, sive masculis, sive fœminis; argum. l. 1. ff. De verbor. signific. leg. final. Codic. *Quorum bonorum*, leg. *Voluntas* 4. leg. *Cum acutissimi* 30. ff. De Fideicomm. (31. Dummodo tamen liberi sint legitimi, quia ab hoc Jure excluduntur filii, et filiæ naturales, et spuriæ; argum leg. *Spurius* 4. ff. *Unde cognati*, leg. *Humanitas* 8. Cod. de Natur. liber. (32. Liberis non extantibus, competit hoc jus consanguineis collateralibus cum prælatione semper ad proximiorem venditoris; argum. leg. Peto 2. De legatis. (33. Si plures sint consanguinei ejusdem gradus, possunt omnes simul retrahere, et rem retractam possidere in communi, vel si dividi potest, dividere, aut sorti committere; arg. § *Optionis* 25. Instit. de Legatis. (34. Cum fratre superstite nequeunt simul retrahere liberi fratris, vel sororis defunctæ; quia Frater superstes est proximior venditori; argum. leg. *Tutela* 3, § 5, de legit. tutor. (35. Si consanguineus proximior retrahere nolit, competit tale jus consanguineo remotiori, ordine gradus semper servato; et si unus ex æqualiter propinquis cedat Juri suo, admittendi sunt ad retrahendum reliqui in solidum; *Communis* (2).

(1) Sed hoc semper verum non est, ideoque ut id recte intelligatur observandum est quo fine numerus et adnensio apposita sit. Etenim apponi potest demonstrationis gratia, ut indicetur res vendita; secundo per viam modi non alias empturus, si diversum sciret; tertio per viam conditionis. Ultimo casu Auctoris opinio procedit, non ita tamen in prioribus in quibus perfectus dici debet contractus, et in iis omne periculum pertinet ad emptorem, cum sola conditio imperfectum, et suspensum reddat contractum, quousque purificata remaneat conditio. Molina de justit. et jur. disput. 367, num. 3, Pinell. de rescindenda vendit. part. 3. cap. 2, num. 10. Bruneman. in Pandec. lib. 18. tit. 6, in leg. fin. num. 9. 10, 11, et in Cod. lib. 4, tit. 48, leg. 2, n. 2, et late de hoc. Voet. in Pandect. l. 18, tit. 6, n. 4. (*Edit, Barbiell.*)

(2) Ex Friderici constitutione lib. 5. Feudor tit. 3, in med. retractus jure privatur quilibet in Cognatum gravem injuriam admittat. Sine effectu pariter allegatur ab illo, qui eidem vel tacite, vel expresse renunciavit, dummodo tacita renunciatio sit talis, quæ necessario præsumptum consensum inducat. Voet, in Pandect. lib. 18, tit. 3, n. 16. Zoes. in Pandect. lib. 18, tit. 3, n. 58 et 59. Plura si velis de retractu, vide Voet. Zoes. loc. supra citatis, ubi multi allegantur Doctores, et Corvin. in Cod. lib. 4, tit. 54, pag. 245, coll. 1, et seq. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

(36. Legitime retrahere volens debet quatuor potissimum conditiones observare. Primo debet retrahere intra annum, et diem; capit. *Constitutus* 8. de in integrum restitut. ibi : « Infra annum, et diem, » Titul. 9. § final. lib. 2. Feud. Computatur autem hoc tempus a die cognitæ venditionis Engel. loc. cit. num. 34. et communis aliorum; argum. citat. tit. 9. § final. lib. 2. Feud. ibi : « Annali silentio, ex quo sciverit, computando.» (37. Secundo debet offerre integrum pretium ab Emptore extraneo solutum una cum omnibus sumptibus et expensis, ratione contractus necessario factis, ita ut emptor servetur omnino indemnis : argum. leg. *Debet autem* 27. ff. de Ædilit. leg. Cum dubitatur 3. § *Et si quidem* cap. de Jure Emphyteutico. (38. Tertio debet refundere factas interea ab emptore in rem expensas necessarias, et utiles, quas ipse consanguineus, vel retrahens fecisset, leg. ultim. 8. ff. de impens. in res dot. leg. *Si Servus* 25. ff. de pignorat. act. leg. 27. ff. Ædilit. Ediet. Non tamen expensas voluptuarias, cit. leg. *Utilium* 8. de impens. in res dot. et l. *Sine* 32. ff. de administrat. et peric. tutor. (39. Quarto debet suo nomine, et in suum non vero in alterius commodum retrahere. Non enim potest tale Jus cedere extraneo, quia Jus retractus gentilitii, seu consanguinei est personale, adeoque extraneus nequit esse, et fieri illius particeps, aliter rueret natura retractus, qui, ut diximus, introductus est, ne possessiones paternæ, et avitæ in alienas, et extraneas manus deveniant. *Communis.*

(40. Hinc si proximior consanguineus venditoris ad impediendos alios remotiores consanguineos a tali retractu, fraudulenter, et dolose retrahat pro alio extraneo, fingens retrahere pro se, et in suum commodum, peccat contra justitiam, et tenetur ad compensanda damna illis inde secuta; argum. leg. *Si venditor* 14. ff. de in diem addictione, quia illos malitiose impedivit a consecutione boni, ad quod habent legitimum jus, privative quoad omnes extraneos, qui nequeunt fieri participes talis juris, ne, ut diximus, evertatur natura retractus introducti ad hunc specialem finem, ut possessiones paternæ, et avitæ conserventur, et remaneant in proxima posteritate, et familia, et non transeant ad extraneos. (41. Sic etiam peccat contra justitiam, et tenetur ad compensanda damna inde secuta extraneus ille, qui emit agrum, seu domum a Petro pro centum v. g. aureis, sed timens, ne domus, seu ager retrahatur a consanguineis, ut hos deterreat, cum consensu Petri scribit fraudulenter, et dolose in instrumento, se emisse pro ducentum aureis. Talis enim committit dolum, qui in Jure dicitur *Stellionatus*, et injuste impedit consanguineos venditoris a consecutione boni, ad quod, privative quoad ipsum extraneum, habent verum Jus. Unde si ex tali fraudulenta, et dolosa emptione, consanguinei patiuntur aliquod damnum, tenetur extraneus ad compensationem, argum. cit. leg. *Si venditor* 14. ff. de in diem addictione. Et præsertim si consanguineus habens Jus

retrahendi, refudisset tali emptori extraneo ducentos aureos, teneretur ipse extraneus hos centum aureos restituere, quia nullo justo titulo posset retinere : Sic recte La Croix lib. 3. part. 2. numer. 995. (42. Unde laudabilis est consuetudo illorum locorum, in quibus ad evitandas omnes fraudes, occurrente dubio similis malitiæ, et doli, cogitur venditor, et extraneus emptor ad jurandum quod revera solutum sit tale pretium, et cogitur consanguineus retrahens ad jurandum, quod pro se et suo commodo, et non pro alio retrahat.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(43. Quod emptione, et venditione perfecta tametsi res vendita non sit tradita, si casu fortuito pereat, damno Emptoris pereat, liquet ex § 5. Instit. de Emption. Et Vendit. ut monet Auctor num. 11. (44. At nihilominus inter alios magnus Cujacius tract. 81. *ad African.* in contrariam ivit sententiam. Innititur ipse L. 12. et duab. sequent. ff. de Pericul. et commod. Rei vendit. tum ex maxime L. 33. ff. *Locat.* Ex professo vero eum refutavit, responditque omnibus hisce legibus clarissimus Alef de eo quod justum est circa pericul. et commod. rei vendit. cap. 2. per tot.

(45. Inter eos vero qui tenant, perfecto contractu emptionis et venditionis, rem venditam, licet non traditam, fortuito casu peremptam damno Emptoris perire, non convenit de ratione hujus dispositionis. (46. Vide qui varias variorum rationes referunt Alef. citat. cap. 2. num. 12. et Vasmut. exercitationum ad obscuriora quædam juris Romani capita c. 1 per tot.

(47. Mox laudatus Alef. eodem cap. 2. num. 13. hanc reddit rationem : « Quid igitur. Cap. sequentia. Est contractus emptionis, et venditionis frequentissimus, atque adeo necessarius, ut dubites, posseitne Respublica sine ejus adminiculo vel per horam subsistere. Debebat proinde esse constans, quia alias continuo vacillasset subditorum, suis per hunc contractum necessitatibus prospicientium, securitas, vacillasset Reipublicæ salus. Si hoc, ergo necesse erat statuere, quod Emptione et venditione perfecta, periculum sit penes emptorem. Quemadmodum enim rerum pretia continuis mutationibus sunt obnoxia : ita timendum erat, ne eo decrescente, Emptor, accrescente autem, Venditor a contractu recederet. His proinde vulneribus mederi oportebat, ideoque (quod audisti) necesse erat statuere, quod, contractu perfecto, et commodum et periculum sit apud Emptorem. Debebat sane (quod fatemur omnes) utrumque esse apud alterutrum. Æquitas postulat, eum sentire commodum, qui sentit damnum, ut hoc pensetur illo, neque leonina fiant jura. Utrumque vero si venditori ferendum, consequens est ut admittas esse contractum, venditionem nempe esse perfectam, nullam tamen inde natam esse obligationem. Nollet enim pretio accrescente stare contractui Venditor, quia ante traditionem, (quod ne

Digitized by Google

vis) hunc sequitur commodum. Decrescente vero pretio, nollet Emptor, quia dum Venditor captat lucrum, damnum etiam ferat, necesse est. Utrumque igitur in Emptorem conjici prudentissime Leges volunt, ut sic contractum (quæcumque obvenerit sive rei, sive pretii mutatio) donarent firmitate, Contrahentem certitudine, et Rempublicam quiete. » Sed utrum bene an male disserat Auctor hic alii dicant (1).

(48. Mihi penitus materiam hanc intuenti videtur Jus Romanum sibi non consentire. Juxta ipsum, ut dictum est, perfecta emptione et venditione, res vendita, licet non tradita, si perit, damno Emptoris perit. At quomodo hoc stare potest cum eo, quod dispositum est in L. 14. Cap. de Rei vindicat. in qua habetur : (49. « Quoties duobus in solidum prædium jure distrahitur, manifesti juris est, ei cui priori traditum est in detinendo Dominio esse potiorem. » (50. Si Venditor emptione perfecta potest ex jure Romano rem illam alii vendere eumque facere Dominum traditione ipsius, a justitiæ, et æquitatis Regulis abhorrere videtur, ut interim ea, si casu fortuito periisset, damno primi Emptoris periisset.

(51. Libet hic sententiam Grotii hac de re afferre : De venditione (inquit lib. 2. c. 12. § 15.) et emptione notandum, etiam sine traditione, ipso contractus momento transferri dominium posse, atque id esse simplicissimum. Ita Seneca venditio alienatio est, et rei suæ, jurisque sui in alium translatio : nam et ita fit in permutatione. Quod si actum sit ne dominium statim transeat, obligabitur Venditor ad dandum dominium, atque interim res erit commodo et periculo venditoris. Quare quod venditio et emptio constat præstando ut habere liceat, et evictionem, item quod res periculo est Emptoris, et ut fructus ad eum pertineant antequam dominium transeat, Commenta sunt Juris Civilis, quod nec ubique observatur, immo plerisque Legum Conditoribus placuisse ut ad traditionem usque res commodo, et periculo venditoris sit notavit Theophrastus in loco, qui apud Stobacum est (2).

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(52. Tria retractus genera distinguenda sunt. Hoc quippe jus vel ex conventione, vel ex juris communis, aut municipalis dispositione, aut jure sanguinis competere potest. Ideo retractus, vel est conventionalis, vel legalis, vel gentilitius. (53. Conventionalis est ille, qui ex conventione, et pacto contrahentium proficiscitur, « ut, si emptor rursus vendat non alii sed sibi (venditori) distrahat.» l. *qui fundum* 75. ff. de contrahend. emption. quo casu antequam extraneo rem emptam vendat emptor, suo venditori id tenetur denunciare, ut infra duos menses declaret an velit retrahere, quibus peractis, hoc retractus jus amittitur. (54. Quod tamen intelligendum de venditione, cum excepta venditione possit emptor quocumque alio titulo in quemlibet extraneum rem emptam transferre. (55. Voet in Pandect lib. 18. tit. 3. num 10. et late de hoc retractu Zoes. in Pandect. lib. 18. tit. 3. a n. 1. usque ad n. 35. Corvin. in Cod. lib. 4. tit. 54. pag. 244. coll. 1 in fin. et coll. 2. cum seq.

56. Retractus vero legalis multas ob causas pluribus competit, utpote directo domino vigore directi dominii, si Emphyteutica bona extraneo vendat Emphyteuta, et vice versa hoc idem jus conceditur Emphyteutæ, si Dominus directus directum dominium alienet. Voet loc. cit. num. 11. (57. Deinde datur sociis ratione partis a consocio distractæ. Zoes. loc. cit. n. 36, de retract. Legali. (58. Conceditur insuper vicinis ratione vicinitatis ex Constitutione Imperatoris Friderici de jure protomiseos, vel ex speciali locorum consuetudine. (59. Zoes. loc. cit. Corvin. loc. cit. coll. 246, *in fin.* Hoc ulterius gaudent privilegio illi quorum favore res obligatæ, vel oppigneratæ, vel hypothecatæ sunt. Anton. Matthæi de auction lib. 1, cap. 16, n. 45, et late Cenc. de censibus.

ARTICUTUS V.

Quoad ea quæ concernunt actiones ex empto et vendito, et actionem ob læsionem ultra dimidium, et pactum legis commissoriæ, et addictionis in diem.

(1. Actio ex empto, seu empti, est jus quod competit emptori ad consequenda ea quæ a venditore vi contractus debentur; leg. *Ex empto.* 11, *ff.* de action. empti. (2. Hoc Jus, seu actio oritur statim ac perfecta, et absoluta habetur venditio, § 1. instit. de

(1) Validior ratio ex intimis jurisprudentiæ visceribus desumpta adducitur a Ger. Noodt. ad Pandect. pag. 412, tom. 2, « oper. Emptor. perfecta emptione, statim est creditor rei venditæ, emptor contra est debitor. Interitu autem naturali speciei debitæ liberatur speciei debitor. » Heinec. exercit. 34, § 7, tom. 6. Neque super hac re eam repugnantiam invenio, quam notat Auctor a num. 6, ad 8, ex eo quod habeatur in l. 5. (non l. 14, ut ipse legit) Cod. de rei vindicat. Ei ex duobus, quibus in solidum res vendita est, acquiritur dominium cui prius res tradita sit. Ibi enim Imperator loquitur de venditione duobus in solidum facta, non vero prius uni, deinde alteri. Posteriori casu explorati juris est, post primum contractum si Venditor rei venditæ possessionem in alium transferat, multis actionibus posse a primo emptore conveniri, de quibus supra. Priori vero casu nil mirum, quod ei acquiratur dominium cui prius res tradita est. Cum enim Venditor duobus in solidum obligatus fuerit, manifestum est alteri rem promissam præstando a quacumque obligatione liberari, etiam respectu altorius, cum hæc sit natura obligationis de duobus reis stipulandi, ut singulis quidem promissor in solidum obligetur, sed petitione unius jus alterius perimatur, et unius acceptilatio alteri noceat. Duaren. oper. tom. 3 part. 177, coll. 2, in fin. et pag. 178, coll. 1, in princ. de verbor. obligat. tit. 2, de duobus reis constituend. cap. 4 et 5. Voet in Pandect. lib. 45, tit. 2, num. 4. (*Edit. Barbiell.*)

(2) Hanc vero Grotii opinionem erroneam omnino, et insubsistentem doctissime demonstrat Henric. Cocœi comment. in eund. ad lib. 2, cap. 7, § 25, et Samuel. Cocœi introduct. Glot. illust. dissert. proem. 12, § 268, n. 47. *Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

emptione et venditione. (3. Non potest tamen cum effectu institui contra venditorem, nisi prius sit pretium ex integro solutum, aut saltem realiter ei oblatum; leg. 3, § 8, ff. de action. empti. (4. Actio ex vendito, seu venditi, est jus, quod competit venditori ad consequenda ea, quæ ab emptore vi contractus debentur; l. *Julianus* 13, § 9, ff. de action. empti. (5. Hoc Jus, seu actio, oritur statim ac perfecta, et absoluta habetur emptio; § 1. Instit. de emption. et vendit. (6. Non potest tamen cum effectu institui contra emptorem, nisi prius a venditore res tradita sit ipsi emptori; l. *Qui pendentem* 25, ff. de action. empti.

(7. Actio adhibitoria est jus ex empto, competens emptori contra venditorem ad redhibendam, id est iterum habendam, vel reassumendam rem venditam, et e contra ad pretium, cunctaque in integrum restituenda, quando venditor malitiose occultavit, vel non manifestavit rei vitium, defectum, vel morbum, ratione cujus ipsa res, vel ex toto, vel notabiliter est inutilis ad finem, et intentum ementis, adeo ut si emptor scivisset, non emisset. Est *in re communis*, et desumitur clare ex leg. *Cum autem* 23, § *Julianus*, et leg. *Facta* 60, et Legibus sequentibus ff. de Ædilitio Edicto. (8. Vocatur autem *redhibitoria* ab effectu, quem habet; redhibere enim est facere, ut venditor iterum habeat, quod jam habuit, et sic malitiose vendidit; et quia redhibendo id fiebat, idcirco redhibitio est appellata, quasi redditio; leg. *Redhibere* 21, ff. de Ædilit. Edicto. (9. Actio Redhibitoria competit non solum Emptori, sed etiam ejus hæredibus; l. *Sciendum* 19, § 5, ff. de Ædilitio Edicto. (10. Et potest intentari non solum contra venditorem; sed etiam contra omnes ejus hæredes, l. *Cum autem* 23, ff. de Ædilitio Edicto.

(11. Actio æstimatoria, seu quanto minoris, est jus, quod ob venditam rem vitio laborantem competit emptori adversus venditorem, ad hoc ut tantum restituatur emptori, quanto minoris emisset, si vitium vel morbum scivisset. Est *in re Communis*, et desumitur clare ex leg. 1, l. 35, et aliis pluribus Legibus, ff. de Ædilitio Edicto. (12. Vocatur autem *æstimatoria*, seu *quanto*, vel *quanti minoris* ab effectu, quem habet; tenetur enim venditor restituere emptori tantum pretium secundum peritorum æstimationem, quanto minoris emisset emptor, si vitium, vel morbum rei scivisset. Sic communis Doctorum ex citatis Legibus de Ædilitio Edicto. (13. Actio æstimatoria, seu quanto minoris, vel quanti minoris competit non solum emptori, sed etiam ejus hæredibus, leg. *Sciendum* § 5, ff. de Ædilitio Edicto. (14. Et potest intentari, non solum contra venditorem, sed etiam contra omnes ejus hæredes; leg. *Cum autem* 23, § 5. ff. de Ædilitio Edict.

(15. Si venditor ignorans vitium rei, ipsam sine ulla malitia, et fraude vendidit tamquam bonam, non tenetur de damnis inde secutis, sed sola actione æstimatoria conveniri potest ad restituendum pretium, quanto minoris emptor emisset, si vitium rei scivisset; leg.

Julianus 13, ff. de actionibus empti. (16. Si autem venditor rem notabili vitio laborantem scienter, et malitiose vendidit emptori, potest conveniri ab emptore actione Redhibitoria, vel Æstimatoria, non solum ad restituendum pretium, vel partem ejus, sed etiam ad compensanda omnia inde secuta damna, textu expresso in cit. leg. *Julianus* 13, in ff. de actionibus empti, ibi : « Qui pecus vitiosum vendidit, si quidem ignorans fecit, id tantum ex empto actione præstaturum, quanto minoris esset empturus, si ita esse scivisset; Si vero sciens reticuit, et emptorem decepit, omnia detrimenta, quæ ex ea emptione emptor traxerit, præstaturum ei; sive igitur ædes tigni vitio corruerint, ædium restitutionem, sive pecora contagione morbosi pecoris perierint, quod interfuit idonee venisse, erit præstandum; Item qui furem vendidit, aut fugitivum, etc. » Concordat leg. 1, Cod. de Ædilitiis actionibus et leg. *Quæro* 58, de Ædilitio Edicto. *Est communis.*

(17. Pro instituenda Actione redhibitoria conceduntur sex menses, textu expresso in leg. 19, § fin. ff. de Ædilitio Edicto, ibi : Tempus autem redhibitionis sex menses utiles habet. (18. Pro instituenda autem actione æstimatoria conceditur annus integer, textu expresso in cit. l. 19, § final. de Ædilitio Edicto, ibi : Si autem non redhibentur, sed quanto minoris agitur, annus utilis est, et concordat leg. 2, Cod. eodem. (19. Quando ob vitium rei conceditur Actio redhibitoria, potest emptor intra sex menses loco ipsius assumere æstimatoriam; ita tamen ut non assumpta, variare amplius non possit; L. *Si quid* 18, in princip. ff. de Ædilit. Edicto, L. *Si is, qui* § 1, de except. rei judic. (20. Si autem intra sex menses emptor nullam intentaverit Actionem; potest post illos sex menses adhuc intra annum intentare Actionem æstimatoriam; l. *Si tamen* 42, § de Ædilit. Edict. ibi : Non nocebit emptori, si sex mensium exceptione redhibitoria exclusus, velit intra annum æstimatoria agere. (21. Anno tamen elapso nullam amplius actionem, nec Redhibitoriam, nec Æstimatoriam poterit emptor intentare; quia tales Actiones in foro externo eo tempore præscribuntur; leg. *Cum proponas* 2, Cod. de Ædilit. Action. ibi; Etenim Redhibitoriam actionem sex mensium temporibus, vel quanto minoris anno concludi, manifesti juris est. (22. In foro autem interno numquam eximitur venditor ab obligatione restituendi, vel compensandi damna per talem deceptionem illata emptori; arg. Regul. 4, Juris in 6, ibi : Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum, et sic communis Doctorum cum Molina disp. 353, conclus. 2, Layman. lib. 3, tr. 4, c. 17, n. 15.

(23. Actio ob læsionem non conceditur de jure Civili, nisi læsio sit ultra dimidium, habetur expresse ex leg. 2, Cod. de rescindend. venditi. et leg. *Si voluntate* 8, Cod. eodem. (24. Sic etiam de jure Canonico loquendo de foro externo cap. *Cum dilecti* 3. et cap. *Cum causa* 6, de emption. et vendit. ibi : « Cum constitisset nobis Monasterium

Digitized by Google

in venditione ultra dimidium justi pretii fuisse deceptum; sententiando decrevimus, ut præfati Cives, aut recepto pretio possessiones restituerent memoratas, aut supplerent quantum constaret legitima evenditionis tempore justo pretio defuisse. » *Communis.* (25. In foro autem interno etiam infra dimidium lædens tenetur ad restitutionem, etiamsi ex ignorantia et bona fide læserit, argum. Regul. 206, ff. de Regul. Juris, ubi dicitur, quod jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, et injura fieri locupletiorem; et concordat Regul. 48. Juris in 6, ibi: « Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura, » et sic communis Doctorum cum D. Thom. 2. 2, quæst. 77, art. 1. Molina disp. 350, num. 5. Pirhing. lib. 3, decretal. tit. 17, num. 26. (26. Minoribus 25, annis conceditur actio contra graviter lædentem, etiamsi læsio sit infra dimidium, habetur ex leg. *Quisquis* 15, Cod. de rescindend. vendit. et ex toto titul. ff. de Minoribus, et Cod. de in integrum restitution. *Communis.* (27. Sic etiam conceditur Ecclesiis, ac Communitatibus, eo quod Ecclesia gaudeat Jure Minorum; cap. *Auditis* 3, de in integrum restitut. *Communis.* (28. Sic etiam conceditur universaliter omnibus læsis infra dimidium, si læsio facta est ex dolo, et fraude, datur enim tunc actio ex dolo, leg. *Et eleganter*, ff. de dolo malo; leg. *Julianus* 12, ff. de action. empti. Et ratio est, quia fraus, et dolus alicui patrocinari non debet; cap. *Ex literis* 2, de dolo, et contumac. cap. *Sedes* 15, et cap. *Ex tenore* 16, de rescriptis; cap. *Tuæ* 12, de Clericis non residentib. leg. *Si in fundo* ff. de rei vindicat. leg. *Cum hi*, ff. de transact, et leg. *Si legatarius*, Cod. de Legatis.

(29. Ob læsionem ultra dimidium competit actio venditori contra emptorem; l. 2, et l. 8, Cod de rescind. vendit. cap. *Cum causa* 6, de empt. et vendit. *Communis.* (30. Item competit emptori contra venditorem. In correlative enim oppositis, uti sunt emptor et venditor, quod statuitur de uno, censetur enim statutum de altero, si eadem de utroque militat ratio; ut in hoc casu, argum. leg. fin. Cod. de Indict. et leg. *Cum emptor* 5, de resciud. vend. Sic communis Doctorum cum Abbat. in cit. cap. *Cum dilecti* num. 3. Molina disp. 349. Pirhing. lib. 3, decretal. tit. 17, num. 25. Reiffenstuel. ibid. num. 335. Haunold. tract. 10, cap. 1, num. 240. Læsio ultra dimidium eodem modo, et æqualiter computari debet in venditore et emptore. (31. Sic Glossa in citat. leg. 2, Cod. de rescind. vendit. et in cit. cap. *Cum causa* 6. de emption. et verb. *Dimidiam;* Covarruv. lib. 2, variar. resolut. c. 3, num. 8. Guttierez 2, cap. 22, quæst. 133. Lessius c. 21. num. 20. Reiffenstuel. loc. cit. num. 336. Pirhing. l. c. num. 25, dicens hanc sententiam esse communem, veriorem, et æquiorem, licet Fachin. lib. c. 16. Myzing. centur. 4, observ. 73. num. 4. et alii contrarium sentiant. Vid. articul. 1, num. 17, 18 et 19. (32. Emptor ultra dimidium lædens tenetur, vel defectum pretii supplere, vel rem iterum restituere: textu expresso in cit. leg. 2, et 8. Cod. de resciud. vendit. et in cap. *Cum dilecti* 2, de emption. et vendit. ibi: « In arbitrio emptoris est, si velit supplere justum pretium, aut venditionem rescindere, cum res minus dimidia justi pretii comparatur, » et concordat cap. *Cum causa* 6, eodem tit. per verba adducta super num. 24. (33. Sic etiam venditor ultra dimidium lædens tenetur, vel excessum pretii restituere emptori, vel rem venditam iterum recipere, restituto pretio accepto. Sic communiter omnes citati Doctores ob paritatem rationis; argum. cit. leg. 2, et 8. Cod. de rescindend. vendit. et cit. cap. *Cum dilecti* 3, et cap. *Cum causa* 6, de emption. et vendit. (34. Nec emptor, nec venditor, satisfacit restituendo tantum, quantum sufficit, ne læsio sit amplius ultra dimidium, sed debet integre restituere totum id, quod deest justo pretio. Sic communis Doctorum; arg. c. l. 2, et 8, de rescindend. vendit. cit. c. *Dilecti* 3, et c. *Cum causa* 6, de emption. et vendit.

(35. Quando læsio ultra dimidium facta est bona fide, et emptor iterum restituit rem emptam, potest fructus interea perceptos sibi retinere in utroque foro (1) argum. cap. *Cum ad nostram* 11, de rebus Eccles. alien. vel non; ubi ob enorme dispendium illatum Monasterio ob venditionem Feudi, jubetur emptor recepto pretio Fundum restituere, fructos autem interea perceptos retinere permittitur, ibi. « Cum sibi fructus percepti sufficere debeant pro labore. » Sic Guttierez 2, part. qq. q. 134. Molina disput. 349. Layman lib. 2, cap. 24. Lessius lib. 2, cap. 21, dub. 15. Pinell. part. 4. n. 1. Reiffenstuel. loc. cit. n. 343, et alii passim. (36. Quando vero læsio ultra dimidium facta est mala fide, seu dolose, et fraudulenter, tunc emptor tenetur una cum re etiam omnes fructus perceptos restituere. Et ratio est, quia nemo debet ex iniquitate sua commodum reportare, et fraus, et dolus alicui patrocinari non debet per Jura cit. supra num. 28. (37. Quando læsio est facta bona fide, et rescinditur contractus, venditor tenetur refundere emptori expensas, quas interea in necessarias, et utiles rei meliorationes fecit; Universaliter enim bonæ fidei possessori casu, quo res iterum restituitur, sumptus, ac meliorationes restitui debent; leg. *Si prædium* 16. Cod. de prædiis minor. *Communis.* (38. Actio contra lædentem ultra dimidium bona fide institui potest usque ad

(1) Si per legis dispositionem emptor ille potest fructus interea perceptos sibi retinere in utroque foro, ex eo quod læsio illa ultra dimidium facta fuerit non mala, sed bona fide, non apparet cur debeat id restituere in quo factus est ditior. Dum enim rem emptam cum læsione, semel ac retinebat, ipsam bona fide retinebat, ac læsionem esse cognovit, rem emptam restituit, nullus igitur in tali emptore dolus apparet, nulla intentio nocendi proxime; adeoque si permittitur ipsi fructuum perceptorum retentio, cogi non debet ad restituendum id, in quo factus est ditior eo tempore, quo rem emptam bona fide possidebat. (*Nota Romani Theologi.*)

Digitized by Google

triginta annos. Glossa in cit. leg. 2. Cod. de rescind. vendit. et communis Doctorum, arg. leg. *Sicut* 3. Cod. de præscript. 30. ann. (39. Contra lædentem vero mala fide potest institui actio usque in perpetuum, quia cum mala fide nullo tempore præscribitur, textu expresso in Cap. *Quoniam* 20, de prescriptionibus; ibi : « Definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam Canonica, quam Civilis, » et Reg. 2. Juris in 6. ibi : « Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. » *Communis*.

(40. Pactum Legis Commissoriæ, seu Lex Commissoria est pactum a contrahentibus emptioni, et venditioni appositum, ad hoc ut nisi intra certum tempus emptor solverit pretium, nulla sit ipsa emptio, et venditio. Est *in re communis*, et patet ex l. 2, et 5, ff. de Lege commissoria, et cap. *Significante* 7, de pignoribus, ubi vocatur pactum Legis commissoriæ. (41. Si emptor determinato per pactum tempore pretium non solvit, dicitur Lex commissa, et statim ipso jure res ad venditorem redit; leg. fin. ff. de Lege commissor. *Communis*. (42. Etiamsi emptor a venditore ad solvendum non moneatur, aut interpelletur; leg. *Si fundus* 4, § final. ff. de Lege Commissor. In hoc enim dies interpellat pro homine; leg. *Magnam* 12. Cod. de contrah. et commit. stip. (43 Immo non solum res ipsa iterum redit ad venditorem, sed etiam fructus interea ab emptore percepti, et reliqua commoda, vel accessiones rei eidem venditori restitui debent; leg. *Si fundus* 4, et leg. *Fundo* 5, ff. de lege Commissor. quia ut ibi dicit textus, nihil penes eum residere oportet ex re, in qua fidem fefellisset. (44. Venditor tamen Lege commissa, seu pretio per emptorem, statuto tempore non soluto, habet in sua libertate, vel pretium adhuc petere, vel rem venditam una cum fructibus repetere, dummodo statim se resolvat, et semel alterutro electo, non amplius variet, textu expresso in leg. *Si fundus* 4, ff. de Lege commissor. ibi : « Eleganter Papinianus scribit, statim atque commissa est Lex, statuere venditorem debere, utrum Commissoriam velit exercere, aut potius pretium petere, nec posse, si Commissoriam elegerit, postea variare; » concordat l. 4, Cod. de pactis inter empt. (45. Emptor autem non habet hanc libertatem eligendi, sed debet præstare id, quod venditor elegerit; arg. leg. 3, et 4, ff. de Lege commissor. et ratio est clara, quia, quod est introductum in favorem venditoris, cederet in ejus odium, et damnum, quod iniquum est, l. 46, § final. ff. de fideic. lib. leg. 6. Cod. de Legibus, et facit Regul. 61. Juris in 6, ibi : « Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. »

(46. Pactum addictionis in diem est pactum a contrahentibus venditionis appositum ad hoc, ut liceat venditori rem venditam denuo alteri emptori vendere, si intra certum tempus aliquis meliorem conditionem pro tali re offerat; Est *in re Communis*, et desumitur ex l. 1, ff. de in diem addict. (47. Dicitur, *Addictio in diem*, quia non statim adducitur, seu datur primo emptori irrevocabiliter, et perpetuo, sed in diem, id est ad certum tempus, intra quod si nullus emptor meliorem conditionem offerens appareat; adducitur tandem perpetuo, et irrevocabiliter. (48. Ille autem censetur offerre meliorem conditionem, qui offert aliquid, quod ad majorem utilitatem, et commoditatem venditoris pertineat; l. *Quidquid* 3, ff. de in diem addict. (49. Si venditione cum pacto addictionis in diem celebrata, intra tempus determinatum, alius emptor meliorem conditionem offerat, ut eam venditor acceptet, statim ipso jure absque ulla alia actione res vendita iterum redit ad venditorem, leg. *Si quis hac Lege* 41, in princip. ff. de rei vindic. (50. Et tunc debet emptor restituere venditori nedum ipsam rem, sed etiam omnes fructus interea ex illa perceptos, et accessiones, et commoda illius, l. *Item* 6, ff. de in diem addict. (51. Potest tamen emptor adducere expensas, quas interea in rem necessario fecit, et venditor tenetur eas ipsi compensare leg. *Imperator* 16. ff. de in diem addict.

(52. Pactum addictionis in diem non potest suum sortiri effectum, nisi concurrant sequentes conditiones. Prima est ut vere, et sincere absque dolo, et simulatione ab alio emptore melior conditio offeratur venditori, aliter si dolose simulata meliori oblata conditione æquali solum, vel minori pretio reipsa alteri venderetur, secunda venditio esset nulla, dolosus venditor teneretur ad omnia damna emptoris; l. *Si venditor* 14, ff. de in diem addict. (53. Secunda est, ut emptor primus nolit ipse oblatam meliorem conditionem præstare, vel adæquare, quia si prior emptor velit præstare totum id, quod sincere offert alius, subsistet venditio; l. *Licet* ff. de in diem addict. (54. Tertia est, ut venditor oblatam a secundo emptore meliorem conditionem reipsa acceptet, quia si secundo huic emptori pro oblata meliori conditione rem vendere recuset, uti revera potest ex l. *Sabinus* 9, ff. de in diem addict. tunc subsistet prima emptio etiam invito primo emptore; citat. l. *Sabinus*, nisi ipse primus emptor expresse convenerit cum venditore, ut sibi liceret resilire, meliori ei conditione oblata; citat. l. *Sabinus*, quia ex Regul. 85. Juris in 6. « Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. » (55. Quarta est, ut infra diem, seu tempus addictionis venditor non moriatur, vel si moriatur, adsit intra illud tempus hæres idoneus, cui melior conditio possit offerri; l. *Si prædio* 15, ff. de in diem addict.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(56. Actio empti competit emptori. (57. Eaque petitur, ut res vendita corporalis tradatur, incorporalis cedatur, vel alio simili modo ejus quasi traditio fiat, una cum fructibus perceptis a tempore venditionis, tum omnibus accessionibus, aut pacto speciali comprehensis, aut ex generali natura emptionis solitis præstari. Clarissimus Voet in comment. ad Pandect. lib. 19, tit. 1, a num.

Digitized by Google

4, ad plur. sequent. illustrioribus exemplis, quæ accessionis jure in emptorem transire debeant, ostendit.

(58. Actio venditi competit venditori. In id ea tendit, ut emptor pretium solvat, impensas restituat a venditore post venditionem factas, præstetque insuper omnia illa, quæ vel ex speciali pacto opposito, vel ex emptionis natura præstari debent; potissime vero usuras ex mora. (59. Idque quia æquum est, ut dum re fruitur Emptor usuræ venditori cedant leg. 8, Cod. de Action. Empt.

(60. Nec ab hac usurarum præstatione, se ex eo subducere potest emptor, quod ob imminentem rei venditæ, ac traditæ evictionem, denegaverit solutionem pretii, aut venditor noluerit illud legitimo modo oblatum acceptare. (61. Quum hisce in casibus oportuisset illud consignatum deponere, eo quod usuræ pretii rerum venditarum non ex considerationem moræ ex Persona per interpellationem introductæ, sed propter conventionem, aut moram ex re debentur : ne scilicet Emptor simul lucretur usuras pretii, et fructus rei, qualium usurarum cursus neutiquam sola sistitur oblatione, sed accedat oportere deposito. leg. 19, c. de Usur. Carpzov. Jurisprud. Forens. part. 2, Constitut. 34, Definit. 38. Sande Decis. Frisic. lib. 3, tit. 14, Definit. 8.

(62. Quæri hic solet, uter prior Contractum implere debeat, Emptor an venditor. Facilis vero est responsio, nimirum, quod is qui agit, sive emptor, sive venditor sit, prius ex latere suo implere, ac præstare debeat omnia, ad quæ præstanda ex Contractu illo obstrictus est, ne alioquin per rerum conventum exceptione contractus ex latere actoris necdum impleti, repellatur. leg. 13, § 8, leg. 25, ff. de action. Empt. et vendit. leg. 25, leg. 57. Ædilit. edict. et leg. 5. Cod. de Eviction.

(63. Et quod notandum est, exceptio contractus non impleti, ex parte actoris non a reo ipsam proponente, probanda est, sed per actorem ex contractu veluti impleto agentem, implementum probari debet. Et summa ratione. Totum enim Actoris fundamentum in Contractu ex parte sua impleto consistit; necessario propterea implementum illud ab adversario negatum probari debet Zanger. de exception. part. 3, cap. 22, num. 6, et plur. sequent.

(64. In quacumque vero Judicii parte actori si objiciatur exceptio contractus non impleti, liberum ei est implementum quantocius offerre, atque hoc pacto efficacem reddere suam, quæ ab initio laborat petitionem arg. leg. 9. § ult. ff. de Pignorat. Action.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(65. Falsum est, semper majorenni ob læsionem dari actionem de dolo. (66. Duplex enim est dolus alius dans causam contractui, alius incidens. Ille est quando quis per falsas machinationes ad contrahendum inducitur, alias non contracturus, et hoc casu nullus omnino remanet contractus, si deceptus suo jure uti velit, qui tamen si stare

contractui velit, decipiens illum non potest dissolvere. Bruneman. in Cod. lib. 4, tit. 44, leg. 5, num 1 et 2. (67. Hoc casu liberum est decepto, vel ad æquitatem reducere, si velit servare contractum, vel ab eo omnino recedere. (68. Non ita tamen quando dolus est incidens, quis nempe empturus, sed non tanti. (69. Tunc enim contractus in suo robore manet, data tantum actione decepto, repetendi quod ratione doli excessit, et hæc locum habent in contractibus bonæ fidei. Molin. de contract. disp. 259, et 352. Covarruv. variar. resp. lib. 2, cap. 4, 12. (70. Sed non actione doli, bene vero actione empti per male ab Auctore allegatum text. in Leg. *Julianus* 13, ff. de action. empt. § 4. « Si venditor dolo fecerit ut rem pluris venderet, puta de artificio mentitus est, aut de peculio, empti judicio teneri, ut præstaret emptori quod quanto pluris servum emisset, si ita peculiatus esset, vel artificio instructus. »

(71. Distinguendum insuper est inter contractus bonæ fidei, et inter contractus stricti juris. In primis procedunt ea, quæ superius tradita sunt. (72. In contractibus vero stricti-juris, valido remanente contractu, datur exceptio doli, si omnia sint integra, Actio vero doli, si contractus jam consummatus sit. Bruneman. in Pandect. lib. 4, tit. 3, leg. 7, et leg. 8, per tot. præfert. num. 9, et in Cod. lib. 4, tit. 10, leg. 4, n. 10. (73. Cæterum verius est minori decepto non tantum per dolum, sed etiam per læsionem non excedentem dimidiam partem dari restitutionem, sed majorenni non succurri nisi in casu, quo quis sit ultra dimidiam læsus. Bruneman. in Cod. lib. 4, tit. 44, leg. 5. num. 4.

(74. Superest de addictione in diem ex lege aliquid attingere. Quod ex conventione cuicumque venditori competit, id ex Lege omnibus Locis Piis vendentibus debetur. Hæc quippe post perfectam venditionem non possunt cogi ad rei venditæ dominium, et possessionem in emptorem transferendam, nisi a tempore stipulati contractus lapsi sint viginti dies. Hujus temporis spatio si melior alterius emptoris conditio accedat, jure possunt Loca Pia a primævo recedere contractu, et rem in secundum oblatorem transferre. (75. Si tamen primus Emptor æquales secundo offerat conditiones primus debet secundo præferri, primus tamen numquam excluditur quando agatur de modica summa, vel augmento Card. de Luc. de Regal. disc. 61, num. 12 et 24. Sacra Congregat. Concil. in Reatina 28. Septembris 1726, in Thesaur. resolut. tom. 3. pag. 373. Rot. in Romana Appaltus lignorum 15. Januarii 1742, cor. Calcagnino. Romana affictus 9. Junii 1749, cor. Molino. (76. Hoc idem privilegium ad Minorum, Fisci, et Communitatum alienationes et locationes extendunt Voet in Pandect. lib. 18, tit. 2, num. 2. de Vech. ad Bull. bon. regim. tom. 2, ordin. 318, pag. 118, et in appendic. pariter. tom. 2, in annot. ad verb. appalti pag. 18. cum Seq. Zanch. de Prælat. Credit. exercit. 1. § 4. num. 8. « Ac de illis adjectionibus, quæ occasione locationum et venditionum rerum ad communitates perti-

Digitized by Google

nentium quotidie fiunt in vigesima intra decem dies, et in sexta intra viginti dies super majori, seu meliori data, simulque admissa oblatione, » ibique innumeros allegat. Rot. post. de Vech. l. c. t. 3, dec. 156, a n. 17, ad 20, et in Romana Affictus 12. Febr. 1751, per tot. præsertim § 3, 4, 5 et 6, cor. Matth.

CONTRIBUTIO.

SUMMARIUM.

1. Ecclesiæ et Ecclesiastici sunt immunes ab omnibus contributionibus. — 2. Excommunicationem Papæ reservatam ipso jure et facto incurrunt Principes cujuscumque Dignitatis Ecclesiis vel Ecclesiasticis Contributiones imponentes. — 3. Etiam si Clerici absque coactione Contributiones persolvant. — 4. Ab hujusmodi excommunicatione nemo præter Papam potest absolvere. — 5. Sex conditiones requisitæ ut absque incursu excommunicationis et culpæ contributiones Ecclesiis et Ecclesiasticis imponi queant. — 6. In casu urgentis necessitatis possunt imponi, cum consensu Episcopi et Cleri — 7. Si diutius necessitas perduret, Pontifex adeundus. — 8. Si particularis urgeat necessitas, etiam sine consensu Episcopi absentis Contributiones Ecclesiis imponi possunt. — 9. Nomine Cleri consentientis in Contributionum impositione non solum venit Capitulum Ecclesiæ Cathedr. sed totus Clerus Diœcesis, saltem in suis deputatis. — 10. Quomodo servetur Immunitas Ecclesiæ, et Episcop. immunitati consulatur. — 11. ad 14. Quæ advertenda sint circa Episcopi et Cleri arbitrium circa Contributiones. — 15. Alia ad rem. *Remissive.* — 16. De Contributione expensarum pro re communi. *Remissive.*

(1. Ecclesiæ, et Ecclesiastici tum Seculares, tum Regulares, sunt immunes ab omnibus Contributionibus, exactionibus, tributis, et oneribus novis, et extraordinariis, etiam illis, quæ ex causa belli, famis, et pestis, ac hujusmodi a Laicis imponuntur. Communis per expressos textus in cap. *Non minus* 4, et cap. *Adversus* 7, de Immunit. Eccles. cap. *Quamquam* 4, de censib. cap. *Quia nonnulli* 1. et c. *Clericis* 3, de Immunitat. Eccles. in 6. Extravagant. *Quod olim*, de Immunit. Eccles. Bulla *Cœnæ* § 18. Constitut. Urbani VIII, incip. *Romanus Pontifex* Concil. Trident. sess. 25, cap. 20, l. *Placet.* 5, et l. *Sancimus* 21. Cod. de Sacrosanct. Eccles. l. *Descriptionis* 1. Cod. de imponenda lucrativa descript. Authent. *Item multa*, Cod. de Episcop. et Clericis, Novella 131, cap. 1, cum similibus, et pluribus aliis juribus, tam Canonicis, quam Civilibus, et innumeris Sacræ Congregationis Immunitatis Decretis, quæ inter alios referuntur a Petro Andrea Riccio in Synopsi Resolutionum, et decretorum Sacræ Congreg. Immunit. verb. *Contributio*, et fere per totum.

(2. Omnes, et singuli cujuscumque dignitatis, et præeminentiæ etiam Imperialis, Regalis, Ducalis, etc., sive per se, sive per alios directe, vel indirecte exigentes sine expressa speciali licentia Romani Pontificis ab Ecclesiis, Ecclesiasticis personis, aut eorum bonis Contributiones, collectas, decimas, taleas, præstantias, et quæcumque alia hujusmodi; seu ad id consilium, auxilium, favorem, concursum, ac exequutionem præstantes, præter gravissimum sacrilegii peccatum, et integram debitam omnium restitutionem, incurrunt ipso Jure, et facto excommunicationem majorem Papæ reservatam; Bulla *Cœnæ* § 1. et 21. cap. *Clericis*, de Immunit. Eccles. in 6. Constitut. Urban. VIII. incip. *Romanus Pontifex*, cum aliis citatis juribus.

(3. Et hanc excommunicationem incurrunt qui dictas Contributiones, Collectas, et hujusmodi impositas, etiam a sponte dantibus, et concedentibus (hoc est sine alia vi, aut coactione præter exactionem, seu impositionem) recipiunt; Bulla *Cœnæ* in cit. § 18. ibi. « Aut sic imposita etiam a sponte dantibus, et concedentibus recipiunt, » et cit. Const. Urbani VIII. incip. *Romanus Pontifex* § 6. ibi : « Etiam a sponte dantibus, vel Contribuentibus, » et sæpissime Sacr. Congregat. Immun.

(4. A prædicta excommunicatione extra articulum mortis nemo præter Romanum Pontificem absolvere potest: et in articulo mortis nemo absolvere potest reos, nisi ipsi prius cautionem præstent de satisfaciendo seu restitutionem faciendo, et mandatis Ecclesiæ integre parendo, et similia non ulterius faciendo, textu expresso in Bulla *Cœnæ* § 21. c. *Clericis* 3. de Immunit. Eccles. in 6. cit. Constit. Urbani VIII. incip. *Romanus Pontifex*, cum aliis supra allegatis juribus.

(5. Absque incursu tamen excommunicationis, et culpæ possunt licite imponi Ecclesiis, et bonis Ecclesiasticis contributiones, et collectæ extraordinariæ, easque tenentur Ecclesiæ, et Ecclesiastici solvere, si sex copulative conditiones concurrant: Primo, deliberatio Episcopi una cum Clero; Secundo, magna necessitas, et utilitas; Tertio, ut necessitas, vel utilitas sit communis tam Laicorum, quam Clericorum; Quarto, ut Laicorum facultates non suppetant; Quinto, ut prius Romanus Pontifex consulatur, et expressam facultatem ad id concedat, nisi grave periculum sit in mora; Sexto, ut Contributio fiat sine ulla exactione Laicali, sed exactio fiat per personam Ecclesiasticam a Superiore Ecclesiastico deputandam. Sic per Jura citata supra n. 1. expresse Sac. Rom. Rot. in Brundusina Tabellæ 13. Febr. 1604. coram Pegna, sequuta a Sac. Congr. Immunitatis 28. April. 1650. relata a Barbosa lib. 1. Jur. Ecclesiastici univers. cap. 39. § 6. num. 8, et a nobis ad literam adducta sub verb. *Bona Ecclesiastica*, art. 2. num. 71. et sic Fagnanus, in cap. *Non minus* 4. de Immunitat. Eccles. a num. 22. Barbosa loco citato. Reiffenstuel lib. 3, decr. lit. 49. a num. 254, et communis aliorum, ac aliæ Rotæ decisiones, et innumeræ Sacr. Congreg. Immunit. resolutiones apud Riccium loco cit. Pignatell. tom. 2, cons. 14, et tom. 3, cons. 5, ac tom. 4, cons. 121, et varios alios.

(6. Dicitur autem notanter in quinta requisita conditione : *Nisi periculum sit in mora*, quia in casu urgentis necessitatis hostis immi-

Digitized by Google

nentis, ac minantis Civitati obsidionem, ignem, et ferrum, et hujusmodi gravissima mala, ac interim nec tempus, nec vis haberetur adeundi tam cito Summum Pontificem, in tali urgenti casu, si cæteræ aliæ requisitæ conditiones adessent, sufficeret consensus Episcopi, et Cleri; Sic expresse Abbas in cit. cap. *Non minus*, 4, num. 19, de Immunit. Eccles. Pignatell. tom 3, consult. 15, num. 37. Castropal. part. 2, tract. 12, disput. unic. punct. 9, num. 7. Diana part. 5, tract. 1, resolut. 11. Silvester verb. *Immunitas* 1, num. 20. Pirhing lib. 3, decr. tit. 49, num. 72. Reiffenstuel ibid. num. 260, vers. *Limitatur* testans de communi; arg. cap. *Pervenit* 2, de Immunit. Eccles. l. *Tutor. qui repertorium* 7, ff. de administr. Tutor. Et ratio est, quia *quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum*, textu expresso in cap. *Quod non est licitum* 4, de Reg. Juris; Necessitas enim non habet Legem, c. *Sicut* 11, de consecrat. distinct. 1, cap. *Consilium* 2. de observat. jejunior. cap. *Omnes* 1, de feriis; cap. *Consuluisti* 3, de celebrat. Missarum, cum similibus. Tum quia in simili urgenti necessitatis casu adest præsumpta Pontificis voluntas. Tum etiam quia in tali urgenti necessitate subintrat jus naturale, quo Respublica jus habet ad se protegendum etiam contra Ecclesiasticos, si isti in tali imminenti, et gravi periculo ipsam succurrere nolint. Lex enim positiva, sive divina, sive humana sit, non obligat, quando urget vis præcepti naturalis atque divini; D. Thom. part. 2, quæst. 94, art. 1, Azor. tom. 1, lib. 5, cap. 13 et 14, et part. 2, lib. 4, c. 18. Pignatell. tom. 3, cit. consult. 15, numer. 37, et alii passim.

(7. Advertendum tamen est cum citatis Doctoribus, quod licet talis urgens necessitas, et moræ periculum facile possit contingere in exactione contributionis ad unum, vel alterum actum, seu ad breve tempus si tamen necessitas diutius duret, et contributio ad longum tempus continuanda sit, tunc pro tali continuatione debet obtineri Papæ consensus, quamvis sine ipsius expresso consensu, ratione talis urgentis moræ periculi fuerit incœpta. Cum enim quoad continuationem lex de exquirendo Pontificis consensu, non obstante necessitate, servari possit, ut supponitur, debet necessario adimpleri, eo quod causa excusans cessaverit; argum. cap. *cum cessante* 60, de appellation. log. *Adigere* 6. § 2. ff. de jurepatron.

(8. Item advertendum est, quod sicut urgente moræ periculo, absque expresso consensu Papæ contributiones ab Ecclesiasticis exigi, et respective solvi possunt, ita etiam absque expresso consensu Episcopi, et Cleri, si aliqua particularis intervenerit urgens necessitas, et impossibilitas interim adeundi Episcopum; militat enim eadem ratio in utroque casu; et ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio; *l. Ideo* 27, ff. de Legibus, l. *Illud* 31; ff. ad Leg. Aquil. cap. *Inter corporalia* 2, de translation. Episc. Sic Reiffenstuel cit. num. 260, vers. *Limitatur*, et alii.

(9. Nomine Cleri, qui una cum Episcopo debet primus examinare, deliberare, et judicare, an necessitas Reipublicæ tanta sit, ut Laicorum facultates non sufficiant, et consequenter de bonis quoque Ecclesiasticorum sit succurrendum, hic venit non solum Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, sed totus Clerus Diœcesis saltem in suis deputatis, Abbas in cap. *Non minus* 4, n. 1, de Immunit. Eccles. et ibi Fagnan. num. 23, ac Barbosa num. 7. Pignatell. tom. 3. consultat. 15, num. 34, Magala part. 2, lib. 2, cap. 17, quæst. 6, num. 124, Bellet. Disquisit. Cleric. part. 1, tit. de exempt. Clericor. § 2, num. 5, Bonacina in Bulla *Cœnæ* disput. 1, quæst. 19, punc. 3, n. 3, § 16, Marchin. de peste part. 4, cap. 4, num. 11, et alii passim; Rota in cit. Brundusina Tabellæ 13 Februar. 1604. cor. Pegna, quam sequuta est S. Congreg. Immunit. 28 April. 1640, apud Barbos. cit. lib. 1, Jur. Eccl. cap. 39, § 1, num. 8, et in Parm. Placentina, Mantuana, Aquin. Casalen. Mutin Regien. Lucan. Brixien. Cremonen. Nullius Guastallæ, et Nonantulæ 22, Decembris 1691, et 26, Novembr. 1693, in Mediolanen. et Flor. 1 Septembris 1693, et in Pedemontana 15, et 16 Jul. 1691, apud Riccium loco citato verb. *Contributio causa belli* ibi: « Auditis Ordinariis locorum, et convocatis deputatis Cleri, tum sæcularis, tum Regularis, ad habendum consensum pro suppeditando honesto subsidio in supplementum facultatum Laicorum tempore belli etc. » Vide ibi, ubi plurima alia decreta referuntur ad rem. Unde ad id non sufficit deliberatio Episcopi cum Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, et multo minus solius Episcopi argum. Clement. 1 et 2, de censibus. Et ratio est, quia concursus Cleri simul requiritur pro forma in cit. cap. *Non minus*, ibi: « Nisi Episcopus, et Clerus etc. » et in cit. cap. *Adversus*, ibi: « Episcopus simul cum Clericis, etc. » Tum quia *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*, textu expresso in cap. *Ad hæc* 7, de Offic. Archidiaconi; et cap. *Quod omnes* 29, de Reg. Jur. in 6, quidquid in contrarium sentiant aliqui apud Reiffenstuel loc. cit. num. 218.

(10. Et hanc servando statutam formam, consulitur et indemnitati Immunitatis Ecclesiasticæ, et securitati Episcoporum; consulitur indemnitati Immunit. quia per istam formam occurritur collusioni quorumdam Episcoporum qui Principum minis perterriti, vel spe præmii allecti, possunt Ecclesias, et Ecclesiasticas personas nimis gravare ad solvendas exuberantes solitas prætendi Contributiones contra dispositionem c. *Clericis* 3, de Immunit. Eccles. in 6. Et consulitur securitati Episcoporum, quia si ex solo suo arbitrio Contributio penderet, non auderent tam facile illam armatis exercitibus, ac Principibus denegare, prout libere facere possunt docendo, quod non a se solis cum Capitulo suæ Cathedralis, sed a toto id Clero dependet, per supra allegata jura, et Decreta, ac alia similia.

(11. Quamvis tamen relinquatur arbitrio Episcopi, et Cleri examen, cognitio, et deliberatio, an tanta adsit communis necessitas,

Digitized by Google

ut Laicorum facultates non sufficiant, non tamen eorum arbitrio relinquitur consentire, vel dissentire ad contribuendum, sed ubi cognoverint, et judicaverint vere evenisse casum tantæ communis necessitatis, ut ad ipsam sublevandam, et reparandam non sufficiant Laicorum facultates, tenerentur et ipsi contribuere; Sic Pignatell. tom. 3, cit. consult. 15. num. 34. cum Guttierez, Bartolo, et aliis ibi citatis; Reiffenstuel loc. cit. num. 250, et alii plures. Et ratio est, quia arbitrium Clero relictum, non intelligitur de libera voluntate Cleri, sed de arbitrio a Jure, et ratione regulato; verbum enim *existiment* in d. c. *Non minus*, ibi : « Subsidia per Ecclesias existiment conferenda, » et verbum *duxerint* in cit. c. *Adversus*, ibi « Subsidia duxerint per Ecclesias conferenda, » non referuntur ad merum placitum voluntatis, sed ad arbitrium boni viri ratione regulatum; l. *Fideicommiss.* 11, § 7, ff. de Legatis 3, cum similibus.

(12. Per hoc autem quod cognita tali vera communi necessitate teneatur Clerus contribuere, non tenetur tamen, nec potest (nisi grave periculum sit in mora, juxta dicta supra num. 6.) contributionem statim solvere, nisi prius consulatur summus Pontifex, quia consilium et consensus Summi Pontificis ad id requiritur pro forma in cit. cap. *Adversus* 7, de Immunit. Eccles. ibi : « Propter impudentiam tamen quorumdam Romanus Pontifex prius consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere. » Et concordat cap. *Clericis* 3, de Immunit. Eccles. in 6. Extravagant. *Quod olim* de immunit. Eccles. Bulla *Cœna* § 18, Const. Urbani VIII, incip. *Romanus Pontifex*, et Sac. Cong. Immunit. quæ innumeris resolutionibus id semper decrevit, ut videri potest apud Riccium in citata sua Synopsi per tot. et signanter verb. *Contributio* num. 1. ibi : « Est opinio vera, observata, ut in Contributionibus Ecclesiasticorum semper præcequiratur Beneplacitum Apostolicum, » Sac. Congreg. Immunit. in Mutinen. 20 Martii 1643, lib. 3, decret. Paulue. pag. 197.

(13. Unde advertunt communiter Doctores cum Abbate in c. *Adversus* n. 6, Pignat. cit. cons. 15, n. 16, Pirhing. cit. tit. 49, de Immun. Eccles. n. 72, Reiffenstuel. ib. n. 269. quod non solum Laici exigendo, sed etiam Clerici sponte solvendo Contributiones quascumque, et Episcopi concedendo aut consentiendo, ut solvantur sine prævio expresso consensu Summi Pontificis, illicite, et invalide agerent, ac excommunicationem majorem Papæ reservatam incurrerent; cap. *Clericis* 3. de Immunit. Eccles. in 6, cum aliis supracitatis juribus (nisi forte excusarentur per grave periculum in mora juxta dicta supra n. 6.)

(14. Clerici enim nequeunt de se renunciare privilegio in favorem totius status Clericalis concesso arg. c. *Si diligenti* 12, de Foro competenti, ibi : « Cum non sit Beneficium hoc personale, cui renunciare valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico publice sit indultum, cui privatorum pactio derogare non potest; » et concordat l. *Jus publicum* 38, ff. de pactis. Nec Episcopus eidem derogare, ac præjudicare potest cum inferior in Legem Superioris nullam habeat potestatem; c. *Inferior* 4, dist. 21, *Cum inferior* 16, de majorit. et obedient. Clement. *Ne Romani* 2, de election.

(15. Alia multa ad rem. Vide verb. *Bona Ecclesiastica* per tot. verb. *Clericus* art. 2, verb. *Gabella*, verb. *Immunitas Ecclesiastica* per tot. et signanter art. 4.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(16. De Contributione expensarum pro re communi, quando ea fieri pro æquis partibus debeat, et quando debeat fieri pro rata usus, commodi, et utilitatis, ut qui ex sociis ampliori tempore aut modo utitur, ampliores subeat expensas, late tradit Rot. in Novarien. Contributionis 22. Mart. 1748. coram Illustriss. Molin.

CONTRITIO

Vide verb. Pœnitentiæ sacramentum.

CONTUMELIA

Vide verb. Detractio, *art.* 1. *num.* 8.

CONVENTUS

SUMMARIUM.

Articulus 1. — *Quoad ea quæ concernunt Conventuum fundationem, et translationem.*

1. Pro legitima, et valida fundatione Conventuum, seu Monasteriorum Regularium sunt omnimode attendendæ Constitutiones Pontificiæ ad hoc editæ. — 2. Adducitur Constitutio Clementis VIII. — 3. Adducitur Constitutio Gregorii XV. — 4. Adducitur Constitutio Urbani VIII. — 5. Adducitur Constitutio Innocentii X. — 6. Constitutiones Apostolicæ pro erigendis novis Conventibus sunt servandæ etiam extra Italiam, et in aliis Provinciis ultra montes. — 7. Tales Pontificiæ Constitutiones servandæ sunt in erectione Conventuum omnium Regularium, tam Mendicantium, quam non Mendicantium. — 8. Immo servandæ sunt tales Constitutiones etiam in reassumptione Conventus antea derelicti. — 9. Insuper non solum Decreta Apostolica servanda sunt in fundatione Conventuum, sed rigorosius in aperitione Hospitiorum, *usque ad n.* 10. — 11. Non sunt tamen attendendæ dictæ Constitutiones Apostolicæ, in translatione Conventus ad alium situm ejusdem loci, vel ob salubritatem aeris, vel ob periculum ruinæ fabricæ, vel ob aliud grave incommodum. — 12. Neque sunt attendendæ dictæ Constitutiones Apostolicæ, etiamsi translatio fiat ad situm, in quo reperiuntur constructi Conventus aliarum Religionum, quæ privilegium habent, quod novi Conventus non erigantur, nisi servata certa distantia. —

Digitized by Google

13. Novus Conventus Regularium nequit erigi sine beneplacito Apostolico, seu speciali Sedis Apostolicæ licentia. — 14. Neque fundari potest sine consensu Ordinarii. — 15. Hæc duo requisita scilicet consensus Sedis Apostolicæ, et Ordinarii copulative requiruntur. — 16. Sine licentia Sedis Apostolicæ fundatio est nulla. — 17. Sic pariter est nulla, si sit facta sine consensu Ordinarii. — 18. Ordinario licentiam denegante pro fundatione Conventus est recurrendum ad Sac. Cong. Episc. et Reg. et non ad Nuncium Apostolicum. — 19. Pro fundatione novi Conventus requiri consensum Regularium talibus Civitatibus, et locis existentium, statuit Clemens VIII. — 20. Adeo ut Religiosi intra quatuor milliaria existentes propter locorum paupertatem, et eleemosynarum tenuitatem possent se opponere. — 21. Ex posteriori tamen Constitutione Gregorii XV, videtur non esse amplius de necessitate requirendum consensum aliorum Regularium, quando Ordinariis constat novos Conventus erigendos posse commode, et sine aliorum præjudicio in tali Civitate, vel loco sustentari, *usque ad n.* 23. — 24. Quo ad hæc tamea attendendum est sequens posterius Breve Innocentii X. — 25. Et pariter attendendæ sunt variæ resolutiones, tum Rotæ, tum Sacrarum Congregationum in unum congesta ab Ursaya. — 26. In fundatione novi Conventus preservanda sunt jura Parochialia. — 27. Novi Conventus nequeunt erigi, seu fundari, nisi in eis possint sustentari saltem duodecim Religiosi, aliter remaneant subjecti Ordinariis. — 28. Quod procedit detractis expensis Sacristiæ, et Ecclesiæ. — 29. Ad quem effectum non est habenda ratio de redditibus difficilissimæ exactionis. — 30. Nec juvat, quod Religio offerat suppliere de redditibus aliorum Conventuum. — 31. Requisita pro fundandis novis Conventibus Religiosorum habent etiam locum circa erigenda Monasteria Monialium. — 32. Talia requisita locum non habent, nec exiguntur pro Congregationibus presbyterorum sæcularium collegialiter viventium, et sola auctoritate Ordinarii fundatis, et erectis. — 33. Regulares, qui possessionis bonorum, et annuorum reddituum sunt capaces, quamvis Ordinum Mendicantium sint, possunt ad novas fundationes admitti recepta eorumdem obligatione non quæstuandi. — 34. Apud Minoritas Regularis Observantiæ novi Conventus non eriguntur, neque jam erecti deseruntur sine consensu Diffinitorii Provinciæ. — 35. Pro erectione novorum Conventuum, et Monasteriorum adducitur novissima dispositio Congregationis super disciplina Regulari deputatæ. — 36. ad 47. Requisita ad fundationem novi conventus.

ARTICULUS II. — *Quoad ea, quæ concernunt Conventuum suppressionem, restitutionem, et exemptionem.*

1. Adducitur compendiosa notitia suppresionis, et restitut. Conventuum. — 2. Adducitur Constitutio pro numero personarum in singulis Monasteriis præfigendo. — 3. Formula describendi statum cujusque Monasterii de mandato Congregationis confecta. — 4. Bulla Suppressionis parvorum Conventuum Italiæ, et Insularum adjacentium in Congregatione compilata, et jussu Papæ statim edita et publicata. — 5. Literæ Congregationis exprimentes nominatim Conventus suppressos et exquirentes Episcoporum, et Capitulorum sententias pro bonis applicandis. — 6. Relationes applicationis bonorum Conventuum suppressorum a Papa ad se relatas approbavit. — 7. Literæ Circulares super Granciis, et membris etiam Curatis Monasteriorum. — 8. In Granciis, et membris Monasteriorum habitare non possunt Regulares Sacerdotes, sed Conversi tantum pro bonorum administratione. — 9. Missæ in Cappellis Granciarum, quando, et a quibus celebrandæ. — 10. Cura animarum in Granciis, et Membris Monasteriorum exerceri non potest per Regulares, sed per Vicarios perpetuos, vel amovibiles ab Ordinario deputandos. Granciarum bona reservantur ipsarum Monasteriis. — 11. Canonicorum Regularium Lateranensium Granciæ, et Parochiales ab Innocentio X, declarantur comprehendi in ejus Bulla, *Instauranda*. — 12. Conventus plurimi primum suppressi, ac deinde ex rationabilibus causis a Papa Religionibus restituti. — 13. Regulares de jure facultatem non habent uniendi Ecclesias, etiam sibi pleno jure subjectas. — 14. Unio parvorum Conventuum ejusdem Religionis in eodem loco existentium, qua lege facta fuerit? — 15. Adducitur motivum, et decretum Innocentii X, pro subjectione nonnullorum Conventuum jurisdictioni Ordinarii loci. — 16. Conventus suppressi, et postea Religionibus restituti, si non sint quatuor Sacerdotes, et duos Conversos, gratia restitutionis est nulla. — 17. Conventus numquam suppressi, in quibus non aluntur ad minus quatuor Sacerdotes, et duo Conversi sunt subjecti jurisdictioni Ordinarii loci. — 18. Decretum Urbani VIII, super Monasteriis erectis cum pauciori numero quam duodecim Religiosorum, præservatur in Decreto Innocentii X, *ut in parvis*. — 19. Hoc decretum illico transmissum fuit ad quemlibet Episcopum, una Literis Congregationis continentibus nomina Conventuum Religioni suæ restituendorum in illa Diœcesi. — 20. Afferuntur dubia suborta ratione d. Decreti Innocentii X, cum suis responsionibus et Decretis ab Alexandro VII, approbatis. — 21. Afferuntur alia dubia suborta ratione Constitutionis Innocentii X, incipient. *Instauranda*, et d. ejusdem Decreti incipient. *Ut in parvis* cum suis responsionibus, et Decreto. — 22. Afferuntur alia dubia suborta ratione d. Decreti *Ut in parvis*, cum suis responsionibus, et Decretis. — 23. Quamvis ex Decreto *ut in parvis*, Conventus erecti post. diem 21. Junii 1625. si in ipsis non permaneant saltem duodecim Religiosi, relinquantur subjecti Ordinario loci; tamen Sac. Congreg. Regular. diversimode censuit de omnibus generaliter Conventibus non suppressis, declarando Conventus numquam suppressos, in quibus sunt plures quam sex Religiosi, non subjacere Ordinariis. — 24. Quo enim ad alios Conventus antea erectos, et numquam suppressos pro exemptione ab Ordinarii jurisdictione sufficiunt sex tantum Religiosi ex ipsomet Decreto *Ut in parvis*. — 25. Conventus suppressi, et iterum restituti remanent subjecti Ordinariis loci. — 26. Tales Conventus primum suppressi, et deinde Religionibus restituti non remanent suppressi, nec gratia restitutionis est nulla, si ab ipsis ex aliqua rationabili causa, et ad breve tempus absit unus, vel plures ex numero sex Religiosorum ibi degentium. — 27. Si tamen a Conventibus non suppressis, licet ex causa rationabili absit aliquis e sex Religiosis ibi existentibus, Conventus subjacent jurisdictioni Ordinarii loci, durante tali absentia. — 28. Et illo Religioso redeunte, vel alias impleto numero sex Religiosorum, Conventus recuperant pristinam exemptionem. — 29. Conventus omnes erecti post diem 23. Decembris 1697. si in ipsis non permaneant saltem duodecim Religiosi, remanent subjecti Ordinariis. — 30. Affertur novissima Epistola attendenda quoad parvos Conventus. — 31. Episcopus visitans parvos Conventus sibi suppositos nequit a visitatis aliquid accipere procurationis nomine, neque in pecunia, neque in victualibus. — 32. ad 34. De Conventuum visitatione. — 35. ad 38. Aliqua notanda quoad Conventus in quibus exigua inhabitat Familia. — 39. ad 44. Utrum subsint jurisdictioni Episcopi ordinariæ, an delegatæ.

ARTICULUS III. — *Quoad ea, quæ concernunt Conventuum Clausuram.*

1. Omnes Regulares quicumque illi sint, obligantur ad habendum aliquod genus Clausuræ in Claustris, et Conventibus suorum Ordinum. — 2. Specialius Conventuum Regularium clausuram respicit

Digitized by Google

duæ Constitutiones S. Pii V. quarum prima incipiens *Regularium Personarum* revocat omnes facultates ingrediendi Monasteria virorum mulieribus concessas. — 3. Et per ipsam mulieres ingredientes clausuram Conventuum virorum prætextu licentiarum, excommunicantur excommunicatione Papæ reservata. — 4. Regulares vero ipsas præsumentes introducere, vel admittere, Officiis privantur, inhabiles ad illa, et alia obtinenda declarantur, et a divinis ipso facto sine alia declaratione suspenduntur. — 5. Secunda S. Pii Constitutio incipiens, *Decet Romanum Pontificem*, extendit easdem pœnas ad mulieres sine licentiarum prætextu clausuram Monasteriorum virorum ingredientes; et ad Religiosos eas intra Monasterii Clausuram etiam absque ullo licentiarum prætextu admittentes. — 6. Regulares quamvis ex dictis duabus Constitutionibus S. Pii V. non ligentur excommunicatione introducendo vel admittendo fœminas intra Conventuum suorum clausuram, tamen excommunicationem incurrunt, introducendo vel admittendo ipsas sub licentiarum prætextu ex Constitut. Greg. XIII. incipiente *Ubi gratiæ*. — 7. Et ipsam excommunicationem absolute incurrunt, sive introducant prætextu licentiarum, sive sine talium licentiarum prætextu ex declaratione Sac. Congreg. Episc. et Regularium. — 8. Affertur declaratio, seu Decretum — 9. Nomine clausuræ Conventuum, in quam est fœminis interdictus ingressus, intelligitur totum illud spatium quod intra septa Monasterii, seu Conventus continetur. — 10. Viridaria, et prata cum Conventu, et clausura conjuncta veniunt nomine clausuræ, ita ut mulieres ipsa ingredientes excommunicationem incurrant. — 11. Secus vero, si ipsa viridaria, et prata sint a clausura separata clavi, et muro convenienti. — 12. Sacristia ad quam non patet aditus, nisi per januam, quæ sit in claustro, comprehenditur sub clausura. — 13. Secus vero, si habet ingressum a sola Ecclesia, quia sic censetur pars Ecclesiæ. — 14. Si vero ad Sacristiam duplici porta, una in claustro, et alia in Ecclesia existente pateat aditus, plures docent contineri sub clausura: sed praxis fere ubique videtur in contrarium. — 15. Mulieres, quæ vadunt in prima claustra ad hauriendam aquam, modo Conventus habeat alia claustra invia mulieribus, non incidunt in excommunicationem. — 16. Nomine mulierum, quibus prohibetur ingressus in Monasteria virorum, veniunt omnes fœminæ cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis, etiam Comitissæ, Marchionissæ, et Ducissæ. Attende tamen novissimam dispositionem Benedicti XIV, adductam infra, *sub n.* 36. — 17. Etiam fundatrices Conventuum quantumvis nobiles sint et excellentes comprenduntur sub ista prohibitione. Observa tamen dictam novissimam dispositionem. — 18. Etiam puellæ parvulæ cujuscumque sint ætatis; *usque ad n.* 19. — 20. At praxis pluribus in locis videtur contraria, et posse puellas parvulas intrare in Monasteria virorum, tenent plures, *usque ad n.* 21. — 22. Imperatrices, et Reginæ, earumque Filiæ possunt intrare in Monasteria Religiosorum cum sua decenti comitiva. Juxta tamen dict. novissimam dispositionem. — 23. Mulieres omnes possunt licite ingredi in Conventus Religiosorum tempore Processionum, dummodo Processiones sequantur, nec ad interiores officinas, vel Religiosorum cellas divertant. Hodie autem attendenda est contraria dispositio Benedicti XIV. — 24. Affertur ad hoc Constitutio S. Pii V. — 25. Et Decr. Sac. Cong. Rituum. — 26. Sensus, et intelligentia talis Decreti. Attende d. novissimam dispositionem. — 27. Privilegium, quoad ingressum mulierum in Conventus Religiosorum non videtur ubique in usu, nisi pro tempore, quo Processiones fiunt. — 28. Superior nequit Processionem extraordinariam instituere ad solas preces mulierum nobilium, et divitum, ut ipsæ possint Conventum ingredi ad satisfaciendum suæ curiositati; et si hoc faciat, peccat mortaliter, et incurrit pœnas taxatas. — 29. Nec potest Superior, sive alius Religiosus mulieres introducere, quando murus clausuræ materialis ex occidenti est dirutus. — 30. Nomine Religiosorum introducentium, vel admittentium mulieres in Clausuram Conventus veniunt omnes Religiosi active influentes in talem ingressum mulierum, ut sunt invitantes, consulentes, hortantes, approbantes, monstrantes iter, auferentes impedimenta, januam aperientes, eas recipientes, concedentes, et auctoritative, sive ratione sui officii permittentes, ut intrent. — 31. Religiosus, qui mulierem jam introductam ex urbanitate salutat, ex decentia status illius per Conventum comitatur, incurrit pœnas taxatas, contra admittentes, recipientes, aut introducentes, si ipse est causa efficax, quod fœmina diutius detineatur in Conventu. — 32. Si tamen comitaretur, ut ea citius e Conventu egrederetur, et per rectam, et breviorem viam ad egressum urgeret, nullam pœnam incurreret. — 33. Sæculares non possunt pernoctare, etc., in Conventibus Fratrum Minorum de Observantia. — 34. Sub hac prohibitione comprehenduntur etiam Clerici, nisi sint vita exemplares. — 35. A supradicta tamen prohibitione excipiuntur Syndici Apostolici Conventuum præfatorum Fratrum. — 36. *ad n.* 40. Nunc quoad Clausuram attendenda est novissima dispositio Benedicti XIV. — 41. De Excommunicatione quam incurrunt fœminæ ingredientes clausuram Conventuum Virorum, et Religiosi illas introducentes, *Remissive*.

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt conventuum fundationem, et translationem.

(1. Pro legitima, et valida fundatione Conventuum, seu Monasteriorum, vel cœnobiorum Regularium, sunt omnimode attendendæ Pontificiæ Const. et signanter Constit. Clem. VIII incip. *Quoniam ad instantiam*, Constitutio Greg. XV incip. *Cum alias*, Constitutio Urb. VIII incip. *Romanus Pontifex*, et Const. Innocent. X incip. *Instaurandæ Regularis disciplinæ* § 5. Quæ omnes Constitutiones, ut ab omnibus in promptu habeantur, et adamussim observentur, hic ad litteram dantur.

(2. *Clementis VIII Constitutio XCIX circa erectionem novorum Conventuum.*

CLEMENS EPISCOPUS, ETC.

Quoniam ad instantiam Regularium locorum, et personarum reformationem promovendam, et conservandam maxime pertinet, ut in quibuscumque Domibus et Monasteriis is tantum numerus Religiosorum, qui commode ibidem ali possit, contineatur, ac eo pariter spectat, ut in quibuscumque Civitatibus, et locis, novæ Domus, et Monasteria præsertim Mendicantium non erigantur, nisi in eisdem civitatibus, et locis, aliorum Domorum, et Monasteriorum in eis existentium habita ratione, commode sustentari posse dignoscatur.

§ 1. Hac igitur Nos consideratione ducti et præmissis pro nostro pastorali munere opportune providere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ex voto etiam Venerab. Fratrum nostrorum S. R. Cardinal. super consultationibus, et negotiis Episcoporum, et Regularium præpositorum; harum serie declaramus, locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus cu-

Digitized by Google

juscumque Mendicantium Ordinis, in civitatibus, et locis eorum ordinariæ jurisdictioni subjectis erigendos impertiri, nisi vocatis, et auditis aliorum in eisdem civitatibus, et locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, et aliis interesse habentibus et causa servatis servandis cognita, constiterit, in eisdem civitatibus, et locis novos hujusmodi erigendos Conventus, sine aliorum detrimento commode sustentari posse.

§ 2. Si vero ab eorum in hujusmodi causis sententiis ad Nos, et Apostolicam Sedem provocari, et appellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quousque a nobis, et Apostolica Sede in eadem causa pronunciatum exstiterit, et irritum nihilominus et inane decernentes quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 3. Quo circa universis Ven. Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum Ordinariis per præsentes in virtute Sanctæ Obedientiæ districte præcipiendo mandamus, ut præsentes nostras literas observent, observari curent, et faciant.

§ 4 *sequitur derogatio ampla Contrariorum.*

Datum Romæ apud S. Marcum 23 Julii 1603 Anno 12 Bullar. tom. 3, pag. 146.

§3. Gregorii XV Constitut. XXXI qua confirmatur et ampliatur præcedens Constitutio Clem. VIII.

GREGORIUS EPISCOPUS, ETC.

§ 1. Cum alias fel. rec. Clem. Papa VIII decreverit, Ordinarios locorum licentias ad novos Conventus cujuscumque præsertim Mendicantium Ordinis in Civitatibus, et locis eorum ordinariæ jurisdictioni subjectis erigendos, impertiri non posse, nisi vocatis, et auditis aliorum in eisdem Civitatibus, et locis existentium Conventuum, Prioribus et aliis interesse habentibus, et ex causa servatis servandis cognita, in eisdem Civitatibus, et locis novos hujusmodi erigendos Conventus sine aliorum detrimento, commode substentari posse constiterit. Si vero ab eorum sententiis ad Sedem Apostolicam provocari, et appellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quamdiu a dicta Sede in ea causa pronunciatum exstiterit, ac alias prout in Decreto hujusmodi plenius continetur.

§ 2. Verum per piæ mem. Paulum Papam V accepto, plerosque ex Ordinariis prædictis favore vel nimia exposcentium importunitate, ad novos Conventus, seu Domos præter, et contra tenorem prædicti Decreti erigendos plerumque adduci, quo fit, ut non habita debita eleemosynarum, seu reddituum cujuscumque Monasterii, Conventus, seu Domus ratione, Monachi, seu Fratres, aut Religiosi ibi degentes, manuteneri nequeant, et ad tam exiguum numerum reducantur, ut cultus divinus in eorum Ecclesiis destituatur, ibique Regularis disciplina, ut convenit, conservari non valeat, Sacra Congreg. Illustrissimorum DD. Cardin. negotiis Regularium Præpositorum, ad quos idem Paulus Papa V negotium hujusmodi rejecerat, tot incommodis obviam ire, eisque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, decreti hujusmodi veriores, ac totos tenores præsentibus ac si de verbo ad verbum inserentur pro plene sufficienter expressis habens, vivæ vocis oraculo a SS. D. N. Gregorio Papa XV habito Decretum prædictum quatenus opus sit, innovat et in usum reducit.

§ 3. Volens, quod de cætero Monasterium, Conventus Domus, Congr. vel Societas Relig. seu Regul. cujuscumque etiam Mendicantium Ordinis, Societatis, et Instituti, quocumque nomine nuncuperentur, etiamsi de illis particularis, expressa et specifica mentio habenda esset, in quacumque Civitate, vel Oppido, seu quocumque alio loco non erigantur, nisi in eo saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, et consuetis eleemosynis sustentari valeant, ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conventuum, seu Domorum aliorum Religionum, vel Congreg. seu Societatum, aut Institutorum hujusmodi non solum in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis ad id vocati, et auditi fuerint, vel alias Ordinariis locorum constiterit, Religiosos Monasterii, Conventus, seu Domus regularis sic erigendi, seu erigendæ absque detrimento Religiosorum in Monasteriis Domibus ante in Civitatibus seu locis hujusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim, commode, et congrue manuteneri, et ali posse. Si vero novi Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas hujusmodi instituendæ erunt, nullique alii Regulares inibi reperiantur, Ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum Incolæ, et Habitatores, quorum et consensum requirant, ac adhibeant, hujusmodi duodecim Religiosos in Conventibus, ut præmittitur, instituendis commode alere, et manutenere valeant.

§ 4. Si vero a Decreto, seu Decretis per Ordinarios prædictos in causis hujusmodi ferendis legitime appellari contigerit, ex nunc prout ex eo die, qua appellatio interponetur, ea ad eamd. Sac. Congregation. una cum toto negotio principali devoluta censeatur, appellationeque hujusmodi pendente nihil innovandum esse, irritumque, et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernens quibuscumque in contrarium facient. non obstantibus.

Rom., 17 Aug. 1622, Bullar. tom. 4, pag. 138.

§4. Urbani VIII Constit. XXV qua confirmantur et ampliantur præfatæ duæ Constitutiones.

URBANUS EPISCOPUS, ETC.

Romanus Pontifex, cui Salvator et Dominus noster, qui Charitas est, et Deus pacis,

Digitized by Google

universalis Ecclesiæ credidit principatum, ea interdum, quæ certis etiam rationabilibus de causis a Sede Apostol. concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, et majoribus ex causis, quibus præsertim personarum sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium paci, et quieti consulitur, litibusque, ac controversiis inter eos obviam itur, revocat, et immutat, in hisque pastoralis sollicitudinis, et providentiæ suæ studium interponit, prout rerum, et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

§ 1. Cum itaque, sicut Nobis innotuit, complures licentiæ, sive facultates a nonnullis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris per diversos Ordinum etiam Mendicantium, Cong. Societatum et aliorum Regularium Institutorum Superiores; seu alios eorum nomine, ubique locorum Monasteria, Domos, Collegia, et alia loca Regularia, servata dumtaxat Sacrorum Canonum, et Conc. Trid. Decretorum forma, de sola Ordinarii licentia seu etiam forsan non servata forma et absque licentia hujusmodi, et contra Decreta a Sede Apostol. super præmissis edita, fundandi, erigendi, et instituendi importunis precibus, seu etiam motu proprio, vel alias obtentæ, et extortæ fuerint; idcirco Nos omnes, et quascumque licentias, ac facultates hujusmodi literasque desuper tam sub plumbo, quam in hujusmodi forma Brevis expeditas, earumque tenores etiam veriores, et Dat. præsentibus, ac si specifice, et sigillatim exprimerentur, et insererentur, pro plene, et sufficienter expressi, et ad verbum insertis habentes, justis de causis animum nostrum moventibus motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, et quascumque licentias, et facultates hujusmodi, literasque desuper tam sub plumbo, quam in eadem forma Brevis expeditas, omniaque, et singula in eis quomodolibet contenta, et expressa, etiam quoad erectiones, fundationes, et institutiones Monasteriorum, Domorum, Conventuum et aliorum Regularium locorum hujusmodi, quæ suum nondum sortitæ sunt effectum, tenore præsentium perpetuo revocamus, cassamus, abrogamus, et annullamus, viribusque, et effectu prorsus evacuamus.

§ 2. Præterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, et aliorum Institutorum Regularium Superioribus quocumque nomine nuncupatis, cæterisque personis ad quos spectat in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub pœna privationis vocis activæ, et passivæ, nec non officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa, et ad alia in futurum obtinenda, nec non etiam excommunicationis ipso facto incurrendis pœnis interdicimus, et prohibemus, ne licentiarum, seu facultatum per Nos, ut præfertur, revocatarum, et annullatarum, sive alio quovis prætextu, vel causa, etiam quantumvis privilegiata, nova Monasteria, Collegia, Domos, Conventus, et alia loca Regularia hujusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac servata in omnibus, et per omnia Sac. Canonum, et Conc. Trid., nec non Const. fel. rec. Clem. VIII, quæ incip. *Quoniam ad instantiam, etc.*, ac Decretorum de mandato ejusdem Clem. necnon San. Mem. Greg. XV Rom. Pont. Prædecess. desuper editorum forma recipere, erigere, fundare, seu alias quomodolibet instituere, seu incœpta finire et absolvere audeant, seu præsumant.

§§ seq. *Sequuntur clausulæ præservativæ hujus Constitutionis deputentur Executores, et contrariis amplissime derogatur.*

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, die 28 Aug. Pontificatus anno secundo, Bullar. tom. 4, pag. 265.

(5. *Innocentii X Constitutio super suppressione parvorum Conventuum, ac prohibitione novos erigendi.*

INNOCENTIUS EPISCOPUS, ETC.

Instaurandæ Regularis disciplinæ opus multis laboribus, ac vigiliis a Rom. Pont. Prædecess. nostris jampridem assumptum nobis in dies magis magisque cogitantibus cur ad optatum finem, hucusque perduci non potuerit, totque saluberrima decreta, et ordinationes fere in irritum ceciderint; illa tandem præcipua sese obtulit originis causa, quod Religiones quamplures ex parvis Conventibus, ac domibus magna ex parte conflantur, in quibus sive ob aeris intemperiem sive aliam ob causam non aluntur, nec alia possunt tot Religiosi, quot ad peragendum rite Divinum cultum, et Regularia munia ex cujusque Ordinis præscripto sunt necessarii.

§ 1. Etenim in tam exiguo numero ibi degentes nec divinum Officium nocturnam pariter, et diurnum in Choro celebrare, nec orationi mentali, ac spiritualibus collationibus, et exercitiis, ac studiis in communi vacare, nec silentium, clausuram, vitam communem, cæterasque institutiones servare possunt, quæ ad tria principalia vota ordinantur, et sine quibus consistere vix possunt regularis vitæ bases et fundamenta. Quamobrem otio immersi nullum religiosæ vitæ specimen præ se ferunt: soli incedunt per Urbes, et loca, cum sæcularibus vagantur, ac mundanis negotiis se involvunt. Indeque fit, ut ibi collocari renuant Religiosi probatæ vitæ, ac disciplinæ, et Superiores cogantur illic familiam constituere ex fratribus vitæ laxioris, qui loci licentia pejores fiunt; et si quando ad cœnobia, seu Monasteria Regularis Observantiæ revocantur, a claustro, quasi a squalore carceris abhorrentes vix adduci possunt, ut communem servent in moribus disciplinam, atque aliorum institutionibus se conforment, quin potius cæteros avertunt, vel certo reddunt suo exemplo segniores. Unde relaxationes derivantur in Ordines, et sensim invalescunt in ipsarum Religionum dedecus, et ruinam. Præterea (quod dolentes referimus) ad hujusmodi Conventus, præsertim in locis infrequentibus, et solitariis tanquam ad Asylum facinorosi,

Digitized by Google

et Curiæ contumaces, vel proscripti in dies confugiunt, ibique loci immunitate freti turpiter, ac dissolutæ viventes, atque inde in tempore exeuntes graviora perpetrant flagitia cum maximo populi scandalo. Cumque Conventus, sive loca parva hujusmodi in effrenatam quasi excreverint multitudinem, hinc licet omnibus intelligere quæcumque reformationis remedia cassa fore, et irrita, quamdiu non fuerint a Religionibus abscissa. Quæ potest enim spes esse corpus languidum, et infirmum ad salutem reducendi, si magna illius pars est curationis incapax, quin potius reliquam partem inficit, atque contaminat? Hæc quippe sunt zizania, quæ cum jam creverint usque ad messem, sunt in fasciculos alliganda, et a Religionum tritico separanda. Hæ sunt vulpes parvulæ, quæ demoliuntur vineas. Hoc est fermentum, quod totam massam corrumpit.

§ 2. Quæ omnia, atque alia plura pro Pastorali nostra sollicitudine diu, multumque animo revolventes, ut sacræ Religiones in multitudinem latius incremento fœcunditatis per universam Ecclesiam diffusæ a vepribus, et spinis mundatæ uberes germinent fructus : Nos etiam ab ipsismet Religionum Superioribus reformationem zelantibus crebris precibus interpellati, et frequentibus populorum querimoniis permoti, salutare remedium adhibere consulta ordinatione decrevimus. Itaque de voto Congregat. aliquorum Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinal. et dilectorum filiorum Roman. Curiæ Prælatorum super statu Regularium a nobis deputatæ, cui hoc negotium sedulo ac mature examinandum commisimus, motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, et singuli Conventus quorumcumque Monachorum, ac Regular. virorum bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cujuscumque Ord. Mendic. vel non Mendicantium, Congr. Societ. et cujusvis alterius Instituti, etiam Soc. Jesu, etiam si illis animarum cura personarum sæcularium incumbat, sintve Hospitia, vel Grangiæ, seu alterius Monasterii membra, existentes intra fines Italiæ, et Insularum adjacentium literis ab eadem Congregat. propediem expediendis nominatim exprimendos, in quidus ob parvum numerum Religiosorum Regularis disciplina, juxta peculiaria cujusque Ordinis Instituta, servari non potest, auctoritate Apostolica tenore presentium perpetuo exstinguimus, supprimimus, et abolemus una cum omnibus eorum dignitatibus, officiis, ac ministeriis, illosque ab omni proprietate, dominio, superioritate, jurisdictione, ac alio quocumque jure Regularium eximimus et totaliter liberamus, omnemque conventualitatem, titulum, essentiam, ac denominationem regularem in eis penitus exstinguentes, illos ad statum sæcularem reducimus. Reservata tamen ipsi Congregat. facultate conservandi Religionibus aliquem ex Conventibus expressis in memoratis literis, si hoc aliqua rationabili causa expedire judicaverint, salvis etiam juribus, quæ Fundatoribus Conventuum, sic suppressorum, vel aliis ex Sacrorum Canonum præscripto, vel ex privilegio Apostolico quomodolibet competunt.

§ 3. Quocirca dilectis filiis quorumcumque Regularium superioribus tam Generalibus, quam Provincialibus, et localibus, quocumque nomine, ac titulo nuncupentur, in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, et mandamus, ut singuli ad quos pertinet, infra terminum sex mensium inchoandum a prædicta Congr. ut præmittitur expediendarum faciendæ in Rom. Curia Procuratori Generali cujusque Ord. vel Congr. aut Societ. dimittant realiter, et cum effectu coram Ordinariis locorum sub testimonio publico eidem Congreg. per eosdem Superiores Regulares exhibendo, possessionem corporalem Conventuum in eisdem Literis expressorum, et reservata eis facultate secum asportandi profanam tantum, non autem sacram supellectilem, religiosos inde amoveant, atque in aliis Monasteriis ejusdem Ordinis, vel Congr. aut Soc. collocent, alioquin pœnas privationis vocis activæ et passivæ, nec non dignitatum et officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda ipso facto absque alia declaratione incurrant.

§ 4. Eoque termino elapso, non liceat Regularibus in Ecclesiis dictorum Conventuum Missas, et divina officia celebrare, Confessiones Sacramentales audire, vel alia Sacramenta administrare, ac functiones Parochiales exercere, aut verbum Dei prædicare, vel mortuos sepelire. Quod si secus egerint, eo ipso Ecclesiæ remaneant suppositæ Ecclesiast. interdicto. Et nihilominus locorum Ordinarii, ubi per literas ipsius Congr. fuerint requisiti, Religiosos rebelles, et refractarios a prædictis Conventibus ejiciant, etiam invocato, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, et exinde Ecclesiarum, Domorum, bonorumque omnium ad Conventus sic oppressos quomodolibet pertinentium regimen, curam, custodiam, et administrationem suscipiant, curentque, ut ex eorum redditibus, et proventibus universis in primis, et ante omnia impleantur onera Missarum tam huc usque non celebratarum, quam in posterum celebrand. et alia quæcumque ex lege fundationis, aut largitione fidelium, vel alias quomodolibet eis incumbentia, quibus nullo modo derogare intendimus, et cura animarum, si qua illis immineat, per Presbyteros sæculares idoneos ab ipsis Ordinariis approbandos laudabiliter exerceatur, Ecclesiæ debito non fraudentur servitio. Cæterum intendentes de prædictis bonis quot superfuerint oneribus ut supra detractis, salubriter providere, earumdem tenore præsentium bona hujusmodi applicamus, et applicata esse decernimus, et declaramus piis usibus in eisdem locis, ubi siti sunt Conventus, iisque non indigentibus, in aliis locis ejusdem Diœcesis, juxta designationem, et partitionem, quam eadem Congr. singulorum Episcoporum cum suis Capitulis sententia prius audita, et plena totius negotii relatione ha-

Digitized by Google

dita, de mandato nostro faciet in suis literis ad eosdem Episcopos scribendis, et in Cancel. Episcopali registrandis ad perpetuam rei memoriam.

§ 5. Verum quia parum est mala præcidere, nisi etiam malorum causa, et radix evellatur, *Const.* fel. rec. Bonif. VIII, quæ incipit: *Cum ex eo*, nec non Clement. VIII, incip. *Quoniam ad institutam*, aliorumque Rom. Pont. Prædecess. nostrorum super erectione novorum Conventuum editas earumdem tenores innovantes, illisque addentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regul. Ordin. Mendicantium, vel non Mendicantium, Congr. Soc. et cujusvis alterius Instituti, etiam Soc. Jesu in aliqua civitate, Castro, Villa, seu loco ad habitandum Domos, vel loca quæcumque de novo recipere, seu Monasteria, Conventus, vel Collegia incipere, vel fundare præsumat absque Sedis Ap. licentia speciali plenam, et expressam faciente de prohibitione hujusmodi mentionem in scriptis, et gratis concedenda, prævia examinatione Congreg. negotiis Episcoporum, et Regularium præpositæ; si secus egerint, eo ipso incurrant pœnas privationis, inhabilitatis ut supra inflictas, et nihilominus receptiones, fundationes, et erectiones sint ipso jure nullæ, et invalidæ; et Domus, ac loca ipsa, et personæ in eis degentes omnimodæ jurisdictioni, visitationi, correctioni Ordinarii loci plene in omnibus subjaceant. Intendimus autem in præmissis etiam ultra Italiam, et Insulas adjacentes, prout expedire videmus, providere.

§ 6. Decernen. præsentes Literas etiam ex eo, quod Superiores Regulares, et cæteri, quicumque in præmissis interesse habentes seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno inexcogitato, et substantiali, sive etiam ex eo, quod in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis, aut quocumque alio colore etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa quantumvis justa, rationabili, et privilegiata etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, et aliis superius expressis, seu relatis nihil appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, et impetrato quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse neque ipsas præsentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet facien. comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac per omnes, et singulos ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

§ 7. Sicque et non aliter in præmissis omnibus et singulis per quoscumque Judices Ordinarios, et delegatos, etiam causarum Sacri Palatii Apost. Auditores, necnon S. R. E. Card. etiam de Latere Legatos, et Nuntios, ac pro tempore existentes in quavis causa, et instantia, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 8. Non obstan. quatenus opus sit, Regula nostra de non tollendo jure quæsito, aliisque Cancellariæ Apostolicæ regulis, cæterisque *Constitut.* et ordinationibus Apostol. etiam in Conciliis generalibus editis, etiam specialiter in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congreg. Soc. et cujusvis alterius Instituti, etiam Soc. Jesu, et Monasteriorum, Collegiorum, domorum, ac locorum Regularium quorumcumque, nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apost. vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, Indultis, et privilegiis etiam ex causa, et titulo oneroso, vel in limine fundationis, et in Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliter nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis Clausulis, nec non irritantibus, et aliis decretis, etiam motu, et scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine similibus, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum et quorumvis aliorum Principum, et personarum quacumque Ecclesiastica, vel sæculari dignitate fulgentium, seu eorum intuitu, et contemplatione, ac etiam consistorialiter et alias quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, et iteratis vicibus approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis quoad ea, quæ præsentibus quomodolibet adversantur, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, et formis specialis, et individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quævis exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus specialiter,

Digitized by Google

et expresse derogamus cæteris contrariis quibuscumque.

§ 9. Volumus autem quod præsentes literæ in valvis Ecclesiæ Lateranen. et Basilicæ Principis Apostolorum nec non Cancell. Apost. ac in Aciæ Campi Floræ de eadem Urbe publicentur, et affigantur, quæ postquam affixæ, et publicatæ fuerint, omnes, et singulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatæ fuissent.

§ 10. Quodque earum præsentium transumptis etiam expressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus, adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum etc.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnat. Dominicæ 1652. Idib. Octob. Pontificatus nostri anno Nono.

(6. Constitutiones Apostolicæ pro erigendis novis Conventibus sunt servandæ etiam extra Italiam, et in aliis Provinciis ultra montes, ut declaravit Urbanus VIII, die 30. Januarii 1638, in Congregatione de Propaganda Fide habita coram Sanctitate Sua, ut refert Nicolius Lucubration. Copon. lib. 3. tit. 31. sub num. 14, (7. et iterum roboravit Innoc. X. Constitut. incip. *Instaurandæ* 5. Tales Pontificiæ Constitut. servandæ sunt in erectione Conventuum omnium Regularium tam Mendicantium, quam non Mendicantium, quia præjudicium præexistentium consideratur, non tantum quoad quæstum, sed etiam quoad receptionem Sacramentorum, et ex quocumque alio capite; Sac. Congreg. Episcop. et Regular. in una Montis Regalis 21. Apr. 1690. (8. Immo servandæ sunt tales Constitutiones etiam in reassumptione Conventus antea derelicti, id est servandæ sunt ab omnibus illis Regularibus, qui redeunt ad Conventus, quos antea dereliquerant, ut respondit Sac. Congreg. Episc. et Regul. Archiepiscopo Turritano 17. Novembr. 1617. his verbis: « Cum Archiepiscopus Turritanus Sacram hanc Congregationem consuluisset, an in reassumptione Conventuum Fratrum Minorum de Observantia suæ Diœcesis, quos ipsi jampridem deseruerant, servandum sit Decretum felic. record. Clement. Papæ VIII. super novorum Conventuum erectione editum? Illustrissimi ejusdem Congreg. PP. id omnino servandum esse censuerunt. »

(9. Insuper non solum decreta Apostolica servanda sunt in fundatione Conventuum, sed rigorosius in aperitione Hospitiorum, quæ permitti nullatenus debent ab Ordinariis, nisi ipsi Regulares ad hoc habeant facultatem specialem a Sacra congregatione, et ad unguem observent conditiones pro Hospitiis præscriptas in sequenti Decreto emanato in Causa Calaguritana de Bilbao, ubi fuit statutum. Patres Carmelitas Discalceatos posse continuare in Hospitio, vel potius ipsum reducere ad Hospitium sæculare cum habitatione, quæ tantummodo deserviat pro recipiendis religiosis itinerantibus, quod in illo nulla servetur forma regularis, non erigatur Ecclesia, seu Oratorium formale cum janua in publica via, sed tantum Oratorium internum ad effectum inibi Missas, et Orationes privatas pro illorum spirituali usu tantum celebrandi. Quod ibi Sacramenta non administrentur, nec fiant publicæ conciones, nec Divina officia, aliæque functiones peragantur, non tumulentur cadavera, nec retineatur campana, nec aliquod signum, quod vero Conventui adaptetur, et transcendat naturam et conditionem meri et simplicis Hospitii sæcularis, addita prohibitione quæstuandi, nec non quod Regulares ad illud se transferentes non assumant titulum Præsidentis, vel alterius Officialitatis, subjiciendo ulterius in casum contraventionis ipso facto pœnis contra Religiosos degentes extra Claustra, non obstante quacumque exemptione, aliisque arbitrio Sacr. Congregat. Et quod super observantia præmissorum Provincialis, et Diffinitorum valide se obligent coram Episcopo, qui Instrumentum dictæ obligationis ad eamdem Sacram Congregationem transmittat. Romæ 15. Septembris 1699. Hanc Hospitii legem eadem Sacr. Congreg. Episcop. et Regul. servari mandavit in Atrien. Hospitii a PP. Discalceatis S. Augustini 31. Aug. 1691. et in Veliterna a Carmelitis Discalceatis 5. Decembr 1692. in utraque referente clar. mem. Card. Petruccio. (10. Et jam pluries consimiliter decreverat eadem Sacr. Congregat. ut refert Nicol. in Flosculis verb. *Hospitium*, ubi pariter dicit, quod nequeunt Regulares reducere Hospitium in Conventum, ex Decret. 14. Jun. 1641. 27. April. 1646. et 13. Februarii 1647.

(11. Non sunt tamen attendendæ d. Constit. Apostolicæ in translatione Conventus ad alium situm ejusdem loci, vel ob salubritatem aeris, vel ob periculum ruinæ fabricæ, vel ob aliud grave incommodum, quia hæc non dicitur nova fundatio, et oppositiones aliorum Regularium obstare non valent; sic respondit Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in una Carmelitarum Excalceat. 4. Augusti 1625. in una Cappucc. 13. Septembris 1641. et in Ger. 19. Sept. 1687. his verbis. « Sacra etc. in causa, et causis vertentibus inter Fratres Carmelitas Calceatos Civitatis Ger. ex una, et PP. Societatis Jesu, Carmelitas Excalceatos ejusdem Civitatis, et litis Consortes partibus ex altera, de, et super translatione, fundatione, et constructione Ecclesiæ, et Conventus dictorum Fratrum Carmelitarum Calceatorum in domibus de Abrich per ipsos inhabitatis, partibus auditis, referente Eminentissimo S. Cæciliæ, censuit, et declaravit supradictæ translationi, fundationi, et constructioni Ecclesiæ, et Conventus eorumdem Fratrum Carmelitarum Calceatorum in præfatis Domibus de Abrich, Constitutiones Apostolicas non obstare. » (12 Neque sunt attendendæ dictæ Constitutiones Apostolicæ, etiamsi translatio fiat ad situm, in quo reperiantur constructi Conventus aliarum Religionum, quæ privilegium habent, quod novi Conventus non erigantur, nisi servata certa distantia; unde præexistentes Regulares,

Digitized by Google

neque tunc possent se opponere tali translationi, ut in simili casu vertente inter Patres Minores de Observantia, et Patres Capuccinos Corleonis Diœcesis Montis Regalis respondit Sac. Congreg. Episcop. et Regul. præcisis his terminis : « Sacra etc. ad relationem Emin. Cæsarini utraque parte informante, iterum negotio mature discusso, censuit Constitutiones, et Decreta Apostolica super novorum Conventuum erectione edita, etiam in qua parte disponunt de distantia servanda inter Conventus jam erectos, et erigendos non habere locum, cum mutatur situs Conventuum jam erectorum in eodem loco, ac proinde standum esse in decisis præmissis, cæterisque contrariis non obstantibus, Romæ 9. Maji 1642. » Cujus Decreti, et alterius immediate allati exemplar authenticum fatetur habuisse apud se Monacelli tom. 1, tit. 6, formular. 19, num. 4, et 5, et ibidem n. 7, refert quod in Agrigentina inter PP. Cappuccinos, et PP. Minores de Observantia Reformatos, in qua pariter opponebatur intercapedo novæ Fabricæ, ad relationem Card. Denkoff sub die 28, Mart. 1697, censuit : *Esse locum translationi facto verbo cum Sanctissimo.*

(12. Novus Conventus Regularium nequit erigi, et fundari sine beneplacito Apostolico, seu speciali Sedis Apostolicæ licentia, cap. 1. de excessibus Prælator. in 6. innovat. in Clementin. *Cupientes* 3, in princip. de pœn. et in cap. unico § *Confirmatos*, de Religiosis Domibus in 6, in Constitutione Innocentii X. incip. *Instauranda* § 5. Rota part. 12. recent. decis. 289, n. 2. dec. 309. num. 2. par. 13. dec. 115. num. 1. (14. Neque fundari potest sine consensu Ordinarii; Conc. Trident. sess. 25. cap. 3, de Regularib. Urban. VIII, Constitut. incipient. *Romanus Pontifex* § 2, Rota part. 12, dicta decis. 299, num. 4, et 11, dec. 309. num. 3, et part. 13, decis. 115. (15. Hæc duo requisita, scilicet Consensus Sedis Apostolicæ, et Ordinarii copulative requiruntur, ut declaravit Sacra Congregatio Episcop. et Regul. teste Rota p. 12, dec. 289, n. 7, cum sequent. dec. 309, n. 4, p. 13, dec. 87, n. 11, dec. 231, n. 9, et p. 18, tom. 2, dec. 536, num. 17. (16. Sine licentia Sedis Apostolicæ fundatio est nulla; dicta Constitut. Innocent. X. incip. *Instauranda* § 5, Rota par. 12, dec. 289, num. 8, part. 13, dec. 87, num. 4. (17. Sic pariter est nulla, si sit facta sine consensu Ordinarii; Conc. Trident. loco cit. Rota part. 12, dec. 289, num. 15, par. 13, et dec. 87, num. 5, par. 18, t. 2, dec. 536, num. 17, et seq. (18. Ordinario tamen licentiam denegante pro fundatione Conventus, est recurrendum ad Sacram Congregationem Episcop. et Regul. non autem ad Nuncium; Gregor. XV. Constitut. incip. *Cum alias* § 4, Rota part. 12, decis. 289, num. 17, et par. 13, decis. 87, n. 10. (19. Pro fundatione novi Conventus requiri consensum aliorum Regularium in talibus Civitatibus, et locis existentium, statuit Clement. VIII, Constitut. incip. *Quoniam ad institutum*, et Gregor. XV, Constitut. incip. *Cum alias* § 3, et tenuit Rota par. 12, dec. 289, num. 21, dec. 309, num. 8, et par. 13, decis. 87, num. 12. (20. Adeo ut Religiosi intra quatuor milliaria existentes propter locorum paupertatem, et eleemosynarum tenuitatem possent dictæ fundationi se opponere; Rota p. 13, dec. 115, n. 7.

(21. At quia D. Gregorius XV. d. Constit. incip. *Cum alias* § 3, post relatam dispositionem Clementis VIII, quod vocari, et audiri debeant alii Regulares, statim subjungit : « Vel alias Ordinariis locorum constiterit Religiosos Monasterii, Conventus, seu Domus Regularis sic erigendi, seu erigendæ absque detrimento Religiosorum in Monasteriis, seu Domibus antea in Civitatibus, seu locis ejusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim, commode, et congrue manuteneri, et ali posse; » videtur dicendum, quod non sit de necessitate exquirendus consensus aliorum Regularium, quando Ordinarius constet novos Conventus erigendos posse commode, et sine aliorum præjudicio sustentari; quia illa dictio *Vel*, tamquam alternativa, cadit inter diversa, casusque disjungit, ex traditis a Gonz. ad reg. 8, gl. 48, num. 17, et gl. 52, num. 3, idemque importat dictio *Alias*, ut per Put. dec. 170, in fin. l. 3. in corr. et Bard. dict. 9, num. 3, et Piguatell. t. 1, consult. 32, num. 5. (22. Et in hac specie, quod per dicta verba Gregorii tribuatur arbitrium Ordinariis vocandi, vel non vocandi Regulares, quando aliunde possunt esse certi de commoda sustentatione Regularium novi Conventus sine aliorum præexistentium præjudicio, seu detrimento, probat Cespedes de exempt. Reg. quoad Monast. ædific. cap. 1, dub. 4, ubi respondit Peyrino in addit. ad Const. 3, *alias* 13, Urbani VIII, notabil. 2, contrarium asserenti ea ratione, quod dum Constitutio Urbani incipiens *Romanus Pontifex*, confirmat omnino Constitutionem Clement. VIII. incipiant. *Quoniam*, tollit arbitrium, quod Gregorius in d. Constit. incip. *Cum alias* Episcopis tribuerat; Quæ Peyrini assertio, et ratio revera non subsistit, quia Urbanus VIII. non solum confirmavit Constitutionem Clementis VIII, sed etiam Constitutionem Gregorii XV. a quo est concessum Episcopis dictum arbitrium, et dictam Constitutionem Gregorii XV. fuisse confirmatam, et non abrogatam per Urbanum VIII. declaravit Sac. Congregat. Concil. teste Rota part. 12. dec. 107, num. 30. et hanc sententiam tenent Cespedes loc. cit. Pignat. loc. cit. Monacell. tom. 1. append. ad formul. annot. ad d. Constitutiones post Constit. *Instauranda* num. 7. Passerin. in cap. Unico de excessib. prælator. a num. 50. ad 64. in 4. lib. Decret. in 6. et alii passim. (23. Et ratio est clara, quia cum ex dictis Urban. VIII. confirmaverit nedum Constitutionem Clementis, sed etiam Constitutionem Gregorii, et Constitutio Gregorii sit quantum ad hoc moderativa Constitutionis Clementis, stat clarum quod ex vi Gregorianæ non sit amplius de necesse exquirendus consensus aliorum Regularium, quando Ordinariis constat novos Conventus erigendos posse commode, et sine alio-

Digitized by Google

rum præjudicio in tali Civitate, vel loco sustentari.

(24. Quo ad hæc tamen attendendum est sequens Breve Innoc. XI. editum 10. Aprilis 1688.

« Breve, in quo nonnulla Decreta pro novis erectionibus, seu fundationibus Conventuum, Hospitiorum, et Domorum Regularium, seu habitationum permanentium edita, observari præcipiuntur, assignanturque Judices; qui contra Regulares ea transgredientes, aut violare præsumentes, procedere possint, ac debeant. »

Dilectis Filiis, nostro et Sedis Apostolicæ Nuntio in Regnis Hispaniarum residenti, et Bantanæ vulgo Santillan, ac Sancti Andreæ vulgo Santander Sæcularium, et Collegiatarum Ecclesiarum Provinciæ Burgen. Diœces. Abbatibus, et eorum cuilibet.

INNOCENTIUS PAPA XI.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Dilecti Filii, salutem, et Apost. Benedictionem. Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Frater Franciscus Diaz a S. Bonaventura Commissarius Generalis Ultramontanæ Familiæ totius Ordinis S. Francisci, quod ab infrascriptis Pontificibus Prædecessoribus nostris emanarunt quamplurimæ Literæ, etiam in forma Brevis expeditæ, seu Decreta, circa formam observandam in erectionibus novorum Conventuum, Hospitiorum, et habitationum Religiosorum, et circa pœnas infligendas Religiosis quorumcumque Ordinum, qui in Hospitiis Regularibus, et Domibus, aut Locis Piis non Regularibus illegitime fundatis, seu erectis, et in quibus requisita ad fundationes, et erectiones prædictas in dictis Literis præscripta non inveniuntur, permanere, vivere, seu morari, aut degere ausi fuerint.

Primo a Sanctæ Memoriæ Clemente PP. VIII. Prædecessore Nostro, quarum initium est: *Quoniam ad instituta* sub dat. 22. Julii anni Domini 1603. et aliæ quæ incipiunt, *Decet Romanum Pontificem* sub dat. 11. Julii anni ejusdem Domini 1603. et ab eodem Clement PP. VIII. emanarunt etiam decreta Reformationis de anno prædicti Domini 1598. Secundo a fel. record. Urbano PP. VIII. etiam Prædecessore nostro incipientes a verbis: *Romanus Pontifex* sub data 23. Augusti 1624. Tertio a bonæ memoriæ Innocentii PP. X. pariter Prædecessore Nostro incipientis per verba: *Instauranda Regularis disciplinæ*, de anno ejusdem Domini 1652. Quarto a piæ memoriæ Alexandro PP. VII. similiter Prædecessore Nostro incipientes sub verbis *Alias*, ac etiam *Alias pro parte* sub die 6. Aug. 1663. et quarta Febr. anni Domini 1664. Quinto a recolend. mem. Clem. PP. X. etiam Prædecessore Nostro incipientes a verbis: *Nuper pro parte* sub dat. 6. Maii anno Domini 1673. et in aliquibus ex prædictis Literis nonnulla decreta Congregationis negotiis Episcoporum, et Regularium propositæ, confirmata reperiuntur, quæ in Judicio contradictorio ad formam, et tenorem aliarum Literarum pro Fratribus Minoribus promulgata fuerunt.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictæ Literæ, et etiam decreta prædicta, aliaque super eadem materia emanata a dilectis filiis Superioribus, seu Religiosis diversarum Religionum, et Ordinum præcipue Carmelitarum Discalceatorum, Trinitariorum, et Capuccinorum in Ultramontanis Provinciis, et præcipue in Burgen. Cantabrien. Compostellan. ac Valentin. Diœcesibus respective degentibus, etiam contra formam Literarum concernentium confirmationem, et communicationem privilegiorum, et gratiarum, et concessionum, nuper a Nobis emanatarum sub die 5. Septembris anni prædicti Domini 1684. ad favorem Fratrum Regularis Observantiæ Sancti Francisci in totum, vel in parte non observentur, seu illas, et illa violare, vel impugnare prætendant, vel non vereantur: ideo nomine ejusdem Ordinis Fratrum Minorum Regularis Observantiæ Sancti Francisci, ut juribus suæ Religionis, et præcipue prædictarum Provinciarum consulere valeat, et dicta Brevia, seu Decreta in posterum in viridi observantia conserventur, seu conservari possint, Nobis humiliter supplicari fecit Exponens prædictus, ut ei in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur dictarum Literarum, ac Decretorum tenore præsentibus pro expressis habentes, ipsumque Exponentem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exstitit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ, attento quod sicut dictus Exponens asserit, agitur inter exemptos, per præsentes committimus, et mandamus, quatenus Vos, vel duo, aut unus Vestrum, vocatis ad id, qui fuerint evocandi, ad dictarum litterarum, et decretorum hujusmodi executionem, juxta illarum, seu illorum formam, et tenorem, prout de jure, auctoritate nostra procedatis, procedique mandetis, et faciatis ab omnibus in posterum observari.

Nos enim Vobis, et cuilibet Vestrum etiam per edictum publicum constito de non tuto accessu quo opus fuerit, citandi, illisque, et quibus videbitur sub sententiis, censuris, et pœnis inhibendi, ac inobedientes in illas incidisse servata forma Concil. Trident. declarandi, aggravandi, reaggravandi, et interdicendi, auxiliumque brachii sæcularis, si opus fuerit, invocandi, cæteraque in præmissis necessaria, et opportuna faciendi, exercendi, et exsequendi, plenam, et liberam, Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus facultatem. Non obstant. præmissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Digitized by Google

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10 Apr. 1688, Pontificatus nostri anno duodecimo.

(25. Et pariter attendendæ sunt variæ resolutiones tum Rotæ, tum Sacrarum Congregationum in unum congestæ ab Ursaya tom. 1. part. 2. discept. 13. in Reatina prætensæ Fundationis Conventus pro PP. Minoribus Observantibus Reformatis Sancti Francisci Civitatis Reatis, cum PP. Capuccinis ejusdem Civitatis; quæ causa delata ad Clementem XI, et ab ipso remissa Sacræ Congregationi Episcoporum, et Regularium statim ipsa sub die 23 Maii 1710. rescripsit: « Episcopo pro informatione, et voto, auditis omnibus Regularibus, aliisque interesse habentibus; » Et tandem omnibus auditis, et juste perpensis, ex quo non aderat distantia a Constitutionibus Apostolicis requisita, nec consensus aliorum vicinorum Conventuum die 15 Julii 1712. in Congregatione Episcoporum proposita causa per Cardinalem Parracianum responsum fuit: *Non esse locum fundationi Conventus.*

(26. In fundatione novi Conventus præservanda sunt jura Parochialia, prout expresse statuit Sac. Congregatio in Tiburtina Fundationis Conventus 28. Februarii 1698. referente Eminentissimo Acciajolo. (27. Novi Conventus nequeunt erigi, seu fundari, nisi in eis possint sustentari saltem duodecim Religiosi, aliter Conventus de novo erecti in quibus duodecim saltem Religiosi inhabitare non poterunt, et actu non habitaverint, remanent subjecti visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictionis Ordinarii; Gregor. XV. Constit. incip. *Cum alias*, Sacra Congregatio Conc. 21. Junii 1625. in decreto, jussu, et auctoritate Urbani VIII. edito, tenoris qui sequitur « Deinceps vero Monasterium, Conventus, Domus Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere et ex redditibus, et consuetis eleemosynis, detractis omnibus, ut supra detrahendis, competenter sustentari valeant, ad præscriptum decreti felicis record. Gregorii XV, hac de re editi; alioquin Monasteria, et loca hujusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi ut supra sustentari atque inhabitare non poterunt, et actu non inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur. » Quod decretum cum aliis ab eadem Sac. Congr. Conc. super celebratione Missarum emanatis, confirmavit, et approbavit, ac ab omnibus exacte, et perpetuo servari mandavit Innocentius XII. Constitut. incip. *Nuper*, edita anno 1697. 13. Decemb. Rota part. 12. recent. doc. 17. num. 12. 26. cum sequent. et 34. (28. Quod procedit detractis expensis Sacristiæ, et Ecclesiæ. Rota ibid. n. 35. (29. Ad quem effectum non est habenda ratio de redditibus difficillimæ exactionis; Rota ibid. num. 35. cum sequent. (30. Nec juvat quod Religio offerat supplere de redditibus aliorum Conventuum, quia de illis non est habenda ratio, cum Religioni id facere non liceat absque beneplacito Apostolico; Rota ibidem num. 35.

(31. Requisita pro fundandis novis Conventibus Religiosorum, habent etiam locum circa erigenda Monasteria Monialium; debent enim eædem solemnitates observari in illis ædificandis, sicuti in illis Regularium; Barbosa super Trident. sess. 25. de Regularibus, et Monialibus cap. 3. num. 29. Sellius in select. Canon. cap. 60. num. 4. ubi testatur sic fuisse decisum sub die 19. Decembris 1620. (32. Talia tamen requisita locum non habent, nec exiguntur pro Congregationibus Presbyterorum sæcularium collegialiter viventium, et sola auctoritate Ordinarii fundatis, et erectis. Sic decisum refert Nicolius in Floscul. verb. *Conventus* n. 1. ibi: Sub decretis super erectione novorum Conventuum non comprehenduntur Congregationes Presbyterorum Sæcularium in communi viventium erectæ auctoritate Ordinaria: Sac. Congregat. Episcopor. et Regular. in Caputaquensi 13. Januarii 1623. Et hanc sententiam tenuit quoque Sac. Congregat. Conc. 9. Augusti 1625. ex lib. 12. decr. fol. 298. (33. Regulares, qui possessionis bonorum, et annuorum reddituum sunt capaces, quamvis Ordinum Mendicantium sint, possunt ad novas fundationes admitti, recepta eorumdem obligatione non quæstuandi, ut admisit Sacra Congregatio Episcop. et Regul. in Dertonen. pro PP. Scholarum Piarum ad relationem claræ memoriæ Card. Petrucci sub die 4. Julii 1692, in qua rescripsit: « Annuendum fundationi cum strictissima obligatione non quæstuandi. » (34. Apud Minoritas Regulares Observantiæ novi Conventus non eriguntur, neque jam erecti deferuntur, sine consensu Definitorii Provinciæ. Talem enim consensum ultra alia requisita exigunt suæ peculiares Constitutiones Ordin. cap. 6. § 6. pag. 106. num. 1. Unde si agatur de fundatione Conventus hujus Religionis, consensu Definitorii non exhibito, non erit locus erectioni, quamvis cætera requisita concurrant; Sacra Congregatio Episcop. et Regularium in Aquinaten. pro loco Arcis 12. Februarii 1694.

(35. Pro erectione novorum Conventuum, et Monasteriorum adest novissima dispositio Sacr. Congregat. super disciplina Regulari deputatæ, et est ut sequitur: « Generalibus Ordinum Regularium renovatur prohibitio alias injuncta non procedendi ad fundationem novorum Conventuum, et Monasteriorum intra Italiam, ac Insulas adjacentes, nisi prius Conventus, vel Monasterii fundandi reddituum sufficientia, et subsistentia coram Sac. Congreg. justificata fuerit. »

La Sacra Congregazione sopra la disciplina Regolare destinata dalla santa memoria d'Innocenzo XII, a stabilire specialmente l'Osservanza della vita Comune, ed a riconoscere la sufficienza, e sussistenza dell'entrate per essa necessarie nelle fondazioni, che avessero avute a farsi di nuovo di Monasteri, e Conventi dentro l'Italia, ed Isole adjacenti, ve-

Digitized by Google

dendo che in questa parte tanto essenziale non viene in verun conto adempita la mente di si zelante Pontefice, non ostanti le pene di privazione di voce attiva, et passiva, sospensione dalle cariche, e dignità, e perpetua inabilità ad esse a'Superiori *pro tempore*, a'quali appartiene simile incombenza; è venuta in determinazione di ridurre a memoria di tutti i Superiori Regolari l'obbligo preciso, che loro ne corre, avvertendo di non tentare in avvenire fondazione alcuna, senza prima giustificare come sopra la sufficienza e sussistenza dell'entrate avanti la stessa Sacra Congregazione, sotto le pene enunciate, ed altre ad arbitrio della medesima.

Monsignor de Vico Segretario, che ne avanza la notizia al P. Procurator Generale, etc., per la dovuta esecuzione in ciò che concerne l'interesse della sua Religione, starà attendendo il riscontro *in scriptis* della ricevuta del presente viglietto, unitamente con la nota dell'ultima fondazione, specificando il giorno, mese, ed anno, in che seguì, e di cuore lo riverisce.

Di Casa questo dì 23 Febbrajo 1717.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(36. Requisita ad fundationem novi Conventus sunt Beneplacitum Apostolicum, licentia Ordinarii, consensus Parochi, tum Regularium qui sunt intra quatuor milliaria, et redditus sufficiens sustentationi duodecim Religiosorum.

(37. Quoad Beneplacitum Apostolicum censent nonnulli Doctores relati a Donato q. Regul. tom. 1, part. 2, tr. 1. q. 3, num. 4 et seq. quod dispositio Text. in cap. unic. de excess. Prælat. in 6. *tum* in cap. 1, § *Confirmato* de Religios. domib. eod. qua inducta est necessitas Apostolici Beneplaciti in fundatione novi Conventus, sublata fuerit a Concilio Trident. sess. 25, cap. 3, de regular. in fin. ubi sancitur, quod « nec de cætero similia loca erigantur sine Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta. » At prævaluit contraria opinio, quod scilicet Sancta Synodus ex eo, quod mentionem dumtaxat habet de licentia Episcopi, nequeat dici derogasse requisito Beneplaciti Apostolici, ut pluribus allegatis firmavit Rota cor. Cels. dec. 60, num. 1 et 3. in Eysteten. Fundationis Hospitii, 10 Maii 1726, § *Contrarium*, cor. bon. mem. Gamach.

(38. Quæ Beneplaciti Apostolici necessitas locum sibi vindicat, etiamsi agatur de fundatione novi Conventus extra Italiam, eo ipso quod descendit a Sacris Canonibus, qui ubique gentium obligant, ut observarunt San. mem. Benedictus XIV. de Synod. Diœces. lib. 9, cap. 1, num. 5. P. Girald. in Elenc. 6. Apost. Constit. *Quæ accesserunt*. Conc. Trident. num. 7. et Rota in Eysteten. Fundationis Hospitii, 10 Maii 1727, § *Quæ omnia*, cor. bon. mem. Gamach. ubi quod aliter dicendum esset, (39. si dicta necessitas descenderet a Constitutione incipien. *Instauranda* S. M. Innocentii X. utpote quæ non egreditur Italiam, Insulasque adjacentes.

(40. Potest vero Beneplacitum hoc Apostolicum ex intervallo accedere, modo tamen in judicium deducta haud sit nullitas fundationis novi Conventus; Rota in dict. Eysteten. Fundationis Hospitii, 10 Maii 1726, § *Frustraque*, cor. bon. mem. Gamach.

(41. Circa consensum Parochi, non importune quæritur, utrum is præstari debeat ab eo, qui obtinet curam habitualem, an ab illo, qui curam obtinet actualem. Præstandum esse ab obtinente curam habitualem tenuit Rota in dict. Eysteten. Fundationis Hospitii, 10 Maii 1726, § *Rursus*, coram bon. mem. Gamach. (42. Non omittendum vero, quod in ejus casu ille, qui obtinebat curam actualem, non erat perpetuus, sed amovibilis ad nutum. (43. At idem dicendum videtur, etiamsi ille qui curam actualem obtinet, sit perpetuus, nam et hic plus juris sibi asserere nequit quam simplex exercitium curæ, ut respondit Rota in Ariminen. Functionum super primo dubio 13 Junii 1746, § 2 et 6. coram bon. mem. Lan. (44. Consensus autem, de quo agitur non est præstandus ratione exercitii curæ.

(45. De mox dictis requisitis ad fundationem novi Conventus, nec inutilis est quæstio, an ea concurrere etiam debeant, si agatur de Regularibus illis, quibus in loco de quo agitur, jam competebat jus quæstuandi. Et affirmative respondit Rota in dicta Eysteten. Fundationis Hospitii, 10 Maii 1726, § *Nam quoad*, cor. bon. mem. Gamach. Hæc de fundatione novi Conventus.

(46. Quod autem attinet ad translationem Conventus, quidquid in utramque partem olim disputatum sit, indubia hodie res est, quod servandæ haud sint Constitutiones Apostolicæ loquentes de fundatione novi Conventus, si translatio fiat ob aliquam justam causam ad alium situm ejusdem loci, ut Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium negotiis præposita censuit non solum in resolutionibus, allegatis ab Auctore n. 11 et 12. verum et novissime in Majoricen. 5 Aprilis 1754. ad secundum dubium.

(47. Quinimmo nec Regulares habentes Privilegium, quod novi Conventus haud fundentur, nisi servetur certa distantia, opponere se possunt translationi Conventus ad alium ejusdem loci situm, ut rejectis Donato, Passerino, Pignatello firmat Matthæucci in Officiali Curiæ, cap. 16, num. 9. ubi allegat resolutiones mox dictæ S. Congregationis in Montis Regalis, 9 Junii 1741. et in Agrigentina, 28 Martii 1697.

ARTICULUS II

Quoad ea, quæ concernunt conventuum suppressionem, restitutionem, et exemptionem.

(1. Conventuum suppressionis, et restitutionis notitia non melius, ac verius potest hic tradi, quam juxta tradita a Fagn. in cap. *Relatum* 7. Ne Clerici, vel Monach. num. 41. et sequentibus, utpote qui et deputatæ Sacræ Congregationis Secretarius fuit et Constitutionum ad hoc editarum minutas confecit. Refert igitur quod Innocentius X, anno 1649. mense Martii instituit Congreg. nonnullorum S. R. E. Cardinalium, et Romanæ curiæ Præ-

Digitized by Google

latorum super statu, seu reformatione Regularium, in qua fuit primo deliberatum de præfigendo in singulis Monasteriis numero tot personarum, quot ex illorum redditibus absque penuria sustentari possent ad præscriptum Concilii Arelatensis cap. 8. relati in c. 1. de Instit. Conc. Trid. sess. 25. de Regularibus c. 3. et Constitutionum Apostolicarum. Atque ab omnibus unanimiter in eam sententiam itum est, ut fieret Constitutio, qua injungeretur Superioribus tam Generalibus, quam Provincialibus, et Localibus quarumcumque Religionum, ut infra terminum quatuor mensium transmitterent statum temporalem singulorum Monasteriorum existentium intra fines Italiæ, et Insularum adjacentium ad Procuratorem Generalem suæ respectivæ Religionis in Urbe commorantem, qui una cum aliis Religiosis ad hoc deputandis præfigeret in unoquoque Monasterio eum tantum numerum, qui ex redditibus propriis, vel consuetis eleemosynis congrue posset sustentari, easque præfixiones infra alios quatuor Menses una cum statu cujusque Monasterii memoratæ Congregationi consignaret, et interim interdiceretur jisdem Superioribus, ne quemquam ad habitum, vel Professionem admitterent sub nullitate actus, et excommunicatione latæ sententiæ, donec præfixiones ut supra exhibitæ fuissent, et ipsi licentiam recipiendi Novitios ab eodem Cong. obtinuissent. (2. Unde mandatum fuit ipsi Fagn., ut minutam Const. conficeret, quæ postea per manus Cardinalium, ac Prælatorum dilata, et a Sanctitate Sua approbata, tandem edita fuit in hunc, qui sequitur, tenorem.

INNOCENTIUS PAPA X.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

§ 1. Inter cætera, quæ ad Reg. disciplinam instaurandam, conservandamque Sac. Trid. Syn. salubriter decrevit, illud semper præcipuum, et maximi momenti habitum est, quo injungitur, ut in singulis Monast. et Domibus Regularibus is tantum numerus constituatur, et in posterum conservetur, qui vel redditibus propriis Monast. vel consuetis eleemosynis commode possit sustentari.

§ 2. Quapropter ad ejus usum inducendum fel. rec. Clem. VIII, Paul. V, et Urbanus VIII, Romani Pontifices prædecessores nostri, varia decreta ediderunt, sed quia nihilominus, sive ob injuriam temporum, sive ob superiorum incuriam, sive alias ob causas illius executio hucusque protracta est non sine gravi Monasteriorum in spiritualibus, et temporalibus detrimento, ac Religionum jactura; idcirco Nos nequaquam ignorantes quantum ex Monasteriis pie institutis et recte administratis in Ecclesia Dei splendoris, atque utilitatis oriatur, quantumque dignitati et commodo Ecclesiastici Ordinis detrahat multitudo Religiosorum quæ sine delectu supra vires Monast. in Religiones invehitur, ac proinde arbitrati valde acceptum Deo, sacrisque Religionibus proficuum fore, ut Decretum tam salubre debitæ executioni demandetur.

§ 3. De consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum Filiorum Romanæ curiæ Prælatorum, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium præcipimus, et mandamus omnibus, et singulis dilectis Filiis, Generalibus, Commissariis, Præsidentibus, Provincialibus Ministris, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Præfectis, Rectoribus, Guardianis, Correctoribus, Vicariis, et quibuscumque aliis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, ac Domorum, quorumcumque Monachorum ac Regularium virorum bona immobilia possidentium, vel non possidentium cujuscumque Ordinis, Mendicantium vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, et instituti etiam necessario, et in individuo exprimendi existentium intra fines Italiæ, et Insularum adjacentium, ut singuli ad quos pertinet, adhibitis duobus, vel tribus Regularibus sui Ordinis probatioribus, ac rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, redditus, ac proventus omnes Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, ac Domorum Regularium hujusmodi (etiamsi sint hospitia, vel ab alio Monasterio dependeant, sintve illius Granciæ, seu membra), sex annorum immediate præcedentium habita ratione, ac detracto omni eo quod grandines, sterilitates, reparationes, et alii casus hujusmodi, absorbere solent, consuetas item eleemosynas, et obventiones, item victus, vestitus, ac medicinalium, et alias quascumque tam ordinarias, quam extraordinarias expensas, aeris quoque alieni, nec non Missarum celebrandarum, Fabricæ, Sacristiæ, annuarum præstationum, contributionum, ac procurationum, aliave, ejusque generis onera diligenter, ac mature cognoscant, eaque omnia in scripturam redigant exprimentes illius Monasterii titulum, seu denominationem, item capacitatem, ac situationem, videlicet in qua Diœcesi, et an intra mœnia Civitatis, vel oppidi, anve in pagis, seu villis, vel in sylvis, aut nemoribus, et quantum distet a locis frequentibus et populosis; item a quo tempore fundatum fuerit, quave auctoritate, et cujus sumptibus, anve, et a quo numerus Religiosorum in eo fuerit alias præfixus, et quot ibi Religiosi, et servientes in præsenti degant, specificatis uniuscujusque nomine, cognomine, et patria scripturamque sic confectam propria manu subscribant, medio juramento attestantes vera esse omnia, quæ in ea continentur, consuetoque sigillo obsignatam infra quatuor menses a publicatione præsentium in hac Alma Urbe nostra ut infra dicenda computandos, transmittant, seu consignent Procuratori Generali sui Ordinis in Urbe commoranti, qui una cum aliquibus gravioribus Religiosis a Congregatione prædictorum Cardinalium, et Prælatorum ad hoc specialiter deputandis, negotio mature perpenso, ac computatis hujusmodi redditibus, eleemosynis, et obventionibus universis, atque oneribus ut supra detractis sedulo examinent,

Digitized by Google

quot Religiosi homines, connumeratis etiam Laicis, aliisque necessariis servientibus in unoquoque Monasterio, Conventu, Collegio, et Domo Regulari, quamvis (ut præmittitur, sit Hospitium, seu alterius Monasterii membrum) juxta proprii Instituti morem, victum, et vestitum, ac medicinalia in communi habentes, commode valeant sustentari; omnibusque diligenter discussis, familiæ cujuscumque Monasterii, Conventus, Collegii, ac Domus Regularis hujusmodi in qualibet Provincia, vel Congregatione, certum earum tantum Personarum numerum præfigat, quæ redditibus, eleemosynis et obventionibus ut supra competenter ali possint, easque numeri præfixiones una cum originalibus scripturis super statu cujusque Monasterii, ac Domus Regularis, a Superioribus, ut præfertur, confectis infra alios quatuor menses eidem Congregationi Cardinalium, ac Prælatorum exhibeat, ut ab ea recognoscantur, et approbentur.

§ 4. Quod si memorati Superiores, ac Procurator Ordinis intra præfixum terminum prædicta adimplere neglexerint, privationis vocis activæ, et passivæ, nec non officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, et inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda perpetuam pœnam eo ipso absque alia declaratione incurrant, rehabilitatione Nobis, et Sedi Apostolicæ reservata.

§ 5. Interea vero prohibemus, et interdicimus omnibus, et singulis Capitulis, et Congregationibus Generalibus, et Provinctalibus, et Conventualibus, nec non Superioribus tam Generalibus, quam Provincialibus, et Localibus antedictis, ne deinceps quemquam ad habitum suæ Religionis recipiant, nec jam receptos, aut in posterum contra hujusmodi prohibitionem forsan recipiendos ad Professionem admittant, donec scripturæ prædictæ, ac præfixiones numeri familiæ cujuscumque Monasterii, ac Domus Regularis hujusmodi, eidem Congregationi Cardinalium, et Prælatorum realiter, et cum effectu fuerint exhibitæ, ac deinde memorati Superiores licentiam recipiendi ad habitum, et Professionem ab eadem Congregatione obtinuerint. Alioquin receptiones tam ad habitum, quam ad Professionem aliter factæ, sint ipso jure nullæ, nullamque inducant obligationem ad Religionem in specie, vel in genere, aut ad alios quoscumque effectus.

§ 6. Nihilominus contravenientes sententiam excommunicationis incurrant, a qua per alium, quam per Nos, et Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constituti absolvi non possint.

§ 7. Non obstantibus quo ad præmissa omnia, et singula Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum atque Ordin. tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congreg. Societatum, et cujusvis alterius Instituti, etiam Societ. Jesu, et Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac Locorum Regularium quorumcumque, nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis; vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, et privilegiis etiam causa, et titulo oneroso, vel in limine fundationis, etiam in Mari Magno, seu bulla aurea, aut aliter nuncupatis, seu quibuscumque tenoribus, et formis; et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, nec non irritantibus Decretis etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam ad Imperatoris, Regum, seu aliorum Principum instantiam, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, et iteratis vicibus approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis quoad ea quæ præsentibus quomodolibet adversantur, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis et individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quævis alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§ 8. Volumus autem, etc.

§ 9. Quodque earumdem præsentium transumptis, etc.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17 Decembris 1649. Pontificatus Nostri Anno sexto.

(3. Constitutione publicata, ad faciliorem illius executionem confecta est formula typis excusa, et ad Superiores cujusque Monasterii transmissa, in qua Italico idiomate tamquam in tabula monstratum est, quo ordine, quave ratione describendus sit cujusque Monasterii status. Hinc infra terminum octo mensium in prædicta Constitutione præfixum Regulares omnes, cujusque Ordinis et Congregationis, Societatis et Instituti, ea qua decet obedientia paruerunt; nam ex omnibus Italiæ Provinciis, et adjacentium Insularum exhibitæ fuerunt scripturæ originales statuum singulorum Monasteriorum continentes, subscriptæ, ac juramento firmatæ una cum Summario reddituum, expensarum, ac præfixione familiæ uniuscujusque Monasterii. Post hæc Prælati ipsius Congregationis designati Religionum plene retulerunt illarum statum in genere, et singulorum Monasteriorum in specie, juxta methodum per manus delatam.

(4. Cum vero ex hujusmodi relationibus compertum esset multas Religiones constare ex quamplurimis Conventibus, in quibus ob redditum tenuitatem actu non alebantur, nec ali poterant tot Religiosi, quot sufficerent ad observantiam Regularis disciplinæ, idcirco in pluribus sessionibus mature deliberatum fuit de illorum suppressione, ac

Digitized by Google

redditum applicatione; et facta Sanctissimo relatione, Sanctitas Sua probavit Congregat. sententiam, et d. Fagnanum ipsius Congregationis Secretarium deputavit die 22 Julii 1652, qui pro rei magnitudine transmisit per manus Cardinalium, ac Prælatorum distinctis vicibus dubia supra sexaginta, quæ in Congregationibus habitis de mandato Sanctissimi per singulas hebdomades fuerunt accurate discussa; ex quorum resolutionibus conflata est materia pro compilanda Bulla desuper edenda. Et cum d. Fagnano similiter demandata esset provincia conficiendi illius minutam, et illa confecta, et Sanctissimo delata, ab ipsoque mature considerata, atque de ejus mandato Cardinalibus, et Prælatis consideranda, et in plena Congr. discutienda, et examinanda, tradita, ab ipsisque unanimi consensu approbata, mox Sanctitatis Suæ jussu fuit, et locis publicis affixa Constitutio incip. *Instaurandæ Regularis disciplinæ*. Vide ipsam supra Art. 1, n. 5.

(5. Hinc biduo post publicationem Bullæ Sacr. Congregatio dedit Literas ad singulos Superiores Generales Religionum in Curia existentes, in quibus nominatim expressit parvos Conventus in illa Religione suppressos, ut sic satis fieret illis verbis Bullæ: « In literis ab eadem Congregatione propediem expediendis nominatim exprimendos. Et subinde Die 10 Decembris ejusdem anni » 1652, scripsit Litteras circulares cum insertione Bullæ impressæ ad unumquemque Episcopum, in Italia, et insulis adjacentibus, in quibus primum expressit itidem nomina Conventuum suppressorum in illa Diœcesi, ac deinde ipsi Episcopo commisit, ut una cum Capitulo suæ Cathedralis ad præscriptum Bullæ referret, quibus piis usibus existimaret esse applicanda bona cujusque Conventus suppressi, præcipuamque rationem haberet tenuitatis Parochialium, deputationis Coadjutorum pro cura animarum, et Capellanorum pro Missis celebrandis, item manutentionis Seminarii, Hospitalium, Monasteriorum Monialium, et consimilium.

(6. Has autem relationes ab Episcopo, et Capitulo subscriptas, obsignatasque ad Sac. Congregat. transmissas, atque ubi oportuit emandatas, Sanctitas Sua ad se relatas approbavit, executionique mandari, et in Cancellaria Episcopali registrari præcepit, moxque Decreta hæc applicationis, ac partitionis bonorum una cum Literis ipsius Congregationis ad singulos Episcopos transmissa fuerunt; et sic pariter satisfactum fuit verbis Bullæ, ibi : « Bona hujusmodi applicamus, et applicata esse decernimus, et declaramus piis usibus in eisdemmet locis, ubi siti sunt Conventus, iisque non indigentibus, in aliis locis ejusdem Diœcesis juxta designationem, et partitionem, quam eadem Congregatio singulorum Episcoporum cum suis Capitulis, sententia prius audita, et plena totius negotii relatione habita, de mandato nostro faciet in suis Literis ad eosdem Episcopos scribendis, » etc.

(7. Quia vero in d. Bulla, *Instaurandæ*, comprehenduntur non modo parvi Conventus, sed etiam Granciæ, seu alterius Monasterii membra, licet Curam animarum habeant annexam : idcirco de mandato Sanctitatis Suæ datæ fuerunt Literæ, tum ad Superiores Generales cujusque Religionis in Curia existentes, tum ad singulos Episcopos in Italia, et Insulis adjacentibus, in quibus nominatim exprimuntur hujusmodi Granciæ, (8. et membra, et mandatur Episcopis, ut Regulares Sacerdotes in eis habitare non permittant, sed pro custodia, et administratione bonorum deficientibus personis sæcularibus idoneis, sinant Regulares, uti opera suorum Conversorum; (9. cum hoc tamen, ut in earum Cappellis Missæ juxta solitum celebrentur saltem diebus Festis per Sacerdotes sæculares, aut etiam per Regulares, qui tamen in eis non pernoctent. (10. In Curatis vero, seu Parochialibus non permittant Curam animarum exerceri per Regulares, sed ad id deputent Sacerdotes Sæculares idoneos in Vicarios perpetuos, vel amovibiles a Superioribus Regularibus nominandos, cum congrua fructuum portione ipsius Episcopi arbitrio assignanda ad præscriptum S. Concil. Trid. cap. 7, ff. 7. et reliqua ipsarum Granciarum, seu Parochialium bona Monasteriis principalibus dimittant. (11. Et in hac dispositione Granciarum, et Parochialium Sanctitas sua declaravit comprehendi etiam Canonicos Regulares Lateranenses, quos noluit extra claustra degere pro Cura animarum exercenda, non obstante dispositione cap. *Quod Dei timorem*, de stat. Monach. et in hanc sententiam scriptæ fuerunt literæ ad complures Episcopos.

(12. Quoniam vero in eadem Bulla *Instaurandæ*, sub gravibus pœnis præcipitur Superioribus Regularibus, ut infra terminum sex mensium inchoandum a die præsentationis Literarum suppressionis Conventuum dimittant illorum possessionem corporalem realiter, et cum effectu coram Ordinariis locorum sub testimonio publico, et nihilominus reservatur ipsi Congregat. facultas conservandi Religionibus, aliquem ex Conventibus expressis in memoratis Literis, si hoc ex aliqua rationabili causa expedire judicaverit : propterea infra terminum sic præfixum Superiores Religionum fere omnium supplicarunt SSmo pro conservatione, seu Restitutione plurimorum Conventuum, et ex illis Sanctitas sua multos reduxit ad primævum statum regul., ac Religionibus restituit, quos scilicet ex publicis documentis, et Episc. attestationibus cognovit habere sufficientes redditus pro alendis Religiosis in numero competenti, et populis esse valde utiles in Missis, et Divinis officiis celebrandis, et Confessionibus audiendis, et præsertim in locis ubi non sunt alii Regularium Conventus.

(13. Præterea cum Superiores Regulares de jure facultatem non habeant uniendi Ecclesias etiam sibi pleno jure subjectas, ut post Innoc. et Abbat. Antiq. in c. *Sicut unire* de excess. Prælat. not. Gl. in Clem. *Ne in agro* § *ad hæc* in verb. *Ordinarios*, de stat. Monach. quando accidit casus, ut in eadem

Digitized by Google

Civitate vel Oppido suppressi fuerint duo parvi Conventus ejusdem Religionis, ad supplicationem Regularium, Sanctitas sua univit minorem Conventum cum omnibus ejus bonis Conventui majori. (14. Sed tamen jussit vendi domum Conventus uniti infra terminum sex mensium, et pretium inde retractum investiri in tot bonis stabilibus ad utilitatem alterius Conventus, ut sic Fratribus adimeretur occasio redeundi ad Conventum minorem, ibique minus religiose vivendi cum dedecore sui Ordinis.

Rursus quia interdum accidit casus, ut ana Religio, puta S. Dominici, haberet Conventum in aliquo loco, in quo alia Religio, puta S. August. habebat Conventum suppressum, et e converso Religio S. Augustini haberet Conventum in alio loco, in quo Religio S. Dominici similiter habebat Conventum suppressum : oblata fuit Superioribus facultas faciendi inter se reciprocas uniones, et permutationes dictorum Conventuum, ita ut Conventus S. Augustini suppressus uniretur Conventui S. Dominici ejusdem loci, et vice versa Conventus suppressus S. Domin. uniretur Conventui S. August. alterius loci. Sed tamen sive ob angustiam temporis, sive ob diversitatem Diœcesum, et Provinciarum, sive ob raritatem dictorum casuum, sive ob inæqualitatem permutationum, vel aliam ob causam, Religiones in his non convenerunt, et negotium evanuit.

(15. Porro ut in illis Conventibus, qui ut supra Religionibus fuerunt restituti, et in aliis non habentibus numerum sex Religiosorum vivatur cum debita observantia, Sanctitas sua subjecit illos omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci tamquam Sedis Apostolicæ delegati, ut in Decreto, cujus tenor est infrascriptus, videlicet.

« Ut in parvis Regularium virorum Conventibus a Sanctiss. D. N. Innoc. PP. X. in Const. quæ incipit, *Instaurandæ*, primum suppressis, ac deinde ad ipsius Constitutionis limites ob rationabiles causas in pristinum statum Regularem restitutis, et ipsis Religionibus denuo concessis, pie, et religiose vivatur, ac Regularia instituta quo exactius fieri potest, observentur : Sanctitas sua ex sententia Sacræ Congregationis super statu Regularium omnes, et singulos Conventus hujusmodi sic, ut præfertur, restitutos, et concessos, in Literis ab eadem Sac. Congr. expediendis nominatim exprimendos, ac personas tam Regulares, quam sæculares in eis degentes visitationi, correctioni, et omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegati, præsentis Decreti tenore plene in omnibus subjecit, ac subditos esse declaravit, donec ipsorum redditus eousque adaucti fuerint, ut in eis commode sustentari valeant, et cum effectu sustententur duodecim Religiosi ad Apostolicorum Decretorum præscriptum, idque eidem Congregationi legitime constiterit, et ejus decreto in singulis contingentibus casibus declaratum fuerit, et non aliter. (16. Interea vero voluit Sanctitas sua, ut in eorum singulis ali debeant, et re ipsa alantur sex saltem Religiosi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minus sint Sacerdotes maturæ ætatis; alioquin gratia restitutionis, et concessionis hujusmodi nulla sit, et invalida, et Ordinarii locorum in illis Conventibus exequi possint, ac debeant ea omnia, quæ in aliis Conventibus itidem suppressis per eamdem Constitutionem ipsis demandantur, perinde ac si gratia restitutionis prædictæ, et concessionis non emanasset. (17. Insuper quia multi sunt Conventus, in quibus etsi præfixus fuerit numerus Religiosorum sufficiens ad observantiam Regularis disciplinæ, et idcirco in suppressione antedicta non fuerint comprehensi; nihilominus sive ob redditum diminutionem, sive ob Superiorum incuriam, vel malam administrationem, sive ob carentiam Religiosorum, aut aeris intemperiem, vel quacumque aliam ob causam prædictus numerus cum effectu in eis non alitur cum gravi detrimento Regularis observantiæ : Sanctitas sua intendens huic malo remedium adhibere, omnes et singulos ejusmodi Conventus, ut præfertur, non suppressos, cujuscumque sint Ordinis, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congreg. et Instituti, etiam Soc. Jesu, aut Granciæ, seu membra alterius Monasterii, existentes intra fines Italiæ, et Insularum adjacentium, in quibus nunc non aluntur, vel quandocumque actu non alantur saltem sex Religiosi itidem probatæ vitæ, quorum ad minus quatuor, ut supra, sint Sacerdotes maturæ ætatis, eidem visitationi, correctioni, et omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci similiter ut Sedis Apostolicæ delegati plene in omnibus præsentis pariter Decreti vigore subjectos esse statuit, decrevit, et declaravit. (18. Cæterum quoad Conventus cum pauciori numero, quam duodecim Religiosorum, erectos post diem 21. Junii 1625, et illorum subjectionem loci Ordinario, Sanctitas sua voluit, in suo robore permanere Decr. S. M. Urbani VIII, jussu editum, cui per præmissa aliquatenus derogare non intendit. Et prædicta omnia, et singula in præsenti Decreto statuta, et ordinata, voluit, plenarium sortiri effectum, et executioni mandari, non obstantibus omnibus, et singulis, quæ in antedicta Constitutione voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

« Datum Romæ die 10. Februarii 1654.

« B. Card. Spada.

« Loco † Sigilli.

« *Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.* »

(19. Et hoc Decretum illico transmissum fuit ad quemlibet Episcopum una cum Literis Congreg. continentibus nomina Conventuum Religioni suæ restitutorum in illa Diœcesi. At quia occasione talis Decreti, *Ut in parvis* plures controversiæ oriebantur, ad eas sedandas fuerunt in Sacr. Congregat. infrascripta dubia proposita, ut sequitur.

(20. Posito Decreto felicis record. Innocentii Papæ X, super subjectione nonnullorum Conventuum correctioni, visitationi, et om-

Digitized by Google

nimodæ jurisdictioni Ordinarii loci, tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, contingit dubitari de infrascriptis.

« 1. An Episcopus in Conventibus suæ Jurisdictioni subjectis possit Abbates, Priores, Guardianos, et alios Superiores locales deputare, et familiam constituere?

« 2. An possit Episcopus a prædictis Conventibus Religiosos amovere?

« 3. An Regulares eorumdem Conventuum compelli possint ab Episcopo ad exhibendos libros introitus, exitus, et reddendas rationes administrationis.

« 4. An Episcopus in eisdem Conventibus se ingerere possit in his, quæ Regularem disciplinam concernunt.

« 5. An Ecclesiæ dictorum Conventuum, et Capellæ Granciarum, in quibus degunt Conversi pro agrorum cultura, ab Episcopo visitari possint?

« 6. An ipsæ Granciæ et Conversi in eis degentes subsint visitationi Episcopi?

« 7. Quid in Ecclesiis, seu Capellis Granciarum, in quibus nullus degit Conversus, an similiter subsint Episcopi visitationi?

« 8. An liceat Episcopo visitare Conventus tam suppressos, et postea restitutos, quam non suppressos, ad effectum cognoscendi an in illis re ipsa alantur sex Religiosi?

« 9. An Episcopus visitans hujusmodi Conventus suæ jurisdictioni supposítos, aut personas in eis degentes, possit a visitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia.

« 10. An jurisdictio Ordinariis locorum, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, attributa in supradicto Decreto, competat Vicariis Generalibus Episcoporum, nec non Abbatibus, et aliis inferioribus Prælatis proprium Territorium ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus?

« 11. An Provinciales et alii Superiores Regulares possint ejusmodi Conventus, jurisdictioni Ordinarii subjectos, et Religiosos in illis degentes visitare, corrigere, et punire, omnemque jurisdictionem in eos exercere, sicut poterant ante dictum Decretum?

« 12. Si Superior Regularis in causa prævenerit contra subditum degentes in aliquo ex eisdem Conventibus Ordinario subjectis, fabricando processum, vel eum carceri mancipando, an Episcopus possit hujusmodi causam reassumere, ac Superiori inhibere?

« 13. Si e converso Episcopus prævenerit in causa contra Religiosum in tali Conventu commorantem, an Superiori Regulari eo casu liceat illum amovere, et in alio Conventu collocare; et si de facto collocaverit, an nihilominus Episcopus possit causam prosequi, ac Religiosum sic amotum revocare ad primum Conventum?

« 14. Si Provincialis vel Superior localis voluerit aliquem ex Fratribus a tali Conventu removere, an Episcopus prohibere possit?

« 15. Si a Conventu primum suppresso, ac deinde Religioni restituto, absint ex aliqua rationabili causa, et ad breve tempus, unus, vel plures, ex numero sex Religiosorum ibi degentium, an gratia restitutionis sit nulla, et Conventus remaneat suppressus, ut prius?

« 16. Quid si a Conventu non suppresso similiter ex causa rationabili, et ad modicum tempus absit aliquis e sex Religiosis ibi existentibus, an durante tali absentia, Conventus subjaceat jurisdictioni Ordinarii?

« 17. An Religioso illo redeunte, vel alias impleto numero sex Religiosorum, Conventus recuperet pristinam exemptionem?

« 18. Si gratia restitutionis Conventus suppressi reddatur nulla, ex eo quod in illo ad formam Decreti cum effectu non alantur sex Religiosi, et postea contingat ut ejusmodi numerus impleatur, an gratia restitutionis Conventus reviviscat?

« 19. Ad hoc ut gratia restitutionis sit nulla, et Conventus denuo remaneat suppressus, propterea quod in eo non sustententur sex Religiosi, an debet præcedere declaratoria Episcopi super facto, prævia causæ cognitione?

« 20. An ab hujusmodi declaratoria liceat Regularibus ad Sedem Apostolicam appellare ad effectum tum devolutivum quam suspensivum?

« 21. Cum ex Decreti præscripto quatuor Sacerdotes in his Conventibus degentes debeant esse maturæ ætatis, quænam dicatur ad hoc effectum ætas matura?

Sacra Congregatio super statu Regularium ad singula dubia superius proposita hunc in modum respondit, videlicet:

« Ad 1. Non posse.

« Ad 2. Posse ex rationabili causa: commonito tamen prius Superiore Regulari, ad quem pertinet, ut eosdem Religiosos assignet in aliis Conventibus.

« Ad 3. Posse compelli.

« Ad 4. Posse.

« Ad 5. Posse.

« Ad 6. Subesse.

« Ad 7. Item subesse.

« Ad 8. Minime licere, antequam aliunde constet de fundamento intentionis Episcopi in deficientia numeri constituti.

« Ad 9. Expedire ut Sanctissimus Dominus Noster decernat, et declaret, non licere Episcopo tales Conventus visitanti quidquam accipere procurationis nomine.

« Ad 10. Competere.

« Ad 11. Posse sicut prius, non tamen privative ad Episcopum.

« Ad 12. Non posse, nisi ex justa causa, veluti cum videt Superiorem Regularem ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu aut ex nimia severitate, vel indulgentia, quid durius, aut remissius constituere, quam causa deposcit, in quod ipsius Episcopi conscientia oneratur.

« Ad 13. Non licere Superiori Regulari Religiosum ab Episcopo inquisitum a loco amovere, et si amotus fuerit, posse Episcopum causam prosequi, et illum quibuscumque remediis revocare, etiam invocato auxilio Ordinarii, et brachio Sæculari, si opus

Digitized by Google

luerit, cujuscumque loci, in quo Religiosus ille reperiatur.

« Ad 14. Non posse.

« Ad 15. Gratiam ob id non esse nullam, cessante omni fraude, nec Conventum remanere suppressum.

« Ad 16. Subjacere, durante absentia.

« Ad 17. Recuperare.

« Ad 18. Non reviviscere.

« Ad 19. Debere ita præcedere, nec ante declarationem licere Episcopo Conventus possessionem apprehendere, aut Religiosos inde expellere.

« Ad 20. Licere ad effectum devolutivum tantum, non autem suspensivum.

« Ad 21. Ætatem maturam dici ad hunc effectum, completo anno quadragesimo.

« Declarationes suprascriptas SS. D. N. ad se relatas approbavit, ad quos pertinet, observari præcepit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

« Datum Romæ 27 Julii 1656. »

(21. Quibus deinde accesserunt alia dubia et declarationes circa jurisdictionem Ordinarii in Granciis Monasteriorum, illarumque Ecclesiis, et publicis Oratoriis, prout infra.

Posita Constitutione fel. rec. Innoc. X, quæ incipit, *Instaurandæ*, nec non illius Decreto incipiente *Ut in parvis*, contigit dubitari de infrascriptis.

« I. An Granciæ ex d. Constit. Innocent. suppressæ, et ad statum sæcularem redactæ, illarumque Ecclesiæ, et publica Oratoria possint ab Ordinario visitari?

« II. Et quatenus possint, an hoc jus Ordinario competat privative quoad Superiores Regulares, an vero cumulative cum ipsis.

« III. Et quid si prædictis Ecclesiis Cura animarum incumbat?

« IV. An Superiores possint in dictis Ecclesiis Curam animarum habentibus nominare Vicarios ad curam animarum exercendam, eosque ad nutum amovere?

« V. An Granciæ, seu membra alicujus Monasterii nunquam suppressa, in quibus non degunt saltem sex Religiosi, subsint jurisdictioni, ac visitationi Ordinarii loci privative, an cumulative cum Superioribus Regularibus. »

Die 11 Septembris 1670, Sac. Congreg. super statu Regularium ad singula dubia superius proposita in hunc modum respondit, videlicet:

« Ad primum. Grancias ut præfertur, suppressas, ad statum sæcularem redactas, illarumque Ecclesias et publica Oratoria posse ab Ordinario visitari, dummodo in iis Granciis, quarum proprietas fuit reservata, vel restituta principalibus Monasteriis, idem Ordinarius nullo modo se ingerat in temporalibus.

« Ad secundum. Quoad Ecclesias, et Oratoria publica, jus visitandi competere Ordinario privative, Quoad Conversos autem in eis degentes cumulative: Ordinario scilicet jure delegato ad formam Sacr. Concil. Trid. Regularibus vero jure ordinario.

« Ad tertium. Itidem quoad Ecclesias dictarum Granciarum Curam animarum habentes, jus visitandi Ordinario competere privative: sed quoad Conversos in eis degentes hoc jus competere cumulative, nempe Ordinario tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, Regularibus vero auctoritate Ordinaria.

« Ad quartum. Superiores Regulares posse hujusmodi Vicarios nominare, et illos ad nutum amovere, si Ordinarius loci ab initio illos reputaverit amovibiles.

« Ad quintum. Grancias, seu membra alicujus Monasterii, nunquam suppressa, in quibus non degunt saltem sex Religiosi, subesse jurisdictioni ac visitationi Ordinarii loci, ac Superiorum Regularium cumulative, videlicet Ordinario tanquam Sedis Apostolicæ Delegato ex prædicto Decreto, *Ut in parvis*, Regularibus autem jure Ordinario. »

(22. Et tandem circa jurisdictionem Episcopi in parvis Conventibus sequentes attendantur dispositiones.

« Episcopus visitavit Conventum suæ jurisdictioni subjectum in vim Decreti fel. record. Innocent. X incip. *Ut in parvis*, propterea quod tunc temporis ibi non erant de familia, nec re ipsa alebantur sex Religiosi; sed post absolutam visitationem, sine ulla fraude a Superioribus in eodem Conventu adaucta est familia et impletus numerus sex Religiosorum, sicque Conventus exemptionem recuperavit juxta declarationes Sac. Congreg. super statu Regularium, nempe decimam sextam, et declmam septimam inter impressas.

« Hoc posito, consulitur Sacr Congreg. de infrascriptis.

« Primo. An post exemptionem, ut præfertur, recuperatam, Episcopus possit hujusmodi Conventum visitare ad effectum ut videat an ordinationes et Decreta ab ipso edita in visitatione præcedenti fuerint adimpleta, nec ne?

« II. Anve possit Decreta non adimpleta exequi, et pro illorum executione pœnas adjicere, et aggravare?

« III. Et quatenus possit: an hæc facultas, quæ ex d. Decreto, *Ut in parvis*, competit Episcopo tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, expiret, lapso integro anno a die publicationis Decretorum?

« IV. An Episcopus post exemptionem a Conventu recuperatam possit condemnare, et punire, etiam pœna corporis afflictiva, Religiosum qui pro delicto in Curia Episcopali fuerat inquisitus, et carceri mancipatus eo tempore quo Conventus erat jurisdictioni Episcopi subjectus?

« Die 19 Novembris 1671, Sacr. Congregat. super statu Regularium ad singula dubia superius proposita respondit ut sequitur, videlicet.

« Ad primum. Posteaquam Conventus exemptionem recuperavit, Episcopum nequaquam posse illum visitare, etiam ad effectum ut videat an Decreta edita in præcedenti visitatione fuerint executioni mandata.

« Ad secundum. Itidem non posse post hujusmodi exemptionem Decreta non adim-

Digitized by Google

pleta exsequi minusque pœnas adjicere, et aggravare pro illorum exsecutione.

« Ad tertium. Jurisdictionem ex dicto Decreto, *Ut in parvis*, Episcopo attributam in Conventu non habente Religiosorum numerum ibi præscriptum expirare eo ipso, quod Conventus ob familiam sine fraude adauctam, et impletum numerum Religiosorum præfixum, exemptionem recuperavit.

« Ad quartum. Cum contra dictum Religiosum non solum causa, sed etiam persona sit præventa eo tempore, quo Conventus erat subjectus jurisdictioni Episcopi, et exemptio superveniens non invenerit eum liberum, utique Episcopum, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatum, posse hujusmodi causam tempore habili inchoatam prosequi etiam post exemptionem, et eumdem Religiosum condemnare, et punire etiam pœna corporis afflictiva. »

(23. Hinc est advertendum quod quamvis ex Decreto Innocentii X. *Ut in parvis*, Conventus erecti post diem 11. Junii 1625. si in ipsis non permaneant saltem duodecim Religiosi, relinquantur subjecti visitationi, et correctioni Ordinarii loci juxta Decretum jussu Urbani VIII. editum, et Art. 1. sub n. 7, relatum, tamen Sacra Congregatio super statu Regularium diversimode censuit de omnibus generaliter Conventibus non suppressis. Cum enim nonnulli Episcopi virtute d. Decreti Innoc. X. visitare niterentur Conventus Patrum Cappuccinorum, et aliorum Regularium, in quibus actualiter non morabantur plures quam sex Religiosi, quamvis in illis essent collocati majori numero; ad instantiam Procuratoris Generalis eorumdem Patrum Cappuccinorum;

Sac. Congr. super statu Regularium censuit Conventus numquam suppressos, in quibus actu degunt de familia plures quam sex Religiosi, minime comprehendi in Decreto sanctæ memoriæ Innocent. X. quod incipit. *Ut in parvis*, ac proinde locorum Ordinarios nequaquam posse in vim Decreti in hujusmodi Conventibus, aut illorum personis ullam sibi jurisdictionem vindicare. Dat. Romæ 29 Novembris 1657, in Regest. ejusdem Congreg. fol. 325. Panimolle *dec.* 84. *adnot.* 2. *num.* 62.

(24. Quo enim ad alios Conventus antea erectos, et nunquam suppressos pro exemptione ab Ordinarii jurisdictione sufficiunt sex tantum Religiosi, ex ipsomet Decreto *Ut in parvis*. (25. Conventus autem suppressi, et iterum restituti, remanent subjecti visitationi et correctioni Ordinarii loci, donec ipsorum redditus eo usque adaucti fuerint, ut in eis commode sustentari valeant, et cum effectu sustententur duodecim Religiosi, ut expresse statuit Innocent. X. in Decreto *Ut in parvis*, relat. supra num. 14. (26. Tales vero Conventus primum suppressi, ac deinde Religioni restituti, non remaneant iterum suppressi, nec gratia restitutionis est nulla, si ab ipsis ex aliqua rationabili causa, et ad breve tempus absit unus, vel plures ex numero sex Religiosorum ibi degentium, ut patet ex Decreto Sac. Congreg. in responsion. ad quintum decimum; Vid. supra sub num. 19, et 20. Si tamen a Conventibus non suppressis, licet ex causa rationabili, (27. adsit aliquis e sex Religiosis ibi existentibus, Conventus subjacent jurisdictioni Ordinarii durante tali absentia : (28. Et illo Religioso redeunte, vel alias impleto numero sex Religiosorum, Conventus recuperant pristinam exemptionem, ut patet ex d. Decr. Sac. Congreg. in responsion. ad 16 et 17, ibidem sub num. 19 et 20, Conventus omnes erecti post diem 23, Decemb. 1697. (29. si in ipsis non permaneant saltem duodecim Religiosi, remanent subjecti visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci; Innocent. XII. Constitut. incip. *Nuper*, edita dicta die 23, Decembr. 1697, Vid. Artic. 1, sub num. 27.

(30. Hinc quoad parvos Conventus attendenda est sequens novissima Epistola Encyclica ad universos Italiæ, Insularumque adjacentium Ordinarios jussu Summi Pontificis conscripta, qua ipsis distincte injungitur, ut vitam, mores, et disciplinam Regularem in parvis Conventibus degentium diligenter inquirant, inobservantes corrigant, ac ubi resipiscentiæ spes non extet eos Sacræ Congregationi denuncient.

Pervenuta la notizia a nostro Signore che i Superiori delle Religioni sogliono per ordinario collocare di stanza ne' Conventi più piccoli, e specialmente fuori di mano li Sogetti meno osservanti delle loro Regole, e che questi per la licenza del luogo divenuti più liberi, invece di edificare, distruggono la Casa del Signore, Sua Santità per la premura particolare, che altamente nudrisce, che in ogni luogo si mantenga, e si accresca sempre più lo splendore delle Religioni, e si stabilisca in esse l'esatta osservanza Regolare, a tenore rispettivamente delle loro Costituzioni, si è mossa ad ordinare, che per via di questa Sacra Congregazione sopra la disciplina Regolare s'ingiunga strettamente a V. S. come si fa colla presente Lettera, perchè ella usando il suo zelo, invigili attentamente, che i Religiosi dimoranti pro tempore ne'suddetti Conventi dentro, e fuori di cotesta Città, e Diocesi, osservino esattamente quanto devono al Signore in corrispondenza allo stato, a cui sono stati chiamati; e in virtù de Voti da essi fatti solennemente. Onde ella dovrà paternamente ammonirli della mente di Sua Beatitudine, e della stessa Sac. Congreg. e in caso di trasgressione corregerli seriamente secondo la disposizione del Decreto *Ut in parvis* emanato d'ordine della Santa mem. d'Innoc. X. li 10, Febbrajo 1654. e quando non si scorga in essi segno alcuno di resipiscenza, darne subito parte alla Sagra Congregaz. perchè possa la medesima opportunamente provvedere. Si serva pertanto ella di quel zelo, che le somministra la causa, e di quelli eccitamenti, che le detta l'onore di Dio, pregandole dal Cielo vera felicità.

Roma, 26 Gennajo 1707.

G. R. Card. Imperiali, Prefetto.

F. de Vico Segretario

Digitized by Google

(31. Episcopus visitans parvos Conventus sibi suppositos nequit a visitatis aliquid accipere procurationis nomine, neque in pecunia, neque in victualibus, ut expresse fuit resolutum sequenti Decreto « Cum Sac. Congreg. super statu Regularium alias consulta, An Episcopus visitans parvos Conventus suæ jurisdictioni suppositos, aut personas in eis degentes ad præscriptum Decreti San. mem. Innoc. X. quod incip. *Ut in parvis*, etc., possit a visitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia, duxerit expedire, ut Sanctiss. D. N. decernat, et declaret non licere Episcopo tales Conventus visitanti quidquam accipere procurationis nomine; Sanctitas Sua Congreg. sententia audita eam expresse approbavit, noluitque licere Episcopis hujusmodi Conventus visitantibus aliquid accipere procurationis nomine seu in pecunia, seu in victualibus, et ita observari præcipit. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, etiam in corpore Juris clausis, cæterisque contrariis quibuscumque.

« Datum Romæ, 15 Junii 1665.

« Marcus Antonius Card. Fran.

« Loco ✠ Sigilli.»

« *Prosper Fagnanus Sec. Custos.*»

ADDITIONES AUCTORIS.

(32. Addenda sunt quæ adducit sapientissimus P. Gaudentius de Janua in suo celeberrimo Opere recens Romæ impresso anno 1748, de Visitatione cap. 4, n. 17, pag. 362, ibi. His nihilominus dispositionibus supervenit declaratio Sacræ Congregationis super statu Regularium, quod generaliter Conventus nunquam suppressi, in quibus actu degant plures, quam sex Religiosi minime comprehendantur in dicto Innocentii X. Decreto propterea in hujusmodi Conventibus, aut illorum personis, Locorum Ordinarii nullam possint sibi jurisdictionem vindicare, prout refert. Lantusca, cit. n. 13, et firmat Panimoll. Dec. 84, adnot. 2, num. 62, quæ quidem declaratio innovata legitur ut diminutiones Religiosorum, redactorum ad sex, licet non plures, per Sacram Congregationem Concil. nimirum : « Conventum Regularium, in quo semper extiterunt de familia sex Religiosi, nec qui unquam fuit suppressus, non comprehendi in Decreto. » S. M. Innocentii X. *Ut in parvis*. Sic in Pientina Synodi 15, Septembris 1703, Dec. lib. 53. Quinimmo invenio recentiorem, quantum ad omnes Conventus decisionem ejusdem S. C. C. « Quod, videlicet, visitandi Conventum, et Ecclesiam nullum jus habet Episcopus, vigore Decreti *Ut in parvis*; si adsint sex Religiosi permanentes : in Ugent. sive Hydruntina Jurisdictionis, et censurarum 16, Martii 1715, in respons. ad secundum lib. decret. 65. » At omnibus dispositionibus, et declarationibus anteactis prævaleret equidem ultima, quæ a Sacra Congregatione Episcoporum, et Regularium prodiit sub die 17, *Aprilis* 1744, in Auximana ; scilicet quod Conventus omnes Regularium, licet numquam suppressi, an quibus non degant de Familia duodecim Religiosi, uti supra, comprehensi intelligantur in Decreto Innocentii X. *Ut in parvis*, ideoque subsint Ordinarii Visitationi, ac jurisdictioni : non obstantibus Decretis quibuscumque præcedenter in favorem Regularium, si et quatenus, editis. Verumtamen Decreto huic ultimo deest approbatio Sanctissimi, ad quem deferri debuerat; proinde adhuc sub Judice lis esse censenda est. Cum siquidem in hujusmodi causa, vertente inter Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Auximi, ex una, et Conventum, ac Patr. Minor. Conventuales Sancti Francisci Terræ Staphili, ex altera parte; propositum fuisset infrascriptum dubium, videlicet.

(33. An liceat Episcopo visitare Conventuum RR. PP. Covent. d. Terræ Staphili; ita ut sit standum vel recedendum ab alias decisis in casu, etc., S. C. Eminentissimo Gentili Ponente, partibus auditis, et re mature perpensa, ad supradictum dubium respondit.

34. Prævio recessu a decisis, etc. *Affirmative; et ad mentem* Mens fuit, quod supplicetur Sanctissimo pro declaratione; « licere Episcopis, ad formam Decreti, *Ut in parvis*, visitare Conventus suppressos in Bulla *Instaurandæ*, et in literis circularibus descriptos; etiam si suppressio non sit exsecutioni mandata die 17, Aprilis 1744. » Instantibus autem PP. Conventualibus pro nova audientia; eadem S. C. sub die 22 Aprilis benigno concessit, et mandavit, supersederi usque ad primam Congregationem; die vero 19, Junii 1744, cum petita fuerit prorogatio, ipsamet S. C. decrevit, ut sequitur: « Quoad Conventum Staphili rejiciendam esse instantiam; prout rejecit; et in reliquis prorogavit supersessionem usque, etc. » Inde die 13, Novembris ejusdem anni 1744. exiit absolutum Decretum, quantum ad omnes Conventus parvos in casu etiam numquam suppressos, ab Ordinariis respective visitandos scilicet « In decisis die 17 Aprilis ejusdem anni non obstantibus resolutionibus, et quibuscumque Decretis hactenus emanatis. » Sed deinceps a Sanctissimo nulla provisio amplius prodiit, ut debuisset, ex vi supplicationis ipsi porrigendæ : attento antedicto primo Decreto sub die 17 Aprilis. Hinc quantum ad Conventus non suppressos in casu, adhuc stant in terminis priora Decreta, quod nempe nequaquam subsint Visitationi, etc., quoad usque Sanctissimus determinent. *Hæc ille expressis verbis.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(35. Quoad Conventus, in quibus exigua inhabitat Familia, ad vitandum errorem, sequentia sunt notanda. 1. Conventus fundati ante Decreta de celebratione Missarum die 21 Junii 1625, edita a S. Congregat. Concilii interprete, (36. et approbata a S. M. Urbano VIII, et non supressa vigore Constitutionis incipientis *Instaurandæ* S. M. Innocentii X, si duodecim haud habeant Religiosos, subjecti sunt jurisdictioni Episcopi

Digitized by Google

in concernentibus non solum disciplinam Ecclesiasticam, sed et institutum regulare, ut Sacra Congregatio super statu Regularium de anno 1655, rescripsit in 2 dubio.

(37. II. Conventus suppressi virtute mox dictæ Constitutionis S. M. Innocentii X, et postea restituti, si sex Religiosos minime habeant, subjecti itidem sunt jurisdictioni Episcopi, tum quoad Ecclesiasticam disciplinam, tum quoad institutum regulare, juxta eamdem resolutionem Sacr. Congregat. super statu Regularium in d. 4 dubio.

(38. III. Conventus fundati post dicta decreta, si Religiosos duodecim nequaquam habeant, subjecti utique sunt jurisdictioni Episcopi, at circa dumtaxat disciplinam Ecclesiasticam, non item circa regulare institutum, ut tradunt Pignatell. consult. Canon. tom. 2, consult. 136, num. 24, optime Del Bene de Immunit., et Jurisdict. part. 2, c. 24, dub. 21, n. 5.

(39. Non importune hic quæritur, utrum Conventus, de quibus disseritur, subsint jurisdictioni Episcopi ordinariæ an delegatæ? (40. Quod attinet ad Conventus fundatos ante præfata decreta, et non suppressos, tum ad Conventus suppressos, et postea restitutos, non ordinariæ, sed delegatæ jurisdictioni Episcopi subesse, patet ex decreto *Ut in parvis*, lato in executionem dictæ Constitutionis *Instaurandæ :* in quo expresse habetur, quod subjecti ii sint Episcopo tamquam Sedis Apostolicæ delegato. (41. At quod concernit Conventus fundatos post toties memorata decreta, eosque præsertim, qui a principio non habuerant duodecim Religiosos, tuto affirmari haud potest, subesse ipsos delegatæ Episcopi jurisdictioni ; idque quia minime in iis dictum fuit, quod subjecti ipsi sint Episcopo uti delegato Apostolicæ Sedis, sed postquam jussum fuit, ut non fundentur Conventus, nisi redditus habeant sufficientes sustentationi duodecim Religiosorum, subditum fuit : « Alioqui Monasteria, et loca hujusmodi post hac recipienda, in quibus duodecim Religiosi ut supra sustentari, atque inhabitare non poterunt, et actu non inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni, et omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur. »

(42. Utilis autem est hæc observatio ad plures effectus. Ut alios taceamus, in Ecclesiis Conventuum illorum, qui nonnisi delegatæ jurisdictioni Episcopi subsunt, nequit Parochus Parochiæ, in qua positi ii sunt, officium funebre peragere super cadavere sui Parochiani ; propterea quod durat adhuc exemptio, quæ impedit, quominus dictum officium funebre a Parocho super Cadavere sui Parochiani peragatur, ut rejectis Romaguer ad Synodal. Gerunden. lib. 3, tit. 3, cap. 3, num. 22. Brasch. in Promptuar. Synod. cap. 110, num. 38. Monacell. Formul. Eccles. tom. 2, tit. 13, formul 1, num. 70, aliisque, videtur sensisse Sacra Congregatio Conc. interpres in Volaterrana 16 Martii 1726 ad 5 dub. tum Sacra Congregatio Episcoporum, Regularium negotiis præfecta in Nullius seu Terræ Pontian. Jurium Parochialium 20 Martii 1739, et in Pientina 4 Februarii 1757. (43. Sed in Ecclesiis aliorum Conventuum, qui ordinariæ Episcopi jurisdictioni sunt subjecti, cum cesset privilegium illud exemptionis natura sua, ut dictum, est impediens quominus possit Parochus officium funebre peragere super Cadavere sui Parochiani, non est cur excludi ab eo possit Parochus. (44. Quoties enim Ecclesia posita est intra limites Parochiæ, nec est exempta, jus est Parocho peragendi officium funebre super cadavere sui Parochiani ; Marant. Respons. 21, n. 54, tom. 4 ; Lanfredin. Respons. Eccl. 17, n. 8.

ARTICULUS III.

Quoad ea quæ concernunt conventuum clausuram.

(1. Omnes Regulares, quicumque sint obligantur ad habendum aliquod genus Clausuræ in Claustris, et Conventibus suorum Ordinum, c. *Placuit* 8, cap. *Juxta* 11, cap. *Monachi* 33, caus. 16, qu. 1, et cap. *Pervenit*, 20 caus. 18, quæst. 2, ubi prohibentur introduci Mulieres in Monasteria virorum, ut omnis radicitus evellatur occasio violandi votum Castitatis. (2. Specialius tamen Conventuum Regularium Clausuram respiciunt duæ Constitutiones Sancti Pii V, quarum prima, incipiens *Regularium Personarum*, revocat omnes facultates ingrediendi Monasteria, et loca virorum Regularium quorumcumque Ordinum mulieribus concessas ; (3. Et per ipsam Mulieres ingredientes clausuram Conventuum virorum prætextu licentiarum, excommunicantur excommunicatione Papæ reservata. (4. Regulares vero ipsas præsumentes introducere vel admittere, officiis privantur, inhabiles ad illa, et alia obtinenda declarantur, et a Divinis ipso facto, sine alia declaratione, suspenduntur. (5. Secunda Sancti Pii V Constitutio incipiens, *Decet Romanum Pontificem* extendit easdem pœnas etiam ad mulieres sine licentiarum prætextu Clausuram Monasteriorum virorum ingredientes, et ad Religiosos eas intra Monasterii Clausuram, etiam absque ullo licentiarum prætextu, admittentes. (6. Regulares quamvis ex dictis duabus Constitutionibus Sancti Pii V non ligentur excommunicatione, introducendo, vel admittendo fœminas intra Conventuum suorum Clausuram, ipsam tamen excommunicationem incurrunt introducendo, vel admittendo ipsas sub licentiarum prætextu, ut declaravit Greg. XIII Constitut. incip. *Ubi gratiæ*. (7. Et ipsam excommunicationem absolute incurrunt, introducendo sive prætextu licentiarum, sive sine talium licentiarum prætextu, ut declaravit Sacra Congregatio Episcoporum, et Regularium, cujus decreti tenor fuit a Cardinali Matthæjo Ordinis Minorum Protectore transmissus Commissario Generali Minor. de Observant. ei ordinando, ut significaret omnibus Provincialibus, et Custodibus, (8. « che li Signori Cardinali della Congregazione de Vescovi, e Regolari hanno deciso, e determi-

Digitized by Google

nato, che dove è il Guardiano con la famiglia, eziandio che il luogo non sia affatto compito, nè circondato da muri, fossi, o siepe, e che sia aperto, ivi sia clausura, siccome ha deciso la fel. mem. di Papa Pio V ed entrandovi le Donne siano scommunicate, e li Frati, così Prelati come sudditi, introducendole, incorrano nella stessa scommunica riservata al Papa, restando ipso facto privi dell' officio loro, ed inabili *in futurum*.

« Il medesimo si dice delle selve, che non sono circondate, *ut supra*, *etiam* che siano grandissime : in quella parte però s' intende clausura, ove li Frati sogliono ordinariamente passeggiare, dicendo le loro divozioni : ma dove fosse selva grande, che serve per legname, e li Frati ordinariamente non vi sogliano conversare, nè praticare, o che sia luogo aperto, ivi non s' intende Clausura.

« Ma nelli luoghi, dove non sono più che tre, o quattro Frati alla cura della Fabbrica, ivi non è Clausura, tanto nella selva, quanto negli Orti ; nulladimeno se li Frati introdurranno le Donne nelle stanze, dove abitano, dormono, mangiano, o cucinano, siano penitenziati, e privi, come di sopra. È vero, che dove è consuetudine, che le Donne servano per manipolo, portando calce, pietre, e simili, se bene ci fosse il Guardiano con la sua Famiglia, e le Donne fossero entrate per l' espedizione della Fabbrica, così nel orto, selve, e parte del Monistero, ove si fabbrica, come ove sta serrato, purchè non vadano in parte dove abitano, dormono, e mangiano detti Frati, non incorrano in scommunica. E nostro Signore la prosperi.

« Roma, 4 Ottobre 1588.

« Come Fratello.

« *Il Card. Mattei Protettore.* »

(9. Nomine Clausuræ Conventuum, in quam est fœminis interdictus ingressus, intelligitur totum illud spatium quod intra septa Monasterii, seu Conventus continetur, id est Claustra, Cellæ, officinæ, Cœnaculum, seu Refectorium, Dormitorium, Infirmaria, Coquina, et hujusmodi. *Est communis.* (10. Viridaria, seu Horti, et Prata cum Conventu, et Claustra conjuncta veniunt nomine Clausuræ, ita ut mulieres ipsa ingredientes excommunicationem incurrant ; Sacra Congreg. Episcoporum et Regularium in una Dominic. 24 April 1582, in Laudensi 13 Septemb. 1583 et in Arben. 3 Junii 1606. (11. Secus vero si ipsa Viridaria, et prata sint a Clausura separata clavi, et muro convenienti. (12. Eadem Sacra Congregatio ibid. Sacristia, ad quam non patet aditus nisi per januam, quæ sit in Claustro, comprehenditur sub clausura ; (13. Secus vero si habet ingressum a sola Ecclesia, quia sic censetur pars Ecclesiæ, et ejusdem, et non Conventus Officina ; Donatus tom. 1, tract. 4, quæst. 12, part. 2 ; Bonacina tom. 1 de Clausura qu. 5, punct. 1 sub n. 1 ; Sorbo verb. *ingredi Monasteria Fratrum, et Monialium* ; Ameno, Mathæucci, et alii passim. (14. Si vero ad Sacristiam duplici porta, una in Claustro, et alia in Ecclesia existente pateat aditus, contineri sub Clausura docuerunt Bonacina, et Ameno post Sorbo ponderantes Sanctum Pium V et Gregorium XIII duas supralaudatas Constitutiones edidisse ad consulendum Religiosorum quieti, ipsosque liberandos ab innumeris molestiis, et periculis ex mulierum frequentatione, et conversatione oriri solitis ; quæ omnia, cum æque faciliter oriri possint per mulierum ingressum in Sacristiam, cui patet aditus ab Ecclesia, et a Claustro, videntur per eumdem sanctissimum finem ab ea prorsus arcendæ. Et hujus mentis videtur fuisse Sac. Congreg. Episcop. et Regularium teste Gavanto in Manuali Episcoporum, verb. *Regularium virorum Monasteria*, ibi : « Sacristia comprehenditur sub Clausura ; » Congregat. Episcop. et Regularium, 28 Aprilis 1605, et Barbosa supra Trident. sess. 25, de Regul. cap. 5, num. 115 .bi : « Sacristia Choro contigua alicujus Monasterii Religiosorum est sub Clausura comprehensa ; » Eadem Sacra Congregatio Episcoporum, et Regularium in Sulmonen. 10 Augusti 1615. (15. Sed praxis fere ubique videtur in contrarium. Mulieres, quæ vadunt in prima Claustra ad hauriendam aquam, modo Conventus habeat alia Claustra invia Mulieribus, non incidunt in excommunicationem ; Sac. Congr. Episcop. et Regul. in una Venetiarum, 16 Maii 1582, in una Assisiensi 17 Septemb. 1583 teste Nicol. in Floscul. verb. *Claustrum* n. 3.

(16. Nomine mulierum quibus prohibetur ingressus in Monasteria Religiosorum, veniunt omnes fœminæ cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis, etiam Comitissæ, Marchionissæ, Ducissæ, textu expresso in d. Constit. Sancti Pii V. incip. *Regularium Personarum*, ibi : « Mulieribus cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, et quacumque dignitate, ac præeminentia præditis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, » etc., et in dicta Constitutione Gregorii XIII. incip. *Ubi gratiæ*, ibi : « Quibus etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, et aliis cujuscumque status, et conditionis mulieribus, » etc. (17. Attende tamen novissimam dispositionem Benedicti XIV. adductam infra sub num. 36. Etiam fundatrices Conventuum, quantumvis nobiles sint, et excellentes, comprehenduntur sub ista prohibitione, quia hoc creditur fuisse intentum Sancti Pii V, et Gregorii XIII. in laudatis Constitutionibus, ideo enim in eis expresserunt Ducissas, et similes, quia istæ solent esse Fundatrices ; Rodriquez in expositione Motus proprii Sancti Pii V. num. 3. Lezana in Summa quæstionum Regular. cap. 10, num. 10, et alii ; observa tamen dictam novissimam dispositionem. (18. Etiam puellæ parvulæ cujuscumque sint ætatis, ut colligitur ex Constitutione Eugenii IV. edita pro Congregatione S. Justinæ de Padua incip. *Et si quaslibet personas*, ubi sic expresse cavetur : « Nulli hominum liceat quascumque Mulieres Laicas, seu Religiosas (cujuscumque ætatis, status, gradus, auctoritatis, vel conditionis existat) quavis occasione ducere, sive ipsis mulieribus ingredi, seu

Digitized by Google

commorari infra septa Monasteriorum præfatæ Congregationis Sanctæ Justinæ de Padua; quod si aliter scienter attentatum fuerit, tam ipsæ mulieres, quam earum ductores, sed et ipsi receptores, si voluntarie hoc fecerint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua dictæ Congregationis Personæ absolvi possint per Præsidem et Visitatores Congregationis hujusmodi. » Sic apud Confectium fol. 34. Constit. 3. dicti Pontificis. (19. Et sic pro Clausura Monasteriorum Monialium statuit Concil. Trident. sess. 25. de Regular. et Monialib. cap. 5. ibi: « Ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint. » Et sæpe sæpius declaravit Sac. Congregatio Episcoporum, et Regularium, quod introducens infantes cujusvis sexus, vel ætatis incurrit censuras violatæ clausuræ; et signanter in Tudertina 7. April. 1759. in Neapolitana 22. Martii 1580. in Tauriensi 10. Junii 1650. Unde tolerari non debet, quod puellæ licet parvulæ ingrediantur, et egrediantur ad libitum; in Pistoriensi 24. Februarii 1759. Et abbatissa, quæ hoc permittat, privatur officio, voceque passiva; in una Sancti Severini 8. Maii 1595. Hinc si tolerari non debet in Monasteriis Monialium, ut puellæ, licet parvulæ, ingrediantur, et egrediantur ad libitum; a fortiori videtur non esse tolerandum in Conventibus, et Monasteriis virorum.

(20. At praxis pluribus in locis videtur contraria, et posse puellas parvulas intrare in Monasteria virorum, non obstante prædicta prohibitione, tenent Rodriquez in expositione Motus proprii S. Pii V. num. 12. Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 27, num. 4. Lezana in summa quæstionum Regular. cap. 10, num. 10. et alii plures. Et ratio ipsorum est, quia dicunt ipsi, finis prohibitionis est ne detur Religiosis occasio impudicitiæ, quæ occasio cessat in parvulis puellis. (21. Sic etiam praxis videtur contraria de Ducissis suprema auctoritate, jurisdictione gaudentibus, et de Fundatricibus, apud plures, quia tales Ducissæ in suis ditionibus æquiparantur Reginis, cum in ipsis suprema gaudeant auctoritate, et jurisdictione, ac ipsæ Reginæ; Et Fundatrices intrantes videntur tolerari a quibusdam Summis Pontificibus, ut a Julio II. Constitut. incip. *Licet;* ubi in Conventus Minimorum Sancti Francisci de Paula prohibet ingressum Mulierum non Fundatricum, nec de stirpe Regia, apud Peyrin. de Privileg. Regul. tom. 1. Constit. 6, Julii II. qui ibidem § 6, n. 6, p. 1090. subjungit: « Regulæ Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula (in qua cavetur, ne Superiores aliquas Mulieres in dicti Ordinis Conventus ullatenus intrare permittant; Verumtamen singulæ Dominæ de stirpe Regia procreatæ, ac etiam omnes hujusmodi Ordinis Fundatrices honeste cum sua comitiva intrare, ac devote visitare tolerentur) non est derogatum per Constitutionem Pii V. supra positam, et editam anno 1566. 24 octobris, quoad Reginas, vel Fundatrices dumtaxat, prout declaravit Gregorius XIII. etiam ex sententia Congregationis Concilii 21. Novembris 1577. » (22. Imperatrices, earumque Filiæ possunt intrare in Monasteria Religiosorum cum sua decenti comitiva; Quia cum Pontifices in supra laudatis Constitutionibus non fecerint mentionem de illis, credendum est noluisse ipsas comprehendere sub prohibitione; Rodriquez tom. 1, quæst. Regul. quæst. 48, art. 1. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 17, num. 5. Lezana in Summa quæstion. Regular. cap. 10, num. 10. et alii passim cum praxi universali; Attende tamen d. novissimam dispositionem.

(23. Mulieres omnes possunt licite ingredi in Conventus Religiosorum tempore Processionum, dummodo Processionem sequantur, nec ad interiores officinas, vel Religiosorum cellas divertant. Hoc expresse concessit S. Pius V. Constit. incip. *Decet Romanum Pontificem*, quæ cum eis concedat posse licite ingredi etiam quando in eis Missæ, et alia Divina Officia celebrantur, ac aliis piis contingentiis, ut ab omnibus sciatur ad quæ se extendit, hic ad literam datur, prout refertur etiam a Confectio in collectione privilegiorum Regularium fol. 182.

PIUS PAPA V.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

(24. Decet Romanum Pontificem certissimum mentis suæ interpretem, si quando quidpiam dubietatis in Literis ab eo emanatis occurrit, suæ declarationis oraculo quam primum explanare. Cum alias a Nobis emanaverint quædam Literæ in simili forma Brevis sub die 24. Oct. 1566. Pontificatus nostri anno primo, in quibus mulieribus quibuscumque Monasteriorum Regularium ingressus cum derogatoriis claus. et irritantibus decretis prohibetur, et alias prout in illis plenius continetur. Nos intuitu, et in favorem Congregationis Montis Virginis, aliquas dubitationes, quæ circa dictarum Literarum, et mentis nostræ intelligentiam oriri possent, elucidare, submovere volentes, supplicationibus dictæ Congregationis, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Apost. auctorit. tenore præsentium dicimus, et declaramus, fuisse, et esse mentem, et intentionem nostram, quod dictæ Literæ non solum comprehenderent, et comprehendant Mulieres habentes, et prætendentes facultatem, et indulta ingrediendi Monasteria, sed etiam omnes et quascumque Mulieres alias tam in genere, quam in specie; significantes nihilominus, prout significamus, quod propter hoc, et prædictas nostras Literas non intellexibus, nec intelligimus, quod Mulieribus præcluderetur, nec præcludatur aditus ad Monasteria, et loca Regularia dictæ Congregat., ac eorum Claustra, quando in eis Missæ, et alia Divina Officia celebrantur, ac cum Processiones fiunt, et quando Christifidelium cadavera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt, sed libere perpetuo concedimus eisdem omnibus mulieribus facultatem, ut ad illa loca d.

Digitized by Google

Congregationis, in quibus dicta opera pia exercentur, cum aliis Catholicis personis accedere libere, et licite possint, et valeant; et similiter quod quando Divinum verbum in Claustris Monasteriorum, et Regularium locorum Congregationis hujusmodi proponitur, vel per aliam quamcumque causam, tantus concursus populi fuerit, quod commode ingredi non possint, et egredi per portam Ecclesiæ, perpetuo concedimus, ut dictæ mulieres, una cum aliis sæcularibus personis, possint ingredi portam Claustri Monasteriorum locorum Regularium Congregationis hujusmodi (dummodo recto tramite accedant ad portam, qua exitur e Monasterio) sicque volumus pariter, et indulgemus. Decernentes, etc., sublata, etc., irritum etc., non obstantibus etc.

Romæ 16 Julii 1570

(25. Circa hæc autem Barbosa part. 3, de offic. et potest. Episcop. allegat. 102, num. 49, refert Decretum Sacræ Congregationis Rituum tenoris sequentis, videlicet: « Illustrissimi, et Reverendissimi Domini Archidiaconus Oriolensis exponit DD. VV. Illustrissimis, et Reverendissimis qualiter in Civitate Oriolensi usu, seu forsan etiam consuetudine immemorabili introductum est in aliquibus Monasteriis Regularium, scientibus, et non contradicentibus Episcopis pro tempore, ut annuatim faciant suas Processiones tam solemnes Rogationum, Candelarum, Palmarum, de Sanctissimo Sacramento, ac alias, quam privatas de Cruce tempore Passionis, de Rosario, de Carmine, de Cingulo Sancti Francisci, de Corrigia Sancti Augustini, cum similibus, singulis mensibus per Claustra dictorum Monasteriorum comitantibus undique devotionis, et Religionis causa utriusque sexus fidelibus; quod cum videatur contrarium Constitutionibus San. Mem. S. Pii V, et Gregorii XIII, quibus præcluditur aditus mulieribus accedendi ad Claustra Regularium, ideo Orator supplicat declarari, an hoc jure liceat? Sac. Congr. Rit. respondit non licere mulieribus comitari Processiones per Claustra Monasteriorum Regularium, nisi adsit in hoc expressa licentia Sedis Apostolicæ. Die 30 Septembris 1628.

« *Fr. Fulvius Secret.* »

(26. At vero cum talis petitio exhibita Sacræ Congregationi Rituum nullum verbum faciat de dicta declaratione, ac nova concessione facta mulieribus a S. Pio V, in d. Constitutione incip. *Decet Romanum Pontificem*, potest censeri, Decretum illud vel fuisse subreptitium, vel in observantiam deductum non fuisse, cum saltem quantum ad ingressum tempore Processionum sit contraria praxis communis, et præsentim Urbis Romæ, (1) cui nullum adversari constat; Donat. tom. 1, p. 2, tract. 4, quæst. 19. Matthæucci *Officialis quoad Conventus* num. 29. Lezana loco cit. num. 12. Rodriquez tom. 1, qu. 48, art. 3, et in exposit. Motus proprii Pii V. Sanchez lib. 6, in Decalog. cap. 17, num. 22. Coriolan de casibus reservatis part. 2, caus. 3, num. 33. Lantusca verb. *Claustrum* num. 3, et alii passim. (27. Quia tamen tale privilegium quoad ingressum mulierum in Conventus Religiosorum, non videtur ubique in usu, nisi pro tempore, quo Processiones fiunt, in his erit laudabilis usus retinendus, et abusus vitandus. Ita laudati Doctores et alii. Nunc autem quoad supradicta est omnino attendenda dicta novissima dispositio Benedicti XIV. (28. Superior nequit processionem extraordinariam instituere ad solas preces Mulierum nobilium, et divitum, ut ipsæ possint Conventum ingredi ad satisfaciendum suæ curiositati; et si hoc faciat, peccat mortaliter, et incurrit pœnas taxatas; Non enim potest prudenter præsumi, quod S. Pius voluerit suam concessionem ampliare ad similes Processiones pro sola satisfacienda mulierum curiositate institutas, sed solummodo ad Processiones ex devotione, et juxta Ecclesiasticos ritus fieri consuetas; Sorbo verb. *Ingredi Monasteria* vers., *circa quem*, Matthæucci loc. citat. numer. 20. Fr. Emmanuel. in explicatione Bullæ cruciatæ fol. 511. Rodericus, Joannes de la Crux, Donatus, et alii. (29. Nec potest Superior, sive alius Religiosus mulieres introducere, quando murus Clausuræ materialis ex accidenti est diratus, quia semper remanent fundamenta, quæ sunt limites Clausuræ jam positæ, quam non potest Superior localis variare, et loca Monasterii reputantur, ut prius sic cum Ameno num. 18 Matthæucci loc. cit. num. 19. et alii. Et de facto Sacra Congregatio in similibus casibus consuevit semper declarare transgressores incursos in pœnas taxatas.

(30. Nomine Religiosorum introducentium, vel admittentium mulieres in Clausuram Conventus veniunt omnes Religiosi active influentes in talem ingressum Mulierum, ut sunt invitantes, consulentes, hortantes, approbantes, monstrantes iter, auferentes impedimenta, januam aperientes, eas recipientes, concedentes, et auctoritative, sive ratione sui officii permittentes ut intrent; Sorbo verb. *Ingredi Monasteria*, vers. *est etiam notandum;* Matthæuc. loc. cit. num. 25 cum aliis, et deducitur clare ex verbis S. Pii V, in cit. Constit. incip. *Regularium personarum* in fine; ibi « Introducere, admittere præsumant, » et ex verbis Gregorii XIII, in cit. Constit. incip. *Ubi gratiæ* § in fine, ibi: « Ingredi faciant, vel permittant. » (31. Religiosus etiam, qui nec introduxit, nec admisit, nec consuluit, nec invitavit, nec januam aperuit, nec recepit, nec auctoritative, neque ratione officii sui permisit Mulierem intrare, aut hujusmodi, sed eam jam introductam ex urbanitate salutat, et ex decentia status illius per Conventum comitatur, incurrit pœnas taxatas contra admittentes, recipientes, aut introducentes, si ipse sit causa efficax, quod fœmina diutius detineatur in Conventu. (32. Si tamen comitaretur, ut ea citius e Conventu egrederetur, et per rectam, et breviorem viam ad egressum urgeret, nullam pœnam incurreret, Matthæucci

(1) Hæc praxis Romæ penitus est sublata.

Digitized by Google

loc. cit. n. 26, cum Ameno num. 31 et aliis.

(33. Quamvis viris sæcularibus non sit absolute prohibitus ingressus Conventus Regularium, nec absolute prohibita in ipsis commoratio; prohibetur tamen aliquibus Regularibus eos recipere, et admittere in certis temporibus, et circumstantiis, ut signanter pro Fratribus Minoribus de Observantia editum fuit Decretum a Sacr. Congregat. Episcop. et Regul. 1. Decemb. 1679. cujus dispositio reperitur confirmata a san. mem. Innocent. XI. die 20 Septem. 1685. Director. trium Ordinum Const. 8. prout sequitur: *Emanavit alias*, et infra: « Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio, etc. Religiosæ quieti, et tranquillitati Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia benigne consulens, injungendum censuit, prout præsentis decreti tenore injungit omnibus, et singulis dicti Ordinis Superioribus Provincialibus, Localibus, eorumque subditis, sub pœna privationis officiorum Ordinis immediate incurrenda, ne ullo unquam tempore, quovis prætextu, vel quæsito colore permittant, aut consentiant sæculares quoscumque ingredi septa suorum Conventuum, deferendo per silvas, hortos et prata sclopos ad venandum, sive alia armorum genera, vel illa apud Fratres, tam Superiores, quam subditos deponere, pariterque ludere quomodolibet per Claustra, aliaque loca publica, vel privata ipsorum Conventuum; et convivere ac pernoctare in eis ultra triduum tantum piæ hospitalitatis titulo; et sic servari mandat: non obstantibus, etc., decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit inviolabiliter observari; non obstantibus, etc. » (34. Sub hac prohibitione comprehenduntur etiam Clerici, nisi sint vita exemplares, Eadem Sac. Congr. 10 Maii 1680. præcisis his verbis; « Sac. Congr., etc. Referente Eminentissimo Casante, censuit, suprascriptam prohibitionem extendendam esse etiam ad Clericos, exceptis tamen Clericis, qui exemplarem vitam ducunt. » (35. A supradicta tamen prohibitione excipiuntur Syndici Apostolici Conventuum præfatorum Fratrum, ut eadem Sac. Congreg. respondit ad sequens dubium: « An scilicet dicti Syndici comprehendantur in Decreto emanato die 1. Decembris 1679. Sacra Congregatio, etc., audito Patre Ministro Generali Ordinis, et attentis narratis, censuit, ac declaravit præfatos Syndicos Apostolicos Conventuum ejusdem Ordinis, non comprehendi in enunciato Decreto.

« Romæ 4. Decembris 1699.

« G. Cardinalis Carpineus. »

Joseph Emygdius Ferrus Pro-Secretarius.

(36. Super Clausura Monasteriorum quorumcumque Virorum Regularium attendenda est novissima Summi Pontificis Benedicti XIV. Constitutio incip. *Regularis disciplina*, in qua inter alia confirmat omnes Constitutiones Apostolicas et Decreta Concilii Tridentini quoad dictam Clausuram sub iisdem pœnis ibi inflictis. Et deinde revocat quæcumque Indulta, et Privilegia admittendi fœminas intra Clausuram Conventuum quacumque de causa, etiam devotionis, associandi Processiones, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. Prohibetque quibuscumque etiam Cardinalibus, sive singulis sive eorumdem Cardinal. Congreg., ne facultates, et licentias ingrediendi Clausuram Conventuum Religiosorum fœminis ullo modo concedant, et concessas omnino invalidas declarat; ac decernit quemlibet ipsorum, et aliorum quorumcumque, etiam speciali mentione dignorum, quacumque facultate hujusmodi temere uti audentem, ipso facto absque ulla alia declaratione pœnas, et Ecclesiasticas Censuras incurrere, et incursas esse, a quibus præterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi possit. Cæterum per hanc Constitutionem non intendit derogatum esse iis concessionibus, quæ ad favorem quarumcumque Nobilium fœminarum, ex eo quod sive eorumdem majores, ac pro tempore existentes de familia fuerint et habeantur Fundatores, vel insignes Benefactores illius Monasterii, intra cujus Claustra, vel septa fœminas etiam de familia ingredi, vel concessum, vel cautum esse sibi voluerunt, et de concessione hujusmodi confirmationem ab apostolica Sede obtinuerunt; sive fœminæ hujusmodi sint consanguineæ, et affines eorum, qui sunt Domini in Temporalibus locorum, in quibus Monasteria sita reperiuntur, et quacumque legitima tituli, vel consuetudinis causa, et occasione ingressu hujusmodi de præsenti gaudent, factæ, et impertitæ fuerint; dummodo concessiones hujusmodi per Apostolicas Literas in forma Brevis, vel sub plumbo expeditas dumtaxat, et non aliter omnino factas, et impertitas fuisse, prius Ordinariis locorum Antistitibus, vel Præsulibus per legitima, et authentica documenta constare facerent; et dummodo, nec vagandi, nec otiandi, nec comedendi, cœnandique, nec per ambulacra, cubicula, cœnacula, aliaque loca, et officinas discurrendi causa; sed ad Ecclesiam accedendi, Sacrosanctum Missæ Sacrificium audiendi, aliaque erga Deum pietatis officia, et opera exercendi studio ingrediantur; et dummodo de earum adventu, et ingressu, interdiu, et opportune faciendo, Superiores pro tempore existentes prius certiores fiant, ad hoc ut absque Fratrum incommodo, et offensione, recto tramite ad Ecclesiam pergatur, et alia de jure servanda serventur.

Circa clausuram multa erudite ac prudenter animadvertit sæpe laudatus Episcopus Joseph M. Maraviglia in suis Legibus Prudentiæ Episcopalis, lege 241. et seqq. quem consule.

Hic ad rem subnectuntur sequentia Decreta ejusdem Sac. Congreg. super Disciplina Regulari deputatæ.

Digitized by Google

DECRETUM.

(37. Quo disposita, atque sancita a Vice Commissario Generali Minor. Observ. Reformat. S. Francisci pro Conventibus, Recessus, seu Recollectionis nuncupati confirmantur.

Sacra Congregatio super Disciplina Regulari expenso tenore Epistolæ circularis Vice Commissarii Generalis Min. Observantium Reformatorum S. Francisci datæ die 6 Januarii 1707, in qua sub num. 6, ubi de Conventione Recessus, seu Recollectionis agitur, hæc habetur: *E in detto Convento, o Conventi, ne' quali dovrà attendersi al solo spirito, divozione, ed orazione, non vi potrà essere studio, ne' Lettori, o altro Religioso esente da qualunque atto commune.* Et mature perpensis omnibus, et singulis deductis tam a dicto Vice Commissario Generali, et Procuratore Generali Strictioris Observantiæ Sancti Francisci ex una, quam a Patribus habitantibus in Conventibus Recessus Provinciarum Reformatorum Marchiæ, et Bononiæ Patribus ex altera, pro stabilitate Conventuum Recessus, sive Recollectionis cum peculiaribus legibus rescripsit: Exsecutioni mandetur in omnibus Provinciis prædicta Epistola Circularis Vice Commissarii Generalis sub die nona Januarii 1707. Et tam Superiores Generales, quam Provinciales omnino provideant Conventus Recollectionis, alias Sacra Congregatio providebit. Dat. Romæ hac die 24 Martii 1708.

J. R. Card. Imperialis Præfectus.

F. de Vico Secretarius.

DECRETUM.

(38. De instituendis in unaquaque Provincia Strictioris Observantiæ Sancti Francisci Conventibus spiritualis reces. pro Religiosis ferventioribus ad præscriptum Epistolæ Circularis P. a Monte Bufo Vice Commissarii, alias a Sacra Congregatione confirmatæ.

Cum ad aures Sacræ Congregationis super Disciplinâ Regulari pervenerit, et multiplici fide dignorum testimonio fuerit comprobatum: in multis Provinciis strictioris Observantiæ S. Francisci per Italiam, et Insulas adjacentes Epistolam Circularem Vice Commissarii Generalis a Monte Bufo, datam 9 Januarii 1707, et ab hac Sacra Congregatione confirmatam 24 Martii 1708, plenum non sortiri effectum quoad demandatos spiritualis Recessus Conventus: Volens propterea Sacra Congregatio, ne talis inobservantia in Regularis Disciplinæ detrimentum diutius protrahatur, opportune, et efficaciter providere, re mature discussa, auditisque pluries, tum voce, tum scripto Superioribus Ordinis, referente Eminentissimo Fabrono, rescripsit. Pro omnimoda observantia præfatæ Epistolæ Circularis Vice-Commissarii Generalis a Monte Bufo confirmatæ, ut supra, a Sacra Congregatione, de instituendis in unaquaque Provincia supradictis Conventibus spiritualis Recessus pro Religiosis ferventioribus, et non concedatur licentia admittendi ad habitum, et professionem, nisi in

Provinciis in quibus Sacræ Congregationi constiterit, præfatos Conventus reipsa institutos esse, ac sedulo, et cum effectu a Superioribus Generalibus detur notula, ubi sint respective instituti dicti Conventus. Romæ 10. Decembris 1714.

J. R. Card. Imperialis Præfectus.

F. de Vico Secretarius.

DECRETUM

(39. Consimile præcendenti pro Minoribus Observantibus Sancti Francisci.

Cum ad aures Sacræ Congregationis super Disciplina Regulari pervenerit, et multiplici fide dignorum testimonio fuerit comprobatum in multis Provinciis Minorum de Observantia Sancti Francisci per Italiam, et Insulas adjacentes Breve San. mem. Innocentii XI. quod incipit. *Militantis Ecclesiæ*, etc., editum die 22. Novembris 1679. plenum non sortiri effectum, quoad demandatos Recollectionum Conventus; Volens propterea eadem Sacra Congregatio, ne talis inobservantia in Regularis Disciplinæ detrimentum diutius protrahatur, opportune, et efficaciter providere, re matura discussa, auditisque pluries, tum voce, tum scriptis Superioribus Ordinis, referente Eminentissimo Fabrono, censuit: Supersederi pro nunc in expeditione novi Brevis, sed omnino servandam esse dispositionem Brevis San. mem. Innocentii XI. 22. Novembris 1679. de non concedenda licentia admittendi ad habitum, et ad Professionem in illis Provinciis, in quibus plene non constiterit Sacræ Congregationi, supradictos Recollectionum Conventus institutos fuisse juxta formam in eodem Brevi præscriptam. Et interim detur a Superioribus Generalibus nota, ubi respective sunt Recollectionum Conventus. Romæ 10. Decembris 1714.

J. R. Card. Imperialis præfectus.

F. de Vico Secretarius.

DECRETUM

(40. *Quo officium Prioratus Conventus S. Marcelli de Urbe Ordinis Servorum B. M. V. declaratur incompatibile cum cura Animarum ejusdem Ecclesiæ, ac præterea statuitur ut prædicta duo munia, tamquam incompatibilia in omnibus Conventibus cujuscumque Ordinis, Societatis, et Instituti seorsim, distinctisque personis demandentur.*

Mature discussa in Sacra Congregatione super Disciplina Regulari, habita sub die 28. Maii currentis Anni 1715. Causa Incompatibilitatis Prioratus Conventus Sancti Marcelli de Urbe Ordinis Servorum B. M. V. et Curæ Animarum ejusdem Ecclesiæ, unitim in Persona Patris Hieronimi Allegri, Eminentissimi Patres, auditis Partibus, unanimiter censuerunt, prædicta duo munia esse inter se incompatibilia, et insuper nominationem præfati Patris Allegri in Priorem dicti Conventus esse nullam: Mandantes insimul, sanctissimo Domino Nostro approbante, ut enunciata duo Officia seorsim pro-

Digitized by Google

videantur in omnibus et singulis Conventibus cujuscumque Ordinis, Societatis, aut Instituti, quibus Cura Animarum incumbit, aut incumbere contigerit. Et ita perpetuo, et inviolabiliter observetur sub pœnis arbitrio ejusdem Sacræ Congregationis.

J. R. Card. Imperialis Præfectus.

F. de Vico Secretarius.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(41. De excommunicatione quam indiscriminatim incurrere, ait Auctor num. 5. et plur. seq. Fœminas ingredientes clausuram Conventuum Virorum, tum Religiosos ipsas introducentes, vide quid sentiant Pirhing. in Decretal. lib. 3, tit. 35, § 6, num. 45. Engell., in Collegio Jur. Canon. lib. 3, tit. 35, num. 13. Schmalzgrueber Jur. Eccles. univers. lib. 3, part. 4, tit. 35, § 4, num. 131, Suar. de Censur. disp. 22, sect. 6, n. 10. et plur. seq.

CRAPULA.

Vide verb. Clericus, *art.* 5, *a num.* 15, *et* 23.

CRIMEN;

PROUT EST IMPEDIMENTUM MATRIMONII.

Vide verb. Impedimenta matrim., *art.* 5, *num.* 79, *ad* 90.

CRUX.

SUMMARIUM.

1. Crux Christi a S. Helena Constantini Magni Imperatoris Matre fuit adinventa. — 2. Crux Christi inter illas Latronum miraculo fuit cognita, *ad num.* 3. — 4. Crux suæ præcisionis damnum non sentit, sed crescit, et multiplicatur. — 5. Crucis Domini Titulus quando Romæ fuerit inventus. — 6. Episcopo ingredienti aliquam Civitatem, vel Ecclesiam Parochialem, Crux deosculanda a quo porrigi debeat. — 7. In Processionibus deferenda est Crux cum Imagine Crucifixi terga vertente Clero, seu populo sequenti. — 8. Crux in Processionibus deferenda est a Regularibus cum velo pendente, seu pallio. — 9. Cappucini in Processionibus possunt erigere, seu deferre propriam Crucem. — 10. Cappucini post sibi concessam propriæ Crucis erectionem, debent in Processionibus locum cedere Regularibus anterioribus. — 11. Reformati, Discalceati, et Recollecti S. Francisci in Processionibus incedunt sub Cruce Minorum de Observantia. — 12. Crux in Processionibus deferri debet a Religiosis Laicis, seu Conversis, non autem a Clericis Professis. — 13. In funeralibus unica tantum Crux defertur illius Ecclesiæ, in qua defunctus sepeliri debet. — 14. Id tamen intelligendum est, dummodo Processioni funerali non intervenial Capitulum Cathedralis, quia tunc omnes invitati sub unica illius Cruce ad Ecclesiam tumulantem incedere debent. — 15. Et idem est dicendum etiam, quando intervenit Capitulum Collegiatæ, *ad n.* 16. — 17. Si autem favore regularium concurrat immemorabilis consuetudo circa delationem propriæ Crucis, est servanda. — 18. Quid circa id statutum sit observandum a Clero Urbis. — 19. Quidve observandum a Confraternit. ejusdem Urbis. — 20. Confraternitates generatim nequeunt in Processionibus propriam erigere Crucem. — 21. Cruces Altarium, et Processionum non sunt benedicendæ præcepto, et quilibet Sacerdos eas private benedicere potest. — 22. In Altari etiamsi sit expositum Venerabile, semper requiritur Crux cum Imagine Crucifixi. — 23. In fine Missæ ad quodcumque Altare celebratæ, fit reverentia Cruci infra gradus, capite semper aperto. — 24. Cruces, quæ fiunt a Sacerdote super Oblata, non sunt faciendæ manu transversa, sed manu recta in transversa parte Crucis, et digitis conjunctis. — 25. Signum, quod fit cum Patena a fronte ad pectus, fit integre cum signo Crucis. — 26. Manus Sacerdotis ad *Hanc igitur oblationem* debent ita extendi, ut palmæ sint apertæ, pollice dextro super sinistrum in modum Crucis supra manus, non vero infra manus. — 27. Cruces in Missa super Calicem, et Hostiam quando efformandæ. — 28. Tolerari non debet, quod in locis publicis, et sordidis stent depictæ diversæ Cruces, ac Sanctorum Imagines in derisionem Christianæ Religionis. — 29. Cruces, et nova insignia præter solitum in Processionibus deferre non licet. — 30. Crucem propriam in Processionibus erigere non possunt Presbyteri alicujus Ecclesiæ intra limites propriæ Parochiæ, sed debent incedere sub Cruce Parochiæ. — 31. Archiepiscopi possunt ante se deferre Crucem etiam per loca exempta suarum Diœcesum; Et idem possunt Episcopi habentes privilegium deferendi ante se Crucem, *ad num.* 34. — 35. Alia ad rem. *Remissive.* — 36. Affertur origo Crucis Caravacensis. — 37. De pluralitate Crucium in funeralibus. — 38. An Sacerdos debeat omittere Crucis osculum in Missis de Requiem. — 39. ad 41. De Crucis loco in Exsequiis Defunctorum. — 42. Quomodo a Summo Pontifice ad Archiepiscopos mos ante se deferendi Crucem dimanavit. — 43. ad 48. De unicitate vel pluralitate Crucium. — 49. Signo Crucis Horas Canonicas auspicari solemus. — 50. Quanta virtus et antiquitas hujus signi. — 51. De Cruce pectorali. — 52. 53. De Episcoporum usu Crucem deferendi. — 54. 55. De R. Pontificis usu. — 56. De Crucis prælatione. — 57. De Ligno S. Crucis, aliisque Dom. Passionis Instrumentis in processionibus deferendis.

(1. Crux Christi a Sancta Helena Constantini Magni Imperatoris Matre fuit adinventa. Ipsa enim in somnis admonita, conquirendæ, et adorandæ Crucis studio Jerosolimam petiit; ibique, ut scribit S. Ambrosius in oratione de obitu Theodosii, aperit humum, decutit pulverem, tria patibula confusa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus absconderat; sicque Divinis monita visionibus Beatissimum Crucis lignum Sanctissima Imperatrix invenit; Nicephorus lib. 8, cap. 29, Socrates lib. 1, cap. 11. Theodoretus lib. 1, cap. 18, et alii cum Baronio tom. 3, anno 326 (1).

(1) Vol. IX. Symbolorum, quas cl. Gorius Florentiæ edidit p. 65 seqq., exstat Francisci Antonii Zachariæ de Inventione S. Crucis dissertatio. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

(2. Cum autem treś simul fuissent Cruces repertæ, et Titulus Dominicæ Crucis seorsim ab illis, proptereaque dubitaretur quænam illa foret, in qua Dei Filius pependisset, eam dubitationem sustulit miraculum; quippe Macarius Jerosolymorum Episcopus, factis Deo precibus, eas in conspectu Imperatricis cuidam Fœminæ gravi morbo laboranti admovit, cui cum reliquæ nihil profuissent, adhibita tertia Crux, statim eam sanavit: Sic Ruffinus Aquilejensis lib. 1. Histor. cap. 7. et 8. Theodoretus lib. 1, cap. 18. Socrates lib. 1, cap. 13. Sozomenus lib. 2, cap. 1, apud Baronium tom. 3, anno 226, num. 47, et concordat Breviarium Romanum lection. 5, in Festo Inventionis Sanctæ Crucis. (3. Sanctus Paulinus tamen epistol. 11. ad Severum, et ipse Severus Histor. lib. 2, apud Baronium loc. cit. num. 46, non seminecem fœminam sanitati restitutam, sed mortuum ad vitam revocatum tradit, dicens quod cadaveri illato Cruces duæ adhibitæ fuerunt, quas mors sprevit. At vero ubi tertia admota est, Dominicam Crucem esse prodidit resurrectio; et ad salutaris signi tactum morte profuga, funus excussum, et corpus erectum est; tremefactisque viventibus, stetit mortuus, et funebribus, ut Lazarus quondam, vinculis expeditus, illico inter spectatores suos redivivus incessit. Nicephorus vero l. 8, cap. 29, apud Baronium l. c. n. 47, in fine, utrumque miraculum accidisse tradit, cum subdit: *Dicunt quoque, postea mortuo prorsus Crucem impositam, in vitam illum repente revocasse.*

(4. Crux suæ præcisionis damnum non sentit, sed crescit, ac multiplicatur; Tanta enim est Dei bonitas, scribit Bosius, l. 6 de Cruce, relatus, et sequutus a Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ, verb. *Crux*, fol. 619, litt. *E*, quod pro fidelis populi solatio eam virtutem suæ Crucì impartiatur, ut cum omnium hominum desiderio per particularum ejusdem distributionem fiat satis, nullo tamen sui detrimento id eveniat. Et Sanctus Paulinus Epist. 11, ad Severum, sic habet: « Operante Divina virtute, jugi miraculo Crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat, et quasi intacta permaneat, quotidie dividuam sumentibus, et semper totam venerantibus, sed istam imputribilem virtutem, et indetribilem solliditatem de illius profecto Carnis sanguine bibit, quæ passa mortem, non vidit corruptionem; » sic apud Baronium cit. t. 3, ann. 326, n. 50, ubi ipse subdit, quod de multiplicatione in Crucis divisione divinitus impartita, quam S. Paulinus testatur, testis fidelis accedere videtur S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 10, cum ait: « Quinque panes testantur in quinque millia multiplicati; Lignum Crucis testatur ad hodiernum diem apud nos apparens, et apud eos, qui secundum fidem ex illo capientes hinc universum Orbem fere jam repleverunt. » Unde Baronius ipse loc. c., n. 50, sic concludit: « Hæc igitur a S. Cyrillo tertium repetita, et a S. Paulino disertis verbis asserta ora obstruunt subsannantium Hæreticorum, atque adeo objectantium, quomodo fieri possit, ut Crux una tot in partes toto reperiatur Orbe diffusa. »

(5. Crucis D. N. Jesu Christi Titulus inventus fuit Romæ in Ecclesia Sanctæ Crucis in Hierusalem die vigesima mensis Januarii 1492, Græcis, Hebraicis, et Latinis Characteribus conscriptus; Alexander VI, Const. 4, incipient. *Admirabile* (1).

(6. Crucem deosculandam porrigere Episcopo ingredienti in aliquam Civitatem spectat ad dignioremillius loci, etiamsi non ad illius Ecclesiam, sed ad aliam Parochialem dirigatur. Cum vero ingreditur Parochialem Ecclesiam, debet hoc præstari a digniore illius Ecclesiæ, licet sint præsentes Canon. Cathedr. vel Collegiatæ; Sac. Congr. Rit., in Calaguritana, 1 Jun. 1602, apud Barbos., loc. c., n. 5.

(7. In Processionibus ita debet Crux deferri, quod imago Crucifixi terga vertat Clero, seu Populo sequenti, quasi Christus præire videatur; ad differentiam Crucis Papalis, vel Archiepiscopalis, in qua imago Crucifixi respicit Papam, vel Archiepiscopum, quasi ex illius aspectu in summa animarum cura ii recreentur, ut indicatur in Cæremon. Episcop., l. 1, c. 15, et l. 2, c. 16, et aperte in Cærem. Marcelli, l. 3, c. 20, et Crassis, l. 2, c. 12. Sic Garant., Commentar. in Rubricas, part. 1, tit. 19, n. 3. Synodus Alexandrina XI, tit. 10, Decret. unic. citans ad id Decretum Sacr. Rit. Congr.

(8. Crux in Processionibus deferenda est a Regularibus, cum velo pendente, seu pallio; Sac. Rit. Congr., 14 Januar. 1657.

(9. Capuccini in Processionibus possunt erigere propriam Crucem; Ead. Sacr. Rit. Congr., 21 Maji 1618, et Paulus V, Const. 9, incip. *Pastoralis Officii*.

(10. Capuccini post sibi concessam propriæ Crucis erectionem, debent in processionibus locum cedere Regularibus illis, qui sub propria Cruce, et in proprio loco incedebant, antequam ipsi propriam Crucem deferrent; Ead. Sacr. Congr., 23 Martii 1619.

(11. Reformati, Discalceati, et Recollecti S. P. Francisci in Processionibus incedunt sub Cruce Minorum de Observantia; Ead. Sacr. Rit. Congreg., 3 Junii 1617.

(12. Crux in Processionibus deferri debet a Religiosis Laicis, seu Conversis, non autem a Clericis Professis; Sacra Congr. Episcop. et Regular. in Provincia S. Angeli, Relationis Crucis, 16 Septembris 1718. Ponente Card. Casono, teste Ursaya, t. 3, part. 1, discept. 5 per totum.

(13. In funeralibus unica tantum Crux defertur illius Ecclesiæ, in qua Defunctus sepeliri debet. Sic servandum esse ubique decrevit Sacr. Congr. Episcop. et Regul. in

(1) Huc spectat de Titulo Dominicæ Crucis Archetypo Commentarius Dominici Mariæ Mannii, qui in eodem Gorianarum Symbolorum Volumine IX. prodiit pag. 1. seqq. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

Barensi, 29 Julii 1616, et in Potentina, 14 Jan. 1647, et sæpe alibi. Et declaravit Sacr. Rit. Congr. in alia Barensi Terræ Melagni, 2 augusti 1631, et in Messanensi, 12 Febr. 1653, per hæc verba : « In funeribus deferenda est unica tantum Crux illius Ecclesiæ, ad quam corpus transfertur; post quam sequi debent immediate personæ illius Ecclesiæ, et deinde cæteri secundum antianitatem, » ut censuit eadem Sacr. Rit. Congr. in Narniensi, 30 Septembris 1614, et in Andriensi, 22 Nov. 1631, ad 8, et eligitur ex Rituali Romano in Rubric. de exequiarum Ordine atque Romæ observatur. Sic refert Piguatell., t. 6, consult. 58, n. 13, qui tom. 8, consult. 83, n. 175, affert ad id etiam Decretum Sacr. Congr. Conc. præcisis his verbis : « Die 17 Januarii 1682, Sacr. Congr. Conc. declaravit Crucem deferendam esse debere illius Ecclesiæ ad quam funus ducitur, illamque deferendam esse a Clerico ejusdem Ecclesiæ post Confratres ante Clerum, et ita servari mandavit, etc. » Et resolvit ead. Sac. Congreg. Concilii in Aquensi Terræ Incisæ Jurium Parochialium 9 Jun. 1708, ad decimum tertium dubium, ibi : « Sub unica Cruce Ecclesiæ tumulantis. » Et idem statuit Sacr. Congr. Episcop. et Regular. in una Civitatis Castelli Juris funerandi die 16 April. 1723, responsion. ad 5, ex dubiis pro PP. Conventualibus, et Parochis ejusdem Civitatis propositis, et resolutis ut infra.

I. An PP. Conventuales Terræ Citernæ, accedentes ad publicas, et Generales Processiones, incedere possint sub propria Cruce absque licentia Parochi? *Affirmative.*

II. An constet de immemorabili accedendi PP. Conventuales occasione associationis Cadaverum recta via Domum Defuncti? *Et quatenus constet;* An vigore ejusdem immemorabilis possint dd. Pat. sic continuare : vel potius teneantur accedere ad Parochialem?

Ad 2. Assertam etiam immemorabilem non suffragare.

III. An possint dict. Patres accedere ad Ecclesiam, in qua depositum est Cadaver ad effectum sepeliendi in alia Ecclesia ; vel potius teneantur accedere ad Parochialem?

Affirmative quoad primam partem. Negative quoad secundam.

IV. An pro Cadaveribus illorum qui sibi Sepulturam elegerunt in Ecclesia eorumdem Patrum, Exequiæ ab ipsis fieri debeant, vel potius a Parocho?

Affirmative quoad primam partem. Negative quoad secundam.

V. An in dicto casu electionis Sepulturæ in Ecclesia Patrum Conventualium, Clerus Sæcularis incedere debeat sub propria Cruce, vel potius sub illa eorumdem Patrum?

Negative quoad primam partem, et Affirmative quoad secundam.

VI. An iidem Conventuales cogi possint ad associanda Cadavera in eorum Ecclesiæ tumulanda, vel potius illa expectare possint in Janua propriæ Ecclesiæ.

Negative quoad primam partem, et Affirmative quoad secundam. Sic refert Ursaya t. 5, part. 2, disceptat. 25, n. 50 ad 55.

(14. Id tamen intelligendum est, dummodo Processioni funerali non interveniat Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, quia tunc omnes de Clero, tam Sæculari, quam Regulari invitati, ad Ecclesiam Cathedralem convenire, et sub unica illius Cruce ad Ecclesiam tumulantem incedere debent. Sic Samuel de sepulturis tract. 1, disp. 3, controvers. 3, conclus. 6, num. 37, et Monac. t. 1. tit. 5, formul. 7, num. 37, ibi : « In defunctorum associatione, si Capitulum Cathedralis incedat cum Regularibus, tantum una Crux est ferenda ab Ecclesia Cathedrali ob illius reverentiam. Cadaver si sepeliatur in Ecclesia Regularium, non erigenda est ab eis alia Crux, si vero ab Ecclesia Cathedrali non defertur, eam Regulares erigent, si Cadaver est tumulandum in sua Ecclesia. » Sic Sac. Rit. Congr. sancivit in una Pisauren. 22 Martii 1632. Et magis præcise ead. Sac. Rit. Congr. in Fosanen. 22 Julii 1645. Decreto tenoris sequens. « Episcopus duobus dubiis humiliter petiit responderi. Primo, an servandum sit Decretum ab ipso factum, quod ad funera vocatis non liceat exspectare Defunctum per vias, vel illius Domum petere, sed quod debeant intervenire ad Ecclesiam Parochialem, ad quam funus defertur, vel ad Cathedralem, si Cathedralis capitulariter interveniat, consuetudine immemorabili in contrarium non obstante. Secundo, an cum Cathedralis, et Parochi soleant deferre singuli suas Cruces, ac Vexilla Confraternitatum in suis Ecclesiis respective existentium, ut captent duos Cereos pro singulis Crucibus, et Vexillis, possit idem Orator præcipere, ut Clerus sæcularis totus incedat sub unica Cruce, Cathedralis videlicet, quando capitulariter, alias Parochialis, ad quam funus defertur remotis hujusmodi Vexillis etiam Regularium, prædicta consuetudine non obstante?

« Sac. Rit. Cong. ad primum respondit, tam Sæculares, quam Regulares etiam exemptos ad funera mortuorum vocatos in Ecclesiam Cathedralem, alias in Parochialem, ad quam funus deferatur, convenire debere, et nullo modo permittendum, quod expectent per vias, vel adeant Domum Defuncti, consuetudine immemorabili in contrarium non obstante.

« Ad secundum sub unica Cruce incedere debere omnes associantes funus, et ea si illius Ecclesiæ, ad quam Corpus defertur sepeliendum, nisi intervenerit, ut supra, Capitulum Cathedralis, vel Collegiatæ; quo casu sub una duarum respective Cruce omnes incedere debent, prædicta consuetudine non obstante. » Die 21 Julii 1645, ita reperitur, etc. Quod decretum confirmavit postea ead. Cong. in Aretina de anno 1664, inter Monachos Casinenses, et Capitulum Cathedralis, et denuo inter easdem partes 22 Decemb. 1697, in responsione ad primum. Sic Monacell. *l. c. n.* 38 et 39.

(15. Ubi ut vides stante supra dicto Decreto non solum cum intervenit Capitulum Cathedralis, sed etiam cum intervenit Capitulum Collegiatæ omnes ad funus invitati incedere debent sub unica illius Cruce. Quod et decre-

Digitized by Google

vit Sacra Congreg. Episcoporum et Regularium in Nullius Atinæ Juris sepeliendi die 2. Aug. 1709, in responsione ad 2, ex dubiis pro PP. Reformatis S. P. Francisci, et Capitulo Ecclesiæ Collegiatæ ejusdem loci propositis et resolutis, ut infra.

I. An PP. Reformati S. Franc. Atinæ teneantur solvere quartam Parochiali, et Collegiatæ Ecclesiæ ejusdem loci, pro illis Defunctis, qui in eorum Ecclesia sepulturam elegerunt?

II. An in associatione cadaveris ad propriam Ecclesiam possint iidem Patres incedere sub illa Ecclesiæ Collegiatæ, et Parochialis?

III. An possit Capitulum ejusd. Parochialis, et Collegiatæ Ecclesiæ cum Stola et Cruce ingredi Ecclesiam dd. Patrum, in eaque functiones aliquas facere circa Cadaver, antequam sepulturæ tradatur; seu potius debeat tantum dare ultimum Vale? Et quatenus affirmative quoad 2. partem.

IV. An dictum ultimum Vale consistat in simplici benedictione Cadaveris, recto tramite introducendi in Ecclesiam Regularium; vel potius in recitatione alicujus Psalmi, vel alterius Orationis.

V. An tempore Processionum, quo Capitulum præfatum Ecclesiam ingredi solet, possit Celebrans recitare preces, et etiam Missam celebrare, et teneantur Patres Capitulum urbaniter excipere, et Campanas pulsare.

Die 2. Augusti, 1709. Ponente Eminentissimo Card. Corsino.

Ad primum responsum fuit: Negative.

Ad 2. Negative quoad primam partem, et quoad secundam Affirmative in casu de quo agitur, quando Canonici accedunt capitulariter.

Ad 3. Negative quoad primam partem; et quoad secundam, Affirmative quoad ingressum et ultimum Vale.

Ad 4. Ultimum Vale consistere in simplici benedictione.

Ad 5. Episcopo pro informatione.

Reproposita vero per eumdem Ponentem in Congregatione habita die 7 Septembris 1710. rescriptum fuit.

Capitulo licere ingredi cum Stola, et Cruce in casu, de quo agitur; nullum tamen peragere Officium circa Cadaver in Ecclesia, et ultimum Vale esse dandum extra Ecclesiam. Sic refert Ursaya, tom. 4, part. 1. discept. 31. in princip. et a num. 11, ad 17. et a num. 51, ad 57.

Sic etiam respondit eadem Sac. Congr. Episcop. et Regul. in alia Nullius seu Aquinaten: Juris sepeliendi die 6 Sept. 1709. in responsione ad primum ex sequentibus dubiis.

I. An in associatione Cadaveris ad propriam Eccles. Regulares possint incedere sub illa Ecclesiæ Parochialis Collegiatæ?

II. An possit Capitulum ejusdem Parochialis, et Collegiatæ Ecclesiæ cum Stola, et Cruce ingredi Ecclesiam dictorum Patrum, in eaque functiones aliquas facere circa Cadaver, antequam Sepulturæ tradatur; seu potius debeat tantum dare ultimum Vale? et quatenus affirmative quoad secundam partem.

III. An dictum ultimum Vale consistat in simplici benedictione Cadaveris, recto tramite introducendi in Ecclesiam Regularium; vel potius in recitatione alicujus Psalmi, vel alterius Orationis?

Sac. Congreg. 6 Septembr. 1709, auditis partibus, respondit.

Ad 1. Negative quoad primam partem, et quoad secundam affirmative in casu, de quo agitur.

Ad 2. Negative quoad primam partem, et quoad secundam Affirmative quoad ingressum, et ultimum Vale.

Ad 3. Ultimum Vale consistere in simplici benedictione.

Sic refert Matthaeucci Official. Curiæ cap. 19. quoad Exequias, n. 14.

(16. Ac id competere etiam Ecclesiæ Collegiatæ jam cum aliis censuerat Pignatell., tom. 6, num. 1. referens sic resolvisse Sacram Congreg. die 14 Maii 1664, ibi: Sac. Congreg. censuit, ac declaravit in funeribus unicam Crucem adhibendam esse illius Ecclesiæ, ad quam Cadaver defertur, nisi Capitulum Cathedralis, vel Collegiatæ funeri interfuerit; quo casu Crux Capitularis privative adhibenda est.

(17. An autem, si favore Regularium concurrat immemorabilis consuetudo circa delationem propriæ Crucis, ipsi suffragetur, affirmat relatis declarationibus ejusdem Sacræ Congregationis, Passerinus de homin. statu quæst. 187. art. 4, num. 181. cum seq., tom. 2. relat. etiam a Pignatell. loc. cit., num. 2. qui tom. 6. consult. 58, num. 14, de similis consuetudinis valore sic habet expresse: « Dummodo non extet consuetudo a tempore immemorabili observata, quod in associatione Cadaverum, etiam quando interveniunt Capitulum, et Canonici Cathedralis, non deferatur solummodo Crux ejusdem Cathedralis, sed etiam Crux Ecclesiæ, ad quam corpus defuncti defertur, aliorumque etiam Regularium, qui fuerint vocati. » Et ibidem *num.* 15. subjungit, quod licet Capitulum Cathedralis habeat pro se regulam, quod quando funeri intervenit, debeant omnes incedere sub unica ejusdem Cruce « id tamen non procedit in iis locis, in quibus adest consuetudo in contrarium, quæ sit in viridi observatione; » et ad id adducit Conc. Lateranense, et plura Decreta Sac. Congreg. Rituum. Et de facto Sacra Congregat. Episcoporum, et Regularium in una Nucerina Paganorum, 15 Septemb. 1690. manutentionem concessit PP. Basilianis in erectione Crucis occasione associationis Cadaverum in eorum Ecclesia tumulandorum, etiam interveniente Capitulo Cathedralis.

(18. Pro Urbe a Statuto Cleri Romani in forma specifica a SS. D. N. c. 5, § 7. sic habetur dispositum: ibi « Demum procedant omnes gradatim sub una tantum Cruce, illius videlicet Ecclesiæ, ad quam Cadaver tumulandum defertur, nec alias Crux, sive Crucifixus sub quovis prætextu, vel consuetudine, quæ potius dicenda est corruptela, erigatur,

Digitized by Google

(19. sive sit propriæ Parochiæ, sive Regularium, sive Laicorum Confraternitatum, sive etiam Capitulorum Collegiatarum, étiam insignium, et Parochialium. »

Quoad erectionem autem Crucis Confraternitatum pro sedandis litibus, et controversiis inter eas, et Parochos Urbis, extant responsa Sac. Congr. Conc. ut infra : « Cum multis ab hinc annis ortæ fuissent controversiæ inter RR. Parochos, et Ven. Societates Urbis, occasione Processionum funeralium, et partes habuissent recursum ad Sacram Congregationem Conc. hæc dubiis, tunc porrectis, dedit infrascriptas responsiones; videlicet :

« *Primo.* An Archiconfraternitas possit in funeralium Processionibus erigere suam Crucem, quando defuncti tumulandi deferuntur ad ipsius Ecclesiam, in qua sepulturam elegerunt?

« *Secundo.* An eadem Confraternitas possit suam Crucem erigere, tam per viam, quam in Ecclesia Parochiali, quando est invitata ad associandum cadaver sepeliendum in ipsa Ecclesia Parochiali?

« *Tertio.* An Capellanus ejusdem Archiconfraternitatis indutus Cotta, et Stola possit, post absolutum a Parocho Officium funeris, in Ecclesia Parochiali, una cum Confratribus canere Psalmos *Miserere*, et *De profundis*, cum aspersione aquæ Benedictæ?

« *Quarto.* An possit Parochus Officium funeris peragere in Ecclesia Archiconfraternitatis super Cadaver defuncti in eadem Ecclesia tumulandi, etiamsi sit Parochus, intra limites cujus Parochiæ Ecclesia Archiconfraternitatis est?

« Ad primum. Præcedat Confraternitas, deinde Crux ejusdem Ecclesiæ, deferenda per Clericum ipsius : postea sequatur Clerus Regularis, et tandem Sæcularis.

« Ad secundum. Negative, tam in Ecclesiis, quam in Processionibus funeralibus præsente Parocho.

« Ad Tertium, et Quartum. Negative. »

Quorum observantiam præcepit Eminentiss. Urbis Vicarius Gaspar Card. Carpineus. Die . . . . Anno 1698. apud Impressorem Cameralem; Sic apud Matthæucc. loc. cit., num. 12.

(20. Confraternitates generatim nequeunt in Processionibus propriam erigere Crucem; sic pluries censuit Sac. Congregat. Conc. apud Ursayam, tom. 3, part. 2. discept. 23, num. 13. et signanter in Regiensi 5. Augusti 1719. in respons. ad septimum apud eumdem loc. cit. num. 82. Unde ipsis Confraternitatibus, non Crux ad instar Cleri Sæcularis, et Regularis, sed sola Imago SS. Crucifixi, vel illius Sancti, sub cujus Instituto militant, permissa est, ut replicatis oraculis Sacræ Congregationis referunt Donatus, Prax. Rerum Regularium, tom. 3, tit. 8. de Confraternit. Laic. qu. 28, num. 8. Ricciul. variar. lucubrat. lib. 4. de Confraternit. Laic. c. 14, num. 3. vers. *Ubi Confraternitates;* Ursaya, l. c. num. 13. Vide in calce hujus Artic. Not. Rom. Theolog.

(21. Cruces Altarium, et Processionum non sunt benedicendæ de præcepto, et quilibet Sacerdos eas private benedicere potest; Sac. Rituum Congregatio die 12 Julii 1704. Vide verb. *Benedicere*, *Benedictio*, art. 5, num. 23. ubi affertur Decretum. (22. In Altari etiamsi sit expositum Venerabile, semper requiritur Crux cum Imagine Crucifixi. Sic Rituum Congregat. 14 Maji 1707 (1). Iterum vero causa reproposita die 2 Septembris 1741. decrevit, ut quælibet Ecclesia consuetudinem suam retineret. Ita ex Constitut. Benedicti XIV. incip. *Accepimus;* ex qua Constitut. plura ad rem protulimus, tom. 1, verb. *Altare* num. 59. ibi videnda; ad dubium autem, num committat peccatum grave celebrans in Altari, in quo Crux abest, communis sententia tenet id quidem nonnisi venialem culpam inducere; Idem de Sacrific. Miss. lib. 3, c. 13, § 1.

(23. In fine Missæ ad quodcumque Altare celebratæ, fit reverentia Cruci infra gradus, capite semper aperto; Sac. Rit. Congreg. 28. Aug. 1627. Vide verb. Miss. art. 12, n. 67.

(1) Ubi de Cruce in Altari ponenda, quando in eodem publicæ venerationi exposita est Eucharistia, sermonem facit Auctor, respiciens ad Decretum Sac. Rituum Congregationis die 14 Maii 1707, asserit, semper extare debere Crucem in Altari, quod tamen ex eodem Decreto non colligitur, quinimmo ex variis ejusdem Sac. Congregationis Decretis constat servandum, quod ad rem spectat, de Cruce in Altari ponenda, in quo est exposita Eucharistia, consuetudinem, et morem propriæ Diœcesis, quemadmodum declaravit nuper Sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. in Bulla *Accipimus* : die 16 Julii 1746, in qua referens ea, quæ a Sac. Rituum Congregat. hac eadem de re sancita jam fuerant, hæc habet præclara verba : « Satis commendari non possunt ea quæ prudenter sapienterque decreta fuere a prædicta Sacrorum Rituum Congregatione, nempe, ut quælibet Ecclesia, vel Diœcesis suam retineat consuetudinem, ita ut nihil immutetur in ea Diœcesi; ubi Crux in Altari constitui soleat, dum Missa celebratur, etiamsi Sacra Eucharistia publice prostet; neque nova disciplina excitetur in ea Diœcesi, ubi contraria hujusce rei consuetudo jampridem invaluerit. » Et certe in Patriarchalibus aliisque Urbis Ecclesiis hæc praxis non servatur, ut semper adsit Crux in Altari, dum est Sacramentum Eucharisticum in eo expositum. Quis autem credat, permitti posse hanc praxim in Urbe, si aliquod extaret Congregat. Rituum Decretum, quo expresse ea praxis prohiberetur (*)? (*Nota Romani Theologi.*)

(*) Hallucinatur hic Theologus dum asserit ex decreto S. R. C. 14 Maii 1707, a me relato c. v. *sub num.* 22, non colligi semper extare debere Crucem in Altari, in quo expositum sit Venerabile; quid enim clarius, quod ex vi dicti Decreti debebat semper de more poni Crux in Altari, etiam quando in eo expositum erat SS. Sacramentum? Quinimo, *subjungit Theologus*, ex variis ejusdem Sac. Congregat. Decretis constat, quod ad rem hanc spectat de Cruce in Altari ponenda, in quo est exposita Eucharistia, servandam consuetudinem, et morem propriæ Diœcesis; quemadmodum declaravit nuper Sapientissimus Pontifex Benedictus XIV, in Bulla *Accipimus*, etc. At debuerat Roman. Theol. dictam declarationem jam a me traditam fuisse *in Supplementis*, et in ipsamet sua Romana editione impressam verb. *Additio ex Auctore* 13, sub verb. *Altare privilegiatum*. (Responsio Auct. ad Not. R. Theol.)

Digitized by Google

(24. Cruces, quæ fiunt a Sacerdote super oblata, non sunt faciendæ manu transversa, sed manu recta in transversa parte Crucis, et digitis conjunctis; Sac. Rit. Congr. 4. Aug 1663. Vide d. verb. *Miss.*, art. 12, num. 80.

(25. Signum, quod fit cum Patena a fronte ad pectus, fit integre cum signo Crucis; Sac. Rit. Congreg. 13 Mart. 1627.

(26. Manus Sacerdotis ad *Hanc igitur Oblationem* debent ita extendi, ut palmæ sint apertæ pollice dextro super sinistrum in modum Crucis supra manus, non vero infra manus; Sac. Rituum Congregatio 4 Aug. 1663. Vide dict. verb. *Miss.* art. 12, num. 70.

(27. Cruces formantur, non signando manu qatuor quasi puncta in aere, nec manu ducta in circulum, sed per duas lineas alteram rectam versus, Sacerdotem, alteram diametraliter transversam. Quæ super Calicem fiunt, non debent excedere Pallæ magnitudinem; quæ autem fiunt super Calicem, et Hostiam, simul incipi debent, a labio extremo Calicis, usque ad spatium imminens primæ parti Hostiæ versus Sacerdotem, non debet tamen manus deprimi ad Hostiam, sed recta trahitur hæc Crux æqualiter alta super Calicem, et Hostiam. Sic expresse doctissimus P. La Croix lib. 6, pag. 2, n. 491.

(28. Tolerari non debet, quod in locis publicis, et sordidis stent depictæ diversæ Cruces, ac Sanctorum Imagines in derisum Christianæ Religionis; Sacra Rituum Congregat. 22 Maji 1596. Ursaya Institut. Criminal. lib. 3, tit. 1, num. 10, asserens nimis indecens, indecorum, et omni Jure prohibendum, quod signum Sanctissimæ Crucis pingatur in locis lutuosis, ad hoc ut ipsius Majestas plebem arceat mincturientem; ibique ad id citat plures alios Monacell. tom. 2, tit. 13, formul. 1, num. 10, cum pluribus ibi citatis, et habetur ad rem textus expressus in l. *Cum sit*, unic. Cod. *Nemini licere Signum Salvatoris Christi* etc.

(29. Cruces, vel nova insignia præter solitum in Processionibus deferre non licet: Sac. Rit. Congreg. in Carapolitana *Nullius* 4 Martii 1606, apud Barbosa in Summa Apostolicar. Decis. verb. *Crux* num. 6.

(30. Crucem propriam in Processionibus erigere non possunt Presbyteri alicujus Ecclesiæ intra limites propriæ Parochiæ, sed debent incedere sub Cruce Parochiæ; Sac. Rit. Cong. in una Urbis 12 Mart. 1616, apud Barb. l. c. n. 7.

(31. Archiepiscopi possunt ante se deferre Crucem, etiam per loca exempta suarum Diœcesum; et idem possunt Episcopi habentes privilegium deferendi ante se Crucem. Sic pluries censuit Sac. Congregatio Episcoporum. Regularium, et signanter in Vestana 26 Maji 1592, in Sypontina 26 Maji 1592, in Acherontina 20 Decembr. 1616, in Amalphitana 4 Junii 1656, in Papiensi 8 Februar. 1681, ubi sequenti dubio: « An Episcopus Papiensis, qui habet usum Pallii etc. possit tam in dictum Collegium (hoc est Ghislerium, quod est plenissime exceptum) quam alia quæcumque loca intra suam Civitatem, et Diœcesim existentia, intrare cum Cruce, non intendens per hoc præjudicium inferre privilegiis, et exemptionibus prætensis? » Respondit *Affirmative* Quam resolutionem confirmavit die 14 Januarii 1685 et 1 Martii 1687, non obstante allegata observantia in contrarium.

(32 Item decrevit eadem Sac. Congregat. Episcoporum et Regularium in alia Papiensi Juris deferendi Crucem 17 Septembr. 1707, in qua Dubio: « An Eminentissimo Episcopo Papiensi licuerit in suo accessu ad Carthusiam Papiensem etc. ingredi erecta Cruce Ecclesiam, et Monasterium ejusdem Carthusiæ? » Responsum fuit: « Affirmative quoad Ecclesiam; Negative quoad Monasterium; » confirmata die 22 Septembris 1708, quoad Ecclesiam, et prævio recessu a decisis, extensa etiam quoad Monasterium, his verbis: « Licere Eminentissimo Episcopo ingredi una cum Cruce in casu de quo agitur, etiam in Monasterium, absque ullo tamen exercitio Jurisdictionis. » Sic refert de Ursaya tom. 2, part. 2, discept. 1, num. 15, 16 et 17.

(33. Qui ibidem num. 52, subjungit, quod similiter statuit eadem Sacra Congregatio Episcop. et Regul. Ponente Eminentiss. Corsino in Ragusina die 26 Maji 1711, in qua partibus acerrime informantibus, censuit, et declaravit « licuisse, et licere Archiepiscopo Ragusino ingredi Conventum prædictorum Patrum Dominicanorum cum Cruce erecta, » non ad explendos actus aliquos necessarios, minusque a Conc. Trid. præscriptos, sed ad merum, et simplicem effectum cæremonialem, hoc est ad invisendum Episcopum Acrivii, seu Cathari suum Suffraganeum, moram facientem in Conventu dict. Patrum Dominicanorum.

(34. Et ita etiam resolvit Sacra Congregat. Conc. in Lucana Juris deferendi Crucem die 8 Augusti 1716, in qua, proposito dubio: « An liceat Episcopo Lucano ingredi, erecta Cruce, Ecclesiam Sancti Frigidiani Canonicorum Lateranensium in casu etc. » Respondit: *Affirmative*. Cui responsioni dd. Canonici Lateranenses acquieverunt. Sic apud eumdem Ursayam l. c., num. 136.

(35. Alia ad rem; vide verb. *Indulgentiæ*, art. 5, n. 63 et 64, verb. *Processiones*, n. 21 et 22, et Decreta S. R. C. in nostro tomo 9.

(36. Crucis Caravacensis origo Kazirius Agarenor. Rex, Christianos quos in sua arce Caravacensi captivos habebat, e carcere accitos ad se humaniter interrogavit, quamnam singuli artem scirent, et inter hos unum, qui respondit se esse Sacerdotem, et omnes artes Regumque omnium potentiam quamcumque superari suo ministerio. Rex se intueri vel hujusmodi ministerium, et ut illud in suo conspectu celebraret, mandavit; Sacerdos contra respondit destitui se rebus necessariis ad sacram rem peragendam. Quare Rex continuo jubet, ut e proximo Christianorum oppido peterentur, quæ ad hoc Mysterium celebrandum opportuna esse videbantur. Adferuntur ea; orsurus tamen Missam Sa-

Digitized by Google

cerdos constitit. Causam cunctationis Regi sciscitanti Crucem esse dixit; quæ consuescit his ritibus, et præsertim illo die (erat Festum Inventionis S. Crucis) adhiberi. Vix hæc erat effatus, cum fornice, qui Altari imminebat, desciscente magnus splendor effulsit, et per illum tum duo Angeli de Cœlo illapsi Crucem ligneam bipalmarem deferentes super Altare paratum deposuerunt. Stupet Rex Agarenus cum suis aulicis tanto Miraculo conspecto. Fidem cum iisdem amplectitur, et Sacello intra arcem constructo, Angelicam illam Crucem intra aream pretiosam reponit. Miraculum plane est, quadringentis et amplius annis viguisse illud lignum citra cariem, et teredinem, aut ullum vitium, illæsum perdurasse. Sic expresse Gobat. t. 1, tr. 3, n. 286 (1).

ADDITIONES AUCTORIS.

(37. Addendum est, quod ex Decreto Sac. C. R. sub die 10 Decembr. 1708, ut ex Pittono refert P. Cavalieri in agenda Defunctorum cap. 15. Decret. 41, n. 2, ubi viget consuetudo, in funeralibus tot Cruces elevari poterunt, quot sunt Capitula, seu Communitates, licet Capitulum Cathedralis intersit funeri. Tunc enim juxta pluralitatem diversi Cleri, etiam plures cruces deferri possunt, ut etiam ex actis Eccles. Mediolanens. part. 1, tit. de funeribus, et exequiis, et ex Notificat. Benedict. XIV, probat. d. Eruditissimus Cavalieri. Vide supra n. 17, et Decret. Sac. Cong. Conc. ann. 1726 et 1735, allat. verb. Cadaver.

(38. Sacerdos, dum se induit vestibus sacris pro Missa de requiem, non debet omittere osculum Crucium in Amictu, Manipulo, et Stola, nec *Gloria Patri* in fine Psalmorum præparationis ejusdem Missæ; Cæremonial. Seraphic. impress. Mediolani 1744, cap. 18, n. 324. Cavalieri l. cit. cap. 12, n. 1 et 2, testans de communi, et praxi contra paucos, et ratio est, quia talia oscula non sunt a Rubrica enumerata inter omittenda in Missis Defunctorum, et nec *Gloria Patri* in præparatione ad ipsas, si enim voluisset, et ista esse omittenda expressisset, ut expressit alia; quod enim voluit, expressit. Unde cum ista non expresserit, non sunt omittenda; arg. cap. *Inter corporalia* 2. § *Sed neque istud*; de translation. Episcop. c. *Ad audientiam* 12, de Decimis, cap. *Quia circa* 22, de privileg.

(39. Subdiaconum cum Cruce in absolutione ad tumulum absente cadavere, debere semper sistere contra Altare ad pedes tumuli, seu lecticæ, inter januam Ecclesiæ, et lecticam versa facie ad Altare, tenent communiter Doctores per textum Rubricæ XIII. Missalis sic expresse dicentis: « Subdiaconus cum Cruce sistit se ad pedes tumuli, seu lecticæ mortuorum contra Altare. » (40. Discrepant autem in assignando locum, ubi præsente cadavere sistere se debeat Subdiaconus cum Cruce. Cum enim Rituale Roman. in titulo de exequiis, præscribat, quod si cadaver sit laici, caput habeat versus januam Ecclesiæ, et si cadaver sit Sacerdotis, (non Diaconi, aut alterius inferioris) caput teneat versus Altare; et aliunde idem Rituale Subdiaconum cum Cruce expresse collocet ad caput Defuncti; « Accedit ad feretrum, et se sistit ad caput Defuncti cum Cruce: » et Bauldry in Manuali part. 3, cap. 14, et cap. 15, n. 8, vult quod juxta dispositionem Ritualis Romani, Subdiaconus cum Cruce semper stet ad caput Defuncti, sive sit Laici, sive Sacerdotis, et celebrans, ad pedes ejusdem. Sic etiam Gavant. part. 2, tit. 13, lit. m. Simon Bungiovanni in Silva Sacrarum Cæremoniarum lib. 8, cap. 3, in fin. Cæremonial. novissime impressum pro Franciscanis Reformatis Mediolani 1744, in cap. 27, n. 608, et alii inhærentes dictæ dispositioni Ritualis Romani jussu Pauli V, editi, et Cæremonial. Episcop. lib. 2, c. 11, § 15 et 24. Quod Cæremonial. cap. 38, circa finem, circa exequias Cadaveris Defuncti Episcopi sic expresse insuper habet: « In Ecclesia collocatur feretrum in medio Ecclesiæ, et ibidem Prior, seu Dignior Canonicorum, vel prima Dignitas, si adsit, indutus pluviali, faciat officium, hoc est dicet ad pedes feretri » etc. ubi dum collocat Sacerdotem ad pedes cadaveris in feretro, videtur aperte collocare Subdiaconum cum Cruce ad caput ipsius.

(41. E contra Castaldus Cæremon. lib. 2, cap. 38. Baruffaldus tit. 26, num. 249. Merati part. 2, tit. 13, num. 24. Cavalieri *in Agenda Defunct.* cap. 15, Decret. 42, numer. 6, 7 et 8, et alii semper collocant Subdiaconum cum Cruce inter januam Ecclesiæ, et feretrum, et celebrantem inter feretrum et Altare, sive præsente cadavere Laici sive Sacerdotis. Et eorum non spernenda ratio est, quia verba Ritualis Romani non ita rigorose interpretanda sunt, ut accipienda sint pro hoc, vel illo casu particulari qui raro eveniant, ut de exequiis Sacerdotis, sed de solis exequiis Laicorum, quæ quotidie occurrunt. Leges enim adaptantur ad ea quæ ut plurimum contigunt, non autem ad illa quæ raro accidunt, ad text. in Authentic. *Ut sine prohibitione matres in l. Ex his h et l. Nam ad ea* 5, ff. de Legibus, se fundantes insuper in praxi etiam omnium fere Ecclesiam, ut testantur Baruffaldus, et ex ipso Merati locis citatis. Et in citata Rubrica XIII. Missalis, quæ collocat Celebrantem « inter Altare et tumulum aliquantulum versus cornu Epistolæ, » ne, ut scite Cavalieri loc. cit., terga vertat Cruci Altaris, quod eveniret, si in exequiis Cadaveris defuncti Sacerdotis collocati cum capite versum Altare, Subdiaconus cum Cruce sistere se deberet ad

(1) Nihil verius Caravacanæ Crucis historia, modo ab iis quæ Higuera vel confixit ipse, vel ab aliis conficta Roblesio commodavit, repurgetur. Repurgavit enim vero Papebrochius in appendice ad Acta S. Ferdinandi Regis, ubi et apparitionem illam sub annum 1272, accidisse ostendit. Confer ejusdem Papebrochii responsionem ad exhibitionem errorum sibi, sociisque a P. Sebastiano a S. Paulo objectorum, *art.* 15, § 30, *n.* 364, seqq. et Bartholomæum Alcazar in vita S. Juliani Conchensis Episcopi Matritensibus typis a. 1692, excusam lib. 3, c. 13, ubi eamdem historiam pertractat. (*Edit. Barbieli.*)

Digitized by Google

caput ipsius. Quæ consuetudo, si legitima vere reperiatur maxime ob rationes allatas, esset observanda, cum ipsa sit optima Legum interpres, textu expresso in l. *Si de interpretatione* 37, ff. de Legibus cap. *cum dilectus* 8, de consuetudine. Alias non esse recedendum a dispositione Ritualis Romani sine distinctione inter Cadaver laici et Sacerdotis, absolute semper collocantis Subdiaconum cum Cruce *ad Caput Defuncti*. Ubi enim Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; L. *Non distinguemus* 32, ff. de recept. Arbiter. L. *Præses* 3, ff. de Officio Præsidis. L. *De pretio* 8, ff. de publiciana in rem action. cap. *Quia circa* 22, de privileg. Maxime quia si Rituale id voluisset, expressisset, quod enim voluit, expressit, arg. cap. *Inter. corporalia* 2. § *Sed neque istud*, de translation. Episcopor. cap. *Ad audientiam* 12, de decimis, cum similibus; præsertim cum occurri possit indecentiæ et deformitati vertendi terga Cruci Altaris, si Subdiaconus se sistat non humeris, sed solo tergo versus Altare, ut tradit cit. Cæremonial. Mediolani impressum 1744, in cap. 17, num. 608, ad instar dispositionis dictæ Rubricæ 13. Missalis ob id statuentis celebrantem aliquantulum ex parte Epistolæ; et concurrente ad id dispositione Cæremonialis Episcop. loco cit. et auctoritate allegatorum Auctorum pro prima opinione.

(42. Crucem ante se deferendi mos a Summo Pontifice ad ejus Legatos primum, inde ad Patriarchas, Primates, et paulatim ad omnes Archiepiscopos dimanavit, etiam per loca suæ Provinciæ exempta; et ad aliquos privilegiatos Episcopos; Benedict. XIV, de Synodo Diœces. lib. 2, cap. 6, num. 2 et 3, ex pluribus ibi erudite adductis; Vide supra a num. 13 ad 34, ubi afferuntur varia Decreta ad rem.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(43. Crux adhiberi in Ecclesia solet veluti insigne quoddam, per quod unum ab altero corpore distinguitur, ita ut ex unicitate Crucis unicitas corporis, et versa vice ex multiplicitate Crucium multiplicitas corporum inferatur, ut post alios affirmant Pignatell. cons. Canon, t. 4, cons. 30, num. 7, optime Ursaja discept. Eccl., t. 1, part. 1, discept. 26, n. 39, et seq. et rursus, tom. 5, part. 2, discept. 26, n. 11, et sequent. Rot. in Mantiss. ad Card. de Luca, lib. 3, decis. 23, n. 32, et decis. 28, n. 14.

(44. At id non est perpetuum in una enim eademque Ecclesia quum repugnent existentia plurium distinctorum corporum, uti post celebre consil. 5. Calderin. de his, quæ fiunt a Prælatis firmavit Rot. cor. Molin. dec. 1220, num. 49. (45. Delatio plurium Crucium in Ecclesiasticis functionibus ad denotandum non plura corpora ipsius, sed plures ejus prærogativas adhibita dici debet, Confer Vivizan. de Rit. Santiss. Cruc. Roman. Pontific. Præferend. libr. 2, cap. 12.

(46. De hisce vero Ecclesiis, quæ Ecclesiasticis functionibus plures Cruces deferre solent, consule Claud. Joli in tract. gallice edito de Schol. Episcopal. cap. 8, tum Edmund. Marten. in tractat. de Ecclasiast. discipl. in divin. recit. offic. cap. 20, § 9, tum. alios.

(47. At prætereunda haud est Neapolitana Ecclesia. Hæc ab antiquo in nonnullis Ecclesiasticis functionibus duas Cruces deferre solita est, alteram Canonicorum dictam, alteram nuncupatam Hebdomadariorum. (48. Excitata vero ab Hebdomadariis præsidio hujus Crucis, quæ ab ipsis denominationem accepit, prætentione, quod Corpus ii efformarent a Canonicis distinctum, Sacra Congregatio Particularis destinata a sanct. memor. Benedicto XIV, causa mature discussa, die 15, Novembris anni 1752, sententia definivit, ambas Cruces Capituli esse, adeoque non efformare Hebdomadarios Corpus a Canonicis distinctum. Et sequuta sententiam hanc Sacra Congregatio Rituum postea die 2, Decembris anni 1753, rescripsit, teneri Hebdomadarios in Ecclesia Neapolitana servare omnia illa quæ Mansionariis aliarum Ecclesiarum præscribuntur a Cæremoniali Episcoporum, tum ab Apostolicis Constitutionibus.

ADDITIONES CASINENSES.

(49. A saluberrimo signo Cruces omnes horas Canonicas auspicare solemus. Nam dum Sacerdos sacrarum precum initio divinum postulat adjutorium, eo nos contra diabolicas fraudes armamus, orantes fieri nobiscum signum in bonum, ut videant, qui oderunt nos, et confundantur, quoniam Deus psallentes adjuvat et consolatur. Bona de div. Psalmod. c. 16, § 5.

(50. Quanta sit virtus, quanta antiquitas hujus sacratissimi Signi colligi potest ex innumeris locis SS. Patrum aliisque Scriptoribus Ecclesiasticis. S. Clemens Romanus 1, const. Ap. c. 16, signum Crucis appellat infractum signum, quia sicut signum rem custodit, cui appositum et impressum est, ita Crux munitissima rerum omnium custodia est. Dionysius Areopagita docet signum ad omnia Sacramenta adhiberi. Justinus Martyr. qu. 118 sive auctor *quæstionum* apud ipsum a diebus Apostolorum usum ostendit emanasse, quo Christiani dextera manu seipsos et alia signo Crucis obsignant. Et Tertullianus de cor. milit. c. 3, scripsit: « Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum atque exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad mensas, ad lavacra, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia quæcumque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. »

(51. Crux pectoralis variis appellatur nominibus; et quidem Philacterium (sive Philaterium) ut scribit Gregorius M. ad Theodolindam Longobardorum Reginam: « Excellentissimo autem filio nostro Adulwaldo regi transmittere curavimus Philateria, id est, Crucem cum ligno S. Crucis Domini, » etc., Epist. lib. 12, 7, φυλακτήρια vero, i. e. Conservatorium, erat quædam chartula quæ divinas ordinationes continebat, et in frontibus Hebræorum ac in eorum sinistro brachio

Digitized by Google

ligabatur, sic adimplere credentes ea; Macri *Hyerolex*. Dicebatur etiam *Excolpium*, uti Baronius, *ann.* 811, refert eam appellasse Nicephorum, Episcopum Constantinopolitanum. Crux pectoralis vocatur ab Innocentio III, ex eo quod ornet pectus. Ritum gestandi Crucem Pectoralem non admodum antiquum esse existimandum tenemus cum Saussay *Panopl. Episcop.*, l. 4, et Cardinali Bona *Rer. Liturgic.*, l. 1, c. 24, 10, cum sileant de eo omnes veteres scriptores rituum Ecclesiasticorum. Cui sententiæ Catalanus Proleg. in Pontific. Rom. c. 13, n. 1, adhærere nequit, dicens : « Cum enim Christiani fere omnes seu Orientis seu Occidentis Crucem, vel ipso Crucis ligno vel Sacris Reliquiis munitam collo appensam gestarent, haud dubium, quin et illam non modo Episcopi sed et Clerici etiam deferrent. » Referunt quidem nonnulli verba Gregorii Nanzianzeni Carminel. 2. Carm. 21. *Namque Crucem in membris, medioque in corpore gesto*... sed ex his verbis non patet, eum loqui de Cruce Pectorali ornamento Episcopi celebrantis; nam Crucem secum ferre commune erat omnibus Christianis etiam laicis et mulieribus. Bona l. c. Quod ex Orientalis historia monumentis colligi potest; nam Gregorius Nyssenus in vita sororis suæ S. Macrinæ testis est, eam consuevisse Crucem vitali instructam ligno gerere collo appensam. Saussay. Morem eumdem apud Latinos etiam propagatum fuisse nulli dubium esse potest. Legimus enim in lib. 7, Epist. 127. Gregorium M. Crucem misisse Recharedo Wisigothorum regi in qua lignum Dominicæ Crucis inerat. Hæc aliaque similia exempla neutiquam obstant, quominus Pectoralis Crux proprium Episcoporum insigne sit; nec enim sequitur ex eo, quod alii Crucem a sinu pendulam gestarent, hanc ex numero Episcopalium ornatuum submovendam, non enim gestant eam eodem ritu ac forma, neque pari jure aut honore. Saussay *Panopl.* Crux Pectoralis revera successit Rationali summi Sacerdotis in veteri Lege. In hac siquidem figura salutari includuntur omnium beneficiorum insignia atque monimenta, quæ Christus in ipsa Cruce pro nobis cum sanguinis sui profluvio misericorditer effudit.

(52. Quod autem Episcopos spectat, egregium est, quod refert S. Gregorius Turonensis Episc., lib. 1, de gloria Martyr. c. 11. Ait enim, se Crucem auream ad collum gestasse, in qua erant Reliquiæ Beatæ Virginis, Sanctorum Apostolorum, et B. Martini, cujus ope incendium extinxit, quod aqua tolli non poterat.

(53. Cum nec prisci Sacramentorum libri, nec antiqui præsertim Scriptores Liturgici, qui ornatus Sacros Pontificum aliorumque Ministrorum pertractarunt ad eorum significationes mysticas enucleandas, cum ipsi inquam numquam Pectoralem Crucem attigerint, clarissime patet, nulla tum eam lege, vel consuetudine generali usurpatam fuisse, adeo ut labente sæc. XIII. in potestate Episcopi esset Crucem pectoralem deferre vel non. Sane, recte docet Domin. Georgius l. 1, de Liturg. Rom. Pontificis c. 19, a Romanis quidem Pontificibus, qui pectorali Cruce jam pridem usi sunt, inter Episcoporum peculiaria ornamenta fuisse adscriptam. Ibidem.

(54. Pectoralem Crucem specialem fuisse Romani Episcopi ornatus, docet Innocentius III. P. M. l. 1, Mysteriorum Missæ c. 53, singulas enim Papæ vestes ad Altare explanans, pro Lamina illa aurea, quam solus Pontifex Summus gestabat in fronte, subjicit Crucem a Collo catenulis suspensam, ut et ipsa laminæ loco esset summi Pontificis propria. Tradit deinde Durandus l. 3, *Rationalis* cap. 9. Pontificem imponendo sibi et deponendo Crucem ipsam exsculari, ad denotandum, quod Christi passionem, quæ per illam significatur, credit et confitetur, quodque ad eamdem repræsentandam in officio Missæ se parat. Ibid.

(55. Crucem Pectoralem inter solemnia Pontificum ornamenta adnumeratam, non legimus ante Rupertum et Papam Innocentium III. Fuisse tamen in potestate Episcopis, eam Crucem pectoralem adhibere vel non, testatur Durandus in suo Pontificali, ubi narrans indumenta Episcopo solemniter celebranti per ordinem necessaria, inter eadem ita memoratur : « Crux pectoralis, si quis ea uti velit. »

(56. Crux in die Purificationis, Dominica Palmarum, Feria V in Cœna Domini, Feria VI in Parasceve præfertur a Subdiacono diverso a ministrante, amicto Tunicella, aut Planeta plicata, prout exigit sacræ actionis qualitas : die vero Commemorationis omnium Fidelium defunctorum a Subdiacono Missæ S. R. C. in Alexandrina 6. Maji 1826.

(57. S. R. C. decrevit tolerari et permitti posse, quod lignum Sanctissimæ Crucis, aliaque instrumenta Dominicæ passionis, peculiari horum attenta veneratione, habitaque ratione fere universalis consuetudinis, deferantur sub Baldachino, dummodo tamen id fiat seorsim et disjunctim a Sanctorum Reliquiis, quibus distinctivum hoc honoris omnino non convenit. 27 Maji 1826.

CULPA.

SUMMARIUM.

1. Culpa alia est Theologica, et alia est Juridica, et quæ sit utraque. — 2. Culpa Juridica potest esse homini omnino involuntaria, et omni peccato vacans coram Deo. — 3. Culpa Juridica est triplex, scilicet, lata, levis, et levissima. Quæ sit Culpa lata. — 4. Quæ sit Culpa levis. — 5. Quæ sit Culpa levissima. — 6. Culpa Juridica valde differt a casu, et dolo. — 7. Casus quid sit. — 8. Dolus quid sit. — 9. De Jure naturæ non est obligatio restituendi pro damno sine Culpa Theologica illato. — 10. Neque etiam de Jure positivo (præscindendo a contractu) est in Conscientia obligatio reparandi damnum sine Culpa Theologica illatum, nisi accedat sententia Judicis. — 11. Sic etiamsi nulla intervenit Culpa Theologica, ordinarie non est in Conscientia obligatio ante sen-

Digitized by Google

sentiam Judicis compensandi damna quæ quis causat in officio v. g. Tutoris, Consiliarii, Confessarii, Judicis, Advocati, Medici, etc. — 12. Post sententiam Judicis est obligatio in conscientia ad reparandum damnum etiam sine culpa Theologica illatum. — 13. Sic etiam potest ex contractu esse obligatio in conscientia reparandi damna causata absque Culpa Theologica. — 14. De casu fortuito, cum sit extra omnem humanam prævidentiam, et providentiam, regulariter nemo tenetur, nisi in tribus casibus, et qui sint. — 15. Pro generali hujus materiæ, seu obligationis intelligentia afferuntur hic tres potissimum Regulæ passim a Doctoribus assignatæ. — 16. Quænam sit prima Regula. — 17. Quænam secunda. — 18. Quænam tertia. — 19 ad 22. Culpa dividitur in latam, levem, et levissimam.

(1. Culpa alia est Theologica, alia est Juridica : Culpa Theologica est offensa Dei, id est peccatum, sive sit mortale, sive veniale. Culpa juridica est omissio diligentiæ debitæ, ex qua omissione sequitur aliquod damnum proximo. (2. Culpa juridica potest esse homini omnino involuntaria, et omni peccato vacans coram Deo; Qui enim v. g. ex naturali oblivione librum sibi commodatum in publico loco reliquit, unde secuta est ejus amissio, Culpam juridicam commisit, licet coram Deo nihil peccaverit, seu nullam Culpam theologicam commiserit. (3. Culpa Juridica est triplex; scilicet lata, levis, et levissima. Culpa juridica lata est omissio illius diligentiæ, et circumspectionis, quam communiter, et ordinarie adhibere solent homines ejusdem conditionis, ideoque, re ipsa adjunctam habet positivam negligentiam, ut si quis librum commodatum sibi relinquat in loco publico, si inde surripiatur, tunc dicitur periisse Culpa lata ipsius commodatarii; Et talis Culpa lata, licet dolus proprie non sit, tamen in Jure æquiparatur dolo; l. 1, ff. *si mensor falsum*, ibi : « Lata culpa plane dolo comparatur. » (4. Culpa levis est omissio illius diligentiæ, et circumspectionis, quam homines diligentiores suæ conditionis adhibere solent, ut si quis rem sibi commodatam relinquat in cubiculo, vel arca non obserata, si inde surripiatur, tunc dicetur periisse Culpa ipsius commodatarii; quia homines diligentiores solent claudere cubiculum, vel arcam. (5. Culpa levissima est omissio illius diligentiæ, et circumspectionis, quam homines diligentissimi, et prudentissimi suæ conditionis adhibere solent, ut si quis rem sibi commodatam relinquit in cubiculo, quod quidem clausit, et putavit clausum, sed non tentavit manu, an esset bene obseratum, et revera non erat bene obseratum, si inde surripiatur, tunc dicetur periisse culpa levissima ipsius commodatarii, quia homines diligentissimi post clausum ostium solent manu tentare, an sit bene obseratum.

(6. Culpa Juridica valde differt a casu, et dolo. Culpa enim juridica, quæcumque illa sit, sive lata, sive levis; sive etiam levissima, cum sit omissio alicujus diligentiæ, et circumspectionis, quam homines diligentes, vel diligentiores, vel saltem diligentissimi talis status, et conditionis adhibere solent, potest caveri diligentia, et circumspectione humana. (7. Casus vero est rei inopinatæ eventus, qui neque ab homine diligentissimo prævideri, vel impediri potest; Unde de casu fortuito, ut de terremotu, rapina, impetu prædonum, grandine, fulmine, et similibus damnum causantibus nemo tenetur, quia est extra humanam providentiam, textu expresso in leg. *Contractus*, § *Animalium*, ff. de Reg. Juris, ibi : « Animalium vero casus, mortes, quæcumque sine culpa accidunt, fugæ servorum, qui custodiri non solent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum a nulla præstantur. » (8. Dolus autem dicitur omnis calliditas, fallacia, et machinatio, ad circumveniendum, fallendum, et decipiendum alterum adhibita; l. 1, § *Dolum*, de dolo malo.

(9. De Jure vero naturæ non est in conscientia obligatio restituendi pro damno sine ulla culpa Theologica illato; Ita Lessius, Vasquez, Tanner., Lugo, Tamburinus, Dicastill. de restit. d. 3, a n. 7. Illsung. tom. 4, d. 8, n. 4. Sporer. tom. 4. cap. 2, n. 42, et alii passim. Et ratio est, quia quod fit sine culpa, moraliter imputari non potest; In foro enim conscientiæ non potest esse obligatio restituendi propter injuriam, nisi in foro conscientia commissa sit injuria, atqui ubi nulla adfuit culpa theologica, nulla fuit in foro conscientiæ injuria, ergo, etc. Cum autem Doctores præsertim antiquiores docent culpam juridicam latam inducere in conscientia obligationem restitutionis, ideo sic docent, quia culpa lata juridica, seu civilis ordinarie est etiam simul theologica, ordinarie enim late culpabilis, omittens scilicet diligentiam et circumspectionem communiter ab hominibus suæ conditionis adhiberi solitam, circa res proximi, advertit, vel saltem advertere debuisset damnum proximi secuturum, et hoc ipso theologice fit culpabilis.

(10. Neque etiam de Jure positivo (præscindendo a Contractu) est in conscientia obligatio reparandi damnum sine ulla culpa theologica illatum, nisi accedat sententia Judicis; Ita Molina, Vasquez, Lugo, Haunoldus tom. 2. numer. 172 et 176. Esparsa qu. 26. Illsung. loc. cit. num. 5. et alii passim. Et ratio est, quia Leges civiles ejusmodi pœnales ut 1. Inst. et ff. *Si quadrupes* 2, Inst. ff. et Cod. de noxalibus actionibus l. 1, et penult. ff. de his qui effuderint. l. 5, statuitur, 4, Inst. et ff. ad l. Aquiliam; et aliæ Leges hujusmodi, quæ possent contra nostram assertionem adduci, essent nimis duræ si ante sententiam Judicis obligarent ad exequendam in se ejusmodi pœnam propter actionem non imputabilem in conscientia ad culpam; ergo dicendum est tales Leges non intendisse obligare ante sententiam Judicis : Et dato etiam quod forte intendissent obligare ante sententiam Judicis, dicendum est non esse in eo rigore receptas, aut per usum contrarium contra eas præscriptum esse; quia, ut experientia constat, nemo est, qui propter talem Culpam mere juridicam sponte sua restituat, adeoque signum est,

Digitized by Google

eas Leges non obligare ante sententiam Judicis. (11. Sic etiam si nulla intervenerit, culpa theologica, ordinarie non est obligatio in conscientia ante sententiam Judicis compensanti damna, quæ quis causat in officio v. g. Tutoris, Consiliarii, Confessarii, Professoris, Judicis, Advocati, Procuratoris, Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, etc. Ita Vasquez, Lugo, Esparsa, Haunoldus, Tamburinus, Lessius lib. 2, c. 7, d. 7. Sporer, tom. 2, tract. 4, cap. 2, num. 240. Illsung., loc. cit., num. 34, aliique plures. Et ratio est quia admittentes ejusmodi officium, vel curam, ordinarie non intendunt se obligare ad culpam juridicam levissimam, aut levem, sed tantum ad communem diligentiam, et circumspectionem, cavendo dolum, aut culpam latam, quæ conjuncta sit cum culpa theologica, et non aliter; alias si in conscientia censerentur ipsi tales obligari, nullus reperiretur, qui vellet similia officia tanto onere assumere.

(12. Post sententiam Judicis est obligatio in conscientia ad reparandum damnum etiam sine ulla culpa theologica illatum, *Est communis;* et ratio est, quia alias sententia Judicis esset frustranea, damnificans enim posset non parere Judici, et sententiam eludere; Tum quia non obtineretur finis Legum, qui est major cautela, diligentia, et circumspectio pro evitandis hujusmodi damnificationibus. (13. Sic etiam potest ex contractu esse obligatio in conscientia reparandi damna causata absque ulla sua culpa theologica. *Est etiam communis;* Et ratio est, quia potest quis ex contractu aliquo suscipere in se omne periculum, ita ut, si res quomodocumque pereat, se obliget ad restitutionem, sicut enim potest fieri contractus assecurationis, quo assecurans vult accipere in se onus damni etiam pro casibus fortuitis, in quibus non est ulla sua culpa; a fortiori id fieri poterit pro casibus non fortuitis, in quibus est saltem Culpa aliqua juridica ex parte sui. (14. De casu autem fortuito cum sit extra omnem humanam prævidentiam, et providentiam, regulariter nemo tenetur, nisi in tribus casibus, scilicet: Primo, quando culpa sua fuit data occasio tali casui fortuito, seu sua culpa præcessit casum fortuitum, ut cum quis equum commodatum usque Placentiam, duxit Mutinam, et in itinere Mutinam versus raptus est a latronibus, tunc enim culpa præcessit casum, et commodatarius sua culpa dedit occasionem tali casui fortuito: Secundo, quando intervenit pactum, quo quis se obligavit ad casum fortuitum. Tertio, quando quis v. gr. commodatarius fuit in mora culpabili reddendi equum commodatum, et per hanc periit apud ipsum commodatarium, tunc enim commodatarius tenetur etiam de casu fortuito, dummodo tamen non esset etiam equus commodatus periturus apud dominum: Habentur hi tres casus expresse excepti in c. unico, de commodato, ibi: « Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur; Licet casus fortuitus (nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari; » et concordat textus clarus in l. *Si ut certo* § *Nunc videndum*, ff. de commodato, et l. 1. Cod. eod. 1, et l. *Contractus*, ff. de Regul. juris.

(15. Pro generali hujus materiæ, seu obligationis intelligentia juvat hic adducere tres potissimum regulas a Doctoribus passim assignatas, et desumptas ex variis utriusque Juris textibus, et præsertim ex l. *Si ut certo* § *Nunc videndum*, juncto Bartolo in Summario ff. commodati. (16. Prima regula est; Quando contractus fit in favorem solius recipientis, uti fit in commodato, tunc ipse recipiens tenetur non solum de culpa lata, et levi, sed etiam de culpa levissima, textu expresso in cit. c. unic. de commodato, ibi; « Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur, » et concordat textus, apertus in l. *Si ut certo*, § *Nunc videndum*, et l. *In rebus*, § 1, ff. de commodato, et l. *Contractus*, ff. de Regul. juris, et l. 1, § *Is quoque*, ff. de actionibus, et obligationibus. (17. Secunda regula est; Quando contractus fit in favorem solius dantis, uti fit in deposito, tenetur recipiens, seu depositarius solum de dolo, et culpa lata; argum. lib. 1, C. *Depositi*, et citat. loc. *Si ut certo*, § *Nunc videndum*, cum similibus.

(18. Tertia regula est; Quando contractus fit in favorem utriusque, scilicet, dantis, et recipientis, ut fit in pignore, venditione, locatione, etc., tunc præstatur solum in culpa lata, et levis, non autem culpa levissima; arg. cit. l. *Si ut certo* § *Interdum*, ff. commodati.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(19. Solet communiter culpa dividi in latam, levem, et levissimam. (20. At plerique errant in statuenda Culpa lata, Culpa levi, et Culpa levissima. (21. Nec perpetua est ea, quæ ab Auctore num. 115, et plur. seq. tum ab aliis inculcatur doctrina de præstatione Culpæ pro modo utilitatis perceptæ secundum leg. 5, ff. Commodati; Stryk, in usu moderan. Pandect. lib. 13, tit. 6, § 12. Bohemer. in introd. in jus digest. lib. 13, tit. 6, num. 17. (22. Latior vero est hæc materia, ut intra cancellos hujus additionis coarctari queat. Vide pro re nata Jacobum Gothofredum in leg. 23, ff. de Regul. Juris et Frider. Esaiam Puffendorf in commendatione peculiari, eaque præstantissima *de Culpa*, Lemgoviæ 1741, typis excusa.

Digitized by Google

CULTUS DISPARITAS.

Vide verb. IMPEDIMENTA MATRIMONII, *art.* 1, *a num.* 91, *ad* 97.

CULTUS SANCTORUM.

SUMMARIUM.

1. Pro Sancto aliquem venerari non licet sine licentia Papæ, etiamsi in vita fecisset miracula. — 2. Sanctus proprie, et stricte captus quis sit. — 3. Beatus proprie, et stricte sumptus quis sit. — 4. Canonizatio proprie, et stricte sumpta quid sit. — 5. Beatificatio proprie, et stricte capta quid sit. — 6. Duplex est tam Canonizatio, quam Beatificatio, una scilicet formalis, et altera æquipollens. — 7. Quæ sit Canonizatio formalis. — 8. Quæ sit Canonizatio æquipollens. — 9. Quæ sit Beatificatio formalis. — 10. Quæ sit Beatificatio æquipollens. — 11. Beatificatio, et Canonizatio non differunt essentialiter, sed solum accidentaliter, *ad n.* 12. — 13. Adducitur, et solvitur instantia. — 14. Affertur, et solvitur alia instantia. — 15. Secundum plurimos Classicos Doctores est de Fide, quod Papa non possit errare, non solum in Canonizatione, sed etiam in Beatificatione. — 16. De facto solus Papa potest aliquem Canonizare, vel Beatificare. — 17. Quamvis antiquitus plurimi Sancti post felicem eorum obitum communi Episcoporum, et populorum consensu tales declararentur, et colerentur; hoc tamen semper de auctoritate expressa, vel tacita Summi Pontificis. — 18. Et a tempore Alexandri III, usque in præsens potestas, tum Canonizandi, tum Beatificandi soli Romano Pontifici privative quoad omnes alios fuit reservata. — 19. Qui fuerit primus Pontifex, qui solemniter Canonizationem celebravit, *ad n.* 20. — 21. In Canonizatione non semper fuit observatus idem ritus, et forma solemnitatis, qui solet observari nostris hisce diebus. — 22. Item nec semper fuit observatus idem ritus, et forma in Beatificatione. — 23. Assignatur in quo potissimum consistat solemnitas Beatificationis. — 24. Tam ad Beatificationem, quam ad Canonizationem duo copulative requiruntur, scilicet excellentia Virtutum in gradu heroico, et miracula. — 25. Miracula, non solum in vita, sed præcipue post obitum patrata, sunt necessaria ad Beatificationem, et Canonizationem alicujus. — 26. Quot Miracula requirantur, et sufficiant, tum ad Beatificationem, tum ad Canonizationem. — 27. In Beatificatione, et Canonizatione Martyrum non solet fieri tam exacta inquisitio de probitate vitæ, et miraculis tempore vitæ peractis, ac fit in Beatificatione, et Canonizatione Confessorum. — 28. Antiquitus nomen Martyris, et Confessoris promiscue sumebatur, sicque idem erant Martyres, et Confessores. — 29. Progressu tamen temporis, ut fit etiam nunc, Ecclesia consuevit distincte nomen Martyris, et Confessoris usurpare. — 30. Hodie non proceditur ad Beatificationem, et Canonizationem, nisi elapsis quinquaginta annis ab obitu Beatificandorum, et Canonizandorum. — 31. Possunt tamen intra id temporis confici processus per Ordinarios, vel per Delegatos Apostolicos, et in Sacra Congregatione discuti de eorum validitate. — 32. Supra complementum dicti temporis solet interdum ob justas causas a Rom. Pontifice concedi dispensatio, et adducuntur exempla de variis similibus dispensat cuibus. — 33. Sine dicta Pontificia dispensatione est omnino observanda supradicta Lex a Pontifice Urbano VIII, constituta de lapsu quinquaginta annorum ab obitu Servi Dei, et assignatur motivum talis dilationis. — 34. Adoratio, seu Cultus quid sit. — 35. Adoratio, seu Cultus alia mere est Civilis, seu Politica, et alia Sacra, seu Religiosa, et quæ sit utraque. — 36. Adorationis Sacræ, seu Religiosæ tres sunt species, nempe Latria, Hyperdulia et Dulia. — 37. Adoratio, seu Cultus Latriæ quæ sit. — 38. Adoratio, seu Cultus Hyperduliæ quæ sit. — 39. Adoratio, seu Cultus Duliæ quæ sit. — 40. Dicta triplex adoratio, seu cultus alia est absoluta, et alia respectiva, et quæ utraque sit. — 41. Cultus alius est publicus, et alius privatus, et qui sit uterque. — 42. Cultu publico coli possunt omnes Sancti, et Beati, cum aliqua tamen differentia, quæ assignatur. — 43. Circa Beatos nondum Canonizatos attendenda sunt Brevia Pontificia, et Decreta Sacræ Congregationis Rituum, quæ afferuntur. — 44. Qui cum fama Sanctitatis obierunt, et nondum sunt Canonizati, nec Beatificati, possunt licite coli cultu privato, et non cultu publico. — 45. Circa cultum, et Venerationem talium Virorum fama Sanctitatis defunctorum, eorumque Imagines, Miracula, Revelationes, etc. Attendendæ sunt duæ celeberrimæ Constitutiones Urbani VIII, ad id editæ. — 46. Affertur prima Constitutio. — 47. Affertur secunda Constitutio. — 48. Attendenda sunt insuper Decreta ad id edita de expresso mandato Urbani VIII, et edita jussu Innocentii XI. — 49. Affertur Decretum Sacræ Congregationis Rituum super immemorabili. — 50. Adducitur Decretum ejusdem Sacræ Congreg. servandum in recipiendis informationibus pro causis Beatificationum, et Canonizationum Servorum Dei. — 51. Circa Cultum, et Venerationem Reliquiarum Sanctorum, et Beatorum est idem ferme dicendum, ac de cultu, et Veneratione ipsorum Sanctorum, et Beatorum. — 52. Per Reliquias Sanctorum, et Beatorum quid intelligatur. — 53. Reliquiæ noviter inventæ, et productæ, ad hoc ut coli possint cultu publico, debent prius esse legitime recognitæ, et approbatæ. — 54. Reliquiæ tam Beatorum, quam Sanctorum de novo inventæ, non solum a Papa, sed etiam ab Episcopo recognosci, et approbari possunt. — 55. Immo Reliquiæ a Papa jam approbatæ, antequam exponantur, debent etiam ab Episcopo recognosci. — 56. Et hoc etiam pro Reliquiis exponendis in Ecclesiis Regularium. — 57. Episcopus pro approbandis Reliquiis noviter inventis, et Romæ nondum approbatis, debet adhibere Theologos, et pios viros. — 58. Et si aliquod circa id emerserit grave dubium, nihil inconsulto Summo Pontifice novum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum est decernendum. — 59. Episcopus approbare non potest in ordine ad Cultum publicum Reliquias alicujus cum fama Sanctitatis defuncti, et nondum Canonizati, nec Beatificati. — 60. Cultu privato possunt coli Reliquiæ quæcumque, tam antiquæ, quam novæ, non solum Canonizatorum, et Beatificatorum, sed etiam cum fama Sanctitatis defunctorum, quamvis a nemine recognitæ, et approbatæ fuerint. — 61. Reliquiæ antiquæ habendæ sunt in ea veneratione, qua hactenus fuerunt. — 62. Innuitur attendendum novissimum Edictum emanatum pro veneratione Reliquiarum. — 63. Reliquiæ non sunt incensandæ, nisi cum incensantur Oblata. — 64. Corpora Sanctorum, et insignes eorum Reliquiæ non possunt transferri de Civitate ad Civitatem, nec de Ecclesia ad Ecclesiam inconsulta Sede Apostolica. — 65. Item transferri non possunt de loco ad locum Corpora, neque Reliquiæ Beatorum nondum Canonizatorum, nec fieri potest mutatio capsæ, in qua eorum Ossa recondita sunt, nisi accedente Summi Pontificis, aut Sacræ Congregationis Rituum auctoritate. — 66. Item sine licentia Papæ, aut Sacræ Cong. Rit. transferri non possunt de loco ad locum Corpora Servorum Dei nondum Beatificatorum, nec Canonizato-

Digitized by Google

rum, in quorum Beatificationis, et Canonizationis causis Sedes Apostol. jam manum apposuit. — 67. Translatio autem Corporum Servorum Dei nondum Canonizatorum, nec Beatificatorum, in quorum causis Sedes Apostolica nondum manum apposuit, potest fieri de licentia Ordinarii. — 68. Reliquiæ Sanctorum vendi non possunt. — 69. Furtiva subtractio SS. Corporum, vel Reliquiarum, etiam devotionis causa facta, est peccatum Sacrilegii, nisi essent in locis infidelium condita. — 70. Reliquiæ in altare pro ejus consecratione locandæ debent esse Sanctorum ab Ecclesia approbatorum. — 71. Corpora Sanctorum nondum Canonizatorum non possunt poni sub Altari. — 72. Quando exponuntur Reliquiæ, ultra lampadem, debent continuo ardere in Altari duo lumina. — 73. Reliquia Sancti ad hoc ut possit de eo recitari Officium, debet esse Insignis, et quæ sit talis Reliquia. — 74. Officium de Reliquia insigni celebrandum est solum in Ecclesia, ubi est Reliquia, quamvis sit Cathedralis. — 75. De Reliquia non insigni non licet celebrari Officium. — 76. De Sancto, cujus habetur Corpus, vel Insignis Reliquia, non potest fieri Officium, nisi constet de identitate, et nisi reperiatur in Martyrologio Rom. Reliquiæ vero, si sint a locorum Ordinariis approbatæ, possunt exponi ad Fidelium venerationem. — 77. Festum, quod in aliqua Ecclesia celebratur ratione Corporis, vel Insignis Reliquiæ, non habet Octavam, nisi specialiter concedatur a Sede Apostolica. — 78. Qui recitant Officium de Sancto, de quo habet Insignem Reliquiam in propria Ecclesia, si celebrat eadem die in alia Ecclesia, debet omittere *Credo*. — 79. In aliis Ecclesiis, ubi celebratur Officium, et Missa de Beatis, licet eorum Reliquias exponere, Imagines, et

simulacra super Altari collocare. — 80. In Missis de Beatis non debet dici *Credo*, nisi adsit Reliquia. — 81. Reliquiam deferre in Processionibus pertinet ad Priorem Conventus, unde Reliquia sumitur. — 82. Reliquiæ non in Monasteriis Monialium, sed in exterioribus Ecclesiis asservari debent. — 83. Reliquiarum Sanctorum Patronorum Civitatis Clavis una concedi potest Magistratui Sæculari ejusdem Civitatis. — 84. Reliquia modica jam facta alienabilis alicui Ecclesiæ, vel Oratorio donari potest; Alias non posset alienari sine beneplacito Apostolico. — 85. Reliquias falsas exponere ad venerationem, est peccatum superstitionis. — 86. Reliquiæ, et Ossa Sanctorum radi non possunt, ut rasura detur cum potu Infirmis. — 87. Immo neque portari possunt ad ipsos Infirmos. — 88. In Altari, in quo est expositum SS. Sacramentum, non possunt exponi Reliquiæ. — 89. In Tabernaculo, ubi asservatur SS. Sacramentum, non sunt retinendæ Reliquiæ. — 90. Solemnitates novorum Beatorum, et Sanctorum a quibus prius, et quomodo peragendæ in Ordine Fratrum Minorum? *ad n.* 96. — 97. Alia ad rem, *Remissive.* — 98. ad 100. De nominibus Sanctorum impressis. — 101. 102. Alia de Cultu Sanctorum. — 103. 104. Ejus utilitas. — 105. Ejus antiquitas. — 106. Ante judicium Episcopi, nullus Martyribus decernebatur Cultus. — 107. Quoniam tempore post Martyrum Epochas cæteris Sanctis Cultus attributus. — 108. Ante judicium Ecclesiæ nullus Confessoribus Cultus unquam tributus. — 109. 110. De jure Cultus decernendi Sanctis. — 111. Quid Reliquiarum nomine intelligatur. — 112. Semper Sanctor. Reliquiis cultus in Ecclesia impensus. — 113. Studium Ecclesiæ ne falsis Reliquiis cultus impenderetur.

(1. Pro Sancto aliquem venerari non licet sine licentia Papæ, etiamsi in vita fecisset Miracula. *Communis*, textu expresso in cap. *Audivimus*, 1, de Reliquiis, et Veneratione Sanctorum ibi : « Illum ergo non præsumatis de cætero colere, cum etiamsi per eum Miracula fierent, non liceret vobis pro Sancto absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ venerari. »

(2. Sanctus igitur proprie, et stricte captus, et veneratione dignus est omnis, et solus ille, qui rite *Canonizatus*, id est per Pontificem *Albo*, seu numero, et Catalogo aliorum Sanctorum publice, solemniter, ac Canonice adscriptus tamquam Sanctus declaratus, et definitus est, addito statuto, ut ab omnibus pro tali habeatur atque colatur. *Sic in re Doctores communiter.*

(3. Item Beatus proprie, et stricte captus est omnis, et solus ille, qui ex speciali concessione Summi Pontificis ab aliqua Provincia, Religione, vel loco tamquam in Cœlis existens cultu aliquo publico, v. g. recitatione Divini Officii, celebratione Missæ, expositione publica ejusdem Reliquiarum ad normam concessionis Pontificiæ coli, et venerari potest. Ita *in re pariter Doctores communiter.*

(4. Unde Canonizatio proprie, et stricte sumpta est publicum Sedis Apostolicæ judicium, et expressa definitio de Sanctitate, et Gloria alicujus, qui solemni Cæremoniarum pompa Sanctorum Catalogo adscribitur, et publicæ totius Militantis Ecclesiæ veneration proponitur, eique honores Sanctis debiti decernuntur. *Est in re Communis.*

(5. Beatificatio vero proprie, et stricte sumpta est legitima Pontificis concessio alicui certo Regno, Provinciæ, Religioni, vel loco facta, ut aliquis tamquam cum Christo in Cœlis regnans Cultu aliquo publico, ut recitatione Divini Officii, Celebratione Missæ, expositione publica ejusdem Reliquiarum ad normam Pontificiæ concessionis venerari, ac invocari possit. *Est in re Communis.*

(6. Duplex est tam Canonizatio, quam Beatificatio, una scilicet formalis, et altera æquipollens. (7. Canonizatio formalis est illa, quæ expletur a Summo Pontifice servata forma judiciali, prolataque sententia cum omnibus consuetis Cæremoniis, seu solemnitatibus (1). (8. Canonizatio æquipollens est, cum Summus Pontifex aliquem Dei servum in antiqua cultus possessione existentem, fama Virtutum et Miraculorum ce-

(1) Cujusmodi, ut recentes tantum indicem, canonizatio fuit 16 Junii 1737. Sanctorum Vincentii de Paulo, Jo. Francisci Regis, Catharinæ Fliscæ Adornæ, et Julianæ de Falconeriis a Clemente XII. Fidelis de Sigmaringa, Camilli de Lellis, Petri Regalati, Josephi a Leonissa, Catharinæ de Riccis 29. Junii 1746. a Benedicto XIV. et Joannis Cantiis, Josephi Calasantii, Josephi a Cupertino, Hieronymo Miani, Seraphino ab Asculo, Joanna Francisca Fremiot de Chantal 16. Julii 1767. a Clemente XIII. peracta. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

lebrem, et nulla prolata sententia, nec servato ordine Judiciali, omissisque consuetis cæremoniis, ac solemnitatibus, coli jubet in universa Ecclesia, tali determinato die per Officii, et Missæ recitationem, et celebrationem : Sic rectissime omni genere virtutum, et disciplinarum undequaque Eminentissimus Cardinalis de Lambertinis, deinde meritissimus, ac vigilantissimus Summus Pontifex in suo nemini impari ab omnibus suppari Clarissimo opere de Servorum Dei Beatificatione, et Beatorum Canonizatione lib. 1. c. 41. n. 1. ubi a § 1. ad 10. per totum caput varias recenset æquipollentes Canonizationes peractas a Summis Pontificibus, ut Sancti Romualdi a Clemente VIII. S. Norberti ab Urbano VIII et Clem. X. S. Brunonis a Clem. X. S. Petri Nolasci ab Alexandro VII. et Clem. X. Sancti Raymundi Nonnati ab Innocentio XI. Sanctorum Joannis de Matha, et Felicis de Valois ab Innocentio XII. Sanctæ Margaritæ Scotorum Reginæ ab Innocentio XII. Sancti Stephani Hungariæ Regis ab Innocentio XI. Sancti Wenceslai Ducis Bohemiæ a Benedicto XIII. Sancti Gregorii VII. ab eodem Benedicto XIII. Adde ex § 11. ejusdem Capitis, ac libri editionis Romanæ 1747. S. Gertrudem Islebiensem Virginem a Clemente XII. æquipollenter Canonizatam.

(9. Beatificatio formalis est illa, in qua prævia formali discussione Virtutum, aut Martyrii, et Miraculorum, Summus Pontifex indulget, ut servus Dei Beatus appelletur, atque in determinato aliquo Regno, Provincia, Religione, aut loco colatur, et ut plurimum quidem, cultu Officii, ac Missæ in ejus honorem. (10. Beatificatio æquipollens est illa, in qua rata habita fama Virtutum, aut Martyrii, et Miraculorum Summus Pontifex approbat Sententiam latam a Judice Ordinario, vel Delegato super Cultu immemorabili, ac casu excepto a Decretis Urbani VIII. Idem qui supra loc. cit. cap. 42. num. 8.

(11. Beatificatio, et Canonizatio non differunt essentialiter, sed solum accidentaliter; Quamvis enim nonnulli apud Pignatell. tom. 4. consultat. 53. num. 1. velint Canonizationem essentialiter, et secundum propriam rationem intrinsecam distingui a Beatificatione; ipse tamen Pignatellus ibidem num. 2. talem opinionem reprobans sic expresse habet : At vero hæc doctrina non est a Sede Apostolica, ideoque non video quomodo subsistat, Beatificatio enim univoce convenit cum Canonizatione, scilicet in nomine, cum Beatificatio sit etiam Canonizatio, quamvis particularis, ut breviter, sed optime dicit Pegna de Cultu, et veneratione Sanct. Turrianus in 2. 2. D. Thomæ disp. 16. dub. 2. et 3. Card. Tusch. verb. *Canonizare*, Conteloras *de Canonizatione Sanctorum* cap. 2. num. 4. et alii. Ac etiam ratione substantiæ. Nam et Beatus potest invocari, Aræ possunt Deo dicari in ejus memoriam, Missa, Laudes, et preces in Officio Divino ei dicuntur, dies Festus in ejus memoriam celebratur, pingitur cum radiis, in signum Gloriæ qua fruitur in Cœlis, ejus Reliquiæ exponuntur in Ecclesiis ad venerationem; Qui omnes sunt honores essentiales Sanctorum Canonizatorum, teste Bellarmino tom. 2. controv. 4. lib. 1. cap. 7. Hæc ad literam Pignatell. loco cit.

(12. Et revera, quod Beatificatio, et Canonizatio non differant essentialiter, clare patet ex quo utraque fiat maturitate maxima, et causa plenissime discussa, ac cognita, precibus præmissis, et Spiritus Sancti assistentia enixe implorata, et utraque sit ultimum, et completum judicium, quod vir Dei sit in gloria; cum Beatificatio non peragatur, nisi prius matura discussis Virtutibus in gradu heroico, et Miraculis tum in vita, tum post mortem patratis, quibus Sanctitas Beatificandi hominis a Deo manifestatur, illisque legitime verificatis, Pontifex instinctu Spiritus Sancti factus certus de illius Sanctitate, et existentia in Gloria, devenit ad illius Beatificationem, expediendo ad id ipsius Beatificationis Diploma, seu Breve. Immo per Beatificationem etiam ut talis toti Ecclesiæ proponitur, et ideo ubique a Fidelibus Beatus certo absque formidine in Gloria creditur, et ad gratias impetrandas invocatur, quamvis uni soli Regno, aut Provinciæ, aut Civitati, aut Religioni Officio, ac Missa colendus permittatur : Nequit enim alicubi dubitari de Sanctitate, et Gloria tam Beati, quam Canonizati, cum judicium Pontificis, ex quo fiat ex assistentia Spiritus Sancti, sit infallibile, sive declaret aliquem esse Beatum, sive expresse definiat esse Sanctum; Sicque ubique Fideles omnes cognoscunt per actum Beatificationis, et Canonizationis, Animam Beatificati, et Canonizati esse in Gloria. Hac tamen differentia servata, quod per Canonizationem id credunt, ut per formam expresse definitivam, et pronunciativam; per Beatificationem vero ut per formam concessivam, et implicite definitivam. Sic Arriaga tom. 4. Theol. disput. 7. sect. 4. Trullench. in Decal. tom. 1. lib. 1. c. 9. dub. 5. num. 3. Matthæucci in Practica Theologo-Canonica ad causas Beatificationum, et Canonizationum in quæstione proæmiali cap. Unic. num. 9. et in opere dogmatico controvers. 7. cap. 5. num. 21. et alii.

(13. Nec obstat, quod pro Canonizatione novum fiat examen, quia tale novum examen non fit de Virtutibus Viri Dei, neque de Miraculis in vita, aut ante Beatificationem patratis, quibus probata fuit Sanctitas vitæ, et infallibilis existentia servi Dei in Gloria, sed fit solum novum examen de continuatione Miraculorum post beatificationem a Deo ad intercessionem Beati patratorum, ut ea certum testimonium perhibeant, etiam voluntatis divinæ, quod Beatus publico cultu Officii, et Missæ in tota Ecclesia colendus decernatur, ut patet ex Constitutione S. Gregor. IX. incip. *Mira* § 6. edita pro Canonizatione S. P. N. Francisci : ibi : « Sane licet ejus vita tam sancta, tam strenua, et præclara sibi sufficeret ad obtinendum consortium Ecclesiæ Triumphantis, quia tamen Militans, quæ solummodo videt in facie, non præsumit de his, quæ de suo Foro non

Digitized by Google

sunt auctoritate propria judicare.... vitam ejus sibi fuisse acceptam, et ipsius memoriam esse a Militante Ecclesia venerandam, multis et præclaris Miraculis declaravit. »

(14. Nec etiam officit, quod Pontifices in Bullis Beatificationis uti soleant solum verbis, *Concedimus*, *Indulgemus*, *Impartimur*, in Bullis vero Canonizationis utantur verbis explicitis *Declaramus*, *Definimus*, *Decernimus et Mandamus*, quia ut recte dicunt Trullench. loco citat. Matthæucc. loco cit. num. 21. et alii. Pontifices tam per Beatificationem, quam per Canonizationem declarant Servos Dei esse in Gloria; per Canonizationem quidem in forma explicite definitiva, et pronunciativa; per Beatificationem vero in forma indultiva, concessiva, et implicite definitiva. Unde Contelorus de Canonizatione Sanctorum cap. 2. num. 4. cum aliis allegatis tradit « Beatificationem in effectu aliud non esse quam particularem quamdam Canonizationem minori apparatu celebratam, » ut ait Fagundez apud Dianam coordinat. tom. 3. resol. 9. num. 2. Sicque apparet, quod Beatificatio et Canonizatio non differant inter se essentialiter, sed solum accidentaliter, quatenus Cultui per Canonizationem concesso adjecta non sit limitatio, bene vero adjecta sit Cultui per Beatificationem indulto, ut nempe beatus recitatione Officii, et celebratione Missæ colatur solum in aliquo certo Regno, Provincia, Civitate et Religione cum nonnullis aliis limitationibus in Brevi Beatificationis exprimi solitis, ac in Decretis Sacræ Congregationis Rit. infra sub num. 43, adducendis, expressis.

(15. Hinc plurimi Classici Doctores tenent, quod sit de Fide, quod Papa non possit errare, non solum in Canonizatione, sed etiam in Beatificatione. Vide verb. *Papa* art. 2. a num. 49. ad 57.

(16. De facto solus Papa potest aliquem Canonizare, vel Beatificare. Hostiens in cap. *Audivimus* 1. de Reliquiis, et veneratione Sanctorum n. 13. verb. *Absque auctoritate* et ibid. Joann. Andreas num. 6. Cardinal. in 2. *notabil.* Innocent. n. 2. Abbas in 2. *notabil.* Barbos. num. 3. Fagnan. num. 20. Turrecremata in cap. 1. num. 22. de consecrat. dist. 3. Sanctus Antonin. in Summa p. 3. tit 22. cap. 5. n. 5. § 5. Ven. Cardin. Bellarmin. de Sanctor. Beatitud. tom. 2. part. 2. lib. 1 cap. 8. Matthæucc. in cit. Practica Theologo-Canonica quæst. prælimal. cap. Unic. num. 2. Reiffenstuel lib. 3. Decret. tit. 45. num. 6. Pirhing. ibid. num 3. Eminentissimus de Lambertinis deinde Beatissimus Summus Pontifex nomine Benedictus XIV. re in Ævum Benedicendus l. c. cap. 10. et alii communiter, arg. cit. cap. *Audivimus* 1. de Reliquiis, et Veneration. Sanctor. ibi : « Cum etiamsi per eum Miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque auctoritate Ecclesiæ Romanæ venerari, » et concordat cap. *Ex eo* 2. eod. et cap. *Venerabili* 32. de Testibus. Et ratio est, quia hæc est una de majoribus causis, quæ inter Christianos proponi possit, ut de se patet, et omnes fatentur; Majores autem causæ ad Sedem Apostolicam spectant, cap. *Majores* 3. de Baptismo, eique specialiter reservantur, cap. *Nisi* 3. et cap. *Quod translationem* 4. de Officio Legati, adeoque etc. Tum quia sicut opera, quæ Sanctitati alicujus testimonium perhibent, Fidei innituntur, ut patet de Miraculis, juxta illud Matth. cap. 17. num. 19. ibi : « Si habueritis fidem sicut granum Sinapis, dicetis huic Monti : Transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis, » ita ad illum pertinet Sanctos Canonizare, ad quem pertinet quæstiones Fidei determinare, qualis est solus Papa, cap. *Quoties* 21. caus 24. q. 1. cum similibus.

(17. Quamvis enim antiquitus ante introductionem solemnis, qui nunc servatur, ritus *Canonizandi*, plurimi Sancti (ut patet de Apostolis omnibus, de variis Martyribus Stephano, Laurentio, Sixto, Vincentio, Fabiano et Sebastiano, Joanne et Paulo, Cosma et Damiano, Gervasio et Protasio, pluribusque aliis; de Confessoribus Silvestro, Antonio Abbate, Paulo primo Eremita, Martino, Nicolao, et Gregorio Magno, Augustino, Ambrosio, Hieronymo, Nazianzeno, Basilio, Athanasio, Cyrillo, Chrysostomo, Hilarione, multisque aliis, de Maria Magdalena, et Martha, ac de Virginibus Agnete, Agatha, Lucia, Cæcilia, Catharina, Anastasia, et pluribus aliis) post felicem eorum obitum communi Episcoporum, et populorum consensu tales declararentur et colerentur; hoc tamen semper de auctoritate expressa, vel tacita Summi Pontificis id non contradicentis, sed tacite approbantis, ut docent Gonzal in cap. *Audivimus* sub num. 7, de Reliquiis, et veneratione Sanctor. Garcias de Canonizatione § 5, pag. 91. Gravina de Cathol. præscript. tom. 4, quæst. 5. de Canonizatione Sanctor. pag. 321. Dominicus a Sanctissima Trinitate tom. 3. de Ecclesia militante in Bibliotheca maxima Pontificia tom. 10, pag. 487. Rabaud. Exercit. Theolog. tom. 2, exercit. 3, cap. 1, pag. 138. Azorius Institut. moral. tom. 2, lib. 5, cap. 7. Bellarmin, loco cit, cap. 8, in fine Layman lib. 4, tract. 7, cap. 5, n. 1. Reiffenstuel loco cit. num. 7. Matthæucc. loco citat. num. 1, et 2. Lambertin. loco citat. lib. 1, cap. 6, num. 9, ubi egregie, more suo, id probat pluribus aliis adductis.

(18. Et a tempore Alexandri III, usque in præsens potestas tum *Canonizandi*, tum *Beatificandi* soli Romano Pontifici privative quo ad omnes alios fuit reservata, cap. *Audivimus* 1, de Reliquiis et veneratione Sanctorum, ubi dictus Alexander III, Summus Pontifex, ut patet ex ejusdem verbis adductis supra n. 16, inhibuit, ne quis in posterum pro Sancto venerari inciperet absque Romani Pontificis expressa approbatione. Bellarmin. loco cit. cap. 8. Matthæucc. loco cit. num. 5. Gravina in Continuatione secundæ partis Catholic. præscript. tom. 4, pag. 209, § Merito vero Alexander. Wanespen Juris Ecclesiastici univers. part. 1, tit. 22, cap. 7, num. 14, et pluribus aliis adductis, Lambertin. loco cit. cap. 10, a num. 5, usque

Digitized by Google

in finem; Quamvis tamen Gonzal. Victon. Bivarius, Godefricus, Henschenius, Daniel Papebrochius, et alii apud ipsum loco cit. num. 5. non improbabiliter censeant talem Legem, seu reservationem esse multo antiquiorem Alexandro III, cum in dicto c. *Audivimus*, id de novo non statuat, sed quasi jam constitutum commemoret, et talis loquendi forma Decretum non faciat, sed factum, et vulgo notum supponat, ut videntur innuere verba ipsius Decretalis adducta supra num. 16. Vide nova additamenta.

(19. Hinc non certo constat, quisnam fuerit primus Summus Pontifex, qui solemniter Canonizationem Sanctorum celebraverit. Nam multi tenent, quod prima Canonizatio solemniter celebrata fuerit a Leone III, anno 804, qui in Civitate Werdensi solemniter inter Sanctos Sanctum Swibertum ejusdem Civitatis Episcopum retulerit. Sic ex quadam Epistola Sancti Ludgeri Episcopi Monasteriensis relata a Cardinali Baronio in Annalibus ad dictum annum 804, num. 2, et seq. inter alios Cardinalis Bellarminus t. 2, lib. 1, cap. 8, de Sanctor. Beatitudine, ubi sic expresse habet: « Primus enim Pontifex (ni fallor) qui Sanctos legatur canonizasse, videtur fuisse Leo Papa III, de quo sic scribit Sanctus Ludgerus in Epistola de miraculis Sancti Swiberti, c. 9. in 2. tom. Juris: « Tandem devota instantia Caroli (Magni) et Hildebaldi Archipræsulis Coloniensis venit a Colonia idem Papa Werdam, et ibi post alias solemnitates Sanctum Swibertum solemniter Catalogo Sanctorum Confessorum adscripsit pridie Nonas Septembris. — Hanc primam legi solemnen Canonizationem, ante quam fortasse fuerunt etiam aliæ, sed non mihi constat. » Angelus Rocca de Canonizatione Sanctor. cap. 5. § *Ego vero*, Macrus in suo Vocabulario Ecclesiastico verb. *Canonizatio*, Franciscus Victon. in suo Tractatu gallice conscripto de Canonizatione Sanctor. cap. 19. per tot. Phæbœus Archiepiscopus Tarsensis in sua disserta. impressa post Acta Canonizationis Sancti Petri de Alcantara, et Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Gonzal. in cap. *Audivimus* sub num. 7. de Reliquiis, et veneratione Sanctor. Card. de Laurœa in 3. lib. sentent. tom. 3. disp. 6. art. 3. num. 47. Cornelius a Lapide in Comment. ad cap. 44. Ecclesiast. § *Triplex hæc gloria*, Casalius de veteribus Ecclesiæ Ritibus cap. 70. § de prædictis, Rabaudi exercit. Theolog. tom. 2. exercit. 3. cap. 1. de Ecclesia § *At potestatem*, Marchesius de capite visibilis Ecclesiæ tom. 9. Bibliothecæ maximæ Pontificiæ pag. 737. § A Romano.

(20. Alii autem multi defendunt contrarium, docentes, quod illa Epistola Sancti Lugderi, quæ est potissimum fundamentum ob quod supra allati Doctores primam solemnem peractam Canonizationem Sancti Swiberti adscribunt Leoni III est commentitia; Sic pater Joannes Morinus in Commentario de administratione Sacramenti Pœnitentiæ lib. 10. c. 20. ubi hæc habet: « Conficta est Epistola ante forsan trecentos annos, aut, maxime ante quadringentos nomine Sancti Lugderi ab aliquo Werdensi Monacho in sui Monasterii commodum, et gloriam.... Deinde Sancti Swiberti in Sanctorum Catalogum relationem eodem modo, et ordine enarrat, quo nunc, et ab annis quadringentis celebrari solet. Certum est autem hanc celebrationem cœpisse trecentis post Leonem III. annis et amplius. Primus, quem perhibent antiqua documenta solemniter a Pontificibus Canonizatum fuisse, est Hugo Carthusianus, et Gratianopolitanus Episcopus. Secundus est Sanctus Bernardus. Sed considera quæ Epistolæ, sive Bullæ Pontificum de istorum Sanctorum Canonizatione referunt, et ea compara cum iis quæ Auctor illæ de Sancti Swiberti Canonizatione scribit, deprehendesque cæremonias hodiernas a Leone III. multo diligentius, et copiosius, quam ab Innocentio II. aut Alexandro III. fuisse observatas. Quod argumentum certum est, istius Epistolæ auctorem post annum 1200. scripsisse. Ante Innocentium II. et Alexandrum III. simplex admodum erat Canonizationis ritus, ut ex Petro Damiano constat in fine vitæ Sancti Romualdi, testaturque Cardinalis Baronius ad annum Christi 1027. Obtinebatur ab iis, quibus curæ erat illa Canonizatio, a Sede Apostolica facultas Altare supra Corpus Defuncti erigendi. Eo erecto, peracta erat Canonizationis solemnitas. Post illud tempus cæremoniæ sanctæ illius actionis paulatim factæ sunt augustiores. » Demum post alias adductas rationes concludit Morinus: « Multa sunt alio ejusdem criminis argumenta, quæ longum esset persequi. Undique enim rimosa est Historia ista, et fabellis veritate assutis fatiscit; » Legi possunt etiam Henschenius ad diem 26. Mensis Martii in Commentario prævio ad vitam Sancti Ludgeri, et Cointius in Annalibus Ecclesiæ Francorum ad annum 805. ubi non pauca adversus eam Sancti Ludgeri Epistolam, quam suppositiam esse censent, annotarunt. Item Joseph Maria Sanfelicius Apostolicæ Sedis olim Nuncius ad Tractum Rheni in sua Epistola, quam ediderunt Continuatores Bollandiani ad diem 26. Martii pag. 640. Lucas d'Achery, et Joannes Mabillon. in Actis Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti, et in præfatione ad sæculum quintum § 6. n. 100. Pagi in Critica Historico-Chronologica in universos Annales Cardinalis Baronii tom. 3. ad annum Christi 754. n. 7. ubi sic habet: « Cumque hæc de Sancti Swiberti Canonizatione commenta nunc manifesta sint, iis refellendis diutius non immorabor. » Alter Pagi in vita Sancti Stephani II. alias III. ad n. 14. Continuatores Bollandiani ad diem 26. Martii in vita Sancti Ludgeri § 8. Quibus consentit idem Lambertin. loc. cit lib. 1. c. 7. sub n. 13. et expresse Graveson. in celeberrima sua Historia Ecclesiastica tom. 4. part. 1. colloq. 1. pag. 299, primæ impressionis Romæ, ubi ex aliis expresse dicit: « primum exemplum solemnis Canonizationis factæ a Romano Pontifice, contigisse dumtaxat anno nonagentesimo nonagesimo tertio, quando videlicet Joannes XV. Pontifex

Digitized by Google

solemni Canonizationis ritu Udalricum Episcopum Augustanum publicis Sanctorum fastis adscripsit. » Idem Mabillonius præfatione in sæculum quintum Benedictinum, quod est Ecclesiæ decimum, sic habet: « Hoc primum indubitatæ Fidei monumentum de solemni per Romanum Pontificem Canonizatione invenimus Diploma Joannis XV. qui in frequenti Episcoporum Conventu ad preces Lintulphi Episc. Augustani Udalricum ejusdem Ecclesiæ Episcopum in Sanctorum Album retulit. Sic etiam Papebrochius dis. 20. in Conatu Chronico-Historico de solemnium Canonizationum initiis, atque progressibus, » (1) et alii plures validis, et satis convincentibus fundamentis id ostendentes.

(21. In Canonizatione non semper observatus fuit idem ritus, et forma solemnitatis quæ solet observari nostris hisce diebus, sed fuit varia pro varietate temporum, et Pontificum; cum enim pendeat ab arbitrio ipsorum Pontificum, potest augeri vel minui, prout ipsi judicaverint expedire, et temporum circumstantiis congruere, ut notant Contelorus de Canonizatione Sanctorum cap. 3, num. 5. Matthæucc. loc. cit. num. 3, idem Lambertin. lib. 1, cap. 36, per tot. ubi per varios § assignat solemnia Canonizationis, tum quoad ritum antiquiorem, tum quoad ritum moderniorem merito ibi legendum, admirandum et venerandum.

(22. Item nec semper fuit observatus idem ritus, et forma in Beatificatione, uti videre est in cit. nunquam satis commendato, semperque amplius commendabili Opere de Servorum Dei Beatificatione, et Beatorum Canonizatione dicti Eminentissimi de Lambertinis, deinde undequaque meritissimi Summi Pontificis Benedicti XIV, et signanter lib. 1, cap. 13, et 20, ac 24, ubi num. 1 et 2, insuper asserit, quod solemnitas Beatificationis, quæ fit in Basilica Vaticana per publicationem potissimum Brevis Apostolici inter Missarum solemnia initium duxit ab Alexandro VII, in Beatificatione Beati, nunc Sancti Francisci Salesii. (23. Et ibid. num. 3, subjungit, quod solemnitas Beatificationis in Basilica Vaticana peragendæ consistit potissimum in actibus sequentibus: hoc est primo in publicatione Indulgentiæ ab omnibus utriusque sexus Fidelibus confessis, et Sacra Communione refectis lucrifaciendæ, qui in Basilica Principis Apostolorum, aut Missæ solemni pro Beatificatione canendæ intererint, aut Beatificationis die eamdem Vaticanam Basilicam visitabunt: secundo in præsentia tum Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum, nec non Consultorum Sacrorum Rituum Congregationis, tum Cardinalis Archipresbyteri Basilicæ Vaticanæ, et Canonicorum, et Cleri ejusdem Ecclesiæ: tertio in exhibitione Brevis Apostolici, quæ fit a Postulatore Causæ Cardinali Præfecto Sac. Congreg. qui Postulatorem remittit ad Cardinalem Archipresbyterum Vaticanæ Basilicæ pro facultate illud in Basilica publicandi: quarto in publica lectione Brevis; quinto in solemni cantu Hymni *Te Deum Laudamus*, qui ab Episcopo Missam solemnem celebraturo intonatur: sexto in detectione imaginum Servi Dei quæ prius velo coopertæ erant, tum super Altari, tum ad faciem Templi: septimo in omnium adstantium veneratione: octavo in recitatione Collectæ, quæ fit ab Episcopo Missam celebraturo in honorem Beati: nono in thuris datione Imagini Beati, quæ ab eodem fit Episcopo trino ductu: ultimo in celebratione Solemnis Missæ, tum vero in accessu Summi Pontificis ad Basilicam Vaticanam, ipsa die post Vesperas, ad Imaginem Beati colendam.

(24. Tam ad Beatificationem, quam ad Canonizationem duo copulative requiruntur, scilicet excellentia Virtutum in gradu heroico, et Miracula, ita ut nec excellentia Virtutum sine Miraculis, nec Miracula sine Virtutibus sufficiant. Sic expresse habetur in Constitut. Innocentii III. edita pro Canonizatione Sancti Homoboni incip. *Quia pietas*, ibi: « Licet, autem juxta testimonium veritatis, sola finalis perseverantia exigatur ad sanctitatem animæ in Ecclesia triumphante, quoniam qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit, duo tamen, virtus videlicet morum et veritas signorum, opera scilicet in vita, et Miraculorum signa post mortem, ut quis reputetur sanctus in militante Ecclesia, requiruntur: nam quia frequenter Angelus Satanæ se in lucis Angelum transfigurat, et quidam faciunt opera sua bona, ut videantur ab hominibus, quidam etiam coruscant Miraculis, quorum tamen vita merito reprobatur, sicut de Magis legitur Pharaonis, et etiam Antichristo, qui electos etiam, si fieri potest, inducet suis Miraculis in errorem, ob id nec opera sufficiunt sola, nec signa; sed cum illis præcedentibus ista succedant, verum nobis præbent indicium Sanctitatis, nec immerito nos ad illius venerationem inducunt quem Dominus suis ostendit Miraculis venerandum. Hæc autem duo ex verbis Evangelii plenius leguntur, ubi de Apostolis loquens ait.... Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis... In eo namque, quod ait cooperante, eos operatos esse demonstrans; et in eo, quod sequitur, sequentibus signis, eos exponens, immo Dominum in eorum Miraculis claruisse. Hoc etiam Dominus usque hodie operatur in sanctis et potentiam suam signis evidentibus manifestat, dum vivorum curat ægritudines ad memoriam mortuorum, et eos plus esse post mortem, et felicius vivere mortuos qui in Domino moriuntur, quam qui vivunt in Mundo, demonstrat. » Et in Constitutione 4. Gregorii IX, edita pro Canonizatione Sancti Antonii de Padua incip. *Cum dicat Dominus*, ibi: « Licet ad hoc, ut aliquis Sanctus sit apud Dominum in Ecclesia Triumphante, sola sufficiat finalis perseverantia juxta illud Apocalypsis 2. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vi-

(f) Gerbert in principiis Theologiæ Liturgicæ seq. 2. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

tæ : Ad hoc tamen ut Sanctus habeatur apud homines in Ecclesia Militante, duo sunt necessaria, virtus morum, et veritas signorum, merita videlicet et Miracula, ut hæc et illa sibi adinvicem contestentur, cum nec merita sine miraculis nec Miracula sine meritis plene sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium Sanctitatis. » Et sic docent Fagnanus in cit. c. *Venerabilis* 52, num. 2, de Testibus, et in cit. c. *Audivimus* 1, de Reliquiis, et veneratione Sanctor. num. 3, et ibi Innocentius num. 1, Joannes Andreas num. 4, Anchoranus num. 5, Reiffenstuel. loc cit. num. 9, testans de communi, et Lambertin. loco citato lib. 4, part. 1, cap. 5, a num. 1, usque ad 7. et eodem lib. 4. part. 1. cap. 7. et 18. refellens illos, qui solas virtutes exposcunt, aut sola miracula.

(25. Miracula non solum in vita, sed præcipue post obitum patrata, sunt necessaria ad Beatificationem, et Canonizationem alicujus. Sic Glossa communiter recepta, in c. Unic. de Reliquiis, et veneratione Sanctorum in 6. verb. *Sedis*, Mascard. de probation. conclus. 216. n. 42. Reiffenstuel. l. c. n. 10. Lambertin. loc. cit. et alii passim.

(26. In causis procedentibus per viam non cultus, bina saltem Miracula requiruntur, atque sufficiunt, etiamsi sint solum tertii generis pro obtinenda Beatificatione formali, et bina, quæ post eam supervenerint, sufficiunt pro Canonizatione ; et in causis, quæ procedunt per viam Casus excepti, seu cultus immemorabilis, bina sufficiunt Miracula, quæ post indultam Venerationem supervenient. Sic expresse Lambertin. loco citato lib. 1, cap. 32, num. 3, et seq. referens ita decisum fuisse « a Sacrorum Rituum Congregatione Generali in Causa sancti Joannis de Capistrano die 13, Junii 1677. » Item « in Causa Sanctæ Catharinæ de Bononia die 17, Maji 1707. » Item « in Causa S. Stanislai Societatis Jesu die 13 Novembris 1714. » Item « in causa S. Agnetis Virginis Ordinis Prædicatorum die 12 Martii 1726. » Et idem tenet lib. 4, part. 1, cap. 6, num. 4, et 5, ubi testatur de praxi Sedis Apostolicæ, uti etiam de tali praxi testatur Matthæucci loco cit. tit. 3, c. 8, § 2, num. 23, dicens, quod Sedes Apostolica plures in Ordine Beatorum, et Sanctorum conscripsit solis duobus tertii generis Miraculis verificatis, idque dicit notum esse ex Decretis Sac. Congregat. in Registro videndis, in quam praxim concurrunt scribentes apud Martam *de Canonizatione* par. 4, c. 7. n. 88, et tenant Doctores passim. Nunc autem servanda sunt Decreta S. D. N. Benedicti Papæ XIV, alterum quidem sub die 23. Aprilis 1741, emanatum, in quo statuitur ut in Causis Beatorum per viam Cultus immemorabilis, aut indulti procedentibus, in posterum non duo, ut antea, sed quatuor ad eorum Canonizationem probari debeant miracula : in causis autem procedentibus per viam non cultus, ubi virtutes aut martyrium ex testibus de auditu fuerint probatæ, non duo miracula ut antea, sed quatuor omnino ad eorum Beatificationem obtinendam debeant approbari : alterum vero die 17 Julii 1754, editum, in quo declaratur, pro obtinenda formali beatificatione, si testes de auditu a videntibus in Processu Apostolico excepti conjungantur cum testibus de visu in Processu ordinario exceptis, sufficere debere duo miracula, si vero cum testibus de visu Processu ordinario exceptis non conjungantur nisi testes de audito auditus in Processu Apostolico exceptis, tunc tria Miracula requiri ante Beatificationem data, et approbata.

(27. In Beatificatione, et Canonizatione Martyrum non solet fieri tam exacta, et stricta inquisitio de probitate Vitæ, et Miraculis tempore vitæ peractis, ac fit in Beatificatione, et Canonizatione Confessorum, sed præcipue de Miraculis post mortem, et de causa ob quam passi sunt indagatur. Hostiensis in cit. cap. *Audivimus* 1, numer. 3, de Reliquiis, et Veneratione Sanctor. Fagnan. ibidem num. 16. August. Triumph. de potestate Ecclesiæ quæst. 16, art. 3. Mascard. loc. cit. num. 9. Reiffenstuel. loco cit. num. 11, et alii arg. c. *Baptismi vicem* 34, et c. *Catechumenum* 81, de consecrat. et ad id satis clare facit generalis illa promissio Christi Matthæi 10. « Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. »

(28. Quamvis enim antiquitus nomen Martyris, et Confessoris promiscue sumeretur, sicque idem essent Martyres et Confessores, ut tradunt passim Scriptores, et signanter Petrus Galesinus in Notis ad suum Martyrologium 17, Kal. Febr. ubi inquit : « Certum atque exploratum omnibus est..... Martyris, et Confessoris nomen olim sinonymum fuisse; » Franciscus Amatus Pouget in suis Catholicis Institutionibus to. 1, pag. 913, ibi : « Olim Confessores Christi dicebantur ii solum, qui cum testimonium perhibuissent veritati cum carceris, exilii, rei familiaris, suppliciorum, ipsiusque vitæ periculo, non tamen morti traditi fuerant : Confessores autem dicebantur propter gloriosam et publicam nominis Christi Confessionem, Martyres quoque appellabantur propter exhibitum veritati testimonium. » Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum ad diem 2 Januar. ibi : « Ne quid lateat, sciendum est, diversa admodum significatione a præsentis temporis usu hanc vocem (scilicet Confessoris) a majoribus usurpatam. Illi enim neminem eo nomine appellabant, nisi eum qui Christi Fidem interpellatus coram Fidei hostibus confessus esset. » Lambertin. loco cit. lib. 1, c. 2, sub. n. 1, ibi : « Proprie Confessores olim dicebantur illi qui Christum palam, et coram tyrannis seu Fidei hostibus, confessi, quolibet tormentorum, vel pœnæ genere affecti, superstites tranquillam mortem obibant. » Et infra num. 7, sic subjungit : « Martyres tandem erant illi qui pro veræ Fidei defensione moriebantur, aut qui atrocissima tulerant pro Fide tormenta; licet fuerint superstites, et in pace quieverint, » teste Divo Thoma 2, 2, q. 124, art. 4, ad quartum. Unde ut notat ipse, veri Martyres etiam aliquando Confessores dicti sunt.

(29. Progressu tamen temporis, ut etiam ho-

Digitized by Google

die servatur, Ecclesia consuevit distincte nomen Martyris et Confessoris usurpare; illos scilicet appellando Confessores, qui sancta ac laudabili vita vixerunt, et sancto demum fine naturali morte in pace quieverunt, ac in Sanctorum numerum sunt relati, quatenus per virtutum opera sunt Deum confessi. Unde Ordo Cluniacensis in Præfatione ad vitam Sancti Geraldi sic expresse habet: « Cum igitur Confessor *a confitendo* vocetur, Geraldus tanto rectius Confessor dici potest, quanto justioribus factis Deum est confessus. » Et Egebertus Episcopus Eboracensis in Excerpt. cap. 28, ait: « Sancti Patres, quos Confessores nuncupavimus, id est Episcopi, Presbyteri, qui in Castitate servierunt Domino ». Lambertin. loco cit. num. 6. Matthæuc. loco citato tit. 4, cap. 1, num. 3, et alii communiter, atque Ecclesiastica praxis. Et illos appellando Martyres, non solum qui violentam mortem, seu cruciatus lethales voluntarie perpessi sunt, sed etiam illos qui a persecutoribus nostræ Fidei comprehensi, varie vexati, in carcerem, vel in exsilium missi, et ærumnis confecti usque in finem perseverantes propter Fidei, aliarumque supranaturalium virtutum confessionem mortem naturalem subierunt. Vide verb. *Martyrium*, et infra nova additamenta.

(30. Nostris hisce temporibus, nisi habeatur Apostolica dispensatio, non procedit Sacra Congregat. Rituum in Causis Servorum Dei ad effectum Canonizationis seu Beatificationis, aut declarationis Martyrii, nisi elapsis quinquaginta annis ab obitu illorum. Sic expresse satuunt Decreta jussu Urbani VIII, edita § *Sanctitas Sua*, ibi: « Sanctitas Sua expresse prohibuit Sacræ Rituum Congregationi, ne deinceps procedat in Causis Servorum Dei ad effectum Canonizationis, seu Beatificationis, aut Declarationis, Martyrii, nisi lapsis quinquaginta annis ab obitu illius, quinimmo etiam lapsis quinquaginta annis de similibus Processibus, tam factis, quam faciendis agi vetuit, nisi habita prius, et expresse obtenta licentia a Sanctitate Sua, vel ejus Successoribus. Sub Decreto hujusmodi velt comprehendi etiam Causas in quibus modo reperiuntur expeditæ Literæ Remissoriales, et Compulsoriales, ac omnes aliæ nunc pendentes, quæ adhuc expectant perfectionem suam et complementum a facto futuro finalis determinationis. Quod ut firmius observetur, insuper jubet ut si memoriale super hoc directum Congregationi porrigatur cum Rescripto Sanctitatis Suæ, ut aliqua ex hujusmodi Causis ad præfatos effectus examinetur, nullum sortiatur effectum, nisi in eodem Rescripto specialis prædictæ prohibitionis derogatio reperiatur. »

(31. Talis autem prohibitio non impedit, quominus infra spatium dictorum quinquaginta annorum possint confici Processus per Ordinarios, vel per Delegatos Apostolicos, et in Sac. Rit. Congreg. discuti de eorum validitate, ne labente dicto temporis cursu pereant oculati, et meliores testes, sicque occasione hujusmodi dilationis pereant etiam probationes, ut expresse habetur in supradictis Urbani VIII. Decretis § *Verum*, ibi: « Verum, ne pereant hujusmodi dilationis occasione probationes, permittit Sanctitas Sua, non habita ratione dictorum quinquaginta annorum, ut agi possit de prædictis Processibus, sive de aliis auctoritate Ordinaria fabricatis, vel fabricandis ad effectum deliberandi, an per Sedem Apostolicam debeant concedi Literæ Remissoriales in genere: quibus obtentis, et fabricatis super eis Processibus, servatis servandis, illisque Sacræ Rituum Congregationi præsentatis, permittit pariter Sanctitas Sua ut in Sacra Congregatione discutiatur de eorum validitate, ac etiam de relevantia in ordine, et ad effectum tantum cognoscendi an sit procedendum ad Processus in specie; et Processibus in specie completis, et S. C. delatis, videatur tantum de eorum validitate: quibus definitis, iidem Processus per Secretarium claudantur, et obsignentur sigillo Sacræ Congregationis, non aperiendi, donec veniat plenitudo temporis dictorum quinquaginta annorum: quo completo, nullo modo de eis agi possit, nisi expresse mandetur a Summo Pontifice. » Unde, ut vides, supradicta prohibitio restricta est, ne constructis Processibus ab Ordinariis, seu a Delegatis Apostolicis actu procedatur in Sac. Congregat. ad ulteriora in Causa, in examine Virtutum, et Miraculorum, vel Declarationis Martyrii, nisi elapsis dictis quinquaginta annis, aut nisi interveniat Pontificia dispensatio.

(32. Quæ quidem dispensatio supra complementum dictorum quinquaginta annorum solet interdum ob justas causas a Romano Pontifice concedi, ut sæpius concessam esse constat, et signanter in Causa Pollucen. Martyris Josaphat ab ipsomet Urbano VIII. Ut habetur ex Decreto edito die 27. Januar. 1629. Item in Causa Gebennen. Sancti Francisci de Sales ab Alexandro VII. Ut ex Decreto edito die 20. Januarii 1659. Item in Causa Limana Sanctæ Rosæ a dicto Alexandro VII. Ut ex Decreto edito die 26. Septemb. 1664. Item in Causa Japonen. Martyrii Servorum Dei Angeli Orsucci, Caroli Spinulæ, et Sociorum a Clemente IX. Ut ex Decreto edito die 6. Junii 1669. Item in Causa Neritonen. Servi Dei Josephi a Cupertino a Clemente XI. Ut ex Decreto edito die 9. Maii 1711.

(33. Sine dicta autem Pontificia dispensatione est omnino servanda supradicta Lex ab Urbano VIII. constituta de lapsu quinquaginta annorum ab obitu Servi Dei, antequam proponi possit dubium de virtutibus, aut de Martyrio: de qua quidem Constitutione, ut scribit dictus Lambertin. loco cit. cap. ultim. num. 7, in fine, sic habetur in Vita Venerabilis Servi Dei Dominici a Jesu Maria scripta a Patre Philippo a Sanctissima Trinitate lib. 7, cap. 11. *La cagione di tal Costituzione è, che nissuno vive così puramente, e santamente, che alcuna volta non cada in qualche imperfezione secondo quel detto*: Septies in die cadit justus. *Questi difetti, benchè minimi, molte volte restano a memoria, e*

Digitized by Google

possono diminuire la divozione, e forse alcune volte del tutto torla, se fossero proposti per Santi, e per essere venerati quelli, ne' quali comparvero alcuni difetti; essendo che volgarmente i Fedeli stimano, che i Sancti fossero del tutto irreprensibili: Quod etiam confirmatur a Patre Nicolao Lancisio tom. 2. Opusc. Spiritual. 19, de vitandis judiciis temerariis, c. 6. n. 74, pag. 644.

(34. Ut plene percipiatur, quinam Cultus, seu Adoratio debeatur Sanctis, ac Beatis, advertendum est, quod Adoratio est actus, quo quis alteri se submittit in recognitionem suæ excellentiæ. *Est in re communis.* (35. Et hæc Adoratio seu Cultus alia est mere Civilis, seu Politica, et alia Sacra, seu Religiosa. Adoratio *mere Civilis*, seu *Politica* est illa, quæ exhiberi solet Regibus, et Principibus supremis propter excellentiam sui status, seu potestatis humanæ, quam præ aliis habent, uti passim in Sacra Scriptura leguntur quidam adorasse suos Reges, ut David 1. Regum. cap. 20. « Cadens pronus in terram adoravit tertio. » Jonatham. Et 1. Paralip. cap. 39, num. 20. « Benedixit omnis Ecclesia Domino Deo Patrum suorum, et inclinaverunt se, et adoraverunt Deum, et deinde Regem. » Ubi, ut vides, eadem vox adorationis tribuit Deo et Regi, licet Deo Cultus Latriæ, et Regi solus Cultus Civilis, ac Politicus competeret. Adoratio *Sacra*, seu *Religiosa* est illa quæ exhibetur alicui ob excellentiam suam Sacram, et supernaturalem, uti est Adoratio quæ exhibetur Deo, et B. Mariæ Virgini, ac Sanctis omnibus, et Beatis.

(36. Adorationis Sacræ, seu Religiosæ tres sunt species, nempe Latria, Hyperdulia, et Dulia. *Communis Theologorum.* (37. Adoratio seu Cultus Latriæ est illa, quæ soli Deo debetur, ac exhibetur propter summam increatam, ac infinitam suam excellentiam. *Communis.* (38. Adoratio, seu Cultus *Hyperduliæ* est illa quæ B. Mariæ Virgini debetur, ac exhibetur, ob excellentiam Maternitatis Dei, et alia excellentissima dona, ac specialissimam ejus Sanctitatem cæteris supereminentem. *Communis.* (39. Adoratio, seu cultus *Duliæ* est illa quæ debetur ac exhibetur Sanctis ob supernaturalem excellentiam suæ Sanctitatis, et Gloriæ. *Communis.*

(40. Dicta triplex adoratio, seu Cultus alia est *absoluta* conveniens soli rei intellectuali, quæ per se honorabilis, atque adorabilis est ob perfectionem, atque excellentiam sibi intrinsecam, qualis Adoratio, seu Cultus convenit, ac debetur Deo, Beatæ Mariæ Virgini, et Sanctis per se absolute venerabilibus. Et alia est *Respectiva* conveniens rebus non intellectualibus, et ratione carentibus, quæ non coluntur per se ob perfectionem, atque excellentiam sibi intrinsecam, sed propter ud, seu ob respectum ad aliud, qualis Adoratio seu Cultus convenit, ac debetur Cruci, Sacris Reliquiis, Imaginibus, Vestibus, ac similibus ratione carentibus; cum eorum Veneratio, seu Adoratio, vel Cultus non sistat in illis, sed referatur ad Prototypum, cujus sunt Imagines, aut quod repræsentant, *Communis inter Catholicos*, et clare habetur ex Concilio Tridentin. sess. in Decreto de invocatione Sanctorum.

(41. Cultus alius est publicus et alius privatus. Cultus *publicus* est, qui fit nomine Ecclesiæ, vel tamquam institutus ab ea, sive deinde publico in loco, sive in occulto fiat. Non enim dicitur, seu appellatur *publicus*, vel solemnis, eo quod publice et coram aliis exhibeatur, sed quia defertur nomine Ecclesiæ, vel tamquam institutus ab ipsa. Cultus *privatus* est, qui non exhibetur nomine Ecclesiæ, nec tamquam institutus ab ipsa, sed fit ex privata devotione colentis, sive deinde talis Cultus fiat privatim in loco occulto, sive in loco publico videntibus aliis, Scacchus de Notis, et signis Sanctit. sect. 10, cap. 1, vers. *Ex hoc.* Hurtad. in resolution. de vero Martyrio resolution. 43. § 11. per totum; Reiffenstuel. loco citat. num. 17. Pasqualig. in Addition. ad Lauret. de Franch. titul. de Cultu erga non Canonizatos num. 1222. Layman in theol. moral. lib. 4, tit. 7, cap. 5, n. 14. Del Bene de Inquisit. part. 2. dub. 234, sect. 7, sub num. 1. Molphes consil. 45, num. 20. Bonacina to. 2, disput. 3, quæst. 1, punct. 2, num. 2, cum Bellarmin. Sanchez, et aliis ibi citatis, Matthæucc. citat. quæst. procemial. cap. unic. num. 25, et seq. Lambertin. loco citat. lib. 2, cap. 7, num. 7, et alii contra Contelorum de Canonizatione Sanctor. cap. 22, num. 7. Barbosa allegat. 97, num. 13. Castellin. de Certitudine Gloriæ Sanctorum. cap. 2, punct. 23, et 24, et alios non improbabiliter volentes, quod etiam dici debeat Cultus publicus qui fit in loco publico, seu coram aliis.

(42. Cultu publico coli possunt omnes Sancti et Beati, id est omnes qui jam sunt *Canonizati*, vel saltem *Beatificati*. *Communis inter Catholicos.* Cum hac tamen differentia quod, qui jam sunt Canonizati, possunt coli ubique, et quovis Duliæ cultu publico. Qui vero sunt solum *Beatificati*, et nondum *Canonizati*, non possunt coli nisi in illo loco, et illo cultu publico, quem concessit Summus Pontifex, cum in Beatificatione non quivis publicus Cultus, sed aliqui soli determinati concedantur. Unde attendenda sunt Brevia Concessionum.

(43. Et insuper circa Beatos nondum Canonizatos attendendum est etiam Decretum super Cultu Beatis adhuc non Canonizatis præstando a Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria habita coram Sanctissimo Domino nostro Alexandro VII. emanatum.

« Ad aures Eminentissimorum Patrum Congregationis Sacrorum Rituum plures devenerunt, qui patrantur, indultorum excessus in materia præstationis Cultus Beatis adhuc non Canonizatis. Quamobrem eos eliminare ac, ne futurum inducantur, providere studentes ad infrascripta devenerunt Decreta, etc.

« 1. Quod eorumdem Beatorum Imagines etiam non principaliter, et uti supplices appositæ, simulacra, Picturæ, Tabellæ, aut Scripturæ, eorum præclara gesta repræsentantes, aut referentes in Ecclesiis, Sacrariis, et Oratoriis quibuscumque, et præsertim in quibus Missæ Sacrificium, vel alia Divina

Digitized by Google

Officia peraguntur, inconsulta Sede Apostolica, nullo pacto exponantur.

« II. Quod ubi indultum fuerit per Sedem Apostolicam Imagines, Simulacra, pictasque Tabellas in Ecclesiis poni et coli posse, in pariete tantum, non autem super Altari, collocandi facultas tributa censeatur.

« III. Quod si concessa fuerit per eamdem Sedem Apostolicam Altarium erectio, non tamen ob id Missam, et Officium de prædictis Beatis celebrandi, vel recitandi facultas tradita præsumatur; etenim specifica et expressa concessio super iis præcedere debet.

« IV. Ubi in uno loco Cultus fuerit concessus, non extendatur, inconsulto Pontifice, ad alium locum, quamvis alia concurrente auctoritate.

« V. In locis, ubi Beatos prædictos ab omnibus coli permissum fuit, non inde publica Officii recitatio permissa censeatur, sed tantummodo privata, nec satisfactoria præcepto recitationis, nisi quoad illos quibus Sedes Apostolica de hoc indulserit.

« VI. Missæ pariter quæ fuerint indultæ certis personis, nempe Presbyteris Regularibus, vel sæcularibus alicujus loci, vel monasterii, seu Presbyteris alicujus Ecclesiæ servitio præcipue addictis, a confluentibus Sacerdotibus quavis Dignitate etiam Cardinalatus insignitis, minime celebrentur.

« VII. Dies Festi in Beatorum eorum memoriam non celebrentur, nisi speciali Indulto Apostolico provisum fuerit.

« VIII. Eorumdem nomina in Kalendariis non apponantur, nisi illius tantum loci, earumque Personarum, in quo et a quibus Cultus cum Officio, et Missa celebretur.

« IX. In quibusvis Ecclesiasticis precibus, etiam in Oratoriis privatis recitandis particularis eorumdem Suffragia non apponantur, vel recitentur.

« X. Publicis in precibus præter indultas, et a Sede Apostolica approbatas, iidem Beati non invocentur.

« XI. Eorumdem Reliquiæ in Processionibus minime circumferantur.

« Sacra tamen Congregatio præsentibus Declaratione et Jussione removere non intendit Cultum Beatis per communem Ecclesiæ consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum Virorumque Sanctorum scripta, vel temporis centum annorum metam excedentis scientiam, ac tolerantiam Sedis Apostolicæ, aut Ordinariorum hactenus præstitum ac certis modo, et forma ab eo tempore eis exhibitum. Verum, si a centum annis circa Cultus hujusmodi aliqua ex parte constiterit auctus, et extensus, eo casu Sacra eadem Congregatio eumdem in pristinum reduci jubet; prout quemvis Cultum extra casus prædictos ad expressa tantum verbaliter in Apostolicis Indultis omnino revocari mandat sub pœnis, etc.

« Firmis quoque remanentibus Decretis, nempe, ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum Natalitia cum Octavis celebrentur, et aliis quibuscumque a Sacra Congregatione hactenus emanatis, quæ præsenti Decreto renovantur.

« His autem Sanctissimo relatis, et in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria habita coram Sanctitate sua per Eminentis. et Reverendis. Dom. Cardinalem Sacchettum accurate perlectis, mature discussis, Sanctitas sua ea approbavit, et pro omnimoda eorumdem observatione mandavit typis imprimi, ad Valvas affigi, et publicari, ut elapso tempore sex mensium a die publicationis eorumdem, omnes et singulos afficiant et arctent, ac si omnibus et singulis eadem exhibita, vel personaliter præsentata, intimata, seu notificata fuissent. Indulsitque Locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apostolicæ possint, immo debeant Sæculares et Regulares quoscumque, quantumvis exemptos, etiam Societatis Jesu, S. Antonii Viennen. et S. Joannis Jerosolimitani, ac reliquos omnes speciali expressione indigentes etiam sub Censuris compellere.

« Cumque aliqui nulli subdantur Episcopo, qui eos, si excesserint, coercere valeant, eo casu, a Sedis Apostolicæ Nuntiis, si aderint, sin minus ab Archiepiscopis, in quorum Provinciis, vel ab Episcopis Romano tantum Pontifici subjectis, intra, vel prope quorum Diœcesis limites eorum Ecclesiæ, vel Monasteria sita fuerint, tamquam a Sede Apostolica Delegatis ad hujusmodi Decretorum observationem prædicti omnino cogantur.

« *Die* 27 *Septemb.* 1659. »

DECLARATIO DECRETI

Super Cultus Beatis, adhuc non Canonizatis, præstando.

Allatis ad Sacrorum Rituum Congregationem dubiis circa observationem, et intelligentiam Decreti super cultu Beatis adhuc non Canonizatis præstando editis Die 27 Septembris 1659, et publicati 3 Februarii præsentis anni 1660.

« Primo : An, ubi indultum fuerit, ut Missa de aliquo Beato celebretur, liceat ejus Imaginem et simulacrum super Altari exponere, necnon Votivas Tabellas ibi appendere?

« Secunda : An § *Dies Festi in Beatorum honorem non celebrentur*, extendatur ad Festa Devotionis?

« Tertio : An indulta recitandi Officium cum Octava, vel sine Octava, et celebrandi Missam de Beatis, fuerint revocata per dictum Decretum Sacræ Congregationis?

« Quarto : An in Ecclesiis, in quibus Officium, et Missa de Beatis recitari, respective celebrari possunt, liceat eorum Reliquias exponere?

« Quinto : An Episcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicæ gaudent Privilegiis suæ Religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, possint de Beatis suæ Religionis recitare officium, et in propriis Cathedralibus Missam celebrare, et Altaro de Beatis prædictis erigere?

« Sacrorum Rituum Congregatio respondit.

Digitized by Google

« Ad primum affirmative.
« Ad secundum negative.
« Ad tertium pariter negative.
« Ad quartum affirmative.
« Ad quintum negative.
« *Die* 17 *Aprilis* 1660. »

(44. Qui cum fama Sanctitatis, aut insignis pietatis obierunt, et nondum sunt nec *Canonizati* nec *Beatificati*, possunt quidem licite invocari, venerari, ac coli *Cultu privato*, at non *Cultu publico*. *Communis*, arg. c. *Audivimus* 1, et cap. *Cum eo* 2, de Reliquiis, et Veneratione Sanctor. Ubi prohibetur aliquem publice venerari pro Sancto absque Sedis Apostolicæ auctoritate. Unde a sensu contrario privatus honor, et cultus permittitur.

(45. Circa autem Cultum et Venerationem talium virorum cum fama Sanctitatis defunctorum, eorumque Imagines, et Miracula, revelatione, etc., attendendæ sunt duæ celeberrimæ Constitutiones Urbani VIII, quæ hic per extensum, tamquam scitu maxime necessariæ, afferuntur, et prima, quæ est 39, inter Constitut. ejusdem Pontificis est : ut sequitur :

Sanctissimus D. N. sollicite animadvertens abusus qui irrepserunt, et quotidie irrepere non cessant in colendis quibusdam Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctis, qui, etsi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti sint ab Apostolica Sede eorum tamen Imagines in Oratoriis, atque Ecclesiis, aliisque locis publicis, ac etiam privatis cum laureolis, aut radiis, seu splendoribus proponuntur, miracula, et revelationes, aliaque beneficia a Deo per eorum intercessionem accepta in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur, et ad illorum sepulcra Tabellæ, Imagines, et res aliæ ab beneficia accepta testificanda, et lampades, et alia lumina apponuntur.

§ 1. Volensque proinde hujusmodi abusibus pro debito Officii pastoralis occurrere, re etiam cum Illustriss. et Reverendiss. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem in universa Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus communicata, et mature considerata, ac discussa declaravit, statuit, et decrevit, ne quorumvis hominum cum Sanctitatis, seu Martyrii fama (quantacumque illa sit) defunctorum Imagines, aliaque prædicta, et quodcumque aliud, Venerationem, et cultum præseferens et indicans in Oratoriis, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesiis, tam Sæcularibus quam Regularibus cujuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis aut Societatis, apponantur antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, et (si quæ appositæ sunt) amoveantur, prout eas statim amoveri mandavit.

§ 2. Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorumdem hominum, qui Sanctitatis, sive Martyrii fama, vel opinione (ut præfertur) celebres e vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia tamquam eorum intercessionibus a Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis, Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhibeat : et ne deinceps fraus, aut error, aut aliquid novum, aut inordinatum in re tam gravi committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, ejusque responsum expectet. Revelationes vero, et miracula, aliaque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam et gesta continentibus, hactenus sine recognitione, atque approbatione hujusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque Sua Sanctitas.

§ 3. Ad horum hominum sepulchra vetuit etiam ac inhibuit Tabellas, atque Imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacumque materia, tam pictas quam fictas, atque exculptas, appendi aut affigi; lampades, sive alia quæcumque lumina accendi sine recognitione ab Ordinario omnino, prout supra, facienda, Sedique Apostolicæ referenda ac probanda.

§ 4. Declarans, quod per suprascripta præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerentia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii coluntur.

§ 5. Ut autem præmissa diligentius observentur, universis, ac singulis tam Ordinariis quam hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, districte præcipit ut in sua quisque Diœcesi, vel Provincia, sedulo pervigilent, ne sine approbationibus prædictis Imagines cum memoratis signis exponantur, aut Miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliave contra superius disposita fiant.

§ 6. Transgressores vero, si Regulares fuerint, privationis suorum Officiorum, ac vocis activæ et passivæ, nec non et suspensionis a divinis, si vero Clerici Sæculares, privationis pariter suorum Officiorum, suspensionis a Divinis; et ab administratione Sacramentorum, executioneque suorum Ordinum respective, aliisque arbitrio prædictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo.

§ 7. Qui autem libros impresserint, aut Imagines pinxerint, sculpserint, seu quoque modo effinxerint, vel formaverint, cæterique Artifices circa præmissa qualitercumque delinquentes, prædicta omnia amittant, et insuper pecuniariis, aliisque etiam corporalibus pœnis juxta criminis gravitatem, eorumdem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur.

§ 8. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

§ 9. Et ne præmissorum ignorantia possunt ab aliquo prætendi, voluit ut Decretum hujusmodi seu illius exemplum ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum Urbis, ac in acie Campi Floræ affixum omnes perinde arctet, atque afficiat, ac si unicuique personaliter intimatum fuisset.

§ 10. Quodque præsentium transumptis,

Digitized by Google

impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

J. Antonius Thomasius S. Romanæ, et universalis Inquisitionis Not.

Anno 1625. *Indictione* 8. *Pont. Sanctiss. D. N. D. Urbani Divina providentia Papæ VIII. Anno ejus* 2, *die vero* 4 *mensis Aprilis, supradictum Decretum affixum, et publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, et in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Brandimartem Latinum Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.*

Octavius Spada Mag. Curs.

Sequitur Declaratio præinsertæ prohibitionis.

(46. Postmodum vero idem Sanctiss. D. N. a quibusdam revocari in dubium accepit, an Tabellas, et Imagines, quas in posterum offerri contigerit, recipere, et antea oblatas conservare liceret; Sanctitas Sua, quæ tantummodo voluit, occurrendo abusibus qui irripere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam quorum Sanctimoniam Divinæ Clementiæ placuerit, admirandis operibus illustrare : re prius cum Illustriss. et Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus communicata, præsenti Decreto declaravit. Quod sicut nunquam prohibitum, nec suæ intentionis fuit prohibere oblationem, receptionemque Tabellarum, et Imaginum hujusmodi, ita ut nulli deinceps hæsitationi locus relinquatur, statuit in præsentiarum, et decernit ut quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium, locumve alium publicum sæcularem, seu regularem Tabellas, et Imagines, aliudve simile quisquam detulerit, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos, non adscriptorum quamvis cum Martyrii, vel Sanctitatis fama demortuorum, optata, se impetravisse dixerit, liceat Ecclesiasticis personis Ecclesiarum, locorumve prædictorum curæ Præpositis Tabellas, et Imagines, sive pictas, sive ex quavis materia fictas, atque alia quæcumque collocatæ gratiæ fidem facientia simul cum deferentis, aliorumque, qui conscii fuerint, attestationibus accipere, atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre statim omnia teneantur, in secreto aliquo, seorsim ab Ecclesia, loco custodire, ibidem jam amotam collocare, asservare, ut si quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent hujusmodi Sanctitatis qualescumque probationes Apostolicæ Sedis judicio tunc examinandæ, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Jo : Antonius Thomasius S. Romanæ, et universalis Inquisitionis Not.

Anno 1625, *Indictione VIII, Pont. Sanctiss. D. N. D. Urbani Divina providentia Papæ VIII, an.* 2, *die vero* 30 *Octobr. supradicta litera, sive Decretum affixum, et publicatum fuit ad valvas Princip. Apost. Urbis, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Brandimartem Latinum Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.*

(47. Altera ejusdem Pontificis Constitutio, quæ est 134 in ordine, est sequens.

Cœlestis Jerusalem Cives, quorum gloriosis natalitiis Sancta lætatur Mater Ecclesia, sicut hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ ministerio a piis utriusque sexus Christi fidelibus venerantur in terris, ita Romanum decet Pontificem Militantis Ecclesiæ regimini providentia præpositum pro suo præcipuo honoris Domus Dei zelo invigilare, ne quid in Personarum cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctarum memoriam, sive Cultum inconsulta S. Sede prædicta innovetur.

§ 1. Alias siquidem Nos sollicite animadvertentes abusus, qui irrepserant et irrepere non cessabant in colendis quibusdam cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctis, qui, etsi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti essent ab eadem Sede, eorum tamen Imagines in Oratoriis, atque in Ecclesiis, atque in locis publicis, atque etiam privatis cum laureolis, aut radii, seu splendoribus proponebantur, Miracula, et revelationes, aliaque beneficia a Deo per eorum intercessionem accepta in libris rerum ab ipsis gestarum enarrabantur, et ad illorum sepulcra Tabellæ, Imagines, et res aliæ ad Beneficia accepta testificanda, et lampades, et alia lumina apponebantur. Volentesque proinde hujusmodi abusibus pro debito Officii Pastoralis occurrere, re etiam cum Venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Card. contra hæreticam pravitatem in universa Republica Christiana generalibus Inquisitoribus ab eadem Sede specialiter deputatis communicata, et mature considerata, ac discussa : de eorumdem Cardinalium Consilio sub die 13 Martii 1625 declaravimus, statuimus, et decrevimus, ne quorumvis hominum cum Sanctitatis, seu Martyrii fama (quantacumque illa esset) defunctorum Imagines, aliaque præfata, et quodcumque aliud Venerationem et Cultum præ se ferens, et indicans in Oratoriis, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesiis, tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponerentur, antequam ab Apostolica Sede Canonizarentur, aut Beati declararentur, et si quæ appositæ essent amoverentur, prout eas statim amoveri mandavimus. Ac pariter imprimi de cætero inhibuimus libros eorumdem hominum, qui cum Sanctitatis, sive Martyrii fama, vel opinione, ut præfertur, celebres e vita migravissent, gesta, Miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia, tamquam eorum intercessionibus a Deo accepta continentes, sine recognitione, et approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in concilium adhiberet : et ne deinceps fraus, aut aliquid novi, et inordinati in re tam gravi committeretur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmit-

Digitized by Google

teret, ejusque responsum expectaret : Revelationes vero, et Miracula, aliaque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam, gestaque continentibus eatenus sine recognitione, atque approbatione hujusmodi impressa erant, nullo modo approbata censeri volumus, mandavimusque ; Ad horum hominum sepulcra vetuimus etiam, ac inhibuimus Tabellas, atque Imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacumque materia, tam pictas, quam fictas, atque exsculptas appendi, seu affigi, et lampades, sive alia quæcumque lumina accendi sine recognitione ab Ordinario omnino, prout supra, facienda, Sedique Apostolicæ referenda, ac probanda. Declarantes, quod per suprascripta præjudicare in aliquo noluimus, neque intendimus iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia præfatæ Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii celebrantur. Cumque postea die 2 Octobris ejusdem anni 1625, a quibusdam revocari in dubium accepissemus, an Tabellas et Imagines, quas in posterum offerri contingeret, recipere, et antea oblatas conservare liceret ; nos, qui tantummodo voluimus, occurrendo abusibus qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum Sanctimoniam Divinæ Clementiæ placuerit admirandis operibus illustrare : re prius cum eisdem Cardinalibus communicata, de simili eorum consilio declaravimus quod, sicut numquam prohibuimus, nec intentionis nostræ fuit prohibere oblationem, receptionemque Tabellarum, et Imaginum hujusmodi, ita ut deinceps nulli dubitationi locus relinqueretur, statuimus, et decrevimus ut, quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium, locumve alium publicum Sæcularem, seu Regularem Tabellas, et Imagines, aliudve quispiam deferret, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adscriptorum, quamvis cum Martyrii, aut Sanctitatis fama demortuorum, optata se impetravisse diceret, liceret Ecclesiasticis personis Ecclesiarum, locorumve prædictorum curæ præpositis Tabellas, et Imagines, sive pictas, sive ex quavis materia fictas, atque alia quæcumque collatæ gratiæ fidem facientia simul cum deferentis, aliorumque, qui conscii fuissent, attestationibus recipere, atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre statim omnia tenerentur, in secreto aliquo, seorsim ab Ecclesia, loco, custodire, ibidemque jam amota collocare, et asservare, ut si quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluisset, extarent hujusmodi Sanctitatis qualescumque probationes Apostolicæ Sedis judicio tunc examinandæ. Demum vero, ut ejusmodi Decreta observarentur indubie, ac omnimodam sortirentur executionem cum eisdem Cardinalibus re pariter communicata, deque eorumdem consilio præmissis addidimus, statuimus, decrevimus, atque declaravimus, ne ex tunc deinceps quispiam Ordinariorum aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatorum super alicujus utriusque sexus cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinionem defuncti Miraculis, Revelationibus, aliisve hujusmodi Sanctitatem redolentibus ex integro informationes quoquo modo reciperet, aut Processum instrueret, vel hucusque receptas informationes, instructumve Processum ulterius prosequeretur, nisi postulator prius per legitimas juridice susceptas probationes circa Personam ejus, de cujus miraculis revelationibus aliisque rebus gestis Sanctitatem præseferentibus ageretur, præscriptam in præfato nostro Decreto formam omnino servatam extitisse docuerit, et nisi postea successive idem Ordinarius, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatus, diligenti præhabita disquisitione circa eamdem Personam, supracitato Decreto nullatenus contraventum esse, rite pronunciaverit : utque id inviolabiliter observetur, statuimus insuper ac decrevimus, ne transmissi ad Urbem undecumque hujusmodi Processus a Congregationis Sacrorum Rituum Secretario, minusve Sanctæ Fidei Promotore quomodolibet aperiantur, nisi prius in Sacrorum Rituum Congregatione, alio sejunctim oblato authentico Processu, ex eo Ordinarium, aut ab Apostolica Sede specialiter Delegatum rite, ac recte, ut præmittitur, cognovisse, ac pronunciasse prælibato Decreto nequaquam contrafactum esse plene constiterit, ac deinde a Nobis judicialiter aperiendi eos Processus facultas indulta fuisset. Insuper longissimum tempus, illiusve immemorabilem cursum, de quo in prædicto decreto intelligi declaravimus esse tempus centum annorum metam excedens : deque his, atque infrascriptis omnibus quæ in his Decretis disposita et ordinata sunt, aliqua suboriente difficultate, Ordinariis locorum et Delegatis Apostolicis quibuslibet omnem omnino interpretandi facultatem ademimus, utque Sedem Apostolicam desuper consulerent, ab eaque responsum expectarent, mandavimus eisdem, et alias prout in Decretis desuper editis plenius continetur.

§ 2. Quare inviolabili Decretorum prædictorum observantissimi, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, ea mera deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Decreta prædicta cum omnibus, et singulis in eis contentis, tenore præsentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apost. firmitatis robur adjicimus, omniaque, et singula Decreta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, observari omnino præcipimus sub pœna nullitatis quarumcumque Informationum, Processuum, ac Interpretationis aliter, quam prævia suprascripto præcognitione instructorum, eorumque admissionis, publicationis, aut interpretationis, ita ut earumdem Informationum receptiones, Processuumve instructiones, nec non eorum admissiones, ac publicationes, et interpretationes habeantur pro non receptis, non admissis, non publicatis, interpretatis,

Digitized by Google

eorumque amplius ratio aliqua nullatenus alicubi umquam haberi debeat.

§ 3. Decernentes, præsentes Literas, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu quomodolibet habere prætendentes, ad præmissa vocati, et auditi, minusque causæ propter quas eædem præsentes emanarint, adductæ, verificatæ, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus justificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali, sive etiam ex eo quod in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite a jure vel facto aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis, aut quocumque alio colore etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, et privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret: aut quod de voluntate nostra hujusmodi, et aliis superius expressis, seu relatis, nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se juvare in Judicio, vel extra posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes, et singulos, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

§ 4. Sicque, et non aliter in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Nuncios et alios quavis auctoritate, et potestate fulgentes, in quavis causa, et instantia, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, ubique judicari, et definiri debere: irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 5. Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis, necnon dilectis filiis nostris, et Apostolicæ Sedis Nuncii, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoribus ubilibet existentibus, per Apostolica scripta mandamus, ut statim, atque præsentes Literæ nostræ ad eorum, et cujuslibet eorum notitiam pervenerint, in sua quisque respective Diœcesi, vel Provincia, sedulo pervigilet, ne sine approbationibus prædictis, Imagines cum memoratis signis exponantur, aut Miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliave contra superius disposita fiant: transgressores vero, si Regulares fuerint, privationis suorum Officiorum, ac vocis activæ, et passivæ, necnon suspensionis a Divinis; si vero Clerici Sæculares, privationis pariter suorum officiorum, suspensionis a Divinis, et ab administratione Sacramentorum, exsecutioneque suorum Ordinum respective, aliisque arbitrio prædictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo. Qui autem libros impresserint, aut Imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquo modo affixerint, vel formaverint, cæterique Artifices circa præmissa qualitercumque delinquentes, prædicta omnia amittant, et insuper pecuniariis, aliisque etiam corporalibus pœnis juxta criminis gravitatem, eorumdem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur, Contradictores quoslibet, et rebelles, ac præmissis non parentes, per sententias, Censuras, et pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, omni, et quacumque appellatione, recursu, et reclamatione remotis compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, rec. mem. Bonifacii Papæ VIII, etiam Prædecessoris Nostri de una, et in Concilio generali edita de duabus dietis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

§ 7. Ut autem præsentes, et in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam deducantur, et ne aliquis de eis ignorantiam prætendere possit, volumus pariter, et mandamus, quod eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateranen., et Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ valvas, ac in acie Campi Floræ affigantur, et publicentur, et cum inde amovebuntur earumdem exempla in eisdem locis affixa dimittantur, quæ sic publicatæ, et affixæ post duos menses a die publicationis computandos, omnes et singulos quos concernunt, perinde afficiant, et arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, et notificatæ fuissent.

§ 8. Quodque illarum transumptis impressis sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, et manu alicujus Notarii publici subscriptis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 5 Julii 1634. Pontificatus Nostri anno undecimo.

Anno 1634. *Indictione secunda Pontificatus SS. D. N. D. Urbani divina Providentia Papæ VIII, an.* 11, *die vero* 4 *Septembris supradictæ literæ, sive Decretum affixum,*

Digitized by Google

et publicatum fuit ad valvas Basilicarum Sancti Joannis in Laterano, et Principis Apostolorum Urbis, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Alexandrum Latinum prælibati Sanct. D. N. Papæ Cursorem.
Pro D. Mag. Curs. Dominicus Mag. Curs.

(48. Attendenda sunt insuper Decreta ad id edita de expresso mandato Urbani VIII et alia edita jussu Innocentii XI, quæ ad literam referuntur a Lambert. cit. lib. 2 in Appendice a pag. 578 ad pag. 602, et brevitatis gratia apud ipsum videnda relinquuntur.

(49. Affertur Decretum Sacræ Congregationis Rituum super immemorabili.

« Sacra Rituum Congregatio jussu Sanctissimi D. N. decrevit immemorabilem probatam super Cultu, et Veneratione alicujus Sancti non Canonizati, nec Beatificati, non suffragari ad effectum, quod de illo possit concedi Missa, vel officium, sed in specie, et in illo loco esse probandam immemorabilem quoad Cultum cum Missa et Officio, et ita in posterum servari mandavit, die 20 Novembris 1628. »

(50. Adducitur Decretum ejusdem Sacræ Congregationis servandum in recipiendis informationibus pro causis Beatificationum, et Canonizationum Servorum Dei.

Cum in tota Ecclesiæ gubernatione nihil majus, nihil sit augustius Beatificatione, et Canonizatione Sanctorum, utpote homines jam demortuos, etiam cum fama Sanctitatis, ac Miraculorum, declarare pro Sanctis, eosque uti tales colendos, et venerandos decernere.

Sacra Rituum Congregatio, ut res hæc plane amplissima, atque gravissima rite, sancteque conficiatur, prohibet omnibus, et singulis personis Ecclesiasticis, tam Sæcul. quam Regul. etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Societatis Jesu, vel aliorum quantumvis speciali nota dignorum, ne audeant ipsi per se, aut per alios capere informationes super sanctitate, aut Miraculis alicujus Defuncti, neque ullo modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extrajudiciales testificationes, aut subscriptiones sub pœnis arbitrio Sacra Congregatione infligendis. Quod si Superiori Sacristæ, seu alteri Officiali illius Ecclesiæ, in qua requiescit Corpus ipsiusmet Defuncti, vel alterius etiam Ecclesiæ fuerint revelata aliqua Miracula, seu Prophetiæ dona, possint ea recipere sub sigillo Secreti ab ipsis tantum relatoribus, in quorum gratiam contigisse narrabitur. Teneantur tamen, quam primum commode poterunt, eadem deferre, vel obsignata transmittere Episcopo loci cum expressa declaratione, quod revelationes sic ut supra receptæ non faciant aliquem probationis gradum etiam cujusvis longissimi temporis cursu.

Quod Decretum, cum fuerit ad notitiam Sanctiss. D. N. Urbani Papæ VIII deductum, Sanctitas sua illud approbavit, ac imprimi, et ubique publicari mandavit. Die 12 Martii 1631.

(51. Circa Cultum, et Venerationem Reliquiarum Sanctorum et Beatorum est idem ferme dicendum, ac de Cultu et de Veneratione ipsorum Sanctorum et Beatorum dictum est supra a n. 41.

(52. Per Reliquias autem Sanctorum, et Beatorum intelliguntur quantum ad propositum, eorumdem Corpora, et Corporis partes etiam minimæ, nempe Caput, manus, digiti, dentes, ossa, capilli, cineres, pulveres. Item, eorum vestes, panni, vela, quibus in vita usi sunt, vel quibus eorum Corpora, aut partes eorum post mortem fuerunt involuta, Item instrumenta pœnarum, et mortificationum, quibus in vita utebantur, et hujusmodi. *Communis citat.*

(53. Reliquiæ noviter inventæ, aut productæ ad hoc, ut coli possint cultu publico, debent prius esse legitime recognitæ et approbatæ. *Comm.* per text. in c. *Cum ex eo* 2, de Reliquiis, et veneratione Sanctorum. Et Concil. Trident. sess. 25, de invocatione, veneratione, et Reliquiis Sanctorum; ubi expresse statuitur: « Nulla etiam admittenda miracula nova, nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, et approbante Episcopo. » (54. Ubi ut vides, Reliquiæ tam *Beatorum*, quam *Sanctorum* de novo inventæ, non solum a Papa, sed etiam ab Episcopo recognosci, et approbari possunt. Fagnan. cit. cap. *Cum ex eo* num. 6. Barbos. in Concil. Trid. l. c. n. 9 et 10, et part. 3, de Offic. et potest. Episcop. allegat. 97, n. 10, cum pluribus aliis ibi citatis, Reiffenstuel loc. cit. num. 27, et alii passim. Quamvis enim textus in cit. cap. *Cum ex eo*, dicat: « Nisi prius auctoritate Romani Pontificis sint approbatæ; » tamen id debet intelligi de noviter inventis Reliquiis alicujus nondum *Canonizati* nec *Beatificati*, uti cum aliis solide probat ibid. a numer. 5. Reiffenstuel loc. cit. num. 27 et 28, et alii.

(55. Immo Reliquiæ a Papa jam approbatæ etiam ab Episcopo loci adhuc sunt recognoscendæ, non quidem ut denuo ab ipso approbentur, sed solum ut videat an revera Romæ fuerint approbatæ, et an fraus aliqua subsit, antequam publicæ venerationi exponantur. Sixtus V, *Constitut.* 88, incip. *Dominus*, Sacra Congr. Rit. 19. Octob. 1591.

(56. Et hoc etiam pro Reliquiis exponendis in Ecclesiis Regularium, ut decisum fuisse in una Viterbien. 26 Junii 1627, refert Sellius in Select. Canonic. cap. 3, num. 11. Barbos. in Concil. Trident. sess. 25, n. 11.

(57. Ad hoc autem ut Episcopus rite approbet alicujus jam *Canonizati*, aut *Beatificati* Reliquias noviter inventas Romæ nondum approbatas, necesse est ut, « adhibitis in consilium Theologis, et aliis piis viris, ea faciat quæ veritati, et pietati consentanea judicaverit, » ut expresse statuit Conc. Trid. l. c., et recte observant Barbosa ib. n. 13, et cit. alleg. 97, n. 17, cum pluribus ibi citatis Sanchez in decalog., tom. 1, lib. 2, c. 43, n. 15. Azorius, part. 1, lib. 9, c. 8, q. 8. Reiffenstuel., l. c., n. 27, et alii passim. (58. Et si aliquod circa id emerserit grave dubium, nihil inconsulto Summo Pontifice novum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum

Digitized by Google

est decernendum, textu expresso in Conc. Trid., loc. cit., in fine.

(59. Episcopus approbare non potest in ordine ad Cultum publicum Reliquias alicujus cum fama Sanctitatis defuncti, et nondum *Canonizati*, nec *Beatificati* : Hoc enim spectat ad Romanum Pontificem. *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Cum ex eo* 2, de Reliquiis, et Veneratione Sanctorum, ibi : « Inventas de novo Reliquias nemo publice venerari præsumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis sint approbatæ. » Nec obstat textus Concilii Tridentini allat. supra numer. 53, quia debet intelligi de solis noviter inventis Reliquiis jam *Canonizatorum*, vel *Beatificatorum*, et allatus textus citat. cap. *Cum ex eo* intelligendus est de noviter inventis, seu productis Reliquiis alicujus cum fama Sanctitatis defuncti, et nondum *Canonizati* nec *Beatificati*, uti cum aliis recte docet Fagnan. in cit c. *Cum ex eo* a num. 5. Barbosa citat. allegat. 97, n. 21, cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel., loc. cit., n. 18 et alii.

(60. Cultu privato possunt coli Reliquiæ quæcumque, tam antiquæ, quam novæ, non solum *Canonizatorum*, et *Beatificatorum*, sed etiam cum fama Sanctitatis defunctorum, quamvis a nemine recognitæ, et approbatæ fuerint. *Communis*, arg. tit. cap. *Cum ex eo*, ubi solum prohibetur publicus cultus, et Veneratio, adeoque a sensu contrario concessus intelligitur Cultus privatus, et Veneratio Servorum Dei nondum *Canonizatorum* nec *Beatificatorum*.

(61. Reliquiæ antiquæ habendæ sunt in ea veneratione, in qua hactenus fuerunt. Sac. Congregat. Conc. apud Bonacinam in primum decalogi præceptum, disp. 3, q. 1, punct. 4, n. 4, vers. *Dixi*, Barbosam cit. allegat. 97, num. 11, et in Summa Apostolic. dec. verb. *Reliquiæ Sanctorum*, num. 3.

(62. Quoad Reliquias est attendendum novissimum Edictum emanatum pro veneratione Reliquiarum, etc. Vide verb. *Agnus Dei*, ubi affertur ad literam.

(63. Reliquiæ non sunt incensandæ, nisi cum incensantur Oblata. Sac. Congregat. Rit. in Lucana, 10 April. 1602, apud Barbos. in Summa, loc. cit., num. 10, et Sell. in Select. Canonic., cap. 58, num. 3 (1).

(64. Corpora Sanctorum, et insignes eorum Reliquiæ non possunt transferri de Civitate ad Civitatem, nec de Ecclesia ad Ecclesiam, inconsulta Sede Apostolica, Lambertin., loc. cit., lib. 4, part. 2, cap. 21, a num. 10 ad 19, ubi sub num. 13, dicit, sic respondisse Sacr. Congreg. Conc., tom. 6, memorabilium pag. 733, in Archiv. ibi enim sic legitur : « An qui transtulerunt Corpus Sanctæ Christinæ Virginis, et Martyris, inciderint in pœnam Excommunicationis? Sanctissimus Dominus Noster respondit, transferentes non esse excommunicatos; sed tamen obtinuit hodie ex Stylo talem translationem non esse faciendam, inconsulta Sede Apostolica. Et infra a n. 14, refert exempla variarum similium Translationum factarum ex concessione Sedis Apostolicæ, et signanter Translationis Officium, et Reliquiarum Sancti Thomæ Aquinatis, Translationis Capitis Beatæ Nymphæ Virginis et Martyris, et Translationis Capitis S. Guillelmi Ducis Aquitaniæ, Translationis Brachii S. Contradi Placentini, translationis Brachii Sancti Bernardi (2).

(65. Item transferri non possunt de loco ad locum Corpora, neque Reliquiæ Beatorum nondum Canonizatorum, nec fieri potest mutatio Capsæ in qua eorum Ossa recondita sunt, nisi accedente Summi Pontificis, aut Sac. Congregationis Rituum auctoritate ; d. Lambert., loc. cit., cap. 21, a num. 6 ad 9, ubi refert varia exempla similium Translationum factarum ex concessione Sedis Apostolicæ, et signanter Translationis Beati, nunc Sancti Laurentii Justiniani, Translationis Beati, nunc Sancti Joannis a Cruce, Translationis Beati Ferdinandi III, Regis Castellæ et Legionis.

(66. Item sine licentia Papæ, aut Sacræ Congregationis Rituum transferri non possunt de loco ad locum Corpora Servorum Dei nondum Beatificatorum, nec Canonizatorum, in quorum Beatificationis, et Canonizationis Causa Sedes Apostolica jam manum apposuit. Idem Lambertinus, loc. cit., cap. 21, a num. 1 ad 5, ubi refert varia exempla similium Translationum factarum ex concessione Sedis Apostolicæ, et signanter Translationis Corporis Venerabilis Servæ Dei, nunc Beatæ Hyacintæ de Marescotti, Translationis Servi Dei, nunc Sancti Joannis Regis; Translationis Servi Dei, nunc Sancti Camilli de Lellis; Translationis Servi Dei Caroli a Setia.

(67. Translatio autem Corporum Servorum Dei nondum Canonizatorum, nec Beatificatorum, in quorum Causis non fuit adhuc signata *Commissio*, seu Sedes Apostolica nondum manum apposuit, potest fieri de licentia Episcopi, seu Ordinarii. Idem Lambertin., loc. cit., num. 4 et alii passim.

(68. Reliquiæ Sanctorum vendi non possunt. *Communis*, per text. in cit. cap. *Cum ex eo* 2, de Reliquiis, et veneratione Sanctorum, et l. *Nemo* 3, Cod. Sacrosanctis Eccles. Res enim Sacræ, quales sunt Reliquiæ, non sunt in dominio alicujus, nec pretii æstimationem recipiunt, l. *Sacra* 9, in fine, ff. de rerum divisione. Et quod Reliquiæ nullius sint in bonis, expresse decrevit Sac. Congreg. Rit. in Senogallien. Montis Bodii, 23 Jun. 1610, apud Barbos. in Summa. loc. cit., num. 5, et Sellium, loc. cit., cap. 58, num. 4, adeoque vendi non possunt; Tum quia Spiritualia, et spiritualibus annexa vendi non possunt sine labe Simoniæ, cap. *Querelam* 15, de

(1) Antiquitatem hujus moris, quo Sanctorum Reliquiis thus adoletur, pluribus ostendit, atque a Protestantium cavillis vindicat Trombellius Diss. 8. de cultu Sacris Reliquiis adhibito cap. 33 et 34. (*Edit. Barbiell.*)

(2) De Translationibus Sacrorum Corporum antiquitate, etiam apud Occidentales nemo copiosius Trombellio egit Diss. 7, cap. 8, ad 33. quem vide. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

Simonia, cap. *de Jure* 16, de Jurepatronat. Glossa communiter recepta in cap. *Cum ex eo*, verb. *Venales*, adeoque, etc.

(69. Furtiva subtractio SS. Corporum vel Reliquiarum etiam devotionis causa facta, est peccatum Sacrilegii, nisi essent in locis Infidelium condita. Reliquiæ enim sunt res Sacræ. Sic Turrecremata in c. *Corpora Sanctorum* 37, de consecrat., dist. 1, in respons. ad 3. Pirhing., lib. 3, Decretal., tit. 45, n. 12 in fine, Reiffenstuel., loc. cit., n. 33. Ferrand., Disquisit. Reliq., lib. 1, cap. 8, art. 2. Lambert., loc. cit., l. 4, part. 2, cap, 25, num. 21, per text. in cap. *Quisquis* 17, q. 4 (1).

(70. Reliquiæ in Altari pro ejus consecratione locandæ debent esse Sanctorum ab Ecclesia approbatorum. Sac. Congr. Episc. et Regul., 13 Septembr. 1593, apud Gavant. in Manual. Episc., verb. *Altare*, num. 12. Barbos. in Summa, loc. cit., num. 4.

(71. Corpora Sanctorum nondum Canonizatorum non possunt poni sub Altari. S. C. Episc. et Regul., 10 Jun. 1586, apud Gavant., loc. cit., verb. *Reliquiæ Sanctorum*, num. 12.

(72. Quando exponuntur Reliquiæ, ultra lampadem, debent continuo ardere in Altari duo lumina, alias non exponantur. S. Rit. Cong., 22 Jan. 1701.

(73. Reliquia Sancti, ad hoc ut de eo possit celebrari Officium, debet esse insignis, scilicet Caput, Brachium, Crus, vel ea pars Corporis, in qua passus est Martyr; dummodo sit integra, et non parva, et sit ex Sanctis approbatis, et positis in Martyrologio, et tunc celebratur Officium sub ritu duplicis Minoris, et recitatur Symbolum in Missa. Sac. Rit. Congr., 8 Apr. 1628.

(74. Officium de Reliquia insigni celebrandum est solum in Ecclesia, ubi est Reliquia; Et si talis Ecclesia sit Cathedralis, non propterea aliæ Ecclesiæ debent se in hoc conformare cum illa. Sac. Rit. Cong. in Calacuritana, 1 Septembr. 1611, et in Conchen., 12 Martii 1619.

(75. Si vero Reliquia non sit insignis, non licet, nec est alterandum Officium, sed recitandum, prout in Breviario Romano. S. Rit. Cong. in Viterbien., 1 Sept. 1612.

(76. De Sancto, cujus habetur Corpus vel insignis Reliquia non potest fieri Officium, nisi constet de identitate, et nisi reperiatur in Martyrologio Romano; Reliquiæ vero a locorum Ordinariis approbatæ possunt exponi ad Fidelium venerationem. Sac. Rit. Cong., 19 Octob. 1691.

(77. Festum, quod in aliqua Ecclesia celebratur ratione Corporis, vel insignis Reliquiæ, non habet Octavam, nisi specialiter concedatur a Sede Apostolica. Sacr. Rit. Congr., 12 Aug. 1613.

(78. Qui recitat Officium de Sancto, de quo habet insignem Reliquiam in propria Ecclesia, si celebret eo die in alia Ecclesia, debet omittere *Credo*. Sac. Rit. Congregat., 2 Decemb. 1684.

(79. In illis Ecclesiis in quibus Officium et Missa de Beatis recitari, et respective celebrari possunt, licet eorum Reliquias exponere, Imagines, vel Simulacra supra Altari collocare, ac Votivas Tabellas ibidem appendere. S. Rit. Cong., 17 Apr. 1660.

(80. In Missis de Beatis non debet dici *Credo*, nisi adsit Reliquia. Sacra Rit. Congregat., 22 Jul. 1664.

(81. Reliquiam deferre in Processionibus pertinet ad Priorem Conventus, unde Reliquia sumitur, sed Regulares non parati debent in processione cedere digniorem locum Clero Sæculari. Sac. Rit. Congregat. in Senogall. Montis Bodii, 25 Sept. 1605, et 19 Apr. 1608, et 23 Januar. 1610.

(82. Reliquiæ non in Monasteriis Monialium, sed in exterioribus Ecclesiis asservari debent. Sacr. Congr. Episc. et Regul. in Faventina, 7 Mart. 1617.

(83. Reliquiarum Sanctorum Patronorum Civitatis Clavis una concedi potest Magistratui Sæculari ejusdem Civitatis. Sac. Congr. Rit., 8 Maji 1604, apud Barbos. in Summa, loc. cit., n. 9. Et S. Congr. Episcop. in Civitatis Castellanæ, 6 Apr. 1696, apud Monacell., tom. 1, tit. 5, form. 2, n. 39, ubi etiam de aliis Laicis.

(84. Reliquia modica jam facta alienabilis alicui Ecclesiæ, vel Oratorio donari potest. Sac. Rit. Congr. in Asten., 8 Jul. 1602. Alias enim non posset alienari sine beneplacito Sedis Apostolicæ. Barbosa, loc. cit., n. 6 et 7, cum Marco Antonio Genuensi, Maranta, et Ricciul. ibi citatis.

(85. Reliquias falsas exponere ad venerationem est peccatum Superstitionis. La Croix cum Busembaum l. 3, part. 1, num. 8, vers. *Superstitionem*, et alii passim.

(86 Reliquiæ et Ossa Sanctorum radi non possunt, ut rasura detur cum potu infirmis Sacr. Congregat. Episcop. et Regular. 17 Decembr. 1691; apud Gavant. loc. cit. num. 33. Immo Reliquiæ Sanctorum (præsertim insignes) neque portari possunt ad Ægrotos, Conc. Provinc. Mediol. V, apud Gavant. l. c. num. 33.

(87. In Altari, in quo est expositum SS. Sacramentum, non possunt exponi Reliquiæ Sanctorum. Sic in Instructione edita de mandato Clementis XI, die 20. jan. 1705, § 2, ibi: *Sopra l' Altare non vi si ponghino Reliquie de' Sancti, o statue de' medesimi.* Vide verb. *Eucharistia* sub num. 64.

(88. In Tabernaculo, ubi asservatur SS. Sacramentum, non sunt retinendæ Reliquiæ, nec Vasa Sacrorum Oleorum, nec aliud: Sacr. Cong. Rit. 22 Febr. 1593.

(89. Ad evitandas dissensiones, et contenta-

(1) Maximam a Fidelibus adhibitam primis Ecclesiæ sæculis fuisse curam in acquirendis Sanctor. reliquiis SS. Augustini, Gregorii Turonensis, Theodoreti, aliorumque veterum testimoniis effecit idem Trombellius cit. diss. 7, cap. 7. Fatendum tamen et laudabilem hanc curam sequiore ævo eo processisse, ut Sanctorum Corpora certatim fartis ac rapinis sublata alio deducerentur: quod quidem aliud invexit incommodum, nempe magnam reliquiarum aut dubiarum, aut etiam falsarum copiam. Vide Muratorii Antiquitates medii ævi, dis. 53. (*Edit. Barbiell.*)

Digitized by Google

tiones inter aliqua totius Ordinis Fratrum Minorum membra circa solemnitates, picturas, et inscriptiones Religiosorum noviter Beatificatorum, et Canonizatorum, in Capitulo Generali Victoriæ celebrato die 23 Maji 1694, sub titulo *Pro utraque Familia* a num. 41 ad 46, provide fuit statutum ut infra.

(90. « Non sine justo animi angore perpendit Diffinitorium Generale, quanta in pluribus Provinciis evenerint scandala post novam aliquam Canonizationem Servi Dei, qua Altissimus Ordinem nostrum dignatus est decorare, cujus occasione elapsis annis, vel ratione solemnizandi Canonizationis festum, vel vitam Sancti imprimendi, vel ejus imaginem, sive sculptam, sive pictam cum aliqua intitulatione, inscriptione, narrativa, aut rhetorica compositione vulgandi, vel de eo prædicandi, vel Canonizationis Processionem faciendi, vel aliud quidpiam in ea solemnitate peragendi, lites, et dissensiones inter aliqua totius Corporis Observantiæ membra in variis Provinciis exortæ, Fratrum turbationes, publica jurgia, mendacia utrinque forte vulgata, libri et scripturæ a temerariis Auctoribus, tam proprio quam alieno nomine, absque legitima licentia impressi, plus damni quam ædificationis apud Christi fideles conciliavere.

(91. « Volens itaque Diffinitorium Generale talibus in posterum dissonantiis, secundum Deum providere, consulto et mature decernit, quod si servus Dei, de qua agatur causa Beatificationis, vel Canonizationis apud S. Sedem, aut qui a Summo Pontifice fuerit Beatificatus, vel Canonizatus, sit ex observantia, et mortuus sit filius alicujus Provinciæ, vel Custodiæ Observantis tam in actis causæ, quam in picturis, sculpturis, laminis, libris, scripturis, elogiis, et foliis, ac locis quibuscumque, exprimatur quod est Ordinis Minor. de Observantia; si vero fuerit ex Reformatis Ultramontanæ Familiæ explicetur, quod est strictioris Observantiæ, vel Minorum Observantium Reformatorum. Sin autem fuerit ex Discalceatis, vel Recollectis Provinciis hujus Cismontanæ Familiæ, dicatur Ordinis Minorum Observantium Discalceatorum, vel Recollectorum, quod etiam addatur, si dicatur strictioris Observantiæ, ita ut nunquam particularis status, in quo mortuus est Sanctus, sive sit Observantiæ, sive Reformatorum, sive Discalceatorum, sive Recollectorum taceatur, aut status cum statu confundatur.

(92. « Solemnitas festi Beatificationis, ac Canonizationis Servi Dei ad totum corpus Observantiæ pertinentis, et processio in ea fieri consueta, prius fiat a Conventu illius membri, cujus servus Dei, dum viveret, portio fuerat, videlicet Reformatorum, si mortuus est Reformatus; Observantium, si Observans; Discalceatorum, aut Recollectorum, si Discalceatus, vel Recollectus, in Cœlum migraverit. Et si plures fuerint ejusdem membri Conventus, prius fiat a principaliori, deinde liberum sit cæteris etiam alterius membri, etiam eodem tempore cum aliis Conventibus (non tamen cum principaliori prædicto membro, ad quod Sanctus immediate pertinet) eam celebrare solemnitatem.

(93. « Ad Processionem autem quæ a principaliori prædicto Conventu fiet, aliorum Conventuum Communitates concurrere teneantur, et sub privatione officii, vocisque activæ et passivæ per triennium, Prælati cum suis familiis omnium conveniant.

(94. « Si vero in loco non exstiterit Conventus immediatioris Instituti illius novi Sancti, solemnitas, et Processio, cui omnes alii in loco, vel Civitate coexistentes Conventus interesse, sub iisdem pœnis teneantur, fiat primo in Conventu Ordinis antiquioris, ex quocumque membro Observantiæ fit, dummodo in omnibus imaginibus, libris, et foliis exprimatur cujus membri de corpore, Observantiæ Sanctus ille, vel Beatus in sua pretiosa morte filius fuerit. »

(95. Quæ omnia pro illorum majori firmitate, et perpetua observantia, ut refert Ursaya tom. 1, part. 2, discept. 20, n. 79, fuerunt specifice confirmata a Sac. Rit. Congregatione sequenti. Decreto : « Sacra Rituum Congregatio suprascriptum statutum benigne confirmavit, et contra ejusdem transgressores sub pœna privationis vocis activæ et passivæ procedi posse decrevit. »

Die 9. Decemb. 1713.

G. Card. Carpineus Præfectus.

N. M. Tedeschi Episcopus Liparitanus S. Rit. Congr. Pro-secr.

(96. Alia ad rem. Vide verb. *Imago*, verb. *Miraculum*, verb. *Sanctitas*, *Sancti*, et in tom. 9, inter Decreta Sac. Congregat. decretum sub num. 598. (97. ubi decernitur, quod Reliquiæ Sanctorum, quæ deferuntur in Processionibus per Civitates et oppida, non debent deferri sub Baldachino.

(98. Addendum est sequens Decretum quoad cultum Coronæ ferreæ, quæ in Collegiata Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ Modœtiæ Mediolanen. Diœc. asservatur.

« Cum Modœtiæ in Ecclesia Collegiata Sancti Joannis Baptistæ ab antiquissimo tempore inter cæteras Sanctorum Reliquias Corona ferrea, uno ex Clavis Domini Nostri Jesu Christi, ut pie creditur in laminam, sive circulum compacto exornata asservaretur : Cumque Anno 1687. D. Tancredinus Visitator cultum eidem Coronæ antea præstitum, quousque a clar. mem. D. Card. Vicecomite tunc Mediolanen. Archiepiscopo, aliter decerneretur, Decreto suspenderit; idem vero Cardinalis Archiepiscopus rei gravitate perpensa anno 1688, recursum ad Apostolicam Sedem habendum esse, ab eaque decisionem expostulandam edixerit; Modœtienses vero actis nonnullis in Curia Archiepiscopali tunc peractis usque modo siluerint, ac solummodo tribus abhinc annis Sacr. Rituum Congregationi pro prædicta Decisione supplicaverint : Hinc audito prius R. P. D. Calco Episcopo Lucano, tunc Vicario Capitulari Mediolanen. deinde vero Eminentissimo, et Reverendissimo D. Cardinali

Digitized by Google

Odescalco moderno Archiepiscopo Mediolani, ac postremo, tam in voce quam in scriptis R. P. D. Prospero de Lambertinis Fidei Promotore, Eminentissimus, et Reverendissimus D. Cardinalis Ptolomæus infrascripta dubia declaranda proposuit, videlicet.

« Primum. An Capitulo Collegiatæ S. Joannis Baptistæ Modœtiæ liceat Coronam ferream, de qua agitur, retinere intus Crucem, in qua fuit reposita insimul cum aliis reliquiis, et publicæ Venerationi exponere? et quatenus negativè.

« Secundum. An saltem eidem Capitulo liceat dictam Coronam Ferream exponere in altari Majori, et processionaliter deferre, prout olim practicabatur, in casu, etc.

« Et sacra eadem Congregatio, re mature discussa, visisque eorum juribus, respondendum censuit :

« Ad primum *affirmative.*

« Ad secundum provisum in primo, et ita declaravit Dei septimo Aug. 1717.

« Et facta deinde per me Secretarium de prædictis Sanctissimo D. N. relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die 10 ejusdem mensis, et anni 1717 (1). »

(99. Nomina Sanctorum sepulchris impressa propria censeri debent. Benedict XIV, in Appendice Const. incip. *Sorer Imalda*, § 7. (100. Nomina quædam appellativa, *Justi*, videlicet *Candidi*, *Victoris*, et similium, Sanctis sine proprio nomine repertis, ignotis, sive baptizatis, quorum corpora a Catacumbis, seu Cœmeteriis extrahuntur, recte imponuntur. Idem ibid, § 3.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(101. Pauca supra adnotavimus, quæ ut et ab Auctoris textu, et ab antiquioribus aliorum additamentis secernerentur, quatuor inclusa asteriscis lector videbit. Alia tamen majoris momenti huc reservavimus.

(102. Solus igitur Deus adorandus; nihil tamen impedit quominus et sanctis pro eorum meritis, et dignitate cultum a latria diversum præstemus. Smyrnenses Judæorum impulsu Proconsulem Romanum rogarunt, ne S. Polycarpi cadaver Christianis traderet; hi enim magistro suo crucifixo relicto hunc deinceps colere cœpissent. « Stulti (ad hæc inquiebat Smyrnensis Ecclesia apud Eusebium, lib. 4, cap. 15), qui ignorarent, nos nec Christum umquam posse relinquere... nec alium quemquam colere. Illum enim utpote Filium Dei adoramus, martyres vero tamquam discipulos, et imitatores Domini merito amore prosequimur. » In eamdem sententiam Diaconus, qui cum S. Fructuoso Episcopo martyrium perferebat, instanti Judici : « Numquid et tu Fructuosum colis? » respondisse perhibetur a S. Augustino, serm. 273 : « Ego non colo Fructuosum, sed Deum colo, quem colit et Fructuosus. Quo modo nos admonuit, ut Martyres honoremus, et cum Martyribus Deum colamus. » Nempe ut aiebat S. Theodorus Studita Antirch. 1, apud Sirmondum To. I, Paris. Edit., pag. 82 : « Latriæ adoratio una est, eaque in Deo solo; in aliis autem aliæ. Nam et reges, et principes a nobis adorantur, sed non ut Dii, et quamvis unius sit formæ adoratio, at non unius formæ intelligentia. Homines enim sunt, honorisque dumtaxat cultus illis impenditus, aut propter legem, aut propter metum, aut propter affectum. Quare qui adorationis discrimen nosti, qua per effigies prototypa honorantur, tribue hanc quidem ut propriam, proprie, et privatim soli Deitati : reliquas vero secundum analogiam eorum, quorum sunt exempla, Deiparæ ut Deiparæ, Sanctorum ut Sanctorum. » Alia de Sanctorum cultu dabit Trombellius cum in opere elaboratissimo *de cultu Sanctorum*, tum in ejus vindicationibus, quas Kieslingio opposuit.

(103. Neque vero inanis est hujusmodi cultus, sed magnæ nobis utilitatis. Nam ut in actis sinceris Sancti Saturnini habemus a Ruinartio editis, « Vigiliis, Hymnis, ac Sacramentis etiam solemnibus (Sanctos) honoramus, ut eorum patrocinia, atque suffragia in conspectu Domini orando quæramus, honorando mereamur. » Hinc S. Theodotus Martyr apud Bollandum ad diem 18 Maji p. 163. flentes Christianos, qui eum ad supplicii locum sequebantur, solabatur, ad glorificandum Christum Jesum, qui ipsi victoriam dedisset, hortatus : « Deinceps enim (inquiens,) in cœlis cum fiducia pro vobis Deum deprecabor. » Neque hanc in rem omittenda, quibus celeberrimorum Scillitanorum Martyrum acta concluduntur, verba : « Consummati sunt Christi Martyres mense Julio, et intercedunt pro nobis ad Dominum nostrum Jesum Christum. »

(104. Etsi tamen Sancti nonnumquam ex suo ipsorum in nos amore, quin invocentur, nobis adjutores sunt, invocari tamen a nobis debent. Nam ut Augustinus ait in Ps. 86, num 24, « Omnes Martyres, qui cum illo sunt, interpellant pro nobis. Non transeunt interpellationes ipsorum, nisi cum transierit gemitus noster. » Atque hujus quidem invocationis innumera suppetunt in veterum libris, et monumentis exempla, ac testimonia. « Non erubescamus, aiebat Ambrosius lib. de viduis, eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere; quia ipsi infirmitates nostras etiam cum vicerint cognoverunt. » Huc spectat Sabbatii titulus apud Fabretti *Inscription. p.* 738, legimus :

Sabbati Dulcis
Anima Pete et Roga Pro Fratres et
Sodales Tuos.

(1) Hoc S. C. decretum Modœtia cum Card. Jo. Baptistæ Ptolemæi curis, tum vero maxime debet, Justi Fontaninii dissertationi *de Corona Ferrea Longobardorum* ipso illo anno 1717, Romæ excussa, et S. C. Patribus decretum edituris opportune oblata. Ea vero dissertatio eodem anno Lipsiæ prodiit apud Giorgium Mauricium Weidmanum. (*Edit Barbiell.*)

Digitized by Google

Damasus quoque Pontifex hæc S. Agnetis titulo inscripsit : *Ut Damasi Precib. Faveas Precor Inclyta Martyr.* Alia ex antiquis Sacramentariis proferri possent. Vide illa apud Franc. Antonium Zaccariam in dissert. de Liturgiar. in rebus Theologicis usu tom. 1, sui Thesauri Theologici p. 452. Neque vero (quod Protestantes objiciunt) divinæ gloriæ derogatur, si ad Deum ipsum per Sanctos preces deferamus; aut ratio non suppetit, licet nobis occulta, qua ad Sanctos nostra perferantur vota; « Siquidem, (ut cum S. Gregorio Nazianzeno loquar,) illud persuasus sum, Sanctorum animas res nostras sentire. » sive per Angelos eis orationes nostras deferantur, ut S. Julianus Archiepiscopus censuit Prognost. lib. 2, sive revelatione vel a Deo, vel a Christo servatore ipsis facta sive aliis modis, de quibus Trombellius dissert. 3, cap. 38.

(105. A primis Ecclesiæ temporibus cultus Confessoribus et Martyribus impensus fuit. Sed Confessorum nomine prisca illa ætas eos tantum designabat qui fidem Christi coram tyranno confessi, et tormentis pro illa fortiter superatis in pace naturalem mortem obibant. Hanc nominis hujus significationem Sanctus Paulinus Nolanus spectavit poemate XIV. de Sancto Felice canens :

Cœlestem nactus sine sanguine Martyr honorem,
Nam Confessor obit pœnis non sponte lucratus.

Martyres et hi reapse habebantur. « Neque enim,» inquit Cyprianus, Baluz. edit. ep. 37, « virtus eorum minor est, quominus ipsi quoque inter beatos martyres aggregentur. Quod in illis est, toleraverunt, quidquid tolerari parati, et prompti fuerunt. » Confessores tamen eos maluerunt vocare quam Martyres; Martyrum autem nomen iis solummodo datum, qui vel indicta jam mortis sententia exsecutionem præstolabantur, unde et Martyres *designati* dicebantur; vel cruentum vitæ suæ sacrificium Deo in tormentis offerebant, dicti propterea Martyres *consummati*. Quamquam et illis *consummata Martyris gloria* tribuebatur, quibus, ut ait ibid. Cyprianus, « cum voluntati, et confessioni nominis in carcere, et in vinculis accederet et moriendi terminus. »

(106. Nullis tamen publicus in Ecclesiis quas sanguine, aut certe confessione decoraverant, cultus decernebatur, nisi antea Episcopi ex certis indiciis merita uniuscujusque dijudicassent vitamque Martyris, et Passionis acta diligenter exscripta, cum primis autem causam martyrii penitus internovissent. Vide Benein. diss. 2, de Literis Encyclicis c. 3, § 1, cap. 3, num. 6, seq. In Africana tamen Ecclesia interpositio judicii ad cultum decernendum non ad Episcopum quemlibet, ut in aliis Ecclesiis, sed ad unum Primatem pertinebat. Porro examine peracto Episcopi in suis quisque Ecclesiis Martyribus sic probatis cultum statuebant impendendum; tuncque Martyres hi solemni vocabulo *vindicati* appellabantur.

(107. Post persecutionum sæcula, ac Martyrum Epochas publicus aliorum etiam Sanctorum cultus in Ecclesia celebrior evasit. Quo tamen præcise tempore coli cœperint, incertum Bellarmino visum fuit de Missa lib. 2, cap. 2, num. 5. Sed Innocentius III, lib. 3, de Myst. Miss. cap. 10, aliique initium eorum cultus ad Sæculum IV, referunt. Hoc certe sæculo, ut S. Cæsarium de quo ejus frater S. Gregorius Nazianzenus in oratione funebri, S. Philastrium apud Surium 18 Julii, et S. Meletium homilia a S. Jo. Chrysostomo celebratum omittam; (hæc enim exempla tantum ex particularium quarumdam Ecclesiarum in illos pietate profecta sunt) primus, cui inter alios a Martyribus Sanctos publicus in Ecclesia constitutus passim in Occidente fuerit cultus, S. Martinus Turonensis perhibetur; de eo enim vetera Calendaria, et Missales libri agunt; Hilarius deinde Pictaviensis, quem Missale Francorum celebrat. Confer Benedictum XIV. lib. 1, cap. 5. Transiit ad hos *Confessoris* nomen latiore quodam sensu, quam quo olim Martyres a morte in pace sublatos videmus nuncupatos fuisse. Hi enim, ut cum S. Gregorio Magno lib. 3, Dialog. cap. 26, scripsit S. Isidorus Hispalensis, Etymolog. lib. 7, cap. 2 : « hostis insidias tolerantes, et cunctis carnalibus desideriis renitentes, per hoc, quod se omnipotenti Deo in corde mactaverunt, etiam pacis tempore Martyres facti sunt, qui etiam, si persecutionis tempore exsisterent, Martyres esse potuerunt. » Sed Confessoris nomen illis paulo serius tributum fuit, nec fortasse, si Mazzochium audimus in Kalend. Neapolit. tom. 2, p. 767, nisi Sæculo VIII, quo Allatii Kalendarium, et Bedæ Martyrologium S. Leonem M. 11 Aprilis die Confessorem vocarunt.

(108. Quod in Martyribus, idem in Confessoribus actitatum ut nulli ante Ecclesiæ judicium cultus tribueretur. Constat id ex Agrippinensi Concilio apud Ivonem Decr. p. 3, c. 54, ex Capitulari Caroli M. aliisque monumentis. Quare Episcopi aliquando cultum erga nonnullos errore populi inductum sustulerunt, ut S. Martinus Turonensis Sulpicio Severo teste in ejus Vita cap. 11, S. Anselmus epist. lib. 3, ep. 51, aliique a Lupo laudati in not ad IV. Conc. Rhem. S. Leon. IX.

(109. Cultum hunc publicum jure suo Episcopi Martyribus vindicatis, et Confessoribus approbatis in suis diœcesibus decernebant, initio quidem memoriis ac aris erectis; deinde vero corporis elevatione, quam tamen gradatim plerumque factam fuisse discimus ex Gregorio Turonensi de glor. Confess. c. 52. Hic tamen cultus, ut docet Benedictus XIV. de Beat. et Canon. lib. 1, cap. 6, n. 9, melius dicitur Beatificatio, quam particularis Canonizatio, ut quæ intra unius diœcesis fines contineretur accedente porro aliorum Episcoporum approbatione, summique Pontificis expresso, vel tacito consensu idem hic cultus Canonizationis rationem obtinebat. Bellarminus de SS. Beatit. l. 1, c. 8. Nempe a primis Ecclesiæ sæculis ad extremos Alexandri III annos in cultu

Digitized by Google

Martyribus, et Confessoribus Ecclesiæ proponendo Romani Pontificis auctoritatem exempla docent ab eodem Benedicto XIV. congesta lib. 1, cap. 7 et 8, Vide etiam dicta supra ab Auctore num. 16, seq.

(110. Dixi *ad extremos Alexandri III annos*. Nam ad hosce annos rejiciendam, non autem ad primos, et consequentes, quibus Alexander III. magnis persecutionum, et schismatis fluctibus exagitatus alia cogitare debuit, hujus Pontificis annos Decretalem epistolam cap. *Audivimus* redditam spectare multa suadent, quæ ab eruditissimo viro Emmanuele de Azevedo nuper proposita accepimus Exercitationum selectorum P. II, Exercit. 38, n. 22, seqq. Porro licet Alexander ea Decretali jus beatificandi, et canonizandi Romano Pontifici vel primus reservarit, vel antiquiore ævo jam reservatum confirmarit (qua de re Auctor *num.* 18.) hocce tamen Decretum non usque adeo religiose ab Episcopis servatum fuit. Innovavit illud quadraginta post annos Innocent III, tit. de Reliq. et Venerat. Sanctor. « Et neque tunc, inquit Papebrochius in Propyleo Maii diss. 20, putaverunt Episcopi sublatam sibi facultatem circa inferioris ordinis cultum, quem Beatorum dicimus, modo ab Officio, et Missa abstineretur. » Sed tandem litem omnem Urbanus VIII a 1625, et 1634 diremit Decretis supra ab auctore recitatis.

(111. Pauca nunc de Reliquiis addemus. Harum vero nomine intelligimus 1. omnia quæ de Sanctis in his terris supersunt, corpora, membra, cineres. 2. Quidquid ad eos vel vivos, vel mortuos pertinet. 3. Olea aut ab illorum corporibus promanantia, cujusmodi oleum fuit adhuc sæculo sexto Heraclea profluens e corpore S. Glycariæ Martyris apud Bolland. ad d. 13. Maji p. 193, et etiamnum vel medios inter Protestantes Eystadii ex corpor. S. Walburgæ copiose dimanans, aut ex lampadibus ad Sanctorum Reliquias ardentibus excepta, qualia fuisse olea, quæ ex omnibus fere Sanctorum Romæ tunc insigniorum Reliquiis S. Gregorius M. ad Theodelindam misit, Mabillonius conjecit de cultu Sanctor, ignotor, num. 19, 4, brandea, seu pannos, qui Sacra Lipsana contigerunt: vide eumdem S. Gregorium M. lib. 4, ep. 30, 5. « pulverem » ut cum Gregorio Nysseno loquar homil. de S. Theodoro, « Quo conditorium, ubi corpus martyris (sive alterius cujusque Sancti) quiescit oblitum est. »

(112. Semper in Ecclesia cultus reliquiis hisce Sanctorum impensus est. Missis, quos indicavimus, Auctoribus, unus sufficiat Jo. Chrysostomus, qui homil. in S. Juvent. de Sanctis ita loquitur: « Idcirco sæpe eos invisamus, capsulam attingamus, magnaque fide reliquias eorum complectamur, ut inde aliquam benedictionem assequamur. Etenim sicut milites vulnera, quæ in prælis sibi inflicta sunt monstrantes, fidenter loquuntur: ita et illi manibus absecta capita gestantes, et in medium afferentes, quæcumque voluerint, apud Regem cœlorum impetrare possunt. Ne vero Protestantes cum Vigilantio eorum duce, Deo propterea a nobis injuriam irrogari cavillentur, audiant egregium nostri dogmatis interpretem, et vindicem S. Hieronymum ep. 27, ad Riparium Hispanum. « Honoramus autem reliquias Martyrum, ut eum cujus sunt Martyres, adoremus: honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum. »

(113. Quantum vero Ecclesiæ studium semper fuerit, ne falsæ Reliquiæ publico fidelium cultui proponerentur, multis exsequitur post Ferrandum in disquisit. Reliq. Trombellius Diss. 8. cap. 15. seqq. de Martyribus, quorum corpora e Romanis præsertim cœmeteriis eruuntur, aliqua fortassis suboriri dubitatio posset. Equidem, ut in hymno X de S. Hippolyto Prudentius cecinit:

Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur.
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.

Prodeunt tamen persæpe corpora nullis inscripta nominibus, ignotique Sancti. De his egerat Mabillonius in epistola de cultu Sanctorum ignotorum: verum, non omnibus se probavit. Equidem cautione, et circumspectione maxima in his utendum, ut Gerbertus monuit, comprobavitque in princip. Theol. Liturg., Sect. 2, cap. 4, § 57. Sed licet effossa Romæ corpora nomine carent, præsto tamen certissima indicia sunt, unde an Martyrum sint, dignoscatur, instrumenta martyrii vel tumulo insculpta, vel ad tumulum apposita, veluti scorpiones, ungulæ plumbatæ, vela, lineæque vestes sanguine imbutæ, et in sepulcris conclusa; cumprimis vero ampullæ a Martyribus fuso sanguine plenæ, atque in defunctorum loculis positæ, de quibus præter Aringhium, Boldettum, et Blanchinium ad section. 28 Anastasii, tom. 2, pag. 244. eruditissime egit Cl. P. Antonius Maria Lupius in egregia de S. Severæ Martyris epitaphio commentatione.

CURA, CURATOR.

Vide verb. TUTELA, TUTOR.

CUSTODES

CONDUCTI AD IMPEDIENDA DAMNA.

Vide verb. LOCATIO *num.* 10. 11. *et verb.* RESTITUTIO, *art. num.* 70. 71.

DE CULTU SACRATISSIMI CORDIS JESU.

ARTICULUS NOVUS CASINENSIS.

SUMMARIUM.

1. De origine festivitatis et cultus Cordis Jesu. — 2. Cultus Cordis Jesu, uti ab Apostolica Sede approbatus, est omni Superstitionis labe immunis. — 3. De Objecto cultus Cordis Jesu. — 4. De genere cultus Cordis. — 5. De motivis ejus cultus.

Digitized by Google

(1. Cultus Cordis Jesu, prout ab Apostolica sede probatus est, originem sumpsisse videtur Pontificiis concessionibus Officii Plagarum, aliorumque dominicæ passionis instrumentorum. Cum enim fideles, qui semper amore flagrabant erga Cor Jesu, pioque affectu erga illud ferebantur, vidissent Officia concedi in honorem plagarum, sanguinis ac vulnerum Christi Domini, eam facultatem petere cœperunt pro Corde Jesu. Sane anno **1696**, in favorem Monialium Visitationis Beatissimæ Virginis, illam facultatem postulavit Maria Angliæ Regina. Item Rex Poloniæ enixius pro iisdem monialibus, et Episcopi Cracoviensis et Massiliensis humiliter Romanum Antistitem supplicarunt pro concessione Officii cum Missa propria in honorem sanctissimi Cordis Jesu. Postulator hujus concessionis erat pius doctusque P. Joseph de Gallifet S. J. qui Romæ **1726**. librum edidit, cujus titulus : « De cultu sacrosancti cordis Dei ac D. N. J. C. in variis Christianis orbis provinciis propagato. » Propagationem devotionis istius haud parum adjuvit alius e societate Jesu Presbyter, Claudius, inquam, Le Colombière, qui scripsit manu propria revelationem Venerabili Margaritæ a Christo Domino factam, et in qua sic legimus : « A te requiro, inquit Dominus, ut feria sexta, quæ post octavam festi Corporis mei proxima sequitur, Cordi meo colenda peculiariter sit dicata. » Post hoc magis enixe renovata est instantia pro concessione Officii et Missæ Sanctissimi Cordis Jesu. Sane devotio erga Cor adeo celeriter post hanc privatam, uti fertur, revelationem per totum mundum est propagata, ut evidens fuerit, digitum Dei adfuisse. Plures vero Romani Pontifices istam devotionem Indulgentiis cumularunt. Clemens XII. concessit anno **1733**. Confraternitati Romæ institutæ facultatem celebrandi festum SS. Cordis Jesu; Clemens vero XII. Pontificia auctoritate approbavit cultum erga SS. Cor Jesu, approbando scilicet decretum a S. R. C. die 6 Feb. **1745**. editum, in quo officium cum missa propria in honorem SS. Cordis fuit approbatum; et anno sequenti die 19 Febr. **1766**. idem Clemens permisit Monialibus S. Benedicti in Regno Neapolitano degentibus facultatem recitandi Officium SS. Cordis ad normam Breviarii redactum, necnon in earum ecclesiis ejusdem Missam celebrari a Sacerdotibus confluentibus. Hoc decretum S. R. C. sigillum S. Mariæ Card. Feroni. Præfecti gerit.

(2. Pius vero VI. in Constitut. *Auctorem fidei* ad propos. 62. Synodi Pistoriensis, declarat omni superstitionis labe immunem esse cultum Cordis Jesu : « Doctrina, inquit, quæ devotionem erga SS. Cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat (Synodus) velut novas erroneas aut saltem periculosas, intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica sede probata, falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam sedem injuriosa »; Accedit censura in propositionem 63 lata : « Item in eo quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit

(Synodus), quod non advertant Sanctissimam carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione, aut præcisione a Divinitate, adorari non posse cultu latriæ. Quasi fideles Cor Jesu adorarent cum separatione vel præcisione a Divinitate, dum illud adorant, ut est Cor Jesu, Cor nempe personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue Corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut præcisione a divinitate adorabile fuit in sepulchro, captiosa, in fideles Cordis Christi cultores injuriosa. »

(3. Objectum hujus cultus est Cor Jesu, nempe Cor Physicum, carneum personæ Verbi incarnati. Romani enim Pontifices illum approbarunt cultum, quem fideles petierunt; quique erat cultus Cordis proprie sumpti. Item S. Congregatio illum solum cultum approbavit, qui diu in Ecclesia viguit. Dicit enim S. R. C. decretum, « simulque intelligens hujus officii et Missæ celebratione non aliud agi, quam *ampliari* cultum jam institutum. » At quinam cultus fuerat receptus? respondit Blasius, Cultus Cordis *carnalis* Jesu non nudiustertius, sed sæculo superiore..... duxit exordium. Demum quodnam sit objectum hujus cultus colligitur ex censura Pii VI in Propos. 63. Synodi Pistoriensis. Ex ipsa enim patet, fideles adorare *Cor personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est.* Ne quis vero calumnia neoterri hominis (Grégoire, *Hist. des sectes religieuses*) a cultu et devotione Cordis Jesu impediatur, nonnulla notanda veniunt. Ex hactenus dictis liquet, cultum Cordis Jesu uti ab Apostolica sede approbatus fuit, esse omni superstitionis labe immunem. Itidemque objectum hujus cultus esse Cor personæ Verbi incarnati; et per consequens cultum esse *supremum.* (4. Terminus quippe ejus est persona infinita, a qua Cor Jesu separari nequit. Et sic eodem modo adorandum est cor Jesu, quo ejus sacrosancta humanitas adoratur; sicut enim Christi humanitas supremo adoratur cultu, ob hypostaticam unionem inter divinam et humanam naturam. Quæ quidem unio immediate facta est cum tota humana natura in *Concreto* spectata, et cum omnibus suis partibus; nec considerari potest Christi humanitas existens sine persona Verbi a qua *suppositur*, uti loquitur Damascenus. Ergo nulla est formido adorandi Cor Jesu, sicut nulla est formido adorandi ejus humanitatem. Ratio enim *formalis* utriusque Cultus est eadem; unio nimirum hypostatica, qua fit ut una eademque sit duarum naturarum subsistentia et personalitas. Si ergo Cultus humanitatis non est *materialis*, neque cultus Cordis Jesu; et sic nonnisi *injuriose* cultores Cordis Jesu a Gregorio accusantur de Cultu Materiali. Item sequitur Pistoriensis Synodi calumniam esse dicentis, per cultum Cordis duplicem induci cultum : cum ex dictis liquet, una adoratione coli Cor divini Verbi incarnati, seu rectius personam Christi in Corde reali physico. Demum falsum est atque absurdum, per cultum Cordis Jesu sequi, cultum Dei esse secundarium, ac si distingui

Digitized by Google

in hoc cultu posset objectum primarium et secundarium. Nonne Christi Corpus et sanguinem in Eucharistia adoramus? Numquid Ecclesia in hoc cultu distinguit objectum primarium a secundario? Quis concipere potest humanitatem Christi *in concreto* existentem absque Verbo per quod sustentatur vel suppositur?

(5. De objecto hujus cultus jam loquuti sumus, aliquid præterea dicendum venit de motivo ejusdem cultus. Cavendum enim est ne cum objecto confundatur cultus motivum. In quodam Officio ab Ecclesia approbato hæc legimus: « Cor Jesu caritatis victimam venite adoremus. » Hinc motivum esse potest, quia *Cor* omnium affectionum sedes; vel quia in communi loquendi usu Cor symbolum est amoris. Hæc motiva colligi possunt a Ven. Margaritæ revelatione; et ex ipsis Sacris literis. Finis hujus cultus a verbis illis officii innotescit: « quam caritatem Christi patientis, et pro generis humani redemptione morientis, ... *ut fideles* sub sanctissimi Cordis symbolo devotius ac ferventius recolant, ejusdemque fructus uberius percipiant. »

SACRARUM CONGREGATIONUM DECRETA

JUXTA VOCUM QUÆ HOC VOLUMINE RECENSENTUR SERIEM DIGESTA.

CADAVER.

S. Congregationis rituum decreta.

(1. In tumulatione cadaveris tam Canonici, quam alterius in Cathedrali Ecclesia Cajetana non debetur Parocho defuncti quarta funeralis S. Con. Rit. Cajetana. 16 Julii 1737, ad 6.

(2. 3. An liceat hæredibus defuncti asportare cadavera e propriis domibus ad Ecclesiam Parochialem per modum depositi, antequam illa processionaliter deferantur ad Ecclesiam Regularium, et Parochi tenantur recipere? Et quatenus affirmative. S. C. « Affirmative in omnibus, petita tamen, quamvis non obtenta, licentia Parochi. » Firmana. Funerum die 7 Maji 1763, n. 3.

4. An, et quale emolumentum debeatur Parochis ratione ejusdem depositi, in casu etc? S. C. « Deberi Parocho intortitia tantum, quibus cadaver expositum fuit, dummodo aliquas preces expleverit. » Ibid. n. 4.

5. An Parochis, cæterisque Ecclesiasticis associantibus cadavera ad Ecclesias Regularium, liceat exigere pro dicta associatione majorem eleemosynam, et emolumentum, seu potius illud dari solitum, occasione associationis faciendæ ad Ecclesiam? S. C. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam. Ibid., num. 5.

6. An cæteri Ecclesiastici, et confratres associantes cadavera, teneantur introire Ecclesiam Regularium, ibique solitas sacras preces una cum Regularibus canere, et totum Officium absolvere, in casu etc? S. C. « In casu, de quo agitur, serventur Constitutiones Synodales. » Et ita decrevit, et servari mandavit. Ibid. num. 6.

(3. An in occasione associandi corpus defuncti alicujus, qui fuerit de cura, et populo Ecclesiæ Cathedralis Politianæ, ad Ecclesiam S. Blasii positam intra fines Ecclesiæ Parochialis S. Bartholomæi de Castello Diœcesis Politianæ, in qua associatione invitati fuerint Capellani Ecclesiæ Cathedralis absque interventu Capituli, et invitati fuerint Presbyteri inservientes dictæ Ecclesiæ S. Blasii, debeatur præcedentia Cappellanis præfatæ Cathedralis, vel potius Presbyteris ipsis inservientibus Ecclesiæ S. Blasii tamquam Clero Ecclesiæ tumulantis?

Et S. C., habita prius ejusdem Rmi Episcopi informatione, ad relationem præfati E. et R. Domini Cardinalis Ponentis, rescribendum censuit: « Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, et ad mentem E. Ponentis. *Et mens est*, quod Episcopus prohibeat Capellanis, Ecclesiæ Cathedralis, ne, cum in publicis supplicationibus, sive defunctorum associationibus procedunt absque interessentia illius Capituli, almutium in brachiis deferant; indecens enim est, quod ipsi Capellani, qui cum Capitulo dumtaxat unum corpus faciunt, ab eodem corpore disjuncti, iis etiam utantur Insignibus, quæ non membris, sed toti corpori conveniant. » Et ita decrevit, et servari mandavit. Montis Politiani juris præcedentiæ, die 20 Julii 1765.

(4. Patres Minores Conventuales, in associatione cadaverum tam in propriis, quam in aliis Ecclesiis tumulandis, non possunt erigere vexillum, seu stemma Religionis vulgo *stendardino* S. R. C. Albanen. Funerum die 18 Septembris 1787, ad 2.

(5. Delata ad S. R. C. ex parte Domini Alexandri Mariæ Licoè Sacerdotis ex Clericis Regul. Min. Confessarii Monialium Asceterii S. Jacobi Terræ S. Ginnesii, Camerinen. Diœcesis, controversia inter eum exorta, et Capitulum, sive nonnullos Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ dictæ Terræ circa jus agendi exequias super cadaveribus Monialium ipsius Asceterii: Num scilicet competat Confessario Monialium, an vero præfato Capitulo?

Eadem S. C., attenta relatione totius quæstionis facta a R. Archiepiscopo Camerinen. qui audivit tam Capitulum, quam Moniales,

Digitized by Google

proponente Dubium E., et R. Domino Cardinale Gazzoli relatore, decrevit : « Celebrationes exequiarum spectare ad Confessarium pro tempore. » Camerinen. die 16. Martii 1805.

S. Congregationis Concilii decreta.

(1. Cum ex præscriptione constaret favore PP. S. Augustini degentium in oppido Montis-falci de bono jure tumulandi cadaver Claræ Pompili, non autem favore Parochi Collegiatæ Ecclesiæ ejusdem loci ad hoc PP. Augustinianis reddenda esse emolumenta funeralia decrevit Sacra Congregatio in Spoletana juris tumulandi 18 Dec. ad II Dub.

CANONICATUS, CANONICUS.

S. Congregationis rituum decreta.

(1. Quinque Dignitates Capituli Militen. prætendunt ipsis celebrantibus solemniter ex antiqua consuetudine Canonicos ministrare debere; contra vero Canonici asserentes sese in Presbyterali Ordine constitutos non decere inferiori deservire; eoque magis quia in eodem Capitulo adsunt Hebdomadarii, quorum alii Presbyteri, alii Diaconi, vel Subdiaconi, quibus propterea id oneris incumbere videtur. Auditis proinde partibus, Sacra Congregatio decrevit, ut sequitur : « Canonici Dignitatibus, et Canonicis inserviant; Mansionarii vero Mansionariis. Militen. die 24 Novembr. 1591. »

(2. Essendo stati letti, et considerati nella nostra Congregazione de Sacri Riti due Memoriali dati successivamente per parte de Gonzalo Ramirez de Molina Canonico di codesta Chiesa, de quali saranno qui incluse le Copie, è parso a questi miei Signori Illustrissimi, che in nome di essa Congregatione io scriva a V. S. come fo con la presente, che per evitar li molti scandali, et inconvenienti rappresentati alle SS. LL. Illustrissime, li quali in ogni luogo, e tempo conviene, che si fuggano, ma specialmente in Chiesa, in Coro, e nelle Processioni : « Sia contenta di usar l'autorità sua in far osservare dalli Canonici lo Statuto del Capitolo, quale si presuppone essere conforme alla ragion comune, e confermato dalla Sede Apostolica, cioè, che quelli, che sono in Sacris precedano a quelli, che non hanno Ordini Sacri, li Sacerdoti alli Diaconi, e li Diaconi alli Suddiaconi; e se quelli del Capitolo, che allegano a favor loro la concordia, forse si aggravassero di questa provisione, contuttochè il Procuratore di detto Capitolo sia stato più volte citato, potranno far dedurre le loro ragioni, le quali saranno dalla Congregazione benignamente udite, e si ministrerà loro compiuta giustizia, che è quanto intorno a questo negozio m'occorre scrivere a V. S. *Jaen.* » da Roma alli 28. Luglio 1592.

(3. Nomine Decani, et Capituli Ecclesiæ Oscen. supplicatur, per Illmos DD. Cardinales super sac. Ritibus declarari : An Episcopus cum duobus de Capitulo possit circa cæremonias aliqua ordinare, et stabilire ?

Ad prædictam petitionem S. R. C. respondendum censuit : « Concedi posse Episcopo, ut ipse juxta cap. 12. sess. 24. de reform. cum duobus Canonicis, quorum unus ab ipso, alter a Capitulo eligatur, in iis, quæ ad debitum in Divinis Officiis regimen spectant, et cæteris, quæ necessaria erunt pro ipsius Ecclesiæ utilitate, certam formulam præscribere valeat usque ad Synodum provincialem proxime habendam, quæ tamen regulis Pontificalis Romani, ac Breviarii, et Missalis nuper reformatorum Rubricis non adversetur. Oscen. » die 7. Julii 1593.

(4. In Ecclesia Dei ordo præcipue servandus est. Itaque cum maximè indecens sit, majores inferioribus ministrare; censuit S. C. quod, « celebrantibus Canonicis, seu Portionariis, Dignitates prædictæ, neque Evangelium, neque Epistolam cantare debent; quæ Dignitates celebranti Episcopo assistere, et inservire tenentur. » Calaguritana Pro Dignitatibus, *et* Decano. die 7 Septembris 1593.

(5. Quæritur : an Canonicus, qui in Ecclesia Cathedrali locum tenet Vicarii, et gerit personam Cardinalis Archipresbyteri, debeat in Choro habere digniorem locum, et præferri etiam iis Canonicis, qui sunt Episcopali dignitate insigniti ?

Item : Si contigerit aliquando Vicarii Papæ suffraganeum, qui in illa Ecclesia jurisdictionem non habet, devotionis tantum causa adesse in Choro, non autem actu exercendi aliquod Pontificale munus, an tunc debeat et præferri Canonicus, qui tenet locum Vicarii, et refert personam Archipresbyteri Cardinalis, suffragante præsertim veteri illius Ecclesiæ consuetudine ?

Ad dubia proposita nomine « *Canonici locum Vicarii obtinentis in Ecclesia, quæ Archipresbyterum habet Cardinalem,* » S. R. C. censuit: « Hujusmodi Vicarium, si jurisdictionem habet, præcedere debere omnes in eadem Ecclesia, etiam eum Episcopum qui suffraganei officio in Urbe fungitur, et alios quosque devotionis causa Divinis Officiis in Choro interessentes. » Urbis die 8 Februarii 1594.

(6. Canonici Cathedralis Ecclesiæ Montis Pilosi petunt declarari, an sit servanda ejusdem Ecclesiæ consuetudo, ut Canonici Dignitatibus inserviant quando pontificaliter celebratur ?

Et S. R. C. respondendum censuit: « Vetus consuetudo absque ratione, et temere, non est mutanda. Servetur itaque ea in Ecclesia usus hactenus receptus; quod, si quid habent in contrarium, oretenus dicant. » Montis Pilosi die 28 Martii 1597.

(7. Pro parte Episcopi Fundani fuerunt proposita infrascripta Dubia, videlicet:

1. An Capitulum Collegiatæ S. Mariæ Civitatis Fundanæ debeat dare præcedentiam Capitulo Ecclesiæ Cathedralis invitato, vel ad Festum Titularis, seu alterius, vel ad funeralia, in eadem Collegiata.

2. An, cum utrumque Capitulum invitatur

Digitized by Google

ad Processionem funeralium, debeat Capitulum Collegiatæ accedere ad Cathedralem, ut se cum Capitulo Cathedralis ejusdem conjungat, vel liceat id facere in quadam via?

Quoad primum caput, censuit S. C. « Canonicos Cathedralis Ecclesiæ Fundanæ præcedere debere Canonicos, cæterosque Ecclesiæ collegiatæ tam in funeralibus Offiiciis celebrandis, quam in aliis actibus, etiam intus Collegiatam. » Quoad secundum: « Canonici, et Capitulum Ecclesiæ prædictæ Collegiatæ in funeralium Processionibus congregentur in Ecclesia Cathedrali, et inde cum Canonicis Cathedralis discedant, et incedant, consuetudine in contrarium asserta non obstante. » Fundana. die 2 Sept. 1597.

(8. Decanus Ecclesiæ Abulen. exposuit consuevisse olim Canonicos ante versum « *Pretiosa* » in Prima facere processionem pro defunctis, inde convocare Capitulum, et, eo peracto, prosequi Primam: qui mos, cum visus sit repugnare rubricis ecclesiasticis, intermissus est, et post Primam integre absolutam processio facta, et Capitulum celebratum. Sed cum in præjudicium rerum Ecclesiasticarum multi nunc deserant Capitulum, supplicat, ut liceat pristinam consuetudinem reassumere.

Et S. R. C. respondit. « Si adsunt negotia necessaria pro Capitulo, poterunt convocàri Capitulares, etiam pœnis appositis, sed non impediatur processio post Primam. » Abulen. die 7. Aprilis 1598.

(9. Sendo stato significato a questa Congregatione de Sacri Riti, et ceremonie un abuso introdotto dalle quattro Dignità di cotesta Catedrale, quali pretendono di precedere nelle Processioni, et in altri atti il Canonico, che celebra, et che fa l'officio quando si trova parato; ha causato molta meraviglia a questi miei Signori Illmi, quali perciò hanno risoluto, « che io vi scriva, et commetta, che debbiate levare detto abuso, et operare per ogni modo, che nell' avvenire il Canonico, che fa l'Offizio, mentre sarà parato dell'abito conveniente all'Offizio, che farà, o di Pianeta, o di Piviale, preceda, et stia nell'ultimo luogo dopo tutto il Capitolo, et così farete eseguire. Ma in evento, che questi Canonici non avessero esposto qua il vero, fatelo sapere, perchè la Congregatione vuole essere informata da chi espone la verità, » etc. Rossanen. die 7. Apr. 1598.

(10. Orta inter Episcopum Pisauren., et Capitulum Ecclesiæ Cathedralis ejusdem Civitatis controversia, de obligatione Canonicorum inserviendi eidem Episcopo in Missa privata, occasione quarumdam functionum, eaque ad S. R. C. delata, infrascripta Dubia inter partes concordata fuerunt, et pro decisione proposita.

1. An in functionibus Pontificalibus peragendis ab Episcopo extra Ecclesiam Cathedralem, teneantur Canonici ejusdem Ecclesiæ inservire vel subsequi debet easdem functiones?

2. An tempore visitationis per Dioecesim eneantur Canonici convisitatores inservire cum eodem Episcopo in privato Missæ Sacrificio?

3. An Episcopus ad eumdem effectum cogere possit eosdem Canonicos ad sibi inserviendum in dicta celebratione Missarum? Et quatenus negative.

4. An volentes Canonici ultro inservire præmisso modo eidem Episcopo, prohiberi possint ab aliis Collegis id detrectantibus in casu etc.?

Et S. eadem C., utraque parte scripto, et voce informante audita, ac visis juribus hinc inde deductis, ad relationem E., et R. D. Cardinalis Prosperi Columna de Sciarra Ponentis, rescribendum censuit. Ad 1. 2. et 3. *Negative.*

Ad 4. *Affirmative, et amplius.* Et ita decrevit, ac servari mandavit. Pisauren. Hac die 18. Julii 1750.

(11. Cum ab antiquo, et immemorabili tempore Canonici Ecclesiæ Cathedralis diebus Dominicis, aliisque Festis infra annum occurrentibus, quando a Musicis Vesperæ decantantur, consueverint eo tempore in Choro bini, et bini Vesperas, et Completorium recitare; exortum est Dubium: An per eum modum recitandi Completorium satisfaciant Canonici muneri suo? Pro cujus declaratione Episcopus Casalen., et Canonici prædicti ad S. R. C. recursum habuerunt.

Et S. eadem C., iis omnibus mature perpensis, quæ in hanc rem deducta sunt, ad relationem Emi, et Rmi D. Cardinalis Tamburini Ponentis, rescripsit: *Canonicos non satisfacere obligationi Chori, recitando modo prædicto Completorium tempore, quo a Musicis Vesperæ decantantur.* Casaren. Die 3. Aprilis 1751.

(12. Archiepiscop. Urbinatensis inter alia hæc decidenda proposuit. S. C.

1. An possint Urbinaten. Canonici pontificaliter celebrare Missam in Ecclesiis Monialium, absque consensu Archiepiscopi? S. C. *Negative et amplius.* Urbinaten. die 29. Januarii 1752.

2. An in Insigniis, et Armis suæ Familiæ appositis, vel apponendis, in paramentis sacris, aliisque rebus Ecclesiam concernentibus, loco Mitræ, vel una cum ipsa Pileum apponere valeant? S. C. *Affirmative* quoad Mitram tantum, *et amplius.* Ibid. n. 2.

3. An dictæ Dignitates, et Canonici in Processionibus SS. Corporis Christi incedere possint, capite Mitra cooperto? S. C. *Negative et amplius in omnibus.* Ibid. n. 3.

(13. Convenientibus simul utroque Capitulo Cathedralis Casalensis, et Collegiatæ S. Mariæ Majoris ejusdem Civitatis in Missis Rogationum, Osculum Pacis et Thurificatio danda est Canonicis et Dignitatibus etiam Collegiatæ. A quo autem Osculum et Thurificatio danda sit Dignitatibus et Canonicis Collegiatæ? S. C. respondit: «Dilata, et exquiratur votum Magistrorum cæremoniarum. » Casalen. die 15 Julii 1752.

(14. Hæbdomadarius in Choro intonare potest initium Horæ sequentis, priusquam

Digitized by Google

Sacerdos Evangelium S. Joannis terminaverit.

Aperta consuetudo, ut duo clerici Canonici, seu Tertianarii Tunicella seu dalmatica induti in Processione Corporis Christi thuribula deferant, et SS. Sacramentum incensent, servari potest. Conimbricen. Dubiorum die 14. April. 1753.

(15. Prima Dignitas seu prior ex Canonicis tenetur sustinere librum Episcopo cantanti in Missis et Vesperis Pontificalibus ad formam Cœremonialis Episcoporum.

An dum recitatur Tertia, et Episcopus se præparat, ac sacra paramenta sumit ad Missam pontificalem, Capitulum teneatur stare capite detecto; et idem sit servandum in Vesperis pontificalibus. *Servetur Cœremoniale Episcoporum.*

An Canonici teneantur facere circulum Episcopo assumenti vel dimittenti paramenta in Sacristia, et ubi hoc casu collocanda sit sedes Episcopalis. *Servetur Cœremoniale, et Episcopi sedes ita collocetur, ut ipse respiciat Canonicos.* Casalen. Dubiorum die 15. Septembr. 1753.

(16. Canonici non possunt accedere ad funera, tam lucrandi stipendii causa, quam non. Camerinen. Præminentiarum, die 16. Februarii 1754.

(17. Canonici Ecclesiæ Cathedralis Casalensis tenentur præparare scamna, non vero tapetes in functionibus Canonicis Collegiatæ S. Mariæ Majoris ejusdem civit. convenientibus in Cathedrali. Casalen. Præminentiarum, die 13. Julii 1754.

(18. Canonici Ecclesiæ Collegiatæ S. Luciæ retinere possunt proprium scamnum, extra Chorum, seu Presbyterium, interveniente Magistratu Sabiniani pro audiendis concionibus, aliisque functionibus in eadem Ecclesia. Collocatio vero scamnorum arbitrio et prudentiæ Episcopi committenda. Ariminen. Sedilis die 12. Aprilis 1755.

(19. Exorta inter nonnullos Canonicos Subdiaconos Ecclesiæ Collegiatæ S. Angeli in Foro piscium Urbis, et alios Canonicos Presbyteros ejusdem Ecclesiæ controversia super jure præcedendi in Choro, decidendum propositum.

An præcedentia Canonicorum S. Angeli in Foro piscium sit regulanda a majori vel minori Ordinis dignitate, seu potius ab antianitate possessionis Canonicatus, etiam quoad Canonicos Coadjutores absentibus Coadjutis, juxta prætensam consuetudinem in casu etc. S. C. definivit:

« Affirmative ad primam partem, et Negative ad secundam; sed in casu de quo agitur, attentis peculiaribus circumstantiis, quoad Canonicos viventes nihil esse innovandum, et amplius. » Romana. Præcedentiæ die 14. Junii 1755.

(20. Delegatus Sedis Apostolicæ, seu Episcopi occasione tradendi possessionem novo Canonico, seu Dignitati, *incedere debet in habitu talari, vel Insignibus propriæ Dignitati convenientibus.* Sed non potest, post assignatum stallum in Choro, seu locum in Capitulo dicto novo Canonico seu Dignitati, intervenire in Choro ad gratiarum actionem fieri solitam cum cantu *Te Deum.* Pisauren. die 25. Febr. 1758.

(21. Canonici seu Vicarii asistentes in solemnitate Missæ cum cappis seu Pluvialibus genuflectere debent in elevatione sacræ Hostiæ. Hildesimen. 7 Julii 1759.

(22. Exorta controversia inter Præpositum Ecclesiæ Collegiatæ SS. Salvatoris Civit. Maceratæ et nonnullos Canonicos ejusdem Ecclesiæ super prætensa assistentia in celebratione Missarum solemnium, et proposito dubio an Præposito missam solemnem celebranti debeatur assistentia Canonicorum in munere Diaconi et Subdiaconi, S. C. rescribendum censuit, *Affirmative.* Maceraten. die 7 Julii 1759.

(23. Episcopo Adiacen. postulante: An liceat Canonicis suæ Cathedr. circulum circa ipsum solemniter celebrantem, pileolo in capite retento, conficere, dum *Gloria* canitur et *Credo*, consuetudini cuidam innixis.

S. C. declaravit: « Juxta sensum Cæremonialis Episc. Canonicos teneri ad discoperiendum caput in circulis prædictis, non obstante quacumque consuetudine. » Adiacen. die 17 Martii 1760.

(24. Episcopo pueros plebemque docenti Christianam Doctrinam Canonicorum Cathedralis assistentia non debetur. Pacten. die 29 Martii 1760.

(25. 1. An Dignitates omnes, et Canonici (exceptis Canonicis Celebrante, Diacono, et Subdiacono) teneantur associare Episcopum cappa indutum ad Ecclesiam pedester accedentem Divinis Officiis interfuturum a suo cubiculo ad Sedem Episcopalem in choro, eumque, omnibus horis canonicis absolutis, vel nulla incœpta, recedentem illuc reducere? S. C. *Affirmative* ad utramque partem. Dertusen. Dubiorum. die 6 Augusti 1763.

2. An omnes Dignitates, et Canonici, ut supra, eidem Episcopo curru, vel portatili sella ad Ecclesiam venienti, teneantur extra portam Cathedralis occurrere, et usque ad suam sedem in choro associare, ipsumque pariformiter ab Ecclesia discedentem ad eamdem Cathedralis januam deducere? S. C. *Affirmative* usque ad locum, *ubi Episcopus induit cappam.* Ibid. n. 2.

3. An omnes, seu quot Dignitates, et Canonici teneantur associare Episcopum accedentem, aliqua hora canonica incœpta, vel nondum absoluta, et a quo, et ad quem locum? S. C. « Quoad numerum quatuor, quoad locum provisum in superioribus. » Ibid. num. 3.

4. An Feria V, in Cœna Domini, aliisque diebus, quibus Episcopus pontificaliter celebrat, debeant non solum tres Dignitates et Canonici, qui eidem juxta morem assistunt, sed omnes pariter Dignitates et Canonici ad ejus cubiculum se conferre, ut eum ad Ecclesiam, ut supra, associare? *Affirmative.* Ibid. n. 4.

13. An Gubernatori, et Decurionibus Civitatis Dertusensis locum habentibus in Presbyterio, dum cantatur Missa solemnis, fieri

Digitized by Google

debeat reverentia a Canonico celebrante, et subdiacono ante initium, et post finem Missæ, tam præsente, quam absente Episcopo? S. C. *Negative in omnibus.* Ibid. num. 13.

14. An, et quibus pœnis possit Episcopus compellere Dignitates, et Canonicos ad præstandum obsequia, quæ juxta S. Congregationis decisiones, sibi debita videbuntur? S. C. *Affirmative* juris remediis, *et amplius in omnibus.* Ibid. n. 14.

(26. Inter Canonicum anteriorem possessione Canonicatus, et Canonicum anteriorem in Ordine Sacerdotali, præcedentia debetur Canonico anteriori in possessione Canonicatus Conversanen. die 10 Decemb. 1663.

(27. Oborta controversia inter Promotorem fiscalem Curiæ Episcopalis Meliten. et Canonicos Ecclesiarum Collegiatarum S. Pauli Oppidi Valletæ, et S. Helenæ Imperatric. Birchirchariæ Diœcesis prædictæ super genuflexione facienda Episcopo quoad Canonicos prædictos, et his dubiis propositis.

1. An in functionibus, aliisque in casibus in quibus Episcopus privatim adstat, et pontificaliter non indutus, Dignitates, et Canonici insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Pauli ante ipsum transeuntes debeant eidem genuflectere, seu tantum caput, et humeros profunde inclinare in casu etc. S. C. « Providebitur in casibus particularibus. » Meliten. Genuflexionis. die 16 Maji 1772.

2. An Dignitates, et Canonici S. Helenæ Imperatricis Collegiatæ Birchirchariæ in functionibus Ecclesiasticis, quoties transeunt ante Episcopum, debeant genuflectere, vel tantum caput, et humeros profunde inclinare in casu etc.? S. C. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam. Et ita decrevit, et servari mandavit. Ibid. n. 2.

(28. Super jure thurificandi Auditorem seu Gubernatorem terræ Proxeudi diœcesis Ferentinæ, hæc declaranda proposita fuerunt a Canonicis et Capitulo Collegiatæ S. Agathæ ejusdem terræ,

1. An, et a quo sit thurificandus Gubernator terræ Proxeudi? Et quatenus affirmative. S. C. « Esse thurificandum a Diacono parato, duplici ductu post Canonicos. Ferentina Thurificationis, die 9 Decembris 1775. »

2. In quibus diebus, et in quibus functionibus Ecclesiasticis? S. C. « Diebus tantum solemnioribus, quibus nimirum Missa solemnis celebratur cum Ministris paratis. » Ibid. n. 2.

3. Et quo habitu indutus esse debeat. S. C. *Vel habitu clericali talari, vel laicali aulico.* Et ita declaravit, ac servari mandavit. Ibid. n. 3.

(29. Proposito Dubio an Canonici Cathedralium non celebrante Episcopo in festo SS. Corporis Christi, nec peragente Processionem, teneantur indui sacris vestibus, vel possint choralibus vestibus uti per inductam consuetudinem. S. C. rescribendum censuit. « Servetur Decretum jam die 27 Martii 1638, in una Cajetana editum, prout infra, nempe: Vicarius Capitularis etc. »

S. C. rescribendum censuit *in Cajetana*, Canonicos indui debere sacris vestibus, licet Episcopus nec celebret, nec Processionem peragat. Bitecten. die 12 Julii 1777.

(30. Cum R. Episcopo Salutiarum nonnulla occurrerint dubia, humillime S. R. C. supplicavit, quatenus ea benigne decernere dignaretur. Dubia autem sunt sequentia.

1. An Canonicus deferens SS. Sacramentum in Processione, quæ fieri solet cum magno concursu populi qualibet tertia Dominica cujuslibet mensis, debeat incedere indutus pluviali, et an sufficiat simplex stola super cappam? S. C. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam. Salutiarum die 18 Decembris 1784.

2. An Episcopo dictam Processionem peragente, et deferente SS. Sacramentum pluviali induto, duo ex Dignitatibus, vel, illis deficientibus, duo ex senioribus Capituli debeant eidem assistere simul hinc inde procedendo induti dalmaticis? Et quatenus affirmative. S. C. « *Affirmative*, juxta modum, videlicet, Episcopo SSmum Sacramentum processionaliter deferenti assistere debere duos Canonicos dalmaticis indutos. » Ibid. num. 2.

3. Utrum ad id cogi possint, si renuant? *Affirmative.* Et ita declaravit, ac servari mandavit. Ibid. n. 3.

Et Sac. eadem Congregatio, audito prius voto unius ex apostolicarum cæremoniarum Magistris scriptis exarato, typisque vulgato, ad relationem E., et R. Domini Cardinalis Boschi Ponentis, rescribendum censuit.

(31. Dubia, quæ proposita fuerunt ex parte R. Capituli, et RR. Dominorum Dignitatum, et Canonicorum insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Pauli civitatis Valletæ in Sac. Rit. Congregatione particulari habita die 19 Maji 1786, cum respective resolutionibus ejusdem Sac. Congregationis, hæc sunt, videlicet.

1. An dignitates, et Canonici Cathedralis Civitatis Notabilis, qui invitati ab Episcopo se conferunt ad Ecclesiam Collegiatam Civitatis Valletæ, occasione festivitatis naufragii S. Pauli, aut alterius cujusque solemnitatis, et Ecclesiasticæ functionis, interveniunt uti corpus Capituli, seu potius uti singuli, in casu etc. S. C. « Dignitates, et Canonicos intervenire collegialiter in obsequium Episcopi, et ad effectus expressos in resolutionibus Sac. Rit. Congregationis anni 1741, et in subsequentibus exprimendos. Melevitana. Præeminentiarum die 19 Maji 1786. »

2. An iisdem jus competat incedendi processionaliter a dicta Collegiata ad Oratorium Charitatis pro associando Episcopo; seu potius jus hujusmodi competat ad Capitulum Collegiatæ; ita ut illi a dicto Oratorio tantum una cum Episcopo pergere debeant ad Ecclesiam Collegiatam, et ab eadem Ecclesia reducere Episcopum ad oratorium in casu etc.? S. C. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam. Ibid. num. 2.

3. An, et quæ assistentia a prædictis Di-

Digitized by Google

gnitatibus, et Canonicis Cathedralis sit præstanda Episcopo, aut pontificaliter celebranti, aut præsentiam tantum præstanti in casu etc.? S. C. *Affirmative* ad formam resolutionum anni 1641, et juxta methodum in Cæremoniali Episcoporum præscriptam. Ibid. num. 3.

4. An Episcopo, seu Dignitatibus, et Canonicis Cathedralis ab eo invitatis, jus competat ducendi ad Collegiatam cappellanos, mansionarios, aliosque clericos, necnon seminaristas Cathedralis, invito Capitulo ejusdem Collegiatæ, in casu, etc.? S. C. « Quoad Episcopum ad mentem *Mens est;* non denegari Episcopo jus ducendi secum personas sibi benevisas, tamquam de suo honorifico comitatu, sed non expedire, ut, præter Dignitates, et Canonicos Cathedralis, alios adducat ad hoc, ut sacris functionibus Ecclesiæ Collegiatæ formaliter interveniant, et assistant. In reliquis *Negative.* » Ibid. num. 4.

5. An Cantor Cathedralis, qui cum aliis Dignitatibus, et Canonicis ab Episcopo invitatis ad Collegiatam se confert, possit virgam gestare, qua utitur in Cathedrali, in casu etc.? S. C. *Negative.* Ibid. n. 5.

6. An eadem virga uti valeat Cantor Collegiatæ præsentibus Canonicis Cathedralis, in casu etc.? S. C. *Affirmative.* Ibid. num. 6.

7. An, quæque functiones sint ab eo peragendæ, quique illi assignandus locus tam in associatione Episcopi, quam in Processionibus in casu etc? S. C. « Ad Cantorem Ecclesiæ Collegiatæ spectare functiones chorales muneris sui proprias, locum autem in associatione Episcopi, et in Processionibus assignandum esse ad formam Cæremonialis. » Ibid. num. 7.

8. An, et a quo occupandum sit stallum aliis magis elevatum in Choro existens, quo alias utitur Episcopus, quando accedit ad Collegiatam in casu etc.? S. C. *Negative* in omnibus. Ibid. num. 8.

9. An, et a quo sit præstandum thus, et osculum Evangelii Episcopo solemniis simpliciter assistenti, necnon ejusdem peragenda thurificatio in casu etc.? S. C. *Affirmative* in omnibus, ad formam Cæremonialis, et resolutionis superioris Dubii sub numero tertio. Ibid. num. 9.

10. An Canonicis Collegiatæ jus competat in Processione utendi clava capitulari in casu etc.? S. C. *Negative in casu,* Mens autem S. R. C. hæc fuit: « Si placeat Capitulo Collegiatæ Ministrum aliquem deputare, qui tenens baculum quomodocumque ornatum turbas submoveat, Ministrum hujusmodi tantum in casu etc. universæ Processioni præire posse. » Ibid. num. 10.

11. An, et quo ordine incedere debeat in dicta Processione clavicularius aut Cathedralis, aut Collegiatæ in casu etc.? S. C. *Negative* ad utrumque. Ibid. num. 11.

12. An in dictis Processionibus Dignitates, et Canonici Collegiatæ iisdem uti valeant cereis, quibus utuntur Dignitates, et Canonici Cathedralis in casu etc.? S. C. *Affirmative.* Ibid. num. 12.

13. An, et ubi incedere debeat in Processionibus prædictis Acolythus eum pluviali baculum deferens Episcopalem in casu, etc.? S. C. *Affirmative* ad formam Cæremonialis. Ibid. num. 13.

14. An Dignitates et Canonici Cathedralis, occasione prædictarum functionum, uti valeant mitra, necnon planetis, ac respective pluvialibus tam in Choro, quam in Processionibus? Et quatenus affirmative quoad planetas, et pluvialia. S. C. *Affirmative* in omnibus. Ibid. num. 14.

15. An iisdem uti valeant Dignitates et Canonici Collegiatæ in casu, etc.?

Dubia quæ proposita fuerunt ex parte Rmorum Dnrum Canonicorum Ven. Ecclesiæ Cathedralis Civitatis Notabilis, pariter cum respectivis resolutionibus, nempe. S. C. *Affirmative.* Ibid. n. 15.

16. An sit servanda, et exequenda transactio in casu, etc.? Et quatenus negative. S. C. *Negative.* Ibid. num. 16.

17. An Capitulo Collegiatæ S. Pauli, præsentibus Dignitatibus, et Canonicis Capituli Cathedralis in die Festivitatis naufragii S. Pauli, competat jus utendi cappa magna cum pellibus armellinis in casu, etc.? S. C. *Negative ad mentem,* quæ fuit: « attento quod Dignitates, et Canonici Cathedralis Melitensis, et post erectionem Collegiatæ D. Pauli, et post resolutiones anno 1741. emanatas, novis, et majoribus insigniis, quibus a reliquo Clero, et a Canonicis dictæ Collegiatæ distinguuntur, ab Apostolica Sede decorati fuerunt: Quodque iidem in tractatibus cor. Episcopo habitis anno 1781, suum præbuerunt consensum, ut, convenientibus ipsis in Ecclesiam Collegiatam, occasione solemnitatis Naufragii Divi Pauli, ejusdem Collegiatæ Canonici cappas magnas cum pellibus armellinis deferre valerent, horum nomine, si placuerit, supplicandum SS., ut ad hujusmodi effectum, et in hac parte derogare dignetur literis Apostolicis super eorum Collegiatæ erectione a Clemente XII. editis etc. » Ibid. num. 17.

18. An prædictis Dignitatibus, et Canonicis Cathedralis competat jus elevandi propriam Crucem in processione peragenda in eadem Festivitate, in casu etc., seu potius incedere debeant sub Cruce Capituli Collegiatæ? S. C. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam. Ibid. n. 18.

19. An, quando, et a quo sit facienda thurificatio tam Dignitatibus, et Canonicis Capituli Cathedralis, quam Capitulo Collegiatæ in eadem Festivitate in casu etc.? S. C. *Affirmative* in omnibus ad formam Cæremonialis, et resolutionis anni 1741. Ibid. num. 19.

20. An, quomodo, et a quo sit accipiendum et communicandum osculum pacis in casu etc.? S. C. *Affirmative,* ut ad proxime superius. Ibid. num. 20.

21. An Dignitatibus, et Canonicis Capituli Cathedralis in Processione præcedere possit proprius scutifer, seu clavicularius in casu etc.? S. C. « Provisum in numero undecimo. » Ibid. num. 21.

Digitized by Google

22. An prædictis Dignitatibus et Canonicis invitatis ab Episcopo competat jus accedendi ad Ecclesiam S. Pauli, et adsistendi, quacumque alia occasione, et die, qua placuerit Episcopo, peragere ibi Pontificalia, vel adsistere in casu etc. ? S. C. *Affirmative et ad mentem*. Et mens est : « Non expedire Dignitates, et Canonicos Cathedralis ab Episcopo invitari, præter solemnem diem memoriæ Naufragii S. Pauli dicatam, ut aliis occasionibus, et diebus in Ecclesiam Collegiatam Civitatis Vallettæ conveniant, ubique collegialiter sacris functionibus adstent, seu ipsi Episcopo pontificaliter celebranti, vel simpliciter adsistenti ministrent, aut respective assistentiam præstent. » Ibid. num. 22.

23. An iisdem Dignitatibus, et Canonicis adsistentibus, ut supra tam in dicta die Festivitatis S. Pauli, quam in quacumque alia die, liceat uti ornatu strati viridis damasceni in casu etc.? Et quatenus affirmative : An Capitulo Collegiatæ tunc liceat uti ornatu panni linei coloris prædicti? S. C. « Servetur in omnibus resolutio anni 1741. » Ibid. num. 23.

24. Quomodo, et quo ordine incedere debeant Canonici Collegiatæ in associatione Episcopi ab Oratorio Charitatis ad Ecclesiam Collegiatam, et a janua Ecclesiæ ad Chorum? « Servetur ordo præscriptus in Cæremoniali Episcoporum, firma remanente præcedentia, et loco digniore prope Episcopum Dignitatibus, et Canonicis Cathedralis ad formam resolutionis anni 1741. » Ibid. num. 24.

Mox autem die 15. Junii 1789, repropositis iisdem Dubiis prodiit ab eadem Sac. Congregatione responsum.

Ad 1, 2 et 3. « In decisis, et amplius. »

Ad 4. « In decisis, etiam quoad mentem, et amplius. »

Ad 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15 et 16. « In decisis, et amplius. »

Ad 17. « Locum esse arbitrio pro aperitione oris, adversus Breve Clementis XII. in hac parte tantum, et ad effectum de quo agitur, adeoque, prævio recessu a decisis, affirmative, et amplius. »

Ad 18, 19, 20, 21. « In decisis, et amplius. »

Ad 22. « In decisis etiam quoad mentem, et amplius. »

Ad 23. « In decisis, ita ut liceat Dignitatibus, et Canonicis Cathedralis uti ornatu strati viridis damasceni, et liceat Capitulo Collegiatæ uti panno laneo ejusdem coloris. »

Ad 24. « In decisis, et amplius. »

(32. An attenta consuetudine per centum annos servata, sed postea interrupta, et reassumpta, ut in casu debeatur præcedentia in choro, et processionibus Canonicis Diacono, et Subdiacono Collegiatæ oppidi Brone Ordine Sacerdotali insignitis, et possessione anterioribus supra Canonicos Sacerdotes possessione posteriores, an vero hæc debeatur Canonicis Sacerdotibus etsi possessione recentioribus? Eadem S. C. sub infrascripta die habita, re mature perpensa, respondit : *Negative* ad primam partem, et *affirmative* ad secundam : Atque ita servari mandavit. Placentina die 27. Maii 1786.

(33. An, et cui competat jus exercendi functiones sacras in solemnioribus anni festivitatibus, absentibus, vel impeditis Episcopo, et Archipresbytero Cathedralis Setinæ? in casu etc. Et Sac. eadem Congregatio, utraque parte scripto, et voce informante, expensisque juribus hinc inde deductis, ad relationem E., et R. D. Cardinalis Archinto *S. R. C.* Præfecti, loco ejusdem E. Ponentis, rescribendum censuit : « Competere Canonico digniori juxta solitum, non autem Archidiacono, vel Præposito, et amplius. » Et ita declaravit, ac servari mandavit. Setina die 27. Maji 1786.

(34. 1. An liceat Canonicis in Missis privatis tam intra, quam extra Cathedralem uti opera inservientis Missæ tam pro delatione Calicis ad Altare, et illius reportatione ad Sacristiam, quam pro sustinendo Missale, indicando Orationes, aperiendo, et porrigendo Patenam cum Hostia, tergendo Calicem, eumque postea cum velo instruendo? in casu etc.

2. An liceat Canonicis in sacris functionibus celebrandis in Ecclesiis extra Cathedralem, uti pulvinari ad genuflectendum?

4. An Dignitates, et Canonici dictæ Ecclesiæ Cathedralis teneantur Episcopum accedentem ad Ecclesiam Cappa indutum, ut solemniter celebret, vel alia pontificalia munia exerceat, comitari, et ex quo loco?

5. An etiam in reditu debeant eum reducere, et ad quem usque locum? Et quatenus affirmative ad utrumque.

6. An, et qua pœna possint inobedientes puniri ab Episcopo?

Ad 1 et 2. « Negative in omnibus. »

Ad 4 et 5. « Dignitates et Canonicos teneri ducere Episcopum a cubiculo, et comitari ad Ecclesiam Cathedralem, ipsumque reducere ad cubiculum. »

Ad 6. « Affirmative prudenti arbitrio Episcopi. » Et ita declaravit, et servari mandavit. Asculana die 24 Septembris 1788.

(35. R. hodiernus Episcopus Civitatis Gaditanæ enixe Sac. Rit. Congregationi supplicavit, ut infrascriptis Dubiis quid servandum esset decernere dignaretur, nempe.

1. An feria VI. in Parasceve Episcopo non celebraturo, procedendo ad Crucis adorationem, et osculum, Canonici assistentes debeant ipsum comitari usque ad initium tapetis, ibique sistere, donec solus ad Crucis adorationem, osculumque procedat; seu potius tum in genuflexionibus, tum etiam in ipso osculi actu eumdem associare teneantur, ibique expectare quousque idem Crucis adorationem, et osculum compleverit? S. C. *Negative* quoad primam partem, *Affirmative* quoad secundam. Gaditana die 24 Septembris 1788.

2. An Episcopus absoluta adoratione, et osculo, debeat ibidem permanere, donec a Canonicis assistentibus par Cruci obsequium exhibitum fuerit; seu potius immediate Canonici assistentes debeant Episcopum ad Cathedralem pontificalem associare, ac subinde idem officium adorationis Crucis, et osculi cum aliis Canonicis in ordine suo complere teneantur? S. C. *Negative* quoad

Digitized by Google

primam partem; *Affirmative* quoad secundam. Ibid. n. 2.

3. An Canonici assistentes valeant se induere, et exuere sacris paramentis super solio in loco proprii scamni, seu potius interim aliis Canonicis eorum munere fungentibus descendere debeant de solio ad propria stalla canonicalia, ibique sacras vestes assumere, et post completum officium deponere? S. C. *Negative* quoad primam partem, *Affirmative* quoad secundam. Et ita declaravit, et servari mandavit. Ibid. n. 3.

(36. An dignitates, et Canonici insignis Collegiatæ S. Pauli in omnibus indistincte functionibus Ecclesiasticis debeant, ut alii de Clero genuflectere Episcopo, etsi non pontificalibus vestibus, sed cappa dumtaxat, vel mozzetta induto, seu potius caput tantummodo, et humeros eidem profunde inclinare? in casu, etc. Sac. eadem Congregatio utraque parte informante, et eodem Emo, Rmo Domino Cardinale Antonio ab Auria referente, respondit. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam. Melevitana die 24. Septembris 1788.

(37 S. C. declaravit: « Non licuisse, neque in posterum licere camemario, et confratribus piæ Societatis sub titulo S. Annæ Matris B. M. V. in eadem Parochiali coadunatæ quacumque veste indutis, etiam de consensu Parochi assistere Vesperis, Missæ solemni intra Presbyterium in festivitate ejusdem S. Annæ, ibique thurificationem, aliosque obsequii actus excipere. » Et ita declaravit, et omnino servari Mandavit. Urbis S. Joannis In Ayno. die 28. Julii 1789.

(38. 1. An Canonico Presbytero posteriori in possessione Præbendæ *de consortio*, competat jus cedendi in Choro supra quemlibet Canonicum non presbyterum antiquiorem, et huic præcedendi in omnibus functionibus Ecclesiasticis in casu etc.? Et quatenus affirmative. S. C. *Affirmative, et amplius*. Spoletana die 18. Februarii 1794.

2. An eidem Canonico Presbytero post assumptum Sacerdotium sit danda præcedentia in casu etc.? S. C. *Affirmative, et amplius* Ibid. num. 2.

(39. An liceat Canonico Theologo explicare populo Sacram Scripturam in diebus festis intra Missarum Solemnia, et præcisi post Evangelium in casu etc.

Sac. eadem Congregatio, audito prius Rmo Episcopo Ripano, perpensisque juribus Archipresbyteri, Canonico Theologo vadimonium deserente, respondit: *Negative*. Hodie vero iterum ab eodem Dubio, audito pariter uno Archipresbytero, respondit: « *In decisis, et amplius.* » Ripana die 30 Aprilis 1796.

(40. 1. An Episcopus censuris, et pœnis, vel distributionum omissione valeat Canonicis Ecclesiæ Cathedralis præscribere, ut Catechismo intersint, quem ad populum habet, eidemque in Ambone concionanti assistere, ubi solint alii Verbi Dei Præcones, si id faciat talari habitu indutus, vel cum Rochetto, et Mozzetta tantum, vel cum Mozzetta et Stola?

2. An idem Episcopus possit præscribere, ut Vesperis in Choro peractis, recitatio Completorii suspendatur, usque dum Sacra Pyxis in majoris Altaris Tabernaculo collocetur, Catechismus, vel Concilio ad Populum absolvatur, quædam Orationes recitentur in conspectu SSmi Sacramenti, et fiat cum eo benedictio, quod est contra Ecclesiæ Puteolanæ consuetudinem, cum ejusdem, Canonici soleant post Vesperas statim Completorium recitare?

Et Sacra R. C., censuit respondendum, « Juxta votum, hoc est, de jure non teneri. » Puteolana. Die 22. Martii 1817.

(41. — 1. Diebus Feriarum, Adventus, et Quadragesimæ, Vigiliarum, et Rogationum Canonici Cathedralis Ecclesiæ non privilegiatæ, si dies sit festivus, celebrare solent Missam de Feria post Tertiam, de Sancto vero occurrente post Nonam; quia, aiunt, se vicem gerere Episcopi. Quæritur an hæc consuetudo sit toleranda, vel potius tanquam abusus tollenda? S. C. *Negative* quoad primam partem, *Affirmative* quoad secundam. Dubiorum die 4. Julii 1817.

2. An Magister cæremoniarum in egressu e Sacristia pro Matutinis, Laudibus et Vesperis solemniter persolvendis præcedere debeat Presbyteris Pluvialibus indutis, et Ministris Sacris in celebratione Missæ, vel cogi possit ire immediate ante Canonicum celebrantem, præsertim si Ministri sint Celebrante gradus inferioris? S. C. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* quoad secundam, et servandus modus præscriptus in Cæremoniali Episcoporum lib. 2. c. 3. n. 1.

3. An Canonici Cathedralis, de qua supra, uti possint Palmatoria in celebratione Missæ, etiam quando celebrant extra Cathedralem? Similiter in aliis functionibus ecclesiasticis, Vesperis, Benedictionibus, etc. saltem ex prætextu obscuritatis in aliquibus casibus? S. C. *Negative* in omnibus, nisi habeatur Apostolicum Indultum, de quo certioretur Sac. Cong., et detur Decretum generale. Ibid. num. 3.

4. In eadem Cathedrali, quando celebrat Canonicus, Diaconus, et Subdiaconus aliquando sunt inferioris ordinis: quæritur hæc consuetudo retineri possit? et quatenus affirmative: an deceat Canonicum celebrantem esse in paramento pretioso, Diaconum, et Subdiaconum paratos esse inferiori Dalmatica, et Tunicella? S. C. *Affirmative* ad primam partem, et quoad secundam, congruere quod Dalmaticæ et Tunicellæ, si fieri potest, conformes sint Planetæ Celebrantis, quia sacra hæc indumenta non ministrorum ornatui, sed ecclesiasticæ functionis decori inserviunt. Ibid. n. 4.

5. An, celebrante Canonico Cathedralis, Diaconus itidem Canonicus, porrigendo Cochlear, Patenam, Calicem, teneatur osculari manum Celebrantis, vel potius, quia est Canonicus, oscula hujusmodi sint omittenda? S. C. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam, et detur Decretum in una Urbis 22. April. 1690. Ibid. n. 5.

6. An Canonici supradicti Cathedralis te-

Digitized by Google

neantur Missas celebrare, ut quilibet alius Sacerdos simplex, an potius ipsis liceat cogere Clericos inservientes, ut deferant Calicem ad Altare, vel ab eo reportent, eum detegant, et cooperiant in Missa, aperiant Missale etc? S. C. *Affirmative* ad Primam partem; *Negative* ad secundam, et dentur Decreta in Senen. 20. Julii 1686. in Aquilana 22. Januarii 1735. ac in Asculana 24. Septembris 1788. Ibid. num. 6.

7. An Concionator, absente Episcopo, post reverentiam generalem factam Capitulo, deinde Populo teneatur, vix incœpta Concione, iterum veniam exhibere, seu postulare a Canonicis, quia, ut aiunt, unum sunt cum Episcopo? S. C. *Negative*, et detur Decretum in Asculana 24. Septembris 1788. Ibid. n. 7.

8. An omnes Capitulares teneantur obedire Cæremoniarum Magistro ab Episcopo electo in his quæ Divinum Cultum respiciunt, vel potius considerari debeat tanquam Capitularium Famulus? S. C. Capitulares omnes teneri obedire cæremoniarum Magistro in iis, quæ Divinum Cultum respiciunt, eumdemque in sui muneris exercitio esse capitularium Directorem, non Famulum. Ibid. n. 8.

9. In præfata Cathedrali tempore Divini Officii exponitur Lignum Sanctæ Crucis, tam in Festo Inventionis, quam in altero Exaltationis. In Festo Inventionis celebrat Canonicus, et cum illo Benedictionem impertit antequam reponatur: in secundo, quia celebrat Beneficiatus sine ulla populi benedictione, transfertur per Sacristam in suum repositorium. Quæritur: an hæc distinctio attendenda sit, vel potius populus sit benedicendus etiam in Festo Exaltationis, in quo non celebret Canonicus, sed Beneficiatus? S. C. *Negative* quoad primam partem, *Affirmative* quoad secundam. Ibid. n. 9.

10. An Canonici Cathedralis in administratione Sacramentorum tam intra, quam extra Cathedralem Ecclesiam teneantur deponere cappam, atque uti superpelliceo, et stola, juxta Rituale Romanum? S. C. *Affirmative*. Ibid. n. 10.

11. An teneantur dicti Canonici Cappam deponere, tam intra, quam extra Cathedralem, dum verbum Dei prædicant, vel dum officium Sacerdotis assistentis in Missa novi Celebrantis, aliasque quascumque non capitulares functiones exercent? S. C. « Negative in propria Ecclesia, etiam in Concionibus, aliisque functionibus, excepta Sacramentorum administratione, in qua utendum est superpelliceo, et stola, ut ad primum. Affirmative extra propriam Ecclesiam et detur Decretum generale. » Ibid. n. 11.

12. An uti possint Clericis, et Cæremoniario, veste violacea indutis, eosque cogere ad sibi sic indutos serviendum in administratione Sacramentorum, atque in aliis quibuscumque functionibus Ecclesiasticis non capitularibus, tam intra, quam extra Cathedralem? S. C. *Negative*. Ibid. n. 12.

(42. « Dignitatibus omnibus, et Canonicis ubiq. locorum, qui construendis in posterum Apostolica vel, Ordinaria auctoritate Tabulis in Servorum Dei, ac Beatorum causis operam dabunt, licet e Choro absentibus ea de causa, nedum quotidianas distributiones deberi juxta taxam San. Mem. Benedicti XIV. verum etiam alias omnes quocumque jure, titulo, et nomine, et quibusvis sub clausulis personale servitium exquirentes: indultum autem, atque exemptionem hujusmodi iis dumtaxat diebus locum habere voluit, in quibus conficiendis, et adornandis Inquisitionibus incumbent. » Atque ita decrevit, statuit, atque in posterum servari mandavit, Contrariis non obstantibus quibuscumque. Neapolitana die 23. Decembris 1817.

(43. 1. Quid permissum, quid vetitum sit Dignitatibus, et Canonicis, qui ex Apostolica concessione, tam in Civitate quam in Diœcesi, absente etiam pro tempore existente Archiepiscopo in Missis, Vesperis, Laudibus, et Horis Canonicis solemniter decantandis, ac etiam in processionibus, sive supplicationibus, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum, et Fontis baptismalis, ac reliquis Ecclesiasticis functionibus, pontificalibus Insigniis, aliisque indumentis, et paramentis, in omnibus, et per omnia ad instar aliorum Capitulorum et Canonicorum, qui eodem fruuntur speciali Apostolico Indultu, uti licite, et libere valeant? S. C. « Jam alias fuisse decisum quid permissum, quid vetitum sit Dignitatibus, et Canonicis, qui Apostolico gaudent privilegio, prout in Dubio expressum est; et dentur Decreta in Panormitana 22. Aprilis 1684. et Urbinaten. 29. Januarii 1752. Baren. die 20. Aprilis 1822. »

2. An pileolo uti possint Canonici assistentes Episcopo in functionibus Ecclesiasticis, tam in Altari, quam in Cathedra Episcopali? S. C. « *Negative* ad primam partem, et quoad secundam affirmative, dummodo non ministrent. » ibid n. 2.

3. An liceat Canonicis usus pulvinaris sub genubus, etiam præsente Episcopo, in functionibus ecclesiasticis? S. C. *Negative*.

4. An Canonici, qui ex speciali privilegio uti possunt Mitra aurophrygiata, uti etiam possint Mitra argentea tela contexta, et listata ex auro? S. C. *Negative, et in omnibus ad mentem*. ibid n. 4.

(44. Nonnullis dubiis delatis super usu Pontificalium in metropolit. Ecclesia Baren. placuit Pio Papæ VII. rem universam S. C. R. discutiendam demandare; quæ Decretum quo Pontificalium privilegia declarentur, certisque legibus ad Ritualium præscriptionum normam coerceantur, censuit edendum. Ejus vero Decreti Articuli sunt qui sequuntur.

1. Sacra peragere Ritu Pontificali de jure inhæret dumtaxat Episcopali Dignitati.

2. Prælati Episcopo inferiores pontificaliter celebrant ex privilegio, sed ornatu moderatiori, statutis tantum diebus, in propriis Ecclesiis ab Episcopali jurisdictione exemptis, et tenentur in reliquis omnibus adamus-

Digitized by Google

sim servare generalia Decreta Alexandri VII. a Benedicto XIV. confirmata.

3. In Ecclesiis non exemptis vetantur iidem Pontificalia exercere, etiamsi intercedat expressa Ordinarii loci licentia.

4. Dignitates, Canonici, Rectores Ecclesiarum, quocumque nomine insignium, prohibentur ritus, et cæremonias pro Episcopis, et Prælatis inferioribus designatas in sacris peragendis adhibere, aut ornatum aliquem pontificalem induere absque speciali Apostolicæ Sedis privilegio.

5. Quodcumque privilegium ad augendum Insignium quarumdam Ecclesiarum splendorem ab Apostolica Sede Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis concessum, ut pote læsivum dignitati Episcopali, de jure strictissime est interpretandum. Quamobrem nil aliud concessum intelligendum est, nisi illud, quod est speciatim expressum, neque ex indulto uno alterove privilegio, trahi potest consequentia ad alia, quæ singillatim descripta non fuerint.

6. Nec tamen, posito privilegio, omnia omnibus æque competunt, sed discrimine est opus inter Celebrantem, et Assistentes cum Insigniis pontificalibus.

7. Nam Celebranti quædam competere possunt Pontificalia Insignia; non item Assistentibus, dum Dignitates, Canonici, Rectores etc. sacra sumere debent Indumenta.

8. Sub generico ornamentorum pontificalium nomine, quæ ex privilegio Apostolica Sedes insignioribus Capitulis quandoque concedit, intelliguntur dumtaxat ex pluries decisis a Sacra Congregatione caligæ, sandalia, nec auro, nec argento ornata, sericæ item chirothecæ, Dalmatica, Tunicella, Annulus cum unica gemma, Crux pectoralis sine gemma, Mitra simplex ex tela alba cum sericis laciniis rubei coloris.

9. Hisce omnibus uti poterit solummodo Dignitas, Canonicus, aut Rector solemniter celebrans, nisi forte privilegium non omnia hæc, sed aliqua dumtaxat Insignia permittat.

10. Qui vero in Missa solemni Diaconum, et Subdiaconum agunt, etiamsi sint Dignitates, Canonici etc. nec Mitram, nec ullum aliud Pontificale indumentum, nec Palmatoriam, si illius privilegio polleant, ad Evangelium, et ad Epistolam adhibere poterunt.

11. Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus etc. Missam cum Insigniis Pontificalibus solemniter celebrare liceat, iis dumtaxat diebus, in quibus, celebrant vice Episcopi absentis, vel impediti, vel vita functi, aut in quibus Episcopus assistit, vel assistere deberet cum Pluviali, et Mitra, in reliquis diebus, etiamsi solemnibus, celebrent more solito.

12. In Ecclesiis Civitatis, et Diœcesis cum Insigniis Pontificalibus celebrare ipsis non liceat, nisi in majoribus Solemnitatibus, assentiente Episcopo, et assistente Capitulo.

13. Numquam vero iisdem utantur in Missis pro defunctis, licet Episcopus assistat cum Pluviali, et Mitra, sed celebrant more solito.

14. Si dignitas, vel Canonicus, etc. ab Episcopo designetur pro admittenda aliqua puella ad religiosum habitum, vel Novitia, expleto tyrocinio, ad solemnem professionem, Pontificalibus Insigniis uti nequeat, nisi de expressi licentia, qua obtenta, iis tantummodo utatur, quæ actioni conveniunt.

15. Cum pontificalibus Indumentis Celebrans, nec Faldistorio uti potest, sed sedere debet in scamno cooperto tapete, vel panno coloris, qui Officio diei respondeat.

16. Nequit præterea tam in solemni, quam in Missa privata sacras Vestes sumere ex Altari, uti Canone, Palmatoria, Presbytero assistente, salutare populum cum. ℣. *Pax Vobis*, loco ℣. *Dominus Vobiscum*, aut trinam dare Benedictionem post Missam, vel cum Sacramento; et si quæ sunt alia, quæ solis competunt de jure Episcopis, et ex privilegio Prælatis inferioribus, dum his Pontificalia peragere, statis diebus, concessum est.

17. Dignitates, Canonici, Rectores etc., quando parati assistunt Episcopo pontificaliter celebranti, Mitram solummodo adhibere possunt, quam pariter deferre poterunt sacris Indumentis, videlicet Pluviali, vel Casula, vel Dalmatica amicti, in Processionibus SSmi Corporis Christi. Benedictionibus Candelarum, cinerum, Palmarum, etiamsi has functiones peragat Dignitas, vel Canonicus loco et vice Episcopi absentis, impediti, aut vita functi.

18. Assistentes Episcopo, tam in Altari quam in Cathedra, quando ministrant, aut cum eo operantur, stare debent, detectis capitibus.

19. Solemniter celebrantes dum Episcopus sacra assumit Indumenta, aut solium ascendit, stent sine Mitra.

20. Non licet eis uti pulvino sub genubus, Episcopo præsertim assistente.

21. Non adhibeatur Acolythus ad tenendam Mitram cum holoserico velo e collo pendente, nisi pro Dignitate, Canonico, Rectore etc., solemniter celebrante, vel Sacramentum in Processionibus deferente.

22. Dignitates, Canonici, Rectores in processione SSmi Corporis Christi sacris Indumentis amicti Mitram manu deferant, nec eadem caput operiant.

23. Præterea reliqua omnia, quæ non sunt in privilegio expressa, ut vetita censeri debent.

24. In Missis privatis, quoad Indumenta, Cæremonias, Ministros, Altaris ornatum, a simplicibus Sacerdotibus non differant: sumant proinde sacras Vestes in Secretario, non utantur Cruce pectorali, unico Ministro contenti sint, non sibi velint aquam ministrari cum pelvi et urceolo, et duo tantum candelæ luceant in Altari.

25. Defuncti nequeunt in loculo efferri, nec tumulari cum Mitra.

26. In eorumdem funeribus, seu anniversariis super tumulo erigi solito, non apponatur Mitra.

Digitized by Google

27. In insigniis, seu Stemmatibus Familiæ Mitra non apponatur, nisi solo in casu, quo expresse concessum sit in Literis Apostolicis.

28. Quod si super præmissis aliquod exoriatur dubium, hoc ad S. Congregationem deferatur, quæ pro qualitate dubii providebit.

Si quæ vero Capitula amplioribus, ac præter hujusce Decreti instituta privilegiis se aucta fuisse arbitrentur, peculiaria hæc jura in S. Congregationem perpendenda deducant ut, quod e canonicarum Sanctionum præscripto visum fuerit, opportune decernatur.

De quibus omnibus facta per me infrascriptum S. R. C. Secretarium relatione SSmo Dño nostro, eadem Sanctitas Sua cuncta in hoc Decreto sancita benigne approbavit, atque in actis S. R. C. referri, necnon Literas Apostolicas sub plumbo de eodem dandas mandavit. Hac die 27. Augusti 1822.

(45. Proposito Dubio, An consuetudo, qua Canonici Ravennatenses, in associatione Archiepiscopi ab ejus aula ad Ecclesiam incedunt post ejus Crucem immediate ante ipsum possit in casu retineri S. C. *Negative*, *ac servatur omnino Cæremoniale Episcoporum.* Ravennaten. die 12. April. 1822.

(46. An ad Canonicos Clericos Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Sermonetæ possessione antiquiores, seu potius ad Canonicos Presbyteros antianitate posteriores, tam in stallo, quam in omnibus aliis functionibus tam intra, quam extra Ecclesiam, spectet præcedentia?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisita prius sententia alterius ex Apostolicarum cæremoniarum Magistris scripto exarata typisque vulgata, ad relationem Emi, et Rmi Domini Cardinali Bardaxy, juxta alias in similibus resoluta, censuit respondendum; *Juxta Votum*, nimirum — *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam. Leo XII. S. C. responsum approbavit die 8. Martii 1825.

(47. Cum Archiepiscopus Ravenn. inhibere ratus fuisset Canonicis et dignitatibus suæ metropol. Ecclesiæ usum Pontificalium, donec peculiaria sua jura juxta Decreti S. R. C. 27. Augu. 1822., editi placitum, in Sacram eamdem Congregationem perpendenda deducerent; S. C. expensis rationum momentis, unanimi voto statuendum decrevit.

Quoad Palmatoriam, affirmative, juxta privilegium, et laudabilem consuetudinem, nempe, ea uti possint dignitates, et Canonici metropolitanæ Ravennatium in Civitate, universaque Diœcesi in omnibus Ecclesiasticis functionibus; dummodo aliquis non assistat e S. R. E. Cardinalibus, vel Archiepiscopis.

Quoad mitram serico-damascenam, affirmative, dummodo dissimilis sit in textura ab illa Reverendissimorum Cardinalium; et quoad Processionem SS. Corporis Christi serventur strictim decreta in Anicien. 13. Jun. 1682. et in Urbinaten. 29. Jan. 1752. in reliquis servetur decretum Archiepiscopi Farsetti, die 24. Decembris 1727., ac 2. Jan. 12. 1728., atque expediantur Literæ Apostolicæ in forma Brevis, si Sanctissimo Domino nostro placuerit.

Leo XII. hoc S. C. R. Decretum approbavit et confirmavit, et de eo Apost. Literas in forma Brevis super re expediri mandavit. Ravenn. die 4. Octobris 1826.

(48. Kalendis Novembris 1824., datis a Leone XII. Apost. Literis in forma Brevis — super universam — quoad novam Parœciarum Urbis Ordinationem, id lege cautum erat ut Parochis seu Vicariis perpetuis Basilicarum minorum interea jus tribueretur sedenti inter Canonicos Ordinis Presbyteralis cum cæteris juribus, privilegiis, prærogativis et emolumentis, quibus cæteri ex illo ordine fruuntur, ac postmodum consequerentur Canonicalem Præbendam ex communi massa primo vacaturam. Hic juris ordo cæteris in Ecclesiis pacifice servatus, ubi prima vacatio contigit, controversiam attulit Capitulo Canonicorum Collegiatæ Basilicæ S. Mariæ Transtiberim. E vivis siquidem erepto Sacerdote Basilio Tragnoli illius Ecclesiæ Canonico, locus datus est optioni ad Ordinem Presbyteralem primo Canonico Diacono, antequam Hannibal Righi Canon. Parochus seu Vicarius perpetuus Præbenda Canonicali potiretur, qui ex hac optione injuriam se pati arbitratus supplicem libellum S. R. Congregationi dedit ut optionis jus sibi vindicaret. Hæc dubia proposita sunt.

1. An sit locus optioni ad Canonicatum Presbyteralem vacantem Canonico Massa, seu potius privative spectet ad Canonicum Curatum Righi vigore Literarum Apostol.? S. C. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam. Die 14. *Novembris* 1827.

2. An in futuris vacationibus sit locus adscensui ejusdem Canonici Curati, seu potius Diaconi, et Subdiaconi antiquioris possessionis? S. C. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam. Romana. 22. Septemb. 1827. Papa vero Leo XII. approbavit et confirmavit hoc Decretum, et declaravit — menti suæ esse conforme. — Ibid. n. 2.

(49. Cum perantiquæ consuetudines asservatæ in Metrop. Ecclesia Pisana, et nonnulla privilegia ad cohonestandam dignitatem Archipresbyteri ejusdem Ecclesiæ, adversabantur generalibus Rubricis et dispositioni Cœremonialis Episcoporum, Canonicis Metrop. S. C. respondit: « Dilata et exquiratur votum Magistrorum Cœremoniarum. » Casalen. die. 15. Julii 1752.

(50. Cum in Cathedr. Bituntina mos esset quod Celebrans præintonans Officium in Choro Stolam sibi imponeret illamque durante Officio retineret, Vicarius Capitul. illius Cathedr. postulavit ne illa consuetudo abrumperetur.

S. C. rescripsit: « Negative, et servetur Decretum in Alexan. die 7. Septemb. 1658., et in una Dalmatiarum die 7. Augusti 1663. » Ita servari mandavit. Bituntin. die 16. Martii 1833.

(51. Rmus Præsul Franc. Maria Zoppi, qui, annuente Sanctissimo, Massanensem Epi-

Digitized by Google

scopatum dimiserat, in eo erat ut potiretur Canonicatu superioris Ordinis in Metrop. Mediolanen. Ecclesia, et nè in hoc novo munere aliquid detraheret Episcopali dignitati, ac vanitatis notam devitaret S. C. R. inter alia hoc dubium proposuit.

1. Quænam Sedes, vulgo Stallo, sibi competat in Choro, in quocumque Capituli congressu, et quando sibi cum eodem Capitulo publice procedendum est?

2. Quemnam habitum gerere in Choro, quemnam in publicis Supplicationibus, aliisque sacris Functionibus, quemnam extra Chorum, cum privatam personam agit?

S. C. rescripsit : Ad 1 et 2. « Ratione Episcopatus posse ac debere uti habito ordinario, quo utuntur Episcopi in Rom. Curia id est Rochetto supra Subtanam, et Mantelletto violacei coloris, et debere præcedere omnibus aliis Canonicis, et sedere in primo Stallo supra omnes, ut in Compostellana die 15. Julii 1617. » Et servari mandavit. Mediolanen. die 16. Martii 1833.

(52. Proposito Dubio : Utrum Canonici sacris induti Vestibus adhiberi possint Chorum paratum vulgo *di damasco seta o velluto* dum solemniter Sacra peragit Episcopus in sua Diœcesi, vel Cardinalis Titularis in propria Ecclesia.

S. C. rescripsit : « In Choro stabili non licere. » Romana. die 6. Sept. 1834.

(53. Archiepisc. Compostellanus proposuit dubium An Canonici Cathedralis teneantur assistentiam præstare Episcopo extra Cathedralem ipsum sacras Ordinationes facienti?

S. C. rescribendum censuit : « serventur Decreta in una Veliternen. die 6 Septemb. 1698, in Grossetana die 16 Septemb. 1645, ac Civitatis Ducalis die 7 Decemb. 1698, nec non Cæremoniale Episcoporum. Compostellan. die 23 Maii 1835. »

(54. S. C. interrogata an Canonici Cathedr. Ecclesiæ Compostellanæ associare debeant Archiepiscopum ab Aula ad Ecclesiam, uti præscribitur in Cæremoniali Episcop. dum Pontificalia peragere debet, respondit : « Servetur dispositio Cæremonialis lib. 1, cap. 20, et detur Decretum in Turritana Compostellan. die 26 Aprilis 1704. »

(55. 3. An Canonici, aliique Capitulares vel conjunctim, vel seorsim ad Chorum euntes, vel redeuntes teneantur exhibere actum reverentialem Magistratui stanti in proprio scamno? Et in casu affirmativo, quomodo? S. C. : « Affirmative capite detecto, ut in una Camerinen. die 26 Januarii 1664, Prænestin. die 27 Augusti 1836. »

4. In eodem casu affirmativo, an idipsum præstandum quoque sit a Celebrante, et Ministris Paramentis indutis? S. C. : « Affirmative, sed capite tecto. » Ibid. n. 4.

5. An in solemni Supplicatione Sanctissimi Corporis Christi Gubernator, et Magistratus cum intortitiis accensis incedere possint immediate post Sanctissimum Sacramentum ad instar majorum Magistratuum? S. C. : « Negative ad tramites Cæremonialis lib. 2, cap. 33, 95. » Ibid. n. 5.

6. An Feria quinta in Cœna Domini ad accipiendam Sacram Synaxim accedere possint ad gradus Altaris? Et in casu negativo, an saltem ipsis dispensari debeat Sanctissimum Sacramentum intra septa Presbyterii, scamno ad hoc parato? S. C. : « Affirmative ad primam partem. » Ibidem num. 6.

7. An Gubernator Civitatis thurificari debeat triplici ductu quum Dignitates, Canonici et reliqui de Magistratu duplici tantum ductu cohonestentur? S. C. : « Negative, sed duplici ductu tantum. » Atque ita rescripsit, servarique in omnibus mandavit. Ibid. n. 7.

Hujusmodi Dubiis ab me infrascripto Secretario propositis in Ordinariis Comitiis ad Quirinale habitis sexto Idus Augusti superioris Anni 1835, antequam Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendi Ritibus præpositi quidquam rescriberent, sententiam alterius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris requirendam esse ratius duxerunt, ac proinde rescribendum censuerunt : — ***Exquiratur super omnibus Votum Magistri Cæremoniarum.*** — Ad tramites quocirca enunciati Rescripti, habito hujusmodi Voto, ac iterum proposita Causa in novo Ordinario cœtu ad Quirinale subsignata die coadunato, re mature, diligenterque perpensa, in omnibus juxta Votum ipsius Magistri Cæremoniarum propositis Dubiis.

(56. Ad preces Reverendissimi Archiepiscopi Florentini expetentis Indultum, cujus vigore alter ex Canonicis suæ Metropolitanæ incumbens constructioni Processus Ordinarii Servæ Dei Reginaldæ Toretti participare valeat de distributionibus Choralibus, quamvis hac de causa Choro non intersit, Sacra Rituum Congregatio in Ordinario Cœtu ad Quirinale subsignata die coadunata rescripsit : « Non indigere, et detur Decretum in Neapolitana die 23 Decembris 1827, quo declaratur Dignitates, et Canonicos ubique locorum existentes qui constituendis Processibus Ordinariis, vel Apostolicis in Causis Servorum Dei operam dabunt, licet a Choro ea de causa absint, lucrari ne dum quotidianas distributiones; verum etiam alias omnes quocumque jure, titulo, et nomine et quibusvis sub clausulis personale servitium exquirentes. Hoc autem Indultum locum habere iis tantum diebus, quibus conficiendis, et adornandis Inquisitionibus incumbant. » Florentin. die 27 Augusti 1836.

(57. Canonicus Dignitas in minoribus constitutus non potest in fine Officii in Choro intonare Antiphonam Titularis, et dicere Orationem. Meliten. S. R. C. 22 Feb. 1839.

(58. Utrum Canonici Mitræ, et Crucis pectoralis privilegium habentes, uti possint etiam Faldistorico, Chirothecis, Dalmaticis, Sandalis, Palmatoria, Grembiali, Baculo sine velo pendente dum solemniter celebrant. S. C. R. respondit stricte standum Privilegio. Baren. 3 Aug. 1839.

(59. Archiepiscopus Senensis exposuit : Che i Canonici di quella sua Metropolitana con Apostolico Breve dei 5. Luglio ora decorso ottennero la facoltà di far uso della Bugia anche nelle messe cantate, e sacre Funzioni, giacchè per le messe lette di già l'avevano.

Digitized by Google

Ora insorge il dubbio a chi spetti l'ufficio di tener loro la Bugia in tale occasione, e se possa esser tenuta indifferentemente da un Sacerdote o da un Chierico, e se debbano questi tenendo la Bugia avere indosso il Pluviale, o la semplice Cotta; e non avendo potuto riscontrare cosa alcuna in proposito, ricorre all' oraculo dell' Eminenze ec. S. C. respondit : « Palmatoria in casu juxta generalem consuetudinem sustinenda est vel a ministris, vel a magistro Cæremoniarum, Missæ solemni inservientibus. » Senen. 3 Aug. 1839.

(60. Archiep. Hydruntin. Exposuit : An usus a Canonicis tum Cathedralium, tum omnium Collegiatarum pluribus abhinc annis inductus deferendi sericos in galeris floccos, et caligas violaceas, quæ in Hydruntina Provincia habentur ut propria honoris, aut personatus insignia prohiberi debeat, vel tolerari, quum timeri possit ne prohibitio contemnatur? Et quatenus tolerari possit, an idem censendum sit de usu Annuli, aut in quibus circumstantiis ? S. C. Hydruntin. die 11 April. 1840.

S. Congregationis Concilii decreta.

(1. *Jubilationis indultum* denegavit Sac. Congregatio Joanni Theodori præbendato in Ecclesia Cathedrali Ripana tum quia non constabat de quadragenario continuo, et laudabili præstito servitio, tum quia ejus præbendæ possessor ex lege fundationis est amovibilis ad nutum Capituli Patroni accedente justa causa, et Consensu Ordinandi in Ripana Jubilationis 22 Januar. 1690.

(2. Licet quatuor anni deessent ad explendum quadragenarium servitium quibus ob non præstitum jusjurandum deportatus fuit absallis Joannes Baptista Ercoli Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ Vallerani, attamen ob expletum continuo, et laudabiliter reliquum servitium chori *indultum jubilationis* ei concessit S. Congregatio salvo jure Episcopi illum revocandi in Casibus urgentis necessitatis ad servitium, cujus deficientiam præ cæteris opposuerat Capitulum in Civitatis Castellanæ Jubilat. ad III.

(3. Indultum absentiæ a residentia Præposito, et Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Grossetanæ mensibus Julii, Augusti, et Septembris, exceptis festis S. Laurentii, et Assumptionis B. M. V. ob aeris insalubritatem ad decennium concessit Sac. Congregatio juxta votum Episcopi ubi variæ præscribuntur conditiones in Grossetana servitii Chori 18 Martii 1690.

(4. *Indultum* reductionis servitii chori ab Episcopo Aquilano ex facultatibus sibi oretenus impertitis a Delegato Apostolico concessum anno 1813. Capitulo ut chori servitium præstaret diebus festivis de præcepto, tempore Adventus, Quadragesimæ, atque Octavarum Nativitatis, Resurrectionis, et Sanctissimi Corporis Christi, attentis peculiaribus circumstantiis confirmatum, ad triennium a Sac. Congregatione die 23 Novembris 1816, ob easdem circumstantias ad illud triennium ad formam præcedentis prorogandum esse censuit eadem Sac. Congregatio in Aquilana servitii Chori 15 Aprilis.

(5. Ac tandem denegavit *indultum* absentis a choro addictis servitio particularium personarum, quavis etiam dignitate fulgentium, excepit tamen Caudatarios S. R. E. Cardinalium, quibus *indultum* concedendum esse confirmavit juxta decretum ejusdem Sac. Congregationis die 19 Augusti anni 1690. Ibid. ad VIII Dub.

(6. S. C. Denegavit *indultum* absentia a choro addictis servitio particularium personarum, quavis etiam dignitate fulgentium, exceptis tamen Caudatarios S. R. E. Cardinalium, quibus indultum concedendum esse confirmavit, juxta decretum ejusdem Sacræ Congregationis die 19 Augusti anni 1690, in dubiis Indultorum. Indultum absentiæ a residentia Præposito et Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Grossetanæ mensibus Julii, Augusti, et septembris, exceptis festis S. Laurentii, et assumptionis B. M. V. ob aeris insalubritatem ad decennium concessit S. Congregatio juxta votum Episcopi ubi variæ præscribuntur conditiones in Grossetana Servitii Chori 18. Martii 1820.

(7. Canonicus Philippus Angeluccius Theologus Cathedralis Ecclesiæ exercere cupiens munus Vicarii Generalis a S. C. petiit indultum vacandi a residentia, quod etsi negatum fuerit, tamen residentiam deseruit, et munus prædictum in Aesina Diœcesi exercuit. Inde reiteratis precibus denuo repulsam passus est. Adiit S. C. Rituum et per eam preces exhibuit Clementi XIII. Pont. Max. exponens ipsum a dicta S. C. delegatum fuisse in judicem processus Causæ ven. servi Dei Fratris Angeli Antonii Sandreani, et postulata obtinuit. Sed urgente Capitulo S. C. eumdem ad residentiam ac interventum teneri decrevit Maceraten 14. Martii 1778. dub. 3. confirmat. 18. Julii ejusdem anni.

(8. Absolvitur prævia consultatione Sanctissimi Capituluin, et Cononici Collegiatæ Ecclesiæ S. Nicolai terræ S. Ægisti, qui in pluribus defecerunt, et pluries proprio arbitratu, vel falsa opinione decepti servitium chori post obtentam reductionem causa redituum diminutionis deseruerunt : Nullius S. Ægisti 4. April. 1778.

(9. Canonicus Vincentius Calvo Ecclesiæ Cathedralis in minoribus initiatus, et causa sui Canonicatus Præsbyteralis coactus ad Sacerdotium suscipiendum, pertinaciter contendebat, Episcopo refragante, non decem tantum dierum spiritualibus exercitiis vacaturum pro tribus ordinibus extra tempore suscipiendis, sed dierum triginta Idcirco vel a vicinioribus ordinum collationem, vel a Metropolitano petivit. At S. C. ut supplicet Episcopo et ad mentem respondit « mens fuit ut scriberetur Episcopo ut Canonicum supplicem reciperet, eumque moneret ut se contineret in officio utque debitum Episcopo, præstaret obsequium, necnon resipiscentis animi daret argumenta, et in posterum caveret ab iis quæ in eo juste displicuerunt Episcopo, quæque Episcopus jure reprehenderat, atque damnaverat : quibus omnibus

Digitized by Google

a Canonico adimpletis Episcopus, quatenus idem Canonicus interim sacris Ordinibus non indignum se redderet, eos prævíis exercitiis spiritualibus eidem conferret. » Tirasonem. Ordinum 8. Augusti 1778. dub. 1.

(10. Insuper Decretum Episcopi die 8. Junii 1775. quo Vincentio Calvo prædicto Ecclesiæ Cathedralis Canonico ascensum ad sacros Ordines interdixerat, validum esse, S. C. decidit, licet ratione Canonicatus coactus sit ad Sacros Ordines suscipiendos. Ead. 26. Januarii 1782. dub. 1. Deinde esse locum ordinationi arbitrio et Episcopi conscientiæ dixit. Ibid. dub. 2.

(11. Quæstio de electione Decani in Ecclesia Metropolitana Urbini inter Canonicum Franciscum Mariam Rosa ex eadem Urbe, annorum 72. in Capitulo cooptatum anno 1738. et inter Canonicum Jo. Carolum Valbonetti ex Sarsinatensi Diocesi annorum 58. oriundum Canonicum renunciatum anno 1753. orta est. Hanc S. C. dirimit in favore Canonici Rosa, quum Capituli Constitutiones esse ex civitate oriundum et in possessione antiquiorem præseferant; etiamsi Canonicus alter antiquitatem esse intelligendam se Canonico de Massa, non de Præbenda, quum ipse de Massa Anno 1753. alter annò 1755. obtinuerit, contenderit; Urbinatem Decanatus 21. Novem. 1778. confirmat. 6. Martii 1779.

(12. Canonicus Nicolaus de Rubalo Basilicæ Lateranensis absens ab urbe fuit absque indulto Pontificio contra leges residentiæ quum Coadjutorem in Canonicatu haberet, qui chori, et Ecclesiæ servitio quam diligenter incumbebat; et quamvis consensus Capituli adesset, pacto tamen adjecto, quod beneficii vacandi in hebdomada ad eum spectante collatio devoluta intelligeretur ad Capitulum, adstrictus fuit ad solutionem punctaturarum pro rata tangente ad Beneficiatos et Clericos Beneficiatos, absolutus autem fuit quoad Canonicos ad formam Consensus a Capitulo præstiti: Romana. Fructum 29. April. 1780.

(13. Canonici novæ erectionis Collegiatæ Ecclesiæ S. Stephani terræ Cotinioliæ ex fundatione Antonii Zarabini, qui eis præcepit missam quotidianam conventualem per vices celebrandam pro ejus anima tenentur una cum Capitulo ad missam Conventualem applicandam pro benefactoribus in genere et additur ad mentem Faventina Missæ Conventualis 5. Junii 1780. Dub. 1.

(14. Canonicus Calixtus Tanfius Ecclesiæ Collegiatæ obtento indulto vacandi a Choro per biennium causa studiorum, amissis distributionibus quotidianis, fuit ad aliud biennium prorogatum ad formam præcedentis. Degebat enim adhuc in Seminario S. Salvatoris Majuris causa studiorum: Nullius Farfen. Punctat. 3. Augusti 1780. Dub. 2.

(15. Sacerdos Joseph Cajetanus Sciuscioli Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Præbendam Theologalem quam in ea possidebat, resignavit Sacerdoti Ludovico Janni sub reservatione Apostolicæ dispensationis. Resignationem admisit Episcopus, dummodo sese examinatorum judicio submitteret. Examinatores illum reprobarunt. Hos irrationabiles accusat modo Jannius, quinque adducens testes qui bene, diserte, et egregie illum respondisse fatentur, et se laureatum jam esse ostendit. Verum causam S. C. minime definiens ad Episcopum juxta mentem scribendum duxit. Sutrina Præbendæ Theologalis. 5. Augusti 1780.

(16. Canonici Collegiatæ Ecclesiæ Encyclicam Benedicti XIV. Pont. Max. « Post. Decretalem cap. 9. cum creatura tit. de celeb. Miss. in qua missarum solemnia conventualiter celebratio præcipitur, hodie attenditur Const. Bened: XIV. Cum semper 19. Aug. 1744. (Bull. ejusd. Pont. tom. 1. pag. 163.) quæ § II. Missam Conventualem canendam singulis diebus in Ecclesiis Patriarchalibus et Collegiatis applicandam esse pro benefactoribus in genere definiit » ignorantes quotidie Missam conventualem absque tamen applicatione pro benefactoribus in genere celebrasse exponunt. Animadvertunt insuper onus ejusdem Missæ applicationis modicos eorum reditus ferre non posse; proinde exorant absolutionem quoad præteritum, et dispensationem ab hoc onere quoad futurum exceptis diebus festis de præcepto S. C. quoad præteritum ad D. Secretarium facto verbo cum SSmo remisit, quoad futurum audire eos renuit. Æsina Missæ Conventualis 5. Aug. 1780.

(17. Cuilibet ex Canonicis Hebdomadariis tenetur celebrare Missam Conventualem absque ulla eleemosyna comprehenso per vices Archidiacono non autem ea præstanda sit ex massa communi.—Fanen. 26. April. 1780. Deinde recedendum a decisis censuit S. C. deditque negativum ad primam partem, affirmativum ad secundum responsum 15. Julii ejusd. anni confirmat. 20. Januarii 1781. Dub. 2.

(18. Canonico Ecclesiæ Collensis de jure patronatus Familiæ Usimbardi indulsit reductionem missarum ad duas missas tantum pro qualibet hebdomada, quum esset onus quotidianum; nam antea reductum fuit inspecta proventuum imminutione onus servitii; non autem haberi illa præbenda tamquam simplex beneficium debet. Collen. 19. Febr. 1781.

(19. Canonici Ecclesiarum Collegiatarum S. Crucis Hunfeld, et SS. Joannis Baptistæ et Cæciliæ Rasdorff. in minoribus constituti, et participantes tantum de *massa grossa*, non autem de emolumentis quæ in præmium residentiæ lucrantur, ad quam non sunt adstricti, tenentur Officium Divinum privatim quotidie recitare etsi consuetudinem invaluise illud non recitandi ob redditum tenuitatem Episcopus exponeret: Fulden. Visitationis Sacr. Liminum die 3. Aug. 1782.

(20. Ideoque exercere idem Canonicus officium Camerarii per substitutum nequit. Ibid. dub. 2.

(21. Canonicus solæ Collegiatæ Ecclesiæ Divæ Mariæ Magdalenæ oppidi Ereti in Sabinis, quod vulgo dicitur Monte Rotondo in sacris non constitutus, et super residentia causa studiorum dispensatus eligi non

Digitized by Google

potuit in Camerarium : Sabinen. 31. Maii 1783. dub. 1.

(22. Canonico Camerario, seu Depositario pro tempore absque deliberatione seu resolutione Capituli prohibetur expansas quascumque præter Summam juliorum quinque erogare etiam sub prætextu causæ extraordinariæ, aut quomodo libet necessariæ. Firmana 8. Junii 1782. dub. 6. confirmat. 6. Sept. 1783. dub. 2.

(23. Adductum quum esset an et omnes, singulis quæ Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Michaelis teneantur contribuere pro expensis Utensilium Parochialium, seu ad dictas expensas teneantur solummodo Prior, et sub-Prior animarum curam habentes? respondetur affirmative; ita tamen ut unusquisque contribuat pro rata parte suæ congruæ : Firmana, 6 Sept. 1783. dub. 3.

(24. Et ad alterum dubium an, et qui onus habent expensarum pro exequutione Rescripti S. C. editi die 17. Aug. anni 1779. quoad remotionem et expurgationem Sepulchrorum? affirmativum datum est responsum, ut ad proximum. Ibid. dub. 4.

(25. Ad interrogationem, an Canonicus Theologus Ecclesiæ Cathedralis loco explicationis Sacræ Scripturæ possit explicare Catechismum, et docere lectiones Theologiæ moralis prout approbante Capitulo assueverat? S. C. scribendum Episcopo juxta mentem. « Et mens est ut omnino servetur, cap : 7, sess. 24. Concilii Trid. per eos qui curam animarum gerunt, quo vero ad Canonicum Theologum, suas lectiones peragere debere juxta tradita a Benedicto XIV. de Synodo Diœces. lib. 13, cap. 9, § 17. » censuit : Fulginaten. 3 Julii. 1784.

(26. Sacerdos Dominicus Amurri Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ oppidi Offidæ ad ingravescentem ejus ætatem constituit sibi Coadjutorem Vincentium Antreanum ex Sorore Nepotem in minoribus ordinibus constitutum. Ipse sicut erat ex oppido Carrassai petiit ab Episcopo Firmano literas testimoniales, quas Episcopus Asculanus requisiverat. Renuit ille Episcopus has concedere, et idcirco S. C. adiit, quæ, ut scribatur Episcopo juxta mentem : « Mens est ut dicat, aut graves recusationis causas, aut det testimoniales » voluit. Asculana Coadjutoriæ, 12 Martii 1785.

(27. Belisarius Amadei Canonicatum in Ecclesia S. Eustachii Urbis annui redditus scut. 120, instituit, inquiens : e soltanto possa solo obbligarsi ad intervenire nelle solennità del SSmo Natale, di Pasqua, e di S. Eustachio. Modo nonnullæ controversiæ inter Capitulum et Canonicum Fornice dicti Canonicatus possessorem exortæ sunt. Ad has dirimendas S. C. decernit Canonicum Amadei teneri interesse choro etiam in solemnitatibus Epiphaniæ et Pentecostes præter solemnitates Smi Natalis, Paschatis Resurrectionis et S. Eustachii. Romana, 9 Julii 1785, dub. 1.

(28. Canonici Ecclesiæ Collegiatæ Clebæ, quorum præbendæ tenues erant, et tenuiores postea ex Regio Censu cum Pontificio Indulto per quindennium super illis imposito factæ sunt, Missæ conventualis reductionem ad solos dies festos de præcepto postularunt, et juxta votum Episcopi quoad applicationem tantum. « Censuerat Episcopus ut per idem quindennium concederetur licentia limitandi applicationem Missæ Conventualis ad dies Festos tantum : Ead. caus., 17 Junii 1786, § 2. » obtinuerunt : Alben. Reductionis Missæ Conventualis, 17 Junii 1786.

(29. Constantinus Salvi possidens in Ecclesia Collegiata S. Joannis Baptistæ terræ Campaneani Canonicatum nominatus est a patronis, quum esset de vocata familia, ad beneficium in eadem Ecclesia fundatum, qui onus Canonicorum uniforme, celebrationis nempe Missarum trium hebdomadalium, et chori servitii diebus festis mobilibus habet, qua de causa Capitulum non assentitur. Ille vero dispensationem efflagitat, et S. C. indulsit arbitrio Episcopi dummodo chori servitium detrimentum non patiatur. Nepesina die 8. Julii 1786.

(30. Haud concedendam censuit S. C. Dispensationem ab incompatibilitate Canonico Antonio Assortati, qui facultatem possidenti Canonicatum Ecclesiæ Collegiatæ S. Blasii terræ Miloni simul cum Rectoratu Immaculatæ Conceptionis ipsius terræ exoptabat : Nam fundator Rectoratus posse retinere cum nullis de Capellaniis, ex quibus in Canonicatibus erectis inde Ecclesia prædicta in Collegiatam coaluit, prohibuerat : Maceraten. Dispensat. die 19. Maii 1787. confirmat. die 13. Julii 1783. dub. 1.

(31. Canonici Honorarii titulum petens in Collegiata Ecclesia S. Mariæ Sulmonis, vulgo Sermoneta; in qua nullum exemplum extat, Clericus Joseph Quadrassi cum facultate interveniendi choro, supplicationibus, aliisque functionibus in habitu Canonicali, novissimum locum post Coadjutores occupans, nullisque distributionibus fruens a S. C. auditus non fuit; licet ei faveret Episcopus ac Capitulum assentiretur : Terracinen. seu Setina 16. Febr. 1788.

(32. Quum Canonicatus fundati ab Episcopo Reghinio in Ecclesia Cathedrali cum onere binarum hebdomadalium Missarum et servitii chori « ac facultate reservatæ Episcopo mutandi qualitates, et obligationes dicti Patronatus etiam contraria statuendo ad ejus libitum, sicuti melius placuerit : » imminuti sint valde redditus ob amissionem censuum, hodiernus Canonicus Franciscus Petrucci reductionem postulat hebdomadalium et conventualium Missarum, servitii que chori ad dies festos, et S. C. annuit juxta votum Episcopi. « Qui indulgendam censet reductionem quoad hebdomadales Missas, nullatenus quoad Conventuales pro benefactoribus, neque quoad chori quotidianum servitium utpote Canonici hæc detractantes propter damnum eisdem exinde dimanans, qui bene vero lubenter quoad diminutionem tantummodo Missarum ad Oratoris præbendam spectantium, assensum præbuerunt, quibus adhæserunt interesse habentes. »

Digitized by Google

Ead. Caus., 26 April. 1788, § 3. Sarsinaten., 16 Maii 1789.

(33. Redditus mensæ capitularis Ecclesiæ Cathedralis non prohibentur sibi Canonici applicare, et dividere ad formam decreti S. C. die 29. Januarii 1633. « Occasione Visitationis sacrorum liminum rescripsit S. C. anno 1633. ad Episcopum Cæsium superextantes mensæ Capitularis redditus erogandos esse in necessitatibus Ecclesiæ et Ecclesiarum eidem annexarum, earumque fabricæ, nec non in manutentione prædictarum. « Lib. 24. Decret. pag. 699. Ariminen. Reparationis Ecclesiæ Cathedralis 19 Septembris 1789. Dub. 2.

(34. Atque tenentur dicti Canonici ab anno 1786. exclusive ad restitutionem, et quoad præteritum ad D. Secretarium cum SSmo Ibid. Dub. 3.

(35. Gravia Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ Portus S. Mauriti sunt onera, redditus tenues. Ad annuas Missas cum cantu 611. aliasque lectas 306. pro benefactoribus in specie præter quotidianum chori servitium tenentur. Sexagies ipsi SSmum Sacramentum infra annum exponunt, psalmum *miserere* qualibet feria sexta recitant. Litanias cum Psalmo *de profundis* singulis Sabbatis, et Dominicis, terque in hebdomada tertiam SSmi Rosarii partem; qua de causa Missam conventualem negligunt; itaque rogitant modo pro reductione S. C. quæ protelans resolutionem, ut scribatur Episcopo juxta instructionem nempe ut referat de remediis a Concil. Trid. propositis Ead. Caus. 9 August. 1788. Dub. 2. mandavit: Albinganen. Missæ Conventuales 9. Augusti 1788. Dub. 2. Deinde reductionem juxta Episcopi votum « Ait ille remedia Concil. Trid. haud posse adhiberi hinc: si vero in hisce rerum circumstantiis Oratores a Missa Conventuali quoad futurum aliqualiter levandos esse EE. VV. arbitrarentur, putarem tamen relicto onere pro diebus festis ferialibus vero in lectam commutandam, hac tamen adjecta conditione, quod si augeantur redditus, iterum ipsis incumbat onus celebrandæ dictæ Missæ conventualis: Ead. Caus. 23 Januarii 1790. § 3. » concessit 27. Februarii 1790.

(36. Ac sub nomine solemnitatum SSmi Natalis non comprehenduntur tres dies consequentes, sed sub nomine solemnitatis Paschatis, comprehenduntur duos dies, qui primum sequuntur, nec non interventus incipere debere a primis Vesperis solemnitatum in testamento præscriptarum et in Sabbato Sancto Ibid. Dub. 2. Denuo S. C. requisita, suam sententiam aperuit, sub Primis Vesperis Paschatis comprehendi debere Missam solemnem Sabbati Sancti, et non omnes etiam ejusdem diei functiones 27 Febr. 1790.

(37. Inde postulatum fuit; an et quomodo, et in cujus favorem multandus sit Canonicus Amadei si non intervenerit statis a testatore diebus et quatenus in favorem Canonicorum præsentium, an vicissim etiam in ejus favorem cedere debeant fallentiæ aliorum Canonicorum iis diebus, quibus Canonicus Amadei interesse debet? respondit S. C. « quod facta assignatione tertiæ partis juxta votum. Ita sentit Card. Diaconus, detrahenda prius esse ab integro redditu Canonicatus scut. 60. pro onere Missæ perpetuæ, et tertiam partem reliquorum scut. 60. pro quotidianis distributionibus esse assignandam, quæ in eos dies distribui debeat, quibus Canonicus Amadei interesse debet, et in hoc utramque partem convenire refert. Ead. Caus. 9 Julii 1785, § 7. » Card. Diaconi fallentias esse erogandas juxta Decretum sess. 22, cap. 3. arbitrio ejusdem Card. Diaconi Ibid. Dub. 3.

(38. Ac Canonicum Amadei posse choro interesse juxta votum Card. Diaconi « ait non posse Canonicum Amadei choro et altari deservire pro alio, sinchè egli non si faccia ascrivere in una delle mentovate due settimane dell' ordinato alternativo servigio della Chiesa » Ead. Caus. 9 Julii 1785. § 10. aliis diebus præter eos qui a testatore præcipiuntur, et altari inservire pro alio Canonico, Ibid. Dub. 4.

(39. Deinde disputatum; an supplicatio *si nulli* sit relaxanda? et pariter negativum dedit S. C. responsum: die 18 Julii ejusd. anni dub. 2, et postmodum recessit a decisis ac institutionem dandam esse Agnelli censuit. 19 Decemb. ejusd. anni confirmat. 27 Febr. 1790.

(40. Electio Sacerdotis Honorati Vaccari in Canonicum Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Massæ Fiscaleæ legitimæ expleta declaratur a novis Officialibus Societatis Consortii Massæ prædictæ licet Canonicatus sub Officialibus decessoribus, qui post lapsum tempus Officii, in eo de licentia Vicarii Episcopi continuabant, et ad alliciendos Candidatus affigi curaverant edicta, vacasset: Cervien. 17 Aprilis 1790.

(41. Ut Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Palmatii oppidi Quargninto ab assiduo chori servitio, ac residentia, quam hactenus præstiterunt, quodammodo leventur, bimestrem efflagitant vacationum saltem ad exemplum Alexandrinæ Cathedralis S. C. indultum vacationum pro duobus anni mensibus, excepto tempore Quadragesimæ, Adventus, et solemniorum anni festivitatum concessit: Alexandrina Servitii Chori 17. April. 1790.

(42. Episcopus Narniensis occasione Visitationis comperiit, Canonicos Cathedralis pecuniam mensæ Capitularis occupare consuevisse absque ulla Decessorum suorum, et sua venia. Rogavit hinc ut eliminaretur hujusmodi abusus. S. C. decrevit, ut ea investimenta per eosdem fieri possent; et quoad futurum facienda, in casibus particularibus Episcopus uteretur jure suo; et imperavit insuper, ut investimenta præterita sustinerentur: Narnien. 15. Maii 1790. dub. 1. et 2.

(43. Canonici collegiatæ Ecclesiæ Oppidi *di Biandrate* singulis hebdomadis tres canunt Missas, terque Officium Divinum re-

Digitized by Google

citant, exceptis mensibus Julii, Augusti, et Septembris, in quibus officium diebus tantum agunt festis. Hii exorant S. C. pro indulto a Choro vacandi tribus illis nocuis mensibus, sub obligatione adimplendi onera reliquo anni tempore. S. C. assensa est eis juxta Card. Episcopi votum : Urcellen. servitii Chori die 19. Junii 1790.

(44. Etsi S. C. ratam habuerit electionem in favorem Sacerdotis Honorati Vaccari ad Canonicatum Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Massæ Fiscaleæ gestam, novis officialibus societatis consortii dictæ Massæ quum vacasset Canonicatus sub decessoribus Officialibus, tamen ad omne removendum nullitatis dubium, consulendum SS. pro Sanatione electionis S. C. mandat : Cervien. die 27 Novemb. 1790.

(45. Interrogata est S. C. an quomodo, et quibus diebus Canonici Collegiatæ Ecclesiæ Ariciæ Officium Divinum in choro recitare teneantur? responsum prodiit affirmativum in omnibus juxta votum Card. Episcopi, etiamsi centenaria ostenderetur observantia Albanen. 16. Maii 1789. confirmat. die 26. Martii 1791.

(46. In collegiata Ecclesia oppidi S. Victoriæ Canonicatum fundavit Nicolaus Augustinus Porfidi. Voluit hic ut nominaretur primum Franciscus Discreti, et inde *un figlio del Signor Nicola Marinelli*. Post eorum obitum, *e non essendo più Prebendati li detti Signori Discreti, e Marinelli*, jus nominandi Capitulo sub lege uniendi fructus Massæ Capitulari reliquit. Modo alter filius Marinelli Aloysius tamquam passive vocatus prætendit nominationem post obitum fratris Francisci. Sed S. C. institutionem ei dandam non esse statuit Firmana Præbendæ 26. Martii 1791. dub. 1.

(47. Canonicus Aldebrantus Leoni de genere patronorum modo possidet Canonicatum, qui ante erectionem Collegiatæ, olim Parochialis tantum, S. Leonardi oppidi Massatii ex Capellania Flaminii Leoni instituta coaluit. At possessor prædictus, pro tenui reditu scut. 8. vel 9. quæ ex originaria percipi possent sorte scut. 200. S. C. supplicavit ut servitium ad dies festos reducatur. Capitulum restitit et S. C. reductionem petitam denegavit. Æsina Reductionis Servitii chori die 27. Aug. 1791.

(48. Sacerdos Angelus Azzolani Canonicatum jurispatronus laicalis annui redditus scut. 19. cum onere missarum 105. servitii choralis diebus festis, subdiaconalis ac diaconalis officii ac novissimæ missæ alternis possidet. A tenuitate redditus, suaque pauperate impulsus reductionem petit missarum, et S. C. onus subdiaconalis, et diaconalis ministerii nec non celebrandi missam ultimam per vices reduxit. Montis Falisci Reductionis missarum die 17. Decem. 1791.

(49. Quatuor Canonicatuum fundationis Sacerdotis Michaelis Angeli Bronetti Ecclesiæ Collegiatæ S. Andreæ Apostoli Savilianæ possessores exorant reductione missarum. Nam antea redditus ad scut. 100. ascendebat, modo in scut. annue 10. absque eorum culpa decrevit. Præter missas gravantur hi onere servitii chori ac administrationis Sacramenti pœnitentiæ diebus festis; ideo S. C. annuit pro reductione onerum arbitrio Card. Archiepiscopi. Taurinen. Reductionis die 17. Decembris 1791.

(50. Canonicis Ecclesiæ Cathedralis permittitur, ut absentes a residentia ex causa etiam infirmitatis percipere valeant distributiones quotidianas quas ex Ecclesiæ statuto et sex centenaria consuetudine amittebant : Illerden. absentiæ et Distributionum 3. Martii 1792. dub. 2.

(51. Præeminentiæ stalli, turni, et ætatis prærogativæ denegatur Josepho Albertini Cathedralis Ecclesiæ Canonico, qui ad quintam Canonicalem sedem vicennio evectus, pinguioris quidem redditus, sed novissimum Canonicatum in ea obtinuit. Callien. Præeminentiæ 18. Aug. 1792.

(52. Canonici Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ in Burgo Civitellæ inservire tenentur in munere Diaconi et Subdiaconi Archipresbytero Dignitati diebus solemnioribus celebranti ad formam Constitutionum Abbatis olim Commendatarii de Rubeis, cui suberat Civitella; licet post confectas eas constitutiones Mansionarii instituti fuerint : Brictinorien. 20. Apr. 1793. dub. 4.

(53. Ad Canonicatum designatum in communi testamento Sanctæ Verri ejusque filiorum Canonici Angeli et Franciscæ Antoniæ Piermartini erigendum in Collegiata Ecclesia S. Mariæ de Misericordia oppidi Belviderii, institutionem dandam esse Clerico Francisco Mariæ Bevilacqua prælative vocato, licet in ætate annorum 14. deciditur. Impugnabat enim hanc nominationem Sacerdos Carottus : in secunda sede vocationis repositus : Senogallien. Canonicatus 11. Maii 1793. dub. 2.

(54. Canonico Theologo Volaterranæ Cathedralis conceditur jus optandi præbendas juxta declarationem in Sebenicen : Juris optandi die 8. Maii 1688. Volaterrana Juris optandi 20 Julii 1793.

(55. Canonici Ecclesiæ Collegiatæ Pergulæ in sacris non constituti non valent habere vocem in electione Archidiaconi licet in litteris erectionis expressum sit quoad electionem a pro tempore existentibus Capitulo et Canonicis : Eugubina Electionis 7. Sept. 1793. dub. 2.

(56. Canonicatum instituit Lancislaus Lignani in Cathedrali Ecclesia cum onere chori et missarum. Ugolinus Gualterotti hodiernus Canonicus passus est in judicio liberationis a molestiis exequutionem super meliori fundo Canonicalis præbendæ pro summa scut. 140. vigore obligationis fundatoris. Hinc ad eam removendam implorat facultatem vendendi domuncul terræ motu læsam cum adnexo hortulo, et duo prædiola unita Canonicatui; et S. C. annuit juxta votum Episcopi, nempe cum obligatione annui depositi scut. 10. in redintegrationem fundi Canonicalis : Civitatis Castelli 17. Aug. 1793. dub. 1.

(57. Missam Conventualem celebrandam

Digitized by Google

esse decernitur per Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ Trejæ ad formam rescripti anni 1713. quo eam S. C. propter tenuitatem reddituum ad dies reduxit festos, et ad nostram usque ætatem usi sunt gratia. Quum nuper eos obligaverit Archiepiscopus ad quotidianam ejusdem Missæ celebrationem juxta Enciclicam : Cum semper oblatas Bened. XIV, editam 19. Aug. 1744. (Bulla ejusd. Pont. tom. 1, pag. 163.) in qua § 11. disponitur. « Neminem vestrum latere putamus Sacrorum Canonum Sanctiones, quibus præcipitur, ut singulis diebus in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis Horæ Canonicæ debitis modo, et forma recitentur, tum etiam Missa Conventualis celebretur. » Camerinen. Missæ Conventualis 14 Decem. 1793.

(58. Si statutum aut consuetudo Ecclesiæ requirit servitium totius anni, tunc locum habet absentia trium mensium a Concilio permissa. Ill. Ab. et Distr. 3 Mar. 1792, § 5.

(59. Est enim dura residentia totius anni. Ibid.

(60. Et indulgeri aliquid solet ad recreationem animi, et corporis : Ibid.

(61. Ultra tres menses a Concilio Tridentino prohibitæ et trimestres tantum implicitæ concessæ sunt : Or. 14 Jan. 1792. § 9.

(62. Ideoque plurimum mensium cumulus ejusdem Concilii adversatur menti. Ibid.

(63. Diuturnioribus namque vacationibus desidiosi evadunt Ecclesiæ ministri : Ibid.

(64. In hac vacationum materia præservavit Concilium Ecclesiarum Constitutiones, vel consuetudines, quæ longius servitii tempus requirunt : Ibid. § 7.

(65. Hinc Capitulares qui vacationibus ex peculiari sua constitutione concessis, contenti hactenus fuerunt, conciliari beneficio tacite renuntiasse videntur : Ibid.

(66. Sed augeri possunt ad conciliares ob consuetudinem finitimarum Cathedralium : Ibid.

(67. Canonici Collegiatæ Ecclesiæ Mercatelli, post annos 70. renuerunt eorum præsentiam præstare anniversario ordinato a Laurentio Berardo in Ecclesia S. Francisci dicti oppidi ratione tenuitatis emolumenti, et re in S. C. delata, hæc decidit, dictos Canonicos assistere teneri ad prædictum anniversarium ad taxam constitutam ab Episcopo Castelli anni 1715, hæc enim antiqua, et tenuis erat : Urbanien Anniversarii 24. Jan. 1795. Dub. 1.

(68. Dubio proposito, an, et quomodo Capitulares Ecclesiæ Collegiatæ divi Petri absentes substituere possit in chorale servitium, et sibi invicem permutare conciliares vacationes juxta eorum antiquam consuetudinem, et ad quæ loca pro hujusmodi effectu extendantur suburbia Civitatis? S. C. respondit affirmative juxta votum Episcopi « Qui putat consuetudinem hujusmodi esse tolerandam, dummodo substituti eidem servitio non sint adstricti; restituant substituentes infra annum præstita servitia : frequenter non fiant substitutiones et non absint substituentes a territorio, » et ad formam Jatren anni 1626. Vide Verb. Canonici. § 11. num. 8. Spoletana Servitii Chori 28. Feb. 1795. Dub. 1.

(69. Canonico Ecclesiæ Cathedralis Paulo Leggi denegatur, demptis duobus mensibus vacationum, distributiones pro tempore ejus absentiæ quam fecit, ut ait, causa infirmitatis de qua testimonia non jurata exhibuit, sed contrarium alii testantur. Anagnina Distributionum 14. Martii 1795. Dub. 2.

(70. In Ecclesia Collegiata S. Michaelis Archangeli Caprarolæ præter Archipresbyterum, et novem Canonicos qui communem massam constituunt, alii novem accesserunt Canonici, qui vocantur extra Capitulares. Quum autem hii juxta constitutiones antiquas, nec non juxta inveteratam consuetudinem Capituli punctaturis immunes essent, Episcopus hodiernus proposita re in Capitulo de punctaturis Capitulariter fuit conventum. Extra Capitulares, sicut massa communi destituti, non paruerunt, et inde recursum in S. C. habuerunt; et S. C. decidit Canonicos extra Capitulares Collegiatæ prædictæ teneri ad servitium chori ita ut absentes absque legitima causa subjici debere punctaturis : Civitatis Castellanæ Punctaturum 16. Maii 1795. Dub. 1.

(71. Et est locus deposito pro fundo punctaturarum; nam Canonici prædicti impugnabant tertiæ partis fructuum remissionem pro distributionibus. Ibid. Dub. 2.

(72. Canonici Præbendarii Ecclesiæ Cathedralis quotidiano servitio sunt adstricti, nec non plurimis Missis gravati, perspecta eorum præbendarum tenuitate poscunt Missarum reductionem ex fundatione; et accipiunt responsum a S. Congreg. quod Præbendas Canonicales, quarum annuus redditus deductis oneribus, excedit scut. 20. negative; in reliquis affirmative juxta modum « Nempe reductionem ita faciendam esse ut pro quolibet Canonico libera remaneant scut. 20. » Comaclen. Reductionis Missarum 13. Junii 1795.

(73. Chorale servitium, quod Canonici Ecclesiæ Collegiatæ S. Jo : Baptistæ oppidi Canthiani ex decreto S. C. anni 1755. præstabant per duas hebdomadas, tertia alternis vicibus vacante, ob tenuitatem præbendarum, auctumque Canonicorum numerum, reducitur a S. C. ad alternum chori servitium Eugubina servitii Chori 13. Junii 1795. Dub. 1.

(74. Et conceditur simplicibus diebus festivis exemptio a chorali recitatione Matutini, et Primæ Canonicis destinatis celebrationi Missarum in Ecclesiis ruralibus ob defectum aliorum Sacerdotum. Ibid. dub. 2.

(75. Præscribitur tamen commune servitium chori in Octavis Paschatis; Resurrectionis, Pentecostis, et SS. Corporis Christi tantum. Ibid. dub. 3.

(76. Quum adeo tenues sint redditus Canonicorum Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ de Nazaret oppidi Sigestri ut si ii excipiantur qui curam habent animarum, nulli summam attingunt scut. 30. voluit S. C. locum esse reductioni Missæ conventualis ad dies festos de præcepto quoad applicationem tantum :

Digitized by Google

Brugnaten Missæ Conventualis 23. Januarii 1786. Dub. 1.

(77. Et eadem Missa Conventualis celebrari debet quoad futurum cum cantu, et extra tempus horarum Canonicarum ; licet diebus pro festis sine cantu ex antiqua observantia, et extra chorale tempus celebrassent : Ibid. dub. 2.

(78. Episcopis exposuit, quod in sua Ecclesia Cathedrali Canonici de jure patronatus laicorum diebus festis, in quibus onus habent applicandi Missam pro fundatoribus, minime applicare Missam conventualem benefactoribus in genere consueverunt. Ideo nomine Capituli supplicatur pro Missæ conventualis reductione inspecta reddituum tenuitate ; et Sacra Cong. decrevit ab omnibus esse Missam conventualem celebrandam statis vicibus et quoad applicationem pro benefactoribus in genere diebus festis tantum non omissa celebratione, et applicatione pro fundatoribus in specie per alium juxta leges fundationis : Brugnaten missæ Conventualis et pro Populo 28. Maii 1796. dub. 2.

(79. Ecclesia, S. Marci Castri Clementi in Collegiatam erecta cautum fuit, ut Canonici post annos 8. in quibus tantum Dominicis, aliisque festivis diebus Ecclesiæ inserviunt omnibus inservire Ecclesiæ teneantur ; inde suas Capitulum condidit Constitutiones, in quibus decernit, quod 8. illis elapsis annis, quisque duos vacationum menses diebus ferialibus sumere poterit juxta leges S. C. Concilii. Hinc Canonici soliciti de vacationum indulto, an sint hæ concedendæ ? postulant et S. C. concedendas esse juxta votum Archiepiscopi : Qui ait : « Forum votis annuere censeant EE. VV. non aliter ut facultate vacanti frui possint, quam ad formam earum legum, quas in re sacra ista Congregatio præscripsit, et synodales Constitutiones servari jusserunt » resolvit, Firmana 28. Maii 1776.

(80. Vicarius Apostolicus Setinus occasione Sacræ Visitationis Ecclesiæ Collegiatæ B. M. in cœlum Assumptæ Sulmonis in Latio, exemptionem Canonicorum Convisitatorum a punctaturis decrevit, quod consentaneum decretis S. C. Concilii ei visum fuit. At Capitulares decretum hoc impugnantes, quod solus Episcopus assumendi binos Canonicos Convisitatores, non inferior privilegium habet, nisi de consensu Capituli, quem Vicarius Apostolicus neglexit ; S. C. adierunt quæ præfatum decretum haud sustinere statuit : Terracinen. et Setina 18. Junii 1796. dub. 5.

(81. Quum Episcopus Scepusiensis solicitus esset restituendi disciplinam chori suæ Ecclesiæ Cathedrali, nonnulla condidit statuta super methodo chori inserviendi, et missam conventualem, et præ ceteris residentiam statuit conciliarem, cujus causas absentiæ cognoscere Episcopus debeat, quia Canonici pingues redditus et ædes canonicales prope Cathedralem habent. At dicti Canonici statuta impugnantes exhibent contrariam veterem consuetudinem, rigidum exponunt Scepusii aerem, gravesque loci difficultates, et petunt a S. C. declarari an ad residentiam teneantur ? et affirmativum responsum acceperunt, *Scepusien servitii chori* 30 Julii 1796. dub. 3.

(82. Capitulare decretum emanatum fuit in Ecclesia Collegiata S. Mariæ in Via Lata, ut Canonicus qui legitime impeditus Missas diebus suis celebrare nequiverit non possit alium substituere, sed Canonicus ordine succedere debet, « contravenientibus autem (nisi nocte vel mane diei, quo celebrandum ipsis esset, repentino forte morbo aliaque inopinata legitima causa impeditus fuisse constiterit) secretis item suffragiis, unoque solum dissentiente, decreta pœna Juliorum duorum pro qualibet vice, in nostri Sacrarii utilitatem applicanda. » Hoc decretum Canonicus Valenti impugnat, sed S. C. validum illud esse mandavit : « Romana servitii Chori 17. Septemb. 1796, dub. 3. »

(83. Episcopus Scepusiensis cupiens restituere disciplinam labefactatam chori in sua Cathedrali plurima condidit statuta, inter quæ voluit, ut missam conventualem celebrarent Canonici, qui pingues habent reditus, sicut mos est in aliis Cathedralibus Ecclesiis ; non vero uti consueverant celebrandi per alios diebus profestis. At Canonici impugnant hæc statuta et veteratam ostendunt contrariam consuetudinem. Sed S. C. consulta, rescripsit esse celebrandam Missam conventualem, et applicandam juxta modum, « Nempe, ut ultra dies solemniores ab Episcopo designatos Canonici omnes interesse debeant choro toto tempore Adventus, et Quadragesimæ : quodque Canonici singulis anni diebus psallere debeant per se ipsos. Missas vero Conventuales etiam principalem nuncupatam, celebrandas esse qualibet anni die a Canonico, et cum cantu usque ad finem Missæ : substituto alio Canonico in locum Turnarii, qui ob male effectam valetudinem celebrare non valeat cum cantu Missam votivam nec licere Canonicis Missas privatas celebrare tempore Missæ Conventualis nisi ordine successivo, ac præscribendo a Præfato chori et quoad singularum Missarum Conventualium applicationem, servetur Constitutio S. M. Bened. Cum semper oblatus. » § 22. Ead. Caus. 30. Julii 1796. Scepusien. servitii Chori 30. Julii 1796. dub. 2. Inde rediit dubium, quia nimis gravis visa est Canonicis resolutio celebrandi per se ipsos principalem Missam Conventualem diebus profestis et exorant reformationem, et Episcopo favente S. C. indecisis respondit juxta modum : « Nempe quoad Missam Conventualem Principalem etiam per Substitutos de gremio Capituli, et juxta votum Episcopi ; » qui § 3. putat ut substituti applicent dictam Missam pro Benefactoribus eleemosyna competenti a Capitulo soluta : Ead. Caus. 6. Maii 1797.

(84. Choralis servitii alternativa Canonicæ Cathedralis Casertanæ attenta insalubritate aeris, et prævia sanatione quoad præteritum, conceditur quoad futurum ex Indultu ad decennium, excepta Hebdomada majori, die Titularis Ecclesiæ, et ejusdem consecrationis. In Casertana Indulti 16. Maii 1801.

(85. Canonicorum Collegiatæ Ecclesiæ

Digitized by Google

Montis Marciani consensu approbata fuit a Sacra Congregatione translatio Chori, et cessio Sacrorum Suppellectilium, in Senogallien. 10. Aprilis 1802.

(86. Canonicum Aloysium Turchetti Collegiatæ Ecclesiæ S. Antonini Oppidi Pharæ adigendum esse ad solutionem fallentiarum, etiamsi curam exercuerit animarum in Villa Collis Todini rescripsit Sacra Congregatio in Nullius seu Farfen. Punctaturarum 15. Maii 1802.

(87. Institutionem ad Canonicatum in Collegiata Ecclesia S. Mariæ Majoris Hispelli denegavit Sacra Congregatio Friderico Trabalza, Hilario Ramagnini, et Francisco Tomassetti, in Fulginaten. Canonicatus 2. Augusti 1802.

(88. Instituendum esse ad Canonicatum Sisena in Collegiata S. Antonini Oppidi Pharæ erectum, Sacerdotem Aloysium Rossi ex fundatione qualificatum, rescripsit Sacra Congregatio in Nullius, seu Farfen. Canonicatus die 18. Decem. 1802.

(89. Jubilationis indultum denegatur Josepho Orengo Canonico in Cathedrali Albintimilii ob præstitum non laudabiliter quadragenarium chori servitium in Vintimilien. jubilationis die 26. Martii 1803.

(90. Præbendam Canonicalem ex fundatione Julii Cæsaris Bojani in Cathedrali Guastallæ erectam cum annuo redditu, quo cæteri Canonicatus fruebantur, augendam esse decrevit Sacra Congregatio, quia auctæ erant cæterorum Canonicorum Præbendæ in Nullius Guastallæ Præbendæ die 26. Novem. 1803.

(91. Indultum causa infirmitatis negavit Sacra Congregatio Canonico Jacobo Turini, ut eximeretur ab exercendis muniis Parochialibus, in Prænestina indulti 29. Mart. 1806.

(92. Consuetudinem reprobavit Sacra Congregatio, ex qua Canonici Cathedralis Interamnensis, qui ad quotidiani Chori servitium tenentur, tempore Quadragesimæ Choro alternatim interesse solebant ad Completorium, neque eisdem concedendum censuit ex integro indultum, ut eo tempore alternativum servitium obirent, in Interamnen. servitii Chori 14. Jun. 1806.

(93. Postulans Canonicus Collegiatæ Anguillariæ Joseph Peligni possessor duarum Præbendarum *Boccarini et Catani* (quæ nunc auctoritate Apostolica unitæ sunt) reductionem onerum attenta tenuitate fructuum utriusque præbendæ Sacra Congregatio statuit, ut taxato ab Ordinario congruo emolumento pro servitio Chori reliquos redditus erogandi essent in celebrationem Missarum ad manualem fructus vero legatorum, qui adnexi sunt præbendis, si non sufficiant erogandos esse in tot Missas, quot redditus ad manualem, simulque eadem S. Congregatio, jussit ut Episcopus incumberet restaurationi domus fatiscentis Legati *Cascianelli*, vel ejusdem alienationi cum investimento, in Sutrina reductionis onerum 29. Novembris 1806.

(94. Dispensationem a suscipiendo doctoratu dandam esse censuit S. Congregatio Aloysio Marchetti, qui ex collatione Apostolica Prioratum et Canonicatum obtinuit ea interposita conditione, *ut doctoratum in aliqua approbata Universalitate* susciperet, attentis expensis ad hoc necessariis conjunctim cum ejus idoneitate, in Lucana dispensationis 11. Apr. et 2. Maii 1807.

(95. Canonico Theologo Ciolli onus incumbere quadraginta lectionum infra annum sive Sacræ Scripturæ, sive Theologiæ arbitrio Abbatis definivit S. Congregatio, in Nullius Sublacen. Visitationis Sacrorum Liminum 11. Apr. 1807.

(96. Consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione a suscipienda Laurea in Sacra Theologia ad retinendam a Canonico Stephano Scerra Præbendam Theologalem definivit Sacra Congregatio in Balneoregien. Præbendæ Theologalis 12. Apr. 1807.

(97. Ad integras horas Canonicas recitandas diebus Dominicis, aliisque festis de præcepto compelli non posse Canonicos Collegiatæ S. Andreæ definivit Sacra Congregatio, cum obstaret contraria longævi temporis consuetudine et tenuitate præbendarum, in Nullius Sublacen. Visitationis SS. Liminum 18. Jul. 1807.

(98. Indultum absentiæ ex causa infirmitatis concessit S. Congregatio Sacerdoti Benigno Pistoja Mansionario Collegiatæ Ecclesiæ *Sublaci* juxta votum Emi Abbatis in Nullius Sublacen. die 17. Septembris 1808.

(99. Jubilationis indultum Sacra Congregatio concessit Canonico Gregorio Minucci in Cathedrali Prænestina, licet dubium esset an suppleverit fallentias per duos menses in quadragenario servitio, propterea quod ex supradventa infirmitate fallentias hujusmodi supplere nequibat, in Prænestina Jubilationis die 17. Decembris 1808.

(100. Jubilationis indultum concessit S. Congregatio Carolo Scriban Rossi, qui in Cathedrali Ecclesia Placentina servitium præstitit per annos quadraginta septem, licet abfuisset a Choro, quo tempore Vicarii munus exercuit, sed tamen auctus indulto abessendi in diebus et horis non impeditis, in Placentina jubilationis die 18. Martii 1809.

(101. Dispensationem a suscipiendo Magisterio in S. Theologia concessit Sacra Congregatio Sacerdoti Johanni Pressio ad effectum retinendi Præbendam Theologalem in Cathedrali Perusina ex eo quod jam prædecessores similem dispensationem obtinuerint, et Orator esset Doctor in utroque jure, in Perusina Dispensationis die 17. Maii 1809.

(102. Jubilationis indultum concessit S. Congregatio Canonico Marco Antonio Giannotti attento continuo et laudabili servitio per quinquaginta sex annos præstito in Basilica S. Mariæ in Panteon sita extra mœnia civitatis Tuscaniæ, in Tuscanen. Jubilationis die 17. Septembris 1808.

(103. Indultum jubilationis petitum a Canonico Collegiatæ Ecclesiæ *Cerbariæ* Francisco Antonio Arcangeli denegandum cen-

Digitized by Google

suit S. Congregatio ex eo quod de servitio *quadraginta duo* annorum demendi erant sex anni, in quibus a residentia abfuit causa studiorum in Nullius Sublacen. jubilationis die 18. Martii 1815.

(104. Suspensionem nominationis Canonicatus Monteboni Cathedralis Tuscaniæ, qui vacans erat, et nemo ob tenuitatem redditnum ad eum optabat, concessit S. Congregatio ad *decennium* deputato Ecclesiastico Administratore qui satisfactis Missis 48. quotannis superextantes redditus in dimissionem aeris alieni, et in multiplicum favore Canonicatus fideliter erogaret, et multiplico cessato integer numerus Missarum ad formam fundationis celebraretur in Tuscanen. Suspensionis die 18. Martii 1815.

(105. Provisio Canonicatus Collegiatæ Terræ Apoiri ex jure devoluto ab Episcopo facta, servandam censuit S. Congregatio attenta contumacia Partis in Camerinen. Canonicatus die 2. Decembris 1815.

(106. Atque sanationem concessit ad effectum percipiendi fructus Præbendæ pro toto tempore absentiæ ibid. ad 2. Dub.

(107-108. Quoad vero distributiones sanationem negavit pro eo tempore quo abfuit non petito, neque impetrato indulto, ibid. ad 3. Dub.

(109. *Indultum* ex causa infirmitatis a Canonico Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi *della Fratta, Josepho dell' Uomo* petitum a residentia differendum censuit Sacra Congregatio usque dum experimentum fieret arbitrio Episcopi num aer ejusd. Oppidi adversa esset ejus valetudini in Eugubina indulti die 13. Januarii 1816.

(110. Sed postea ingravescente morbo, licet non adhuc peracto experimento, indultum ex causa infirmitatis hac perdurante concessit. Ibid. ad 1. Dub.

(111. *Vacationes* a Choro pro dignitatibus, et Canonicis extensas ad quartum mensem cujuslibet anni ex resolutione Capitulari reprobavit S. Congregatio in Segobricen. jubilationis et Servitii Chori die 15. Junii 1816. ad 2. Dub.

(112. Jubilationis indultum denegavit S. Congregatio Joanni Theodori præbendato in Ecclesia Cathedrali Ripana, tum quia non constabat de quadragenario continuo, et laudabili præstito servitio, tum quia ejus præbendæ possessor ex lege fundationis est amovibilis ad nutum Capituli patroni, accedente justa causa, et consensu Ordinarii, in Ripana, Jubilationis die 22. Januarii 1820.

(113. Attenta eadem diminutione LL. MM. quatuor Canonicales Præbendas Razzanti, quarum unaquæque vix annua scutata sex reddebat, in Mathelicensi Collegiata erectas, ad duas *reducendas* esse censuit Sacra Congregatio, contradicente licet Capitulo; et simul duas Missas in hebdomada unicuique præbendæ adnexas ad duas annuas *reduxit* juxta obtentum alias indultum, in Mathelicen. Unionis Canonicatuum die 22. Januarii 1820.

(114. Attenta gravi paupertate Petri Hyeronimi Cattaneo *patroni* suspensionem ad decennium, si tamdiu opus fuerit, concedendam esse duxit Sac. Congregatio canonicatus vacantis in Collegiata Ecclesia S. Mariæ in Cœlum Assumptæ oppidi Pontiscuroni diœcesis Derthonensis, ut satisfactis per Capitulum omnibus oneribus superextantes redditus Oratori consignarentur, idque notificari voluit Ministris Datariæ Apostolicæ in Derthonen. Alimentorum die 22. Januarii 1820.

(115. Nec non *sanationem*, et absolutionem Canonicis Collegiatæ S. Mariæ oppidi Bettona concessit ob erogatos in fabricam Ecclesiæ tum fructus Archipræsbyteralis congruæ, cujus decennalis concessa ea de causa suspensio jam expiraverat, tum redditus quinque vacantium canonicatuum absque venia Apostolicæ Sedis in Assisien. Reædificationis die 22. Januarii 1820. ad 2. Dub.

(116. Ut compleretur reædificatio fatiscentis Collegiatæ, simulque Parochialis Ecclesiæ S. Mariæ Oppidi Bictonii, concessit ad decennium Sacra Congregatio tum *suspensionem* quinque Canonicalium præbendarum ibi vacantium, tum prorogationem alterius *suspensionis* jam concessæ Archipræsbyteralis congruæ cum conditionibus in voto Episcopi expressis docto, etc., idque notificari mandavit Ministris Datariæ Apostolicæ in Assisien. Reædificationis die 22. Januarii 1820. ad 1. Dub.

(117. Canonico Pœnitentiario Civitatis Plebis *indultum* absentiæ a residentia denegavit Sacra Congregatio, quamvis alii Pœnitentiarii munus exercuissent, et Ecclesiæ Fabricæ redditus applicassent, injunxitque Episcopo, ut proponeret alia media pro reparatione Ecclesiæ. In Civitatis Plebis, Residentiæ, et Ecclesiæ Reparationis die 17 Febr. 1821.

(118. Addictis Sanctæ Sedis servitio sive in temporali, sive in Ecclesiastico munere, confirmandum esse jam concessum indultum absentiæ a Choro, et in posterum esse concedendum pro diebus et horis, quibus impediti fuerint, chorali servitio interesse, ob hujusmodi munus, amissis tamen distributionibus inter præsentes tantum, statuit Sacra Congregatio. In Dubiis indultorum die 6 Maii 1820. ad 1. Dub.

(119. His vero, qui ob aliquod munus extra locum beneficii nunquam possunt choro personaliter interesse, durante munere, indultum absentiæ denegavit eadem S. Congregatio, exceptis tamen Nunciis, et internunciis, ibid. ad 2. Dub.

(120. Inservientibus Secretariis Congregationum EE. S. R. E. Cardinalium pro expediendis negotiis tum Ecclesiastici, tum temporalis regiminis indultum absentiæ a Chorali officiatura concedendum esse pro diebus, et horis muneris, censuit eadem Sacra Congregatio, amissis tamen distributionibus ne dum inter præsentes dividendis, sed etiam amissa tertia parte quotidianarum distributionum. Ibid. ad 3 Dub.

(121. Capellæ Pontificiæ inservientibus sive in munere Magistri Cæremoniarum, sive Acolythorum et Clericorum indultum ab-

Digitized by Google

sentiæ a choro, amissis tamen distributionibus inter præsentes, tantum concedendum esse judicavit pro diebus, et horis servitii præstandi personaliter, et ex munere non proprio lubitu, super quibus eorum conscientiam oneravit Sacra Congregatio. Ibid. ad 4. Dub.

(122. Lectoribus vero indultum absentiæ a choro concedendum esse autumavit pro diebus et horis quibus in publicis Universitatibus S. Theologiam docent, amissis tamen distributionibus tum inter præsentes, cum tertia parte quotidianarum. Ibid. ad 5. Dub.

(123. Excepto tamen casu veræ necessitatis, denegavit eadem Sacra Congregatio indultum absentiæ a chorali officiatura tum pro excipiendis Confessionibus sive in Ecclesia Beneficii, sive in alia Ecclesia, vel Monasterio, tum vacantibus exercitio Sacrarum Missionum, aliisque pietatis operibus. Ibid. ad 6. Dub.

(124. Denegavit præterea idem absentiæ indultum Coadjutoribus sive ratione munerum, sive causa studiorum. Ibid. ad 7. Dub.

(125. Licet quatuor anni deessent ad explendum quadragenarium servitium, quibus ob non præstitum jusjurandum deportatus fuit a Gallis Joannes Baptista Ercoli Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ Vallerani, attamen ob expletum continuo et laudabiliter reliquum servitium chori, indultum jubilationis ei concessit Sacra Congregatio, salvo jure Episcopi illum revocandi in casibus urgentis necessitatis ad servitium, cujus deficientiam præ cæteris opposuerat Capitulum. In Civitatis Castellanæ Jubilationis die 15 Julii 1820. ad 1. Dub.

(126. Reductionem Canonicatuum et præbendarum beneficialium vacantium in Collegiata Ecclesia S. Andreæ oppidi Vellerani ob nimium divini Cultus detrimentum denegavit Sacra Congregatio, post auditam R. C. A. juxta resolutionem diei 18 Decembris elapsi anni, quæ jurepatronatus tantum Ecclesiæ nec non præposituræ, et Archipresbyteratus fruitur, non vero cæterarum præbendarum; verum exiguitati redditum consuluit temporanea suspensione collationis earumdem præbendarum in secundo dubio concessa. In Civitatis Castellanæ Reductionis et Dispensationis 15 Julii 1820. ad 1. Dub.

(127. Reductionem servitii chori denegavit Sacra Congregatio Beneficiatis Verotti, et Manganoni in Basilica S. Mariæ in Cosmedin, tum quia redditus notabiliter diminuti non erant, tum quia officiatura Choralis detrimentum patiebatur. In Romana serviti Chori 17 Februarii 1821. ad 1 et 2. Dub.

(128. Substineri dixit Sacra Congregatio præscripta Emi abbatis Trium Fontium lata die 29 Septembris 1819. ideoque non licere iis Canonicis Nullius Orbeteli, qui Parochum Archipræsbyterum deservire, et coadjuvare tenentur, Matrimoniis interesse absque Ordinarii vel Parochi licentia; itemque posse eumdem Abbatem coarctare, et etiam tollere facultatem audiendi confessiones memoratis canonicis, sicut cæteris Confessariis. In Nullius Orbeteli, jurium Parochialium 2 Junii 1821. ad 1 et 2. Dub.

(129. Nec non ad Priorem Archipræsbyterum qui Paræciæ curam habet, non vero ad Canonicos Coadjutores spectare jus distribuendi testimonia peractæ Communionis Paschalis, et conficiendi statum Animarum. Ibid. ad 3. Dub.

(130. Quamvis Secundo Piacenti resignaverit R. P. D. Conversi Canonicatum Basilicæ S. Mariæ Transtyberim, reservata sibi pensione scut. 120. super fructibus, redditibus certis, et incertis, quæ fere excedit præbendæ fructus, tamen ad dictum Piacenti spectare onus solvendi Sacrario pensionem scut. quinquaginta censuit S. Congregatio ad formam Brevis 28 Novembris 1806. quo ea oneratur ultimus Canonicus, quemadmodum nunc est Piacenti. In Romana Pensionis 21 Julii 1821.

(131. Attenta consuetudine, Sacra Congregatio Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ Civitatis Evoli denegavit indultum præstandi servitium choro alternis hebdomadis. In Salernitana Servitii Chori 21 Julii 1821. ad 1. Dub.

(132. Eadem de causa, et quia ex Bulla erectionis Mansionarii ejusdem Ecclesiæ tenentur quotidie Choro interesse, Sacra Congregatio concedere noluit servitium alternativum. Ibid. ad 2. Dub.

(133. Nec non absolutionem a censuris incursis ob bonorum direptionem, et alia hujusmodi iisdem Canonicis concessit Sac. Congregatio, facto verbo cum Sanctissimo, injuncta tamen gravi, et salutari pœnitentia arbitrio ejusdem Episcopi. Ib. ad 6. Dub.

(134. Attento Rescripto Sanctissimi Canonico Francisco Vagnozzi concesso per Secretariam Memorialium, quo permittitur, ut a Residentia, et servitio Chori abesset, et nihilominus sui Canonicatus fructus, redditus, ac proventus percipere posset, S. Congregatio censuit hæc omnia ab illo percipienda esse, exceptis tantum distributionibus inter præsentes, et compensato arbitrio Eminentissimi Episcopi servitio Curæ, quatenus Vagnozzi Canonicus Collegiatæ Montis Fani Auximanæ Diœcesis per alium non inservisset. In Auximana Distributionum die 22 Decembris 1821.

(135. Nec non sanationem et absolutionem Canonicis Collegiatæ S. Mariæ Oppidi Bettona concessit ob erogatas in fabricam Ecclesiæ tum fructus Archipresbyteralis congruæ, cujus decennalis concessa ea de causa suspensio jam expiraverat, tum redditus quinque vacantium Canonicatuum absque venia Apostolicæ Sedis. Assisien. Reædificationis die 22 Januarii 1823. ad 2. Dub.

(136. Sanationem concessit Sac. Congregatio Joanni Baptistæ Ercoli Canonico Collegiatæ Ecclesiæ Vallarani absenti a residentia jam a quinque mensibus valetudinis tuendæ causa, onerata tamen super hoc ejus conscientia. In Civitatis Castellanæ Jubilationis die 15 Julii 1823. ad 3. Dub.

(137. Canonicis Eccles. Cathedralis Casertanæ etiamsi non capitulariter, sed uti singulis cum Episcopo intervenientibus, vel ab eodem invitatis, competere jus assistendi

Digitized by Google

Episcopo in sacris functionibus, non solum intra ambitum Civitatis Magdalunæ, sed etiam in Ecclesia Collegiata, dixit Sac. Congregatio, quæ decrevit quoque ut quotannis die 8 Maii per Deputatos Episcopo obedientia præstanda esset a dicta Magdalunensi Collegiata. In Casertana die 2 Augusti 1823, ad 1 et 2. Dub.

(138. Declaravit Sac. Congregatio Norberto Ricciotti proviso anno 1816. Canonicatu in Cathedrali Alatrina deberi redditus præbendæ die 19 Junii 1816. qua expiravit Indultum suspensionis illius per decennium ab Apostolica Sede concessum, ut repararetur Ecclesia, licet materialiter, et non utiliter elapsum fuerit decennium ob militarem occupationem, quæ Canonicatus fructus per quinquennium sibi addidit. In Alatrina die 26 Augusti 1823.

(139. Ad Canonicos Theologum, et Pœnitentiarium Metropolitanæ Ecclesiæ Surrentinæ, tam præsentibus, quam absentibus dignitatibus, nullam spectare præeminentiam super alios Canonicos, ideoque eos debere in Choro juxta anzianitatis ordinem sedere, dixit S. Congregatio; quæ præterea declaravit, eis Chori præsidentiam, absentibus omnibus dignitatibus, non competere, nisi antiquiores sint. In Surrentina, Præeminentiarum die 20. Decem. 1823. ad 1 et 2. Dub.

(140. Cum adversus Literas Apostolicas, quibus Nicolao Colotio, Joannis Baptistæ Benvenuti Canonici Præpositi Collegiatæ S. Mariæ Frusinonis Verulanæ Diœcesis Coadjutori, concessum fuit Stallum in Choro primum nempe inter Canonicos, post Archidiaconum juxta morem, et consuetudinem in Capitulo vigentes, Canonici, qui assertam consuetudinem negabant, arbitrium pro aperitione oris et ideo literas Apostolicas exequendas non esse peterent, Sac. Congregatio ob suffragiorum paritatem causam iterum proponi mandavit. In Verulana Stalli die 20 Decemb. 1823. ad 1, 2 et 3. Dub.

(141. Attenta renunciatione Capituli Collegiatæ Ecclesiæ Frusinonis Verulanæ Diœcesis, quod ob mortem Canonici Præpositi quæstionem de stallo ad Coadjutorem Præpositi spectanti inutilem esse censuit, Sac. Congregatio non proponi mandavit causam super aperitione oris, et executione literarum Apostolicarum, quibus Colotio concessa fuit Canonici Præpositi Coadjutoris. In Verulana Stalli 20 Martii 1824. ad 1, 2 et 3. Dub.

(142. Ad formam decreti Concilii Tridentini *Sess.* 24. *Cap.* 12 *de Reform.* ampliandum esse servitium chori in Cathedrali Ostunensi, respondit Sacra Congregatio, quæ aliquid ad mentem addidit. Præterea in tertia parte fructuum ad formam decreti laudati Concilii sess. 12. Cap. 3, de Reform. fallentias constituendas esse voluit. In Brundusina, seu Ostunen. Servitii Chori 26 Junii 1824. ad 1 et 2. Dub.

(143. Sacra Congregatio Mansionariis Metropolitanæ Ecclesiæ Bononiensis, cum nulla adesset justa et rationabilis causa, indultum reductionis servitii Chori, seu vacandi a canta in Missis dierum ferialium, et semiduplicium, denegavit. In Bononien. Reductionis Onerum 26 Junii 1824.

(144. Sacerdoti Vincentio Passalacqua Coadjutori Dominici Mazza in Cathedrali Ecclesia S. Severini Canonici Pœnitentiarii, quia neque ex Capituli constitutionibus, neque ex Apostolicis Coadjutoriæ literis, neque alio legitimo modo vox in Capitulo ei tribuebatur, jus ferendi suffragii non competere rescripsit Sacra Congregatio. In S. Severini Vocis in Capitulo 18 Septembris 1824.

(145. Servitium Chori, quo tenentur Sacerdotes participantes Ecclesiæ Matricis Oppidi Careni Mazzarien. Diœcesis, ad horas ante meridianas tantum præter officia tenebrarum reduxit Sacra Congregatio; cum tenuissimæ essent Præbendæ; denegavit vero Anniversariorum reductionem, quia redditus satis erant huic oneri ferendo. In Mazzarien. Reductionis Servitii Chori, et Anniversariorum 18 Decembris ad 1 et 2 Dub.

(146. Nec malam esse examinatorum relationem, nec irrationabile judicium Episcopi, qui præbendam theologalem Canonico Vincentio la Galla contulit, posthabito Aloysio Advocato Biasuccio, iterum respondit Sacra Congregatio eidem Biasuccio rursus appellanti, vadimonium tamen deferendi, dum in decisis sub die 5 Septembris elapsi anni standum esse decrevit. In Terracinen. seu Setina Præbendæ Theologalis die 13 Februarii 1825.

(147. Ac proinde præfatam theologalem præbendam non esse conferendam Biasuccio, nec huic esse restituendos fructus implicite rursus respondit Sacra Congregatio ibid.

(148. Abbati Spada veluti quartæ dignitati Metropolitanæ Ecclesiæ Lucanæ competere jus Missam canendi diebus solemnioribus, si illam Archiepiscopus non cantet, [illegible] eumdem habere vocem activam in Capitulo, quando de rebus spiritualibus, et mixtis agatur; non vero si de rebus tantum temporalibus, quamvis tunc Capitulo interesse possit, dixit hæc Sacra Congregatio, quia redditibus Capituli non gaudet, neque temporalia onera sustinet; eamque ob causam decrevit quoque ut ad munera Capitularia eligi possit, et illa obire, si spiritualia et mixta sint, si vero temporalia, tum solum poterit cum ad formam Bullæ erectionis Abbatiæ suæ redditus in Massam Capitularem contulerit. Tandem censuit eidem competere jus percipiendi emolumenta legatorum quæ post Abbatiæ fundationem erecta fuere. Lucana, Præeminentiarum, et Jurium die 26. Februarii 1825. ad 1, 2, 3, 4 et 5. Dub.

(149. Attento continuo et laudabili quadraginta annorum servitio ab Archidiacono Antonio Cerroni in Collegiata Ecclesia S Mariæ Frusinonis Verulanæ Diœcesis præstito, S. Congregatio ei jubilationem concessit. In Verulana jubilationis die 26. Febr[illegible] 1825.

(150. Distributiones quotidianas Francisco Posta Canonico Decano Ecclesiæ Cathedralis Alatrinæ perceptas, dum erat absens a residentia infirmitatis causa, quamvis absque

Digitized by Google

Apostolico indulto, restituendas Capitulo non esse, imo hoc teneri illius hæredibus præstare distributiones retentas, decrevit S. Congregatio. In Alatrina Residentiæ die 9. Julii 1825. ad 1 et 2. Dub.

(151. Canonicos Collegiatæ Terræ Ariciæ Albanen. Diœcesis a Sede Apostolica provisos minime obstrictos esse ad solvendam mediam annatam Fabricæ Ecclesiæ declaravit S. Congregatio. In Albanen. mediæ Annatæ die 3. Septemb. 1825.

(152. Non constare de nullitate erectionis præbendæ theologalis in Ecclesia Strongulensi factæ a Vicario Capitulari Le-Quaglie definivit Sacra Congregatio, tum quia non constabat de illegitima ejus electione, qua etiam posita, erectio theologalis non ab auctoritate Vicarii, sed a Concilio Tridentino validitatem suam fuisset mutuata, tum quia non a laica potestate, cujus implorata tantum fuit venia, sed ab Ecclesiastica auctoritate facta fuerat præfata erectio. In Strongulen. Præbendæ Theologalis 18. Septembris 1825 ad 1. Dub.

(153. Sententiam privationis Canonicatus a Vicario Capitulari metropolitanæ Ecclesiæ S. Severinæ latam contra Archipresbyterum Franciscum Apa absentem a quinquennio non substineri dixit Sac. Congregatio, nedum ob inobservatos pœnarum gradus a Concilio Tridentino præscriptos, verum etiam ob justam absentiæ causam, declinandi injustam tyrannidem. In S. Severinæ, privationis Canonicatus 22. Januarii 1827. ad 1. Dub.

(154. Eumdemque Archipresbyterum manutenendum esse in dignitate Archipresbyterali, et quatenus opus esset ad eamdem etiam redintegrandam esse, judicavit Sacra Congregatio. Ibid. ad 2. Dub.

(155. Ac illi a die cessatæ perceptionis omnes fructus restituendos esse ab iis Canonicis, qui eos perceperunt, exceptis tamen fructibus provenientibus ex Massa pro Missis celebratis, decrevit eadem S. Congregatio. Ibid. ad 3. Dub. *Canonicatus.*

(156. Proposito dubio an Canonicus Marocchetti, qui in cathedrali Ecclesia Bugellensi officium Pœnitentiarii recens constitutum perpetuum in modum sibi suæque præbendæ, quam antea liberam tenebat, imponi passus fuerat, posset Ecclesiæ Oropensi præfici, ex jure Canonicis ceteris communi constituendi Rectorem dictæ Ecclesiæ B. Virginis custodiendæ, eumque e suo Collegio adscribendi, quin stata in absentes punctatura durante munere mulctetur, Emi Patres responderunt, ex Sacri Juris censura Rectoriam Sanctuarii Oropensis incompatibilem quidem esse cum Canonicatu Pœnitentiario Cathedralis Ecclesiæ, et ad Secretarium cum SSmo juxta mentem : mens est ut ex speciali gratia in exemplum non deducenda dignetur SSmus annuere præcibus Oratoris primi Pœnitentiarii juxta votum Episcopi, proviso per ipsum Episcopum ne desit alter ex gremio Capituli, qui suppleat loco Pœnitentiarii absentis, quatenus eligatur Rector Oropensis. In Bugellen. Incompatibilitatis 26. Januarii 1827.

(157. Cum redditus Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Martini ob passam imminutionem tenues adhuc sint. Sac. Congregatio indultum reductionis quoad chori servitium 16. Decembris 1820. concessum prorogavit donec augeantur redditus; at servitium chorale ad Octavas Privilegiatas ampliavit. In Nullius S. Martini Reductionis Servitii Chori die 22. Februarii 1827.

(158. Contendentibus Canonicis Carmalionensibus in Taurinensi Diœcesi ob indultum sibi jus optionis derogatum fuisse a Summo Pontifice regulis Cancellariæ de affectionibus, vel reservationibus, ideoque optari posse quosque Canonicales præbendas, licet affectas vel alio modo Apostolicæ Sedi reservatas, negativum in omnibus responsum edidit Sac. Congregatio. In Taurinen. Præbendæ. Theologalis die 27. Aprilis 1827, ad 3. Dub.

(159. Iisdemque conquerentibus de quodam Archiepiscopi decreto jubentis ut Capitulum, de optandi jure testimonium daret, quasi inde sibi vindicare vellet jus confirmationis contra jura Capituli Carmaniolensis Bullis Pontificum sancita, Emi Patres proposito dubio an, et quomodo in casu Optionum auctoritas Archiepiscopi intervenire debeat, rescripserunt affirmative per confirmationem optionis, et ad Secretarium cum SSmo. In eadem ad 4. Dub.

(160. Translationem initam inter administratores Nosocomii Montis Bodii, et Josephum Roberti approbandam esse censuit Sac. Congregatio, ad eliminandas litium expensas, quas ille locus pius sustinere nequibat et ob incertum causæ eventum. In Senogallien. Transactionis die 8. Maii 1827.

(161. Attentis peculiaribus circumstantiis in facto concurrentibus, S. Congregatio benigne concessit Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Sarnensis indultum recitandi mane Vesperas cum Completorio mensibus æstivis juxta votum Episcopi ad decennium, facto verbo cum SSmo. In Sarnen. Servitii Chori die 25. Maii 1827.

(162. Indultam per Emum Episcopum Prænestinum Pontificis facultatibus auctum Sacrorum reductionem in Canonicatu quem Lucas Zancatius in Cathedrali Ecclesia fundaverat, cum acriter impeteret Jacobus Petrinius ejusdem Beneficii patronus, S. Congregatio maluit differre judicium, et interim Emus Episcopus, accito Patrono, curet exhiberi statum activum et passivum Canonicatus, et dignetur referre an et in qua Summa, durante suspensione, redditus Canonicatus fuerint investimento collocati. In Prænestina, Reductionis Missarum die 25. Maii 1827. ad 1. Dub.

(163. Præcibus Collegiatæ Ecclesiæ Capedonensi in Firmana Diœcesi, quibus postulabatur suspensio Canonicatus ad turrim campanilem et Ecclesiæ parietes sarciendos atque puliendos, cum nec Canonici neque municipes (qui patronatu Ecclesiæ fruuntur) sustinendis hujusmodi impensis pares essent Emi Patres annuendum dixerunt ad annum et si quid deerit pro impensa necessaria, Emus Archiepiscopus curet rem componi

Digitized by Google

inter Capitulum et Communitatem. In Firmana, Suspensionis Canonicatus 25. Maii 1827. ad 1. Dub.

(164. Iisdemque Canonicis sciscitantibus in casu negatæ suspensionis quomodo occurrendum esset impensis pro necessaria reparatione Turris et Ecclesiæ, rescripserunt provisum in primo Dubio. In eadem ad 2. Dub.

(165. Cum Alexander Testa Canonicus Basilicæ S. Mariæ in Cosmedin inter Capellanos, quos dicunt Communes et Acolytos Ceroferarios Pontificii Sacelli; deinde inter Capellanos adsistentes cooptatus impetrasset indultum abessendi a Choro pro diebus et horis quibus suo munere in Pontificali Sacello perfungeretur, ita tamen ut de præcisa necessitate vacandi conscientia ipsius onerata denunciaretur, contenderetque se eodem frui posse toties quoties ad Pontificale Sacellum potius quam ad Chorum sese contulisset, licet per Collegii Acolytorum Decanum certa quædam dispositio prodiisset qua Acolyti bifariam distributi in memorato Sacello alternis vicibus præsto esse adigebantur, Emi Patres judicarunt illum gaudere exemptione juxta votum Emi Diaconi. In Romana, Indultum 23. Novembris 1827.

(166. Ne quid damni caperent fideles qui Segestam incolunt, S. Ordo respuit præces Archipresbyteri, et Archidiaconi deposcentium, ut remotis Primicerio, et Pœnitentiario, tota animarum cura sibi crederetur: addiditque duo illa officia vacantia quam primum ab Episcopo instaurari. In Brugnaten. Curæ Animarum 31. Januarii 1835. ad 1, 2, 3 et 4. Dub.

(167. Consulendum esse SSmo pro Josepho Bonaccorsi in Cathedrali Pergulana Canonico Pœnitentiario absolvendo a fallentiis chori cum Comitiis Communitatis præsens adesse debet, constituit Sac. Congregatio. In Calien. et Pergulana 31. Jan. 1835.

(168. Cum evidens adpareret ejus Ecclesiæ bonum, quæ Eugubii D. Christinæ nomine venit; juxta Episcopi votum concessit Sac. Cong. illis Canonicis, qui ex diversa aderant fundatione, perfectam quoad omnia communionem, facto verbo cum Smo. In Eugubina 21. Febr. 1835. ad 1. Dub.

(169. Ex Cap. 3. Sess. 24. Conc. Trid. declaravit Sac. Congr. Canonicos Pisanos ad hoc selectos ut Archiepiscopo Diœcesim perlustranti comites adsint, prius ab ipso esse adprobandos, ut in Pisana, Visitationis 28. Mar. 1835. ad 2. Dub.

(170. Cum ab Episcopo nominatus fuisset ad Canonicatum in Collegiata Mundurie Augustinus Guarini Mundurie natus, sed civica parentum origine destitutus, ne ejusdem Canonicatus proventus sibi addici a die captæ possessionis contra Capituli adversantis vota obtinuisset Episcopali sententia, pugnatum acriter est, appellationis vi, de hujus sententiæ validitate. Ac contendente Capitulo vetera Ecclesia statuta civicam parentum qualitatem exigentia, ut quis Ecclesiæ participatione frui posset, in suo adhuc robore extare, ac proinde in Guarinium esse attendenda: Obtestante vero Guarinio statuta hujusmodi per Breve *Impensa* S. M. Pii VII. de A. 1819. fuisse abrogata, et Canonicorum elationem Episcopi arbitrio fuisse remissam; S. Ordo ut tutius procederet rescripsit — Dilata et scribatur Nuncio Apostolico ad mentem. In Oritana Participationis 29. Apr. 1836.

(171. Conditionem a Capitulo Civitatis Castellanæ adpositam Canonicatibus, quos erigere mandaverat Ursula Audosilla, confirmavit S. C. In Civitatis Castellanæ jurium Canonicalium die 16. Julii 1836.

(172. Collegiatæ Ecclesiæ Balneariæ Canonicis (ab institutore Sergiani nuncupatis) ob attritam redditum substantiam postulantibus binorum vacantium Canonicatuum suppressionem; seu suspensionem, vel reductionem Choralis servitii. S. C. rescripsit: Dilata, et audiatur Episcopus super novis precibus, qui referat (bini enim illi Canonicatus pendente recursu fuerant collati) qua auctoritate, et a quo Canonicatus vacantes fuerint collati, pendente coram S. C. de eorumdem suspensione recursu, super quo idem Episcopus eamdem S. C. instructam reddiderat sub diebus 19. Novembr. 1832 et 12. Septemb. 1835. In Viterbien. Unionis, et reductionis Servitii Chori 16. Julii 1836.

(173. Beneficium Canonicale S. Charoli a Charolo Torniellio in Basilica Gaudentiana fundatum requirere Subdiaconatus Ordinem ex germana testatoris voluntate, declaravit S. C. In Novarien. jurispatron. die 13. Aug. 1836. ad 3. Dub.

Jubilationis indultum S. C. impertivit, facto verbo cum SSmo Francisco Donati Collegiatæ oppidi Mercatelli Canonico, quia, senio et adversa valetudine confectus erat, atque diuturnum Chori servitium per 35. annorum spatium laudabiliter expleverat, aberat tantum spatio quinque aliorum annorum, quibus Collegiata, italico cogente regimine, suppressa remansit. Urbanien. jubilationis die 16. septem. 1836.

(174. Nominationem ad Canonicatum S. Charoli a Capitulo Basilicæ Gaudentianæ peractam S. C. irritandam fore declaravit in Novarien. jurispatronatus 13. Augusti ad 4. dub. iterum iterumque causa proposita EE. PP. rescripserunt « in Decisis et amplius. » In eadem die 17. decembr. 1836.

(175. E converso juxta nuperam facti speciem consulendum SSmo pro adprobatione emphyteusis favore Aloysii Bianchi salvo jure vigesimæ et sextæ, rescripsit S. C. In eadem ad 2. Dub.

(176. Canonicis ac Portionariis Collegiatæ Noci, ob aeris inclementiam, redditumque tenuitatem, indultum Choro per tertiariam inserviendi postulantibus EE. PP. negativum protulere responsum in Conversanen. Servitii Chori die 17. Decembris 1836.

(177. Orta controversia an Canonicatus de Laufranchis in Metrop. Ecclesia Pisarum Residentiæ onere teneretur, quod nulla in ejus institutione expressa de hoc mentio facta fuerit, Sacer Ordo definivit pro affirmativa ad tramites juris, servata tamen consuetudine quoad chori servitium pro diebus so-

Digitized by Google

lemnioribus, taxata summa pro singulis fallentiis ab Ordinario favore Fabricæ Ecclesiæ applicandis. Pisana residentiæ 2. Jun. 1837. ad 1. Dub.

(178. Cum canonici Cathedralis Casertanæ per longissimum tempus optionis jure usi essent, quod Statuto ipsis concessum fuerat, quamvis postea 60. annorum spatio propter temporum adjuncta gravissima uti omisissent, illud adhuc competere responderunt EE. PP. excluserunt autem ab optione præbendas, quibus dignitas, aut officium annexum esset; ita tamen, ut in mensibus reservatis, et pro beneficiis affectis ab Apostolica Sede provideri deberet præbenda quæ optata non fuisset. Casertana Optionis 2 Junii 1837.

(179. Quod autem Canonicatum cum congrua satis præbenda receperit Aloysius Corsini, nec ullam posthac ejusdem redditus passi fuissent imminutionem, servitii chori reductionem denegavit, eidem postulanti, dato responso negative et amplius. Pistorien. reduct. onerum 17. Febr. et 24. Martii 1838.

(180. Cum eadem clausula S. Cong. indulsit precibus Canonicorum Cusentinæ Cathedralis ob tenuissimos præbendarum redditus chori servitium de alternativa ad tertiariam reduci poscentibus. Cusentina servitii chori 23 Junii 1838.

(181. Manentibus iisdem circumstantiis S. Cong. prorogationem Indulti quoad imminutionem servitii chori concessit Aquilano Capitulo ad aliud decennium, facto verbo cum SSmo. Aquilana servitii chori 15 Septembris 1838.

(182. Inspectis gravissimo chori servitio, quo tenebantur Canonici Lucerinæ Ecclesiæ, nec non utilitate, quam minus gravati potuissent populo Christiano afferre, reductionem quotidiani servitii chori ad alternativam indulsit S. Ordo, exceptis de more tempore Adventus, Quadragesimæ, festis diebus etiam reductis, octavis privilegiatis, et festo S. Titularis, jussitque insuper ut Episcopus ad tramites S. Conc. Trid. contitueret distributiones quotidianas, quæ inservientibus accrescerent. Siquidem his destitui Capitulum constitisset. Lucerina reduct. servitii chori 22 Decembris 1838.

(183. Inspecta satis congrua præbenda, qua patiuntur Canonici Collegiatæ S. Michaelis in foro in Lucana civitate, ipsis instantibus pro exemptione a chori servitio diebus 2 et 3 post Pascha, et 2 et 3 post Nativitatem D. N. J. C. nec non ab onere per statutum inducto inserviendi pro Canonico jubilato absente, S. C. nequaquam annuit, dato responso Negative in omnibus. In Lucana Servitii Chori 2. Martii ad 2 et 3 Dub.

(184. Pro Distributionum condonatione, quas Canonicus Theologus Vincentius Anzilotti perceperat Episcopali exemptionis decreto nisus ob lectionem Theologiæ Dogmaticæ, qui in Seminario Pisciensi absque ullo emolumento navabat operam, S. Ordo rescripsit consulendum esse SSmo, attentis peculiaribus circumstantiis. In Piscien. Indulti die 23 Martii 1839, ad 3 Dub.

(185. Postulanti Canonico Theologo Vincentio Anzilotti confirmationem indulti, quo Episcopus ipsi concesserat ut diebus, quibus Theologiam Dogmaticam in Pisciensi Seminario absque ullo honorario tradit, gauderet exemptione a Choro cum distributionum perceptione, EE. PP. attentis peculiaribus circumstantiis, præsertim Seminarii paupertate, et impotentia aliter supplendi, annuendum duxerunt, dato responso affirmative in casu de quo agitur, exceptis distributionibus inter præsentes tantum dividendis usque ad electionem novi Episcopi. In Piscien. Indulti die 23 Martii 1839, ad 1 Dub.

(186. Sacerdoti Francisco Tiberti, qui omnibus a Fundatore præscriptis dotibus instructus a Capitulo Civitatis Castelli ad Canonicatum in Ecclesia Cathedrali Tiferni sub invocatione D. Floridi legitime fuerat nominatus, cum nemo ex passive vocatis ex adverso contendentibus idoneus reperiretur, S. C. canonicam institutionem dandam esse decrevit. In Civitatis Castelli Canonicatus die 27 Aprilis 1839, ad 1, 2 et 3 Dub.

(187. Iisdem perdurantibus causis, servitii Choralis *reductionem* ad primas et alteras Vesperas in Festo B. M. Virginis in Cœlum Assumptæ, et anniversarium Pantano ad decennium impertitam favore Collegii Hebdomadariorum in Parochiali Ecclesia S. M. Majoris prorogavit S. Ordo ad aliud decennium ad formam præcedentis resolutionis an. 1828, mandavitque Emo Archiepiscopo, ut curaret executionem mentis ejusdem præcedentis resolutionis, de onere quodam novis Beneficiatis imponendo. In Neapolitana reductionis Servitii chori die 26. Januarii 1840. Renunciatio.

(188. Capitulo Albensis Cathedralis flagitante, ut ex loci insalubritate a servitio chori per binos menses abesse concederetur cum privilegio percipiendi interim distributiones quotidianas, stante consuetudine immemorabili, Emi PP. perpendentes multa in ejus Capituli statutis a S. Canonibus absona contineri, ad bina proposita dubia rescripserunt: Dilata, et Episcopus curet confici juxta Bullam S. M. Pii VII. incipientem *B. Petri Apostolorum Principis* nova Capitularia statuta ad normam SS. Canonum, et S. Concilii Trident. infra sex menses, quibus confectis certioret, et causa reproponatur. In Alben. Servitii Chori die 23. Mar. 1840. ad 1. et 2. Dub.

(189. Canonicos Marianum Bartolozzi, et Philippum Nobili, nec non præbendatum Xaverium Spagnoli Ecclesiæ Collegiatæ Montis Ulmi Firmanæ Diœcesis certamen instaurantes adversus Archiepiscopi decretum in S. Visitatione die 13. Februarii editum, quo firmatum fuerat ut sub caducitatis pœna Presbyteratus Ordinem susciperent, S. C. attenta Ecclesiæ Collegiatæ natura, nec non peculiaribus tum Capituli, tum fundationis statutis, decrevit non teneri ad S. Ordines; atque inde ad alias preces ab iisdem porrectas pro dispensatione ab ordinibus suscipiendis, quatenus tenerentur, respondit,

Digitized by Google

provisum in primo. In Firmana SS. Ordinum die 27. April. ad 1 et 3. Dub.

(190. Vacationes ob passam reddituum imminutionem a quotidiano servitio chori, cui per statutum adigebantur, Canonicis Collegiatæ Vallis Montanæ concessit S. C. ad duos menses sive continuos sive interpolatos, exceptis festis Solemnioribus, tempore Adventus, et Quadragesimæ de licentia Episcopi, et dummodo non abessent ultra tertiam partem. Singnina, servitii Choralis et Reductionis 17. Feb. ad 1. Dub.

(191. Capitulum Cathedralis Puteolanæ quotidianum chori servitium ad alternativum reduxit per septem annos, adhibito Episcopi consensu, qui veniam ab Apostolica Sede se imploraturum spopondit. At, Episcopo morti proximo se nunquam indultum impetrasse confitente, Capitulum tum pro absolutione arbitrariæ reductionis quoad præteritum, tum pro reductione choralis servitii quoad futurum ad S. Congregationem confugit, quæ data absolutione quoad præteritum, super petita reductione rescripsit — Dilata, et expectetur Episcopus — In Puteolana Reductionis, Servitii Chori 21. Junii 1842. ad 1 et 2. Dub.

(192. S. C. distulit causam servitii chori, qua petebat Michael Luciani Beneficiarius Proto — Basilicæ Lateranensis, num non residens mense Octobris posset alios *substituere* in servitio chori, et quatenus negative; saltem cum gratia ejusdem substitutionis beneficium. Romana servitii chorii 23. Junii 1842. ad 1 et 2. Dub.

(193. Ad Canonicatum Pisanæ Cathedralis, cujus fruitioni Capellanorum Collegium fuerat a fundatore vocatum, dummodo personæ adessent septem, designatis qualitatibus pollentes, Magnus Hætruriæ Dux Patronus nominaverat Antonium Roncucci, a dicto Collegio extraneum, et dictis qualitatibus destitutum. Hoc autem dispositionem postulante, qua tamen non indigere arbitrabatur, quia cum nemo ex Capellanis singulis volitis qualitatibus donaretur, passivam vocationem silere contendebat : contra vero propugnante Capellanorum Collegio juspatronatus passivum, corpori concessum, suas exerere vires, quod inter Capellanos duo adessent una tantum, vel altera qualitate destituti; proposito dubio; *an et quomodo sit locus dispensationi?* S. Ordo respondit : « ad Dominum Secretarium cum SSmo juxta mentem. In Pisana, Canonicatus quoad dispensationem 9. Julii 1842. »

(194. Capitularibus loci nisi expostulantibus, ut temperatioribus anni mensibus, anniversaria celebrare liceret, quæ loco valetudini pernicioso et mensibus frigidioribus peragenda erant, S. C. petitam translationem permisit ad alios dies arbitrio Episcopi, et in Tabella apponi jussit, facto verbo cum SSmo Conversana Translat. Anniversar. 28 Julii ad 1. dubium.

CANONICI REGULARES.

S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

(1. Duæ Canonicorum Regularium Congregationes, altera nuncupata Lateranensium a Basilica S. Joannis in Laterano, quæ potissimum Ravennæ florebat, altera Rhenanorum a parvo flumine Rheni apud Bononiam, quæ tam Romæ quam Bononiæ in primis clarebat, antiquis inter se benevolentiæ vinculis mutuo devinciebantur, licet habitu, et constitutionibus distinguerentur.

Sæviente Gallicæ irruptionis procella prisci fœderis non obliti adjumentum et subsidium sibi invicem præbere non omiserunt. Pace restituta statim ab anno 1814, opera P. Abbatis Generalis Garofali, Rhenanorum ordo in pristinum redintegratus est; nec multum temporis effluxit, ut etiam ordo Lateranensium restitueretur.

Interim memoratus Abbas cum Lateranensium gratiam amoremque sibi conciliasset in illud maxime incumbuit, ut de Rhenanorum et Lateranensium Congregatione unum corpus unaque familia conficeretur. Ad hanc itaque rem approbatio a Sancta Sede impetrata est per Rescriptum datum die 6 Augusti 1819.

In illo Sanctitas Sua præscripsit, ut Capitulum Generale ad hoc celebraretur; decretique executionem pro implorata unione Emo Pacca Cl. M. commisit, ac in posterum « Ordinem Canonicorum Regularium SSmi Salvatoris Lateranensium » vocari voluit: tandem utriusque ordinis res omnes ac privilegia juraque communicavit atque permiscuit.

Emus Executor in Rescripti Executione jussit de utriusque Ordinis Rhenanorum ac Lateranensium constitutionibus unam dumtaxat regulam quamprimum concinnari, demptis vel additis, quæ pro temporum ac circumstantiarum opportunitate addenda vel demenda viderentur.

Hujusmodi Constitutiones S. C. Episcoporum et Regularium exhibitæ sunt an. 1840, a Vincentio Tizzani Vice-Procuratore Generali, nunc meritissimo Interamnæ Episcopo, commendatæque ab Emo Pacca Ordinis Protectore. Quæ res dum ad huc penderet, P. Abbas Generalis expetivit, ut quasdam, quas proponebat, mutationes discuti approbarique S. C. concederet.

Cæterum quædam in iisdem Constitutionibus notata digna reperta sunt. Primo siquidem pluribus locis innui videbatur, aliquibus in casibus Canonicos Regulares obnoxios non esse censuræ Extravagantis *Ambitiosæ*. At vero, licet ante Urbanum VIII, aliquæ adessent Religiones, quæ ab hac lege erant exemptæ decreto tamen memorati Pontificis hujusmodi exemptiones ablatæ sunt. Legitur enim in citato decreto : « Omnium rerum et bonorum immobilium, et pretiosorum immobilium et pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum

Digitized by Google

dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem, et conductionem ultra triennium, concessionem in feudum (a quibuslibet Ordinum Regularium moderatoribus) fieri perpetuo prohibet... non obstantibus indultis, privilegiis, quibus Sanctitas Sua derogat. »

Et reapse huic decreto indiscriminatim parent universi Regulares, et quotidie Beneplacitum Apostolicum in casibus ab illa Extravagante præscriptis implorant. Neque vero ab hoc onere eximere sese poterant Canonici Regulares, quidquid sit de antiquarum Constitutionum privilegiis. Hac enim approbatæ fuerunt an. 1592 et an. 1612, cum tamen hujusmodi Urbani decretum an. 1624, editum fuerit, neque Sancta Sedes hæc privilegia in posterum impertiri consueverit.

Secundo loco, cum res est de Monachis incorrigibilibus, nulla mentio fit decretorum Urbani VIII et Innocentii XII, quibus ratio præscribitur, quæ in retinendo Religioso incorrigibili atque expulsioni obnoxio sequenda sit.

Tertio loco quando sermo est de acceptatione novarum domorum vulgo *Canoniche* ideoque de nova earum fundatione, nihil innuitur de præscripto Conc. Trid. Sess. 25, C. 3, de Reg. in quo exposcitur Ordinarii licentia, neque de Constit. *Instaurandæ* an. 1661, in quo Innocentius X prohibet nova cujuslibet Ordinis erigi Monasteria « absque Sedis Apostolicæ licentia speciali... prævia examinatione Congregationis negotiis Ep. et Regul. præpositæ. »

Quinque itaque dubiorum formulæ Emis PP. sacrum hunc ordinem constituentibus discussioni suppositæ sunt, nimirum : 1. « Se e come si debbono approvare le nuove Costituzioni de' Canonici Regolari del SSmo Salvatore Lateranesi ? *Et quatenus affirmative.* 2. Se convenga ammettere le modificazioni proposte dal P. Abate Generale ? 3. Se aggiungere, che per le alienazioni de' beni stabili e mobili preziosi si debba stare all' Estravagante *Ambitiosæ*, non ostanti gli antichi privilegi ? 4. Se esprimere, che per l' espulsione si debba osservare il Decreto de Urbano VIII, e d' Innocenzio XII ? 5. Se dichiarare, che per l' erezione delle nuove Canoniche debba rimaner ferma la Const. *Instaurandæ* d' Innocenzo X ? 6. Se vi sia luogo ad altri cambiamenti ? »

Emi PP. in generali conventu diei 26 Martii 1841, rescripserunt : Ad 1. *Affirmative juxta modum.* Ad. 2, 3, 4, 5, *affirmative.* Ad 6. Ad Emum Præfectum cum Emo Ponente.

Sanctitas Sua hanc Resolutionem approbavit, ideoque decretum typis editum est.

« Romana. — Super approbatione Constitutionum Ordinis Canonicorum Regularium SSmi Salvatoris Lateranensium. »

(2. Episcopus Trojanus, ut rectæ in Capituli Trojani convocatione disciplinæ competeret, die 28 Februarii 1838, decretum edidit, quo plura super hac re jubebantur. Sed præsertim in articulo primo statuebatur, quod Capituli Præfectus *non potrà convocare il Capitolo senza far precedere antecedentemente la schedola affissa per tre giorni nel luogo solito, nella quale dovrà spiegarsi l'oggetto della convocazione, e ad evitare le frodi, che per tale causa possono sorgere, la detta schedola dovrà esser vistata dalla nostra Curia, la quale in occasione di differenza potrà confrontare la data con quella della conclusione capitolare indi risultante :* Quamlibet vero decreti violationem suspensio a divinis ipso facto consequi debebat.

Cum vero Trojanum Capitulum ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium appellasset, causa, juris ordine servato, proposita est concordato dubio : « An decretum Episcopi diei 16 Octobris 1838, super convocatione Capituli sit confirmandum vel infirmandum in casu ? »

Sententiam affirmativam circa primam dubii partem propugnabat Episcopus ex eo, quod Ordinario jus competat præscribendi rationem, quæ a Canonicis in Capitulo congregando sequenda sit Crispig. Vis. Past. 6, 3, § 30, præsertim vero si justa adsit causa Ferrarius V, Capitulum, Art. 1, n. 8. Jam vero justissimas in casu causas id providendi intercedere multis factorum deductionibus evincere satagebat.

At vero replicabat Capitulum istiusmodi jus Episcopo nulla ratione, inhærere ut S. C. Ep. et Reg. in Brandusen. 17 Jan. 1584, ibi : *La S. C. ha risoluto, che il Capitolo sia libero di congregarsi quando vuole, purche non sia in pregiudizio del culto divino, onde non si puo obligare a domandare la licenza.* Addebant insuper, quod nequeat Episcopus legem facere, ut in Schedula negocia edicantur, quæ in capitulo pertractari oporteat, ut docet Card. Petra Sect. 2, de Solemn. in alienat. rerum Eccles. n. 48, ibi : « An Episcopi licentia requiratur in convocatione Capituli ? Dicendum regulariter non requiri, si solitum sit sine illa convocari... si tamen requiratur licentia Episcopi, non tenetur Capitulum declarare, quæ negotia agere debet in Capitulo : S. C. Ep. et Reg. in Andrien. 25 Febr. 1603, num. 11. »

Patres Emi in plenario conventu diei 25 Septembris anni 1840, ad dubium super excriptum responderunt. « Ad primam partem affirmative juxta modum, deleta nimirum obligatione indicendi in scheda negotia de quibus agendum sit in Capitulo, factaque expressa declaratione per appositionem : visa : nullam plane induci necessitatem licentia episcopalis de convocatione Capituli, nec non ablata pœna latæ sententiæ. »

Trojana : super Convocatione Capituli.

CANON MISSÆ.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. Cum Abbas sæcularis et Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Oppidi de Lerma nullius Diœcesis Provinciæ Burgensis postularet : 1. An liceret Clero tum sæculari, quam re-

Digitized by Google

gulari in Ecclesiis ei subjectis eum nominaro in Canone. 2. An in iisdem Ecclesiis ipsius nonem addendum esset in Oratione, seu Collecta, quæ in Hispaniarum Regnis recitatur pro Pontifice, Episcopo, etc. S. Rit. Con. respondit : « Quoad annunciationem nominis in Canone : Negative. Quo vero ad collectam, dilata, et ad mentem. *Mens est*, ut exhibeatur Breve Clementis X. et deceatur de consuetudine in aliis Abbatiis Hispaniarum Regni, Die 1 Septembris 1804. Nullius de Lerma. »

(2. An Sacerdos dicere debeat *Te igitur* in principio Canonis, dum elevat manus, et oculos, vel incipere debeat dum est jam in profundo inclinatus ? S. C. respondit. « Servanda Rubrica de ritu servando in celebratione Missæ, tit. 8, num. 1, et altera Canoni præfixa. Tuden. Die 7 Septembris 1816. »

(3. An debet Sacerdos pronuncians in Canone Missæ nomen alicujus Sancti, de quo factum est Officium, vel saltem commemoratio, facere inclinationem capitis ? S. C. *Affirmative*. Ibid. num. 32.

(4. An inclinandum sit caput, quando nominantur in Canone Sancti, qui nominantur in Canone si sint rit. semidupl. et Missa dicitur de Requiem, num inclinandum sit caput dum in Canone nominantur dicti Sancti. S. R. C. Respondit. In missis de Requiem. *Negative* Panormitana Die 12 April. 1823, ad. 13.

(5. In Canone Missæ infra actionem nominatur S. Joannes Apostolus, et Evangelista ; in Oratione *Nobis quoque peccatoribus*, dicitur « cum Joanne » nascitur exinde dubium.

« Si Missa dicitur, vel fit commemoratio dicti Sancti, qui nominatur in Canone : quandonam caput est inclinandum ? quando nominatur, aut commemoratio fit de S. Joanne Baptista, vel quando Missa dicitur, vel commemoratio fit de S. Joanne Apost., et Evang. » S. C. Respondit : « Dilata, et videatur particulariter ex officio. » Panormitana die 12 Aprilis 1823.

CANTOR, CANTUS.

8. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. Quum S. Con. interrogata esset : An a Cantoribus in Choro incipi possit Introitus Missæ, priusquam Sacerdos eamdem Missam celebraturus ad Altare pervenerit, respondit: *Negative, et amplius*.

(2. An servari possit aperta consuetudo, ut in Processionibus Litaniarum earumdem Cantores incedant pluvialibus induti.

S. R. C. *Affirmative*. Conimbri. Dub. 7 et 17, die 14 Aprilis 1753.

(3. Essendo pregata la S. Congre. di concedere la necessaria facoltà, perchè nella Diocesi di Bitonto si possa cantare dall' Organo nel momento della Benedizione con l' augustissimo Sacramento il versetto del Salmo LXVI. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ*, secondo l' antico costume. S. Con. respondit : « Servetur Decretum in Caputaquen. diei 9 Febr. 1762, permitti vero potest ut cantetur *Benedicat nos Deus*, immediate post Benedictionem juxta Instructionem Innocentii XII, a Clemente XII confirmatam in delatione Viatici. Bituntina die 18 Martii 1833. »

(4. Cantor Cathedralis Civitatis Notabilis, qui cum aliis Dignitatibus et Canonicis ab Episcopo invitatis ad Collegiatam S. Pauli Civitatis Vallettæ se confert, non potest gestare virgam, qua utitur in Cathedrali ; eadem vero virga uti potest Cantor Collegiatæ præsentibus Canonicis Cathedralis. Melevitana Præeminentiarum 19 Maii 1786, dub. 5 et 6.

(5. Ad Cantorem Ecclesiæ Collegiatæ spectant functiones Chorales muneris sui propriæ ; locus autem in associatione Episcopi, et in Processionibus ei assignandus est ad formam Cæremonialis. Ibid. dub. 7.

(6. Ubi Cantus Chori non producitur usque ad elevationem hostiæ, *Benedictus qui venit*, etc., cantari non debet immediate post primum *Hosanna in excelsis*, sed post elevationem. Marsorum 12 Novemb. 1831, dub. 33.

CAPELLA.

8. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Capellæ nuncupatæ Corpus Christi prope locum Albiniani in Comitatu Venayssino, cujus loci est Baro Alemannus de Passis qui eam ædificavit, demolitioni, nec non alienationi illius situs, ac translationi onerum non est locus ; sed est locus reparationi, ac novæ ejus ædificationi a Barone dicti loci faciendæ, etiamsi Episcopus in Visitatione ruinam minari agnoscens eam esse intercidendam ac supprimendam decreverit : Arausicana die 17 Junii 1780, dub. 1.

(2. Nec Capellæ ejusdem Rectori indulgenda est reductio, ac commutatio onerum, quibus ex fundatione ille fuit gravatus. Ibidem dub. 3.

(3. Nec non Capellæ supellectilia sacra sunt ab hærede fundatoris ad formam testamenti subministranda. Ibid. dub. 4.

(4. Cum Capella Innocentium in Ecclesia Abbatiali Nullius Foripompilii erecta, perspicue probare nequiverit identitatem Domus ipsi a Joanne Tobbia Episcopo Brictinorien cl. mem. donatæ, vel saltem cum longissima præscriptione Episcopi Brictinorienses eamdem domum possederint, Sacra Congregatio censuit, Capellæ Innocentium reintegrationem ad dictam domum denegare ; quo rescripto provisum fuit evictioni adversus Episcopum Brictinorien. a Capellæ Administratoribus petitæ. In Nullius Foripompilii, et Brictinorien. Vindicationis die 18 Decembris de 1 et 2 Dubit.

Digitized by Google

CAPELLANIA.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Imminutas ita reperiit Capellaniæ ab Aloysio Pantalupi in Altari S. Catharinæ V. et M. in Ecclesia S. Petronii Castri Bononiensis fundatæ sortes, ejusque fructus, ut Oneris Missarum reductionem obtinuerit Sacerdos Paulus Naldius. Summam præterea scutorum 81 pro domus Capellani et viæ constructione eamdem superiorum jussu impendit. Alia nunc scuta quinquaginta supersunt pro necessaria domus ulteriori reparatione eroganda. Postulavit ille suspensionem missarum pro redintegratione expensarum, et non obtinuit. Postulat nunc an et quomodo sit providendum pro aliis expensis necessariis pro totali reparatione ejusdem domus? et nequaquam obtinuit: Imolen. Reduct. et Suspens. Onerum Miss. die 14 Febr. 1778, dub. 4.

(2. Canonicus Joannes Barastrellius, qui est Capellanus trium quorumdam institutionum Monasterii S. Placidi nullum onus missarum prædecessores implevisse asserit, qui ad orandum tantum pro anima fundatorum teneri putarunt. Nihil aliud ex fundatione, nisi testatores divinorum Officiorum celebrationem demandasse, evincitur, et unus testator celebraturo Sacerdoti reliquit redditus harum fundationum sunt imminuti, et hæ formæ quatuor sæcula præseferant. Capellanus declarari onera pro eisdem legatis piis implendi postulat. S. C. Capellanum missas in altaribus a fundatoribus designatis juxta quantitatem reddituum ad rationem taxæ perpetuæ cum applicatione pro anima respectivorum fundatorum teneri rescribit: Messanen. die 16 Maii 1778.

(3. Ad Capellanum Ecclesiæ et Capellæ B. M. V. Gratiarum Frusinonis de jurepatronatus Scholasticæ Quartucci spectat administratio quoad bona, jura, credita, sacra supellectilia, et alia quæcumque data, concessa et perventa ad dictam Ecclesiam, et Capellam; licet dicta Ecclesia a Communitate Patribus SSmi Redemptoris concessa fuerit: Verulana, Juris patronatus die 16 Jan. 1779, dub. 2.

(4. Dispensationem a summo Pontifice Benedicto XIV habuerunt, in exemplum tamen non trahendum, ad retinendas Capellanias amovibiles fundatas ab Antonio Rota in Ecclesia Collegiata terræ Ophidæ Canonicus Luccius Recchius, et Sacerdos Venantius Telli, et Elpidius Biccolinus, etiamsi essent exteri Presbyteri, et alter Canonicus contra voluntatem expressam testatoris, qui Oppidanos vocaverat; ideo quæsitum fuit an sustineantur dictæ dispensationes, Oppidanis contradicentibus, et allegantibus esse silentio prætermissas fundationis qualitates, S. C. sustineri illas censuit. Asculana 15 Maii 1779, dub. 1.

(5. Ad legatum pium missarum ab Antonio Rota relictum deputati fuerunt duo Capellani, qui indulta Pontificia obtinuerunt missas celebrandi donec vixerint, sed Capitulum terræ Ophidæ, ad quod spectat jus Capellanum, vel Capellanos deputandi, exorat ut dicta indulta tamquam subreptionis, et obreptionis vitio infecta revocarentur, quum qualitates a testatore requisitas Capellani minime haberent. S. C. indulta præfata valida esse, et non esse locum eorum amotioni a Capellania declaravit. Asciolana, die 15 Maii 1779, dub. 2.

(6. Pia mulier Cassandra Jansito de Martino Beneventana binas erigens Capellanias seu Beneficia cum missæ quotidianæ onere prælationem familiæ Bernardi Fratris in futuris nominationibus tribuit; propterea Bernardus, mortuo primo nominato Capellano, ad illam vocavit filium suum sexennium sub spe obtinendæ dispensationis ætatis cum facultate per alium onus implendi. Dispensationem implorat puer, et usquequo ad legitimam ætatem pervenerit pro suscipiendo Sacerdotio adimpletis oneribus gratiam assequutus est: Beneventana dispensationis die 28 Aug. 1779.

(7. Ob Capellaniam possessam a Canonico Coadjutore Comite Olgiati in Ecclesia Cathedrali, qui onere missæ quotidianæ per se ipsum sub auroram explendo, ac assidue residendi in loco Scalengiarum gravatur, levamen idem petiit a S. C. sed minime auditus fuit quoad onus missarum, licet agebatur de filio patroni, et imminutos redditus esse asserebatur, verum ex gratia non residebat: Taurinen. die 29 April. 1780, dub. 1 et 2.

(8. Ecclesia Prioralis SS. Apostolorum Petri et Pauli terræ Montis Leonis in Collegiatam erecta fuit. In hac erectione census in sorte 1200 fuit impositus. Vacat nunc Capellania Curata, et Prior, ac Canonici, qui ad munia Parochialia Capellano inhærentia peragenda sese obferunt, suspensionem collationis Capellaniæ precantur ad effectum erogandi annua scuta 30, in partialem census redemptionem. Annuit Episcopus, et nemini suspensionem hanc afferre præjudicium addit; et tamen e S. C. non impetratur suspensio. Redeunt Oratores, et ut recedat a decisis, petunt pro aere alieno solvendo, sed perstitit S. C. in decisis: Civitatis Plebis die 5. Aug. 1780.

(9. Capellaniam instituit Lodovicus Taberna tunc Episcopus Laudensis, jusque nominandi contulit in hæredem Cæsarem nepotem; oneraque personalis celebrationis residentiæ adjecit Capellano. Laurentius Taberna patronus præsentavit Balthaxarrem Volpi in ætate viginti duorum annorum constitutum et nondum clericali tonsura initiatum. Supplicavit hic sibi dispensari super defectu ætatis, ut ad ejus titulum possit ad Ecclesiasticum statum promoveri. S. C. dispensationem impertita est juxta votum Archiepiscopi Episcopi Papiensis. Papien. Dispensat. die 16 Sept. 1780.

(10. Capellanias in Metropolitana Ecclesia obtinentes dum Missas solius præsentiæ celebrabant, consueverunt etiam eadem die

Digitized by Google

alia onera Missarum adimplere cum sacrificii applicatione. Usum non satis tutum Revisores Legatorum Piorum existimarunt. Verum animadvertentes reddituum tenuitatem, et excessivum missarum numerum, precati sunt, ut Capellanis concederetur facultas onera missarum explendi per solam celebrationem, solamque præsentiam cum applicatione sacrificii pro aliis Legatis, quibus opus inest applicationis. Re ad S. C. delegata, et dubio proposito, quibusnam Capellanis sit locus celebrationi et missarum applicationi? responsum prodiit, dilata et ad mentem. Et mens est, ut exhibeantur decreta, acta facta coram Card. Del Verme, et ut scribatur Archiepiscopo pro nova informatione juxta instructionem : Ead Caus. 19. Julii 1783. Instructione dictum est, haud deprehendi ex fundatione nonnullarum Capellaniarum legem fundatoris exclusivam oneris missas applicandi, ac prorsus ignorari consuetudinem, quæ respicit modum, et tempus explendæ celebrationis. Inde animadversum, quod Rectores hujusmodi an. 1703. in S. C. institerunt pro exequutione decreti Episcopi Fontana, quo celebratio pro mortuis fundatoribus demandata fuit. De aliis vero Capellaniis descriptis nullam proferri testamentariam dispositionem S. C. putavit, nec de iis mentionem fieri in sententia anni 1703, et in hoc casu fundatorum suffragio consulere voluisse censuit. Hinc postulatur ulterior causæ elucidatio Ferrarien. 19. Julii 1783.

(11. Capellania, quam fundavit Sanctes Liegi in oppido Castri Plani gravatur onere missarum cum eleemosyna ob : 12. juxta redditus, missæ solemnis in Sabbato Sancto et festis B. M. V. quæ missæ inter illas cujusdam hebdomadæ computari debent; insuper, onere interventus vesperis, et missis solemnibus, ac aliis quibuscumque Parochialibus functionibus. Modo petitur reductio missarum ad taxam conciliarem, et exemptio a celebratione missæ solemnis his diebus, quibus Parochus loci solemniter Sacris operatur, aliorumque onerum moderatio. Verum S. C. non favit missarum reductioni, et reliqua arbitrio Episcopi remisit : Æsina 25. Novem. 1785.

(12. Licet Capellaniæ octo fundatæ in Monasterio Monialium S. Augustini ratione diminutionis reddituum, ac onerum earumdem reductæ ad septem fuerint, moniales modo instant pro ulteriori reductione, annonæ caritatem, reddituum tenuitatem, nec non inveniendi Capellanos difficultatem allegantes. Annuit gratiæ S. C. juxta votum Archiepiscopi : « Qui sequentem proponit reductionis modum : Narratum est supra, ut cum Capellaniæ ab octo ad septem redactæ fuissent, jussum fuerit, ut superextantes redditus in eleemosynam tot missarum lectarum implicarentur. Harum vice proponit augmentum dotis septem Capellaniarum ad scut. 48. cum dimidio circiter, comprehensis Sacris Utensilibus; factaque hac additione superfuturas adhuc animadvertit lib. 21, 12, 3, ex illis quæ fuissent in missas lectas, de quibus supra erogandæ; » ita tamen, ut missæ ex redditibus uniendis, et respective ex delendis oneribus celebrandæ applicentur pro particularibus benefactoribus, quod fieri separatim poterit, sin minus, collective : Januen. Reduct. Miss. 17 Junii 1786.

(13. Marcus Aurelius Peretti ex compatronis cujusdam Capellaniæ laicalis novem Capellaniæ prædiola ac domum, quæ eidem fundationi assignata erat, alienavit. Inde Sacerdos Carolus Peretti, qui eamdem Capellaniam cum conditione amissionis, si congruo beneficio provideretur, obtinuit, paulo post Ecclesiam quamdam Parochialem quam decennio tantum retinuit, assequutus est; hinc post Parœciæ dimissionem, inspectis dictis alienationibus, Sacro patrimonio destitutus ille remansit; exorat proinde redintegrationem ad nulliter Capellaniæ bona distracta et reportavit ad ea quæ descripta in instrumento diei 9. Decem. 1757. fuerunt : Asculana, Capellaniæ die 2. Decem. 1786. dub. 1.

(14. Possessionem capta ab Aloysio Terrentio nominato ad Capellaniam fundatam ab Ubaldo Conversi in Ecclesia S. Nicolai Castri Elogobiarum non esse circumscribendam prout præcedens Capellanus ad triennium nominatus autumaverat, ex quo ipse durante trennio, et proinde ante nominationem Aloysii S. C. perpetuitatem postulaverat : Pisauren. Capell. 2. Decem. 1786. dub. 2.

(15. Quod Capellaniam institutam a Joanne Baptista Boasi super Domo pluribus obligationibus affecta, nec non et doti subjecta Catherinæ Passano, responsum fuit, providendum esse juxta votum Archiepiscopi : Archiepiscopus censet quoad secundam Capellaniam ut Oratrix teneatur Capitale hujusmodi libri : duo mille caute collocare, cum ejus monetali augmento, quo evehitur ad libras bismille sexcentas triginta sex hujus monetæ extra bancum, ad hoc ut ex ipsis proventibus singulis annis celebrare facere teneantur tot missas rationata eleemosyna ad hanc Synodalem taxam, injuncto pariter ipsis onere continuo celebrare faciendi tot missas pariter ad formam Synodi quot essent fructus Capitalis prædicti a die adeptæ possessionis Domus ejusdem usque ad diem, qua præficitur impendium applicationis missis pro Joanne Baptista et Laura : Januen. Reduct. et Translat. missar. die 16. Decem. 1786. dub. 1.

(16. Quo vero ad aliam Capellaniam institutam a Laura Boasi super eadem pariter domo fundata simile responsum prodiit : Ibid. dub. 2.

(17. Canonicus Guidus Badalotti Capellaniam laicalem instituit, nemine ad juspatronatus passivum vocato. Unus patronus masculus Joachim Provenzali superest. Præ sua paupertate exorat ille, ut suspensa nominatione Capellani, sibi redditum Capellaniæ decernatur administratio, ea tamen lege ut redditum medietas sibi in alimoniam durante paupertate, medietas altera in eleemosynam missarum juxta testatoris vo-

Digitized by Google

tum erogetur Oratoris petitis S. C. indulsit ad quinquennium, expletis duobus anniversariis, et quinque missis : Aquen. Capellaniæ 3. Febr. 1787. dub. 1.

(18. Ob diminutos Capellaniarum redditus obsecrata fuisse S. C. a Collegiatæ Ecclesiæ Capellanis pro onerum reductione, et commutatione anniversariorum ad missas lectas, ita tamen ut idoneum Capellaniæ prædictæ præstare possent titulum pro sacra ordinatione, et S. C. eos audivit juxta votum Card. Relatoris : Leodien. 24. Martii 1787.

(19. Ex annuis Mediolanensibus libr. : 300 seu scut. 50. monetæ Romanæ Capellaniam instituit Antonius Robbio in Parochiali Ecclesia oppidi Salarum cum onere quotidiani sacri et Choralis residentiæ in divinis. Aucta in ea regione ad ob 16. cum dimidio manuali eleemosyna, S. C. præcati sunt patroni pro reductione onerum; et illa Servitium chori deleri statuit, et ad rationem manualis missas celebrari voluit : Derthonen. Reductionis Onerum 19. Maii 1787.

(20. Fundata Capellania laicali in oppido Montis Sancti a Sacerdote Spiriti, inter cæteras pactiones fundationis quæ causam controversiæ præbent, ipse voluit ut Plebanus pro tempore et Sacerdos dicti oppidi senior libere possint, et absque causa aliqua Capellanum pro eorum arbitrio removere, quin rationem nisi Deo et eorum conscientiæ afferrent. Hac de causa senior Sacerdos Canonicum Canepinium possessorem dictæ Capellaniæ amovit, qui gravate id ferens, quærelam ad S. C. detulit, quæ servandam esse amotionem, nec esse locum reintegrationi, licet Episcopus id evenisse ex odio testetur, deliberavit : Firmana, Capellaniæ die 3. Martii 1787. confirm : 19. Maii.

(21. Ad Capellaniam residentialem in Ecclesia Cathedrali institutam patroni laicum Petrum Schiavinium annorum 14. sub conditione assumendi Clericatum nominarunt. Capellaniam hanc Sacerdotalem postea S. C. declaravit. Attamen dispensationem ætatis prævia SSmi consultatione donec ad legitimam ætatem pervenerit, Clericus ille reportavit : Asten. die 20 Sept. 1788. dub. 2.

(22. Quatuor in Basilica Lateranensi Capellanias Hilarius Maurus Parmensis instituit, ac unicuique Capellano onus injunxit missæ quotidianæ, et instar Canonicorum ejusdem Basilicæ choro inserviendi. Causa diminutionis earumdem reddituum una deinde altera fuit suppressa, et declaratum augendi earum numerum, si augerentur et fructus. Verum quum Capellani sortem scut. 1400. et fructus scut. 1300. recuperassent, Capitulum Lateranense institit, ut augeretur servitium chori; S. C. audito Archipresbytero, censuit missarum onus augendum et Cappellanias reintegrandas juxta numerum a testatore præfinitum; hinc S. C. rescripsit juxta votum in omnibus Card. Protectoris. Et in folio proposita causa, in decisis dictum est. Romana 11. Aug. 1759. Capellani conquesti sunt, et reductionem missarum petierunt, et S. C. jussit ut eligatur peritus judicialis pro firmatione status 17 Junii 1775. inde permansit in decisis 4. April. 1778. Demum putavit recedendum a decisis et juxta votum Card. Archipresbyteri. Qui ita concludit : « Qua de re quoniam et patronorum consensus accedit, censerem annuendum esse Oratoribus pro reductione missarum ad menstruas 45. tantum, ab ipsis celebrandas, servata forma in omnibus rescripti hujus S. C. lati die 1. Decem. anni 1725. » decidere die. 20. Decem. 1788.

(23. Cardinalis Cosma Imperiali Capellanias fundavit pro Januensibus Sacerdotibus in Ecclesia S. Joannis Baptistæ ejusdem nationis, onera explicandi quolibet die festo Evangelium, et peragendi Catechismum, nec non applicandi viginti missas mensuatim Capellanis imposuit. Capellani paulatim missas 20. per alios applicare, reliquas pro præsentia omittere cœperunt. Secreta Ecclesiæ Congregatio decrevit, Capellanis non licere per alios celebrare. Conquesti sunt Capellani; sed S. C. eos in præfata Ecclesia teneri quotidianum missæ sacrificium per se ipsos operari respondit : Romana, Capellaniarum die 27. Junii 1789. dub. 1.

(24. De Capellaniis institutis a Card. Cosma Imperiali in Ecclesia S. Joannis Baptistæ Januensis cum onere personalis celebrationis, et in casu deficientiæ amissionis assignationis non constat; An et quæ rata pars menstrui eorum assignationis sit statuenda in singulas missas, et cui in casu omissionis per Capellanos celebrationis ad judicandum, quod superes, detracta eleemosyna alterius Sacerdotis celebrantis ? rescriptum est affirmative in obolis 20. pro qualibet missa retinendis in favorem Ecclesiæ, detracta alterius Sacerdotis celebrantis eleemosyna : Romana, Capellaniarum die 27. Junii 1789. dub. 2.

(25. Capellanis Hospitalis S. Mariæ de Crucibus Sacramenta infirmis aliisque ibi commorantibus administrare licere S. C. definiit. Definiit quoque eorum cadavera in ejus Ecclesia et cœmeterio esse condenda. Modo definiit eisdem Capellanis licere præsente Parocho aqua benedicta cadavera extra Hospitale humanda in actu eorum traditionis aspergere. Ravennaten. die 27. Junii 1789. dub. 3.

(26. Ad possessorem Capellaniæ fundatæ a Sacerdote Joanne Femi cum onere missarum, adjuvandi Parochum ac pueros erudiendi Communitas Castri Pascuorum partem ratam del Castelluccio in augmentum Capellaniæ redditum cessit. At ad solvendum debitum collectarum cameralium, quarum impositione possidentes del Castelluccio, gravati fuerant, Capellanus Buccetti suam partem ratam, animo tamen repetendi, pependit, ac inde exoravit S. C. pro restitutione indebiti; eoque defuncto, instantiam prosequuti sunt illius hæredes ac hodiernus Capellanus. S. C. fuit animo spectare onus exsolvendi collectam ad universitatem Fematris : Spoletana die 27 Febr. 1790, dub. 1.

(27. Quum Clericus Joseph Bracci ad Capellaniam Sacerdotalem de jurepatronatus institutam a Sacerdote Petro Bracci nomi-

Digitized by Google

natus fuisset, dispensatio ætatis ab eodem, qui modo attingit decimum nonum annum cum dimidio, fuit postulata. Hanc S. C. impertivit; nam ille de agnatis, quos testator prædilexit, est, nec ejusdem familiæ ullus Sacerdos est competitor; Senogallien. Capellaniæ die 17 April. 1790, dub. 2.

(28. Anno 1504. Sacerdos Dominicus de Ochis Capellaniam cum onere sacri quotidiani, et diurni nocturnique servitii Ecclesiæ Cathedralis instituit. At in Visitatione anni 1589. causa reddituum diminutionis missæ ad tres hebdomadales reductæ fuerunt. Modo Capellaniam Ferdinandus Chiabrera possidet, qui postulat, an et quomodo impleri debeant onera ejusdem? Affirmative juxta votum Episcopi, qui ait « decernendam observantiam celebrationis trium missarum qualibet hebdomada, feria scilicet secunda, quarta, et Sabbato, sicuti ab initio observatum vidimus..... et injungendum Capellano interessentiam Divinis Officiis in Cathedrali celebrandis diebus festis de præcepto. » S.C. respondit : Aquen. Reduct. Oner., die 19 Febr. 1791.

(29. Capellanus fundationis Angeli de Pennacchis, cui onus imposuit fundator celebrandi Sacrum in festis diebus de præcepto et in aliis festivitatibus B. M. V. illud celebrare tenetur in festivitatibus etiam, quæ non sunt de præcepto : *Nullius* : Ferentilli, Visitationis Sacr. Liminum, die 19 Febr. 1791, dub. 1.

Et aliqua occurrente festivitate B. M. V. diebus Dominicis aliisque festis de præcepto, non tenetur Missam alia die supplere. Ibid. dub. 2.

Neque tenetur celebrare in aliis etiam festivitatibus B. M. V. ab Ecclesia indictis post erectionem Capellaniæ. Ibid. dub. 3.

(30. Clericus Antonius Maria Bollati e passive vocatis obtinet Capellaniam fundatam a Josepho Antonio Coppi in Ecclesia Parochiali Capriarum, et gravatam onere missæ quotidianæ, residentiæ aliisque, tributa tantum vocatis facultate supplendi per alium, excepto Parocho, ut in Ecclesia duæ sint missæ. Dictus Clericus suam exponens paupertatem petit, an et quomodo sint concedendæ vacationes? S. C. rescripsit quoad vacationes negative, excepto casu infirmitatis : Segusien. Reduct. Miss., die 16 April. 1791, dub. 1.

(31. Clericus Antonius Maria Bollati ex passive vocatis obtinet Capellaniam fundatam a Josepho Antonio Coppi in Ecclesia Parochiali Capriarum onere missæ quotidianæ, residendi, aliisque gravatam, cum facultate tamen supplendi per alium, excepto Parocho, ne Ecclesia illius missæ privetur. Dictus Clericus suam exponit paupertatem, et quærit an sit illi libera applicatio? Negative S. C. respondit : Segusien. Reduct. Miss. die 16 April. 1791, dub. 2.

(32. Primum Capellaniam perpetuam, postea legatum pium missarum instituere placitum fuit Octavio Speranza. Propterea Episcopus Beni pium legatum instantibus patronis in Capellaniam erexit, ut in favorem cujusdem Clerici patrimonium sacrum constituit. Hodiernus modo patronus pro redintegratione legati pii ad formam testamenti precatur, et S.C. consulta sanavit erectionem confectam, celebratis missis bis centum sexaginta in Ecclesia, in qua testator tumulatus est : Fanen. Capell. 7 Maii 1791, dub. 1.

(33. Octavius Speranza, etsi in primo testamento Capellaniam perpetuam instituerit, tamen in secundo, primo revocato, legatum pium reliquit; idcirco Episcopus Beni erexit illud in Capellaniam, quam Clerico Francisco Rossetti pro sacro patrimonio contulit. Patroni postularunt, ut redintegretur legatum pium, sed S. C. prævia sanatione erectionis Capellaniæ, Sacerdotem præfatum, qui bona fide ad Sacerdotium ascendit, abdicari non debere titulo Capellaniæ, et quoad administrationem juxta votum Episcopi : « Episcopus censet relinquendam Administrationem Rosetto, qui 24 annis titulo patrimonii bona fide possedit. » S. C. respondit : Fanen. Capellaniæ, die 7 Maii 1791, dub. 2.

(34. Capellania Sacerdotalis, quæ in Ecclesia S. Sebastiani Societatis *de' Battuti Bianchi* fundavit Sacerdos Jo. Magnoli cum onere quotidiani Sacri, conceditur in favorem pueruli Josephi Antonii Brunaccini annorum quatuor prælative vocati, ac pauperis juxta modum, exclusis Sacerdotibus Amadei, et Bagattoni, pendente illius instantia nominatis : Forolivien. Capellaniæ 25 Junii 1791, dub. 1.

(35. Multiplicum ad 15 erigendas Capellanias, ac alia opera pia implenda Hippolytus Callot ordinavit, hærede instituta Ecclesia SS. Martyrum Laurentii in Fonte et Hippolyti, quam Nobilium Auliculorum Congregatio, quæ Urbana dicitur, regit. Hæc septem erectis Capellaniis redditus redundantes erogavit in utensilia, imagines, Ecclesiæ restaurationes, lites, quæ ad scut. 1017, 96, modo supplicat pro absolutione, quum ob æs alienum Ecclesia impotens sit ad omissa onera explenda. Et S. C. indulsit juxta votum Em. Visitatoris : Romana Unionis Reddituum, 25 Junii 1791, dub. 2.

(36. Canonicus Antonius de Sanctis Capellanus amovibilis Capellaniæ nominatus est ab Officialibus Societatis S. Sisinnii Martyris Tophiæ, sed dicti Officiales post quadragenariam possessionem eum dimiserunt, ob iteratam ab eodem compositionem a Rev. Fabrica impetratam, et a S.C. Concilii reductionem, insciis Officialibus dictæ Societatis. S. C. autem consulta, redintegrationem dicti Canonici ad Capellaniam mandavit : Nullius Farfen. Capellaniæ, die 6 Aug. 1791.

(37. Capellaniam annui redditus scut. 40, vel 36, absque expressa celebrationis missarum mentione, Sacerdos Antonius Bitti Antonio Rozzi, ut Sacerdotalem statum susciperet, reliquit. In reliquis vero bonis missas designavit, ideo S. C. consulta statuit missas esse celebrandas a Capellano in numero præfiniendo arbitrio et conscientiæ

Digitized by Google

Vicarii Apostolici : Recineten. Capellaniæ, die 27 Aug. 1791.

(38. Antonius Orca binas instituit Capellanias, et Capellanis onus imposuit celebrandi per se ipsos, exceptis casibus legitimi impedimenti. Hinc Capellani consueverunt in casu infirmitatis prætermittere missas. Episcopus vero postulat, an et quomodo Capellani teneantur supplere missas tempore infirmitatis? et respondit S. C. affirmative, et teneri per alios Sacerdotes : Civitatis, Plebis Visitationis Sacr. Liminum, die 27 Aug. 1791.

(39. Quoad Capellaniam fundatam ab Anzelino Jabozzi in Collegiata Ecclesia S. Juliani oppidi Guardiani prædiorum medietas absque Capellanorum culpa antiquitus deperdita fuit, ideo reductæ missæ quatuor hebdomadales ad 108 annuas. Sed satis non fuit hujusmodi reductio Capellano Joanni Ambrosio Lazzarini Canonico Curato, qui exemptionem a chorali servitio, et aliam missarum reductionem implorat. Verum a prima reductione redditus minime imminuti fuerunt, et onera expleta; ideo S. C. hujusmodi preces rejecit : Novarien. Reductionis Oner., die 17 Sept. 1791.

(40. Suspensio nominationis Capellani conceditur ad quinquennium Dominico de Sanctis patrono laico Capellaniæ erectæ a Palladio Olivari ad proprium altare S. Caroli in parochiali Ecclesia Montopolis, deputato ecclesiastico administratore, qui, celebratis missis ad formam fundationis, superexstantem redditum erogaret in reparationem altaris et subrogationem novæ tabulæ pictæ, nam de patrono paupere non agebatur : Nullius Farfen. suspensionis Missarum, die 14 Januar. 1792.

(41. Capellania Laicalis a Francisco Antonio Brochi instituta, ad quam vocatur linea masculina Broglia, et in hujus defectu linea masculina Rocchi Costantini cum substitutione Sodalitii Sanctissimæ Trinitatis Terræ Offidæ, conceditur administratio Theresiæ filiæ ultimi masculi familiæ Borghi ad ejus vitam : Asculana Capellaniæ, die 24 Martii 1792.

(42. Eleemosynam missarum Capellaniæ a Carolo Carloni fundatæ, et ab Angela ejus uxore erectæ de jure nunc patronatus gentis Alufliæ deberi decernitur Sacerdoti Carolo Antonio Fraschetti Capellano ad manualem pro summa ab Ordinario liquidandam. Nam patroni simplicem manualem Capellano tradebant, et reliquam partem retinebant, quum de Capellania laicali, meroque pio legato agi dictitarent : Nullius S. Salvatoris Majoris Capellaniæ, die 18 Aug. 1792.

(43. Jussu Francisci Malacazla Capellania erecta fuit cum onere hebdomadali Missarum 4, residendi in domo sua, in eaque recipiendi Patres Ordinum S. Francisci de Assisis et S. Francisci de Paula. Modo possessor institutionis labentem domum negligentemque prædiorum culturam invenit : ideo exorat pro temporali missarum suspensione, ac a residentia hospitioque dispensatione, ut domus ac prædia reparentur. Annuit S. C. in omnibus ad biennium, celebrata unica missa quolibet mense, consulto Episcopo de erogatione superexstantium reddituum in causam expressam : Lunen. Sarzanen. die 19 Januar. 1793.

(44. Petrus Angelus Mattioli laicalem Capellaniam instituens cum missarum onere, simpliciter Capellanum confessiones fidelium excipiendas hortatus est; ideoque S. C. consulta, an ei hoc onus incumbat? ei utique incumbere respondit : Senogallien. Capellaniæ, die 20 April. 1793, dub. 1.

(45. Quum simpliciter Petrus Angelus Mattioli hortatus esset in fundatione Capellaniæ possessorem excipiendi fidelium confessiones, quod onus ei incumbere decidit S. C.; modo privandum Capellania non esse Petrum Coccoli ob nondum accepta ex contraria opinione pagellam Confessarii, sed præfigendum ipsi terminum arbitrio Card. Episcopi ad excipiendas confessiones : Senogallien. Capellaniæ, die 20 April. 1793, dub. 2.

(46. Missæ præscriptæ Capellano a Jacobo Mancini cum eleemosyna obolorum 20, pro qualibet superexstante redditu Capellaniæ annuis celebratis festivitatibus sex in rurali ejus Ecclesia S. Francisci de Paula, in eadem pariter celebrandæ sunt Ecclesia ex præsumpta testatoris voluntate : Camerinen. die 11 Maii 1793, dub. 1.

Permittitur tamen illarum translatio ad Ecclesiam ab Episcopo designandam ad formam indulti S. C. 11 Martii 1786, firmo nempe remanente onere celebrandi diebus festis in dicta Ecclesia S. Francisci de Paula. Ibid. dub. 2.

(47. In favorem unici et pauperis filii Joannis Pauli Perrotti, passive vocati, qui statum amplexurus erit conjugalem suspenditur Capellaniæ tum Jacobi Perrotti, tum Jo. Baptistæ Mollea ad quindecim annos, deputato ecclesiastico administratore, qui, adimpletis oneribus, reliquam summam Oratori consignet : Montis Regalis, Capellaniarum die 23 Novem. 1793.

(48. Dianora a Monteveteri hæredem scriptum montem Pietatis Brixichellæ oneravit manutentione Capellani in Ecclesia Sodalitii S. Crucis, qui quotidianum sacrum ibi celebraret. Prævio inde laudo, stipendium fuit edictum scut. 40. et duo novissimi Capellani scut. 33. sunt consequuti. Capellania vacante, nemo comparuit ad illam acquirendam; hinc societas exorat, ut augeatur stipendium, et S. C. annuit pro summa per Ordinarium præfinienda : Faventina Capellaniæ 21. Junii 1794.

(49. Capellaniæ laicalis fundatæ a Valerio Augustino Salvatori in Ecclesia Cathedrali dispensatio retinendi in statu conjugali denegatur Francisco Catrani passive vocato in concursu Sacerdotis Petri ejus fratris : Civitatis Castelli Capellaniæ 22. Novem. 1794. dub. 1.

(50. Denegatur prætensa circumscriptio possessionis Capellaniæ laicalis institutæ a Valerio Augustino Salvatori in Ecclesia Cathedrali, in quam missus fuit Sacerdos

Digitized by Google

Petrus Catrani absque citatione Francisci ejus Fratris post contractum ab eo matrimonium, dum petebat dispensationem illam retinendi: Civitatis Castelli Capell. 22. Novem. 1794. dub. 2.

(51. Clericus Paulus Bondi nominatus ad Capellaniam fundationis Alexandri Ziani, quum non constet nihil ante possessionem bonorum Capellaniæ pro missis tunc celebratis consequutum fuisse; et verisimile est et bona et redditus pinguis Capellaniæ a die nominationis per actas lites vindicasse; hinc non esse locum compensationi missarum quoad præteritum S. C. sancivit. Sutrina, Capellaniæ die 18. Aprilis 1795. dub. 4.

(52. Vix dum electus fuit Bernardinus Narduccinus in Capellanum fundationis Agnetis de Paulis, quæ missam quotidianam, et adjumentum Parochi in oppido Cæsani mandaverat, causa redditnum ejusdem Capellaniæ diminutionis, supplicavit ut liberaretur ab onere adjuvandi Parochum, sed non fuit auditus; renovat modo preces et annuum stipendium scut. 48. pro utroque onere, infelicemque residentiæ locum ostendit, et iterum non esse locum reductioni onerum declaravit: Portuen. Reductionis Onerum 18. April. 1795.

(53. Clericus Paulus Bondi nominandus ad Capellaniam fundationis Alexandri Ziani tenetur Sacramentum Pœnitentiæ, nisi legitime impeditus sit, administrare; hoc enim onus per contractum suscepit, licet fundator loquutus fuerit: « perchè questi abbia l'Autorità di confessare » inde « ed avendo detti Cappellani la Confessione debbano confessare, ma aloro arbitrio »: Sutrina, Capellaniæ die 18. April. 1795. dub. 6.

(54. Quum sortes Capellaniæ fundatæ ab Aurelio, et Antonio Filippini in Parochiali Ecclesia S. Blasi montis Cerignoni culpa administratorum imminutæ essent, et missæ haud celebratæ; S. C. decrevit, ab eis suppleri debere missas non celebratas, reservato in favorem Capellani jure agendi adversus eosdem hæredes pro solutione debitæ eleemosynæ pro missis celebratis: Feretrana Capellaniæ die 28. Febr. 1795. dub. 2. confirmat. 18. Julii ejusd. anni.

(55. Decernitur contra Valentinum per viam nullitatis purgatio attentatorum ob occupata bona Capellaniæ institutæ a Petro Andrea Marinucci pendente inhibitione: Montis Alti, Capellania die 22. Aug. 1795. dub. 5.

(56. Quum Capellaniarum fundationis hæreditatis tum Franciscæ Borelli tum Francisci de Comitibus existentium in Ecclesia Archipresbyterali S. Laurentii oppidi Formelli administrator in favorem possessorum Capellanorum in legali redditione rationis scut. 380. debitor evasisset; dicti Capellani preces adhibent pro suspensione collationis vacantis Capellaniæ ad decennium; et S. C. usque ad exstinctionem æris alieni scut. 380. annuit: Nepesina, Capellaniæ die 23. Januar. 1796.

(57. Spectata facultate tributa a S. C. Concilii ex redditibus superexstantibus piæ hæreditalis Ricci, Archiepiscopus tres erexit Capellanias in oppido montis S. Martini cum onere sacri quotidiani et tribuit PP. Augustinianis cum annuo stipendio scut. 36. pro qualibet, sed quia Patres nunquam distributive per singulos dies celebrarunt, sed infra annum per 80, et ultra annos; hæredes testatoris petunt celebrationem quotidianam, et S. C. intra annum missas esse celebrandas resolvit. Nam in tabella Ecclesiæ adnotabatur num. 93. missar. « distribuite per commodo de' Padri in ciascum mese. » Firmana. Capellaniarum die 23. Jan. 1796.

(58. Capellano Leonardo Gentilini, qui in accipienda Capellania Alberi instituta in Ecclesia Carminis Cæsenæ se obligavit ad celebrandam missam quotidianam in publico Oratorio terræ Portus Cæsenatici ad quod translata fuit eadem Capellania, et sufficientes habet redditus, nempe scut.: 62. annuatim onus celebrationis proprio sumptu imponitur: Cæsenaten. Capellaniæ 19. Decem. 1795. confirmat. die 12. Martii 1796.

(59. Capellaniam fundatam a David Dominici in Ecclesia S. Mariæ Majoris Oppidi Hispelli, et quam Antistes erexit in titulum simplicis beneficii ecclesiastici collativi, seu perpetuæ Capellaniæ retinere exoptat Clericus Jo. Calcagna in statu conjugali, Patronis consentientibus, et S. C. exorat, quæ eis non fecit potestatem: Fulginaten. Capellaniæ die 14. Septemb. 1796. dub. 1.

(60. Quum Rectorum culpa in pessum iverint prædia Capellaniæ fundatæ a David Dominici in Ecclesia S. M. majoris oppidi Hispelli oneris trium hebdomadalium missarum, et vix redderent scut. 11. 94. Antistes facultate Apostolica utens an. 1727. onus reduxit ad unam hebdomadalem, aliasque duas menstruas, augendis missis redditibus auctis; modo accreverunt redditus ad scut. 20. 32. hinc S. C. exoratur quomodo sint celebrandæ missæ? et respondit ad formam Decreti Episcopi anni 1727. Nam deductis oneribus, vix supersunt Capellano scut. 9. 37. In Fulginaten. Capellaniæ, die 17. Sept. 1796. dub. 2.

(61. In institutione Capellaniarum quas fundavit Card.: Antonius Maria Salviati in Ecclesia S. Jacobi Incurabilium urbis, donator injunxit onus celebrandi per se, sed non addidit clausulam « et non per alio » et in tabella Ecclesiæ typis impressa anno 1675. in qua rite Missæ notantur, et quæ ab aliis Sacerdotibus omissæ supplentur, onus hujusmodi præscribitur; idcirco Capellani propter etiam reddituum tenuitatem celebrare per alios missæ sueverunt, et inde S. C. consuluerunt, quæ Capellanos primæ Institutionis dicti Cardinalis teneri per se ipsos Sacra peragere decidit. Romana, Capellaniarum: die 26. Novem. 1796. dub. 1.

Et casu infirmitatis dictos Capellanos, per alios, dummodo dies quindecim non excedant, supplere non teneri statuit. *Ibid.* dub. 2.

(62. Testamento Sacerdos Abel Avanzi in fundatione perpetuæ laicalis Capellaniæ non numerum missarum, sed eleemosynam in

Digitized by Google

ob : 15. juxta redditus definivit ; in codicillis vero missam quotidianam cum eleemosyna ob. 20. si augeatur redditus ad scut. 72. statuit. Quum modo censuales fructus reddunt scut. 80. petiit Capellanus : An pro redditu excedente scut. 72. tot aliæ præter quotidianam celebrandæ sint missæ ? et S. C. negative respondit: Spoletana, Capellaniæ die 17. Decem. 1796. dub. 1.

(63. Sacerdos Jo. Baptista Rondini unus ex Capellanis Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum terræ Philoptrani, qui instar Capituli Canonicorum choro inserviunt, ob plura patrata crimina ad quinquennium in quoddam Monasterium damnatus fuit. Ei fructus et distributiones non deberi cæteri Capellani inservientes durante ejus absentia autumant, et S. C. præsidio nituntur, quæ non ei illos deberi rescripsit : Auximana, Capellaniæ die 21. Januar. 1797. dub. 1.

(64. Duas Cæsareus Sen. : Calvi fundavit Capellanias Ecclesia S. Mariæ Montis Falchi, earumque onera, ob mutata in pejus prædia censibus subrogata, reducta ab Episcopo ad annuas missas 141. vel 112. ex missis 7. hebdomadalibus in fundatione demandatis, fuerunt, licet id non ex fundatione, quæ deficit, sed ex commentariis familiæ Calvi constat, dein Capellani nominatio postmissa fuit, ac celebratio in missis 50. confecta. Episcopus vero ambigit, in quo numero sint missæ celebrandæ ? in numero 141. S. C. firmavit; etsi Episcopus inopiam patroni ostenderet, ac annuam missarum 50. celebrationem perpetuam, ad meliora bona cum residuo fructu reddenda Capellaniæ, proponeret : Spoletana, Reduct. Miss. die 11. Febr. 1797. dub. 1.

(65. De binis Capellanis a Cæsareo Sen. Calvi in Ecclesia S. Mariæ Montis Falchi suspensionem nominationis obtinuit anno 1771. patronus Calvi quousque ad legitimam ætatem ejus Nepos perveniret, expletis oneribus, quia prædia illarum permutata in pejus censibus subrogata fuerant. Inde neglecta semper fuit dicta nominatio, paucis celebratis missis. Modo patronus postulat a S. C. suspensionem, testimonium suæ inopiæ Episcopo perhibente ; et S. C. præcepit nominationem Capellani, et ut Episcopus assignet terminum, prout de jure, ad eamdem nominationem faciendam. Spoletana Reductionis Missarum die 11. Febr. 1797. dub. 2.

(66. Decreta erectione secundæ Capellaniæ a sodalibus suffragii Ecclesiæ Collegiatæ et Parochialis S. Venantii et a S. C. approbata, idem sodales petierunt ab eadem S. C. indultum celebrandi primam missam a Capellano circiter quadrante post meridiem singulis diebus festis de præcepto, propter populi commoditatem ; et obtinuerunt : Camerinen. Capellaniæ die 6. Maii 1797. dub. 2.

(67. Quum Clericus Joseph Fontana ætatis undecim unus de domo fundatricis Catharinæ Fontana idoneus ad obtinendam Capellaniam ab ea in Ecclesia Parochiali SS. Jacobi et Quirici Lapedonæ cum onere celebrandi per se ipsum fundatam, impetrasset Apostolicam dispensationem, et obtinuisset ; modo agens an. 21., neque idoneus adhuc esset ad subdiaconatum, postulavit prorogationem triennium, et Archiepiscopo favente, arbitrio ejusdem reportavit. Licet illam impugnaret Sacerdos Cyriacus Brandimarte nominatus, quasi præfatus Fontana jamdiu possessam Capellaniam ob non susceptum Sacerdotium amisisset : Firmana Capellaniæ die 17. Junii 1797. dub. 1.

(68. Franciscus Ercolani instituit Capellaniam collativam in Ecclesia S. Silvestri terræ S. Constantii et in erectione fuit Beneficium appellata. Inde dote aucta beneficii, et reservatum fuit juspatronatus idoneis ad Sacerdotium vocatis, et Veronica Vecchi, cui hæreditas delata fuit activum reliquit juspatronatus Francisco Corradini, qui ad beneficium nominavit ejus filium Petrum, qui licet ad conjugalem statum transisset, retinuit tamen prædium beneficii, adimpletis per alium oneribus. Monitus ab Episcopo, orat pro facultate continuandi in possessione prædii per ipsum melius effecti. Favet ei Episcopus, sed S. C. non esse locum retentioni beneficii in statu conjugali ; sed suspensioni nominationis deputato Ecclesiastico Administratore, qui, impletis oneribus superexstantes redditus Oratori consignet, donec aliquis ex passive vocatis idoneus superveniat : Fanen. Beneficii die 15. Julii 1797. dub. 1.

(69. Clericus Bondi nominatus ad Sacerdotalem. Capellaniam Zani,. eam obtinuit cum conditione, « dummodo Trebonianum se conferat, ibique resideat statim ac ad legitimam pervenerit ætatem ad Sacerdotium ascendat, et facultatem excipiendi Sacramentales confessiones obtineat. » Ad ætatem perventus an. 23. supplicat pro prorogatione termini ad sacros suscipiendos ordines, donec opportune expleret studia, quibus ob adversam valetudinem incumbere non potuerat ; et S. C. annuit arbitrio Episcopi : Sutrin. Capellaniæ die 15. Julii 1797.

(70. Franciscus Pandovani instituens per instrumentum laicalem Capellaniam in Ecclesia Parochiali SS. Nominis Jesu civitatis Plebis, onus Capellano 50. missarum annuatim imposuit, et adjunxit postea alias 20. missas. Inde in testamento « acciò che il peso, ed obbligo del Capellano pro tempore sia esattamente adempito » onus missarum reduxit ad 25. et nullam mentionem fecit missarum 20. Hodiernus Capellanus consuluit S. C. pro declaratione, an et quot missæ celebrari deberent ? cui respondit Sacra Congregatio missas annuas 45. esse celebrandas, et ad D. Secretarium cum SS. : Civitatis, Plebis oneris missarum die 19. Aug. 1797.

(71. Supplicationem favore Xaveri Grisei pueri septennis ad Capellaniam Collaterali a Patronis nominati sub conditione futuræ dispensationis super defectu ætatis relaxandam esse, cum de linea esset a fundatore contemplata, Capellania non esset qualitatis Sacerdotalis, ipsique patruus Thomas a lite

Digitized by Google

recedens, sua jura cesserit; quin obstaret oppositio Sacerdotis Septimii Capaci, qui de linea non erat a fundatore prædilecta, S. C. pro voto requisita a Dataria Apostolica, respondit. In Firmana Beneficii 13. Februarii 1840. ad 1. Dub.

(72. A supplendo deteriorato fundo Capellaniarum, Juvarra absolvitur hæreditas, cum fundus assignatus fuerit certus et determinatus, in Romana Supplementi, et reductionis die 23. Januarii 1802. ad 1. Dub.

(73. Institutionem ad Capellaniam Fioravanti erectam in Ecclesia PP. Augustinianorum Oppidi Brachiani dandam esse Thomæ Mazzanti censuit Sacra Congregatio, in Sutrina Capellaniæ die 15. Maii 1802.

(74. Institutionem ad Capellaniam a Cecilia Manni fundatam in Cathedrali Ecclesia Civitatis Plebis concedendam esse Josepho Salvatori, dimisso ab eo beneficio SS. Salvatoris, rescripsit Sacra Congregatio, in Civitatis Plebis Capellaniæ die 17. Julii 1802.

(75. Trium Capellaniarum reductio conceditur ab unam tantum, celebratis quotannis Missis biscentum, attenta diminutione fructuum LL. Montium, qui pro fundo Capellaniarum fuerunt assignati. In Amerina Visitationis SS. Liminum die 24. Martii 1803.

(76. Capellaniam a Nicolao Albertini fundatam retineri a Clericis posse negavit Sacra Congregatio, sed Clericis ex familia passive vocata dispensationem concessit, ut eam retinere possent ad annum tantum, ad effectum suscipiendi ordinem Præsbyteratus, impletis interim omnibus oneribus ad formam fundationis, in Asculana Capellaniæ die 8. Martii 1806.

(77. Ad unam ex Capellaniis institutam a Francisca Maggi nominandum esse decrevit Sacra Congregatio Angelum Maggi, qui tanquam qualificatus ex fundatione, non indigebat præsentatione Patroni, in Romana Capellaniæ die 26. Aprilis 1806.

Commutationem voluntatis Joannis Pauli Ferentilli, qui erectionem duarum Capellaniarum in testamento jusserat, omnino reprobavit Sacra Congregatio, nec permisit ut ex fundo Capellaniæ erigeretur Mons frumentarius in Oppido Castri Novi Portuensis. In Romana Commutationis Voluntatis die 14. Junii 1806. ad 1. Dub.

(78. Simulque decrevit eadem Sacra Congregatio non esse locum redintegrationi fundi Capellaniæ ex ejusdem fructibus, suspensa celebratione Missarum, et cogendum esse Capellanum ad docendum de celebratione quoad præteritum, ibidem ad 2. Dub.

(79. Suspensionem nominationis duarum ex quatuor Capellaniis a clar. mem. Card. Sfondrati erectis in Ecclesia S. Ceciliæ Urbis, iterum negavit Sacra Congregatio, confirmata resolutione diei 2. Junii 1804. cogitque Moniales ad docendum infra duos Menses coram E. Præfecto de sequutis nominationibus. In Romana suspensionis Nominationis die 19. Julii 1806.

(80. Translationem Capellaniæ institutæ Hieronymo Febei in Ecclesia S. Antonii Patavini Oppidi Castriperi concessit S. Congregatio, attenta ruina hujus Ecclesiæ, ad Ecclesiam Parochialem in Capella S. Catharinæ, apposita Icone S. Antonii ad hoc Altare. In Balneoregien. Translationis die 27. Septem. 1806.

(81. Cessionem juris nominandi ad Capellaniam pro prima vacatione factam a Compatronis probavit Sacra Congregatio, sine præjudicio juris Patronorum de tempore vacationis, in Urbinaten. die 29. Novem. 1806.

(82. Indultum suspensionis Capellaniæ, favore Josephi Taramanni exsequendum esse definivit S. Congregatio in administratorem Capellaniæ, deputato Sacerdote Alexio Pagetti, cui Capellania ipsa spectabat, indulti tempore expleto. In Fabrianen. Suspensionis Nominationis die 28. Februarii et 11. Aprilis 1807. ad 1. Dub.

(83. Indultum Suspensionis nominationis Capellani favore Josephi Taramanni iterum concedendum, primo expirato, negavit S. Cong. ibid. ad 11. Dub.

(84. Jus nominandi ad Capellaniam institutam a Magdalena Carlini, et aliam institutam a Joanne Baptista Carlini omnino competere declaravit S. Congregatio Alexandro Galosi, prævio recessu a decisis die 16. Februarii 1805. in Montis alti Capellaniarum die 2. Maii 1807. ad 1. et 2. Dub.

(85. Fructus Capellaniæ a Petro Paulo Pizzi institutæ exigendos esse a Patrono Carolo Terragnoli, non obstante facultate Canonico Gazzoli in nominatione tributa: *di percepire l' intiero frutto del Capitale assegnato per il di lui fondo*: attenta fundatoris voluntate. In Romana Capellaniæ die 30. Maii 1807. ad 1. Dub.

(86. Terminum unius Mensis præficiendum esse Canonico Gazzoli et docendum de celebratione pro integro tempore retentæ Capellaniæ, exhibitis Carolo Terragnoli Patrono libris celebrationum a S. Visitatione approbatis, ad dispositum in tabulis testamentariis Fundatoris Pizzi, definivit S. Congregatio, fructuum contentione dilata. In Romana Capellaniæ die 30. Maii 1807. ad 2. et 3. Dub.

(87. Pro fundo Capellaniæ relictæ ab Anna Maria Liberi Palmieri stare posse tria Cambia in ejus hæreditate reperta, statuit S. Congregatio juxta votum E. Episcopi, facta tamen per Exsecutores Testamentarios obligatione supplendi ex reliqua hæreditate in casu deficientiæ sortis, vel fructuum. In Prænestina die 21. Januarii 1808.

(88. Sanationem et approbationem Decreti anni 1759 facti a Congregatione PP. Oratorii Cinguli, in quo statuerunt Præfectum Sacrarii celebrare debere Missas implendas ex Capellania Vannuzzi, data eidem eleemosyna unius julii, et addictis reliquis Capellaniæ fructibus in utilitatem Ecclesiæ concessit S. C. in Cingulana die 23. Januarii 1808.

(89. Jus nominandi Capellanum ad Capellaniam institutam a Magdalena Carlini, atque ad alteram fundatam a Johanne Baptista Carlini pro celebratione Missæ die Veneris

Digitized by Google

in Ecclesia S. Mariæ del Borgo competere Alexandro Galosi definivit S. C. confirmata secunda resolutione diei 2. Martii 1807. in Montis Alti Capellaniarum 7. Maii 1808.

(90. Alienationem fundi in vocabulo Panajola a Canonico Francisco Benclerici pro dote altaris, et capellæ S. Andreæ, et Philippi Civitatis Gallii constituta, reprobavit S. C. et præfixit Patronis terminum ad præsentandum Capellanum (sin minus Episcopus eumdem nominaret, jure devoluto), cui ab acquirentibus tradendus esset fundus alienatus, reservato iisdem jure pro restitutione pretii, contra quos de jure, et monuit omnes contrahentes, ut consulerent conscientiæ suæ. In Callien. die 21 Septem. 1808.

(91. Unionem Capellaniarum a Sacerdote Dominici institutarum cum Capellaniis fundatis a Rosa Marini rejecit S. C. in Tolentinaten. Unionis, et Reductionis Capellaniarum die 21. Januarii 1809.

(92. Nominationem ad Capellaniam Laicalem Clerici Bernardini Jeezzi in statu Clericali contra legem fundationis adhuc permanentis (cum trigesimum septimum ætatis annum jam numeraret, nec ad sacros ordines ob sufficientis scientiæ defectum ascendere quiret) non esse servandam censuit S. C. et Parochum Ecclesiæ Cathedralis Ripanæ, cui jus competit nominandi, procedere posse statuit ad novam nominationem Clerici pauperis ad sacros ordines ascendere cupientis. In Ripana nominationis 1 Martii 1814.

(93. Indultum a Laurentio Rambaldoni Galeotti impetratum retinendi Capellaniam a Parocho Laurentio Rambaldoni institutam, confirmandam esse denegavit S. C. In Urbanien. Capellaniæ die 17. Septembris 1814.

(94. Indultum obtentum a Comite Jacobo Carrara, ut retinere posset in statu Conjugali Capellaniam S. Philippi Neri institutam a Comitissa Catharina Ottreducci, cujus Patronatu ipse Jacobus fruebatur, prorogationem indulsit S. C. in personam ejus Viduæ Antoniæ Carrara, usquedum ex ejus unica filia aliquis existeret, qui Capellania hujusmodi gaudere possit. In Fanen. Prorogationis Indulti die 17. Decembris 1814. ad 1. Dubium.

(95. Simulque S. C. consulit SS. pro sanatione, et absolutione quoad præteritum ad cautelam, quia dicta Vidua Carrara non statim ab obitu viri sui prorogationem Indulti postulavit. Ibid. ad 2. Dub.

(96. Quatuor Capellaniarum fundos a Joanne Baptista Masnata, ejusque Nepote Francisco, et hujus Uxore Rosa Grondoni institutarum cum constituere hæredes neglexerint contra mentem fundatorum, ac hæreditas valde imminuta fuerit, Reductionemque præterea a propriis Archiepiscopis bis obtinuerint ad decennium, horum postremo nondum elapso, a S. C. perpetuam petierunt Reductionem, quam hæc ipsis denegavit, et E. Archiepiscopo curam commisit, ut fundi assignarentur pro quatuor Capellanis ad formam fundationum, et Oratores, elapso decennio, recurrerent In Januen. Reductionis die 8. Februarii 1815.

(97. Capellaniam institutam a Magdalena Ceccani addicendam esse censuit S. C. Clerico Aloysio Rocchi, ex eo quod esset passive nominatus. In Prænestina Capellaniæ 12. Februarii 1815.

Absolutionem tamen quoad præteritum concedendam censuit, celebratis infra bimestre Missis quadraginta. Ibid. ad 2. Dub.

(98. Unionem Capellaniæ fundatæ a Dionisio Buzzaccarini in Ecclesia Parochiali Sanctæ Mariæ di Piazza Civitatis Pergulæ, quam imploravit favore suæ Parœciæ Rector ejusdem Parochialis, rejecit S. C. ex eo quod non constabat omnino defecisse passive vocatos in fundatione. In Eugubina Unionis die 18. Martii 1815. ad 1. Dubium.

(99. Suspensionem nominationis Capellaniæ institutæ a Stephano Rossi concessit S. C. ad vitam Marci Fabri descendente ex genere Patronorum, et ad ejus tertiam generationem masculinam ab eodem incipiendam, attento quod ipse Fabrus recuperare promisit suis sumptibus alienata bona Capellaniæ, ita tamen suspensionem concessit S. C. ut ab Ecclesiastico Administratore deputando post erectionem Capellaniæ satisfacerentur per decennium Missæ septuaginta annuæ tantum, et deinde satisfactis omnibus oneribus, ad formam fundationis superexstantes fructus eidem Fabro, ejusque descendentibus consignarentur. In Ariminen. Capellaniæ die 22. Julii 1815. ad 2. Dub.

(100. Commutationem voluntatis Stephani Rossi rejecit S. C. et mandavit Episcopo, ut curaret erectionem Capellaniæ ad formam fundationis, et aliud ad Altare Deiparæ dicatum, cum primum ab Oratore fundi recuperati fuerint. In Ariminen. Capellaniæ die 22 Julii 1815, pag. 57 ad 1 Dub.

(101. Non constare de incompatibilitate Capellaniæ Ficarelli fundatæ in Ecclesia S. Mariæ Majoris Oppidi Collis Scipionis cum Canonicatu a Capellano Ricci in alia Ecclesia Collegiata S. Nicolai ejusdem Oppidi Collis Scipionis cum adnexa cura animarum obtento, ac proinde non esse Capellania privandum declaravit S. C. In Narnien. Capellaniæ die 30 Augusti ad 1 Dub.

(102. Nec non licere eidem Capellano per Substitutos adimplere oneribus ejusdem Capellaniæ Ficarelli, in casibus necessitatis teneri ad pœnam duorum juliorum a fundatore statutam, nec suppleri posse per Canonicos Ecclesiæ S. Mariæ, in qua fundata est Capellania, ne deficeret Chorale servitium, juxta præscriptum Fundatoris. Ibid. ad 2 Dub.

(103. Restituendos esse a die motæ litis fructus Capellaniæ Vangelisti, Clerico Lodovico Balzani, qui legitime ad eam fuerat nominatus a Patronis, et a Præsbytero Giovannetti injuste dejectus, eo quod jam antea seipsum præsentavisset, statuit S. C. in Ariminen. Capellaniæ die 20 Septembris ad 2 Dubium, confirmavitque contra eumdem Giovannetti die 19 Novembris 1815.

(104. Suspensionem nominationis Capellaniæ laicalis institutæ a comitissa Flavia Theodoli Bolognetti in Ecclesia Parochiali S. Petri Vicovarii, et reductionem et translatio-

Digitized by Google

nem Missarum a Comite Virginio Bolognetti postulatam rejiciendam censuit S.C. In Tiburtina Capellaniæ die 2 Decembris 1815, ad 1 Dub.

(105. Nec non Sacerdoti Antonio Izzo, cui Capellaniæ di Lillo redditus denegati fuere ab anterioribus Creditoribus Capellaniæ bona sibi vindicantibus, cum ducata triginta sex recuperavisset, reductionem concedendam esse statuit S. C. ad tot Missas, quot superexstantes redditus ad rationem a fundatore constitutam. Carolenorum duorum, licet recuperatos redditus una cum Episcopo postulavisset liberos remanere debere juxta leges Synodales pro taxa Patrimonii Sacri in sua Ordinatione super eadem Capellania constituti. In Neapolitana Capellaniæ die 20 Decembris 1815.

(106. Rursus pro Sacerdote Antonio Izzo, qui Capellaniæ di Lillo post ducata triginta sex annua recuperata ex bonis ejusdem Capellaniæ, quæ sibi anteriores Creditores vindicaverant, omnem celebrationem Missarum omisit, eo quod putaverit ea libera debere remanere pro patrimonio sacro jam constituto in ea ad normam Legum Synodalium; injunxit nihilominus S. C. celebrationem viginti Missarum intra triennium. In Neapolitana Capellaniæ 20 Decembris 1815.

(107. Translationem Capellaniæ in Ædicula S. Bartholomei in agro Valle Buja erectæ ad aliud Oratorium, quam postulavit Bartholomeus Sandonnini Patronus, differendam esse censuit Sacra Congregatio usque dum Archiepiscopus Lucanus referret de valore fundorum per Peritum ex officio, et de annuo redditu per decennium. In Lucana Translationis die 13 Januarii 1816.

(108. Suspensionem Capellaniæ S. Antonii concessit Sacra Congregatio ad sexennium, ut deputato Ecclesiastico administratore, ab eoque impletis omnibus oneribus, excepto servitio Chori, residuales redditus erogarentur præcipue in sacras supellectiles, et restaurationes fatiscentis Ecclesiæ Sancti Michaelis in Oppido Castri Madamæ, facto verbo cum SS., et docto de erogatione et notificato decreto ministris Datariæ Apostolicæ. In Tyburtina Susoensionis Capellaniæ die 17 Februarii 1816.

(109. Utrum Residentiæ onus adnexum esset Capellaniæ relictæ a Lodovica Graziani, definiri non posse censuit S. C. nisi coadjuvarentur probationes. In Æsina Suspensionis Onerum et Residentiæ die 15 Junii 1816 ad 2 Dub.

(110. Uniendam censuit S. C. vacantem Capellaniam erectam in diruta rurali Ædicula Sancti Sebastiani, cujus nominatio spectat ad Capitulum Ecclesiæ Archipresbyteralis Oppidi del Piglio, ut impletis per Capitulum omnibus oneribus ad formam fundationis, et erecto in Ecclesia S. Mariæ delle Rose Altari S. Sebastiano modo et forma ab Episcopo Administratore præfiniendis, superexstantes redditus erogentur pro Sacrario ejusdem Ecclesiæ Archipresbyterali del Piglio, quod inter præterita rerum discrimina depopulatum fuerat. In Anagnina Unionis, et Suspensionis die 13 Julii 1816.

(111. Implemento Capellaniæ Bartoli ad formam fundationis locum esse definivit S. C. simulque esse locum aperitioni oris adversus Rescripta SS. a Theresia Fiori impetratis, cum ipsa non sit fundatoris consanguinea, nec de ejus paupertate satis constet, in Romana Capellaniæ die 13 Junii 1816.

(112. Caducitati non esse locum censuit S. C. a Capellania male administrata ab ejus Capellano, sed injunxit Ordinario, ut provideret juris et facti remediis reintegrationi Beneficii cum facultate sanandi sequutas alienationes, aliisque necessariis et opportunis etiam ad effectum, quatenus opus esset deputandi administratorem Capellaniæ. In Nullius Sublacen. Capellaniæ die 24 Aug. 1816.

(113. Capellaniam Laicalem institutam ab Episcopo Mantuano Antonio Guido a Balneo, et conferendam Clericis vel Sacerdotibus ex familia Balneo, definivit S. C. iis deficientibus, illicite in statu Conjugali retentam fuisse a Marchione Ferdinando a Balneo, licet onera ejusdem impleverit. In Mantuana Capellaniæ die 23 Novembris ejusd. an. ad 1 Dub.

Declaravit eumdem Ferdinandum teneri ad reintegrationem in scutis 2177, 37, investiendis ad formam fundationis in augmentum Dotis. In reliquis commisit Secretario ut a SS. absolutionem et condonationem quoad præteritum eidem Ferdinando exoraret. Ibid. ad 2 Dub.

Atque in posterum non posse Patronum nominare eos de Familia, nisi qui Clerici forent. Ibid. ad 3 Dub.

(114. Servandam non esse institutionem ab Episcopo factam expeditis literis Presbyteri Giovannetti, qui, conventione inita cum Sacerdote Aloysio Graziosi (cui æque ac sibi passivum jus competebat) seipsum ad vacantem Capellaniam nominavit. Reintegrandum esse autem dejectum ab eadem Capellania Clericum Lodovicum Balzani (ad quem etiam passivum juspatronatus competebat) sed præterea legitime a Patronis præsentatum decrevit Sacra Congregatio. In Arimineu. Capellaniæ 20 Septembris ad 1 Dubium, confirmavitque contra eumdem Giovannetti in Congregatione diei 20 Decembris 1816.

(115. Mansionarios Ecclesiæ Cathedralis Auximanæ, ad formam erectionis Mansionariorum, in Missis conventualibus, Parochis etiam legitime impeditis, munus Diaconi præstare debere statuit Sacra Congregatio. In eadem ad 4 Dub.

(116. Prævio recessu a decisis sub die 12 Julii 1823, Sacra Congregatio censuit manutentionem Capellaniæ Fassi dandam esse Clerico Achilli Pellei, quia ipse legitime nominatus fuerat a majori patronorum parte. In Montis Alti Capellaniæ die 26 Februarii 1818.

(117. Iisdemque de causis non esse concedendam, permanente Sodalitio, iisdem Capellanis administrationem reddituum, custodiam Sacrarii, implementum Missarum, ac superexstantium reddituum applicationem, ut Episcopus proposuerat, existimavit eadem Sacra Congregatio ibidem ad 3 Dub

Digitized by Google

(118. Capellanias sub invocatione S. Caroli, e. sub titulo S. Francisci jurispatronatus tum activi tum passivi Familiæ Cecconi, cum non constaret rectas fuisse auctoritate Ordinarii, vel unquam Capellanis datam fuisse canonicam institutionem, non esse Ecclesiasticas sed Laicales respondit S. C. In Nullius Sublacen. die 31 Julii 1818, ad 1 Dub.

(119. Non constare de caducitate Georgii Fortini a Capellania instituta ab Olympia Tenerini Sclavi De Sanctis, ejusque Filio Joanne Francisco Sacerdote, dixit Sacra Congregatio, quia Georgius a Fundatoribus absque onere sacrum Sacerdotii ordinem assumendi fuit nominatus. In Viterbien. Capellaniæ die 2 Augusti 1818, ad 1 et 2 Dub.

(120. Non constare de legitimo adimplemento onerum Capellaniæ a Francisco Battelli erectæ sub invocatione Nativitatis Deiparæ Virginis in Ecclesia Villæ Calavanna Urbanien. Diœcesis usque ad integrum annum 1818, attentis vero peculiaribus circumstantiis, consulendum SS. pro sanatione, et absolutione, et fructus Capellaniæ ab anno 1819, sequestro positos, erogandos esse, juxta votum Eminentissimi Relatoris, prorogato indultu reductionis ad totum currentem annum, dixit Sacra Congregatio. In Urbanien. et S. Angeli in Vado Capellaniæ die 19 Novembris 1818 ad 1. 2. et 3. Dubium.

(121. Rectorem Capellaniæ, de qua supra, ad residentiam teneri in ædibus a testatore designatis ad formam fundationis; quo vero ad actualem Capellanum Sacerdotem Joannem Antonium Sacchi, definitione dilata, separatim exponere debere causas dispensationis, si quas habet, rescripsit Sacra Congregatio, quæ providit quoque in posterum onerum implemento, et administrationi Capellaniæ juxta votum E. Relatoris, statuendo ut Archipræsbyter cum subjectione Episcopo incumberet exequutioni juxta legem fundationis. In eadem ad 4. 5. et 6. Dub.

(122. Precibus Maximi Cenciarelli conjugati, quibus administrationem Capellaniæ sub invocatione Beatæ Mariæ Virginis in Cœlum Assumptæ, ac S. Antonii Patavini a Joanne Baptista Cenciarelli erectæ petebat, annuendum non esse censuit Sacra Congregatio. Statuit quoque hujusmodi Capellaniæ institutionem contra Testatoris voluntatem dandam non esse Præsbytero Marcelli. Consulendum vero SS. dixit favore Clerici Josephi passive a Testatore vocati. In Signina Capellaniæ die 20. Decembris 1818. ad 1. 2. et 3 Dub.

(123. Cum Parochus suburbanus Ecclesiæ S. Quirici Florentinæ Diœcesis auxilio indigeret Capellani Curati, ac vicissim pensio sculatorum quadraginta huic assignata insufficiens esset, antequam annueret S. C. Capellania sub titulo S. Bonaventuræ redderetur admovibilis, et uniretur Capellano Curato pro tempore, quamvis laici patroni in id assentirentur, nec non hujus Capellaniæ onera Missarum reducerentur, rursus Archiepiscopo scribendum esse duxit ad mentem. In Florentina Unionis die 16 Aprilis 1820, ad 1 et 2 Dub.

(124. Principem ab Auria Pamphyli seu Patronum Capellaniæ Saraceni non indigere censuit S. C. absolutione, et sanatione ob missas 733 non adimpletas, cum redditus Capellaniæ dotem constituentes diminuti fuerint absque culpa ejusdem patroni. In Balneoregien. die 17 Junii 1820 ad 1 Dub.

(125. Simili modo ob inculpabilem diminutionem reddituum LL. MM. constituentium dotem Capellaniæ Saraceni erectæ in Ecclesia B. M. V. *dell'Ajuto* in territorio Montis Clavelli, principi ab Auria Pamphyli patrono reductionem Missarum ad tot indulsit S. C. quot celebrari queunt ex superextantibus redditibus ad eleemosynam obolorum viginti. In Balneoregien. die 17. Junii 1820. ad 2 Dub.

(126. Intrare arbitrium pro aperitione oris tum adversus literas Apostolicas in forma Brevis diei 17. Decembris 1816, tum adversus alterum rescriptum diei 18. Septembris 1817, quibus clar. mem. Cardinalis Litta concessa fuit a SS. domus dismembratio ad Capellaniam Antonelli spectantis, cum præ cæteris reticita fuerit passiva ejus familiæ vocatio ad Capellaniam præfatam. In Sabinen. Jurispatronatus die 15 Julii 1820. ad 1. Dub.

(127. Non constare de jurepatronatus activo ad Capellaniam S. Ignatii in Ecclesia SS. Joannis et Reparatæ civitatis Lucensis, favore Sebastiani Friderici Andreozzi, licet hic arrogatus fuisset ab ultimo agnato familiæ Motroni, a fundatore contemplatæ, cum ex altera familia Martini, a fundatore æque dilecta, superesset Canonicus Stephanus Martini, in quo coaluerant omnia patronatus jura, non obstante arrogatione præfata, declaravit S. C. In Lucana Legati die 26 Augusti 1820. ad 1. Dub.

(128. Sacra Congregatio precibus Joannis Cajetani Ghivizzani non annuere censuit, quibus postulabat bona omnia pertinentia ad Capellaniam ab Augustino de Guivizzano institutam, quamvis affrancationis ope medietatem sibi addicere valebat; Beneficiato restituere, ea imposita conditione, nempe ut sui descendentes masculi, iisque deficientibus, masculi ex feminis bonis omnibus usufruantur, cum obligatione omnibus oneribus implendi; ideoque nominationis suspensionem denegavit, et statuit, ut in casu vacationis Patroni ad nominationem deveniant. In Lucana Capellaniæ die 20. Januarii 1821. ad 1. et 2. Dubium.

(129. Quum S. Pœnitentiaria eidem retinere medietatem bonorum ad dictam Capellaniam permiserit, quia affrancatione usus fuerit, Sacra Congregatio Archiepiscopo Lucensi commisit, ut prævia separatione medietatis omnium bonorum per peritos ex officio eligendos facienda, curaret illius traditionem Capellano et transcriptionem nomine Capellaniæ in publicis tabulis censualibus. In eadem ad 3. Dub.

(130. Intrare arbitrium aperitionis oris adversus Literas Apostolicas provisionis Capellaniæ laicalis favore Sacerdotis Josephi Gregorii expeditas statuit Sacra Congregatio ob vitium obreptionis et subreptionis. Distu-

Digitized by Google

lit vero judicium super institutione præsentati Francisci de Grandis, et restitutione fructuum, usque dum Episcopus referret de causis denegatæ institutionis. In Balneorigien. Beneticii die 17 Febr. 1821.

(131. Cum Parochus suburbanus Ecclesiæ S. Guirici Florentinæ Diœcesis auxilio indigeret Capellani Curati, ac vicissim pensio scutatorum quadraginta huic assignata insufficiens esset, antequam annueret S. C. ut Capellania sub titulo Sanctæ Bonaventuræ redderetur amovibilis, et uniretur Capellano Curato pro tempore, quamvis laici patroni in id assentirentur, necnon hujus Capellaniæ onera Missarum reducerentur, rursus Archiepiscopo scribendum esse duxit ad mentem. In Florentina Unionis die 15. Aprilis 1820. ad 1. et 2. Dub.

(132-133. Prævioro cessu a decisis sub die 8. Februarii 1817. quatuor Capellanias, attenta paupertate patronorum, ad unam tantum reduxit S. C. cum onere Missam quotidianam applicandi pro omnibus, pro quibus quatuor Capellaniæ erant erigendæ, nec non statuit, ut assignaretur congruus fundus liber, super quo curaret Archiepiscopus hypothecariam inscriptionem fieri, et oneratam voluit patronorum conscientiam pro redintegratione aliarum Capellaniarum, quatenus melioris evaderent fortunæ. In Januen. Reductionis die 2 Junii 1821.

(134. Confratribus Sodalitii SS. Sacramenti in Ecclesia S. Mariæ del Patiglione Montis Madii Feretranæ Diœcesis erecti, ad se nominationem Capellaniæ Fabri pertinere contendentibus, Judicibus differendum censuit S. C. et voluit, ut coadjuvarentur probationes, et referret Episcopus de fundo Capellaniæ, et de numero Missarum, et quomodo fuerint adimpletæ, vivente Sacerdote Sarti necnon a quo idem fuerit nominatus Capellanus, et quæ relatio sit onerum Missarum, quæ ab ipso adimplebantur, cum Capellania erecta ex legato Fabri, et post ejusdem Sarti mortem effectum habitura. In Feretrana nominationis die 24 Junii 1821.

(135. Attenta reddituum imminutione, nec non necessitate impendendi in augmentum dotationis Capellanarum S. C. censuit esse consulendum SS. pro absolutione Missarum in præteritum non celebratarum. In Januen. Condonationis, Reductionis, Translationis, et Absolutionis die 21. Julii 1821, ad 4 et 6. Dub.

(136. S. C. ab Ecclesia Paræciali S. Michaelis loci Olivastro ad publicam Capellam ruralem Familiæ Gimelli Patronæ unius Capellaniæ translationem permisit, tum quia nullum ex hac præjudicium infertur Ecclesiæ Paræciali ob erectionem alterius Capellaniæ ab uno ex Gimellis factam, cum quia valde utilis est incolis; namque alias saepe sacrum non audirent. Statuit vero S. C. ut a Capellano in diebus festis recitentur cum Populo actus virtutum theologalium, et consuletur SS. pro approbatione. In Januen. Condonationis, Reductionis, Translationis, et Absolutionis die 22. Julii 1821. ad 3. et 4. Dub.

(137. Duas Capellanias a quodam Julio Cæsare Lattaro Villæ S. Sebastiani Marsicanæ Diœcesis relictas liberæ collationis Episcopi, in quatuor esse dividendas, ut quatuor Clericis sufficiens daretur titulus ad Ordines recipiendos, instante eodem Episcopo, censuit S. C. facto verbo cum SS. In Marsorum Divisionis Capellaniarum die 22. Decembris 1821.

(138. Juxta votum Episcopi Administratoris Anagninæ Diœcesis ad sublevandam inopiam Simonis Panetta Oppidi Carpineto S. C. suspensionem nominationis, et administrationem Capellaniæ ab Hercule et Annunciata Panetta fundatæ, illi tamquam patronus concessit, ejusque bonis frui permisit, ita tamen ut ejusdem Capellaniæ onera plane satisfaciat. Voluit vero, ut Episcopus curaret fieri inscriptionem hypothecariam super bonis Capellaniæ, nec non attenta paupertate, et aliqua bona fide patroni, illum, celebratis tantum quatuor Missis lectis, absolvit, et fructus omnes jam perceptos condonandos respondit, facto verbo cum SS. In Anagnina Nominationis die 22. Februarii 1823.

(139. Antequam Sac. Congregatio de hæreditaria qualitate de prælatione Familiarum Vici et Bianchini, de nominatione ad Communitatem pertinente, de OEconomi deputatione et administratione bonorum aliquid decerneret, prorogavit judicium; ut Vicario Apostolico juxta mentem scriberetur, quæ fuit, ut prævia distincta informatione, et voto super novis precibus, exhiberentur codicillus, Capitula anni 1757. nec non exemplar omnium actorum gestorum coram E. D. Card. Forolivii Legato, et audirentur in scriptis Patresfamilias interesse habentes, præfixo ab eodem Vicario Apostolico partibus termino ad deducenda jura, quo elapso, causa reproponeretur ex officio. In Ariminen. Capellaniarum die 14 Junii 1823, ad 1. 2. 3. et 4. Dub.

(140. Quum rescriptum S. C. a Summo Pontifice confirmatum, quo indultum fuit, ut quædam Capellaniæ Urbevetanæ Cathedralis, inter quas recensebatur Capellania a Francisco Ravizza fundata, reducerentur ad fructus superextantium Capellaniarum augendos, nullum fabricæ Ecclesiæ Cathedralis, ad quam juspatronatus memoratæ Capellaniæ Ravizza pertinere contendebat Canonicus Joseph Palazzi Orienti, afferret detrimentum, nec alio obreptionis aut subreptionis vitio laboraret, non intrare arbitrium pro aperitione oris, ideoque standum in decisis, et ad mentem respondit S. Congregatio. In Urbeventana Reductionis, et Applicationis die 24 Jul. 1838, ad 1 et 2 Dub.

(141. Ad augendam congruam parochialem Ecclesiæ Sancti Flaviani Oppidi Capitignani, quinque eidem Ecclesiæ univit per Bullas beneficia simplicia, ita tamen, ut Parochus teneretur assumere Coadjutorem in exercitio curæ, cum assignatione duarum ex tribus partibus redditnum beneficiorum post soluta omnia onera, qui dependenter a Parocho exercere deberet munera stricte parochialia, ac interesse diebus festis simul cum Parocho divinis Officiis, atque ut Parochus hunc dimittere non posset absque venia Ordinarii,

Digitized by Google

eidemque Parocho præscripsit dimissionem alterius beneficii S. Pauli ad Nurum. In Reatina unionis Beneficiorum, quoad Paræciam S. Flaviani die 6. Januarii 1825. ad 1. Dub.

(142. Cum quæreretur an et quomodo descendentes etiam feminæ Theresiæ Broglia Vitali admittendæ essent ad perpetuam laicalem Capellaniam, quam Antonius Broglia Phydeanus in Diœcesi Asculana pro linea masculina Brogliæ, et Constantini constituerat, expresse denotans se in id unice contendisse « di sollevare dalle miserie la Casa Broglia destituita di ogni altro umano soccorso; » E. Patres animadvertentes, quod sublata Sodalitate SS. Trinitatis, cui, deficientibus primo vocatis, jus nominandi Capellanos obvenerat, Theresia impetraverat habitationem, qua ipsa ad vitam donata fuerat, prorogari etiam post obitum suum favore filiorum ac descendentium tam masculorum quam feminarum, durante tamen suppressione Sodalitatis, cui redintegratæ jus nominandi et eligendi Capellanum competeret, ita tamen ut existentibus ejusdem Theresiæ Broglia descendentibus, in quibus requisita a Fundatore præscripta concurrant, iidem et non alii a Confraternitate essent nominandi et eligendi, rescripserunt negative, salvo favore masculorum descendentium etiam ex feminis jure prælationis, ad formam Indulti. In Asculana Capellaniæ 27. Aprilis 1833. ad 1. Dub.

(143. Nihilominus consentiente Sodalitate precibus Catharinæ Vitaliæ filiæ Theresiæ Broglia propter ejus inopiam et agnationem cum Testatore, sub hac tamen conditione, ut de petita perpetuatione gaudeat tantum Oratrix, satisfactis omnibus oneribus eidem Capellaniæ inhærentibus, et ne transeat ad illius hæredes et successores, sive nupserit, sive non nupserit, E. Patres censuerunt consulendum esse SS. prò concessione administrationis Capellaniæ favore Catharinæ Filiæ Theresiæ Broglia Vitali juxta votum Episcopi, deputato Administratore Ecclesiastico, qui adimpletis oneribus, tradat Oratrici quod supererit ex annuo redditu, captaque inscriptione hypothecaria. In eadem ad 11. Dub.

(144. Capellaniam a Julio Pallavicini e Cremonensi Diœcesi fundatam verum ac reale Ecclesiasticum Beneficium, non autem simplicem Capellaniam aut laicale salarium, uti contendebant fratres Motti, qui bona ejusdem emerant, perpensis omnibus rerum adjunctis, judicavit Sac. Congregatio. in Burgi S. Dominici 3. Augusti 1833. ad 1. Dub.

(145. Proindeque proposito dubio an et quomodo consulendum esset pro assicuratione census ejusdem Capellaniæ, rescripserunt E. Patres affirmative; et firma remanente deputatione Administratoris juxta Episcopi Placentini Oratorum Motti Antistitis votum, Episcopus, adhibitis etiam juris et facti remediis, curet recuperationem, et assecurationem bonorum. In eadem ad 2. Dub.

(146. Amplissima Matthejorum gente, quæ Joviensium ducatu fruitur et patronali binarum Capellaniarum in Paræciali Ecclesia B. M. V. syderibus receptæ, quarum altera Farnesiana SS. Sacramento, altera a SS. Laurentio et Carolo nuncupantur, vindicante sibi jus amovendi Capellanos, qui alio vocantur ab Episcopo, licet titulo earumdem ipsi ad S. Ordines sint promoti; Sacra Congregatio ex eo quod primam Capellaniam ab onere residentiæ exemptam, alteram vero eidem obstrictam renunciaverat, rescripsit id juris Patronis non competere quoad Capellanum Farnesianum, bene vero quoad Capellanum SS. Laurentii et Caroli, dato termino sex mensium ad deliberandum, nisi prius legitimo titulo aliter provideatur. In Amerina Capellaniarum 3. Augusti 1833, ad 3 Dub.

(147. Antequam quidquam decernerent E. Patres super Capellaniam per Antonium Franciscum Buratti Cassianodunensem fundatam, et super objecta Simoniæ labe, qua aspersæ dicebantur tum cessio juris nominandi facta per Josephum Buratti patronum, tum transactio qua Sacerdos Vitalius ad eamdem præsentatus competitorem Augustinum removerat; vel super precibus Petri, et Quintiliani Buratti Compatronorum, quibus in acri hac controversia, alter, dilata in aliud tempus nominatione, redditus Capellaniæ sibi addicti postulabat ut filiorum institutioni consuleret, alter summa egestate et inopia laborans, ex Capellaniæ censu alimenta flagitabat; vel tandem super supplici Cassianodunensium Canonicorum Libello, quo, post recensita complura onera quibus præmuntur, quia pertenuis eorumdem Census iisdem perferendis par sit, petebant ut bona Capellaniæ Capitulari patrimonio addicerentur; animadvertentes in primis diluenda esse quæ validitati nominationi opponebantur, vehementerque suspicandi causam adesse de bona testium fide, judicium differre maluerunt, mandantes ut testes examinarentur. In Lauretana Capellaniæ 7. Septembris 1833, ad 1. 2. 3. 4. Dub.

(148. Acriter contendentibus Episcopo Septempedano, et Patrono Ecclesiasticæ Capellaniæ ab ipsius auctore Cosciorum nuncupatæ, utrum ejusdem collatio ab illo facta favore Clerici Stephani Salvatori valida esset, vel potius sustineretur nominatio Canonici Paladini a Patrono edita, E. Patres negative ad primam partem, attentis peculiaribus circumstantiis, affirmative vero ad secundam, rescripserunt in S. Severini Capellaniæ 7. Septembris 1833, ad 1. et 2. Dub.

(149. S. C. diei 20. decembris 1834, executioni jam demandata, quum ex Capellania Ciani fructus superextarent in scut. 40. ex una parte Capitulares S. Venantii, ex altera Capellaniæ Rector, et patroni Joseph et Nicolaus Ciani postularunt, ut scutata illa ob litis expensas sibi erogarentur, contra fundatoris voluntatem, quæ caducitatis pœnam infligebat; statuit S. C. ut demptis arbitrio Episcopi impensis, ad bonorum Capellaniæ instaurationem, reliquum in patronorum subsidium impertiret. Camerinen. Capellaniæ die 27. Febr. 1836.

(150. Quum Vicarius Generalis Bononiensis ad Capellaniam Belloni vocasset Archipresbyterum Ponticuli, agente Petro Lellini, qui de activo jurepatronatus contendebat, S.

Digitized by Google

C. edixit factam institutionem esse infirmandam, et ex lege fundationis teneri Capellanum domum designatam inhabitare, atque ibi ex præscripto pueros edocere. In Bononien. Capellaniæ die 26. Martii 1836.

(151. Quum menti S. C. satis superque factum fuerit, EE. PP. defunctæ N. N. voluntatem interpretantes, decreverunt, ut illico Capellania instituereturin Ecclesia SS. Stigmatum, cui pro utensilibus sex annua scuta, Capellano autem octoginta pendenda forent; Altaria vero tunc erigenda curarentur, quum redditus ad summam optatam pervenerint. Dein S. C. conditiones nonnullas præscripsit, nonnullasque propositas ab Erminio probavit, ac illam inter cæteras, qua ipse quoad vixerit Capellaniarum patronatu perfruatur. Id ead. 25. Junii 1836.

(152. Sed iterum, Erminio rogante, alteram Capellaniam in Ecclesia B. V. de Monte Carmelo *alla tre cannelle* erigendam fore, ob præsumptam Testatricis voluntatem, quæ peculiari affectu Carmelitanam hanc Ecclesiam prosequebatur, declaravit S. C. servatis in reliquis forma et conditionibus resolutionis diei 25. Junii. In ead. 10. Septembr. 1836.

(153. Nominationem Sacerdotis Galli Bibiena ad Capellaniam B. M. V. a fratribus Pepoli, intra legitima tempora, factam confirmavit S. C. In Bononien. jurispatr. die 10. Sept. 1836, ad 2. Dub.

(154. Quod non constitisset de urgenti prorogationis causa, Indultum suspensionis Capellaniæ Marco Manfredini ad decennium concessum prorogare renuit S. C. antequam decennium ipsum expiraret, ac Oratori respondit ut recurret elapso decennio. Guastallen. Indulti die 20. Januarii 1838, ad 1. Dub.

(155. Antequam S. Ordo definiret causam Lauretanam Capellaniæ super concordia, quæ alias diversa facie die 7. Septembris 1833, discussa fuerat, imperavit, ut scriberetur Episcopo, qui auditis in scriptis omnibus Compatronis super proposita concordia, referret de annuo redditu, et oneribus Capellaniæ, ducto calculo per decennium. Lauretana Capellaniæ super concordia die 22. Januarii 1838.

(156. In decisis pariter stetit in Lauretana quadam inter Franciscum et Leopoldum Gasperini 27. Maii 1837. qua resolutum fuerat constare de jurepatronatu Capellaniæ Carnazana — Græca favore Leopoldi, eique capellaniam dandam esse, qui a Leopoldo nominaretur. Et quoad fructus decursos dumtaxat, inspectis peculiaribus circumstantiis, maxime contendentium paupertate, placuit ut ii, demptis oneribus, dividerentur inter Leopoldum, et Franciscum, facto verbo cum SS. et ad Episcopum pro exequutione. Lauretana Juspatron. et Capellaniæ die 17. Febr. 1838, ad. 1. 2. et 3. Dub.

(157. S. Congr. concessit Equiti Ladislao Mattei libere retinendum, perpetuoque fruendum Fundum, de quo ille dubitabat utrum ad se, vel ad Capellaniam pertineret, quia in syngrapha locationis dicebatur Capellaniæ, in hujus tamen fundationis tabulis non reperiebatur descriptus, cum ceteroquin remanerent Capellaniæ bona ad onerum satisfactionem sufficientia. In Marsorum ad 3. dubium die 26. Februarii 1838.

(158. Impetrato novæ audientiæ beneficio, licet iterum proposita fuerit causa Bononien. Capellaniæ 26. Martii 1836, qua decisum fuerat, non substineri Capellaniæ collationem Dominico Angeli factam, sed Capellanum teneri inhabitare domum a fundatore extructam, et pueros edocere, S. C. in decisis standum esse decrevit, recessitque a decisis in 4 dubio tantum, inspecta penitus testatoris voluntate et populi commodo; missas reducens ad unam singulis diebus festis etiam reductis. Bononien. Capellaniæ die 24. Martii 1838, ad 1. 2. 3. et 4.

(159. Andreæ autem Giordano, qui missarum pariter patronatæ Capellaniæ celebrationem omiserat, absolutionem denegavit, præcepitque ut missæ inadimpletæ celebrarentur ex canonibus non solutis ad taxam eleemosynæ manualis, supplendam ex superextantibus redditibus, qui favore patroni erant investiendi. Neapolitana Capellaniæ die 28. Junii 1838, ad 3. Dub.

(160. Cum dubitatum fuerit utrum Ecclesiastica, vel Laicalis foret Capellania, ad nutum amovibilis, in quod simplex missarum onus cum eleemosyna manuali fuerat impositum, et de cujus erectione nec vere, nec præsumptive constabat, laicalem definivit S. Congr. In Nursina Jurispatronatus ad 1. dubium 9. Julii 1838.

(161. Contendentibus aliquibus ex Compatronis de libertate fundorum, ex quibus Capellaniæ onerum desumebatur implementum, quia familiæ nomine in antiquis censualibus tabulis reperiebantur descripti, censumque ad summum scut. 300. super his impositum asserentibus, cujus summæ restitutionem offerebant: contra vero pugnantibus ceteris una cum episcopo compatronis, eosdem fundos ad Capellaniam pertinere tum ex pervetustis tabulis censualibus, ac inveterariis antiquitus confectis, tum ex antiquiorum depositionibus, tum demum ex S. Visitationis actibus, S. Congr. fundos prædictos ad Capellaniam pertinere definivit, eique servari mandavit. In eadem ad 4. Dub.

(162. Qua in eadem causa tertio proposita abnuit Leopoldi Gasperini precibus suspensionem Capellaniæ postulantis, ut fructum dimidium pro augenda Parochorum congrua applicaretur, alterumque dimidium sibi cederet; sed attenta tantum Patroni ejusque Patrui Francisci Gasperini inopia, annuam præstationem alimentariam scut. 30. favore Leopoldi, et scut. 20. favore Francisci concessit, non retardata nominatione Capellani. Lauretana Suspensionis die 28. Julii 1838, ad 1. et 2. Dubium.

(163. Andreas Giordano, cui competebat pro dimidio juspatronatus in quadam laicali Capellania, bonorum ejusdem Capellaniæ dimidium cum adnexa Missarum obligatione alienaverat. Hinc S. Cong. Capellaniam omnino redintegrandam esse in possessione fundi alienati pronunciavit. In Neapolitana Capellaniæ die 28. Julii 1838, ad 1. Dub.

(164. Capellaniam vero sub titulo S. Domi-

Digitized by Google

nici jurispatronatus familiæ Cecconi esse ecclesiasticam dixit, quia ex enunciativis Sacrarum Visitationum, et ex ultimo statu canonicæ institutionis apparebat esse beneficium ecclesiasticum, licet inveniri non potuisset fundationis Instrumentum. Ib. ad. 2. Dub

(165. Sacerdoti Carolo Ceccconi, qui tribus Capellaniis fruebatur vi jurispatronatus tum activi, cum passivi postulandi, an et quomodo de illarum incompatibilitate constaret cum Canonicatu, quod possidet in Collegiata Sublacensi Oppidi Trevi, respondit Sac. Congregatio, quoad primam S. Caroli, et secundam S. Francisci, tum ob tenuitatem redditum, tum ob defectum erectionis auctoritate Ordinarii, et quia non erant sub eodem tecto, non esse incompatibiles; quoad tertiam vero sub titulo S. Dominici, respondit pariter negative, sed juxta modum, si nempe non sit erecta in eadem Ecclesia Collegiata S. Viti. Ib. ad 3. Dub.

(166. Suspensioni Capellaniarum, quam pro filio in Seminario alendo obtinuerat sub anno 1841. Theresia vidua Neri, obsistente eorumdem Administratore, tum ex necessariis fundorum reparationibus ac ex summa colonis ministrata, tum quod Oratricis filius conditioni in Seminario degendi non satisfecerat : Oratrice contra rescripti executionem una cum missarum reductione postulante, sublata conditione, quam filius epileptico morbo laborans adimplere nequibat; ac demum sibi alimenta assignari super iisdem Capellaniis contendente Stefano Ricci uti Compatrono, S. C. ut singulis satisfaceret, impertita juxta votum Episcopi reductione ad dies festos per quinquennium, summam scutor. 14. Riccio assignavit durante indulto ann. 1841. scuta vero annua 46. Viduæ Neri, sublata supradicta conditione, ac reliquos redditus in fundorum reparationem erogari, mandavit. In Perusina Capellaniarum die 17. Sept. 1838, ad 1. 2. 3. et 4. Dub.

(167. Trinas, quibus potiebatur Gens Sylos Capellanias de quarum fundationis legibus haud plene constabat, proposuit hodiernus Possessor, Ecclesiæ Parœciali S. Leucii perpetuo uniri, et constituto censu favore Parochi pro tempore super tot bonis, quot implemento Missarum sufficerent, capta congrua inscriptione, cetera bona in familiæ suæ utilitatem libera converti. Ast PP. E.; quod de relativa familiæ Sylos paupertate haud satis constaret, et gravissimam Capellania pateretur imminutionem, preces rejecit. Bituntina Capellaniæ die 24 Novembris 1838.

(168. Cum cognovisset Episcopus perperam retineri ab Aloysio del Monte in habitu seculari Capellaniam pro Clerico fundatam, cum obligatione eam dimittendi si Presbyteratus ordinem sumere vel nollet vel nequiret; præsertim quod Canonica institutione careret, Patronis terminum ad nominandum præfixit, eoque inutiliter elapso, eam contulit Sacerdoti Macchioni; qua de re Patronis jura sua pessumdata reclamantibus, novumque ipsis impertiri terminum postulantibus, S. C. negativum dedit responsum. In Civitatis Castelli Beneficii die 17 Decembris 1838.

(169. Cum dubitaretur an Capellania ita laicalis esset, ut etiam laico conferri valeret, ita ut eam consequi posset in habitu laicali Sanctes Recchioni; ac utrum expediret ejusdem suspensio ad fundorum meliorationem, S. Ordo ut tutius procederet, jam ab anno superiori ab Episcopo exquisierat de numero nominationum quæ a tempore fundationis peractæ erant, et an laici successive vel interpolate ad eamdem nominati fuerint, an scientibus Episcopis id evenerit, transmissa earumdem nominationum copia. His habitis, causa iterum proposita, cum necessaria adhuc deficerent ad rectam ejusdem definitionem, denuo dilata fuit. In Fabrianen. Capellaniæ die 17 Decembris 1838, ad 1, 2 et 3 dub

(170. Super Capellania a Francisco Belloni erecta cum onere Capellano celebrandi missas in Capella sita in latifundio Mezzana, et pueros inibi erudiendi, et cum reservatione Juris patronatus fidei commissarii Belloni, hisque exhaustis, Vicario Generali Bononiensi pro tempore; hoc sibi jus delatum vindicante hodierno Vicario Gen. adversus Petrum Cellini præfati latifundii; concordia inita est; qua Cellinius sibi assumpsit reparationem, et manutentionem Capellæ, et sacrarum supellectilium; Vicarius vero ejusdem familiæ favore cessit jurispatronatus; missas autem celebrari statutum est in Capella sita in fundo Jortone, reservata tantum celebratione diebus festis in fundo Mezzana, quum inibi gens Cellinia rusticaretur. Porro S. Con. attentis actualibus circumstantiis, concordiam approbavit juxta votum E. Archiepiscopi, facto verbo cum SS., et capta inscriptione super latifundio, tam pro securitate missarum, quam pro manutentione Oratorii, et sacrarum suppellectilium. In Bonnien. Capellaniæ die 1 Febr. 1839, ad 1 et 2 Dub.

(171. Conventionem anno superiori propositam ab E. Firmano Archiepiscopo cum Abbate Commend. SS. Rufini, et Vitalis quoad dismembrationem Parœciæ sub invocatione eorumdem Sanctorum, aliisque unionem, rebus penitus inspectis, approbavit S. Ordo juxta modum, nempe, firma remanente cura animarum in Ecclesia S. Trinitatis, ab. Vicario Curato in eadem Ecclesia, cui assignetur ultra domum et viridarium, congrua in scut. 50, ex redditibus Abbatiæ persolvendis, nisi E. Archiepiscopus de re rogatus assensum præbeat cessioni Capellaniarum, de quibus in art. 7 et 9 concordiæ Marcelli; quo in casu ab Abbate sint scut. 25, dumtaxat persolvenda, esse confirmandam deputationem Capellani Curati ab Abbate pro tempore faciendam, et amovibilis ad nutum ejus, qui curam animarum dependenter a Curato Vicario exerceat citra flumen Tenua in Ecclesia SS. Ruffini, et Vitalis, assignatis eidem congrua habitatione in domo Abbatiali ac stipendio scut. 25, ex redditibus Abbatiæ, præter Ca-

Digitized by Google

pellaniam Perusini et Spagnolini, adimpletis Missis, oneribus, ac muneribus tam pro Vicario Curato, quam pro Capellano in concordia Marcelli recensitis, facto verbo cum SS. super omnibus. In Firmana super conventione Capellaniæ Curatæ die 1 Feb. 1839, ad 1, 2 et 3 Dub.

(172. Ex impetrato novæ audientiæ beneficio, licet iterum proposita fuerit causa Firmana Capellaniæ, qua sub die 28 Junii 1838, contendentibus de prælativa vocatione passive ad Capellaniam sub invocatione S. Mariæ Magdalenæ in terra S. Espidii institutam, Tobia Sacerdote Acciarini, et Clerico Aloysio Eluarneri, et utroque præ alio dispensari flagitantibus, quod ille Beneficiorum pluralitate, hic ætate prohiberetur eam obtinere, responsum fuerit in utroque favore Acciarini, tamen S. Congregatio, re penitus inspecta, in decisis standum esse decrevit, et amplius. In Firmana Capellaniæ die 2 Mar. 1839, ad 1 et 2 Dub.

(173. Antequam S. Ordo definiret causam Firmanam Capellaniæ super conventione ab E. Archiepiscopo Firmano cum Abbate Commendatario SS. Rufini et Vitalis inita quoad dismembrationem Parœciæ S. Rufini, et Vitalis, aliisque unionem, sub pene diversa facie sub die 29 Julii, et 18 Novembris an. 1837, discussam, ad rem maturius dignoscendam rescripsit, Dilata, et scribatur Archiepiscopo, qui referat de statu Fabricæ Ecclesiæ, et domus Parochialis loci Marnacchia, de executis reparationibus, sin minus de expensis necessariis et mediis jam statutis ad eas perficiendas. In Firmana Capellaniæ super conventione die 2 Martii 1839, ad 1, 2 et 3 Dub.

(174. Numerum Missarum Capellaniæ a Joanne Francisco Longo erectæ determinandum esse ex ratione reddituum, qui habentur a fundis, non autem statuendum esse in Missa quotidiana; atque adeo illum reducendum esse pro intranti quantitate ad taxam perpetuam, inspecta Testatoris voluntate, definivit S. Ordo. In Bovinen. Capellaniæ 2 Martii 1839, ad 2 et 3 Dub.

(175. Reintegrandum esse Beneficium seu Capellaniam in Cathedrali Ecclesia sub invocatione Virginis Perdolentis, cujus bona cohæredes Reale suo marte sese inter diviserant, jussit S. Ordo, et interim pro virili parte Ferdinandi Reale emissa ab eodem renunciatione jurispatronatus, injunxitque Episcopo, ut omnibus juris et facti remeniis cogeret ceteros cohæredes ad reintegrationem, caperetque inscriptionem hypothecariam. In Bovinen. Capellaniæ 23 Martii 1839, ad 1 Dub.

(176. Absolutionem pro Missis non celebratis Capellaniæ a Joanne Francisco Longo erectæ S. Ordo concessit quidem Ferdinando Reale alteri ex obligatis, attenta ejus præsertim in reintegranda pro virili Capellania sollicitudine; denegavit vero aliis coheredibus qui cætera Capellaniæ bona sese inter diviserant, monuitque, ut consulerent, conscientiæ suæ. In Bovinen. 23 Martii 1839, ad 4. Dub.

(177. Prorogationem indulti de suspensione nominationis Capellaniæ, quam Marco Manfridini S. Ordo die 20 Januarii superioris anni denegavit, eo quod non constiterit de urgenti ejusdem necessitate, antequam decennium elaberetur, rebus in melius commutatis, prævio recessu a decisis, impertitus est ad aliud decennium ad formam præcedentis, et ab ultimo die expiraturi indulti. In Guastallen. Indulti 4 Apr. 1839, ad 1. Dub.

(178. Quas alias sub anno 1838, exposuerat quæstiones de Capellania Buratti, an danda esset institutio Presbytero Petro Vitali majori vocum numero polleuti, qui tamen simoniam contraxisse ferebatur in transigendo cum competitore Augustino Buratti, ac nominatus ab eo, qui plures voces simoniæ acquisisset; an potius suspendenda esset nominatio favore Petri Buratti compatroni, ut ita filiorum institutioni Buratti compatroni, consuleret; an super ea decernenda alimenta alteri compatrono pauperi Quintiliani Buratti; an tandem pro oneribus sustinendis danda Canonicis Montis Cassiani: expleto formali testium examine, quod alias jusserat, reassumpsit S. Ordo; porro simoniam exulare comperiit, adeoque Vitalio institutionem dandam esse probavit; compatronorum simul precibus annuit, reservata annua præstatione alimentaria scut. 20 ad decennium, æque dividenda inter filios Petri, et Quintilianum cum jure accrescendi in casu obitus; Capituli autem vota omnino rejecit. In Lauretana Capellaniæ die 4 Aprilis ad 1, 2 et 3 Dub.

(179. Ob Simoniæ vitium initum a quatuor compatronorum lineis in nominatione explenda ad Capellaniam Ecclesiasticam sub invocatione B. Virginis Carmelitidis a Petro Orlandi apud Marsos excitatam favore Didaci Valente, aucto exinde jure compatronis innocuis, Angelo Blasetti ab istis legitime nominato, EE. PP. Capellaniæ ipsius Institutionem dandam esse decreverunt. In Marsorum Institutionis 27 Apr. 1839.

(180. Multas, ac inter se diversas preces a Petro Francalancia Patrono Capellaniæ pro Clerico vel Sacerdote in Oppido Castri Fidardi fundatæ identidem porrectas, quibus primo illius fructus sibi addici postulaverat, subinde ab ætatis defectu dispensari Sororis filium a se nominatum, quatenus primæ preces rejectæ fuissent, tandem cæteris omissis, Capellaniam prævia dispensatione, filiolo sibi nuper nato concedi, rejecit S. Ordo; qui insuper respondit non substineri nominationem Clerici Carini interim peractam a Capitulo, ad quod post quadrimestre a Capellaniæ vacatione ex testatoris voluntate jus nominandi devolvi debet; nec praviter committi debere Capellani designationem Episcopo, sicut ipse pro hac vice ad submovendas turbas proposuerat; sed esse expendam a Patrono novam nominationem infra quadrimestre ad formam fundationis. In Lauretana Capellaniæ 9 Maii 1839, ad 1, 2 et 3 Dub.

(181. Fundum a Ferdinando Nicolini pro

Digitized by Google

erigenda Capellania in Ecclesia Terræ S. Quirici relictum cum onere binæ Missæ in hebdomada revindicandum esse jusserunt E. PP. pro redintegratione Capellaniæ, commissa Archiepiscopo ejusdem transcriptione, in actu erectionis faciendæ, quæ jamdiu omissa fuerat; necnon expleri nominationem ad formam Testamenti, ac rejecerunt preces emptoris ipsius fundi pro reductione Missarum. In Camerinen. Capellaniæ 6 Junii 1839, ad 1, 3 et 4 Dub.

(182. Attenta bona fide, de qua testabatur Antistes, S. Congregatio consulendum SS. rescripsit pro absolutione, ac condonatione fructuum quos hæredes Ferdinandi Nicolini perceperunt ex feudo ab eo legato pro Capellania erigenda; cujus licet præscriptum missarum onus adimplere curassent, neglexerant tamen erectionem, ac Capellani nominationem. In Camer. Capellaniæ 6 Junii 1839, ad 2 Dub.

(183. Quum in jure non repugnet duplex beneficium incompatibile adipisci, sed tantum ultra duos menses retinere, institutionem in Capellania ad Ecclesiam S. Dominici sub invocatione S. Andreæ Apostoli Cæsenæ erectæ cum onere celebrandi per seipsum, dandam esse Hieronymo Fantaguzzi legitime nominato, ac passive vocato decreverunt EE. PP. etiamsi ille Canonicatu in Vaticana Basilica potiretur. In Cæsenaten. Capellaniæ 27 Julii 1839, ad 1, Dub.

(184. Nominationem Sacerdotis Domesi a Patrono Gentilonio expletam post elapsum trimestre in fundatione statutum substinuit S. Congregatio, attenta præsertim pendentia recursus ad S. Sedem pro inhabilis nominandi dispensatione, eamque rejecit favore Panfili a Sacerdote Bravi factam, cui jus nominandi devolvi debuisset in priorum Patronorum negligentia; adjectique respectu Domesii in Franciscalium familia olim recensiti clausulam, « dummodo infra duos menses doceat de habitatione ad beneficia. » In Auximana Capellaniæ, seu Canonicatus, 27 Julii 1839.

(185. Cæsaris Pennacchietti, etsi per subsequens matrimonium legitimati, nominationem a majori Patronorum numero editam substineri, eumque esse manutenendum in possessione laicalis Capellaniæ a Riccardo Fontana erectæ pro natis ex legitimo matrimonio, definitum fuit Congregatione diei 14 Decembris superioris anni, excluso Henrico Pennachietti, ex adverso eamdem sibi asserente, quod unice Clericus extaret ex passive vocatis, cum Capellaniam proposuit, atque ex legitimis esset nuptiis procreatus. Porro in hac resolutione perstitit S. Ordo reiterum inspecta, prolato Rescripto « In decisis et amplius. » In Firmana Capellaniæ, 22 Augusti 1839, ad 1 et 2. Dub.

(186. Super fructus vero pretii bonorum alienatorum, quos incremento congruæ ejusdem Parœciæ Pantanensis Ecclesiæ adjudicandos esse contendebant fratres Sodalitii, quod vocant del Confalone, duxerunt satis provisum per Episcopum erogatione jam facta. In eadem die 7 Septembris 1839, ad 3. Dubium.

(187. A laicali Capellania, quam Jacobus Servadei domo Corinaldi pro Clericis familiæ Paris, et Gioacchini instituit, Bernardinum Giovacchini ob clericalium vestium abjectionem, ac sæcularium munerum exercitium ipso jure excidisse contendit Paulinus Paris, ac sese utpote ex vocatorum genere in ejusdem possessionem immitti; e contra Bernardinus veniam postulavit eadem fruendi in statu laicali ad suam, ac familiæ paupertatem sublevandam. Super utraque petitione concinnatis dubiis EE. PP. rescribendum censuerunt — E. Episcopus curet præfigi terminum juxta constitutionem S. M. Benedicti XIII, incipien. — *Apostolicæ Ecclesiæ* — Bernardino Gioacchini ad parendum menti pii fundatoris, quo elapso declaret eum Cappellaniæ amplius non posse gaudere, et ad mentem; mens est pro suspensione nominationis novi Capellani donec Clericus Paulinus Paris ad legitimam ætatem pro Subdiaconatu pervenerit, et interim juxta votum E. Episcopi, adimpletis per Ecclesiasticum Administratorem deputandum oneribus, superextantes reditus dividantur inter Bernardinum, et Paulinum, facto verbo cum SS. In Senogallien. Capellaniæ 21 Novembris 1839, ad 1, 2 et 3. Dub.

(188. Precibus Aloysii Caracciolo, qui ab obitu Patris sui, nempe ann. 1833, adeptus juspatronatus duorum Beneficiorum, alterum S. Mariæ et Jacobi in Aversana, alterum S. Padenæ titulo in Nolana Diœcesi erectum, missis apud S. H. O. præcibus, statim fructus omnes Beneficiorum nullo impleto onere perceperat. S. Congr. attentis peculiaribus circumstantiis, censuit supplicandum esse SS. pro absolutione ab omissis cum fructuum perceptorum condonatione celebratis tamen Missis triginta, et soluta summa prudenti Episcopi Aversani arbitrio taxanda favore fabricæ Ecclesiæ quam Orator ad populi commodum, et patronatus munimen inædificabat. In Nolana et Aversana Suspensionis, Nominationis, 23 Novembris 1839, ad 2. Dub.

(189. Contendentibus ad Capellaniam a Riccardo Fontana institutam ex una parte Henrico Pennachietti, quod unice Clericus extaret ex passive vocatis dum Capellaniam poposcit, adversarius vero Cæsar etsi legitimis nuptiis procreatus esset, dum Testator vocasset tantum « i nati di legitimo matrimonio; » ex altera Cæsare Pennacchietti quod majores Patronorum voces præseferet, Clericalis qualitas in Capellania laicali a Testatore volita non demonstraretur, quam tamen ipse, pendente vacatione, et recursu ad S. Sedem acquisiverat, ac tandem legitimatus fuisset per subsequens matrimonium; E. PP. Testatoris mente penitus investigata, responderunt favore Cæsaris, eumdem in capta Capellaniæ possessione manutenentes. In Firmana Capellaniæ, die 14 Decembris 1839, ad 1 et 2. Dub.

(190. Antequam definiret S. C. super Con-

Digitized by Google

cordia inita sine Apost. Beneplacito a Clara Beltrami et Joan. ac Carolo Beltrami de non erigendo Beneficio et augenda dote alterius jam erecto in loco Ramate, voluit ut iterum scriberetur E. Episcopo, ut referret de annuo reditu a fundatoribus assignato utrique Capellaniæ, de numero Missarum non celebratarum, et a quo celebrandæ sunt juxta fundationes, necnon de alienationibus commissis, et a quibus. In Novarr. Transactionis, 20 Jan. 1821.

(191. Congregationi Illyricorum, quæ ex resolutione S. C. diei 7 Martii elapsi anni investire debebat scuta 459 in frugiferum campum, pro erectione Capellaniarum Giannini, ob impotentiam illa solvendi postulandi debitricem præfatæ summæ soluto annuo fructu erogando in celebrationem Missarum una cum fructu LL. MM. in decisis standum esse respondit S. C. juxta modum, nempe facta obligatione in forma juris valida per Capitulum, seu Congregationem Ecclesiæ Illyricorum, ad successores etiam extendenda (attenta utilitate acceptionis hæreditatis Giannini) quotannis celebrandi ad formam fundationis Giannini tot Missas ad eleemosynam obulorum viginti, quot fructus percipi possent ad rationem scutorum quatuor in singula centum ex capitali scutorum 459, nec non obligatis omnibus, et quibuscumque redditibus a singulis Canonicis ab Ecclesia quomodocumque percipiendis casu deficientiæ, donec erigantur Capellaniæ Giannini, pro facultate conficiendi multiplicum ex capitali fructifero ex bimestribus LL. MM. a Rev. Camera Apostolica non solutis effornato, et ex scutis 15, ab Ecclesiæ redditibus addendis quolibet anno, donec conficiatur capitale scutorum 674, comprehenso capitali cum Rev. Camera, ut supra, pro Capellaniis investiendum, suspensis interim missis, quæ ex fructibus scutorum 215, celebrandæ essent. In Romana 16 Februarii 1841.

(192. Esse locum nominationi ab Abbate Commendatario Ecclesiæ Divi Laurentii faciendæ ad geminam Capellaniam Semprebeni juxta normam fundationis, ita tamen, ut uterque Capellanus, prout E. Abbas proposuerat, debitum præstaret servitium non Abbatiali, sed Cathedrali Ecclesiæ S. Severini, juxta definitionem S. C. Episcoporum et Regularium, ac subsequentem consuetudinem, censuit S. C. In Sancti Severini Capellaniarum, die 13 Februarii et 8 Maii 1841.

(193. Ob nimiam reddituum tenuitatem, nec non onera Missarum, choralisque servitii in Cathedrali Ecclesia Urbisveteris obeundi, quibus gravabantur viginti quatuor primæ erectionis Capellani, reductionem sex Capellaniarum ex actu vacantibus, et primo vacaturis concessit S. C. suppressarumque redditus applicavit, satisfactis prius Missarum oneribus favore superextantium Capellanorum, qui diligentiores in Chori servitio, et obeundis muneribus ab Episcopo in suo voto expositis se præberent. In Urbevetana Reductionis, et Applicationis, die 6 Martii 1841, ad 1. Dub.

(194. Iisdemque de causis non esse concedendam, permanente Sodolatio, iisdem Capellanis administrationem reddituum, custodiam Sacrarii, implementum Missarum, ac superextantium reddituum applicationem, ut Episcopus proposuerat, existimavit eadem S. C. Ib. ad 3. Dub.

(195. Standum esse decrevit S. C. in decisis sub die 15 Septembris præteriti anni, ubi definiverat dandam esse institutionem Capellaniæ Scipioni Sacerdoti Rioli præscriptos Fundatrice caracteres habentis, non autem manutenendam familiam Rioli in possessione, quam sibi usurpaverat bonorum Capellaniæ præfatæ; præscripsit tamen ut Sacerdos Constantinus resideret in oppido Pinnæ ad formam fundationis, voluitque ut bona hæreditaria Annæ Scipioni fundatricis inscriberentur in Catastro nomine Capellaniæ, fratresque Rioli monuit, ut consulerent conscientiæ suæ. In Firmana Immissionis, die 27 Martii 1841.

(196. Esse locum repetitioni capitalis constituentis dotem Capellaniarum Lucciana ab Exequutore testamentario apud familiam de Fieschis ita collocatam, ut nec census juxta Constitutionem S. Pii V, nec Onus, nec Cambium verum haberetur, sed tantum Cambium fictum ac siccum, decrevit Sac. Congregat. voluitque ut investiretur, vel in bonis stabilibus, vel in Censibus ad formam præfatæ Constitutionis Sancti Pii V, juxta leges fundationis. In Adjacen. 27 Martii 1841, ad 1. Dub.

(197. Cum nec valor, nec redditus fundorum sufficerent pro impensis necessariis ad extructionem Capellæ in Ecclesia S. Mariæ Rosarii Oppidi Vici Alatrinæ Diœcesis, ubi adimpleri debebat Capellaniæ a fundatrice præscripta sub invocatione SS. Marthæ et Magdalenæ, censuit S. C. ad extructionem præfatam non esse cogendam familiam Tomeucci patronam, sed tantum ad erectionem Iconis SS. Martæ et Magdalenæ in alterutra Capella Privati existenti jurispatronatus ejusdem Familiæ eligenda, ad quas Capellaniæ implementum transferri jam indulserat S. C. justis de causis in 2. Dub.; præcipit tamen ut quotannis una Missa celebraretur in festo S. Marthæ, et altera in festo S. Mariæ Magdalenæ, facto verbo cum SS. In Alatrina Translationis, et Permutationis, die 31 Julii 1841, ad 3. Dub.

(198. Sacerdotem Andream Zoppini, quamvis Canonicus, in Collegiata S. Viti Senogalliensis Diœcesis nominari posse ad vacantem Capellaniam Zoppini, ad quam vocabatur a fundatore, cum non constaret de illius incompatibilitate cum Canonicatu, tum quia deerant tabulæ erectionis, ex quibus erui posset qualitas Ecclesiastica, tum quia sub eodem tecto cum Canonicatu erat per modum tantum provisionis ob præteritas vicissitudines, respondit S. C. In Senogallien. Incompatibilitatis, 21 Augusti 1841, ad 1. Dub.

(199. Ac præterea declaravit non esse incompatibilia onera Canonicatus cum oneribus Capellaniæ Zoppini. Ib. ad 2. Dub.

Digitized by Google

S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

Al Vescovo di Osimo.

(1. « Dalle nozioni date da V. S. I. e R. e dai documenti esibiti circa le Capellanie di S. Maria degli Angeli di Filottrano si raccoglie, che la qualità di dette Capellanie siano meramente laicali, poichè non cadono sotto la collazione ed istituzione ordinaria per legge di fondazione. Classificate adunque sotto tale natura, il parroco può nominare col solo atto legale, purchè non siano conferite in titolo, nel qual caso necessariamente occorre l' autorità del Vescovo. Questi cappellani però non possono assumere il titolo e quasi dignità canonicale; giacchè essi non possono formar collegio, poichè *non facit collegium privata societas sed publica auctoritas* mediante la spedizione delle Bolle. Ciò posto, sembra che non si possono turbare le nomine nel modo finora osservato, che non vi sia bisogno dell' Istituzione del Vescovo; salvo sempre il caso, che non si conferiscano in titolo, oppure vengano perpetuate nella persona nominata per servire di patrimonio sacro. Nel resto è in facoltà di V. S. I. R. esaminare in visita, se la pia Istituzione sia eseguita, e soddisfatti i pesi, e nel caso, che vi sia qualche Capellano indegno, procedere come Delegato della Sede Apostolica alla sospensione dall' officio, e *servatis servandis*, fino alla destituzione, avvertendone il Parroco. Tanto doveva in evasione ec. 5 Settembre 1828. » Ex Reg. Episcoporum anni 1828.

(2. Cum quædam pia mulier Capellaniam mere laicalem fundasset anno 1785, et rector fundorum ad Capellaniam pertinentium transcriptionem omisisset usque ad an. 1842. a S. C. EE. et RR. quæsitum est in Romana Impositionis debiti ad 2. « Se, e come si debba prescrivere la vendita delle case? et quatenus negative. 9. Se e come si debba obligare il Capellano a prendere la transcrizione? »

EE. Patres, audito voto E. Spinola, in generali conventu diei 18 Feb. 1842, rescripserunt « Ad secundam *negative*. Ad tertiam *affirmative* infra trimestre; alias capiatur ex officio. »

REV. FABRICÆ S. PETRI DECRETA.

(1. Fructus pensionis assignatæ in annuis scutis novem a Sacerdote Jacobo Nance in dotem Capellaniæ institutæ in Ecclesia Collegiata et Parochiali S. Petri Avenionensis die procedente reducti fuerunt. Accedit, quod illos debitor non solvit, imo anno 1779, clam a Rev. Fabrica S. Petri compositionem quoad præteritum obtinuit. Sed Sacra Congreg. interrogata, prædictos fructus Capellano ab anno supradicto, quo tempore vocavit Capellania in posterum deberi censuit; et quoad annos præcedentes deducet jura sua, ut iterum omnino audiantur Rev. Fabrica S. Petri: Avenionen. Cap. 16, Septemb. 1780.

(2. De quatuor Capellaniis ab Alphonso Lopes de Liceras institutis in Ecclesia Cathedrali Archiepiscopus binas suppressit ad reliquarum fructus augendos, sed onus tamen iis auxit Missarum. Imminutis iterum fructibus ex redemptione census, Capellani juxta reddituum diminutionem, reductionem efflagitant. S. C. resolvit reducendas esse ad duas tantum Capellanias cum integro onere missarum omnibus Capellanis a testatore injuncto, atque omnibus aliis oneribus ab eodem præscriptis, facto verbo cum SS.: Compostellana Red. 10 Febr. 1781.

(3. Petrus Maria Constantini hæreditatem contulit Sodalitio Suffragii Arimini, sub lege, et onere, ut binas erigere teneretur Capellanias ad nutum amovibiles cum onere Missæ quotidianæ. Sacerdos Jacobus Ugolini Capellaniæ possessor, narratione demonstrans, quod redditus utriusque olim æquabant annua scut. 40, frustra operam suam locat pro Missarum reductione apud S. Congreg. Ariminen. Red. die 13 Martii 1784.

(4. Nuper vacavit una ex tribus Capellaniis fundatis a Maria Virginia Salviati ad totidem Altaria in Ecclesia Cathedrali cum Missarum, ac Choro interveniendi solemnioribus diebus onere. Episcopus postulavit ut sibi facultas indulgeretur supprimendi vacantem Capellaniam, reditusque dividendi inter alios duos Capellanos, qui in posterum tenerentur singulis diebus interesse Divinis Officiis in eadem Ecclesia, spectato exiguo Canonicorum numero ad sacras functiones peragendas. Summus Pontifex juxta petita, firma remanente celebratione missarum, concessit. Modo hanc providentiam satis non esse Episcopus putat ad consulendum ministrorum Cathedralis indigentiæ, quia nequaquam redditus aliarum Capellaniarum cumulati sunt. Denuo exorat pro Missarum oneris deletione; et S. Congreg. rescripsit, pro gracia juxta mentem, facto verbo cum SS.: Sanctiminiatis die 8. Maii 1784.

(5. Laicalem possidens Capellaniam Sacerdos Joseph Carotti cum onere quotidiani sacri, et servitii Chori in Cathedrali Ecclesia, pro Sacrorum reductione ob imminutos illius redditus magnopere laboravit. Sed S. Congreg. respondit, esse providendum reductione servitii choralis ad dies festos de præcepto, et ad feriam 4, 5, et 6, et Sabbatum majoris hebdomadæ: Æsina 20 Maii 1786. Urgente Capitulo, ut potius reducantur missæ, quam chori servitium, S. Congreg. a consueta regula non discessit, et in eadem sententia perstitit, die 7 Julii 1786.

(6. Joachim Provenzalius pii testatoris abnepos, quum ex persona abavi sui esset debitor erga Capellaniam laicalem, tum pro quantitate librarum 288, tum pro aliis libris 170, et solidis 15, petiit, ut ab utroque præ inopia absolveretur. Obtinuit jam ante suæ paupertatis ratione Capellaniæ administrationem, suspensa nominatione, modo petitioni responsum habet hoc modo, quod nempe altera medietas eroganda sit in redintegrationem Capellaniæ, donec ære alieno se

Digitized by Google

eximat, celebratis tribus missis in singulis annis, facto verbo cum SS. : Aquen. Cap. die 3 Febr. 1787, dub. 2.

(7. Capellaniam perpetuam fundavit Sacra de Gattis, ac celebrationem Missarum exequi « all'Altare di S. Biagio eretto nella Chiesa Parocchiale della Pieve di Guastalle » mandavit. Hæreditas hujus Capellaniæ gravata pervenit ad familiam Cani, quæ exorat, ut in altera Civitatis Ecclesia pro suo arbitrio celebrare valeat. Et S. Congreg. translationem concessit ad vitam Sacerdotis Petri Cani Oratoris pro Missis Capellaniæ Gatti tantum. Nam Altare S. Blasii ditatum est Missis, et distat a Guastalla, in qua familia Cani moratur. Nullius Guastallæ 26 Novemb. 1791, dub. 2.

(8. Quum Nicolaus Biane instituta laicali Capellania in Oppido Chiarepernato possessorem gravasset onere residendi, pueros erudiendi, sacramentales confessiones excipiendi, infirmis assistendi, ac Sacra 112 pro ejus anima peragendi, preces S. Congreg. porriguntur pro Missarum reductione inspecta redditum tenuitate in libell. 245, et loci infelicissimi residentia, et benigne donavit juxta votum Card. Archiepiscopi. Taurinen. Red. Miss. 24 Mart. 1792.

(9. Jussu Francisci Malcalza Capellania erecta fuit cum onere hebdomadali Missarum 4, residendi in sua domo, in eaque recipiendi Patres Ordinum S. Francisci de Assisio, et S. Francisci de Paula. Modo possessor institutionis labentem domum, et neglectam prædiorum culturam inveniens, deprecatus est pro temporaria Missarum suspensione, et dispensatione a residentia et hospitio, ut domus et prædia reparentur. Annuit S. Congreg. in omnibus ad biennium, celebrata unica Missa quolibet Mense, et docto coram Episcopo de erogationes superextantium reddituum in causam expressam : Lunen. Sarzanen. 19 Januar. 1793.

(10. Scipio Pellegrini in Abbatiali Collegiata Ecclesia Carrariæ Capellaniam sacri quotidiani instituit, Capellanoque demandavit chori festivis diebus, ac matutinis functionibus Cinerum, et Defunctorum assistentiam, eique annua scut. 23, assignavit. Hinc hodiernus Capellanus in reductione ad dies festos vim remedii experiri vult, et adeptus est juxta votum Episcopi : Lunen. Sarzanen. Red. miss. die 14 Dec. 1793.

(11. Capellaniæ institutæ a Jacobo Seniore Bracci in Ecclesia Cathedrali Montis Politiani assignandam esse præscribitur fundum scut. 2000. ad formam ejus testamenti. Nam præter detractiones legitimæ, ac trebellianæ ei competentes ex allegato per ipsius successores fideicommisso Octavii Senioris, eam reliquit summam in libera hæreditate; hinc hac de causa missarum reductio facta non fuit. Montis Politiani Capell. 10 Maii 1794, dub. 2.

(12. Missas hebdomadales duas Capellaniæ institutæ per Conjuges Franciscum, et Margaritam Palini in favorem pauperioris Clerici, ut Sacerdotium petere possit Oppidi Carassai, deindeque reductas per superstitem Uxorem, quæ nonnulla alienavit bona obligata, celebrandas esse decernitur ad formam fundationis Firmana. Red. miss. die 21 Julii 1794.

CAPELLANUS.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. In Capellani perpetuo beneficiati Cathedralis Ecclesiæ Comen. comprehendantur sub illis verbis. « Et totus Clerus Cathedralis Ecclesiæ » in quodam Decreto contentis. S. C. R. respondendum censuit : « Dictos Capellanos, si Ecclesiæ adscripti sint, aut aliquo modo ei uti de gremio inservïant, præter celebrationem Missæ in suis Capellis, comprehendi. Comen. Die 11. Maii 1593. »

(2. Capellani, qui in Ecclesia Monialium, juxta ritum Monialium quotidie Missam celebrant, non possunt Monialium Officium recitare. S. R. C. Conimbrien. die 21. Martii 1795.

(3. Cum in Asceterio Monialium Ordinis S. Francisci adnexo Ecclesiæ titulo Sancta Maria nuncupat. *delle Vergini dette della Madonna*, Civitatis Veronæ commorentur hodie Moniales Monasterii SS. Redemptoris ex Ordine Canonicorum Regularium Lateranensium S. Augustini, separatæ tamen in omnibus a prædictis Monialibus Ordinis S. Francisci, excepta Ecclesia, quæ est communis, ita ut ab utrisque Monialibus servetur propria regula, et recitetur Officium juxta proprium Calendarium ; visum est Monialibus Lateranensibus, quod ab earum Capellano quotidie celebranda sit ea Missa, ad quam audiendam ipsæ conveniunt, quæ conformis sit officio in earum Calendario assignato; quod cum denegetur a Monialibus S. Francisci, in hujusmodi opinionum discrepantia, ad firmandum quid fieri opus sit, Moniales Lateranenses recursum habuerunt ad S. R. C. Quæ respondit : « Posse Capellanum Monialium Lateranensium SS. Redemptoris in casu, de quo agitur, Missas legere secundum ordinem earumdem Monialium, exceptis diebus Dedicationis, et Titularis Ecclesiæ. » Et ita declaravit. Veronen. die 20 Martii 1809.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Quum Sacra Congregat. instituï mandasset Capellanum Curatum in Oratorio Appojani S. Athanasii, haud esse locum erectioni novæ Parœciæ; item jussit, ut ei congrua constituatur, facta obligatione per Communitatem, juxta votum Episcopi « Qui potiat assignanda esse scut. 15, ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocumque pertinentibus ex scut : 30, quæ Appojani in Ecclesiæ solvunt; et uniantur scut. 14. Beneficii S. Athanasii, et id augeri potest prestatione illa, ad quam Incolæ sese obstringere parati sunt : » Asculana Erectionis Parochiæ die 26 Novem. 1796, dub. 2.

(2. Jus vero colligendi suffragia compe-

Digitized by Google

tere dixit Præposito juxta modum nempe « quoad enumerationem suffragiorum coram ipso faciendam. » Ibid. dub. 4.

(3. Capellania diversis sub legibus instituta per sodales Suffragii civitatis Camerini ex redundantibus redditibus sodalitii, approbatur in Camerinen. Capellaniæ die 6 Maii 1797, ad 1. Dub.

(4. Et conceditur Capellano indultum celebrandi Sacrum primo circiter quadrante post meridiem singulis diebus festis ad 2, Dub.

(5. In massam Communem uniri permisit Sacra Congregatio præbendas sex Capellanorum, seu Beneficiatorum Choralium Cathedralis Amerinæ, ita ut omnes, quemadmodum postulabant, æque de massa participarent, et onera ferrent. In Amerina Massæ Communis et alienationis die 25 Januarii 1806, ad primum Dub.

(6. Missam pro Populo applicandam esse definivit Sacra Congregatio a quinque Capellanis Curatis Parœciarum ruralium *di Brugine, Arzarello, Campagnola, Priorega, Pontelongo,* quibus Capellanis Curatis licet ab Archipresbytero, et Canonicis Collegiatæ S. Martini nominatis, inest tamen cura actualis earum Parœciarum. In Patavina Missæ pro populo die 8 Martii 1806.

(7. Capellanum aliis quinque Capellanis ordinariis adjunctum ex legatu Mariæ Ferrata indulto alternativi servitii Chori gaudere definivit Sacra Congregatio, licet ex fundatione servitio quotidiano obstringatur. In Fabrianen. Servitii Chori die 19, Decem. 1807.

(8. Applicationem hæreditatis Minelli in stipendium Capellani Curati, qui est in pago Classerna, concessit Sacra Congregatio, impletis oneribus per Capellanum. In Eugubina Applicationis die 7 Maii 1808.

(9. Suspensionem onerum Missarum Capellaniæ institutæ a Lodovica Graziani denegavit Sacra Congregatio, quia deperitio Fundi legati evenit ex culpa Capellani, quem compellendum jussit ad restaurationem prædicti fundi. In Æsina suspensionis Onerum, et Residentiæ die 15 Junii 1816, ad 1, Dub.

(10. Cum ea non esset Josephi Raisi patroni Capellaniæ laicalis inopia, quæ suaderat concedendam esse suspensionem nominationis Capellani, et applicationem reddituum, adimpletis Missis juxta reductionem ab Archiepiscopo factam, servandam esse decrevit S. Congregatio fundationem, et Archiepiscopo curam commisit, ut ad formam Edicti die 8 Januarii currentis anni, editi ab E. a Secretis status, fieret inscriptio fundi Capellaniæ. In Ravennaten. Capellaniæ die 15 Aprilis 1820.

(11. Canonicos olim Capellanos del Monte duas missas statutis horis per turnum celebrare teneri, sed ab Episcopo posse dispensari, si plura in Ecclesia sacrificia offerantur, censuit S. Congregatio. In eadem ad 4, Dub.

(12. Capellanis Collegiatæ Ecclesiæ S. Michaelis Lucanæ Civitatis canonicam institutionem dandam esse, facta prius per Episcopum canonica erectione, dixit Sacra Congregatio. Ad Capitulum vero nominationem, et ad Decanum Capituli jus dandi Bullas collationis dictis Capellanis spectare, et hos pro tertia parte Missas conventuales canere teneri cum eleemosyna ex massa distributionum sumenda ad formam constitutionis *Cum semper Oblatas :* Capellanos quoque teneri obsequi, et subditos esse canonicis in chorali servitio, eadem S. Congregatio decrevit. In Lucana Capellaniarum die 3 Septembris 1825, ad 1, 2, 3, 4, et 5 Dub.

(13. Sodales Brisighellæ titulo Virginis ab Angelo salutatæ quum Capellanum removissent Julianum Irerè, negotium haud arrisit Episcopo, qui idcirco rescripsit Irerè in officio retinendum, dein, sodalibus haud morem gerentibus, Josephum Bracchinium, rei auctorem, ut ipse putabat, et Sodalitii moderatorem ab Sodalitio arcuit. Dubiis concinnatis, S. C. respondit : Dilata. In Faventina juris amovendi Capellanum 27 Feb. 1836.

(14. Nominandi jus ad Capellaniam laicalem B. V. ab Angelo salutatæ (cujus patronatum reliquerat fundatrix Elisabet Ceciliani Mariano Colabucci ejusque fratribus, sororibus et descendentibus, ea lege, ut Capellani pro tempore absque ulla superioris licentia deputandi amovibiles essent ad patronorum nutum) singulis patronis competere, salva prærogativa gradus, et jure repræsentationis, dixerunt EE. PP. In Signina jurispatronatus, seu Capellaniæ 10 Septembris 1836, ad 1, dub.

(15. Cum Victoria Colabucci Joannem Baptistam Capobianchi ad Capellaniam laicalem B. V. ab Angelo salutatæ nominasset; reliqui patroni, qui omnes per quinque et ultra menses conticuere, consilium postea inierunt, locum amplius fieri nominationi Capellani, magisque expedire si cuncti patroni omnes Capellaniæ fructus inter se communiter existerent, impletis oneribus. S. C. propositis dubiis « an substineatur nominatio facta in favorem Capobianchi; an sit locus novæ nominationi, seu potius indulgendum, ut impletis oneribus, fructibus communiter patroni fruantur » respondit ad primum *affirmative*, et esse instituendum; ad alterum *negative* in omnibus, et Episcopus curet transcriptionem bonorum Capellaniæ. In Signina Jurispatr. seu Capellaniæ 10 Sept. 1836, ad 2 et 3, dub.

(16. Proposito dubio an et quomodo constituendus sit Capellanus Curatus in oppido Tapeti, cum referret Episcopus, Parochum Colasanti irregularem ac omnino imparem fuisse muneri obeundo, e contra Parœciæ redditus vix uni alendo pares, Parœcianos pauperrimos, mensam Episcopalem inopem reperiri, nec extare in Diœcesi simplicia beneficia vacantia quibus Parocho vel Capellano consulendum esset, EE. PP. responderunt « ad Dominum Secretarium cum SS. juxta mentem. » In Lursina Capellani Curati 26 Novemb. 1836.

(17. Nominationem Capellani, quæ pluribus abhinc annis omissa fuerat, imperavit

Digitized by Google

S. C. Andreæ Giordano, aliisque Patronis; tantumque illius gravissimam paupertatem commiseratain dulsit, ut aucto eidem Capellano stipendio juxta taxam Diœcesanam eleemosynæ manualis, superextantes redditus per septennium erogarentur ejusdem favore in sui substantationem, docto facto verbo cum SS., Neapolitana die 28 Junii 1837 ad 4, dub.

(18. Capellanis, quibus a fundatione præscripta fuerat duarum Missarum in hebdomada celebratio ad altare SS. Crucifixi Cathedralis Bastiæ, et Choralis adsistentia etiam in qualitate Diaconi, et Subdiaconi in Missis Conventualibus; cum ob translationem præfati Capituli Adjacium liberi a chorali servitio evasissent, onus imposuit S. C. juxta votum Episcopi inserviendi in Missis Solemnibus in munere Diaconi, et Subdiaconi in dicta Ecclesia olim Cathedrali Bastiæ, donec ibi redintegraretur Capitulum, ac celebrandi Missas lectas horis, et diebus ab Episcopo præfiniendis in commodum populi. Adjac. 27 Mart. 1841.

(19. Ob ruinas a terræmotu causatas dispersis pagi Serravalle familiis, et a parochiali residentiæ longe dissitis, Capellani curati constitutionem, qui parochum coadjuvaret, expostulantibus. Cumque media omnia ordinaria desiderarentur, ad stipendium eidem assignandum, provisionem aliquam ab S. Ordine postulantibus, S. Ordo annuit quoad Capellani constitutionem, approbandi ab Episcopo cum dependentia a parocho, et ad nutum amovibilis; quoad stipendium respondit ad mentem. Nursina Capellani Curati die 24 Martii 1838.

(20. Jam ab anno 1838, obtinuerant a S. Ordine incolæ Saravalle Capellanum Curatum eo loco constitui cum stipendio scut. 40, a Camera Spoliorum per biennium persoluto; eoque termino elapso, stipendium ipsum ex pia hæreditate Renzi pro orphanotrophii erectione relicta decerpi assecuti fuerant. Ast conquerente ejusdem hæreditatis administratore, ac alia magis ordinaria providendi media proponente, S. Ordo prævio recessu a decisis, stipendium constitui jussit juxta votum Episcopi, id est in scut. 24, ex censu a Benefactore quodam exhibito, in scut. 10, ex congrua Parochi Ecclesiæ Matricis, et aliis 10, ex Beneficio S. Claudii, donec aliter provideretur. In Nursina Capellani Curati die 4 Junii 1838, ad 1 et 2, dub.

(21. Marius Menicocci, uti rector Capellaniæ in Basilica S. Marci de Urbe, cujus favore creatus fuerat census scut. 500, cum petiisset anno 1840, solutionem ejusdem fructuum usque ab an. 1815, quo Capellaniæ possessionem fuerat assecutus, quosque ex ignorantia census præfati numquam requisierat, ab hæredibus Evangelistæ de Rubeis, ejusdem census debitoribus, isti vero solutionem recusassent, quod censum vel extinctum vel præscriptum esse arbitrarentur ex omissa per immemorabile tempus solutione fructuum, ac ex diuturno ipsius Capellani silentio; postulavit a S. C. ut declarando census existentiam, fructus decursos sibi tradi mandaret: quæ tamen, cum non plene de bono Oratoris jure constaret, coadjuvari jussit probationes. In Romana Census die 3 Decembris 1838, ad 1 et 2, dubium.

(22. Iisdem de causis cum ageretur de Capellano curato parocho Saccovisi in eadem Diœcesi adsciscendo, qui parochialibus obeundis muneribus impar factus fuerat, S. C. censuit rem remittendam esse D. Secretario cum SS. ad formam Tudertinæ diei 2, Augusti 1833. Nursina Capellani Curati die 22 Decemb. 1838.

S. CONGREGATIONIS ET EPISCOPORUM REGULARIUM DECRETUM.

(1. Sacerdos Josephus Grima Melitensis, de quibusdam suis bonis præscripserat ut fructus in quædam opera pia erogarentur, præsertim vero in pauperum levamen, quando aliquis publicæ calamitatis casus evenisset. Pii vero operis executorem perpetuum voluit esse ipsum capitularem Collegiatæ cœtum.

Cum tamen ex legum civilium ibi vigentium præscripto Executores testamentorum ad executionem sibi assumendam non admitterentur, nisi præstita hypothecaria in propriis bonis cautione, Capitulum dubitavit, num capitularia bona hypothecæ subjci possent, et in casu affirmativo, num huic oneri obnoxii etiam essent Canonicatus de jurepatronatu, eo magis quod patroni dissentirent.

Itaque habito confugio ad S. C. Ep. et Reg. dubium confectum est: *Se e come convenga annuire alle preci del Capitolo oratore?*

EE. PP. in Meliten. Hypothecæ diei 13 Jan. 1843, rescripserunt: « Dilata, et scribatur Episcopo, ut transmittat particulam fundationis, et accuratius referat de bonis pii relicti, et iterum audiat Capitulum ad effectus cognoscendi, utrum omnes Canonici consentiant in suscipienda hypotheca bonorum, aut potius tantum Canonici de Massa, exceptis semper quatuor Canonicis de Jurepatronatus: »

Iterum vero proposita in Cong. Generali ejusdem anni, EE. PP. rescripserunt: « Affirmative, inscripta hypotheca super bonis Canonicatuum, exceptis quatuor Canonicatibus jurispatronatus Buslotis: et ad mentem: mens est.: *Che si scriva a Monsig. Vescovo, onde procuri e di garantire il Capitolo dall'effetto di qualunque legge, che potrebbe ostare al libero e sicuro possesso de' beni stabili nel medesimo capitolo* ad annum. »

CAPITULUM.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. Ad petitionem Prioris, et Capituli Ecclesiæ S. Nicolai Baren. S. C. censuit. « Ipsum Priorem S. Nicolai Baren. omnino teneri ad publicas Processiones accedere. Eo autem absente, seu aliqua justa, legitimaque causa impedito, ipsius Vicarium una cum Canonicis, et Capitulo suæ Ecclesiæ; nonnullis tamen pro necessario ejusdem

Digitized by Google

Ecclesiæ servitio ibidem relictis. » Baren. die 24 Januarii 1595.

(2. Proposita controversia super declaratione Decreti S. C. R. 15 Julii 1752, ad 6, nempe « cuinam incumbat onus, et cura præparandi scamna, quoties Capitulum Cathedralis occasione fundationum collegialiter accedit ad Collegiatam » S. eadem C. rescribendum censuit : Onus præparandi scamna spectare ad Capitulum Collegiatæ, quoties Processio ad ipsius Ecclesiam ducatur. » Et ita declaravit die 26 Augusti 1752.

(3. At deducta pariter in eadem S. R. C. novissima controversia, quæ Ecclesiæ Cathedralis Casalen. Capitulum, ejusdemque Canonicos summopere exagitabat, circa resolutionem Dubii : An scilicet, et a quo osculum, et thurificatio danda sit Dignitatibus, et Canonicis Collegiatæ, in casu, etc.? cui eadem S. Congregatio rescripserat « Dilata , et exquiratur votum Magistrorum cæremoniarum. » Demum respondit : « Thurificationem faciendam esse per Acolytum unico ductu cum inclinatione capitis antea et post singulis Canonicis, et Pacis osculum dandum esse per eumdem Ministrum. In reliquis ad eumdem E. Ponentem cum facultatibus capiendi provisiones sibi benevisas, die 14 Apr. 1753. »

(4. An interveniente Capitulo Cathedralis Civitatis Cajetæ ad funus, Parochus defuncti, cæterique de Clero tam sæculari, quam regulari, sicut etiam Confraternitates, teneantur convenire hora statuta ad dictam Ecclesiam Cathedralem, ut inde ordinate procedant ad domum dicti defuncti ? S. C. *Affirmative et amplius.* Cajetan. die 16 julii 1757, ad. 3.

(5. An capitulum Ecclesiæ insignis Collegiatæ Terræ Montis Cassiani certioratum a Magistratu de ejus interventu in habitu et forma ad sacras functiones, teneatur denuntiare eidem Magistratui imminentem celebrationem dictæ sacræ functionis ? S. R. Cong. rescribendum censuit. « Affirmative. Lauretana 16 Decemb. 1766, ad. 1. »

(6. An dictum Capitulum teneatur retinere Sacerdotem cotta indutum, ut advenienti Magistratui occurrat in janua majori Ecclesiæ, eumque aqua benedicta aspergat, in casu, etc.? S. C. R. « Sacerdos cotta indutus advenientem Magistratum aqua benedicta aspergat, » respondit. Ibid. ad. 2.

(7. An eidem Magistratui solemniis interessenti, teneatur Dignitas, seu Sacerdos celebrans, necnon Diaconus, et Subdiaconus eidem celebranti assistentes, toties, quoties ad Altare accedunt, vel ab eo recedunt reverentiam, et salutationem per capitis inclinationem peragere, in casu, etc.? S. R. C. « In primo accessu ad Altare, et ultimo decessu ab eodem tantum. » Ibid. ad. 3.

(8. An Magistratus prædictus Solemniis interessens in distributionibus candelarum, cinerum , palmarum, et SS. Eucharistiæ Sacramenti, immediate post Capitulum sit præferendus cæteris Sacerdotibus, et Clericis, qui non sunt de Capitulo in casu, etc.? S. C. R. *Negative.* Ibid. ad. 4.

(9. An Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ Montis Ulmi teneatur intervenire supplicationi S. Antonii, et quomodo præcedere debeat invitatio, et sit recipiendus in casu, etc.? S. C. respondit : « Provisum in concordia inita anno 1773, et amplius. » Firmana die 30 Apr. 1796.

(10. Il Vescovo di Andria bramando che nella sua Chiesa Cattedrale il tutto proceda regolarmente, propose i seguenti dubbii :

In tutto il corso dell' anno per riduzioni fatte da alcuni Vescovi colle debite facoltà debbono cantarsi numero ventidue Messe di *Requiem*, quali sogliono ripartirsi ne giorni di rito semidoppio.

Nella Cattedrale di Andria in tutti i giorni di rito semidoppio, quando possono dirsi Messe di *Requiem*, vi è l' obbligo di cantarsi una Messa di *Requiem* detta quotidiana nel modo, com' è segnata nel Messale di Morto.

In ogni Lunedì, benche sia di rito doppio, vi è l' obbligo di recitare con canto, e talvolta anche senza canto alcuni Responsorii dell' Officio de' Morti in Suffragio di alcuni pii disponenti, e defonti in generale.

Il metodo, che si è tenuto ab immemorabili senza opposizione de' Vescovi pro tempore nel sodisfare ai suindicati obblighi è stato il sequente :

Al principiar nelle Laudi in Coro una porzione de' Canonici, e Sacerdoti non meno di quattro, previo il permesso del Prefetto del Coro medesimo staccandosi dall' altra, che rimane a proseguire il divino Officio colla Conventuale, ed altri Legati di Anniversarî, che possono accadere in quel giorno, si porta in una Cappella della stessa Chiesa, detta Oratorio, per assistere alle Messe segnate N. 1 e 2, e recitare i Responsorii segnati al N. 3, senza però portar confusione, o disturbo al Coro, attesa la segregazione, e sufficiente distanza della nominata Cappella.

Si domanda se questa costumanza di dividersi gli addetti al Coro per sodisfare gli obblighi enunciati possa tollerarsi dall' Oratore, oppure togliersi come abuso con obbligare tutti del Coro alla soddisfazione, di cui trattasi? Che della grazia.

(11. Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit. « In Choro post Primam satisfaciendum esse oneribus Capituli. » Die 3 Aug. 1839.

(12. Avendo chiesto il Decano, ed i Canonici della Collegiata Chiesa di S. Genesio dell' Archediocesi Camerinense, che l' Arciprete fosse costretto ad ascoltare la Predica nel Presbitero insieme col Capitolo, la S. Con. rispose : « Detur Decretum in una Bononien. Præeminentiarum diei 9 Decembris 1730. » Camerinen. Die 3 Augusti 1839.

(13. An in Collegiata Ecclesiæ S. Nicolai in Civitate Barensi, Canonico solemniter celebranti liceat assumere Beneficiatum, qui officio fungatur Præsbyteri assistentis cum Pluviali, Palmatoriam deferendo? S. Con-

Digitized by Google

Negative in casu Baren. Die 3 Augusti 1839, ad. 1.

(14. Utrum Canonici Mitræ et Crucis pectoralis privilegium habentes, uti possint etiam Faldistorio, Chirothecis, Dalmaticis, Sandaliis, Palmatoria, Gremiali, Baculo sine velo pendente dum solemniter celebrant. S. C. « Stricte standum privileg. » Ibid ad. 2.

8. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Non ad præpositum nec ad Archidiaconum, sed ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis spectat jus admittendi novos Canonicos ad possessionem Canonicatuum, juxta formam hactenus observatam, ut nempe post Fidei professionem et juramentum coram Archidiacono, vel etiam altero digniori, eo absente præstitum novus Canonicus in statione collocetur per duos Canonicos a Capitulo deputandos, nisi alii exequutores in Literis Apostolicis dati fuerint. Camerinen. Præemin. die 7 Aprilis 1781, dub. 6.

(2. Jus convocandi Capitulum pro negotiis Capitularibus convenit Archidiacono Ecclesiæ Cathedralis, et Canonicis, ordine successivo, privative quoad Episcopum, ejusque Vicarium Generalem. Camerinen. Præeminent. die April. 1781, dub. 7.

(3. Resolutionem autem de ineundis Comitiis Capitularibus singulis secundis Dominicis cujuslibet mensis absque ulla prævia denuntiatione S. C. improbavit : Ibid., dub. 8.

(4. Deinde pro convocatione Capituli Canonici instantes præventive denuntiare Archidiacono negotia in eodem Capitulo tractanda, non tenentur. Ibid, dub. 9.

(5. Sed supplicationes prædictæ Ecclesiæ indicendæ sunt per Archipresbyterum de consensu Capituli juxta decretum Card. Episcopi anni 1781. Ibid., dub. 9.

(6. Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Reatinæ competere jus eligendi examinatores, ad periculum de Cantu Gregoriano faciendum pro sex prioribus Clericalibus beneficiis consequendis, declaravit S. C. statuens insuper fructus harum Clericalium Præbendarum vacantium Massæ Capitulari accrescere, cujus emolumenta in distributionibus quotidianis consistunt. In Reatina Juris deputandi Examinatores ad 1, 2 et 4, Dub.

(7. Quum disputatum fuisset an jus perpetuum Capitulum convocandi in Ecclesia collegiatæ S. Michaelis Archangelis urbis Firmi competat Priori ipsius Collegiatæ, seu idem jus partiri annuatim in singulos canonicos debeat? Nulla data fuit definitio, sed tantum præfigendum terminum Priori ad deducenda, jura sua creditum fuit : Firmana die 8 Junii 1782, dub. 1. Deinde affirmativum ad primam, negativum ad secundam partem editum fuit responsum : die 6 Sept. 1783.

(8. Capitulo Ecclesiæ Cathedrali licuit, et in posterum licebit cum approbatione Episcopi variare, vel reformare horarium; etiamsi fuerit in Lauretena Synodo 1626, a Card. Episcopo Romæ horarium statutum, et S. C. huic decreto addidit ad mentem. « Et mens est, ut servetur resolutio Capitularis anni 1774, et si quid erit innovandum consulatur S. C. » Lauretana Horarii die 8 Junii 1782, dub. 1.

(9. Disceptatum etiam fuit, an constaret, quod Canonici et Capitulum prædictum ex pecuniis, seu redditibus Ecclesiæ, vel Fabricæ ejusdem Ecclesiæ confecerint expensas, quæ spectant ad ipsum Capitulum, et non attingunt interesse ipsius Ecclesiæ, seu Fabricæ, et capta fuit resolutio, ut ab Episcopo præfigeretur terminus Canonicis ad reddendam rationem coram eodem. Ibid, dub. 2, confirmatum et additum juxta modum. Ibid.

(10. Regimen et Administrationem Ecclesiæ Parochialis S. Petri Montis Martiani in Collegiatam noviter erectæ, et clavium custodiam ejusdem Ecclesiæ Sacrarii, chororum, et cubiculi positi supra Capellam B. M. Carminis, turrium sacrarum spectare juxta modum : « Nempe ad formam primi Decreti Card. Episcopi anni 1781, » ad Capitulum per Canonicum Ædituum annuatim ad ipso eligendum exercendam, non vero privative ad Archipresbyterum S. C. præfinivit : Senogallien. die 13 Junii 1789, dub. 1.

(11. Prædictoque Capitulo subesse nequit societas SS. Rosarii in eadem Ecclesia S. Petri, ut asseritur, erecta, sed soli Archipresbytero : Ibid. dub. 8.

(12. Precentionem vero antiphonæ et cantum orationis pertinere ad superiorem Conventualium, cum in supplicationibus Divi Marci, et Rogationum ad eorum Ecclesiam accedit Capitulum, juxta pariter Episcopi votum : Ibid. dub. 3.

(13. Ac procedere tandem debere Conventuales ordinate ad Ecclesiam Collegiatam, eamque ingredi ad adorandam Crucem ad formam consuetam, cum ipsi supplicationum causa ad illam accedunt : Ibid. dub. 4.

(14. Et eo absente a loco residentiæ, vel renuente, licere convocare Capitulum de licentia senioris præsentis : Ibid. dub. 3.

(15. Ac jus proponendi materias decidendas in Capitulo pertinere ad singulos Canonicos post Præpositum per ordinem ætatis prærogativæ S. C. statuit : Ibid. dub. 4.

(16. In Parochiali Ecclesia S. Bartholomei Marrivallium in Collegiatam erecta conditæ fuerunt Constitutiones Capitulares, in quibus præ cæteris statutum est, ut Capitula congregentur de mandato et licentia Præpositi, primæ et unicæ dignitatis, sive in ejus absentia Canonici senioris. Semper servata fuerunt Præpositi jura, modo autem die 20. Januar. convocatum fuit Capitulum a seniore Canonico, licet Præpositus esset in oppido præsens. Quæstione idcirco orta, S. C. declaravit Præposito prædicto præesse Choro, interveniente Præfecto, aut eo deficiente in munere integrum est : Firmana Præemin. die 26. Nov. 1796. dub. 1.

(17. Nec non spectare ad Præpositum jus convocandi Capitulum censuit : Ibid. dub. 2.

(18. Ac jus proponendi materias decidendas in Capitulo spectare voluit S. C. ad

Digitized by Google

singulos Canonicos post Præpositum, per ordinem ætatis prærogativæ S. C. statuit Ibid. dub. 4.

(19. Imo resolvit constare de nullitate Capituli die 27. Maii, et diei 12. Junii 1796. Nam spretis contestatis denuntiationibus cordatorum Canonicorum, et absque mandato Præpositi, imo cum inhibitione S. C. nihil innovari convocatum fuit. Ibid. dub. 6.

(20. Uni vero addicitur Capitulo jus eligendi, et removendi Officiales d. Firmana 17. Junii 1797. ad 3. Dub.

(21. Capitulares inter Collegiatæ S. Bartholomæi Marrivalium jus esse decernitur Mansionariis ferendi suffragium, dum agitur de administratione bonorum, vel erogatione pecuniæ ad communem massam spectandis, Firmana vocis in Capitulo 17. Junii ad 1. Dub. et confirmatoria 17. Nov. 1797. ad 2. Dub.

(22. Capitularem resolutionem factam die 3. Aug. 1803. a Canonicis Cathedralis Signæ super modo percipiendi fructus ex nonnullis fundis in commune possessis, exequendam esse censuit Sacra Congregatio, non obstante nonnullorum Capitularium dissensu. In Signina 13. Sept. 1806.

(23. Cum Capitulum Tusculanum sub die 16. Mart. 1771. ex Decreto Sacræ Congregationis obtinuisset, ut servitium Chori reduceretur ad alternas hebdomadas, ita tamen, ut omnibus diebus festis et tempore adventus, et Quadragesimæ, et Octavarum privilegiatarum choro interesse deberet, nunc postulavit moderationem harum clausularum, quam rejecit Sacra Congregatio. In Tusculana Servitii Chori 18. Jun. 1808.

(24. Servitium Chori Capituli Vincanelli, attenta diminutione præbendarum, reduxit S. Congregatio, ita ut omnes Capitulares ad dies tantum festos de præcepto, et solemnioribus Nativitatis, Resurrectionis D. N. J. C. tempore Adventus, et Quadragesimæ SS. Corporis Christi et per totam octavam ejusdem ac aliis temporibus Ordinario benevisis. In Civitatis Castellanæ reductionis Servitii Chori 6. Aug. 1808.

(25. Decretum Episcopi Ginanni diei 18. Martii 1785. quo instituit quatuor Canonicos Honorarios in Capitulo Collegiatæ SS. Salvatoris Civitatis Fulginei, approbavit S. Congregatio, et in posterum eligi posse a Capitulo Canonicos definivit, salvo jure Episcopi pro approbatione eligendorum. In Fulginaten. 17 Dec. 1808.

(26. Neque opus esse censuit sanatione quoad præteritum. Ibid. ad 2. Dub.

(27. Reproposita causa, cum compertum esset Capitulum Vincanelli obligatum fuisse non ad servitium Chori quotidianum, sed per alternas hebdomadas, Sac. Congregatio stetit in decisis juxta modum, nempe reducto servitio Chori ab omnibus præstando ad dies festos etiam reductos, et hebdomadam majorem, donec augerentur fructus. In Civitatis Castellanæ reductionis Servitii Chori die 21. Januar. 1809.

(28. Servandum esse Constitutionem S. M. Clementis VIII. *Sicut Ecclesiarum* (in qua efflagitante Episcopo Orsini, erecti fuerunt duodecim Hebdomadarii in Aversana Cathedrali, ut in Divinis Officiis et Ecclesiasticis Cæremoniis Capitulo opem ferrent) Sac. Congregatio statuit contra Capitularem Canonicorum resolutionem, in qua plura contra eam constitutionem ab ipsis adhuc inobservatam sanciebantur. In Aversana Resolutionis Capitularis die 17. Maii 1814. ad 1. 2. 3. et 4. Dub.

(29. Cum dubia super declarationibus eorum, quæ decreverat die 15. Maii præteriti anni, postulatis a præposito Galli Dordoni, et simul Parocho afferri jussisset Sacra Congregatio, die 25. Januarii, his allatis, (confirmans quæ statuerat) quoad primum quæsitum utrum Capitulum Collegiatæ S. Joannis ad Ecclesiam S. Michaelis translatum anno 1562. deberet collegialiter incedere ad associationem cadaverum Canonicorum, respondit affirmative. In Placentina Jurium Parochialium die 20. Septembris 1814. ad 2. Dub.

(30. Si vero Capitulum nolit, vel non possit collegialiter incedere ad associanda cadavera Canonicorum, jus hujusmodi esse Parocho. Ibid. ad 3. Dub.

(31. Erectionem Dignitatis Thesaurarii a Capitulo Casalensi prorsus extraneæ ab Episcopo Villaret factam, servandam non esse Sacra Congregatio decrevit, ac proinde a Canonico Salina esse abjiciendam. In Casalen. die 29. Novembris 1814. ad 2. Dub.

(32. Capitulo Casalensi denegavit S. Congregatio, ut per optionem pro hac vice acquireretur a Canonicis Dignitas Primicerii a Sede Apostolica conferenda; cum nulla hujus rei concedendæ adesset rationabilis causa, et ne a novitate inciperetur judicium, dum idem Capitulum postulabat, ut leges Capitulares ab Episcopo eversas, ut laicæ potestati tunc dominandi morem gereret, ad pristinum statum reducerentur. In Casalen. die 29. Novembris 1814. ad 11. Dub.

(33. Eos vero optare posse juxta veteres Constitutiones Capitulares ad dignitatem Archipresbyteri, quam idem Episcopus Vice-Parocho amovibili Novarese sua abutens auctoritate contulerat, declaravit, postquam in precedenti dubio sanxerat ab eodem Novarese eam dignitatem retineri non posse. Ibid. ad Dub. 13 et 14.

(34. De jure ferendi duo suffragia in Comitiis Capitularibus, quod sibi asserebat Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis Reatinæ, nihil decrevit S. Congregatio, sed resolutionem distulit, ut coadjuvarentur probationes. In Reatina juris ferendi suffragii die 19. Augusti 1815. ad 1. Dubium.

(35. Negavit porro S. C. Episcopo Reatino jus ferendi tria suffragia in Comitiis Capitularibus. Ibid. ad 2. Dub.

(36. Probavit S. Congregatio Decretum Episcopi Vigiliensis diei 16. Februarii anni 1804. quo impertitum fuit Canonicis Collegiatarum, et Parochialium Ecclesiarum SS. Matthæi et Adoeni, qui curæ animarum populi adaucti ad capita quatuordecim millia adesse debeant, ut eis frui liceret Vacationibus ad

Digitized by Google

tertiariam juxta conciliares leges, et statuta Ecclesiæ, ita ut duo ex tribus partibus Choro semper interessent, exceptis temporibus, in quibus omnes, et singuli tenerentur interesse, nempe tempore Adventus, Quadragesimæ, in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ, necnon in omnibus solemnioribus diebus et Festis de præcepto, et Octavis privilegiatis. In Vigilien. Servitii Chori die 15. Junii 1816.

(37. Constare de credito definivit Sacra Congregatio Capituli Vaticani adversus jam Canonicum Martorelli, qui tempore invasionis Choro interfuit, et distributiones percepit, quas lucraturi erant ii Capitulares, qui ob recusatum illicitum juramentum vel recitationem precum vetitarum, Choro non interfuerunt, quas distributiones restituendas esse jussit Rescriptum SS., diei 7. Septembris anni 1815. ex mensualitatibus eorum, qui has distributiones perceperunt; rejecit præterea Sacra Congregatio compensationem hujus crediti favore Capituli, cum altero credito ipsius Martorelli utpote illiquido. In Romana Crediti seu Compensationis die 15. Junii 1816.

(38. Sacra Congregatio, attentis peculiaribus circumstantiis, confirmandum censuit ad triennium indultum ab Episcopo Aquilano ex facultatibus sibi oretenus impertitis a Delegato Apostolico concessum Capitulo, ut Chori servitium præstaret diebus festivis de præcepto, tempore Adventus et Quadragesimæ, ac octavarum D. N. et SS. Corporis Christi Aquilana Servitii Chori die 23. Novemb. 1816.

(39. Abbati Spada, veluti quartæ dignitati Metropolitanæ Ecclesiæ Lucanæ, competere jus Missam canendi diebus solemnioribus, si illam Archiepiscopus non cantet, necnon eumdem habere vocem activam in Capitulo, quando de rebus spiritualibus, et mixtis agatur; non vero si de rebus tantum temporalibus, quamvis tunc Capitulo interesse possit, dixit hæc Sacra Congregatio, quia redditibus Capituli non gaudet, neque temporalia onera sustinet; eamque ob causam decrevit quoque, ut ad munera Capitularia eligi possit, et illa obire, si spiritualia et mixta sint; si vero temporalia, tum solum poterit, cum ad formam Bullæ erectionis Abbatiæ suæ redditus in massam Capitularem contulerit. Tandem censuit eidem competere jus percipiendi emolumenta legatorum, quæ post Abbatiæ fundationem erecta fuere. In Lucana Præeminentiarum et jurium 26. Februarii 1818. ad 1. 2. 3. 4. et 5. Dub.

(40. Quam concordiam inter Capitulum terræ Arquati, et Archipresbyterum Antonium Mariæ Podestà, qua plura in pristinum reducebantur, plura in melius commutabantur, etiam in reliquis omnibus ejus capitibus approbavit Sacra Congregatio juxta votum E. Relatoris. Ibid.

(41. Cum dispositioni Concilii Tridentini non adversaretur, ut quatuor Canonici Vicarii exercerent Curam animarum adnexam Capitulo Collegiatæ Castri Arquati, approbavit Sacra Congregatio illud caput concordiæ initæ ab hoc Capitulo cum Archipresbytero Antonio Maria Podestà, in qua statuebatur, ut Cura actualis resideret apud quatuor non ut antea mansionarios, sed Canonicos Vicarios, quæ invasionis tempore ab Episcopo Fallot de Beaumont absque ulla auctoritate ablata fuerat Mansionariis et concredita Archipresbytero Antonio Maria Podestà. In Placentina Concordiæ die 12 Jun. 1818.

(42. Cum ageretur de actu voluntario et non necessario contra antiquam consuetudinem, censuit S. C. non esse approbandam resolutionem Capitularem, licet a majori parte, non ab integro Capitulo Alatrinæ Ecclesiæ factam die 18 Januarii 1817, in qua resolutum fuerat Capituli Officiales non esse proponendos a Decano Canonicis secreto suffragium laturis, sed omissa propositione Decani, esse per secreta suffragia eligendos. In Alatrina die 17 Junii 1820. ad 1. dub

(43. Cumque præfatum Capitulum Alatrinum non haberet Capitulares Constitutiones legitime confectas et approbatas, decrevit eadem S. C. providendum esse quoad futurum ad formam S. Concilii Romani titulo 2, cap. 4, et decreti synodalis anni 1790. Episcopi Speranza. Ibid. ad 2. dub.

(44. Sacra Congregatio decrevit constare de spolio illato Capitulo Collegiatæ S. Mariæ Assumptionis vulgo di Piazza Civitatis Novarum ex decreto Episcopi Villaret, quo eidem Capitulo sublatum fuit jus privativum benedicendi fontem Baptismalem, et Cereum Paschalem in die Sabbati Sancti cum interventu Parochorum SS. Petri, Andreæ et Nicolai, vel per se, vel mediantibus eorum deputatis, nec non in eadem die pulsandi campanas ante cæteras Parochiales Ecclesias, atque distribuendi in Feria V, in Cœna Domini Olea Sancta cæteris Parochis, ita ut Capitulo concesserit manutentionem, et quatenus opus esset redintegrationem. Ibid. ad 1. Dub.

(45. Capitulum Collegiatæ Novi manuteneri in possessione juris peragendi Exequias in propria Ecclesia, et percipiendi emolumenta funeralia juxta solitum, non obstante constructione publici Cœmeterii, statutum fuit a Sac. Congregatione. In Derthonen. Spolii, Manutensionis, et Redintegrationis die 14 Aprilis 1821. ad 4. Dub.

(46. Prorogavit Sacra Congregatio judicium antequam aliquid decerneret circa obedientiam a Capitulo et Clero Ortonensi præstandam Archiepiscopo Lancianensi in pervigilio SS. Apostolorum Petri et Pauli, quo edicto eos obligare voluit. In Lancianen. die 21 Julii 1821.

(47. Juxta doctrinam a Benedicto XIV. traditam aliasque decisiones hujus Sac. Congregat. eadem decrevit, non potuisse Adriense Capitulum in electione Vicarii Capitularis sibi reservare jus Confessiones excipiendi, absolvendique a reservatis. In Adriens. Jurisdictionis 30 Maii 1827. ad 1 et 2. Dub.

Digitized by Google

(48. Cum nullius extiterint momenti, quæ pro sui exemptione protulerat, declaravit S. Cong. Capitulum Arborense sui Archiepiscopi jurisdictioni subesse, et jussit scribi Archiep. ad mentem, facto verbo cum SS. In Arboren. 18 Julii 1835. ad 4. Dub.

(49. Capitulo Puteolanæ Cathedralis mandavit S. Congreg. ut intra sex menses Capitulares conficeret Constitutiones, ab Episcopo approbandas, quia iis omnino carebat. In Puteolana Reductionis servitii Chori 4 Junii 1836. ad 3. dubium.

(50. Cum Leo XII. in restauratione Ecclesiæ Collegiatæ Ophidanæ Capitulo omne onus et curam omnimodam trium illius oppidi parochiarum imposuisset; curam autem ab aliquibus ex Canonicis gerendam decrevisset, hinc orto dubio, parochis an capitulo archivii parochialis constructio, S. supellectilium emptio omniumque manutentio incumberet, S. C. omnia ad Capitulum pertinere pronunciavit. Asculana, literarum Apostolicarum 20 Jan. 1838. ad 9. dub.

(51. Abbati, qui ex Bulla erectionis Collegiatæ Sanctæ Mariæ de Remedio Caput Capituli constitutus fuerat « cum superioritate, jurisdictione, et correctione in spiritualibus, et temporalibus in his tantum, quæ ad ipsam Ecclesiam pertinent » et cum facultate super his statuta cum Capitulo condendi, ab Ordinario loci approbanda; jurisdictionem competere quoad internum ejusdem Ecclesiæ regimen cum dependentia ab Ordinario, definivit S. C. In Januen. literarum Apostolicarum 2 Junii 1838. ad 5. dubiun.

(52. Administratoribus Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ de Remedio Januensis Civitatis Missarum stipendia Capitulo denegantibus, nisi fidem de satisfactione Missarum exhiberent, S. Congregatio inspecta præsertim concordia inter ipsos et Capitulares unanimiter inita, definivit, per Canonicum Camerarium fidem tantum exhibendam esse de regularitate libri in quo Missæ adnotantur. Januen. literarum Apostolicarum 2 Junii 1838. ad 1. dub.

(53. Deinde censuit ad formam Apostolicarum literarum, non administratoribus sed Abbati et Capitulo exclusive competere facultatem eligendi, et amovendi Ecclesiæ et Sacristiæ inservientes, quamvis ab illis conventa stipendia solverentur. Ibidem ad 2. dub.

(54. Et si in literis erectionis Capituli Ecclesiæ Collegiatæ Montis Georgei disponeretur ut cum Capitulo applicarentur bona quædam tunc ab aliis retenta, Canonici quotidiano chori servitio adstringi deberent: cum tamen ubi ejusmodi casus advenit Massa Capitularis ingentibus expensis exhausta fuisset, et magnis pensionibus etiam posthac aliquo pro tempore gravaretur; Canonici per alios quindecim annos a quotidiani chori Servitio eximi postularunt, obtinueruntque a S. C. ad quinquennium, facto verbo cum SS. Firmana servitii chori 28 Julii 1838.

(55. Episcopus Ceriniolensis novam ineundam esse contendens partitionem reddituum, qui pro distributionibus quotidianis in Bulla erectionis assignantur, petiit cogendos esse Capitulares ut, qui supereunt redditus in Cathedralis Ecclesiæ ampliationem erogent. At cum in responsione ad primum dubium ab eo excogitatum partitionem rejecerit S. Ordo, hinc ad aliam dubii formulam super hac altera petitione concinnatam respondit: Provisum in primo: In Asculana et Ceriniolen. Literarum Apostolicarum die 22 Augusti 1839. ad 2. dubium.

(56. Conquestus idem Episcopus Capitulares vel nil, vel parum pro Ecclesiæ fabrica, et sacris supellectibus contribuisse, postquam ea ad Cathedralis honorem erecta est, postulavit, ut aliqua summa, quam indefinitam reliquit Bulla erectionis, præfiniatur quotannis impendenda in Ecclesiæ Fabricæ ac sacrarum supellectilium manutentionem; ac neque huic petitioni, (cum nihil de ea summa præfinisset Pontifex in sua Bulla) annuere duxerunt EE. PP. edito responso: negative, et serventur Literæ Apostolicæ: In eadem ad 4. Dub.

(57. Reclamante Capitulo Collegiatæ montis Falci contra novam Procurationem partiendi methodum ab Archiepiscopo inductam, quia præsertim ab hac plures gravabantur contra jus sibi acquisitum per longævam, et legitimam consuetudinem, S. Congr. perpendens consuetudinem haud dubie sese exerere posse non quidem contra alios gravatos, quatenus scilicet alii præ aliis graventur in persolvenda procuratione, servandam esse consuetudinem respondit. In Spoletana Procurationis die 3 Decembris 1839.

(58. Ex Capitulari statuto, et consuetudine immemorabili sibi vindicantibus Ecclesiæ Cathedralis Ausculanæ Mansionariis vocem in capitulo quoad Capitularis Vicarii electionem; ad tutiorem rei definitionem placuit causam differre, ut interim audiretur iterum Episcopus, qui referret accuratius de consuetudine, transmissis particulis actorum præcedentium electionum Vicariorum Capitularium, et exquireretur votum E. Polidori. Asculana Ceriniolen. Vocis in Capitulo die 24 Nov. Resolutiones an. 1842.

CARDINALES.

8. CONGREGATIONIS CÆREMONIALIS DECRETA.

(1. Sacra Congregatio Cæremonialis cujuscumque abusus et novitatis eliminationi sedulo, ac provide intenta, et ad amplissimam præcipue Sacri Cardinalatus dignitatem in sibi debito decore conservandam, decreta jam confecta diligentissime examinavit, auxit, et in formam ut infra redegit.

(2. EE. DD. Cardinales nuper creati, etiamsi ab Oratoribus Principum ante suscepta Car-

Digitized by Google

dinalatus insignia private fuerint visitati, eos tamen nullo modo revisitabunt, nisi prius publice ab iisdem Oratoribus fuerint visitati post suscepta hujusmodi Cardinalatus insignia. die 16 Novembris 1627.

(3. Nuper Sacro Collegio adscripti ante solemnem receptionem Galeri rubri quoscumque alios DD. Cardinales non visitent, neque ab iis etiam sub prætextu, quod clam, et private id fiat, visitentur, neque eis ad Urbem accedentibus ante præfatam Pilei rubri receptionem ab aliis DD. Cardinalibus Romæ degentibus obviam eatur. Excipiuntur tamen DD. Cardinales, quos contigerit Sede Vacante ad Urbem accedere, non habitis Cardinalitiis insigniis, quibus et cæteris DD. Cardinalibus licet se mutuo invisere; Conclavi autem recluso, qui prædicta Cardinalatus insignia suscepturi sunt, donec illa susceperint ab aliis DD. Cardinalibus nullo modo visitentur, aut alios visitent. die 19 Novembris 1627.

(4. A quocumque visitati cujusvis gradus, et conditionis ille fuerit, exceptis Principibus illis, quibus locus in subselliis eorumdem DD. Cardinalium cum Capellæ Pontificiæ intersunt designari consuevit, dum abeuntes domo deducunt, nullum scalarum gradum descendant. die 16. Novembris 1627.

(5. In Ecclesiis, et in omnibus aliis locis et actionibus publicis, quibus DD. Cardinales interfuerint, nunquam in eodem scamno, genuflexorio, seu pari sella assideant, seu genuflectant, nisi cum illis Principibus, qui in subselliis DD. Cardinalium, et in Capella Pontificia locum obtinent. die 7. Februarii 1656.

(6. Cum per Urbem Rocchetto induti incedunt, quocumque modo proficiscantur, nemini subsistant: liceat tamen Gubernatori Almæ Urbis, Vice Camerario, Senatori etiam Urbis, ac Oratoribus Principum, qui Aula Regia gaudent, officium hujusmodi exhibere. Cæteris autem Magnatibus, et Status Ecclesiastici Baronibus, etiamsi Pontificis viventis Fratres, aut Nepotes fuerint, gradum non sistant. die 7. Februarii 1566.

(7. Cum sine Rocchetto per Urbem proficiscuntur, liceat ipsis, si libuerit, ex ordine Ecclesiastico Patriarchis, Episcopis, Auditori Cameræ Apostolicæ, Thesaurario Generali, utriusque Sacri Palatii Apostolici Præfecto, et Decano Collegiorum, Protonotariorum, Sacræ Rotæ Auditorum et Cameræ Apostolicæ Clericorum; Ex ordine vero Laicali illis Magnatibus Status Ecclesiastici, qui fuerint Ducatu vel Principatu insigniti, et Civitates et Castra, quorum Duces seu Principes nuncupantur, possederint in Statu Ecclesiastico, officium salutationis reddere subsistendo, dummodo ab illis prius DD. Cardinales visitati fuerint; Magnatibus vero exteris hujusmodi officium deferri poterit ab aliis DD. Cardinalibus, qui ab illis visitati fuerint, ac tres antiquiores DD. Cardinales hujus Sacræ Congregationis, audito, si libuerit, primo R. Cæremoniarum Magistro id convenire judicaverint; Cæteris vero cujuscumque gradus, conditionis, vel dignitatis extiterint, DD. Cardinales salutationis reddendæ gratia, nullo modo subsistant. die 7. Feb. 1656.

(8. Nemini ex DD. Cardinalibus liceat, etiamsi fuerit invitatus, publicis umquam Disputationibus, Accademiis, Laurearum traditionibus, aliisque similibus actibus interesse, nisi eorum tantum, qui Sacri Palatii, vel Rotæ Auditores, vel Advocati Consistorialis Aulæ fuerint designati, necnon exceptis tribus Orationibus, quæ in Collegio Romano, initio Studiorum, in laudem B. Aloysii Gonzagæ, et funebri fel. rec. Gregorii PP. XIII. singulis annis peraguntur, quibus quatuor tantum E. DD. interesse poterunt, declarando huic præsenti decreto eos DD. Cardinales obnoxios non esse, quibus alicujus Collegii protectionis munus demandatum est, vel quibus conclusiones, seu Theses, et actiones hujusmodi dicatæ fuerint, illorum siquidem præsentia tales cœtus decorari posse non prohibetur.

(9. Excipitur præterea Accademia Convictorum Collegii Clementini, semel in anno in honorem Assumptionis B. M. Virginis solemniter celebrari consueta, cui quatuor tantum E. DD. Cardinales, E. D. Cardinali Collegii pro tempore Protectore inter quatuor adnumerato, poterunt interesse. die 11. Julii 1702.

(10. Non erigantur Umbellæ seu Baldachina occasione Thesium, aliorumque actuum Scholasticorum, in quocumque loco, nisi pro Summo Pontifice, Regibus etc. et Cardinalibus in Titulis, et Diaconiis, necnon in Monasteriis, et Conventibus aliisque locis, quæ eorum Protectioni subsunt. die 11 Julii 1702.

(11. Cum tres DD. Cardinales in curru simul incedunt, quocumque habitu utantur, prælatos, seu alias personas non admittant. die 6. Jul. 1699.

(12. E. DD. Provinciarum Legati hospitio recepturi Oratores Principum ad Urbem properantes, vel ab ea revertentes, ipsis obviam non procedant. Quo vero ad eorumdem oratorum exceptionem in propriis Legatorum Domibus, servabitur consuetus, et approbatus mos cujuscumque Legationis. die 18 Julii 1701.

(13. E. DD. cum primum Oratores Principum ad Urbem pervenerint, nisi prius fuerint certiorati nomine eorumdem Oratorum de sequuto ipsorum adventu, suos nobiles Familiares officiositatis gratia ad eosdem Oratores non mittent. die 18 Julii 1701.

(14. Observetur decretum antiquum, quo cautum est, Ablegatos Principum excipiendos fore sine lemniscis, vulgo *Fiocchi*, et sine titulo Excellentiæ, nulla habita ratione ad quemcumque gradum, dignitatem et præeminentiam, aut natalium qualitatem, quibus ipsos coruscare contigerit. die 15 Julii 1701.

(15. E. DD. occasione luctus e Rocchettis lacinia, vulgo *Merletti*, necnon a Pileis cingula aurea quocumque tempore non auferant, et sicuti in persona, et in proprio curru nil luctus habere debebunt, ita neque in Domibus, neque in curribus quibuscumque. die 18 Julii 1701.

(16. Cum Eminentissimi DD. Sacris Para-

Digitized by Google

mentis induti ex Aula Paramentorum ad Capellam peragunt, et ex ipsa ad Aulam præfatam revertuntur, etiam in supplicationibus, quæ in Paramentis Sacris peraguntur, Caudatarium, et duos nobiles Familiares tantum secum habebunt. die 28 Maji 1702.

(17. Quod Decretum Sanctissimus D. N. Benedictus XIV. extendi jussit, etiamsi Eminentissimi Cardinales in supplicationibus usuali habitu Cardinalitio tantum sint induti. die 18. Augusti 1743.

(18. Dominus Cardinalis Sacrum audiens in privato Oratorio Palatii suæ habitationis, nemini, etiam Cardinali, ad se venienti occurrat. die 16 Novembris 1627.

(19. Dominus Cardinalis Mitram habens, nulli hominum (Romano Pontifice excepto) caput detegat. die 16 Novemb. 1627.

(20. Eminentissimi DD. Cardinales in rebus dubiis quomodolibet Cæremoniale concernentibus Decanum Sacri Collegii, et alium antiquiorem Cardinalem, primum Ministrum Sanctissimi D. N. Papæ consulant, qui in eisdem rebus dubiis Sacram Congregationem convocari mandabunt. die 11 Julii 1703.

(21 Prælati usum Rocchetti habentes, eodem induti Eminentissimos DD. nuper creatos visitabunt, quos denuo cum Rocchetto, ut supra visitabunt, post suscepta Cardinalatus insignia. die 26 Aprilis 1701.

(22. Dicti Prælati, si ab Eminentissimis DD. in propriis Domibus visitabuntur, ipsos Dominos Eminentissimos pro prima vice Rocchetto induti excipient. die 26. Aprilis 1701.

(23. Barones Romani Eminentissimos DD. noviter creatos post suscepta Cardinalatus insignia publice visitabunt, ad formam decreti san. mem. Alexandri VII, 18 Januarii 1667, et qui usque adhuc visitationem publicam non fecerunt Eminentissimis DD. Cardinalibus, nunc viventibus quamprimum expleant. die 5 Decemb. 1702.

(24. DD. Cardinales quando prima vice a principibus magnis, qui solent sedere in banco Cardinalium, visitantur, erunt cum Rocchetto discooperto. Idem quoque servetur pro prima, et unica tantum vice toto Cardinalatus tempore, quando visitantur ab Oratoribus sive ordinariis sive extraordinariis, qui aula regia gaudent, et cum Rocchetto, Mantelletto, et Mozzetta illis visitationem reddent, ita ut semel recepto et visitato, ut supra, uno ex prædictis Oratoribus, sive fuerit ordinarius, sive extraordinarius, non licet amplius DD. Cardinalibus in prædictorum visitationibus Rocchetto uti, sed eos recipient cum subtana et Mozzetta, et in eodem habitu cum Pallio præfatos Oratores visitabunt. Quicumque vero Oratores, qui Sanctissimo Domino Nostro in Consistorio publico obedientiam præstabunt, tunc ratione obedientiæ præstitæ, cum Rocchetto discooperto in prima visitatione semper excipiendi, et honorandi erunt, et cum Rocchetto, Mantelletto et Mozzetta illis visitationem reddent. die 4 Sep. 1703.

(25. Eminentissimi DD. cum e Capellis Pontificiis, Concionibus et Consistoriis discedunt, Rocchettum non deponant; et Pallium, in Ecclesiis, prout in ipsomet Palatio Apostolico, in quibus cum Rocchetto interfuere, non sument. die 9 Decembris 1704.

(26. Eminentissimis DD. habitu communi Confraternitatum indutis, non licebit interesse Missis, Vesperis, et Concionibus earumdem Confraternitatum. die 9 Novemb. 1704.

(27. Facta autem per me Pro-secretarium relatione Sanctissimo D. N. Clementi PP. XI. Sanctitas Sua non tantum Decreta suprad. laudavit, et approbavit, sed etiam DD. Cardinales memores fore voluit Juramenti in receptione Pilei præstiti de observando omnia et singula Decreta a S. Congregatione Cæremoniali hactenus emanata, et imposterum emanatura pro sublimi ejusdem Cardinalatus honore, et dignitate conservanda. Ad quem effectum eorumdem decretorum exemplar authenticum, quousque illa in reviso ac emendato Libello de varietate, et usu vestium inserta, et Typis tradita, evulgentur, ad omnes et singulos DD. Cardinales, qui ea observare omnino debeant, transmitti mandavit. Hac die 14 Maji 1706.

(28. Quum in S. Congregatione Cæremoniali quædam fuerint proposita, quæ non multo abhinc tempore inducta ejus animadversionem postulare videbantur, inter quæ id erat, quod nonnumquam rubris lemniscis vulgo *Fiocchi*, quibus ornantur equi E. Patrum currus vehentes, alii etiam colores inserti reperiantur; et lemniscorum numerus in insignibus difformiter auctus interdum deprehendatur: eadem S. Congregatio ad uniformitatem debitam restituendam, enunciatis die et mense hæc super iis decrevit.

(29. I. Lemnisci qui equis E. Patrum currus vehentibus aptari solent, colore tantum rubro sint, quovis alio, vel minima ex parte intersertó, prorsus excluso.

(30. II. Lemniscorum, qui circum insignia E. Patrum collocantur, numerus ad quindecim utrinque non multis ab hinc annis evectus, retineri valeat, majore quolibet numero omnibus interdicto.

(31. Facta autem SS. Domino Nostro Gregorio PP. XVI. per me infrascriptum Secretarium de præmissis relatione, idem SS. Dominus Noster præfata Decreta non solum approbavit, sed inviolabiliter ab omnibus et singulis ad quos ea spectant servari præcepit. Hac die 14. Aprilis 1832. SS. Domini Nostri Pontificatus anno secundo.

(32. Summorum Pontificum Constitutiones et Decreta a novo E. Cardinali antequam in die publici Consistorii Pontificali Cardinalitio Pileo decoretur, perlegenda, ut in Juramento ea die ab ipso præstando præfatarum Constitutionum, et decretorum tenorem eidem innotescere asseri jure tutissimeque possit, eæ sunt quæ sequuntur, Constitutiones.

(33. S. Pii V. Prohibitionis alienandi, et infeudandi Civitates, et Loca S. R. E., vel de eorum alienationibus, et infeudationibus tractandi quovis prætextu, etiam evidentis utilitatis, quæ incipit: *Admonet Nos* etc. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarna-

Digitized by Google

sionis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo quarto Kal. Aprilis Pontificatus sui anno secundo.

(34. Sixti V. De visitandis certis hac statutis temporibus SS. Petri et Pauli de Urbe Liminibus etc. ab Episcopis, Patriarchis, et aliis Ecclesiarum Primatibus etc. Incipien. *Romanus Pontifex* etc. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, Decimo tertio Kal. Jan. Pontificatus sui anno primo.

(35. Innocentii IX. De confirmatione, et extensione Constitutionis S. Pii V. a Gregorio XIII, Sixto V. et Gregorio XIV. comprobatæ de non alienandis, et infeudandis Civitatibus, et aliis Locis Sedis Apostolicæ, quæ incipit : *Quæ ab hac Sancta Sede* etc. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo primo prid. Non. Novembris Pontificatus sui anno primo.

(36. Clementis VIII. Comprobatio Constitutionis S. Pii V. ab Innocentio IX. declarata de non alienandis, et infeudandis Locis, et Civitatibus S. R. E. cum alterius declarationis adjectione incipien. : *Ad Romani Pontificis curam* etc. Actum Romæ in Monte Quirinali die 26. Junji millesimo quingentesimo nonagesimo secundo in Consistorio Secreto.

(37. Gregorii XV. Pro applicatione emolumenti annuli Cardinalitii favore Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, quæ incipit : *Romanum decet Pontificem* etc. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, Decimo Kal. Julii Pontificatus sui anno secundo.

(38. Urbani VIII. De confirmatione Bullæ Gregorii XV, de electione Romani Pontificis, et Cæremonialis continentis illius Ritum incipien. : *An Romani Pontificis Providentiam* etc. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo quinto. Quinto Kal. Februarii Pontificatus sui anno tertio.

(39. Innocentii X. Super titulo, et Insignibus et æqualitate servanda inter S. R. E. Cardinales ; quæ incipit : *Militantis Ecclesiæ Regimini* etc. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto. Quartodecimo Kal. Januarii Pontificatus sui anno primo.

(40. Alexandri VII. De Bonis Ecclesiæ non alienandis : Incipien. : *Inter cæteras animi sollicitudines* etc. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo, Nono Kal. Novembris Pontificatus sui anno sexto.

(41. Innocentii XII. Moderatoria de Donationibus, et distributione reddituum Ecclesiasticorum in Consanguineos, vel Affines Romani Pontificis, seu eorum loco adlectos, ac præscribens cautelas servandas circa signaturas earum gratiarum, quæ aliquando ægrotante Romano Pontifice per concessum fieri dicuntur, quæ incipit : *Romanum decet Pontificem* etc. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo secundo, decimo Kalend. Julii, Pontificatus sui anno primo.

(42. Decretum Consistoriale Clementis VIII, abrogans decretum, et declarationem Gregorii XIV, circa Constitutionem S. Pii V Prædecessoris super infeudatione, seu alienatione Civitatum, Terrarum etc. Apostolicæ Sedi mediate, et immediate subjectarum, etiam sub prætextu necessitatis, et evidentis utilitatis Patrimonii S. R. E. edit. in Consistorio Secreto habito Fer. 6. die 26 Junii 1592.

(43. Decretum insuper Consistoriale Urbani PP. VIII, de Civitatibus Urbini, Eugubii, Callii toto Urbini Ducatu, Civitatibus Pisauri, Senogalliæ aliisque oppidis, et Locis quibuscumque per obitum bon. mem. Francisci Mariæ ultimi Ducis ; seu alias ad Sanctam Romanam Ecclesiam, et Sedem Apostolicam devolutis, et recuperatis, emanatum in Consistorio Secreto habito die 12 Maii 1631.

(44. Decretum alterum Alexandri PP. VII, de unione, et incorporatione S. Sedi, et Cameræ Apostolicæ Ducatus Castri, Status Roncilionis, et cæterorum locorum in venditione comprehensorum in Instrumentis Camerali bus subjiciendo omnia comprehensa in constitutione Papæ Pii V, edit. quarto Kal. Aprilis anno 1567, decernens unita, et incorporata tam præfatum Ducatum Castri, et Statum Roncilionis, quam alia loca omnia, Terras, et Oppida etc. sub die 20 Decembris 1660, in Secreto Consistorio, S. R. E. Cardinalium audito consilio, editum.

CARO.

8. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETUM.

(1. Dominus Robertus Van-Ommeren, Superior Monasterii Ordinis Cisterciensis *du Belle-fontaine* in Belgio, Sacræ Congregationi Episcoporum et Regularium exposuit, hoc suum monasterium, utpote communi observantiæ addictum, dispensatum esse a carnium abstinentia diebus Dominicis, feria tertia, et quinta, excepto Adventu ac tempore, quod a Dominica Septuagesima ad Pascha protenditur ; ut ferunt Literæ Apostolicæ in forma Brevis Alexandri VII, anni 1666.

Cum vero in hisce literis casus non consideretur, quo aliquis Monachus vel ratione muneris paræcialis vel itineris initi extra Monasterium cibo sese reficere oporteat ; itemque nihil de disciplina in Hospitio tenenda declaretur ; itaque ad quaslibet dubitationes, ac dissensionum periculum amovendum, quasdam regulas conscripsit, easque a Sancta Sede confirmari supplicavit. Hæc vero sunt, quæ sequuntur :

Digitized by Google

« Tutta la Communità si astenga dalle carni. 1. In ogni giorno dell' Avvento. 2. Ogni giorno della settuagesima sino a Pasqua. 3. In tutti i Lunedì, Mercoledì, Venerdì e Sabato.

« Che nell' Ospizio 1. non si somministrino carni nell' Avvento, e dalla settuagesima sino a Pasqua, ed in tutti i giorni vietato dalla Chiesa. 2. che dai monaci i quali mangeranno nell' Ospizio, si osservino le astinenze della Communità. 3. Che circa l'uso de' latticinj i monaci si conformino anche in Communità al sistema della Diocesi. 4. Che i Religiosi dimoranti nelle Parrochie, e quelli che per ragionevoli circostanze mangeranno fuori del monastero, possano conformarsi all' uso della Diocesi ove dimorano, o passano. »

Igitur proposito dubio « Se e come convenga approvare le proposte regole disciplinari nel caso ? » E. PP. in plenario conventu diei 1 Martii 1844, rescripserunt Affirmative juxta preces. « Michlinen. Ord. Cisterciensis super nonnullis regulis abstinentiam a carnibus respicientibus. »

CAUSÆ

8. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

(1. Cum negotia majoris momenti et Consultationes, ad S. Congr. Episcop. et Regularium deferuntur, fortasse ratione temporum admodum frequentia sint, Eminentissimi Patres in Generali Congregatione habita in Palatio Quirinali Nonis Septembris MDCCCXXXIV, rati sunt, rem utilem fore, si exemplo aliquarum Congregationum majorum, Nonnulli Consultores eligerentur, quorum esset super dubiis, seu quæstionibus, de quibus rogaretur, sententiam suam exponere, firmis tamen manentibus antiquis institutionibus, ita ut de negotiis alicujus ponderis, deque consultationibus omnibus in plenario Auditorio semper deliberetur, et statuatur, et designatur aliquis. ex Eminentissimis Patribus, *qui videat et referat*. Itaque Eminentissimi Patres decreverunt : « Supplicandum Sanctissimo pro admissione Consultorum juxta modum enunciatum : »

Et facta eadem die ad Sanctissimum Dominum Nostrum Gregorium PP. XVI, per D. Secretarium de præmissis relatione, Sanctitas Sua Decretum E. Patrum probavit atque sancivit.

In generali Congregatione habita 9 Septembris 1834. Eminentissimi et Reverendissimi Patres decreverunt, ut vetus et propria S. Congregationis methodus, seu ratio tractandi negotia, de quibus contentio est inter partes, accurate in posterum servaretur. Est autem hujusmodi.

1. Quotiescumque in negotiis, quæ apud S. Congregationem Episcoporum et Regularium aguntur, tum ex relationibus Ordinariorum, tum ex partium deductionibus videatur expedire, ut res ad viam juris reducatur, rescribitur : « Partes deducant jura sua coram Eminentissimo N. qui videat et referat, citata parte et concordato dubio: »

2. Coram Eminentissimo Relatore, vel ejus Auditore, adhibito S. Congregationum Notario, singuli actus, qui ad judicandum viam sternunt, conficiuntur.

3. Propterea pars diligentior coram eodem Auditore, partem adversam in jus vocat : « ad concordandum de dubio, alias videndum subscribi, et disputari infrascriptum : quod nempe in calce citationis transcribitur. »

4. Eminentissimus Relator, sive ejus Auditor vel propositum, vel aliud dubium concordat de consensu partium : sin minus, mandat partes suis juribus uti per memoriale in Sacra Congregatione.

5. Si pars citata intra terminum præfinitum non compareat, citatur pro secunda vice : « ad concordandum de dubio, necnon destinari Congregationem. »

6. Si pars in sua pertinacia perstiterit, Eminentissimus Relator, vel ejus Auditor concordat dubium, et Congregationem pro causæ propositione destinat, ita ut tamen spatium saltem triginta dierum intercedat ; et decretum adversæ parti per Cursorem intimatur.

7. Jura autographa, quibus utraque pars utitur, quindecim diebus ante diem propositionis causæ apud D. Secretarium deponuntur ; transmissa utrimque intimatione.

8. Allegationes utriusque partis decem diebus ante Congregationem tum ad Eminentissimos Cardinales, tum ad D. Secretarium, et ad Sacretariam S. Congregationis deferuntur.

9. Mutua inter partes allegationum et summariorum traditio fit eadem ipsa die in domo Auditoris Eminentissimi Relatoris.

10. Responsiones triduo ante propositionem causæ distribuuntur et communicantur, ut in articulo præcedenti.

11. Resolutionem S. Congregationis Eminentissimus Relator scriptis tradit, et suo nomine obsignat, eamque D. Secretario tradit, partibus significandam.

12. Si intra decem dies pars victa iterum auditori postulet, Eminentissimus Relator novæ Audientiæ beneficium tribuere potest.

13. Quoties cunctis suffragiis res dijudicata fuerit cum clausula : *et amplius :* vel uno tantum suffragio discrepante cum clausula : *et non concedatur :* tunc venia redeundi non conceditur, nisi a plena Congregatione.

14. Causa denuo proponitur servato modo, et terminis primæ propositionis.

15. Dijudicata causa, authenticum resolutionis exemplar ei traditur qui causam obtinuit.

16. Victor instat coram A. C., qui ut merus executor resolutionem S. Congregationis exequendam decernit.

Digitized by Google

CENSURA.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Joannes Franciscus Gonzales de Ulloa exponit, ad Capellaniam a legitimo patrono fuisse nominatum, sed se superventum a contradictore, parentum postulatis toto animo acquievisse, ut ipse interposita concordia sumptuosam litem redimeret. Pater Oratoris bona quædam contradictori donavit, ut Sacri patrimonii titulum haberet. Hinc Franciscus ordines minores, et subdiaconatum suscepit. Quum vero ad Diaconatum studuisset promoveri, monitus a Promotore Fiscali, quod in censuras ex admissa Simonia incurrisset, et inde, re vulgata, petiit absolvi, et absolutionem obtinuit, restitutis fructibus, si quos perceperit : Aurien. die 6. April. 1785.

(2. Postquam Sacra Congreg. firmaverat, haud licere Vicario Generali aliquid muneris, seu stipendii etiam modicum accipere pro subscriptione, et sigillo, sive alia qualibet causa, et titulo in exequutione Literarum Apostolicarum dispensationis matrimonialis; licet adsit aliquid accipiendi consuetudo, modo rescripsit S. C. quæsita de restitutione ad D. Secretarium cum SS. pro absolutione ad cautelam : Dubia super Exequutione Dispensationum Matrimonial., die 20. Jan. 1787, dub. 2.)

(3. Cajetanus Caccialupius, et Canonicus Joseph Raccamadorius patroni Rectoratus cujusdam, pretio scut. 561, activum hujus Rectoratus patronatum Dominico Assortati vendiderunt, eique illius fundum cesserunt, ut cum bonorum universitate translatus videretur : modo autem venditores exorant pro absolutione a censuris, quatenus in eas incidissent, et S. C. imposita salutari pœnitentia arbitrio Episcopi, eam impertivit; addendo, ut Assortatus suæ conscientiæ consulat : Maceraten., Jurispatronatus die 18 Julii 1789. dub. 2.

(4. Abbas Hyacintus Maria Bagatti Monasterii Cisterciensium S. Mariæ de Horto Venetiarum, tonsuram, minoresque ordines contulit Josepho Forallosso illius Converso, qui religiosum deinde habitum ex Apostolico indulti dimisit. Etsi S. C. non constare de nullitate hujus ordinationis jam decreverit, tamen esse consulendum SS. pro absolutione, rehabilitatione, et dispensatione ab irregularitate, quatenus ministraverit, edixit : Congregationis Cisterciensis die 28. Novem. 1789, dub. 2.

(5. Ecclesiasticum beneficium cum officio æditui possidebat Antonius Amaga in Parochiali Ecclesia Villæ Fuentes de Leon. Hoc libere resignavit in favorem Josephi Sanchez Brioso; sed privatim cum eodem, et Eusebio illius patre convenit, ut officii exercitium incumberet resignatario, perciperet ipse fructus beneficii; hinc Joseph supplicavit pro absolutione a censuris, et illam obtinuit, una cum condonatione fructuum, distributa aliqua summa in pauperum subsidium : Nullius S. Jacobi de Spatha die 21 Apr. 1792, dub. 1.

(6. Sodalitium S. Apolloniæ Urbis de pecunia piorum operum per investimentum disposuit, et capitalia auxit, ob erroneam ceteroquin opinionem, quod facultas ipsi attributa, quoad ad hæreditatem Marliani, disponendi de superfluis, ad alias extendi posset posteriores fundationes; hinc sodales implorant absolutionem quoad præteritum a censuris, quatenus indigere ea videantur; et assequuti sunt : Romana subsidiorum Dotalium die 31. Maji 1794, dub 3.

(7. Cum transactione absoluta fuit lis super Capitalibus et fundis Capellaniæ fundationis Alexandri Ziani, cujus vigore Carolus Silvestri nominavit ad eam Clericum Paulum Bondi. Sed inde eam nominationem incusavit Simoniæ, utpote sub correspectiva promissione de impetranda sibi a Sacra Congregatione Boni Regiminis diuturna dilatione ad Communitativum quoddam solvendum debitum, quam promissionem fuisse negatur. Hinc S. Congregat. non constare de Simonia resolvit, neque esse locum absolutioni a censuris in Simoniacos intentatis, sancivit : Sutrina Capellaniæ die 18. April. 1795, dub. 2.

(8. Postquam Subdiaconus Chella calumniatus est Sacerdotem Antonium Paita ob tentatam in ipsum igneæ balistulæ explosionem, pendente inquisitione, ascendit ad Diaconatum. Sacerdos absolutus fuit ex capite innocentiæ, et calumniator damnatus ad expensas et damna, et actio calumniæ incœpta est. Sed res fuit composita. Hinc idem Diaconus petiit absolutionem a censuris, et favente Episcopo, S. Congreg. ei indulsit. Lunen. Sarzanen. die 9 Julii 1796.

(9. Atque præterea absolutionem a censuris contractis ab individuis familiæ Signoris Berzetti, et Buronzo compatronis beneficii Ecclesiastici S. Martini erecti in Ecclesia Parochiali oppidi Casalbeltrame Diœcesis Vercellensis, et fratribus Gauttieri, qui bonorum beneficii præfati contractum perpetuæ Emphyteusis inierant, sine ulla Apostolici Beneplaciti reservatione, concessit S. C. in Vercellen. Emphyteusis die 6. Martii 1818, ad 2.

(10. Attenta bona fide concedendam esse absolutionem a censuris, facto verbo cum SS., putavit S. Congregatio Catharinæ Naldini viduæ Canigiani ob perceptos, et in proprium usum erogatos redditus duarum Commendarum Ordinis Hierosolimitani jurispatronatus masculorum ejusdem familiæ Canigiani, quas laica potestas illegitime suppresserat. In Florentina, seu Fesulana die 8 Maji 1839. ad 6. dub.

CENSUS.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA

(1. Jam obtinuerant Canonici Ecclesiæ Collegiatæ oppidi Belviderii pro reparatione Ecclesiæ bis suspensionem, et ad vicennium postremo duorum Canonicatuum Ubertini, et

Digitized by Google

Mei, et facultatem creandi censum scut. 1000. Sed post ocularem inspectionem Visitatoris delegati summam illam non sufficere compertum est: hinc rogitant tertii Canonicatus suspensionem, qui nuper vacavit, ut contrahere censum possint scut. 2500, quæ requiruntur ad fabricam perficiendam; et S. C. concessit suspensionem juxta votum Card. Archipresbyteri Basilicæ Lateranensis, qui ait: « Postulat ergo necessitas, ut ad consulendum ulteriori reparationi, et decori Ecclesiæ locus sit imploratæ suspensioni collationis tertiæ præbendæ..... tali enim pacto de facile æs alienum non majori tamen usura sent. 4, in singula centum pro quolibet anno. » Senogallien. Fabricæ Ecclesiæ die 20. Febr. 1796. dub. 1.

(2. Census fructus solvendos esse ad formam instrumenti favore Canonicorum Civitatis Corn, ab hæredibus Alexandri Prosperi Buzi, censuit Sacra Congregatio, ob factam extinctionem in Cedulis post latam earum abrogationem. In Veliterna Fructuum Census die 19. Junii 1802.

(3. Permutationem duorum Prædiorum, quæ ad Archipræsbyteratum Collegiatæ Ecclesiæ Montis Bodii pertinentia æstimata fuere in scutis quatuorcentum nonaginta quatuor, faciendam una cum censu activo in sorte scutorum sexcentum a Dominico Antonini tradendo, confirmata resolutione præcedentis anni, iterum rejecit Sacra Congregatio, cum censuerit melius Ecclesiæ futurum si fundos, quam censum possideret. In Senogallien. Permutationis die 26 Aprilis 1806.

(4. Transactionem initam inter Parochum S. Antonii Fani, et Franciscum Imperatori super permutatione Agri Cimarellæ ad Parœciam pertinentis cum agro Corquella cesso Parœciæ a Dominico Lombardini, probavit Sacra Congregatio, et veniam dedit, ut a possessore fundi Cimarellæ imponi posset census annuus scutorum viginti quinque, et cedi Ecclesiæ Parochiali pro scutis quingentum. In Fanen. Transactionis die 25. Maji 1816.

(5. Permisit S. C. Parocho Primavera nonnullos census alienare, ut æs alienum removeretur ob Ecclesiæ fabricam in Oppido Bononiola contractum. In Camerinen. Fabricæ Ecclesiæ die 31 Januarii 1827, ad 1. Dub.

(6. Imperavit S. C. juxta votum E. Relat. Card. de Antelminellis, ut Episcopus Admin. curaret transigi cum hæredibus de Magistris pro extinctione Census passivi, quo se Capitulum Anagninum obstrinxerat, summam constituentis sc. 600. In Anagnina die 21 Februarii 1827. ad 4. Dub.

(7. Alienationem trium Censuum, nonnullarum domuncularum, et bonorum Legati Missarum Pedruzzi spectantium ad Parochialem Ecclesiam S. Mariæ Nosciani Fanensis Diœcesis fieri concessit S. C. servatis de jure servandis, et facto verbo cum SS. ob necessitatem reædificationis illius Parochialis Ecclesiæ. In Fanen. Reædificationis die 18 Septembris 1827, ad 2. dub.

(8. Contendente Capellanorum Montis Philotrani Collegio, censuum scutorum 1485, 40, (a Francisco Palmucci anno 1739, creatum, et a Capellanis anni 1797, retrovenditum) ab hæredibus Palmucci ipsi Collegio restituendum esse, S. C. rescripsit: Dilata et reproponatur, servatis servandis, deductis hinc inde juribus, et notificetur E. Episcopo. Auximana Census, reductionis Missarum et servitii Chori die 26 Novembris 1836.

8. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

(1. Franciscus Piedilughi Foroliviensis, creditor Antonii Gaddi, et Francisci Zanchini in summa scut. 740, loco numeratæ pecuniæ creditum hoc utrique in solidum cedens, censum anno 1814. imposuit contra utrumque debitorem in solidum super quodam Antonii Gaddi prædio.

Nulla capta hypotheca, Piedilughius paulo post eumdem censum cessionis titulo transtulit in quemdam pium Locum. Item Gaddius fundum censu gravatum vendidit, et venditor, absque ullâ pii loci oppositione, fundum emptum legitime transcripsit. Forolivien. super Delectione hypothecæ.

Anno tamen 1736. parochus loci pii cessionarii administrator generalem super utriusque debitoris bonis hypothecam sumpsit. Anno 1842. defuncto Gaddio, ejus hæres parocho scuta 370, nempe dimidium debiti obtulit.

Itaque Parochus hypothecam super Gaddii bonis radiari a S. C. Ep. Reg. expostulavit, firma remanente hypotheca super Zanchinii bonis pro altero dimidio scut. 370.

Quamvis autem propitium rescriptum cum solitis clausulis a S. C. editum fuisset, tamen executioni non dabatur, quia census pro parte tantum extinguebatur, ac pro altero dimidio hypotheca satis tuta non videbatur. Utrumque itaque debitorem S. C. scriptis audiendum censuit; qui proinde impugnabant validitatem census ob defectum numeratæ pecuniæ, necnon validitatem hypothecæ, quæ utpote generalis ex legibus hypothecariis prohibita videbatur.

Itaque causa proposita fuit in Congregatione Generali diei 9 Augusti 1844. cum duobus dubiorum formulis, videlicet:

I. Se e come convenga concedere al Parroco Savorani la facoltà di radiare l'ipoteca generale gravante i fondi del patrimonio Gaddi pel censo in sorte sc. 740. previa l'estinzione della sola metà della stesso censo nel caso?

II. Se lo Zanchini debba essere costretto ad allegare un fondo speciale, per l'ipoteca; o pure vi sia luogo a prendere altro provedimento, e quale, per sicurezza degl' interessi del luogo Pio.

E. Patres in Forolivien. super Delet. hypothecæ dicti diei rescripsit.

Ad 1 et 2. « Prævia sanatione census ob defectum numeratæ pecuniæ, pro qua supplicandum SS., acceptandam esse oblationem medietatis sortis a Comite Gaddi factam, ita tamen ut pro alia medietate, vel ab ipso Comite Gaddi, vel a Zanchinio fun-

Digitized by Google

dus idoneus hypothecæ vinculo subjiciatur, aut si velint restituatur dicta medietas. »

Et facta præmissorum relatione SS. P. N. Gregorio XVI. in Audientia habita eadem die supradictam resolutionem S. C. comprobavit, ac propterea enunciatum census contractum sanavit, et revalidavit perinde ac si ab initio absque enunciato numeratæ pecuniæ defectu initus fuerit.

(2. Capitulum Neptunense non mediocres expensas et subiverat, et subire adhuc metuebat ob quasdam lites, quæ inter ipsum vertebantur, et Excellentissim. Principem Burghesium, qui jus pascendi in bonis capitularibus propugnabat. Bona Capitularia æstimabantur pretio scut. 24755. 15. et redditus inde proveniens nullis oneribus expurgatus pretio scut. septingentorum et octingentorum circiter.

Ut igitur graviora damna vitarentur, et amica compositione sopirentur, Capitulum Excellentissimo Principi proposuit, ut vel bona capitularia in emphyteusim caperet pro annuo redditu scut. 1000. vel titulo census possideret, ita tamen ut Princeps pecuniam numeratam non traderet, sed pensionem annuam scut. 1080. solveret, quæ uti fructus sortis et census ipsius reputanda esset : non posset tamen censum redimere, nisi cum Capitulum fundos nactum esset, unde pecuniam reddendam tuto collocaret.

Cum laudatus Princeps censum sibi elegisset, Capitulum ad S. C. Ep. et Reg. detulit, et expostulavit, ut necessarias facultates ad hoc impertiret, simulque Principem a conditione numeratæ solvendæ pecuniæ liberaret.

E. Ordinarius de more rogatus animadvertebat 1. pensionem a Principe exsolvendam multo majorem esse naturali bonorum capitularium proventu, hanc vero omnibus oneribus et curis administrationi liberam. 2. Hac ratione finem imponi litibus, quæ tam ex omnium litium natura, quam ex peculiaribus harum, de quibus agebantur circumstantiis, exitum dubium et periculosum præseferebant.

At vero e contra surrexerunt Municipes Neptunenses, demonstrantes populo Neptunensi maxime interesse, ne hujusmodi tractatus concluderetur. Cum enim territorium Neptuni ex maxima parte Principis proprietatem constitueret, si bona capitularia addita fuissent, nihil aut parum superesset, quo popularis industria exerceretur. Quinimo subjiciebant, hunc contractum maximo fore damno ac periculo ipsis Capituli Canonicis. Nam primo ex conditione Principi oblata, bona in censum concedenda pro qualibet mensura, vulgo *Rubbio*, fructum darent scut. 2. 87. At vero antea eadem bona in emphyteusim concessa fructum scut. 5. progignere consueverant. Quod si hisce temporibus redditum fortasse minorem reddidissent, hoc incommodum improvidæ incuriosæque administrationi imputabant. Deinde vero nonne periculosum admodum foret, omne capituli patrimonium in unius privatæ familiæ fortuna collocare? cum præsertim conditio census non redimendi nisi ad Capituli commodum, facile per dispensationem deleri valeat?

Itaque proposita causa in generali conventu diei 30 Aug. 1844. ad Dubium. « Se e come convenga approvare il contratto di vendita e Censo proposto dal Capitolo di Nettuno; non che implorare da sua Santità le opportune deroghe per quei patti del medesimo, che si opporrebbero alla prescrizione della Bolla Piana? »

E. PP. rescripserunt *Negative in omnibus.*

(3. Hyeronimus Piervigili anno 1818. a Bevaniæ Capitulo titulo census scutata 139. 10. accepit, pro annuo fructu scut. decem in singula centena persolvendo. Anno 1834. facti pœnitens penes S. C. Episcoporum et Regularium institit, ut hujus fructus summa reduceretur, pecuniaque ultra justitiæ limites persoluta sibi redderetur.

Exponebat enim, quod quamvis scutatorum decem fructus in plateis nundinariis eo tempore, habita circumstantiarum ratione fortasse toleraretur; attamen enormissimus reputandus erat in regionibus, ubi agricolæ degebant; præsertim si ageretur de censibus, qui ob eorum perpetuitatem ad Cambiorum trutinam dimetiendi non sunt.

Favebat Oratori Archiepiscopus, et opinabatur hunc fructum ad scutata sex esse reducendum. Aiebat enim adversari Constit. 139. Ben. XIV. nec ullatenus respondere proventui naturali soli Bevariensis, quod scut. quatuor fructum vix progignere solet.

Nihilominus S. C. re mature expensa, inhærere voto visa est E. Ponentis, qui contraria sententia tenebatur : Hic enim ex auctoritate Rotæ in Romana seu Florentina Fructuum Censuum 2. Jan. 1815. in jure statuebat in dimetienda fructus censuarii æquitate rationem habendam non esse paritati rationis cum contractu Cambii, nec naturali fructui, quem solum Bevariense parit, quæ objecta diluit allata Rotæ sententia, sed potius attendendam esse consuetudinem, quam viri probi, et, ut vocant, *timorati*, sequerentur. In facto vero animadvertebat circa annum 1815. propter bellicas excursiones, pestilentias, et annonæ charitatem fructum a probis bonisque hominibus usitatum de octo scutatis ad decem protendi debuisse. Et quamvis horum contractuum æquitas non a tempore subsequenti, sed ab initio contractu despici debeat, tamen Capitulum nedum obstabat, sed et proponebat fructum de decem ad octo coerceri.

Igitur causa proposita fuit in plenario conventu diei 13 Feb. 1845. cum sequentibus dubiorum formulis :

1. « Se si debba accordare il ribasso al Piervigili, et in quale misura?

3. « Se gli competa l'indennizzo richiesto, ed in quale quantità? »

E. Patres rescripserunt. *Ad 1. Dilata, et scribatur Episcopo ad mentem :* « La mente è, che si procuri di conciliare la controversia economicamente, insinuando al Piervigili di esser contento dell'offerta di diminuzione de' frutti dal 10. all' 8. per cento; e quanto

Digitized by Google

al passato di ricevere quell'indennizzo, che Monsignor Arcivescovo giudicherà di proporre. »

Ad 2. provisum in primo: Spoletina: Super annuis fructibus Census.

(4. Ex instrumento diei 17 Augusti 1733. Societas Jesu, apostolicis facultatibus instructa, censum imposuit scutatorum 2500. super aliquibus bonis ad Congregationem Olivetanorum S. Spiritus Panormi pertinentibus, servatis conditionibus a Piana Constitutione præscriptis. Patres Olivetani depactum fructum persolverunt memoratæ Societati, donec ea stetit; ipsaque abolita, Cameræ Spoliorum usque ad annum 1782.

Ex hoc tempore fructuum solutio interrupta est: non autem ejus memoria. Nam in quibusdam publicis actis tum anni 1796, tum 1818, ac 1823, iidem Olivetani hujusce census mentionem, data occasione, facere non omiserunt.

Societas Jesu vix restituta est, hujusce crediti solutionem ab Olivetanis petere non retardavit. Sed cum conatus amicabiles in irritum cessissent, ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium suam petitionem exhibuit.

Multas Olivetani exceptiones opponebant, quas inter ea, quæ majus pondus obtineret, plurimorum annorum erat præscriptio. Hæc autem vim etiam mutuabatur ex legibus Neapolitanæ ditionis, quæ trigenerium ad reales, ac personales actiones præscribendas satis esse constituunt.

Sed præterquam quod ad ipsarum legum civilium tramitem aliquid contra præscriptionem replicari posset, obstabat in casu Cap. 20 *de Præscr.*, quod præscriptionem omnem absque bona fide condemnat ac reprobat, cum præscribentem *in nulla temporis parte conscientiam rei alienæ habere oporteat.* Id autem eo magis in casu attendendum erat, quandoquidem agebatur de partibus, quæ ambæ personis religiosis constabant.

Itaque in plenario Conventu diei 23 Sept. 1836, duo dubia Eminentissimis Patribus exhibita sunt.

1. « Se il Censo imposto nel 1733, della Congregazione Olivetana a favore della Compagnia di Gesù fu vero e legittimo, e tuttora vigente in favore della Compagnia? »

2. *Et quatenus affirmative:* « Se la Compagnia di Gesù ha diritto di esiggere i frutti arretrati e correnti? »

Emin. Patres rescripserunt ad Primum *Affirmative. Ad 2. Affirmative.* Panormitana seu Romana: Census inter Societatem Jesu et Monachos Olivetanos.

REV. FABRICÆ S. PETRI DECRETA.

(1. Commissario Grifonello faciente relationem de qualitate censuum a PP. Min. Observ. de Petritalo possessorum, et Rev. Fabr. per eum applicatorum, et instante declarari quorum sint incapaces, Sac. Congregatio declaravit eos esse incapaces infrascriptorum. Primo Censuum eis vel eorum ecclesiæ directe legatorum cum onere perpetuo Missarum. Secundo censuum hæreditarie, vel universalis substitutionis titulo relictorum. Tertio eorum quoque censuum, qui pecunia a fratribus habita, fuerint in eorum favorem creati etiam sine expressione vel obligatione satisfaciendi ex fructibus alicui oneri. Quarto etiam censuum relictorum ab iis qui altaria in eorum ecclesia construxerunt, et Fratribus dictis census reliquerunt cum onere Missas perpetuas in eisdem altaribus celebrandi. Capaces autem modo licito, et per modum eleemosynæ eosdem fratres declaravit primorum censuum, qui pro oleo lampadis in eorum ecclesia ardentis eisdem fuerint relicti, et commissarius curet in eamdem causam converti

(2. In alia Congr. particulari 23 Junii 1662. Patres Cappuccini Terræ Chiaravallis Calabriæ ulterioris, quibus Marcellus testator mandaverat ab ejus hæredibus in perpetuum tradi eleemosynam scut. 6, quotannis die 8 Oct. stante eorum incapacitate et indigentia, supplicabant ipsis concedi per modum eleemosynæ. S. C. censuit PP. Cappuccinos posse recipere a sponte dantibus, non autem petere legatum.

(3. In Congr. generali 27 Sept. 1673, fol. 449, sequens facti species proposita fuit. Cum quidam Religiosus Minoris Observantiæ assereret facultatem a Summo Pontifice obtinuisse, ut ex stipe collocata in suis Concionibus dotem nepti suæ conticeret, ut in Monasterio vitam asceticam profiteri posset, ac proinde ex hujusmodi pecuniis census quosdam coemerat. Hos autem census Commissarius Rev. Fab. applicare intenderat eidem R. F., non modo quia de apostolica concessione Religiosus ille nonnisi per attestationem cujusdam Tabellionis docuerat, sed præterea quia licet ex venia summi Pontificis concessum dici posset eleemosynas hujusmodi in eum usum erogare; tamen acquisitio censuum, qui inter bona stabilia jure recensentur, nimium repugnasse statui religiosæ paupertatis videbatur. Merito igitur S. C. rescripsit: *Applicet.*

CLAUSURA.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Clausuram PP. Conventualium Ferentini comprehendere declaratur hortum, quem vocant frigidum, intra septa Cœnobii existentem, non obstante consuetudine super illius libertate servata: Ferentina Visit. Sacr. Liminum 5 Aprilis 1794, confir. die 20 Febr. 1796.

(2. Antequam S. Congregatio aliquid decerneret quoad evacuationem cubiculorum, ut provideatur pro regulari clausura in Cœnobio S. Romani Lucanæ Civitatis, prorogavit judicium; interim vero voluit, ut Archiepiscopo juxta mentem scriberetur. In Lucana die 26 Februarii 1825, ad 1 et 2 Dub.

Digitized by Google

S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

(1. Usque à sæculo XVII, quædam piæ Mulieres profitentes tertium S. Dominici ordinem in Civitate Mutinensi sese in unum collegerant, ut juventutem instituerent. Non multis abhinc annis, favorem præbente Serenissimo Mutinæ Duce, a Sancta Sede petierunt, ut sub eadem, quam semper sectatæ fuerant, Augustini Regula ad vota solemnia admitterentur. Ad hanc itaque rem constitutiones exibuerunt, et Summus Pontifex specialem Congregationem delegavit, quæ dubio : « Se le Costituzioni, di cui si tratta, meritino di essere approvate dalla S. Sede? » Rescripsit : *Affirmative*, et ad mentem.

Quæ mens antequam exponatur, sciendum est, quodam constitutionum loco ita sancitum fuisse : « La Clausura pertanto si osserverà nei termini espressi dal Sacro Concilio di Trento, sì per le Monache, che per i Secolari; cioè non potrassi per nulla derogare a queste prescrizioni senza una assoluta licenza del Prelato, o di chi venisse dal medesimo destinato a ciò, nel qual caso esser dovrebbe il Confessore, a cui spetterà di accordare le licenze d' introdurre gli operari, ed altre persone necessarie per qualche servigio, di cui abbisogni il Monastero. » Igitur S. C. respondit « E la mente è, che si approvano le nude e sole costituzioni colle seguenti correzioni : Essa pertanto, cioè la Clausura, si osserverà nei termini del S. Concilio di Trento e delle Costituzioni Apostoliche. Le licenze d'introdurre gli operari, ed altre persone per qualche servizio, di cui realmente abbisogni il Monastero, spetterà al Vescovo. »

Deleri itidem jussum est : « l' eseguire alcune recite, e rappresentanze sceniche : »

At hujusmodi limitationes non arriserunt Sanctimonialibus, quippe quæ verebantur, ne Cives a puellis in educationem tradendis deterrerentur. Hinc suspensa Brevis exsecutione, Episcopus earum nomine expostulavit:

« 1. L'ingresso de' Genitori, o di chi ne fa le veci, in caso grave malattia di una educanda.

« 2. L'ingresso di alcuni Sacerdoti, e di altre poche persone in occasione di recite, o di altre funzioni (puta scholastica experimenta, ac præmiorum distributiones).

« 3. L' ingresso delle fanciulle nella scuola esterna per un anno, benchè abbiano cessato d' intervenire alla Scuola.

« 4. L' ingresso dei Genitori delle Fanciulle nelle scuole esterne, o di chi ne fa le veci, nelle scuole medesime almeno una volta nel corso del tempo in cui vi sono ammesse le fanciulle.

« 5. L'ingresso nel monastero di due donne di servizio addette alle scuole esterne. »

Ad hæc accedebat facultas, qua Canonico Camuri, Instituti fundatori, ad vitam liceret varias ejusdem domos visitare, ad eum nempe finem, ut in domibus tam erectis, quam erigendis illud sanctitatis studium confirmare posset, quod jam infundere potuerat.

Itaque in Congregatione generali diei 18, Decembris 1840, quæ sequuntur dubia resolvenda fuerunt Emin. PP. exhibita.

« Se, e quale dichiarazione convenga fare sulle Costituzioni delle Monache Domenicane di Modena in materia di Clausura? »

Et quatenus negative.

« Se, e come accordare agli Operai de' Monasteri delle suddette Monache, tante erette, che da erigersi di poter derogare alla stretta clausura in quei casi, che essi nella loro coscienza riconosceranno necessari, e assolutamente vantaggiosi in conformità di quanto portava l' uso pratico delle Costituzioni, di cui si richiese la Pontificia sanzione? *Et quatenus negative.*

« 3. Se, e come accordare la facoltà per i cinque casi di sopra espressi?

« 4. Se, e come annuire alle preci di Monsignor Vescovo per l' ingresso nella Clausura del Canonico Camuri Fondatore di questo Istituto. »

Ad primum dubium quod attinet; ad normam juris communis, non licet Ordinario ingressum in Clausuram papalem exteris impertiri « nisi in casibus necessariis, et servatis aliis de jure servandis, et non aliter omnino : » ut ait Benedictus XIV, in Const. *Salutare*, et dixerant alii Pontifices.

Quoad secundum : « Con difficoltà (ita in Folio typis edito in hac causa p. 8. § Se piacerà) la S. Congregazione accorda la facoltà specialmente in fatto di Clausura in perpetuo, ed in generale; ma a tempo determinato, e ad istanza particolare sia pel rispettivo Ordinario : »

Ad Tertium in quo Episcopi postulata comprehenduntur circa *primum Rodr.* in collect. privil. F. 4, art. 11, citat. quamdam resolutionem S. C. Ep. et Reg. qua declaratur consanguineis non posse Episcopum ingressum concedere in casu gravis infirmitatis, qua premitur Monialis, etiamsi adsit mortis periculum. Nihilominus nuperrime Sanctimonialibus Salesianis Patavii impertitum fuerat hoc rescriptum : « De speciali gratia arbitrio Episcopi ad triennium pro facultate permittendi, prævio consensu Monialium, ingressum dumtaxat Matribus Educandarum in casu veræ infirmitatis illarum. Episcopus autem hac facultate caute et sobrie utatur, super quo ejus conscientia onerata remaneat. »

Difficilius vero hujusmodi licentia masculis conceditur, vel ipsi parentes sint, vel tutores. Illud autem in casu considerandum erat, quod forte hujus licentiæ denegatio puellarum instituendarum numerum tenuaret; dum cæteroquin in casu mortis proximæ ex Resolutione S. C. a Tamburini de Jur. Abb. disp. 1, qu. 2, n. 1, relata, Notario, ac septem testibus pro ultimo elogio conficiendo, ingressus non est denegandus.

Secundum majorem involvit difficultatem, quandoquidem nulla adest necessitatis lex.

Tertium vero, ac quartum nihil impedi-

Digitized by Google

menti offerebat, nam agebatur de scholis externis, et æqua aderat causa.

Quintum discussione aliqua dignum erat; nam S. C. non solet Monialium famulis ingressum concedere, nisi cum obligatione clausuræ observandæ. Præterea Benedicto XIV. in Constitution. *Post binas* declarat : « admissionem, receptionemque quarumque fœminarum sive puellarum educandarum, sive famularum in monasteria quacunque ex causa, sine legitima, authenticaque ejusdem Apostolicæ Sedis licentia, toties quoties opus fuerit impetranda, fieri non debere : » Sed observabatur quod Sanctimoniales, de quibus loquimur, antea, licet votis simplicibus obstrictas, minus rigidæ clausuræ subjacuissent. Si insuper Educandatus in loco a Monasterio secreto situs esset, et via recta eodem, aliquam indulgentiam posse adhiberi :

Jamvero Eminentissimi Patres, prout sequitur rescripserunt : « Ad 1 et 2, providebitur in tertio : Ad 3, ad primum *affirmative*; ad secundum *negative*; ad tertium et quartum *affirmative*; ad quintum arbitrio Episcopi juxta constitutiones Apostolicas, nempe ut admitti possint in Monasterium ad instar famularum, cum permissione accedendi ad scholas externas, quin ulterius egredi valeant durante eorum munere, dummodo tamen sint cœlibes, et nullum detrimentum status œconomicus patiatur. Ad 5, arbitrio Ordinariorum bis, vel ter in anno. »

Et facta de præmissis relatione ad Sanctissimum D. N. Gregorium XVI, in audientia habita die 31 Dec. 1840, resolutionem S. C. approbavit, ita tamen, ut hujusmodi indultum ad quenquennium dumtaxat duraret, et Ordinarius hisce facultatibus sobrie et caute utatur, et quando agitur de ingressu in Monasterium monialium, consensus Capitulariter ac per secreta suffragia præstandus accedat

(2. Salesianæ Patavii Sanctimoniales, cum a S. Sede obtinuissent, ut solemnium votorum professionem emittere valerent, Papalis Clausuræ obligatione ad formam Constitutionum Apostolicarum obstrictæ remanserunt. Inde vero factum est ut nedum Patres, ac Tutores, sed nec et matres in Monasterium inferre pedem possent, quo suas Filias, vel Pupillas educationi traditas invisere valerent. Itaque periculum erat maximum, ne, vel patres uxoribus orbati, aut pupillare tribunal nobiles puellas iisdem sanctimonialibus summo cum earum, et publico detrimento, committerent.

Ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium confugium habuerunt, et primo obtinuerunt indultum pro solis matribus in casu gravis infirmitatis, quod superius in Mutinensi exscriptum est. Quod cum earum votis non integre responderet, ad S. C. iterum supplicem libellum exhibuerunt. Hinc post dubia quinque Causæ Mutinensis jam super exscripta, sextum quoque dubium additum est : « Se, e come annuire alle preci delle monache Salesiane di Padova per l' ingresso dei Padri, o in mancanza de' Padri, o de' Tutori per le orfane di Padre e madre nella Clausura in caso d' infermità delle respettive Educande? »

Affirmative ut in Mutinen.

Salesianarum rescriptum hoc tenore expeditum est : « Arbitrio Episcopi pro facultate permittendi prævio consensu monialium Capitulariter, et per secreta suffragia, ingressum personis, de quibus in precibus juxta petita, in casu gravis infirmitatis educandarum, ita ut recto tramite, comitantibus duabus senioribus. »

(3. Extabat in civitate Ravennatensi monialium a S. Carmelo Calceatorum cœnobium, quæ regulam amplexæ erant Ordinis B. Genitricis Dei et Virginis Mariæ data ab Alberto Patriarcha Hyerosolimitano, quam moderati sunt, et declaraverunt summi Pontifices Innocentius IV. Eugenius IV. Pius II. et Sixtus IV. Cum vero simplicia forent vota, quæ a monialibus illis emittebantur, cumque in illa Civitate nullæ aliæ sanctimoniales adessent votis solemnibus adstrictæ (si Cappucinas excipias) quæ papalem clausuram observarent, Emin. Archiepiscopus ad S. Congr. preces exhibuit, ut in memorato cœnobio votorum solemnium professio, et observantia clausuræ papalis institueretur.

Ipse testabatur quod in illo monasterio : « la vita e perfettamente comune, la regolare osservanza e in pieno vigore, la clausura rigorosamente osservata, in una parola le monache sono animate dal vero spirito religioso claustrale, e la loro condotta è del tutto edificante. »

Aliquot ante annos earum nonnullæ in optatis sese habere significaverunt, ut solemnis professio fieret triplicium votorum, itemque regula aliquanto rigidior efficeretur. Emin. Archiepiscopus in sacra visitatione hanc rem per se singulatim a sanctimonialibus cognoscere studuit, cunctoque Capitulo duodecim choristarum, ac decem Conversarum, secretis suffragiis nullam huic immutationi adversam esse deprehendit.

At vero advertendum est, sanctimoniales, quæ a voto ferendo abstinuerunt, peculiares hujus agendi rationis causas habuisse; una enim ad monasterium rigidioris observantiæ aspirabat, quod tamen nondum repererat; alia vero abstinuit *per pura delicatezza di coscienza :* prædictæ mutationi tamen sese non obstare declarabat. Conversa tandem in eo quo erat statu, sese mori velle (quippe longæva erat) protestabatur.

Hisce ad factum pertinentibus præmonitis, observandum est Carmelitanas Ravennatenses, quæ Regulam jam approbatam amplexæ fuerant, non indiguisse apostolica approbatione, quam requisivit Conc. Lateranense IV. Cap. *Te nimia*, et Conc. Lugdunense C. *Religionem*. Nequibant autem solemnia vota pronunciare ex sola Archiepiscopi approbatione : Ad hoc enim necessaria est prævia examinatio Congregationis negotiis Episcoporum et Regularium præpositæ, ut ait Innocentius X. in Const. *Instaurandæ*.

Preces autem Archiepiscopi consentaneæ videbantur Constitutioni S. Pii V. *Circa Pastoralis*, ubi statuitur, ut sanctimoniales, quæ

Digitized by Google

in communi vivunt, et solemnia vota pronuncient, et clausuræ pontificiæ subjiciantur. Hac in re juvat ipsis verbis referre, quod in folio legebatur, quippe praxim S. C. quæ modo viget, perbelle declarans: « Ma non ostante tale disposizione di S. Pio V. sono stati tolerati i monasteri di voti semplici e senza clausura, e specialmente dopo le ultime vicende la S. Sede ha approvati vari Istituti di voti semplici, anzi per alcuni luoghi, attese le particolari circostanze, ha dichiarato, che i voti delle monache non possono essere solenni, finchè la S. Sede non disporrà diversamente. »

Proposito igitur dubio in plenario auditorio diei 6. Dec. 1839. « Se si abbia a supplicare sua Santità acciocchè voglia degnarsi accordare l'opportuno permesso alle monache Carmelitane di Ravenna di emettere i voti solenni, ed autorizzare l'Emo Arcivescovo a prescrivere la clausura papale? »

Emin. Patres rescripserunt: « *Affirmative* in omnibus, ita tamen ut recipiantur vota a monialibus existentibus jam professis, quæ sponte ea emittere velint; et in futurum recipiantur solemnia ab omnibus Novitiis. Emin. vero Archiepiscopus publicare faciat hoc rescriptum in monasterio. »

(4 R. P. D. Episcopus Policastrensis fundavit, dotavitque, accedente apostolica venia, Religiosarum monasterium, a quibus vota solemnia emittebantur, et Regulæ observantur a S. Alphonso de Liguori conditæ. Sanctimoniales sunt numero viginti, et fervidæ in observantiæ regularis studio. Cœnobium mœnibus altissimis præcinctum loco amœnissimum est, neque destitutum commoditatibus, et sufficientibus redditibus, qui imo magis magisque augeri debebant ex accessione dotium, quas puellæ conferre debuissent. Monasterio hortus inhæret satis amplus ac vastus.

His positis, Episcopus, etiam nomine Religiosarum implorabat, ut firma remanente simplicium votorum professione, papalis clausura institueretur.

En autem, quæ in apposito folio legitur: « Questa Sacra Congregazione nell'adunanza generale del 22. prossimo passato Febbrajo ad una simile istanza della Superiora delle Salesiane di Reggio in Calabria rescrisse: » « Firma remanente professione votorum Simplicium, « annuendum esse pro gratia impositionis « clausuræ papalis: » « Tale risoluzione poi fu approvata dalla Santità di N. S. E di fatti egli è certo che i Vescovi possono imporre la clausura vescovile ne' monasteri, ove si emettono i voti semplici, per custodire quelle Sacre Vergini; e per impedire gl'inconvenienti che ne potrebbero nascere dal libero accesso.

« La Clausura Papale differisce dalla Vescovile in questo, che non è dispensabile dal Vescovo, e per conseguenza non è così connessa coi voti solenni, che non si possa senza i medesimi, prescrivere, essendo stato da S. Pio V. stabilito soltanto, che non vi debbono essere voti solenni senza clausura papale, ma non viceversa; d'altronde la medesima in un modo più efficace provvede alla sicurezza delle Religiose e tende ad una maggiore perfezione.

« Non può peraltro negarsi che dessa induce un vincolo assai forte, e che comunemente non è in uso nei Monasteri di voti semplici. »

Itaque in plenario auditorio dictæ diei 6. Decemb. 1839. una cum allata Ravennatensi proposita hæc consultatio cum dubio:

Se e come abbia ad annuirsi alle preci di Monsignor Vescovo di Policastro?

Emin. Patres rescribendum censuerunt:

« Affirmative, ut in Rhegiensi, accedente consensu omnium monialium vocalium per vota secreta: »

CLERICUS.

8. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. Proposito dubio S. R. C. an Clerici sæculares Alumni Collegii Civitatis Pragen. præcedere debeant Regulares ejusdem civitatis; decisum fuit: « Che detti chierici Secolari Alunni, como parte del Clero, devono in tutte le Processioni andar uniti con esso clero, e per conseguenza precedere alli Regulari. » Die 6. Augusti 1590.

(2. Cum Magister Chori Ecclesiæ Lauretanæ sit conjugatus, supplicatum est S. Rituum Congregationi, ut declaret: An liceat eidem intonare, et legere Antiphonas, Capitula, et alias similes functiones facere? Quæ Sac. Congregatio censuit: « Quod si Magister Capellæ est Clericus, et in habitu Clericali incedit, id facere non prohibetur; sin autem contra, curet Episcopus, ut abstineat. » Die 20. Februarii 1592.

(3. Num in officio Cathedrali Gadicensi, et Clericis ejusdem Choro tantum adscitis concesso, nomine, et privilegio dictorum Clericorum Cathedralis gaudere possint Clerici Curati in eadem Ecclesia curam Animarum exercentes, qui quidem eidem Choro de rigore non sunt adscripti: S. R. C. censuit rescribendum: Servetur Decretum S. R. C. die 30. Augusti 1602. nempe, Clerici, licet adscripti alicui Ecclesiæ, non tamen obligati Choro, non tenentur recitare Officia, quæ in Choro propria dicuntur: die 26. Augusti 1752. Ad 4.

(4. S. R. C. Affirmative responderi censuit ad dubium, an simplex Clericus, qui obtinuit Canonicatum in eadem Ecclesia Collegiata, cui adnexus est titulus Thesaurarii, et proinde pro tertia Dignitate in Ecclesia Collegiata S. Petri Drepani Diœcesis Mazavien. habeatur, præcedere debeat tam in Choro, quam in Processionibus aliis Canonicis Presbyteratus Ordine insignitis, et locum suæ Dignitati proprium obtinere ac servare. die. 11. Decembris 1773. ad 1.

(5. Ad dubium, utrum, non obstante sex annorum lapsu ante Seminarii Apuani suppressionem, et duorum, vel trium mensium post ejusdem instaurationem, quo Clerici Seminarii in Processionibus Crucem Capituli immediate sequebantur, Parochi uniuscujus-

Digitized by Google

que Parœciæ jus habeant exigendi, ut præfati Seminarii Clerici non amplius Capitularem, sed respectivam Parochorum Crucem sequantur; S. R. C. negative censuit rescribendum. die 8. Martii 1825. Ad 2.

(6. Porrectis per Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ Assumptionis B. M. V. Oppidi Luniani, Diœcesis Amerinæ precibus pro declaratione Dubii : An extra casum necessitatis possit permitti a Superioribus, ut Canonicus constitutus in minoribus Ordinibus cantet Epistolam in Missis solemnibus paratus absque manipulo, S. R. C. rescribendum censuit : Negative, et Episcopus curet abscindere consuetudinem tam in Cathedrali, quam in Collegiata : videlicet extra casum absolutæ et præcisæ necessitatis, non posse a Superiore permitti, ut Clericus in minoribus pro subdiacono suppleat in Missis solemnibus paratus sine manipulo, et pro hujusmodi effectu per Episcopum abscindendam esse consuetudinem tam in Cathedrali, ubi Clerico etiam extra casum necessitatis permittitur, se parare pro Subdiacono sine manipulo, quam in Collegiata, in qua induci velet, ut Canonicus Clericus ministret Subdiacono sine manipulo, existentibus aliis Canonicis Diaconis et Presbyteris, ad quos de jure spectat supplere vices Canonici Clerici in Officio Subdiaconi. die 18. Decembris 1784.

(7. Ad dubium : Utrum tolerari possit, ut in Collegiata, cum in choro adsunt Beneficiati sacerdotes, unus in minoribus constitutus impleat onus suæ hebdomadæ in decantandis tantummodo Horis canonicis, vertendo versum *Dominus vobiscum*, in *Domine, exaudi orationem meam.* S. R. C. rescripsit : *Negative :* die 17. Septembris 1785. Ad 6.

8. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Edictum Episcopi Tudertini diei 2. maii 1806. quoad interventum Clericorum ad nundinas exsequendum esse censuit Sacra Congregatio, nec moderandum, nisi de licentia Episcopi, gratis et singulis semestribus danda. In Tudertina Ædicti die 12. Septem. 1807.

(2. Posse Episcopum Clericis prohibere ne cohabitent cum fœminis quæ suspicionem non effugiunt, etsi consanguineis; exceptis tamen iis, quæ usque ad secundum gradum conjunctæ sunt juxta SS. Canonum Censuram, S. Congregatio respondit Clero Validensi, qui de hac lege ab Episcopo Nucerino lata conquerebatur. In Nucerina die 20. Decembris 1815. ad 2. Dubium.

(3. Eidemque ægre ferenti Episcopi legem in Synodo Nucerina latam, ut omnes Clerici extra Ecclesiam deferri deberent, excepto itineris casu, talares Vestes (permisso tamen hyberno tempore hyemali pallio cum manicis, et Collari nigri coloris,) responsum dedit posse Episcopum hanc legem proferre arbitrio et prudentia utentem, servata forma Sacri Concilii Tridentini, et Romani. Ibid. ad 3. Dub.

(4. Cum majora requisita, attenta dispositione tum juris tum voluntatis testatricis, concurrerent in Clerico Salvatore Pacetti, quam in Clerico Raymundo Anibaldi, illi censuit Sacra Congregatio dandam esse institutionem ad beneficium sub invocatione SS. Crucifixi in Ecclesia sita extra muros Montis Florum, ideoque non esse concedendam dispensationem super defectu ætatis, et institutionem Clerico Anibaldi. In Firmana Beneficii die 17. Februarii 1821.

(5. Quatuor patrimonia sacra ab Episcopo Montis Politiani piissima liberalitate constituta Sacra Congregatio approbavit juxta ejusdem Episcopi preces, nempe cum conditione a Clericis nominatis, qui et pauperes esse debent, specialiter excepta in actu nominationis, in eadem Diœcesi permanendi, nec non illa amittendi, si alibi domicilium statuant, postquam ab Ordinario moniti ad propriam Diœcesim non remeaverint. In Montis Politiani Patrimonii Sacri die 21. Julii 1821.

(6. Cum hisce temporibus impossibile sit invenire qui juxta voluntatem Testatoris cautionem præstet pro Clericis pauperibus in Seminario Ferrariensi alendis, ut quod iis præstatum sit, reddant, si ad sacros Ordines non ascenderent; Sacra Congregatio commutando Testatoris voluntatem, delendam esse censuit cautionem tantum, et statuit, ut arbitrio Archiepiscopi onus aliquod alumnis recedentibus a Statu Ecclesiastico in suffragium ad formam testamenti imponatur, et eidem Archiepiscopo curæ commisit, ne admittantur, nisi habentes requisita Sacri Concilii Tridentini, et cognita mutatione eorum voluntatis, e Seminario dimittat, facto verbo cum SS. In Ferrarien Commutationis voluntatis die 20 Januarii 1821.

(7. Cum bini patrimonii legatum ab Andrea Montemaggi duobus sæcularibus Clericis relictum qualitatem pii legati laicalis Cappellaniæ redoleret, necessariam non fuisse Canonicam institutionem pro conferendis patrimoniis Clerico Matteini ab legitimis patronis nominato, decreverunt EE. PP. salvis tamen juribus Episcopi ad formam Concilii Tridentini pro adimplemento pii Legati. In Ariminen. Nominationis et institutionis die 26. Novem. 1836. ad 2 dub.

S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

(1. In Sacra Congregatione Concilii diei 20. Septem. 1704. disceptata est hæc causa Trojana cum sequentibus dubiis : « 1. An simplices Sacerdotes nullum habentes beneficium in Cathedrali Trojana, nullumque ex ipsa retrahentes emolumentum teneantur assistere servitio dictæ Ecclesiæ singulis diebus de præcepto. 2. An constet de attentatis ? 3. An suspensio a divinis lata contra Sacerdotes simplices substineatur. »

Quibus Emin. PP. rescribere dignati sunt : « Ad primum et secundum affirmative. Ad tertium negative, et ad Dominum Secretarium cum Agente Episcopi juxta mentem. »

Eadem causa iterum proposita fuit in Comitiis ejusdem Sacræ Congregationis diei

Digitized by Google

23 Junii 1742. limitata vero ad Capellanos sodalitatum, ut sequitur.

« 1. An quoad presbyteros Capellanos nuncupatos Confraternitatum SS. Annunciationis et S. Leonardi sit servanda Resolutio diei 20. Sept. 1704. seu potius isti teneantur, seu possint observare servitium, et alia quoad eosdem injuncta et stabilita in statutis dictarum Confraternitatum in casu?

« 2. An iidem presbyteri seu Capellani teneantur Canonicis divine officia peragentibus inservire cum pluviali, vel in ministerio Diaconi vel Subdiaconi, vel alias, et quomodo in casu?

« 3. An et qui teneantur ad expensas hujus litis in casu?

« 4. An duobus Canonicis ad Urbem transmissis ad effectum adsistendi huic liti debeatur indultum absentiæ et lucrandi distributiones in casu

« S. C. respondit.

« Ad 1. Dilata, et proponatur Dubium super adsertis Statutis utriusque Confraternitatis, citatis interesse habentibus, non retardato interim per presbyteros Capellanos servitio Cathedralis juxta Resolutionem anni 1704.

« Ad 2. Servetur solitum.

« Ad 3. Expensas detrahendas esse ex massa Capitulari.

« Ad 4. Affirmative pro tempore a die discessus usque ad hodiernam, et ad alios quindecim tantum post præsentem Resolutionem pro redditu. »

Post hæc anno 1773. die 20. Martii ex Tribunali Innocentiano A. C. decretum editum est, quo idipsum executioni mandandum jubebatur, et probabilissime hanc ob causam, quod S. C. Concilii suam illam declarationem Judici Innocentiano pro executione transmiserat. Subsequenti tempore sine querela res processerunt usque ad annum 1836. quo lis hactenus consopita acrius exarsit.

Cum enim Episcopus tam per se, quam ex aliorum reclamationibus deprehendisset, chorale servitium in Trojana Cathedrali adamussim non peragi, et potissimum tam ferialibus quam festis diebus Missam Conventualem sine Diacono et Subdiacono ministerio decantari, acriter hac de re monuit Canonicos, certumque dierum terminum iisdem *suo decreto diei* 10. Dec. 1836. præstituit, quo documenta exhiberent, quibus demonstrarent obligationem servitii præstandi in Cathedrali ad simplices Trojæ Sacerdotes pertinere.

Tum Canonici exemplum Decreti Innocentiani protulerunt; quod cum quasi non authenticum, et aliis multis substantialibus defectibus refertum rejecisset, die 14. Aprilis 1837. decretum edidit, quo jussit. « Che dall'intimazione del presente decreto tuti i Canonici per giro siano tenuti di prestare l'assistenza di Diacono e Suddiacono nelle Messe cantate conventuali festive, e di più sempre che noi assistiamo parimenti alla Messa Conventuale due per volta, commnciandosi da'più anziani. »

Contra hujusmodi decretum Canonici appellationem ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium interjecerunt: ideoque sequens dubium, servato juris ordine, concordatum est. « An decreta Episcopi 10. Dec. 1836. et 14. Aprilis 1837, super adsistentia Ministrorum et Capellanorum in sacris peragendis sint confirmanda vel infirmanda? »

Hæc decreta infirmanda esse tuebantur Canonici tribus præsertim de causis. 1. *Dispensatione synodali*, qua Clericis et Sacerdotibus Trojanæ Civitatis imponitur obligatio præstandæ adsistentiæ in sacris Cathedralis Ecclesiæ 2. Immemorabili consuetudine, quam testabatur ipsa Synodus, et resolutio S. C. C., de qua supra. 3. Tandem ipsius hujus Resolutionis definitione, et Decreto, etc.

E contra contendebat Episcopus hujusmodi obligationem Canonicis inhærere, et contrariam consuetudinem rejiciendam esse uti abusum et corruptelam.

Quod pertinet vero ad Canonicorum objecta replicabat, non esse in facultate Synodi simplicibus Sacerdotibus hanc obligationem imponere, ut definivit S. C. C. in Americana 13. Junii 1639, lib. 18, dec. p. 137, allatam consuetudinem illud ad summum importare, ut possit quidem Episcopus, si velit, Sacerdotes ad præstandam adsistentiam adigere; non vero idipsum possint Canonici, qui proinde lege, quæ soli favet Episcopo, non possint ipsi frui; aliter enim esset contradictio inter ea quæ statuunt DD. et S. C., tertio tandem Concilii declarationem favere similiter Episcopo dumtaxat, non autem Canonicis, qui nullam illa in causa gerebant personam. Tandem licet hæc omnia aliqua fortasse ponderatione digna fuissent antequam ederentur statuta nuncupata : *Pii Stabilimenti* : quibus sodalitia SS. Annunciatæ et S. Leonardi in unum conjuncta fuerunt, et eorumdem Capellanis imperatum est, ut diebus festis, et solemnioribus officium divinum cum sacris aliis functionibus celebrare teneantur; nunc tamen nullo pretio sunt habenda, cum Capellani materiali detineantur impedimento, ne Cathedrali intersint, et cæteroquin hujusmodi statuta sanctionem Pontificiam et Regiam cumulatissime obtinuerint. Igitur proposito super exscripto dubio in partium contradictione die 25. Sept. 1840. Emin. Patres rescripserunt. « Ad S. C. Concilii jam præventum : nihil interim innovetur quoad servitium Cathedrali per presbyteros præstandum, juxta Resolutionem ejusdem Sacræ Congregationis Concilii. »

COADJUTOR.

8. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1 Li di passati fu letto nella nostra Congregazione dei Sacri Riti un Memoriale circa la precedenza del Coadjutore di un Canonico di codesta Cattedrale di Brescia con tre

Digitized by Google

altri Canonici della stessa Chiesa. Intorno a che la suddetta Congregazione giudico, che il Coadjutore dovesse avere l'ultimo luogo in Coro dopo tutti i Canonici, e così fu scritto a V. S. che facesse osservare mandandole la lettera con il Memoriale, e Decreto. Ma perchè s'intende, che non ha ancora eseguito l'ordine datole per avere detto Coadjutore dormandato ricorso quà; però, non convenendo, che intanto la Chiesa resti priva del debito servizio, e in Choro abbia a nascere altro inconveniente, se le dice di nuovo, che senza dilazione alcuna faccia eseguire quanto per l'altra le fu ordinato, e che la Congregazione sia qui pensa avere giustamente provveduto : e se poi il Coadjutore ricorrerà quà, sarà inteso benignamente, et se sarà cosa rilevante provederà conforme alla giustizia ec. Brixien. die 10. Octobr. 1592

(2. Patriarcha Aquileiensis Ecclesiæ S. C. supplicat, ut declaret quis locus dandus sit Coadjutoribus Episcoporum Suffraganeorum in Synodo Provinciali? Et S. R. C. rescribendum censuit : Coadjutores cum futura successione in Synodo provinciali sedeant juxta tempus eorum promotionum. Die 30 Septembris 1596.

(3. Cum in Ecclesia Metropolitana Bononien. prima Dignitas sit Archidiaconatus, orta est controversia. An Archidiaconi modernus Coadjutor cum futura successione sedere debeat in choro in ultimo loco post omnes Dignitates, seu in ultimo loco post omnes Canonicos; et an, absente Archidiacono, idem Coadjutor illas functiones exercere possit, quas faceret, sive exerceret ipse Archidiaconus, si præsens esset? SS. Dominus Noster Benedictus XIV, re matura discussa, et audito Rom. Domino Cardinali Tamburino C. S. R. Præfecto, R. P. Ignatio Reali primo Sacrarum Cæremoniarum Magistro, meque Secretario, et perpensis Decretis Congregationis Sac. Rit. in similibus causis emanatis, censuit et declaravit. Primo: « Prædictum Archidiaconum Coadjutorem sedere debere post omnes Dignitates, et ante omnes Canonicos tam absente, quam præsente Coadjuto. Secundo : Absente vel impedito Archidiacono, ad Coadjutorem ipsius Archidiaconi, non ad alias Dignitates inferiores, vel Canonicos ejusdem Ecclesiæ pertinere illas functiones, et actus exercere, quas faceret et exerceret ipse Archidiaconus, si præsens esset. » Et ita Sanctitas Sua in dicta Metropolitana Ecclesia Bononien. servari mandavit, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Bononien. Die 15 Martii 1757.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Dubitatum est in S. C. an et quomodo Canonicus Coadjutor alium substituere possit in chorale servitium Ecclesiæ Collegiatæ Divi Petri juxta Capituli veterem consuetudinem? respondit negative. Spoletana Servitii chori die 28 Februarii 1795, dub. 2.

(2. Quum Angelus Comolli Coadjutor Canonici J. Petri Aghina S. Mariæ ad Martyres urbis suum Coadjutum præmortuus esset, obtinuit a Pontifice Coadjutoriam Sacerdos Aloysius Jazi, cui cedere noluit Aghina distributiones quotidianas quas cessit primo Coadjutori Comollio, ut in Literis Apostolicis legitur *in favorem sui perpetui Coadjutoris cedere intendit*; propterea eamdem gratiam a suo Coadjuto petiit Jazius, et assequi non valuit, sed ut ex jure consequeretur, S. C. adiit, quæ censuit distributiones quotidianas competere Coadjutori Jazi. *Romana Distributionum quotidianarum* 23 Januar. 1796. Sed postea prævio recessu a decisis, Coadjuto competere resolvit, die 27 Aug. ejusd. anni

S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETUM.

(1. Cum N. N. Coadjutoriam perpetuam cujusdam Parochiæ a S. Sede obtinuisset, prævia adprobatione pacti antea initi, ut Coadjutus integrum parœciæ usufructum perciperet, postea novo inter utrumque contractu intercessito, quo Coadjutus in administrationem Coadjutori cederet omnia et singula bona parœciæ cum conditione, ut Coadjutor parœciæ fructus faceret suos, et coadjuto scutata decem in singulos menses, donec viveret, contribueret. Dubitatione itaque exorta, an hic contractus contrarius esset Constitution. apostolicis nempe vel Bullæ Universalis Ben. XIV, an. 1741, XIX in suo Bullar., qua prohibetur vendere beneficiorum redditus aut ad vitam aut ad longum tempus per unam vel plures solutiones; vel Const. *Intolerabilis* Pii V, perinde ac ille contractus esset renunciatio cum reservatione pensionis, adeoque confidentiali Simonia infectus; vel denique Const. *Ambitiosæ*, qua prohibetur beneficialium bonorum locatio ultra triennium; ex altera parte vero cum adnotaretur in casu particulari agi de contractu inter personas, quarum una possessiones, altera jus ad rem una Coadjuti vita suspensum obtineret; item parocho vel illiterato, vel seni (nam Coadjutus erat 80 annos natus et impotens regendæ parœciæ effectus) juxta ecclesiasticas leges coadjutorem cum congrua dandum esse, dubia concinnata sunt. « 1. Se, e come possa sostenersi la convenzione fatta in data 10 Gennaro 1840, del Parroco N. N. col. suo coadjutore? » et quatenus negative. 2. « Se, e quale provvedimenti prendere per la retta amministrazione dei beni della parrochia? » S. C. Ep. et Reg. in interamnen. super validitate Administrationis parœciæ 18 Feb. 1842, resolvit. Ad primum « affirmative et ad mentem, mens est : Episcopus cogat Coadjutorem, ut præter pensionem decem scut. addat congruam summam pro conductione domus parochialis. Ad. 2, provisum in primo. »

Digitized by Google

COEMETERIUM

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Cœmeterii ædificationem in Portu S. Georgii faciendam esse, in casu de quo agitur, sumptibus Communitatis, definitum fuit. Firmana Reædificationis Cœmeterii die 15 Januarii 1803.

(2. Declaravit S. C. non constare de bono jure favore Communitatis Oppidi Rivifrigidi sepeliendi cadavera in Ecclesia Abbatiali Sancti Georgii, cum probationes tanti non essent, ut in Ecclesia haud servitutem inducerent. In Tyburtina die 15 Julii 1820, ad 1. Dub.

(3. Constitit in responsione ad 1. Dubium, non frui Communitatem Rivifrigidi jure tumulandi in Ecclesia Abbatiali Sancti Georgii, ac proinde non substineri dixit S. C. designationem, et constructionem cœmeterii a Municipibus factam in eadem Ecclesia, contradicente E. Abbate. In Tyburtina die 15 Julii 1820, ad. 2 Dub.

(4. Ac removendas esse judicavit sepultuarias lapides cum inscriptionibus a Communitate positis in constructione Cœmeterii ibi facta, E. Abbate quoad omnia reclamante, et admonuit Municipes, ut consulerent conscientiæ suæ ob violatam Ecclesiæ illius libertatem. Ibid., ad. 3.

COGNATIO SPIRITUALIS.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Ex baptismi reiteratione nulla prorsus oritur cognatio spiritualis inter patrinum et rebaptizatam, ejusque parentes. Vent. Cog. Sp. die 8 Junii 1787, § 4.

Per catechismum ea cognatio spiritualis contrahitur, quæ matrimonium impedit. Ibid., § 7.

Quæ per catechismum spiritualis cognatio contrahitur imperfecta dicitur, ad differentiam alterius spiritualis cognationis, quæ per verum et proprium baptismum contrahitur, quæque dicitur perfecta, et non solum matrimonium impedit contrahendum, sed etiam contractum dirimit. Ibid., § 8.

COLLEGIUM, COLLEGIATA.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. Propositum fuit: an scilicet Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis teneatur assistere, et in sede sine respaldo, seu *appoggio* sedere in aliis Ecclesiis, ad quas præfectus Episcopus adire contigerit? Sac. Rituum Congregatio censuit: « Supradictum Archidiaconum compelli posse per Episcopum Tirasonen. ut pontificaliter celebranti, aut alia Pontificalia exercenti, non solum in Cathedrali, sed in præscriptis etiam Ecclesiis sibi assistat, et inserviat; eumque sic assistentem, ac ministrantem scabello, sive sella rasa, quam vocant, prout ministrum decet, contentum esse debere. Tirasonen. Die 28 Decembris 1594. »

(2. Delatis ad S. R. C. a Capitulo, Canonicis, et Portionariis Ecclesiæ Cathedralis Rapolensis nonnullis controversiis adversus Presbyteros Parochialis Ecclesiæ Arinigri ejusdem Diœcesis super asserta erectione dictæ Ecclesiæ in Collegiatam auctoritate ordinaria, cum creatione Dignitatum, et Canonicorum, nec non usu Insignium pro iisdem Dignitatibus, et Canonicis, quorum investituram permissu Episcopi, a Vicario Generali obtinuerunt; Emin. et Rev. Dominus Cardinalis Columna causæ Ponens super iisdem infrascripta dubia coram se concordata, decidenda proposuit, nempe:

1. An erectio Parochialis Ecclesiæ Arinigri in Collegiatam sustineatur in casu, etc.? Et quatenus Affirmative.

2. An pariter sustineatur erectio portionum dictæ Ecclesiæ in Archipresbyteratum, Primiceriatum, Thesaurariatum, Cantoratum, et Canonicatus respective in casu, etc.? Et quatenus Affirmative.

3. An, et quæ sacra insignia obtentoribus dictarum Dignitatum, et Canonicatuum in Ecclesiasticis functionibus sint permittenda in casu, etc.? Et quatenus Negative ad omnia.

4. An, et sub qua pœna Presbyteris participantibus dictæ Ecclesiæ Arinigri prohibendum sit tam nuncupatio ejusdem Ecclesiæ cum titulo Collegiatæ, quam usurpatio nominis dictarum Dignitatum, et Canonicatuum, nec non delatio insignium in casu, etc.? S. C. rescribendum censuit. Ad 1. *Negative*. Ad 2 et 3. *Provisum in primo*. Ad 4. *Arbitrio Ordinarii*. Et ita declaravit, et servari mandavit. Rapolen. Die 4 Julii 1767.

(3. Proposito dubio: An Collegiata Belvederii præcedere debeat Ecclesiæ Parochiali ejusdem loci; et quæ functiones spectent ad Collegiatam, quæque ad Parochum · S. C. Ad primam partem respondit: *Negative, ad* 2. « Licere Collegiatæ exercitium functionum consuetarum, dummodo non turbetur exercitium functionum propriarum Parœciæ S. Petri. Belveder. Die 20 Septembris 1806. »

(4. SSmus Dñus Noster Pius VII. Pont. Max. supplicante Serenissimo Principe Ferdinando IV, utriusque Siciliæ Rege, divisis, ac dismembratis quindecim Terris ab extensa nimis Syracusana Diœcesi; Decretalibus Literis datis idibus Septembris anni proxime elapsi Calathajeronensem Diœcesim erexit a Civitate ejusdem nominis. Binæ cum ea in Civitate adessent Collegiatæ Ecclesiæ, certatum est in antecessum, cuinam jus, et honor Cathedralitatis competeret; verum loci comoditas dissidia composuit, et S. Juliani Templum jure, et honore præfatis excelluit. Ecclesiæ vero, cui a S. Jacobo titulus, attenta

Digitized by Google

ejusdem insignitate, nomen elargitum Basilicæ minoris ordinis, et ad statum, gradum, et conditionem, hujusmodi Basilicarum evecta est. Hinc inter Capitula præfatarum Ecclesiarum dubitatum: An ex vi Decretalium literarum Apostolicarum, quibus Collegiata Ecclesia S. Jacobi Calathajeronen. ad statum, gradum, et conditionem Basilicæ Minoris evecta est, possit hæc ipsa Ecclesia Conopœum (vulgo Padiglione) et Tintinnabulum gestare, quamvis de hoc peculiari privilegio sileant Apostolicæ literæ?

Et S. R. C. supplicantibus pro hujusmodi Dubii declaratione Cathedralis Ecclesiæ Calathajeronen. Canonicis, exquisito prius voto unius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris scripto tradito, præloque evulgato, ad relationem E. et R. Dñi Cardinalis Quarantotti loco E. et R. Dñi Cardinalis Litta Ponentis, censuit rescribendum. « Ad D. Secretarium cum SSmo. Calathajeronen. Die 22 Mart. 1817. »

(5. Facta autem per me infrascriptum Sac. ejusdem Cong. Secretarium de præmissis *Sanctissimo Domino nostro* relatione: eadem Sanctitas Sua declaravit, atque decrevit «Juxta Congregationis votum, posse Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ S. Jacobi Civitatis Calathajeronen. vigore præfatarum literarum Conopæum, et Tintinnabulum gestare; verum in iis tantum solitis, et consuetis Ecclesiasticis functionibus, in quibus non concurrit cum altero Cathedralis Ecclesiæ Capitulo, idque in Ecclesiæ ambitu, vel intra limites tantum ejusdem Parœciæ, excepta dumtaxat ab hac limitatione solemni supplicatione ab eadem Collegiata fieri quotannis solita per vias Civitatis in die festo S. Jacobi ejusdem Ecclesiæ Titularis. » Atque ita decrevit, statuit, et in posterum servari mandavit. Die 25 antedicti Mensis et Anni.

(6. Cathedra, et Solium ob Episcopi adventum in Collegiata Ecclesia suæ Diœcesis erectum, illo absente, et in suam residentiam reverso, in eadem Collegiata Ecclesia retineri non licet. Bosanen. Die 26 Aprilis 1834.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. S. C. standum esse in decisis respondit, seu exsequenda esse decreta Episcopi Sutrini quoad erectionem Collegii Ecclesiastici in Civitate Roncilionen. omnibus juribus ad Sutrinum Seminarium spectantibus reservatis. In Sutrina Collegii Ecclesiastici die 21 Februarii 1824.

(2. In Oppido Jennazzani Parochialis adest Ecclesia S. Pauli, quæ Archipresbytero, et quatuor Beneficiatis est composita. Cardinalis Ruffus Episcopus Prænestinus iis, ut missam pro benefactoribus in genere applicarent, præcepit. Quæstionem hinc isti posuerunt super enarratæ Ecclesiæ Collegialitate, aientes Bullam deesse erectionis, deesse Apostolicum privilegium, et omnia signa deesse Collegialitatis, quum Capitulum numquam efformaverint, nec Capitulares actus exsequerint, neque massa ulla communis extiterit, nullæ quotidianæ distributiones, nullumque residentiæ onus adfuerint. Putabant itaque Ecclesias quasi collegiales, seu speciem quamdam collegialitatis habentes, ad missam conventualem non esse adstringendas. Et revera Sacr. Congregat. definire non dubitavit, de præfatæ Ecclesiæ collegialitate non constare; ita ut Missa conventualis pro benefactoribus in genere celebrari non debeat: Prænestrina Missæ convent. die 19 April 1779.

(3. Parochialis Ecclesia S. Michaelis Arcangeli oppidi Caprarolæ fuit ab Episcopo Niccola Perusio, Gregorii XIII. Pont. Max. habito oraculo, in Collegiatam erecta. Quum hæc suas peculiares haberet constitutiones, habeatque massam communem distributionum, et alias hujuscemodi prærogativas; An de sua Collegialitate constaret? est S. Congreg. interrogata, et de sua utique collegialitate liquere resolvit: Civitatis Castellanæ Missæ convent. die 16 Decem. 1786, dub. 1.

(4. Supplicationes Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Montis Martiani indicendæ sunt per Archypresbyterum de consensu Capituli juxta decretum Card. Episcopi anni 1781: Senogallien. die 13 Junii 1789. dub. 9.

(5. Supplicationibus, quæ fiunt per Capitulum Collegiatæ Oppidi Capranicæ feriis sextis Martii interesse debere Patres Conventuales ejusdem oppidi judicio decernit S. C. Sustrina die 6 Decem. 1794, dub. 1.

(6. Mansionariam in Ecclesia Collegiata Oppidi Paleani erigi permisit Sacra Congregatio, cujus Possessor onere adstringeretur adesse Sacrario, et minora officia Ecclesiæ præstare; statuit vero, quod gemini Beneficiati, qui ad prædicta officia tenebantur, annuam Mansionario præstarent pensionem. In Prænestina Mansionariæ die 20 Februarii 1802.

(7. Præbendarum augmentum a Canonicis Collegiatæ S. Cristinæ Civitatis Eugubi petitum ex hæreditate Triangoli, rejecit Sacra Congregatio, et Episcopo injunxit, ut incumberet pro applicatione Missæ Conventualis, sin minus referret de legitima causa. In Eugubina Præbendarum die 10 Septem. 1803.

(8. Unionem duorum Clericatuum in Collegiata S. Andreæ Apostoli Paleani existentium faciendam esse decrevit S. C. favore unius ex duobus Capellanis per modum provisionis cum obligatione retinendi Clericum, et quatenus hanc unionem recusarent Capellani, tum favorem unius Clerici faciendam esse statuit. In Prænestina die 28 Februarii 1807.

(9. Locum esse unioni Collegiatarum Sancti Laurentii, et S. Nicolai definivit S. Congregatio. In Nullius S. Edisti 11 Aprilis 1807.

(10. Declarandos esse voluit Sac. Congregatio ab Episcopo Brictinoriensi, servatis servandis, Irregulares, exceptis tamen Archipresbytero, et canonicis Personali et Golfarelli, reliquos canonicos aliosque præsbyteros Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ in Burgo Civitellæ, qui publice celebrarunt post incursam suspensionem ab eodem Episcopo in executione resolutionum Sac. Congrega-

Digitized by Google

tionis die 16 Martii 1816 et 12 Julii 1817, latam nisi Missam per turnum celebrarent ad auroram et meridiem, eosdemque relegandos esse decrevit in Conventu Regularium strictioris observantiæ ad dispositionem Sac. Congregationis. In Brictinorien. Collegiatæ 16 Januarii 1817, ad 1. Dub.

(11. In excitata controversia inter Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi Palcani, et administratores Patrimonii Columnæ, ad quem nimirum de jure pertineret onus reparandi eam Ecclesiam Collegiatam, cum a Capitulo in sui defensionem post exaratum folium D. Secretarii, ac tantum paucos dies ante resolutionem exhibita fuerint jura, Sac. Congregatio, ut maturius procederet, definitionem distulit quoad jus, et titulum utriusque partis; sed quia Ecclesia sollicita indigebat reparatione, et ex Capituli allegatione constabat ex tercentorum annorum consuetudine Ecclesiam reparatam fuisse a familia Columna, etiam post protestationes ab hac emissas, voluit ut interim non retardaretur reparatio sumptibus hujus Patrimonii. In Prænestina Restaurationis Ecclesiæ Collegiatæ 18 Septembris 1817

(12. Audiendam esse Rev. Cameram Apostolicam patronam censuit Sac. Congregatio antequam Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ oppidi Vallerani petitam concederet reductionem vel canonicatuum, et beneficialium præbendarum, vel servitii choralis ob præbendarum tenuitatem et inservientium paucitatem. In Civitatis Castellanæ Reductionis, et dispensationis 18 Decembris 1818, ad 1. et 3. Dub.

(13. Necnon antequam ad geminam in hebdomada reduceret binam Missam quotidianam pro fundatoribus Rossetti, et Agostini a singulis illius Collegiatæ Ecclesiæ canonicis, et beneficiatis per turnum celebrandam. Ibid. ad 4. Dub.

(14. Cum redditus Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Martini ob passam imminutionem tenues adhuc sint, Sacra Congregatio indultum reductionis quoad Chori servitium 16 Decembris 1820 concessum prorogavit, donec augeantu redditus; aut servitium Chorale ad Octavas privilegiatas ampliavit. In Nullius Sancti Martini Reductionis Servitii Chori 22 Februarii 1820.

(15. Dispensationem erigendi Montem Pietatis pro manutentione Fabricarum, quæ pertinent ad præbendas Collegiatæ Vallerani a fundatoribus, præscriptum ad decennium tantum concessit S. Congregatio ejusdem Ecclesiæ Capitulo, quod tamen ab eo onere non absolvit, ex eo quod ad illorum manutentionem non teneatur R. C. A. audita juxta resolutionem diei 18 Decembris elapsi anni, quæ jurepatronatus dumtaxat Ecclesiæ, necnon præpositurae, et Archipresbyteratus gaudet, non vero cæterarum præbendarum. In Civitatis Castellanæ Reductionis, et Dispensationis 15 Julii 1820, ad 5. Dub.

(16. Onus instituendi plebem salutaribus verbis singulis diebus Dominicis aliisque festis spectare declaravit Sacra Congregatio ad Vicarium Curatum, non vero ad quatuor Canonicos primæ erectionis in Collegiata Ecclesia Oppidi Sanctanatoliæ habitualem curam habentes. In Camerinen. Missæ pro Populo, et Legatorum 16 Decembris 1820, ad 3. Dubium.

(17. Cum bona Collegiatæ Oppidi Corelliani vel male gestæ administrationis, vel æris alieni causa valde imminuta, et dispersa essent, ita ut pares non forent oneribus sustinendis, servandam esse ejusdem Collegiatæ suspensionem jam ab Episcopo, uti Visitatore Apostolico, factam, juxta votum E. Rivarola Relatoris Sacra Congregatio censuit. In Civitatis Castellanæ 24 Nov. 1821, ad 1. Dub.

(18. Archipresbytero in eadem Ecclesia curam Animarum exercenti præfinivit S. Congregatio congruam scut. 100, ab administratore ejusdem Collegiatæ solvendorum præter incerta stolæ, injuncto onere applicationis Missæ pro populo, et aliarum 26 Missarum pro Benefactoribus in genere juxta votum ejusdem E. Relatoris. Ibid. ad 2 Dub.

(19. Capellanum adjutorem Archipresbyteri eligendum esse voluit Sac. Congregatio, prævio examine, et Episcopi approbatione, sub conditione amovibilitatis, et juxta votum laudati E. Relatoris, arbitrio Episcopi relinquens salarii assignationem ex bonis et redditibus in administratione positis, necnon obligationem nonnullarum Missarum pro benefactoribus in genere singulis Mensibus celebrand. facto verbo cum SS. quoad omnia. Ibid. ad 3. Dub.

(20. Ad D. Secretarium cum SS. juxta mentem rescripsit Sacra Congregatio quoad augmentum congruæ Æmidio Pauri Plebano Castri Ferretti Anconitanæ Diœcesis apoplexia correpto. In Anconitanæ congrua 9 Jul. 1822.

(21. Ob exiguitatem redditnum præbendarum Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi Vallerani, licet primo dubio reductionem earundem denegaverit ob nimium Divini cultus detrimentum, attamen concessit ad decennium suspensionem collationis vacantium duorum Canonicatuum, et trium Præbendarum Canonicalium, ad effectum conficiendi multiplicem ex superexistantibus redditibus, satisfactis missarum oneribus, deputato per Episcopum Ecclesiastico Administratore, non retardata interim vacantis præpositurae provisione, atque id notificari voluit ministris Datariæ Apostolicæ. In Civitatis Castellanæ reductionis et dispensationis die 15. Jul. 1823, ad 2. Dub.

(22. Attenta diminutione redditnum promanantium ex LL. MM. censuit S. C. Capitulo Collegiatæ Nullius S. Martini suspensionem nominationis duorum Canonicaluum concessam die 17. Septembris anni 1808. ad aliud triennium a die expirati indulti esse prorogandam; audiendum esse voluit E. Protectorem, qui transmisso statu activo, et passivo Capituli, dignaretur referre de antiquo et præsenti numero Canonicorum, de redditibus, quos ex fundatione percipiebant, et modo percipiunt, nec non de quali-

Digitized by Google

tate servitii præstiti post partialem LL. MM, restitutionem. In Nullius S. Martini die 16 Decembris 1823. ad 1. Dub.

(23. Hoc autem beneficio concesso, denegavit petitam ab eodem Capitulo suspensionem missarum sex lectarum, ab unoquoque Canonico quovis mense celebrandarum. Ibidem ad 3. Dub.

(24. Ut reparationi Collegiatæ Ecclesiæ Belviderii Senogallien. Diœcesis, in solo Lateranensi sitæ, provideatur, S. C. juxta votum E. Archipresbyteri Sacrosanctæ Lateranensis Basilicæ, suspensionem concessit per septem annos quoad præbendas Ubertini et Grassi, et per quatuordecim quoad alias præbendas vacantes, et Mansionariæ Capellaniam, quod notificari voluit Ministris Datariæ Apostolicæ; nec non servitium Chori reduxit ad septennium, exceptis omnibus festis, etiam reductis tempore Adventus, et Quadragesimæ, Octavis privilegiatis, et festo S. Titularis, cum obligatione celebrandi omnibus diebus, etiam reductis, Missam lectam pro Benefactoribus, et ad D. Secretarium cum SS. quoad omnia. In Senogallien. Fabricæ Ecclesiæ die 20 Martii 1824, ad 1. et 2. Dub.

(25. Universitati Petræ Rubræ administratrici bonorum Ecclesiæ S. Lazari sitæ in solo Lateranensi, et in Feretrana Diœcesi, quia ejus redditus adeo tenues sunt, ut satis non sint tributorum solutioni, et Ecclesiæ manutentioni, Missarum reductionem, celebrata unica missa, ad quinquennium, ei tamdiu, facto verbo cum SS., concessit S. Congregat. In Feretrana die 14. Augusti 1824.

(26. Ad sequentem Congregationem prorogatum fuit judicium de matricitate, et majoritate Collegiatarum Hispelli Fulginaten. Diœcesis, necnon de jure privativo Fontis Baptismalis, et de observantia rescripti S. C. In Fulginaten. Fontis Baptismatis die 16. Aprilis 1825. ad 1. 2, et 3. Dub.

(27. In Ecclesiam S. Blasii Montis Milonis Maceraten. Diœceseos Collegiatam in pristinum restitutam esse dixit S. C. quamvis Communis deficiat Massa, cum hæc deficientia Canonicis tribuenda esse videatur, et interim nonnullis ex Canonicis statuta pensio a R. C. A. solvatur. Restituta Collegiata, Canonicos teneri ad integrum Chorale servitium, ad formam Bullæ erectionis, dixit eadem S. C. quæ provideri voluit quotidianis distributionibus ex quarta parte fructuum et quorumcumque proventuum ad formam dictæ Bullæ. In Maceraten. die 29 Januarii 1825. ad 1. 2, et 3. Dub.

(28. Collegiata S. Nicolai, quam Xistus IV. S. M. ab Ordinario exemerat, atque Sedi Apostolicæ immediate subjecerat, amplissimam S. Thomæ Parochiam complectitur. Hanc Episcopo visitare decernenti obstitit Ecclesiæ Præpositus, nullaque pompa adventantem Episcopum excepit. Multiplicem hinc de exemptione, et privilegiis exortam litem diremit S. C. definiens, constare quidem de exemptione, servatis tamen moderationibus a S. Tridentina decretis. In Regien. Exemptionis 30 Jan. 1836. ad 1. Dub.

(29. Statuit hinc S. C. posse Episcopum visitare Collegiatam exemptam jure Delegato; Parœciam vero juxta decreta Concilii Tridentini sess. 7. et sess. 21. cap. 8, de Reform. In eadem ad 2 et 3. Dub.

(30. Episcopo prædictam Collegiatam exemptam visitandi præstanda esse obsequia juxta præscriptum Cæremonialis Romani pro Episcopis visitantibus respondit S. C. In eadem ad 4. dub.

(31. Competere Præposito Collegiatæ exemptæ S. Nicolai jus Superioritatis in Ecclesiæ Clericos et bona, quoad ea tantum quæ servitium Ecclesiæ et bonorum administrationem respiciunt, edixerunt EE. PP. In eadem ad 5. dub.

(32. Nullimode vero posse Præpositum ipsius Collegiatæ exemptæ dimissorias concedere Clericis Ecclesiæ inservientibus responderunt EE. PP. In eadem ad 6. dub.

(33. Literas Apostolicas datas Præposito, et exemptæ Collegiatæ prædictæ promulgari et exsecutioni committi posse sine venia Episcopi, dummodo de istius scientia, declararunt EE. PP. In eadem ad 7. dub.

(34. Nominationem Presbyteri ad Parœciam S. Thomæ ad Præpositum Collegiatæ S. Nicolai exemptæ tantum spectare, examen vero et adprobationem ad Episcopum pertinere declaravit S. C. In eadem ad 8. dub.

REV. FABRICÆ S. PETRI DECRETA.

(1. Postquam Parochialis Ecclesia S. Petri Montis Martiani in Collegiatam fuerat erecta, plurimæ inter Archipresbyterum, et Canonicos controversiæ emerserunt. Quæsitum inter cætera fuit an, et cui competat jus celebrandi in eadem Ecclesia sacras omnes functiones, choralibus et parochialibus exceptis: S. Congreg. respondit, servandum esse decretum tertium Card. Episcopi anni 1781. Senogallien. die 13 Junii 1789. dub. 6.

(2. Communicationem domus Archipresbyteralis Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Montis Martiani in choro, ubi in hyeme Sacra faciunt Canonici, claudi debere juxta decretum Episcopi anni 1781. reservata Archipresbytero altera, quam habet, communicatione cum Ecclesia in latere opposito, S. C. visum est. Senogallien. die 13. Junii 1789. dub. 2.

COMMEMORATIO.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. In Archiepiscopo Bahien. liceat declarare per literas Pastorales SS. Salvatorem non esse Patronum, sed semper fuisse, et esse Titularem Civitatis Bahiensis, ejusque Cathedralis, adeoque imposterum pro Titulari habendum, et colendum sub eodem ritu, quem nunc habet, et semper habuit, quando Patronus existimabatur.

2. An eidem liceat declarare per literas Pastorales S. Franciscum Xaverium esse Patronum Principalem Civitatis Bahiensis rite constitutum, adeoque imposterum pro Pa-

Digitized by Google

trono Principali habendum, et colendum sub ritu, qui Patronis Principalibus civitatum conceditur; ita ut infra annum in Officio Divino, quando dicuntur suffragia Sanctorum, de eo ut Patrono Principali fieri debeat commemoratio loco competenti, et præterea in Missa, quando dicitur Oratio *A cunctis*, sub litera N. ejus nomen exprimi debeat?

S. C. rescribendum censuit. Ad 1. « Licere, prout in Dubio. Ad 2. Pariter licere, prout in Dubio : Dum modo non omittatur in Metropolitana commemoratio SS. Salvatoris tamquam Titularis ejusdem. » Et ita declaravit, ac servari mandavit. Bahien. Die 16. Februarii 1754.

(2. Cum in Ordine Carmelitano discalceato post festum omnium Sanctorum die 15 Novembris, recurrente festo sub ritu duplici S. Geltrudis, habeatur commemoratio defunctorum Ordinis prædicti sub ritu duplici, dicendo missas pro defunctis Fratribus et Sororibus ejusdem ordinis; quæritur an sufficiat, quod recitetur unum Nocturnum cum Laudibus Officii Defunctorum sub ritu duplici seu potius recitari debeat totum Officium Defunctorum sub eodem ritu, recitatis pridie Vesperis cum psalmo *Lauda, anima mea*, etc? S. C. rescribendum censuit. Ad 12. « Dentur Decreta in una Einsidlen. 23. Jun. 1736. et in una Ordinis Eremitarum Camaldulensium.» Et ita declaravit. « Ordinis Carmelit. Excalc. Prov. Poloniæ Die 27. Martii 1773. »

(3. 1. An in casu, quo in Dominica Paschæ, et Pentecostes occurrant Officia semiduplicia, et duplicia minora, pro quorum translatione locus non supersit in toto anni Ecclesiastici decursu, de ipsis fieri debeat commemoratio in eadem Dominica Paschæ, et Pentecostes in Vesperis, et Laudibus, et Missis : an vero debeant prorsus omitti? in casu etc.

2. An de iisdem semiduplicibus, et duplicibus possit fieri commemoratio in feria 2 et 3 Paschæ et Pentecostes in utrisque Vesperis, Laudibus, et Missa?

3. An in quibuscumque aliis duplicibus sive secundæ, sive primæ classis, comprehensis etiam festis Ascensionis et Corporis Christi fieri possit commemoratio de laudatis duplicibus, et semiduplicibus in utrisque Vesperis, Laudibus, et Missis æque ac fit de die Octavæ, si alicubi occurrat?

4. An de eisdem semiduplicibus, et duplicibus fieri debeat commemoratio in Vesperis feriæ 3 Paschatis, et Pentecostes, necnon in secundis cujuscumque alterius festi primæ classis in casu, quod de ipsis facienda sit die sequenti?

5. An de laudatis semiduplicibus, et duplicibus legenda sit nona lectio ad Matutinum, composita ex omnibus eorum lectionibus propriis secundi nocturni ad modum unius in omnibus duplicibus primæ classis, exceptis illis trium lectionum, Festo, et Octava Corporis Christi, et quoties legenda occurrat nona lectio de homilia super Evangelium?

6. An in Missis Dominicæ Palmarum, et Vigiliæ Pentecostes, in quibus excluditur commemoratio festi simplicis, licet facta fuerit in Officio, facienda sit commemoratio de prædictis duplicibus, et semiduplicibus in Missis?

9. An commemoratio festi duplicis occurrentis in Dominica per annum, in qua recitatur officium alicujus festi mobilis majoris ritus, vel dignitatis, præferenda sit commemorationi ejusdem Dominicæ, lecta tamen nona lectione de homilia ejusdem?

11. An occurrente festo Confessoris non Pontificis infra octavam alterius festi pariter Confessoris non Pontificis, pro commemoratione octavæ in Laudibus desumenda sit Antiphona ex secundis, an vero ex primis Vesperis?

13. An in die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, in qua omnes Missæ, excepta conventuali post Tertiam, celebrandæ sint pro defunctis, reponi debeat festum dupl. maj. translatum, S. Joachim v. g. SS. Nominis, aut Rosarii B. M. V. vel Angelorum Custodum? an ulterius translatis Officiis istis recitari debeat Officium de die infra Octavam omnium Sanctorum, an vero in hoc peculiari casu reponi prius possit Officium aliud dupl. min. pariter translatum, quod pro tali die non excludit Missas Defunctorum. S. C. rescribendum censuit Ad 1. et 2. « Dilata, et videantur particulariter. » Ad 3. « Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam, excepta Missa Solemni.» Ad 4. « Ut ad proximum. » Ad 5. « Affirmative, exceptis illis trium lectionum, festo, et octava Corporis Christi, et quoties legitur nona lectio de homilia super Evangelium. » Ad 6. « Negative, et serventur Rubricæ. » Ad 9. « Affirmative. » Ad 11. « Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam. » Ad 13. « Dentur decreta Sac. Congregationis. » Et ita declaravit, et servari mandavit. « Urbis, Seu Ord. Minor. Observant. S. Francisci. Die 28 Martii 1775. »

(4. 1. Sancti, qui in fine anni supersunt, vel sunt ritus duplicis, vel semiduplicis, diebus eorum propriis considerandi sunt tamquam simplices ex decreto 26. Novembris 1735. (3889, ad 5.) In Rituali autem P. Cavalieri Tom. 1, cap. 6, decret. 5 (*in ordine* 73) legitur, hujusmodi officia tractari debere ad normam Rubricarum de festis simplicibus, addita tamen commemoratione in secundis Vesperis. Sed cum per decretum 23 Januarii 1745. (In Lunen Sarzanen. 4017.) facienda sit commemoratio S. Silvestri in die Dedicationis propriæ Ecclesiæ, dubitatur nunc : An si officia hujusmodi Sanctorum vel sint ex se ritus dup. vel semiduplicis, inciderint in festis solemnioribus primæ classis, fieri de illis debeat commemoratio maxime in Dominica Paschæ, et Pentecostes, et duobus sequentibus diebus (ubi etiam cessant octavæ) ac in festo Corporis Christi, et Ascensionis?

2. Ambigitur, an talium Sanctorum (vel sint ex se ritus duplicis, vel semiduplicis) commemoratio recitanda sit in primis Vesperis, primæ, vel secundæ classis?

3. Quæritur : utrum hujusmodi Sanctorum commemoratio præponenda, vel postpo-

Digitized by Google

nenda sit commemorationi Dominicæ, vel Octavæ, seu infra octavæ, si cum illis concurrat?

6. Quando recitatur de S. Confessore, et in Laudibus fieri debet commemoratio de infra octavam alterius Confessoris propriam non habentis; quæritur, unde desumenda est Antiphona, ex primis Vesperis, an potius ex secundis, cum infra octavam primas non habeat Vesperas?

8. An commemoratio SS. Sacramenti ob ejus expositionem in duplici primæ et secundæ classis debeat uniri cum oratione Missæ sub unica conclusione, quando insimul concurrunt aliæ commemorationes de præcepto, aut de feria majori? S. C. rescribendum censuit. *Ad* 1. 2. et 3. « Commemoratio Sanctorum novem Lectionum, qui in fine anni supersunt, nec sunt transferendi ad annum sequentem, ut alias decretum; aut sint ritus semiduplicis, aut duplicis etiam majoris, diebus eorum propriis (etiamsi occurrant in festis primæ, et secundæ classis) facienda est ad instar diei Octavæ, et Dominicæ tam in occurrentia, quam in concurrentia, habita ratione ad ritum, quo descripti sunt in propriis Calendariis; exceptis tantum ultimo triduo majoris hebdomadæ, festis Paschæ et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, in quibus nulla SS. commemoratio omnino tolerari debet. Quoad ordinem vero, si die eorum propria aliæ commemorationes occurrant, servetur, ut prius fiat commemoratio, de quo, secluso impedimento, die illa celebraretur Officium, aut Vesperæ integræ, aut Capitulum, aut dimidiæ. *Ad* 6. Negative quoad primam partem, et Affirmative quoad secundam, scilicet pro Laudibus sumendam esse Antiphonam de secundis Vesperis, et pro secundis Vesperis de Laudibus : in utroque tamen casu cum ỹ de primis Vesperis. *Ad* 8. Uniendam esse in fine aliarum Commemorationum de præcepto. Ord. Min. S. Francisci De Obser. Provinciæ Conceptionis B. M. V. In Regno Portugalliæ, die 18 Decembris 1779. »

(5. 21. B. Virgo Maria est Patrona principalis totius Ordinis Carmelitarum. Quæritur ergo : Utrum Patres Carmelitæ discalceati, quando recitatur officium de feria simul cum officio parvo B. M. V. possint, et debeant inter Suffragia Sanctorum facere commemorationem de eadem non solum in Conventibus, quorum Ecclesiæ sint eidem Virgini dicatæ quocumque titulo, sed etiam in omnibus Conventibus Ordinis ratione prædicti specialissimi Patronatus?

22. Utrum inter Suffragia Sanctorum fieri debeat a Regularibus commemoratio Titularis suæ Ecclesiæ, non obstante, quod etiam fiat de Patrono principali Religionis?

23. Utrum in Hispania teneantur Regulares facere commemorationem S. Jacobi Apostoli Patroni principalioris Regni, quando in Officio divino dicuntur Suffragia Sanctorum, et apud Regulares fit commemoratio Patroni principalis Religionis? S. C. rescribendum censuit. Ad 21. *Affirmative in omnibus.* Ad 22 et 23. *Affirmative* Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Hispaniæ. Die 16 Februarii 1781.

COMMUNIO.

8. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. Indulti sumendi SS. Eucharistiæ Sacramentum in nocte Nativitatis Domini pro Monialibus Monasterii S. Mariæ Egyptiacæ nuncupat. *di Pizzofalcone* Ordinis S. Augustini Civitatis Neapolis : « Servetur Decretum. die 9 Decembris 1760. »

Cum S. R. C. supplicata fuisset, ut declarare dignaretur : (2. An Dignitates, Canonici, Portionarii, cæterique Beneficiati Ecclesiæ Cathedralis Conchensis teneantur Sacram Eucharistiam accipere de manu Celebrantis in Missa conventuali feria V. in Cœna Domini, sicuti faciunt cæteri de Clero, in suis Parochiis quin in posterum liceat privata Missæ sacrificia celebrare. Et eadem S. R. C. rescribendum censuit : « Servetur Decretum jam emanatum in una Civitaten. die 27 Sep. 1608, die 22 Dec. 1770. » Præfatum autem Decretum supra laudatum est, ut sequitur : An omnes Dignitates, Canonici, Portionarii, et alii Sacerdotes Ecclesiæ Cathedralis Feria V. in Cœna Domini debeant non celebrare, sed sacram Communionem sumere de manu Episcopi, vel alterius Celebrantis, prout ordinatur in libro cæremonialis episcoporum, et prout in dicta Ecclesia servabatur; licet postea per consuetudinem, seu potius desuetudinem, consueverint singuli Presbyteri, Dignitates, Canonici, et Mansionarii, per se ipsos dicta die Missas celebrare : S. R. C. respondit : « Servandam esse regulam præscriptam in Libro Cæremoniali, ut scilicet feria V. in Cœna Domini in memoriam, quod D. N. J. C. manu sua propria omnes Apostolos communicavit, omnes Presbyteri tam Dignitates, quam Canonici, et Mansionarii communionem sumant de manu Episcopi, vel alterius Celebrantis, et prout etiam antiquitus in dicta Ecclesia Civitaten. servabatur. Conchen. die 27 Septembris 1608. »

(3. Proposito dubio an Canonicus Sacerdos in Feria V. Cœnæ Domini Communione grali super almutiam stolam a collo pendentem habere debeat, vel solum super cottam. Et S. R. C. censuit respondendum : Servandam esse locorum consuetudinem die 10 Septembris 1796, ad 5.

(4. Cum Sacerdos Joannes Baptista Berni recenter Archipresbyteratu Ecclesiæ Parochialis titulo SS. Cosmæ et Damiani, loci vulgo nuncupati Canoscio, Diœcesis Tiphernen, potitus, antiquam consuetudinem in eadem Ecclesia invenerit Sacrosanctam Eucharistiam impertiendi Fidelibus in Sabbato Sancto pro satisfactione etiam Paschalis præcepti, et anceps hæserit : Num eadem consuetudo servanda foret, sive utpote abusiva removenda? Ut omnem anxietatem deponeret, supplex fuit apud S. R. C. pro declaratione

Digitized by Google

sequentis Dubii, videlicet : An liceat in Sabbato Sancto inter Missarum solemnia Sacram Eucharistiam Fidelibus distribuere, et num per eamdem sumptionem sacræ Communionis præceptum Paschale adimpleatur

(5. Et S. eadem Congregatio, audito prius uno ex Apostolicarum cæremoniarum Magistris, qui scripto suam sententiam protulit, referente E., et R. D. Card. Crivelli Ponente, respondit : *Affirmative in utroque.* Tiphernen. die 22 Mart. 1806.

Proposito dubio : An die magni concursus ad Indulgentiam plenariam vel ad Jubilæum possit ministrari Sacra Eucharistia fidelibus aliqua hora ante auroram, et post meridiem. S. C. respondit : (6 In casu de quo agitur, Affirmative a tempore ad tempus, quo in illa Ecclesia Missæ celebrantur, vel ad formam Rubricæ, vel ad formam Indulti eidem Ecclesiæ concessio. Juden. ad 37. die 7 septembris 1816.

(7. In Communione Ordinandorum si communicantur etiam Ordinati in Minoribus Episcopus uti debet forma : « Corpus D. N. Jesu Christi custodiat Te in vitam æternam : » non vero : « Animam tuam. » S. C. Marsorum ad dub. 15. die 12 Novembris 1831.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. A Parœcia S. Laurentii Urbis S. Severini ad ædes Congregationis S. Philippi Neri e fronte positas ejusdem Ecclesiæ SS. Communionem deferri prohibuit S. C. per aditum subterraneum (quamquam lucidum et decentem) donec Inquilini, qui eas conduxerant, discederent, ac rediret Comunitas Religiosa; mandavitque Episcopo Clausuram januæ ad hujusmodi aditum ducentis. In S. Severini die 8 Februarii 1814, ad 2. dub.

CONCEPTIO B. M. V.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. Cum a Clero Ecclesiæ Cathedralis Funchalen. recitari consueverit in omnibus etiam Sabbatis Adventus, Quadragesimæ, quatuor Temporum, et Vigiliarum Officium Conceptionis B. M. V., quod ex indultis Summorum Pontificum *Julii II*, *Urbani VIII*, eidem Clero concessum fuerat ritu semiduplici pro omnibus anni Sabbatis non impeditis Officio novem lectionum, exceptis Vigiliis Nativitatis Domini, Pentecostes, et aliis similibus; R. Episcopus a S. R. C. declarari cupiens: An prædicta consuetudo sit continuanda in casu etc.; vel servanda sint Decreta ejusdem Sac. Congregationis edita *annis* 1651, *et* 1706, prohibentia similium Officiorum recitationem in Adventu, Quadragesima, quatuor Temporibus, et Vigiliis etc? (vide supra Num. 1480, 3592.).

Et S. C., ad relationem mei infrascripti Secretarii, declaravit : « Servanda. Funchalen. die 13 Septembris 1760. »

(2. 1. An liceat celebrare Festum solemne cum præcedentibus novemdialibus supplicationibus Immaculatæ Conceptionis B. M. V. in Ecclesia Collegiata Terræ Tophiæ die 8 Decembris, quibus celebrantur in Ecclesia S. Alexandri Patrum Minorum Conventualium ejusdem loci? S. C. Ad « 1. Quoad festum solemne, Negative quoad Ecclesiam Collegiatam; quoad preces novemdiales juxta mentem, nempe, pro concordia arbitrio E. Ponentis, qui eodem arbitrio utendo declaravit : Preces novemdiales præmittendas Festivitati Conceptionis B. M. V. Immaculatæ peragi licere in Ecclesia Collegiata per Archipresbyterum, et Canonicos de mane, sive horis matutinis; in Ecclesia vero S. Alexandri esse celebrandas per *Patres* Minores Conventuales de sero, sive horis vespertinis. » Nullius Farfen. die 6 Augusti 1763.

(3. 15. An Missa votiva de Conceptione B. M. V., quæ ex indulto S. R. C. in singulis Sabbatis per annum, exceptis privilegiatis, et impeditis Festo dupl. primæ et secundæ classis, cantari potest in omnibus Ecclesiis nostri Ordinis Seraphici, cantari possit cum *Credo*, et unica Oratione; an vero sine *Credo*, et cum secunda Oratione de Officio occurrenti, et tertia de Spiritu Sancto, nisi occurrat simplex, aut alia commemoratio; vel cum secunda Oratione de Spiritu Sancto, et tertia Ecclesiæ, vel pro Papa, ubi de Officio occurrente cantata, vel saltem lecta fuerit Missa conventualis? S. C. respondit : « *Negative* quoad primam partem, *Affirmative* quoad secundam, et serventur Rubricæ. Urbis, seu Ordinis Minorum observantiæ S. Francisci die 15 Junii 1776. »

CONCILIUM.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

1. Episcopus non solum in Civitate sed in quolibet Diœcesis loco Synodum convocare potest : Viter. seu Tuscan. 14 Septembris 1782, § 2.

(2. Sed si nullum obstet impedimentum, expedit ut illa semper in Ecclesia Cathedrali celebretur : *Ibidem.*

(3. Quando duæ Cathedrales Ecclesiæ ab uno eodemque Episcopo moderantur, potest Episcopus inspecta juris severitate in Ecclesia quam maluerit, Synodum celebrare, cui Ecclesiastici omnes utriusque Diœcesis interesse tenentur, editasque constitutiones inviolabiliter servare. Ibid. § 3.

(4. Et ad evitandas inter utramque Ecclesiam simultates, et concordiam fovendam maxime expedire, ut Synodus modo in una, modo in alia habeatur. Ibid. § 4.

(5. Si consuetudine invectum fuerit, ut Synodus alternis vicibus habeatur in utraque Civitate, tunc non ex decentia, sed ex justitia hujusmodi alternatio servanda est : Ibid.

(6. Quum a Sacro Senatu Consilium a sua

Digitized by Google

doctrina postulatum fuisset, utrum synodus alternatim ab Episcopo convocanda sit in Cathedrali Viterbiensi, et in altera Tuscanensi, vel potius separatim in et pro unaquaque ex dictis respectivis Ecclesiis? responsum prodiit arbitrio et prudentiæ Episcopi quoad utramque partem, prout magis in Domino, et utriusque Ecclesiæ utilitatem expedire judicaverit: Viterbien. seu Tuscan. 11 Januarii 1783, dub. 1.

CONCURSUS.

8. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. In lucem prolato ad Canonicatum Pœnitentiarum Ecclesiæ Cathedralis concursu, examen factum est, et unus Sacerdos Paschalis Goberti Episcopalis Seminarii Rector adprobatus fuit. Ægre id tulit Sacerdos Bonfilius Gervasi, et una cum reprobato Sacerdote Jo. Theodori nullum proclamavit concursum, injustam Goberti electionem, et novum efflagitavit examen. Sed de validitate concursus constare S. C. definivit. Ripana 19 Januarii 1788. At urgente Gervasio neglectam fuisse Benedicti XIII. Const. *Pastoralis Officii* Vide Not. 619, quia Examinatores extra Synodum tres erant deputati absque facultate S. C. et omissum juramentum in Encyclica S. C. (vide not. 620.) præscriptum; S. C. respondit consulendum SS. esse pro sanatione concursus: 12 Julii 1781.

(2. Concursu ad vacantem Ecclesiam Parochialem Ecclesiam S. Savini lacus Trasimeni ab Episcopo nunciato, Prosynodales Examinatores absoluto examine duos adprobarunt Sacerdotes jam Ecclesiarum Rectores. In primo vero loco Laurentium Allegri, in secundo autem Vincentium Turrini, quoad scientiam, quoad merita pariter ambo laudati fuerunt, primum tamen locum obtinuit Turrinius, secundum Allegrius. Utriusque meritis ab Episcopo circumspectis, Sacerdotem Vincentium Turrinium præelegit, in possessionemque misit. Irrationabilem alter hoc in judicio Episcopum fuisse contendit, sed ab hac macula Episcopum S. C. vindicavit: Perusina Parochialis die 28 Julii 1781.

(3. Sequuta vacatione Præposituralis, et Parochialis Ecclesiæ castri Spinetuli per liberam resignationem illius in manibus summi Pontificis sponte factam a Francisco Antonio Feriozzi, indictus fuit concursus. Nonnulli admissi non fuerunt, et examen habitum fuit, spreta contestata denunciatione super concursus nullitate in actis emissa ab Emygdio Michelessi rejecto. Electus autem fuit Angelus Trojani, ob id fuerunt literæ Apostolicæ impetratæ sub prætextu nullitatis concursus, ex quo in albo competitorum descriptus haud Michelessi fuit, quia absque testimonialibus Episcopi, fide baptismatis, aliisque comparuit. Rem inde definiit S. C.; neutram videlicet esse supplicationem signandam, et iterum concursum indicendum: Asculanæ Parochialis die 22 Decem. 1781.

(4. Parochia SS. Petri et Pauli oppidi Frontini vacua, concursum Episcopus promulgavit. Ex quatuor concurrentibus Clericus Petrus Serlibvestri fuit laudatus, reliqui reprobati fuerunt. Sed quum ille Ecclesiam assequi non potuisset propter ætatem, novus concursus indictus fuit, in quo præter duos ex reprobatis comparuit Sacerdos Vincentius Benvenuti, qui idoneus ad illam Parochiam assequendam inventus haud fuit. Expostulavit hic, et a mala Examinatorum relatione appellavit; etiamsi postea Episcopus ex mandato S. C. alium concursum peregerit, in quo Sacerdos Ravogli electus fuit. S. C. hac super re quæsita, præelecto Parochiam adjudicavit, et quærimoniis Benvenuti nihil profecit: Feretrana Parochialis die 8 Febr. 1783, dub. 1, et 2.

(5. Ad implendum vacantis Parochialis Ecclesiæ S. Michaelis oppidi Trebiani munus, duos Examinatores comprobarunt presbyteros, sed disparibus suffragiis. Sacerdos enim Daniel Frateschi octo reportavit, Sacerdoti vero Bartholomeo Ratto quinque tantum suffragati sunt. Hunc tamen præelegit Episcopus qui eum esse idoneum ad regendam Ecclesiam fassus est, et docuit; ac propterea de rationabili Episcopi judicio a S. C. dubitatum non fuit: Lunen. Sarzanen. Parochialis die 5 Aprilis 1783, confirmat. 21 Junii ejusdem anni.

(6. In electione Canonici Pœnitentiarii Ecclesiæ Metropolitanæ Beneventi S. C. mandavit convocationem concursus post emanatam Constitutionem Pastoralis Officii. Bened. XIII, rel. in Append. Concilii Rom. celebrati anno 1725, num. ubi § 6, habetur: « Postremo quæcumque hactenus de Præbenda Theologali, et sacræ Scripturæ lectione sancivimus, extendimus etiam ac ad amussim observari volumus, et mandamus (congrua tamen congruis referendo) quoad institutionem Canonici Pœnitentiarii in illis Cathedralibus, in quibus nondum fuerit institutus, ejusque honestam sustentationem, concursum deputationem, omniaque alia ad illius officium pertinentia, et præter illa quæ a nobis superius disposita sunt, ea insuper, quæ Tridentina Synodus cap. 8, sess. 24, de reformat. de hujus Ministri qualitate, ætate, ac exemptione a servitio chori constituit, exacte observari decernimus, præcipimus, et damus. » Beneventana die 22 Maii 1784, dub. 1, confirm. 21 Aug. ejusdem anni.

(7. Urgente Sacerdote Bonfilio Gervasi neglectam fuisse in concursu confecto ad Ecclesiæ Cathedralis Canonicatum Pœnitentiarium Benedicti XIII, Constitutionem Pastoralis Officii rel. in Append. Concil. Roman. num. 2. quæ de collatione Præbendæ Pœnitentiariæ idem disponit, quæ de Theologali Præbenda habetur § 2, ut: « per Edictum publicum vocentur quicumque concurrere, et examini sese subjicere voluerint, coram Episcopo, et quatuor Examinatoribus, etiamsi Synodales non sint, ad eodem Episcopo actu

Digitized by Google

eligendis, etc. et illi qui in ejusmodi concursu probatus, magisque idoneus renunciatus fuerit, Præbenda conferatur, et prætermissum juramentum in Encyclica S. C. Die 10 Januarii 1721, expedita rel. in Constit. Bened. XIV, 14 Decem. 1742. Cum illud Bull. ejusd. Pont. tom. 1, pag. 98, ubi § 7, confirmavit ea quæ decreta fuerant a Concil. Trid. Sess. 24, cap. 18, in quo habetur : Sint vero hi Examinatores Magistri, seu Doctores, aut licentiati in Theologia, aut jure Canonico, vel alii Clerici seu Regulares etiam ex ordine mendicantium, aut etiam Sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei, jurentque omnes ad sancta Dei Evangelia, se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros. Qua de re Ferrari Bibliotec. Canonc. verb. Concursus art. 3, num. 40, seqq. tom. 2, pag. 476, ait : Hoc juramentum est de forma substantiali, eoque deficiente, Examinatores non dicuntur legitimi, et Concursus factus coram eis ante præstitum juramentum est nullus : S. C. Concil. in una Bisignanen. sub die 2 Decembr. 1628, lib. 13, Decret. fol. 571, ubi censuit concursus factos non præstito juramento ab Examinatoribus Synodalibus, fuisse nullos, sed ex gratia convalidandos, facto verbo cum SS., qui confirmavit, et convalidavit ut refert Barbos. de Offic. et potest. Parochi loc. cit. num. 78, et in Collectan. decis. Apostol. verb. Concursus, num. 18, et tenent communiter Doctores. Sufficit tamen ad validitatem concursus, quod hoc juramentum sit semel præstitum, sive in Synodo, sive extra Synodum » præscriptum ; S. C. consulendum SS. pro sanatione concursus mandavit. Ripana 12 Junii 1788.

(8. Significato ad Parochialem Ecclesiam S. Michaelis Archangeli Maceratæ Feltrinæ concursu, unus Sacerdos Petrus Rossini Parochus S. Theodori ejusdem oppidi fecit sui periculum coram tribus Synodalibus Examinatoribus, ac per suffragia sex (tria enim singuli ex instituto suffragia tulere) reprobatus fuit. Ab hoc judicio provocavit ad S. C. Alio deinde de ejusdem S. C. mandato concursu convocato, electus fuit sacerdos Joannes Baptista Dominici oppidi Petracutæ Archipresbyter. Quæsita S. C. non constare de irrationabili judicio Episcopi, definiit : Feretrana Concursus die 28. Novem. 1789.

(9. Judicium Episcopi non fuisse irrationale declaratur in præelectione Sacerdotis Antonii Barbanti ad Parochialem Ecclesiam S. Mariæ Montis Lauri per tria suffragia in concursu laudati ad exclusionem Angeli Ridolfi Parochi Montis Siccardi per totidem suffragia approbati, sed primus ampliora habebat requisita. Pisauren. Parochialis die 21. Jul. 1792.

(10. In concursu ad vacantem Parochialem S. Luciæ Civitatis Auximi improbatus fuit Sacerdos Antonius Pierucci, cum ex suffragiis 51 habuerit tantum 24 favorabilia. Hinc ab edito judicio Episcopi provocavit ad S. C. quæ cognita causa denegatæ approbationis ex casibus moralibus propositis, et Pierucci responsionibus; non constare de irrationabili Episcopi judicio, declaravit : Auximana Parochiæ die 6. Maii 1797. dub. 1.

(11. Licet in Consursu ab Examinatoribus probatum Sacerdotem Pelliccioni ad Parœciam consequendam, Episcopum posse eumdem rejicere, cum de illius imperitia constiterit, statuit Sacra Congregatio. In Hortana Parœciæ 28. Martii 1801.

(12. In Parœciæ S. Blasii Villæ Casciæ concursu Sacra Congregatio Sacerdotis Aloysii Amori querelam contra judicium Examinatorum rejecit. In Spoletana Concursus 21. Aug. 1802.

(13. In concursu ad Parochiales de mala relatione examinatorum cognosci non posse censuit S. Congregatio, nisi integra acta concursus essent allata. In Lucana concursus die 21. Maii 1803.

(14. Episcopi Savonensis judicium non irrationabile censuit S. Congregatio, ex eo quod prælegerit Sacerdotem Johannem Baptistam Tofri ad Archipresbyteralem Ecclesiam Pagi Vado, postposito Præposito Josepho Josi, licet hic majora suffragia in concursu obtinuerit, atque hunc monuit ut conscientiæ suæ consuleret, ob recursum ad laicalem potestatem. In Savonen. Archipresbyteratus die 13. Jul. 1816.

(15. Sacerdotem Paschalem Englen, qui a relatione Examinatorum, et a judicio Episcopi in concursu Parœciæ S. Nicolai ex Aliph. in Oppido Roccellæ Hyeracen. Diœcesis apud Curiam Metropolitanam Rheginen. post lapsum decennii a die collationis Parœciæ appellationem interposuerat, legitime non appellasse, ideoque nec fuisse locum revisioni actorum concursus, nec esse transportanda acta originalia, rescripsit S. Congregatio. In Hyeracen. seu Rheginen. Concursus die 14. August. 1824. ad 1. et 2. Dub.

(16. Decisionem alias latam, qua negatum fuit legitime appellasse Sacerdotem Paschalem Englen a relatione Examinatorum, et a judicio Episcopi in concursu Parœciæ Sancti Nicolai ex Aliph. in oppido Rocellæ Hyeracen. Diœcesis, apud Curiam Metropolitanam Rheginen. confirmavit S. Congregatio. In Hyeracien. et Rheginen. Concursus die 19. Nov. 1825. ad 1. et 2. Dubium.

(17. Concursus ad Curiam insignis Collegiatæ S. Francisci periculo superato, pauciora suffragia retulit Philippus Mancini, plura Joseph Bernabei quem idcirco E. Prodatarius, non obstante *nihil transeat* ab Mancini opposito, Curionem renuntiavit, eique institutionis literas Apostolicas expedivit. Sed apud Pontificem conclamante Mancini, causaque ad E. PP. ablegata, ipsi arbitrium pro aperitione oris denegarunt, et ad mentem in Tolentina Concursus 30 Aprilis. Eadem quæstione rursus excitata, PP. definierunt, standum esse in decisis, et amplius. In eadem die 16 Julii 1836.

(18. Contra malam Examinatorum relationem et nullitatem concursus ad Parochialem Ecclesiam S. Nicolai Oppidi Belvederii in Bisinianensi Diœcesi reclamanti Octavio Candia, ultimo tantum loco ex quinque qui aleam examinis subituri accesserant, resti-

Digitized by Google

terunt E. Patres, edito rescripto negative in omnibus. In Bisinianen. Concursus Paræcia die 3. Aug. 1839. ad 1. 2. Dub.

(19. Indicto a Magistratu Ferentinate, auctorante Consilio Municipali Patrono, per Syndaci libellum Concursu, ut assequeretur Capellaniam Leonini, qui magis idoneus fuerit ab Examinatoribus renunciatus, juxta placitum Fundatoris, duo Clerici adfuerunt, Joannes Martellini, et Romualdus de Rocco, quorum primum, facto experimento, magis idoneum renunciarunt Examinatores: at querelas admovente De Rocco, ac pauperiores, ordinique proximiores Sacerdotali esse præferendos, necnon a Concursu excludendos stricte paupertatis documento carentes, contendente, ac demum ipsius Concursus nullitatem ex capitibus objiciente, S. Congr. probe perpensa tum Fundatoris, tum Patronæ Communitatis mente, hujusmodi difficultatibus despectis, sustinendam esse Concursus validitatem, respondit. In Ferentina Capellaniæ quoad Concursum die 17 Septembris 1842. ad 2. 3. et 4. dubium.

(20. Rogante autem Communitate prædicta, utrum in memorato simplicium Capellaniarum Concursu sibi fas esset omnes ab Examinatoribus adprobatos consiliariorum voto subjicere eligendos, magis idoneo etiam posthabito, ad exemplum Patroni Laici in provisione Beneficii Curati, secus enim Examinatores potius quam ipsa Communitas Patroni munere fungerentur, S. Congreg. affirmativam tenuit sententiam. In eadem ad 1. dubium.

CONFESSIO.

SANCTÆ CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. An licitum sit in Confiteor ad Primam, Completorium, et Missam, et in Orationibus, ubi sanctus Pater Franciscus nominatur, addere nomen, *Patris nostri*, cum hoc expresse legatur in Rubrica peculiari nostri Breviarii. S. R. C. *Affirmative* juxta præfati Breviarii Rubric. num. 158. Hispalen. Resolutionis Dubiorum die 22. Augusti 1818. ad 11. Et Pius PP. VII. approbavit et servari mandavit. Die 25. Augusti 1818.

(2. Interrogata S. R. C. Quando Diaconi et Subdiaconi in Sacra ordinatione, dicere debent *Confiteor* ante, vel postquam communicati sunt Præsbyteri? respondit: *Post Communionem Presbyterorum.* Marsorum Die 12. Novembris 1831.

(3. Avendo chiesto il Prior Generale dell'Ordine di S. Giovanni di Dio al *Confiteor* di aggiungere il nome del S. Fundatore tanto nella Messa che nelle altre Sacre Funzioni; S. R. C. rescripsit: *Pro gratia in Officio tantum. Ordin. S. Joan. de Deo.* Die 16. Martii 1833.

CONFIRMATIO.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Alienus Episcopus conferens Sacramentum confirmationis, debet ab Episcopo Diœcesano provideri de iis omnibus quæ ad iter peragendum, et ad victum necessaria sunt. Fer. Visitat. SS. LL. die 16. Mar. 1782. § 7.

(2. Episcopi debent sedulo invigilare ut hujusmodi Sacrament. tempore visitationis conferant. Ib. § 10.

(3. Usum Fesulanæ Diœcesis, quo in publica Sacramenti Confirmationis administratione Episcopus virum atque mulierem eligebat, qui quæve patrini, matrinæve pro omnibus confirmandis munere fungerentur, non esse probandum dixit Sacra Congregatio, sed tolerandum permisit in casu necessitatis ab Episcopo judicandæ ad formam Pontificalis Romani. In Fesulana Sacramenti Confirmationis. Die 12. Julii 1819.

CONFRATERNITAS.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. Essendosi trattato nella Congregazione de' Sacri Riti, e ceremonie della differenza, che suol nascere tra alcuna di coteste Confraternite intorno al porta a sepelire i corpi delli confratri, che per il testamento hanno disposto, che vi siano portati con l'abito della Compagnia, della quale erano vivendo; è parso a questi miei Signori Ill. di risolvere, *che in cio si debba osservare quel che universalmente si osserva quasi per tutto, e particolarmente quì in Roma, ove le altre Città devono pigliar esempio, cioè che siano portati dalli Confratri di quella Compagnia medesima, della quale essi erano, è con l'abito della quale lasciano, che si portino vestiti, qualunque sia la Chiesa, che si hanno eletta per sepoltura, il che in nome di questi miei Sig. Ill. vi significo con la presente, acciocchè così lo fate osservare in cotesta Città, e Diœcesi per l'avvenire. Vicentina,* 8 *Decembre* 1588.

(2. Cum in S. R. C. in causa vertente inter Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Imolæ, et Venerabilem Confraternitatem S. Mariæ Terræ Tauxignani ejusdem Diœcesis per E., et R. D. Card. Guadagni Ponentem propositum fuerit congruum Dubium: An Ordinarius, concedendo licentiam exponendi SS. Eucharistiæ Sacramentum, possit ad libitum conditionem apponere requirendi consensum Parochi?

S. eadem C. auditis partibus, ad relationem ejusdem E. Ponentis, rescribendum censuit: *Negative.* Imolen. die 4 Septembris 1751.

(3. Ad componenda dissidia exorta inter Confraternitatem SS. Trinitatis, et Societatem Augustissimi Corporis Dñi Terræ Vespolatæ Diœcesis Novarien. occasione Processionum S. Sacramenti, E. et R. D. Cardinalis Sacripantes Ponens infrascripta Dubia, S. R. C. delata, declaranda proposuit, nempe:

1. An non solum in Corporis Dñi solemni

Digitized by Google

tatibus, sed etiam in quibuscumque Processionibus, in quibus SS. offeratur Eucharistia jus præcedendi sit Societati SS. Corporis Christi?

2. An eidem Societati liceat extra Ecclesiam Processionem ducere, quæ intus eam fit singulis tertiis Dominicis cujuslibet mensis, aliisque Festis principalioribus? S. C. rescribendum censuit: « In quibuscumque Processionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum, præcedentiam deberi Confraternitati ejusdem SS. Sacramenti. In reliquis, arbitrio Episcopi. » Et ita declaravit, ac servari mandavit. Novarien. Die 26 Augusti 1752.

(4. Cum inter confratres SS. Joannis Baptistæ, et Evangelistæ, ac B. M. V. vulgo della Cintura Terræ Argenteæ Diœcesis Ravennæ ex una, et Confraternitatem SS. Sacramenti ex altera parte, exorta fuerit controversia super jure præcedendi in omnibus tam publicis, quam privatis Processionibus, prædictæ Confraternitates recursum habuerunt ad hanc Sac. Rit. Congregationem, expositisque per easdem Confraternitates SS. Joannis Baptistæ, et Evangelistæ, ac B. M. V. vulgo della Cintura prærogativis omnibus eisdem competentibus, nonnullis abhinc sæculis, tum circa anterioritatem erectionis, tum circa usum, et immemorabilem consuetudinem, qua gavisæ sunt Confraternitates incedendi in cunctis tam publicis, quam privatis Processionibus supra Confraternitatem SS. Sacramenti. S. C. rescribendum censuit: « Præcedentiam in omnibus Processionibus deberi Confraternitatibus antiquioribus ad formam Brevis S. M. Gregorii XIII, et servetur solitum. » Et ita decrevit, ac servari mandavit. Ravennaten. Die 21 Julii 1761.

(5. An Capitulo insignis Collegiatæ Ecclesiæ Matricis S. Andreæ Terræ Vallerani competat jus faciendi expositionem SS. Sacramenti cum interessentia Confraternitatis hujus nominis et subministratione ceræ ab ea facienda quolibet die infra Octavam supradicti Festi Corporis Christi S. C. R. « Affirmative quoad expositionem SS. Sacramenti, non tamen privative; et quoad Confraternitatem utatur jure suo coram judice competenti Civitatis Castellanæ. » Præeminentiarum die 10 Septembris 1782, ad dub. 2.

(6. An Confraternitas SS. Sacramenti teneatur interesse Processioni SS. Sacramenti Capituli in tertia Dominica cujuslibet Mensis? Et quatenus affirmative? S. C. respondit: « Utatur jure suo coram Judice competenti. » Ibid. ad 5.

(7. An exercitium bonæ mortis, fieri solitum Dominicis diebus ex Instituto Confraternitatis Agonizantium erectæ in dicta Collegiata Ecclesia S. Andreæ, ibidem privative peragi debeat? S. C. respondit: *Negative.* Ibid. ad 6.

(8. S. Con. Rituum declaravit: Non licuisse, neque in posterum licere camerario, et confratribus piæ Societatis sub titulo S. Annæ Matris B. M. V. in Parochiali Ecclesia S. Joannis de Ayno de Urbe coadunatæ quacumque veste indutis, etiam de consensu Parochi, assistere Vesperis, et Missæ solemni intra Presbyterium in Festivitate ejusdem S. Annæ, ibique thurificationem, aliosque obsequii actus excipere. Urbis S. Joannis in Ayno die 28 Julii 1789.

(9. Orta controversia inter Sodalitatem S. Joseph et altera SS. Sacramenti Civitatis notabilis Insulæ Melitæ, eaque delata ad S. C. respondit: « Præcedentiam deberi Sodalitati S. Joseph, præterquam in Processionibus SS. Sacramenti; Sodalitatem vero SS. Sacramenti teneri, et cogi posse ad alias Processiones, jussu tamen, prudentia et arbitrio Ordinarii. Meliten. die 23 Sept. 1820. »

(10. Cum quædam Sodalitas S. Sepuleri nuncupata Civitatis Maceraten. cujus institutum est, cultum et venerationem erga Redemptoris Nostri J. C. cruentissimæ Passionis ac Mortis Mysteria, quibus valet modis, propagare, in publicis Supplicationibus *Vexilla Regis*, nudam scilicet Crucem, illius mortis inditium deferre consuevisset, et ante præfatam Crucem quinque accensa intortitia per totidem Sodales, in Sacrorum quinque vulnerum Symbolum, erigenda statuisset, hancque facultatem sibi elargiri Apostolicæ Sedis auctoritate S. R. C. supplicasset; S. eadem C. respondit: « *Licere juxta petita.* » Maceraten. die 23 Sept. 1820.

(11. Cum quædam Sodalitas Oppidi Massæ Lombardorum diœcesis Imolensis, cui nomen est Hospitalis, sibi ratione erectionis et temporis in singulis supplicationibus, in quibus SS. Eucharistiæ Sacramentum defertur, sicut et in reliquis, præcedentiam super Sodalitatem sub invocatione SS. Sacramenti erecta deberi contenderet; propositis dubiis: 1. An, et cui jus competat præcedendi in Processionibus SS. Sacramenti, etiam ad effectum manutentionis, in casu, etc.? 2. An, et cui competat jus præcedentiæ in aliis Processionibus, etiam ad effectum manutentionis, in casu, etc.? Facto verbo cum SS. S. C. respondit: Ad 1. « Præcedentiam competere Confraternitati SS. Sacramenti. » Ad 2. « Præcedentiam competere Confraternitati Hospitalis. » Imolen. die 12 Aprilis 1823.

(12. Sodalitas sacrorum Stigmatum S. Francisci in Civitate Veliternen. erecta, et ditata a Clemente VIII. singulis privilegiis, queis Archiconfraternitas sub enunciato titulo in Urbe gaudet, semper, nemine contradicente, Capellano usa est in publicis tam solemnibus, quam funebribus Processionibus Superpelliceo et Stola induto, tam intra, quam extra propriam Ecclesiam. Sed novissime cum Parochi Civitatis innixi S. Congregationis Generali Decreto 12 Januarii 1703. ad dub. 23, Stolam a dictis Capellanis non a collo pendentem deferendam esse, sed potius instar Almutiæ, vel Manipuli brachio superimpositam, geminæ Confraternitatis Sodales rogarunt pro consuetudinis manutentione. Et S. C. immemorabili usu mature perpenso, habitaque ratione, quod Decreto Generali minime obstante, etiam in Urbe, et

Digitized by Google

alibi consuetudo in contrarium viget; animadvertens tandem, decere, et conveniens esse, ut Confraternitatum Capellanus a simplicibus Clericis distinguatur, approbante SS. respondit: « Servandam esse consuetudinem et nihil innovandum. » Veliternen. 27 Martii 1824.

(13. Cum Prior Confraternitatis SS. Sacramenti Civitatis Neriton. expetierit an Sodalitati ipsi jus competat præcedendi aliis Sodalitatibus in Processione SS. Sacramenti, quod quidem jus quamquam fundatum super Decretis alias a S. C. prolatis, ipsi controvertebatur; S. Congregatio rescribendum censuit: « Episcopo, qui ad formam Constitutionis Gregorii XIII et decretorum provideat. » Neritonen. 27 Augusti 1836.

(14. Precibus Parochorum Civitatis, et Diœcesis Venusinæ reclamantium jus cantandi Missam in Funeribus suorum Parochianorum, quod quidem jus controvertebatur a Capellanis Confraternitatum, in quorum Ecclesiis defunctorum cadavera efferuntur, respondit: « Detur Generale Decretum die 11 Januarii 1704. ad dub. 20 dummodo defunctus sit Parochianus. » Venusina 27 Aug. 1836.

(15. Contradicente altero ex Parochis loci Montis novi in Diœcesi Senogallien. usum Stolæ deferendæ a Capellano Confraternitatis Vexillorum ejusdem loci, cum Priores ipsius Sodalitatis pro consuetudinis manutentione, atque insuper declaratione utrum prædictus Capellanus in Publicis Processionibus, cadaverum associatione, aliisque similibus functionibus, quibus intervenit Confraternitas, Stolam e collo pendentem gestare possit, enixas preces dedisset; S. C. respondit: « Juxta alias decreta pro gratia. » Senogallien. die 27 Augusti 1836.

8. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Confraternitat., quæ partem populi constituunt, vocandæ in partem oneris populo incumbentis sunt, præsertim si accedat sodalium assensus. Null. seu Nonan. Reæd. Eccl. Par. die 16 Maii 1778, § 8.

(2. Confraternitas valet ad libitum divertere ab Ecclesia, in qua olim recepta est. Sutr. Trans. die 28 Aug. 1779, § 5.

Idque ad servandam æqualitatem, quum ad nutum valeat Ecclesia illam dimittere. Ibid.

(3. Archiepiscopus Malvezzi in actu Sacræ Visitationis deliberavit, justis ex causis animum suum moventibus, omnimodam suppressionem Confraternitatis S. Catharinæ virginis et martyris Castri S. Petri, pro qua confirmanda ac approbanda Breve edidit Clemens XIV. die 8 Maii 1773. etsi adversantibus sodalibus Breve vitio subreptionis et obreptionis laborare comprobantibus: tamen S. C. constare de validitate suppressionis judicium tulit, ita ut manutentio, seu redintegratio quoad omnia in pristinum statum danda non est. Bononien. Aper. Oris et Redint. die 19 Febr. 1780. dub. 2.

(4. Societas Suffragii animarum Purgantium terræ Tulpharum erecta in Ecclesia B. M. V. Misericordiæ resolutionem, initis Comitiis, se transferendi ad Ecclesiam Sancti Antonii Patavini, patronis istius assentientibus, fecit; sed nonnullis sodalibus dissentientibus, et disputato in S. C. dubio an sustineatur translatio, responsum prodiit affirmativum, cum pactis et conditionibus ab Episcopo approbandis. Nam Sodales prædicti justam ac rationabilem causam exhibent, tum ob distantiam a terra Tulpharum, et populo incommoda; nec obstare obtinuisse Beneplacitum Apostolicum super quadam obligatione contracta cum Ecclesia B. M. V. de Misericordia, quia utrumque nullam habuit exequutionem. Sutr. Trans. 15 Julii 1780. dub. 1. confir. Die 20 Januar. 1781.

Nec non transferendi sunt redditus, et onera a dicta Societate implenda in dicta Ecclesia B. M. Virginis Misericordiæ, salvis dispositionibus testatorum. Ibid. dub. 2. Confirmat. Ibid.

(5. Sodales Societatis Suffragii animarum Purgantium erectæ in Ecclesia B. M. V. terræ Tulpharum, quæ se transtulit ad Ecclesiam S. Antonii Patavini, obligationes per ipsos assumptas pro manutentione Ecclesiæ B. M. V. Misericordiæ, sacrarum supellectilium, aliorumque implere non tenentur; etiamsi de hoc cœperint resolutionem, et Beneplacitum Apostolicum pro approbatione obtinuerint, quia utrumque nullam exequutionem habuit, et res adhuc in integro statu manent. Sutrina Trans. 15 Julii 1780. d. 3. confirm. Die 20. Januar. 1781.

(6. Alio modo subsunt Parocho Sodalitia cum in eadem Parochiali Ecclesia sunt erectæ, vel in Oratoriis aut sacellis quæ ipsi Parochiæ adjiciuntur. Ferr. Confr. die 14 Sept. 1782. § 3.

Alio autem modo cum Societates ejusmodi addictæ sunt publicis et liberis Ecclesiis, quamvis intra limites Parochiæ positæ sunt. Ibid.

Confraternitates laicorum legitime erectæ in Ecclesiis Parochialibus habent dependentiam a Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis non Parochialibus. Ibid. § 4.

Ac dictæ Confraternitates erectæ in Capellis, vel Oratoriis, tum publicis tum privatis adnexis Parochialibus Ecclesiis, et ab eis dependentibus, habent dictam dependentiam a Parocho, quoad dictas functiones. Ibid.

Confraternitates erectæ in aliis Ecclesiis publicis, non habent, quoad easdem functiones, aliquam dependentiam a Parocho, intra cujus Parochiæ limites sitæ sunt Ecclesiæ. Ibid.

Confraternitates erectæ in Oratoriis tum publicis, tum privatis sejunctis ab Ecclesiis Parochialibus, quoad dictas functiones Ecclesiasticas, non habent dictam dependentiam a Parocho. Ibid.

(7. Confraternitas SS. Sacramenti in qualibet Parochiali Ecclesia ad formam Constitutionum Apostolicarum erigi debet. Ferr. Confr. 14 Septem. 1782. § 6.

Digitized by Google

(8. Confraternitates laicorum ex consuetudine possunt recipere, et administrare oblationes, dummodo laici nihil sibi applicent, sed in pios usus totum convertant. Ferr. Confr. die 14 Septembris 1782. § 7.

Imo pro illarum erogatione requiritur Episcopi auctoritas, de qua coram eodem rationes reddere debent. Ibib. § 8.

(9. Potest Episcopus auctoritate ordinaria mutare, et variare statuta Confraternitatum; eisque novas leges, quando opus fuerit, servandas proponere. Ferr. Confr. die 14 Septem. 1782. § 12.

(10. Episcopus facultatem habet adigendi sodales non solum, ut in eorum numero aliquem recipiant, sed etiam ut ex eorum cœtu aliquem expellant. Ferr. Conf. die 14 Septem. 1782. § 13.

(11. Societas SS. Sacramenti terræ Bondeni pendere debet a Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis, ad formam resolutionis S. C. Rituum anni 1703. ad 1 et 2. dub. Ferrarien. Confrat. Die 14 Sept. 1782. dub. 1.

(12. Societas SS. Sacramenti terræ Bondeni præter servitium personale devincta non est explere onera manutentionis olei lampadis, ceræ et supellectilium pro functionibus SS. Sacramenti Ecclesiæ Parochialis ex propriis Oratorii redditibus; sed expensas necessarias pro eodem cultu faciendas esse primum ex eleemosynis, sive a Parocho sive a Societate in hanc causam colligendis, deinde ex redditibus bonorum intuitu SS. Sacramenti a Societate acquisitorum, et in subsidium tandem ex redditibus Parochi, S. C. censuit. Ferrarien. Confr. Die 14 Sept. 1782. dub. 3.

Hæc indiget S. C. consilio, an eadem Societas propria paramenta, sacrasque vestes et supellectilia pro Ecclesia Parochiali in iis sacris Functionibus, quæ non pertinent ad Societatem SS. Sacramenti, subministrare teneatur?

Et an pondus habeat eadem manutentionis ceræ et supellectilium pro missa festiva Parochiali, pro canendis Missis, Vesperis in festis anni diebus, aliisque sacris Functionibus peragendis in Ecclesia Parochiali? S. C. respondit: Serventur decreta Visitationis Cardinalis Magalotti anni 1628. et Cardinalis del Verme annorum 1708. et 1712. Pro festivitatibus vero et functionibus non spectantibus ad cultum SS. Sacramenti provideat Card. Archiepiscopus, prout ipsi opportunum videbitur. Ibid. dub. 4 et 5.

(13. Societatis SS. Sacramenti terræ Bondeni statuta publicata anno 1780. variata ac mutata ab Archiepiscopo an sint exequenda? S. C. respondit: Dilata, et videatur particulariter. Ferrarien. Unionis. Die 14 Sept. 1782. dub. 6.

(14. Societatis SS. Sacramenti terræ Bondeni Sodalium expulsionem ab Archiepiscopo patatram S. C. approbavit, et illorum redintegrationem in pristinum statum remisit arbitrio ejusdem Archiepiscopi. Ferrarien. Confrat. Die 14 Sept. 1782. dub. 7.

(15. Mos invaluit, ut in ducendis funeribus Parochialium S. Andreæ in Villis, et SS. Johannis et Pauli Ronchi Sambaci Diœcesis Fanensis, quæ sunt finitimæ Castro Nubilariæ Diœcesis Pisaurensis advocentur etiam Sodalitia dicti castri, quibus renuentibus, S. C. decrevit teneri dictas Societates convenire in Ecclesia Parochiali ad levandum Parochum, non autem expectare ipsum in loco, in quo una ab altera Diœcesi dividitur, addendo ad mentem: Fanen. et Pisauren. Funer. die 21 Junii 1783.

(16. Officialium electio pertinet ad Confratres, confirmatio vero ad Episcopum, imo, et electio ad eumdem Episcopum spectat, si confratres in sufficienti numero per triplex scrutinium non convenerint, Forol. die 21 Aug. 1784. § 16.

(17. Eo ipso quo Confratrum Collegium legitime erectum fuit, consequens statim fit ex ipsa Collegii natura congregari libere posse, nec Ordinarii facultatem indigere. Assis. die 10 Sept. 1785. § 6.

Locus tantum procedit in iis personarum cœtibus, qui collegium non constituunt. Ibid.

Si ex antiquiore Sodalitiorum consuetudine constet omnibus, Congregationes fieri post processiones, cum ad proprias redeunt Ecclesias, hinc nulla monitio, seu interpellatio requiritur; cum dies sit certa præstituta. Ibid. § 7.

Nonnulli Doctores negant, posse Episcopum vetare, ne sodalitia absque sua licentia congregationes habeant. Ibid. § 19.

Admittitur tamen, in illius arbitrio, reponi si velit Congregationibus per se ipsum, sive delegatum suum intervenire. Ibid.

Hinc consequens est jubere Episcopum posse, ut de habendis Congregationibus certior ipse fiat: Ibid.

Hac de causa sententiæ conciliantur, ut scilicet Sodales ad petendam veniam compellendi non sint, compelli tamen posse ad Episcopum certiorandum. Ibid.

Bassius contra Episcopum tenebat, sed id sententiam mutavit. Ibid. § 20.

Et refert, quod id decreverunt Synodus Taurinensis Episcopi Bejumi, Synodus Farfensis Card. Barberini, et Synodus Lucana Card. Spinulæ. Ibid.

Atque reddit rationem, quod nempe Vicarii interventus conservat sodalium libertatem, non lædit. Ibid.

Imo in pecunia collocanda requiritur Ordinarii assensus, qui prænoscat periculoque provideat, ne pecunia personis non tutis gratiose in Congregationibus tradatur Ibid. § 21.

(18. Libera Sodalibus debet esse administratio. Assis. die 10 Septem. 1785. § 11

De sumptibus præter certam summam absque Ordinarii venia non conficiendis lex nova non est. Ibid. § 22.

In Synodo Firmana Card. Paraciani restringitur ad summam nummorum quinque

Digitized by Google

libertas sodalium, præter quam Episcopi auctoritas intercedere debet. Ibid.

In Synodo Tusculana Card. Ducis Eboracensis administratori ad summum permittitur expensa Juliorum. 20. præter quam Summam requiritur Officialium omnium consilium, et Vicarii venia, si excedat scut. 10. Ibid.

Quod redditus, qui adjussa dotium disposita sunt parati, præsumptio favet Episcopo, ejusque legi, contrariis deficientibus probationibus. Ibid. § 23.

(19. Reprobandæ non sunt Officialium electiones viva voce confectæ. Assis. die 10 Sept. 1785. § 15.

Ratio est, quia non est res de Episcopo Ecclesiæ dando viduatæ, cujus electio secretis committenda est suffragiis. Ibid.

Neque res est de aliorum prælatorum electionibus. Ibid.

Sed de impropria electione agitur in qua consensus naturalis sive scriptis sive in factis explicitus, satis est. Ibid.

In electionibus confirmandis lex est admittenda, ut duæ ex tribus partibus suffragiorum conveniant. Ibid. § 16.

Si suffragiorum pluralitas in Episcopi et Prælati electione satis est, cur in Officialium impropriis electionibus, duas tertias partes esse necessarias, decernatur. Ibid.

(20. Et quoad pertinet ad unionem Societatum, S. Congr. Episc. et Reg. prohibuit Episcopo, ne ad unionem Confraternitatis procederet: Firm. die 26 Nov. 1785. § 13.

Et S. Congr. Rituum rescindit unionem duarum Confraternitatum sine legitima causa factam: Ibid.

Et ratio est, nam bonorum unius sodalitii ad alterum unio sine læsione, et mutatione fidelium voluntatis fieri nequit: Ibid. § 14.

(21. Ex duobus piis sodalitiis, altero sub invocatione SS. Sacramenti, altero S. Mariæ Suffragii, quæ sunt in oppido S. Elpidii ad Mare Firmanæ Diœcesis unicum componere perutile Archiepiscopo visum est. Quare unionis bullam exaravit, qua edixit, ut Sodalitium S. Mariæ Suffragii subjective, ut aiunt, perpetuo unitum alteri SS. Sacramenti haberetur, et esset. Hujus Bullæ exequutioni refragati sunt Sodales Suffragii, deteguntque assertam paupertatem Societatis SS. Sacramenti minime existere. Sed Archiepiscopus ipse taxavit illud Sodalitium scutecentum in favorem Hospitalis Civitatis Firmanæ; item consensum numquam constat præstitisse. Et ad S. C. accedunt, ut juxta desideria compleat, et revera S. C. illam unionem ratam non habuit: Firmana Die 10 Decem. 1785. dub. 1.

Ac quoad edictum Episcopi die 18 Maii 1786. an sustineatur? rescripsit provisum in primo et secundo. Ibid. dub. 3.

(22. Decreverat Assisiensis Episcopus, ne in sua Diœcesi ullæ haberentur Congregationes sine Præsido. Rationem decreti addebat, quod liberum congregatis erat pro ingenio, quod magis lubebat decernere etiam adversus Principem, quod non tamen factum unquam fuisset, probabat. Sodales dicebant, se Priores et Rectores habere pro totidem Præsidibus. Itaque examinatum fuit, num Officiales Confraternitatum certiorem facere jubentur in Civitate Episcopum, in Diœcesi Vicarios Foraneos de Congregationibus habendis? S. C. voluit, ut pro extraordinariis Congregationibus quippe certiores prædicti fierent; interventum vero Vicariorum et Episcopi vetuit: Assisien. Die 21 Januar. 1786. dub. 1.

Pendente adversus ejusdem Episcopi edictum in S. C. recursu præfata Societas ad Rectoris electionem die 28 Decembris superioris anni pristino more devenit. Episcopus fretus mandato S. C. ut provideret, et juberet, electionem hanc circumscriptis, novoque in dicto sodalitium comitio die 6 Februarii hujus anni, alius fuit Rector electus. Sodales canonicam fuisse primam electionem contendunt, et circumscriptionem ab Episcopo factam fuisse nullam. Rem S. C. conciliavit, dum ad dubium prolatum, an circumscriptioni esse deberet locus Congregationi postremo habitæ? haud esse locum pronunciavit. Ibid. dub. 10.

(23. Dubitari nequit de legitimis resolutionibus, ubi major intervenientium pars convenerit: Call. Subst. Dot. die 15 Dec. 1787, § 4.

Etsi aliquis protestatus sit — Che non sarò mai per concorrere — et a ferendo suffragio se abstinuit, quod omnis in reliquis decernendi potestas consolidata est. Ibid. § 6.

(24. Societati aggregatæ Archiconfraternitati Urbis solum communicentur Indulgentiæ ob hujusmodi aggregationes. Reat. die 5 April. 1788, § 5.

(25. Episcopus Reatinus pervetustæ Societatis B. Columbæ titulum addidit Mortis, et mandavit alias Societates associare cadavera non posse sine illa, nisi Confrater adscriptus sit canonice in illis Societatibus ante menses sex obitus illius. Reclamarunt statim Sodales SS. Stigmatum dictæ Civitatis, et S. C. declaravit Societati SS. Stigmatum Reatis juxta votum Episcopi non competere jus aggregandi Sodales et Sorores quocumque tempore etiam in articulo mortis, eorumque cadavera proprio sacco induta in funere ad Ecclesiam comitandi: Reatina Die 26 Aprilis 1788, d. 1.

Et civibus particularibus et incolis Reatis competere jus juxta votum Episcopi exclusis Fratribus Mortis, nisi invitatis, jus sese adscribendi quandocumque cuilibet sibi benevisæ Societati, nec non vocandi ad eorum libitum quascumque ad funera, et defunctorum comitatum statutum est: Ibid. dub. 2.

(26. Societatem SS. Rosarii erectam in Collegiata Ecclesia S. Petri montis Martiani subesse declaratur non Capitulo, sed soli Archypresbytero, sub cujus regimine ante erectionem Collegiatæ fuit ex fundatione: Senogallien. Die 13 Junii 1789, dub. 8.

(27. Pro formali valida erectione Sodalitii præcipue requiruntur litteræ testimoniales Episcopi, quibus Confraternitatis erigendæ

Digitized by Google

pietas, et christianæ charitatis officia, quæ exerceri debent commendatæ essent. Urat. Er. Confr. die 3 Dec. 1789.

(28. Irrita sunt societatis comitia in quibus suffragium tulerunt sodales inhabiles. Sed contrarium verius : Cerv. die 17 Apr. 1790, § 5.

His de jure communi plures interesse valent consanguinei. Ibid. § 6.

Contrarium statuit Congregatio deputata anno 1699, ab Innocentio XII, pro reformatione locorum piorum urbis, quæ ob identitatem rationis ad extera extendentur sodalitia. Ibid. § 9.

Atque ex ipso jure communi limitatur præmissa regula, ubi aliquod eligendis officialibus obventurum erit lucrum. Ibid.

Quia paria habuerunt suffragia eligi debent per sortitionem. Ibid. § 6.

In Officiis continuare nequeunt Officiales societatis absque licentia Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis. Ibid. § 10.

Dum in eorum tamen sunt possessione gerere valent, quæ ad illam pertinent. Ibid. § 7.

(29. Officiales Societatis post expiratum illorum officium, haud legitime continuare possunt in eo, absque licentia Episcopi, vel ejus Vicarii non foranei sed generalis. Cerv. die 17 April. 1790. § 10.

(30. Sodalitia inducta sunt ad exercenda opera pietatis ac religionis. Phar. Un. die 25 Junii 1791. § 2.

Sodales uti singuli nullum jus habent ad bona dissolutæ societatis. Ibid. § 2.

Et ea bona devolvuntur ad Ecclesiam Parochialem, in qua societas erecta erat. Ibid.

(31. Certior fieri debet Episcopus de extraordinariis dumtaxat Societatum Congregationibus. Call. Subs. Dot. 28 Novem. 1795, § 38.

(32. Electionem Conservatorum Sodalitii S. Mariæ Misericordiæ Callii, quod Hospitale habet annexum ad tollendos abusus, faciendam esse ab universis Sodalibus juxta votum Cardinalis Visitatoris, non a solis Nobilibus, declaratum est a S. C. licet, ut ait Episcopus, longo tempore in consuetudinem jam venisse, ut illi administratores ab equestri illius urbis ordine seligantur : Callien. Subs. Dot. Die 28 Novem. 1795, dub. 4.

(33. Sodalitium S. Mariæ Misericordiæ Callii non est supprimendum, sed opportunis Visitatorum legibus ad pristinam observantiam restituendum. Nam utilia ejusdem pia, et tot præclara instituta erant vitio tempore delapsa et corrupta : Callien. Subsid. Dot. die 28 Novem. 1795, d. 5.

(34. Confraternitates exponere in eorum Ecclesiis SS. Sacramentum non valeant absque licentia Episcopi. Spol. Func. Eccl. die 20 Feb. 1796, § 4 et 8.

Neque etiam aggregatæ Archiconfraternitatibus Urbis. Ibid. § 6.

Confraternitatibus porro aggregatis communicantur dumtaxat privilegia spiritualia, et indulgentiæ, nempe indulta et gratiæ spirituales. Ibid. § 5.

Archiconfraternitas ipsa Mortis Urbis non communicat facultatem exponendi SS. Sacramentum absque licentia Episcopi. Ibid. § 9.

In una enim Ecclesia Parochiali retineri, atque exponi valet ; in aliis vero ex privilegio Sedis Apostolicæ vel Ordinarii. Ibid. § 7.

In subditis Ecclesiæ Confraternitatum explere valet Parochus functiones parochiales, et non parochiales, exceptis earum propriis. Ibid. § 9.

(35. Comitiis œconomicis Confraternitatum se immiscere nequit Episcopus. Ascul. Breph. die 9 Julii 1796.

Et si eis assistere velit, ferre nequit suffragium. Ibid.

(36. Ecclesia cessa Confraternitati ab ea manuteneri debet. Asc. Breph. die 9 Jul. 1796, § 6.

Et Chirographum Pontificium cessionis accurate exequendum est. Ibid. § 10.

(37. Sodales reddere non debent deputatis sodalitii rationes administrationis, quam reddere quotannis tenentur Ordinario, ne bis eas reddant. Ascul. Breph. die 9 Julii 1796, § 7.

Eis vero non deputatis reddere rationes debet ipsorum minister.

Licet omnia sodales subjacere debeant Ordinario. Ibid.

Ad Officiales sodalitii spectat Ministrorum electio. Ibid. § 8.

(38. Licet sodalitium auctoritate ordinaria erectum sit, alienare nequit bona stabilia absque Beneplacito Apostolico. Nullius Nonn. subs. Dot. die 6 Mar. 1797, § 5.

Libere tamen disponere potest de illorum redditibus in pios usus, annuente præsertim Episcopo. Ibid.

Et insuper potest secum abducere omnia, quæ sua sunt. Ibid. § 6.

Absque eo quod teneantur servare pacta manutenendi Ecclesiam de sacra suppellectili, atque alia eidem tribuendi, quia pacta hæc adjecta censentur correspective, et quamdiu Confratres in eadem Ecclesia perseverent. Ibid.

Idque ex indole correspectivæ obligationis, quæ operatur, uno deficiente extremo, alterum quoque cesset. Ibid.

(39. Suppressio Sodalitii S. Monicæ erecti in demolienda Ecclesia S. Augustini nuncupati *della Voltre*, in territorio Vallis Nucis permittitur, ac illius redditus uniendos esse aliis Sodalitiis erectis in Ecclesia Parochiali cum eisdem honoribus et oneribus, statuitur ; nam nullus eidem adscriptus est Sodalis. Brictinorien. 24 Novem. 1792, dub. 2. Confir. die 17 Junii 1797.

(40. Translationem Sodalitii *dei Sacconi* Civitatis Cornetanæ a propria Ecclesia S. Mariæ *del Mare*, quæ ruinosa erat, ad Parochialem Ecclesiam S. Antonii probavit Sacra Congregatio juxta Capitula inter Sodales et Parochum conventa, et ab Em. et Rev. Castilioneo Relatore reformata. In Cornetanæ translationis et Unionis die 14 Junii 1806.

(41. Concordiam inter Sodalitium et Colle

Digitized by Google

giatam Oppidi Rapagnani initam, in qua Sodalitium omnia sua bona Collegiatæ cessit, hæc vero omnia onera Sodalitii implenda suscepit, et Canonem annuum scutorum septuaginta rependere spopondit, Sacra Congregatio probavit, juxta votum Em. et Rev. Cardinalis Litta, qui concordiam expendit. In Firmana Concordiæ die 20 Dec. 1806.

(42. Concordiam inter Sodalitium Pistorum Italorum erectum in Ecclesia S. Mariæ Lauretanæ Urbis, et Xenodochium ad Sancta Sanctorum, in qua pro restitutione bonorum Sodalitii Xenodochio applicatorum a Gubernio Republicano conventa fuit annua pensio scutor. 150, a Sodalitii Deputatis Xenodochio solvenda, rescindendam esse decrevit Sacra Congregatio, tum ob redditum Sodalitii notabilem diminutionem, tum quia proprium habebat Hospitale pro Pistoribus Italis, quod claudere opus fuisset, si ea pensio persolvi debuisset Xenodochio ad Sancta Sanctorum. In Romana Rescissionis Concordiæ die 26 Apr. 1815.

(43. Cum e contra eadem causa non adesset, similem Concordiam initam inter Archiconfraternitatem SS. Rosarii, et idem Hospitale ad Sancta Sanctorum servandam esse voluit. In Romana Rescissionis Concordiæ die 26 Aprilis 1815, ad 1. dub.

(44. Attentis peculiaribus circumstantiis, consulendum esse SS. censuit S. Congregatio pro approbatione, et quatenus opus esset, pro nova concessione privilegii Confraternitatis Mortis erectæ in Januensi Civitate celebrandi quatuor Missas qualibet Feria V majoris hebdomadæ : itemque pro approbatione alterius privilegii, ut omnes confratres in Oratorio Confraternitatis S. Eucharistiam eadem die sumentes adimplerent præcepto Paschali, injuncto tamen onere a Capellano majori transmittendi respectivis Parochis notulam Confratrum, qui in præfato Oratorio Eucharistiæ Mensæ accessissent. In Januen. Privilegii 15 Apr. 1820.

(45. Esse locum remotioni ab Ecclesia Parochiali Lucensi S. Michaelis in Foro, et restitutioni nedum Simulacri SS. Crucifixi *de' Bianchi* nuncupati, depositi tantum titulo illius Ecclesiæ administratoribus concessi ab Archiepiscopo, in suppressione a laica potestate facta Sodalitii vulgo *de' Bianchi*, sed præterea huic Sodalitio esse restituendum Altare, ac cætera ornamenta eidem Simulacro addicta, quæ administratores S. Michaelis a laica potestate deinceps obtinuerant, declaravit Sacra Congregatio. In Lucana remotionis, et restitutionis Altaris 15 Julii 1820, ad 1. dub.

Et hanc remotionem esse faciendam sumptibus Sodalitii *de' Bianchi;* subrogationem vero alterius Altaris in præfata Parochiali Ecclesia S. Michaelis sumptibus operis pii, seu administratorum ejusdem Ecclesiæ S. Michaelis judicavit eadem S. Congregatio. Ibid. ad 2. dub.

(46. Standum esse in decisis statuit Sacra Congregatio, ideoque esse locum remotioni Altaris, et Simulacri SS. Crucifixi, cæterorumque ornamentorum ab Ecclesia Parochiali Lucensi S. Michaelis in foro, favore sodalitii vulgo *de' Bianchi*. In Lucana Remotionis et Restitutionis Altaris die 24 Nov. 1821, ad 1. dub.

Confirmavit quoque alteram resolutionem, qua cautum fuit, ut hæc remotio fieret sumptibus Sodalitii *de' Bianchi*, subrogatio vero alterius Altaris sumptibus Operis pii S. Michaelis, et rem ad R. P. D. Secretarium cum Sanctissimo juxta mentem remisit. Ibid. ad 2. dub.

(47. Ob donatum sibi Aggregationis Diploma Urban. Archiconfraternit. Mortis, jus sibi vindicantibus ad statutas quasdam Sacrorum functiones peragendas sine dependentia ab Episcopo, Sodalibus a S. Rocho nuncupatis in Oppido Lepanti Diœceseos Narzanensis E. Patres restiterunt in omnibus. In Lunen. Sarzanen. Confraternitatis. die 2 Mart. 1833, ad 1. dub.

Proindeque prohibitionem Episcopi, qua processiones in primis Dominicis diebus cujuscumque mensis cum Sacramento extra ambitum Oratorii, et functiones Feriæ V, in Cœna Domini vetabantur, probandam esse dixerunt. In eadem ad 2. dub.

S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

(1. Sodales Confraternitatis B. M. Virginis de Mercede in Oppido auri Preti anno 1767, potestate facta a Generali illius Religionis, ad Ordinem primarium aggregati sunt. Anno vero 1780, ab Ordinario illius oppidi facultatem obtinuerunt utendi habitu cum cinctura et scapulari, nec non professionis emittendæ ad instar Fratrum Tertii Ordinis juxta ipsius Religionis constitutiones. In via perfectionis progredi cupientes, anno 1844, a Sanctissimo D. N. Gregorio f. m. suppliciter expostulaverunt, ut eorum Confraternitas in Tertium Ordinem proprie ac vere erigeretur, et statuta, quæ ad hanc rem apposite condita fuerant, et Sanctitati suæ exhibita, apostolica approbatione confirmarentur.

S. C. Episcoporum et Regularium, ad quam postulationis libellus remissus fuerat, relationem et votum P. Vicarii Generalis Religiosorum a Mercede audire voluit. Sollicitus ille fuit Sacram Congregationem docere, et propitiam petitioni sententiam expromere. Post hæc positio omnis P. Consultori transmissa fuit, qui rem expenderet.

Hic negotium pro faciliore expeditione ad quatuor dubia coercuit, nempe :

« 1. Se e come convenga di erigere la Confraternita di Auro Preto in terzo Ordine della Mercede nel caso.

« 2. Se e quali facoltà si abbiano a concedere al Vescovo ed al Parroco di Auro Preto.

« 3. Se ed in qual modo si debbano approvare gli statuti della detta Confraternita nel caso.

« 4. Se e quali correzioni e modificazioni meritino i riferiti statuti nel caso. »

Quod pertinet ad primum, Sanctam Sedem pro bono Ecclesiæ facilem sese præbere posse

Digitized by Google

petitioni. Quoad vero secundum, postquam ex Relatione P. Vicarii Generalis exscripsit quinque articulos ex Constitutionibus Ordinis desumptos Distinction. 4, cap. 1, ubi agitur de Tertiariorum susceptione ac regimine, sic aiebat: « Qualora piacesse alla S. Sede di concedere la grazia, sarei di sottomesso parere, che i detti cinque articoli ci fossero inseriti *ad literam* prima o dopo la clausola generale: *servatis de jure servandis:* Ma considerato le locali circostanze di Auro Preto, dove non esiste Convento dell' Ordine della Mercede, e trovandosi detta Città molto lontana dalla Residenza del Generale dell' Ordine suddetto, inerendo al Voto del Vicario Generale, sarebbe opportuno, finchè non si fondi un convento dell' Ordine in Auro Preto, che questa S. Sede accordasse al Vescovo di Marianna tutte le falcoltà che i Generali e Provinciali della Mercede godono sopra i Terziari: e con più ragione concedesse al Parocco di Auro Preto l'autorità e tutte le attribuzioni che i Superiori locali di detto Ordine hanno per diritto o per legittima consuetudine sugli aggregati al loro terz' Ordine. Vippiù si troverà necessario di munire di opportune facoltà il Vescovo Diocesano, qualora si rifletta, che si può con qualche fondamento sospettare trovarsi degli abusi nello stato attuale della Confraternita, nel rapporto al privilegio ottenuto dal Vescovo Diocesano nel 1780, di potere ammettere alla professione i Confratelli come Terziari della Mercede. A molte cose potrebbe porre rimedio il Vescovo, se oltre alle facoltà che competono al Generale dell' Ordine, fosse anche rivestito di Delegazione Apostolica, limitata al solo oggetto di rimediare agli abusi e di sanare le irregolarità occorse sin qui, qualora faccia di bisogno. »

Circa tertium et quartum dubium, plures animadversiones in rebus particularibus proponebat, quas hic referre nihil esset.

Itaque consultatione proposita cum allatis dubiis in Congregatione Generali diei 22 Novembris 1844, cum titulo: *Marianen. Super erectione*, etc. E. Patres rescripserunt: Ad 1 et 2, *Affirmative* juxta votum Consultoris. Ad 3, *provisum in* 4. « Ad 4, Communicentur animadversiones Episcopo pro sua norma, quin tamen statuta censeantur approbata: » Et SS. approbavit Resolutionem S. C.

S. CONGREGATIONIS INDULGENTIARUM DECRETA.

(1. Quæcumque Sodalitas, seu Confraternitas, quæ canonice erecta, ex Apostolico Indulto, assuetis gaudet Indulgentiis et Privilegiis, si neque a Jure, scilicet ab Ecclesiastica auctoritate, neque a facto nempe ex Sodalium defectu, solvatur, numquam spirituales gratias impertitas amittit, die 24 Julii 1833.

(2. Virtute plurium indultorum Episcopo Constantiensi benigne concessorum potest dictus Episcopus plures Confraternitates erigere, quasque Sanctitas S. applicaret Indulgentias, eisdem applicare, sive per se, sive per suos Parochos. At non potest unum ex suis Vicariis Generalibus committere, ut Parochos deleget ad dictas Confraternitates in suis Ecclesiis erigendas: delegatum enim non posse subdelegare est regula juris, dummodo aliter non constet ex concessione. Vicarius autem Generalis vi delegationis suæ ab Episcopo suo potest erectionis 100. Viæ Crucis, sive aliarum Indulgentiarum et Confraternitatum Diplomati subscribere, loco ipsius Episcopi qui delegavit; et in casu quod erectio facta sit per Vicarium Generalem, ad hoc specialiter subdelegatum ab Ordinario, cui jam sit tributa facultas subdelegandi, die 19 Dec. 1836.

(3. Nihil obstat ut Confraternitates eleemosynas colligant juxta legem totam Diœcesim afficientem ab Ordinario præscriptam, erogandas in Ecclesiæ, seu Oratorii reparationem, atque ornatum, vel alios pios usus de consensu ejusdem Ordinarii, juxta Clementis VIII. Constitutionem § VIII, proindeque Sodalitatum associationes validæ, privilegia ac Indulgentiæ adnexæ minime extinctæ die 11 Jun. 1838.

(4. Inter Chartas, quæ in Ecclesia S. Waldetrudis Diœcesis Tornacensis asservantur, inveniuntur Bulla et Decreta Episcopalia quibus conceditur facultas erigendi Confraternitatem dictæ S. Waldetrudis; sed cum dubitatur an præfata Confraternitas unquam erecta sit, vel non defectu Confratrum desierit existere, cumque vi et tenore Bullarum Confraternitas in perpetuum erigenda esset, quæsitum fuit; an novæ erectionis canonicæ opus sit ad instaurandam hanc Confraternitatem; vel, si nondum erecta fuit, Bullis et Decretis prædictis uti nunc adhuc liceat. S. Congr. respondit: Non indigere nova canonica erectione pro Sodalitate instauranda S. Waldetrudis ac, si etiam ob defectum Confratrum ipsa desierit, tamen Indulgentiæ ac Privilegia in enunciata Bulla contenta, minime amissa sunt, proindeque vigere. die 28 Januarii 1839.

(5. Non essendosi mai conformati in Francia, come anche nella Diocesi di Valenza, al modo prescritto da Alessandro VIII, nella sua Bolla riferita dal Ferrari per l'erezione delle Confraternite; si domanda: se queste Confraternite sono validamente erette, essendosi da Roma chiesto un Indulto in conformità del quale si è agito. Il processo Verbale d' ogni erezione è stato fatto in ogni Parrochia, e segnato dal Vicario Gen. Capitolare. Sac. Congr. respondit: Affirmative quoad validitatem, extante jam S. Sedis Indulto derogatorio Bullæ Clem. VII, die 5. Febr. 1841, ad dub. 3.

Dimandata la S. Congregazione: se è lecito per il gran numero dei concorrenti nel dare il Santo Scapolare recitare in plurale la piccola formola *Accipe, vir devote*, ec. rispose: Affirmative juxta præpositam Rubricam in precibus benedictionis S. Scapularis. Ibid. 7 Februar. 1841, ad dub. 4.

(6. Interrogata la Congregazione: Se i Confratelli della Buona Morte debbano per opera ingiunta eleggere una o più delle regole della Compagnia, descritte nel libretto,

Digitized by Google

che a per titolo : *Orazioni e preci..... per impetrar buona morte, coll' aggiunta del metodo ecc :* o possano scegliere alcun' altra opera pia *ad arbitrio*, rispose : Affirmative quoad primam partem, quatenus ita a Statutis, seu Regulis Sodalitatis præscriptum sit : Negative quoad secundam. 6 Mart. 1840, ad 1, dub.

Chiedendosi ancora : Se tralasciando di fare l'opera che hanno eletta, i Confratelli restino privi non solo del merito delle buone opere di quella specie, che si fanno dagli altri Confratelli, ma anche delle Indulgenze, la S. Congregazione in risposta dichiarò : che sì, *usque dum electa opera non adimpleantur* Ibid. 2, dub.

Parimente se sia assolutamente necessario l'eleggere di fare alcuna opera pia per essere ammesso alla Compagnia? rispose : « Affirmative et juxta Regulas de sodalium Receptione. » Ibid. 3, dub.

La Compagnia della buona Morte oltre le Indulgenze registrate nel Sommario della Congregazione Prima Primaria, gode anche i Privilegi nel medesimo registrati, *nisi ab alia contraria dispositione prohibeatur*. Ibid. 4, dub.

Allorchè nel Sommario della stessa Congregazione Prima Primaria si legge : *Indulgentias consequi poterunt ubivis locorum commorantur, si apud Ecclesiam eorumdem locorum, aut alibi ut poterunt, opera præstabunt quæ sunt servanda :* non s' intende solo della Chiesa principale del luogo. Verba enim, aggiunge la Sac. Congregazione, *clare aut alibi, ut poterunt*, clare aperteque demonstrant, non in primariis tantum Ecclesiis, verum in cæteris aliis, in quibus « opera præstabunt, quæ sunt servanda. » Ibid. 5, dub.

(7. Interrogata ancora la Congregazione : Se coll' accompagnare al Sepolcro i Cadaveri dei Defonti, col visitare gl' infermi e carcerati, pregare per gl' infermi e per i morti, e per altre opere pie si possono lucrare otto anni d'indulgenza, essendo che nel Catalogo della buona Morte se ne concede per tali opere un anno, e in quello della Compagnia Prima Primaria, l'indulgenze della quale sono estese a quella della Buona Morte, se ne concedono sette ; rispose : « Affirmative, quatenus vera existat utraque concessio, atque authenticum dignoscatur Primæ Primariæ Sodalitatis Summarium, » Ibid. 6. dub.

(8. I Confratelli impediti ragionevolmente dal ricevere i Sacramenti e dal fare la visita alla Chiesa, possono lucrare le Indulgenze con un'opera ingiunta loro dal Confessore, se nelle Concessioni delle Indulgenze della Confraternita si è espressa questa facoltà. Ibid. dub. 7.

(9. L' opera quotidiana ingiunta del *Pater, Ave* e *Credo* e dell' Aspirazione *Dolce Cuor* etc. ai Confratelli del S. Cuore è necessaria solo per lucrare le Indulgenze dei primi sette articoli del Sommario. 6. Marz. 1840. dub. 1. Sodalit. SS. Cordis Jesu et S. Aloysii.

(10. Per l'Indulgenza del Num. VI. del detto Sommario, come per le altre, è necessario pregare secondo l' intenzione del Pontefice ; « nam in singulis Indulgentiis acquirendis, » respondit S. C. « præponenda erit Intentio orandi juxta mentem Summi Pontificis. » Ibid. dub. 2.

(11. I Confratelli, impediti dal far la visita alla Chiesa e dal Confessarsi e Comunicarsi non possono lucrare le Indulgenze dei Num. VIII. IX. X. XI. col fare un' opera pia ingiunta dal Confessore, perchè solo sotto il Num. X. e XII. si parla della dispensa dalla visita della Chiesa. Ibid. dub. 3.

(12. Trasferendosi la Festa del SS. Cuore a tenore del privilegio, s'intendono trasferite anche le indulgenze della Novena, dei sei Venerdì, e delle sei Domeniche precedenti, secondo il IV, avvertimento del Sommario, e secondo tutto il Sommario stesso. Ibid. dub. 4.

(13. Per lucrare l'Indulgenza dei sei Venerdì e delle sei Domeniche precedenti la detta Festa, è necessario, come nelle sei Domeniche di S. Luigi, ricevere i Sacramenti in tutte le sei, e fin da principio aver in animo di ciò fare ; perchè sotto il Num. XII. si pone per condizione necessaria la Confessione e Comunione in ogni Domenica, o Feria sesta. Ibid. dub. 5.

(14. Interrogata la S. Congregazione : Se nelle sei Domeniche di S. Luigi sia necessaria assolutamente la Confessione : dicendosi nel Decreto di esse : « vere pœnitentes et S. Communione refecti, » e non « vere pœnitentes et confessi, » come in altri Decreti, rispose : « Negative et juxta Decreta Clementis XII, ex Secr. S. Congreg. Indulg. die 11. Xbris. 1739. et 7. Januarii 1740. dummodo nullius lethalis culpæ conscii sint, ac proinde in statu gratiæ. » Ibid. dub. 6.

(15. Chiesta ancora se chi cominciò tali Domeniche, essendo appresso impedito in alcuna dal ricevere i Sacramenti e dal fare le altre opere ingiunte, possa lucrare l'Indulgenza facendo alcun' opera pia ingiunta dal Confessore, ovvero debba rimetterle in appresso, parimente rispose : « Negative. Exercitium est enim continuum, nec aliis operibus injungendis commutandum. » Ibid. dub. 7.

(16. Trasferendosi la Festa del SS. Cuore e di S. Luigi per farla più solenne in appresso, e nel giorno proprio facendosi pure una piccola Festa con Messa cantata etc. non si può lucrare l' Indulgenza Plenaria nell' uno e nell' altro giorno, essendo stata concessa una sola Indulgenza tanto per la Festa di S. Luigi, quanto per quella del SS. Cuore di Gesù, con potestà, di trasferirla nel giorno in che è trasportata la detta Festa. Ibid. dub. 8.

(17. Essendo consultata la S. Congregazione : Se nelle Feste di Maria SS. ricordate nel Num X. del Sommario delle Indulgenze siano comprese solamente la *Visitazione* e la *Presentazione*, ovvero anche lo altre *ad Nivem, del Carmine, del Rosario*, etc. e se quelle degli Apostoli siano solo quelle che

Digitized by Google

prima erano di precetto, od anche le altre, come della Cattedra di S. Pietro, della Conversione di S. Paolo etc. rispose *Affirmative*: « Generaliter loquendo, pro Festis Beatæ Mariæ Virginis intelliguntur illa tantum quæ mysterium aliquod ejusd. B. V. exprimunt; prout quinque Festa de præcepto juxta Kalendarium Romanum, Conceptionis scilicet, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, et Assumptionis, et aliæ duo, Visitationis nempe, ac Præsentationis; quoad vero Apostolos, illa dumtaxat intelligenda sunt, quæ dies natalis uniuscujusque commemorant.» Ibid. dub. 9.

(18. Proposto il dubio : Se il tempo utile per la Visita della Chiesa nel giorno della Indulg. si abbia sempre da computare dai primi Vesperi al tramonto del Sole, ovvero si possa anche computare da una mezza notte all' altra; rispose : « *Affirmative* quando agitur tantum de Indulgentia in aliquo die festo acquirenda; *Negative* in aliis Indulg. quæ etsi incipiant post mediam noctem diei in quo concessæ sunt, cessant tamen in Solis occasu juxta praxim S. Congreg Indulgentiarum die 6. Mart. 1840. *Ad utramque Sodali.* »

(19. Essendo ancora dimandato : Se quando le Indulg. delle Stazioni, ed altre non sono plenarie, sia necessario per lucrarle ricevere anche i Sacramenti, ovvero basti visitare la Chiesa, la S. Congreg. rispose : « Negative : Susceptio enim Sacramentorum pro Plenariis tantum Indulgentiis lucrifaciendis necessario requiritur, nisi tamen pro aliqua Partiali sit ista expressa conditio in peculiaribus Concessionibus apposita. » Ibid. dub. 2

(20. Interrogata ancora : Se essendo coll' estensione dell' Indulg. delle Stazioni concessa indulg. parziale in ogni giorno delle quattro tempora, e di quaresima e dell' Ottava di Pentecoste; nelle quattro tempora che cadono nella quaresima e fra la detta Ottava si possa lucrare Indulg. per l' uno o l' altro titolo, e perciò doppia. Se essendo, colla estensione delle Indulg. delle Stazioni, concessa Indulg. parziale nel giorno di Pentecoste, dell' Epifania ec. ed in tali giorni con altri Decreti essendo concesse altre Indulgenze parziali o plenarie, si possano lucrare le une insieme e le altre. Così di altri casi simili parimenti rispose — Affirmative, ad mpletis tamen singulis respectivis operibus injunctis, visitationis nempe, orationis etc. Ibid. dub. 3.

(21. Particularia Statuta Confraternitatum non obligant sub pœna nullitatis Indulgentiarum, dum illa sint potius ad regimen et ad rectam Sodalitatis administrationem; minime vero tamquam injuncta opera ad Indulgentias acquirendas.

(22. Licet particularia Statuta non designent Parochum directorem Sodalitatis in propria Parœcia erectæ, tamen admissiones validæ, et Indulgentiæ acquiruntur; dummodo Parochus sit ab Episcopo deputatus ad recipiendos Sodales. Sub pœna nullitatis tenentur Episcopi Sodalitates erigentes Indulgentiarum communicationem non quavis formula, sed illa adprobata Clementis VIII. uti. Die 25. Januar. 1842.

(23. Episcopus virtute Apost. Delegationis in propria Ecclesia seu Parœcia Confraternitatem erigens nec esse nec conseri debet Rector ejusdem Confraternitatis, excepto solummodo casu, quod in illa Ecclesia seu Parœcia nullus alius esset qui possit destinari; et tunc eo ipso quod Episcopus ibi erigit Sodalitatem, tacite videtur Rectorem designare Ecclesiæ Pastorem, non jure suo utendo, sed Sodalitatis necessitate Rectorem exigentis.

(24. Impedito Pastore, potest ejus Vicarius Rectoris munia obire, dummodo Vicarius sit de gremio Sodalitatis.

(25. Nec potest Episcopus declarare Rectoris munus ab Ecclesiæ Pastore, quæ Sodalitate donatur, in perpetuum fore obeundum, nisi Episcopus speciales habeat facultates; nam generice loquendo, quotannis fieri debet Rectoris aliorumque Officialium Sodalitatis electio. 7. Jun. 1842.

(26. Parochus, seu Moderator Confraternitatis cujuscumque, sive legitime impeditus, sive non, non potest licite et valide sibi Vicarium, vel alium Presbyterum quemcumque approbatum subrogare ad recipiendum Fideles Confraternitati adscribendos, nec habitus Sororum vel Confratrum et Coronas seu Rosaria benedicere cum applicatione Indulgentiarum nisi in Commissione ei facta ab habente auctoritatem delegandi, expresse cautum sit, ut Vicarius, sive alius Presbyter subrogari posset. Quæ si peragantur, fierent cum detrimento Fidelium Confraternitati adscribendorum, vel adscriptorum, deficiente in Sacerdote adscribente, seu benedicente legitima auctoritate, die 22. Augusti 1842.

(27. Nulla determinata formula necessaria est Episcopis sub pœna nullitatis pro erectione Sodalitatis, cum hæc præscribatur tantum pro erectione Sodalitatum a Regularibus peragenda.

(28. Sodalitatis Administratorum electio non est necessaria sub pœna nullitatis, cum illa tantum spectet ad Sodalitatum bonum regimen.

(29. Potest Episcopus designare Directorem uniuscujusque Confraternitatis suæ Diœcesis sive jam existentis, sive ab ipso ex speciali Apostolica facultate erectæ. die 13. Nov. 1842.

(30. Parochi et Conventuum Capellani, qui ab auctoritate Apostolica ab Ordinario subdelegantur ad effectum erigendi, cum applicatione Indulgentiarum in Ecclesiis et publicis Oratoriis pias Sodalitates SS. Rosarii et Scapulari, eo ipso quod sint pro tempore muneris moderatores designati, non habent facultatem benedicendi cum assuetis Indulgentiis Rosaria et Scapularia, quando nulla facta sit mentio in concessionibus Apostolicis de facultate Rectoribus pro tempore tradenda ad effectum benedicendi Rosaria, Scapularia etc. die 18. Nov. 1842.

(31. Omnes et singuli Articuli adnexorum Parisiensium statutorum Archiconfraternitatis Immaculatæ Concep. B. M. V. erectæ

Digitized by Google

Parisiis in Ecclesia vulgo dicta *les Petits-Pères* non sunt necessarii et essentiales ad constituendum, in suo esse hanc Societatem, pro lucrandis Indulgentiis eidem concessis: eo quod statuta sunt potius ad regimen, et ad rectam Confraternitatis administrationem die 12. Maii 1843.

REV. FABRICÆ S. PETRI DECRETA.

(1. Officiales Sodalitiorum SS. Sacramenti, et B. Virginis Rosarii, quorum tenues sunt redditus, remedium suspensionis onerum Missarum, vel reductionem per lapsum viginti annorum, ut facto pecuniarum cumulo, Altarium, Oratoriorum sacrarumque suppellectilium necessitatibus occurreretur, implorarunt. S. Congreg. precibus annuit, sed juxta modum. Mutinen. Susp. vel Red. Oner. die 20 Januar. 1781.

(2. Jure Legati Puelle Gratia et Franciscus Casini reliquerunt Missarum onus Archiconfraternitati SS. Nominis Mariæ Urbis, habita ratione substitutionis casu, quo illud minime acceptum haberet. Utrumque pium legatum sodales admiserunt, sed inde cognoverunt, quod fructus ex relictis locis Montium eleemosynam pro unoquoque sacro a Benedicto XIII. Pont. Max. præscriptam, non attingunt, et hac de causa petierunt reductionem ad taxam eleemosynæ perpetuæ, et S. Congreg. gratiam petitam indulgere non dubitavit. Romana Reduct. Oner. Miss. die 12. Maii 1781.

(3. In Archivio proprio Confraternitatis SS. Sacramenti Terræ Bondeni asservari et custodiri debent omnes Libri, Scripturæ, et monumenta ad eam spectantia ad nutum Ordinarii loci S. Cong. statuit. Ferrarien. Confir., die 14 Septembris 1782, dub. 9.

(4. Magdalena Bessoni viro suo Antonio Fumei hæredi usufructuario mandavit, ut post ejus mortem ex suæ dotis fructibus tot Missæ in loco hæredi beneviso celebrarentur. Archiconfraternitatem hæres elegit SS. Sacramenti, erectam in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam, eique assignavit quasdam domunculas, alieno dominio subiectas, retento sibi onere solvendi scut. 10, loco pensionum; et eleemosynam convenit in ob. 30, pro qualibet Missa, et convenit ulterius, ut si domus instauratione, vel nova ædificatione indigeret, celebratio Missarum suspenderetur. Archiconfraternitas possessionem nacta domorum, ad compellendum hæredem pro reparatione earum, litem sustinuit; opinatur itaque reductionem habere ad quinque Missas, vel saltem suspensionem Missarum, donec de impensis reticiatur. Sed S. Congregat. definitionem protulit, et Card. Præfecto juxta instructionem rescripsit. Romana Red. seu Susp. Oner. Miss., 21 Junii 1783. Reproducta causa, affirmativum prodiit responsum, juxta votum Card. Protectoris, servata quoad Missas celebrandas ex redditibus Domus ad Arcum puritatis manuali, solutis mensilibus: die 18 Junii 1785.

(5. Ex duobus piis Sodalitiis, altero nimirum Sanctissimi Sacramenti, et altero S. Mariæ suffragii, quæ inter cætera in Oppido S. Elpidii ad mare Diœceseos Firmanæ enumeratur, unum composuit Archiepiscopus. Suffragii Confratres obtenta redintegratione, percontati etiam fuere, an, et a quo tempore, et in qua summa restituendi essent fructus? et responsum tulerunt ad D. Secretarium cum SS. pro condonatione. Firmana die 10 Decembris 1785, dub. 3.

(6. Episcopi Assisiensis edictum, quo societatibus jusserat, ut præter retentionem Libri resolutionum, quæ in Comitiis capiuntur, conficiatur etiam alius codex administrationis æconomicæ, cum adnotatione facultatum ab Ordinario pro faciendis sumptibus, et investimentis datarum, sustinendum esse in omnibus S. Congreg. sancivit. Assisien., die 21 Januar. 1786, dub. 7.

(7. Ascanius Bologninius Archiconfraternitati B. M. V. de Monte Carmelo in Ecclesia S. Chrysogoni erectæ, Legatum reliquit sc. 250, cum onere celebrationis unius Missæ in singulas hebdomadas et unius Anniversarii. Hanc summam in censu domus investivit Sodalitii Camerarius; domus autem censita ad alium possessorem jam pertinere deprehensa est: hinc labore contenditur pro oneris deletione, quum nulli amplius percipiantur fructus; et affirmativum prodiit rescriptum, juxta nempe votum Protectoris, qui deletioni consenserat. Romana Delet. Oner., die 6 Maii 1786.

(8. Suppressa Societate Confalonis Vetrallæ, ejus bona unita fuerunt Sodalitio Misericordiæ ejusdem Civitatis, cum onere celebrandi sacrum feria sexta cujuslibet hebdomadæ in adiplementum Legati Bracalini. Sed quum Missa ex tenuitate redditnum fuisset frequenter omissa, duo nunc Sodales postulant, ut legatum implere liceat per Sacrificium, quod singulis diebus festis celebrat Capellanus Sodalitii absque ulla obligatione; et ut Sacrificium ipsum, quod Legati vi agendum esset in derelicta Ecclesia S. Petri, ad suppressam olim Societatem Confalonis spectante, impleri in propria Ecclesia valeat; et utrique petitioni S. Congreg. favit. Viterben. Trans. Miss., die 19 Maii 1787.

(9. Duplex Laurentius Bacci Ciarpi reliquit Legatum Societati Sacrorum Vulnerum Christi, erectæ in Ecclesia S. Philippi Nerii ad Viam Juliam; primum cum onere Sacri hebdomadalis, secundum sacri menstrui; qua de causa, post diuturnam litem, duo loca Montium Communitatis anno 1657, tradita fuerunt. His extractis anno 1693, sive anno 1696. Societas, hasta posita, alienationem novissimi investimenti pro peculiari ejus debito passa est. Hinc omissum fuit, ac ex justo aliquo titulo id factum fuisse beneficio 130 annorum, asseritur, et exemptio sacri hebdomadalis petitur; S. Congreg. precibus tamen non annuit. Romana Leg., die 19 Januar. 1788, dub. 1.

(10. Ad augendum Deiparæ cultum Marchio Ugo de Popolis redditus Sodalibus SS. Rosarii assignavit 40. Scut., ut harmonicus Litaniarum cantus singulis sabatis, pervigiliis, Festisque eidem dicatis, haberetur, voluitque, ut hæredes in perpetuum supple-

Digitized by Google

rent. In eadem causa alii pii testatores pecuniam legarunt. Intermissæ fuerunt Litaniæ, ut argenteam Crucem a pignore Sodales redimerent, qui prorogationem suspensionis deinde obtinuerunt. Nuper vero preces fundunt pro absolutione quoad præteritum, et pro commutatione voluntatum quoad futurum, ut permissio Cantus Gregoriani perpetua fieret, et detracto cantorum stipendio, redditus in dotem erogarentur; S. Cong. rem non definivit, sed demandavit, ut præfigeretur a Card. Archiepiscopo terminus hæredibus Hugonis, ad deducendum jura sua in S. Congreg. Bononien. Commut. volunt., 26 April. 1788, dub. 1 et 2. Deinde commutatio fuit denegata ad dub. 1, et quoad dub. 2, mandatum fuit, ut quoad illarum voluntatum exequutionem provideri debeat, hæredesque Populi teneri tantum ad summam scut. 39, 15 Maii 1790.

(11. Vicarius Apostolicus Satinus, occasione Visitationis Collegiatæ B. M. in Cœlum Assumptæ Sulmonis in Latio, accepti et expensi librorum exhibitionem sub pœna suspensionis, ut reddatur ratio Synodalibus Syndicis, decrevit. De hoc prætenso injusto decreto Capitulares conquesti sunt, eo quod ex propriis Constitutionibus illos exhibere, et rationes reddere tenentur revisoribus Capitularibus, et saltem reformari petunt a S. Congreg. quæ validum juxta modum respondere putavit. Terracinen. et Setin., die 18 Junii 1796, dub. 4.

(12. Sodalitium erectum in Ecclesia S. Vitalis Parmæ sub titulo Suffragii, ubi nonnullæ Capellaniæ Residentes nuncupatæ adsunt, plurimis gravatum oneribus missarum, functionum, manutentionis Ecclesiæ, ac Sacrarii, et redditus haud pares oneribus habens, propendit in Missarum reductionem ad eleemosynam ob. 15. S. Congreg. eam indulsit ad taxam manualis juxta votum Episcopi. Nam Residentium continuum servitium in Ecclesia Sodalitii necessarium visum fuit. Parmen. Red. Miss., die 11 Febr. 1797, dub. 1.

CONGRUA.

8. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Literas Apostolicas, quibus Parochialis Ecclesia S. Donati loci de Polenda, unita jam antea mensæ Episcopali, ad statum collativum fuit ab Episcopo Brictinoriensi redacta, et Parocho nonnulla assignata prædia ad sui conservationem, ratas habuit S. C. etiamsi affirmetur oratores circumvenisse Pontificem, dum ei relatum fuerat bona prædicta ad parandam Rectori congruam, et onera explenda sufficere. Brictinorien. Congruæ, 10 Decemb. 1785, 1 dub. confirmat., 15 Sept. 1787.

(2. Congruam in pecunia assignatam Parocho S. Michaelis, et solvendam a Rectore Ecclesiæ SS. Josephi et Marci immunem declaravit S. Congregatio a præstatione ratæ commodi, quod ex motu proprio diei 19 Martii retineri potest a possessoribus fundorum rusticorum. In Hortana Congruæ, die 28 Feb. et die 15 Apr. 1807.

(3. Congruæ incrementum Parochi S. Salvatoris in Campo denegavit S. Congregatio, firma remanente solutione scutorum 99, 60, et incertorum perceptione favore ejusdem Parochi. Quoad vero expensas hujus Parœciæ, teneri Abbatem Commendatarium Farfensem Sacra Congregatio definivit, juxta notulam liquidandam ab E. Urbis Vicario ad formam Brevis Urbani VIII. In Romana seu Nullius Farfen. Congruæ, die 19 Dec. 1807.

(4. Hæreditatem Archipresbyteri Antonini erogandam esse in beneficium Ecclesiæ S. Thomæ Apostoli Oppidi Turritæ, non in congruam Archipresbyteri, definivit Sacra Congregatio. In Nepesina Hæreditatis, die 7 Maii 1808.

(5. Ad succurrendam tenuitatem Congruæ Parochi S. Annæ Oppidi Paleani, Sacra Congregatio juxta votum E. Episcopi suspendit tres ex quinque missis hebdomadalibus, quas Parochus ratione Beneficiorum unitorum celebrare debebat. Prænestina Congruæ, die 18 Martii 1809.

(6. Dum S. Congregatio stetit in primo et secundo loco decisis, tertio confirmavit assignationem decimarum factam congruæ loco favore dismembratæ et noviter erectæ Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ Collium. In Reatina dismembrationis, 2 Jun. 1821, ad 1, dub.

(7. Tenuitati vero congruæ Ecclesiæ Matricis, et Collegiatæ Alabri antequam provideret, S. Cong. scribendum esse duxit Episcopo, qui, transmissa fundatione ejusdem Collegiatæ, referret de qualitate servitii choralis, statu activo et passivo Parœciæ, et Ecclesiæ Collegiatæ per decennium, comprehensis incertis, et distributionibus, necnon beneficii ab Archipresbytero Matricis possessi, et quatenus opus esset proponeret media augendi illius redditus, salvis tamen decimis, et congrua dictæ novæ Parœciæ assignatis. Ibid. ad 2, dub.

(8. Ut tenuitati Congruæ Plebani S. Petri Æsinæ Diœcesis provideretur, Sacra Congregatio dixit in congruæ augmento computari quidquid superesset ex redditibus Legatorum Missarum ultra eleemosynam manualem; ideoque reductionem denegavit Legatorum Pesciotti aliorumque : concessit vero hanc reductionem ad manualem quoad Legata Mucci, Baldassini, Agostinelli, ac voluit ut E. Episcopus curaret fieri inscriptionem super fundis gravatis, et descriptionem in Tabella. In Æsina reductionis et absolutionis, die 20 Mart. 1824, ad 1, 2, 3, dub.

(9. Attenta dicti Plebani Congruæ tenuitate, Sac. Congregatio, celebratis tribus Mis-

Digitized by Google

sis pro omnibus omissionibus, quoad Missas in præteritum non adimpletas, consulendum SS. pro absolutione censuit. In eadem ad 5, dub.

(10. Ad D. Secretarium cum SS. juxta mentem rescripsit S. Congregatio, quoad augmentum congruæ Æmygdio Pauri Plebano Castri Ferretti Anconitanæ Diœcesis apoplexia correpto. In Anconitana Congruæ, die 9 Jul. 1825.

8. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

(1. Translato ad Ecclesiam Cœsenatensem R. P. D. Castracane, Episcopo Cerviensi, successit eidem in episcopatu anno 1838, die 11 Februarii R. P. D. Balletti.

Cum vero Mensæ Cerviensis redditus in bonis rusticis omni fere ex parte consisterent, memoratus Balletti pro sua suæque familiæ substentatione nihil ex episcopali præbenda percipere poterat usque ad futurum mensem Julii, quo agrorum segetes recolligerentur.

Ratus itaque in hujusmodi casu ex sacrorum canonum præscripto ac generali consuetudine sese pro sua congrua jus habere ad fructus, quos Antecessor percepisset anno 1837, pro rata temporis, quod ad mensem Julii residuum erat, supplex institit penes Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium, ut auctoritate sua ad hujusmodi congruam præstandam Episcopum Antecessorem adigeret, et insimul summam ab eodem debitam liquido determinaret.

Congruam siquidem ab Antecessore deberi successori, quando beneficii redditus ab illo percepti sunt, et successor non habet, unde vivat, donec novorum reddituum collectio accidat, probare satagebat ex auctoritate Sacræ Rotæ Romanæ Decis. 342, Rec. n. 1, p. 14, Card. de Luca De Benefic. Disc. 83, n. 5, Panimolle. decis. 20, annot. 1, n. 42.

Hac autem in re habendam esse rationem temporis, quod residuum est post obtentum a successore beneficium ostendebat ex iis, quæ docet præsertim Covarruvias L. 1, c. 15. n. 12, in fin. Quam doctrinam confirmatam fuisse aiebat tum ex Sacra Congregatione Concilii in Signina Constituti. 24 Jan. 1828, tum nuperrime ex ipsa Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium in Spoletana Repartitionis fructuum, in comitiis generalibus diei 7 Junii 1839.

(2. At vero R. P. D. Castracane Antecessor in Episcopatu Cerviensi opponebat, ab Episcopo jus irrevocabile acquiri in fructibus, quos a solo separaverit tempore, quo ad alium Episcopatum translatus fuit, Ferraris V, *Episcopus* Art. 3, n. 63, exemplo usufructuarii. Quia imo consuetudinem, quam in sui utilitatem adversarius objiciebat, reapse nec adesse nec observari demonstrabat ex testimonio Card. De Luca Disc. 83, de Benefic. n. 5, et seq.

Itaque proposita causa, juris ordine servato, in partium contradictione die 20 Dec. 1838, cum dubii formula: «Se ed in qual modo Mons. Castracane debba somministrare a Mons. Balletti la suddetta Congrua? » Eminentissimi Patres rescripserunt: *Affirmative pro summa liquidanda:* ut patet ex Cervien. *Congrua diei prædicti.*

At vero, cum pars, quæ causa ceciderat, facultatem obtinuisset, ut iterum audiretur, causa rursus proposita fuit die 14 Martii 1841, cum dubii formula, quæ sequitur: « Se debba confermarsi, o riformarsi il Rescritto del giorno 20 Decembre 1838. » E. Patres rescripserunt *Dilata.* Cum vero postea quædam inter partes concordia, seu transactio esset proposita, E. Patres sua approbatione confirmaverunt: et concordia plenum habuit effectum.

CONSCIENTIA.

5. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Presbyteros simplices Civitatis Interamnensis adigendos esse ad assistentiam Pontificalibus proprii Episcopi, necnon ad collationes Casuum moralium, et Sacrorum Rituum ad formam Concilii Romani Tit. 15, cap. 9, edixit S. Congreg. In Interamnen. Decret. 20 Nov. 1802.

(2. Presbyteros simplices Civitatis Interamnensis adigendos esse ad assistentiam Pontificalibus proprii Episcopi, necnon ad interessendum collationibus casuum moralium, et S. Rituum ad formam Concilii Romani Tit. 15, cap. 9, definivit S. Congregatio confirmans resolutionem præcedentis anni. In Interamnen. Decretorum die 26 Martii 1803.

CONSUETUDO.

8. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1 Primum est, quod in Ecclesia Oscen. Epistola decantatur in pulpito juxta Chorum, ubi Episcopus residet, non autem in Presbyterio.

2. Item Evangelium decantatur ibidem.

3. In Missa solemni dantur a Sacerdote tres benedictiones.

4. In Processionibus tam intra, quam extra Ecclesiam, et in absolutionibus mortuorum, etiam loco parato, Sacerdos, Diaconus, et Subdiaconus, ut æqualiter incedant, portant pannum sericum in forma Gremialis.

5. Subdiaconus autem, qui Celebranti assistit non defert, neque tenet Crucem, sed Cruciferarius deputatus specialiter indutus Superpelliceo sine Pluviali.

6. Diaconus, et Subdiaconus sedent ad *Kyrie eleyson*, *Gloria*, et *Credo* in Missis Conventualibus et Anniversariis, etiam dum dicitur Graduale, et Epistola.

7. Hora sexta dicitur ante Missam, et si

Digitized by Google

diceretur postea, celebratio esset intempestiva, quia propter frigiditatem terræ populus tardius venit ad Ecclesiam.

8. Dicitur *Credo* in Missa solemni statim finito Evangelio ante Concionem.

9. In diebus Adventus, Quadragesimæ, et aliis jejuniorum Diaconus, et Subdiaconus non utuntur Planetis plicatis, sed Dalmaticis.

Et insuper nonnulla alia, licet perpauca, his similia, quæ omnia a consuetudine Provinciæ et Ecclesiæ Oscen. derivantur.

10. Dubitatur, an Canonici præfati possint se tueri hujusmodi generali consuetudine in præmissis, ita ut non possint, neque debeant cogi recedere ab illis, prætextu, quod in aliquo, non tamen in Sacramentalibus, sunt diversa a cæremoniis.

S. C. rescribendum censuit: 1. Ad primum: « consuetudo cantandi Epistolam in Choro in pulpito, si adhuc in Ecclesia Oscen. servatur, tollenda non est, sed retinenda, cum sit antiqua. » 2. Ad secundum: « idem respondendum, ut scilicet servetur consuetudo cantandi Evangelium in ambone, sive in pulpitu, cum id fel. rec. Pius V permiserit in sua Bulla specialiter pro Regnis Hispaniarum edita die 17 Decembris 1570. » 3 Ad tertium: « in Missa solemni cum datur benedictio in fine semel tamen produci debet signum Crucis super populum a Sacerdote celebrante, ut in Missalibus emendationibus habetur. » Ad 4 et 5: « In Processionibus, et Absolutionibus non debent Subdiaconus, Diaconus, et Sacerdos æqualiter incedere, sed Subdiaconus debet præire deferens Crucem medius inter duos Acolythos tenentes candelabra accensa. Præterea permitti potest, ut Subdiaconus, Diaconus, et Sacerdos parati dum incedunt, deferre possint pannum sericum ante se, tamquam gremiale, stante ea consuetudine. » Ad 6. « Diaconus, et Subdiaconus sedere possunt una cum Celebrante, dum cantatur a Choro *Kyrie eleison*, *Gloria*, et *Credo*, et si dabitur tempus, licebit eis etiam sedere dum cantatur Epistola a Subdiacono, et Graduale a Cantoribus. » Ad 7. « Missa Conventualis dici debet post Tertiam in Festis duplicibus, et in diebus Dominicis juxta Rubricam Missalis, non post Sextam; quod si propter terræ frigiditatem populus tardius venit ad Ecclesiam, præstat differre tempus recitandi Tertiam, quam debitum ordinem intervertere. » Ad 8. « *Credo* in Missa solemni dici debet post Concionem, non ante, juxta Rubricas Missæ, et consuetudinem Romanæ Ecclesiæ. » Ad 9. « In diebus Adventus, et Quadragesimæ Diaconus, et Subdiaconus uti debent planetis plicatis non Dalmatica, et Tunicella, juxta Rubricas Missalis. » Ad 10. « Consuetudines, quæ sunt contra Missale Romanum sublatæ sunt per Bullam Pii V, in principio ipsius Missalis impressam, et dicendæ sunt potius corruptelæ, quam consuetudines, neque illis possunt se tueri Canonici, quominus cogi valeant per Episcopum ad observantiam Rubricarum, et Regularum Missalis. » Oscen. die 16 Martii 1591.

(2. Capitulum, et Canonici Civitatis Castelli exposuerunt Sac. Congregationi; quod Fratres S. Dominici recusant sese adunare in Ecclesia Cathedrali, cum facienda est funebris Processio pro cadaveribus associandis, idque contra immemorabilem consuetudinem servatam tam a Regularibus, quam a Parochis, et Confratribus sæcularibus. Et eadem S. R. C. censuit: « Episcopum curare debere, ut vetus loci consuetudo servetur; quod si dicti Fratres S. Dominici aliquid habeant in contrarium, adeant Congregationem. Tifernen. die 23 Mar. 1593. »

(3. Sac. Rituum Congregatio, perspectis, et cognitis, SS. Domini Nostri jussu, quæ in libello Presbyterorum S. Mariæ de Spetia exponebantur, intelligens consuetudinem ab ipsis allegatam conformem esse sacris Canonibus, qui jubent singulis ex uniuscujusque ordinationis tempore dandum esse locum, censuit: « Amplitudinem tuam his literis esse commonendam, ut, ea consuetudine restituta, locum cuilibet, juxta suæ ordinationis tempus, debitum assignet; eumque ordinem pro sua prudentia inviolate posthac conservandum curet, nisi dignitatis alicujus præeminentia, aut prærogativa personalis aliud non postularet. Si quid tamen Amplitudini Tuæ ad hanc rem occurrerit rescribendum, statim nostram Congregationem faciat certiorem. » Lunen. Sarzanen. Idibus Octobris 1593.

(4. Abbas Terræ Montis Novi Senogallien. Diœcesis prætendit non solum sibi, sed suis etiam Clericis debere præcedentiam supra Priorem S. Severi, qui tamen allegavit consuetudinem contrariam sibi faventem, quamvis contentus esset a sinistris ipsius Abbatis incedere. Cum in anteactis Congregationib. responsum fuisset pro Priore, Abbas consuetudinem negans, primam iterum renovavit instantiam.

Et S. R. C. respondendum censuit: « Servetur solitum, et probetur allegata consuetudo. » Senogallien. die 10 Jan. 1597.

(5. An servari debeat immemorabilis consuetudo legendi Laudes in Nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, vel an eædem sint decantandæ? S. C. rescribendum censuit: dub. 1. Negative. Pisana die 3 Augusti 1822.

(6. 1. An non obstante quacumque in contrarium consuetudine, intangibile sit jus Celebrantis in Solemnitate Sanctissimi Corporis Christi semper per se deferendi in publica Supplicatione Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum?

(7. 2. An inveterata quæcumque in contrarium consuetudo derogare possit Legi a Decretis Sacræ Congregationis præscriptæ? S. C. Ad 1. « Affirmative, juxta alia decreta. » Ad 2. « Negative, juxta eadem decreta. » Atque ita decernendum, ac servandum omnino edixere. Triventin. Die 3. Augusti 1839.

Digitized by Google

8. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

Apud Religiosos Ordinis Minimorum Cismontanæ familiæ, a tempore, cujus memoria non aderat, consuetudo invaluerat, ut a Novitiis pensio quædam, alimentorum titulo persolveretur. Itaque Provinciale Definitorium die 15. Decembris 1835, decernere non dubitavit, ut: « Conventus Salutiarum S. Bernardini.... cedere deberet » (in utilitatem aliorum Conventuum, ubi Studium institutum erat) « annuam pensionem eorum Novitiorum, qui in dicto Novitiatu ultra sex reperirentur. » Hujusmodi decreto accessit confirmatio Visitatoris Apostolici, qui, gallica tempestate sedata, a Sancta Sede Apostolica ad illius Religionis res ordinandas institutus fuerat.

At vero hanc dispositionem effectui mandare detrectavit Conventus S. Bernardini Guardianus, ideoque ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium res deducta est. Dum hujusmodi res versaretur, consuetudo, quam super innuimus, deprehensa est, et non immerito dubitatum, an eadem cum Ordinis Constitutionibus conciliabilis esset, vel potius uti abusus et corruptela abroganda foret.

Generalis Curiæ Commissarius hac super re interpellatus, declaravit, hujusmodi usum Ordinis instituto non esse consentaneum, ideoque auctoritate Sacræ Congregationis esse prorsus avellendum.

Consultor, cui de more Sacræ Congregationis, res demandata fuerat, ut sententiam suam exponeret, eam, quam Commissarius retulerat, suo voto confirmavit.

Neque vero injurie; siquidem præter alias rationes, Constitutiones anno 1827, pro Cismontana familia editæ art. 34, sic statuunt: « Nemini liceat quidquam a Novitiis accipere. » Quæ dispositio sanctionem accipiebat ex pœnis contra violatores ibidem statutis. Huc accedebat, quod alibi, nempe rat. 286, 334, 434, ratio præscripta erat, qua Conventibus, qui indigentia laborant, prospici valeret.

Itaque proposita causa cum titulo exscripto in generalibus comitiis diei 30. Martii 1838, sequentibus dubiorum formulis:

« 1. Se e come sia da tolerarsi la consuetudine di esigere la pensione dai Novizi? » *Et quatenus affirmative.*

« 2. Se e come il Decreto in questione si sostenga? » *Quatenus Negative.*

« 3. Se e quale provvedimento convenga prendere nel caso? »

Eminentissimi Patres rescribendum censuere: Ad 1. *negative:* Ad 2. *provisum in primo:* Ad 3. *scribatur Patri Generali ad mentem:* Mens est: « Che scriva al Provinciale, che la Sacra Congregazione ha disapprovato la consuetudine di esigere dai Novizi la pensione *ratione victus*, e che questa risoluzione sia manifestata a tutti i conventi di Noviziato di quella Provincia, assolvendo *quatenus opus sit* tutti i Superiori, che hanno esatto simili pensioni. » *Ordinis Minorum Super pensione pro alimentis a Novitiis persolvenda, et illius erogatione favore conventus Studiorum.*

CONTRACTUS IN GENERE.

5. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Alienationem prædiorum pertinentium ad Canonicos Regulares S. Augustini et Patres Carmelitas Urbini, licet S. C. validam pronunciaverit die 18 Augusti 1804, attamen comperta postea læsione ex relatione periti judicialis, prævio recessu a decisis, irritam declaravit, exceptis prædiis *le Cerque* et *Montale*. In Urbinaten. Nullitatis Contractuum die 22 Decembris 1806.

(2. Ut de nullitate locationis bonorum spectantium ad Archipræsbyteratum Terræ Cesani, et Dominicum Valdambrini constaret, S. C. deputandos jussit Peritos ad effectum liquidandi fructus per decennium proximum contractui, et referendi super damnis. In Portuen. Nullitatis Contractus die 27 Aprilis 1816.

(3. Cum rursus constitisset de læsione ultra sextam partem; rem judicatam ab anno usque 1807. favore tum Patrum Carmelitarum Excalceatorum, tum Canonicorum Regularium Urbini degentium ortam, qua nullitas contractuum definita fuerat, confirmavit S. C. nec constare dixit de causis restitutionis in integrum favore emptorum vadimonium deserentium postquam causa bis jam cecinderant. In Urbinaten. Nullitatis Contractuum die 21 August. 1818.

(4. Iterum constare de re judicata exorta usque ab anno 1807, favore tum Patrum Carmelitarum Excalceatorum, tum Canonicorum Regularium Urbini degentium super nullitate contractuum, et vicissim non constare de causis restitutionis in integrum favore emptorum rursus vadimonium deserentium, postquam causa tertio ceciderant, denuo definivit S. C. dum in decisis sub die 21. Aug. elapsi anni standum esse voluit. In Urbinaten. Nullitatis Contractuum die 27 Februarii 1820.

(5. Recedendum esse a decisis sub die 30 Martii 1822, decrevit. S. C. et statuit, celebrandas esse in futurum Missas quadraginta lect. a diebus festis pro legato de Marinis, facta inscriptione super fundo libero, et descriptione in Tabella. Statuit quoque, ut celebrata unica vice Missa cum cantu, et assistentia totius Capituli S. Blasii Oppidi Finel de Burgo Savonen. Diœcesis Sanctissimo consuleretur pro gratia absolutionis, et condonationis pro præteritis omissionibus: « In Savonen. Commutationis voluntatis die 19 Aprilis 1823. »

(6. Contractum initum inter Capitulum Pontis curvi, et Thomam Amati, uti Eccle-

Digitized by Google

siæ minime utilem, annullandum censuit S. Congr. ac propterea suspendi quoque mandavit decretum executoriale citati contractus, quod Vicarius Generalis Gaetani tulerat die 19. Feb. 1833, in Pontis Curvi 2. Maii 1835.

(7. Quam causam rursus agitatam S. C. eadem firmavit resolutione, et amplius in eadem die 5 Septembris 1835.

(8. Super nonnullis contractibus a Capit. S. Martini stipulandis S. Congreg. rescripsit dilata et ad mentem : Mens fuit ut scriberetur Episcopo E. Protectori, qui una cum D. Secretario S. Cong. inspectis instrumentis, curaret, rem cum debitoribus ad tramites juris componere, et consuleret indemnitati Ecclesiæ, capta inscriptione super fundis idoneis, et certioraret de resultantibus. « In Nullius S. Martini Reductionis missarum, Absolutionum et contractuum Nullitatis die 19 Dec. 1835. ad 3, 4, 5, 6, 7 et 8. Dub. »

REV. FABRICÆ S. PETRI DECRETA.

(1. Contractum inter Conservatorium Oblatarum Sacræ Familiæ Setiæ, et inter Joachim Benedictum Pacifici ex venia Card. *Protectoris* initum, S. C. invalidum recensuit; et quoad fructuum restitutionem respondit, ad D. Secretarium pro liquidatione juxta mentem; nec non ad eumdem cum SS. pro absolutione : « Terracinen. et Setina die 23 Januar. 1790. Dub. 2. »

CONTRACTUS EMPHYTEUSIS.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Cum vero innotuerit ex Archiepiscopi informatione utiliorem beneficio S. Martini ob peculiares circumstantias fore Emphyteusim perpetuam, quam ad tertiam generationem, pro sanatione contractus, ac concessione beneplaciti Apostolici SS. consulendum esse censuit, stipulato tamen novo instrumento, demptis articulis secundo et tertio, quorum loco pactum adjiciendum esse voluit Sac. Congregatio, ut canon conventus in *Luigi* viginti quatuor liber ab omnibus oneribus impositis, et imponendis esse deberet, incertis indictis instrumento, mappa et descriptione confinium, et cum solitis clausulis. In eadem Vercellin. die 3. Julii 1817.

(2. Absolutionem a censuris ad cauthelam, attenta bona fide, concessit S. Congregatio Comiti Alphoso Montani, qui contractum emphyteusis ad tertiam generationem iniit anno 1793. cum cl. mem. Card. Rovarella, quin tamen unquam obtentum fuerit beneplacitum Apostolicum, licet reservatum in stipulatione. In Pisauren. Emphyteusis 18. Mart. 1820. ad 4. dub.

(3. Constare dixit Sacra Congregatio de nullitate emphyteusis initæ anno 1793. iter Cl. Mem. Cardinalem Rovarella, et Comitem Alphonsum Montani bonorum tum beneficii S. Joannis de Cerreto tum alterius Beneficii S. Barbaræ, quia numquam obtentum fuit beneplacitum in stipulatione contractus reservatum. In Pisauren. Emphyteusis die 18 Mart. 1820. ad 1 Dub.

(4. Quia tamen aderat nova, ac melior oblatio Vincentii Perfetti, illius sanationem et concessionem beneplaciti Apostolici favore Alphonsi Montani, qui canonis reductionem postulabat, denegavit eadem Sacra Congregatio. Ibid. ad 2 Dub.

(5. Ob auctam vero a Montanio in aliis scut. septem oblationem annui canonis scutatorum 140. factam a Perfetti, antequam definiret Sacra Congregatio, cujus favore deliberanda esset emphyteusis, affigenda esse censuit nova edicta super oblatione scutatorum 147. facta a Montani, non respiciens hoc modo oblationem utilem Ecclesiæ factam ante concessionem Beneplaciti, sed ne ejus favore emphyteusim deliberans, cum oblatio extrinsecis solemnitatibus laboraret. Ibid. ad 3. Dub.

(6. Constare de validitate contractus emphyteutici bonorum beneficii S. Venerandæ erecti in oppido Siroli Anconetanæ Diœcesis, qui initus fuerat sine beneplacito Apostolico, ac proinde locum esse illius rescissioni definivit Sacra Congregatio, instante hodierno Rectore Joanne Soglia, et silentibus emphyteutis Moscatelli. In Anconetana Nullitatis contractus die 27 Maii 1820. ad 1. Dub.

Ac proinde esse restituendos fructus fundi emphyteutici pro summa liquidanda non a die celebrati contractus, ut contendebat Rector, sed a die motæ litis. Ibid. ad 2 dub.

(7. Cum tamen nullus comparuerat oblator ac interea Vincentius Perfetti diem obierit supremum, delibera fuit emphyteusis favore Comitis Montani pro annuo canone scutatorum 147. salvo jure vigesimæ sextæ, et præstito per eumdem, intra tempus ab Episcopo designandum, idoneo fundo libero pro securitate Canonis juxta votum E. Cardinalis Ercolani Relatoris, injunxitque Bullarum expeditionem. In eadem Pisauren. emphyteusis die 26 Aug. 1820.

(8. Antequam judicaret Sacra Congregatio utrum Comiti Donus-deo de Malevoltis patrono hospitii sub invocatione S. Marthæ erecti Senis essent condonandi fructus percepti ex non solutis Canonibus emphyteuticis bonorum ejusdem hospitii ascendentes ad summam scutorum 1459. et an, et ad quod tempus suspendenda esset canonum illorum annua solutio ob rei familiaris angustiam, ac demum an consulendum esset SS. pro absolutione a censuris, voluit eadem Sac. Congregatio, ut E. Archiepiscopo scriberetur, ut referre dignaretur de singulis contractibus emphyteuticis eorum legitimitate quoad interventum necessariæ auctoritatis, eorumque justitia quoad quantitatem Canonis, et de existentia fundorum penes Malevoltos. In Senen. die 26. Augusti 1820. ad 1. 2. et 3. dub.

(9. Post reprobatam emphyteusim perpetuam trium vineolarum Beneficii erecti in Collegiata Sancti Gaudentii Civitatis Nova

Digitized by Google

riensis, ac demandatam affixionem edictorum pro emphyteusi ad tertiam vel quartam generationem, cum unica comparuisset oblatio, apposita conditione emptionis cujusdam praedii vocabuli *Prazzone*, S. Congregatio, prorogato judicio, Em. Episcopo scribendum esse duxit, ut nova edicta affigerentur pro unica emphyteusi ad tertiam vel quartam generationem tum vinearum, cum enunciati prædii. In Novarien, Beneplaciti Apostolici die 24. Mart. 1821.

(10. S. Congregatio censuit condonandos esse redditus perceptos a Comite Donus-deo de Malevoltis patrono hospitii sub invocatione S. Marthæ erecti Senis, ex non solutis canonibus emphyteuticis ob rei familiaris angustiam, præsertim cum legitimi præsumerentur Emphyteutici contractus. In Senen. die 23. Junii 1821. ad 1. dub.

(11. Antequam E. Patres aliquid decernerent tum circa sanationem contractus Emphyteusis Beneficii sub invocatione S. Mariæ syderibus receptæ, et S. Victoriæ Fesulanæ Diœcesis, tum pro absolutione a censuris, reductione Missarum, et absolutione quoad præteritas omissiones, tum pro exoneratione Rectoris ab onere residentiæ, nec non quoad præstationem legatorum Dotis, et medii cadi olei; censuerunt scribendum esse Episcopo, pro transmissione contractuum Emphyteusis et primæ reductionis canonum, nec non ut referret, auditis patronis an, et cur consenserint contractui Emphyteusis, ac præsertim cessioni usus domus, in qua residere debet Beneficiatus sub pœna privationis, et an existat cultus B. M. V. in Ecclesia Pacensi, vel fuerit alio translatus. In Fesulana die 19. Aprilis 1823. ad 1. 2. 3. et 4. et 5. et 6. dub.

(12. Constare de rejudicata dixit Sacra Congregatio, seu constare de nullitate Emphyteusis a Marco Bertoccini celebratæ anno 1786. cum bon. m. Præsule Galeatio Marescotti quoad bona Prioratus S. Spiritus Urbevetanæ Diœcesis. Præterea eadem Sacra Congregatio statuit esse locum circumscriptioni actorum gestorum coram Vicario Generali Urbevetano, quorum vi Fratres Bertoccini redintegrati fuerunt ad possessionem hujusmodi Bonorum; ideoque fructus esse restituendos Rectori Præsuli Pandolfi Alberici a die captæ possessionis Beneficii. In Urbevetana Emphyteusis die 24. Maii 1824. ad 1. et 2 dub.

(13. Emphyteusim perpetuam super fundis sex beneficiorum ab Antecessore Præsule Bargagnati initam Pontificio rescripto cum fratre suo Aloysio, et a S. Congregatione Episcorum et Regularium approbatam, irritam, nullamque contendebat actualis beneficiorum Possessor Paulinus, prævia oris aperitione, utpote quæ tum ex Canonis tenuitate, tum ex pactorum Emphyteusis naturæ adversantium acerbitate Ecclesiæ existerat perniciosissima, ac præterea flagitabat expensarum tum judicialium, tum extrajudicialium refectionem, utpote ex pactis contractui adnexis conventam. Fratres e contra Bargagnati Pontificio rescripto tuti, quippe cum Pontifex ipse edixerit se stipulationis syngraphas in manibus suis versasse, et singula oculis accepisse, tum etiam ex subsequuta S. EE. et RR. Congregationis confirmatione, seu declaratione, contractus firmitatem protueri nitebantur. Re autem mature perpensa, EE. PP. responderunt: Dilata et ad mentem cum SS. In Fabrianen. Emphyteusis die 23. Aprilis 1835. ad 1. 2. et 3, dubium.

(14. Quoniam Hieronymus Petri rector Ecclesiæ B. M. in Cœlum Assumptæ beneficii bona, nullo juris ordine servata, nec habito respectu ad Ecclesiæ utilitatem, concessit in emphyteusim, Sacer Ordo nullum declaravit conctractum. In Nucerina Emphyteusis 26. Martii ad 1. Dub. Nullum insuper emphyteusis sanationi locum fieri, et fructus latifundii a die motæ litis restituendos esse respondit. In Nucerina Emphyteusis die 16. Julii 1836. ad 2. et 3. dub.

(15. Cardinalis Pallota, ut prædia beneficii quod Philotrani possidebat in emphyteusim concederet Joanni Barberesio vigesimario, Apostolicum Beneplacitum accepit sub clausula, salvo jure sextæ, et facta inscriptione. Cum vero Barberesius domum jam hypothecis gravatam tradiderit inscribendam, Vir E. instrumentum renuit stipulari, licet nullus alius designato tempore sextam obtulisset. Defuncto hinc Emin. Pallota successor Beneficii Philippus Perfecti emphyteusis contractum, melioribus sane conditionibus, iniit cum Aloysio Bianchio, qui prædiorum possessionem, Barberesio haud contradicente, adquisivit. Contendente postea Barberesio adversus perfectum validam fuisse priorem emphyteusim S. C. respondit: Negative in omnibus: In Auximana Emphyteusis die 17. Decemb. 1836. ad 1. dub.

(16. E converso, juxta nuperam facti speciem consulendum SS. pro adprobatione Emphyteusis favore Aloysii Bianchi, salvo jure vigesimæ et sextæ, rescripsit S. C. In eadem ad 2. dub.

(17. Hæredibus Roggeri emphyteutis bonorum beneficii B. M. V. Lauretanæ in Oppido Lapedonæ contendentibus adversus Beneficii Rectorem Præsulem Aloysium Bonini locum fieri canonicis reductioni ob Dativæ augmentum, et reddituum imminutionem, EE. PP. perspicientes fundorum proventus longe excedere sextam supra canonem, reductionem denegarunt. In firmana Emphyteusis quoad Canonis reductione die 26. Novembris 1836.

S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA

(1. Anno 1790. Xaverius Mercanti cum solidati Comitis Jacobi Brancadoro fidejussione bona Nosocomii Moglianensis in Emphyteusim ad tertiam generationem masculinam accepit pacto præsertim adjecto « di pagare l'annuo canone di scudi 460. senza veruna eccezione, senza diminuzione o defalco alcuno.... tutte le collette Camerali e Comunali imposte e da imporsi » Tandem emphyteusi expirante, singula melioramenta

Digitized by Google

in loci pii utilitatem cedere ex conventione debebant.

Usque ad annum 1820. inter canonem depactum et fructum ex emphyteuticis bonis perceptum correspectivitas perduravit, ita ut emphyteuta nullum læsionis detrimentum persenserit. Attamen postero tempore, licet bona emphyteutica administratori ad id deputato procuranda data essent, facto deprehensum est, canonem multo majorem fructu percipi solito evasisse. Itaque cum cæteroquin dominus utilis multorum annorum debitor adhuc esset, anno 1836. ex justa S. C. Episcoporum et Regularium concordia inita fuit, qua inter alia capita circa debitæ pecuniæ summam aliqua imminutio fiebat, et emphyteusis, utpote quæ progressu temporis læsioni obnoxia evavisset, rescindebatur. Archiepiscopi votum concordiæ favebat.

Ad hanc rem S. C. suum edidit rescriptum, quo concordiam confirmabat : addidit autem clausulam : *accedente consensu Municipii :* Qui licet a municipio, coactis comitiis, elicitus fuisset, ipsa tamen comitiorum, acta confirmare renuit delegatus Apostolicus Firmanæ Provinciæ una cum consilio, quod vulgo nuncupatur: *Congregazione governativa.* Hinc apud ipsum sacrum ordinem juxta formam in eodem usitatam controversia disceptari debuit.

Delegatus Apostolicus contendebat, quod licet doctores in diversam sententiam abeant super quæstione, num lex 2. de Rescindenda venditione ad emphyteusis contractum debeat extendi, tamen Sacrum Rotæ Romanæ Tribunal illis subscripserit, qui beneficium prædictæ legis tunc excludebant, cum canon esset levissimus, tunc admittebant, cum canon redditui comparatus gravis agnoscitur. In hoc autem secundo casu duas conditiones requiri, nempe ut Emphyteuta demonstret læsionem ultra dimidium et in valore æstimando tempus inspiciatur stipulatæ conventionis.

Sed e contra animadvertebatur emphyteusim ex natura sua læsioni obnoxiam esse posse : et vero certo adhuc statutum non esse, quænam in hac læsione æstimanda ratio sequenda sit. Nam Rota in Firmana seu Maceraten. Reduct. (a Delegato citata) 16. Martii 1838. coram Marini l. 2. de Resc. Ven. emphyteusi applicaverat, e contra in Camerinen. Reduct. Canon. 24 Feb. 1832. coram Zacchia Bartol. Theoricam ad L. 1 C. de Jur. Cap. amplexa fuerat. Porro quoad primum statuitur canonis reductionem ad æquilitatem locum non habere, donec evidenter probatum non sit, quod fundi emphyteutici fructus ad dimidium canonis persolvendi non ascendat. Quoad secundum statuitur, quod quando fructus fundi emphyteutici impares sint canoni repræsentando, tunc reductioni canonis locus fiat, in quo Bartholi theorica consistit.

Cum igitur instabilis adhuc esset Tribunalium hac in re doctrina, illud contingebat ut incertus esset exitus litis. Huc accedebat, quod Ecclesia, utpote mater æquitatis, fieri se ditiorem renuat cum aliena jactura.

Dubium itaque disputatum fuit in plenario conventu diei 12 Julii 1839. « Se e come abbia ad eseguirsi il Rescritto della Sacra Congregazione, non ostante il dissenso della Congregazione Governativa? »

Eminentissimi Patres rescribendum censuere in Firmana Emphyteusis

Affirmative juxta votum E. Archiepiscopi Ferretti, et ad mentem : mens est « Che la Sacra Congregazione desidera, che l'E. Ferreti procuri di ottenere più vantaggiose condizioni a favore del luogo pio tanto circa i danni che i miglioramenti »

Petrus Caliciotti anno 1818. prædium parochiale ad tertiam generationem a parocho pro tempore rite accepit pro annuo canone scutorum triginta supra septem, pacto addito, ut supportaret omnia onera realia et personalia imposita et imponenda, itemque perageret quædam certa melioramenta, quæ eveniente casu moræ ac devolutionis, in parochiæ commodum cedere deberent.

Effectum conventio sortita est : sed anno 1836. Dominus utilis penes episcopalem Curiam institit, ut canoni reductio fieret ob causam læsionis. Cum acta judicialia conficerentur, parochus judicis incompetentiam allegavit, ideoque Emphyteuta ad S. C. Episc. et Reg. negotiis præpositam suam petitionem transtulit.

Ibi igitur causa proposita in jure eadem adversabantur, quæ in allata Firmana exposita sunt. Nisi quod in themate res erat de Emphyteusi Ecclesiastica, quæ moderanda erat ad normam Motus Proprii Benedicti XIV, diei 23 Novem. 1742, necnon juxta instructionem Sacræ Congregationis Episcoporum et Regularium, diei 5 Decemb. 1782. Jam vero videbatur, in casu emphyteusis ecclesiasticæ ea admittenda esse læsio, quæ dimidium excederet, Rota Rom. in Forolivien. Vigesimæ, 7 Junii 1795, n. 3, coram Flangini. Cui consonat Sac. Congregatio Concilii, quæ canonis reductionem concessit in defectu læsionis ultra dimidium in Senogallien. Reduct. Can., 27 Aug. 1831.

In facto vero Parochus tuebatur ex fide duorum testium, qui prædictum fundum titulo locationis detinuerant, quod tempore conventi contractus redditum daret scut. 42, nunc vero fundi conditionem una cum melioramentis culpa emphyteutæ deteriorem effectum fuisse, nihilominus sese minime præbebat ailenum a coercendo canone ad scutata 32. licet prævideret, brevi melioramenta majoribus proventibus causam datura.

E contra tres viri periti seorsim in eadem re consulti canonis excessum portendere videbantur, siquidem horum primus æstimationem annui redditus (et hanc parochus producebat) in scutatis viginti supra quatuor determinabat; alter ex officio ab Ordinario deputatus in scutatis decem supra septem et obolis viginti octo; tertius tandem ab Ordinario privatim sciscitatus ad scutata viginti, si tempus datæ æstimationis respicere-

Digitized by Google

tur, si vero posterum tempus attenderetur, opinabatur majorem quotannis redditum inde obventurum.

Episcopus de more rogatus, ut suam sententiam panderet, autumabat in casu de quo agebatur, canonem posse reduci ad scutata triginta.

Hinc tres dubiorum formulæ juxta formas a Sac. Congregatione præscriptas in conventu generali, diei 3 Aprilis 1840. Eminentissimis Patribus dirimendæ propositæ sunt, videlicet.

1. « Se e da qual tempo, ed in qual som- « ma abbia luogo la riduzione ad eguaglianza « dell'annuo canone nel caso? » Et quatenus affirmative.

2. « Se e come abbia luogo a favore del « luogo pio l'azione nel caso? » Et quatenus negative ad utrumque.

3. « Se e come possa ammettersi il pro- « gretto di conciliazione proposto da Mon- « signor Vescovo? »

Eminentissimi patres rescripserunt Ad « primum, secundum, et tertium, attentis peculiaribus circumstantiis, pro gratia reductionis canonis ad scutata triginta quoad futurum; facta tamen parocho optione rescindendi contractum, quatenus expedire censuerit, Ferentina Reductionis Canonis, 3 April. 1840. »

(2. Angelus Sorge anno 1782, ab Administratoribus Montis Pietatis Reatinæ Civitatis fundum quemdam in emphyteusim acceperat adjecto onere, ut ab eodem solveretur « census annuus præcipuus et liber, supportatis omnibus oneribus realibus et personalibus, » ut verba exhibent Apostolici beneplaciti. Insuper in publico instrumento ad hanc rem confecto additum est, quod census solvi deberet etiam « quocumque alio casu tam humano quam divino judicio proveniente, etiamsi in dictis casibus, et quolibet eorum motu proprio SS. D. N. Papæ aliqua defalcatio ac excomputatio specialiter et expresse concederetur. »

Aliquibus post annis cum taxa prædialis, vulgo dativa reale, a supremo principe instituta fuisset, idem Angelus Sorge sub die 3 Martii 1802, a Consilio Montis Pietatis obtinuit, ut onera Cameralia atque Municipalia tam imposita quam imponenda « vengano ripartiti tra il S. Monte, e l'Emfiteuta *pro* « *rata commodi* a tenore della regola Cata- « strale. »

Usque ad annum 1834, juxta hanc methodum res processerunt; at vero postea Montis Pietatis administratores eamdem haud satis sibi placere ostenderunt, ideoque causam penes Episcopalem curiam instituerunt. Judex igitur sub die 3 Martii 1836, sua sententia declaravit « che si buonificasse la « dativa dell'anno 1827, a tutto il 1834, « qualora ne venisse dimostrato il paga- « mento. »

Neutri partium hujusce sententiæ tenor arridere visus est, ideoque res penes Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium deducta est.

Emphyteutæ lex favere videbatur a S. M. Pio VII, die 27 Martii 1801, § 28, promulgata, in qua sancitum fuerat « dovrà onni- « namente il pagamento della medesima « dativa ripartirsi fra il dominio diretto, ed « il dominio utile *pro rata commodi*, che « ciascuno di essi ritrae dal fondo emfiteu- « tico » relicta cura emphyteutæ, ut a Domino directo indemnitatem exigeret ad rationem decimæ partis canonis, ut declaratum est in lege edictali 1803, et 16 Julii 1816, art. 221.

Clausulam autem in Beneplacito apostolico adnexam non obstare contendebat idem Angelus doctrina innixus Sacræ Rotæ Romanæ in Beneventana Super Retentione Ratæ Commodi, 10 Junii 1833, coram de Cuppis. Quamvis enim ibi de contractu ageretur, in quo beneplacitum apostolicum cum una eademque clausula impertitum fuerat, nihilominus concordato dubio: « An sit locus retentioni Ratæ commodi, ita ut constet de validitate oblationis et depositi, seu potius an et in qua summa constet de credito, et sit relaxandum mandatum in casu? » responsum editum est: Affirmative in omnibus ad *primam partem*, negative *ad secundam*.

Quod pertinet vero instrumenti verba, advertebat, contrahentium mentem non potuisse respicere publica vectigalia a principe imponenda; ibi enim potius inspecta fuisse infortunia, quæ ex cœli inclementia, aut humana malitia proficisci possent. Quo quidem in casu nullum defalcationi aut excomputationi locum fieri rectum et justum judicabat.

At vero contra Emphiteutam facere arbitrabantur Administratores pii loci legem a Sacra Congregatione Œconomica latam ex Oraculo felicis recordationis Pii VII, diei 13 Martii 1803, in qua declaratum est *Ratæ commodi* locum non fieri, si quando pactum explicitum obstaret; itemque legem 21 Junii 1806, in qua statutum fuerat *Ratam commodi* non esse admittendam « in tutti i casi, ne' quali tra due contraenti siasi convenuto che li canoni... debbono farsi liberi e franchi da ogni gabella e tassa imposta e da imporsi di qualunque genere, e natura si sia, o con altri termini ed espressioni equivalenti. »

Jam vero in casu ea pacta adhibita fuerant, quæ ita indefinita erant, ut quemlibet casum comprehendere viderentur; et insuper diserte declaratum fuerat emphiteutam a canonis solutione eximi « quocumque in casu tam humano quam divino judicio proveniente, » licet accederet etiam ipsius Pontificis motus-proprius. Hinc Rota contra emphyteutam judicium tulerat simillimo in casu, nempe Ferrarien. Emphiteusis quoad taxam prædialem, 17 Jan. 1020, coram Isoard. In ea siquidem habetur, quod inter partes contrahentes pactum additum fuerat « di dare e pagare ogni an. sc. 110, netti, liberi, immuni, ed esenti da ogni aggravio sì reale, che personale, e tanto ordinario, che straordinario, e da ogni e qualunque casc fortuito od impensato. » Jam vero tempore stipulatæ conventionis nulla cogitatio vel prævisio de

Digitized by Google

taxa prædicti fieri poterat : id enim accidebat sub Pontificatu S. M. Benedicti XIV. Insuper eadem clausula fuerat adjecta. Nihilominus concinnato dubio : « An et a quo præstandæ sint taxæ prædiales; ita ut sit locus retentioni in casu ? » responsum prodiit : « Affirmative, taxam prædialem præstandam esse ab Emphiteuta, in reliquis negative. »

Hæc omnia ab utraque partium in contradictione exposita sunt; utque omne controversiæ caput recideretur, tria dubia E. Patribus dirimenda proposita sunt, videlicet :

1. « Se e da qual tempo l'Enfiteuta abbia diritto di ritenersi il canone *pro rata commodi*, o piuttosto sia tenuto pagare l'intiero canone al S. Monte di Pietà nel caso ? Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

2. « Se l'Enfiteuta debba rindennizzare il pio luogo della rata annua ritenuta fin dal 1803 ? Et quatenus affirmative.

3. « Se e come convenga condonare all' Enfiteuta la somma non pagata al S. Monte nel caso ? »

Quibus iidem E. Patres adunati in generali auditorio, diei 22 Maii 1840, rescribendum censuere :

Ad primum affirmative *ad primam partem;* negative *ad secundam.*

Ad alia provisum *in primo.*

(3. Anno 1820, mensa Episcopalis Imolen. quemdam fundum sine beneplacito apostolico pro spatio annorum sexaginta novem Francisco Fantini concesserat. Anno 1836. Emphyteuta hunc substantialem defectum agnoscens, a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium sanationem ejusdem contractus imploravit. Cum vero in causæ cognitione constitisset canonem impositum nimis tenuem esse, hinc dubia hac de re Eminentissimorum Patrum judicio dirimenda proposita sunt :

1. « Se il detto contratto d'emfiteusi debba sanarsi e convalidarsi ?

2. « Se debba imporsi la condizione, che il Canone sia accresciuto ?

Et quatenus affirmative ad utrumque.

3. « Se l'accrescimento debba stabilirsi dalla S. Congregazione, ed in qual somma, avvero si debba rimettere al prudente arbitrio di Mons. Vescovo d'Imola ? »

Eminentissimi Patres in plenario conventu convocati die dicta 3 Martii 1837, responderunt :

Ad 1. affirmative. Ad 2. affirmative, aucto canone arbitrio Episcopi. Ad 3. provisum in primo. Imolen. Emphyteus. diei 3 Martii 1837.

(4. Capitulum Ecclesiæ S. Mariæ *Regina cæli* Montis-sancti in alma Urbe duo cujusdam domus solaria ad viam « del Corso » possidebat, quæ Augustino Vallati, veteri inquilino, ad annos duodecim anno 1839, iterum locaverat.

Cum autem plurimi sumptus in ædificio reficiendo perferri debuissent, Capitulum eadem solaria in emphyteusim ad quartam generationem dare constituit : et ad hanc

rem die 17 Augusti 1842, edicta apposuit, in quibus eos, qui ad hoc optarent, commonebat : « di depositare le offerte chiuse e sigillate nell'Officio Capitolino Malagricci per prendersi in considerazione. »

Inde factum est, ut duæ oblationes exhiberentur, una ab Augustino Vallati scutator. 180. altera a Benigno Tignani scut. 220. Cum vero Augustinus Vallati jus prælationis in pari conditione sibi competere putaret tam ex Const. Gregorii XIII. *Quæ publice utilia*, quam ex speciali pacto in locatione convento, ideoque ad eamdem scut. 220. summam augeret oblationem suam, E. Card. Vicarius iterum jussit « che fossero nuovamente affissi gli editti invitatori per tutti quelli, che volessero dare le loro offerte sopra la indicata somma di sc. 220. »

In hoc secundo periculo tres exstiterunt Oblatores, videlicet idem Vallatius pro scut. 225. idem Tignanius pro scut. 260. et Eques Lopez-Celli pro scutatis 280. Sed huic ultimæ tam offerens, quam Capitulum renunciavit, ideo locus factus est Tignanii oblationi excipiendæ; qui præterea scut. 315. quot in restaurationem impensa fuerant, solvere pollicitus est.

Igitur die 19. Maii ejusdem anni rescriptum prodiit cum clausula, ut tam ipse, quam suus filius emphiteusim posset transmittere « sive per actus inter vivos, sive etiam causa mortis in personam quoque extraneam, quatenus ipse, aut ejus filius absque filiis masculis moriantur. » Addita deinde conditio est, ut edicta pro vigesima et sexta iterum apponerentur, quibus mandatis cum rite obtemperatum fuisset, nullus alius intra viginti dierum spatium oblator sese objecit. Sed bina post die iterum supervenit Vallatius, eademque Tignanii oblatione ad summam scut. 260. cum aliis scut. 315. exhibita, jus prælationis sibi debitum esse reflagitavit. Sed Tignanius hanc petitionem nihili pendens effecit, ut memoratum rescriptum rite expediretur.

Cum res ad hunc statum deducta esset, ad S. C. Ep. et Reg. causa delata est, dubiique formula condicta « Se ed in qual modo si debba preferire Agostino Vallati nel contratto di emfiteusi, di cui si tratta, pel quale era stato rilasciato il rescritto a favore di Benigno Tignani? »

Vallatius affirmativam sibi responsionem tribuendam esse tuebatur duabus præsertim de causis. 1. Gregorius XIII in citata Const. *quæ publice* sancivit, ut si quis Romæ domum vendere velit, et adsit vicinus, qui super venali domo inædificare paratus sit, hic quisbusdam adjectis conditionibus jus prælationis supra cæteros obtineat; qui si desit idem jus inquilino devolvatur, sed sine obligatione ædificandi. Jamvero dd. hanc prælationem non ad unum venditionis casum coercent, sed etiam ad emphiteusim, quæ tantum cum emptione habet affinitatem, producunt -Corradin. De Præl. qu. 16, n. 112. Deinde in locationis instrumento § 14, pactum conventum est « In fine termi- « nata che sara la presente locazione, il Co-

Digitized by Google

« pitolo promette al Signor Capitano Vallati « Conduttore di averlo in considerazione « nel nuovo affitto a preferenza di qualun- « que altro ». Hic enim non duntaxat de ratione, quæ conductori habenda sit, sermo est, sed insuper aperte innuitur aliis esse præferendum « a preferenza di qualunque « altro. »

Neque vero opponi posse pergebat, quod ipse suo juri tacite renunciaverit, cum sciens ac volens suam oblationem exhibuit: auctores enim qui e contra afferuntur casum respiciunt judicialis venditionis, quæ per auctionem ad hastam publicam perficiatur. Deinde ex mente ipsorum Doctorum, ut quis juri suo renunciasse dicatur, requiritur, ut prius rerum statum integre ac luculenter ipse cognoscat; id autem non evenit, nisi cum omnia conventionis elementa ita sunt parata et matura ad perfectionem, ut nihil nisi actus desideretur.

Neque aliquid officere aiebat, quod Tignanius Rescriptum a S. C. retulerit, idemque expediri curaverit. Rescripta enim S. C. facultatem quidem inducunt, non vero obligationem. Hinc capitulo nulla ex parte S. C. obligatio orta est conventionis cum Tignanio celebrandæ. Cæteroquin autem in suis edictis tantum declaraverat sese majori oblatori non prælationem daturum esse, sed tantum rationem habiturum « per esser. preso in considerazione » quin tamen prælatio promitteretur. Duæ enim distinguendæ sunt in bonis adjudicandis rationes, altera fiscalis, quæ suas repetit regulas a Motu-Proprio Ben. XIV, et magis ex decreto S. C. Ep. et Reg. diei 18 Martii 1835; altera vero privata, in qua dominus eas potest conditiones apponere, quas sibi expedire magis videbitur. S. Rota in *Romana Affictus* 22 Junii 1761, § 4, coram Herreros.

E contra Tignanius aiebat in adjudicatione bonorum ecclesiasticorum certas regulas esse præscriptas, et observandas esse ex decreto S. Cong. ep. et Reg. diei 18 Martii 1835. Jam vero Capitulum ad hasce regulas, prout debuit, sese conformasse ostenditur ex iis, quæ narrata sunt; ideo iis standum esse, quæ in allati decreti capitibus sanciuntur. Atqui in apponendis edictis pro vigesima tunc alteri prælatio tribuitur, cum intra spatium viginti dierum, nec ultra, hic eam pecuniæ vim offerat, quæ vigesimam oblati pretii partem saltem exæquet. Post hæc fit locus edictis pro sexta, in qua pariter ea pecuniæ vis requiritur, quæ par sextæ oblati pretii parti sit, relicto trium mensium spatio. (Vide citatum decretum S. C. diei 18 Mart. 1835, tam ad dubia Episcopi Assisiensis, quam ad articulos subsequentes).

Jam vero Vallatius numquam majorem oblationem, quam Tignanius, proposuit. Hinc nullum impedimentum sibi jure opponi posse censebat, quominus et rescriptum obtineret, idemque expediendum curaret, quin ulla Capitulo recedendi facultas relinqueretur.

Quod vero pertinet ad laudatam Gregorii XIII Const. replicabat, eamdem utpote editam in re odiosa, quæ nempe liberum de suis rebus disponendi arbitrium coercet, ita restringendam esse, ut a contractu, qui nominatur, ad eum qui siletur, non extendatur. Rota in Romana Prælationis et Evacuat. 8 Julii 1808, coram Isoard. Deinde ut quis hoc beneficio fruatur, totam domum incolat necesse est. Tandem quidquid sit de jure prælationis, quod sibi arrogat Vallatius, contendebat eum ipsi juri cessisse, simul ac volens ac sciens inter oblatorum numerum sese immiscuit

E. Vicarius quoad maximam partem Vallatii rationes tuebatur, illique pluribus de causis prælationem concedendam esse opinabatur.

Nihilominus in generali conventu diei 24. Jan. 1845. E. Patres dubio, quod superius exscripsimus, rescribendum censuerunt: *Negative*

CRUX.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. In processionibus quibusdam solemnioribus, utpote Candelarum, Palmarum, Feriæ V et VI, majoris Hebdomadæ, Sabbati Sancti, in absolutionibus defunctorum, et quoties Episcopus pontificaliter celebraturus in Ecclesia Cathedrali processionaliter procedit a Sacrario, sive ab alio loco deputato ad altare, Subdiaconus etiam Canonicus deferre debet Crucem, quæ tamen sit longitudinis competentis, et ad portandum facilis, in aliis autem Processionibus a supradictis aliis, nempe Cruciferarius consuetus ipsam deferat, Superpelliceo vel Tunicella indutus, nullo autem modo Pluviali: Oscen. Die 11 Junii et 9 Julii 1591, dub. 18.

(2. Proposito dubio: An Dignitates et Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ Urbinaten. uti possint annulo, Cruce pectorali cum gemmis, caligis, sandaliis, et chirotecis præsertim auro ornatis. S. C. respondit: « Affirmative juxta modum: modus est, quod in missis solemniter decantandis solus Celebrans uti possit enunciatis indumentis » auro non ornatis, nec non annulo cum unica gemma, et Cruce pectorali sine gemmis, et amplius: Urbinaten. Die 29 Januarii 1752, dub. 1.

(3. 10. An servari possit asserta consuetudo, ut in Processionibus palmarum, et candelarum (functionem non peragente Episcopo) Crucem portet Capellanus per turnum paratus. S. C. rescribendum censuit: *Affirmative, et amplius*, Conimbricen. die 14 Aprilis 1753, Ad 10.

(4. 17. An omnes Canonici in Choro præsentes Feria VI, in Parasceve, teneantur accedere ad adorandam Crucem ante gradus Altaris majoris in casu etc.

19. An et qua pœna puniendi sint non accedentes ad Crucis adorationem, in casu etc. S. C. rescribendum censuit: Ad 17, *Affirmative*. Ad 19, « Punctandi erunt tamquam ab-

Digitized by Google

sentes a Choro. Casalen. Dubiorum Die 15 Septembris 1753. »

(5. An in Processionibus generalibus Parochus S. Antonii, ejusque Capellanus Curatus incedere debeat sub unica Cruce Ecclesiæ Collegiatæ, vel potius constituere possit corpus distinctum cum dicto Cappellano Curato, et assertis Presbyteris, et Clericis suæ Ecclesiæ Parochialis, et suam elevare Crucem in casu etc.? et quatenus affirmative quoad primam partem.

6. An, non interveniente Capitulo, in associandis funeribus parochianorum Ecclesiæ Collegiatæ ad Ecclesiam S. Antonii, istius Parochus Stolam induere, et Crucem elevare possit, ac præcedentiam habere debeat a Parocho Collegiatæ, etiam intra limites parochiæ ejusdem collegiatæ, seu potius, intra limites tantum ipsius Parochiæ S. Antonii, in casu etc.?

7. An non interveniente Capitulo in associandis funeribus Parochianorum Ecclesiæ S. Antonii ad Ecclesiam Collegiatam, istius Parochus Stolam induere, et Crucem elevare possit, ac Præcedentiam habere debeat a Parocho S. Antonii, etiam intra limites ipsius Parochiæ S. Antonii, seu potius intra limites tantum Parochiæ ejusdem Collegiatæ in casu etc.? S. C. rescribendum censuit: Ad 4. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam: Ad 6. « Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam: » Ad 7. « Affirmative ad primam partem, *Negative* ad secundam. Camerinen. præeminentiarum die 19. Februarii 1754. »

(6. Super jure deferendi Crucem in publicis Processionibus in Civitate Fulginiæ peragendis inter Capitulum, ex Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Civitatis prædictæ ex una, et Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ S. Salvatoris ejusdem Civitatis ex altera parte, exertis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, E., et R. D. Cardinalis Sacripantes Ponens infrascriptum Dubium declarandum proposuit.

An Ecclesiæ Collegiatæ SS. Salvatoris Fulginei liceat Processionibus, in quibus intervenit Capitulum Cathedralis, deferre posse propriam Crucem, in casu etc.?

Et S. eadem C. utraque parte scripto, et voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, ad relationem præfati E. Ponentis, rescribendum censuit: *Negative*. Et ita decrevit, ac servari mandavit Fulginaten. die 4. Sept. 1756.

(7. An Parochi, cæterique de Clero tam Sæculari quam Regulari teneantur incedere sub unica Cathedralis Cruce in processionibus funebribus. S. C. rescribendum censuit: *Affirmative, et amplius*. dub. 4. Cajetana die 16. Jul. 1757.

(8. In missa solemni quæ cantatur feria V in cœna Domini, quoad crucem, an debeat esse cooperta velo albo, seu potius violaceo, servanda est Ecclesiæ consuetudo. Toletana dub. 2 die 11 Feb. 1764.

(9. Inquiritur, numquid Feria V. in Cœna Domini dum solemnis Missa cantatur, Crux cooperta esse debeat velo albo, ratione solemnitatis diei, seu violaceo propter Passionis tempus S. C. rescribendum censuit: « Albi coloris debet esse velum Crucis Altaris, in quo Missa celebratur: violaceo vero Crucis Processionis, et Altaris lotionis. 4. dub. Lusitana die 20. Decembris 1783. »

(10. 1. An in associatione cadaverum sepeliendorum in Ecclesia Fratrum Conventualium, intervenientibus Canonicis *in* forma Capituli, jus competat dictis Patribus erigendi propriam Crucem, seu potius hujusmodi jus privative spectet ad Capitulum in casu etc.? Et quatenus affirmative ad secundam partem.

3. An Capitulo in eisdem associationibus jus competat ingrediendi cum Cruce erecta, et stola Ecclesiam dictorum PP. Conventualium, ac funebria absolvere circa cadavera in casu etc? S. C. rescribendum censuit: Ad 1. « *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam. » Ad 3. *Negative* Albanen. *Funerum* die 13. Septembris 1787.

(11. An prædictis Dignitatibus et Canonicis Cathedralis competat jus elevandi propriam Crucem in Processione peragenda in eadem Festivitate, in casu etc. seu potius incedere debeant sub Cruce Capituli Collegiatæ? S.C. rescribendum censuit: Ad 18. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam. Melevitana Præeminentiarum die 19. Maii 1786. »

(12. Rev. Domine: Cum orta sit dubitatio inter Ecclesiasticos viros Regalis Capellæ Titulo SS. Crucis Oppidi Caravacciæ in ista tua juridictione S. Jacobi de Spatha Nullius Diœcesis Compostellanæ existentis, circa externas significationes venerationis, et publicos actus cultus, qui exhiberi consueverunt erga eam Crucem quæ maxima religione in prædicta Capella asservatur, num scilicet retineri possit consuetudo, cujus initii memoria non extat, exhibendi eidem Sanctæ Cruci eosdem externos actus cultus, qui SS. Eucharistiæ Sacramento exhibentur, præter modum a Rubricis, et Decretis S. R. C. præscriptum, vel ab iisdem sit abstinendum, ejusque cultus ad Rubricarum, et Decretorum normam sit exigendus, proindeque, ad amovendam omnem hæsitationem, S. R. C. supplicaverunt, ut, quid hoc in casu agendum foret, decerneret.

E., et R. Domini Patres S. R. C. præpositi, exquisita sententia unius, ex apostolicorum cæremoniarum Magistris, ac re mature perpensa, referente E., et R. Domino Cardinali Antonio ab Auria, censuerunt: « Tibi per hasce litteras significandum esse; quod si revera noscas consuetudinem esse immemorabilem atque etiam prævideas, ex immutatione facienda, ut Rubricis, Decretisque satisfiat, nedum admirationem, sed scandalum in Populo oriri, aut languorem in religione erga prædictam S. Crucem induci posse, nihil innovari permittas; et diu bene valeas. S. Jacobi De Spatha Nullius Provinciæ Compostellanæ die 23. Augusti 1794. »

(13. An in Processionibus, in quibus intersunt tam Parochus et Beneficiati S. Michaelis Archangeli, quam Archipresbyter et Canonici

Digitized by Google

Ecclesiæ S. Mariæ Matricis præcedere simultaneæ debeant duo Cruces utriusque Ecclesiæ, et post eas simultaneæ etiam utriusque Capitulares ? Et quatenus negative: An Parochus, et Beneficiati S. Michaelis Archangeli incedere priores debeant post propriam Crucem quatenus incedere nolint post unicam Crucem Matricis ipsius, ita ut hujus Archipresbyter, et Canonici velut digniores incedant postremi in casu etc ? S. C. rescribendum censuit *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam. dub 1. Terracinen. die 27. Martii 1802.

(14. Iterum proposita causa sub dubio : An sit standum, vel recedendum decisis ; S. C. respondit : « Servetur solitum, juxta modum, dummodo Cruces procedant una post aliam, pariterque Capitula. 11. Sept. 1802. »

(15. 8. An, et quibus remediis removendus sit abusus collocandi parvam Crucem vix visibilem vel supra Tabernaculum, vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio Altaris, loco Crucis collocandæ inter candelabra, ut Rubrica præscribit

15. An Collegiis Canonicorum vel Beneficiatorum, quibus ab Apostolica Sede concessum fuit privilegium gestandi Cruces vel Numismata Aurea, licitum sit ea palam deferre in paramentis sacris, vel in administratione Sacramentorum ? S. C. rescribendum censuit: Ad 8. « Reprobandum abusum ; et ubi invaluit, Ordinarius loci provideat juris, et facti remediis ; quod si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit Crux sita inter candelabra, alia, tempore Sacrificii, apte apponatur inferius, sed visibilis tam Celebranti, quam Populo. Ad 15. Negative Dubiorum die 27. Sept. 1822. »

(16. Quum summopere insitum animo sit R. Episcopi Alatrini, vehementerque curet, ut omnia illa in Diœcesi rite serventur, quæ ad Ecclesiasticam pertinent disciplinam, vel sacros respiciunt ritus, vel quæ decreta jam sunt a Synodalibus Constitutionibus, quumque certo comperisset a Canonicis insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ Majoris illius Civitatis contra jura procedi, propriam in funeribus elevando, ac deferendo Crucem, dum ad associandum funus in aliquam defuncti Parochialem Ecclesiam vocantur, opportuno remedio consuetudinem hanc de medio sustulit, tanquam abusum eliminandum per generale Decretum universa in Diœcesi servandum, ac editum sub die 6. Octobris proxime præteriti Anni piacularis 1825. quo cautum est, ne Crux in posterum in funeribus deferatur, nisi ab Ecclesia tumulante. Ast recensiti Canonici ægre ferentes propriæ consuetudinis eliminationem, illiusque clientelam suscipientes, Sacrorum Rituum a divere Congregationem, atque in Ordinario Cœtu coacto sub die 6. Maji currentis anni 1826. proposito Dubio : An substineatur Decretum Episcopi super delatione Crucis in funeribus? postularunt mandari ab E. Patribus superius allatum esse revocandum Episcopi Decretum, et S. C. respondit: Affirmative juxta Votum, scilicet Oratores « pareant Decreto Episcopi, utpote ad tramites Decretorum Sacræ Congregat. et Constitutionum Synodalium efformato. »

(17. Facta autem de præmissis *SS. Domino Nostro Leoni XII. Pontifici Maximo* per me infrascriptum Secretarium relatione, *Sanctitas sua* Sacræ Congregationis responsum adprobavit, et confirmavit. Alatrina 10. Maii 1826.

(18. Quomodo sit interpretandum Cæremoniale Episcoporum quoad Crucis delationem in Processionibus, ac potissimum die omnium Fidelium defunctorum, Purificationis, Dominica Palmarum, assistente nimirum Episcopo : S. C. rescribendum censuit : « Cæremoniale Episcoporum interpretatione non indiget, et sub respectivis capitibus aperte declarat a quo, et qua sacra veste induto, deferenda sit Crux, nimirum in die Purificationis, Dominica Palmarum, Feria V. in Cœna Domini, Feria VI. in Parasceve, a Subdiacono diverso a ministrante, amicto Tunicella, aut Planeta plicata, prout exigit sacræ actionis qualitas : die vero Commemorationis omnium Fidelium defunctorum a Subdiacono Missæ. » Alexandrina die 6. Maii 1726. et Leo XII. adprobavit S. C. responsa. Die 10 suprad. Mensis et Anni.

(19. An, et quomodo a Canonicis cum Cathedralis, tum Collegiatarum, deferenda sit Crux pectoralis in casu etc. : S. C. rescribendum censuit : Affirmative a singulis Capitulis hoc privilegio a Sancta Sede decoratis, servata forma concessionis, et ad Mentem : « Mens est, ut Episcopus mandet Canonicos decoratos privilegio Crucis deferendæ super Paramenta sacra, eo uti debere ad præscriptum Cæremonialis ; nempe imposita Cruce super Albam, et eamdem tegere, celebrante Episcopo. » Meliten. die 16. Septembris 1828. et Leo XII. confirmavit. Die 17. recensitis Mensis et Anni.

(20. Requisita S. C. a Canonicis Ecclesiæ Imolensis ut omnibus ipsorum et singulis pectoralem Crucem quotidie gestandi detur facultas : *negative* respondendum esse censuit. Imolen. dub. 2. die 27. Septembris 1828. Quod confirmavit Leo XII. die 1. Octobris 1828.

(21. In Cathedralibus, Collegiatis, et Parochialibus Ecclesiis Crux Altaris, in quo Missa Conventualis vel Parochialis celebratur, tegi debet, sicut et Imagines, juxta Rubricas Sabbati Passioni. Marsorum dub. 36. die 12. Novembris 1831. Servetur Rubrica Missalis vel laudabilis consuetudo quoad Crucem, quæ Feria VI. in Parasceve est detegenda et adoranda, an debeat esse lignea, vel etiam de metallo, præsertim si in ea lignum veræ Crucis includatur. Ibid. dub. 59.

(22. Celebrante in Pontificalibus Archiepiscopo, servanda est dispositio Cæremonialis lib. 2. cap 6. § 24. et 27. eo modo ut Subdiaconus deferens Archiepiscopalem Crucem sit paratus ; atque Acolytus deferens Crucem Capituli sit Cotta indutus, medius tamen inter duos Ceroferarios cum luminaribus. Pisana die 12. Novembris 1831.

Digitized by Google

(23. Ortæ quum essent nonnullæ quæstiones inter Capitulum et Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ ex una, et Parochum Ecclesiæ Sancti Hilarii partibus ex altera Oppidi Ereti Diœcesis Sabinen. quoad erectionem Crucis Ecclesiæ Parochialis in associandis Cadaveribus ejusdem Parœciæ, tam si hæc essent sepelienda in dicta Parochiali, quam tumulanda in supradicta Collegiata, adeo Patres in suis studiis incaluerunt, ut ad rem omnem componendam opus fuerit mutuari præsidium ab Sacrorum Rituum Congregatione. Primitus vero solo exhibito supplici libello, nullisque datis allegationibus, Sacra Congregatio in Ordinario Cœtu diei 17. Julii superioris anni 1830. in sensu fuit ut scriberetur Eminentissimo, et Reverendissimo Episcopo Sabinen. pro informatione, et voto. Dum hæc agebantur, et quisque pro suo tuendo studio liti necessaria pararet, dissentientibus adhuc animis, in hoc unum convenerunt, ut consuleretur expensis; proptereaque iterum supplicarunt Eminentissimis Patribus Sacris Ritibus tuendis præpositis, ut omni strepitu, et forma Judicii sublatis atque sepositis, dignarentur eligere et deputare Judices Compromissarios, seu Arbitros ad controversias easdem librandas, definiendasque, dato etiam authentico testimonio ab omnibus propria manu subsignato, quo declaratur paratos esse, sine ulla appellatione, amplecti et observare judicium, et arbitramentalem sententiam. Rata est Sacra Congregatio rem omnem committere Eminentissimo Cardinali Præfecto, qui Arbitris electis et nominatis, eisdem facultates omnes necessarias, et opportunas ad rem impertiret. Et Eminentissimus ac Reverendissimus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Prænestinus, seu Sacrorum Rituum Congregationi Præfectus, hisce facultatibus utendo sub die 11. Aprilis vertentis anni elegit, et nominavit in Judices Compromissarios RR. DD. Andream Mariam Frattini ejusdem Sacræ Congregationis Assessorem, et Aloysium Canonicum Tomassetti Sub Secretarium Sacræ Congregationis Concilii, utriusque Juris Doctores, cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis ad controversias componendas, definiendasque; hac tamen adjecta lege, ut in omnibus procederetur sine forma, et strepitu judicii, insuper ut Allegationes omnes una cum sententia Judicum, omniaque ad quæstionem quomodolibet spectantia, exhibita referrentur in Actis Sacrorum Rituum Congregationis; denique ut nulli liceat ullo umquam tempore ab Arbitramentali sententia quoquo modo appellationem quærere. Hujus itaque causæ Arbitri Judices, utraque parte consentiente, ut per omnia rite ac legitime procederent, sequentia Dubia concordarunt, quæ recensitas controversias complectuntur, nimirum:

An, et cui competat elevatio Crucis in casu, S. C. rescribendum censuit: « Crucis elevationem competere ad Ecclesiam Parochialem tumulantem, nempe si Cadavera deferantur ad Ecclesiam Collegiatam Sanctæ Mariæ Magdalenæ, hujus Ecclesiæ Crux est elevanda, etiam si defunctus ad Sancti Hilarii Parœciam pertineret; et vicissim Crucis elevatio competit ad Parœciam Sancti Hilarii, si defunctus in hac Ecclesia sit tumulandus, quamvis de Parœcia Collegiatæ esset, quum sub una tantummodo Cruce Ecclesiæ tumulantis in funeribus esse procedendum pluries decreverit Sacror. Rituum Congregatio præsertim in Melphitana 12. Julii 1628, in Lucen. 15. Maii 1694. in Melvitana Jurium Parochialium et Præeminentiarum 27. Februarii 1723. et omissis aliis, novissime in Alatrina 6. Maji 1826. » Sabinen. Die 12. Novembris 1831.

(27. Sacerdos paratus Feria VI. in Parasceve, antequam Crux detegatur, non debet in accessu ad Altare genuflectere, sed facere profundam reverentiam. Melfiten. die 31 Augusti 1839.

(28. Elatio Crucis debetur « Ecclesiæ, *ad* quam defunctus defertur, ut pl*uries decre*tum fuit, ac præsertim in una *Nullius* diei 26. Septembris 1682. Si vero intersit collegiatæ Capitulum, huic debetur prælatio Crucis, juxta generale Decretum diei 6 Julii 1661. Balneoregien. diei 11 Aprilis 1840. »

S. CONGREGATIONIS INDULGENTIARUM *DECRETA*.

(1. Proposito dubio: An indulgentiæ aliquibus Crucifixis appositæ et in scriptis, aut typis impressæ, *realiter* existerent, quæ sunt tenoris sequentis videlicet:

Per facoltà speciale ottenuta dalla Santità N. S. Pio papa VII. il dì 1. Giugno 1804, e confermata con Rescritto nell'Udienza dei 6 Novembre 1805, si accordano le seguenti particolari Indulgenze a questo Crocefisso.

1. Indulgenza plenaria in punto di morte per chiunque lo bacerà inquegli estremi, e lo avrà sul letto.

2. Cento giorni d'Indulgenza da chiunque, ed ogni qualvolta si reciteranno innanzi ad esso tre *Pater*, *Ave Gloria*, pregando secondo la mente del Sommo Pontefice.

3. Altri 100 giorni d'Indulgenza da chiunque, ed ogni qualvolta divotamente si bacerà, invocando almeno col cuore il suo santo ajuto.

4. Indulgenza plenaria due volte al mese ad arbitrio, per chiunque lo avrà seco nell'accostarsi alla S. Comunione.

5. Benedicendosi con esso il popolo dopo la predica, sette anni e sette quarantene d'Indulgenza per chiunque riceverà questa S. Benedizione.

6. Queste Indulgenze sono annesse immediatemente al Crocefisso, onde non si perdano, mutandogli la Croce.

7. Sono in vita dei proprietarî rispettivi del Crocefisso.

8. Passano successivamente gl'istessi privilegî in qualunque persona, cui il proprietario a suo arbitrio lo leghi, doni od impresti.

9. Potrà inoltre il proprietario del Crocefisso (ma non quei ai quali lo presterà), trovandosi legittimamente impedito, acquistare l'Indulgenze delle Stazioni, dicendo

Digitized by Google

sette *Pater* ed *Ave*, e quelle della *Via Crucis* con 14 *Pater* ed *Ave*

S. C respondit: « Consulendum SS. pro confirmatione, seu abrogatione prædictarum Indulgentiarum. » Facta autem relatione in Audientia 21 Decembris, Sanctitas Sua declaravit eas abrogari, et lucrari posse ab iis tantum qui nunc pro tunc possident Crucifixum, cui adnexæ hujusmodi Indulgentiæ reperiuntur, eorum vita naturali durante. Prohibet autem eisdem Patronis, dictos Crucifixos aliis commodare, donare, aut ratione Legati concedere, ad effectum lucrandi supradictas Indulgentias.

CULTUS SANCTORUM.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA

(1. Indulti recitandi Officium, et Missam S. Floriani Mart. de com. cujus Corpus cum vase Sanguinis extractum ex Cœmeterio Callixti, in Ecclesia Parochiali Pagi Wollenschwil in Helvetia Diœcesis Constantien. Provinciæ Moguntinæ colitur, non obstantibus, quod in Martyrologio Romano prædictus Sanctus non sit descriptus, quodque obstet Decretum S. R. C. anno 1691. emanatum super cultu S., qui ex Cathecumbis eruuntur, pro Parocho, et Clero ejusdem Pagi, « SS. mandavit servari Decreta S. C. super cultu sanctorum qui ex Cathecumbis eruuntur, et signanter Decretum anni 1691. Constantien. die 6 Septembris 1752. »

(2. Ea est judicii sanctitas, cum de Viris virtute commendatis honoribus Cœlitum donandis apud Apostolicam Sedem quæstio instituitur, ut quæ possint ad tantam rem tuto conficiendam, atque ad quemlibet vel tenuissimum scrupulum propulsandum expedire, ea omnia a Romanis Pontificibus sapientissime inventa atque statuta fuerint. Huc spectant quæ jussu S. M. Urbani Pp. VIII. a Concistorialis Aulæ Advocatis habentur in publicis Concistoriis Orationes, quibus de vita et gestis alicujus Servi Dei diserte refertur, ut ipsius nomen in Beatorum, vel Sanctorum Fastis adscribatur. Quæ quidem, ut recte ac pro summi negotii gravitate fiant, Institutio quædam ad eodem Pontifice fuit sancita die 28. Januarii anno 1631, qua et Secretarii Sacræ Rituum Congregationis partes, et Consistorialium Advocatorum Officium in id genus orationibus distincte, perspicueque præfiniuntur. Cavetur quippe, ut causarum electio ad ipsum Secretarium spectet, qui adnotabit in schedula a se subscribenda nomen Servi Dei unicuique Advocato per turnum assignandi, tum ut eidem per octo saltem ante propositionem dies eadem Oratio tradatur emendanda, atque accommodanda, si quid adversus ipsius Institutionis præscripta ibidem deprehenderetur. Argumenta insuper, de quibus disserere fas sit, designantur, ne quid temere, vel minus opportune, apteque proponatur. Quæ quidem omnia S. M. Benedictus XIV. luculenter tradit in præclaro suo Opere de Beatif. et canoniz. Sanctorum lib. 1. cap. 35. Verum cum in præsens, quod ferme ex varietate, ac perturbatione temporum contingit, ab accurata hujusmodi Institutionum executione declinari cœperit, Sanctissimus Dominus Noster Pius VII. Pontif. Max. pro eo, quo præstat zelo in ecclesiastica disciplina tuenda, suorumque Prædecessorum Decretis vindicandis, decrevit, ut prædicta Urbani VIII. Institutio, exceptis septimo, et octavo capite, quibus de honorarii tribuendi ratione, ac de commissione ab Advocato proponente tenenda agebatur, plene, et integre in posterum servetur, ac nemini liceat adversus ipsius dispositionem operari. etc. Die 30 Aprilis 1816.

(3. Ad tollendos, ac eliminandos abusus, qui irrepserant in Cultus exhibitione nonnullis Dei Servis, qui cum fama et opinione Sanctitatis decesserant, inconsulta Sede Apostolica, ac si essent Beatorum honoribus legitime decorati, sa. me. Urbanus Papa VIII. generalibus Decretis editis anno 1625. confirmatisque die 5. Julii 1634. providis latis Legibus certum præscripsit ordinem in hisce agendis Causis in posterum omnino constanterque servandum. Per hanc tamen generalem sanctionem expresse declaravit: « se nolle ullum præjudicium inferre iis (Servis Dei), qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum Scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii coluntur. » Quoniam vero hujusmodi ab universali Lege exceptionum cognitio ad sacrorum Rituum Congregationem servabatur, ex tunc obtinuit consuetudo, ut quoties eorumdem Servorum Dei, qui aliquo ex modis supramemoratis in Cultus possessione reperiri putabantur, Causa ad eamdem Sacram Congregationem deferri contingeret; primum in ordinario Conventu de introductionis Commissione signanda ageretur: qua favorabili Rescripto absoluta, in altero postmodum cogendo, de Cultu, sive casu excepto instrueretur judicium. Hoc tandem juxta Postulatorum vota prolato, locum habebat altera Instantia pro Officio et Missæ concessione. Ita refert, et docet Benedictus XIV: de Servorum Dei Beatificatione Lib. IV. Part. II. Cap. IV. et sequen.: atque hæc fuit constans Sacræ Congregationis disciplina per bina fere sæcula.

Sed quoniam sæpe evenire solet in iis etiam, quæ recte sapienterque constituta sunt, diuque incorrupte servata, ut temporis lapsu languescant, sensim immutentur, et diversam formam suscipiant; unde opus, ut obliteratus rigor, si non omni, aliqua saltem in parte ad observantiam revocetur: id quod accidit in præfatis Causis pertractandis, quæ a Papæ Urbani Lege excipiuntur. In his quippe novus paulatim longe facilior, et expeditior inductus est ordo sub ea specie, quod antiquus rigor retinendus sit

Digitized by Google

dumtaxat, si, sententia dicta de casu excepto, progredi mens sit ad formalem Canonizationem, non autem, si ut legitimus Cultus adprobari petatur, nisi ad hoc tantum, ad petendum nempe Officium, et Missam.

Quamobrem hanc veteris disciplinæ relaxationem non sine aliqua indulgentia, et moderatione coercere exoptantes, E. Patres Sacris tuendis Ritibus præpositi, serioque recogitantes decere, ut pro casuum diversitate, diversus sit modus, diversaque judicandi ratio, re mature diligenterque perpensa in Ordinariis Comitiis sub infrascripta die habitis, unanimes fuerunt in Voto, decernentes, ne in posterum admittantur Instantiæ pro concessione Officii et Missæ in honorem illorum Dei Servorum, qui sunt aliquo ex recensitis modis in possessione publici, et Ecclesiastici cultus, nisi ordine sequenti servato.

Primum in Congregatione Ordinaria proponendum, et discutiendum erit Dubium : « An constet de casu excepto a decretis sa. me. Urbani PP. VIII. : » audito tamen in scriptis Promotore Fidei, cui tradenda erunt originalia, et legalia documenta, ut suas exaret Animadversiones, quibus, si opus fuerit, poterunt Postulatores respondere. Si Patres E. Sacræ Congregationi præpositi in affirmativam abeuntes sententiam dixerint, constare de casu excepto, locus erit in subsequenti Congregatione novæ Instantiæ super concessione Officii, et Missæ, audito pariter in scriptis Promotore Fidei, veluti supra dictum est.

Quatenus vero in aliqua ex Causis, in quibus Adprobatus, auctusque cultus est accessione Officii et Missæ, procedi optetur ad formalem Canonizationem, Acta strictim iteranda erunt, ac retinendus antiquus judicialis ordo, qui in similibus inviolabiliter servatus fuit. Et ita decreverunt, et declararunt, præcipientes mihi infrascripto Secretario, ut Generale Decretum ederem, facto verbo cum SSmo. Die 16. Decembris 1826.

De quibus omnibus, et singulis facta Sanctissimo Domino Nostro Leoni *XII. Pont.* Max. relatione, Sanctitas Sua Sacræ ejusdem Congregationis sententiam adprobavit, et confirmavit, ipsumque generale Decretum prælo tradi, et evulgari mandavit. *Decretum Generale.* Die 20. superioris Mensis Anni.

FINIS TOMI SECUNDI.

Ex. J. M.

Digitized by Google